
0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36
2 400 40 Gafta MADE IN SPAIN

R.-1276

DISPVTATIONVM

ROBERTI BELLARMINI POLITIANI,

SOCIETATIS IESV.

DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE FIDEI,

aduersus huius temporis hæreticos,

Tomus secundus,

AD S. D. N. SIXTVM PONT. MAX.

Hac vltima Editione adiectus est Index locupletißimus. Item eiusdem Auctoris, De Indulgentijs, & Iubileo libri duo; cum alijs aliquot opusculis.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
GRANADA

De las siguelas de Baeza

LVGDVNI,

Apud IOANNEM PILLEHOTTE, sub signo nominis IESV.

M. D. XCIX.

CVM PRIVILEGIO.

BEATISSIMO
PATRI SIXTO V.
PONT. MAX.

ROBERTVS BELLARMINVS.

EN adfero, Beatiſsime Pater, alteram partem earum diſputationum, quæ ante hoc ferme biennium in ſanctiſsimo tuo nomine in lucem, te annuente, prodierunt. Æquum enim eſſe cenſui, vt quemadmodum ea volumina, quæ de Chriſto, & Eccleſia ſcripta erant, Chriſti ipſius Vicario, & Eccleſiæ ſummo Præſidi dicata ſunt: ita libri, quibus Sacramentorum omnium tractatio comprehenditur, non alij, quàm ſacrorum Antiſtiti primo, & maximo dicarentur: quanquam vel me tacente, nemo non intelligit, partem operis tibi vni conſecratam exiſtimari debere, cui totum opus ſemel ſit iure optimo conſecratum.

Et verò licet opus ipſum alioqui impolitum, & tenue, dignum non ſit, quod Principi omnium maximo, & doctiſsimo offeratur: duæ res tamen facilè effecerunt, vt in ſpem magnam venirem, fore vt Beatitudini tuæ non contemnendum videretur. Altera eſt, incredibilis benignitas tua, qua me primam huius operis partem ad ſacros pedes tuos offerentem, humaniſsimè complexus, multis magniſque beneuolentiæ ſignificationibus, non modò munuſculum quod obtuleram, gratum Sanctitati tuæ fuiſſe declaraſti, ſed etiam me ad reliquum opus perficiendum quaſi quibuſdam additis calcaribus incitaſti. Altera: ingens vtilitas huius generis ſcriptionum. Tibi enim pro ſalute vniuerſi Chriſtiani gregis, dies ac noctes excubanti, nihil gratius accidere ſolet, nihil minùs contemnendum videri, quàm id, quod ſit cùm Eccleſia non mediocri vtilitate coniunctum. Hoc verò tempore, quo tot ſylueſtres feræ non deſinunt fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oues, aditus vndecunque rimari: nihil eſſe videtur vtilius, quàm peſtilentibus, atque inſidiantibus Hæreticorum ſcriptis, (vt ſancti Auguſtini verbis vtar) medentia, & munientia ſcripta prætendere, quibus rabies qua furunt, aut etiam ipſa ſanetur, aut à ladendis aliis repellatur: Ego autem pro mei particula muneris, próque iis viribus, quas Dominus ſubminiſtrare dignatus eſt, quod his temporibus Chriſtiano populo vtiliſsimum eſſe credidi, ad id cogitationes meas, laborem, ſtudiúmque conuerti. Itaque operam dedi, vt in ea re, in qua potiſsimùm noſtro hoc ſeculo hæreticorum omnium debacchatus eſt furor, quanta ma-

Lib. 1. ad Bonifacii. cap. 1.

xima à me adhiberi potuit perſpicuitate & breuitate, nihil omninò prætermitterem, quod vel ad fraudes, & mendacia Chriſti hoſtium detegenda, vel ad nodos, & argumenta ipſorum diſſoluenda, vel ad Catholica Orthodoxæ Eccleſiæ dogmata explicanda, & communienda pertinere poſſe videretur.

Accipe igitur, Pater ſanctiſsime, atque optime, alteram hanc mei laboris partem, ea benignitate qua cætera ſoles, quæ tibi à deuotis tuis ſeruulis deferuntur. Atque interea dum tertiam partem, Deo bene iuuante, molior, aſsiduè precari non deſinam, vt felix viuas, & gloriæ Dei, gregiſque tui incolumitati, vt facis, ſeruias, ac tuis apud Deum iam partis promeritis maximum indies bene merendo cumulum adiicias.

PRÆFA

PRAEFATIO
IN SCHOLIS HABITA:
DE HÆRETICORVM LEVITATE IN RE SACRAMENTARIA.

HÆRETICOS homines, vt eſt apud Iſaiam Prophetam, cap. 19. ſpiritu vertiginis agitari, & tanquam Babylonicæ turris ædificatores, ſic inter ſe linguis, & moribus eſſe diuiſos, vt alius alium non agnoſcat; nulla re magis, quàm diſputatione Sacramentaria comprobatur. Etenim cùm de Sacramentis agitur, ſiue nomen, ſiue natura, ſiue numerus, ſiue efficacitas, ſiue quid aliud in controuerſiam adducatur, non modò inter ſe acerbiſsimis contentionibus altercantur, ſed etiam ita ineptè, aque abſurdè plerumque diſputant, vt de ſtultitiæ palma contendere, vel de gloria imperitiæ dimicare velle videantur. Et quoniam præfationem à nobis ſolito pleniorem, ac iucundiorem noui huius Gymnaſij amplitudo, noua ſtudiorum auſpicia, noui auditorum concurſus, ipſæ propemodum ſedes, ac parietes poſtulare videntur, non mediocriter lætor, hoc ſe mihi hodierna die ad diſputandum argumentum obtuliſſe: differendum eſt enim de hæreticorum huius temporis vanitate, & leuitate, idque in re Sacramentaria, id eſt, ſummis, grauiſsimiſque noſtræ fidei controuerſijs. Quæ ſanè diſputatio nec iucunditate vacua eſſe poterit, cùm ſpectaculum furioſorum inter ſe, & cum ſanis concertantium exhibeat: nec ſua etiam vtilitate priuabitur, cùm hoc exemplo luculenter oſtendat, in quas errorum tenebras incidant, quæque ad præcipitia abſurdiſsimarum hæreſeon ruant, qui ſemel à præclariſsima, munitiſsimáque Catholicæ veritatis arce receſſerint.

Principio igitur cùm Sacramenti vocabulum in quæſtionem apud Hæreticos noſtros veniſſet, & Martinus Lutherus in Babylone ſua eam vocem haud multùm ſibi probari ſignificaſſet, continuò diſcipuli eius, qui Lutherum, non vt hominem quendam vulgarem, ſed vt nouum Prophetam de cœlo lapſum ſuſpiciebant, eiúſque non ſententias tantùm, ſed etiam nutus tanquam oracula obſeruabant, Sacramenti nomen apertè improbare, ac repudiare cœperunt. Itaque Andreas Caroloſtadius in libro de imaginibus & Sacramentis, Sacramenti nomen palàm oppugnauit. Philippus Melanchthon in locis primùm diuis. capite de ſignis: *Quæ*, inquit, *alij Sacramenta, nos ſigna appellamus, quòd ſi ſigni nomen diſplicet,* σφραγίδας appelles. Zvvinglius in libro de vera & falſa religione: *Vocem iſtam*, inquit, *Sacramenti, magnopere cuperem Germanis nunquam fuiſſe receptam.* Caluinus, vt cæteris grauior & ſapientior videatur, etſi nomen hoc parum probet libro quarto Inſtitutionum, capite decimoquarto, non tamen exiſtimat operæpretium, de nomine litigare. Non diu pòſt exorta inter Lutherum, & Sacramentarios grauiſsima ſimultate, cùm animaduerteret Lutherus Sacramenti nomen vehementer, Sacramentarijs improbari: probare ipſe cœpit, acerrimèque tueri, ac propugnare, vt ex eo libro cognoſci poteſt, quem contra Andream Caroloſtadium ſcripſit: quem quidem Andream, aureum aliquando amicum ſuum, in Abſalonem & Iudam poſteà conuerſum, miſerè deplorat.

Lutherum opinione mutata, Sacramenti vocabulum defendentem, ſequutus eſt eius Achates, Philippus Melanchthon, qui in locis poſteriùs editis, Sacramenti nomine paſsim vtitur: ſequuti etiam cæteri, qui propriè Lutherani dici, atque à Sacramentarijs diſtingui volunt, Brentius, Tilmannus, Kemnitius, & alij.

Sed audite, ſi placet, quibus argumentis Sacramenti nomen vel oppugnet Caroloſtadius, vel defendat Lutherus. *Non placet*, inquit ille, *vox iſta, neque enim Deus in ſacris Literis vſquam imperauit, vt eiuſmodi voce vteremur: nec licet in rebus diuinis vſurpare nomina, quæ Deus non inſſerit vſurpari.* Contrà Lutherus. *Immò verò*, inquit, *placet vox iſta, nec enim Deus in ſacris Literis vſquam prohibuit, ne eiuſmodi voce vteremur: & quis tandem es, Caroloſtadi, vt te ponas loco Dei, & nobis prohibeas, quod ille non prohibuit?* Vter ineptior, Auditores? Nam ſi non licet in rebus diuinis his vocibus vti, quas Deus in ſacris literis non inſtituit, indicet nobis Caroloſtadius, vbinam legerit in Scripturis Trinitatem, eſſentiam, perſonas, ὁμοούσιον, aliáque id genus, quæ trita ſunt, & promulgata, non magis apud Catholicos, quàm apud ipſos hæreticos Sacramentarios? & ſi non licet Baptiſmum, & Euchariſtiam vocare Sacramenta, quòd Deus non iuſſerit ita vocari, cur ipſi Baptiſmum & Euchariſtiam ſigna, ſymbola, teſſeras, σφραγίδας appellant? neque enim locum indicare poterunt in Euangelio, vel in Apoſtolo, vbi eiuſmodi vocibus, vel Baptiſmus, vel Euchariſtia nominetur. Sed nec Lutheri ratiocinatio multò plus habet ponderis, aut ſoliditatis. Etenim ſi prohibere non licet ea vocabula, quæ Deus in ſacris literis non prohibuit: non igitur prohibeantur Ariani Filium Dei dicere ἑτερούσιον Patri: ſinantur Macedoniani Spiritum ſanctum vocare creaturam: liceat Michaëli Seueto verbum æternum definire: idem rationem Chriſtum hominem repræſentantem: Liberum ſit Va-

lentino Gentili Deum Patrem essentiatorem, Deum Filium essentiatum nominare: concedatur denique, vt alia prætermittam, nouis Samosatenis, vt vocent imagines Trinitatis, Cerberos tricipites, & tricorpores Geriones. siquidem nihil horum in sacris literis Deus prohibuisse legitur.

Quantò grauiùs, maturiùs, sapientiùs Ecclesia Catholica nomen Sacramenti retinet, quòd eam vocem aptissimè quadrare intelligat in Baptismum, & Eucharistiam, aliáque eiusdem generis sacra mysteria: quódque eadem voce vsos esse videat Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, & quotquot iam ab initio Christiani nominis, de sacris nostræ fidei rebus Latinè scripserunt? Sed de nomine satis multa. ad Sacramenti naturam, atque vim accedamus.

Scriptores Catholici tanta consensione docent, ac semper docuerunt, nouæ legis Sacramenta, instrumenta quædam esse nostræ iustificationis, vt id etiam aduersariorum nostrorum testimonio comprobetur. Sic enim Caluinus loquitur libro quarto Institutionum, capite decimoquarto, §. decimoquarto: *Magno consensu Sophisticæ scholæ tradiderunt, Sacramenta nouæ legis iustificare, & conferre gratiam, modò non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia dici non potest quàm sit exitialis & pestilens, eóque magis, quòd multis antè sæculis magna Ecclesiæ iactura, in bona orbis parte obtinuit.* Hæc ille: qui, vt videtis, licet pro suo more Catholicos, sophistas: & Ecclesiæ fidem, pestem ac perniciem vocet: tamen negare non potuit magnum esse inter Catholicos omnes consensum, ac sententiam nostram multis iam sæculis in bona orbis terrarum parte viguisse: cùm de ipsis contrà rectissimè, verissiméque dicamus, nihil apud eos antiquum, nihil certum, nihil ferè ab omnibus communi consensione receptum, sed omnia, noua, incerta omnia, eáque breuissimis, atque angustissimis finibus circunscripta. Nam etsi permulti, ac penè innumerabiles hoc tempore longè, latéque grassantur Hæretici, tamen in tot minutissimas sectas sunt ipsi diuisi, atque dissecti, vt nullum fermè sit eorum dogma, quod admodum latè pateat, quódque non aliqua certa regione definiatur. Sanè Martinus Kemnitius in secunda parte Examinis Tridentini Concilij, de Sacramenti natura & potestate disputans, summam inter suos, id est, Lutheri posteros ac discipulos, discordiam esse ingenuè confitetur. Et verò nimiùm impudens fuisset, si quod est Solis luce clariùs, inficiari voluisset. numerantur enim apud aduersarios, ipso etiam consentiente Kemnitio, vt minimùm sex diuersæ, atque absurdissimæ, & inter se pugnantes opiniones, dum aliud somniat Lutherus, aliud sibi fingit Carolostadius, aliud delirant Anabaptistæ, aliud Zvvinglius, aliud Caluinus, aliud alij comminiscuntur. Inspiciamus paulisper, ac leuiter discutiamus ineptias singulorum.

Princeps Lutherus, cùm in Babylone, tùm in assertione Articulorum, nihil aliud Sacramentum esse voluit, nisi diuinum testimonium ad excitandam vel nutriendam fidem, institutum, quod instar miraculi confirmet, & instar sigilli obsignet promissionem gratiæ. Quocirca Sacramenta ferè conferre solet cum vellere Gedeonis, cum signo, quod Isaias obtulit Regi Achaz, cum alijs eiusmodi miraculis atque prodigijs, quibus ad faciendam fidem Prophetæ, & Apostoli vtebantur.

Sed hæc sententia tam est absurda, vt nihil ferè excogitari possit absurdius. Nam signa atque prodigia ad confirmandam prædicationem meritò adhibentur, cùm sint ex se nota, & illustria, neque à prædicatione vlla ratione dependeãt: contrà autem Sacramenta nullam ex se vim habent, ac ne Sacramenta quidem esse intelliguntur, nisi testimonio verbi confirmentur. Itaque qui à prædicatore diuini verbi vel morbos repentè curari, vel Dæmones verbo pelli, vel cæcos illuminari, vel ab inferis mortuos reuocari conspiciunt, ipsa miraculi vi tanquam fulgore quodam ita percelluntur, ac prosternuntur, vt vel inuiti verbis tanti viri fidem habere cogantur. Qui verò aquis hominem ablui, quod in Baptismo facimus, vident, nihil mirantur, neque facilè credunt in ea lotione aliquid sublimius latere, nisi verbo Dei antè crediderint. Quòd si non antè Sacramenta suspicere incipimus, quàm verbo Dei fidem habeamus: quo pacto, quæso, fieri potest, vt Sacramentis diuina eloquia confirmentur? An non ridiculus esset, qui Ethnico diceret: Vt credas vera esse quæ dico, amphoram istam aquæ super caput tuum effundam? Egregia sanè probatio: nisi enim ex Dei verbo diceremus lotionem illam, & illam vnctionem ad purgandos animos valere, quis id crederet? quis non rideret? neque enim id habet aquæ natura, vt morbos animi curet, & cordis maculas eluat, sed quidquid in hoc genere potest, ex institutione diuina potest, diuinam autem institutionem diuina eloquia patefaciunt.

Porrò comparatio illa, qua verbum diplomati, Sacramentum sigillo ab aduersarijs passim confertur, tam est inepta, vt nihil ineptius fingi queat, multóque rectiùs verbum Dei, sigillum Sacramenti, quàm Sacramentum, verbi Dei sigillum dici possit. Nam vt sigillum, etiam sine diplomate vim suam habet, atque agnoscitur, & honoratur; diploma sine sigillo non agnoscitur esse diploma, nec vim vllam habet: sic etiam verbum Dei sine testimonio Sacramenti, suam, eámque summam habet auctoritatem; Sacramentum verò sine verbi testimonio, nullam. Non igitur Sacramentum, vt illi volunt, sigillum verbi, sed verbum, sigillum Sacramenti nominari debuisset.

Deinde si Sacramentum, vt Lutherani volunt, nihil est aliud, nisi excitandæ vel alendæ fidei instrumentum, quorsum infantes, amentes, dormientes interdum in Ecclesia baptizantur: num ea vis est in Sacramentis, vt ijs etiam qui vsum rationis non habent, fidem persuadeant? an potiùs rectè docent Anabaptistæ solis adultis, sanis, ac vigilantibus Sacramenta prodesse? *Minimè verò*, inquiunt Lutherani, *quin potiùs grauiter errant Anabaptistæ, homines fanatici ac furiosi, dum infantes baptizari prohibent. Nam etsi parvuli*

nulli alio tempore iudicio rationis carent, tamen dum baptizantur, sic in earum mentibus operatur Deus, vt & verbum Dei audiant, & Deum etiam agnoscant, ac diligant: quemadmodum olim Sanctus Ioannes in vtero matris, Christi præsentiam sensit, & præ gaudio exultauit. En vobis quò se miseri præcipitant: nec est omninò locus alius, quò se recipiant: vrgent enim vehementer Anabaptistæ, & sic vndique Lutheranos clausos tenent, vt vel capi debeant, vel in huius noui erroris foueam sponte cadere. Sed neque ita effugiunt: nam in ista ipsa fouea armato dilemmate obruuntur, atque conficiuntur Lutherani. Vidistis opinor aliquando, infantes dum baptizantur, quàm refugiunt, eiulant, oblectentur? Quæro igitur, vel intelligunt quid agant, vel non intelligunt. Si non intelligunt, nec credunt: si non credunt, perperam baptizantur: & vicerunt Anabaptistæ. Si intelligunt, sacrilegi sunt, qui sic peruicaciter Sacramenta recusant, nec tam purgantur, quàm maculantur. non igitur baptizentur, & vicerunt Anabaptistæ. Quid? quòd has ineptias iam olim in epistola ad Dardanum ritit Augustinus, & ad exemplum sancti Ioannis, qui singulari miraculo in vtero exultauit, argutè respondit: aliquando etiam asinam Balaam sapienter esse loquutam, nec tamen ob id admonitos esse homines in deliberationibus suis asinina expectare consilia.

Sed Lutherum dimittam, si vnum ab eo quæsiero, in quonam Euangelio, vel Apostolo, vel Propheta legerit, Sacramenta nouæ legis esse testimonia, vel sigilla verbi Dei? Nos quidem passim legimus Ioannis 3. Actorum 22. 1. ad Corinthios 6. ad Ephesios 1. ad Titum 3. 1. Petr. 3. Baptismo renasci, ablui, purgari, sanctificari, renouari, saluari fideles: obsignari promissiones nusquam legimus, nisi fortè in Euangelio secundum Lutherum. Neque potuit Lutherus hoc argumentum contemnere, cum in libro aduersus Ioannem Cochlæum scriptum reliquerit, in rebus sacris vehementissmum, & robustissimum locum esse, argumentum ducere ab auctoritate negatiuè. Vel igitur locum indicet in verbo Dei, vbi Sacramenta nouæ legis, testimonia nominentur: vel certè argumento vehementissimo & robustissimo sententiam suam nos refutare fateatur.

Venio nunc ad Zvvinglium. Is in libro de vera & falsa religione, vbi Lutheri sententiam, aliásque nonnullas satis acriter oppugnauit, aperit mentem suam, ac docet, Sacramenta nihil esse aliud, nisi quandam oppignerationem, ac veluti iusiurandum, quo se homines Christo, & eius Ecclesiæ fideles fore publicè profitentur, ex quo illud sequitur, in Sacramentorum celebratione nihil Christum agere, & non modò non purgare peccata, neque homines renocare, vt volunt Catholici, sed ne atteslari quidem nostræ iustificationi, vt docent Lutherani. Quæ sententia tantum abest, vt vllo Scripturæ testimonio confirmari queat, vt cum vniuersis Scripturis apertissimè pugnet. Nam si Baptismus mea tantùm est oppignoratio, non autem Christi actio, quid est quod ait Ioannes: *Hic est qui baptizat?* quid est illud, quod ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ?* & si Baptismus non purgat peccata, sed testimonium solùm præbet futuræ fidelitatis, cur Paulo Ananias dixit: *Baptizare, & ablue peccata tua?* cur ipse Paulus Baptismum definiuit lauacrum regenerationis? & quid sibi vult illud, quod iam citauimus, *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ?* Denique vt alia multa præteream, res est in Ecclesia explorata, ac certa, & ipsis etiam fœminis, ac pueris nota, Sacramenta Christiana ex Christi passione, ac meritis vim habere: atque in eius rei signum sanguinem, & aquam ex Christi latere profluxisse. *Tunc*, inquit S. Leo epistola quarta, capite sexto, *regenerationis potentiam sanxit, quando de latere eius profluxerunt sanguis redemptionis & aqua Baptismatis.* quod idem Ambrosius in Lucam, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus in Ioannem, annotarunt. Atque hinc Apostolus Paulus duo illa coniunxit: *Tradidit semetipsum pro ea:* &, *Mundans eam lauacro aquæ.* quia videlicet nihil esset aqua, nisi aqua, nisi vim quandam mirificam ex illius sanguine traheret, qui tradidit semetipsum in mortem, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam. Hinc denique & Ioannes clamat: *Hic est qui venit per aquam, & sanguinem.* & rursum repetit: *Non in aqua solùm.* nimirum, vt quondam Ioannes Baptista: *Sed in aqua & sanguine*, id est, in aqua admixta sanguini, atque ob eum sanguinem ad omnia eluenda peccata efficacissima. Sed si vera est noua Theologia Zvvinglij, errat Ioannes, fallitur Paulus, hallucinantur Patres vniuersi, inanis est confessio Populorum, ac Gentium, Christus ipse frustra latus suum aperiri, & sanguinem & aquam inde manare voluit. Quid enim opus fuit Christi passione, ac morte ad Sacramenta instituenda, si nihil sacrum, nihil diuinum habent, nihil possunt, nihi efficiunt, nec sunt aliud nisi testimonia, vel pignora quædam humana.

Iam verò Ioannes Caluinus mira calliditate, cùm Lutherum simul ac Zvvinglium amplecti velle videatur, ab vtroque dissentit, atque vtroque reiecto, suum ac proprium dogma constituit. his enim verbis affirmat in quarto libro institutionis, capite decimoquarto, §. primo, veram, propriam, simplicem definitionem Sacramenti contineri: *Sacramentum, externum est symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientijs nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quàm apud homines testamur.*

Quis non iuraret, Caluini sententiam ex Lutheri Zvvinglíque sententia esse conflatam? Quod enim Caluinus ait, Sacramento promissionem benevolentiæ à Domino obsignari ad sustinendam fidei imbecillitatem, ex Luthero sumptum videri potest: quod verò addit, eodem nos Sacramento testari nostram erga Dominum pietatem, ad Zvvinglij sententiam pertinet. Sed non tanta erat vel in Caluino modestia, vel in Luthero, & Zvvinglio auctoritas, vt horum ille discipulus aut esse, aut haberi se pateretur.

Itaque licet Zvvinglio Caluinus concedat, Sacramenta esse quandam veluti professionem nostræ erga Deum fidelitatis: in eo tamen ab eo dissentit, quòd negat hunc esse vel solum, vel primarium Sacramentorum vsum, & ea de caussa, nomine Zvvinglij prætermisso, eius sententiam loco notato palàm oppugnat, omniáque ipsius argumenta sigillatim diluit. Inter Lutherum autem, & Caluinum hoc interest, quòd cùm vterque Sacramenta faciat testimonia, vel sigilla diuinæ promissionis: eam promissionem esse vult Lutherus iustificationis præsentis, Caluinus electionis æternæ. Quamobrem in Antidoto Concilij, sessione 6. capite 5. infantes baptizari dicit, non vt in adoptionem filiorum à Deo recipiantur, sed vt obsignetur promissio vitæ, quæ ad eos per gratiam prædestinationis iam antè pertinebat. & sessione 7. canone 7. ad eum finem Sacramenta referenda esse affirmat, vt certos nos reddant perpetuæ adoptionis, & gratiæ, ad quam videlicet ante mundi constitutionem prædestinati sumus.

Sed hæc sententia multis nominibus falsa, absurda, pernicios a, impia est. Nam & cum Scripturis apertè pugnat, & multis regnum cœlorum claudit, & Sacramentum falsum, ministros sacrilegos, Deum mendacem, & quasi periurum facit. Si falsum non est, Sacramenta solùm ad præteritum, id est, ad gratiam electionis referri, cur Ananias in præsenti dicit, *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua?* cur Baptismum Paulus vocat lauacrum regenerationis? cur eundem Baptismum Petrus accipi dicit in remissionem peccatorum? Et quæ tandem est ista temeritas, vel furor potiùs, & amentia, prouocare Catholicos ad Scripturas, & tamen quid Scripturæ omnes clament nolle audire, id verò obstinatè asserere, ac tueri, quod nusquam in diuinis literis ostendi queat?

Absurdam verò sententiam esse, per Sacramenta obsignari conscientijs promissiones, fieri potest ex paruulorum Baptismo planissimum. Siquidem ritè, atque vtiliter paruulos baptizari, Caluinus contra Anabaptistas multis in locis docet, cùm tamen paruuli vt vsu rationis, ita etiam conscientia careant; quod ne ipse quidem Caluinus negare ausus fuit in quarto libro Institutionis, capite decimosexto. Et verò si promissio diploma quoddam est, Sacramentum sigillum, & conscientia cera, vel charta, vt Caluinus significat: egregium sanè miraculum Caluinistæ faciunt, cùm paruulos baptizant: nam & diploma scribunt sine charta, & sigillum imprimunt sine cera.

Esse autem eandem sententiam multis ac potissimùm paruulis pernicios am, dubitari certè non potest. Nam cùm Sacramenta Caluinus, filijs præsertim hominum fidelium, quos iustos ac sanctos nasci docet, ad accipiendam Christi gratiam minimè necessaria esse, multis persuaserit, id consequutum est, vt non pauci eadem Sacramenta contempserint, atque in dies magis contemnant, atque interim multorum animæ paruulorum, quæ sanctæ à Caluino esse finguntur, non expiatæ salutaribus aquis, in æternis sordibus perseuerent.

Sed illud grauissimum, quòd ista Caluini sententia Sacramentum, vt dixi, falsum, ministrum sacrilegum, Deum mendacem facit. Etenim si Sacramentum diuinum est iusiurandum, atque sigillum, quo electionis æternæ promissio obsignatur: quoties contingit (contingit autem frequentissimè) vt reprobi baptizentur, toties item contingit, vt Sacramentalia verba sint falsa, & ore ministri mentiatur Deus. Fingite animis adesse iam hoc loco Philippum Diaconum, qui Magum Simonem baptizet: certè cùm Philippus aquam aspergit, ac dicit, Ego te baptizo: eodem ipso momento, si Caluino credimus, & Deus dicit, Ego Deus æternus testor, ac iuro, & sigillo meo diuino confirmo, te Simonem à me iam inde ab æternitate electum, & ad regnum cœlorum irreuocabiliter prædestinatum, Atqui falsum hoc testimonium, falsum iusiurandum, fallax sigillum fuisse, nemo est qui nesciat, cùm Simon ille impius, Hæresiarches, Magus tandem perierit. Neque verò satis sibi cauet Caluinus, cùm ait, Deum quod ad se attinet, verum sigillum, ac testimonium offerre. nam non offert solùm, sed etiam reipsa præbet, cùm reipsa homines baptizantur, neque enim Sacramentum oblatio, sed iustificatio est diuinæ beneuolentiæ, vt idem ipse docet Caluinus in Catechismo breuiore. Itaque tùm offert testimonium, cùm offert Sacramentum: cùm autem Sacramentum præbet, ac dicit, Ego te baptizo: non offert, sed præbet testimonium, & quidem falsum, & fallax, cùm reprobi baptizantur.

Tres adhuc supersunt excutiendæ opiniones: sed eas, quia magna pars horæ præteriisse videtur, breuiter leuitérque attingam. Andreas Carolostadius, vt ipse quoque dux noui agminis haberi posset, nouum dogma excogitauit: nimirum asseruit, nihil esse aliud Sacramenta Christiana, quàm symbola quædam, ac tesseras, quibus internoscuntur Christiani à Iudæis, Mahumetanis, Paganis: quales erant olim apud Romanos togæ, pallia apud Philosophos, & nunc apud Christianos vestimenta varia Monachorum. Neque multùm ab hac sententia discrepat, quòd Anabaptistæ de Sacramentis disputant. siquidem Sacramenta esse volunt allegorias, vt ipsi loquuntur, operum bonorum: non enim alia de caussa homines baptizari, & corpus Domini sumere, nisi vt admoneantur ea cæremonia, sibi crucem & mortem pro Christo, si res tulerit, forti animo esse tolerandam.

Sed non est quod multùm laboremus in his sententijs refellendis, cùm eas Lutherus, Philippus, Zvvinglius, Caluinus, Kemnitius, atque alij ex aduersarijs ita confutarint, & exploserint, vt penè etiam extinxerint, ac sepelierint. Et sanè si non est alia Sacramentorum vtilitas, nisi vt Ecclesiam ab alijs hominum cœtibus diuidant, vel operum bonorum fideles admoneant, adeò parùm valent, vt penè superuacanea dici possint. Habemus enim alia symbola multò quàm Sacramenta sint, illustriora, & efficaciora.

Quid?

Quid? an non confessio fidei melior tessera est, quàm Baptismus, cùm confessio veræ fidei Catholicorum propria sit, Baptismum autem communem cum hæreticis habeamus? an non etiam longè efficaciùs mouent ad opera bona exhortationes, & exempla, quàm cæremoniæ illæ Sacramentales? Et quid opus erat, vt Sacramenta ex Christi latere perfosso manarent, si nihil maius effectura erant, quàm allegoriæ quædam, vel quàm Romanorum togæ, vel pallia Philosophorum?

Vnus restat Svvenckfeldius, qui vt vno verbo contentiones omnes dirimeret, & noua dogmata cudendo Hæresiarcha iure salutari posset, omnia simul Christiana Sacramenta repudiauit: quippe homo supra modum spiritalis, atque Angelicus, solo spiritu viuendum putat. Nec mirum si Sacramenta ei corporalia sordeant, qui Scripturarum etiam diuinarum literas, & verba contemnit. Illud magis admiror, cur non tacita mentis cogitatione contentus, verbis & literis corporalibus dogmata sua explicanda putauerit: non enim decet virum tam spiritalem, pulmoni ac palato, linguæ, ac dentibus, sapientiæ suæ arcana committere. Huc videlicet, Aud. Sathan spectabat, huc tendebat longo illo ambitu hæresum variarum, vt fontes illos salutares, thesauros illos charismatum diuinorum, pharmaca illa cœlestia Christi sanguine comparata omninò Christianis eriperet. Sed si non planè isti spiritales homines hominem exuissent, intelligerent profectò, nihil magis appositum à diuina prouidentia institui potuisse, quàm vt homines, qui spiritu & corpore constant: per corporalia signa ad dona spiritalia peruenirent: *Si tu*, inquit sanctus Ioannes Chrysostomus, homilia 83. in Matthæum, *incorporeus esses, nuda tibi Deus, & incorporea dona tradidisset: sed quoniam corpori adiunctum spiritum habes, in rebus corporalibus spiritalia tibi traduntur.* Quid? quod ipsa etiam Sacramenta non omninò corporalia, sed magna ex parte spiritalia sunt? corporale est elementum, corporale etiam verbum, sed mirifica illa virtus & potestas, qua fit, vt aqua corpus tangat, & cor abluat, vt sanctus loquitur Augustinus, planè spiritalis est. Itaque Dominus Nicodemo, non ex aqua solùm, sed ex aqua & spiritu renascendum esse pronunciauit, nimirum, vt Gregorius Nazianzenus in oratione de Baptismate annotauit, ideò ex aqua & spiritu, quia medicamentum partim corporale, partim spiritale, aptissimè conuenit in eos ægrotos, quorum natura corpore, & spiritu continetur.

Diximus, Aud. de nomine, diximus etiam de natura, & efficacitate Sacramenti. Quòd si iam de numero Sacramentorum, hæreticorum sententias enumerare vellem: hinc etiam facilè demonstrarem, quanta eorum vanitas, & stultitia sit, cùm vnus Lutherus modò vnum, modò duo, modò tria, modò etiam septem Sacramenta numerauerit. Si verò etiam ritus, ac cæremonias eorum explicare aggrederer, tum verò maximè, quamuis in re seria, rideretis. Tot enim fermè apud eos extant formæ Sacramentorum administrandorum, vt numerari vix queant, & quod summis Pontificibus tribui posse negant, vt ritum aliquem in Ecclesia statuant, id sibi apud eos quiuis homuncio passim assumit. Quod si poltremò quid de Sacramentis singulis hæretici sentiant, explicandum susciperem, nullum vnquam exitum reperirem. Quamobrem vnum tantùm è tam multis seligemus, eóque breuiter pertractato, prætermissis cæteris, finem differendi faciemus.

Laborant totis viribus cùm Lutherani tum Caluinistæ, vt veram Christi carnem in Sacramento nobis communicari doceant; & tamen Ecclesiæ Catholicæ sententiam de conuersione panis in carnem peruicacibus animis reiiciunt. Itaque Caluinus adeò implicatam, obscuram, mirabilem, incredibilem rationem excogitauit, quia Christi vera caro, per nescio quas fistulas, & canales ad nos de cœlo deriuari, & quasi distillari possit, vt ego sanè etiamsi Iudæus, vel Paganus essem, multò faciliùs capere, & credere me posse confiderem conuersionem panis in carnem, quam docet Ecclesia, quàm Caluinisticum illud, sine auctoritate, & sine ratione fabricatum figmentum.

Lutherani autem aliud monstrum longè etiam tetrius Ecclesiæ pepererunt. Nam vt facile eis esset, veram Christi carnem in Sacramento habere præsentem, eandem carnem ab ipsa sua Conceptione vbique fuisse, ac semper, omniáque omninò loca, eo modo quo Deus facit, replere docuerunt. Quod portentum (neque enim dogma, vel sententia, vel opinio, vel simplex etiam hæresis nominari debet) Scripturis repugnat, aduersatur Patribus, euertit symbolum, Christi naturas cum Eutychete confundit: & ipsum denique, quod mirandum videtur, Sacramentum destruit, pro quo astruendo fabricatum est. Nam si Christi corpus ab ipsa sua Conceptione semper vbique fuit, mentitur certè qui illud alicubi aliquando non fuisse affirmat: ergo Angelus, cùm apud Marcum ait: *Surrexit, non est hic.* quomodo enim hic non est, qui vbique est? Dominus ipse mentitur, cùm ait: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi.* quomodo enim Domine ibi non eras, qui vbique eras? Porrò sanctus Augustinus, vt de cæteris taceam, in epistola ad Dardanum ex proposito hoc tractans, copiosè docet, esse Christum, vt ipse loquitur, per id quod Deus est, vbique, per id quod homo est, non vbique.

Iam verò Symbolum fidei monstrosa ista Vbiquitas, (hoc enim barbaro vocabulo barbarus error nominari meruit) ita corrumpit, atque deprauat, vt Christi conceptionem, Ortum, Passionem, Obitum, Sepulturam, Descensionem ad inferos, Reuersionem ab inferis, Ascensionem in cœlum, Reuersionem à cœlo, non vera, & propria, sed metaphorica, ac penè phantastica cum Marcione, & Manichæo nobis efficiat. Id enim habet de Christi Conceptione Symbolum rectæ fidei, in solius Beatissimæ Virginis vtero Christi corpus nouem illis mensibus fuisse. Atqui idem illud corpus in vteris omnium fœminarum, immò etiam, & virorum fuit, si vbique semper fuit. De Ortu verò id Symbolum docet, Christi corpus nono

exacto menſe verè, & propriè ex vtero prodijſſe : & eo modo verè, & propriè natum eſſe. At ſi vera ſomniant Vbiquiſtæ, ante nonum menſem, erat extra vterum, & poſt nonum menſem adhuc erat in vtero; neque inde vnquam verè prodijt, aut prodire poteſt, cùm id quod verè vbique eſt, nulla ratione verè moueri queat. Quemadmodum igitur Deus cùm apparet alicubi, non eò veniſſe propriè, ſed metaphoricè dicitur, quia vbique cùm ſit, non venit vbi non erat, ſed apparet vbi non videbatur: ſic etiam Chriſti ortus non verus, ac proprius, ſed apparens, ac Metaphoricus dicendus erit: cùm non venerit illa caro vbi non erat, nec locum deſeruerit, vbi erat, ſed cerni tantùm cœperit, vbi antea minimè cernebatur. Quod idem de Paſsione, de Morte, de Sepultura, de cæteris fidei capitibus intelligi debet. Qui enim ſemper vbique fuit, non verè, & propriè, ſed metaphoricè ſolùm tranſijt de Cœnaculo ad hortum, de horto ad Concilium Iudæorum, de Concilio ad Prætorium, de Prætorio ad Caluariam, de Caluaria ad Crucem, de Cruce ad Sepulchrum, de Sepulchro ad Montem, de Monte ad Cœlum. Nec potuit verè in morte corpus ab anima ſeparari: & cùm vtrumque vbique fuerit, id efficitur, quod eſt abſurdiſsimum, vt fuerit Chriſto mortuo, corpus cum anima in inferno, & anima cum corpore in ſepulchro.

Quid iam de ipſa humana Chriſti natura, déque illo ſummo, atque Angelis adorando myſterio dicam? Nam ſi humana Chriſti natura non modò vbique eſt, ſed (aduerſarij docent) illam ipſam habet diuinam immenſitatem, quam Deus habet, vt infinita ſpatia replere queat, erit ipſa verè, & abſolutè immenſa, & infinita: & cum mole corporea non ſit infinita, quippe quæ tota vbique eſt, erit ſine dubio infinita virtute: virtus autem infinita naturam ſequitur infinitam: igitur Chriſti caro natura eſt infinita. quare vel duæ iam erunt infinitæ naturæ, quod fieri nequit, vel quod ſolum reſtat, humanam in diuinam tranſeunte natura, & naturarum confuſio, & totius myſterij labefactio conſequetur. En nobis quàm facilè hæreſis hæreſim parit, & eò tandem errando venitur, vt ipſa prima fidei fundamenta radicitus euertantur.

Quid, quod portentoſa iſta Vbiquitas, Sacramentum ipſum, vt dicebam, tollit, pro quo aſſerendo fabricata eſt? Nim ſi in ipſa priuata domo in pane, in vino, in pomis, in piſcibus, in oleribus, in omni ciborum genere, in ipſo aëre quem attrahimus, Chriſti carnem verè ſumimus: quid neceſſe eſt in Eccleſiam conuenire? quid panem frangere, & vinum miſcere? quid illa verba ſacra pronunciare? quid habet ſacra Cœna præ vulgari prandio? quid panis Euchariſtiæ præ pane piſtoris? quid altare præ menſa?

Atque vt magis adhuc Lutheranorum ſapientiam admiremini, nouum hoc monſtrum intra paucos annos, vt vna eademque Prouincia, iiſdem auctoribus Lutheranis prodijt, petijt, reuixit: ſiquidem ab ipſo Luthero, vt ex multis eius teſtimonijs Brentius probat, excogitatum eodem regnante Lathero feliciter in Saxonia floruit: Luthero deinde, mortuo, ac rerum potiente Melanchthone, paulatim langueſcere, ac deficere cœpit, donec tandem in ipſa Saxonia in Dreſdenſi Lutheranorum Concilio, quod ante annos tredecim habitum eſt, publico decreto damnatum, explosum, exterminatum eſt: ſed his proximis annis Melanchthonico euerſo imperio, atque imperante in Saxonia Smidelino, rurſus ab inferis reuocata, & in ſuam ſedem reſtituta magno cum honore Vbiquitas eſt. Iſta videlicet eſt conſtantia fidei Lutheranæ, vt nunc ſacroſancta fidei dogmata eſſe debeant, quæ ante annos tredecim peſtilentiſsimæ hæreſes erant.

Sed finis ſit: nolo enim in eiuſmodi nugis percenſendis orationem ponere longiorem. quæ tamen ſi, vt verè ſunt, ſic ab omnibus hominibus haberentur pro nugis: labore nos atque negotio magno leuarent. Sed quoniam tanta eſt Satanæ verſutia, tanta hæreticorum fallacia, tanta populorum ad res nouas propenſio, vt permultis iam, non inquam hominibus, ſed Populis, Prouincijs, Regnis, cum ſumma Eccleſiæ Catholicæ iactura, & honoris Dei, Chriſtíque meritorum obſcuratione perſuaſæ ſint: idcirco nobis totis viribus enitendum eſt, vt in hæc ipſa ſtudia, ita diligenter incumbamus, vt aliquando hæreticorum fraudes detegere, Chriſti gloriam amplificare, Eccleſiam propagare, damna reſarcire, Satanam confundere Chriſto duce, & adiutore valeamus.

THEOLOGORVM ET SCRIPTORVM IN HOC VOLVMINE CITATORVM, DVPLEX INDEX.

Primus tum vetuſtiores, tum recentiores Eccleſiæ Romanæ auctores & hiſtoricos complectitur: Alter verò Sectarios & ſuſpectæ fidei ſcriptores comprehendit.

A

Delmannus Brixinenſis.
Ado Treuerenſis.
Adrianus.
Aeneas Syluius.
Aimonius.
Alanus Copus.
Albertus Magnus.
Albertus Kranzius.
Albertus Pighius.
Albinus Alcuinus.
Alexander Alenſis.
Algerus.
Aloyſius Lipomanus.
Alphonſus à Caſtro.
Alphonſus Tonſtatus Abulenſis.
Alphonſus Viruesius.
Altiſiodorenſis.
Amalarius Treuerenſis.
S. Ambroſius.
Ambroſius Catharinus.
Amphilochius.
Anaſtaſius Nicænus.
Andreas Vega.
Angelus.
Anſelmus Cantuarienſis.
Antididagma Colonienſium.
S. Antonius Magnus.
Antoninus.
Antonius Demochares.
Arnobius.
S. Athanaſius.
Athenagoras.
S. Auguſtinus.

B

Baſilius.
Beatus Rhenanus.
S. Beda.
Benedictus Arias Montanus.
S. Bernardus.
Bernardus Luxemburgenſis.
Beſſarion.
Blondus.
Bonauentura.
Burchardus.

C

Cæſarius Arelatenſis.
Cameracenſis.
Caſſiodorus.
Catechiſmus Romanus.
Cenſura Orientalium.
Chriſtianus Druthmarus.
Chryſoſtomus Iauellus.
Claudius à Sanctes.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus.
Concilium Tridentinum.
Conradus Brunus.
Cornelius Ianſenius.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hieroſolymitanus.

D

Damaſus.
Didymus.
Dieghus Andradius Payua.
Dionyſius Alexandrinus.
Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Carthuſianus.
Dominicus à Soto.

E

Egeſippus.
Enchiridion Colonienſe.
Ephrem.
Epiphanius.
Euagrius.
Eucherius.
Euſebius Caſarienſis.
Euſebius Emiſſenus.
Euthymius Zigadenus.

F

Fauſtus Rhegienſis.
Franciſcus Victoria.
Fridericus Staphylus.
Fulbertus Carnotenſis.
Fulgentius.

G

Gabriel Biel.
Gagnæus.
Gaſpar Caſſalius.
Gaſpar Querhamerus.
Gaſpar Schazgerus.
Gaudentius.
Gelaſius.
Gennadius.
Germanus Conſtantinopolitanus.
Godefridus Tilmanus.
Gratianus.
S. Gregorius.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Neocæſarienſis.
Gregorius Nyſſenus.
Gregorius Turonicus.
Guido Carmelita.
Guitmundus Auerſanus.
Gulielmus Abbas.
Gulielmus Alanus.
Gulielmus Bibliothecarius Malmes.
Gulielmus Durandus.
Gulielmus Lindanus.
Gulielmus Okam.
Gulielmus Pariſienſis.

H

Hayma.
Heſychius.
S. Hieronymus.
Hilarius.
Honorius.
Hoſius Cardinalis.
Hugo Lingonenſis.
Hugo de S. Victore.
Humbertus.
Hippolytus Martyr.

I

Iacobus Almayn.
S. Iacobi Liturgia.
Iacobus Latomus.
S. Ignatius.
Innocentius III.
Ioannes Antonius Delphinus.
Ioannes Capreolus.
Ioannes Caſsianus.
Ioannes Chryſtophorſonus.
Ioannes Chryſoſtomus.
Ioannes Climacus.

Ioannes Cochlaus.
Ioannes Damaſcenus.
Ioannes à Dauentria.
Ioannes Diaconus.
Ioannes Dietembergius.
Ioannes Driedo.
Ioannes Eckius.
Ioannes Faber.
Ioannes Garetius.
Ioannes Gerſon.
Ioannes Gropperus.
Ioannes Haſſelanus.
Ioannes Hentenius.
Ioannes Hoſſelius.
Ioannes Hoffmeiſterus.
Ioannes à Louanio.
Ioannes Maior.
Ioannes Medina.
Ioannes Roffenſis.
Ioannes Scotus.
Iodocus Clichtoueus.
Iodocus Tiletanus.
Ioſephus.
Irenæus.
Iſichius.
Iſidorus.
Iulianus Pomerius.
Iuo Carnotenſis.
Iuſtinus.

L

Lactantius.
Lantfrancus.
Laurentius Surius.
S. Leo.
Leontius.
Ludouicus Viues.

M

Macarius Aegyptius.
Marcellus Francolinus.
Marcus Epheſius.
Marianus Victorius.
Marſilius.
Martinus Ledeſmius.
Martinus Pereſius.
Maximus Epiſcopus.
Maximus Monachus.
Melchior Canus.
Micrologus.
Minutius Felix.

N

Nauarrus.
Nicephorus Calixtus.
Nicephorus Chartophylax.
Nicolaus Cabaſilas.
Nicolaus Cuſanus.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Methonenſis.
Nicolaus Sanderus.
Nicolaus Villagagnonius.

O

Oecumenius.
Optatus Mileuitanus.
Ordo Romanus.
Origenes.

P

Pacianus.
Palladius.
Paſchaſius Corbeienſis.
Paſſio S. Andreæ Apoſtoli.
Paulinus.
Paulus Aemilius.
Paulus Burgenſis.
Paulus Diaconus.
Pereſius Aiala.
Petrus Chryſologus.
Petrus Cluniacenſis.
Petrus Damiani.
Petrus Galatinus.
Petrus Lombardus.
Petrus Paludanus.
Petrus à Soto.
Philaſtrius.
Philippus Bergomenſis.
Philo.
Photius.
Platina.
Polydorus Vergilius.
Pontificale Romanum.
Poſſidius.
Primaſius.
Proclus Conſtantinopolitanus.
Procopius Gazæus.
Proſper.
Prudentius.

R

Rabanus Maurus.
Radulphus Flauiacenſis.
Remigius Antiſiodorenſis.
Remigius Remenſis.
Richardus de S. Victore.
Richardus Armacanus.
Ruardus Tapper.
Ruffinus.
Rupertus Tuitienſis.

S

Saluianus Maſſilienſis.
Samonas Gazenſis.
Sedulius.
Sigebertus.
Simeon Metaphraſtes.
Simeon Theſſalonicenſis.
Socrates Hiſtoricus.
Solitarius.
Sophronius.
Sozomenus.
Stephanus Heduenſis.
Sulpitius Seuerus.

T

Tertullianus.
Theodoretus.
Theodorus Cantuarienſis.
Theodorus Studytes.
Theophylactus.
Theophilus Alexandrinus.
Theophilus Antiochenus.
Thomas de Argentina.
D. Thomas Aquinas.
Thomas Caietanus.
Thomas VValdenſis.
Tilmanus Bredembachius.
Trithemius.

V

Victor Antiochenus.
Victor Cartennenſis.
Victor Vticenſis.
Vigilius.
Vincentius Lirinenſis.
Volaterranus.
Vrſpergenſis Abbas.
VValfridus Strabo.

INDEX SECTARIORVM ET HAERETICORVM RECENTIORVM,

QVORVM ERRORES IN HOC VOLVMINE PERSTRINGVNTVR.

Alexander Aleſius.
Anabaptiſtæ.
Andreas Caroloſtadius.
Berengarius.
Bernardinus Ochinus.
Bertramus.
Dauid Chytræus.
Eraſmus Roterodamus.
Georgius Caſſander.
Georgius Maior.
Gulielmus Poſtellus.
Gulielmus Klebitius.
Henricus Bullingerus.
Hermanus Hamelmannus.
Huldricus Zvvinglius.
Iacobus Schmidelinus.
Ioachimus Vveſtphalus.
Ioannes Brentius.
Ioannes Caluinus.
Ioannes Huſs.
Ioannes Langus.
Ioannes à Lasko.
Ioannes Oecolampadius.
Ioannes Scotus.
Ioannes Tilmannus.
Ioannes Vvicleſ.
Ioannes Vvigandus.
Lucas Loſsius.
Magdeburgenſes.
Martinus Bucerus.
Martinus Kemnitius.
Martinus Lutherus.
Matthias Illyricus.
Nicolaus Selneccerus.
Otho Prunfelſius.
Petrus Oxonienſis.
Petrus Palladius.
Petrus Poquinus.
Petrus Martyr.
Philippus Melanchthon.
Sarcerius.
Theodorus Beza.
Tilmannus Heshuſius.
Vvolfgangus Muſculus.

INDEX GENERALIS
TOMI SECVNDI.

De Sacramentis in genere,	Lib. II.
De Baptiſmo,	Lib. I.
De Confirmatione,	Lib. I.
De Euchariſtia,	Lib. IV.
De Sacrificio Miſſæ,	Lib. II.
De Pœnitentia,	Lib. IV.
De Extrema vnctione,	Lib. I.
De Ordine,	Lib. I.
De Matrimonio,	Lib. I.

PRIMA

CONTROVERSIA GENERALIS,

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

DVOBVS LIBRIS EXPLICATA.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM PRIMAE CONTROVERSIAE.

PRÆFATIO.

De hæreticorum leuitate in re Sacramentaria.

LIBER PRIMVS,

Qui eſt de natura & cauſſis Sacramentorum.

Cap.I.	De erroribus.
II.	De mendaciis & calumnis Aduerſariorum.
III.	Mendacia Philippi.
IV.	Mendacia Caluini.
V.	Mendacia Kemnitij.
VI.	Mendacia Tilemanni Heshuſij.
VII.	Sítne vtendum nomine Sacramenti.
VIII.	De etymologia & notione Myſterii & Sacramenti.
IX.	Quid requiratur ad Sacramentum nouæ legis conſtituendum.
X.	Poſsítne Sacramentum propriè definiri.
XI.	Quæ ſit definitio Sacramenti.
XII.	An definitio Sacramenti vniuocè conueniat Sacramentis legis veteris & nouæ.
XIII.	Soluuntur argumenta Kemnitii.
XIV.	Refellitur definitio Lutheranorum.
XV.	Refelluntur definitiones Anabaptiſtarum & Zvvinglianorum.
XVI.	Refellitur definitio Caluini.
XVII.	Refelluntur argumenta Aduerſariorum.
XVIII.	Sacramenta componi ex rebus & verbis, vt materia, & forma.
XIX.	Verbum quod cum elemento Sacramentum facit, non eſſe concionale, ſed conſecratorium.
XX.	Soluuntur obiectiones.
XXI.	Res & verba Sacramentorũ ita determinata eſſe, vt nihil addere, minuere, aut mutare liceat.
XXII.	De fine, & neceſsitate Sacramentorum.
XXIII.	Auctorem Sacramentorum ſolùm eſſe Chriſtum.
XXIV.	Miniſtrum Sacramentorum ordinarium, non eſſe quemlibet hominem, etiam baptizatum.
XXV.	Soluuntur argumenta Lutheri.
XXVI.	Non requiri fidem, aut probitatem miniſtri, vt Sacramenta efficacia eſſe poſsint.

Requiri

XXVII. Requiri intentionem faciendi quod Ecclesia facit.
XXVIII. Soluuntur argumenta.

LIBER SECVNDVS.

De effectu, numero, & cæremoniis Sacramentorum.

PARTITIO HVIVS LIBRI.

Cap. I. Quis sit status quæstionis de efficacia Sacramentorum.
II. Sententia hæreticorum de efficacia Sacramentorum.
III. Quòd Sacramenta ex opere operato conferant gratiam, prima classis testimoniorũ ex nouo Testamento.
IV. Secunda classis testimoniorum: vaticinia Prophetarum.
V. Tertia classis argumentorum ex Conciliis.
VI. Quarta classis, ex Patribus Græcis
VII. Idem probatur ex Latinis.
VIII. Sexta classis ex ratione.
IX. Soluuntur obiectiones ex Scripturis depromptæ.
X. Soluuntur obiectiones ex Patribus.
XI. Soluuntur obiectiones ex ratione depromptæ.
XII. Explicatur controuersia de differentia Sacramentorum, legis nouæ & veteris.
XIII. Explicantur sententiæ Catholicorum.
XIV. Probatur nullum Sacramentum legis naturæ, aut Scriptæ, iustificasse ex opere operato.
XV. Idem probatur ex Patribus.
XVI. Idem probatur rationibus in Scriptura fundatis.
XVII. Soluuntur obiectiones.
XVIII. De Charactere.
XIX. De Charactere, sententia Catholicorum.
XX. Probatur Character ex Scripturis.
XXI. Idem probatur ex Patribus.
XXII. Idem ostenditur ratione.
XXIII. Quid hæretici sentiant de numero Sacramentorum.
XXIV. Ex Scripturis & Patribus probatur veritas Catholica, de numero septenario Sacramentorũ.
XXV. Septem esse Sacramenta, probatur ex posterioribus Conciliis, & Doctoribus.
XXVI. Idem probatur ex congruentiis.
XXVII. Soluuntur obiectiones.
XXVIII. De ordine & comparatione Sacramentorum nouæ legis inter se.
XXIX. De nomine, definitione, & partitione cæremoniarum.
XXX. De statu causſæ.
XXXI. Explicatur, & defenditur veritas.
XXXII. Soluuntur obiectiones contra cæremonias.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LIBER PRIMVS.

Qui est de natura & causſis Sacramenti.

DE Sacramentis Bipartita disputatio est. Primum enim generatim de omnibus. Deinde seorsim de singulis explicandum erit. Ac generalis quidem Disputatio duo habebit quasi prolegomena. Vnum de erroribus circa Sacramenta; Alterum de mẽdaciis, & calumniis recentium hæreticorum. Deinde sex continebit principales controuersias. Vnam de nomine, & significatione Sacramenti. Alteram de natura, & definitione: Tertiam de causſis tum intrinsecis, tum extrinsecis. Quartam de effectis, id est, gratia & charactere. Quintam de numero, Sextam de cæremoniis.

Scripserunt de hoc argumento plurimi, sed præcipui inter hæreticos mihi videntur, Lutherus in lib. de captiuitate Babylonica, & assertione articulorũ: Philippus in locis & in Apologia Confessionis Augustanæ: Ioannes Caluinus, lib. 4. Instit. c. 14. & sequentibus: Martinus Kemnitius Tomo 2. examinis Concilij Tridentini.

Ex nostris præter Scholasticos in IV. Sententiarum Thomas Vvaldensis Tomo 2. toto; Gulielmus Parisiensis in lib. de Sacramentis; Ioannes Eckius, in homiliis de Sacramentis; Ioannes Roffensis in refutatione articulorum Lutheri; Hosius Cardinalis in Confessione Polonica; Ruardus Tapper in explicatione articulorum Louaniensium; Iodocus Tiletanus in refutatione examinis Kemnitij; Gulielmus Alanus in lib. de Sacramentis in genere; Gulielmus Lindanus in Panoplia lib. 4. Petrus Soto, de Institut. Sacerdotum.

CAPVT PRIMVM.

De erroribus.

ANtiqvi errores de Sacramentis ad quatuor capita reuocari possunt. Primum enim quidam omnia Sacramenta de medio tollere conati sunt, ij fuerunt quos Epiphanius hæresi 40. Archonticos, Theodoretus lib. 1. de hæreticorum fabulis cum Archonticos, tum etiam Ascodritos, seu Ascodrupitas appellat. Isti enim auctore quodã Petro Anachoreta Syro, Baptismum & Eucharistiam execrabãtur, Epiphanio teste, necnon (vt addit Theodoretus) omnia alia signa sensibilia, & corporalia, ac solùm in cognitione eius quod est, veram redemptionem constituebant.

Hvc etiam pertinet error Fraticellorum, seu Beguinorum, qui Sacramenta Ecclesiastica despiciebant, vt testatur Ioannes Papa XXII. in Extrauagant, sancta Romana, de religiosis domibus.

Hvc denique pertinent Pauliciani, qui teste Euthymio in secũda parte Panopliæ, tit. 21. tollebant de medio omnem Sacramentorum materiam; aquam, vinum, panẽ, oleum, & solùm verbis quibusdam loco Sacramentorum vrebantur: vt exempli gratia, Baptismum esse dicebant illa verba: *Ego sum aqua viua.*

Secvnda hæresis est eorum, qui Sacramenta omnia non quidem execrabantur, nec tollebant, sed virtute & efficientia spoliabant. Hi Messaliani, qui & Euchitæ ab oratione dicti sunt. Scribunt de hac hæresi Epiphanius hæresi 80. Augustinus hæresi 57. & Theodoretus lib. 4. de hæreticis fabulis, sed & fusiùs ex libris ipsorum decerptis erroribus, Ioan. Damascenus in lib. de hæresibus, vbi testatur, dogma Messalianorum esse; peccata non purgari diuinis Sacramentis, sed solis precibus, quæ ab ipsis rectè funduntur. Itaque sine Baptismo, sine Eucharistia, sine Sacerdotum absolutione profitebãtur, se statim suis precibus homines posse iustificare: tametsi etiam Sacramenta illa admitterent.

Eandem ferè hæresim tribuit Guido in sua Summa Armenis, & quibusdam recẽtioribus Catharis: siquidem eos negare dicit, Sacramenta nouæ legis gratiam conferre.

Tertia hæresis eorum fuit, qui aliqua Sacramenta de medio tollebant. Multi enim Baptismum reiecerunt, vt ij, quorum hæresim Gaianam appellat Tertullianus initio libri de Baptismo: item Manichæi, teste Augustino hæresi 46. & Seleuciani apud eundem Augustinum hæresi 59. & alij, de quibus postea.

Rvrsvs quidam reiecerant Sacramentum Confirmationis, vt Nouatiani, Theodoreto teste, lib. 3. de fabulis hæreticorum.

Alii Sacramentum Eucharistiæ nullum esse dixerunt. Scribit enim Petrus Cluniacensis in lib. contra Petrobrusianos, vnum ex erroribus Petrobrusianorũ fuisse, corpus Christi ex pane semel tantùm factum esse, ea videlicet nocte, qua Dominus traditus est: deinceps autem nec factum esse, nec fieri posse. Scribit etiam Euthymius in Panoplia parte 2. tit. 23. vnum ex erroribus Bogomilium fuisse, Eucharistiam nihil esse aliud, quàm Pater noster.

Alii Sacramentum Pœnitentiæ sustulerunt, vt Nouatiani, teste Epiphanio hæresi 59. Augustino hæresi 38. Alij Sacramentum Ordinis nihil omnino esse dixerunt vt quidam Taudemi sectatores, vt refert is, qui Sige-

berti Chronicum suppleuit,ad annum Christi 1124.

ALII Extremam vnctionem detestati sunt, vt Albigenses,teste S. Antonio 4.part.tit.11.c.7.§.5.Sūmæ Theologicæ; postea Flagellantes,teste Bernardo Lurzemburgensi in Catalogo hæreticorum.

ALII denique Matrimonium sustulerunt, vt Encratitæ,teste Augustino hæres.33.Manichæi,eodem,Augustino teste hæres.46.& alij permulti.

QVARTA hæresis eorum fuit,qui certa Sacramenta non quidem tollebant,tamen non rectè intelligebant,vel administrabant. In iis erant Marcosij à Marco quodam, vetustissimi hæretici, qui Baptismum conferendum esse dicebant, nō nomine Trinitatis,sed in nomine ignoti Patris;in veritate matre omnium; in IESV,qui descendit; in vnitate,& redemptione, & potestatum communione. ita refert Theodoretus lib.1.de fabulis hæreticorum.Item Marcionitę,qui secundò,& tertiò homines baptizabant; vt Epiphanius refert hæresi 42.

SIC etiam permulti circa Eucharistiam erraruntt, volentes quidem Sacramentum esse, sed non continere verum Domini corpus, vt quidam olim ipso ferè tempore Apostolorum,vt referunt Ignatius in ep.ad Smyrnenses, & Theodoretus in 3. Dialogo, circa medium:ac deinde Berengarius, teste Lantfranco in lib. aduersus Berengarium:postea Ioannes Vviclefus,teste Concilio Constantiensi sess.8.

QVIDAM circa Pœnitentiā errabant,etiāsi eam non tollerent,vt Audiani,qui confessiones audiebāt,& à peccatis absoluebant,sed pœnitentiam non iniungebant, vt Theodoretus refert lib.4.de fabulis hæreticorum.

QVIDAM errabant circa ordines, quos etiam fœminis conferebant,vt Pepuritæ. teste Epiphanio hæresi 49.

HAEC generatim de erroribus veterū dicta sint.similia nostro hoc sæculo vidimus.Nā in primis nō defuerūt, qui omnia Sacramenta sensibilia, & corporalia contemnerent,qui certè noui Archontici nominari possent,id enim de Svvencfeldianis testantur,Fridericus Staphylus in lib.de cōcordia discipulorum Lutheri,& Dauid Chytræus præfatione Commentariorum in Apocalypsim.

LVTHERANI cęteri,& Caluinistę omnes,etsi Sacramenta non tollunt omnia,omnia tamen virtute,& efficacia spoliant,vt olim faciebant Messaliani:vt enim illi orationi,ita isti fidei omnia tribuunt,Sacramentis autem planè nihil,nisi vt sint nuda signa,eáque nō omnino necessaria. Sic enim scribit Lutherus in assert.1.articuli: *Hæretica,sed vsitata sententia est,Sacramenta nouæ legis dare gratiam iis,qui non ponunt obicem.Scriptura enim dicit: Iustus ex fide sua viuet:non dicit,ex Sacramentis viuet.* Hæc ille. Neque ab hac sententia vllus, quòd sciam, ex hæreticis huius temporis dissentit.

RVRSVS non defuerunt hoc tempore, qui tollant è medio aliqua Sacramenta,licet non omnia.Nam Svvēcfeldianis exceptis,cæteri omnes duo Sacramēta recipiūt, Baptismum & Eucharistiam;duo reiiciunt,Confirmationem,& Extremam vnctionem:Matrimonium recipiunt quidem,sed non pro Sacramento: de Pœnitentia,& Ordinatione inter se contendunt, vt postea explicabimus.

DENIQVE non defuerunt etiam qui certa Sacramenta reciperēt,sed erroribus admixtis.Nam Anabaptistę Sacramentum Baptismi recipiunt,non pro adultis sed pro infantibus. Zvvingliani recipiunt Sacramentum Eucharistiæ,sed corpus Dominicum esse negant. Lutherus Sacramentum Absolutionis nō negat, sed nec integram confessionem,nec vllam satisfactionem requirit,aut admittit;nec verum ministrum Sacramenti huius agnoscit, vt patet ex assertione articulorum, quinti, sexti, septimi, octaui,noni,decimi. Denique ordinationem ministrorū omnes admittunt, sed nec agnoscunt verum ministrum, nec verum ritum huius Sacramenti.

ITA videmus omnes quatuor hæreticorū classes,quæ A variis temporibus per M.D.annos Ecclesiam Catholicam vexauerunt, omnes simul hoc nostro sæculo contra eandem Ecclesiam conspirasse. Sed quo duce de vetеribus illis Catholica triumphauit, de nouis etiam sine dubio triumphabit:quandoquidem ille dux, nec vires amittere potest,& Ecclesiæ suæ semper se adfuturum certa testificatione promisit.

CAPVT II.

De mendaciis & calumniis aduersariorum.

NECESSARIO prorsus annotanda sunt mendacia præcipuorum hostium Ecclesiæ, quòd hoc multùm valeat ad auctoritatem detrahendā,ipso teste Luthero,qui ita scripsit quondam in lib.contra Emserum: *Si semel deprehenderer ita mentitus,falsus,& crassè stolidus,iam tota mea doctrina,& honor,& fides,in cem penitus haberent:vnusquisque me pro nequam, & infami nebulone,vt æquum est,habiturus esset:*tum etiam, quòd hoc ipsum vitium Catholicis tribuere impudentissimo mendacio Lutherus non erubuerit: Sic enim scribit in libro aduersus Cochlæum, *Sed ego planè hoc tribuo diuinis Cōsiliis, vt Papæ, & Papistæ ferè nullos habeant patronos,nisi, qui vel insigni insciti a, vel mendaciis impudentibus semper suam auctoritatem traducant,ne quis amplius per abominationem Romanam decipiatur.* Et infrà: *Plorandum certè sortem Papæ, quòd sui non nisi mendaciis protecti in arenam descendūt.* Hæc ille. Quæ verba in ipsum Lutherum aptissimè conueniunt. vt enim Ioannes Cochlæus testatur in actis Lutheri Anni XXIII. nullus ferè Catholicorum in Lutherum scripsit quin eum multorum mendaciorum coargueret,è quibus vnus Dietembergius è duobus Lutheri libellis supra octingenta collegit a endacia. Denique nulla re magis nocent illi Ecclesiæ, quàm cùm suis mendaciis persuadent populis,nos aliter sentire,& docere,quàm reuera sentiamus,& doceamus. Proinde res vtilissima est,eorum mendacia detegere.Nos igitur solùm de Sacramentis mendacia quædam crassiora breuiter annotabimus.

IGITVR Lutherus in lib.de captiuitate Babylonica capite primo,quod est de Eucharistia, Primò mentitur, cùm ait:*Non miror Concilium Constantiense,cuius auctoritas si valet,cur non valet & Basileensis,quod contrà statuit, Bohemis licere vtramque speciem sumere;quod iste adulator ignarus adducit pro suo somnio.* Hæc ibi. Et sanè quòd Constantiense,& Basileense Concilium inter se pugnēt, quantum ad Communionem sub vna specie,mēdacium impudentissimum est.Idem enim omnino statuunt Concilium Constantiense,sess.30.& Basileense,sess.30.nimirū laicos non teneri diuino iure ad vtramque speciem sumendam:proinde seruandam esse Ecclesiæ legē,vel consuetudinē:quibus decretis non repugnat,quod Basileense Concilium concesserit Bohemis vtriusq; speciei vsum, modò faterentur id sibi concedi ab Ecclesia, non autem ad hoc teneri diuino iure.

SECVNDÒ mentitur ibidem,cum ter aut quater repetit, S. Thomam auctorem esse illius sententiæ, quam omnes Catholici tenent,quòd in Sacramento altaris nō sit substantia panis,& vini,sed accidentia solùm:quod est crassissimum mendacium.Nam Innocentius III.in Lateranensi Concilio,c.1.(vt omittam testimonia antiquiora) hoc ipsum definiuit anno M.CC.XV. quo tempore S. Thomas nondum erat natus.

TERTIÒ,mētitur ibidem,c.2.quod est de Baptismo, cùm ait loquens de Scholasticis: *Asserunt impij homines, non debere hominem esse certum de remissione peccatorū,seu gratia Sacramentorum:qua impietate orbem totum dementant.* Hoc mendacium est ipso Luthero teste. Nam paulò infrà idem ipse verissimè sic dicit:*Omnes tamen admittūt Sacramenta esse signa efficacia gratiæ.* Non igitur iubemus homines dubitare de gratia Sacramēti,cùm dicamus esse signa efficacia gratiæ.Iubemus quidem dubitare de propria dispositione, & proinde de consequutione gratiæ; sed hoc non est dubitare de gratia Sacramentorum. Nō enim efficacia Sacramenti pēdet ex mea dispositione,sed ex diuina institutione: quomodo qui oculos claudit non potest videre solem,& tamen non propterea dubitat de efficacia solis ad illuminandum. Neq; hoc Lutherani negare possunt; nam Lutherus in lib. contra rebaptizantes, quem edidit anno M.D.XXVIII.sic ait:*Baptismus non est fundandus supra fidem baptizantis vel baptizati,quia vterque incertus est de fide,aut saltem in periculo,& tentatione consistit.* Et in sermone de Baptismo,habito anno XXXV. *Vt baptismus,* inquit,*certus sit nobis, ideò non fundat eum* DEVS *supra fidem nostram,cùm illa possit incerta,& falsa esse;sed supra verbum,& institutionem suam.* Hæc ille. Nō ergo dissentimus à Lutheranis (vt Lutherus mentitur) quòd nos dubitemus de gratia Sacramēti, illi non dubitent;sed quòd nos dubitemus de consecutione gratiæ,ob nostram indispositionem, illi autem non dubitent, mira temeritate,cùm fateantur sine fide Sacramenta non prodesse,& simul admittant facilè hominem decipi,cùm putet se credere, & tamen reuerà non credat.

QVARTÒ,mentitur ibidem,cùm sic ait: *Esto contemptor Magistri Sententiarum cum omnibus suis scribentibus, qui tantùm de materia, & forma Sacramentorum scribunt, dum optimè scribunt id est,mortuam & occidentem literam Sacramentorum tractant:cæterum spiritum,vitam,& vsum, id est,promissionis diuinæ veritatem & nostram fidem,prorsus intacta relinquunt.* Mendacium est apertissimum; nam de fide suscipientis Sacramenta, & recto vsu multa disputat Magist. lib. 4. dist. 4. & 9. & Scholastici ibidem. Verius de magistro scripsit Franciscus Stancarus in lib. de Trinitate,& Mediatore:*Ego,* inquit,*iudico vnum Petrū Lombardum pluris esse, quàm centum Lutheros, ducentos Melanchthones,trecentos Bullingeros,quadringentos Petros Martyres,& quingentos Caluinos:qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur vna uncia veræ Theologiæ,præsertim in artic.de Trinitate,Incarnatione,Mediatore, & Sacramentis.*

QVINTÒ mentitur,cùm ibidem sic loquitur:*Et hinc impulsi sunt tantum tribuere Sacramentis nouæ legis, vt ea statuerent,prodesse etiam iis,qui in peccatis mortalibus sunt, nec requiri fidem,aut gratiam,sed sufficere,non posuisse obicem, hoc est, actuale propositum denuo peccandi.* Et infrà: *Prodest dicunt ea etiam impiis & incredulis,modo non ponāt obicem,quasi ipsa incredulitas non sit omnium obstinatissimus obex gratię.* Hæc ille.Quam sententiā sæpe repetunt, tum ipse,tum etiam filij & sectatores eius;nec solùm veri Lutherani, sed etiam Caluinus iisdem verbis vtitur in antidoto sess.7.can.5.& 6.Vbi tria nobis tribuunt. Vnum quòd dicamus, Sacramenta prodesse iis,qui sunt in peccato mortali:quod quidem verissimum est,modò peccatores pœnitentiam agere velint:nam Baptismus & Absolutio ad hoc sunt instituta,vt peccata remittant. Et certè mirum est, hoc nobis tanquam errorem tribui à Lutheranis,cùm ipsi velint omnia Sacramenta habere promissionem reconciliationis, ac remissionis peccatorum, de qua re infrà dicemus. Si verò loquantur de peccatoribus impœnitentibus,est merum mendacium, quòd Catholici dicant,Sacramēta prodesse peccatoribus:omnes enim Catholici requirunt pœnitentiam, tamquam dispositionem ad gratiam recipiendam.

DEINDE nobis tribuunt,quòd dicamus non requiri gratiam ad hoc,vt nobis profint Sacramēta: quod quidem mendacium est manifestum. Nam si per gratiam intelligant fauorem Dei,vt ipsi ordinariè intelligūt,omnes Catholici dicunt, iustificationem à peccatis dari in Sacramentis ex gratia Dei,& merito Christi,non ob merita accedentis.Si verò per gratiam intelligant inhærētem qualitatem,qua formaliter iustificamur,fatemūr hanc nō requiri ante perceptionem aliquorum Sacramentorum, vt Baptismi,& Pœnitentiæ,quod etiam ipsi fateri coguntur,qui volunt Sacramenta habere promissionem remissionis peccatorum:tamen hanc ipsam dicimus infundi in ipsa perceptione Sacramenti.proinde mera calumnia, & mendacium est, quòd Catholici non requirant gratiam, vt Sacramenta prosint.

TERTIÒ nobis tribuunt,quòd dicamus non requiri fidem,& quòd incredulitatem non habeamus pro obice impediente Sacramentum : in quo etiam apertissimè mentiuntur.Nam vel loquuntur de substantia Sacramēti,vel de fructu Sacramenti:si de substantia,nec nos,nec ipsi,requirimus fidem.Nam omnes Catholici docent cū S.Augustino lib. 4. de Baptismo,cap. 12. verum esse Baptismum,quem sine vera fide hæretici recipiunt Et idem docet Lutherus in homiliis de Baptismo, & in lib.contra rebaptizantes,necnon etiam Caluinus lib.4.Instit.cap. 14. sess. 16. Si verò loquuntur de fructu Sacramenti,falsum est Catholicos nō habere pro obice incredulitatem: omnes enim Catholici requirunt necessariò in adultis actualem fidem , & sine ea dicunt neminem iustificari. Vide Magistrum lib. 4. distinct. 4. & S.Thomam 3. par. quæst.68.articul.8.Item Ius canonicum, quod Lutherus combusit,de consecratione distinct. 4. per multos canones.

OCCASIO huius fraudis fuit,quòd Catholici non requirant in Sacramentis fidem illam specialem, quam aduersarij solam esse putant veram fidem iustificantem. Sed (vt omittam quòd ista non est vera fides,sed opinio temeraria) si ideò verè nobis tribui posset, quòd non requiramus fidem in Sacramentis, quia non requirimus fidem illam specialem ; nos etiam illis tribuere possemus, quòd non requirant fidē in Sacramentis,quia non requirunt eam fidem,quam nos solam docemus esse verā fidē.

CAETERVM si candidè agendum sit distinguendæ sunt quęstiones.Aliud enim est quærere,an in Sacramentis requiratur vera fides,aliud autem,quænam sit vera fides.Et quidem in priore quæstione conuenimus, in posteriore dissidemus.

PORRÒ de infantibus non potest esse quæstio, tum quia ipsi nec ponūt, nec possunt ponere obicem incredulitatis : incredulitas enim non est,non credere, sed nolle credere:tum etiam quia infantes,sicut peccauerunt aliena voluntate , & sunt auersi à Deo habitualiter, ita satis est,si credant aliena voluntate,& conuertantur habituaiter per infusionem fidei,spei, & charitatis. Vnde Philippus in locis anni XLI. cap.de vsu Sacramentorum dicit,de adultis solùm esse intelligendum, quòd *oporteat* eos actu credere.

SEXTÒ mentitur in assertione 1.articuli, vbi Scotum facit auctorem illius sententiæ,quòd Sacramenta conferant gratiam non ponenti obicem:quam sententiam ipse hæreticam vocat.Sed mentitur apertissimè. Nam Innocentius III.idem docuerat,cap.Maiores,de Baptismo, & eius effectu, longo tempore antè quàm Scotus nasceretur:necnon S.Augustinus in epist.23.ad Bonifacium,vbi posteaquam dixerat, paruulis prodesse Baptismū, etiamsi actu non credant;ita loquitur:*Hoc qui non credit,& fieri non posse arbitratur,profectò infidelis est, etiamsi habeat fidei Sacramentum: & longè melior est ille paruulus, qui etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione , non tamen ei obicem contrarię cogitationis opponit , vnde Sacramentum eius fideliter percipit.*

SEPTIMÒ mentitur ibidem, cùm ait, Scotistas non requirere in vsu Sacramenti fidem,nec bonum propositum,seu bonum motum cordis. Quod mendacium refellit Roffensis ex ipsis verbis Scoti, qui in 4. dist.4.q.2. dicentis verbis docet, requiri fidem & contritionem, seu attritionem. Vide etiam q.5.in principio, & in respons.ad vltimum.item dist.17.q.1.

OCTAVÒ mentitur in homil. vltim. de Baptismo,

vbi sic ait: *Huc impietatis ventum est, vt sali, & aquæ contra verbum & mandatum sacratæ, tantundem virtutis & energiæ tribuerint, quantum venerabili Baptismi Sacramento.* Hic sunt duo mendacia. Vnum, quòd nos contra Dei mãdatum, & verbum consecremus salem, & aquam; nullum enim verbum, seu mandatum exstat, quo id prohibeatur. Quid, quòd ipse Idem Lutherus lib. de captiui. Babyl. ca. de Extrema vnctione, contrarium docet? Sic enim ait: *Igitur*, inquit, *hoc vnctionis extremæ nostrum Sacramentum non damno, sed hoc esse, quòd ab Apostolo Iacobo præscribitur, constanter nego, cùm nec forma, nec vsus, nec virtus, nec finis eius cum nostro consentiat: numerabimus tamen ipsum inter ea Sacramenta, quæ nos constituimus; vt sunt salis, & aquæ consecratio, & aspersio: neque enim negare possumus, creaturam quamlibet per verbum Dei, & orationem sanctificari, quod Apostolus Paulus nos docet.* Hæc ille.

ALTERVM mendacium est, quòd eandem vim tribuamus aquæ benedictæ, & Baptismo: id enim nullus vnquam Catholicorum docuit; alioqui non septem Sacramenta, sed multò plura faceremus. Hæc pauca ex Luthero sufficiant.

CAPVT III.

Mendacia Philippi.

PRIMÒ in ipsa Confessione art. 13. damnat Scholasticos, quòd non docerent requiri fidem in vsu Sacramentorum. Sed fusiùs, & clariùs exposuit mentem suam in Apologia eiusdem articuli, vbi sic ait: *Hîc damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent, quòd Sacramenta non ponenti obicem, conferant gratiam ex opere operato, sine bono motu vtentis. Hæc simpliciter Iudaicæ opinio est, sentire quòd per cæremoniam iustificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine fide, & tamen hæc impia, & superstitiosa opinio magna auctoritate docetur in toto regno Pontificio.* Hæc ille.

HOC mendacium est longè impudentius mendaciis Lutheri. Nam Lutherus non accusabat omnes, sed Scotistas tãtùm, Philippus autem totum populum Scholasticorum damnat: immò etiam totum regnum Pontificiũ. Esse autem mendacium apertissimum, tam est manifestũ, vt probatione non egeat. Nam, vt suprà diximus, omnes Scholastici cùm Magistro lib. 4. dist. 4. requirunt actualẽ fidem, quæ sine motu cordis esse non potest: & ipse idem Philippus in Apologia articuli de Pœnitentia, dicit, Catholicos requirere contritionem vel attritionem. Et quid est contritio, vel attritio, nisi motus cordis?

SECVNDÒ in ipsa etiam Confessione Augustana in articulo de Missa: *Falsò*, inquiunt, *accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.*

HOC esse mendacium, probare possumus ex articulis Smalchaldicis, qui non minoris sunt auctoritatis apud Lutheranos, quam ipsa Confessio: vnde etiam simul cum ipsa Confessione ponuntur in libro Concordiæ. In illis igitur articulis sic legimus: *Cæterùm Draconis cauda ista (Missam intelligo) peperit multiplices abominationes, & idolatrias.* Et Paulò antè: *Abroganda meritò Missa est.* Hæc illi. Si igitur Missa, vt cauda Draconis abroganda est, cur eam non abrogârunt aut si abrogârũt, cur quererentur accusari se, quòd Missam abolenerint? Dicent fortasse se Missam Papisticam abolenisse, Christianam autẽ retinere; nimirum Sacramenti distributionem, & perceptionẽ: hoc enim Philippus vocat Missam in Apologia. At non accusantur à nobis Lutherani, quòd istam Missam, id est, Communionẽ aboleuerint, sed quòd veram Missam, id est, oblationem, & totum Canonem sustulerint. Itaque si per Missam, intelligunt Communionem, mẽdacium est, quòd accusentur: sin autem intelligunt oblationem, mẽdacium est, quòd falsò accusentur.

A TERTIÒ mentitur in eodem articulo: *Veteres*, inquit, *ante Gregorium non faciunt mentionem priuatæ Missæ.* Idem repetit in Apologia eiusdem articuli.

SED si per Missam priuatam intelligat Missam, quæ dicatur nomine priuato, aut quę vni tantùm prosit, mentitur eiusmodi Missam cœpisse post Gregorij ætatẽ: nulla enim est, nec fuit vnquam Missa priuata ad istum modũ: omnis enim Missa publica est, cùm celebretur à Sacerdote, vt est publicus minister, & pro communi, & publica vtilitate totiùs Ecclesiæ. Si verò per Missam priuatam intelligat Missam, quæ ab vno sacerdote dicatur sine distributione Eucharistiæ populo facta, mentitur eiusmodi Missas non fuisse ante Gregorij tempora. Nam Augustinus lib. 22. ciuit. c. 8. meminit Missæ priuatæ: scribit enim vnum ex suis presbyteris sacrificiũ corporis Domini obtulisse in domo rustica cuiusdam nobilis viri, quæ vexabatur infestatione malignorum spirituum, & continuò eam domum liberatam fuisse: *Perrexit*, inquit, *vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deòque protinus miserante cessauit.* Hæc ille. Hîc certè Augustinus qui ducentis annis Gregorium præcesserit, meminit Missæ dictæ ab vno, in loco priuato, sine distributione Sacramenti populo facta, & quæ Deo gratissima fuerit, vt euentus probauit.

B QVARTÒ mentitur in eadem Confessione Augustana, in art. de Confessione, vbi sic ait: *Antea immodicè extollebantur satisfactiones: fidei verò, & meriti Christi, ac iustitiæ fidei, nulla fiebat mentio.*] Atque ita quidem loquitur in confessione, in Apologia autem art. 11. ita rem exaggerat: *Nunc*, inquit, *de hac fide consequente remissionem peccatorum, nulla est syllaba in tanta mole Cõstitutionum, Glossarum, Summarum, Confessionalium, nusquam ibi Christus legitur.* Et infrà in Apologia art. 15. *Exstant*, inquit, *immensi libri, immò bibliothecæ totæ: nullam syllabam de Christo, de fide in Christum, &c.*

C HAEC tam magna sunt mendacia, vt mirum sit, si ea tota Germania capere possit. Nullus enim est liber Catholicus, in quo de Sacramẽto vllo agatur, quin in eo sæpe fides & Christus nominentur. Certè S. Thomas, qui minimè obscurus est auctor. 3. par. q. 62. art. 5. dicit, & probat Sacramenta omnia vim habere ex meritis Christi, & eiusdem Christi merita per fidem nobis applicari.

CAPVT IIII.

Mendacia Caluini.

VENIO nunc ad Caluinum, qui lib. 4. instit. c. 14. §. 14. sic ait: *Magno cõsensu Sophisticæ scholæ tradiderunt, Sacramenta nouæ legis iustificare, & cõferre gratiam, modò non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia Dici non potest, quàm sit exitialis, & pestilẽs, eóque magis, quòd multis antè sæculis magna Ecclesiæ iactura in bona orbis parte obtinuit. Planè certè diabolica est: nam dum iustitiam citra fidem pollicetur, animas in exitium præcipites agit.*] Hoc est mendacium primum, quòd citrà fidem polliceamur iustitiam in Sacramentis: quod suprà refutatum est. Interim obseruanda sunt, quæ Caluinus confitetur vera, nimirum magnum consensum esse inter Catholicos, item multis sęculis doctrinã nostrã viguisse, deniq; in bona orbis parte receptam: cùm de ipsis omnia sint contraria: nimirũ nullus est inter eos consensus, doctrina recẽs, & hoc sæculo nata, & vix vnam, aut alteram prouinciam occupauit, etsi enim multi sunt hoc tempore hæretici, nulla tamen vna hæresis admodum latè patet.

SECVNDVM mendacium est in eodem c. §. 17 *Interim*, inquit, *illud tollitur figmentum, quo iustificationis causa virtúsque Spiritus sancti elementis, ceu vasculis, ac plaustris includitur.*] Hoc verè figmentum est, quod nobis Caluinus affingit. Non enim Catholici dicunt, causam iustificationis in Sacramentis, vt in vasis ineludi, sed ipsa Sacramenta causas instrumentales iustificationis faciunt.

Sed nec virtutem Spiritus sancti, id est, vim illam, quam Deus tribuit Sacramentis ad iustificandum, vllus Catholicus docet contineri in Sacramentis sicut in vasis: virtus enim illa est id, per quod Sacramentum operatur. Sed forte Caluinus ex eo mentiendi ansam accepit, quòd interdum Catholici gratiam in Sacramentis, vt in vasis cõtineri dicunt. Gratia enim effectus est Sacramenti, proinde in Sacramento continetur, vt quilibet alius effectus in sua caussa: omne autem quod continet, saltem metaphoricè, vas dici potest. Adde quòd potest etiam vas accipi pro instrumento: qua significatione elegãter Dauid Psal. 7. vocat sagittas, vasa mortis, & Ezechiel, cap. 9. vocat arma, vasa interitus, quia sagitta, cæteráque arma caussæ instrumentales sunt mortis. Neque id negare potest Caluinus, cùm in Antidoto Concilij Tridẽtini, sess. 7. can. 4. & 5. affirmat Sacramenta esse caussas gratiæ conferendæ instrumentales.

B TERTIVM mendacium est in eodem c. §. 26. vbi sic ait: *Quidquid de opere operato nugati sunt Sophistę, nõ modò falsum est, sed pugnat cum Sacramentorum natura, quæ instituit Deus, vt fideles vacui bonorum omnium, & inopes, nihil præter mendicitatem eò adferant. Vnde sequitur, ea recipiendo nihil istos agere, vnde laudem mereantur, vel in hac actione, quæ eorum respectu merè passiua est, nullum illis posse opus adscribi.*] Hoc mendacio testatur ignorantiã, vel malitiam suam Caluinus: non enim opus operatum vocãt Theologi opus aliquod meritorium eius, qui Sacramentũ suscipit, vel ministrat, vt Caluinus dicit; id enim opus operantis appellamus. Quid autem sit opus operatum, infrà suo loco dicemus. Illud hoc loco notasse sufficiat, opus operatum non pendere à bonitate ministri, meritum autem pendere.

QVARTVM est mendacium, cap. 17. §. 43. vbi dicit in Sacramento Eucharistiæ primum, qui azymo pane vti cœpit, fuisse Alexandrum Romanum Põtificem: *Primus*, inquit, *azymo pane delectatus est, qua id ratione, non video, nisi vt plebis oculos in nouo spectaculo in admirationem traheret magis, quàm vt animos proba religione institueret.*] Hoc verò mendacium cum Euangelio apertè pugnat. Scribunt enim Matthæus ca. 26. Marcus 14. & Lucas 22. Dominum cœnam fecisse primo die azymorum, proinde non Alexander Papa, sed Christus primus fuit, qui azymo pane in Sacramento vsus est.

QVINTVM est c. 19. §. 12. vbi sic ait: *Veteres dum propriè loquũtur, nusquam plura duobus Sacramentis recẽsent.*] Refellit hoc mendacium S. Cyprianus (vt nunc cæteros omittam) qui lib. 2. ep. 1. nõ solùm Baptismum, & Eucharistiam, sed etiam Confirmationem vult esse propriè Sacramentum. Nã de Confirmatione sic loquitur: *Tunc planè sanctificari, & esse filij Dei possunt, si Sacramento vtroq; nascantur.* Et S. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani, c. 104. *Sacramentum Chrismatis*, inquit, *in genere visibilium signorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

SEXTVM est ibidem, vbi Caluinus addit de ipsa Cõfirmatione: *De manuum impositione loquuntur veteres, sed an Sacramentum vocant? Augustinus apertè, affirmat nihil aliud esse quàm orationem.*] Refellunt hoc idem auctores verbis citatis.

SEPTIMVM est in eodem c. 19. §. 34. vbi sic ait: *Matrimonium vt à Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum, nemo vsque ad Gregorij tempora viderat.*] Atqui S. Augustinus, qui cc. ferè annis S. Gregorio vetustior fuit, lib. de bono coniugali, c. 18. sic ait: *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas veri.* Et lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, ca. 10. ter Matrimonium Sacramẽtis annumerat: vt etiam alibi passim.

OCTAVVM est in Antidoto Cõcilij, sess. 7. can. 13. vbi sic ait: *Conqueruntur, vel saltem gemunt omnes pij, pluris in Baptismo fieri Chrisma, cereum, salis saporem, sputum denique, quàm aquæ lauacrum, quo tota constat Baptismi perfectio.* Idem repetit in lib. de formula ministrandi Sacramẽta. Hic Caluinus Lutherum mentiendo superare studuit. Ille enim (vt suprà notauimus in vltimo mendacio) solùm dicebat, nos æquare has cæremonias Baptismo, iste autem dicit, nos anteponere. Sed vterque mẽtitur: Nam Catholici adeò non anteponunt, vel æquant ista Baptismo, vt dicant esse præparationes ad Baptismum; item accidentales cæremonias, si conferantur cum ipsa ablutione, in qua cõsistit substantia Baptismi. Denique fatentur omnes Catholici, simplicem Baptismum sine cereo, sine sale, sine oleo, aliísque rebus sufficere ad iustificationem: res autem illas omnes non sufficere. Vide Magistrum, & Doctores cæteros in 4. dist. 6.

CAPVT V.

Mendacia Kemnitij.

B MARTINVS Kemnitius multa repetit ex mendaciis Lutheri & Caluini, multa etiam addit propria. Sed quia longum esset omnia referre, solùm pauca quædam annotabo ex principio 2. partis Examinis, vbi agit de Sacramentis in genere.

PRIMÒ igitur in Examine edito anno M.D.LXVI. in octauo, pag. 14. sic mentitur: *Quomodo per Matrimonium, quod Syricius Pontifex definit esse, secundum carnem viuere, quod Deo placere non possit quomodo, inquam, iustitia fidei per Matrimonium, vel incipit, vel augetur, vel reparatur iuxta ipsorum Sacramenti descriptionem in decreto positam?*]

DESYMPTVM est hoc mendacium ex epist. 1. Syricij, c. 7. vbi sanctus ille Pontifex probare volens, debere Sacerdotes continere se etiam ab vxore, assumit pro argumento illa verba Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Hinc igitur deducit Kemnitius, Matrimoniũ, auctore Syricio, nihil esse aliud, quàm vitam secundum carnem, quæ Deo placere non potest.

C SED debuit Kemnitius aduertere, Syriciũ non loqui de coniugio iusto, & legitimo, sed de coniugio Sacerdotum, quod illegitimum est, & solo nomine coniugium, re autem ipsa sacrilega impudicitia. Nam in eadem epist. c. 4. iam antè dixerat, legitimas nuptias in Ecclesia per Sacerdotem benedici, & certè non voluit dicere, benedici in Ecclesia vitam secundũ carnem, quæ Deo placere non potest. Itaque legitimi coniuges possunt ita viuere vt placeant Deo, & dicantur non esse in carne, sed in spiritu, si vxore sua legitima legitimè vtãtur: at Sacerdotes, quibus nuptiæ interdictæ sunt non possunt vxores ducere, aut illis vti, quin Deo displiceant, & secundum carnem viuant: & hoc est, quod verissimè scripsit Syricius.

SECVNDÒ mentitur pag. 39. vbi loquens de Ordinis & Matrimonij Sacramentis sic ait: *Etsi Richardus disputat etiam per istos ritus conferri gratiam gratum facientem, reliqui tamen agnoscunt, hoc subsistere non posse.*] Hoc mendacium impudentissimũ est, cùm omnes ferè Theologi idem dicant, quod Richardus dicit. Sufficiet hoc loco testimonium sancti Thomæ, qui 3. p. q. 65. art. 1. docet, & probat, septẽ esse nouæ legis Sacramenta; & in responsione ad vltimum sic ait: *In quolibet Sacramento nouæ legis gratia infunditur.*

TERTIÒ mentitur pag. 40. vbi quærens de aqua benedicta, rosa benedicta, ense benedicto, & similibus rebus, cur non sint Sacramenta, sic ait: *Aliquid quidam respondent Scholastici, alius aliud, sed tamen nec seipsos expediunt, nec Lectoribus satisfaciunt, nisi quòd Gabrielis ingenuitas probatur, qui dicit, aquam benedictam non esse Sacramentum, quia desit diuina institutio.*

DVO sunt hîc mendacia: Vnum quòd Scholastici multùm laborent, vt ostendant, cur aqua, & rosa & similia, cùm in Ecclesia benedicuntur, non sint Sacramenta. At Scholastici adeò leuiter hoc expediunt, vt multi ne

attingant quidem vt per se notum, alij obiter tantùm explicent. Nihil enim horum est signum efficax gratiæ iustificantis, quod est præcipuum in omnibus Sacramentis.

ALTERVM est mendacium, Gabrielem ingenuè cõfiteri, nihil deesse aquæ benedictæ, quò minùs sit Sacramentum, nisi diuinam institutionem. Est, inquam, hoc verissimum mendacium, quia Gabriel in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. vbi de hac re agit, dicit quidem aquam benedictam nõ esse à Deo institutam, sed ab Ecclesia, & ideò nõ esse Sacramentum, sed non dicit, nihil aliud ei deesse, nisi diuinam institutionem, immò apertè indicat, alia etiam multa ei deesse. Nam non disputat eo loco propriè de aqua benedicta, sed explicat definitionem Sacramenti: & quia dixerat, ad Sacramenta requiri diuinam institutionem, inde deducit à Sacramenti definitione excludi aquam benedictam, lotionem balnei, & omnia signa naturalia. Quocirca sicut non licet colligere ex hac eius disputatione nihil deesse ad lotionem balnei quò minùs sit Sacramentum, nisi diuinam institutionem, ita non licet colligere, nihil deesse ad aquam benedictam, nisi diuinam institutionem, quò minùs sit Sacramentum.

QVARTÒ mentitur pag. 94, & 95. vbi tot sunt ferè mendacia quot verba: *Quidam*, inquit, *vt Alensis, Thomas, Durandus, &c. senserunt ipsis externis Sacramentorum elementis per verbum conferri quandam virtutem supernaturalem.*] At non videtur legisse hos auctores: Siquidem Durandus contrarium docet, & S. Thomam oppugnat in 4. dist. 1. q. 4.

QVINTÒ mentitur ibidem, cùm ait: *Addunt autem vt ostendant, nec se nec alios, quod dicunt, intelligere, esse ens incompletum (vim inditam Sacramentis) quod per se non sit in aliquo ex decem prædicamentis.*] Sed Kemnitium intelligere quid Scholastici dicant, facilè credi potest. Illos autem ipsos non intelligere motionem, (hanc enim pleriq; vocant vim Sacramentis inditam,) esse ens incompletum quod per se in nullo prædicamento sit; mendacium est manifestum. Non enim vllus est vel mediocriter peritus Physicæ, aut etiam solius logicæ, quin sciat motum esse ens incompletum, & ad nullum prædicamentum per se pertinere.

SEXTÒ mentitur ibidem, cùm ait, Cyprianum existimasse Baptismum esse inutilem, qui conferebatur ab hæreticis, & malis ministris. Nam Cyprianus vbique distinguit malos ministros Catholicos ab hæreticis, & malos quidẽ affirmat vtiliter baptizare, hæreticos autẽ inutiliter. Malè igitur Kemnitius conjungit ex sententia Cypriani, quos Cyprianus ipse disiungit. Vide Augustinum explicantem Cypriani sententiam lib. 4. de Baptismo, ca. 10. & lib. 6. cap. 12. & ipsum Cyprianum in epistolis ad Iubaianum, ad Pompeium, ad Stephanum, & ad Quirinum.

SEPTIMÒ mentitur pag. 95. cùm sic ait: *Illa verò opinio, quòd in ipsis Sacramentorum elementis gratia essentialiter cõtineatur, sicut medicina in pyxide, ita vt virtus Sacramentorum sit vel essentia, vel qualitas hærens in corporalibus Sacramentorũ elementis; etiam inter Scholasticos Scriptores non fuit omnibus probata, vt Bonauenturæ, Richardo, &c.* Hîc satis prodit suam imperitiam Kemnitius, & simul audaciam, cùm eam reprehendit, quæ non intelligit. Nam in primis confundit gratiam cum virtute Sacramentorum, cùm tamen sint res diuersissimæ. Gratia enim est effectus Sacramenti, virtus autem id, per quod Sacramẽtum operatur. Quocirca gratiam contineri in Sacramentis nullus Catholicus negat; virtutem autem illam physicam non omnes admittũt. Deinde gratiã essentialiter, id est, ipsam essentiam gratiæ hærere in Sacramentis, vt medicinam in pyxide, nullus etiam Catholicorum dicit: Fatentur enim omnes gratiam hærere in anima, non in Sacramentis. Ponunt tamen, vt suprà diximus, eam in Sacramento, vt in vase, metaphoricè accipiendo nomen vasis, quomodo dicuntur tela vasa mortis, quia in eis mors continetur, vt effectus in caussa.

OCTAVÒ mentitur ibidem, cùm ait: *Fuerunt etiam qui virtutem Sacramentorum in ipso opere, quo Sacramenta vel celebrantur, vel suscipiuntur, constituerunt: ita vt Sacramenta dicerentur conferre gratiam ex dignitate, & merito operis, quod exercet vel is, qui celebrat, vel qui suscipit.* Hoc etiam mendacium testis est imperitiæ Kemnitianæ, quanquam non est eius proprium, sed à Caluino illud accepit. Vide suprà in 3. Caluini mendacio. Plurima sunt alia in Kemnitio, hæc enim solùm ex initio libri decerpta sunt.

CAPVT VI.

Mendacia Tilemanni Heshusij.

TILEMANNVS Heshusius, qui se Episcopum Sambiensem vocat, librum scripsit de sexcentis erroribus Pontificiorum; qui liber non habet vel vnam micam salis: colligit enim errores tam inconsideratè, vt vel sint mera mendacia, vel contradictoriæ eorum sint hæreses apud omnes Lutheranos.

AC vt solùm, caussa exempli, discutiamus locum 15. qui est de Sacramentis: tertius error, quem notat, est desumptus ex Catechismo Romano in hæc verba: *Virtutem, quæ ex passione Christi manat, hoc est, gratiam, quam ille nobis in ara crucis meruit, per Sacramenta, quasi per aluum quandã in nos ipsos deriuare oportet.* Hæc ille. Vbi primùm corrupit verba Catechismi Romani; siquidem ex alueo, quæ vox est in Catechismo, iste fecit aluum, vt sordidam, & ridiculam faceret Catechismi sententiam. Deinde sententia Catechismi non potest damnari quin damnentur etiam omnes Lutherani. Sume enim sententiam contradicentem, quæ sine dubio hæc erit; Christus in cruce non meruit nobis gratiam, vel si meruit, ea tamen non deriuatur ad nos per Sacramenta, quasi per alueum. At certè hanc sententiam Lutherani omnes damnant, quippe qui volunt gratiam ex Christi passione nobis per verba & Sacramenta offerri, & applicari. Neque refert quòd ipsi non nominant alueum: nam nominant instrumentalem caussam, quod est longè amplius, quam alueus. Vide Kemnitium in 2. parte Examinis, pag. 97. & Caluinum in Antidoto Concilij, sess. 6. can. 4.

QVINTVS error apud Tilemannum est, quòd Sacramenta veteris legis non impresserint characterem, qui est signum spirituale. Sume igitur contradicentem, nimirũ: Sacramenta veteris legis imprimebant characterem spiritualem; & quære si vel ab vno ex Lutheranis approbetur. Lutherani enim non anteponunt vsquam, licet ferè æquent, Sacramenta legis veteris Sacramentis nouæ legis; & tamen summo consensu negant, Sacramenta nouæ legis imprimere characterem. Id quod negat etiam ipse Heshusius ibidem in 7. errore.

NONVS error est, quòd non requiratur bonus motus interior in suscipiente Sacramentum. Hunc errorem tribuit Heshusius Gabrieli lib. 4. sent. dist. 1. q. 3. sed verba Gabrielis, quæ ipse citat, detegunt fraudem. Nam Gabriel non dicit non requiri motum interiorem, cùm apertè requirat fidem, & pœnitentiam cum omnibus aliis Doctoribus, sed dicit cum Scoto, non requiri motum interiorẽ, qui sit meritorius gratiæ de congruo, vel de condigno. Scotus enim, & Gabriel, & multi alij docẽt, motus quosdam interiores esse meritorios de cõgruo iustificationis, sed addunt quòd si aliquando isti motus nõ sint tam perfecti, vt mereantur, de congruo tamen sufficere cum Sacramento ad iustificationem.

DECIMVS error est, quòd Sacramenta veteris legis non contulerint gratiam, neque ex opere operato, neque ex opere operãtis, seu per modum meriti etiamsi in fide, & charitate fierent. Hæc ille: sed accipe contradicentem propositionem, & dic, Sacramenta legis veteris contulerunt gratiam ex opere operato, vel ex opere operãtis, seu

per

per modum meriti. Atqui hæc tota est hæretica omnibus Lutheranis. Nã omnes execrantur, quòd dicimus de opere operato; & multò magis, quòd dicimus de opere operantis. Sacramenta enim gratiam conferre ex opere operantis, est gratiam conferre ex dignitate, & merito operis; ipsi autem nullum agnoscunt opus dignum aut meritorium, sed omnia esse volunt peccata mortalia, atque in primis idem Heshusius in eodem lib. tit. de iustificatione, de lege, de operibus.

DECIMVS tertius error est ex Concilio Tridentino desumptus, sess. 7. can. 13. *Docent*, inquit, *sine externis Papisticis ritibus, nec veritatem, nec dignitatem, nec efficaciam Sacramentorum consistere.* Hæc ille. At hæc impudentissima impostura est: Concilium enim nihil eiusmodi docet. Hæc enim sunt verba Concilij, quæ ibidem ponit Heshusius, vt nimirum non solùm sit, sed etiam habeatur impostor: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solenni administratione Sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

CONTROVERSIA PRIMA.

De nomine Sacramenti.

CAPVT VII.

Sitne vtendum nomine Sacramenti.

DE nomine Sacramenti duæ sunt controuersiæ hæreticorum, tum ipsorum inter se, tum nobiscum. Vna, sitne hoc nomen vsurpandum. Altera, quid propriè significet hæc vox, sacramentum.

Quod attinet ad priorem, Martinus Lutherus initio nouæ suæ prædicationis visus est ab hoc nomine non parùm abhorrere. Nam in lib. de capt. Babylo. quem edidit anno XX. cap. de Matrimonio: *Non habet*, inquit, *vniuersa scriptura sancta hoc nomen Sacramentum, in ea significatione, qua nostèr vsus, sed in contraria. Vbique enim significat non signum rei sacræ, sed rem sacram, secretam, & absconditam.* Deinde in lib. de abrogãda Missa, quem edidit anno XXI. *Pia*, inquit, *& fidelis conscientia meritò, & dignè panere debet, ne hoc sacrificium appellet, aut credat, quòd certissimum est, apud Deum & in Scripturis non dici sacrificium, & hoc solùm appellet sacrificium, quod constat à Deo vocari sacrificium. Quæ enim furentior est temeritas, quàm sic os in cœlum ponere, vt hoc sacrificium, & cultum Dei dicas, quod ille non dicit sacrificium & cultum Dei?* Hæc ille. Cùm igitur Lutherus affirmet, vocem Sacramentum non esse in Scriptura in eo sensu, quo Ecclesia vtitur Sacramentis, & simul affirmet, furentem esse temeritatem vti nominibus in rebus Dei significandis, quibus Deus ipse in Scriptura non vtatur: certè colligitur non ei placuisse, vt hoc nomine vteremur.

QVOCIRCA Melanchthon Lutherum sequutus in locis cõmunibus editis anno XXI. & XXII. caput in quo agit de Sacramentis, inscribit de signis; & in medio eius capitis: *Quæ alij*, inquit, *Sacramenta, nos signa appellamus.* Quin etiam tanta erat cupido istorum hominum omnia nouandi, vt mallet Græca voce, & Latinis prorsus inaudita dici σφραγῖδας, id est, sigilla, quàm Sacramenta.

ANDREAS item Carolstadius in lib. de imaginibus, & Sacramentis, eundem Lutherum sequutus, ex professo agit contra nomen Sacramenti.

PORRÒ Zvvinglius pater Sacramentariorum in lib. de vera & falsa religione, edito anno XXV. dicit quidem se nolle tumultuari ob hoc nomen, apertè tamen reprehendit. Sic enim habet in cap. de Sacramentis: *Vocem istã, Sacramentum, magnoperè cupierem Germanis nunquam fuisse receptam.*

SIC etiam Caluinus lib. 4. Instit. c. 14. §. 13. dicit se nolle contendere de nomine Sacramenti, & tamen non obscurè reprehendit dum ita loquitur: *Abundè liquet veteres, qui Sacramentorum nomen signis indiderunt, minimè respexisse, quis fuisset verbi huius vsus Latinis Scriptoribus: sed nouam hanc significationem pro suo commodo affinxisse, qua simpliciter sacra signa designarent.* Hæc ille.

CAETERVM Lutherus cùm vidisset Carolstadiũ, & Zvvinglium, cũ quibus inimicitias gerebat, abhorrere à voce Sacramenti, mutauit citò sententiam, & nomen Sacramẽti approbare cœpit. Sic enim scribit in li. cõtra cœlestes Prophetas part. 2. *Dicit*, inquit, *Carolstadius, Christũ & Apostolos non appellasse cœnam Sacramentum, velle se habere nomen ex Bibliis: Deum imponere suis creaturis nomina, nos qui homines sumus, non debere indere nomina rebus diuinis.* Et infrà: *Age animicida, tu & spiritus peccati, fatemur quidem Deum non dixisse Sacramentum, nec præcepisse vt Sacramentum diceretur: Sed die nobis contrà, vbi prohibuit Sacramentum dici? Quis ergo tibi dedit potestatem prohibendi, quod Deus non prohibet? Annon est verus animicida, qui se ponit loco Dei super nos, & auffert nostram libertatem?*] Ac deinde asserit, & probat, licere vti hoc nomine, immò & oportere vti. Quæ omnia non magis contra Carolstadium pugnant & Zvvinglium, quàm contra ipsum Lutherum, à quo illi didicerant, vt ostendimus.

LVTHERO autem sententiã mutante, mutarunt etiã cæteri Lutherani. Nã & in Confess. August. recipiunt nomen Sacramenti: & Philippus in locis anno XXXVI. inscribit caput de Sacramentis, quod antea inscripserat de signis. Brentius quoque in Confessione Vvittembergen. ca. de Sacramentis, idem nomẽ retinet. Ac demum Kemnitius in 2. part. Examinis non procul ab initio, vocabulũ hoc ἄγραφον, non scriptum in diuinis literis esse dicit, & tamen retinendum, & conseruandum. Solùm ergo cõtrouersia restat cum Sacramentariis, & cum priore sententia Lutheri.

SED facilè probare possumus, nomen hoc esse vsurpandum & conseruandum. Primò, quia reperitur in Scripturis. Sunt autem duo notanda antequam hanc rationẽ explicemus. Primò quidem Scripturas sacras non Latinè, sed vel Hebraicè, vel Græcè à Prophetis, & Apostolis scriptas fuisse: proinde non esse demonstrandam ex Scripturis vocem Latinam, Sacramentum, sed Græcam, quę illi respondet, nimirum μυστήριον. Idem enim omninò est Latinis Sacramentum, quod Græcis Mysterium. Neque in hoc vlla dissensio est: fatentur enim aduersarij idem esse Sacramentum, & Mysterium, & ideò vtrumque vocabulum dicunt esse ἄγραφον in nostra significatione.

SECVNDÒ, aliter ex Scripturis probari posse nomẽ Sacramenti apud Catholicos, aliter apud hæreticos. Nam apud Catholicos, qui fatentur Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum, probamus nomen Sacramenti esse in Scripturis, non solùm in genere, sed etiam in specie, id est, vt significat resillas septem quas propriè Sacramenta vocamus. Ait enim Apostolus ad Ephes. 5. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum, siue (vt habetur Græcè) Mysterium hoc magnum est, ego autẽ dico in Christo, & in Ecclesia.* Vbi Apostolus Cõc. Trid. teste, sess. 24. Sacramentum propriè dictum, vocat Matrimonium, seu coniunctionem viri & fœminæ; est enim ea coniunctio signum rei sacræ, & arcanæ, id est, cõiunctionis Christi cum Ecclesia. Neque obstat, quòd Paulus videatur loqui de coniugio Adami, & Euæ, quod quidem Sacramentum nouæ legis, non fuit. Nam Paulus etsi allegat verba Adami, tamen ea accommodat ad coniugia sui temporis: omni enim coniugio conuenit

quod Adam dixit: *Erunt duo in carne vna.* Vnde non ait Paulus, Sacramentum hoc magnum fuit, sed Sacramentum hoc magnum est, nimirum posteaquam à Christo addita est illi promissio gratiæ.

APVD hæreticos autem, qui Matrimonium non admittunt esse Sacramentum propriè dictum, non possumus probare ex Scripturis nomen Sacramenti; vt est nomen specificum, & proprium nostrorum Sacramẽtorum. Nusquam enim in Scriptura Baptismus, aut Eucharistia, aut Pœnitentia, aut Ordo, aut etiam Cõfirmatio, aut Vnctio, Mysterium, vel Sacramentum appellatur. Possumus tamen ex Scripturis ostendere, nomen Sacramenti, vt est nomẽ genericum, & commune ad nostra septem Sacramẽta, & alias res quasdam; nimirum vt significat signum rei sacrę, vel arcanę: quod quidẽ satis est, vt possimus hoc nomine vti, etiam testimonio Scripturarum. Nomen enim genericum verè conuenit rei, licet non soli illi conueniat.

ID igitur nomen in Scripturis haberi contra Lutherũ demõstramus ex Daniele, c.2. vbi sæpissimè vocatur Mysterium, vel Sacramentum statua Nabuchodonosor, quia erat signum rei latẽtis, id est, successionis quatuor regnorum, & regni Christi post illa exoriuri: ex quo colligimus, vocabulum רזי Hebraicum, & רזא Chaldaicum, non solùm significare rem secretam, vt Isa. 24. *Secretum meum mihi*: sed etiam signum rei secretæ, vt hoc loco Danielis: quamquam etiã hoc loco non negauerim, aliquando significare rem secretam. Nam interdum Scriptura vocat Mysterium ipsum somnium oblitum, & proinde absconditum, & secretum: interdum ipsam statuæ illius, quæ per somnium apparuerat, significationem.

IDEM probamus ex illo Apocal. 17. *Et in fronte eius nomen scriptum Mysterium.* Et infrà: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris.* Hinc enim habemus mulierem illam forma meretricia, quam Ioannes vidit, fuisse quoddam Sacramentum, id est, signum rei latẽtis, nimirum Romani Imperij, vel Antichristi, vt alibi exposuimus. Nõ enim res ipsa latẽs, sed mulier, quæ videbatur, appellatur Mysterium, & Sacramentum, ab significationem, quam continebat, vt patet ex nomine scripto in fronte.

IDEM probatur ex illo 2. Thess. 2. *Nam Mysterium iam operatur iniquitatis.* Vocat enim Apostolus Mysteriũ iniquitatis, persequutiones Ecclesiæ primitiuæ ab Imperatoribus, & hæreticis excitatas, quia significabant persequutiones excitandas in nouissimis diebus ab Antichristo. Ita enim exponunt eum locũ Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, & alij ferè omnes.

DENIQVE idem probatur efficacissimè ex illo Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.* Tametsi enim Erasmus, & Caluinus Mysterium à Paulo dici contendunt, non coniunctionem viri, & fœminæ, sed Christi & Ecclesiæ, eò quòd addat Apostolus: *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: tamen apertissimè falluntur. Quòd enim Paulus Sacramenti nomen non tribuat Christo, & Ecclesiæ, sed coniunctioni viri & fœminæ, patet tum ex relatiuo pronomine, hoc. Refert enim id quod dictum fuerat, nimirum: *Erunt duo in carne vna*: tum etiam quia periret tota ratio Apostoli: vult enim probare, debere viros diligere suas vxores; id verò probat, quia illud: *Erunt duo in carne vna*, est magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia. Quòd si totum hoc Mysterium est in coniunctione Christi, & Ecclesiæ, & ad coniugium nihil pertinet, quid, quę so, Paulus probat? Vide cõmentarium Hieronymi, Chrysostomi, Oecumenij, & aliorum Patrum in hunc locum. Coniunctio igitur sensibilis & externa viri, & fœminæ, Sacramentum est, id est, signum rei sacræ spiritualis & latentis; id est, coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Quocirca Kemnitius his testimoniis persuasus, fatetur nomen Sacramenti vt genericum est, scriptum esse, licet vt specificum, non sit scriptum.

FALSVM igitur est, quòd Lutherus dicebat Sacramentũ in vniuersa Scriptura significare rem sacram, secretam; nusquam autem signum rei sacræ, secretæ. Nec minùs falsum est, quod ibidem addidit, Catholicos vbicunque in Scriptura inuenerunt nomen Sacramenti, ex eo fecisse signum: non enim vbique dicimus, Sacramenti nomine significari signum sed solùm quibusdam in locis, alibi autem significare rem secretam, vt Tob. 12. *Sacramentum regis abscondere bonum.* Et Ephes. 1. *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ.* Et 1. Tim. 3. vocat Incarnationem, magnum pietatis Sacramentum. Neque id ignorarunt Scholastici, quin potiùs omnes cum Magistro indicant has acceptiones varias Sacramenti secundum Scripturas. Vide in 4. dist. 1. & sanctum Thom. 3. part. q. 60. art. 1.

QVÒD si Sacramentum dicatur à sacrando, & initiãdo, quod placet Zvvinglio, vt postea dicemus, habetur in Scriptura Testamenti veteris vox Hebræa nostræ Latinę voci respondens, nimirum מלוא, seu מלואת, id est, ritus consecrationis, Exod. 28. Leuit. 8. & alibi.

SECVNDA ratio sumitur ex Patribus. Antiquissimi enim Patres hoc nomine vsi sunt ad significandum Baptismũ, Eucharistiã, & alia id genus sacra Symbola. Tertullianus vetustissimus Latinorũ, lib. de præscriptionibus, c. 16. *Ipsas quoque*, inquit, *res Sacramentorũ diuinorũ, in idolorũ mysteriis diabolus æmulatur: tingit & ipse quosdam, signat in frontibus milites suos, &c.* Vide etiam lib. 1. in Marcion. ante medium. S. Cyprianus, lib. 2. epist. 1. de Baptismo, & Confirmatione dicit: *Si Sacramento vtroque nascantur.* Lib. 2. ep. 3. ad Cæcilium: *Quo & ipso*, inquit, *Sacramento (Eucharistiæ) populus noster ostenditur adunatus.* Et lib. 4. epist. 7. ad Magnum: *Neque enim sic in Sacramento salutari delictorum contagia, vt in lauacro carnali, & sæculari sordes cutis, & corporis abluuntur.* Eadem vtuntur voce Lactantius lib. 4. c. 17. Hilarius in illud Psal. 121. *Et abundantia diligentibus te.* Hieronymus in c. 44. Ezechielis, & in c. 1. Malachiæ. Aug. in epist. 118. & lib. 2. doctrinæ Christianæ, c. 3. & demum omnes posteriores.

EX quibus Patrum sententiis colligimus, nomen hoc esse antiquissimum, & proinde retinendum, etiamsi in Scripturis nõ haberetur: quomodo retinemus multa alia nomina, quæ non sunt in Scripturis, vt Trinitatem, consubstantialem personam, &c. Periculosissima enim est vocum nouarum libertas in Ecclesia, cùm paulatim ex nouis vocibus, nouæ etiam res oriantur, cùm vnicuique licet in rebus diuinis nomina fingere. Vnde & B. Paulus prohibet profanas vocum nouitates, 1. Timot. 6. & sanctus Augustinus lib. 10. ciuit. cap. 23. *Liberis*, inquit, *vocibus loquuntur Philosophi; nec in rebus ad intelligendam difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt: nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.*

RVRSVS colligimus, tum ex Scripturis, tum ex Patribus citatis, Kemnitium falsa, & pugnantia de hoc nomine loqui. Nam pag. 28. sic ait: *Augustinus primus fermè cæpit vocabulum Sacramenti in hac quidem materia extendere, & latiùs vsurpare, quàm antiquitas fecerat. In epistola enim quinta ad Marcellinum de signis loquens, inquit: Quæ cum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur. Vt igitur Augustino aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei alicuius diuinæ vel sacræ, signum sit.* Hæc ille. At falsum esse, primum Augustinum fuisse, qui extenderit hoc nomen ad alia sacra signa, quàm ad Baptismum, & Eucharistiam, patet ex omnibus Scripturis citatis, & ex Tertulliano, Cypriano, & Lactantio locis notatis: & præterea patet ex ipso Kemnitio, qui paulò antè, id est, pag. 22. sic ait: *Coniunctio viri & vxoris in coniugio, est Sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, ad Ephes. 5.* Et infrà: *Omnes figuras, & allegorias significantes aliquid,*

Patres

Patres vocant Sacramenta. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem vocat Sacramenta figurarum, & allegorias Sacramentorum, vbi de duobus Abrahæ filiis loquitur. Aduersus Iudæos, vocat Sacramentum ligni, disputans de securi Elisæi, & de ligno Adæ. Hæc ille, qui viderit quàm benè cohæreat, Augustinum auctorem illius rei facere, quæ apud Tertullianum, aliósque vetustos Patres, & apud ipsum Apostolum Paulum inueniatur.

ADDE postremò, quòd omnes linguæ vulgares in Latina Ecclesia hoc nomen retinuerunt, vt Italica, Gallica, Hispanica, Germanica, & aliæ: quod est argumentum, semper fuisse hoc nomine Sacramentum in Ecclesia venerabile. Sed de hac prima Quæstione satis.

CAPVT VIII.

De etymologia, & notione Mysterij, & Sacramenti.

VIA certum est priùs in Ecclesia fuisse voces Hebraicas, & Græcas, quàm Latinam, Sacramentum: & Latinos nihil aliud voluisse exprimere per Sacramentum, nisi quod Hebræi, & Græci exprimebant per sua vocabula. Primùm de Hebraica, Deinde de Græca, Postremò de Latina voce dicendum erit.

HEBRAEI tres habent voces, quibus Sacramenta sua significare solent. Primùm enim omnes cæremonias, inter quas numerantur Sacramenta, vocant חקים, vel חסת, vt patet Exod. 12. 28. & alibi. Sed hoc nomen non tam ipsam cæremoniam, quàm legem cæremonialem significat; nam חסק statuere significat, & מחוקק Legislatorem. Vnde in Testamento nouo semper cæremoniæ Iudæorum dicuntur leges, vt Mat. 11. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*, id est, figuræ illæ cæremoniarum, & vaticinia Prophetarum vsque ad Ioannem. Et Galat. 5. *Contestor omni circumcidenti se, quòd debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Id est, qui admittit circumcisionem, debet eodem iure admittere omnes cæremonias.

ALIVD vocabulũ מלואה & מלואים quod consecrationem, seu initiationem significat, & habetur Exod. 28. & Leuit. 8. vbi agitur de consecratione Sacerdotis. Deducitur autem hæc vox à verbo מלא, quod significat implere, & perficere; quia qui Sacramentum suscipit, perficitur, vt sit idoneus ad sacram functionem peragendam.

TERTIA vox est רזי & רזא, quę magis in vsu est Chaldæis, quàm Hebræis. Vnde Hebræi nondum inuenerunt veram eius radicẽ; sed, vt suprà diximus, satis apertè colligitur ex c. 2. Danielis, ea voce significari tum rem ipsam secretam, tum etiam signum rei secretæ.

PORRÒ etymologiam Mysterij explicans Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad Gentes, cuius etiam meminit Eusebius in 2. de præparatione Euangelica, ca. 5. dicit, μυστήριον dici à μύστος, quod scelus, & execrationem significat. Reprehendit Dominicus à Soto hanc etymologiam in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. quod μῦστος per iota significet scelus, & odium: μυστήριον autẽ scribatur per ypsilon. Sed non erat opus, vt homo Latinus cum auctoribus grauissimis, atque in Græcis, de Græcæ vocis etymologia contenderet. Nam etsi μῖσος odium, μύστος tamẽ scelus propriè significat: porrò Clemens à μύστος deduxit μυστήριον, nõ à μῖσος, licet posteriorem hanc vocem habeant aliqui Latini codices Eusebij, ex errore librariorum. Præterea Clemens nõ voluit eo loco propriam, ac germanam etymologiã Mysterij explicare, sed de industria posuit quãdam minùs propriam, sed valde aptam ad irridenda sacra Gentilium, quod tum agebat. Itaque cùm vellet sacra illa ridere, ac detestari, dixit vel appellari μυστήρια ἀπὸ τοῦ μύστος, quòd scelesta, & execranda essent, vel dicta esse μυστήρια, quasi μυθήρια, id est fabulosa.

ALII deducunt μυστήριον à verbo μύω, quod est claudo, & στόμα, quod est os: quasi Mysteria silentio honoranda sint: vel à μύσειν, & τηρεῖν, id est, abscõdere & seruare, quòd sint occultè seruandæ res sacræ.

POSSET etiam non ineptè deduci à μυέω, μυήσω, quòd est initio, seu sacris imbuo, vnde est μύστης id est, sacrorum antistes, qui alios initiat.

SVNT autem tres huius vocis significationes. Prima, ac præcipua est, vt Mysterium dicatur ea cæremonia, qua homines sacris initiantur. Quocirca à M. T. lib. 2. de legibus dicuntur etiam initia: & sanctus Ambrosius libum scripsit de iis, qui mysteriis initiantur. Et hæc significatio respondet etymologiæ, quam posuimus à verbo μυέω, & huic voci in hac significatione respondet vox Hebræa מלואת, id est, consecratio. Quia verò Mysteria Gentilium noctu celebrantur, & secreta esse oportebat, inde nata est.

SECVNDA significatio, qua Mysterium dicitur, id omne, quod arcanum, & secretum est. Hinc est illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si nouerim Mysteria omnia.* Mat. 13. *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.* Et respondet verbum Hebræum רז in priore significatione, vel etiã סור, quo frequentiùs vtuntur, id est, secretum.

TERTIA significatio ex secunda nata est, quia videlicet Mysterium dicitur omne signum externum rei arcanæ, & latentis: qua significatione omnes figuræ Testamenti veteris dicuntur Mysteria, necnon parabolæ, & similitudines quæ habentur vel in Euangelio, vel in Apocalypsi, vt testimonia suprà allata ostendunt. Et huic respondet vox illa רז in posteriore significatione.

IAM verò Sacramenti etymologia notissima est; dicitur enim à sacro: sed significationes multæ sunt. Prima est, vt Sacramentum dicatur pignus à litigantibus in loco sacro positum. Vt enim scribit Varro lib. 4. de lingua Latina prope finem, mos erat apud Romanos, vt cum duo litigabant, tum qui affirmabat, tum qui negabat, deponeret quingenta æris in loco sacro apud Pontificem: finita verò lite, qui vicerat, depositum suum reciperet: qui vinceretur, perderet, eiúsque depositum ærario cederet in pœnam iniustæ litigationis. Illa ergo deposita Sacramenta dicebantur, quod in loco sacro seruarentur. Hęc significatio præter cæteras placuit Zvvinglio, in lib. de vera & falsa religione, cap. de Sacramentis: *Sacramentum*, inquit, *nihil aliud est, quàm initiatio, & oppignoratio. Sicut enim qui litigaturi erant, certum pecuniæ pondus deponebant, sic qui Sacramentis initiantur, sese obstringunt, & oppignerant.*

SECVNDA acceptio est, vt Sacramentum idem sit, quod iuramentum, quod quidem nisi per rem aliquã sacram fieri nõ potest, cùm Deum ipsum testẽ citet omnis, qui iurat. Est autem hæc acceptio frequentissima in iure ciuili, & Canonico, & in Auctoribus tum Gentilibus, tum etiam Christianis. Hæc acceptio Caluino placuit, lib. 4. Instit. c. 14. §. 13. Sic tamen, vt Sacramentum non tam sit iuramentum, quo se homo obstringit Deo, quàm quo se Deus obstringit homini. Vnde Nicolaus Selneccerus in 2. parte Pædagogiæ, cap. de Sacramẽtis, dicit, μυστήριον dici à μύω, quod est claudo, quia Sacramenta quasi Dei sigilla claudunt, & obstringunt diuinas promissiones.

TERTIA significatio est, vt Sacramentum idem sit, quod Mysterium; & proinde significet tria illa, quæ Mysterij voce significari diximus; nimirum, rem secretam, & signum rei secretæ, & rem sacrantem, & initiantem.

QVAE omnes acceptiones conueniunt nostris Sacramentis: sed maximè propria est ea, quam vltimo loco nominauimus. Nam illa prima Varronis & Zvvinglij nõ est aliena à nostris Sacramentis. Verè enim per Sacramenta nos obstringimus, & oppigneramus Deo: tamen hæc acceptio nec inuenitur in Scripturis, nec est ita propria, vt solis Sacramentis nostris conueniat. Multa enim sunt alia præter Sacramenta, quibus nos oppigneramus Deo, vt omnia vota.

SECVNDA acceptio Caluini quadrat etiam in nostra Sacramenta. Nam in Sacramentis, vt nos Deo

obstrin

obstringimur ad obsequium, ita se nobis ille quodammodo obstringit ad protectionem. Sed neque hæc habetur in Scripturis, neque est propria nostrorum Sacramẽtorum, cùm etiam sine Sacramentis per simplicem promissionem se Deus obstringere soleat.

TERTIA, & quarta acceptio, qua Sacramentum dicitur quæcunque res sacra, arcana, vel signũ rei sacræ, & secretæ, habentur in Scripturis, vt suprà ostendimus, & Sacramentis nostris conueniunt. Nam omnia nostra Sacramenta, & sacra sunt, cùm Dei sint; & arcana sunt, cùm solis fidelibus nota sint, nec debeant aliis facilè prodi, vt docet Dionysius de Eccles. hierarchia, ca. 1. & Cyrill. lib. 7. in Iulianum, extremo, & alij Patres passim, & denique rem sacram, & occultam significent, nimirum gratiam. Sed neque hæ acceptiones sunt propriæ nostris Sacramẽtis, cùm plurima sint alia signa sacra, arcana, & quæ res sacras, & arcanas significent, vt omnes ferè figuræ Testamenti veteris.

QVINTA igitur acceptio, qua sacramentum significat cæremoniam initiantem, & consecrantem hominem Deo, siue (quod ferè est idem) signum rei sacræ, non cuiuscunque, sed rei sacræ sacrantis, & initiantis hominem, propriissima est. Nam in primis solis Sacramentis conuenit, vt posteà fusiùs ostendemus.

DEINDE respondet apertissimè etymologiæ Mysterij, & Sacramenti; nam Mysteriũ deduximus à μύω, quod est initio; & Sacramentum rectissimè deducitur à sacrãdo. Vnde sanctus Augustinus lib. 15. ciuit. cap. 26. *Inde*, inquit, *Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur*: vbi dicit, initiari Sacramentis nouæ legis. Et epistola 23. dicit Sacramẽta nouæ legis consecrare homines Deo. Et Tertullianus libro de præscriptionibus, ostendere volẽs quẽ admodum diabolus Deum imitari studeat: *Tingit*, inquit, *& ipse quosdam, vtique credentes, & fideles suos; expiationẽ delictorum de lauacro repromittit, & sic etiam initiat Mitræ.* Hæc ille: vbi Baptismi Sacramentum initiationem appellat. Et sanctus Ambrosius librum, in quo de Sacramentis Baptismi, & Eucharistiæ tractat, inscribit, De iis, qui initiantur Mysteriis. Item Magister in 4. dist. 1. & cum eo Doctores plurimi dicunt, Sacramentum dici à sacrãdo. Sanctus Thomas in 1. 2. q. 102. art. 5. *Sacramenta*, inquit, *propriè dicuntur illa, quæ adhibeantur Dei cultoribus ad quãdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei.*

DENIQVE Sacramenta veteris legis nunquam vocantur in Scriptura Testamenti veteris secreta, vel signa rei secretæ, id est, סוד, vel רז, sed semper appellabantur consecrationes, & initiationes, id est, מלאים, vel cæremoniæ, id est, חקים.

CONTROVERSIA SECVNDA.

De definitione Sacramenti.

CAPVT IX.

Quid requiratur ad Sacramentum nouæ legis constituendum.

DIXIMVS de nomine, nunc de re ipsa dicendum erit. Tres autem erunt partes disputationis de natura Sacramenti. Primò enim exponendum erit, quid requiratur ex communi sententia omnium Catholicorum ad Sacramentum nouæ legis constituendũ. Deinde differendum erit de ipsa formali, & artificiosa definitione Sacramenti. Postremò examinandæ, & refellendæ variè hæreticorum sententiæ, & depravationes circa naturam, & definitionem Sacramenti.

QVOD igitur ad primum attinet, Catholici Doctores etsi dissentiant in rebus quibusdam Philosophicis, & minutis, vt; An Sacramentum sit vnum per se; An sit ens rationis, &c. tamen in re Theologica mirificè conueniũt, cùm hæretici contrà inter se mirificè dissentiant, vt mox videbimus.

IGITVR quæ ad Sacramentum nouæ legis constituendum necessariò requiruntur, hæc sunt. Primùm vt sit signum: dicitur autem signum, vt sanctus Augustinus definit lib. 2. cap. 1. doctrinæ Christianæ: *Res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.* Quocirca debet signum esse res aliqua cognoscibilis, debet item ducere in cognitionem alterius. Et quia hoc secundum, ducere videlicet in cognitionem alterius, in signo est potissimùm, vt idem Augustinus docet lib. 1. ca. 1. doctrinæ Christianæ, ideò oportet signum, quatenus signum est, imperfectius esse re illa, quam significat, & magis illã, quàm seipsum repræsentare. Quare nõ dicitur homo signum suæ imaginis, licet ex cognitione hominis sæpe cognoscantur imagines; sed cõtrà imago dicitur signum hominis. Iam verò quòd Sacramentũ signum quoddam sit, patet tum ex Scriptura, cùm Gen. 17. circumcisio dicitur signum fœderis. Rom. 6. Baptismus dicitur signũ sepulturæ, & resurrectionis, 1. Cor. 11. Eucharistia dicitur signum passionis, & mortis Christi. Ephes. 5. Matrimonium dicitur signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ: tum ex Patribus. Nam Dionysius cap. 1. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & alij Patres Græci, Sacramenta vocant σύμβολα, id est, signa, & sanctus Augustinus, nunc vocat signacula, vt de catechizandis rudibus, cap. 26. nunc verba visibilia, vt lib. 19. contra Faustum, cap. 16.

SECVNDVM est, vt hoc signum sensibile sit: sunt enim signa quædam etiam inuisibilia, vt character animæ impressus. Sed Sacramenta visibilia, seu sensibilia signa esse debere, certissimum est. Solus fermè est Gulielmus Okam, qui in 4. dist. 1. fatetur quidem, Sacramenta esse signa sensibilia, sed non putat id esse de essentia quia posset Deus instituere Sacramẽtum in re spirituali, vt si statueret, vt oratio mentalis, aut meditatio passionis Christi conferret gratiam ex opere operato. At fallitur Okã, quia illa oratio, vel meditatio haberet quidem effectum Sacramenti, sed Sacramentum non esset. Sacramentum enim intrinsecè, & essentialiter est cæremonia religionis; cæremonia autem est actus externus. Vnde sancti Patres passim docent, Sacramentum esse vestigia quædam, & manuductiones ad spiritualia, & inuisibilia, vt patet ex Dionysio, & Augustino locis notatis; neçnon ex Chrysostomo hom. 83. in Matthæum.

TERTIVM est, vt hoc signum sit voluntarium, siue datum, non naturale. Quædam enim signa sunt naturalia, quæ non pendent ex noua institutione, sed ex natura sua significant, vt est fumus signum incendij, & odor signũ rei odoratæ præsentis, & aurora signum vicini solis: alia signa sunt ex arbitrio instituentis, vt nomina, & verba omnia, vexilla militum, & omnia insignia familiarũ. Porrò Sacramenta signa esse posterioris generis docet Augustinus lib. 2. doctrinæ Christianæ, cap. 3. & lib. 3. capit. 9. neque vllus contradicit. Res enim ipsa per se exclamat.

QVARTVM est, vt hoc signum habeat cum re, quã significat, analogiam, & similitudinẽ aliquam. Tria enim inueniuntur signorum genera. Quædam enim tantam habent cum re significata similitudinem, vt sine vlla institutione naturaliter significent; quomodo imago Christi, signum est Christi, & vestigium in arena impressum, signum est pedis.

QVAEDAM alia nullam habent cum re significata similitudinem, & ideò tota pendent ab institutione: hoc

modo verba sunt signa rerum, & sonus campanæ signum senatus habendi.

Quædam denique medio modo se habent. Nam habent quidem aliquam analogiam cum re, sed tam indeterminatam, & confusam, vt magis apta sint ad significandum, quàm actu significent, nisi determinentur ab aliquo: quomodo imago hominis non facta ad alicuius particularis hominis similitudinem, neminem in particulari significat, & tamen quemliber significare potest, si determinetur adscripto nomine alicuius, aut addito vestimento, aut alio signo particularis hominis.

Huius tertij generis sunt omnia Sacramẽta. Nam nec per se significant actu, nisi determinentur, & tamen apta sunt significare, si determinentur. Id patet discurrendo per singula. Nã ablutio externa internæ ablutionis similitudinẽ gerit; proinde aptissima est ad eam significandã, si ad id adhibeatur. Idem de Vnctione, alimento corporis Dominici, aliisque Sacramentis dici potest.

Solùm est Sacramentum Pœnitentiæ, quòd cùm in solis verbis consistat essentialiter, non videtur habere naturalem analogiam cum re significata, sed habet tamen. Non enim illa verba, *Ego te absoluo*, Sacramentum sunt, quatenus significant ex humana institutione, id est, quatenus verba sunt: sed quatenus sunt veluti res quædam à Deo institutæ ad significandam, & efficiendam iustificationem à peccatis. Habet autem analogiam exterior absolutio, quæ ore pronuntiatur, cum interna iustificatione, quæ à Deo efficitur. Itaque absolutio significata per verba, Sacramentum est, non vt per verba significatur, sed vt significat ipsam absolutionem internam.

Vnde sanctus August. in ep. 23. ad Bonifacium: *Si Sacramenta*, inquit, *quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent.* Et Græci Patres, passim Sacramenta vocant ἀντίτυπα, quod vocabulum significat rem ita similẽ alteri, vt cum illa quasi certare videatur de forma: vt si depicta imago ita probè, & quasi ad viuum rem exprimat, vt non imago, sed res ipsa videatur. Sic enim accipit hanc vocem Nazianzenus in 2. oratione de Pascha, vbi noctẽ Paschalem ob infinitam ardentium cereorum multitudinem, quibus illuminabatur, vocat antitypam firmamenti cælestis, vbi infinita stellarum lumina conspiciuntur. Sic etiam ante Gregorium sanctus Petrus in epist. priore, cap. 3. vocat Baptisma nostrum antitypum respectu arcæ Noë, vbi noster interpres rectè vertit, similis formæ. Cùm ergo Patres Sacramenta vocant ἀντίτυπα earum rerum, quarum Sacramenta sunt, nihil aliud sibi volunt, quàm habere Sacramenta maximam similitudinem cum his rebus, quarum sunt Sacramenta.

Quintum est, vt hoc signum repræsentet rem aliquã sacram, non profanam. Sunt enim Sacramenta cæremoniæ religionis: vnde etiam illa violare, omnium consensu, sacrilegium est. Id quod etiam patet ex nomine: nam Sacramentum à sacro dicitur. Denique sanctus Augusti. in epist. 5. ad Marcellinum dicit, signa cùm ad res diuinas pertinent, Sacramenta nominari.

Porrò res illa sacra, quam Sacramenta nouæ legis significant, triplex est: gratia iustificans, quæ vt præsens demõstratur: passio Christi, quæ est causa gratiæ, & vt præterita commemoratur: & vita æterna, quæ est effectus gratiæ, & vt futura præfiguratur. Ita docet sanctus Thomas 3. part. quæst. 60. art. 3. & omnes alij Doctores. Ac de Baptismo quidem, & Eucharistia res notissima est. Nam Roman. 6. quod Baptismus sit memoria passionis, ostẽdit Paulus, cùm ait: *Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* Et infrà de gratia iustificationis: *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato.* Et: *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Denique de vita æterna ibidem:

Si complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.

PARI ratione de Eucharistia, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, in memoriam passionis: nam vt exponit Paulus 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducamus panem hunc, mortem Domini annuntiamus.* Item de gratia, Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* De gloria: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vnde Ecclesia canit: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur: Recolitur memoria passionis eius: Mens impletur gratia: Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

DE aliis Sacramentis non est ita notum: tamen certum est, saltẽ implicitè, illa omnia significare, quia cùm omnia significent gratiã, consequenter etiam significant principium, & finem eiusdem gratiæ.

EST autem hoc loco notandum, id quod præcipuè & essentialiter significatur per Sacramentum nouæ legis, esse solam gratiam iustificantem. Nam vt infrà dicemus, Sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant: at non efficiunt passionem Christi, nec vitam beatam, sed solam iustificationem: passionem enim præsupponunt, & vitam beatam promittunt, iustificationem autem propriè adferunt.

PRAETEREA Sacramenta, vt mox dicemus, sunt instituta ad sanctificandum. At quo propriè, & formaliter sanctificamur, gratia est; passio Christi, & vita beata, extrinseca sunt.

DENIQVE id propriè Sacramenta significant, quod per verba exprimitur: verbis autem Sacramentorum iustificatio sola plerumque exprimitur. Id enim significat, Ego te abluo, Ego te confirmo, Ego te absoluo, &c. Neque obstat, quòd verba Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum*, non videantur sonare sanctificationem, sed ipsum Domini corpus. Nam illud significant, vt cibum animarum, & spiritualem mentis refectionem, quæ per internam gratiam fit.

ATQVE ex hoc capite multa sacra signa excluduntur à ratione Sacramenti, vt res creatæ omnes, quæ signa sunt potentiæ, & sapientiæ; nam, *Cæli enarrant gloriã Dei*, Psal. 18. Item omnes sacræ imagines Christi, & Sanctorũ; sacræ literæ; signum crucis, & alia id genus, quæ sunt quidem signa sacra, & rerum sacrarum; sed non significant propriè gratiam sanctificantem animas.

SEXTVM est, vt hoc signum non solùm significet sanctificationem, sed etiam ita significet, vt quæ tunc fiat, dum Sacramentum adhibetur. Omnes enim Theologi conueniunt, quòd Sacramenta nouę legis significent sanctificationem, quæ tunc fiat: id enim verba ipsa ostendũt, Ego te absoluo, Ego te abluo, &c. Et hinc multa signa sacra sanctificationem significantia excluduntur à ratione Sacramenti. Nam exempli caussã, Manna quod pluebat Israëlitis, significabat spiritualem refectionẽ, & dulcedinem, quam præbet Eucharistia; tamen Sacramentũ non erat, sed figura Sacramenti, quia significabat eam refectionem, vt futuram, non vt quæ tunc daretur. Sic etiã columba, quæ super Christum apparuit in Baptismo, signum erat sanctitatis, & innocentiæ Christi, sed non quę tum primùm inciperet, vel creseret: iam enim ab incarnatione plenus fuerat gratia.

SEPTIMVM est, in quo etiam omnes conueniunt, vt Sacramenta nouæ legis, non solùm significent, sanctificationem, quæ tunc fiat, sed etiã, quæ fiat vi ipsius Sacramẽti, ita vt Sacramentũ sit caussa instrumentalis sanctificationis; id quod posteà probandum erit contra hæreticos. Hinc autem excluduntur à ratione Sacramenti linguæ illæ igneæ, quæ apparuerunt super Apostolos in die Pentecostes: significabant enim charitatem ardentissimam, quæ tum Apostolis infundebatur vnà cum sapientia, & eloquentia planè diuina, sed Sacramentum

non erant, quia non vi earum linguarum infundebatur illis charitas. Quæstio solèm remanet, an dari gratiam ex vi Sacramenti, sit proprium Sacramentis nouæ legis, an verò conueniat Sacramẽtis in genere. Sed de hoc postea agendum erit: nunc satis est conuenire omnes Doctores, quòd Sacramenta nouæ legis id habeant.

EST autem hîc notandum, quòd cùm dicimus de ratione Sacramenti esse vt sanctificationem significet, & efficiat; id intelligitur non de actu, sed de naturali aptitudine. Potest enim fieri, vt dum infans baptizatur, nemo sit qui cogitet, quid Sacramentum significet; quocirca nihil tunc actu significabit, tamen ex se aptum erit ad significandum. Potest etiam fieri vt Sacramenti effectus impediatur. Nam cùm quis accedit ad Baptismum, vel alia Sacramenta cum animo perseuerandi in peccato, is certè non sanctificatur actu: tamen Sacramentum verè significare, immò etiam efficere sanctificationem dici potest, quia ex se id significat, & efficit: per accidens autem est ex indispositione suscipientis, vt non sequatur effectus.

OCTAVVM ac postremum, quod ad rationem Sacramenti pertinet, est, vt sit cæremonia religionis ſtata, ac solennis, quæ hominem Deo consecret. Ita docet sanctus Thomas in 1.2.q.102.art.5. & facilè probari potest. Nam vt sanctus Augustinus docet lib.19. cõtra Faustum, c.11. & lib.4. de Baptismo contra Donatistas, cap.22. Sine Sacramentis religio esse non potest: proinde tamdiu durare debent Sacramẽta, quamdiu religio durat. Quocirca Exod.12. & alibi, dicuntur Sacramenta eius temporis ritu perpetuo seruanda, id est, nunquam finem habitura, nisi in aduentu Christi, quando vetus ipsum Testamentũ finem habiturum erat. Sic etiam 1.Cor.11. de Eucharistiæ Sacramento Paulus dicit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, aut calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Id est, durabit hic ritus, quo mortem Domini cõmemoramus, donec mundus ipse finiatur, & Dominus ad iudicãdum veniat. Non igitur Sacramẽta sunt, aliqua signa ad breue tempus ostensa, sed solæ cæremoniæ durabiles, solennes, ac ſtatæ.

ATQVE hinc intelligimus, cur Sacramentum non fuerit illud Christi verbum ad peccatricem: *Remittuntur tibi peccata tua*, Luc.7. & illa insufflatio in Apostolos cũ illis adiunctis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Ioã. 20. Nam ista Christus semel fecit, non autem inde cæremoniam in Ecclesia frequentandam instituit, & fortè nõ adhibuit illam insufflationem, & illa verba tanquam instrumenta ad sanctificationem, sed solùm expressit per nuda signa, quod volebat: fortè etiam adhibuit ea, vt instrumenta, vt aliàs lutum ad illuminandum cæcum, & manus impositionem ad curandos ægrotos: sed (vt dixi) adhibuit tunc, quia ita ei placuit, qui potest qualibet re vti ad quidlibet faciendum, non tamen inde cæremoniam instituit, proinde nec Sacramentum. Hæc sunt igitur quæ ad rationem Sacramenti nouæ legis pertinent.

CAPVT X.

Possitne Sacramentum propriè definiri.

HIS ita constitutis, agendum est de ipsa formali, & artificiosa definitione Sacramenti: ac tria breuiter tractãda sunt. Primò; An Sacramentum propriè definiri possit. Secundò; Quæ sit propria definitio Sacramenti. Tertiò; An ea conueniat tantùm Sacramentis nostris, an omni sacramento in genere.

IGITVR prima quæstio est; An sacramentum verè, & propriè definiri, an solùm crasso quodam modo describi possit. Ratio difficultatis est, quia sacramẽtum vel est aggregatum quoddam per accidens, cùm constet ex rebus, & verbis: vel est ens rationis, si consideretur formaliter, vt signum ex arbitraria institutione significans. Non possunt autem propriè definiri, nisi entia realia, & quæ sunt vnum per se.

TRES sunt Doctorũ sententiæ. Quidam existimant, sacramentum propriè definiri non posse ob causas iam dictas. Ita Okã, Maior, Richardus in 4.dist.1. Alij volunt, sacramentum esse quidem ens rationis, tamen vnum per se proinde definiri posse saltem imperfectè. Ita Scotus dist.1.q.2. & Scotus dist.1.q.1.art.2. Tametsi enim multa sint in sacramentis quę significant, tamen significatio vna est ex variis illis rebus consurgens, quemadmodum vna est figura domus, licet multa sint quæ ad domum faciendam concurrunt. Alij denique volunt sacramẽtum propriè definiri posse. Ita Martinus Ledesmius in tractatu de sacramentis in genere, quæst.1.art.2.

VT autem breuiter dicam quod sentio, bifariam cõsiderari possunt sacramẽta. Vno modo, Physicè. Alio modo, moraliter: quemadmodum etiam homo aliter consideratur à Physico, aliter à Politico.

ET quidem secundum Physicam considerationem, quæ non est propria huius loci, nec multùm ad Theologum pertinet, longè probabilissimam esse arbitror sententiam primam. Primò quia ad rationem, & essentiam sacramenti non pertinet sola significatio, sed etiam res ipsa sensibilis, quæ substantia quædam est, & cum adiuncta significatione ens per accidens constituit. Nam si in sola significatione consisteret essentia sacramenti, res ipsa sensibilis nihil esset, nisi subiectum Sacramenti. At longè aliud nos docet Ecclesia, cùm in concilio Florentino, & in scriptis omnium Doctorum affirmat, Sacramenta cõstare ex rebus, & verbis, & illas esse materiam, ista esse formam. Quomodo enim ad essentiam Sacramenti non pertinent ea quæ materia, & forma Sacramenti dicuntur, & sunt?

SECVNDÒ, Sacramentum, vt Sacramentum, nõ solùm significat, sed etiam sanctificat, vt Catholici omnes docent, de Sacramentis nouæ legis. At significare, & sanctificare, res sunt diuersorum prædicamentorum, nimirum Relationis, & Actionis: non ergo vnum per se facere possunt.

ADDE, quòd qui ponunt in Sacramentis realẽ quandam etiam Physicam qualitatem, necessariò coguntur Sacramenta componere ex ente reali, & rationis. Significatio enim Sacramenti, cùm ex institutione arbitraria pendeat, non potest non esse eius rationis. Quomodo autem esse potest vnum per se id, ad cuius essentiam pertinet ens reale, & ens rationis.

AT verò si Sacramentum consideremus moraliter, vt verè à Theologo considerari debet, est ens reale, & suo modo vnum, atque eo modo definiri potest. Vt enim apud morales Philosophos definitur regnum, & ciuitas, & familia, & de his omnibus passiones demonstrantur, licet illa omnia sint entia per aggregationem, si Physicè considerentur: ita etiam Theologi definiunt Ecclesiam, Concilium, Sacramentum, & alia id genus, licet Physicè ista definiri nequeant.

PORRÒ Sacramentum moraliter ideò est vnũ, quia est vnum medium, siue instrumentum ad iustificandos homines. Etsi enim aqua, & verba, agere, & significare; sint res in se diuersissimæ, tamen vt faciunt vnum instrumentum iustificationis, vnum sunt: atque hoc vnum ex genere, & differentia componi dicitur: & rursum ex materia & forma, ob similitudinem compositi Metaphysici, & Physici, quam habet. Vt enim in composito Metaphysico sunt duo prædicata, vnum vniuersalius, & imperfectius, aliud minùs commune, & magis perfectum: sic etiam Sacramentum duo prædicata habet, vnum magis cõmune, & minùs perfectum, nimirum, esse signum. Omne enim Sacramentum signum est, sed nõ omne signum est Sacramentũ: alterũ minùs commune, & magis perfectũ,

nimi

nimirum, sanctificans esse instrumentaliter, & per modũ cæremoniæ: id enim solis Sacramentis conuenit. Proinde signum, est veluti genus; sanctificans, veluti differentia. Pari ratione vt in composito Physico sunt duæ partes, quarum neutra prædicatur de toto, & vna est indeterminata, altera determinans; illa materia, hæc forma dicitur: sic etiam in Sacramentis sunt res, veluti materia, & verba, veluti forma; quia res ipsa, vt causa exempli, aqua, indifferens ex se ad multa significanda, vel etiam efficienda, per verba determinatur ad vnum significandum, & efficiendum. Vnde est illud Augustini tract. 80. in Ioannem: *Accedit verbũ ad elementũ, & fit Sacramentum.*

Itaque non oportet nimis anxiè discutere, an tota ratio, & omnes proprietates generis, & differentiæ, materiæque ac formæ conueniant partibus Sacramenti: quia (vt diximus non) Physicè, sed moraliter Sacramenta à Theologo consideranda sunt.

CAPVT XI.

Quæ sit definitio Sacramenti.

SECVNDA difficultas est; quibus verbis concipi debeat definitio Sacramenti. Sunt enim plures definitiones apud Theologos, quæ breuiter proponendæ, & explicandæ sunt. Vna est; *Signum rei sacræ.* Altera, paulò explicatior; *Inuisibilis gratiæ visibilis forma.*

Hæ definitiones colliguntur ex Augustino, ita scribẽte lib.10. de ciuit. Dei, cap.5. *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum*, id est, sacrum signum est; & communes sunt apud Catholicos, vt patet ex Hugone lib.1. parte 9. cap.2. Bernardo in sermone de cœna Domini; sancto Thoma 3.par. quæst.60.art.1. & 2. Thoma VValdensi tomo 2.cap.20. Atque hæ quidem definitiones si accipiantur, vt verba absolutè sonant, imperfectæ sunt. Multò enim plura sunt signa rerum sacrarum, aut inuisibilis gratiæ, quàm sint Sacramenta: tamen si accipiantur, vt sonant secundum sensum, & intentionem Ecclesiæ, & Doctorum, bonæ sunt, & legitimæ. Siquidem per signum, intelligunt signum sensibile, institutum, practicum, rei signatæ similitudinem gerens: per rem sacram intelligunt gratiam iustificantem. Quanquam (vt rectè monet Hugo loco notato) qui primus dixit Sacramentum esse rei sacræ signum, non tam rem ipsam accuratè definire, quàm nominis interpretationem explicare voluisse videtur. Quocirca non rectè faciunt, qui pro hac definitione defendenda nimium altercantur, præsertim cùm S. Augustinus loco citato de Sacramento loquatur, tam ampla significatione, vt etiam sacrificium comprehendat.

TERTIA definitio est Hugonis loco notato, qui sic definit: *sacramentum est corporale vel materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritalem gratiam.* Vbi duo notanda sunt. Primò, per elementum non debere accipi elementum, quomodo accipitur cùm dicimus, quatuor esse mũdi elementa, sed rem quamlibet, vt à verbo distinguitur, iuxta illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Vocat autem Hugo, & quidam alij, elementum, materias omnium Sacramentorum, quia in primo Sacramento, id est, in Baptismo, verum elementum aquæ, materia est: à materia enim primi Sacramenti, materias omnium Sacramentorum nominare voluerunt. Vel etiam quia elementum materiam aptissimè significat, cùm sit corpus imperfectum, & natura sua ordinatum ad componendum mixtum: vnde etiam Aristoteles materiam primam elementum vocauit.

SECVNDO notandum est, Hugonem, cùm ait, Sacramentum ex sanctificatione vim habere conferendi gratiam, non intelligere per sanctificationem vt perperam intellexit Kemnitius, pag.94. aliquam benedictionem, vel consecrationem præcedentem, vt est illa, qua benedicitur aqua (nam etiam sine ista benedictione Sacramentum Baptismi conferri potest) sed verbum Dei, quod est veluti forma perficiens sacramentum: illis enim verbis dicitur elementum sanctificari, quia per illa efficitur Sacramentum. Porrò hæc definitio, etsi potuisset fortasse paucioribus verbis comprehendi, tamen satis integrè complectitur totam naturam Sacramenti.

QVARTA definitio est Magistri Sententiarum lib.4. dist.1. vbi sic ait: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ imaginem gerens & causa existẽs.* Quæ definitio, quod ad sensum attinet nil differt à priore. Solùm enim in hac definitione desiderari videtur explicatio signi, naturalène, an ex institutione sit: sed hoc manifestè colligitur ex illa particula, *causa existens.* Nullum enim signum sensibile potest esse causa gratiæ, nec illam infallibiliter significare, nisi ex Dei institutione, vt notum est.

QVINTA definitio est Catechismi Concilij Tridẽtini: *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Quæ definitio pulcherrima est, cùm & breuissima sit, & tamen comprehendat omnia illa octo capita, quæ ad naturam Sacramenti pertinere diximus. Nam Primò, quòd Sacramentum sit signum, patet ex illa particula, *significandæ.* Secundò, quòd sensibile, ex illa *sensibus subiecta.* Tertiò, quòd voluntarium, ex illa, *ex Dei institutione.* Quartò, quòd rei sacræ, ex illa, *sanctitatis, & iustitiæ.* Quintò, quòd sanctitatis, quæ tunc fiat vi ipsius Sacramenti, ex illa, *vim habet.* Sextò, quòd sit cæremonia solennis, ex eo colligitur, quòd dicitur esse res sensibus subiecta, instituta ad sanctificandum. Septimò, quòd similitudinem gerat rei significatæ, non habetur expressè in hac definitione, tamen colligi potest ex illa particula, *significandæ*, & ex illa, *ex Dei institutione.* Deus enim qui suauiter omnia disponit, nunquam instituisset rem vnam ad aliam significãdam, nisi cùm ea analogiam aliquam haberet.

Exstat alia definitio apud Gratianum, 1.q.1. Can. Multi sæcularium: *sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium, diuina virtus secretiùs salutem operatur.* Hęc definitio à Gratiano tribuitur Gregorio: à sancto Thoma in 4.dist.1.quæst.1. tribuitur Augustino. Sed nec huius, nec illius est, sed Isidori: habetur enim iisdẽ verbis apud Isidorum lib.6. etymologiarum, cap.18. nisi fortè Isidorus illam acceperit ex libro aliquo nobis incognito Augustini, aut Gregorij. Sed cuiuscunque sit, non est cur multùm laboremus, cùm satis constet ab Isidoro allatam, ad explicandam nominis significationem, non ad rem ipsam accuratè definiendam.

CAPVT XII.

An definitio sacramenti vniuocè conueniat sacramentis legis veteris, & nouæ.

SEQVITVR Tertia & postrema quæstio; An definitiones positæ conueniant Sacramento in genere, an Sacramẽtis tantùm nouæ legis. Duæ sunt Theologorum sententiæ. Prima est Magistri in lib. 4.dist.1. & ibidem Alberti, Thomæ, Bonauẽturæ, & aliorum, qui docent, nullam definitionem conuenire vniuocè Sacramentis nouæ, & veteris legis, sed omnes conuenire propriè, & perfectè Sacramentis nouæ legis; easdem verò conuenire Sacramentis legis veteris analogicè, & imperfectè.

Fundamentum huius sententiæ est, quia existimant auctores citati, de ratione Sacramenti, etiam in genere, non esse solùm significare, sed etiam efficere sanctificationem: & rursus censent, Sacramenta veteris legis non efficere veram sanctificationem, sed solùm sanctificationem quandam legalem, quæ est figura veræ sanctificationis, quam sola Sacramenta nouæ legis efficiunt. Ex his enim duobus rectè concludunt, Sacramentum dici ana-

logicè de Sacramentis veteris, & nouæ legis, ſicut ipſa ſanctificatio: ad quam ſignificandam,& faciendam ſunt inſtituta,dicitur analogicè de vera ſanctificatione animę, & de ſanctificatione typica,& legali.

ALTERA ſententia eſt ſancti Thomæ 3.part.q. 60. art.1.& 2.(is enim ſatis apertè ſententiam mutauit) necnon Dominici à Soto,& Martini Ledeſmij diſt.1.q.1.art. 1.& 2. Qui docent definitionem illam, *ſacræ rei ſignum*, vniuocè conuenire Sacramentis nouæ legis, & veteris: proinde eſſe illam definitionem Sacramenti in genere.

Fundamentum eorum eſt, quia exiſtimant ad rationẽ Sacramenti in genere non requiri, vt ſit cauſſa ſanctificationis,ſed ſolùm,vt eam ſignificet. Porrò addunt, Sacramenta legis veteris fuiſſe veriſſima ſigna veriſſimæ ſanctificationis, quia nimirum ſignificabant gratiam iuſtificantem nobis dandam per Chriſtum. Atque ex his rectè concludunt,Sacramẽta legis veteris vniuocè conuenire cum noſtris in genere, licet in ſpecie, diſtinguantur;quia noſtra efficiunt ſanctificationem,vetera non efficiebant. Vtraque ſententia partim placet,partim etiam diſplicet:pono igitur ſequentes propoſitiones.

PRIMA propoſitio:*Ad rationem ſacramenti in genere non ſatis eſt,vt ſignificet, ſed requiritur etiam,vt efficiat ſanctitatem, ſeu ſanctificationem:immò magis proprium eſt ſacramenti ſanctificare,quàm ſignificare.* Hæc eſt pro prima ſententia. Probatur Primò, quia (vt ſuprà diximus) in Teſtamento veteri Sacramenta rarò dicuntur ſignificare; frequentiſſimè autem dicuntur conſecrare ; & ſanctificare,ſeu initiare,vt patet Exod.28.& Leuit.8.in Teſtamento etiam nouo Baptiſmus dicitur lauacrum regenerationis,ad Titum 3.Et certè regenerare magis efficere,quàm ſignificare eſt.

SECVNDO,ab etymologia:Nam omnia nomina ſimilia ſacramento,actionem ſignificant,non ſignum : vt patet de nomine veſtimenti , calceamenti, impedimenti, ornamenti, firmamenti, fundamenti, & cæteris eiuſdem formæ; ſacramentum igitur à ſacrando dicitur, non à ſignificando.

TERTIO,quia tota ratio,cur poſterior ſententia velit,ſacramentum in genere nihil eſſe, niſi ſignum; eſt illa definitio:*ſacramentum eſt ſignum ſacræ rei*:vbi non tribuitur ſacramento efficere rem ſacram,ſed ſolùm ſignificare. At iam nos oſtendimus iſtam definitionem non eſſe perfectam,cùm ipſe Auguſtinus,qui eius eſt auctor,eam condemnet, quandoquidem vult eam conuenire etiam ſacrificio.

SECVNDA propoſitio : *ſacramenta veteris legis non ideò ſacramenta ſunt, quia ſignificant gratiam iuſtificantem, ſed quia ſignificant & efficiunt ſanctitatem legalem.* Hæc eſt etiam pro prima ſententia contra ſecundam. Et probatur,Primò ex præcedente concluſione. Si enim ad Sacramẽtum in genere magis requiritur ſanctificare,quàm ſignificare, profectò Sacramenta vetera, ſi vllo modo Sacramenta erant,non ſolùm ſignificabant,ſed etiam efficiebant.

SECVNDO, quia ſignificare gratiam aliis dandam, non eſt Sacramenti, vt Sacramentum eſt , ſed vt figura & typus rei futuræ. Nam ſacramentum,vt ſacramentũ, dicit ordinem ad eum qui ſacramento initiatur, non ad alios:vt rectè docet ſanctus Thomas 1.2.q. 101.art.4. & q.102.art.5.figura autem dicit ordinem ad futura.Et cõfirmatur; quia ſignificare gratiam dandam aliis,non erat proprium ſacramentis veteribus, ſed etiã ſacrificiis aliiſque obſeruantiis Hebræorum,vt S.Auguſtinus demonſtrat.lib.19.contra Fauſtum,c.8.9.10.& 11. Nec ſolùm illa, ſed etiam ſerpens æneus ſignificabat curationem à peccatis,quàm Chriſtus allaturus erat,Ioan.3.Mãna dulcedinem Euchariſtiæ, & tranſitus maris rubri, ſalutem per Baptiſmum,1.Cor.10. & tamen nec ſerpens ille , nec arca, Sacramenta erant Teſtamenti veteris aut noui.

TERTIA propoſitio ; *Sacramentum eſt genus vniuocum ad Sacramenta legis veteris & nouæ , proinde Sacramenta vetera erant ſimpliciter , & abſolutè Sacramenta.* Hæc eſt pro ſecunda opinione contra primam.Probatur Primò, Sacramentum in genere nihil aliud requirit, niſi cæremoniam ſignificantem, & efficientem alicuius conſecrationis,ſeu ſanctificationis:non autem requirit,vt illa ſanctificatio ſit per gratiã mundantem animam à peccatis; iſta enim ſpecialis ſanctificatio conſtituit ſpeciem quandam Sacramenti,non ipſum genus abſolutè.Sacramenta autem veteris legis verè ſignificabant , & efficiebant quandam conſecrationem.Nam per Circunciſionẽ initiabantur Iudæi,& conſecrabantur Deo,vt eſſent populus eius peculiaris; per Vnctionem ſacerdotalem verè conſecrabantur Deo filij Aaron, vt fungerẽtur ſacerdotio, atque idem de aliis eorum Sacramentis dici poteſt; de quibus vide S.Thomam, 1.2.q 102. artic.5. Erant igitur illa verè, & propriè Sacramenta.

SECVNDO. Nulla eſſe poteſt religio ſine Sacramentis,vt S.Auguſtinus docet.lib.19.contra Fauſtum,cap.11. Sed in Teſtamento veteri erat vera Eccleſia , vera religio , verum ſacrificium , cur igitur non etiam vera Sacramenta?

NEQVE obſtat, quòd omnia contingebant Iudæis in figura,1.Cor.10. ac proinde ſacrificia,Sacramenta, ritus omnes , typi quidam erant noſtri ſacrificij, noſtrorũ ſacramentorum,ac rituum; vnde videtur colligi,nõ fuiſſe illa ſacrificia,& Sacramenta,niſi per analogiam ad noſtra.Hoc,inquam,non obſtat; ſiquidem Sacramenta Iudaica erant quidem figuræ Sacramentorum noſtrorum, ſed non ſolùm figuræ,verùm etiam res per ſe:nam alioquì non tantùm genere , ſed etiam ſpecie conuenirent cum noſtris : homo enim viuus , & homo pictus eiuſdem ſpeciei ſunt , licet non vniuocè , ſed analogicè. Itaque Circunciſio non ſolùm erat figura Baptiſmi , ſed etiam erat per ſe cæremonia inſtituta ad initiandos homines illius temporis,& ad iungendos populo Dei;quare erat imperfectius Sacramentum , quàm ſit Baptiſmus, tamen abſolutè , & propriè Sacramentum erat. Nam etiam bos eſt animal imperfectius , quàm ſit homo, & tamen bos abſolutè , & propriè animal eſt : ſic etiam ordinatio Aaronica non ſolùm figura erat ordinationis noſtræ, ſed etiam per ſe cæremonia cõſecrans homines ad ſacrificia offerenda. Et ipſa quoque ſacrificia non ſolùm figura erant ſacrificij noſtri , ſed etiam per ſe ſacrificia,inſtituta ad cultũ Deo exhibendum , vt ſummo rerum omnium principio , & fini. Denique ipſe etiam populus Iudaicus figura erat populi Chriſtiani,1.Cor.10. & tamen quis ambigere poteſt , an non fuerit etiam per ſe verus quidam populus?

Itaque non debent conferri res Iudaicæ cum noſtris, vt imago picta cum homine viuo,vbi nihil eſt imago, niſi res alterius:ſed vt filij paruuli conferũtur cum viris perfectis , vt facit Apoſtolus , Gal. 4. eſt enim Filius imago Patris, & tamen etiam per ſe homo : & vt comparantur certamina, atque exercitationes pueriles cum certaminibus,& exercitationibus virorum; ſunt enim certamina puerilia imagines quædam maiorum certaminum ; tamẽ habent etiam ſuam oblectationem,& vtilitatem illi tempori congruentem.

QVARTA propoſitio:*Illa definitio (Sacræ rei ſignum) conuenit vniuocè Sacramentis omnibus tum veteribus , tum nouis.* Hæc eſt pro ſecunda opinione cõtra primam.Notandum eſt autem tribus modis poſſe exponi definitionem illam.Primò,vt per ſignum intelligatur ſignum practicum; per rem ſacram,gratia iuſtificans. Et hoc modo non conuenit definitio propriè , niſi ſacramentis nouæ legis; veteribus autem ſolùm ſecundum quid, & analogicè : quia videlicet illa erant ſigna practica munditiæ legalis,quæ nõ eſt gratia iuſtificans,niſi typicè,vt imago

hominis

hominis dicitur homo.ſed iſta expoſitio non eſt ad mentem S.Auguſtini,vt ſuprà diximus.

SECVNDO poteſt ſic exponi, vt per ſignum intelligatur ſignum practicum per rem ſacram, conſecratio in genere , non deſcendendo ad iuſtificationem internam, vel legalem : & hoc modo definitio conuenit vniuocè omnibus Sacramentis. Sed neque hæc expoſitio eſt ad mentem S.Auguſtini ; non enim loquitur ipſe de ſigno practico,vt S.Thomas rectè aduertit.

TERTIO poteſt ſic exponi, vt per ſignum,intelligamus nudum ſignum; per rem ſacram,gratiam iuſtificantem:& hoc modo conuenit vniuocè definitio illa omnibus Sacramentis;& hoc dicimus in Concluſione,ſequuti B.Thomam.Cæterùm iſta definitio,vt ſuprà monuimus, non eſt perfecta, cùm conueniat etiam ſacrificio,eodem teſte Auguſtino,loco citato.

Porrò definitiones cæteræ,id eſt, Hugonis, Magiſtri, & Catechiſmi Romani, non conueniunt niſi Sacramentis nouæ legis:ramen facilè poſſent accommodari ad Sacramentum in genere, ſi loco, *inuiſibilis gratiæ*,ſeu *iuſtitiæ*, ponerentur, *conſecrationis cuiuſdam*, hoc modo; Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta,quæ ex Dei inſtitutione conſecrationis cuiuſdam , tum ſignificandæ , tum efficiendæ vim habet.

CAPVT XIII.

Soluuntur argumenta Kemnitij.

EX his quæ diximus , facilè reſponderi poteſt ad calumnias Kemnitij. Is enim in 2.parte Examinis,cap.de numero Sacramentorum, reprehendit omnes definitiones, quas attulimus, excepta illa Catechiſmi Tridentini , cuius nullam facit mentionem ; & præterea addit definitiones duas , vnam Scoti , alteram Gulielmi Okam,quas etiam reprehendit.

PRIMVM igitur.pag.38. arguit definitionem Iſidori: *Quomodo*,inquit,*iuxta hãc definitionem Matrimonium erit Sacramentum?* Reſpondeo,Aptiſſimè conuenire hanc definitionem Matrimonio:nam ſub tegumento viſibilium rerum,id eſt,coniunctionis ſponſi & ſponſæ,ſignificatur gratia inuiſibilis , per quam Deus cum anima iungitur, eámque iuſtificat , ſiue iuſtitiam infundat, ſiue infuſam augeat. Neque his repugnat,quod Apoſtolus dicit,Matrimonium ſignum eſſe coniunctionis Chriſti cum Eccleſia : ſiquidem idem Sacramentum plurium rerum ſignum eſſe poteſt.

SECVNDO,arguit definitiones Hugonis,quòd non rectè Sacramentum dicatur elementum corporale,quãdoquidem Sacramentum Euchariſtiæ ſecundum Catholicos non ſit ſubſtantia aliqua , ſed ſola accidentia panis & vini. Reſpondeo, Nec ipſa ſubſtantia panis, & vinum eſt elementum propriè dictum,id eſt,corpus ſimplex,ſed mixtum. Sed,vt ſuprà oſtendimus , elementum vocauit Hugo rem quamlibet ſenſibilem , quæ adhibetur ad Sacramenta perficienda:

TERTIO , arguit definitionem Magiſtri Sententiarum,quòd non rectè habeat, Sacramentum eſſe formam viſibilem. Nam in Matrimonio Catholici volunt materiam eſſe verba exprimentia conſenſum , verba autem nec viſibilia ſunt,nec elementum dici poſſunt iuxta Hugonem; ſi elementum diſtinguitur contra verbum,iuxta illud,*Accedit verbum ad elementum,& fit Sacramentum.*

RESPONDEO,Non deſunt Catholici multi,qui materiam in Sacramento Matrimonij eſſe volunt ipſas perſonas cõtrahentes,verba autẽ ſolùm eſſe formam:proinde materiam viſibilem , & quæ elementum dici poſſit, aſſignant. Vide Petrum Paludanum in 4.d.1.q.4.Quòd ſi etiam ſola verba eſſent in Sacramento Matrimonij, adhuc nihil efficeret Kemnitij argumentum. Nam verba quoque elementa dici poſſunt, quatenus materiæ locum habent : id enim elementum dicimus , cùm de Sacramentis agimus,quod eſt ex ſe indeterminatum,& per certa verba,quaſi per formam determinatur.Nec minùs aſſerimus verba, viſibilia dici poſſe, cùm viſibile ad omnia ſenſibilia, & ſenſus ipſe videndi vſitatè ad omnem ſenſum transferatur. Vt enim docet Auguſtinus, lib.10. Confeſſ. cap.35. rectè dicimus ; Vide quomodo luceat, quomodo oleat , quomodo ſapiat , quàm ſit durum, quàm bene ſonet:non tamen contrà dicimus;Audi quomodo luceat, guſta quomodo ſplendeat, olfac quàm niteat,palpa quàm fulgeat.

QVARTO , arguit eaſdem duas definitiones , quòd non rectè habeant,Sacramentum eſſe ſignum inuiſibilis gratiæ,ſi per gratiam intelligatur gratia gratum faciens. Nam etiamſi Richardus diſputet, in Matrimonio, & Ordinatione,vt in aliis Sacramentis,dari eiuſmodi gratiam: *Reliqui tamen*, inquit Kemnitius , *agnoſcunt hoc ſubſiſtere non poſſe.* Sed hoc eſt impudens mendacium,vt ſuprà diximus, cap.2.

QVINTO,arguit definitionem Scoti,& Okam;Sed immeritò cùm nihil falſi illæ cõtineant,& ſolùm verbis, non autẽ ſententia diſcrepent à definitione communi.

SEXTÒ,oppugnat omnes definitiones ſimul: *Si enim*, inquit, *Sacramẽtum eſt ſignum ſignificans effectum Dei gratuitum efficaciter , quomodo non erunt Sacramenta; benedictio Monachorum,aqua benedicta,roſa benedicta, enſis benedictus,Agnus Dei, benedictio herbarum, campanarum, imaginum,inunctio regalis,conſecratio templi,cæmiterij,altaris? &c.Illa enim fiunt certis conſecrationibus, & ſingulntur habere ſpirituales effectus.* Sed hæc omnia facilè refelluntur ex duplici capite.Primò,quia nec benedictio Monachorum,nec alia enumerata ſignificant,aut efficiunt gratiam iuſtificantem,ſed alios quoſdam effectus , vt deletionem venialium,& protectionem contra Dæmonem,quos effectus præcipuè habet aqua benedicta. Secundò,quia hos ipſos effectus non habent infallibiliter;non enim ex diuina inſtitutione,ſed ex Eccleſiæ precibus vim habent.

CAPVT XIV.

Refellitur definitio Lutheranorum.

ACCEDAMVS nunc ad excutiendas , & refellendas aduerſariorum definitiones : ſunt enim in hac re valde diſcordes; quod eſt manifeſtum ſignum eos receſſiſſe à veritate, quæ eſt vna. Certè Kemnitius,qui alioqui conatur tegere, vel conciliare diſcordias ſuorum,in ſecunda parte Examinis, cap.de efficacia Sacramẽtorum,pag.96.enumerat quinque diuerſas ſententias Lutheranorum,præter ſuam quæ eſt ſexta.

PRIMA igitur ſententia Lutheri eſt in lib.de captiuitate Babylonica, cap.vltimo, vbi dicit,propriè Sacramẽtum eſſe promiſſionem ſigno externo annexam.Eam recipiunt communiter Lutherani, ſed paulò magis explicant. Sic enim definit Apologia Cõfeſſionis Auguſtanæ, art.13. *Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum Dei, & cui eſt addita promiſſio gratiæ.* Similia habet Petrus Martyr,quamuis alioqui Caluiniſta,in cap.4.ad Rom.in cap. 10.& 11.1.ad Corinth.& in explicatione Symboli Italica, art.9.& 10. Sed Martinus Kemnitius accuratiſſimè conatur explicare omnia,quę ad naturã Sacraméti pertinẽt.

ET quia tum in Apologia , tum in locis Philippus præfatur, ſe nominis interpretationem dare , & ſæpe variat verba ſuæ definitionis ; vtilius erit ea proponere , & excutere , quæ ad naturam Sacramenti requiri Kemnitius docet. Primò ergo , vult Sacramentum eſſe debere externum materiale, ſeu corporale , & viſibile elementum,ſeu ſignum,quod certo externo ritu tractetur.

SECVNDO,requirit,vt illud ſignum habeat expreſſum mandatum,ſeu inſtitutionem diuinam.

TERTIO,vt illud mandatum ſit in Teſtamento nouo:quod idem docet Philippus in locis , cap. de Sacramentis , vbi dicit , Sacramentum eſſe cæremoniam in Euangelio inſtitutam.

QVARTO, requirit, vt Sacramentum non sit cæremonia temporaria, sed duratura vsque ad mundi consummationem.

QVINTO, requiri dicit, promissionem de gratia, effectu, seu fructu Sacramenti.

SEXTO, dicit eam promissionem debere esse annexam signo, & eo quasi vestitam, diuina ordinatione.

SEPTIMO, addit, eam promissionem esse debere non de quocunque dono Dei, sed de reconciliatione peccatoris, & peccati remissione, quam etiam partem vrgent valde Lutherus in captiuit. Babylonica, & Philippus in locis, cap. de numero Sacramentorum.

OCTAVO requirit, vt promissio, quæ alioqui generalis est, per Sacramentum applicetur, & obsignetur in particulari singulis, qui cum fide vtuntur Sacramentis. Hanc particulam clariùs explicant Lutherus, Philippus, & ipse etiam Kemnitius infrà cap. de efficacia Sacramenti: volũt enim Sacramẽta esse testimonia infallibilia gratiæ Dei, ad hoc institura, vt excitent & nutriant fidem, ad eum modum, quo miracula facere solent. Vnde Philippus in locis Anni XXII. comparat Sacramenta miraculis, quibus Deus olim fidem confirmabat: & in Apologia articuli 13. dicit, Sacramentum esse testimonium infallibile, ac si Deus nouo miraculo de cœlo promitteret, se velle ignoscere. Et Lutherus in lib. contra Cochlæum: *Vult*, inquit, *Petrus per Baptismum, ceu signum externum, fidem prouocari, & exerceri, quæ saluet*; & in libro de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, confert Sacramenta cum vellere Gedeonis, cum Iride, quam Noë in signum accepit, & cum signo quod Isaias obtulit Regi Achaz, Isaiæ 7. In ipsa etiam Confessione Augustana, art. 13. *Sacramenta*, inquiunt, *sunt instituta, vt sint signa, & testimonia voluntatis Dei erga nos ad excitandam, & confirmandam fidem, in his qui vtuntur, proposita.* Et Kemnitius loco citato, pag. 102. dicit, verbum & Sacramentum mõstrare, vbi fides debeat quærere, & inuenire Christum Mediatorem: & pag. 101. & 105. dicit, Sacramenta esse sigilla promissionis. Hæc igitur est ipsorum sententia.

EXCOGITAVIT hanc definitionem Kemnitius, vt ostenderet solùm Baptismum, & Eucharistiam esse Sacramenta propriè dicta: sed nondum obtinuit quod voluit. Nam facilè demonstrare possumus ne his quidem duobus Sacramentis eam definitionem conuenire, & absolutè malam esse.

PRIMA igitur particula vel accipit elementum visibile, & tractabile pro qualibet re sensibili, vt accipiunt Catholici, & tum etiam Absolutio sacerdotalis erit Sacramentum propriè dictum. Est enim Absolutio res sensibilis, cùm auribus percipiatur; vel accipit (vt reuera accipit) elementum visibile, & tractabile pro re, quæ sensu videndi, & tangendi percipiatur; & tum fingit sibi definitionem sine vllo testimonio Scripturæ. Scriptura enim nusquam habet, Sacramentum non esse, nisi rem visibilem, & palpabilem.

NEQVE alio modo probat Kemnitius hanc particulam nisi ex eo, quòd Baptismus, & Eucharistia, quæ sunt vera Sacramenta, signa sunt visibilia, & tractabilia. Quæ argumentatio aut assumit, quod probandum est, quod ex ipsa definitione postea idem Kemnitius probare conatur, nimirum Baptismum, & Eucharistiam sola esse Sacramenta: aut si hoc nõ assumit, nihil probat. Vt enim non sequitur; Homo & asus sunt bipedia, igitur omne animal est bipes: ita non sequitur, Baptismus, & Eucharistia sunt signa visibilia, & tractabilia, igitur omne Sacramentum est signum visibile, & tractabile. Satis est igitur ad Sacramenti naturam, quatenus signum est sensibile, vt aliquo sensu percipiatur; nec debet excludi sensus audiendi, cùm excellentissima omnium signorum sint ea, quæ hoc sensu percipiuntur, vt sanctus Augustinus docet, lib. 2. doctrinæ Christianæ, capite 3.

SECVNDA particula, quæ requirit expressum mandatum, seu institutionem diuinam, aut requirit vt hoc mandatum sit expressum in scripturis, aut satis est, si constet DEVM hoc mandatum dedisse, licet in sacris literis non habeatur ita expressè. Si hoc secundum sufficiat, admittimus particulam, sed tunc probabimus omnia septem Sacramenta. Licet enim nusquam scriptum sit, Deum mandasse, vel instituisse Sacramentum Confirmationis, tamen quia legimus, Actor. 8. per manus impositionem Apostolorum datum fuisse baptizatis Spiritum sanctum, idque ordinariè, certò colligimus, à Deo id fuisse institutum: nec enim potest vlla creata potestas efficere, vt per impositionem manus, hominibus detur Spiritus sanctus. Quod idem probare possemus de aliis Sacramentis, accedente præsertim antiqua traditione, & Ecclesiæ declaratione.

SIN autem vult Kemnitius (vt reuera se velle significat) requiri mandatum Dei expressum in diuinis literis, falsa est ea particula. Nam per accidẽs est ad mandatum, siue institutionem diuinam, quòd sit scripta, vel non scripta: nam alioqui, non fuissent vera Sacramenta, Baptismus, & Eucharistia, quam Christus, & Apostoli dabant antequam scriberentur Euangelia. Siquidem certum est non fuisse scriptum Euangelium, quando Christus baptizabat, Ioan. 3. & quando Eucharistiam discipulis dedit, Matth. 26. nec etiam quando S. Petrus iussit baptizari tria millia hominum, Actor. 2. quo etiam tempore cœpit frequentari Sacramentum Eucharistiæ, vt ibidem indicat sanctus Lucas.

TERTIA particula, vt hæc institutio sit in Testamẽto nouo, vera quidem est absolutè, tamen destruit sententiam aduersariorum. Ipsi enim cõmuni consensu contra communem consensum Ecclesiæ Catholicæ docent, Baptismum Ioannis habuisse eandem vim, & efficaciam cum Baptismo Christi; ac proinde Christum non tam instituisse Baptismi Sacramentum, quàm illud iam à Ioãne institutum approbasse. Ita Caluinus docet, lib. 4. Instit. cap. 14. §. 6. Kemnitius in 2. part. Examinis, cap. de Baptismo Ioannis, Philippus in locis, cap. de Baptismo Ioannis & Apostolorum.

AT certè, si res ita se haberet, non est Baptismi Sacramentum in nouo Testamento institutum: noui enim Testamenti auctor, & princeps Christus est, vt Apostolus ait ad Hebr. 9. propter quod & Isaiæ 11. dicitur Pater futuri seculi. Si igitur Baptismus, quo vtimur, à Ioanne cœpit, qui ante Christum venit, & eius præcursor, & prænuntius fuit, sequitur vt hoc Sacramentum non sit in nouo Testamento, sed in veteri institutum.

QVARTA particula, quòd Sacramentum debeat esse cæremonia perpetua, id est, duratura quamdiu religio ipsa durat, mihi non displicet: nam etiam nos suprà idem docuimus.

QVINTA particula, quod ad Sacramẽtum necessariò requiratur promissio gratiæ, duobus modis intelligi potest. Vno modo de promissione gratiæ, quæ sit effectus Sacramenti, ita vt idem sit; promissio gratiæ in Sacramentis; & institutio Sacramenti, vt signi efficacis, seu instrumenti iustificationis. Alio modo de promissione gratiæ præcedente, quæ Sacramento tãquam sigillo obsignetur. Sicut enim aliud est promittere, sigillũ aliquod fore efficax ad imprimendum; aliud promittere, centum aureos, & syngrapham sigillo obsignare: ita aliud est promittere, gratiam verbis, & deinde hanc promissionem signo externo confirmare; aliud verò promittere, Sacramentum fore instrumentum efficax ad iustificandum. Porrò Kemnitius confundit hæc duo. Nam in hac particula quinta dicit, requiri promissionem de gratia, seu fructu Sacramenti, vbi videtur loqui de promissione efficaciæ Sacramenti; tamen infrà, vbi cum cæteris Lutheranis dicit, Sacramentum esse sigillum promissionis,

loquitur

loquitur de promissione præcedente, de qua sine dubio loquuntur omnes Lutherani.

ET quidem promissio de efficacia Sacramenti inuenitur in verbo Dei secundum Catholicos, quantum ad omnia Sacramenta; non autem secundum aduersarios. Catholici enim agnoscunt pro verbo Dei, etiam traditiones; aduersarij autem, qui solas Scripturas recipiunt, non facilè ostendent promissionem istam de gratia & fructu Sacramenti, in omnibus Sacramentis. Exemplo nobis sit Eucharistia, quæ apud aduersarios etiam est Sacramentum propriè dictum. Nam habentur quidẽ multæ, & insignes promissiones, Ioan. 6. vt illa: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Sed aduersarij non admittunt in hoc 6. cap. Ioannis, agi de Eucharistia. Sic enim loquitur Lutherus lib. de captiuitate Babylon. cap. de Eucharistia: *Primum*, inquit, *caput 6. Ioannis in totum est seponendum, vt quod nec syllaba quidem de Sacramento loquitur.* Quod idem docet Caluinus, & alij hæretici huius temporis in commentario eius loci. Eo capite sepositio, nullam inuenient promissionem. Nam Matth. 26. Marc. & Luc. 22. vbi habetur institutio Sacramenti, nõ habetur vlla promissio: solùm enim hæc verba habentur: *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur.* Et: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionẽ peccatorũ.*

VBI promissio de traditione corporis, & effusione sanguinis non refertur ad Sacramentũ, sed ad Sacrificiũ, quod tunc Deo offerebatur in cœna, & postea offerendum erat in cruce. Non enim Dominus dicit, corpus suũ dari Apostolis in remissionem peccatorum; sed dari pro illis, nimirum Deo, in remissionem peccatorum: & similiter non dicit sanguinem propinari Apostolis, sed effundi pro illis in remissionem peccatorum.

PROMISSIO autem præcedens, quæ à Sacramento tanquam sigillo obsignetur, nõ est necessaria, nec in omnibus Sacramẽtis inuenitur: proinde falsa est ex hac parte definitio aduersariorum. Nam in Baptismo, qui Sacramentum est, omnium consensu, non facilè inuenietur eiusmodi promissio.

LVTHERVS in visitatione Saxonica, & Philippus in locis, cap. de Baptismo, adfert illam promissionem, Marci vltimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Sed ista non est promissio præcedens, sed est explicatio efficaciæ Sacramẽti. Et præterea ista verba post resurrectionem à Domino dicta sunt: Baptismi autem Sacramẽtum etiam ante passionem Christi institutum est, & in morem induci cœptum, vt patet Ioan. 3. & 4.

DICENT fortasse, haberi aliam promissionem Ioan. 3. illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed hæc non tam promissio, quàm comminatio est, ex qua colligitur quidem necessitas, & virtus Baptismi; sed non promissio aliqua præcedens, quæ Baptismo obsignetur. Adde quòd etiam ante ista verba fuit Baptismus Ioannis, quem aduersarij volunt vim habuisse nostri Baptismi.

EVCHARISTIAE quidẽ inuenitur promissio quædam (vt Lutherus notat in Saxonica visitatione) præcedens signũ. Nam Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. habemus Eucharistiam esse signum corporis Domini pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis effusi. Sed eo loco non habemus, Eucharistiam esse signum testificatiuum, & confirmatiuum promissionis, quale ipsi requirũt, vt patet ex vltima particula; sed signũ commemoratiuum tantùm. Sic enim Dominus ait: *Hoc facite in meam commemorationem.*

SEXTA particula, quòd promissio debeat esse annexa signo diuina ordinatione, falsa est. Nã verbum, quod diuina ordinatione annectitur, & quasi vestitur signo, vt inde fiat Sacramentum, nunquam est promissorium, sed assertorium, vel deprecatorium. Cùm enim aqua aspergitur in Baptismo, non dicitur: *Qui crediderit; & baptizatus fuerit, saluus erit*, quam aduersarij promissionem appellant, sed dicitur: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, Matthæi 28. quæ verba nõ sunt promissoria. Et Dominus cùm primò Eucharistiam fecit, & dedit, non ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, aut aliquid eiusmodi, sed ait: *Accipite, & comedite, hoc est, corpus meum.* In Sacramento Confirmationis, & Extremæ vnctionis, vtimur verbo deprecatorio, quia sic docent nos Acta Apostolorum, cap. 8. & Iacobus cap. 5. in Sacramento Ordinis, imperatorio, *Accipe potestatem*; in reliquis, assertorio.

QVOD si aduersarij, antequã Sacramenta ministrent, verbum prædicant, & remissionem peccatorum annuntiant, ac deinde sigillum adhibent Sacramentorum, vt Caluinus præscribit in libello de formula Sacramentorum ministrandorum; id faciunt ex capite suo, non autem (vt Kemnitius requirit) ex diuina ordinatione. Nusquam enim exstat diuina Ordinatio, qua iubeamur non dare Eucharistiam, aut Baptismum, nisi post concionem. Nam nec Dominus Matt. 26. nec Paulus 1. Corinth. 11. vbi tradunt ritum Eucharistiæ administrandæ, docent, concionem præcedere debere: & certè in Baptismo infantium, frustrà adhiberetur concio.

SEPTIMA particula, quòd illa promissio debeat esse de remissione peccatorum, falsa etiam est: & quidem Kemnitius hanc particulam addidit, vt excludat Ordinationem à numero Sacramentorum propriè dictorum. Nam quia in Scripturis inuenitur signum externum, quo confertur Ordinatio, nimirum impositio manus; & etiã collatio gratiæ, cùm Apostolus dicat, 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuũ presbyterij*, nõ putauit Kemnitius posse excludi Ordinationem à Sacramẽtis propriè dictis. nisi adderet eam gratiam debere esse remissionem peccatorum. Ar si vera esset ista particula, excluderet etiã Eucharistiam à Sacramentis propriè dictis: siquidem Eucharistia non est instituta propriè ad remittenda peccata, sed ad charitatem nutriendam, & augendam. Ideò enim datur sub specie panis, & vini, quæ nutriunt vinos, non excitant mortuos; & B. Paulus 1. Corinth. 11. iubet, vt homines probent se, nimirum an sint absque peccato, antequam ad eam mensam accedant: *Qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat.*

OCTAVA particula, quòd Sacramentum obsignet instar sigilli, & confirmet instar miraculi promissionem gratiæ, ad excitandam & alendam fidem iustificantem, æquè falsa est, & diligenter refutanda, tum quòd sit præcipua, tum etiam quòd eam ponat Caluinus quoque in sua definitione.

PRIMO, si Sacramenta confirmarent promissiones Dei instar miraculi, vel sigilli, essent notiora, & efficaciora, ad fidem persuadẽdam, quàm sint ipsa Dei verba: hoc autem falsum est, igitur & illa particula falsa est. Probatur propositio, tum quia frustrà adhiberetur vnũ ad confirmandum aliud, nisi esset eò notius, & firmius; tum etiã quia hæc est vis sigilli, & miraculi. Semper enim sigillũ Regium notius est, & firmius, quàm literæ Regis: sigillũ enim omnes norunt discernere, literas non omnes discernunt; & sigillum sine literis auctoritatem habet, literæ sine sigillo non habent. Sic etiam miraculum notius est, & efficacius, quàm prædicatio. Omnes enim qui vident cæcum illuminari, aut mortuum excitari, intelligunt illud esse opus supernaturale, & diuinum, & proinde mouentur ad credendum id, quod tali testimonio confirmatur: non autem omnes, qui audiunt prædicantem, cõtinuò intelligunt, illa esse verba Dei.

VBI Notandum est, miraculis quæ fiunt ad confirmandam fidem non confirmari diuinam auctoritatem: quasi magis credendum sit miraculo, quàm Deo dicenti; omnes enim sciunt Deum nõ posse mentiri, & nihil esse maius diuina auctoritate, sed cõfirmari auctoritatẽ pro-

ponentis fidem. Magis enim mouemur ad credendũ verè esse à Deo reuelata, quæ prędicator proponit, si miraculũ videamus, quàm si sola proponentis auctoritate nitamur. Vnde Marci vltimo legimus: *Illi autẽ profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonẽ confirmante sequentibus signis.* Vbi vides, Deum confirmare signis non suam ipsius auctoritatẽ, sed prædicatorum sermonem.

PROBATVR iam assumptio argumenti, quòd videlicet falsum sit Sacramenta esse notiora, & efficaciora ipso Dei verbo. Nam primò nihil fingi potest maius, & efficacius Dei verbo. Secundò experientia docet, faciliùs intelligi, si quid verbo dicatur, quàm si nutu significetur. Quid autem sunt Sacramenta, si cum verbis comparentur, nisi nutus quidam? Pari ratione experientia docet, magis persuadere verba, quàm muta signa, modò non sint miracula. Vnde Lutherus ipse fatetur, multò efficaciora esse promissionis verba, quàm Sacramenta, quæ sunt mutæ conciones: *Verbum ipsum* (inquit in lib. contra Ioan. Cochlæum) *quod longè præualet signo visibili, nullum tamen per sese iustificat, nisi credentem.*

RESPONDET Caluinus lib. 4. instit. cap. 14. §. 3. Sacramenta non confirmare promissiones ex parte Dei, sed ex parte nostra: quia licet, vt à Deo sunt, certissimæ sint, tamen vt à nobis recipiuntur, ob nostræ fidei imbecillitatem, non ita certò accipiuntur, nisi confirmentur testimonio Sacramentorum.

SED hoc facilè reiicitur. Nã quòd promissiones Dei ex parte nostra egeant confirmatione, vel fit, quia nescimus, quæ sint Dei promissiones, idque ex Sacramentis discimus, aut quia cùm sciamus & illas promissiones Dei, & hæc Sacramenta esse; tamen magis credimus Sacramentis, quàm promissionibus. Atque hoc posterius iam refutatũ est. Non enim solùm credimus, sed etiã scimus euidentissima ratione, Deum non posse mentiri, proinde nihil esse certius promissionibus Dei: neque id aduersarij negare possunt. Illud autẽ priùs, æquè facilè refutari potest, siquidem falsum est, promissiones Dei disci ex Sacramentis, cùm contrà potiùs Sacramenta ex verbo Dei discantur. Iam verò, si sigillum Regium esset ignotũ, & solùm posset cognosci ex literis, quibus est appensum, esset planè superfluum. Nam vel credunt homines literas illas esse Regis, secluso sigillo, vel non; si credunt, quid facit sigillum? si non credunt, certè neque credunt sigillũ esse Regiũ: nihil igitur confert. Pari ratione, cùm Sacramenta non sciantur esse Dei sigilla, nisi quia Scriptura hoc dicit, si creditur verbo sine Sacramentis, quorsum Sacramenta? si non creditur, certè nec Sacramenta creduntur esse Sacramenta: proinde nihil operantur.

AD Hoc argumentum respondet Caluinus lib. 4. Instit. cap 14. §. 5. in diplomatibus quoque nihil valere sigillum sine literis, vt patet si appendatur chartæ, in qua nihil sit scriptum: & tamen cùm appenditur diplomati scripto, multùm valere ad illud confirmandum. Et addit, nihil esse mirandum, si promissiones Sacramentis confirmentur, cùm etiam interdum vna promissio per aliam confirmetur.

SED hæc responsio non diluit argumentum. Nam vt incipiam à posteriore exemplo, promissio promissionem confirmat, quia vna non pendet ab alia. Confirmauit Angelus, Lucæ 1. promissionem conceptus Virginei, ex promissione conceptus, qui iam præcesserat in fœmina anu & sterili. Non enim pendent inuicem duo ista opera mirabilia: proinde vnum quod iam præcesserat, magnam vim habuit ad confirmandum alterum, quod nondum venerat. At Sacramenta, vt diximus, simpliciter pendent ex verbo. Quod verò attinet ad similitudinem sigilli, & diplomatis, nihil omnino est, quod Caluinus dicit. Nam sigillum appensum chartæ non scriptæ, nihil quidem confirmat, tamen non ideò pendet à literis, aut nihil est. Immò hinc intelligimus, quàm ineptè aduersarij Sacramenta sigilla appellent, cùm omninò contrariã habeant proprietatem. Nam diplomatum sigilla habent suam auctoritatem sine literis diplomatis, literæ autem non habent sine sigillo; contrà verò in verbo, & Sacramentis, verbum Dei etiam sine Sacramentis, infallibilem habet auctoritatem; Sacramenta sine verbo, nullam habent. Quare verbum potiùs appellandum esset sigillum Sacramenti, quam Sacramentum, sigillum verbi.

DICENT fortasse; Esto, Sacramenta non confirmẽt promissiones more miraculi, vel sigilli: tamen iuuant, & confirmant saltem eo modo, quo actio æterna iuuat, & confirmat orationem docentis. Negari enim non potest, quin aliquid conferat ad explicandum, & persuadendum ipsa actio, & motus manuum, & oculorum, licet primas partes teneat oratio. Erunt igitur Sacramenta, quasi actio quædam Dei, quæ simul cum verbo, magis mouebit ad fidem, quàm solum verbum.

RESPONDEO, ne id quidem concedi posse. Nam actio in hominibus ideò iuuat orationem, quia oratio humana imperfecta est, vt sunt omnes res creatæ, & etiã quia actio non habet vim suam à verbo, sed à se. Quocirca magis credebant Ethnici oraculis Apollinis, quæ falsa putabant esse non posse, quamuis solis verbis ederentur, quàm orationi, & actioni cuiuslibet oratoris. Cùm ergo verba Dei sint per se summæ auctoritatis & Sacramenta omnem vim suam habeant à verbis, nihil addere possunt ipsi verbo.

Verum est tamen, quod Catholici dicunt, Deum voluisse dare gratiam suam per signa sensibilia, vt per ea instrueret homines, & deduceret ad intelligenda spiritualia. Aliud enim est docere spiritualia per similitudines rerum corporalium, aliud confirmare rem firmissimam per aliam minùs firmam.

SECVNDVM argumentum. Essentia, & natura Sacramentorum non potest aliunde meliùs colligi, quàm ex verbis illius, qui ea instituit. Sed in Scripturis sanctis, quæ sunt verba Dei auctoris Sacramẽtorum, nusquã dicuntur Sacramẽta testimonia promissionum, sed vbique describuntur, vt instrumenta iustificationis. Nam Ioan. 3. dicimur nasci denuò per Baptismũ, & similiter ad Ephes. 5. dicit Apostolus, Ecclesiam sanctificatam, & mundatam lauacro aquæ in verbo vitæ: & ad Tit. 3. vocat Apostolus Baptismum, lauacrum regenerationis, & renouationis. Sic etiam de Eucharistia Ioan. 6. dicitur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, atque idem de aliis probare possemus. Non possunt autem nisi absurdissimè istæ sententiæ ita exponi, vt Sacramenta regenerare, mundare, dare vitam æternam, nihil aliud sit, quàm testimonium dare diuinarum promissionum. Quis enim ferret eum, qui ita diceret; Baptismus regenerat, id est, dat testimonium diuinæ voluntatis? vel, Ego te baptizo, id est, ego testificor: Estque hoc argumentum contra Lutheranos efficacissimum: siquidem Lutherus, quem cæteri in hac re libenter sequuntur, in libro contra Cochlæum, sic ait: *In rebus sacris vehementissimus, & robustissimus locus est, arguere ab auctoritate negatiuè.* Vel igitur proferant locum, vbi Sacramenta dicãtur testimonia promissionum, aut certè fateantur vehementissimum & robustissimum argumentum nos habere.

TRIA tantùm loca proferre solent, quæ speciem aliquam videãtur habere. Vnus est Genes. 17. vbi Circumcisio dicitur signum fœderis. Alter Rom. 4. vbi Circumcisio dicitur signaculum iustitiæ fidei. Tertius 1. Pet. 3. vbi Petrus dicit, saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientię bonæ interrogatio, siue (vt ipsi reddunt) stipulatio, vel pactum cum Deo.

SED in his locis non nominatur promissio vel testimonium, neque hæc loca ad rem faciunt, vt infrà ostendemus in solutione argumentorum.

TERTIVM argumentũ. Si solùm essent Sacramenta testi

testimonia promissionis, & gratiæ, vel superuacanea, vel certè parùm necessaria essent. Nam habemus alia testimonia longè efficaciora. siquidem bona opera sunt testimonia adeptæ iustitiæ lõgè meliora, quàm ablutio aquæ, vel sumptio Eucharistiæ. Nam multi impij baptizantur ficto corde, & Eucharistiam sumunt, qui proinde peiores sunt, & magis muisi Deo, quàm antea, 2. Cor. 11. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* 2. Pet. 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* 1. Ioan. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est, & qui natus est ex Deo, non peccat.*

QVARTVM argumentum. Si Sacramenta solùm essent testimonia promissionum, ad excitandam fidem instituta, frustrà baptizarentur infantes, & amentes, quos certum est, non modò non credere, sed nec posse credere actu. At Lutherani omnes pugnant pro Baptismo parulorum contra Anabaptistas: non igitur verè tradũt iidem Lutherani, quid sit Sacramẽtum. Hoc argumentum coëgit Lutherum in lib. contra Cochlæum, & Lutheranos cæteros asserere, infantes actu credere dum baptizantur; quod tamẽ adeò est absurdum, vt S. Augustinus in epist. 57 ad Dardanum scripserit, eos iniuriam facere humanis sensibus, qui hoc dicunt. Videmus enim infantes ad contactum aquæ sanctæ plorare, refugere, ac reniti, quantum possunt: quod certè si facerent vsum rationis habentes, non modò non purgarentur ab originali peccato, sed adderent etiam proprium actuale.

QVINTVM argumentum. Si Sacramenta essent testimonia gratiæ, quæ in particulari confertur alicui, sæpenumerò falsa essent, nimirum cùm Sacramentum ministratur homini, qui fingit se credere, cùm reuera non credat. Proinde non liceret vllum baptizare, ne cogeremus Deum testificari falsum: de nullo enim certò scimus, credátne verè, an fingat se credere.

DICENT fortasse; Sacramentum testimonium esse gratiæ non absolutè, sed ĩ is, qui suscipit Sacramentum, credat promissioni.

SED contra probo testimonium esse absolutum, non conditionatum. Primò, Lutherus in assert. primi articuli dicit, eum qui non credit verbo ministri dicentis; Ego te baptizo, vel, Ego te absoluo, facere Deum mendacem, cuius illa verba sunt. At si illa verba intelligerentur cum conditione, si aliter credat, non essent falsa, nec fieret Deus mendax.

SECVNDO, si essent illa verba conditionata, rueret fides iustificans Lutheranorum. Nam ipsi volunt hominem debere credere absolutè sine vlla hæsitatione, se esse iustum: ergo Deus absolutè testatur illum esse iustum: non enim debet homo credere, nisi quod Deus testatur. Et præterea fides debet esse certa, ergo non debet pendere à conditione, si homo credat. Nam nemo certus est, secundum Lutherum, de se, an verè credat: sic enim scribit Lutherus in libro contra rebaptizantes edito anno M.D. XXVIII. *Baptismus non est fundandus supra fidem baptizantis, vel baptizati: vterque incertus est de fide.* Et infrà: *Ita euenit, & solet fieri de fide. vt qui arbitratur se credere, nihil omninò credere sæpe conuincatur, & econtrà, qui nihil se putat credere, is omnium maximè credat.*

TERTIÒ, Aduersarij ita de hac re loquuntur, vt omninò absolutum esse testimonium Dei in Sacramentis credere videantur. Sic enim loquitur Philippus in locis, cap. de Baptismo: *Ego*, inquit minister, *mandato diuino, & loco Christi baptizo te, id est, hoc signo testificor ablui peccata tua, & te reconciliatum esse vero Deo, &c.* vbi nullam facit mentionem conditionis. Atque hæc de definitione Lutheranorum.

CAPVT XV.

Refelluntur definitiones Anabaptistarũ, & Zuuinglianorum.

ALTERA sententia de natura Sacramenti est quorundam, quos Lutherus, & Caluinus passim phanaticos vocant. Hi docent Sacraméta nihil esse aliud, quàm signa quædam instituta ad discernẽdum, populum Christianum à Iudæis & paganis, quomodo Romanis olim toga erat signum, quo discernebantur à Græcis, & quomodo nunc diuersæ formæ, & colores vestium distinguunt diuersa genera Monachorum. Auctorem huius sententiæ Andream Carolstadium facit Lutherus in serm. de verbis cœnæ: *Hoc est corpus meum.* Qui Andreas fuerat olim ex primis Lutheri discipulis, & amicis: quare in 2. scripto contra Regem Angliæ vocat eum suum Absalonem, & Iudam, quod sicut Absalon Dauidi patri, & Iudas Christo præceptori, ita Carolstadius sibi rebellis, & infidelis fuerit.

AB hac sententia non abhorruit initiò Philippus Melanchthon, vt patet ex locis anno XXII. editis, vbi hanc sententiam probabilem putat. Cap. de signis, in fine: *Probabilis*, inquit, *& illi voluntatis, qui symbolis, seu tesseris militaribus hæc signa comparauerunt, quòd essent notæ tantùm, quibus cognoscerentur, ad quos pertinerent promissiones diuinæ.* Tametsi postea eã oppugnauerit in Apologia Confess. art. 13. & in locis vltimò editis.

VBI. Notandum est duas primas sententias, quas Kemnitius enumerat; Vna videlicet, quòd Sacramenta sint signa, quibus distinguuntur Christiani à non Christianis. Altera, quòd sint signa, symbola quædam Christianæ societatis: rectiùs à Philippo locis notatis, vnam sententiam fieri. Nam illi duo tantùm agnoscunt Sacramenta, Baptismum & Cœnam. Et Baptismum quidem symbolum faciunt: quo discernamur à non Christianis: cœnam autem symbolum Christianæ inter nos societatis.

Hæc sententia partim est vera, partim etiam falsa. Etsi enim Sacramenta illum vsum habeant, quòd distinguũt religionem veram à quibusdam falsis, tamen non est hic solus, vel præcipuus Sacramentorum nostrorum vsus. Nam primò in Scripturis nusquam legimus, Baptismum, Eucharistiam, aut alia Sacraméta instituta esse, vt distinguant̃ populum Christianum ab aliis populis: legimus autem frequenter in eum finem esse instituta, vt iustificent homines, Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Non dixit, discernetur ab aliis, sed saluus erit. Actor. 2. *Pœnitẽtiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Et actor. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius.* Adde loca suprà citata, quæ idem docent, Sacramenta videlicet instituta ad iustificandum.

SECVNDO alia signa sunt meliora ad distinguẽdum populum Dei ab aliis populis, vt confessio fidei, quæ solis conuenit veris Catholicis; cùm Baptismus communis sit cum hæreticis; vt etiam charitas mutua, quæ in solis Catholicis est, cùm Sacramenta omnia sint communia cum schismaticis. Quare Dominus, Ioan. 13. nõ ait: *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis*, si Baptismum habueritis, aut Eucharistiam, sed si dilectionem habueritis ad inuicem.

TERTIO, Sacramenta omnia vim habent ex Christi passione, in cuius rei signum ex latere Domini perfosso manauit sanguis, & aqua, Ioan. 19. Aqua enim Baptismũ significauit, vt Ambro. lib. 10. in Lucam, cap. 105. Chrysost. Cyrillus, Theophylactus in cap. 19. Ioan. Leo epist. 4. cap. 6. Damascen. lib. 4. cap. 10. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum, & Augustinus docent, tract. 120. in Ioan. qui etiam tract. 15. hoc idem probat ex illis verbis Pauli ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*; & lib. 15 ciuit. cap 26. idem probat aliis testimoniis. At certè si solùm distinguere debebant, quomodo togæ distinguunt non erat opus Christi passione, sed satis erat humanum beneplacitum.

DENIQVE illa sententia longissimè abest à sensu, & verbis omnium Patrum: quorum nomine vnum Augustinum audiamus, q.84. in Leuiticum: *Sine sanctificatione inuisibilis gratiæ, vilibilia Sacramenta quid prosunt?* & lib. 19. contra Faustum, cap. 11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò cõtempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.*

TERTIA definitio est Anabaptistarum, qui docent, Sacramenta nihil esse aliud, quàm allegorias, & quasi signa quædam bonorum operum, & vitæ ac morum spiritualium. Volunt enim baptizari homines, vt significent debere Christianos sustinere aduersa, & ipsam mortem pro Christo. Referunt hunc errorem Philippus in locis Anni XXXVI. & XLI. cap. de Sacramentis, Ioan. Brentius homil. 23. in cap. 3. Lucæ, & Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 96.

SED nullo negotio hæc sententia refelli potest. Nam etiamsi hanc vtilitatem cum aliis habent Sacramenta, vt admoneant homines bonorum operum, & virtutũ (nam certè negari nõ potest, quin mersio in Baptismo, & emersio, admoneat mortis, qua mori debemus peccato, & resurrectionis, qua resurgere debemus ad nouam vitam; cuius rei meminit etiam Apostolus, Rom. 6. & Eucharistia admonet pacis, & amicitiæ, quæ inter nos esse debet: *Sumus enim vnum corpus, qui de vno pane participamus*, 1. Cor. 10. tamen non est iste solus, nec præcipuus Sacramentorum vsus: proinde nec in eo posita est essentia, & natura Sacramenti.

ET probatur hoc iisdem argumentis, quibus aduersus Carolstadium vsi sumus. Primò, quia Scriptura dicit, Sacramenta instituta ad iustificandum. 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati estis.* Ephes. 5. *Mundãs eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Secundò, si solùm deberent esse allegoriæ, non erat opus, vt manarent ex latere Christi: sufficiebat enim humanum beneplacitum. Tertiò, quia non deerant aliæ vtiliores, & efficaciores admonitiones ad benè viuendũ, vt exhortationes, & exempla Christi, & Sanctorum. Adde quartò, quòd si ea sententia vera esset, sacramenta nõ essent signa nisi futurarum rerum. At sunt etiam signa rerum præteritarum, & præsentium; nam Eucharistia repræsentat Christi mortem, 1. Cor. 11. & Baptismus significat internam ablutionem, quæ tunc perficitur, cùm exterius baptizamur, iuxta illud Actor. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua.*

QVARTA definitio est aliorum, qui volunt, Sacramenta esse signa gratiæ, non quæ tunc percipiatur, sed quæ iam antea percepta fuerit. Hanc sine nomine auctoris referunt, & refellunt Zvvinglius in lib. de vera, & falsa religione, cap. de Sacramentis, & Kemnitius loco citato in Exam. pag. 96. Et facilè refutari potest; quia Scriptura disertis verbis docet, Sacramenta in præsenti gratiam adferre. Actor. 22. *Ablue peccata tua.*

QVINTA definitio est Zvvinglij, & sectatorum eius, excepto tamen Petro Martyre, vt suprà diximus. Zvvinglius igitur in lib. de vera, & falsa religione, cap. de Sacramentis, posteaquam refutauit sententiam Catholicorum, & Lutheranorum, aperit mentem suam, ac docet, Sacramenta nihil esse aliud, nisi initiationem quandam, & oppignerationem, qua videlicet homines se obligant Christo, & eius militiæ nomen dant. Ex quo deducit, Sacramenta non esse testimonia iustitiæ, propriè ei, qui Sacramenta suscipit, vt Lutherani dicebant; sed esse testimonia publica toti Ecclesiæ de obligatione, & fidelitate, quam ille debet Christo, cui se consecrauit. Eandem sententiam sequitur Martinus Bucerus in Commentario tertij capitis Matthæi, & in præfatione secundæ editionis eorundem commentariorum, vbi addit: *Quòd si ij, qui baptizantur, sunt prædestinati, tum sacramentum non solùm est signum, quòd illi dent nomen Christo, & recipiantur in externa Ecclesia, sed etiam adfert quandam consolationem; si verò non sunt prædestinati, tum sacramentum est nudum signum, quòd illi recipiantur in externa Ecclesia, non autem à Deo.* Vnde etiam deducit, infantibus non prædestinatis, nihil prodesse Baptismum, sed perire eos, licet sint baptizati.

HÆC sententia similis est superioribus; nam adfert quidem aliquid veri (neque enim negari potest, quin per Sacramenta initiemur, & nomen Christo demus, & publicè testemur, nos esse membra Ecclesiæ) sed in eo errat, quòd non agnoscit alium finem sublimiorem institutionis Sacramentorum: & proinde non rectè explicat naturam Sacramenti. Et probatur hoc, Primò ex sententia Zvvinglij: Christus nihil agit, sed solùm homo testatur se fore fidelem. At Ioan. 1. dicitur: *Hic est qui baptizat.* & Ephes. 5. *Mundans eam, &c.*

SECVNDO, quia Zvvinglius requirit, vt homines antequam Sacramenta recipiant, sint iustificati, & coniuncti Christo interiùs, & solùm per Sacramenta exteriùs testentur, & profiteantur se velle Christo militare, & Ecclesiæ externæ adiungi. At Scripturæ testantur Sacramenta esse instituta ad sanctificandum, & mundandum hominem interius. Id enim significat Apostolus, cùm ait, Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Ad quem locum respiciens S. Augustinus tract. 80. in Ioannem scripsit: *Vnde hæc tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Item Ioan. 3. & ad Titum 3. dicitur Baptismus lauacrum regenerationis, & renouationis. Ex quibus locis habemus, per Baptismum hominem renasci, quod ad interiorem hominem pertinet, & non solùm exteriùs testari se esse fidelem. Huc etiam pertinent Scripturæ citatæ contra alios errores, Act. 2. & 22. 1. Corinth. 6.

TERTIO probatur hoc idẽ. Nam Apostolus Rom. 6. apertissimè dicit: Baptismum significare mortem, & resurrectionem Christi: & 1. Cor 11. dicit Eucharistiam institutam in memoriam passionis Domini: Non igitur Sacramenta significant solùm hominem initiari Deo, vel coniungi cum Ecclesia.

CAPVT XVI.

Refellitur definitio Caluini.

POSTREMA definitio, ac sententia est Ioan. Caluini, qui lib. 4. Instit. c. 14. §. 1. his verbis dicit, simplicem, & propriam contineri definitionem Sacramenti: *Sacramentum, externum est symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quàm apud homines testamur.*

EST autem obseruandum, Caluini sententiam compositam videri ex Lutheri, & Zvvinglij sententiis. Nam quòd ait, symbolum obsignare promissiones ad sustinendam fidei imbecillitatem, ex Luthero sumptum est; quòd addit in fine eodem symbolo nos testari apud homines pietatem nostram erga Deum, ex Zvvinglio est acceptum: tamẽ reipsa plurimùm dissentit Caluinus ab vtroque. Nam etiamsi cum Zvvinglio agnoscit, Sacramento nos testari hominibus pietatem nostram; tamen negat hunc esse solum vel primarium vsum Sacramẽti, & acerrimè pugnat, cap. 14. à §. 5. vsque ad 14. pro sententia Lutheri, & soluit omnia argumenta, quæ Zvvinglius, & Bucerus faciunt contra Lutherum, tametsi neminem eorum nominat. Pari ratione, licet cum Luthero affirmet Sacramenta esse testimonia gratiæ, & remissionis peccatorum: tamen id longè aliter intelligit, quàm Lutherus. Hic enim semper loquitur de gratia, quæ tunc datur homini, cùm Sacramenta percipit: at Caluinus loquitur de gratia prædestinationis, ac proinde vult Sacramenta esse testimonia prædestinationis, ad eam fidem alendam instituta, qua homo certò credit se esse prædestinatum; ex quo sequitur id, quod Bucerus dicebat,

Sacramenta non esse vera signa, nec prodesse nisi prædestinatis.

FVNDAMENTVM autem huius rei est, quòd existimet Caluinus (vt ipse fusè tractat lib. 3. Instit. cap. 2.) veram fidẽ semel habitam, nunquam posse amitti: hinc enim sequitur veram fidem, sine qua Sacramenta nihil prosunt, esse propriam prædestinatorum, nec eam vllo modo haberi posse à non prædestinatis. Vnde in Antidoto Concilij, sess. 6. cap. 5. dicit, Baptismum dari infantibus, quia censentur iam mẽbra Ecclesiæ, cùm sint à Deo adoptati in filios, nimirum per gratiam prædestinationis: & ibidem sess. 7. can. 7. de Baptismo, dicit, Sacramentum reddere nos certos de perpetua adoptionis gratia: & clarissimè in lib. de consensione inter Tigurinos, Geneuẽses in re Sacramentaria, sic ait Caluinus: *Sedulò docemus, Deũ non promiscuè vim suã exercere in omnibus, qui Sacramẽta recipiunt; sed tantùm in electis. Nam quemadmodum nõ alios ad fidẽ illuminat, quàm quos præordinauit ad vitã: ita arcana spiritus sui virtute efficit, vt percipiant electi, quæ offerant sacramenta.*

HIS explicatis refellenda est hæc definitio: tota enim est vitiosa, vt perspicuũ erit, si percurramus singula verba. Primũ verbũ est: *symbolum externum.* Quod quidẽ verum est absolutè, non tamen in eo sensu, quo accipitur à Caluino. Ille enim intelligit esse nudũ symbolum, id est, symbolũ quod solùm significet, non autẽ operetur aliquid: nã in tota definitione nõ ponit alios effectus huius symboli, nisi obsignare Dei promissiones, & testificari pietatẽ nostrã. Neq; obstat, quod Caluinus dicat in Antidoto Concilij Trident. sess. 7. can. 5. Sacramenta esse instrumenta iustificationis; nã intelligit esse instrumenta, quia excitant, vel alunt fidem: idque non per aliquã efficientiam, sed merè obiectiuè. Id quod explicat clarissimè Theodorus Beza, in lib. de summa rei Sacramentariæ, q. 2. cùm ait: *Vnde efficacia illa sacramentorum? à spiritus sãcti operatione in solidũ, nõ autẽ à signis, nisi quatenus externis illis obiectis interiores sensus mouẽtur.* Hæc ille. Qua ratione certè signa etiã, quę in foribus publicorũ hospitiorũ pẽdẽt, instrumẽta dici possunt cœnationis, quia mouẽt hominẽ, vt cogitet in ea domo paratã esse mensam, &c.

AT Scripturæ passim docent, Sacramenta esse res quasdam operantes, nimirum quæ mundent, lauent, sanctificent, iustificent, regenerent, Ioan. 3. 1. Cor. 6. Ephes. 5. ad Titum 3. Act. 22. immò nusquam Scripturæ dicunt, Sacramẽta esse testimonia promissionum Dei, & nostræ pietatis; aut certè non tam expressè hoc dicũt, vt id quod nos asserimus, nimirum quòd sint causlæ iustificationis.

ALTERVM verbũ est, *benevolẽtiæ erga nos suæ.* Quod verbum duplici nomine nõ rectè ponitur in definitione sacramenti. Primò; Quia ex hoc verbo sequitur, semper sacramẽtum esse signum rei præteritæ, seu potiùs æternæ. Id quod ipse non potest negare, cùm per benevolẽtiam intelligat gratiam prædestinationis: & præterea id apertè concedit in Antidoto, sess. 6. cap. 5. *Nõ à Baptismo,* inquit, *initium habet eorum salus, sed quæ iam in verbo fundata erat, Baptismo obsignatur.* Et ibidem, *Nisi enim iam antè ad eos pertineret vitæ promissio, Baptismum profanaret, quisquis illis daret.* Itaque concedit ipse, sacramentum esse sigillum præteritę, immò æternæ Dei benevolentiæ. Neque hoc pugnat cum eo quod ipse dicit in Antidoto, sess. 7, can. 4. & 5. sacramenta esse instrumenta iustificationis. Nam vult quidem sacramẽta, quatenus fidem sustentant & alunt, confirmare, vel augere iustificationem; (fides enim est, quæ iustificat apud ipsos) tamen nõ vult Sacramentum esse sigillum huius iustificationis, quæ habetur per fidem, sed gratiæ prædestinationis, nec vult sacramentum adferre primam iustificationem, sed solùm augmentum, & cõfirmationem, vt clariùs ipse idem docet in paruo Catechismo. Prima enim iustificatio habetur per fidem conceptam ex concione præcedenti.

AT hoc totum repugnat apertissimis Scripturis, quæ tribuunt Sacramentis vim adferendi primam iustificationem. Quid enim aliud est regenerare, quod tribuitur Baptismo, Ioan. 3. & ad Tit. 3, quàm ex homine mortuo in peccatis, facere hominem vitum vita gratiæ? Sed de hoc infrà suo loco fusiùs.

DEINDE non rectè ponitur in definitione Sacramẽti illa promissio gratiæ prædestinationis, tum quia sæpe contingeret, Deum falsò testificari, tum quia nemo posset sine peccato alium baptizare. Nam Baptismum profanat, (vt Caluinus dicit in Antidoto, sess. 6. cap. 5.) qui illum confert ei, ad quem non pertinet promissio: nam cogit Deum testificari falsum, nimirum se eum diligere, quem reuera non diligit. At nemo potest certus esse de alio, sitné prædestinatus, an non: ergo vel neminem debet vllus baptizare: vel temerè, & infideliter agit, cùm se periculo exponat profanandi Baptismum.

AD Hoc argumentum responderet Bucerus, ministros non habere intentionem baptizandi, nisi prædestinatos: sic enim ipse dicit in præfatione commẽtariorum in Matthæum.

AT hoc non satisfacit. Nam imprimis hoc excusat ministrum, sed non Deum, nisi fortè etiam Deus aliquãdo baptizet sine intentione baptizandi, quod est ridiculum. Deinde sententia Lutheranorum, & Caluinistarum omnium, Sacramenta non pendent ab intentione ministri. Scribit enim Lutherus in lib. de captiuitate Babylonica, de Baptismo; Baptismum esse verum, & ratũ, etiãsi minister intendat non baptizare, sed ludere. Nec dissentit Caluinus in Antidoto Concilij, sess. 7. can. 11.

CALVINVS aliter respondet, lib. 4. Instit. cap. 15. §. 16. & 17. Deum videlicet ex parte sua verè offerre promissionem, & sigillum promissionis omnibus, qui baptizantur, siue illi recipiant, siue non: proinde Deum semper esse veracem. Nec ministros etiam peccare diceret, si Baptismum conferant iis, qui profitentur se credere, si adulti sint, vel qui filij sint fidelium parentum, si sint infantes: nam filios fidelium, sanctos nasci credit Caluinus, ex illa promissione Dei, Genes. 17 *Ero Deus tuus, & seminis tui.* Ratio autem, cur non peccent ministri, est, quia habent probabilem rationem, vnde colligant illos, quos baptizant, esse prædestinatos & sanctos.

SED hæc solutio non satisfacit. Nam inprimis, si quis Baptismum præbeat ei, ad quem scit non pertinere diuinas promissiones, profanat Baptismum, vt ipse Caluinus dicit, quia falsum testificatur: cur non profanat Deus ipse Baptismum, & falsum testificatur, cùm illum præbet ei, quem scit se non prædestinasse? Non enim aliud agit hìc Deus, aliud minister, sed vnũ est, quod agunt: Deus enim per ministrum agit, vt patet Ioan. 1. *Hic qui baptizat in Spiritu sancto.*

PRÆTEREA Sacramentum non solùm offert, sed etiam præbet testimonium beneuolentiæ: sic enim idem Caluinus ait in Catechismo paruo: *Sacramentum est diuinæ erga nos beneuolentiæ testificatio.* Præbet igitur Deus sigillum beneuolentiæ ei, qui baptizatur, etiamsi ipse nõ credat. Nam sine fide non percipitur quidem fructus, & res Sacramenti, tamen percipitur verum Sacramentum, vt Caluinus etiam docet, lib. 4. Instit. cap. 15. §. 16. vbi cõtra Anabaptistas agnoscit verum Sacramentum dari, & suscipi apud Catholicos, vbi non putat ipse vllam esse veram fidem. Si igitur Deus reuera præbet sigillum, & testimonium beneuolentiæ ei, quem non diligit, quomodo non mentitur, & Sacramentum profanat?

PRÆTEREA, quòd minister peccet, probatur. Nam etiam si habeat probabilem rationem credendi, eum qui profitetur fidem, esse prædestinatum, tamen non habet certitudinem. Potest enim fieri, vt ille mentiatur se credere; potest etiam fieri (vt Caluinus fatetur, lib. 3. Instit. cap. 2. §. 10.) vt putet se credere, & tamen reuera non

credat. At ad testificandum nomine Dei aliquid, requiritur verissima certitudo, nec sufficit probabilis opinio: vt patet in simili de iuramento; non enim licet iuramento, id est, Dei testimonio vti in re quam opinamur veram, sed solùm in re, quam certissimi sumus esse veram. Immò longè maior adhuc requiri deberet certitudo in Sacramento secundum aduersarios, quàm in iuramento nostro: nam Sacramentum est, quasi iuramentum Dei. Differt autem iuramentum Dei à nostro, quòd cùm homo iurat, ipse est, qui asserit aliquid, licet Deum in testem aduocet. Vnde potest esse falsum iuramentum nostrum, sine vlla Dei iniuria; vt si quis iuret, quòd putat se certò scire, & tamen re ipsa decipiatur: tunc enim Deus non dat testimonium, nec ille peccat, qui Deum in testem falsitatis citauit, quia credebat omninò se esse certum; vt si fortè vidit vnum ab alio occidi, qui erat simillimus alteri, quem ipse nunquam viderat. At in Sacramentis secundum aduersarios, Deus ipse affirmat, & quodammodò iurat illum, qui Sacramẽtum suscipit, esse electum, & iustum. Deus autem non potest vllo errore decipi. Ergo grauissimè peccat, qui Sacramentum confert ei, quem non certò scit esse iustum, & electum, quia cogit Deum mentiri.

A

Præterea etiamsi minister certò sciret eum, qui profitetur fidẽ, vel est filius hominis fidelis, esse iustum, & electum; tamen quid faciet si offeratur illi baptizandus infans, qui sit filius Turcæ, aut Iudæi, & parẽtes eius, licet infideles, libenter patiãtur eum baptizari, & manere apud Christianos? Nam si eum baptizet, profanat Baptismum, cùm nullum habeat signum, quo intelligat illum esse prædestinatum: si verò non baptizet, facit contra vsum totius Ecclesiæ.

Sed obiiciet fortassis aliquis pro Caluino, in iisdem angustiis versari Catholicos, cùm etiam ipsi Sacramenta præbeant iis, quos nesciunt an sint dispositi, & tamen affirment, esse signa gratiæ diuinitus instituta.

Respondeo: Nullas patiũtur Catholici angustias. Ipsi enim dicunt, Sacramenta esse causas gratiæ efficaces, nisi ponatur obex: & simul significare eiusdem gratiæ infusionem, quantum est ex parte ipsius Sacramenti: denique esse eadem Sacramenta signa eius effectus, quem facit gratia, vbicunque adest. Vt enim abluit corpus aqua Baptismi; ita abluit animam gratia Saluatoris: quod quidem perpetuum, & infallibile est neque à dispositione pender. Dispositio enim iuuat, vt gratiam quis recipiat, sed quòd gratia, vbicunque est, abluat sordes animæ, si quas inueniat, intrinsecum est illi, & inseparabile.

C

Tertium verbum in definitione Caluini erat, *promissiones*. Et quidem de promissione remissionis peccatorum disseruimus in refutatione definitionis Lutheranorum, sed Caluinus loquitur de promissione beneuolentiæ prædestinationis, quæ longè facilius refutari potest. Nam nulla extat eiusmodi promissio in tota Scriptura: omnes enim promissiones includunt cõditionem aliquam, vt fidei, aut pœnitentiæ, aut alterius virtutis, & in his omnibus conditionem perseuerantiæ. Nam, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, Matth. 24. Nemo autem est, qui sine speciali reuelatione sibi promittere possit perseuerantiam.

D

Atque hinc refutari possunt omnia planè testimonia quæ illi adferunt. Primarium est illud, Genes. 17. *Ego ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Sed hoc etiam requirit cõditionem fidei; & perseuerantiæ: nam, *Semen Abrahæ* (vt exponit Apostolus, Roman. 4. & 9. *non sunt filij carnis, sed fidei*, id est, qui imitãtur Abrahamum in fide, illi sunt eius semen, cum quo intercedit pactum Dei. Et certè, vt quis incipit esse semẽ Abrahæ, cùm incipit credere, ita desinit esse, si desinat credere. Quis autẽ certò sibi potest persuadere, se nunquam à fide discessurum? præsertim cùm & fides, & perseuerantia in fide, dona Dei sint.

Quartvm verbum est, *Conscientiis nostris*, cum quo verbo iungi potest illud aliud, *ad sustinendam fidei imbecillitatem*. Hæc verba non rectè poni in definitione Sacramenti, testatur Baptismus paruulorum, qui est verissimũ Sacramentum, etiam apud Caluinum, & tamẽ in paruulis non est conscientia, nec actualis fides, ad quam sustẽtandam sit necessarium Sacramentum. Et sanè si promissio est veluti diploma, & Sacramentum veluti sigillum, conscientia erit veluti charta, vel cera: quomodo igitur, vbi nulla est charta, diploma scribi poterit, vel obsignari? Porrò, quod Lutherani dicunt, paruulos actu credere, dum baptizantur, iam est suprà refutatum, neque id Caluinus affirmare audet, tametsi nec reiicere voluerit, vt patet ex libro 4. Institutionum, cap. 16. §. 19.

B

Respondet igitur Caluinus, Baptismum paruulorum operari in conscientiis paruulorum, cùm primum illi vsum rationis habere incipiunt, etiamsi antea collatus fuerit: recordantur enim postea Baptismi accepti, & eo signo nutriunt, & sustentant fidem suam, libro 4. cap. 16. §. 20. & 21. Quod etiam dicit de illis, qui apud Catholicos baptizati sunt, & postea fiunt Caluinistæ, libro quarto, cap. 15. §. 17. At saltem rectè probamus, non rectè facere Caluinistas, quòd baptizent infantes: nam longè vtilius esset, eos baptizare adultos, quando fidei sunt capaces. Baptismi enim, quem in infantia accipimus, nullam habemus notitiam, nisi ex narratione aliorum: proinde nec certitudinem habemus, nisi fidei humanæ, quæ fallere potest. Deinde etiamsi certissimi essemus, tamen magis mouent res visæ, quàm auditæ; quare melius esset ad fidem alendam, baptizari adultum, quàm infantem. Sed alere fidem est primarius finis, & vsus Baptismi, vt ex definitione patet; malè igitur illi baptizant infantes.

Nec possunt respondere, baptizari infantes, ne fortè pereant antequam adolescant, & eo modo decedant sine gratia Dei: nam Caluinus in Antidoto, sess. 6. cap. 5. & alibi, docet, paruulos prædestinatos etiam sine Baptismo saluari, non prædestinatos autem, etiam cum Baptismo perire.

Nihil igitur dicere potest, nisi baptizari infantes ea solùm de caussa, vt admittantur in externa Ecclesia, seu profiteantur se esse membra Ecclesiæ externæ. At hoc etiam non soluit argumentum. Nam ex sententia Caluini lib. 4. Instit. cap. 14. §. 5. & sequẽtibus, finis principalis Sacramentorum est, obsignare promissiones ad alendam fidem; finis minùs principalis est, profiteri se esse membrum Ecclesiæ externæ. Non autem debet finis minùs principalis impedire finem magis principalem; nõ igitur debent infantes baptizari apud Caluinistas; siquidem apud eos in Baptismo infantium ob finem minùs principalem, impeditur finis magis principalis.

Qvintvm verbum est, *Obsignat*, de quo verbo multa diximus in refutatione sententiæ Lutheri, vt etiam de reliquis verbis suprà diximus in refutatione sententiæ Zuuinglij. Supereſt igitur vt argumenta eorum refellamus.

CAPVT XVII.

Refelluntur argumenta aduersariorum.

Argvmenta, quibus cùm Lutherani, tum Caluinistæ vtuntur, vt probent Sacramenta esse sigilla promissionum, hæc sunt. Primo loco adfert Caluinus lib. 4. cap. 14. Instit. §. 5. verba Apostoli ad Roma. 4. vbi Circũcisionẽ vocat σφραγῖδα, id est, sigillũ eius pacti, cuius fide iã antea Abrahã fuerat iustificatus.

Respondeo primò, Quæ de sola Circuncisione dicuntur, non possunt trahi rectè ad omnia Sacramenta. Rectè enim argumentamur à genere ad speciem, non contrà.

Secvndò: Apostolus nullam facit mẽtionem promissionis, aut pacti, cùm loquitur de sigillo Circũcisionis:

vocat

vocat enim eam sigillum iustitiæ fidei, non sigillum promissionis, & pacti. Vocatur autem sigillum iustitiæ fidei, vel quia (vt Origenes in hunc locum scribit) Circuncisio obsignabat, & claudebat iustitiam fidei, quæ suo tempore patefacienda erat; id est, sub figura, & typo Circuncisionis illius carnalis occultè significabatur, & proinde velabatur Circuncisio cordis, quæ est vera iustificatio, quam Christus allaturus erat: vel, (vt Chrysostomus, & Theophylactus, & alij docent) vocatur sigillum iustitiæ fidei, quia fuit data Abrahamo in signũ, & testimonium iustitiæ, quam sibi acquisierat per fidem.

A

Tertiò dico, Fuisse hoc priuilegium solius Abrahæ, & non posse transferri ad alios, quasi Circuncisio (vt hæretici volunt) in quocunque esset, testificatio esset iustitiæ illius. Nam priuilegium Abrahæ fuit, vt ipse esset pater omnium fidelium, tam præputiatorum, quàm circuncisorum. Et quia iam erat pater præputiatorum fidelium, quia fidem habuerat adhuc præputiatus existens, vt patet Genes. 12. & ex hoc loco Pauli: *Accepit ipse primus omnium signum Circuncisionis, vt hoc modo esset etiam pater omnium circuncisorum.* Quia verò hoc priuilegium habuit merito iustitiæ, quam acquisierat per fidem, ideò fuit illi signum Circuncisionis sigillum iustitiæ fidei. Porrò, cæteris Iudæis Circuncisio est quidem signum quoddam, nimirum quòd sint filij Abrahæ, sed non est illis sigillum iustitiæ fidei, sicut non sunt omnes Iudæi patres multarum gentium.

Hæc esse vera, patet Primò; Quia Paulus hæc duo coniungit, cùm ait: *Accepit signum Circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, vt sit pater omnium credentium.* Non igitur habent signaculum iustitiæ fidei omnes circuncisi, cùm non omnes sint patres omnium fidelium.

Secvndò; Quia Paulus distinguit signum à signaculo, seu sigillo. Nam cùm ait: *Accepit signum Circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei*; pro signo, in græco est σημεῖον, quod signum, in genere significat; pro signaculo est σφραγὶς, quod propriè sigillum exprimit. Cur autem distinxit hæc vocabula, nisi vt indicaret Circuncisionem semper, & omnibus esse signum quoddam: non tamen omnibus, sed soli Abrahæ fuisse sigillum iustitiæ.

B

Tertiò; Scriptura, cùm sæpissimè loquatur de Circuncisione, nusquam tamẽ vocat sigillum, nisi hoc loco, vbi de Abrahamo agitur: quod est argumentum manifestum, soli Abrahamo fuisse Circuncisionem sigillum. Ac certè, cap. 3. ad Romanos, cùm Paulus quæreret: *Quæ vtilitas Circuncisionis?* & responderet: *Multum per omnem modum*; debuisset secundum aduersarios primo loco ponere hanc primariam vtilitatem, quòd sit sigillum diuinę promissionis: at huius ne meminit quidem.

Secvndvm argumentum Caluinus, ibidem §. 6. sumit ex Genes. 9. vbi arcus cœlestis dicitur signum fœderis inter Deum, & Noë; & ex cap. 17. vbi Circuncisio dicitur signum fœderis inter Deum, & Abraham, posteróque illius. Si enim Iris, & Circuncisio sigilla fuerunt confirmantia pactum, ac promissionem Dei, cur non idẽ de Baptismo, & Eucharistia dici possit. Et confirmat argumentum, quia inter homines quoque id vsitatum est, vt pacta sanciantur signo externo, vt porca cæsa, vel contactu dexteræ, quæ signa nihil essent, nisi præcederent verba pacti.

D

Respondeo; Iris, & Circuncisio signa fœderis erant, sed ad memoriam iuuandam, non ad fidem confirmandam: quemadmodum nos etiam suprà docuimus, Baptismum, & Eucharistiam esse signa commemoratiua passionis, & mortis Domini. Multùm autem interest, inter signum commemoratiuum & confirmatiuum. Nam signum commemoratiuum esse potest id, quod oculis obiicitur, etiamsi tota eius efficacia pendeat à promissione; at signum confirmatiuum non potest esse, si omninò pendeat à promissione. Fuisse autem signa commemoratiua tantùm, Iridem, & Circuncisionem, patet. Nam ita pendebant à verbo Dei, vt si quis non crederet verbo Dei, aut non crederet illud esse verbum Dei; non etiã crederet illa esse signa; & contrà, si quis crederet verbo, non egeret illis signis.

A

Addè quòd sanctus Ioannes Chrysostomus ita exposuit hæc loca: sic enim ait de Circuncisione, homilia 39. in Genesim: *Dato*, inquit, *eis perpetuo memoriali iniecit cum eis Circuncisionis signum.* Et infrà dicit, signum Circuncisionis non esse datum à Deo, vt homines ei crederent, sed fuisse postulatũ à Deo ab hominibus, quia Deus non credebat hominibus: *Quando*, inquit, *non habemus aliquibus fidem, curamus, vt ab ipsis signum, pignoris loco accipiamus: similiter & omnium Dominus sciens mentium inconstantiam, hoc ab eis signum petere voluit.* Hæc ille. Porrò de signo Iridis homilia vigesima octaua, in Genesim, sic loquitur: *Quid dicis*, inquit, *ô beate Prophetа? Recordabor*, inquit, *Testamenti mei, id est, pacti mei, promissionis, pollicitationis: nõ quia ipse opus habeat recordatione, sed vt nos ad illud signum respicientes, nihil durum suspicemur, sed statim recordemur diuinæ promissionis, & roboremur, & cõfidamus.*

B

Sed obiicies eundem Chrysostomum ibidem, qui sic ait: *Si sermo meus non sufficit, ecce & signum do, &c.* vbi videtur velle Iridem fuisse signum confirmatiuum. Sed hæc obiectio paulò pòst diluetur.

Ad confirmationem ex humana consuetudine Respõdeo, multùm interesse inter pacta Dei, & hominum. Nam ab homine, quia non videmus eius animum, & timemus, ne fortè nos decipiat, aut obliuiscatur pacti, quærimus signum externum, vt eo illum conuincamus, si negauerit, aut oblitus fuerit: at Deum non posse fallere, vel obliuisci, certissimi sumus.

Tertivm argumentum sumit Lutherus in libro de Babylonica captiuitate, capite de Baptismo, ex signis mirabilibus, quibus Deus confirmare solitus est promissiones suas: quale fuit signum in rore, & vellere datum Gedeoni, Iudicum sexto: & in vmbra horologij retrocedente datum Ezechiæ 3. Regum 20.

C

Sed hæc & similia non sunt ad rem. Nam miracula, quia non pendent à verbo, sed ex se vim habent, cùm sint opera supra naturam; ideò rectè adhibentur ad probandum, Deum esse, qui promisit, vel Deum reuera aliquid promisisse: Sacramẽta verò nullam vim habent (vt suprà diximus) sine verbo. Atque hinc intelligimus, cur Chrysostomus putauerit Iridem esse signum, nõ tantùm memoriale, sed etiam confirmatiuum. Existimauit enim ipse Iridem rem esse nouo miraculo institutam; sic enim ait: *Etsi aquarum magna sit inundantia; neque sit metuendũ, sed confidendum nobis ad miraculum respicientibus.* Hęc ille. Quia tamen probabilius est, Iridem rem esse naturalem, ideò diximus, signum fuisse tantùm memoriale.

Qvartvm argumentum sumunt Lutherani ex illis verbis prioris epistolæ Petri cap. 3. *Quos & vos similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Lutherus enim in commentario huius loci, Græcam vocem ἐπερώτημα, quã noster interpres vertit interrogationem, vult significare pactum, & hoc modo exponit: *Baptismus saluos nos facit, non quatenus lauat corpus, sed quatenus obsignat pactũ, quod habet anima cũ Deo, dũ fide accipit promissiones eius.* Ex quo sequitur, Baptismũ esse sigillum promissionis. Eodẽ ferè modo exponit Caluinus, licet vocem ἐπερώτημα nõ pactũ, sed responsionem, & testimonium significare velit.

D

Respondeo, Locus hic præsens admodùm obscurus est, tamen nihil iuuat caussam aduersariorum. Oecumenius in commentario huius loci, per interrogationem videtur intelligere pignus, & arrhabonem. Dicit enim Baptisma esse quasi pignus bonæ cõscientiæ, id est, qui Deo inspirante conceperunt bonum desiderium, illi vitam immaculatam sectantur, eámque vbique exqui-

runt,

runt,& de ea interrogant: vnde cùm audierint per Baptiſmum mundari animas, mox accurrunt ad Baptiſmum,vt purgentur ſordes ipſorum,atque hac ratione eſt Baptiſma pignus bonæ conſcientiæ.

HÆC expoſitio non fauet hæreticis,vt patet;tamen non videtur ad mentem S.Petri. Nam S.Petrus longè amplius tribuit Baptiſmo,quàm vt ſit pignus bonæ conſcientiæ,cùm ait,per Baptiſmum nos ſaluari.

EST alia expoſitio Lyrani,Gagnæi,& Ioānis à Louanio,qui per interrogationē bonæ cōſcientiæ,intelligunt interrogationes,& reſponſiones,quæ fiunt ante Baptiſmum.Interrogat enim ſacerdos catechumenum;Credis in Deum?& reſpondet,Credo. Abrenuncias Satanæ,& pompis eius? Abrenuncio,&c. Qui enim bona conſcientia reſpondent his interrogationibus,illis prodeſt Baptiſmus,aliis non prodeſt.

HÆC etiam non fauet hæreticis,ſed non videtur literalis,nec eſt Ambroſij,Baſilij,& Auguſtini,vt putauit Ioannes à Louanio;nam beatus Petrus antitheſim facit, cùm ait: *Non carnis depoſitio ſordium,ſed conſcientiæ bonæ interrogatio.* Et ſine dubio formalis antitheſis hæc erat futura;Non ablutio ſordium carnis,ſed ablutio ſordium mentis:qua antitheſi diſtinguitur Baptiſmus noſter à Baptiſmo Iudæorum, qui erat exterior tantùm. Porrò illa pars huius antitheſis(nimirum,ablutio ſordium mentis) à beato Petro non eſt expreſſa propriis verbis,ſed figuratis,vt omnes concedunt.Oportet igitur deſcriptā eſſe per cauſſam,vel per effectum: ſi per effectum,tunc non habet locum expoſitio iſtorum. Nam interrogatio illa, & reſponſio,de qua ipſi agunt,ſiue etiam fides, & charitas, quæ per illas interrogationes, & reſponſiones deteguntur,præcedunt Baptiſmum,& proinde ablutionem mentis,quam facit Baptiſmus:non igitur ſunt effectus illius ablutionis. Ergo neceſſe eſt vt dicant, illam ablutionem deſcribi per cauſſam,ac proinde interrogationem illam,quæ præcedit Baptiſmum,eſſe cauſſam illius ablutionis.At hoc dici non poteſt.Nam tunc Sacramentum haberet efficaciam ex opere operantis,non ex opere operato;tribueretur enim iuſtificatio præcedenti fidei,& dilectioni ſuſcipientis Baptiſmum,non ipſi ablutioni Sacramentali:nec eſſet differentia inter Baptiſmum noſtrum,& Iudaicum;nam Baptiſmus Iudaicus,licet ex opere operato non iuſtificaret,tamen ex fide,& dilectione ſuſcipientis iuſtificare poterat,vt quodlibet opus meritorium.

DICENT fortaſſe,interrogationem,ſeu fidem præcedentem non eſſe, cauſſam efficientem ablutionis internæ,ſed eſſe diſpoſitionem.At iſtud quidem rectè dicitur,ſed non quadrat verbis Apoſtoli,ipſe enim tribuit efficientiam huic interrogationi bonæ conſcientiæ maiorem,quàm ipſi ablutioni externæ,quæ tamen inſtrumentum eſt iuſtificationis.

EST igitur alia expoſitio,quam puto eſſe Sanctorum,Auguſtini tract. 80. in Ioan.& ſerm. 30. de verbis Domini,& Baſilij libro de Spiritu ſancto,cap.15.vt videlicet exprimatur à ſancto Petro ablutio mentis,quæ per antitheſim opponitur ablutioni carnis,non per cauſſam, vt volebat præcedens opinio,ſed per effectum.Eſt enim vſitatiſſima figura metonymia,quia per effectum intelligimus cauſſam. Vocat igitur Petrus ablutionem internam,interrogationem,ſeu reſpōſionem bonæ conſcientiæ in Deum,quia ex illa munditia oritur pax,& quies conſcientiæ, & proinde reſponſio bonæ conſcientiæ,& etiam interrogatio apud Deum,quia audet cum fiducia Deum accedere,& interrogare,id eſt,cum eo colloqui, eúmque rogare pro ſe, & pro aliis.

ADDO ſecundò,locum hunc non fauere aduerſariis, ſed nobis,etiamſi per ἐπερώτημα accipiatur teſtimonium, vel pactum. Nam in primis ſanctus Petrus non loquitur de teſtimonio,vel pacto Dei,ſed conſcientiæ noſtræ:ipſi autem probare deberent,Sacramentum eſſe ſigillum teſtimonij, ſeu pacti Dei. Multùm autem intereſt inter teſtimonium ſeu pactum Dei, quod illi obſignari volunt Sacramento, & teſtimonium ſeu pactum conſcientiæ noſtræ. Illud enim eſt verbum Dei ſcriptum,quod præcedit Sacramenti vſum, & fructum,id eſt,iuſtificationē: teſtimonium autem conſciētiæ ſequitur iuſtificationem, & proinde ſacramenti vſum,& fructum.

SECVNDÒ,Sanctus Petrus non dicit,Baptiſmo obſignari pactum, ſeu teſtimonium: ſed dicit, ſaluari animas,& effici iuſtificationem, ex qua oritur teſtimonium bonæ conſcientiæ.Id quod probatur ex illo verbo,*ſimilis formæ*. Vult enim Apoſtolus eo modo nos ſaluari per aquas Baptiſmi, quomodo per aquas diluuij ſaluati ſunt, qui erant in arca Noë. Porrò aquæ diluuij non ſaluarūt arcam Noë, teſtificando, vel obſignando promiſſiones, ſed reipſa eleuando arcam in ſublime, ne obrueretur cū cæteris ædificiis huius mundi:ſic igitur & Baptiſmus ſaluos nos facit,non obſignando, & teſtificando,ſed reipſa iuſtificando animam:vnde ſequitur,vt diximus,teſtimonium,ſiue interrogatio conſcientiæ bonæ in Deum.

QVINTVM argumentum eſſe poſſet pro aduerſariis,teſtimonium ſanctorum Patrum,qui non rarò ſacramenta vocant ſigilla,ſeu ſignacula.

RESPONDEO,Longè alia ſignificatione loquuntur Patres de ſignaculis.Sacramentorum,quàm hæretici faciant. Patres enim nunquam Sacramenta vocant ſignacula,vel ſigilla promiſſionum Dei,vt hæretici volunt;ſed aliquo horum trium modorum loquuntur de ſignaculis.

PRIMO ſignacula vocant Sacraméta, quia obſignant fideles,& tanquam nota quædam eos ſeparant ab iis,qui non ſunt de grege, vel de exercitu Domini. Ita accipit hanc vocem Baſilius in exhortatione ad Baptiſmum: itē Hieronymus in cap. 4. ad Epheſ. & Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum, cap.11.& alibi paſſim. Ita quoque accipit Gregorius Nazianzenus, oratione de Baptiſmo, non procul ab initio, vbi dicit, Baptiſmum vocari poſſe ſigillum,quia ita conſeruat hominem baptizatum,vt notæ regiæ conſeruant res obſignatas.Nemo enim audet contingere eas,quæ magni alicuius Regis ſigillum habent.

SECVNDO vocant Sacraméta ſignacula,quia claudunt intra ſe rem ſacram, id eſt, inuiſibilem gratiam. Id enim quod clauditur, obſignari ſolet,iuxta illud Apocalypſis 5.*Liber ſignatus ſigillis ſeptem.* Atque hac ſignificatione vocat Auguſtinus Sacramenta ſacra ſignacula in libro de catechizandis rudibus,capitu. 26.& Scholaſtici, ſigillum Confeſſionis. Hoc etiam ferè modo Gregorius Nazianzenus,oratione de Baptiſmo, prope finem,vocat ſigillum Baptiſma, eò quòd obſignet, & claudat multa myſteria,quæ ſolis fidelibus deteguntur:*Cætera,* inquit, *intus addiſces, quæ etiam ipſa apud te ipſum occulta, clauſáque habebis,Baptiſmo obſignata,atque retenta.*

TERTIO vocant Baptiſmum ſigillum, vel obſignationem fidei, quia Baptiſmus eſt publica approbatio, & teſtificatio fidei eius,qui Baptizatur. Sic enim vtitur hac voce Tertullianus in libro de Pœnitentia,vbi dicit,catechumenos diu probari an credant, & tandem vbi conſtiterit, eos verè, & conſtanter credere, Baptiſmum illis dari in obſignationem,& approbationem fidei. Quomodo etiam vtitur eadem voce Baſilius in 3. libro cōtra Eunomium,vbi dicit,primùm oportere credere,& tum demum accipere ſigillum fidei Baptiſmum. In libro quoque de Spiritu ſancto,cap.12. vocat Baptiſmum ſigillum fidei, quia is qui baptizatur eo ſigno teſtificatur ſe credere.

DENIQVE vocari poteſt etiam Baptiſmus ſigillum fidei, quia perficit, & abſoluit quodammodò hominem fidelem: quomodo veteres vocabant mortem, ſeu occiſionem pro Chriſto, ſignaculum martyrij, vt Euſebius refert lib.5.hiſtoriæ,cap.3.Confeſſio enim Martyrum,&

ſupplicia pro Chriſto non habent perfectam laudem,dū periculū eſt inconſtantiæ,& murationis,ſed tunc demùm perfecta, & quaſi ſigillo quodam munita, & obſignata cenſentur,quando morte preciosa conſummantur.Atque hactenus de definitione.

CONTROVERSIA TERTIA.

De cauſſis Sacramenti.

CAPVT XVIII.

Sacramenta componi rebus & verbis,vt materia & forma.

DE cauſſis Sacramenti diſputaturus,Primùm de intrinſecis cauſſis dicam.Deinde de extrinſecis. Ac de intrinſecis tres erunt quæſtiones. Prima, An Sacramenta conſtent ex rebus,vt materia,& verbis, vt forma.Secunda,Quæ ſint illæ res,& illa verba. Tertia; An res illæ, & verba ita determinata ſint, vt nihil in eis mutari poſſit.

PRIMA queſtio,Vtrum Sacramenta conſtent rebus, & verbis,tanquam materia, & forma, etſi ſolùm inter Catholicos diſputatur, non tam ob diſcordiam eorum, quàm vt res explicetur:eſt tamen quæſtio vtiliſſima, vel etiam neceſſaria propter calumnias hæreticorum,qui ex hoc dogmate Catholicorum,quo requirimus res, & verba in Sacramentis, conantur oſtendere, multa non eſſe Sacramenta ex his, quæ nos habemus pro Sacramentis. Sunt igitur variæ Doctorum ſententiæ.

PRIMA eſt quorundam recentiorum,qui volunt propriè in Sacramentis materiam, & formam non eſſe res & verba,ſed rem ſenſibilem eſſe materiam,ſiue ſit res,ſiue verbum,ſiue vtrumque, ſignificationem autem eſſe formam.Quòd verò communiter dicitur,rem in Sacramento eſſe materiam,verbum eſſe formam,volunt explicandum eſſe de Sacramento materialiter ſumpto. Ita docet Dominicus à Soto in 4.diſt.1.q.1.art.1.& 2.quod idem videtur dicere Caietanus in 3.part.q.60. artic.6. niſi quòd Caietanus affirmat, ſignificationem Sacramenti eſſe vnā & ſimplicem, reſultantem ex compoſito ſenſibili ex rebus,& verbis,quod Sotus non dicit.

ALTERA ſententia eſt aliorum, qui docent, Sacramentum ipſum, & non ſolùm eius partem materialem, conſtare ex rebus vt materia,& verbis vt forma.Ita ſanctus Thomas 3.part.q.60.art.6.ad ſecundum,& veteres Theologi communiter.

RVRSVS quidam exiſtimant,non omnia Sacramenta conſtare rebus,& verbis,ſed ſolùm quædam. Ita Durandus in 4.q.3.& Adrianus q.2.de Baptiſmo.

ALII docent omnia Sacramenta nouæ legis, conſtare rebus, & verbis. Ita Alexander Alenſis 4.parte ſummæ, q.8.memb. 3.art. 1. & 3.& Theologi communiter in 4. diſt.1.vel 3.

ALII denique volunt omnia Sacramenta conſtare rebus & verbis, ſi res & verba accipiantur largo modo pro iis ſignis, quæ aut ſunt veræ res, & vera verba, aut certè vicem eorum gerunt:ſi verò accipiantur in rigore, non conſtare omnia Sacramenta rebus & verbis.Ita docet Dominicus à Soto in 4.diſt.1.q.1.art.6.& alij quidam recentiores.Sed iſtæ opiniones magna ex parte conciliari poſſunt.

SIT igitur prima propoſitio.*Sacramenta veteris legis probabile eſt nō habuiſſe res & verba,ſed ſolas res.* Hæc eſt S.Thomæ 3.parte,q.60.art.6.ad vltimum.Ratio eſt,quia in Scriptura veteri,vbi præſcribuntur præcipui ritus Sacramentorum,nulla fit mentio verborum,vt patet Gen. 17. vbi præſcribitur ritus Circunciſionis. Exod. 12. vbi præſcribitur ritus Agni Paſchalis: Leuitic.8.vbi præſcribitur ritus Ordinationis. Præterea ratio poſtulare videbatur,vt Sacramenta noua ab ipſo Chriſto inſtituta, ſigna eſſent clariora, quàm vetera,quæ Moſes,vt Dei miniſter inſtituit.

POSSET Obiici, quòd Leuit.4. vbi præſcribuntur ſacrificia pro peccato (quæ erant etiam Sacramenta Teſtamenti veteris,ac reſpondebant Sacramēto noſtro Pœnitentiæ,vt D.Thomas docet,1.2.q.102.art.1.) præſcribitur etiam,vt oret ſacerdos pro iis,quorum eſt Sacrificiū. Sed reſpondetur, orationem illam ſacerdotis non fuiſſe de eſſentia Sacrificij pro peccato,ſed ſolùm addi debuiſſe in vſu, ſeu adminiſtratione Sacramenti illius ad faciliùs impetrādum.Id quod ex eo colligitur,quòd,vt ibidem habemus in ſacrificio pro peccato ſacerdotis nulla oratio adhibebatur,ſed ſolùm in Sacrificio pro peccato aliorum de populo. Illud autem quod habetur Num.5. de verbis præſcriptis in cæremonia Zelotypiæ,non eſt ad rem.Illa enim cæremonia non erat Sacramentum, cùm non eſſet inſtituta ad ſanctificandum, ſed ad inueſtigandum,& puniendum adulterium.

SECVNDA propoſitio: *In Sacramentis omnibus nouæ legis inueniuntur res,vt materia, & verba,vt forma.* Hæc propoſitio ſaltem quoad modum loquendi, negari non debet. Habetur enim expreſsè in Concilio Florentino, in inſtructione Armenorum quæ facta eſt,ipſo approbāte Concilio, vt ibidem legimus. Praterea habemus in Scripturis, expreſsè res & verba in quatuor Sacramentis,nimirum in Baptiſmo Mat.28.*Baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti.* In Euchariſtia Matt. 26.vbi ponitur panis,& verbum,*Hoc eſt corpus meum.*In Confirmatione Act. 8. vbi ponitur manus impoſitio, & oratio,quæ verbis fit. In extrema vnctione,Iacobi 5.vbi ponitur vnctio,& oratio. Credibile igitur eſt alia etiam ſacramenta conſtare rebus & verbis,licet non habeantur ita expreſsè in ſcripturis. Item eſt communis ſententia veterum Theologorum, vno Durando, vel aliis paucis exceptis,quorum loquendi modus corrigendus eſt,licet in re non multùm diſcrepent à cæteris.

TERTIA propoſitio.*Non ſolùm quod eſt materiale in Sacramento, ſed ipſum totum Sacramentum rectè dicitur conſtare ex rebus,vt materia:& verbis vt forma.*Hæc eſt aliquo modo contra Caietanum,& Sotum:quamuis quod ipſi dicunt,etiam aliquo modo ſit verum.

NOTANDVM igitur,Sacramentum propriè non eſſe compoſitum aliquod Phyſicum,neque artificioſum, ſed cum vtroque habere ſimilitudinem quādam. Et quidem ſi conferatur cum compoſito artificioſo, tum ſine dubio forma eius partim eſt ſignificatio, partim virtus operatiua,materia verò ſunt res ipſæ, & verba,in quibus reſidet ſignificatio,& virtus illa operatiua. Vt enim in compoſito artificioſo tota ſubſtantia dicitur materia,forma verò eſt quoddam accidens:ita ſacramentum, vt ſignum, formaliter dicit ſignificationem,vt cauſſa dicit vim operatiuam,reliqua omnia ad materiam, ſeu ſubiectum pertinent.Et hoc modo accipiendo ſacramenta, rectè dicunt Caietanus & Sotus.

TAMEN poteſt etiam ſacramentum conſiderari, vt eſt ſimile compoſito Phyſico.Nam vt in compoſito Phyſico materia præcedit: forma accedit, ita in ſacramento accedit verbum ad elementum.Item vt in cōpoſito Phyſico materia eſt indeterminata,ſed coarctatur à forma,ita in ſacramento verbum determinat indifferentiam elementi. Denique,vt in compoſito Phyſico materia eſt imperfecta, forma eſt perfecta, & dat eſſe reiita in ſacramento verba ſunt rebus perfectiora,cùm ſint ſigna multò clariora & præſtantiora.

ET hoc modo totum verbum cum ſua ſignificatione eſt forma, & totum elementum cum ſua ſignificatione, eſt materia.Id quod probatur Primò, quia ita lo-

quitur Concilium Florentinum, & veteres Theologi. Nam ipsi dicunt, Sacramentum constitui ex re, & verbo, vt ex materia & forma. At remota significatione, nulla est compositio ex re, & verbo: non enim est alia coniunctio rerum, & verborum, nisi quatenus rei significatio indeterminata, determinatur per significationem verbi. Non igitur Concilium, & Theologi volunt solum subiectum significationis constitui ex rebus, & verbis, sed totũ ipsum sacramentum etiam, vt signum est formaliter.

PRAETEREA compositio ex re sensibili, & significatione, non est compositio ex materia & forma, vt partibus essentialibus, sed est compositio ex subiecto, & accidente. At Concilium, & Theologi dicunt, Sacramenta constare ex materia & forma, non ex subiecto, & accidente: sæpe etiam addunt, ideò non posse ab Ecclesia mutari materiam, aut formam sacramentorum, quia sunt de essentia, seu substantia.

SECVNDO probatur ratione. Nam significatio sacramẽti, nõ est vna significatio simplex, vt Caietanus falsò docet, sed duæ sunt partiales, ex quibus vna totalis cõponitur. Ergo ipsa etiam significatio ex materia, & forma constitui dici potest: proinde totum sacramentum ex materia, & forma componetur, vt ex partibus essentialibus.

ANTECEDENS probatur dupliciter. Primò: Antequam fiat coniunctio elementi, & verbi, vtrumque habet suam significationem: Sed ex coniunctione non perit vlla significatio: Non enim potest verbum tollere significationem elementi, quæ est *naturalis*, sed solùm eam determinare, nimirum vt cum aqua, exempli caussa, naturaliter significare possit quamlibet purgationem, determinetur à verbo ad significandam purgationem à peccatis. Manet igitur vtraque significatio, sed coniunguntur inter se, ita vt ex duabus partialibus, fiat vna integra, & totalis.

SECVNDO: Tam verbum, quàm elementum in Sacramentis significat aliquid, vt omnes docent, & patet etiam ex S. Thoma 3. par. quæst. 60. ad primum & secundum. Sed verbum non communicat elemento suam significationem, neque verbo elementum: duæ sunt igitur, non vna. Assumptio probatur. Quia elementi significatio naturalis est, vt ibidem ait S. Thomas, verbi autem voluntaria. Non igitur significatio elementi communicatur verbo, quia tum naturalis esset, non voluntaria verbi significatio: & contrà, significatio verbi non communicatur elemento, quia tum elementi significatio esset merè voluntaria, & nullo modo naturalis.

QVARTA propositio: *Vt sacramenta constare dicantur rebus, & verbis, non est necesse, vt res non sint verba, & verba nõ sint res, sed sat est si aliquid fungatur vice rei, aliud vice verbi.* Hæc propositio conciliat tres vltimas sententias. Nam vt Lessemius rectè monet, quæst. 1. art. 6. non est quæstio inter Durandum, & alios, nisi de nomine.

PROBATVR propositio. Nam in Sacramento Pœnitentiæ potest fieri, vt nulla sint alia signa præter verba. Ex communi enim consensu Theologorum, in sacramento Pœnitentiæ, forma est absolutio, materia remota sunt peccata, materia proxima sunt actus pœnitentis, id est, contritio, confessio, & satisfactio, quatenus signo externo produntur. Potest autem fieri, vt quis non habeat nisi peccata verbo commissa, & tunc materia remota erunt sola verba. Potest etiam fieri, vt non ostendat signa contritionis, confessionis, & satisfactionis, nisi verbis. Non enim est de essentia Sacramenti, vt pœnitens ploret, suspiret, flectat genua, &c. sed si tantum verbo dicat sua peccata, & dicat se esse cõtritum, & velle satisfacere, potest absolui: quare materia etiam proxima tunc non erit, nisi verba. Verè tamen dicuntur esse in eo Sacramento res, & verba, quia peccatum verbo commissum, non vt verbum, sed vt peccatum, est materia confessionis: peccatum autem formaliter non est verbum, sed res à verbi ratione valde distincta. Sic etiam confessio non est propriè materia Sacramenti, vt oratio quædam, sed vt actio pœnitentis. Nam vt eleganter docet sanctus Thomas in 4. distinct. 14. quæst. 1. artic. 1. singulare est in hoc Sacramento, vt actio suscipientis sit pars essentialis sacramenti. Vt enim inter corporalia medicamenta, quædam sunt omninò extrinseca, vt emplastra, quæ applicantur ægrotis, & non requirunt eius actionem, vt partem medicamenti, quædam alia partim sunt extrinseca, partim intrinseca, vt quædam potiones, quæ requirunt vt partem medicamenti, ambulationem: sic etiam quædam Sacramenta omni ex parte applicantur, & conferuntur à *ministro*, vt Baptismus, Eucharistia, &c. sed Sacramentum Pœnitentiæ partim applicatur à ministro per absolutionem, partim requirit ipsius ægroti actionem, nimirum confessionem, &c.

IDEM iam de forma ostendere possumus: nam in Sacramento Matrimonij omnium consensu, loco verborum sufficiunt nutus, aut literæ, modo sufficienter exprimatur consensus vtriusque partis. Quòd verò aiunt Nicolaus Papa 27. quæst. 2. canon. Sufficiat, & Alexander Papa, capit. Cùm locùm, de sponsalibus, & matrimoniis, solum consensum efficere Matrimonium, non ita est accipiendum, quasi consensus interior sufficiat sine signo externo: siquidem idem Alexander, cap. Licet, desponsa duorum, docet necesse esse, vt consensus verbis consuetis exprimatur: Itaque illa particula: *Solus consensus dicitur efficere matrimonium*; non excludit signum, quò exprimitur consensus, sed excludit consensum parẽtum, & solenniratem, & alia, quæ non sunt de essentia Matrimonij.

QVINTA propositio: *Non est necesse, vt in omni Sacramento res, & verba ita coniungantur, vt partes essentiales eiusdem rei.* Notandum est hoc loco, Sacramẽtum habere quandam similitudinem cum rebus naturalibus, quæ ex materia & forma cõstant: tamen non esse reuera compositũ naturale, & idcirco non esse requirẽdas oẽs proprietates materiæ, & formæ, sed satis esse, si aliquæ reperiãtur.

PROBATVR hæc propositio ex Eucharistiæ Sacramento. Siquidem in Eucharistia omnium consensu inueniuntur res pro materia, id est, panis, & vinum, & verba pro forma: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*; & tamen nunquam res istæ, & verba ita coniunguntur, vt materia & forma in rebus naturalibus. Nam vel Sacramentum Eucharistiæ est, solùm res ipsa consecrata, id est, species panis, & vini, vt continent corpus & sanguinem Christi: vel etiam cõsecratio, aut sumptio, vt quidam volunt, Sacramenta dici possunt. Si consecratio dicatur Sacramentum, tum verba habemus, sed rem non habemus, ex qua Sacramentum componatur: tota enim consecratio in verbis consistit; nam panis, & vinum non concurrunt, vt pars consecrationis, sed vt subiectum circa quod agit sacerdos, & in quo recipitur actio consecrantis. Cùm verò Sacramentum dicitur res ipsa consecrata, vel sumptio, tunc rem habemus, verba non habemus, ex quibus Sacramentum componatur. Verba enim respectu rei consecratæ, non sunt pars essentialis, sed principium productiuum; pars enim essentialis manet cum ipsa re, verba autem non manent cum re consecrata: immò tunc primùm incipit esse res consecrata, cùm verba desinunt esse. Quocirca Concilium Florentinum in instructione Armenorum, non dicit, verba Eucharistiæ esse formam sacramenti, sed formam consecrationis. Ex quo intelligimus, quando idem Concilium docet, in omni sacramento esse res pro materia, & verba pro forma, non debere hoc intelligi ita propriè, vt intelligeremus in vero composito naturali.

IDEM ostendi posset ex sacramento Confessionis. Nam non solùm, vt diximus, in eo Sacramento materia sunt verba, quæ gerunt vicem rerum, sed etiam potest

fieri,

fieri, vt vno die fiat confessio, & altero detur absolutio, ac proinde tum simul sint materia, & forma: quod in nullo composito verè Physico reperitur. Quocirca tum Concilium Florentinum in instructione Armenorum, tũ etiam Tridentinum sess. 14. can. 4. dicunt, in Sacramento Confessionis actus pœnitentis esse quasi materiam: nec audent absolutè dicere esse materiam.

EX quibus omnibus apertissimè colligimus materiã, & formam in Sacramentis largo modo esse accipiendam: atque hinc etiam facilè soluuntur omnia, quæ contrà obiici solent.

CAPVT XIX.

Verbum quod cum elemento Sacramentum facit, non esse concionale, sed consecratorium.

DIXIMVS in Sacramentis res, & verba requiri, in quo cum aduersariis conuenimus. Neque dubitatio vlla superest de re, quid sit illud videlicet, quod in Sacramentis adhibendum est, vt sensibile signũ; fatentur enim nobiscum in Baptismo aquam, in Eucharistia panem, & vinum adhibendum. De materiis aliorum Sacramentorum, non est opus hîc disserere, quoniam ea non habentur ab aduersariis pro Sacramentis.

VNVM hîc addam, ridiculè Brentium in confessione Vvittembergensi, cap. de Baptismo, excludere Chrisma ab vsu Sacramenti, quòd dicat ad elementa mundi pertinere, & in vsu fuisse Iudæis in cæremoniis Testamenti veteris. Nam si ea ratio quidquã valeret, excludere oporteret etiam aquam. Nam aqua magis pertinet ad elemẽta mundi, quàm oleum, cùm sit ipsa vnum ex quatuor elementis mundi, oleum verò non inter elementa, sed inter mixta numeretur. In cæremoniis quoque Iudæorum longè frequentiores erant ablutiones aquæ, quàm inunctiones olei.

SED his omissis, de quibus alio loco dicendum erit, quæstio grauissima est de verbo, quod cum re cõiunctũ, Sacramentum facit. Nam Catholici omnes docent, verbũ Sacramenti esse, pauca quædam verba à Deo præscripta, quæ super materiam à ministro pronuntianda sint, vt in Baptismo illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et in Eucharistia, illa, *Hoc est enim corpus meum*, & de cæteris ad eundem modum.

AT Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. c. 14. §. 4. contendit verbum Sacramentale nihil esse aliud, nisi concionem; sic enim loquitur: *Hoc est quod vulgò dicunt constare Sacramentum verbo, & externo signo. Verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu & fide insusurratum, solo strepitu velut magica incantatione consecrandi elementi vim habeat: sed quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit. Quod ergo sub Papæ tyrannide factitatum est, non caruit ingenti mysteriorum profanatione: putant enim satis esse, si sacerdos, populo sine intelligentia obstupente, consecrationis formulam demurmuraret.* Et infrà: *Ergo cùm de verbo Sacramentali fieri mentionẽ audimus, promissionem intelligamus, quæ clara voce à ministro prædicata plebem cò manu ducat, quò signum tendit, ac nos dirigit.* Hæc ille. Sed antequam vel probemus aliquid, vel refellamus, explicanda est diligenter Caluini sententia.

PRIMÒ igitur adnotandum est, Caluinum, & cæteros aduersarios nostros aliter sentire, & loqui de Baptismo, aliter de Eucharistia, quæ duo sola sunt apud eos propriissimè Sacramenta. Nam in Baptismo duo genera verborum requirunt, in Eucharistia vnum tantùm: siquidem in Baptismo, Primò loco requirunt verbum concionale, quo à ministro proponatur, & explicetur promissio diuina. Deinde requirunt, vt dum aspergitur aqua, simul dicantur illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Id quod patet tum ex libello Caluini de formula ministrandi Sacramenta, tum ex Melãchthone in locis, cap. de Baptismo; tum ex praxi ipsorum; tum denique quia non rebaptizantur apud Catholicos

A ij, quos Lutherani, & Caluinistæ baptizarunt: quod tamẽ esset faciendum, nisi illi veram formam Sacramenti adhiberent dum baptizant.

PORRÒ in Sacramento Eucharistiæ Caluinistæ (vt ex formula Caluini perspicuum est) non requirunt aliud verbum, quàm institutionis; iubent enim primò loco recitari institutionem Sacramenti ex c. 11. prioris ad Corinthios eo ferè modo, quo nos in Missa recitamus lectionem ex eadem epistola ad populi institutionem. Deinde adhibet concionator explicationem; & tum demum sine vllo signo crucis, aut alio verbo, seu ritu sacro distribuit panem, & vinum. Extat alia formula Anglorum, qui Genenæ degunt, in qua post lectionem epistolæ ad Corinthios, & Concionem, sequitur gratiarum actio conceptis verbis, quam alta voce pronunciat Minister, & tum demum sine vllis verbis consecratoriis, distribuitur panis, & vinum.

LVTHERANI autẽ non eodem modo omnes agunt, sed alij recitant verba *institutionis* merè historicè, alij recitant cum intentione consecrandi, alij nihil recitant: quorum opiniones vide apud Kemnitium in 2. parte Examinis, pag. 346.

EX quibus sequitur habere aduersarios verum Baptismum, sed non veram Eucharistiam, nisi fortè admodum paucos, eos videlicet, qui adhibent verba, & fuerunt in Ecclesia ordinati Sacerdotes.

SECVNDÒ notandum est, quod Caluinus dicit, verbum Sacramentale esse concionem, duobus modis intelligi posse. Vno modo, vt velit concionem esse partem Sacramenti essentialem, ita vt sine concione non sit Sacramentum. Altero modo, vt velit concionem non esse partem Sacramenti, sed tantùm requiri, vt Sacramentum fructuosè percipiatur.

ET quidem valde probabile est, Lutheranos, qui præter concionem adhibent verba cõsecrationis in omnibus Sacramentis, non requirere concionem ad essentiam, sed ad fructum tantùm Sacramenti assequendum; proinde cum eis nulla erit hoc loco altercatio: iis tamen exceptis, qui verba ipsa Sacramentalia non proferunt ad cõsecrãdum, sed ad instruendum, & apertè Euangelij prædicationem vocant, vt facit Ioannes Brentius in Confessione Vvittembergensi, cap. de Eucharistia.

AT Caluinus videtur quidem interdum loqui de verbo concionali, vt de re distincta à Sacramento, vt cùm ait lib. 4. cap. 14. §. 3. Sacramentum esse quasi appendicẽ verbi: tamen sæpius de eo loquitur, vt de parte essentiali Sacramenti. Nam in verbis suprà citatis dicit, Sacramentum constare duabus rebus, signo, & verbo, & per verbum dicit se intelligere concionem. Item ibidem explicat de verbo concionali illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, vbi sine dubio verbum ponitur de essentia Sacramenti. Nam ibidem Augustinus, & ex Augustino Caluinus, ait: *Sine verbo, quid est aqua, nisi aqua?* id est, aqua sine verbo non est Sacramentũ, sed profanum elementum. Præterea si cõcionale verbum non esset de essentia Sacramenti, in Eucharistia nullum esset verbum de essentia, apud Caluinistas: non enim aliud verbum in eo Sacramento habent, nisi concionale. Præterea in commentario, c. 5. ad Ephesios, explicãs Caluinus illud (Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ) *Apparet*, inquit, *nullam in Papatu legitimam esse signorum obseruationem: nam verbum quidem per se habere iactant, sed quod sit incantationis vice: quia illud lingua incognita demurmurant, & ita quasi mortuo elemento potius, quàm hominibus destinatum foret; nulla mysterij explicatio ad populum, quæ sola facit vt mortuum elementum incipiat esse Sacramentum.* Nota vltima verba.

DENIQVE Theodorus Beza omnem dubitationem tollit, cùm ita scribit in libro, quem inscripsit; Summa doctrinæ de re Sacramentaria. *Quæ est caussa for-*

malis Sacramentorum ordinatio Dei in ipsius verbo comprehensa,& ab ipsius ministro explicata secundum eius mandatum: nō autem pronuntiatio ipsa illorū verborum, neque vlla vis in vocabulis latēs. Hæc ille. Ex quo intelligimus verba illa Baptismi: *Baptizo te, in nomine Patris, & Filij. & Spiritus sancti*, recitari quidem à Caluinistis dum aspergitur aqua, sed non esse illa verba, formā Sacramenti apud eos; verùm concionem præcedentem esse formam, illa autē verba ad ritum pertinere, & paulò infrà idem Theodorus indicat: & illa ipsa non proferri, vt consecretur aqua, sed vt etiam inde instruatur populus.

NOTANDVM est tertiò, tria esse, in quibus nos à Caluinistis dissentimus, quæ sunt ordine demonstranda. Primùm enim nos in omni Sacramento docemus, necessarium esse verba quædam à Deo instituta pronunciari in ipsa actione sacramentali: illi solùm in Baptismo id necessarium docent. Secundò nos docemus, ad essentiam Sacramenti non requiri verbum concionale, illi affirmant requiri. Tertiò nos docemus, ad essentiam Sacramentorum requiri verba certa concepta, consecratoria, & hæc esse, quæ dicantur propriè verba sacramentalia; illi hoc totū negant, & magicam incantationem vocant. Nam etiam verba Baptismi, vt dixi, non ideò recitant dum aspergunt aquā, vt cōsecretur aqua, sed vt instruatur populus, vt sint etiam illa verba pars quædam concionis: in quo, vt dixi, Ioānes Brentius, & alij quidam ex Lutheranis cum Caluinistis conueniunt. Et hæc est ratio, cur illi lingua vulgari, nos Latina vtamur in Sacramentis: illi enim populum docere volunt, qui non intelligit linguam Latinam; nos Deum inuocamus ad sanctificandum elementum, Deus autem omnes linguas intelligit.

SIT igitur prima propositio: *Non solùm in Baptismo, sed etiam in cæteris Sacramentis requiruntur verba in ipsa celebratione mysterij.* Probatur. Nam in Eucharistia, Dominus dum panem benedixit, certa verba pronunciauit, nimirum: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, ac deinde iussit, vt idem nos faceremus: *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Debemus igitur & nos certis verbis vti, si facere volumus, quod ipse fecit, vt nobis imperauit.

DICENT fortasse, Christum imperasse, vt faceremus, quod ipse fecit, non autem vt diceremus verba, quę ipse dixit. Sed nos respondemus, illud (Hoc facite) referri ad totam actionem Christi, ita vt comprehendat etiam verba. Id quod (vt omittam nunc alia argumenta) discimus ex traditione, & vsu Catholicæ Ecclesiæ, quæ traditio si non recipiatur, in dubium reuocabitur etiam forma Baptismi. Nam vnde, quaso, colligitur, dum aqua aspergitur, dicenda esse illa verba, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*? certè non aliunde quàm ex illis verbis Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* At ex hoc loco id non potest certè colligi, nisi recipiatur Ecclesiæ traditio. Non enim Dominus ait, Dicite; Baptizo te in nomine Patris, &c. satis igitur erit, si aspergentes aquam dicamus, In nomine Patris, & Filij, &c.

PRAETEREA non etiam dixit Dominus, Dicite, In nomine Patris, &c. sed solùm ait: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* quæ verba non cogunt, vt dicamus, In nomine Patris, & c. sed solùm vt baptizemus auctoritate Dei, nimirum vt eius ministri, quod potest fieri, etiamsi nihil dicamus. Id quod ex aliis similibus locis demonstrari potest. Nam Marci vltimo, Dominus ait: *In nomine meo dæmonia eiicient, super ægros manus imponent, & benè habebunt*; & tamen non erat opus, vt Apostoli cùm aliquem curare volebant, dicerent voce, In nomine Domini, sed satis erat, si cogitatione: nam Actor. 9. Petrus excitauit Tabitham: & Actor. 14. Paulus sanauit claudum sine vlla mentione nominis Christi. Sic etiam Matt. 18. Dominus ait: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*, & tamen nō est opus, vt qui volunt congregari in nomine Christi, dicant verbis, Cōgregamur in nomine Christi: sed satis est, si conueniant Christi auctoritate. Sic denique Ioan. 5. Dominus ait: *Ego veni in nomine Patris mei, & nō recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis*, vbi non significatur aliud per nomen, nisi auctoritas.

QVOD igitur in Baptismo dicere debeamus, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non ex sola Scriptura certò colligi potest, sed ex Scriptura, adiuncta Ecclesiæ explicatione, & praxi. Quòd si in Baptismo recipitur Ecclesiæ auctoritas, cur non etiam in Eucharistia, & cæteris Sacramentis?

DE aliis Sacramentis idem probari potest, quanquam non sit valde necessarium, cùm ea ab aduersariis non recipiantur. In cōfirmatione perspicuum est, adhibenda esse verba ex c. 8. Actorum, vbi Apostoli manus imponentes simul orabant. Vnde Cyprianus in epistola ad Iubaianum: *In impositione*, inquit, *manuum inuocatur, & infunditur Spiritus sanctus super baptizatos.* Idem habet Ambrosius lib. 2. de Sacramentis, c. 2. *Post fontem*, inquit, *superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Idem habetur Hieronym. in lib. contra Luciferianos; & Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 16.

IN Sacramento Pœnitentiæ requiri etiam verba, patet ex illo Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur*: nec enim id fieri potest sine verbis. Vnde Ioannes Chrysostomus in commentario eius loci, dicit, Deū vti, & manu, & lingua sacerdotis ad absoluendum, & sanctus Leo in ep. 91. ad Theodorum dicit, post Baptismum Deum sic ordinasse remedium Pœnitentiæ, vt nisi supplicationibus sacerdotum venia nequeat obtineri.

IN Sacramento Ordinis requiri verba, docet Ambrosius in c. 4. prioris ad Timoth. *Manus impositiones*, inquit, *verba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus, accipiens auctoritatem, teste conscientia sua, vt audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.* Ité Hieronymus in c. 58. Isaiæ, dicit Ordinationem clericorum fieri ad imprecationem vocis, & impositionem manuum.

IN Sacramento Vnctionis ægrotorum, planū est requiri verba ex epist. Iacobi, c. 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, &c.*

DENIQVE de Matrimonio res est perspicua, cùm nō possit constare mutua consensio, nisi verbis, aut signis æquiualentibus exprimatur. Itaque Caluinus etiam in lib. de forma ministrandi Sacramenta, licet Matrimoniū non habeat pro Sacramēto, tamen vult in Ecclesia celebrari, & præscribit certam formam verborum.

SECVNDA propositio: *Non requiritur verbum concionale ad essentiam vllius Sacramenti.* Probatur primò, argumento ab auctoritate scripturæ negatiuè, quod ab aduersariis magni fieri solet, & debet, cùm nihil oporteat in rebus diuinis facere sine Dei verbo, & ipsi nullū Dei verbum agnoscant, nisi scriptum. Igitur in scripturis sit mētio Baptismi; primùm Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* deinde Ioann. 4. vbi habemus, Dominum per discipulos baptizasse; item Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Tit. c. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum.* 1. Petri 3. *Vos saluos facit Baptisma.* Sed in his locis nulla fit mentio verbi, nedum concionis.

DVO tantùm sunt loca, vbi fit mentio verborum. Vnus est ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Alter Matthæi vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

PRIOR locus explicari debet per posteriorem; tum quia hæc sit regula generalis etiā ab aduersariis celebrata, vt cùm id fieri potest, vna scriptura per aliam explicetur: tū quia Chrysostomus, Theodoretus, Theophylact. Anselmus, aliique interpretes ita docent; dicunt enim illud, *In verbo vitæ*, significare, *In nomine Patris, & Filij, & Spi*

& Spiritus sancti. Vnus est Hieronymus, qui in commētario huius loci per, *verbum vitæ*, intelligit doctrinā. Sed obseruandum est, Hieronymum omisisse literalem expositionem, & solùm exposuisse mysticè, id est, vt ipse dicit, tropologicè. Nō enim per lauacrum intelligit Baptismū, sed purgationem quamlibet; quæ per doctrinam fieri potest. Omnes autem interpretes, qui ad literam exponunt, per lauacrum intelligunt Baptismum, & per verbum, intelligunt inuocationem Trinitatis.

REMANET ergo solus locus ille Matthæi vltimo: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* quo loco non negamus iuberi, vt instructio præcedat Baptismum: immò hoc ipsum nos docemus, & facimus; non enim baptizamus vllos adultos, nisi priùs diu multúmque instructi fuerint. Sed negamus hoc loco præscribi concionem tanquam partem essentialem Sacramenti, immò asserimus distingui hoc loco apertè doctrinam à Sacramento. Sic enim distinguit sanctus Hieronymus in commentario huius loci: *Ordo*, inquit, *præcipuus, iussit Apostolis, vt primùm docerent omnes gentes: deinde fidei intingerēt Sacramento, & post fidem, ac Baptisma, quæ essent obseruanda præciperent.*

PORRÒ, quod diximus de Baptismo, dici potest etiam de Eucharistia. Nam nec Dominus Mat. 26. nec Paulus 1. Cor. 11. dicunt fieri debere concionem, cùm celebratur cœna Dominica: nec ipse Dominus vllam habuit concionem, nec explicuit vim Eucharistiæ (quod tamen Caluinus necessarium putat) in ipsa cœnę celebratione. Habuit quidem postea longissimum sermonem, quem Ioannes describit, c. 14. 15. & 16. sed is nihil ad cœnam pertinebat, tum quòd post cœnam habitus sit, tum etiam, quòd nihil in eo de cœna Dominus disseruerit. Viderit igitur Caluinus, ex quo Euangelio didicerit, concionem esse formam Sacramenti.

SECVNDÒ probatur, non esse concionem de essentia Sacramenti. Nam si ita esset, non distinguerentur officia concionandi, & baptizandi. Quicunque enim concionaretur, hoc ipso baptizaret, quandoquidem ministraret formam Baptismi: & contrà, qui baptizaret, concionaretur, cùm Baptismus formaliter nihil aliud sit, nisi concio. At contradicit huic sententiæ beatus Paulus, cùm ait 1. Cor. 1. *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* In quem locum præclarè scribit commentarius, qui tribuitur Ambrosio: ostendit enim multò minus esse baptizare, quàm prædicare, ex eo, quòd qui baptizat, solùm prænuntiat solennia quædam verba, & aquam infundit, quod facillimum est. Vnde etiam Petrus Actorū 10. postquam prædicauerat Cornelio, non ipse eum baptizauit, sed iussit à ministris inferioribus baptizari. At secundum Caluinum Petrus ipse baptizasse dicendus esset, qui formam adhibuit Baptismi.

TERTIÒ, si forma Baptismi esset concio, varia essent Baptismata pro varietate concionum: non enim omnes eodem modo concionantur. At vnum Baptisma esse, sicut vnus est Deus, & vnus Dominus, testatur Apostolus ad Ephesios 4. & Symbolum Constantinopolitanum.

QVARTÒ, si forma Baptismi esset concio, falsum Baptismum haberent hæretici, ac proinde rebaptizandi essent: non enim vera esse potest prædicatio hæreticorum. At Ecclesia approbat Baptisma quorumlibet hæreticorum, modò detur verbis præscriptis, id est, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, etiamsi addant ipsi peruersissimam concionem, & explicationem, vt docet sanctus Augustinus lib. 3. de Baptismo, c. 15. *Si Euangelicis*, inquit, *verbis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Marcio Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamuis eius fides sub iisdem verbis aliud opinantis, quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, (id est, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti) non solùm Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales paruuli Ecclesiæ si possent singuli diligenter interrogari, tot diuersitates opinionum fortassis, quot homines, numerarentur. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Nunquid tamen ideò non integrum Sacramentum accipiunt?*

QVINTÒ; Baptismus Catholicorum datur sine vlla concione. Etsi enim præcedit Catechismus, & sermones, ac prædicationes permultæ, tamen eo die, quo sit Baptismus, ordinariè concio fieri non solet. Et tamē Caluinus non iubet rebaptizari Catholicos, immò fatetur verum esse eorum Baptismum lib. 4. Instit. c. 15. §. 16. *Tales*, inquit, *hodie sunt Catabaptistæ nostri, qui vitè nos baptizatos pernegant, quod ab impiis, & idololatris in regno Papali baptizati sumus. Itaque Anabaptismū furiosè vrgent, &c.* Quomodo ista cohærent, vt concio sit forma Baptismi, & tamen sine concione verus Baptismus dari possit? Quomodo etiam verba ista ex libris Institutionum concordant cum verbis eiusdem Caluini suprà citatis ex commentario quinti capitis ad Ephesios, vbi ait, nullam esse apud Papistas legitimam signorum obseruationem, quòd desit apud eos explicatio ad populum, quæ sola facit vt mortuum elementum incipiat esse Sacramentum?

SEXTÒ; si forma Baptismi esset concio, paruuli certè baptizandi non essent: non enim fieri debet concio, vbi non est, qui audiat, & intelligat. Monet enim Sapiens Eccles. 32. *Vbi non est auditus, non effundas sermonem.* At pueri nihil intelligunt, nec attendunt, aut attendere possunt; igitur non est illis concio facienda: quare nec baptizari debent, aut possunt.

AD hoc argumentum duplicitèr respondeti solet. Aliqui enim, vt Lutherani, volunt paruulos percipere cōcionem. Sed hos suprà refutauimus dilemmate S. Augustini in epist. ad Dardanum: Aut vsum rationis habent, aut nō, si non habent, ergo non intelligunt; si habent, ergo sacrilegi sunt, qui Sacramentum recusant, vt patet.

ALII, vt Caluinus lib. 4. Instit. c. 16. §. 20. dicunt paruulos non percipere Sacramētum vtiliter pro eo remore, tamen verum Sacramentum percipere, quod postea vtile sit futurum. Sed hæc solutio non est sufficiens. Nam si verbi prædicatio est de essentia Baptismi, non minùs, quàm aqua; certè debet percipi non minùs, quàm aqua: alioqui non modò inutile, sed etiam nullum erit Sacramentum. Quòd si aqua aspergeretur à ministro, infantem verò non attingeret, nemo diceret illum esse baptizatum; ergo si concio fiat, & nō percipiatur ab infante, nemo dicere debet ex Caluinistis, illum esse baptizatum. Concio autem non verè percipitur, nisi cùm intelligitur: nō enim dicitur percipere cōcionem, quæ propriæ instructio quædam est, qui non instruitur, etiamsi sonum quendam audiat. Non ergo infantes percipiunt formam Sacramenti, quare nec Sacramentum. Aut igitur Caluinistæ fiant Anabaptistæ, aut definant concionem requirere ad essentiam Sacramenti.

TERTIA propositio: *Requiritur ad essentiam Sacramēti certa forma verborum, quæ non tam instruat circumstantes, quàm consecret & sanctificet elementum.* Hæc est nō modò aduersus Caluinum, sed etiam aduersus Brentium, ac cæteros Lutheranos, qui verba ipsa consecrationis pronunciari volunt ad instruendum populum, non ad materiam consecrandam; & idcircò nefas esse putāt, si ea verba Latinè pronuncientur apud populū Latinę linguæ imperitū.

PROBATVR hæc propositio primò; Verba à Domino præscripta in Baptismo, non habent formā instructionis, sed inuocationis, & benedictionis. Id quod probatur ex ipsa forma loquendi Christi. Non enim ait; Docete omnes gentes nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* vbi verba illa, *In nomine Patris, &c.* respiciunt actum baptizandi, non actum docendi: proinde sonant inuocationem Trinitatis super aquæ aspersionem, non declarationem mysterij ad auditores. Deinde si licet scripturam exponere per scripturā,

perſpicuum erit, *In nomine Patris, &c.* ſonare inuocationem, non inſtructionem: ſic enim accipitur iſta forma loquendi in aliis locis, vt Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eiicient.* Actor. 3. *In nomine* IESV *Chriſti, ſurge, & ambula.* Mat. 7. *Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* & alibi paſſim. Deinde, ſi verba iſta ad inſtructionem pertinerent, valdè profectò imperfecta eſſent: non enim ſolùm inſtrui debent de Trinitate qui baptizantur, ſed etiam de incarnatione, & paſſione Domini, & præcipuè de promiſſione gratiæ ob Chriſti meritum; quarum rerum nulla in his verbis mentio fit.

SECVNDÒ, verba, quæ dicuntur in myſterio Euchariſtiæ ab Apoſtolo, dicuntur verba benedictionis, quod certè non inſtructionem, ſed cõſecrationem ſonat. 1. Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Idem argumentum duci poſſet ab aliis Sacramentis, ſi ea reciperent aduerſarij. Vide tamen quæ diximus in confirmatione primæ propoſitionis.

TERTIÒ probatur ex illis Apoſtoli verbis 1. Cor. 1. *Nũquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* vbi Apoſtolus demonſtrare vult, Sacramentorum auctores non eſſe eos homines, qui illa miniſtrant, ſed Deum: idque inde probat, quia non dantur in nomine miniſtrorum, ſed in nomine Dei, id eſt, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Nomen igitur in verbis Sacramẽtorum, inuocationem ſignificat, ex qua colligitur auctoritas. Vnde Chryſoſtomus hom. 3. in priorem ad Corinthios: *Noli*, inquit, *mihi dicere, qui baptizauit, ſed in cuius nomine; neque qui baptizat, ſed quem in baptiſmate inuocamus, requiritur.* Vide de hoc loco, & de hoc argumento Optatum Mileuitanum, lib. 5. contra Parmenianum.

QVARTÒ idem probatur ex traditione Conciliorũ. Nam Cõcilium Nicænum can. 19. iubet rebaptizari Paulianiſtas: quod quidem ſtatuit Concilium Laodicenum can. 8. de Cataphrygibus. At contrà Concilium 1. Arelatenſe eodem tempore celebratum, can. 8. & Syricius ep. 1. c. 1. iubent, Arianos non rebaptizari, cuius differentiæ cauſſa non poteſt reddi, niſi illa, quam reddit Innocentius 1. in ep. 22. c. 5. quia videlicet Paulianiſtæ, & Cataphryges non ſolùm non credebant Trinitatem, ſed nec baptizabant cum inuocatione Trinitatis: at Ariani licet non crederent Trinitatem vnius eſſentiæ, tamen baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. At certè quantũ ad inſtructionem, & explicationem, tam errabant circa Trinitatem Ariani, quàm Paulianiſtæ, & Cataphryges: nõ igitur inſtructio, ſed inuocatio Baptiſmum perficit.

QVINTÒ probatur ex Patribus, qui cùm de verbis Sacramentorum loquuntur, non inſtructionis, ſed inuocationis, & conſecrationis mentionem faciunt. Dionyſius Areopagita in lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. vltim. vocat verba Sacramẽtorum, τὰς τελεσμὰς ἐπικλήσεις, ideſt, conſecratorias inuocationes. Iuſtinus in Apologia ad Antonium Pium, *Super eo*, inquit, *qui renaſcẽdum ſibi eſſe ſtatuerit, parentis rerum omnium, & Domini Dei nomen nominatur, atque idipſum ſolum, lauaturũ iſtum ad lauacrum ducentes, inuocamus.* Et infrà: *In nomine etiam* IESV *Chriſti crucifixi atq; in nomine Spiritus ſancti abluitur is, qui illuminatur.* Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 15. *Tribus*, inquit, *merſionibus, ac totidem nomenclaturis, ſiue inuocationibus magnum Baptiſmatis myſteriũ perficitur.* Cyrillus catecheſi tertia: *Aqua ſimplex*, inquit, *per ſancti Spiritus, Chriſti, & Patris inuocationem, ſanctitatem conſequitur.*

ATHANAS. ſerm. 3. contra Arianos, circa mediũ: *Cur*, inquit, *dum initiamur Baptiſmate, vnà cum Patre, Filij quoque nomen recenſetur? nam vt Pater ſit inſufficiens, nefaria vox eſt, &c.* vbi docet, tres perſonas nominari in Baptiſmo, non quòd vna non ſufficiat ſanctificare hominem, ſed quia inſeparabiles ſunt ob naturæ vnitatem: quocirca vult verba illa Baptiſmi non dici, ad inſtruendum populum, vt hæretici ſomniant, ſed ad inuocandum Deum, qui per Baptiſmum nos ſanctificat.

GREGOR. Nyſſenus in lib. de Baptiſmo: *Omitte*, inquit, *mecũ confligere, & oppone te, ſi potes. Domni vocibus, quę inuocationem, & cognominationem Baptiſmatis hominibus inſtituerunt. Et quæ ſunt verba Dominici præceptiſ baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et infrà: *Submittimus nos Patri, vt ſanctificemur, &c.*

CYPRIANVS, vel quicunque fuit auctor, in ſermone de Baptiſmo Chriſti, prope initium: *Verborum*, inquit, *ſolennitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis ac ſacerdotũ miniſteriis attributa, viſibile celebrant Sacramentum: rem verò ipſam Spiritus ſanctus format & efficit, & cõſecrationibus viſibilibus inuiſibiliter manum totius bonitatis auctor opponit.*

AMBROS. lib. 2. de Sacramentis, c. 5. *Venit*, inquit, *ſacerdos, precem dicit ad fontem, inuocans Patris nomen, præſentiam Filij, & Spiritus ſancti, vtitur verbis cœleſtibus. Cœleſtia verba, quæ Chriſti ſunt, quod baptizemus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Si ergo ad hominis ſermonem, ad inuocationẽ Sancti, aderat præſentia Trinitatis, quãtò magis ibi adeſt, vbi ſermo operatur æternus?* Similia dicit de verbis Euchariſtiæ lib. 4. de Sacramentis, cap. 4.

AVGVST. lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 10. *Non eſt*, inquit, *aqua profana, & adultera, ſuper quam nomẽ Dei inuocatur, etiamſi à profanis, & adulteris inuocetur, quia nec ipſa creatura, nec ipſum nomen adulterum eſt. Baptiſmus verò Chriſti verbis Euangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamuis illi ſint impudici, & immundi, quia ipſa eius ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo diuina virtus aſſiſtit.* Et lib. 5. c. 20. *Si ergo ad hoc valet, quod dictum eſt in Euangelio, Deus peccatorem non audit: vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſupra aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen, & fiunt, & valent etiam per homicidas.*

CAPVT XX.

Soluuntur obiectiones.

SOLVENDÆ ſuperſunt obiectiones Caluini, qui primo loco profert, teſtimonium ſancti Auguſtini ex tract. 80. in Ioannem, vbi ſanctus Auguſtinus, poſtquam dixerat: *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Adiungit: Niſi faciente verbo, nõ quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Vnde in Actis Apoſtolorum, Fide mundans corda eorum. Et Petrus Apoſtolus; Sic nos Baptiſma ſaluos facit, non depoſitio ſordium carnis, ſed cõſcientiæ bonæ interrogatio. Hoc eſt, verbum fidei, quod prædicamus.* Hæc ille.

RESPONDEO: Locus hic mirè torquere ſolet nõnullos, cùm tamen non vſque adeò obſcurus eſſe poſſit, cùm ſit pars quædam concionis ad populum habitæ, niſi fortè credimus S. Auguſtinum per ænigmata prædicare ſolitum, vt Oedipo opus eſſet ad eum intelligendum. Referam igitur quid alij ſentiant, & refellam ea, quæ non videntur rectè dicta.

PRIMVM igitur Caluinus contendit, totum hunc locum de concione intelligẽdum. Sed fallitur apertiſſimè. Primò, quoniam Auguſtinus ait: *Detrahe verbum, quid eſt aqua, niſi aqua?* At detracto verbo concionis, adhuc aqua Baptiſmi non eſt pura aqua, ſed aqua ſacra, & Sacramentalis: nam apud nos nulla fit concio in Baptiſmo, & tamẽ Baptiſmum noſtrum verum Sacramentum Caluinus eſſe fatetur, lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 16.

SECVNDÒ, Auguſtinus ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* At concio nõ accedit ad elementum, ſed præcedit, vt ipſe idem Caluinus docet, lib. 4. cap. 14. §. 3. Oportuiſſet ergo, vt diceret; Accedit ad

verbum elementum, & fit Sacramentum.

TERTIÒ, Auguſtinus ait: *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo?* Et infrà: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in verbo.* Vbi fatetur Auguſtinus, ipſam etiã aquam vim habere mundandi, ſed eam non ex ſe habere, ſed à verbo. At concio nihil tribuit aquæ; tota enim refertur ad inſtruendos auditores, non ad ſanctificandã aquã. Immò id nobis obiicit Caluinus in commentario, c. 5. ad Epheſios, tanquam valde abſurdum, quod in Sacramẽtis interdum verba referamus ad ipſum elementum conſecrandum, & non ad populum inſtruendum.

QVARTÒ, Auguſtinus ait: *Hoc verbo, vt mũdare poſſit, conſecratur & Baptiſmus.* Atidem Auguſtinus docet verbum, quo Baptiſmus conſecratur, eſſe illam inuocationẽ: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* Sic enim loquitur, lib. 3. de Baptiſmo, contra Donatiſtas, c. 15. *Quamobrem ſi Euangelicis verbis, In nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum.* Idipſum repetit in infinitis locis.

QVINTÒ, Auguſtinus ait: *Hoc verbum fidei tantùm valet in Eccleſia Dei, vt per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam: ità illum mundet infantem, quãuis nondum valentem corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.* At verbum concionale nihil prodeſt, niſi actu creditur, vt norum eſt: non igitur Auguſtinus de concionali verbo loquitur.

REIECTA igitur Caluini ſententia, quidam ex Catholicis docent, Auguſtinum loqui de verbo non cõcionis, nec conſecrationis, ſed inſtitutionis Sacramenti: illud enim ſuo modo efficit Sacramentum, conſecrat aquas, mundat infantem, &c.

SED neque hæc explicatio admitti poteſt. Primò, quoniam non tollit difficultatem, quam aduerſarius nobis obiecit, ex illis verbis: *Non quia dicitur, ſed quia creditur.* Et ex illis: *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus:* quæ verba ter repetuntur hoc loco ab Auguſtino.

NIHIL enim horum quadrat in verba inſtitutionis Sacramenti. Nam verba inſtitutionis non ideò vim habent, quia creduntur, ſed quia dicta ſunt à Domino, qui ſolus potuit ex elementis facere Sacramenta. Neque verba inſtitutionis ſunt propriè verbum fidei, quod prædicamus: nam ibidem explicat Auguſtinus, quod ſit hoc verbum fidei, cùm ait: *Quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Ieſus, & crediderit in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris.*

SECVNDÒ, Auguſtinus præter verbum, de quo hîc loquitur, non agnoſcit in Sacramento aliud verbum; ſed nudum ac ſolum elementum, vt patet ex illis verbis: *Detrahe verbum, quid eſt aqua niſi aqua?* Et: *Accedit verbũ ad elementum, & fit Sacramentum.* Et: *Vnde tanta virtus aquę, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo?* Nó igitur hoc verbum, eſt verbum inſtitutionis, cùm certum ſit præter verbum inſtitutionis, Sacramenta conſtare ex verbis, & elementis, & non eſſe nuda elementa.

ALIA itẽ Catholicorum ſententia eſt, Auguſtinum loqui ſolùm de verbo cæremoniali, ſeu conſecratorio. Quę ſententia melior eſt cæteris duabus; tamen habet hoc vnum incommodum, quòd non poteſt reddere cauſſam, cur Auguſtinus allegauerit ex c. 10. epiſtolæ ad Romanos illa verba: *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Quia ſi confiteris in corde tuo, &c.* Et rurſus cur paulò infrà allegauerit illa ex cap. 15. Actorum: *Fide mundans corda eorum.* Et ex 1. Petri 3. illa: *Non carnis depoſitio ſordium, ſed conſciẽtiæ bonæ interrogatio.* Et denique illa ex c. 15. Ioannis: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis.* Nam nihil horum trahi poteſt ad verba conſecrationis, niſi per ſummam vim, & niſi ex concione populari, vt ſuprà dixi, ænigmata faciamus.

DICO igitur, Auguſtinum hoc loco nõ ſemper loqui de eodem verbo, ſed nunc de Sacramentali, nunc de cõcionali, vt ex argumentis iam factis planum factum eſt.

DICES; ergo Auguſtinus in perpetua æquiuocatione verſatur, cùm iiſdem ſententiis tam differenter accipiat nomen verbi: exempli cauſſa, cùm dixiſſet: *Vnde tãta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo?* Subiungit: *Non quia dicitur, ſed quia creditur*, vbi apertè loquitur de verbo concionali: proinde aut etiam antea loquebatur de concionali, aut vitioſam æquiuocationem committit.

PRÆTEREA ad probandum, aquam habere vim ex verbo profert teſtimoniũ B. Pauli, ex c. 10. ad Romanos: *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Quia ſi confitearis, &c.* Et illud Actorum 15. *Fide mundans corda eorum.* Et illud, 1. Petri 3. *Non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio.* Et addit: *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.* Sed quid, quæſo, probat Auguſtinus, ſi æquiuocè de verbo loquitur?

DENIQVE in extrema concione cùm dixiſſet, aqua per verbum mundari infantem, ſubiungit continuò: *Hoc totum fit per verbum, de quo Dominus ait; Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod loquutus ſum vobis:* quæ verba de cõcione Domini ſunt intelligenda neceſſariò. Quare vel etiã ſuperiora intelligi debent de concionali verbo, & non de Sacramentali, vt nos paulò antè dicebamus; vel erit in his verbis intolerabilis æquiuocatio.

RESPONDEO, nullã eſſe, in verbis Auguſtini æquiuocationẽ. Siquidem ipſe explicanda ſuſceperat illa verba Domini, Ioan. 15. *Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod loquutus ſum vobis.* Dum autẽ illa verba explicaret, propoſuit ſibiipſi quæſtionem, cur non dixerit potiùs Chriſtus; Iam vos mundi eſtis propter Baptiſmum, quo loti eſtis. Nam etiamſi verbum Domini prædicatum mũdat, quatenus gignit fidem, quę eſt initium iuſtificationis, tamen etiam Baptiſmus mundat, cùm ſtatim abluat ſordes omnium peccatorum.

AD hanc quæſtionem reſpondet, Chriſtum dixiſſe: *Vos mundi eſtis, propter verbum*, & non dixiſſe; Mundi eſtis propter Baptiſmum, quia in omni mundatione ſiue ea fiat in Sacramento, ſiue extra Sacramentum, ſemper vis mundandi oritur ex verbo. Nam ſi fit mundatio extra Sacramẽtum, neceſſariò fit per actualem fidem: fides autem ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti, Rom. 10. Si verò mundatio fit in Sacramento; elementum quidem eſt, quod mundat, ſed vt mundare poſſit, adiungitur ei verbum cõſecrationis. Semper igitur mundatio oritur ex verbo. Quocirca S. Auguſtinus illa verba Domini: *Vos mundi eſtis propter verbum, quod loquutus ſum vobis*, nõ reſtringit ad verbum concionis, ſed generatim accipit, & in toto reliquo ſermone id vnum probare conatur, omnem mũdationem fieri per verbum: idcircò promiſcuè adfert argumenta, & teſtimonia, nunc de verbo Sacramentali, nunc de Concionali, quia illi perinde eſt, modò demonſtret verbum eſſe, quod mundat.

EX hoc fundamento facilè explicabuntur tria illa loca, vbi videbatur eſſe vitioſa æquiuocatio. Primus locus erat: *Vnde tãta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur?* Hæc verba à nonnullis intelliguntur ideò eſſe dicta, quia niſi adſit fides, vel propria in adultis, vel aliena in paruulis, Sacramentũ nihil efficit. Sed hoc non rectè dicitur. Quia licet fides in adultis requiratur, vt diſpoſitio quædam ad Sacramentum fructuosè recipiendum, tamen non eſt fides, quæ dat virtutem mundãdi elemento: non enim ideò aqua habet vim mundandi, quia ego credo, ſed quia eſt Sacramentum à Deo inſtitutum.

ID autem quærit Auguſtinus, vnde ſit virtus aquæ, nõ cui proſit aqua. Illud ergo: *Non quia dicitur, ſed quia creditur*, ſignificat, verbum Sacramentale non dare vim aquæ, vt eſt res quædam naturalis, id eſt, aër percuſſus;

sic enim nihilo melius est verbum elemento ; sed vt est res spiritualis,& sola fide cognoscibilis,nimirum,vt continet inuocationem Trinitatis(quomodo etiam signum crucis,& nomen Iesus,honorabile est,& vim habet operandi miracula, ac dæmones coërcendi ; non vt est res naturalis,& sensu corporeo perceptibilis, sed vt repræsentat rem diuinam)ita vt sensus sit ; *Verbum non quia dicitur,sed quia creditur*,id est,non quatenus auribus sentitur,sed quatenus fide percipitur.

ESSE autem hunc sensum verum huius loci,patet ex sequentibus verbis : *Nam*, inquit, *& in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens :* vbi id vocat sonum transeuntem,quod vocauerat Verbum, quia dicitur ; id vocat virtutem manentem , quod vocauerat Verbum, quia creditur.

PRAETEREA illud: *Quia creditur*, vel significat,quia creditur actu,vel quia est obiectum fidei,& proinde res fide perceptibilis:non autem potest significare,quia creditur actu; nulla enim actualis fides est in rigore necessaria ad Baptismum. Nam non requiritur fides actualis suscipientis Baptismum,vt patet in paruulis,quos Augustinus hoc loco dicit verissimè per verbum in Sacramento mundari,etiãsi non valeant corde credere,& ore confiteri. Nec requiritur fides ministri,aut parentũ,aut quorumlibet offerentium,& susceptorum,vt idem Augustinus probat in epistola vicesima tertia ad Bonifacium:vbi dicit , verè mundari paruulos etiamsi baptizentur, vel offerantur ab infidelibus. Cuius igitur fides actualis requiritur , si nec susçipientis , nec dantis , nec offerentis?

DICES, requiritur fides Ecclesiæ.Sed quid si nullus in Ecclesia actum fidei exerceret, dum infans ab infideli baptizatur? quid si per impossibile Ecclesia tota periret, & tamẽ Turca quispiam,qui nosset res nostras, infantem baptizaret cum intentione faciendi quod Christus instituit,& Ecclesia faciebat?certè ille esset baptizatus. Verũ est tamen, quod Augustinus & alij dicunt, infantes baptizari in fide parẽtum,vel Ecclesiæ,quia de facto,si nullus esset fidelis,certè nullus moueretur ad baptizandum infantes:sed non ideò fides actualis ita requiritur,vt sine illa Baptismus infructuosus esset.

EST autem hîc diligenter notandum , non negari ab Augustino,verbum ipsum,vt dicitur,& vt est res sensibilis,habere virtutem;nam si aqua ipsa habet virtutẽ mundandi , quantò magis verbum,etiam vt sensibile?sed negari virtutem illam esse à verbo,vt est res sensibilis.Itaque totum Sacramentum habet virtutem , sed habet à verbo , vt verbum est res spiritualis , & sola fide cognoscibilis.

ALTER locus difficilis erat,vbi Augustinus allegat Scripturas,Rom.10.Acto.15.& 1.Petri 3.Sed respondeo, illa loca non allegari ad probandum, vim mundandi esse in aqua à verbo; sed ad probandum in genere , verbum habere vim mundandi:ille enim est Augustini scopus,vt diximus.Et quia id iam probauerat ex eo,quod verbum Sacramentale dat vim mundandi elemento;idem probat testimoniis illarum Scripturarum.Nam illa loca demonstrant fide purgari corda hominum , fidem autem nasci ex verbo prædicationis;ex quibus sequitur,verbum vim habere mundandi.

TERTIVS locus difficilis erat in fine sermonis, vbi postquam dixerat,verbo Sacramentali mundari infantes, addidit: *Totum hoc fit per verbum,de quo Dominus ait; Iam vos mundi estis propter verbum, quod loquutus sum vobis.* Sed iam responsum est,ista verba Domini ab Augustino non restringi ad sermonem , quem Dominus loquutus fuerat post vltimam cœnam , sed intelligi de verbo generaliter , vt sensus sit : Vos mundi estis , propter verbum meum , siue quòd me concionante audistis , & credidistis, siue quo in Baptismo sanctificati estis. Atque hæc de isto loco Augustini, ac de præcipuo argumento Caluini.

ALTERA obiectio est Caluini,Brentij, Kemnitij, & aliorum,quòd sit species quædam magicæ incantationis, demurmurare certa verba super aquam, vel panem,aut aliud eiusmodi mutum elementum.

SED hæc non tam obiectio,quàm horribilis blasphemia est. Nam inprimis duo sunt,quæ damnãtur in incantationibus magicis.Vnum,quòd aliqui putent in certis figuris,aut verbis esse naturalem virtutem aliquid efficiendi, atque hæc quidem superstitio est ; cùm certò constet nec figuras,nec verba vim naturalem vllam habere aliquid efficiendi.Alterum,quòd alij existiment, figuras aut verba nihil ex se habere virtutis,tamen ex pacto cum Diabolo inito adhiberi ad res certas efficiendas ; & hæc propriè magica est incantatio,& peccatum maximum.

PORRÒ verba Sacramentalia omnes fatemur nullam vim naturalem habere ; ideò enim dicimus requiri diuinam institutionẽ,vt ex Dei institutione efficiãr,quod ex se facere non poterant. Estque mera calumnia Caluini.lib.4.ca.14.§.4.quòd solo strepitu verborum,sine sensu & fide,vtamur ad elementum cõsecrandum;& Kemnitij in Examine,parte 2,pag.101. qui dicit,nos vim ponere in syllabis,& characteribus, neglectò sensu verborum.Ista enim sunt mera mendacia : nam nos nec in characteribus, nec in sono, aut numero syllabarum, sed in sensu, & significatione vim ponimus, idque ex Christi institutione.

SIQVIDEM fatentur omnes Catholici,quauis lingua vtamur,verè perfici Sacramentum , modò sensus sit idem:constat autem eadem verba,si diuersis linguis efferantur,vel scribãtur, diuersos habere characteres, diuersum sonum, diuersum numerum syllabarum. Sequitur igitur,vt existimemus , vt verè existimamus,ea ex pacto, & promissione Christi vim habere;quæ si magia est,quid aliud sequitur,quàm vt Christus sit Diabolus?Nam cùm omnis magia pendeat ex pacto Diaboli , vis autem Sacramentalium verborum pendeat ex pacto Christi:manifestè sequitur,aut nullam in Sacramẽtis nostris esse magiam,aut Christum esse Diabolum. *Ad hanc* igitur horribilem impietatem aduersarij nostri deuenerunt , vt ex Christo Diabolum faciant.

DICENT,se non facere Christum Diabolum , quia Christus non instituit eiusmodi verborum pronũciationem super nuda elementa. Sed iam satis probauimus, Christum instituisse. Cæterùm quæro ab eis, an credant Christum potuisse instituere eiusmodi signa , quæ vim haberent ex pacto ipsius aliquid operandi. Non,opinor, negabunt,nisi Christum negent esse Deum.

NAM Deus,Num.5.instituit verba quædam, quæ dicerẽtur super aquas,ac voluit eam esse vim illorum verborum,vt virtutem tribuerent aquis continuò interficiẽdi mulieres adulteras,si ab eis biberentur.Item Num.21. instituit , vt qui aspicerent æneum serpentem, continuò curarentur à morsu serpentium ignitorum. Et Christus ipse,nónne verbis , aut manus impositione, aut etiam luto,& sputo pellebat morbos? Potuit igitur Christus hoc instituere , vt verba Sacramentalia vim habeant ex pacto ipsius.

RVRSVS autem quæro,an si id Christus instituisset, quod eum facere potuisse constitit , esset magia, nec ne? Si dicant magiam futuram fuisse,apertè fatentur , Christum esse Diabolum : si negant futuram fuisse magiam, non possunt vlla ratione nos magos appellare ; id enim solùm facimus, quod Christum instituisse credimus. Si autem Christus id non instituisset, falleremur simpliciter,sed nulla ex parte magiæ crimen nos attingeret.

DENIQVE verba,& signa magica, non habent vllã vim:neque enim Diabolus dare potest rebus virtutes,sed solus Diabolus operatur ad eorũ præsentiam. At verba,&

signa Sacramentalia vim habent à Deo operandi quod significant:quare longè mirabilius , & sublimius agunt, quàm vllæ incantationes possint.

TERTIA obiectio Caluini sumitur ab auctoritate Christi Apostolorum,primitiuæ Ecclesiæ, & ipsius Dei: *Nec est*, inquit lib.4.c.14.§.4. *quòd in hac probatione laboremus,quando minimè obscurum est,quid* CHRISTVS *fecerit,quid nobis facere mandauerit,quid sequuti sint Apostoli,quid purior Ecclesia obseruauerit:immò ab initio vsque mundi notum est , quoties signum aliquod obtulit* DEVS *sanctis Patribus,inseparabilem fuisse doctrinæ copulam,sine qua attoniti nudo aspectu sensus nostri redderentur. Ergo quum de verbo Sacramentali fieri mentionem audimus,promissionem intelligamus,quæ clara voce à ministro prædicata plebem eò manu ducat,quò signum tendit ac nos dirigit.*]

SED nihil est etiam quòd nos in responsione laboremus. Nam minimè obscurum est,Christum nullam præmisisse concionem,cùm Eucharistiam primus consecrauit,& vt deinceps idem faceremus,mandauit. Vide Matthæi 26.Lucæ 22 & 1.Cor.11.Notum est etiam quid Apostoli,& veteres Patres sequuti sint,ex his testimoniis,quę nos paulò antè citauimus.Caluinus enim nullum attulit testimonium,præter vnũ Augustini,quod iam à nobis est explicatum.Denique non negamus,& Deum cùm signa dedit Patribus,eorum vim explicuisse,& nobis idem esse faciendum,dum Catechumenos instituimus:sed non rectè inde colligit Caluinus , verbum Sacramentale nihil esse,nisi concionem.Aliud enim est concionari,aliud Sacramenta celebrare:vtrumque fieri debet,sed non idcircò distinguenda non sunt,& tempora,& officia.

CAPVT XXI.

Res,& verba Sacramentorum ita determinata esse,vt nihil addere,minuere,aut mutare liceat.

SEQVITVR tertia quæstio de caussis intrinsecis, vtrum res,& verba Sacramentorum ita sint certa,& determinata,vt nihil in eis mutari possit. Et quidem apud Catholicos nulla ferè dissensio est,magisq; explicatione,quàm altercatione res indiget.

APVD hæreticos veteres non deerant,qui res,& verba Sacramentorum inuerterent,ac præcipuè apud Gnosticos,de quibus vide Irenæum,lib.1.c.9.& 13.& Epiphanium hæresi 26. Interim tamen omnes, qui Sacramentis vtebantur,res,& verba determinata habere volebant,& vt plurimùm non recedebant à verbis in Euangelio præscriptis.Sic enim ait Augustinus,lib.7.de Baptismo cõtra Donatistas, c.25. *Facilius inueniuntur hæretici,qui omninò non baptizent,quàm qui non illis verbis baptizent.*

AT nostro tempore Martinus Lutherus hæreticorum omnium audacissimus,nouam hæresim excogitauit , videlicet non requiri certa verba in Sacramentis. Sic enim loquitur in lib.de captiuitate Babylonica, cap.de Baptismo: *Quocunque modo tradatur Baptismus,modo non in nomine hominis , sed in nomine Domini tradatur , verè saluum facit:immò non dubitem,si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini , verè baptizatum esse in nomine Domini.* Hæc ille. Itaque secundum Lutherum,si quis dicat;Ego te baptizo, in nomine Lutheri , & Catharinæ vxoris eius , vel etiam in nomine Diaboli,erit verus Baptismus,modò qui suscipit,accipiat in nomine Domini.

RETRACTAVIT postea Lutherus hunc erroré.Nã in prima homilia de Baptismo,habita anno M.D.XXXV. ita loquitur: *Clarè exprimit Christus, quas cæremonias velit,& formam ipse præscribit:vt illa ipsa signa,neque alia,illa ipsa verba,neque alia hic adhibeantur.* Et infrà: *Si infantem intingeres aqua,neque adderes verba Baptismi, sed pronunciares orationem Dominicam,aut alia quædam verba ex sacris literis,non esset verus Baptismus.* Et infrà: *Si quis panem,& vinum proposito pronunciat non ipsa verba Sacramenti, sed aut Decalogum,aut Symbolum Apostolorum,aut sententiam aliquam sacram,vel Psalmum,non esset verum corpus, & sanguis Christi.* Similia habet in 3. hom. de Baptismo, habita anno M.D.XL.

LICET autem retractauerit Lutherus errorem suum, tamen Ioannes Brentius magis probasse videtur priorem Lutheri sententiam.Siquidem in Catechismo suo,cap.de Baptismo,nõ multùm curat præscriptam formam Baptismi à Christo;vt etiam Zwinglius in lib.de vera,& falsa religione,cap.de Baptismo,de qua re diçemus etiã lib. 2.de Sacramentis,c.3.Et sanè prior Lutheri sententia, vt manifestè repugnat veritati, ita magis cõuenit principiis Lutheranæ Theologiæ,quàm posterior. Si enim Sacramenta ideò potissimùm instituta sunt, vt fidem excitent, & sustentent,nihil interest,quibus verbis, aut rebus vtamur; modò illis fides excitari,ac sustentari possit. Igitur tum ad hunc errorem destruendum , tum ad rem ipsam declarandam, statuam aliquot propositiones.

PRIMA propositio: *Res certæ, & determinatæ ab ipso Deo in Sacramentis esse debent.* Hæc propositio quãtum ad Sacramenta nouæ legis,nec ab hæreticis negatur,& apud Catholicos certissima est. Sed aliter ab illis , aliter à nobis probatur.Illi probant ex generali suo principio,quòd nullus cultus Deo placeat,nisi quem ipse instituit:cætera ad ἐθελοθρησκείαν,& traditiones hominũ pertineant. Quod argumentum infirmum est,vt nos alibi sæpe ostendimus. Catholici probant ex alio principio. Quia Sacraméta nouę legis sunt caussa gratię,& iustificationis.1.Cor.6. *Abluti estis,sanctificati estis.* Ephes.5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* At nemo potest gratiam dare nisi Deus;solus igitur potuit Deus ea determinare,quæ ad essentiam Sacramentorum pertinent.

DE Sacramentis legis Mosaicæ , & legis naturæ nonnulli dubitare videntur:tamen si verè Sacramenta erant, vt reuera erant,omninò sentiendum est, fuisse à Deo determinatas res eorum Sacramẽtorum. Nam inprimis de facto constat,omnia ferè Sacramenta , quæ ad notitiam nostram venerunt,à Deo fuisse determinata.Nam Circũcisio Sacramentum fuit legis naturæ , & constat ab ipso Deo determinatum,quid,quomodo,& quo tempore faciendum esset,Genes.17.Agnus Paschalis Sacramentum erat legis scriptæ,& à Deo determinatum eum ritum nouimus,ex c.12.Exod.Idem de multis aliis probare possemus. Deinde , Sacramenta vetera erant figuræ,ac typi Sacramentorum nostrorum. At determinare certas res, quæ infallibiliter significent aliquid futurum, non potest conuenire nisi Deo,qui certò nouit illas res futuras.Denique,Etiamsi Sacramenta vetera non efficiebant gratiã iustificantem,tamen efficiebant legalem mũditiam,& introducebãt, in populum Dei:at nemo potest determinare aliquid ad legalem munditiam efficiendam , aut ad introducendum in certam Rempublicam , nisi qui auctor est illius legis,& Reipublicæ.

EST autem hîc notandum cum S. Thoma, 3. part. quæst.60.articul.5. ad 3. in omni lege fuisse materiam Sacramenti determinatam à Deo , sed non semper eodem modo. Nam in lege naturæ, quia lex non scribebatur in tabulis, nec promulgabatur per homines, aut Angelos,sed dictabatur interiùs,atque inspirabatur cordibus hominum : ita quoque & Sacramenta inspirabantur præcipuis Patriarchis, vt Adæ, Noë, Abrahæ, qui alios deinde docebant. Quia verò lex Mosaica promulgata est per Moysem , & publicè scripta in tabulis; ita etiam Sacramenta illius temporis , à Deo per Moysem tradita, & literis mandata etiam fuerunt.Denique , quia legis nouæ auctor est Verbum incarnatum,ideò etiam ab ipso Sacramenta nostra determinata fuerunt.

SECVNDA propositio: *Non solùm res, sed etiam verba in Sacramentis nouæ legis à Deo determinata sunt, vt non liceat quidquam immutare.* Hæc propositio explicãda est, vt rectè intelligatur. Notãdum est igitur primò, sex modis contingere posse formæ variationem; nimirum per additionem alicuius vocis; detractionem alicuius vocis, mutationem, vt si vna ponatur loco alterius; corruptionem alicuius vocis, detrahendo, vel mutando aliquam syllabam: transpositionem, id est, ordinis dictionum variationem; denique per interruptionem, vt pronunciando vnam partem formæ, ac deinde quiescendo per aliquod spatium, vel loquendo aliquid impertinens, & tum demum perficiendo formæ pronunciationem.

SECVNDÒ notandum est, duplicem esse Sacramentalis formæ integritatem; vnam substantialem; alteram accidentalem. Substantialis consistit in solo sensu, seu significatione verborum, non autem in sono vel numero syllabarum. Quare vtcunque varientur verba, addendo, detrahendo, mutando, trãsponendo, corrumpendo, interrumpendo, semper manet integritas substantialis, dum manet idem sensus: & contrà minima etiam variatio destruit integritatem substantialem, si pereat sensus; vt si quis vna sola litera mutata dicat; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non habet substantialem formam. Accidentalis integritas consistit in cæteris omnibus, id est, in integro sono, ordine, & numero syllabarum.

TERTIÒ nota, iudicium de his mutationibus, sintne substantiales, an accidẽtales, non debere esse mathematicum, sed morale, ita vt tunc iudicandum sit, sensum verborum conseruari, quando audientes intelligunt, & iudicant illud significari, quod per integra verba significari solet, etiamsi alioqui verba pronuntientur valde corruptè. Exẽplo esse potest id quod refert Zacharias Põtifex in epistola ad Bonifacium, & habetur etiam apud Gratianum, can. retulerunt, de consecrat. dist. 4. Quidam enim ex nimia imperitia linguæ Latinæ baptizabat his verbis; Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta. Quæ verba si propriè accipiantur non significant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & præsertim si seorsim pronũciarentur: iudicauit tamen summus Pontifex prudentissimè, substantiam formæ non esse mutatam, quia facilè poterat intelligi, quid ille vellet dicere, tum ex ipsa actione baptizandi, tum etiam ex coniunctione cum verbo in nomine. Non enim ait: In nomine Patriæ, & Filiæ, quòd ratio Grammaticæ exigebat; si is de industria formam mutare voluisset; sed, in nomine Patria, & Filia: quæ cùm ex se nihil significent, signum est illum voluisse dicere, quòd alij dicunt, cùm aiunt; In nomine Patris, & Filij, &c.

PARI ratione iudicandum est de interruptione: Si enim quis diceret in consecranda Eucharistia: *Hoc est cor*, ac deinde recitaret vnum Psalmum, vel quiescret ad spatium notabile, & tum demum adderet, *pus meum*, sine dubio iudicio prudentium non censeretur dixisse: *Hoc est corpus meum*, Si verò vbi dixit: *Hoc est cor*, patereturbreuem aliquam euagationem mentis, & non nihil etiam interquiesceret, antequam adderet, *pus meum*, non censeretur sensus formæ perire.

NOTANDVM est quartò, non esse licitum, vt in Cõclusione dicimus, vllo modo verborum formam immutare, siue per eam immutationem tollatur substantialis formæ integritas, siue solùm accidentalis. Sed hoc interest, quòd cùm forma mutatur substantialiter, Sacramentum non perficitur; & ideò ea integritas dicitur necessaria, necessitate Sacramenti; cùm autem mutatur solùm accidentaliter, Sacramentum perficitur, sed peccat qui ita mutat: & ideò dicitur hæc integritas necessaria solùm necessitate præcepti.

NOTA quintò, ex parte formæ verborum nunquam Sacramentum irritum reddi, nisi reuera desit integritas substantialis: tamen aliunde posse contingere, vt cum sola corruptione accidentali non perficiatur Sacramentum, nimirum si is qui accidentaliter mutat formam, velit introducere nouum ritum, vt docet Zacharias, can. Retulerunt de consecrat. distinct. 4. & post eum S. Thomas. 3. par. quæst. 60. artic. 7. ad 3. & artic. 8. in corpore articuli. Quorum auctorum verba non rectè ab omnibus explicantur.

IDEÒ animaduertendum est, vtrum is qui intendit introducere nouum ritum, intendat introducere nouum essentialem ritum, respectu totius Ecclesiæ Christi in vniuersum, id est, qui non fuerit antea in ipsa vera, & vniuersali Ecclesia; an intendat nouum ritum introducere respectu alicuius Ecclesiæ, quam ipse putat falsam.

SI intendit introducere nouum absolutè, tunc non perficitur Sacramentum, non quia desit forma, sed quia deest intentio. Conuincitur enim ille non velle facere, quod facit vera Ecclesia, quandoquidem vult introducere ritum, qui nunquam fuit in Ecclesia vniuersali, & vera. Et hoc est, quod docet S. Thomas locis citatis: semper enim reddit rationem cur non perficiat Sacramentum, qui intendit introducere nouum ritum, quia non habet intentionem Ecclesiæ.

SI verò intendit introducere nouum ritũ non absolutè, sed solùm respectu alicuius Ecclesiæ, quam ipse putat falsam, & interim intendat facere quod facit vera Ecclesia: tunc perficitur Sacramentum, etiam si ipse fallatur in vera Ecclesia internoscenda. Vt exempli causſa, si Græcus aliquis dum baptizat illis verbis; Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, intẽdat introducere ritum substantialem, & necessarium cõtra ritum Romanæ Ecclesiæ, ita vt velit persuadere, non perfici Sacramentum, si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & tamen intendat facere, quod facit Ecclesia vera, quæcunque illa sit; is verè baptizabit, non obstante ipsius errore. Nam in eo Baptismo inuenitur forma substantialis, & intẽtio veræ Ecclesiæ in genere, quæ omnium cõsensu sufficit: error enim illius circa Sacramentum, aut Ecclesiam, non irritat Sacramentum, vt omnes Catholici docent; qui docent Sacramenta ab hæreticis tradita, esse valida. Non enim tenetur minister Sacramenti intendere id facere, quod facit Ecclesia Romana: alioqui nullus hæreticus verè baptizaret; sed solùm id quod facit Ecclesia Christi vera, in qua tamen intentione virtualiter includitur, vt intendat id, quod Romana Ecclesia intendit, quia illa sola est vera Ecclesia.

ITAQVE quod Paludanus ait in 4. dist. 3. q. 1. art. 3. nõ semper irritari Sacramentum, cùm quis intendit introducere nouum ritum, est verum, sed non contra S. Thomam, vt ille fortasse putauit. Immò S. Thomas ideò non dixit; Cùm quis vult inducere nouum ritum, non perficitur Sacramentum, sed, non videtur perfici Sacramentum, quia nimirum posset fieri, vt perficeretur Sacramentum, sed præsumitur non perfici, quia præsumitur non adesse intentionem debitam.

QVÒD verò Dominicus à Soto ait, q. 1. art. 8. Græcos verè baptizare illis verbis; Baptizetur seruus Christi, &c. quia Ecclesia Romana tolerat eum ritum; sed si Ecclesia Romana ritum detestaretur, tunc fore vt ipsi non verè baptizarẽt; non est verum absolutè. Nam si Ecclesia Romana eum ritum detestaretur, vt corruptionem formæ accidentalem, illi peccarent quidem, sed tamen verè baptizarent: si verò Ecclesia Romana eum ritum detestaretur, vt corruptionem substantialem, tunc illi non verè baptizarent, sed causſa non esset, vt Sotus dicit, quia deesset intentio, sed quia deesset forma substantialis.

HIS ita explicatis, probatur nostra propositio aduersus Lutheri, & Brẽtij temeritatem. Primò. Sacramenta à Deo sunt instituta, vt aduersarij concedunt; ergo pars Sacramenti præcipua, nimirum forma verborum à Deo instituta est; ergo qui eam mutat, peccat contra Deum, & sæpe non perficit Sacramentum, nimirum cùm substantialiter mutat. Si enim Sacramentum à Dei institutione pendet, certè non erit Sacramentum, cùm non facimus, quod ipse instituit.

SECVNDÒ. Mutare Sacramentorum materiam, graue sacrilegium esset, nec perficeretur Sacramentum, vt aduersarij concedunt; cur igitur non sit eadem ratio de forma, quæ in verbis consistit?

TERTIÒ. Addere ad verba Scripturę, vel ea mutare, nullo pacto licet: igitur nec verba Sacramentorum mutari vllo modo debent, aut possunt: præsertim cùm verba Scripturæ solùm ad significandum, verba Sacramẽtorum ad significandum & sanctificandum instituta sint.

QVARTÒ. Idem probatur testimoniis Patrum. Irenæus lib. 1. cap. 18. reprehendit hæreticos quosdam, quòd mutarent formam verborum à Christo præscriptam in Sacramento Baptismi. Tertullianus in lib. de Baptismo: *Lex*, inquit, *tingendi imposita est, & forma præscripta; Ite*, inquit, *ad omnes gentes tingentes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Cyprianus in epist. ad Iubaianum idem habet. Item Athanasius serm. 3. contra Arianos. Basilius hom. in sanctum Baptisma, & cæteri, qui scribunt aduersus Arianos, hoc argumento probant trium personarum diuinitatem, quòd iussi simus in Baptismo tres personas exprimere. Item Basilius lib. de Spiritu sancto, c. 12. dicit, eum à gratia excidere, qui detrahit, aut addit ad verba præscripta in Sacramento Baptismi. Didymus in lib. 2. de Spiritu sancto: *Qui vnum*, inquit, *de præceptis nominibus prætermittit, neque perfectionem Sacramenti attingit, nec à peccatis hominem liberat.* Augustinus lib. 6. contra Donatistas, c. 25. *Certa sunt*, inquit, *verba Euangelica, sine quibus non potest conficerari Baptismus.* Damascenus lib. 4. de fide, c. 16. *Quæ forma verborum in Baptismo adhibẽda sit, Dominus exposuit, dicens, Baptizantes eos, &c.* Accedat Cõcilium Arelatense 1. can. 8. quod examinari iubet, qua forma verborum Ariani baptizent.

CAPVT XXII.

De fine, & necessitate Sacramentorum.

TRIA explicanda erunt circa finalem causſam Sacramentorum. Primùm, de ipsi fine dicendum erit. Secundò. de necessitate, quæ ex fine cognoscitur. Tertiò, defendenda est sententia Ecclesiæ contra mendacia, & calumnias hæreticorum. Quod ad primum attinet, duo quæri possunt, cùm quæritur quis finis sit Sacramentorum: Primùm, ad quem finẽ assequendum Deus instituerit Sacramenta: Secundò, cur ad eum finem assequendum talia media instituerit, cùm potuerit per alia media, & etiam sine vllis mediis ad eum finem peruenire.

PRIOR quæstio iam explicata est in disputatione de definitione Sacramenti: iam enim ostendimus, Sacramẽta instituta esse ad iustificandos homines, atque vt sint signa, & causſæ instrumentales gratiæ Dei.

POSTERIOR quæstio facilis est, nec de ea vlla est controuersia. Et quidem auctores multas rationes colligunt, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, tum ex parte Sacramentorum ipsorum, cur vtile fuerit Sacramenta, id est, sensibilia signa, instituere ad iustificandos homines. Sed hæ sunt præcipuæ causſæ.

PRIMA, quia id congruit naturæ humanæ, quæ ex corpore, & spiritu constat. Sic enim ait. S. Chrysostomus homil. 60. ad populum, & 83. in Matthæum: *Si corporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset dona, sed quoniam anima corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.* Similia docent, Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyssenus in sermone de Baptismo.

SECVNDA, vt clariùs appareret, gratiam, quæ datur per Sacramenta, à solo Deo esse. Si enim daretur per actiones aliquas spirituales, suspicari potuissent homines, vi propria illius actionis homines iustificari: nunc autem cùm per res corporales, & abiectas detur tam excellens donũ, nullus relinquitur locus eiusmodi suspicioni. Qua etiam de causſa Dominus Ioann. 9. cæcum illuminauit sputo, & luto, non aliquo precioso vnguento: & mundum sibi subiicere voluit per homines pauperes, & obscuros.

TERTIA, vt simul essent instrumenta iustificationis, & signa, quibus discernerentur fideles ab infidelibus, & quibus colligaretur populus Dei, & quibus etiam, vt sacris cæremoniis coleretur Deus. Nec enim poterant esse signa ad discernendos alios ab aliis, neque etiam cæremoniæ religionis, nisi essent externa, & sensibilia. Vide multas eiusmodi rationes apud Hugonem, lib. 1. de Sacramentis, par. 9. cap. 3. & Magistrũ, ac Doctores, lib. 4. sentent. dist. & S. Thomam lib. 4. contra Gentes, c. 56. & ex recentioribus, Gulielmum Alanum, lib. de Sacramentis in genere, cap. 24.

QVANTVM ad secundum, de necessitate, duplex est necessitas. Vna dicitur necessitas præcepti: altera necessitas medij. Et quanquam interdum hæ duæ necessitates coniunctæ sint; (nam hoc ipso quòd aliquid est medium ad salutem necessarium, simul etiam est præceptum naturale) tamen hoc interest, quòd cùm quis ex ignorantia inuincibili, aut alia iusta de causſa non implet præceptum, is nihil detrimenti accipit: at si quis non accipiat medium necessarium, is magnum detrimentum capit, quia non assequitur fidem, licet ex ignorantia inuincibili id ei accidat. Verbi gratia, Sacramentum Confirmationis est præceptum, sed non medium ad salutem simpliciter necessarium, ideò qui negligit accipere eiusmodi Sacramentum, peccat, sed si ex legitima causſa non accipiat, nec peccat, nec impeditur à salute. Quia verò Baptismus in re, vel in voto est præceptum, & medium; ideò qui non baptizatur; aut certè non desiderat Baptismum, non saluatur, licet ex ignorantia, vel impotentia id accidat.

RVRSVS necessitas medij; Aut est necessitas simpliciter, quomodo aliæ necessariæ sunt ad volandum; Aut ad bene esse, quomodo equus necessarius est ad iter faciendum. Denique vtraque necessitas, Aut est absoluta, & naturalis, vt in exemplis positis, Aut ex institutione, & arbitratu alterius: quomodo in ludis attingere metam, est medium necessarium ad brauium: Aut est partim ex institutione, partim ex naturali congruentia: vt cùm Imperator concedit militibus vrbem aliquam diripiendam, si eam vi ceperint. Ex his facilè poterit intelligi, quæ sit necessitas Sacramentorum.

SIT igitur prima propositio: *Nulla Sacramenta habent absolutam necessitatem, sed omnis eorum necessitas pendet ex præcepto: & institutione diuina, adiuncta naturali congruentia.* Certum est enim potuisse DEVM sine vllis Sacramentis homines iustificare, neque de hoc vlla controuersia est.

SECVNDA propositio: *Omnia Sacramenta necessaria sunt necessitate præcepti, licet non singulis.* De hac propositione non est controuersia cum hæreticis.

TERTIA propositio: *Baptismus, & Pœnitentia necessaria sunt, posita institutione diuina, necessitate medij simpliciter, Baptismus quidem omnibus, Pœnitentia iis, qui post Baptismum lethaliter delinquunt.* In hac non conuenimus. Nam aduersarij fatentur quidem Sacramenta esse necessaria, quia præcepta, & etiam necessaria vt media vtilia: non tamen agnoscunt vllum Sacramentum necessarium simpliciter, vt medium. Et ratio est, quia cùm sola fides iustificet, Sacramenta solùm adhibentur, vt

fidem excitent, aut nutriant. Atqui sine Sacramentis per solum verbum potest fides gigni, nutriri, augeri, non igitur sunt vlla Sacramenta simpliciter necessaria. Sed hæc controuersia tractanda est in disputatione de Baptismo, & Pœnitentia: nunc sufficient duo loca Scripturæ apertissima. Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Luc.13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

QVARTA propositio: *Eucharistia, Confirmatio, & Extrema vnctio necessaria sunt necessitate medij ad benè esse, posita diuina institutione.* In hac non conuenimus, quatenus numeramus Confirmationem & Vnctionem inter sacramenta: sed de hoc alibi. Quantum ad Eucharistiam, conuenimus, quòd sit in præcepto; sed quòd sit necessaria ad benè esse, vt medium, videmur conuenire, sed reipsa non conuenimus. Nam dicunt quidem, Caluinus in Antidoto, & Kémitius in Examine, Sacramẽta esse necessaria, vt media à Christo instituta; sed inter explicandum ita extenuant hanc necessitatem, vt eam ferè tollant. Volunt enim Sacramenta solùm esse vtilia ad alendam fidem, quia repræsentãt oculis id, quod verbum offert auribus. Vnde Apologia Confessionis, artic. 13. comparat Sacramenta picturæ: sicut ergo picturæ non possunt dici necessariæ ad salutem, nisi fortè hominibus valde rudibus; ita nec Sacramenta secundum ipsorum sententiam. Conatur Kemnitius loco citato refellere hanc similitudinem de pictura, & ostendere nescio quam maiorem necessitatem. Sed non potest negare similitudinem illam esse in Apologia, quam se in omnibus sequi profitetur. Et præterea aliis verbis idem dicit: nihil enim vult Sacramenta esse aliud nisi ritus, in quibus visibiliter repræsentetur promissio, sicut audibiliter, vt sic loquar, repræsentatur in verbo. Itaque reuera non agnoscunt necessitatem, licet mentiantur se agnoscere, sed solùm tenuem quandam vtilitatem Sacramentorum.

QVINTA propositio: *Ordo necessarius est, non singulis hominibus, sed ipsi Ecclesiæ in vniuersum, necessitate medij simpliciter, posita diuina institutione.*

SEXTA propositio: *Matrimonium necessarium est ad benè esse, non singulis hominibus, sed Ecclesiæ in vniuersum,* De his non est controuersia. Vide sanctum Thomam, 3. part. q. 65. art. 4.

QVANTVM ad tertium, refellenda sunt mendacia & calumniæ Caluini, & Kemnitij contra canonem IV. sess. 7. Concilij Tridentini, vbi de necessitate Sacramentorum agitur. Verba concilij ita habent: *si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* Quo canone Concilium tria definit. Primò, Sacramenta non esse superflua ad salutem, sed necessaria; id quod definitum est contra Anabaptistas, & Zvvinglianos, qui (vt suprà in disputatione de definitione vidimus) Sacramenta vtilia esse volebant ad discernendos fideles ab infidelibus, non autem ad salutem consequendam. Atque hanc partem definitionis libenter admittunt, & probant Caluinus & Kemnitius. Secundò, Sacramenta quædam adeò esse necessaria, vt sine ipsis, vel eorum voto non possit salus cõtingere. Hoc autem est contra Lutheranos, & Caluinistas, qui soli fidei tribuant ejusmodi necessitatem. Tertiò, non omnia Sacramẽta esse singulis necessaria: id quod asseritur propter Ordinem, & Matrimonium. In qua parte definitionis illud solum reprehendunt, quòd hæc inter Sacramẽta numeremus: sed de hoc alibi dicendum erit. Veniamus nunc ad mendacia.

HVNC canonem ita Caluinus calumniatur in Antidoto: *Hic boni Patres pro sua crassitie non animaduertunt, quidquid nobis gratiæ per Sacramenta cõfertur, nihilominus fidei imputandum. Qui enim à Sacramentis fidẽ separat, perinde facit, ac si animam à corpore tolleret. Ergo quemadmodum Euangelij doctrinam non excludimus, cùm dicimus, nos sola fide Christi gratiam adipisci, ita nec sacramenta, quorum eadem est ratio, cùm Euangelij sint sigilla.* Hæc ille.

QVIBVS verbis reprehendit illam partem canonis, vbi Concilium damnat eos, qui dicunt homines iustificari sola fide sine Sacramentis. Ideò autem reprehendit, quia putat à Concilio damnari sententiam Lutheranorũ non intellectam. Nam etsi fatentur Lutherani solam fidẽ iustificare, & proinde Sacramenta non iustificare, eo modo, quo fides iustificat, tamen admittunt etiã Sacramenta alio modo iustificare: quomodo non negant, Deum iustificare, & Christi passionem iustificare, & concionem etiam suo quodam modo iustificare. Nam Deus iustificare dicitur ex auctoritate peccata remittens, & in gratiam nos recipiens: Christus iustificare dicitur meritoriè, quia meruit nobis gratiam, & remissionem peccatorum; verbum, & Sacramentum iustificant instrumentaliter, quatenus excitant, vel nutriunt fidem, quæ iustificationem apprehendit: fides autem iustificat, quia immediatè veluti quædam spiritualis manus, iustificationem apprehendit; quomodo iustificandi fides comitem nullum habet. Itaque ineptè Concilium ex Caluini sententia colligit, Lutheranos excludere sacramenta à iustificatione, quia doceant solam fidem iustificare.

SIMILEM calumniam habet Kemnitius, pag. 80. *Quod*, inquit, *præcipuè obseruandum est, necessitatem Sacramentorum opponant iustificationi per solam fidem, atque ea, quæ ad salutem necessaria sunt, distinguẽda sunt, vt Christus promerens, Pater donans, organa, seu instrumenta verbi, & Sacramentorum, per quæ Spiritus sanctus beneficia illa noui Testamenti offert, applicat, obsignat, auget, & cõfirmat in credentibus, & demum fides quæ beneficia illa apprehendit, & accipit singula hæc suo modo, & in suo gradu ad salutem nostram ordinata sunt. Et sicut non sequitur, Sacramenta ad salutem sunt necessaria, ergo non solus Christus suo merito nobis eam acquisiuit: ita etiam non sequitur, Sacramenta ad salutem sunt necessaria, ergo non per solam fidem gratiam iustificationis accipimus.* Hæc ille.

ATQVI hæc est calumnia, & mendacium manifestũ. Concilium enim rectè intellexit eorum sententiam, & ipsum propriè damnauit, quod illi docent. Nam non dãnat eos Concilium, quòd excludant sacramenta à iustificatione quouis modo, sed quòd excludant ab immediata acceptione, & applicatione iustificationis, quam ipsi soli fidei tribuũt. Fides enim Catholica non admittit sola fide immediatè apprehendi, & applicari hominibus gratiam iustificationis: sed vult ad id necessariò requiri etiam sacramenta, adeò vt si fides in aliquo existat, quãuis maxima, non tamen iustificet, nisi adsit etiam Sacramentum in re, vel in voto: Immò magis requiritur Sacramentum, quàm fides. Nam sine Sacramento in re, vel in voto nemo iustificatur, neque paruulus, neque adultus; sine fide autem aliqui iustificantur, vt paruuli, qui fidẽ propriam nullam habent, qua recipiant iustificationem, & tamen per Sacramentum fidei iustificantur.

VNDE etiam refellitur, quod ait Caluinus: quidquid nobis gratiæ per Sacramenta confertur, id fidei imputãdum. Id enim falsum est. Gratia enim quę per Sacramenta confertur, impuranda est virtuti ipsorum Sacramentorum, & Christi institutioni, non fidei: fides enim non tribuit vim Sacramentis, sed solùm disponit subiectum, vt suprà diximus.

IAM verò Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 79. & sequentibus, dicit in singulis dictionibus huius canonis latere insidias: detegit autem ipse quinque insidias: quæ tamen reuera non sunt latentes insidiæ Concilij, sed patentes calumniæ Kemnitij. Primò, sic ait: *Principio artificium compositionis in hoc canone*

considerandum est: in singulis enim fermè dictionibus peculiares latent insidiæ. Et infrà: *Reliquos*, inquit, *ritus, vt Confirmationis, Extremæ vnctionis, auricularis Confessionis, Satisfactionis, &c. volunt simpliciter esse sacramenta ad salutem necessaria.*

HOC esse mendacium perspicuum est, tum ex eo, quod Concilium non addidit vocem illam (simpliciter) tum etiam quia communis sententia Theologorum, à qua Concilium nunquam recedit solùm tria Sacramenta docet esse necessaria simpliciter. Baptismũ omnibus, & Pœnitentiam omnibus, qui peccant post Baptismum, & Ordinẽ, ipsi Ecclesiæ in vniuersum. Sine reliquis posse homines saluari, modo absit negligentia, & contemptus. Vide S. Thomam 3. par. q. 65. art. 4.

SECVNDO sic ait idem Kemnitius: *Neque enim quisquam sanus iustificationem per solam fidem ita vnquam intellexit, quasi à iustificatione excludatur gratia Dei, meritum Christi, & ministerium verbi, & sacramentorum.*

HOC est alterum mendacium. Nam etiamsi Kemnitius, & Caluinus doceant: solam fidem non debere opponi Sacramentis in negotio iustificationis, sicut non opponitur gratiæ Dei, & merito Christi; tamen Lutherus, quem sanum fuisse Kemnitius nunquam negaret, multis in locis opposuit solam fidem Sacramentis, ac disertis verbis docuit, ita sola fide homines iustificari, vt nulla pars iustificationis ad Sacramenta pertineat. In lib. de captiuit. Babylon. cap. de Baptismo: *Baptismus*, inquit, *neminem iustificat, nec vlli prodest, sed fides in verbum promissionis.* Et in assert. 1. articuli: *Nos dicimus*, inquit, *nec nomi, nec veteris Testamenti sacramenta, sed solam fidem iustificasse.* Et in lib. contra Ioan. Cochlæum: *Nõ potest*, inquit, *vlla pars iustificationis tribui Baptismo.* Hæc ille. Qui certè non dixisset, Gratia Dei, aut meritum Christi non iustificãt, nec vllis prosint; & nulla pars iustificationis tribui potest gratiæ Dei, aut merito Christi. Lutherus igitur opposuit iustificationem per solam fidem Sacramentis, quam tamen non opposuisset gratiæ Dei, aut merito Christi. Sic etiam Philippus Melãchthon, quem insanum fuisse Kemnitius nunquam diceret, in locis editis, anno M. D. XXII. *Non iustificant*, inquit, *signa, vt Apostolus ait: Circuncisio nihil est: ita Baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est*, Hæc ille. Sed, quæso, an dixisset Melanchthon, Gratia Dei nos iustificat, & gratia Dei nihil est? Igitur opponebant veteres Lutherani solam fidem Sacramentis, quam non opposuissent gratiæ, & merito Christi. Porrò Concilium simul damnauit & has profanas voces veterum Lutheranorum, & sententiam, quam sequuntur Caluinus & Kemnitius, licet à verbis abstineant.

TERTIO, sic ait ibidem Kemnitius: *Neque necessitatem sacramentorum eò tantùm referunt, quòd sint causæ instrumentales, per quas à Deo nobis offeratur, & exhibeatur gratia iustificationis, sed loquuntur de adipiscenda, seu accipienda gratia iustificationis. Et hoc nolùt soli fidei tribui, sed adiungunt necessitatem sacramentorum: hoc est, intelligunt nostrum opus, quod in susceptione Sacramentorum facimus, vt fides non sola, sed vnà cum dignitate, seu merito illius nostri operis accipiat gratiam iustificationis.*

HIC verò impudenter mentitur Kemnitius. Nullus enim Catholicorum iustificationem, quàm in Sacramẽtis accipimus, tribuit dignitati, aut meritis operis nostri, sed institutioni diuinæ, & operi Christi. Nec enim Baptismus, aut alia Sacramenta sunt opera nostra, aut pendent ex nostra dignitate, aut merito, alioqui Sacramenta ab impiis collata non essent vtilia, cuius contrarium tum Catholici, tum etiam Lutherani defendunt contra Donatistas.

QVARTÒ addit Kemnitius: *Et propterea nominant Sacramenta nouæ legis, vt sit mutua relatio legis, & nostrorum operum in ipso etiam Sacramentorum vsu.*

HIC etiam leuiter calumniatur. Non enim per legem intelligit Concilium præceptum, quo opus imperatur, sed Testamentum nouum; idem enim significant Sacramentum nouæ legis, & Sacramentum à Christo institutum, qui est auctor noui Testamenti, seu legis.

QVINTO adiungit ineptissimè: *Ideò etiam votum nominant, hoc est, pollicitationem certi operis, ad accipiendam iustificationis gratiam.*

QVIS non miretur imperitiam, vel impudentiam huius censoris? Nam vel ignoraut, votum in verbis Cõcilij non pollicitationem, sed desiderium significare; vel de industria cauillari voluit. Certè Cõciliũ, cùm ait, Sacramenta esse necessaria, vel eorum votum, per votum voluntatem accepit. Nam vt S. Augustinus, libro 4. contra Donatistas, cap. 23. docet, sine Baptismo, latro saluatus est, quia non eius accipiendi voluntas defuit, sed non accipiendi necessitas adfuit. Atque hæc de nugis Kemnitianis, & de caussa finali Sacramentorum.

CAPVT XXIII.

Auctorem Sacramentorum solum esse Christum.

DE Caussa efficiente Sacramentorum quatuor sunt controuersiæ; quot sunt etiam canones de hac re in Concilio Trident. sess. 7. Vt autem hæc faciliùs intelligantur, obseruãdum est triplicem caussam efficientem in Sacramentis à Theologis considerari. Vnam principalem, & omninò independentem, in qua dicunt esse potestatem auctoritatis. Alteram instrumentalem, sed instrumenti coniuncti, in qua dicunt esse potestatem excellentiæ. Tertiam instrumentalem, sed instrumenti separati; in qua dicunt esse potestatem ministerialem.

PRIMA caussa omnium cõsensu est Deus: ipse enim solus ex auctoritate gratiam dare potest, & proinde Sacramenta instituere, quæ gratiam efficiunt, aut etiam infallibiliter significant. Secunda caussa est Christus, vt homo; Christi enim humanitas est instrumentum coniunctum diuinitati hypostaticè, & ideò Christo vt homini tribuitur quædam potestas ministerialis quidem, quia deriuata est à diuinitate, tamen excellentiæ potestas dicitur, quæ soli Christo conuenit. Tertia caussa est quilibet alius minister Sacramentorum. De 1. caussa nulla est quæstio, de 2. vna controuersia est, de 3. tres.

PRIMA igitur quæstio est; An auctor Sacramentorum nouæ legis sit solus Christus. Aduersarij duo quædam docent. Primò, Sacramenta quæ sola ipsi vera Sacramenta putant, à solo Christo esse instituta, nimirum Baptismum, & Eucharistiam; cætera non à Christo institutа. Ita docent Caluinus in Antidoto Concilij, sess. 7. can. 1. & Kemnitius in 2. par. Examinis. pag. 13. Citat autem Kemnitius Cyprianum, in sermone de ablutione pedum; item Hugonem, lib. 2. de Sacramentis, par. 15, cap. 2. & Petrum Lombardum, lib. 4. dist. 23. qui negant omnia Sacramẽta à Christo instituta fuisse. Poterat addere Alexandrum Alensem, qui 4. par. q. 24. membro 1. dicit, Sacramentum Confirmationis post mortem Apostolorum institutum esse ab Ecclesia in Concilio Meldensi. Idem sentire videtur sanctus Bonauentura, in 4. distinct. 7. artic. 1. q. 1. Præterea idem Alexander, quæst. 59. memb. 3. & Bonauentura, distinct. 17. artic. 1. q. 3. & Marsilius in 4. quæst. 14. dicunt, Sacramentum Pœnitentiæ non fuisse à Christo institutum, sed ab Apostolis.

Aduersus errorem hunc posuit Concil. Trident sess. 7. canonem 1. qui talis est: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis, non esse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Qui canon non debet ita intelligi, quasi Concilium velit Sacramenta instituta esse à Christo immediatè, vel mediatè; sed solùm immediatè: nam alioqui Concilium frustrà canonem istum posuisset, cùm nemo vnquam dubitauerit, quin saltem mediatè Sacramenta à Deo sint institutа. Præterea idem Concilij, sess. 14. can. 1.

agens de Sacramento Vnctionis extremæ, seipsum explicat, cùm ait; Sacramentum illud ab ipso Christo institutum fuisse, sed a B. Iacobo Apostolo promulgatum. Denique, si tantùm mediatè Christus Sacramenta instituisset, idem dici posset de Sacramentis, & de aliis omnibus cæremoniis Ecclesiasticis: omnes enim sunt à Christo mediatè institutæ, quia nimirum dedit Ecclesiæ potestatem instituendi, & inspirauit, vt instituerent, & astitit, ne erraret in instituendo; & tamen idem Concilium nō eodem modo loquitur de Sacramentis, & de aliis cæremoniis. Nam sess. 21. cap. 2. dicit. Ecclesiam habere potestatem mutandi, & instituendi circa Sacramenta, salua tamen eorum substantia.

Hæc igitur verissima Concilij sententia cōfirmari potest his rationibus. Primò, in Scripturis Apostoli non vocantur, nisi dispensatores, & ministri mysteriorum Dei, vt 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Non igitur instituerūt ipsi, sed solùm promulgarunt, & ministrarunt Sacramenta à Christo instituta.

Secvndo, Sacramenta legis veteris à Deo immediatè sunt instituta, à Moyse autem solùm promulgata, vt patet ex libris Exodi, & Leuitici, vbi semper cùm aliquid noui instituitur, legimus; Loquutus est Dominus ad Moysem; multò igitur magis par erat, vt Sacramenta nouæ legis præstantiora ab ipso Deo instituerentur.

Tertio, id Patres affirmant, Cyprianus, siue quicunque est auctor, in sermone de ablutione pedum: *Ipse*, inquit, *summus Sacerdos sui est sacramenti institutor, & auctor: in cæteris homines spiritum sanctum habuere doctorem.* Vbi vides non Sacramenta (vt Kemnitius falsò citabat) sed quosdam alios ritus ab hominibus institutos, auctore Cypriano. Ambrosius, lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. *Auctor*, inquit, *sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus?* Augustinus, lib. 3. doctrin. Christ. c. 9. dicit primò ipsum Dominum, deinde Apostolicam disciplinam tradidisse Ecclesiis Sacramēta. Idem, in epist. 118. cap. 1. Sacramentorum auctorem Deum facit.

Ad testimonia verò, quæ allegat Kemnitius, Respondemus, Cyprianum contrarium habere, vt suprà ostendimus. Hugonem autem, & Lombardum per institutionem intelligere voluisse promulgationem, quomodo etiam lex vetus, dicitur lex Moysis, cùm tamē eam Moyses non instituerit propriè, sed tantùm promulgauerit: Idem responderi potest ad eorum testimonia, qui dicunt, Sacramētum Pœnitentiæ ab Apostolis institutum. Nam iidem dicunt. Christum instituisse Absolutionem, & insinuasse Confessionem: quocirca non tam relinquunt Apostolis institutionem, quàm declarationem, licet ipsi eam vocent institutionem. Porrò quòd aiunt Alexander & Bonauentura de Sacramento Confirmationis, defendi non potest. Constat enim testimonio Fabiani Papæ, Dionysij Areopagitæ, Cypriani, Tertulliani, & aliorum veterum, Sacramentum Confirmationis fuisse diu ante Concilij Meldensis tempora. Vide Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia, cap. de Baptismo, Tertullianum li. de resurrectione carnis, Fabianum in epistola. ad Orientales, Cyprianum, lib. 2. epist. 1. in sermone de Chrismate. Sed neque Concilium illud aliud statuit, nisi vt qui ad Sacramentum Confirmationis accedunt, ieiuni sint, vt patet ex Gratiano, canone, Vt Episcopi, de consecrat. distinct. 5. nec enim aliud exstat ex hoc Concilio. De hac tota quæstione plura dicentur, cùm de singulis Sacramentis agetur.

CAPVT XXIV.

Ministrum Sacramentorum ordinarium non esse quemlibet hominem etiam baptizatum.

Altera quæstio est de caussa ministeriali in Sacramentis conficiendis, & ministrandis, quis propriè in Ecclesia sit minister Sacramētorum. Aduersarij multùm inter se, & nobiscum in hac quæstione dissentiunt.

Martinus Lutherus duo dicit falsa, & inter se pugnantia. Primum, omnes omninò esse ministros, non solùm homines, sed etiam dæmones. Sic enim ait in libro de Missa priuata, & vnctione Sacerdotum, edito anno, M.D.XXXIV. *Ego non dicam, quòd Papistæ dicunt, nullum Angelorum, ne Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed econtra dico, si diabolus ipse veniret, & ego postea resciscerem diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ, in specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, & absoluisse à peccatis, & tali munere functum esse iuxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideò non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Euangelium, veram Absolutionem, verum Sacramentum corporis & sanguinis Christi nos accepisse.* Hæc ille.

Probat autem, tum quia fides nostra, dignitas, & efficacia Sacramentorum, non nititur qualitate personæ; sed Christi verbo, & ordinatione. Siue igitur bona sit, siue mala: siue vncta, siue nō vncta: siue vocata legitimè, siue non sit vocata: siue Saran, siue Angelus: idem efficit, modò seruet Christi ordinationem: tum etiam quia Iudas, qui erat membrum diaboli, non minùs prædicabat, & baptizabat, quàm cæteri Apostoli. Cur igitur non possit diabolus, quod possunt membra eius?

Alterum quòd Lutherus dicit, est, omnes & solos homines baptizatos habere potestatem omnia Sacramenta ministrandi: tametsi ad tollendā confusionem, non oporteat omnes vti hac potestate, sed tantùm eos, qui legitimè sunt vocati, exceptis tribus casibus. Primò, quando quis est in loco priuato, vt domi suæ. Secundò, quando nemo alius adest, & necessitas vrget. Tertiò, quando alius adest, sed non tam bene ministrat, vt ego facerem, iuxta illud. 1. Cor. 14. *si alteri reuelatum fuerit, prior taceat.*

Hanc esse eius sententiam patet ex sequētibus. in lib. de captiuit. Babylon. cap. de Ordine: *Esto*, inquit, *certus, & sese agnoscat quicunque se Christianum esse cognouerit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes, hoc est, eandem in verbo, & sacramento quocunque habere potestatem: verùm non licere quenquam hac ipsa vti, nisi consensu communitatis, vel vocatione maioris.* Et paulò antè: *Quòd si cogerentur admittere, nos omnes esse æqualiter sacerdotes, quotquot baptizati sumus, sicut reuera sumus, &c.* Item in articulis à Leone X. damnatis, articulo 13. *Vbi*, inquit, *nō est sacerdos, æquè potest quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset*, Et in assertione eiusdem articuli rationem reddens, ait: *Qui enim baptizatus est, spiritum Christi habet, vbi autem spiritus Christi, ibi omnium potestas, & libertas.* Hæc ibi. Item in libro, quem edidit contra eandem bullam Leonis, anno XX. *Assero*, inquit, *& amplector fiducia tota spiritus mei articulos per eam damnatos, asserendósque pronuntio omnibus Christianis sub pœna æternæ damnationis.* Et infrà in fine libri: *His*, inquit, *scriptis testor, me omnia damnata per bullam istam execrabilem confiteri pro Catholicis dogmatibus.* Et infrà: *Vltimum quod habeo exponam, nempe hanc animam, & hunc sanguinem. Melius enim est me millies occidi, quàm vnam syllabam damnatorum articulorum reuocare.* Hæc ibi.

Vbi est obiter notandum, reuocasse postea Lutherū aliquos ex iisdem articulis, ac nominatim 36. de libero arbitrio, quem in assertione primarium, & fundamentū totius doctrinæ suæ ipse appellat. Nam in articulo isto 36. dicit, liberum arbitrium esse rem de solo titulo: & in assertione explicat, id ita intelligendum esse, vt iuxta doctrinam VVicleſi omnia de necessitate absoluta eueniāt. Quod quidem apertissimè reuocauit in visitatione Saxonica, vbi docet, hominem esse liberi arbitrij in operibus ciuilibus, nec omnia necessariò euenire.

Ad hæc in lib. de abroganda Missa, edito anno XXI. ex proposito docet, & probat omnes Christianos habere eandem potestatem in verbo, & Sacramentis ministrandis: *Inuictis*, inquit, *scripturis firmabimus legitimum illud, & vnicum verbi ministerium esse commune omnibus Christianis, sicut & sacerdotium, & sacrificium*, Et infrà probat aliquot exemplis Scripturæ, licere etiam fœminis concionari. Item in libro ad Pragenses, de instituendis ministris Ecclesiæ, quē edidit anno M.D.XXIII. *Sacerdos*, inquit, *in nouo præsertim Testamento non fit, sed nascitur: non ordinatur, sed creatur: nascitur autem in Baptismo, sintque prorsus omnes Christiani sacerdotes.* Et ibidem prolixè probat, omnes Christianos ex Baptismo habere, vt possint concionari, baptizare, consecrare, & absoluere, ac ligare. Et de claubus habet hæc verba: *Cessent*, inquit, *hominum mendacia. Claues sunt totius Ecclesiæ, & cuiuslibet membri eius, tam iure, quàm vsu, & omnibus modis.* Hęc ille. Infrà tamen monet, non licere vnicuique vti hoc iure, nisi in necessitate, sed exspectandam esse vocationem, & electionem multitudinis.

Ex quibus duo corollaria deducit. Vnum, quòd publici ministri non differant à cæteris potestate, vel dignitate aliqua, sed solo vsu potestatis. Alterū, quod ex proximo sequitur, posse ministrum fieri laicum, vt ex laicis fiunt ministri. Porrò argumenta eius infrà ponētur, cùm soluenda erunt. Hæc igitur est Lutheri sententia.

Ioannes Caluinus in altero extremo versatur. Nā non solùm non concedit diabolum, aut fœminas, aut quoslibet Christianos posse concionari, & Sacramenta ministrare, sed ita seuerè defendit, solùm quosdam legitimè vocatos habere hanc potestatem, vt ne in necessitate quidem concedat laicis ac præsertim fœminis, vt baptizent. Sic enim scribit in Antidoto ad can. 10. sess. 7. *Nemo sanus Christianos omnes in verbi, sacramentorúmque administratione pares facit: non solùm quia decenter, & ordine geri omnia in Ecclesia decet, sed etiam quòd singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur ministri.* Et infrà: *Porrò munus baptizandi, vbi mulierculis iniunctum reperient, quemadmodum illis permittunt?* Idem fusè docet in Instit. lib. 4 cap. 3. §. 10. & cap. 15. in fine. Itaque cum Caluino nulla nobis hoc loco controuersia est. Nam quòd negat laicos, & fœminas non posse in necessitatis articulo baptizare, in disputatione de Baptismo refutandum erit.

Martinvs Kemnitius more suo rem totam inuoluens, non satis aperit quid sentiat. Nam discutiens 10. canonem, sess. 7. Concilij Tridētini, qui sic habet: *Si quis dixerit, Christianos omnes, in verbo, & omnibus Sacramentis administrādis habere potestatē, anathema sit*, Tria dicit. Queritur Primùm, canonem esse positum ad damnandam Lutheri sententiam, sed mutilatam, & deprauatam: *Non enim Lutherus vnquam sensit*, inquit Kemnitius pag. 138. *quemuis Christianum promiscuè sine legitima vocatione, vel posse, vel debere sibi arrogare, vel vsurpare ministerium verbi, & administrationem Sacramentorum in Ecclesia.*

At debuisset distinguere Kemnitius potestatem ab executione. Nam si loquitur de sola executione, verum est, Lutherum non sensisse, posse vel debere quemuis sibi arrogare hoc ministeriū sine legitima vocatione: Sed neque Concilium id in Luthero damnauit; id enim omnes fatemur esse verum. Si verò loquitur de potestate, falsum est Lutherum nō ita sensisse: vt loca à nobis prolata demōstrant. Atque id est, quod damnauit Concilium. Neque potest dici Lutheri sententia à Concilio mutilata, vel deprauata. Non enim Concilium debuit totum librū Lutheri describere, aut referre ea, quæ ab illo benè scripta sunt: sed satis fuit ea referre quæ damnanda erant.

Deinde addit Kemnitius, Concilium fraudulenter loqui: *Obliquè*, inquit, pag. 140. *& quasi aliud agentes hoc axioma petunt; Neminem, etiamsi legitimè iuxta præscriptum verbi Dei ab Ecclesia electus, & vocatus sit, nisi ab Episcopo aliquo vnctus, & rasus sit, habere vllam potestatē in verbi, & sacramentorum administratione: & sacramenta ab illis administrata non esse vera, & efficacia. Has insidias Lector intelligat occultatas in hoc canone.*]

Sed canō apertissimus est, & Kemnitius potiùs simplici eius intelligentiæ insidias tendit. Nam Concilium non dicit, non habere vllam potestatem in Sacramentis ministrandis eos, qui non sunt ab Episcopo vncti & rasi. Nam Concilium non ignorabat ad Sacramenta Baptismi, & Matrimonij non requiri necessariò ordinationē, sed dicit non habere potestatem in omnibus Sacramentis, vt reprobet Lutheri sententiam, quæ in omnibus Sacramentis etiam Eucharistiæ, & Pœnitentiæ tribuit laicis potestatem. Deinde Concilium non nominat vnctos, & rasos; vnctio enim, & rasura cæremoniæ sunt accidētales, sine quibus essentia Ordinationis cōsistere potest. Itaque Kemnitius insidias in suis verbis occultat.

Tertio, dicit sententiam canonis, vt verba sonant, esse veram, sed tamen eam non rectè exponit: *Quod verò*, inquit, *ad ipsam sententiam decimi huius canonis, sicut verba posita sunt, attinet, planè & clarè respōdeo. si qui existimant, cuiuis Christiano promiscuè sine peculiari, & legitima vocatione permissam esse potestatem vsurpādi, & exercendi ministerium verbi, & sacramentorum in Ecclesia, eos iure, & meritò damnari.*

At non rectè exponit Concilium Kemnitius. Non enim Concilium damnat eos, qui dicunt, licere vnicuique sine vocatione vsurpare ministerium; id enim nemo dicit: proinde non fuisset opus canone: sed damnat eos, qui dicunt, omnes Christianos habere potestatem, verbū & Sacramenta omnia ministrandi, quod Lutherus dixit, & Kemnitius sentire videtur, licet apertè confiteri non audeat. Proponenda est igitur, & probanda Ecclesiæ doctrina, quæ duabus propositionibus comprehēdi potest.

Prima propositio: *Minister sacramentorum homo esse debet, non autem Angelus, siue bonus, siue malus.* Hæc est aduersus Lutherum, & communis apud Theologos.

Est tamen Obseruandum, quòd si fortè Angelus bonus Sacramentum aliquod ministraret, illud habendum esset ratum, quia certum esset id factum esse diuina dispensatione extraordinaria. Quocirca refert Nicephorus lib. 11. ca. 10. sanctum Amphilochium ab Angelis ordinatum Episcopum; idque ratum habitum ab Episcopis eius prouinciæ. At si Diabolus idem faceret, iterandum esset Sacramentum; quia Diabolus nec habet ex se potestatem, nec peculiari Dei dispensatione acciperet, sed sibi vsurparet, vt falleret.

Probatvr hæc propositio. Primò, Ad essentiam sacramentorū, vt requiritur verum, & naturale elementum, ita verum, & naturale verbum. Sed solus homo verè, & naturaliter loquitur; loqui enim est actio corporis viuentis per instrumentum linguæ, & palati, non igitur Angelus bonus, vel malus Sacramenta conficere potest. Nam vt rectè docet sanctus Thomas 1. part. quæst. 51. artic. 3. ad quartum, Angeli etiam per corpus assumptum, non possunt propriè loqui.

Secvndò, Etiamsi vera elementa, veráque verba Angeli adhibere possent, tamen non propterea illa verum Sacramentum efficerent. Nam Sacramentum est signum, & caussa infallibilis gratiæ: non autem id habent elementa, & verba naturaliter, sed solùm vt à Deo assumuntur vt instrumenta iustificationis. Ergo non sunt vera Sacramenta cùm à quocunque adhibētur, sed cùm adhibentur ab eo, cui Deus id committit: quomodo etiam verba, quibus miracula faciebāt Christus & Apostoli, non à quocunque prolata fuissent, eandem vim habuissent. Si enim quis dicat claudo: *surge, & ambula* nihil efficiet, nisi à Deo assumatur vt instrumentum ad miraculum faciendum: non igitur vera Sacramenta con-

ficere potest, nisi qui à Deo habet auctoritatem. Sed Deus hanc auctoritatem solis hominibus dedit, non Angelis bonis, vel malis. Nam Matth. 28. hominibus dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Item Luc. 22. solis hominibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ioan. 20. solis hominibus dixit: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Ad Hæc Ephes. 4. *Christus ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*, vbi per dona intelligit varia ministeria, quæ sunt in Ecclesia: nam antea dixerat: *Vnicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, sicut scriptum est, Ascendens in altum, &c.* Et infrà: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores, &c.* Denique Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, &c.* Quare Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, apertè testatur, Angelis non esse concessum, quod est concessum hominibus, vt Sacramẽta ministrẽt: & idem habet homil. 85. in Ioannem, prope finem.

TERTIO, confirmatur ex doctrina Lutheri. Nam ipse vult fundamentum potestatis in verbum, & Sacramenta, esse Baptismum, vt patet ex locis citatis: at hoc fundamento carent Angeli tum boni, tum mali. Item in homil. de Baptismo, & alibi docet, non sufficere verba, & elementa, sed requiri Dei mãdatum: at Deus nusquam mandauit Angelis, vt Sacramenta conficerent; igitur, &c.

NEQVE argumenta Lutheri pro Diabolo facta cõcludunt. Ad Primum concedimus, Sacramentorum efficaciam non pendere à qualitate ministri quacunque. Nõ enim pendet à qualitate accidentali, vt est bonitas: tamẽ pendet à qualitate essentiali, sine qua non esset verus minister; talis autem inprimis est, vt sit homo.

AD Secundum, fatemur Iudam, & membrum Diaboli fuisse, & vera Sacramenta ministrasse: negamus autem idem conuenire Diabolo. Nam Iudas non vt membrum Diaboli, sed vt minister Christi Sacramentum administrauit: fuit autem Iudas Christi minister, quia verus homo erat, & à Christo acceperat potestatem baptizandi, quorum neutrum Diabolo conuenit.

SECVNDA propositio: *Verus minister Sacramentorũ (Baptismo & Matrimonio exceptis) nõ est quilibet homo etiam baptizatus, sed is solũ qui ritè in Ecclesia ordinatus est.*

NOTA, excipi Baptismum, quia propter summã eius Sacramenti necessitatem, semper Ecclesia intellexit, posse à quolibet homine conferri: de qua re dicemus in materia de Baptismo. Item excipi Matrimonium, quoniam cùm Matrimonium consistat in contractu mutuo duorum, non poterat aliter fieri, quàm vt ipsi contrahentes essent ministri.

PROBATVR hæc propositio aduersus Lutheranos. Primò, ex Scripturis, quæ docent, in Ecclesia esse diuersa officia, nec omnia omnibus cõuenire; vt Roman. 12. 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. *Alios posuit Apostolos, alios Prophetas, &c. Et nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ? &c.* Idẽ ergo dici potest de pastoribus, & doctoribus, qui ibidem nominantur. Nec responderi potest hic agi de vsu, vt Lutherani dicunt, non de potestate. Nam certè Apostoli non habebãt potestatem Apostolicam, antequam illam à Christo acciperent, non igitur acceperunt vsum tantùm, sed ipsam potestatem.

SECVNDO ex illo Hebr. 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tãquam Aaron.* Non igitur omnes, qui sunt de populo Dei, sunt hoc ipso sacerdotes. Neque potest hic locus intelligi de exercitio tantùm: nam Aaron antequam vocaretur à Deo ad sacerdotium, non habebat, neque vsum, neque potestatem. Præterea assumere honorem, non est exequi potestatem, sed accipere eam; quod etiam confirmatur ex sequentibus: *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret.* Igitur assumere honorem est fieri Pontificem, non autem exercere Pontificatum.

TERTIÒ, Apostoli baptizati sunt & baptizabant ante Christi passionem. Nam quòd baptizarent, habetur Ioan. 4. quòd baptizati fuerint, docet Augustinus in epist. 108. ad Seleucianũ: nec est credibile eos à Christo iussos baptizare, antequam ipsi baptizarentur. At potestatem consecrandi Eucharistiam acceperũt postea Luc. 22. cùm audierunt: *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & absoluẽdi potestatem acceperunt postea Ioan. 20. *Quorum remiseritis.* Non igitur acceperant in Baptismo.

QVARTO, Si omnes Christiani acciperent in Baptismo hanc potestatem, ideò acciperent, quia tunc, vt ait Lutherus, vnguntur gratia Spiritus sancti, & proinde fiunt spirituales sacerdotes. At id falsum est: nam sequeretur eos, qui dum baptizantur, non recipiunt gratiam, & eos, qui postea eam perdunt, non verè conferre Sacramenta, quod tamen Lutherus rectè negat contra Anabaptistas. Nec potest responderi, sufficere characterem, nam Lutherani non agnoscunt vllum characterem.

QVINTO; Si omnes Christiani haberent hanc potestatem, nemo posset priuari vsu eius, nisi in pœnã magni criminis; atqui apud Lutheranos multi priuantur vsu huius potestatis sine vlla sua culpa. Neq; obstat quod illi obiiciunt de confusione. quæ nasceretur in Ecclesia, si omnes vterentur hac potestate. Nam possent per vices fungi hoc ministerio: aut certè non deberet posse repelli, qui vellet ministrare, quando pauci sunt ministri, etiamsi non esset vocatus à Magistratu. At ipsi repellunt non vocatos; ergo vel iniuriam eis faciunt, vel fateri debent, eos non habere potestatem.

SEXTÒ; In lege veteri, vbi erant Sacramenta imperfectiora, non tamen omnes poterant ea ministrare, sed soli sacerdotes. Nec valet solutio, si dicas, Christianos esse factos in Baptismo spirituales sacerdotes: nam etiam illi fiebant in Circumcisione spirituales sacerdotes, & poterant omnes offerre spirituales hostias. Immò quod dixit B. Petrus de omnibus Christianis: *Vos autẽ genus electum, regale sacerdotium.* 1. Petr. 2. idem antea dixerat Moses de omnibus Israëlitis Exod. 19. & tamen Ozias Rex, lepra punitus fuit, quia fungi voluit munere sacerdotali. 2. Paralip. 26.

CAPVT XXV.

Soluuntur argumenta Lutheri.

EX his ad argumenta Lutheri facile erit respondere. Ac Primùm in libro de abroganda Missa proponit sex Scripturas, quibus probet omnes Christianos æquè esse sacerdotes. Prima est 1. Petr. 2. *Tanquam viui lapides superædificamini in sacerdotum sanctum.* Secunda ibidem: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Tertia ibidem: *Vt virtutes annuntietis eius qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumẽ suum.* Vbi Christiani dicuntur ad hoc vocari, vt annuntient, id est, prædicent virtutem Christi: igitur omnes Christiani possunt ac debent prædicare, quod est præcipuum munus sacerdotis. Quarta Apocal. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnũ, & sacerdotium.* Quinta Apocal. 20. *Erunt sacerdotes Dei, & Christi eius.* Sexta 2. Corinth. 3. *Qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.*

ADDIT Præterea quædam loca, vt probet mulieres posse concionari, Ioëlis 2. *Prophetabunt filij vestri, & filiæ.* Actor. 21. *Erant Philippo quatuor filiæ virgines prophetantes.* Exod. 15. Maria prophetauit. Iudicum 4. Debora docuit Israel. 4. Reg. 22. Olda consilium dedit Regi Iosiæ. Luc. 1. Virgo Maria prophetauit. 1. Corinth. 11. *Mulier velato capite oret, & propheter.* Ex quo loco explicari putat alium eiusdem Apostoli 1. Corinth. 14. *Mulieres in ecclesia taceant.* Nam in priori loco loquitur absolutè, in posteriori prohibet, ne loquantur mulieres viris præsentibus,

tibus, & loqui volentibus, & valentibus.

RVRSVS in libro de instituendis ministris ad Pragenses, probat hoc ipsum dupliciter. Primò hac ratione, Christus est sacerdos. Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum.* Omnes Christiani sunt fratres Christi. Psal. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis. & Psal. 44. Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Igitur omnes Christiani sunt sacerdotes.

SECVNDO probat ex officiis sacerdotum, quæ sunt concionari, baptizare, consecrare, absoluere, sacrificare, orare pro aliis, & iudicare de doctrinis. Quòd enim omnes possint concionari, probat tribus Scripturis. Primò ex illo 1. Pet. 2. *Vt virtutes annuncietis.* Secundò ex illo 1. Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis.* Annunciare enim mortem Domini, prædicare est. Tertiò ex illo 1. Corinth. 14. *Vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet. Apocalypsim habet, potestis omnes per singulos prophetare.* Propter quæ loca ita Lutherus triumphat: *Quare satis his locis robustissimè, & clarissimè firmatum sit, ministerium verbi potissimùm in Ecclesia esse prorsus vnicum, & commune omnibus Christianis, non modò iure, sed etiam præcepto. Quare & sacerdotium non nisi vnicum, & commune erit, vt nihil valeant aduersus hæc diuina fulmina, infiniti patres, innumera Concilia, æterna consuetudo, & vniuersa mundi multitudo, quibus stipulis rasæ larvæ nituntur sacerdotium suum stabilire.* Hæc ille.

QVÒD omnes possint baptizare, probat ex vsu nostræ Ecclesiæ, quæ concedit etiam mulierculis vt baptizent: & proinde vt ministrent verbum: nec enim Baptismus sine verbo constat.

QVOD omnes possint cõsecrare Eucharistiam, probat Primò, quia Luc. 22. Christus in cœna omnibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Item Secundò, quia Paulus 1. Cor. 11. totam Ecclesiam alloquitur, cùm ait: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Denique Tertiò probat, quia maius est baptizare, & concionari, quàm consecrare. Nam ex cõcione, & Baptismo datur remissio peccatorũ; ex cõsecratione nihil sequitur, nisi stupor sacerdotis super sua potestate, & dignitate.

QVÒD omnes possint absoluere, probat ex illo Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, &c.*

QVÒD omnes possint sacrificare, probat, quia nullum est sacrificium in Ecclesia, nisi illud, quo iuxta Paulum Rom. 12. *Sacrificamus corpora nostra per mortificationem vitiorum.* Id autem commune est omnibus.

QVÒD omnes possint orare pro aliis, probat, quia oratio Dominica est communis; & in ea pro aliis etiam oratur.

QVÒD omnes possint iudicare, & discernere dogmata, probat dupliciter. Primò ex illis Scripturis, quæ iubent, vt fugiamus falsos Prophetas. Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, vocem alienorum non audiunt.* Matt. 7. *Attendite à falsis Prophetis.* Secundò ex illis verbis Pauli 1. Cor. 14. *Si sedenti reuelatum fuerit, prior taceat.* Hic verò triumphat Lutherus, ac vult licere vnicuique iudicare Ecclesiam Romanam, licet ipsa sedeat, vt mater, & magistra Ecclesiarum. Hæc sunt argumenta ex lib. de instituendis ministris. Accedat Vltimò argumentum, quod facit in assertione 13. art. *Qui*, inquit, *baptizatus est, spiritum Christi habet, vbi autem spiritus Christi est, ibi omnium potestas, & libertas.*

RESPONSIO. ad Primum, Secundum, Quartum, & Quintum locum respondeo, loca illa intelligi de sacerdotio spirituali, quo offerimus hostias spirituales, id est, opera bona, ac præcipuè laudes, & preces: quod quidem sacerdotium cõmune est omnibus piis hominibus. Sed præter hoc sacerdotium est aliud propriè dictum, quo offertur sacrificium propriè dictum, & ad cuius officium pertinet ministrare verbum, & Sacramenta populis.

ID ita esse patet, Primò ex ipsis locis. Nam 1. Petr. 2. habetur: *Offerentes spirituales hostias.* Addidit enim spirituales ad distinctionem hostiarum, quæ non spiritualiter, & mysticè, sed propriè sacrificantur. Sic etiã in cap. 5. & 20. Apocal. agitur de sacerdotio beatorum in cœlo, quod certum est non esse, nisi ad offerendas laudes.

SECVNDO idem probatur: quia verba B. Petri sumpta sunt ex cap. 19. Exodi, vbi illud idem dicitur de Hebræis, quod B. Petrus tribuit Christianis. At in Testamẽto veteri non erant omnes propriè dicti sacerdotes, sed solùm filij, & posteri Aaron, & tamen erant omnes sacerdotes spirituales.

TERTIÒ: quia tam Petrus in epistola, quàm Ioannes in Apocalypsi coniungunt regnum cum sacerdotio. Sic igitur sunt omnes Christiani sacerdotes, quomodo sunt omnes Reges.

QVARTÒ: hæc loca solùm intelliguntur de sanctis & piis Christianis, non de peccatoribus, qui non sunt gens sancta; vt eos Petrus vocat: at sacerdotium seu ministerium externum cõuenit etiam peccatoribus, ex sententia tum Catholicorum, tum Lutheranorum.

AD Tertium locum: *Vt virtutes annuncietis, &c.* Respõsio, Non imperat S. Petrus, vt omnes Christiani publicè prædicent verbum Dei, sed vt gratias agant Deo, eúmque laudent ob eius beneficia. Nam vt rectè exponit Beda, alludit Petrus ad Canticum Hebræorum (*Cantemus Domino gloriosè, &c.* Exod. 15.) quod cantauerunt liberati ex Ægypto post trãsitum maris rubri. Vult enim eodem modo Christianos liberatos de diabolica seruitute per aquas Baptismi, cantare canticum actionis gratiarum, & assiduè laudare potentiam Redemptoris. Nec malè addit Oecumenius, velle etiam B. Petrum, vt omnes Christiani non tam verbis, quàm bonis operibus annuncient Dei virtutem, ita vt eorum vita sit quasi quædam concio gentilibus, iuxta illud Matth. 5. *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem, &c.* Quomodo etiam intelligũtur multa alia loca, vt Psalm. 18. *Cæli enarrant gloriã Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* 1. Timoth. 2. *Sicut decet mulieres promittentes*, Græcè ἐπαγγελλομέναις, annunciantes, *pietatem per opera bona.* Et infrà. *Mulieri docere non permitto.* Vbi vides mulieribus imperari, vt annuncient pietatem: ac ne fortè Lutherana interpretatione deceptæ putarent sibi licere etiã concionari, addit: *Per opera bona, & Mulieri docere non permitto.*

AD Sextum: *Idoneos nos fecit ministros, &c.* Respõsio. Non loquitur de omnibus Christianis, sed de se tantùm, & cæteris collegis suis Apostolis. Nam confert se cum Mose, qui minister fuit Testamenti veteris, ac dicit, illum ministrasse literas in lapidibus insculptas, se autem & collegas suos ministrare spiritum, &c. At constat in Testamento veteri non fuisse omnes ministros, & promulgatores legis, sed solum Mosem. Præterea toto capite præcedenti loquitur de seipso, & similiter initio cap. 3. cùm ait: *Incipimus iterum nosmetipsos commẽdare: aut egemus, sicut quidam commendatitiis literis ad vos, aut ex vobis?*

AD loca illa pro fœminis, Respondeo. Aliud est prophetare, id est, futura prædicere, aliud prophetare, id est, concionari, siue Scripturas interpretari. Primum non est propriè munus sacerdotis, seu præsulis Ecclesiastici, sed est gratia gratis data, quæ etiam laicis viris, & fœminis conuenire potest. Certè Dauid, Helias, Helisæus, Isaias, & alij permulti, sacerdotes non erant, & tamen prophetabant, & de hoc genere prophetandi intelliguntur ferè omnia loca allegata. Alterum genus est proprium sacerdotis, neque conuenit fœminis, quia fœminarum est subesse, non præesse. Et hanc rationem adfert B. Paulus 1. Corinth. 14. *Mulieres taceant in Ecclesia, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* Nec tamẽ propterea prohibetur Deus, quin possit extraordinariè fœminis concedere, vt doceant viros, vt quondam con-

rigit Deboræ, & ante annos ducentos ſanctæ Catharinæ Senenſis. Sed hæc priuilegia non faciunt legem.

AD argumentum, ex eo quòd Chriſtus eſt ſacerdos, & omnes Chriſtiani ſunt fratres eius, Reſpondeo. Nihil concludit hoc argumentum. Primò, quia Chriſtus non eſt ſacerdos Aaronicus, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. In Sacerdotio Aaronico id habebat locũ, vt omnes fratres eſſent ſacerdotes: at in ſacerdotio ſecũdũ ordinem Melchiſedech ſolus primogenitus erat ſacerdos.

PRÆTEREA etiam in ſacerdotio Aaronico ſoli fratres naturales erant ſacerdotes, nõ autem adoptiui: porrò Chriſtiani ſunt fratres Chriſti adoptiui non naturales.

DENIQVE, ſi omnia, quæ Chriſto conueniunt nobis etiam omnibus conuenirent, cur non omnes faceremus miracula, prædiceremus futura? &c.

AD argumẽtum ex Primo officio ſacerdotis, Reſpondeo. Tria illa loca nihil probant. Nam illud 1. Pet. 2. *Vt virtutes annuncietis*, intelligitur de laude priuata, non de concione, vt diximus. Illud 1. Corinth. 11. *Mortem Domini annunciabitis*, intelligitur de commemoratione paſſionis Dominicæ, quam facimus non concionando, ſed ſumẽdo Euchariſtiam; alioqui deberent omnes, qui ſumunt Euchariſtiam, concionari, quod eſt impoſſibile. Illud. 1. Cor. 14. *Poteſtis omnes prophetare, vt omnes diſcant & omnes exhortentur*; non intelligitur de omnibus Chriſtianis, ſed de omnibus, qui habebãt ea dona, ait enim: *Vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, linguam habet, &c.* At certè non habebãt omnes donum linguarum, cùm idem Paulus dicat, 1. Corinth. 12. *Diuiſiones gratiarum ſunt, &c.* &; *Nunquid omnes linguis loquuntur?* & hoc tempore nulli ſunt, qui habeant eiuſmodi donum. Vult ergo Paulus dicere; Vnuſquiſque veſtrum, qui gloriamini ob eiuſmodi dona, vtimini illis ordinatè, & ad ædificationẽ. Adde Secundò, quod non loquitur de concione publica, quæ eſt propria ſacerdotũ, ſed de piis collationibus, & exhortationibus quibus vtebãtur, cùm ſimul cõueniebãt, vt paùlò poſt dicã. Itaq; immeritò Lutherus ob hęc tria loca malè intellecta, contẽnit infinitos Patres, innumera Cõcilia, æternã cõſuetudinẽ, & vniuerſã mũdi multitudinẽ.

AD alterum ex Secundo officio, Reſpondeo. Mulieres apud nos baptizare in caſu neceſſitatis, & ex permiſſione, non ex officio: quomodo etiã permittitur Iudæis, & Turcis ob ſummã eius Sacramenti neceſſitatem. Sicut ergo non ſequitur, Turca poteſt baptizare, ergo poteſt omnia Sacramenta miniſtrare, vel, ergo eſt verus ſacerdos; ita non ſequitur, Fœmina poteſt baptizare, ergo poteſt omnia Sacramenta miniſtrare: vel, ergo eſt ſacerdos. Neque eſt verum neminẽ baptizare, quin concionetur. Verbum enim quod in Baptiſmo profertur, non eſt concionale, vt ſuprà demonſtrauimus, ſed conſecratiuum.

AD argumentum ex Tertio officio. Reſpondeo. Illud, *Hoc facit*, non eſt dictum omnibus: alioqui tenerentur fœminæ, & pueri conſecrare Euchariſtiam. Pari ratione illud: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*: non ſignificat omnibus traditam poteſtatem conſecrandi, ſed omnibus traditum, id eſt, dictum, explicatum & declaratum, quod Dominus inſtituerat. Denique potentia conſecrandi maior eſt, quàm baptizandi, ſicut per Baptiſmum datur remiſſio peccatorum, ita & per Euchariſtiam; Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et præterea per conſecrationem fit conuerſio panis, etiamſi Lutherus nolit, quæ non fit per Baptiſmum.

AD argumentum ex Quarto officio, Illa verba: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, &c.* intelliguntur dicta Eccleſiæ, de qua ibidem: *Dic Eccleſiæ, &: Si Eccleſiam non audierit, &c.* Vt enim oſtenderet Dominus non eſſe contemnendum Eccleſiæ iudicium: addidit illam promiſſionem: *Quæcunque alligaueritis.* Porrò Eccleſia ligat, & ſoluit, ſed per ſuos præſules, nõ per quoſcunque, ſicut corpus loquitur, ſed per linguam, non per manum; & vniuerſitas determinat propoſitiones, ſed per Doctores, non per Scholaſticos, Id autem oſtendit apertiſſimè praxis Eccleſiæ omnium ætatum.

AD argumentum ex Quinto officio. Negamus non eſſe in Eccleſia aliud ſacrificium, quàm mortificationis vitiorum. Nam ad hoc ſacrificium non requiritur altare: eſt autem in Eccleſia altare, vt patet ad Heb. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.* Sed de hoc alibi.

AD argumentum ex Sexto officio, Reſpondeo; Non eſt ſacerdotis orare quomodocunque ſed orare publicè, & tãquam publicam perſonam intercedere pro vniuerſo populo, vt Chryſoſtomus docet lib. 6. de ſacerdotio.

AD argumentum ex Septimo officio, Reſpondeo, illa loca *Oues meæ vocem meam audiunt, non audiunt vocẽ alienorũ, &: Attendite à falſis Prophetis*, docẽt, debere omnes homines iudicare de dogmatibus, non quidẽ examinando illa ad regulã Scripturæ, vt hæretici; ſi enim id omnes facere poſſent, non eſſet opus paſtoribus: & doctoribus in Eccleſia, ſed examinando illa ad doctrinam antea traditam, & ad doctrinam aliorum paſtorum. Facilè enim poſſunt omnes iudicare, an doctrina ſit noua, & tunc eam ſuſpectam habere debent. Præterea Dominus alienos, & falſos Prophetas nõ vocat ordinarios paſtores, ſed extraordinarios qui per ſe veniũt, vt venerunt omnes hæretici.

ILLVD autem: *Si ſederi reuelatum fuerit, prior taceat*, in quo Lutherus triumphat, non intelligitur niſi in collationibus quibuſdam, de quibus eo loco Paulus agit, non de publica concione Paſtoris, & multo minus de publico iudicio Concilij, aut ſummi Pontificis. Id quod patet Primò, vſu Eccleſię. Nunquam enim eſt auditum, vt dum fit publica concio, permiſſum ſit alicui alteri loqui, & multo minùs permiſſum eſt, vnquam priuatis hominibus reluctari iudicio totius Eccleſiæ.

SECVNDO, quia non tenemur credere vnique dicenti ſibi eſſe reuelatum aliquid, præſertim in re graui, & maximè ſi illa reuelatio ſit contraria doctrinæ ordinariorum paſtorum: alioqui pateret aditus omnibus hæreſibus. Nullus eſt enim hæreſiarcha, qui non iactet ſua dogmata, vt veriſſimam Dei, reuelationem.

TERTIO patet ex illis verbis Prophetæ: *Duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent.* Non enim conueniret vt duo aut tres concionarentur, ſed bene conueniebat, vt in collatione ſpirituali duo aut tres dicerent. Adde quòd Iuſtinus in 2. Apologia propè extrema, explicans morem primæ Eccleſiæ, diſtinguit concionem, quam ſoli Præpoſito tribuit, à collatione ſpirituali, quam ibidem poſt concionem, & Sacramenta inter ſe habere ſoliti erant.

AD illud argumentum poſtremum; Qui baptizatus eſt, habet ſpiritum Chriſti: vbi autem ſpiritus Chriſtus eſt, ibi omnium poteſtas, & libertas. Reſpondeo Primò; Maior propoſitio non eſt vera vniuerſaliter. Multi enim baptizantur, qui non recipiunt ſpiritum Chriſti, quia ſine fide aut pœnitentia baptizantur: multi recipiunt, qui poſtea amittunt, & tamen non amittunt Baptiſmum. Secundò Minor etiam propoſitio falſa eſt. Nam plurimi habent ſpiritum Chriſti, qui tamen non habent omnium rerum poteſtatem, cùm nec poſſint loqui variis linguis, neque futura prædicere, neque curare morbos, neque excitare mortuos.

CAPVT XXVI.

Non requiri fidem, aut probitatem miniſtri, vt Sacramenta efficacia eſſe poſſint.

SEQVITVR Tertia quæſtio de qualitatibus miniſtri, Sacramentorum, vtrum requiratur neceſſariò fides, aut charitas, ita vt hæretici, infideles, ſchiſmatici, improbi Catholici, non poſſint Sacramenta conferre. Non quærimus autem, an peccent Sacramenta conferendo; iſta enim eſt quæſtio propriè

Scholaſtica; ſed tantùm, an ſit irritum, quidquid faciunt infideles, aut improbi homines, etiamſi alioqui legitimè ordinati ſint Presbyteri, aut Epiſcopi, & nihil omittant eorum, quæ ad ſubſtantiam Sacramentorum pertinent.

PORRÒ, controuerſia de hac re nulla, aut penè nulla hoc tempore eſſe videtur. Nam etſi Lutherus aliquoties dicat, ſpiritum Chriſti, qui recipitur in Baptiſmo eſſe fundamentum poteſtatis conferendorum Sacramentorum, ex quo ſequitur, ſolos bonos, qui ſpiritum Chriſti habent, efficaciter Sacramenta conferre: tamen ipſe idem poſtea docuit, adeò non requiri fidem, aut probitatem miniſtri, vt etiam Diabolus efficaciter Sacramenta miniſtrare poſſit, vt ſuprà diximus. Confeſſio quoque Auguſtana, art. 8. fatetur Sacramenta eſſe efficacia, licet ab hypocritis, & malis hominibus miniſtrentur. Quod idem habet Caluinus li. 4. Inſtit. cap. 15. §. 16. Vnde in Antidoto Concilij Tridentini ad can. 12. ſeſſ. 7. vbi dicitur anathema iis, qui negant Sacramenta eſſe efficacia, ſi à malis miniſtrentur, nihil aliud ſcribit, niſi hanc vocem, *Amen*, Denique Kemnitius in 2. part, Examinis pag. 155. affirmat canonem Concilij 12. ſibi non diſplicere.

TRIBVI ſolet & Anabaptiſtis ea ſententia, quòd Sacramenta non ſint efficacia niſi à probis, & fidelibus miniſtrentur. Sed mirum eſt ſi Huſſitæ ita ſentiant, cùm ordinationes ſacerdotum ſuorum ab Romano Pontifice petere conſueuerint, cùm tamen Romanum Pontificem, & omnes Epiſcopos Catholicos pro hæreticis haberent, & habeant. Et certè ſi Huſſitæ ratas habent ordinationes eorum, quos hæreticos putant, multò facilius ratum haberent Baptiſmum ab eis collatum: Id patet ex libro Lutheri ad ſenatum Pragenſem, vbi dehortatur Bohemos Huſſitas, ne petant ordinationes à Romanis, cùm & ipſi Romanis, & Romani ipſis ſint hæretici. Quod ergo Ioanes Huſs, in articulis, qui damnantur in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. 14. dicit, Prælatum malum, aut præſcitum eſſe æquiuocè paſtorem; & nullum eſſe Epiſcopum, dum eſt in peccato mortali: aut intelligitur ſolùm, quoad iuriſdictionem; aut certè non ſequuntur in hac parte Huſſitæ Magiſtrum ſuum.

ANABAPTISTIS tribuit hunc errorem Kemnitius loco citato, ſed quia doctrina eorum eſt in multis occulta, & non publicè euulgata, non ſcimus quibus fundamentis nitantur. Quare ſatis erit hoc loco, Primum indicare qui fuerint olim errores de hac re. Deinde à quibus Patribus, & quibus ratidnibus confutati. Poſtremò quomodo eorum obiectiones diſſoluantur.

QVOAD Primum; Ante annos M. CCC. in Aſia, & Africa cœpit error exoriri, non eſſe rata Sacramenta, quæ ab hæreticis, & ſchiſmaticis dabantur poſt ſeparationem eorum ab vnitate Catholica. De Aſiaticis id refert Euſebius lib. 7. hiſto. ca. 6. ex epiſt. Dionyſij Alexandrini. De Africanis conſtat tum ex eodem Euſebio lib. 7. ca. 2. tum ex Auguſtino lib. 2. de Baptiſmo, ca. 7. vbi etiam indicat primum auctorem huius erroris fuiſſe Agrippinum Epiſcopum Carthaginenſem S. Cypriani prædeceſſorem. Quod clariùs teſtatur Vincentius Lirinenſis in commonitorio, vbi dicit Agrippinum primum omnium mortalium rebaptizandum cenſuiſſe.

SEQVVTVS eſt prædeceſſorem ſuum S. Cyprianus cum multis Africæ Epiſcopis, ſic tamen, vt non propterea ſe ab Eccleſiæ vnitate ſepararet, vt patet ex epiſtolis ad Quintum, ad Pompeium, & ad Iubaianũ: quocirca nunquam hæreticus habitus eſt. Nec deſunt, qui aſſerũt, eum poſtea reuocaſſe ſententiam, vt S. Auguſtinus teſtatur in epiſt. 48. ad Vincentiũ: quemadmodũ etiã Epiſcopos cęteros, qui cũ Cypriano eũ errorẽ definierãt, reuocaſſe ſententiã ſuã, permotos auctoritate Stephani Romani Pontificis, ſcribit S. Hieron. in Dialogo contra Luciferianos.

SEQVVTI ſunt paulò pòſt hæretici Donatiſtæ, qui pertinaciter eundem errorem tenuerunt, & auxerunt. Nam in primis, Agripinus, & Cyprianus nõ habebãt pro hæreticis, qui contrarium ſenticbant: vnde nec rebaptizabant baptizatos à Catholicis etiam ſibi in ea opinione contrariis. Donatiſtæ autem rebaptizabant etiam Catholicos, quos hæreticos putabant. Sic enim ait Auguſtinus in libro de vnico Baptiſmo, capit. 13. conferens Donatiſtas cum Agrippino, & Cypriano: *Rebaptizare hæreticos, quod illi feciſſe dicuntur, iunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc iſti faciunt, ſemper eſt diabolicæ præſumptionis.*

SECVNDO, Donatiſtæ errorem defendebant poſt Eccleſiæ definitionem in Concilio generali, quod eſt hęreticorum proprium. Agrippinus & Cyprianus non viderunt vllam abſolutam Eccleſiæ definitionem, vt Auguſtinus teſtatur lib. 2. de Baptiſmo, ca. 7. & 9.

TERTIO, Cyprianus tantùm improbabat Sacramenta tradita ab hæreticis, & ſchiſmaticis, id eſt, ab iis, qui eſſent extra Eccleſiam; at non improbabat Sacramenta tradita à malis miniſtris intra ipſam Eccleſiam: vt Auguſtinus demonſtrat lib. 4. de Baptiſmo, cap. 2. & lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 2. At Donatiſtarum alij, omnes peccatores manifeſtos excludebant à Sacramentorum adminiſtratione, vt Auguſtinus teſtatur, li. 2. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 10. alij, omnes omninò homines malos, etiam occultos, vt idem Auguſtinus refert lib. 2. contra Creſconium, cap. 28.

POST Donatiſtas eundem errorem ſaltem ex parte docuerũt Luciferiani. Nam teſte S. Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos, admittebant illi Baptiſma collatum ab hæreticis, ſed non Ordinationem: quanquam Hilarius quidam Diaconus, vt ibidem ait Hieronymus, ne Baptiſma quidem admitteret.

FVERVNT deinde alij tempore S. Bernardi, qui dicebantur Apoſtolici, qui negabant homines malos poſſe efficaciter Sacramenta miniſtrare, vt ipſe teſtatur ſermon. 66. in Cantica. Quod idem poſtea etiam docuerunt Albigenſes, vt refert ſanctus Antoninus in ſumma Theologica, part. 4. titulo vndecimo capitulo ſeptimo, §. quinto.

INTER vtroſque autem exſtiterunt Vvaldenſes, qui bonis laicis concedebant miniſteria Sacramentorum, atque illa eadem malis ſacerdotibus detrahebant, teſte S. Antonino, pag. 4. tit. 11. cap. 7. §. 2. Atque huc reſpexit S. Thomas lib. 4. contra Gentes, cap. 77. cùm ait eſſe quendam errorem, quòd omnes boni, & nulli mali poſſint eſſe idonei Sacramentorum miniſtri: quod idem omninò eſt cum eo, quod Lutherus initio dicebat, eos omnes, & ſolos eſſe ſacerdotes, qui habent Spiritum Chriſti.

DENIQVE poſt hos omnes exſtitit Ioannes VViclef, qui hanc hæreſim non parùm locupletauit. Nam non ſolùm peccatores, ſiue occultos, ſiue manifeſtos, ſed etiam bonos in præſenti, ſed malos aliquando futuros, id eſt, præſcitos, negat Sacramenta poſſe conficere. Vide de hoc errore Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. & Thomam Vvaldenſem tomo 2. cap. 14.

QVANTVM ad Secundum; Refutarunt hanc hæreſim multi ſancti ac veteres ſummi Pontifices: Ac primum in ipſo eius exortu S. Stephanus Papa, & Martyr, vt refert Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 2. & ſequentibus. Deinde Syricius in epiſt. 1. ad Himerium, Innocentius I. in epiſtol. 22. ad Macedoniæ Epiſcopos, Leo epiſt. 77. ad Nicetam, Anaſtaſius II. in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, & alij.

SECVNDO damnarunt eandem hæreſim Concilia. Primo Concilium Nicænum generale. Id enim frequentiſſimè teſtatur S. Auguſtinus lib. ſecundo, de Baptiſmo, capitul. 3. 4. 5. 7. 9. & alibi, ſed quia nuſquam Auguſtinus vocat illud Concilium Nicænum, multi dubitant de quo Concilio loquatur. At nulla eſt cauſſa dubitandi; nam vocat Concilium plenarium orbis terræ. Nullum

autem nouit Augustinus orbis terræ Concilium, nisi Nicænum. Nam quatuor tantùm facta sunt Augustini tempore Concilia generalia, Nicænum, Ardicense, Constantinopolitanum I. & Ephesinum I. Sed ex his Ephesinum I. indictum fuit paulò antè mortem Augustini, & post mortem eius celebratum; ex epistola Africanorum ad Imperatorem Theodosium iuniorem. Concilium Constantinopolitanum de hac quæstione non tractauit.

ADDE quòd Augustinus lib. 2. de Baptismo, cap. 9. testatur Concilium plenarium, in quo hæc veritas definita est, ante celebratum fuisse, quàm ipse nasceretur. Constat autem solum Nicænum celebratum esse ante Augustini natiuitatem. Nam Concilium Nicænum actum est anno CCC. XXVII. Augustinus natus est anno CCC. LVII. Concilium Constantinopolitanum actum est anno CCC. LXXXIII. Vide Chronicum Eusebij cum additione Prosperi. Concilium Sardicense nec de ista quæstione tractauit, nec notum fuit Augustino, vt ostendimus in disputatione de iure appellationis, & sexto Concilio Carthaginensi.

PRAETEREA in Concilio Nicæno can. 19. iubentur Paulianistæ rebaptizari, ex quo apertè deducitur cæterorum hæreticorũ Baptisma approbatum à Concilio fuisse.

DENIQVE (quod vnum sufficere deberet) S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos extremo, sic ait: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Hæc ille. Vbi apertissimè dicit, à Synodo Nicæna approbatum Baptisma hæreticorum omnium (de hac enim re loquebatur) exceptis quibusdam, qui nimirum non vrebantur forma legitima.

NON diu post damnauit eundem errorem Concilium Carthaginense I. can. 1. præsidente Grato Episcopo, temporibus Constantini Imperatoris, cuius Concilij meminit etiam S. Augustinus, lib. 2. cap. 2. de Baptismo contra Donatistas. Item Arelatense I. can. 8. eodem tempore: ac diu postea Concilium Constantiense sess. 8. & Tridentinum sess. 7. can 12.

TERTIO, refutarunt Doctores permulti, ac præcipuè Augustinus in omnibus libris contra Donatistas. Optatus in libris contra Parmenianum, Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Nazianzenus in oratione de Baptismo S. Thomas lib. 4. contra Gentes, c. 77. & Thomas Vvaldensis tomo 2. ab initio per multa capita, vbi etiam multorum multa profert testimonia.

PORRÒ argumenta præcipua, quibus vtuntur, tria sunt. Primo adferunt traditionem, & consuetudinem antiquissimam ab Apostolorum tempore. Hoc enim argumento præcipuè vsum S. Stephanum Papam testatur S. Cyprianus in epistola ad Pompeium. Eodem argumento vtitur passim S. Augustinus li. 2. de Baptismo, cap. 9. *Consuetudinis*, inquit, *robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem.* Vincentius autem Lirinensis in commonitorio, dicit tantum valuisse apud Ecclesiam Catholicam hoc argumentum ductum à Traditione, & cõsuetudine Ecclesię, vt hoc vno superata fuerit causa S. Cypriani, qui summa eloquentia, & frequentissimo sanctorum Episcoporum Cõcilio, & multis diuinæ Scripturæ testimoniis contra veritatẽ pugnabat.

EX quo intelligimus Lutherum cum suis, contrarium spiritum habere ei, quem habuit vetus, & vera Christi Ecclesia. Lutherus enim propter vnum Scripturæ testimonium perperam intellectum, contẽnit æternam consuetudinem, vt ipsemet loquitur in libro de abroganda Missa; & in libro de instituendis ministris ad Pragenses. At vetus Ecclesia ex consuetudine ducentorum, vel trecentorum annorum explicabat omnia testimonia, quæ Cyprianus cum suis adferebat, & meritò: Nam cùm certum sit, consuetudinem vniuersæ Ecclesiæ perpetuã non posse cum verbo Dei pugnare, & clarior sit consuetudo, quàm ipsum verbũ; rectè iudicabant illi, ex consuetudine verbum Dei esse interpretandum, non ob verbum Dei obscurum & ambiguum, consuetudinem abolendam, vt Lutherani hoc tempore faciendum esse contendunt.

SECVNDO adferebant rationem in verbo Dei fundatam, quæ potest hoc syllogismo concludi. Minister Sacramentorum operatur virtute, & auctoritate diuina, Deus autem non aufert à ministro datam ei potestatem ob eius peccatum, aut infidelitatem, ergo, &c.

PROBATVR Maior; nam Scripturæ passim hoc docent. Ioan. 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Præcipuus ergo auctor in Baptismo Christus est, non minister, vt fusè hinc deducit Augustinus, tract. 5. in Ioannem 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Præterea si ministri sua virtute baptizarent, essent diuersa Baptismata, alia aliis meliora pro diuersitate meritorum, & excellentiæ baptizantium. At vnum est Baptisma, ad Ephes. 4. Item Apostoli nunquam appellarunt Baptismum suum, quem aliis conferebant, cùm tamen aliquando appellarent Euangelium suum, quod prædicabant, Rom. 16. & 2. Tim. 2. *Iuxta Euangelium meum.* Ergo in Baptismo nihil suum agnoscebat, nisi nudum ministerium. Denique æquum fuit, vt Sacramenta non penderent ab humana virtute, ne homines in hominibus confidere assuescerent, cùm scriptum sit: *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

PROBATVR iam minor propositio. Nam auctoritas conferendi Sacramenta, non est gratia gratum faciens, sed gratis data: non ergo ita pugnat cum improbitate vitæ, vt simul cum ea esse non possit. Constat enim eiusmodi gratias in peccatoribus esse posse, vt patet de Caipha, qui propheтauit, cùm tamen esset pessimus. Ioan. 11. item de illis, qui Matth. 7. dicunt: *Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus? &c.*

SECVNDÒ; Auctoritas conferendi Sacramenta, non datur in vtilitatem habentis, sed aliorum: igitur non erat conueniens, vt auferretur propter peccatum habentis; sic enim vnus puniretur ob culpam alterius.

TERTIÒ; Deus non aufert ob peccata potestatem iurisdictionis, vt patet 1. Petri 2. vbi iubet Apostolus, vt Christiani obediant Dominis suis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis: & ibidem iubet obediri Regibus, aliisque magistratibus gentilium, qui infideles erant; igitur multò minùs aufert potestatem ordinis. Nam si potestas auferretur ad puniendum eum, qui illam habet, magis deberet auferri potestas iurisdictionis, quàm ordinis; quia illa magis amatur, & proinde magis punitur, cui illa tollitur, & præterea magis dependet potestas iurisdictionis à probitate vitæ eius, in quo est, quàm potestas ordinis. Nam magis dominantur passiones in imperando, quàm in Sacramentis ministrandis, vt patet experientia.

QVARTÒ; Non aufert Deus hominibus ob peccata naturales potentias ad opera naturalia, vt notum est: igitur nec auferre debet supernaturalem potestatem ad opera supernaturalia, in quibus non consistit meritum operantis. Nam non minùs Deus prouidit bono totius Ecclesiæ, quàm bono mundi huius.

QVINTÒ; Iudas peccator erat, & reprobus, & tamen baptizabat, vt colligit Augustinus tractatu 5. in Ioannem; ex illo Ioan. 4. *Ipse non baptizabat, sed discipuli eius.* Et quod efficaciter Iudas baptizauerit, docet idem Augustinus ex eo, quòd non legimus rebaptizatos, quos ille baptizauerat.

TERTIVM, argumentum sumitur à similibus rebus. Nam in primis apud Iudæos circuncisi à Samaritanis, qui hæretici erant Hebræis, non circuncidebantur iterum, sed admittebantur, vt ritè circuncisi, vt Augustinus docet libro 1. contra Cresconium, capitul. 31. Deinde, verbum Dei efficaciter prædicatur ab improbis, vt colligit Augustinus lib. 4. de Baptismo, capitulo 11. ex Matth. 23.

Quæ

Quæ dicunt, facite, quæ faciunt, nolite facere: & Philippi 1. *Quidam ex contentione Christum annuntiant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? dum omnimodo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Præterea nihil refert ad efficaciam sementis, & plantationis, vt idem Augustinus ratiocinatur libro 3. in Cresconium, cap. 8. an lotis manibus, an sordidis id fiat, modò bonum sit semen, & terra fertilis, nec desit calor solis, & pluuia de cœlo. Item vt Nazianzenus docet in oratione de Baptismo, non minùs rectè imprimit imaginem Regis sigillum ferreum, quàm sigillum aureum. Item vt idem Augustinus docet lib. 3. de Baptismo, cap. 10. lumen solis, vel etiam lampadis non inquinatur, etiamsi per lutum transeat, & loca cænosa. Denique, vt idem habet Augustinus tractat. 5. in Ioannem, parùm refert, vtrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an per argenteum transeat.

QVOAD tertium, Argumenta hæreticorum refelluntur ab Augustino diligentissimè in libris septem contra Donatistas. Præcipua erant hæc. Primum: Nemo dat, quod non habet: Hæretici, & impij non habent remissionem peccatorum; igitur non dant: quare non efficaciter Sacramenta ministrant.

RESPONDEO ad Minorem, hæreticos non habere remissionem peccatorum formaliter, tamen habere ministerialiter, quomodo famulus, qui sæpe non habet vnũ obolum, tamen defert multos aureos à Domino suo ad alium aliquem. Et in rebus naturalibus, & artificialibus, effectus non debet esse similis instrumento, sed causæ principali. Non habet calor formam substantialem ignis, nec habet dolabra formam cathedræ: & tamen eas efficiunt instrumentaliter.

ADDE præterea distinguendum esse ipsum Sacramentum ab effectu ipsius; & inter effectus distinguendum esse characterem à gratia: hæc enim omnia separari possunt ab inuicem. Poterit igitur fieri, vt hæreticus baptizet, & characterem, ac gratiam conferat, vt si baptizet infantem. Item vt gratiam non conferat, quia is qui baptizatur, ponit obicem infidelitatis credens hæretico: sed non ideò inanis est Baptismus, nam efficit characterem. Item vt nec characterem, nec gratiam conferat, vt si det extremam vnctionem ægroto hæretico, tamen adhuc etiam tunc verum Sacramentum, & Sacramentum efficax ministrat, licet in suscipiente nihil operetur ob eius indispositionem. Vbi notandum cum Augustino libro 6. de Baptismo, cap. 1. hanc fuisse præcipuam causam erroris Cypriani, & aliorum, quia non distinguebant inter Sacramenta, & eorum vsum, & effectum.

SECVNDVM argumentum contra solutionem præcedentis: Qui non habet Spiritum sanctum, non potest remittere peccata: dictum est enim Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* At hæretici, & impij non habent Spiritum sanctum, ergo, &c.

RESPONDEO, negando minorem. Siquidem per Spiritum sanctum eo loco intelligimus potestatem remittendi peccata, vt intelligunt Chrysostomus & Cyrillus in eum locum. Potest autem & potestas esse sine gratia gratum faciente. Quod autem nomine Spiritus sancti intelligi possint quælibet eius dona, licet non faciant hominem sanctum; patet ex 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij datur per spiritum sermo sapientiæ, &c.* & ad Corinth. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt:* vbi spiritum vocat donum prophetandi à Spiritu sancto datum.

POSSET etiam dici, voluisse Dominum significare illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* effectum Sacramentorum præcipuè pendere à virtute Spiritus sancti: proinde necessariũ esse, vt saltem assistat Spiritus, & sic accipiatur saltem vt assistens, & operans in Sacramentis, licet non operetur in ipso ministro. Assistit autem Spiritus sanctus Sacramentis suis semper (vt Augustinus rectè docet lib. 3. de Baptismo, ca. 10.) etiamsi minister sit adulter, vel homicida, quia Sacramentum nunquam est adulterum.

DENIQVE, quia non desunt qui hoc loco per Spiritum sanctum intelligant Spiritum, vt gratiam, & charitatem largitur, ac diffundit in cordibus *nostris*, vt Ambrosius serm. 10. in Psal. 118. & Augustinus in commentario, cap. 20. Ioannis: ideò possumus addere, gratiam quidem Spiritus sancti dari per sacram Ordinationem cum potestate remittendi peccata; sed non inde colligi posse, eum, qui gratiam non habet, non posse peccata remittere. Non enim gratia illa idem est cum potestate remittendi peccata, neque cum illa ita coniuncta, vt separari nequeat: nam non datur, vt qui eam habet, possit peccata remittere, sed vt non offendat Deum in tam sancto ministerio, si ipse inimicus Dei permanens, alios Deo reconciliare præsumat.

TERTIVM argumentum: Sacramenta sunt solius Ecclesiæ Catholicæ, quam Christus condidit; at hæretici sunt extra Ecclesiam in synagoga Satanæ.

RESPONDEO, Sacramenta semper esse Ecclesiæ, etiamsi interdum extra Ecclesiam reperiantur. Quocirca cùm veniunt ad Ecclesiam baptizati ab hæreticis, agnoscendum est quod est Ecclesiæ, id est, Baptisma, & retinendum, corrigendus verò error. Alioqui etiã Euangelium, & alia multa bona, & vera repudianda essent, quæ *interdum apud hæreticos* inueniuntur.

POSSENT vltrimò adferri quædam loca Patrum, vt Athanasij serm. 3. contra Arianos; vbi dicit, omnes hæreticos habere inutilem aquam. Item Ambrosij lib. de iis, qui mysteriis initiantur, cap. 4. vbi dicit: *Non sanat Baptismus perfidorum.* Et Leonis epist. 77. ad Nicetam, cap. vlt. vbi dicit, nullum hæreticum posse dare per Sacramenta sanctificationem.

RESPONDEO; Athanasius duo dicit. Primùm sic ait: *Ariani autem veniunt in periculum, ne amittant integritatem mysterij, loquor de Baptismate.* Secundò absolutè negat Baptismum Arianorum, aut aliorum hæreticorum mundare: *Non enim*, inquit, *qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit, & fidẽ rectã habet.* Priori loco agit de ipsa substantia Sacramenti, & ideò non dicit, absolutè Baptismum Arianorum non esse integrum, sed ait periculum esse, ne aliquando non sit integrum, quia nimirum facile erat, vt corrumperent formam, & nomine Patris & Filij, dicerent factorem, & facturam, vt ipse ibidem ait. Posteriori loco non agit de substantia, sed de vtilitate Sacramenti: & ideò absolutè hæreticos, quia carent recta fide, non sanctificare eos, quos baptizant, quod intelligitur de illis, qui eis in hæresi consentiunt. Et eodem modo loquuntur, Ambrosius, & Leo, & alij. Vnde nunquam dicunt isti Patres, Baptismum hæreticorum esse iterandum, quòd certè dicerent, si de substantia loquerentur.

CAPVT XXVII.

Requiri intentionem faciendi quod Ecclesia facit.

RESTAT postrema quæstio de causa ministeriali; Sitne intentio ministri necessaria ad Sacramenti perfectionem. Quatuor erunt partes huius quæstionis. Primò, explicanda erit sententia hæreticorum. Secundò, sententia Catholicorũ signul explicanda, & vindicanda à mendaciis aduersariorum. Tertiò, confirmanda veritas. Quartò, soluendæ obiectiones.

QVANTVM ad primum, noua hæresis nostro tempore exorta est, non requiri intentionem in ministro Sacramenti: sed Sacramentum omninò perfici, si res, & verba adsint, etiamsi minister iocò, aut irrisoriè, aut fictè, & mendaciter actionem illam peragat. Primus auctor

videtur

videtur fuisse Lutherus. Sic enim scribit in lib. de captiuit. Babyl. cap. de Baptismo: *Non dubitem*, inquit, *si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel visu sita est virtus Baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per iocum baptizato.* Et in art. 12. eorum, quos Leo Papa damnauit: *Si sacerdos*, inquit, *non seriò, sed iocò absolueret: si tamen credat se esse absolutum, verissimè est absolutus.* Et in assertione idipsum confirmat: necnon in lib. de Missa priuata, anno XXXIIII. edito, idem probat tribus argumentis, quæ postea soluentur.

A Ioannes Caluinus Lutherum sequutus in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 7. can. 11. *Quod*, inquit, *de intentione conficrandi garriunt, à sophistis nulla probabili ratione fuit proditum.* Et infrà: *Ego verò sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, vt si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, & secundum regulam ab eo datam, ritèque legitimo administret, non dubitem panem & calicem illius manu porrecta, vera mihi esse corporis & sanguinis Christi pignora.* Idem docet Tilmannus Heshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, loco 15.

Idem etiam Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 141. & sequentibus, vbi fusè de hac re tractat. Et quanquam pag. 146. docet, actionem Sacramentalem non debere esse mimicam subsannationẽ, aut ridiculum lusum, in quo videtur nobiscum conuenire: tamen intelligit hoc de exteriore actione tantùm, non de intentione interna. Nam postea pag. 154. docet, Sacramentum esse verum, licet minister animo irrisorio Sacramentum administret: & tota disputatione id contendit, non pendere Sacramenti efficaciam vllo modo ab intentione ministri. Et infrà pag. 1045. vbi agit de Absolutione: *Nec solicita*, inquit, *esse debet conscientia de intentione ministri, sed si vox Euangelij annunciatur, fides eam apprehendens, statuat se coram Deo absolutum: quidquid sit de sacerdotis animo.*

Ad hanc hæreticorum sententiam proximè accessisse videtur Ambrosius Catharinus, qui in opusculo de intentione ministri Sacramentorum, distinguit duplicem intentionem; vnam, faciendi simpliciter actum externum, quem facit Ecclesia: alteram faciendi actum externum non simpliciter, sed vt Sacramentalem, siue animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit, & Ecclesia celebrat. Et quidem priorem intentionem ait requiri, posteriorem negat. Itaque si quis dum puerum baptizat, intendat fundere aquam super puerum, & dicere: Ego te baptizo, secundum Catharinum erit verum Sacramentum, etiamsi ille intendat aquam fundere, & illa verba dicere solùm ad lauandum corpus pueri à sordibus, vel ad ludendum eo modo. Quæ opinio non video quid differat à sententia Kemnitij, & aliorum hæreticorum, nisi quòd Catharinus in fine opusculi subiicit se Apostolicæ sedi, & Concilio; illi autem rident vtrumque.

Quantum ad secundum, sententia Catholicorum est, requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ita enim expressè habent, Concilium Tridentinum, sess. 7. can. 11. & Concilium Florentinum in instructione Armenorum.

Sunt autem hoc loco quædam notanda. Primò, non ita requiri, vt minister habeat intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia, vt non possit habere particularem: immò melius est habere particularem, id est, conferendi Sacramentum Baptismi, Absolutionis, Confirmationis, consecrandi Eucharistiam, &c. Sed qui non nosset nostra mysteria, satis esset, si in generali intenderet facere, quod facit Ecclesia: & hoc docent Concilia.

Secundò, non est opus intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quæcunque illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani: ista enim in idem recidunt.

Petes, quid si quis intendat facere, quod facit Ecclesia aliqua particularis, & falsa, vt Geneuensis, & intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana? Respondeo, etiam id sufficere. Nam qui intendit facere, quod facit Ecclesia Geneuensis, intendit facere, quod facit Ecclesia vniuersalis. Ideò enim ille intendit facere, quod facit talis Ecclesia, quia putat illam esse membrum Ecclesiæ veræ vniuersalis: licet fallatur in cognitione veræ Ecclesiæ. Non autem tollit efficaciam Sacramenti error ministri circa Ecclesiam, sed defectus intentionis.

Tertiò, non requiritur necessariò actualis intentio, nec sufficit habitualis, sed virtualis requiritur, & sufficit, quamuis danda sit opera, vt actualis habeatur. Actualis dicitur, quando minister actu habet talem intentionem: quæ quidem actualis intentio non requirit, vt quidam scrupulosi faciunt, vt dicamus ore aut corde illa formalia verba; Intendo hoc facere, aut volo hoc facere, sed tantùm requirit, vt homo sit præsens animo, & attentè faciat, quod facit. Ista enim dicitur intentio in actu exercito, vt loquitur Caietanus, & vt diximus, nõ necessariò exigitur; quia non est in nostra potestate, quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum res sanctissimas agimus. Habitualis dicitur inclinatio quædam, seu promptitudo ex habitu infuso, vel acquisitò, qualis etiam in dormiente inesse potest: & hæc sine dubio non sufficit. Nam actus inde procedens, non est humanus, & deliberatus; alioqui baptizatus diceretur, si quis à dormiẽte, vel ebrio baptizatus esset. Virtualis dicitur cùm actualis intentio in præsenti non adest ob aliquam euagationem mentis, tamen paulò antè adfuit, & in virtute illius sit operatio: & hæc omnium consensu requiritur, si actualis non adsit, & sufficit. Neque repugnat huic doctrinæ S. Thomas, licet 3. p. q. 64. art. 8. dicat, sufficere habitualem intentionem. Nam (vt ipse se explicat) per habitualem intelligit virtualem; ipse enim solùm meminit intentionis actualis, & habitualis. Scotus autem, & Gabriel, & alij posteriores, maioris claritatis gratia fecerunt trimembrem distinctionem, & virtualem appellarunt, quam S. Thomas vocat habitualem, & addiderunt aliam habitualem, quam S. Thomas omisit.

Vltimo notandum est, in hac tota doctrina mirificè conuenire Catholicos doctores, vno Catharino excepto: Id quod patebit ex refutatione mendaciorum Tilmanni & Kemnitij.

Primò; Vterque auctor locis notatis dicit, Concilium Tridentinum definiuisse, non esse ratum Sacramentum, nisi minister intendat non solùm actum, sed etiam finem Sacramenti, id est, intendat illud, propter quod Sacramentum est institutum: quod certè multùm distat à nostra sententia.

Sed hoc merum mendacium est. Concilium enim in toto can. 11. non nominat finem Sacramenti, neque dicit Concilium, vt illi videntur accepisse, oportere ministrum intendere id facere, quod Ecclesia intendit, sed quod Ecclesia facit. Porrò, quod Ecclesia facit, non finem, sed actionem significat. Denique ex praxi id constat. Nam neque vetus Ecclesia rebaptizabat baptizatos paruulos à Pelagianis, neque nos rebaptizamus baptizatos à Zvvinglianis, & Caluinistis, & tamen scimus omnes istos baptizare sine intentione veri finis, qui est tollere peccatum originale. Neque tamen volumus à Concilio definitum id quod vult Catharinus, & quod Kemnitius vellet, nimirum, vt solùm intendat minister facere actum externum, quem Ecclesia facit: id enim non erat opus definire, cum à nemine vnquam negatum fuisset, nec posset negari. Deinde qui intendit facere externum actum, sed non seriò, is non intendit facere,

quod

quod facit Ecclesia, sed intendit simulare, quod facit Ecclesia. Quomodo milites illi, qui genu flexo, dicebant Christo: *Aue Rex Iudæorum*, verè intendebant flectere genua, & dicere illa verba. tamen quia non seriò, sed iocò id faciebant, nerao diceret eos intẽdisse facere, quod faciunt qui adorant suos Reges, sed intendisse simulare adorationem.

Secundò Kemnitius dicit, Scholasticos inter se dissentire, quòd Magister Sententiarum, & Innocentius Papa III. velint sufficere intentionem faciendi, quod Christus instituit. Alexander autem Alensis, & Gabriel velint requiri eriam intentionem finis Sacramenti.

Sed non verè dissentiunt Scholastici, si rectè intelligantur: omnes enim in 4. sent. dist. 6. docent id ipsum, quod Magister docet. Neque excipiendi sunt Alexander & Gabriel. Nã Alexander in 4. parte summæ, q. 13. mem. 1. art. 2. dicit quidem requiri in ministro intentionem finis Sacramenti, sed per intẽtionem finis intelligit intentionem actionis integræ, & completæ, & sic idem dicit, quod alij dicunt, sed aliis verbis. Id ita esse, patet ex eodem loco, vbi duplicem finem distinguit; vnum intrinsecum operi, qui nihil est aliud, nisi terminus, & complementum actionis; alterum extrinsecum, qui est fructus, & vtilitas rei. Verbi gratia, in Sacramento finis intrinsecus est completa cæremonia per res, & verba ritè coniuncta; finis extrinsecus est remissio peccatorum. Affirmat autem Alexander intentionem prioris finis necessariò requiri, non autem posterioris.

Porrò Gabriel in 4. dist. 6. q. 1. concluſ. 3. dicit, requiri intẽtionem ministri, non solùm respectu actus baptizandi, vt obiecti, sed etiam respectu effectus, vt finis. Accepit autem Gabriel hæc omnia à Scoto in 4. dist. 6. q. 5. Vterque autem, vt ipsi se explicant, intelligunt per actum, vt obiectum, ipsum actum externum, qualem etiam intendere posset, qui iocò baptizare vellet: quam intentionem etiam nos diximus non sufficere. Per effectum autem, vt finem, intelligunt finem quendam generalem, & remotum, non particularem, & proximum. Non enim volunt requiri, vt minister intendat effectum gratiæ, vel salutis, sed solùm vt intendat id facere in baptizato, quod faciunt Christiani in iis, quos baptizant; sic enim Scotus explicat. Hoc autem nihil est aliud, quàm dicere requiri intentionem respectu operis, non vt est opus quoddam naturale, & quod iocò fieri potest, sed vt est opus sacrum, seu vt est cæremonia, quam Christus instituit, siue qua Christiani vtuntur. Atque ita recidit hæc sententia in id quod omnes Catholici dicunt.

Quantum ad tertium, probanda est sententia Ecclesię. Prima ratio; Sicut certa forma verborũ requiritur necessariò, vt determinetur in differentia materiæ: ita requiritur aliquid, quo determinetur indifferentia formæ. Nam illa verba; Ego te baptizo, & similia, possunt habere varias significationes. Nam baptizare est tingere aquis, tingit autem aquis, qui lauat sordes corporis, qui refrigerat, qui lauando medetur, &c. At nihil fingi potest, quo determinetur hæc indifferentia formæ; nisi intentio ministri, qui illa verba profert, & cuius est tota actio; ergo, &c. Dicent fortasse determinari ab intentione suscipientis, at falsum est. Nam hîc agimus de actione ministri, non de actione suscipientis; non potest autem actio vnius determinari ab intentione alterius. Præterea quid fieret, cùm baptizantur, qui nihil intendere possunt, vt infantes? Nam dicent determinari ab institutione Christi. Sed contrà; nam si Christi institutio id faceret vt illa verba id significarent, modò proferantur exteriùs, sine vllo ordine ad intentionem dicentis, quare non esset verum Sacramentum, si ea verba à psittaco proferrentur?

Secunda ratio sumitur ex genere ministerij. Nam ministri Sacramentorum sunt instrumenta Dei, sed instrumenta animata, & ratione vtentia. Vbi notandum est, multis modis posse vnum hominem esse instrumentum alicuius agentis.

Primò; Secunda sola membra corporalia, vt si quis vtatur manu alterius ad aliquid capiendum, vel si cogat eum ferre onera, id quod potest fieri sine vlla eius voluntate.

Secundò, per membra corporalia, & potẽtias sentientes, vt si quis iubeat seruum legere aliquid, aut alicui aliquid significare, aut excubare, & respicere aliquid, & renuntiare quid videat: & ad hoc non requiritur voluntas serui, nisi qua velit actum exteriorem facere. Nam etiamsi non intendat legere significanter, tamen si velit ea verba proferre, satisfacit muneri suo: quia non vtitur Dominus pro instrumẽto, nisi eius lingua, & oculis, &c.

Tertio, per membra corporalia, potentias sentientes, & etiã rationem; vt cum Rex cõstituit præsides, & iudices in vrbibus, qui nomine suo ius dicant, & gubernent populos: in huiusmodi enim non solùm corpus, & sensus, sed etiam prudentia & voluntas sunt instrumenta. Non enim Rex determinat actiones particulares, sed relinquit in arbitrio instrumenti. Quare in talibus requiritur necessariò non solùm potestas, sed etiam voluntas, & proinde intentio exercendi actiones. Nec verè est absolutus, quem iudex absoluit sine intentione, licet exterius videatur absolutus. Ministros autem Sacramentorum esse huius tertij generis, patet ex Scripturis. Nam Matth. 24. dicitur: *Quis est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* vbi fidelitas & prudentia indicant talem esse hunc seruum, vt in eius arbitrio sit facere, & non facere: ad hoc enim requiritur fidelitas, & prudentia. Præterea ideò vocantur præpositi, ad Rom. 12. *Qui præest in solicitudine*, & Hebr. 13. *Obedite præpositis.* Denique non determinauit Christus particulares actiones, sed ait: *Cui remiseritis peccata, remittuntur eis*, Ioan. 20. vbi manifestè relinquit in eorum arbitrio, vt soluant, vel ligent. Et hæc ratio planè conuincit. Nam cùm eiusmodi instrumenta potissimùm sint instrumenta per voluntatem, & intentionem; si hæc tollatur, desinunt esse instrumenta.

Tertia ratio sumitur ex discrimine inter verba speculatiua, & practica. Nam verba speculatiua, quia totam efficaciam suam habent in significando, à quocunque dicantur; eandem vim habent: idem enim significãt verba, siue dicantur ab homine sobrio, siue ab ebrio, siue etiam à psittaco, vel ab asina Balaam, modò non sit ambigua significatio, quia tunc, vt diximus, deberet determinari ex intentione dicentis. At verba practica, quæ præter significationem habent efficientiam, non sunt efficacia, nisi dicantur ab eo, qui habet potestatem, & voluntatem faciendi quod verba significant. Id patet inductione. Nam imperia Regum, & Iudicum sunt efficacia, non imperia priuatorum. Similiter qui habent donũ miraculorum, efficaciter imperant morbis, & dæmonibus, non autem alij, etiamsi iisdem verbis vtantur. Et ratio est, quia cùm verba per se, & naturaliter nõ sint operatiua, necesse est tunc solùm sint efficacia, cùm ab eo dicuntur, qui habet potestatem. Idem de voluntate probari potest, nam potestas nunquam exit in actum, nisi velit, qui eam habet. Quare de potestate prophetandi dicit Apostolus, 1. Cor. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt.* Et idem patet experientia, nam si rex sine intentione, vt somniãdo, iubeat aliquem occidi, imperium non solet mandari exequutioni, quia non constat, an velit, licet possit Rex illud iubere. Sed constat verba Sacramentorum esse verba practica, cùm sint instrumenta iustificationis: ergo requirunt potestatem, & voluntatem, ac proinde intentionem.

Si quis obiiciat, verba Sacramentorum habere in se virtutem operatiuam ex Christi institutione; proinde

non

non pendere eorum efficaciam ab intentione, vel potestate ministri.

RESPONDERI debet, duas esse Theologorum sententias. Aliqui enim, vt Caietanus, par. q. 64. art. 1. & Sotus 4. dist. 1. q. 5. art. 1. & Ledesmius ibidem, volunt in ipso etiam ministro esse virtutem operatiuam efficienter, & instrumentaliter, vt est in sacramento, & secundum hanc sententiam facilis est solutio. Nam in verbis sacramentalibus est virtus operatiua, sed dependenter à ministro. Tuncenim solùm illa verba habent virtutem, dum coniunguntur cum virtute, quæ est in ministro.

ALII tamen sentiunt ministrum non habere in se vim vllam efficientem respectu iustificationis, sed eam solùm esse in sacramento: ministrum autem solùm concurrere applicando sacramenta; quomodo qui plantat, & qui rigat (quibus comparat Apostolus ministros Ecclesiæ, 1. Corinth. 3.) non producunt efficienter, & physicè fructus arborum, sed applicant agentia. Ita videtur quibusdam sentire S. Thomas 3. part. quæst. 64. artic. 1. ad primum. Neque inferri debet, Ergo ministri secundum hanc sententiam non verè, & propriè consecrant, absoluunt, lauant, reconciliant, &c. Nam hoc interest inter agentia voluntaria, & res cæteras, quòd res cæteræ non dicuntur, propriè agere, quando solùm applicant agentia: non enim dicitur propriè felis incendisse domum, si ignem applicuit, sed dicitur domus illa casu combusta. At agentia voluntaria quando de industria applicant agentia, dicuntur propriissimè agere. Nam & medicus propriè curat ægrotum, cùm adhibet medicinam salutarem; & propriè illum occidit, cùm de industria pro medicina porrigit venenum. Et secundum hanc sententiam respondendum est ad obiectionem positam, verba sacramentalia non habere virtutem, & proinde non esse sacramentalia, nisi quando mouentur à Deo vt instrumenta; non autem mouentur à Deo, vt instrumenta, nisi quando pronunciantur ab eo, cui ipse commisit. Quare semper aliquo modo pendent verba sacramentalia à ministri potestate, & voluntate. Quamuis igitur prior sententia probabilior videatur: tamen secundum vtramque rectè soluitur argumentum.

QVARTA ratio ex absurdis, quæ alioqui sequerentur, vt bene notat Hugo de sancto Victore, lib. 2. de sacramentis, part. 6. cap. 13. Nam primò, si parens aliquis duceret filium ad balnea, & dum puerum immergit, more Christiano signaret eum cruce, & diceret; Lauo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nimirum inuocans Deum, vt bene cedat illa lotio, & nihil de Baptismo cogitans; tunc ille puer deberet dici baptizatus, si non requiritur intentio baptizandi, sed sufficiant materia, & forma quomodocunque prolata. Hoc tamen planè ridiculum est.

SECVNDÒ, si Sacerdos in mensa legeret Euangelium, vt fieri solet in mensa Prælatorum, & religiosorum; & inter legendum pronunciaret illa verba: *Hoc est corpus meum.* Et: *Hic est sanguis meus*, iam totus panis, & totum vinum illius mensæ esset consecratum, si non requiritur intentio.

TERTIÒ, si cùm aliquis ancillam conducit, diceret; Accipio te in meam (intelligens, sed non exprimens, ancillam) & illa diceret; Accipio te in meum (intelligens herum, sed non exprimens) iam illi essent coniugati.

CAPVT XXVIII.

Soluuntur argumenta.

VPEREST argumenta soluere. Primò Lutheri. Secundò Caluini. Tertiò Kemnitij. Quartò Catharini.

PRIMVM argumentum Lutheri ex assertione articuli 12. Verbum Dei, quacunque intentione dicatur, excitat fidem in audiente. Sed fides est quæ iustificat; ergo verbum Sacramentale, quacunque intentione proferatur, efficax est, & confirmat. Quia Philip. 1. Apostolus gaudet prædicari verbum quacunque intentione, etiamsi aliqui prædicarent, vt inuidiam Paulo conflarent, quia nimirum etiam eo modo verbum in Sacramentis, licet loco prolatum, vtile erit.

SECVNDÒ confirmat idem Lutherus in lib. de Missa priuata, ex eo quòd Alexander Episcopus Alexandrinus ratum habuisse legitur Baptismum, quem Athanasius puer aliis pueris per iocum contulerat. Item ex eo, quod legitur in aliis historiis de quibusdam Gentilibus parasitis, qui vnum ex suis baptizarunt, vt riderent Christianos, & ille tamen continuò conuersus est, vbi aqua eum attigit, ex quo intelligimus fuisse illum verũ Baptismum.

RESPONDEO, primum argumentum rectè probare apud eos, qui sentiunt cum Luthero, Sacramenta tantùm esse instituta ad excitandam fidem, & solam fidem iustificare: at apud nos nihil concludit. Nam etiamsi concedamus verbum quacunque intentione prolatum, posse excitare fidem, non tamen concedimus verbum quacunque intentione prolatum habere posse effectum Sacramentalem. Ratio discriminis est, quia ad excitandam fidem non requiritur vlla efficientia, sed sufficit significatio, vt notum est.

AD confirmationem dico, aliud esse intendere non concionari, aliud intendere concionari, sed ob malum finem. Paulus de hoc posteriore loquitur; & hoc modo concedimus Baptismum esse verum, & efficacem, cùm minister intendit verè baptizare, licet ob malum finem. Dices etiam, qui intendit non concionari seriò, si tamen verba concionis proferat, fructum facere poterit: Ergo, &c. Respondeo, non esse eandem rationem verbi concionalis, & Sacramentalis. Nam verba concionum sunt verba, vt sic dicam, speculatiua, quæ non pendent ab intentione: verba Sacramentalia sunt practica, quæ, vt probauimus, pendent ab intentione.

QVAMVIS autem argumenta hæc concludant in via Lutheri, tamen non esse rectam eam viam, patet ex istis iisdem argumentis. Nam concluditur, sola verba sufficere sine aqua, vel alio elemento: item concludunt Sacramenta posse conferri ab ebrio, immò etiam à pica.

AD secundam confirmationem respondeo, duobus modis posse per iocum Sacramenta conferri (vt explicat Hugo, lib. 2. de Sacramentis, par. 6. cap. 13.) Vno modo, vt qui ludunt, intendant verè Sacramenta conferre, sed ob finem recreandi animum eo modo: quomodo possent alij verè intendere Sacramenta conferre, sed ob finem lucrandæ pecuniæ. Et hic ludus non impedit veritatem Sacramenti, quia hic iocus est extrinsecus ipsi Sacramentali actioni. Alio modo, vt qui ludunt, intendant non verè Sacramenta conferre, sed illudere, & decipere, quomodo, qui Christum purpura induebant, eique dicebant: *Aue Rex Iudæorum*, non intendebant eum Regem facere, sed ei illudere. Et hic ludus impedit veritatem Sacramenti, quia hic iocus est intrinsecus actioni.

DICO igitur ludum Athanasij fuisse prioris generis: nam verè voluit baptizare, sed accepit eam actionem pro materia ludi, & oblectationis. Id ita esse colligitur tum ex ipsa historia, quam scribunt, Ruffinus, lib. 10. hist. cap. 14. Sozomenus libro 2. cap. 16. & Nicephorus, libro 8. capit. 40. Scribunt enim hi auctores ab Athanasio solos Catechumenos baptizatos, idque omnibus Ecclesiæ ceremoniis adhibitis: tum etiam ex eo, quòd solent pueri seriò facere res ludicras. Nam, verbi gratia, cùm fingunt vnum esse Regem, alios famulos, vel fingunt oppugnationem alicuius loci, verè intendit Rex eorum iubere, & illi intendunt obedire, & seriò oppugnant locum aliquem, & alij seriò defendunt: dicuntur tamen hæc ludicra, quia sunt puerilia, & quia gratia oblectationis

suscipiuntur, simile historiam suo tempore accidisse scribit idem Nicephorus. lib. 3. cap. vlt.

AD illud de mimo respondeo, nihil in historia illa esse contra nos. Nam primus, qui historiam scripsit, fuit (quod sciam) Ado Treuirensis in martyrologio 8. Calend. Septembris. Ab eo acceperunt posteriores, Vincentius, speculo historiali, lib. 12. cap. 102. & S. Antonius 1. par. tit. 8. ca. 1. §. 9. summæ historialis. Porrò Ado scribit, mimum illũ nomine Genesium, coram imperatore Diocletiano gratia irridendi mysteria Christiana, se ægrotum finxisse, ac Baptismum postulasse, tum iussu Imperatoris accersitũ presbyterum & exorcistam, qui eum baptizarent. Verùm cùm à presbytero interrogaretur, quid peteret, illum repente conuersum, non fictè, sed seriò respondisse gratiã Christi se petere, atque ita baptizatum verè, & seriò, cùm & presbyter baptizare intenderet, & ille intenderet suscipere Baptismum, licet Imperator adhuc crederet eum fingere. Vide Surium, tomo 3. in vita S. Genesij.

SECVNDVM argumentum est Caluini in Antidoto, & Kemnitij in 2. par. Examinis, loco citato, qui inde argumẽtum sumunt, quòd si ab intentione ministri pẽderet efficacia sacramenti, periret certitudo, quam homo debet habere de effectu sacramenti, & consolatio spiritualis, quia nemo potest certus esse de intentione alterius.

RESPONDEO, non debere hominem in hoc mundo quærere certitudinem de sua salute, vel iustificatione infallibilem, qualis est certitudo fidei diuinæ. Hæc enim non conuenit huic statui, de quo dicit Apostolus 1. Cor. 10. *Qui stat, videat ne cadat.* Et Philip. 2. *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini.* De qua re vide Augustinum lib. 2. de bono perseuer. cap. 13. & de correp. & gratia, cap. 13. Certitudinem autem humanam, & moralem, quæ sufficiat, vt homo quiescat, ex sacramentis habemus, etiamsi pendeant ab intentione alterius. Nam cùm habere intentionem sit facillimum, nulla est caussa dubitandi, an minister habuerit intentionem, nisi aliquo signo exteriori id prodat: & hoc sufficit, vt homo non quærat iterum baptizari, sed acquiescat in accepto Baptismo.

ET nota, Lutheranos cogi idipsum confiteri etiamsi nolint. Nam ipsi baptizantur adhuc infantes more Catholicorum: quocirca cùm adoleuerint, non possunt recordari, nec scire an habuerint baptismum, nisi credere velint parentibus. Itaque parentibus credunt, qui tamen decipere possunt, & in eo acquiescunt. Quantò magis poterit acquiescere in Baptismo is, qui videt se baptizari, & intelligit verba, nec habet vllam coniecturam contrariæ intentionis ministri; si is acquiescit, qui tantùm credit parentibus, vel amicis dicentibus, eum esse baptizatum?

TERTIVM argumentum est Kemnitij ex auctoritate S. Augustini lib. 7. de Baptismo, cap. 53. vbi non audet definire, an Baptismus collatus per iocum teneat, sed dicit expectandam Dei reuelationem. Addunt quidam alij alium locum Augustini ex Tractatu 5. in Ioannem. vbi videtur dicere, Baptismum ab ebrio collatum, esse ratum; cũ tamen constet, ebrios nõ habere intentionem.

ADDIT etiam Kemnitius, Innocentium Papam IIII. qui teste Angelo in sua summa, sensit ad veritatem Sacramenti non requiri, vt minister gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, immò, si contrarium gerat in mente, id est, non facere, quod facit Ecclesia, si tamen appareat, quod velit illud facere, satis esse.

RESPONDEO, locum Augustini esse contra aduersarios. Nam inprimis ibidem Augustinus dicit, se de ea re dubitasse, quia in nullo Concilio res definita ferat: *Sed nobis*, inquit, *tutum est in eanon progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura seruanda, & Saluatoris Iesu Christi, vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Nunc autem res definita est in duobus generalibus Concilijs, Florentino, & Tridentino. Neque refert, quod non recipiuntur à Lutheranis: nã neque Nicænum recipiebatur à Donatistis in caussa Anabaptismi. & tamen Augustinus vbique affirmat, rem esse certam, & definitam ob illius Concilij auctoritatem. Deinde ibidem Augustinus cùm dicit, petendam esse Dei reuelationem, an Baptismus iocò traditus, sine vera intentione conferendi sit ratus, aperiè testatur non esse certum ex Scripturis, vt aduersarij iactant, Sacramenta non requirere intentionem ministri. Præterea sine dubio nos longè meliùs facimus secundum Augustini sententiam baptizando eos, qui sunt baptizati sine intentione, quàm Lutherani non baptizando. Nam in re dubia præstat repetere Baptismum, saltem sub conditione, quàm exponere se periculo amittendi Baptismum. Ad alium locum Augustini facilis est responsio: nam non dicit ebrij, sed ebrioſi Baptismum esse ratum.

AD auctoritatem Innocentij respondeo, Kemnitium more suo non fideliter recitalle eius sententiam. Innocẽtius enim in cap. Si quis puerum. extra de Baptismo, &c. postquam dixerat, Sacramentum esse ratum, etiamsi minister gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia, addidit: *Dummodo intendat baptizare*, quæ verba omisit Kemnitius. Nec verò semel, sed ter repetit Innocentius, Baptismum non esse ratum, si minister intendat non baptizare. sed tantùm lauare corpus.

VNDE illa verba Innocentij: *Etiamsi gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia*, duobus modis possunt intelligi; vno modo, de eo, quod facit Ecclesia, quantum ad substantiam actionis; altero modo, quantum ad effectum illius actionis. Posteriori modo intellexit Innocentius, & est sensus: Etiamsi minister non gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, id est, iustificare hominem à peccatis, quia nimirum putat nõ habere talem virtutem illam cæremoniam; tamen si intendit verè facere cæremoniam, quam facit Ecclesia, satis est. Priori modo accepit Kemnitius, sed perperam, quia contradictorium ter ibidem habet Innocentius. Quare illud etiam Kemnitius falsò imponit Innocentio, quòd dixerit sacramentũ esse ratum, si tantùm appareat, ministrum voluisse baptizare, etiamsi reuera id non intenderit. Id enim Innocentius non dicit, neque ex verbis colligi potest.

QVARTVM argumentum est Catharini ex auctoritate S. Thomæ, Chrysostomi, & Nicolai Papæ. S. Thomas 3. part. q. 64. art. 8. ad 2. dicit, ad perfectionem Sacramenti satis esse intentionem Ecclesiæ, quæ exprimitur in ipsa forma verborũ, nec aliud requiri ex parte ministri. Quod clariùs habet in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 1. vbi dicit, non requiri mentalem intentionem ministri, sed sufficere expressionem verborum, in qua continetur intentio Ecclesiæ. Chrysostomus homi. 85. in Ioannem. *Sacerdos*, inquit, *linguam, & manus præbet: neque enim iustum est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* Nicolaus Papa ad Consulta Bulgarorum interrogatus, an baptizati à Iudæo, essent rebaptizandi; respondit, non esse, si in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti baptizati essent: vbi nulla fit mentio intentionis.

DENIQVE addit Catharinus, quia nimis durum videtur, vt Deus in arbitrio impij ministri posuerit salutem hominum; & quia redditur incerta nostra iustificatio. Quod tamen argumentum iam est absolutum. Sed potest addi aliud eius loco; quia inter homines, cùm dominus per seruum contrahit cum alio, vel mittit munus alteri, non requiritur, qua intentione seruus id faciat.

RESPONDEO ad S. Thomam, eum docere, requiri intentionem internam ministri. Nam 3 part. q. 64. artic. 8. in corpore articuli, dicit, determinari debere ea, quæ in

sacramentis fiunt, quia ad multos vsus fieri possunt per intentionem ministri. Item in respons. ad 1. dicit, ministrum, quia est instrumentum animatum, debere seipsum applicare ad opus per intentionem, qua intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia. Item in respons. ad 3. dicit, non esse necessariam actualem intentionem, sed sufficere habitualem; & explicat, tunc esse habitualem, quando initio operis, actu intendebat facere, quod facit Ecclesia. Item in art. 9. ad 1. dicit, verũ esse Sacramẽtum, etiamsi minister nõ credat, Sacramentũ aliquid valere, modò intendat facere, quod facit Ecclesia. Denique in art. 10. clarissimè dicit, requiri in ministro intentionẽ Sacramentum cõferendi, nõ autem ludendi, vel iocandi, & sine ea intentione non perfici sacramentum. Neque obstat, quod addit S. Thomas: *Præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat*, non vult dicere; Quando minister habet intentionem, non conferendi sacramentum, sed iocandi, sed eam non manifestat, tum sacramentum esse nullum, sed magis esse nullum, si intẽtionem manifestet, quia primo modo est nullum coram Deo, secundo modo est nullum coram Deo, & coram hominibus.

A Ad locum obiectum à Catharino ex respons. ad 2. art. 8. Respondeo cum Caietano, & Soto, S. Thomam, cùm dicit, non requiri mentalem intentionem ad perfectionem Sacramenti, sed sufficere extremam prolationem verborũ, non loqui de perfectione sacramenti simpliciter, sed de perfectione coram hominibus, quæ sufficit ad humanam certitudinem, & mentem pacandam, vt non requiratur aliud. Id quod probatur dupliciter. Primò, quia in argumento 2. S. Thomas hoc obiecerat, si requiratur intentio mentalis, nullum posse esse certum se accepisse sacramentum. Responsio igitur debet intelligi de sacramenti perfectione, quoad certitudinem, non absolutè. Secundò, quia in hac solutione addit S. Thomas, sufficere externam prolationem formæ, nisi exprimatur contraria intentio ministri, vel suscipientis, quæ additio optimè se habet, si agatur de certitudine, vt patet: falsa autem est, si agatur de perfectione sacramenti absolutè, vt vult Catharinus. Nam si non requireretur interna ministri intentio, nisi pronunciandi illa verba, tum certè verum esset sacramentum, si minister exprimeret contrariam intentionem, hoc modo; Ego non intendo baptizare, sed irridere sacramentum, & ideò volo dicere hæc verba; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: immò etiam si externo gestu irrisionem exprimeret, & ironicè illa verba diceret, adhuc esset sacramentum. At S. Thomas contrarium docet, vt patuit.

Ad locum Chrysostomi Respondeo, Chrysostomum loqui de probitate ministrorum, ac velle dicere, nõ pendere efficaciam sacramentorum à bonitate ministrorum, B sed à bonitate Dei solius. Vnde cùm ait: *Sacerdos manus, & linguam præbet*, excludit virtutes, non intentionem ministri. Nam vult dicere; Minister est instrumẽtum Dei, non principale agens; ex hoc autem, quod minister est instrumentum, sequitur, vt non agat in virtute propria; & proinde, vt non requiratur fides, spes, charitas, aut alia eius virtus: tamen non sequitur, vt non requiratur intentio, immò potiùs contrà sequitur, vt requiratur, cùm homo sit instrumentum animatum, & rationale; & proinde debeat moueri à Deo secundum naturam suam, id est, mediante propria electione, & intentione.

Dices; At ratio, quam adfert Chrysostomus, nimirum, Quia non est iustum, vt alterius malitia, alteri noceat, concludit etiam non debere pendere sacramenta ab intentione ministri, quia tunc nocere posset ministri malitia suscipientibus sacramenta, si nimirum ille occultè subtraheret intentionem.

Respondeo; Rationem illam concludere de probitate, non autem de intentione, ob duas causas. Primò, quia si sacramenta penderent à probitate, sæpissimè noceret vnius malitia alteri, quia plurimi sunt mali & nõ possent sacramenta esse rata, quæ ab infidelibus, vel hæreticis, vel publicis, peccatoribus aliquando vrgente necessitate tradũtur. At si pendeant ab intentione, rarissimè nocebit malitia ministri suscipientibus: nam intentionem omnes habere possunt, nec est ratio cur nolint. Secũdò, quia iustũ est, vt non pẽdeant sacramenta ab ea qualitate ministri, quę non est omninò necessaria ipsi ministerio, qualis est probitas; at non erat æquè iustũ, vt non pendeat ab ea qualitate, sine qua minister nõ esset minister, qualis est intentio. Adde, quòd si hæc ratio probaret, sacramenta non pendere ab intentione seriò tradendi sacramenta, probaret etiam ea non pendere ab intentione faciendi actum illum externum, quã solam admittũt Catharinus, & hæretici. Nam etiam hoc modo potest fieri, vt malitia ministri noceat suscipienti, vt si quis nolit dicere verba, aut infundere aquam eo tempore, quo non inueniatur alius, qui possit, aut velit hoc facere. C

Et per hoc soluitur etiam illa ratio Catharini, quòd sit nimis durum, salutem hominum esse in arbitrio impij ministri: nam cogitur ipse quoque in aliquo casu id fateri. Neque debet videri durum, quod Deus permittit, ne destruat naturam hominis, alioqui etiam videretur durum, quod Deus reliquerit in arbitrio tyranni vitas multorum innocentium.

Ad auctoritatem Nicolai Papæ dico, eum non fuisse solicitum de intentione, tum quia ea ordinariè adest, tum quia Ecclesia non iudicat de internis.

Ad vltimum argumentum ex more humano, patet solutio ex nostra tertia ratione.

DE EFFECTV, NVMERO, ET CAEREMONIIS SACRAMENTORVM.

LIBER SECVNDVS.

Quarta Controuersia, de effectu Sacramentorum.

PARTITIO HVIVS CONTROVERSIAE.

TRES sunt huius Controuersiæ partes. Prima: An Sacramenta nouæ legis sint veræ causæ iustificationis ex opere operato. Secunda: An id sit proprium Sacramentis nouæ legis, an verò commune cum Sacramentis legis veteris. Tertia: An Sacramenta nouæ legis imprimant animæ Characterem.

Prima quæstio in quatuor capita diuidetur. Primùm explicabitur status quæstionis. Secundò afferentur sententiæ hæreticorum. Tertiò confirmabitur veritas. Quartò soluentur obiectiones.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quid sit status quæstionis de efficacia Sacramentorum.

QVOD ad primum attinet, explicandum est, quid sit, quod quæritur, cùm disputatur de efficacia Sacramentorum ex opere operato. Nam id aduersarij, vt odiosam reddant Catholicorum sententiam, perperam exponunt.

SVNT igitur hic notanda quatuor. Primò, statum quæstionis non esse eum, quem ponit Caluinus, lib. 4. Institut. cap. 14. §. 17. his verbis: *Tantùm hic quæritur, propriánè, & intrinseca, vt loquuntur, virtute operetur Deus, an externis symbolis resignet vices suas.* Hæc ille. At nemo vnquam istam quæstionem disputauit: id enim esset petere, an Sacramenta sint causæ primariæ, quod nulli vnquam venire in mentem potuit, nisi furioso. Id igitur solùm quærimus, an sint instrumenta Dei, id est, an Deus per Sacramenta nos iustificet, non autem an Sacramenta sine Deo. Et sicut nemo vnquam quæsiuit, an faber operetur, an serræ vices suas resignet, cùm cõstet, serram sine fabro nihil agere.

EX quo sequitur esse mendacium, & calumniam vanissimam hæreticorum, qui dicunt, nos abstrahere homines à Christo, & ab eius passione, & alligare signis, quia docemus Sacramenta esse causas iustificationis. Nam contrà potiùs hoc ipso trahimus homines ad Christum, & eius passionem, quòd dicimus Sacramenta esse Christi instrumenta, quibus ille nobis applicat meritum passionis suæ; nisi fortè retrahere dicatur homines ab igne, qui dicit calorem esse instrumentum, quo ignis calefacit. Et tamen sic loquitur Caluinus ibidem, lib. 4. cap. 14. §. 14. *Quia iustitiæ causam à Sacramentis ducit, miseras hominum mentes in terram, suapte sponte plus satis inclinatas hac superstitione alligat, vt in spectaculo rei corporeæ potiùs, quàm in Deo ipso acquiescat.* Et similia Lutherus habet, & alij.

SECVNDÒ notandum, non esse controuersiam de modo quo Sacramenta sint causæ, id est, an physicè attingendo effectum, an moraliter tantùm; & rursum si physicè, an per aliquam qualitatem inhærentem, an per solam Dei mentionem: ista enim ad quæstionem fidei non pertinent: sed solùm generatim, an Sacramenta sint veræ & propriæ causæ instrumentales iustificationis, vt verè ex eo, quòd quis baptizatur, sequatur, vt iustificetur. Nam in hoc conueniunt omnes Catholici, vt Lutherus ipse fatetur, in libro de captiuit. Babylon. cap. de Baptismo: *Arbitrati*, inquit, *sunt quamplurimi, esse aliquam virtutem occultam spiritualem in verbo, & aqua, quæ operatur in anima recipientis gratiam Dei. His alij contradicentes statuunt, nihil esse virtutis in Sacramentis, sed gratiam à solo Deo dari, qui assistit ex pacto Sacramentis à se institutis: omnes tamen in hoc concedunt, Sacramenta esse efficacia signa gratiæ.* Hæc ille.

ET hoc sufficit ad fidem, & ad legitimum vsum Sacramentorum; quomodo in miraculis Christi non requirebatur, vt homines, qui curandi essent, scirent in quo genere causæ fimbria Christi sanaret: satis erat, vt scirent, & crederent, tactum illius fimbriæ adferre sanitatem: neque opus erat, vt ipsi Apostoli, qui manus imponendo curabant, scirent, quomodo id fieret. Ita quoque non est necesse, vt vel ministri, vel qui suscipiunt Sacramenta, sciant, quomodo Sacramenta sint causæ iustificationis.

ADDE quòd hoc est commune multis mysterijs fidei, vt tantùm habeamus ex Scripturis, esse aliquid, & A tamen ignoremus modum, vt Deum esse trinum, & vnum, Christum esse Deum, & hominem, resurgere corpora eadem numero, Christum totum esse in Eucharistia, &c. ita quoque in hac re satis est, probari posse ex fide Scripturarum, vt ostendemus, Sacramenta esse causas gratiæ: quomodo id fiat, difficillimum est intelligere, nedum explicare. Neque id mirum est. Nam si de rebus naturalibus, quas Deus fecit, quanquam sub sensum cadunt, non potest homo reddere rationem, vt ait Salomon, Eccles. 8. quantò magis exacta ratio reddi non poterit de rebus supernaturalibus? Disputant tamen Scholastici de his rebus non inutiliter, vt ostendant varijs modis posse defendi id, quod fides docet, & probabiliter multa dicunt; cęterùm ea ad fidem non pertinent.

QVARE non rectè aduersarij, ac potissimùm Kemnitius in 2. parte Examinis, cap. de efficacia Sacramenti, & cap. de opere operato: & Heshusius in lib. de 600. erroribus Pontificiorum, tit. 15. qui est de Sacramentis Scholasticorum, opiniones de modo efficiendi Sacramentorum ita reprehendunt, atque oppugnant, quasi eas ad fidem Catholicæ Ecclesiæ pertinere credamus.

TERTIÒ notandum est, quid sit conferre gratiam ex opere operato. Nam aduersarij reprehendũt nomen, vt nouum, & ipsam sententiam perperam exponunt. Caluinus in Antidoto Concilij Trident. sess. 7. can. 5. vocat monstra verborum, conferre gratiam ex opere operato. Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 115. dicit non seruasse Concilium, cùm hoc verbum protulit, formam sonorum verborum, quam teneri iubet Paulus 2. Tim. 1.

SED non est cur de nomine magna contentio fiat. Nulla enim hîc est nouitas, nisi quòd contra regulam Grammaticæ, operatum, passiuè accipitur. Sed neque hoc est nouum. Nam etiam in epistola ad Hebræos, cap. 13. contra regulam Grammaticæ passiuè accipitur (promeretur) cùm legimus: *Talibus enim hostijs promeretur Deus.* Et S. Augustinus in Psalmum 138. maluit dicere, ossum ossi, quàm os ossis, vt facilius intelligeretur: *Melius est*, inquit, *vt nos reprehendant Grammatici, quàm vt non intelligant populi.* C

QVOD ad rem attinet, duo dicunt nos intelligere, per opus operatum, quæ tamen, & falsa sunt, & inter se pugnantia. Primò affirmant opus operatum significare opus meritorium, seu dignitatem operis ex parte ministri, vel recipientis. Primus Lutherus ita perperam exposuit in captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, vbi dicit, Papistas ex Sacramento fecisse præceptum, & ex fide opus. Quasi dicat, Papistæ putant, Sacramenta dare gratiam, quia qui suscipit Sacramentum, facit opus bonum à Deo præceptum. Deinde Caluinus lib. 4. Institut. cap. 14. §. 26. *Quidquid*, inquit, *de opere operato nugati sunt Sophistæ, non modò falsum est, sed pugnat cum Sacramentorum natura, quæ instituit Deus, vt fideles vacui bonorum omnium, & inopes, nihil præter mendicitatem eò adferant. Vnde sequitur ea recipiendo nihil istos agere, vnde laudem mereantur, vel in hac actione, quæ eorum respectu merè passiua est, nullum illis posse opus adscribi.* Idem habet in Antidoto, sess. 7. can. 8. vbi non aliter refellit, Sacramenta cõferre gratiam ex opere operato, nisi quia absurdũ est, ex meritis hominum pendere efficaciam sacramenti. Tandem Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 95. *Fuerunt*, inquit, *qui virtutem Sacramentorum in ipso opere, quo Sacramenta, vel celebrantur, vel suscipiuntur, constituerunt: ita vt Sacramenta dicerentur conferre gratiam ex dignitate, &* D

merito operis, quod exercet, vel is qui celebrat, vel qui suscipit.

A

Hanc esse falsam expositionem, & testem ignorantiæ, vel malitiæ ipsorum patet ex eo, quòd omnes Catholici opponunt opus operatum operi operantis, & per opus operantis intelligunt opus bonum, seu meritorium ipsius operantis. Deinde cùm tam Catholici, quàm Lutherani doceant contra Donatistas, Sacramentorum efficaciam non pendere à bonitate ministri, quomodo potuit cadere in mentem alicuius, vt Catholici crederent, Sacramenta conferre gratiam ex dignitate, & merito ministri? Neque enim dubitari potest, quin bonum opus, & meritum pendeat à bonitate operantis: nam, *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Matt. 7. Pari ratione cùm omnes Catholici doceant Sacramenta cõferre gratiam, & sæpe primam gratiam, ita vt hominem ex impio iustum faciant; quomodo potest fieri, vt credant Sacramenta conferre gratiam ex dignitate, & merito suscipientis? Nam si is, qui suscipit sacramentum, posset bona opera & meritoria facere ante susceptionem sacramenti, nõ

B

esset impius, sed iustus.

Secunda expositio falsa est, quòd conferre gratiam ex opere operato, sit conferre gratiam peccatori sine fide, & bono motu cordis eiusdem peccatoris, ita vt vis operis operati sit excogitata ad excludendam fidem, & pœnitentiam internam in negotio iustificationis. Lutherus in Babylone, cap. de Baptismo: *Hinc*, inquit, *impulsi sunt tantum tribuere sacramentis nouæ legis, vt ea statuerent prodesse etiam ijs, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requiri fidem, aut gratiam.* Caluinus in Antidoto, sess. 7. can. 5. *Fingunt*, inquit, *subesse vim magicam sacramentis, quæ sit extra fidem efficax.* Et can. 8. *Si*, inquit, *conceditur illis, quod postulant, opere operato comparari gratiam in Sacramentis, separatur à fide pars meriti, vt per se valeat sacramenti vsus ad salutem.* Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 125. *Pontificij*, inquit, *defendunt opinionem operis operati, quòd scilicet per sacramenta ita conferatur vtentibus gratia, vt non requiratur bonus motus interior in suscipiente.* Similia habent, Philippus in Confessione Augustana, articu. 13. & Apologia eiusdem, & Heshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit. 15.

C

At hæc expositio pugnat cũ superiore. Nã si opus operatũ, est opus meritoriũ suscipiẽtis, quomodo potest fieri, vt opus operatũ excludat fidẽ, cùm sine fide nullũ bonũ meritum possit intelligi? nam *Sine fide impossibile est placere Deo*, Heb. 11. Est præterea ea expositio falsa, & mera calumnia, ac mendacium. Nam ipsum Conc. Trident. sess. 6. cap. 7. diserte docet, initium iustificationis fieri à fide, & pœnitentia, & idem omnes Theologi docent, vt suprà cap. 2. ostendimus in refutatione mendaciorum.

Igitur vt intelligamus, quid sit opus operatum, notandum est, in iustificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta, multa concurrere; nimirum ex parte Dei, voluntatẽ vtẽdi illa re sensibili: ex parte Christi, passionẽ eius; ex parte ministri, potestatẽ, voluntatem, probitatẽ: ex parte suscipientis, voluntatẽ, fidẽ, & pœnitentiã; deniq; ex parte sacraméti, ipsam actionẽ externã, quæ consurgit ex debita applicatione formæ & materiæ. Cæterũ ex his omnibus id, quod actiuè, & proximè, arq; instrumentaliter efficit gratiã iustificationis, est sola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur, & hæc vocatur opus operatum, accipiendo passiuè (operatum) ita vt ideò sit sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramẽtalis à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis, vel suscipientis: quod S. Augustinus lib. 4. de Baptismo, cap. 24. expresit illis verbis: *Ipsum per seipsum Sacramentum multùm valet.* Nã voluntas Dei, quæ sacramento vtitur, cõcurrit quidem actiuè, sed est causa principalis. Passio Christi concurrit, sed est causa meritoria, non autem effectiua, cùm non sit actu, sed præterierit, licet maneat obiectiuè in mente Dei. Potestas & voluntas ministri concurrunt necessariò, sed sunt causæ remotæ; requiruntur enim ad efficiendam ipsam actionem sacramentalem, quæ postea immediatè operatur. Probitas ministri requiritur, vt ipse minister non peccet Sacramenta ministrando, non tamen ipsa est causa gratiæ in suscipiente, nec iuuat suscipientem per modum sacramenti, sed solùm per modum impetrationis & exempli. Voluntas, fides, & pœnitentia in suscipiente adulto necessariò requiruntur, vt dispositiones ex parte subiecti, non vt causæ actiuæ: non enim fides & pœnitentia efficiunt gratiam sacramentalem, neque dant efficaciam sacramenti, sed solùm tollunt obstacula, quæ impedirent, ne sacramenta suam efficaciam exercere possent, vnde in pueris, vbi non requiritur dispositio, sine his rebus fit iustificatio.

D

Exemplvm esse potest in re naturali. Si ad ligna comburenda, primùm exsiccarentur ligna, deinde excuteretur ignis ex silice, tum applicaretur ignis ligno, & sic tandem fieret combustio; nemo diceret, causam immediatam combustionis esse siccitatem, aut excussionem ignis ex silice, aut applicationem ignis ad ligna, sed solum ignem, vt causam primariam: & solum calorem, seu calefactionem, vt causam instrumentalem.

Quartò, notanda est fraus & imperitia Kemnitij: nam in secunda parte Examinis, cap. de opere operato, fatetur quosdam ex Catholicis, vt Gropperum & Alfonsum, rectè exponere, quid sit opus operatum; sed addit, non ita sensisse reliquos Catholicos, neque ipsum Concilium Tridentinum, & ideò adhuc remanere integram controuersiam. At miser Kemnitius, neque hos, neque illos intelligere potuit, aut certè intelligere noluit: *Fingunt*, inquit, *nimirum Gropperus & Alfonsius, iniuriam fieri Doctoribus Scholasticis, quasi opinione operis operati docuerint, Sacramenta alicui conferre gratiam sine fide gratiam accipienti: sed dicunt, nihil aliud ipsos disputatione de opere operato voluisse, quàm Sacramentorum veritatem non esse ex ministri operantis dignitate, seu merito æstimandam, sed ex Dei auctoris institutione, potentia, & operatione.* Et infrà: *Si hoc vellent Pontificij, quando de opere operato disputant, quia sententia vera est, nulla esset controuersia. Sed nec olim Scholastici omnes hoc senserunt, & ne nunc quidem Pontificij hoc volunt, quando pro opinione operis operati dimicant, sed longè aliud monstrum sub exoticis illis verbis aluntur, & Ecclesiæ obtruditur.* Hæc ille. In cuius verbis tria sunt falsa.

Primvm, quòd ait, Gropperum & Alfonsum fingere, fieri Scholasticis iniuriam, &c. non enim id fingunt, sed verissimè dicunt, vt sæpe probauimus, & probabimus iterum paulò pòst.

Secvndvm, quòd ait, nullam fore controuersiam, si omnes Catholici idem dicerent, quod Gropperus, & Alfonsus. Nam reuera idem dicimus omnes, & tamen controuersia manet. Nam illi duo auctores non solùm dicunt, Sacramenta non sumere efficaciam à dignitate ministri, & non excludere fidem, quod placet Kemnitio, & nobis, sed etiam dicunt, sacramenta habere veram efficaciam seu efficientiam ad producendam gratiam ex institutione diuina, quod Kemnitio placere non potest, cùm ipse (vt mox videbimus) nullam tribuat sacramentis efficientiam, nisi ad alendam fidem per modum obiecti repræsentantis diuinam promissionem.

Tertivm, quòd ait, neque olim Scholasticos, neque nunc Pontificios intelligere opus operatum, quomodo exponunt Gropperus & Alfonsus, nimirum vt non excludat finem. Hoc autem esse mendacium, planum fiet ex refutatione argumentorum eius.

Primvm ergo id probat, quia Scholastici omnes dicunt, Sacramenta nouæ legis dare gratiam ex opere operato; legis autem veteris dedisse ex opere operantis: At si opus operatum excluderet dignitatem ministri, etiam Circuncisio dedisset gratiam ex opere operato: nihil enim nocebat circuncidentis malitia ministri. Non igitur ex sententia Scholasticorum opus operatum excludit tantùm dignitatem ministri, sed etiam fidem, & motum internum suscipientis, quæ pertinent ad opus operantis, & erant necessaria in lege veteri.

A

Respondeo primùm; Aliquos Scholasticos, vt Gabrielem (quem paulò post citat Kemnitius) cùm dicunt sacramenta vetera non contulisse gratiam ex opere operato, excipere Circuncisionem: proinde apud eos nihil valeret Kemnitij argumentum.

Secvndò dico, opus operatum non solùm excludere dignitatem ministri, sed etiam fidem, & motum internum ab efficientia gratiæ sacramentalis. Nam, vt diximus, etiamsi ista requiruntur in adultis, tamen non sunt ista, quæ efficiunt gratiam, sed ipsum sacramentum, vt instrumentum Dei. In sacramentis autem legis veteris, non ipsum sacramẽtum propriè operabatur gratiam, sed vel fides, & deuotio suscipientis, vel totius Synagogæ, vel quid aliud, vt posteà dicemus. Itaque argumentum Kemnitij probat, opus operatum ex sententia Scholasticorum excludere fidem & motum internum ab efficientia gratiæ sacramentalis, non tamen probat, quod erat probandum, excludere simpliciter fidem & motum internum, ita vt sacramenta (vt ipsi calumniantur) conferant gratiam accipientibus ea sine fide, & sine interna conuersione cordis.

B

Secvndò probat ex Gabriele, qui in 4. dist. 1. q. 3. dicit, tunc esse opus operatum, cùm non requiritur motus internus.

Respondeo; Corruptè citat Gabrielem: nam mox subiungit Gabriel, quo motu de congruo, vel de condigno mereatur gratiam. Non igitur Gabriel excludit motum internum disponentem ad gratiam, sed meritorium gratiæ. Nam etiamsi illa dispositio potest esse meritoria gratiæ de congruo, vel etiam augmenti gratiæ de condigno, si sit actus ex charitate procedens: tamen alia est gratia, quæ datur ob dispositionem; alia, quæ datur ex vi sacramenti, vt idem auctor explicat in 4. dist. 4. q. 2. concluf. 4. ad primum.

C

Tertiò probat ex Paludano, qui in 4. dist. 1. q. 1. conclu. 2. probat. 4. dicit, non requiri in sacramentis vt homo se disponat, sed dispositionem effici ab ipso sacramento, & hoc esse causare gratiam ex opere operato.

Respondeo, Non intellexit Kemnitius Paludanum. Non enim loquitur Paludanus de dispositione, quæ est motus internus suscipientis, vt fides, & pœnitentia, quos motus expresè dicit requiri in sacramentis idem Paludanus dist. 4. q. 5. sed loquitur de quadam dispositione vltima, ad quam putat ipse continuò sequi gratiam, & eam dispositionem esse dicit characterem in tribus sacramentis, in alijs ornatum quendam animæ. Cùm enim non posset Paludanus intelligere, quomodo sacramentum efficeret gratiam, excogitauit illam sententiam, quòd efficeret quandam dispositionem, ad quam continuò sequeretur gratia. De qua re ad Scholasticos pertinet disputare.

D

Quartò probat ex Marsilio in 4. senten. q. 2. art. 2. & Mensingero in 6. cap. Ioannis, qui distinguunt opus operatum contra deuotionem internam operantis.

Respondeo, Distinguunt, non vt excludant omninò, sed vt excludant ab efficientia, vt diximus.

Quintò probat ex S. Thoma, Paludano, & Gabriele, qui dicunt, Missam prodesse etiam illis ex opere operato, qui non habent in corde pœnitentiam.

Respondeo, Loquuntur de sacrificio, non de sacramento. Porrò sacrificium prodest impœnitentibus per modum impetrationis, quia impetrat illis conuersionem & pœnitentiam, quomodo etiam orationes nostræ, licet non tam efficaciter, id faciunt.

Sextò probat ex eo, quòd multi Catholicorum probant, sacramenta efficere gratiam ex opere operato, quia Baptismus prodest paruulis non habentibus fidem, aut vllum internum motum. Ergo eodem modo in adultis excludunt fidem & motum interiorem: nam etiam in adultis volunt, sacramẽta vim habere ex opere operato.

Respondeo; Catholici efficacissimè probant exemplo paruulorum, sacramentorum efficaciam non pendere ab vlla qualitate suscipientis. Nec tamen ideò sequitur, eos excludere in adultis fidem & pœnitentiam: nã hęc requirũtur in adultis, vt dispositiones, quibus dispositionibus nõ egẽt paruuli, vt suo loco demõstrabitur.

Probat deinde Kemnitius, Concilium Trid. per opus operatum excludere voluisse fidem & motũ internum. Primò; Quia cùm Scholastici variè exponant opus operatum, & alij excludi velint motum internum, alij nolint: Concilium can. 8. simpliciter admittens opus operatum, & non restringens ad hanc potiùs, quàm ad illam expositionem, censetur omnes approbasse. Respondeo; Falsum est ab Scholasticis vllis per opus operatum excludi motum internum. Deinde si ita esset, Concilium nullam approbasset, sed solùm in genere definiuisset, sacramenta conferre gratiam ex opere operato.

Secvndò, Quia Concilium can. 12. definit, sacramenta non pendere ex dignitate ministri. Igitur in hoc can. 8. per opus operatum non intelligit, sacramentum non pendere à dignitate ministri, quomodo opus operatũ exponit Gropperus; sed aliquid aliud, nimirum non requiri fidem suscipientis, Respondeo, sacramenta conferre gratiam ex opere operato, propriè non significare negationem, id est, non pendere à dignitate ministri, sed significare affirmationem, id est, sacramenta vi sua efficere gratiam, ex qua sequitur negatio, id est, non pendere à dignitate ministrantis, vel suscipientis. Itaque Concilium can. 8. definiuit illam affirmationem contra Lutheranos: deinde cano. 12. definiuit negationem contra Donatistas & Anabaptistas.

Tertiò probat; Quia Concilium in isto canone 8. opponit opus operatum fidei: ergo intelligit excludi fidem per opus operatum. Respondeo, Si esset verum Antecedens, negari posse Consequentiam; nam si Concilium opponeret opus operatum fidei, intelligeret excludi fidem ab efficientia gratiæ sacramentalis, non autem excludi simpliciter. Sed tamen falsum est Antecedens, quia Concilium non opponit opus operatum fidei, sed soli fidei. Quod paulò infrà annotauit etiam Kemnitius.

Præter hæc argumenta addit Kemnitius duo expressa mendacia, quibus claudit suam disputationem de opere operato. Nam non solùm imposuit Theologis absurdam expositionem operis operati, sed etiam fingit, iam Theologos ab ipsis cõuictos, nõ audere amplius eam opinionem defendere: *Ipsi*, inquit, *Pontificij scriptores iam tergiuersantur, nec manifestè audent suscipere defensionem huius axiomatis, quod vsus Sacramentorum sine fide saluet suscipientes.* Atqui hoc, vt ostendimus, non fuit vnquam axioma Pontificiorum, sed mendacium Lutheranorum. Deinde vt homo solers, inuestigat etiam causas, cur in tam absurdum errorem Scholastici inciderint: & ponit duas causas. Vnam, quòd cùm legerint apud Augustinum lib. 3. de Baptismo, cap. 14. non interesse ad integritatem sacramenti, qua fide sit imbutus, qui recipit sacramentum, & non aduerterint, Augustinum loqui de substantia sacramenti, non de vtilitate & fructu; inde putauerint, non requiri fidem vt sacramenta prosint. Alteram, quòd cùm legerint apud eundẽ Augustinum in Epist. 23. paruulos sine fide actuali salubriter percipere sacramen-

tum, quia non ponunt obicem contrariæ cogitationis: putauerint, eandem esse rationem paruulorum & adultorum.

SED friuolæ, immò etiam falsæ sunt istæ causſæ. Nam omnes Theologi in 4. dist. 4. distinguunt sacramentum à re sacramenti; & docent, sacramentum etiam sine fide & pœnitentia posse recipi, non autem rem sacramenti, id est, gratiam. Præterea Concilium Tridentinum, sess. 7. can. 13. de Baptismo, docet, Baptismum paruulis prodesse sine actuali ipsorũ fide; & tamen sess. 6. cap. 6. & 8. & sess. 14. cap. 1. & alibi, docet, in adultis necessariò requiri fidem & pœnitentiam, vt iustificari possint, & semper Ecclesiam Catholicam ita sensisse.

CAP. II.

Sententia hæreticorum de efficacia Sacramentorum.

VANTVM ad secundum, antiqua fuit hæresis Messalianorum, ante annos M.C. qui docebant, sacramentis Baptismi, Eucharistiæ, & alijs non iustificari homines, sed solis precibus. Ita refert Ioannes Damascenus in lib. de hæresibus; *Baptismum*, inquit, *hominem non perficere, nec diuina sacramenta accepta animi sordes expiare, sed solas preces, quæ ab illis rectè fundantur.* Armeni quoque & noui quidam Cathari, si Guidoni credimus, negabant, sacramenta gratiam conferre.

SED his omissis, Lutherani de hac re interdum ita scribunt, vt videantur à Catholicis non dissentire, interdum autem apertissimè scribunt contraria. Semper tamen in eadem sententia manent, quæ est, sacramẽta non habere immediatè vllam efficientiam respectu gratiæ, sed esse nuda signa: tamen mediatè aliquid efficere, quatenus videlicet excitant, vel alunt fidem, quæ homines iustificat, quod tamen ipsum, id est, excitare fidem, non faciunt nisi representando. Volunt enim eodem modo concurrere ad iustificationem sacramenta, quo prædicatio verbi, nisi quòd prædicatio adhibetur auribus, & per auditum excitat fidem, sacramenta adhibentur oculis, & per visum excitant etiam fidem.

HANC sententiam initiò Lutherus & Philippus nudè proponebant, atque apertè dicebant quod sentiebant, nimirum sacramenta nihil efficere. Sunt autem loca notanda contra Kemnitium, qui impudentissimè in 2. parte Exam. pag. 111. dicit, Lutherum seriò & semper improbasse in sacramentarijs profanam illam sententiam: *Quòd sacramenta non sint organa, & causſæ instrumentales gratiæ, sed solùm instar picturæ commonefaciant, & excitent fidem.* Hæc ille.

AVDIAMVS nunc Lutherum. Anno M.D.XX. in lib. de captiuitate Babylon. cap. de Baptismo: *Baptismus*, inquit, *neminem iustificat, nec vlli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur Baptismus: hæc enim iustificat.* Et ibidem: *Idem Deus, qui nos nunc per Baptismum, & panem saluat, saluauit Abel per sacrificium, Noë per arcam, Abraham per Circuncisionem, & alios omnes per sua signa.* Et paulò infrà numerat inter sacramenta veteris legis, quæ non vult esse inferiora sacramentis nouæ legis, quoad efficaciam, signum datum Gedeoni in rore & vellere, & signum datum Manue in sacrificio, & signum oblatum Achaz ab Isaia cap. 7. & concludit: *Nostra & Patrum signa, seu sacramenta habent annexum verbum promissionis, quod fidem exigit & nullo opere alio impleri potest, ideò sunt signa, seu sacramẽta iustificationis, quia sunt sacramẽta iustificantis fidei, & non operis: vnde & tota eorum efficacia est ipsa fides, non operatio. Qui enim ijs credit, is implet ea, etiamsi nihil operetur.* Et infrà: *Nec verum esse potest, sacramentis ineſſe vim efficacem iustificationis, seu esse ea signa efficacia gratiæ: hæc enim omnia dicuntur in ieiuna fidei.* Idem anno M.D.XXI. in assert. 1. articuli ita scripsit: *Nos dicimus, nec noui, nec veteris Testamenti sacramenta, sed solam fidem iustificasse.* Item anno M.D. XXIII. in lib. contra Cochlæum: *Non potest vlla pars iustificationis tribui Baptismo: alioqui si vlla parte iustificaret, non liceret negare, Baptismum sine fide iustificare: cùm autem ei denegetur, soli fidei rectè relinquitur.*

PHILIPPVS Melanchthon in locis editis anno M.D.XXII. capit. de signis, horrendum esse dicit errorem Scholasticorum, quòd sacramenta iustificent, & addit: *Non iustificant signa, vt Apostolus ait, Circuncisio nihil est: ita Baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est, sed testes sunt, καὶ σφραγῖδες diuinæ voluntatis erga te.* Idem etiam in Apologia anno M.D.XXX. edita, ad art. 13. dicit, sacramentum esse signum promissionis, ac veluti picturam verbi: & in libro contra Anabaptistas: *Sicut voluntas Dei ostenditur in verbo, seu promissione, ita etiã ostenditur in signo, tanquam in pictura.* Et infrà: *Prodest & hoc moneri, sacramenta non iustificare.* Vbi vides illam ipsam similitudinem picturæ, quam tantopere execratur Kemnitius, & tamen profitetur se Apologiæ huius sectatorem in ipso principio, 2. par. Examinis.

LVTHERVM & Philippum secuti sunt sacramentarij, ex quibus Caluinus lib. 4. Institutionum, cap. 14. §. 5 vtitur eadem similitudine picturæ, & §. 17. *Fixum*, inquit, *maneat, non esse alias sacramentorum, quàm verbi Dei partes: quæ sunt offerre nobis, ac proponere Christum, & in eo cœlestis gratiæ thesauros.* Et infrà: *Cauendum prætereà*, inquit, *ne in errorem nos abducant, quæ ad amplificandam sacramentorum dignitatem paulò magnificentiùs à veteribus scripta sunt: vt scilicet arbitremur, latentem aliquam virtutem sacramentis annexam, affixámque esse, quo ipsa per se Spiritus sancti gratia nobis conferant, cùm hoc tantùm illis diuinitùs iniunctum sit munus, testificari nobis ac sancire Dei in nos benenolentiam.* Et infrà: *Sacramenta id sunt nobis à Deo, quòd ab hominibus rerum lætarum nuncij, vel arrhæ in pactis sanciendis, vtpote quæ non à se quidem largiantur aliquid gratiæ, sed renuncient, & ostendant, atque (vt sunt arrhæ & tesseræ) rata apud nos faciant, quæ diuina largitate nobis donata sunt.* Et §. 18. vtitur exemplo iridis & velleris Gedeonis, atque alijs, quibus vtebatur Luth.

PORRÒ idem Lutherus in libris posterioribus conuictus (vt verisimile est) argumentis Catholicorum, longè aliter scripsit. Nam in homil. 1. de Baptismo, quam anno M.D.XXXV. edidit, circa principiũ. 2. par. ita habet: *Ad hoc institutus est Baptismus, vt nobis seruiat, nobis prosit, nobis donet, nõ aliquid carnale, vel corporale, sed æternam gratiam, æternam munditiam, & sanctitatem, æternam vitam.* Et in homil. 2. de Baptismo, quam habuit anno M.D.XL. *Non potest*, inquit, *non id operari Baptismus, ad quod institutus est, videlicet regenerationem & renouationem Spiritus sancti.* Et infrà: *Tantam virtutem & energiam habet Baptismus, vt homo, qui in peccatis conceptus & natus est, regeneretur coram Deo, & qui antè ad mortem erat damnatus, iam sit filius Dei. Quis hanc gloriam & virtutem sacrosancti Baptismi sensibus, cogitatione, intellectu humano assequi, & percipere potest?* Et infrà: *Voluit Ioannes his verbis significare, Baptismum tam efficacem, ac tantæ virtutis esse, vt peccata abluere, mortem submergere & suffocare, & omnia vitia & sordes sanare & mundare posset.*

HVNC modum loquendi imitantur recẽtiores Lutherani, atque in primis Kemnitius. Nam in 2. par. Exam. pag. 98. vbi citasset aliquot Scripturas pro efficacia sacramentorum contra Anabaptistas & Sacramentarios, ita subiungit: *Hæc manifestissima testimonia, quæ sacramẽtis efficaciam tribuunt, & qualis ea sit, explicant, non sunt per tropos peruertenda à simplici, & genuina significatione, quam propria vocabulorum significatio præbet: & ita veteres hæc testimonia simpliciter, sicut sonant, intellexerunt.* Et pag. 101. *Sacramenta sunt causſæ instrumentales, ita quòd per illa media, seu organa Pater vult gratiam suam exhibere, donare, applicare: Filius meritum suum communicare credentibus, Spiritus sanctus efficaciam suam exercere ad salutem omni credẽti.* Hæc ille: qui certè Catholicissimè loqui videtur. Caluinus quoque non rarò ita loquitur, vt loquuntur Catholici. Nam in Antid. Conc. sess. 7. can. 5. sic ait: *Semper memoria repetendum est, sacramenta nihil, quàm instrumentales esse conferendæ nobis gratiæ causſas.* Et can. 6. *Si qui sint, qui negent sacramentis contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus.*

VERVNTAMEN nec Lutherus, nec Caluinus, nec Kemnitius recedit à prima illa sententia, quæ nihil reuera tribuit sacramentis efficientiæ. Nam cùm dicunt, sacramenta esse causſas instrumentales, & conferre gratiam, & esse efficacia, semper intelligunt, mediante fide, ita vt ipsa nihil aliud agãt, nisi excitare, vel nutrire fidem, quæ sola iustificat.

NAM idem Caluinus ibidem can. 5. explicat quomodo sacramenta sint causſæ instrumentales gratiæ, ac dicit, tunc demum sacramenta suum effectum habere, si fidei seruiant. Et can. 8. dicit, eodem modo efficere in nobis gratiã sacramenta, quo efficit verbum Dei prædicatũ. At certũ est, verbum non efficere, nisi excitãdo, vel nutriẽdo fidem. Denique Theodorus Beza (vt suprà notauimus) in lib. de summa rei sacramentariæ. q. 2. ita explicat Caluini præceptoris sui sententiam: *Vnde efficacia*, inquit, *illa sacramentorum? à Spiritus sancti operatione in solidum, nõ autem à signis, nisi quatenus externis illis obiectis interiores sensus mouentur.*

Kemnitius quoque pag. 101. & sequentib. explicans accuratè, quemadmodum sint efficacia sacramenta, tandem concludit esse efficacia, eo modo, quo ipsa promissio, seu promissionis verbum. Et pag. 102. *Verbum*, inquit, *& sacramenta monstrant nobis, vbi fides debeat quærere, & vbi possit inuenire Christum Mediatorem, Patrem & Spiritum sanctum.* Et pag. 105. explicans, quomodo fides in sacramentis iustificet: *Non est sensus*, inquit, *quòd fides gratiam accipiat sine medio aut organo fidei & sacramentorum: obiectum enim fidei est verbum & sacramenta, immò in verbo & sacramentis verum fidei obiectum est, Christi meritum, gratia Dei, & efficacia Spiritus: & fides ideò iustificat, quia illa in verbo & sacramentis apprehendit & accipit: & hoc sensu sicut fides verbi, ita etiam fides sacramenti, dicitur iustificare.* Hæc illæ.

DENIQVE quibuscunque verbis Catholicorum vtantur Lutherani, non possunt tamen vllo modo sentire, quod nos sentimus, sacramenta esse veras & immediatas causſas iustificationis, nisi recedant à primo illo suo principio, Sola fides iustificat: quod hactenus non fecerunt.

CAPVT III.

Quòd Sacramenta ex opere operato conferant gratiam, ex Scripturis probatur.

PROBANDVM iam supereſt, sacramenta esse veras causſas instrumentales gratiæ, ac ne fruſtrà laboremus, demonstrandum est simul, aliter esse causſam sacramenta, quàm concionem. Nam ad omnia testimonia nostra respondere solent, sacramenta esse veras causſas gratiæ, sed excitando fidem, quomodo etiam verbum Euangelij dicitur à Paulo Rom. 1. *Virtus Dei in salutem omni credenti.*

ADFEREMVS sex argumentorum classes. Prima erit ex Scripturis Testamenti noui, vbi expresè id habetur. Secunda ex vaticinijs Prophetarum, & ex figuris Testamenti veteris. Tertia ex Concilijs. Quarta ex Patribus Græcis. Quinta ex Latinis. Sexta ex ratione.

Prima classis testimoniorum ex nouo Testamento.

PRIMVM testimonium est Matth. 3. Marci 1. Luc. 3. Ioan. 1. vbi Ioannes Baptista loquitur: *Ego Baptizo vos aqua, ille vos baptizabit Spiritu sancto.* Quibus verbis non est dubium, tantùm discrimen poni inter efficaciam Baptismi Ioannis, & Baptismi Christi, quantum est inter aquã & Spiritum. At Baptismus Ioannis efficax erat ad alendam fidem, non minùs quàm Baptismus Christi; nam in Baptismo Ioannis erat externa ablutio & verbum promissionis. Nam prædicabat Baptismum pœnitẽtiæ in remissionem peccatorum, Luc. 3. & prædicabat simul fidem Mediatoris, dicens, vt crederent in eum, qui venturus erat, Act. 19.

AD hoc argumentum Caluinus in caput tertium, Matth. Respondet, eandem fuisse efficaciam Baptismi Ioannis & Christi: discrimen autem, quod ponit Ioannes in aqua & Spiritu, dicit in eo consistere, quòd Ioannes erat minister externi ritus, Christus autem erat auctor internæ sanctificationis. At si ita est, non debuit Ioannes dicere; Ego Baptizo, ille baptizabit: sed, Ego baptizo, ille baptizat. Præterea si erat eadem vis vtriusque Baptismi, cur Actor. 19. Paulus iussit baptizari Christi Baptismo eos, quos audiuit iam fuisse baptizatos baptismo Ioãnis.

RESPONDET Caluinus in Comment. Actor. 19. non fuisse illos iterum baptizatos, sed tantùm accepisse visibiliter donum Spiritus sancti, & hoc significari illis verbis: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* At præterquam quòd ista esset vitiosa æquiuocatio, cùm in tota ea narratione accipiatur nomen baptismi pro baptismo aquæ, & quòd licebit, omnes Scripturas peruertere, si licet verba tam aperta aliò torquere: ibidem mox adiungit Lucas: *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebãtur linguis, & prophetabant.* Non igitur illud, *Baptizati sunt*, significat, Acceperunt donum Spiritus sancti visibiliter.

RESPONDET Caluinus, ista posteriora verba esse explicationem priorum. At non diceret Lucas: *Baptizati sunt, Et cùm imposuisset manus*, &c. Sed baptizati sunt: nam cùm imposuisset manus, &c. vel certè, Baptizati sunt, & imposuit illis manus, &c. sic enim fieri solent explicationes. Illa autem phrasis: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus*, euidenter ostendit, duas fuisse actiones, & diuerso tempore factas, Baptismum, & manus impositionem. Denique conferatur hic locus cum alio eiusdem auctoris, nimirum Act. 8. vbi similiter habetur baptismus in nomine Domini Iesu, & impositio manuum, & erit luce clariùs per baptismum in vtroque loco intelligi verum baptismum.

SECVNDVM testimonium Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hîc tribuitur baptismo vis saluandi, at non saluat, nisi iustificando, & abluendo sordes peccatorum.

NEQVE potest responderi, quòd saluet excitando fidem. Nam in primis hoc loco fides præcedit. Ineptum autem est dicere, primò poni effectum, deinde causſam. Sicut enim absurdum esset dicere; Qui curatus fuerit, & acceperit medicinam: ita absurdum esset dicere: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, si baptismus est causſa fidei. Vnde quia audire verbum Dei est verè causſa fidei, semper in Scriptura præcedit, vt Ioan. 5. *Qui audit verbum, & credit, habet vitam æternam.* Et Ioan. 6. *Omnis qui audiuit, & didicit, venit ad me.* Non ergo fides est effectus baptismi, cùm eũ præcedat, sed potiùs dispositio ad illum.

PRÆTEREA ad hominem; Christus hoc loco non coniungit sacramentum cum concione, vt aduersarij faciunt: non enim dicit, Qui audierit verbum, & baptizatus fuerit; sed coniungit cum fide, quæ est effectus verbi. Sicut ergo fides apud aduersarios immediatè iustificat applicando merita Christi, non autem excitando aliquã aliam causam; cur non eodem modo fateantur, baptismũ immediatè iustificare applicãdo Christi merita, cũ Christus eodẽ modo loquatur de fide & de Baptismo?

TERTIVM testimoniũ Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Hic locus apertè facit Baptiſmum aquæ cauſſam nouæ natiuitatis: id enim ſignificat præpoſitio, *Ex*, vt patet in omnibus ſimilibus loquutionibus.

NEQVE poteſt dici, quòd renaſci ex aqua, ſit renaſci ex fide, quam excitat aqua. Nam primò debuiſſet potiùs Chriſtus dicere; Niſi quis renatus fuerit ex verbo & Spiritu ſancto, quàm, Ex aqua & Spiritu ſancto: cùm principalior cauſſa excitandæ fidei, ſit verbum, quàm aqua. Secundò, quia fuiſſet Chriſti ſermo omninò ininteligibilis. Nam cùm nihil dixerit antea de fide, quis diuinare poſſet, eo modo tradere rationem excitandæ fidei? Tertiò, eſſet falſa propoſitio: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Nam ſi fides ſola iuſtificat, impertinens eſt ad ſalutem, vnde fides excitetur, ſiue ex aqua, ſiue ex vino, ſiue ex alia re. Et conſtat multis modis, fidem excitari poſſe ſine baptiſmo aquæ: concio enim abundè ſufficit ad excitandam fidem.

AD hunc locum non potuit aliter Caluinus reſpondere, niſi negando, hîc agi de Baptiſmo, quod etiam ante illum negarunt Zvvinglius & Bucerus. Itaque Caluinus in commentar. & lib. 4. Inſtitutionum, cap. 16. §. 25. negat, intelligi debere de ſacramento Baptiſmi, ſed de ſola interna renouatione. Quocirca per aquam vult intelligi Spiritum ſanctum, & hunc eſſe ſenſum; Niſi quis renatus fuerit ex aqua, id eſt, ex Spiritu ſancto, qui inſtar aquæ mundat, &c.

AT Primùm; Omnes ſcriptores hactenus hûc locum intellexerunt de Baptiſmo; vt Iuſtinus Apolog. 2. Tertullianus in libro de Baptiſmo, Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. 25. Ambroſius libro 3. de Spiritu ſancto, cap. 11. Hieronymus in caput 16. Ezechielis, item Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus in ſermone de Baptiſmo: denique omnes interpretes huius loci, Origenes, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, Beda, Theophylactus, Euthymius, & alij.

SECVNDÒ, Si ita liceret ludere in Scripturis, poſſemus negare Baptiſmum aquæ. Nam vbique intelligemus nomine aquæ Spiritum ſanctum, & eodem modo licebit peruertere omnia alia myſteria.

TERTIÒ, Negari non poteſt, quin ſit coacta, & abſurda, & Scripturis inuſitata loquutio. Nec valet exemplum, quod Caluinus profert ex Matthæi 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne*. Vbi vult per ignem intelligi eundem Spiritum ſanctum, vt habet ſimilitudinem cum igne. Nam per ignem rectiſſimè poteſt intelligi externus ignis, qui deſcendit viſibiliter ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes, vel ignis tribulationis, vel ignis Purgatorij: quas expoſitiones attingit Beda in commentario Luc. 3. Præterea in hoc loco, ignis poſtponitur Spiritui ſancto, & non eſt ita abſurdum, poſt vnum vocabulum poni alterum, quo illud declaretur. At aquam Ioan. 3. Dominus præpoſuit Spiritui ſancto: abſurdiſſimum autem eſt, priùs poni declarationem, deinde id, quod declarandum eſt. Neque negari poteſt, quin aqua ſi accipitur pro Spiritu ſancto, ponatur ad declarandum effectum Spiritus ſancti, qui eſt mundare.

QVARTÒ, ſi aqua hoc loco non poneretur, niſi ad explicandum effectum Spiritus ſancti, malè coniungeretur cum verbo renaſcendi; aqua enim, ſi tantùm inſpiciatur eius ſignificatio, non gignit, ſed lauat, & refrigerat. Itaque vel dicere debuiſſet Dominus; Niſi quis mûdatus fuerit aqua & Spiritu ſancto, vel, Niſi quis renatus fuerit ex ſemine & Spiritu ſancto. Non igitur aqua ſolùm hoc loco declarat effectum Spiritus ſancti, ſed propriè ſignificat aquam, vt concurrit ſacramentaliter ad ſpiritualem regenerationem.

QVARTVM teſtimonium Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. Cui ſimile eſt illud Actor. 22. *Et nunc quid moraris? baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipſius*. In his locis tribuitur Baptiſmo remiſſio peccatorum: nec poteſt dici, id fieri, quòd baptiſmus excitet fidem. Nam quos Petrus alloquitur Actor. 2. iam crediderant, vt Lucas ibidem indicat. Audita enim Petri concione, compuncti ſunt corde, & dixerunt: *Quid faciemus viri fratres?* Petrus autem non ait, Oportet credere, vel magis credere, ſed; *Pœnitentiam agite*, &c. Pari ratione Paulus, cui dixit Ananias, Act. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua*, iam crediderat, & pœnitentiam egerat triduo ieiunans.

RESPONDET Caluinus, tum in cõmentario Actorum, tum lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 18. Baptizari in remiſſionem peccatorum, ſeu abluere peccata Baptiſmo, nihil eſſe aliud, niſi accipere teſtimonium, ſeu ſigillum acceptæ iuſtificationis, idque ad fidem roborandam & confirmandam.

SED (vt omittam quod antea demonſtrauimus, ſacramenta non poſſe eſſe ſigilla, vel certè eſſe falſa ſigilla, cùm non ſciat miniſter, an ille, cui applicat ſigillum diuinum, ſit verè iuſtificatus) quis non miretur nouum iſtum tropum, quo abluere peccata, ſignificat, accipere ſigillum iuſtificationis acceptæ? Inauditum eſt enim, vt actio ſignificata, ponatur ad ſignificandum ſignum, & quòd actio futura ponatur ad ſignificandam præteritam. Exempla eſſe poſſunt: ſi quis diceret, Bibe vinum, abſurdè id diceret, ſi ſignificare vellet, Inſpice hederam, quæ in hoſpitio pendet. Pari ratione, ſi Imperatori reuertenti cum victoria diceretur; Vince hoſtes, idque diceretur, ad ſignificandum, Accipe triumphum in ſignum præteritæ victoriæ, abſurdiſſima eſſet loquutio. Non enim rectè dicitur, Vince hoſtes, ei, qui iam pugnauit, & vicit.

QVINTVM teſtimonium Actor. 8. *Cùm vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus*: cui loco ſimilis eſt ille 2. Timoth. 2. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Ita enim hæc loca intelliguntur de ſacramentis Confirmationis & Ordinationis, quæ apud multos aduerſariorum non ſunt propriè ſacramenta: tamen ſi ſacramenta, vt ipſi volunt, impropriè dicta ſunt veræ cauſſæ gratiæ, quantò magis ſacramenta propriè dicta? Porrò in his locis apertiſsimè impoſitio manuum aſſeritur cauſſa gratiæ, vt patet ex illa particula, *Per*. Nec poteſt dici, manuum impoſitionẽ eſſe cauſſam gratiæ excitando fidem; nam omnes iſti, qui per impoſitionem manuum acceperunt gratiam Spiritus ſancti, iam crediderant & baptizati erant.

SEXTVM teſtimonium 1. Corinth. 10. *Vnum corpus multi ſumus, omnes, qui de vno participamus*. Vbi participare de vno pane, ponitur pro cauſſa vnius corporis. Quod in Græco eſt clarius: ὅτι γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Omnes enim ex vno pane participamus. Quomodo autem ſumus vnum corpus, quia de vno pane participamus, niſi quia panis ille alit, & auget vitam huius corporis? Nam in rebus corporalibus, quia idem cibus alit omnia membra eiuſdem corporis, ideò rectiſsimè probamus, aliqua membra eſſe membra eiuſdem corporis, ſi ab eo cibo alantur. Quare ſi tollas à ſacramento Altaris veram cauſſalitatem gratiæ, non poterit probari, quòd ſimus vnum corpus, quia eandem Euchariſtiam participamus. Similis eſt huic loco ille 1. Cor. 12. *Etenim omnes nos in vno Spiritu in vnum corpus baptizati ſumus*. Vbi Paulus probat, nos eſſe vnum corpus, quia per Baptiſmum accepimus vnum Spiritum. Quod argumẽtum nihil efficit, ſi Baptiſmus non confert Spiritum.

SEPTIMVM teſtimonium Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Cui ſimilis eſt locus ille Tit. 3 *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. Vbi apertiſsimè dicimur mundari, & ſaluari lauacro aquæ, & per lauacrum: vtrumque autem cauſſam inſtrumentalem ſignificat.

RESPON

RESPONDET Caluinus in commentario horum locorum, Baptiſmum propriè dici lauacrum animæ, & eſſe ſymbolum efficax: quia Deus, dum hoc ſignum oſtendit, ſimul etiam operatur, quod per illud ſignificat. At per accidens hoc modo coniungitur iuſtificatio, quam ſolus Deus facit cum Baptiſmo: proinde non magis propriè dicitur mundari, & ſaluari per Baptiſmum, quàm per quamlibet aliam actionem, quæ tunc ſimul fiat. Nec poteſt verè dici Baptiſmus lauacrum regenerationis, ſi per illum Deus non lauat nos, licet eodem tempore lauet nos. Si dicat, Deum nos mundare per Baptiſmum, quia oſtendens illud ſymbolum, prouocat fidem quæ mundat: etiam dicere poſſet, homines inebriari per hederam, quæ pendet in hoſpitijs; quia illa hedera prouocat ad emendum vinum, quod vinum poſtea inebriat.

OCTAVVM teſtimonium eſt 1. Petri 3. *Quòd nos ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*. Hîc habemus Primùm, Baptiſmo nos ſaluos fieri. Deinde, ſaluos fieri ſimili quodam modo, quo olim tempore Noë pauci quidam ſalui facti ſunt per aquam. Arqui aqua illa verè & efficiẽter ſaluauit eos, qui erãt in arca, videlicet arcam in ſublime attollens. Denique, habemus diſcrimen inter Baptiſmata Iudæorum, & noſtrum: quòd illa tollerent ſordes carnis, noſtrum purificet conſcientiam. Sicut igitur baptiſmata Iudæorum verè tollebant ſordes carnis, non tantùm ſignificando, ſed etiam efficiendo; ita & noſtrum Baptiſma verè lauat conſcientiam, non tantùm ſignificando, ſed etiam efficiendo.

CAPVT. IV.

Secunda claſſis teſtimoniorum, vaticinia Prophetarum.

RIMÒ Iſaias cap. 1. vbi dixerat: *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum: holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum volui*. Subiungit: *Lauamini, mundi eſtote*. Quæ verba S. Hieronymus, & S. Cyrillus in commentario, & Cyrillus Hieroſolymitanus in cap. 1. catecheſi, & Theodoretus in Pſal. 50. & Baſilius orat. 13. quæ eſt de Baptiſmo, exponunt ad literam de Baptiſmo, qui ſuccedit expiationibus illis veteribus. Quòd autem Baptiſmus vim habeat mundandi, patet ex illis verbis: *Lauamini, mundi eſtote*. Eſt enim ac ſi diceret; Baptizamini, & eo modo mundi eritis. Vnde S. Hieronymus hunc locum ita enarrat: *Pro ſuperioribus victimis & holocauſtis Euangelij mihi placet religio, vt baptizemini in ſanguine meo per lauacrum regenerationis, quòd ſolùm poteſt peccata dimittere*: Hæc ille: vbi illud: *Solum*, non excludit Deum, Chriſti meritum, fidem, & alia id genus, ſed ſacrificia & cæremonias Iudaicas.

SECVNDÒ, Ezechielis cap. 36. *Effundam*, inquit, *ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor nouum*, &c. Hunc locum de Baptiſmo intelligũt Hieronymus & Theodoretus in comment. & Cyprianus libro 1. epiſt. vltima, & libro 4. epiſt. 7. vbi notat S. Hieronymus, per aquæ Baptiſmi aſperſionem non ſolùm mundari peccata, ſed etiam dari cor nouum, & ſpiritum nouum.

TERTIÒ, Micheas cap. 7. *De baptiſmi gratia*, inquit Hieron. in epiſt. 83. ad Oceanum, *vaticinatur*: *Proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Quomodo etiã hunc locum exponit Rupertus in commentario, & Auguſtinus in commentario Pſal. 113. At quod in mare mergitur, non ſolùm ſignificatur extingui, ſed re ipſa vi aquarum extinguitur.

QVARTÒ, Zacharias cap. 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ*. Hunc etiam locum Hieronymus & Rupertus in commentario exponunt de Baptiſmo, qui vim habet purgandi peccata.

QVINTÒ, Dauid Pſal. 50. *Aſperges me Domine hyſſopo*, &c. Sed de hoc paulò infrà dicemus, in explicatione ſextæ figuræ.

Figuræ Sacramentorum.

PRIMA eſt Geneſis 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. In Hæbreo exprimitur, quorſum ferretur ſuper aquas, nimirum vt eas fœcundas redderet: nam inde procreandi erant piſces, & aues, vt infrà habetur, מרחפת incubabat, more gallinæ nidum ſuum fouentis, & oua calore animantis, inquit Hieronymus, in qq. in Geneſim. Fuiſſe autem hanc figuram Baptiſmi, qui conſtat ex aqua & Spiritu ſancto, docent Tertullianus in lib. de Baptiſmo. Hieronymus in epiſt. 83. ad Oceanum. Vt igitur aqua initio mundi à Spiritu ſancto vitalem quandam vim accepit, vt animalia procrearet; ſic & Baptiſmus à Spiritu ſancto vim accepit procreandi nouos homines: *Ne mirum ſit*, inquit Tertullianus, *in Baptiſmo, ſi aquæ animare poſſunt*. Et ibidem Chriſtianos vocat piſciculos, quòd naſcantur ex aquis. Qua etiam de cauſſa literæ capitales verſuum Sibyllinorum faciunt ἰχθὺς, id eſt, piſcis, & ſignificant IESVS *Chriſtus Dei Filius Saluator*. Quod annotauit Auguſtinus lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 23. & Proſper lib. 2. de prædictionibus, cap. 29. & ante vtrumque Optatus Milcuitanus lib. 3. contra Parmenianum: *Hinc*, inquit, *eſt piſcis, qui in Baptiſmate per inuocationem fontalibus vndis inſcribitur, vt quæ aqua fuerat, à piſce etiam piſcina vocitetur, cuius piſcis nomen ſecundum appellationem Græcam in vno nomine per ſingulas literas turbam ſanctorum nominum cõtinet, ἰχθὺς, quod eſt Latinè*, IESVS *Chriſtus Dei Filius Saluator*. Et huc alludens S. Hieronymus in epiſt. 43. *Bonoſus*, inquit, *tanquam ἰχθύος Filius aquoſa petit*.

SECVNDA figura eſt Geneſ. 7. de diluuio ſaluante Noë, & reliquos, qui erant in arca, quam explicat S. Petrus epiſt. 1. cap. 3. vt paulò antè diximus.

TERTIA figura eſt Geneſ. 17. de Circumciſione, de qua B. Paulus Coloſſ. 2. ſic ait: *Circumciſi eſtis Circumciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, ſed Circumciſione Chriſti cõſepulti ei in Baptiſmo*. At Circumciſio verè & efficienter carnem abſcindebat, non autem erat ſolùm teſtimonium abſciſionis, &c.

QVARTA figura eſt Exod. 14. ſubmerſio Ægyptiorum in mari rubro, & tranſitus filiorum Iſraël; de qua ſic loquitur B. Baulus 1. Cor. 10. *Omnes*, inquit, *in Moſe baptizati ſunt in nube & in mari*. Et infrà dicit: *Hæc omnia contingebant illis in figuram*. Itaque mare rubrum figura fuit Baptiſmi; nubes autem obumbrans, figura Spiritus ſancti, & ſicut mare rubrum verè demerſit Ægyptios, & liberauit Iſraëlitas: ita Baptiſmus verè delet peccata, & ſaluat animas. Vide Cyprianum libro 4. epiſt. 7. Auguſtinum tractat. 11. & 13. in Ioannem, & Hieronymum in epiſt. 83. ad Oceanum.

QVINTA figura eſt Exodi 16. & 17. de Manna pluẽte è cœlo, & aqua ſcaturiente ex petra: quæ figuræ erant Euchariſtiæ corporis & ſanguinis Domini, eodem Paulo ibidem 1. Cor. 10. explicante. At Manna & aqua illa verè reficiebat, & recreabat corpora Iſraëlitarum, & non erãt teſtimonia vel ſigilla. Igitur Euchariſtia verè reficit animas: alioqui erit melior figura, quàm res figurata.

SEXTA eſt Numeri 19. de aqua luſtrationis, quæ admiſtam habebat cinerem vaccæ rufæ, quàm fuiſſe Baptiſmi figuram, ſcribit Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Numeros, cap. 33. Vbi notandum ex eodem Auguſtino, tria fuiſſe neceſſaria in hac expiatione: cinerem vaccæ rufæ, aquam & hyſſopum, quo aqua aſpergebatur: & quidem cinis vaccæ, Chriſti mortem & merita ſignificat: aqua verò Baptiſmum qui Chriſti merita applicat: hyſſopus herba humilis, radices habẽs in petra, fidẽ ſignificat, ſine qua Baptiſmus adultis non datur, & ſi fortè datur, non eis prodeſt. Sicut ergo in illa expiatione hyſſopus

non

non mundabat, sed aqua vim habens ex cinere vaccæ & hyssopo aspersa: sic in baptismo non est fides, quæ propriè in Baptismo purgat peccata, sed aqua vim habens ex Christi passione, & fide suscepta. Ad has expiationes, tum figurantem, tum figuratam respexit Dauid, cùm diceret Psal. 50. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.* Petit enim eam purgationem, quam nouerat figuratam, per expiationem aquæ, quæ hyssopo aspergebatur, vt exponit Theodoretus in commentario huius loci.

SEPTIMA figura est Iosue 4. de transitu filiorum Israël per Iordanem ad terram promissionis, duce Iosue, quam fuisse figuram Baptismi, docet Ambrosius in illud Luc. 1. *Ipse præibit in spiritu & virtute Eliæ.* & Augustinus in illud Psal. 113. *Et tu Iordanis conuersus es retrorsum.* Neque vllus dixerit, per aquas Iordanis non transiuisse filios Israël ad terram promissionis, sed obsignatam promissionem transeundi.

OCTAVA est 4. Regum 5. de Naamam Syro curato à lepra, lauacro Iordanis: de qua vide Ambrosium in quartum caput Lucæ, & lib. 2. de Sacramentis, cap. 4. Et certè aqua Iordanis verè ourauit Syrum illum: non fuit sigillum promissionis.

NONA est Ioan. 5. de probatica piscina, quæ figura manifestissima est, & à Patribus multis celebrata, vt Tertulliano in libro de Baptismo, Ambrosio libro 1. de Spiritu sancto. cap. 7. Chrysostomo, Cyrillo, & Theophylacto in hunc locum Ioannis. Et quidem Chrysostomus pulcherrimè hanc figuram explicat, & addit, Deum voluisse varijs figuris efficaciam Baptismi demonstrare, ne incredibilis videretur: *Futurum*, inquit, *erat Baptisma plenum maximæ potestatis & gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo viuum effecturum*, &c. Et sanè nisi ita esset, vt dicit Chrysostomus, præstantior fuisset figura re ipsa figurata.

DECIMA est Ioannis 9. de cæco nato, quem Dominus illuminauit per aquâ Siloë, de qua vide Ambrosium epist. 75. ad Bellicium, & Augustinum tract. 44. in Ioannē.

SVNT autem duo notanda ad hæc loca Scripturæ. Primùm, quòd cùm tam sæpe Scriptura, & vaticinijs, & figuris, & expressis verbis loquatur de sacramentis; tamen ne semel quidem dicat, vim sacramentorum consistere in excitanda, vel alenda fide: sed semper explicet consistere in purgandis peccatis, & mundanda anima. Ex quo teuera, si res seriò perpendatur, euidenter colligitur, falsissimam esse hæreticorum sententiam. Nam quomodo credibile est, finem immediatum, & præcipuum sacramentorum nunquam in Scriptura haberi, cùm finis mediatus tam sæpe inculcetur?

SECVNDÒ nota, quòd si licet negare, sacramenta verè & immediatè sanctificare, cùm tam apertè Scripturæ hoc doceant, eadem ratione negari poterit, fidem iustificare, quod tamen aduersarij passim affirmant. Nam nihil Scripturæ tribuunt fidei, quod non tribuant etiam sacramentis. Verbi gratia, Lucæ cap. 7. dicitur. *Fides tua te saluam fecit.* Et in prima epist. Petri cap. 3. dicitur: *Vos saluos facit Baptisma.* Item de fide, Ioannis 5. *Qui credit ei, qui me misit, habet vitam æternam.* De sacramentis, Ioannis 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* De fide Act. 15. *Fide purificans corda eorum.* De sacramentis, Ephes. 5. *Mundās eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* De fide, ad Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem.* De sacramentis, ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* De fide, ad Roma. 5. *Iustificati ergò ex fide.* De sacramentis, Ioañ. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c.

CAPVT V.

Tertia classis argumentorum ex Concilijs.

CONCILIVM Nicænum, quod nuper è Græco versum, editum est ab Alfonso Pisano, in caput, quod inscribitur *Διατύπωσις*, doctrina de Baptismo, ante octauũ canonem: *Baptisma nostrum*, inquit, *non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis; aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam.* Et infrà: *Descendit quidem is, qui baptizatur, peccatis obnoxius, & seruitutis corruptione detentus: ascendit autem ab ea seruitute & peccatis liber, filius Dei, & hæres, & cohæres Christi.*

CONCILIVM Constantinopolitanum in Symbolo: *Credimus in vnum Baptisma, in remissionem peccatorum.*

CONCILIVM Mileuitanum, cap. 2. *Paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* At certè in paruulis Baptismus non potest esse causa remissionis peccatorum excitando fidem.

CONCILIVM Arausicanũ secundum, canone 25. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo adiuuante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debent, si fideliter laborare voluerint, adimpiere.* Nota, non posse id exponi de excitatione fidei. Nam paulò infrà idē Concilium dicit, à Deo priùs fidem inspirari, vt Baptismi Sacramenta fideliter requiramus. Præterea etiamsi fides, secundum aduersarios iustificet à peccatis, tamen non dat gratiam bene operandi: At Baptismus ex hoc Concilio dat gratiam bene operandi.

HIS adde Concilia recentiora, Florentinum & Tridentinum.

CAPVT VI.

Quarta classis ex Patribus Græcis.

IAM ex Patribus Græcis; Iustinus in Apologia ad Antoninum: *Remissionem antè commissorum peccatorum consequimur in aqua*, &c. Et antea dixerat, neminem adduci ad Baptismum, nisi antea credideriť. Similia habet in Dialogo cum Tryphone.

CLEMENS Alexandrinus lib. 1. Pædagog. c. 6. *Multis*, inquit, *modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, & lauacrum: lauacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam, & salutarem lucem intuemur; perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Quid enim ei deest, qui Deum nouit?* &c.

ORIGENES homil. 14. in c. 2. Lucæ: *Paruuli*, inquit, *baptizantur in remissionem peccatorum.* Et infrà: *Et quia per Baptismi Sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & paruuli.*

CYRILLVS catechesi 3. *Mortuus*, inquit, *in peccatis descendisti, & ascendis viuificatus in iustitia*, &c. Vide totam catechesim. Et in præfatione catecheseon: *Magnum est sanè propositum hoc baptismatis, captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio, currus ad cœlum*, &c.

BASILIVS lib. de Spiritu sancto, cap. 15. ponit obiectionem hæreticorum. Si ideò Spiritus sanctus æqualis est Patri & Filio, quia in ipso baptizamur, etiá aqua erit æqualis Patri & Filio, quia in ipsa baptizamur. Respondet: *Si quæ est in aqua gratia, non ex aquæ natura est, sed ex præsentia Spiritus*, &c. Secundum aduersarios dicere debuisset, aquam nihil facere, & sic statim obiectionem soluisset. At Basilius fatetur, in aqua esse virtutem, sed ait, eam non inesse aquæ ex aquæ natura, sed ex vi Spiritus sancti. Vide etiam homiliam 13. quæ est hortatio ad Baptismum, vbi clarissimè idem habet. Vide etiam Gregorium Nazianzenum orat. in sancta lumina, & ora. in sanctum lauacrum.

GREGORIVS Nyssenus in lib. de Baptismo, *Baptisma*, inquit, *peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renouationis, & regenerationis causa.* Et infrà explicans, quomodo id fiat, multa exempla adducit earum rerũ per quas Deus miracula fecit, vt virgã Aarõ, & alia; & subdit:

Atque

Atque hæc omnia cùm materia sint inanimatæ, atque sensus expertes, posteaquam vim Dei accepissent magnis miraculis, media interfuerunt. Ac simili consequentia rationum etiam aqua cùm nihil aliud sit, nisi aqua, superna gratia benedicent ei, in eam, quæ mente percipitur, hominem renouat regenerationem. Quòd si quis mihi rursus dubitando, & ambigendo negocium exhibeat interrogans, qua ratione aqua regeneret: dicam optimo iure ad eum: Ostendè mihi modum natiuitatis, quæ fit secundum carnem: dices fortasse, Semen caussa hominis effectrix est. Audi igitur contrà à nobis, quòd aqua, quæ benedicitur, purgat & illuminat hominem.

VBI notandum est, non posse Gregorij sententiam trahi ad id, quod hæretici dicunt, Sacramenta operari, quia obiectiuè mouent ad fidem. Nam primò, comparat aquam Baptismi virgæ Aaronis, quæ miracula faciebat efficienter. Secundò, comparat semini, quod est caussa hominis efficiens, vt ipse dicit. Tertiò, negat, aquam aliquid efficere, nisi recipiat vim quãdam supernaturalem: at vt moueat obiectiuè per modum signi, non requiritur vlla virtus supernaturalis. Denique quæstio, quam proponit; Quomodo possit aqua regenerare, nulla esset, si tantùm obiectiuè operaretur.

CHRYSOSTOMVS homil. 39. in Genesim extrema: *Nam id*, inquit, *quod illic operatur, Circuncisio in depositione carnis: id agit hic Baptismus in depositione peccatorum.* Item homil. 24. in Ioannem, prolixè docet, esse credendum verbis Christi asserentis, aquam vim habere regenerãdi, licet modus superet rationem. Et hom. 25. *Quod*, inquit, *est matrix embryoni, hoc est, fideli aqua. Siquidem in aqua fingitur, & formatur. Nam primùm dictum est, Producant aquæ reptile animæ viuentis: ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarũ viuentium, sed animas rationales & spirituales aqua producit.* Vide eundem homil. 15. in Ioan. hom. 1. in Acta. hom. ad Neophytos, vbi enumerat decem effectus Baptismi, quos etiam in paruulis operatur, & inter tot effectus nõ venit illi in mentem, vt poneret, Excitare fidem, quem solum agnoscunt aduersarij.

CYRILLVS Alexandrinus lib. 2. in Ioannem. cap. 41. *Quemadmodum*, inquit, *viribus ignis intensiùs aqua calefacta, non aliter prius, quàm ipse ignis: sic Spiritus sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam.* Hæc ille. Vbi vides, sic esse instrumentum Dei aquam in Baptismo, vt est calor in aqua calefacta instrumentum ignis ad calefaciẽdum.

THEODORETVS in cap. 10. ad Heb. in illud: *Aspersi corda à conscientia mala: In lege*, inquit, *vtebantur aspersionibus, & corpus frequenter lauabant, qui autem ex nouo Testamento vitam instituunt, per sanctissimum Baptismum animam expurgant, & à prioribus maculis liberam reddunt conscientiam.* Vide eundem Theodoretum in Epitome diuinorum decret. cap. de Baptismo; Damascenum lib. 4. de fide, cap. 10. Theophylactum in 3. & 5. cap. Ioannis, & Oecumenium in cap. 10. ad Hebræos.

CAP. VII.

Idem probatur ex Latinis.

IAM ex Latinis Tertullianus in libro de Baptismo: *Priùs*, inquit, *liquor, quo viueret, dedit, id est, aqua produxit animantia, vt in Baptismo mirum non sit, si aquæ animare nouerunt.* Item libr. de Resurrect. carnis probat, corpus resurrecturum, quia Sacramenta corporis adhibentur, vt ad animam transeat eorum effectus: *Caro*, inquit, *abluitur vt anima emaculetur; caro vngitur, vt anima consecretur; caro signatur, vt anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur; caro corpore Christi & sanguine vescitur, vt anima de Deo saginetur.* vbi enumerat varios effectus Sacramentorum: proinde non putat solùm excitare fidem Sacramenta.

CYPRIANVS lib. 2. epist. 2. ad Donatum, scribit, se, antequam baptizaretur, vix potuisse adduci vt crederet, quòd à Christianis de Baptismi virtute prædicabatur, quòd videlicet repentè hominem mutet, peccata abstergat, virtutes infundat: sed postea id verum esse experientia sua didicisse: *Difficile*, inquit, *ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quòd in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renasci denuò posset, vt quæ in nouam vitam lauacro aquæ salutaris animatus, quod priùs fuerat exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Quî possibilis, aiebant, est tanta conuersio?* Et infrà: *Sed postquam vndæ genitalis auxilio superioris æui labe detersa in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infundit; postquam cœlitùs Spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum, &c.* In quibus verbis duo notanda sunt. Primò, Si Sacramenta tantùm obiectiuè mouerent mentem ad credendum, vt aduersarij dicunt, non fuisset vlla caussa, cur Cyprianus difficulter crederet effectum Baptismi: nõ enim est hic effectus magis difficilis, quàm sit, quòd verbum Dei prædicatum valeat ad excitandam fidem. Nota secundò; Cyprianum dicere, Baptismum repentè & perniciter operari, & renouare hominem. At hoc non diceret, si crederet, Baptismum mouere mentem solùm obiectiuè: nam tunc non repentè, nec ordinariè haberet suũ effectum. Aliqui enim ex eodem signo, vt etiam ex ijsdẽ verbis, celeriùs mouentur, aliqui tardiùs, aliqui nunquã.

ITEM in lib. 3. epist. 8. ad Fidum, docet, infantes baptizandos, etiam ante octauum diem (nimirum si vitæ periculum immineat) vt peccati remissionem accipiant. Quod idem iubet Syricius Papa in epist. prima, cap 2. At si baptisma solùm excitat fidem, & prodest infantibus tantùm ea ratione, quia cùm adoleuerint, recordabuntur, &c. quorsum infantes morituros baptizari vult Cyprianus? Item in epist. 7. lib. 4. ad Magnum, dicit, quomodo venenum scorpij & serpentis in aqua extinguitur, ita Diabolum obluctari, & resistere Exorcistis ante Baptismum; at in Baptismo amittere omnem virtutem. Quæ certè omnia ridicula essent, si tantùm obiectiuè Sacramenta operarentur. Vide etiam sermones de Baptismo Christi, de cœna Domini, & de vnctione Chrismatis. Similia habet Gaudentius in 1. tract. de Exodo.

LACTANTIVS lib. de diuino præmio, cap. 5. *Cùm homo cœlesti lauacro purificatus exposuit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento diuini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus.*

SYLVESTER Papa (vt refert Nicephorus lib. 7. ca. 33. cùm Constantinum baptizaret, ita loquutus est: *Hæc aqua diuina virtute per inuocationem Trinitatis cõcepta, sicut extra corpus hominis abluit, ita animum intrà à sorde & inquinatione mundans, splendidiorem radijs solaribus efficit.*

AMBROSIVS lib. 2. de pœnit. c. 2. *Impossibile*, inquit, *videbatur, vt peccatũ ablueret aqua. Et Naamam Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit, sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile esse, qui tantam nobis donauit gratiam.* Vide etiam li. 1. de Sacramentis. c. 4. & 5: l. 2. c. 1. & 5. li. 3. cap. 1. & lib. de ijs, qui initiantur mysterijs, cap. 3. & 9. & lib. 9. super Lucã, c. 3. & li. 3. de Spiritu sanct. cap. 11.

HIERONYMVS in epist. 83. ad Oceanum: *Quantam vim*, inquit, *habeat Baptisma, & aqua in Christo sanctificata gratiam, paulò pòst docebo.* Et infrà, vbi plurima attulit testimonia & figuras: *Dies*, inquit, *me deficiet, si cuncta, quæ ad potentiam Baptismi pertinent, de Scripturis sanctis voluẽro digerere.* Vide eundem in Dial. contra Luciferianos, & lib. 3. contra Pelagianos extremo.

OPTATVS lib. 5. cõtra Parmenianum, initio, *Baptisma*, inquit, *Christianorum Trinitate cõfectum, confert gratiam, & repetatur, facit vitæ iacturam.* Hæc ille. Vbi primum vides, apertè asseri, Sacramenta conferre gratiam. Deinde, quòd hic auctor ait, Baptismum repetitum

detrimen

detrimentum adferre, clarè demonstrat, non operari tantùm obiectiuè excitando fidem: nam eo modo vtiliter repereretur. Vide ibidé multa de virtute Sacramẽtorum.

AVGVSTINVS lib. 4. de Baptismo, cap. 22. *Inuenio*, inquit, *non tantùm passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conuersionémque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustijs temporum succurrere non potest.* Hæc ille. Si ergo aliquando martyrium, aliquando fides cum cordis conuersione supplet vicem Baptismi, manifestè sequitur, non iustificare excitando fidem, sed immediatè applicãdo Christi merita, atque immediatè iustificando. Et ibidem cap. 24. probat, Sacramẽtum Baptismi multùm paruulis prodesse, etiamsi illi careant fide: ex Circumcisione, quæ dabatur octauo die: *Cur ergo*, inquit, *ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterant corde credere, vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia, & ipsum per seipsum Sacramentum multùm valebat?* Vbi Augustinus docet, Sacramentum non operari excitando fidem, sed vi sua efficiendo. Idem Augustinus libro 19. contra Faustum, cap. 11. *Sacramentorũ*, inquit, *vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò cõtempta, sacrilegos facit. Impiè quippè contemnitur, sine qua nõ potest perfici pietas.* Hæc ille. At si tantũ excitarent fidé obiectiuè, non modò nõ inenarrabiliter valerent plurimùm, sed vix aliquid valerent. Nam de concione nemo diceret, eam inenarrabiliter plurimùm valere; cũ sæpissimè multis concionibus vix aliqui moueantur: & tamen fatetur Lutherus in libro contra Ioannem Cochlæum, multò efficaciorem esse Concionem Baptismo. Quod verissimum est, si agatur de efficacitate prouocandi fidem. Idem Augustinus Tractatu 80. in Ioannem. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Et infrà: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo.*

LEO Papa in serm. 4. de Natali Domini: *Omni homini renascenti aqua Baptismatis, instar est vteri virginalis, eodẽ Spiritu replente fontem, qui repleuit & Virginem: vt peccatum, quod ibi vacuauit sacra conceptio, hîc mystica tollat ablutio.* Et ser. 5. *Originem quam sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte Baptismatis: dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, vt* MARIA *parceret Saluatorem, eadem fecit, vt regeneret vnda credentem.* Hæc ille,

AVCTOR [illegible]iliæ de Sacramento corporis Domini, quæ habet[illegible] inter Eusebij Emisseni homilias, & in 9. tomo S. [illegible]eronymi: *Ergo*, inquit, *vt ad nutum præcipientis Domini, repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: ita parem potentiam in spiritualibus Sacramentis verbis præbet virtus, & reiseruit effectus*, &c. Et ibidem ex vi Sacramenti Baptismatis, quo repentè hominẽ mutat, ac renouat quoad animam, probat, non debere videri incredibile, si verba Sacramentalia mutent substantiam panis in carnem Christi, Vbi sine dubio nullum habet locum operatio illa obiectiua ad prouocandam fidem: neque enim in cõsecratione Eucharistiæ verba illa mutant panem excitãdo in eo fidẽ, Similem autẽ vim ponit hic auctor in cõsecratione respectu panis, & in Baptismo respectu animę.

GREGORIVS lib. 9. epist. 39. ad Theodistam Patritiam, docet, in Baptismo omnia peccata ita verè dimitti, vt in mari rubro verè Ægyptij mortui sunt: *Qui ergo*, inquit, *dicit, peccata in Baptismate funditùs non dimitti, dicat in mari rubro, Ægyptios non veraciter mortuos.*

DENIQVE S. Bernardus (vt recentiores omittam) in sermone de cœna Domini: *Duo*, inquit, *operatur in nobis Sacramentum Dominici corporis, vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modò, non tã acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Hæc ille. cuius verba non possunt trahi ad effectum nutriendæ fidei. Non enim S. Bernardus solùm dicit, per Sacramenta remitti peccata, quod Lutherani fieri volunt, per fidem apprehendentem Christi iustitiam & Dei beneuolentiam; sed etiam dicit, vim Sacramenti operari in nobis, vt non consentiamus peccatis, quod per solam fidem nec potest fieri, neque aduersarij fieri dicunt.

AD hoc argumentum ex Patribus variè respondent hæretici. Philippus in Apologia, art. 13. audacter sanè ita loquitur: *Neque vlla litera ex veteribus scriptoribus proferri potest, quæ patrocinetur in hac re Scholasticis.*

Lutherus in lib. contra Cochlæum, agnoscit loca Augustini, quæ citauerat Cochlæus, & aliorum Patrum, sed more suo contemnit: *Quòd si qui sunt*, inquit, *ex Patribus, qui senserunt, Sacramenta sua virtute iustificare, esto etiam Augustinus, vt Cochlæus contendit, nihil moror: hominum sunt dicta, sibi ipsis sæpius pugnantium, & pleraque humano sensu extra Scripturas docentium.* Hæc ille. At certè credibilius est tot sanctos Patres Scripturam intellexisse, quàm vnum Lutherum: quod ipse quoque concederet, nisi eum planè superbiæ spiritus excæcasset.

Caluinus respondet lib. 4. Instit. cap. 14. §. vltimo, Patres hyperbolicè loqui: *Fortè*, inquit, *miseros istos sophistas deceperunt immodica illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud veteres leguntur: quale est illud Augustini, quòd veteris legis Sacramenta Saluatorem tantùm promittebant, nostra verò dent salutẽ. Has & similes dicendi figuras, cùm non aduerterent hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt.* Hæc ille. At hoc nimis ruinosum est effugium. Nam citati Patres, vt plurimùm referunt ad omnipotentiam Dei hos mirabiles effectus: nulla autem est opus omnipotentia, vbi non veri ac proprij, sed hyperbolici sermones sunt. Præterea Patres ipsi aliquando monent, se non loqui hyperbolicè, vt Chrysostomus homil. 4. ad baptizandos: vbi cùm dixisset, Baptismo perfectè lauari & mundari animas, monet se non ea dicere ambitionis gratia, id est, amplificandi & eloquentiæ ostendendæ studio. Et Augustinus in epistola 23. circa finem dicit, eos qui [illegible] paruuli etiam sine fide actuali per ipsum Sacramentum saluentur, infideles esse. Ex quo intelligimus, eum non hyperbolica encomia, sed dogmata fidei tradere. Denique si diceret Caluinus, vnum aut alterum ex Pâtribus hyperbole vsum in oratione laudatoria, posset tolerari. At quòd omnes Græci & Latini, non modò in concionibus, sed etiam in libris dogmaticis, vel epistolis, vel commentarijs Scripturarum hyperbolicè loquantur, nullo modo credibile est.

KEMNITIVS in 2. par. Examinis, pag. 98. dicit, Scripturam apertè tribuere vim iustificandi Sacramentis: nec esse ea loca per tropos detorquenda in alium sensum, & sic à Patribus esse intellecta; tamen postea exponit omnia de efficientia per excitationem fidei, quod iam refutauimus.

CAPVT VIII.

Sexta Classis ex ratione.

EST autem obseruandum, vt faciliùs intelligatur efficacia rationum, duplicia esse verba, & signa cætera. Quædam enim sunt non ad alium finem instituta, quàm ad significandum, quæ quidẽ theotica signa dici possunt. Alia sunt instituta ad significandum, & efficiendum aliquid, quæ ob id practica dici possunt. Differunt autem, quòd priora nihil immediatè, & vi sua operentur: sed solùm repræsentant obiectum, & si fortè sequitur effectus aliquis, non sequitur ex vi illius signi, sed aliunde: posteriora immediatè operantur, & sua quadam virtute: Verbi gratia, cùm quis monet alium, adesse hostem, ille continuò fugit: cæterùm illius fugæ

non

non est causa immediata illa admonitio, sed apprehensio rei noxiæ; proinde admonitio signum fuit prioris generis. Pari ratione, qui viso signo hospitij currit ad hospitium, non mouetur ab eo signo immediatè; sed ab apprehensione rerum, quibus indiget, & quas illud signum repræsentat: proinde illud etiam non est propriè signũ practicum, vt hic accipimus. Nam aliquando solemus vocare signa practica omnia illa, quæ referuntur ad opus, siue mediatè, siue immediatè; quomodo accipiebatur in disputatione de intentione ministri: Tùc enim vocabamus practica omnia verba imperatiua: at hîc ista vocamus theorica; practica autem dicimus, quæ præter significationem habent efficientiam, quomodo sigillum est verè signum practicum, quia non tantùm repræsentat imaginem, sed etiam eam imprimit in cera.

COGNOSCVNTVR autem hæc varia signa ex alio discrimine. Nam verba & signa theorica non adhibentur nisi intelligentibus; cùm enim non operentur, nisi repræsentando aliquid menti, stultum esset ea signa adhibere, vbi non est vsus mẽtis. At verba & signa practica possunt adhiberi etiam rebus inanimis, & non modò non intelligentibus, sed ne sentientibus quidem: quomodo in Scripturis Iosue imperauit soli, & lunæ, Ios. 10. *Sol contra Gabaon ne moueatis, & luna contra vallem Haialot*, Matth. 8. Dominus imperabat mari, & ventis, Mat. 9. Luc. 7. & Ioã. 11. imperauit mortuis: & Petrus *Act. 9. Tabitha*, inquit, *surge*. Mat. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc*, &c. Sic etiam quod attinet ad alia signa: Moyses percussit petrã, vt daret aquas: Exod. 17. & Dominus misit digitos in auriculam surdi, & muti, & tetigit etiam linguam eius, vt eum curaret.

CONTROVERSIA igitur est inter nos, & hæreticos, quòd illi faciunt sacramenta, signa prioris generis, dum affirmant ea non iustificare, nisi excitando fidem: nos facimus generis posterioris. Quare si ostendere poterimus, Sacramenta esse signa posterioris generis, obtinuimus causſam.

SIT ergo prima ratio. Sacramenta rectè adhibentur non intelligentibus, ergo sunt signa posterioris generis, & verè iustificant non excitando fidem more concionis, [illegible] ficiendo sanctitatem. Consequentia manifesta est ex dictis. Antecedens probatur, quia baptizantur ritè infantes, surdi, amentes, dormientes. Exemplum insigne est apud Augustinum, lib. 4. confess. c. 4. de quodam baptizato, dum vi morbi extra se positus esset, & omninò ignoraret, quid erga se fieret: cui tamẽ Sacramentum vtilissimum fuit. Adde quod Concilium Carthaginense IIII. can. 76. Arausicanum 1. can. 12. Augustinus, li. 1. de adulterinis coniugiis, c. 26. & 28. & Leo epist. 91. ad Theodorum, docent Sacramenta Baptismi, & Absolutionis posse conferri etiam iis, qui in periculo vitæ sunt, licet ipsi vi morbi oppressi non habeant vsum rationis, vel sensuum: modò constet eos antea desiderasse eiusmodi Sacramenta. At certè istis non nisi ineptissimè fieret concio, aut signa adhiberentur ad excitandam fidem.

SECVNDA ratio, Verba & signa sacramentalia pendent ex diuina institutione, neque ab hominibus propria auctoritate instituti potuerunt: ergo nõ sunt mera signa, vt verba concionis, sed signa practica, & vim habentia aliquid supernaturale efficiendi. Antecedens conceditur ab aduersarijs, vt suprà est demonstratum. Probatur consequentia, quia si verba, & signa sacramentalia essent nuda signa ad excitandam mentem instituta, potuissent ab hominibus facillimè instituj, & eandem vim habuissent. Non enim refert ad nudam significationem, quis illa instituerit, modò repræsentent idem obiectum. Quid enim refert, quis posuerit signa in hospitiis? & nunquid nõ eodem modo significant verba Hebraica à Deo scripta in tabulis, & verba Græca, vel Latina scripta ab hominibus? nónne etiam modo eodem incitabant ad bellum tubæ, quas Deus fieri iusserat, Num. 10. & tubæ profanæ Ethnicorum? Eodem igitur modo, si Petrus aut Paulus, aut quiuis alius instituisset Baptismum, & Eucharistiam, eandem vim haberent illa signa, quam modò habent. Quod certè non potest dici secundum Catholicorum sententiã, qui volunt hæc sacramenta non solùm significare, sed etiam efficere id, quod ex se non potuissent.

TERTIA ratio. Sacramenta non solùm pendent à Deo in institutione, sed etiam in ipso vsu: ipse enim est, qui per ministros suos baptizat, consecrat, absoluit, &c. ergo non sunt nuda signa ad excitandam fidem instituta, vt concliones; sed aliquid præterea efficiunt. Antecedens conceditur ab aduersariis, & probatum est suprà in quæstione de causſa efficiente Sacramentorum, ex illo Ioan. 1. *Hic est, qui baptizat.* ex Chrysostomo, hom. 83. in Matthæum, & Augustino, tract. 5. in Ioannem, & ex aliis. Probatur consequentia. Nam vt verba, & signa cætera solùm significent, & animum excitent repræsentando, nihil refert à quo procedant. Siue enim dominus, siue seruus loquatur, idem semper verba eadem significant; nec magis excitat signum tubæ ad bellum, si tuba infletur ab Imperatore, quàm à tubicine. Ergo si signa sacramentalia necessariò pendent à Deo, vt causſa principali, quæ per ministros operetur: fateri cogimur, ea non solùm significare, sed etiam aliquid efficere.

QVARTA ratio, Sacramenta non solùm pendent à Deo, vt institutore, & principali agente, sed etiam à Christi passione & morte, vt suprà probauimus in principio quæstionis de Causſa efficiente Sacramentorum: propter quod Patres communi consensu, docens sacramenta fluxisse à Christi latere perfosso. Vnde etiam multi veterum docent, Christum baptizari voluisse, vt tactu suæ mundissimæ carnis daret aquis vim mundãdi, vt Ambrosius lib. 2. in Lucam, cap. 11. Nazianzenus oratione in sancta lumina, Chrysostomus homil. 25. in Ioannem, Beda in cap. 3. Lucæ, & alij, & ipse etiam Lutherus in homiliis de Baptismo idem fatetur. Ergo non operantur sacramenta solùm repræsentando obiectum, more concionis, sed verè efficiendo: nam alioqui non eguissent Christi meritis, nec vllam eis virtutem Christus dedisset. Et sicut concio non rectè diceretur manasse ex Christi latere, nec dicitur Christus dedisse vllam virtutem concioni ad significandum, quia id ex se habent [illegible] rectè diceremus, Sacramenta prodiisse [illegible] latere, vel Christum eis vim vllam dedisse.

QVINTA ratio, Sacramenta instituta sunt, vt nos certos reddant remissionis peccatorum, & gratiæ Dei; ergo non solùm operantur obiectiuè repræsentando more concionis, sed efficiendo reipsa quod significant. Antecedens admittitur ab omnibus, sed maximè ab aduersariis. Catholici enim docent, ex Sacramentis gigni in nobis moralem quandam certitudinem remissionis peccatorum, non tamen infallibilem. Tametsi enim Sacramenta ex se infallibiliter efficacia sint, tamen possit fieri, vt nobis non sint efficacia ob nostram indispositionem. At aduersarij volunt absolutam certitudinem gigni ex Sacramentis: & nos reprehendunt, quasi iubeamus homines dubitare de efficacia Sacramenti, vt patet ex Luthero, in lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, ex Kemnitio in 2. parte Examinis, cap. de intentione ministri, & ex aliis. Probatur consequentia; nam si Sacramẽta solùm operarentur significando, & excitando fidem, nullam adferrent certitudinem. Penderet enim tunc Sacramentum à nostra fide, non à Christi institutione, quod est tollere veram certitudinem efficaciæ Sacramenti, vt Lutherus fatetur in libro contra Anabaptistas, edito anno M.D.XXVIII. vbi fusè persequitur, Sacramentum non debere pendere à fide dantis, vel accipientis, sed à sola Dei institutione, ne incerta reddatur eius efficacia.

NEC poteſt reſponderi, ſacramenta adferre certitudinem infallibilem, quia infallibiliter excitent fidem, quę infallibiliter iuſtificat: ſiquidem experimento cõtrarium didicimus. Quot enim ſunt, qui baptizantur, & tamen non credunt? & ſi concio, quæ eſt efficacior ſacramentis, ipſo etiam teſte Luthero in libro contra Cochlæum, non excitat fidem infallibiliter, vt experimur, quantò minùs ſacramenta infallibiliter fidem excitabunt? Ergo ſi vllam certitudinem ſacramenta adferunt, id eſt, quia ex opere operato efficiunt quod ſignificant.

SEXTA ratio, ſacramenta contrario modo ſe habent ad fidem, ac verbum: nõ igitur eodem modo operantur. Probatur antecedens. Nam verbum Dei præcedit fidem, ſacramenta autem ſequuntur; ſiquidem, *Fides ex auditu*, Rom. 10. vnde verbum prædicatur infidelibus, & hæreticis quibuſcunque, vt incipiant credere. At ſacramenta requirũt fidem ſaltem in adultis, nec poſſunt rectè conferri, niſi iis, qui priùs credunt. Vnde Act. 8. cùm Eunuchus diceret: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* reſpõdit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Et ſemper in Eccleſia conſuetudo fuit, vt qui Chriſtiani eſſe vellent, primùm fierent Catechumeni, & ſatis diu inſtruerentur, & non niſi inſtructi, & firmi, ac ſtabiles in fide baptizarentur. Iuſtinus in Apologia ad Antoninum explicans mores Eccleſiæ: *Quicunque*, inquit, *perſuaſi fuerint, & crediderint vera eſſe, quæ à nobis traduntur, & dicuntur, ac viuere ſe ita poſſe receperint: orare ieiunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remiſſionem iubentur, nobis cum eis vnà, & orantibus, & ieiunantibus: deinde adducuntur à nobis, vbi aqua eſt, atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur.* Hæc ille. Ex quo ſequitur, non modò falſam, ſed etiam ineptiſſimam eſſe hæreticorum ſententiam.

SEPTIMA ratio, ſacramenta non minùs ſunt efficacia, ſi dentur lingua Græca, aut Latina, quam non intelligat, qui ſacramentum ſuſcipit, quàm ſi dentur lingua vulgari, quam omnes intelligant: Ergo non operantur more concionis, ſed habent effectum ſuum præter fidei excitationem. Conſequentia patet, quia ſi operarentur more concionis, nihil efficerent, niſi darentur lingua vulgari. Antecedens probatur, quia Lutherani, & Caluiniſtæ admittunt noſtrum Baptiſma, quod ſemper datur lingua Latina: non enim rebaptizant à nobis baptizatos.

OCTAVA ratio, ſi ſacramenta operarentur excitando fidem, non eſſet vlla cauſſa, cur adhiberentur hominibus doctis, qui legere poſſunt Scripturas, vel etiã imperitis, qui audiunt conciones: multò enim meliùs excitat fidem Scriptura & concio, quàm Baptiſmus, vel Euchariſtia. Itaque præſtaret loco Baptiſmi legere vnum caput ex Bibliis. Adde, quòd etiam imago Baptiſmi in tabula depicta poſſet idem facere, quod facit Baptiſmus; nam facit viſibilem promiſſionem, & excitat fidem: & hoc præſtat Baptiſmo, quod manet ſemper, cùm Baptiſmus ſemel fiat, & tranſeat.

NONA ratio, ſacramenta non proſunt niſi ſuſcipientibus, etiamſi multi alij præſentes ſint, & audiant, & videant quæ geruntur: alioqui non eſſet opus, vt ſinguli baptizarentur, & communicarent corpori Domini, ſed ſatis eſſet, vt vnus baptizaretur, & communicaret coram tota multitudine, ergo non operantur more concionis, excitando fidem. Conſequentia patet. Nam ſi operarentur more concionis, prodeſſent omnibus audientibus: omnes enim excitari poſſunt ad fidem, qui adſunt, dum pronunciatur promiſſio Dei, & ſigno viſibili ante oculos ponitur. Neque refert, quòd ſacramentum ſolùm dirigi videtur ad vnum. Nam etiam concio poteſt dirigi ad vnum, & tamen omnes audientes excitaret.

PRÆTEREA dum miniſter baptizat, ac dicit; Ego te baptizo, non vult dicere, Ego te abluo à peccatis (ſecundum Lutheranos) ſed, Ego teſtificor tibi remitti peccata, vt Melanchthon exponit in locis, cap. de Baptiſmo, & Caluinus, lib. 4. Inſtitutionum, c. 15. 6. 15. & omnes alij exponere coguntur. Porrò hæc teſtificatio non prodeſt ei, qui baptizatur, niſi quia interim cogitat, & credit, Deum ſibi eſſe propitium per Chriſtum, vt ipſimet fatentur. Poſſunt autem omnes, qui adſunt, idem cogitare, & credere: ſiquidem promiſſio eſt communis & quod vni dicitur, omnibus conuenit. Non enim ideò illi, qui baptizatur, Deus eſt propitius, quia baptizatur, (ex Lutheranorũ ſententia) ſed ideò vera eſt teſtificatio Baptiſmi, quia Deus illi eſt propitius, modò per fidem apprehendat hanc Dei beneuolentiam.

DECIMA ratio, ſi ſacramenta ſolùm operarentur ſignificando, nihil intereſſet inter noſtra ſacramenta, & ſacramenta veteris legis: nam etiam illa ſignificabant Chriſti gratiam, & remiſſionem peccatorum, & excitare poterant fidem. Id autem eſſe falſum in ſequenti quæſtione demonſtrabimus.

CAPVT IX.

Soluuntur obiectiones ex Scripturis depromptæ.

SOLVENDA ſunt argumenta Lutheri, Philippi, Caluini, & Kemnitij, & aliorum: quæ quidem partim ſumuntur à Scripturis, partim à Patribus, partim à ratione.

VT igitur à prima claſſe argumentorum incipiamus. Primum argumentum ſumitur ex Abacuch 2, & Rom. 1. & Heb. 10. *Iuſtus ex fide viuit*, inquit Scriptura, non autem dicit, iuſtus ex ſacramentis viuit, igitur ſacramenta non iuſtificant, niſi excitando fidem. Confirmatur ex ſimilibus locis, vt Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatũ eſt illi ad iuſtitiam.* Et Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam*, & non addidit Paulus, Et corpore ſuſcipitur ſacramentum ad iuſtitiam. Ita Lutherus in Babylone, cap. de Baptiſmo, & in aſſert. 1. articuli.

RESPONDEO primò, non dicit Scriptura, Iuſtus ex ſola fide viuit, proinde relinquitur ſuus locus ſacramentis. Alioqui non ſolùm ſacramenta, ſed etiam Deus & Chriſti meritũ, & alia excluderentur, quæ neque ipſi Lutherani excludi volunt: non enim ait Scriptura, Iuſtus ex Deo viuit, aut ex Chriſti merito viuit.

SECVNDÒ, etſi his verbis Scriptura non dicit, iuſtum ex ſacramentis viuere, tamen idem dicit aliis verbis. Nam cùm ait, hominem per Baptiſmum regenerari, Ioann. 3. & Tit. 3. quid aliud dicit, niſi Baptiſmum dare vitam?

TERTIÒ, verba illa Prophetica: *Iuſtus ex fide viuit*, non ſignificant ad literam, Iuſtum hominem fieri, aut reputari ex fide, vt Lutherani volunt; ſed ſignificant, Iuſtũ ex fide quam habet, conſtanter expectare, quæ Deus promiſit, & nõ frangi, aut deficere, etiamſi promiſſiones tardari videantur. Hunc eſſe verum ſenſum non dubitabit, qui expendet locum Abacuch, & Pauli ad Hebræos, vterque enim tractat de patientia, & longanimitate: *Si morã fecerit*, inquit Propheta, & ex eo Apoſtolus, *expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: Iuſtus autem ex fide viuet.* Ad Confirmationem reſpondeo eodẽ modo: Nam Paulus tribuit iuſtificationem fidei, ſed non ſoli. Et præterea idem tribuit Scriptura in aliis locis Sacramento, vt Actor. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.* Et Act. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipſius.*

SECVNDVM argumentum ex Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Lutherus locis citatis in primo argumento dupliciter ex hoc teſtimonio argumentatur.

Primò ſic: Qui credit, & baptizatur, ſaluus eſt, qui nõ credit, damnatur, etiamſi baptizaretur: Igitur nõ Baptiſmus, ſed fides ſaluat. Secundò ſic; Dominus ait: *Qui non crediderit, condemnabitur*, & non ait; Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur: Igitur fides ſola ſaluat, non Baptiſmus.

AD primum reſpondeo, malam eſſe conſequentiam. Solùm enim ex illo antecedente colligi poteſt; Ergo non ſolus Baptiſmus ſaluat; non autem, Ergo non ſolus Baptiſmus non ſaluat. Alioqui ex eo, quod Paulus dicit, 1. Cor. 13. Fidem nihil prodeſſe ſine charitate, poſſemus colligere, Ergo fides nihil prodeſt. Ad ſecundum dico, Dominum non dixiſſe; Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur; non quia hoc non ſit veriſſimum, cùm idem Dominus dixerit, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*, ſed quia nõ erat opus hoc dicere, cùm per ſe intelligeretur ex eo, quod dictum erat: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Qui enim non credit, conſequenter non vult baptizari, & etiamſi vellet, nihil ei prodeſſet. At in affirmatione oportuit addere Baptiſmum fidei, quia non omnis, qui credit, baptizatur. Similia ſunt argumenta à genere ad ſpeciem. Negatiuè enim valet, Non eſt animal, igitur nec homo; affirmatiuè non valet, Eſt animal, igitur eſt homo.

TERTIVM argumentum ſumitur ex Paulo, Rom. 4. ſic enim ait Philippus in Apologia, art. 13. *Paulus reclamat*, (nimirum contra Scholaſticos, docentes ſacramenta ex opere operato iuſtificare) & negat Abrahamum iuſtificatum ex Circumciſione, ſed Circumciſionem dicit eſſe ſignum propoſitum ad exercendam fidem noſtram. Igitur eodem modo ſacramenta Chriſtiana non iuſtificant, niſi excitando fidem.

RESPONDEO primò, non dicit Paulus, Circumciſionem fuiſſe ſignum propoſitum, ad exercendam fidem: ſed fuiſſe datam Abrahamo vt ſignaculum iuſtitiæ fidei: id eſt, factum hoc priuilegium Abrahamo, vt ipſe primus haberet ſacramentum Circumciſionis, quia id meruerat eius obedientia, & fides. Fuit enim hoc teſtimonium iuſtitiæ fidei ipſius, vt ſuprà monuimus, c. 17. Itaque hic locus nihil facit ad rem. Nam Circumciſio ſoli Abrahæ fuit ſignaculum iuſtitiæ fidei; & illi non fuit ſignaculum excitans fidem, ſed teſtimonium fidei iam antè habitæ.

SECVNDÒ, non eſt eadem ratio Circumciſionis, & Baptiſmi. Nam de Circumciſione Paulus dicit: *Circumciſio nihil eſt*, 1. Cor. 7. de Baptiſmo autem ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Sed de hoc poſtea.

QVARTVM argumentum eſt Zvvinglij, in lib. de vera, & falſa religione, qui adfert illud Luc. 5. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Phariſæi, inquit, Zvvingl. *intellexerunt ſolum Deum, nõ autem Sacramenta poſſe iuſtificare, iuxta illud* Iſaiæ 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates.*

RESPONDEO, miram eſſe hæreticorum cæcitatem, qui malunt Phariſæis credere, quàm Chriſto. Nam ſi Phariſæi dixerunt: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Chriſtus ibidem paralyticum ſanauit, vt oſtenderet, ſe etiam vt hominem poſſe peccata dimittere: *Vt autem ſciatis*, inquit, *quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico; Tolle lectum tuum, &c.* Et præterea nõne Chriſtus hominibus dixit, Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis?* Nec tamen ob id falſa erunt verba Iſaiæ: Ipſe enim loquitur de eo qui propria auctoritate peccata dimittit, qui ſine dubio ſolus Deus eſt.

QVINTVM argumentum eſt Kemnitij, ex cap. 5. ad Epheſ. vbi Apoſtolus ait: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, vbi totam vim Baptiſmi tribuit Paulus verbo. Verbum autem operatur excitando fidem; nam: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Rom. 10. Addit etiam Kemnitius illud, 1. Petr. 1. *Vos ſaluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* Vbi Baptiſma dicitur ſaluare per reſurrectionem, id eſt, per fidem reſurrectionis.

RESPONDEO ad Epheſ. 5. per verbum vitæ, nõ intelligi concionem, cuius effectus eſt fides, ſed formam ſacramenti, id eſt, verbum conſecratorium, & practicũ, non concionale. Ita enim exponunt omnes interpretes, vt ſuprà oſtendimus in quæſt. de forma ſacramenti. Porrò S. Petrus non dicit, Baptiſma ſaluare per fidem reſurrectionis, ſed per reſurrectionem, id eſt, vt Beda in hũc locum exponit, quia cùm baptizamur, repræſentamus Chriſti reſurrectionem, emergendo ex aquis, & quia Baptiſmus facit iuſtificándo nos, vt in nouitate vitę ambulemus, quomodo Chriſtus per reſurrectionem nouam vitam viuere cœpit, ſicut etiã Paulus dicit, Rom. 6. Similis phraſis eſt Rom. 4. vbi Paulus dicit: *Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram:* quod idem eſt, ac ſi diceret, per Chriſti paſſionem morimur peccato, per Chriſti reſurrectionem iuſtitiæ vita viuere incipimus: vbi ſine dubio præpoſitio, Per, non ſignificat cauſſam meritoriam, ſed cauſſam exemplarem. Non enim Chriſtus meruit reſurgendo, cùm fuerit extra viam & ſtatum merendi.

CAPVT X.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

PRIMÒ obiicitur Auguſtinum, qui ait, non Sacramentum, ſed fidem Sacramenti iuſtificare. Hanc ſententiam ſine nomine Auguſtini, vt prouerbiũ vulgare, citat Martinus Lutherus in lib. de captiuitate Babyl. cap. de Baptiſmo, & in aſſert. artic. 1. ſed in lib. contra Cochlæum citat nomine Auguſtini. Quod etiam facit Philippus in Apologia, art. 13. vbi poſtquam dixerat, non poſſe produci vllam literam ex veteribus pro ſententia Scholaſticorum; addit: *Immò in contrarium ait Auguſtinus, quod fides Sacramenti, non Sacramentum iuſtificet.*

RESPONDEO, Auguſtinum nihil eiuſmodi dicere expreſſis verbis, ſed contrarium potiùs. Nam in ep. 23. ad Bonifacium dicit Auguſtinus, paruulos eſſe fideles & ſaluari, ſi moriuntur poſt Baptiſmum, quia etiamſi non habent fidem, habent tamen fidei Sacramentum: quod eſt idem, ac ſi diceret; Paruulos non ſaluat fides, ſed Sacramentum fidei. Fortaſſe Lutherus ſic collegit eam ſentẽtiam ex tract. 80. in Ioannem, vbi Auguſtinus ait, aqua Baptiſmi mundari cor, id faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. Sed iam ſuprà oſtendimus in quæſtione de forma Sacramenti, illud (quia creditur) non ſignificare actum fidei, ſed obiectum. Quòd ſi alicubi inueniretur diſertis verbis ea ſententia, ſine dubio exponenda eſſet pro eo ſolo tempore, quo quis non poteſt habere Sacramentum: in eiuſmodi enim neceſſitate ſufficit fides Sacramenti cum voto eiuſdem, vt Auguſtinus dicit lib. 4. de Baptiſmo, c. 22. ſicut è contrario in paruulis, qui non poſſunt habere fidem actualem, ſufficit fidei Sacramentum, vt ex ep. 23. Auguſtini iam probauimus.

SECVNDÒ proferunt illa verba Auguſtini ex libro quæſtionum vet. & noui Teſtamenti, q. 59. *Qui Baptiſmũ putat carnali ratione conſiſtere, hic non eſt ſpiritualis: nec donum cæleſte poterit conſequi, qui ſe per aquam, non per fidem commutari credit.*

RESPONDEO primò, librum citatum non eſſe Auguſtini, ſed alicuius hæretici, qui multa docet, & contra fidem, & contra Auguſtinũ: vt quòd mulier non ſit creata ad imaginem Dei, & q. 21. quòd Melchiſedech fuerit Spiritus ſanctus, q. 109. & quòd Adam non habuerit Spiritum ſanctum, q. 123.

SECVNDÒ dico, teſtimonium allatum non eſſe contra nos, ſed pro nobis. Nam auctor hic loquitur de

causſa formali, non de efficiente iuſtificationis, ac dicit hominem immutari,& renouari nó per externam lotionem,quaſi nihil ſit Baptiſmus noſter, niſi mundatio carnis,vt olim Baptiſmata Iudæorum,ſed per fidé,quæ cùm eſt pérfecta,& viua,formaliter mundat & iuſtificat,iuxta illud Petri,Act.15.*Fide purificans corda eorum.* Hanc autē fidem, id eſt, formalem iuſtificationem hic auctor dicit dari in Baptiſmo: *Aqua*,inquit, *cernitur,ſed qui non videtur,Spiritus operatur,vt fides in ipſo ſit*:vbi non poteſt loqui de fide imperfecta, & inchoata, quæ ſecundum nos, diſponit ad iuſtificationem, & quæ ſecundum Lutheranos, apprehendit iuſtificationem; iſta enim præcedere debet Baptiſmum.Loquitur igitur de fide perfecta, quæ infunditur in Baptiſmo,& quę iuſtificat formaliter.Quod idem definiunt Concilium Tridentinum,ſeſſ.6.cap.7.

TERTIÒ profert Caluinus, lib.4.Inſtit. c.14.alium locum Auguſtini,ex lib.3. quæſt. in Leuiticum,q.84.vbi Auguſtinus duo dicit. Primò,miniſtrum hominē ſolùm præbere ſacramentum viſibile,Deum autem præbere inuiſibilem gratiam. Secundò,ita ſeparari hæc duo, vt in quibuſdam ſit ſacramentum ſenſibile ſine gratia inuiſibili, vt in Simone Mago à Philippo baptizato; in quibuſdam inuiſibilem gratiam ſine ſacramento viſibili, vt in bono latrone.

AD primum reſpondeo,duobus modis hominem miniſtrare ſacramenta. Vno modo faciendo, quod poteſt ex naturali ſua virtute. Alio modo applicando ſacramenta vt inſtrumenta à Deo mota, & eleuata ad actionem ſupernaturalem faciendam. Primo modo verè dicimus, hominem non iuſtificare, ſed ſolùm lauare corpus,aut aliquid huiuſmodi,& *ſic loquitur Auguſtinus.* Alio modo verè dicimus, hominem iuſtificare,ſed non alia actione, quàm illa,qua Deus ipſe vtitur ad iuſtificandum. Atque ad hunc modum exponendum eſt,quod ait S.Hieronymus,in c.4.Iſaiæ,vbi dicit:*Homo aquam præbet,Deus autem Spiritum ſanctum.* Ad ſecundum dico, illa poſſe ſeparari;non quòd ſacramentum ſenſibile non ſit cauſſa inuiſibilis gratiæ,ſed quòd poſſit impediri eius effectus per obicem,vel indiſpoſitionem ſubiecti,& quod poſſit Deus ſine ſacramento etiam dare gratiam ſuam.

QVARTÒ ſolet adferri ex Auguſtino alius locus ex lib.15.Trinit.c.26.vbi dicit, ſolum Deum poſſe dare Spiritum ſanctum, & ideò Apoſtolos non dediſſe Spiritum ſanctum, quibus manus imponebant, ſed oraſſe,vt deſcenderet.

RESPONDEO,aliud eſſe dona Spiritus ſancti,aliud ipſum Spiritum ſanctum. Dona Spiritus ſancti dant ſacramenta;ipſum Spiritum ſanctum non poteſt propriè dare,niſi is,à quo ille procedit. Poſſet etiam dici,Spiritū ſanctum ex auctoritate non dari,niſi à Deo,à quo procedit, tamen inſtrumentaliter dari etiam ab hominibus. Nam Actor.8. legimus, per manus Apoſtolorum datum fuiſſe Spiritum ſanctum,quod etiam ibidem fatetur Auguſtinus.

QVINTÒ proferunt ex Auguſtino,lib.19.contra Fauſtum,c.16. illa verba:*Quid ſunt,quæque corporalia Sacramenta, niſi quædam verba viſibilia?* Hinc enim colligi putant,ſacramenta non iuſtificare,niſi more concionis, aut picturæ,quæ ſolùm repræſentando agit.

RESPONDEO,Auguſtinum eo loco aſſignare vnum ſacramenti effectum,id eſt,ſignificationem,ſed non propterea negare cæteros,quos alibi ſæpe poſuit.Cur autem eo loco ſolùm de ſignificatione agat;cauſſa fuit,quia diſputabat de ſacramentis in genere,id eſt, de ſacramentis vtriuſque Teſtamenti; proinde ponere debuit effectum communem omnibus ſacramentis. Cur autem appellauerit ſacramenta viſibilia verba, illa fuit cauſſa, quia diſputabat contra Manichæos, qui reprehendebant mutationem Sacramentorum veterum in noua: ac dixerat neceſſariò mutanda fuiſſe verba poſt Chriſti aduentum. nam cùm veteres dicerent, Chriſtus veniet, morietur, reſurget: nos dicere debemus, Venit, mortuus eſt, reſurrexit. Inde collegit etiam ſacramenta mutanda fuiſſe, ne iam falsò ſignificarent. Vt autem ſimilitudo aptiſſima demonſtraretur, dixit:*Quid ſunt Sacramenta* (nimirum quoad ſignificationem) *niſi viſibilia verba?*

SEXTÒ profert Kemnitius alium locum Auguſtini, ex lib.21.de ciuit.Dei,c 25.vbi beatus Auguſtinus reprehendit eos,qui ſentiebant non poſſe damnari eos,qui Sacramenta percipiunt Baptiſmi,& cœnæ Domini,licet nec fidem,nec bonā vitam teneant.Iſti enim videntur omninò ſenſiſſe ſacramenta iuſtificare ex opere operato,ita vt vi ſua iuſtificarent,non per fidem.

RESPONDEO,Auguſtinus meritò illos reprehendit, quia illi non ſolùm credebāt,ſacramenta iuſtificare ex opere operato,ſed credebant non poſſe amitti gratiā,& ſalutē ſemel acceptam in ſacramento per quæcunque peccata poſtea accedentia:quæ ſententia non eſt noſtra, ſed potiùs Martini Lutheri, qui in libro de captiuitate Babylonica, capit.de Baptiſmo, ait: *Vides quàm diues ſit homo Chriſtianus,ſeu baptizatus,qui etiam volens,non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcunque peccatis,niſi nolit credere?*

SEPTIMÒ ſolet obiici Bernardus, qui in ſermone de cœna Domini ſic ait:*Sicut inueſtitur canonicus per librum,Abbas per baculum,Epiſcopus per annulum,ſic diuiſiones gratiarum diuerſis ſunt traditæ Sacramentis.*

RESPONDEO,non comparat Bernardus ſacramenta cum libro, baculo, & annulo ratione efficientiæ, ſèd ſolùm ratione diuerſitatis ſacramentorum. Nam alioqui ibidem docet,ſacramenta conferre gratiam, vt ſuprà citauimus.

VLTIMÒ proferunt Tertullianum, qui in libro de Pœnitentia vocat Baptiſmum fidei obſignationem: quomodo etiam loquitur Baſilius,lib.3.in Eunomium,& lib. de Spiritu ſancto,c.12.

SED ad hæc reſpondimus ſuprà c.17.vbi oſtendimus, Baptiſmum vocari ſigillum fidei, non quia excitet fidem, ſed quia per Baptiſmum teſtatur is,qui baptizatur,ſe credere,& etiam Eccleſia baptizans dat illi publicum teſtimonium ipſius fidei.Sed quamquam Patres id verè tribuant Baptiſmo, non tamen ſiegant habere etiam alios effectus præſtantiores, imò etiam eos aſſerunt, vt ſuprà oſtendi.

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones ex ratione depromptæ.

PRIMA ratio eſt Lutheri in Babyl. cap. de Baptiſmo,& Philippi in Apologia,art.13.& aliorū. In omni ſacramento requiritur verbum promiſſionis:vbi eſt promiſſio, ibi neceſſariò exigitur fides, quæ promiſsionem accipiat:ergo fides eſt,quæ immediatè operatur,& iuſtificat.Confirmat Lutherus, quia multi per fidem ſaluantur ſine ſacramento,vt qui non habent à quo baptizentur:& contrà qui ſacramentum habent ſine fide damnantur.Igitur in ſacramento fides eſt,quæ iuſtificat,non ſacramentum.

RESPONDEO,tribus modis peccare hoc argumentum,quod tamē eſt communiſsimum apud aduerſarios. Primùm enim,verbum promiſsionis requiritur quidē in inſtitutione ſacramenti, at non requiritur in ipſo vſu ſacramenti:id quod patet.Nam qui baptizant,non dicunt: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, quæ eſt promiſsio, ſed dicunt; Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Et qui cōſecrant Euchariſtiam, non dicunt: *Qui manducat hunc panem,viuet in æternum.* Sed:*Hoc eſt corpus meum.* Et qui abſoluunt,non dicunt: *Quorum remiſeritis peccata*,ſed;Ego abſoluo te.Porrò hic agimus de vſu ſacramenti,non de inſtitutione: agimus enim de effectu

Sacramenti;operatur autem Sacramentum, dum eo vtimur. Quare argumentum non eſt ad propoſitum, & falſum aſſumit. Secundò, etiamſi in vſu requireretur ſemper promiſſio, & conſequenter fides, non inde poſſet concludi,fidem eſſe,quę immediatè iuſtificat:diceremus enim,fidem requiri vt conditionem,& vt quæ applicaret homini Sacramentum. Sicut autem medico offerente pharmacum, & promittente ſanitatem requiritur in ægroto fides,quæ accipiat ſcriò illam promiſſionem & medico aſſentiatur,non tamen eſt ea fides, quæ ſanat ægrotum,ſed pharmacum,licet ſine fide pharmacum acceptū non fuiſſet:ita quoque,&c. Tertiò, etiamſi & promiſsio requireretur, & fides in Sacramento iuſtificaret:non tamen inde concludi poſſet,quod illi concludunt,ſolam fidem agere, Sacramentum autem nihil efficere:ſed concluderetur, vtrumque eſſe neceſſarium,& vnum ſine altero non ſufficere.

AD confirmationem reſpondeo, fidem & ſacramentū paria in hac re videri poſſe.Nam ſicut in neceſsitatis articulo poteſt ſaluari aliquis ſine ſacramento in re, modò habeat votum eius,& fidem,ac pœnitentiam:ita è contrario ſaluantur paruuli ſine fide actuali per ſolum ſacramentum.Et ſicut in adultis, qui habet ſacramentum, & non vult credere, damnatur; ita qui habet fidem, & non vult ſacramentum percipere,damnatur. Ex quo intelligimus vtrumque requiri,cùm haberi poteſt,& vtrumque iuſtificare,ſed diuerſo modo. Nam ſacramentum actiuè iuſtificat,vt inſtrumentum Dei:fides,& pœnitentia iuſtificant,vt diſpoſitiones, & ſecundum aliquos, vt cauſſæ meritoriæ de congruo.Neque eſt eadem gratia (vt ſuprà diximus) quæ datur vi ſacramenti, & quæ datur ſine ſacramento ob diſpoſitionem,vel meritum de congruo fidei,& pœnitentiæ.

SECVNDA ratio eſt Zvvinglij in libro de vera & falſa religione,cap.de Sacramentis. Solus Deus nouit corda hominum, igitur ſolus ipſe poteſt ea mundare: non ergo ſacramenta iuſtificant. Confirmatur Primò, quia ſi ſacramenta ex opere operato iuſtificarent, Deus eſſet obligatus ſacramentis, quippe qui non poſſet non iuſtificare eum,qui ſacramentum percipit.

RESPONDEO,argumentum probat,ſacramenta nō eſſe cauſſas principales; non autem non eſſe inſtrumentales.Non enim eſt neceſſe vt ſacramentum nouerit cor, vel conſcientiam,ſed ſatis eſt,ſi Deus nouerit,qui per ſacramentum operatur.

AD confirmationem dico, Deum non eſſe alligatum ſacramentis,ſed contrà ſacramenta eſſe alligata Deo; nā Deus poteſt ſine ſacramentis iuſtificare, ſacramenta ſine Deo non poſſunt.Quòd autem Deus non poſsit non iuſtificare eum, qui accipit fideliter ſacramenta, non ideò, quia ſit alligatus ſacramentis,ſed quia eſt alligatus (ſi ſic loqui licet)veritati ſuæ: non enim poteſt non eſſe fidelis in promiſsis ſuis. Adde, quòd hæc omnia argumenta, ſi quid concluderent,concluderent etiam,Chriſti ſanguine,vel fide in Chriſtum,non poſſe homines iuſtificari.Nā Chriſti ſanguis non ſcrutatur corda, nec penetrat ad animam magis,quàm ſacramenta:& ſicut abſurdum videtur aduerſariis Deum alligari aliquo modo ſacramentis, ita abſurdum videri debet alligari Chriſti ſanguini, aut noſtræ fidei. Et tamen aduerſarij nihil ſæpius docent, quàm nos Chriſti ſanguine, & fide in ipſum iuſtificari.

TERTIA ratio Caluini lib.4.Inſtit.cap.14.§.14.Qui dicunt,ſacramenta iuſtificare,abſtrahūt homines à Deo, & faciunt vt in ſpectaculo rei corporeæ acquieſcant, non in ipſo Deo.

RESPONDEO primò,ſi argumentum aliquid valeret,probaret non debuiſſe Deum in Teſtamento veteri proponere ſerpentem æneum,quem qui aſpicerent ſanarentur;immò nec debuiſſe Deum incarnari,ne in ſpectaculo rei corporeæ homines acquieſcerent.

SECVNDÒ reſpondeo, contrarium ſequi ex noſtra doctrina. Nam cùm dicamus, ſacramenta ex ſe non habere virtutem,ſed Deum eſſe, qui per illa operatur, hoc ipſo trahimus homines ad Deum; quomodo qui à Chriſto curabātur,vel per tactum fimbriæ,vel etiam per ſputum,& lutum,non acquieſcebant in fimbria, & ſputo, ac luto,ſed agnoſcebant & laudabant Chriſti virtutem.

QVARTA ratio eſt Kemnitij loco citato in 2. parte Examinis cap.de efficacia ſacramenti: Eodem modo iuſtificat verbum Dei,& ſacramenta;ſed verbum iuſtificat ſolùm excitando fidem;igitur & ſacramenta ſolùm iuſtificant excitando fidem. Maiorem propoſitionem probat Primò, quia Scriptura ſicut dicit,ſacramenta iuſtificare, ſic etiam dicit verbum iuſtificare,Rom.1. *Euangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti.* Secundò probat:quia in iuſtificatione per ſacramenta concurrunt duæ quaſi manus,vna eſt Dei offerentis gratiam, altera eſt hominis illam accipientis;manus Dei eſt verbum & ſacramētum; manus hominis eſt fides.Ergo nec verbum,nec ſacramētum quidquā prodeſt,niſi fide accipiatur, & ſi quid prodeſt,ideò prodeſt,quia fide accipitur.Hebr.4. *Non profecit illis ſermo auditus,non admiſtus fidei.*

RESPONDEO,falſum eſſe,verbum & ſacramentum eodem modo iuſtificare;immò vt ſuprà diximus, ita diuerſo modo iuſtificant,vt vnum,id eſt verbum præcedat fidem,alterum,id eſt,ſacramentum ſequatur fidem.

AD primam probationem reſpondeo primò,per Euāgelium eo loco intelligi poſſe non concionem, ſed myſteria ipſa Euangelij,vt incarnationem,paſsionem,ſacramenta,&c.Secundò, ſi accipiatur Euangelium pro concione,dico ibidem explicari,quomodo Euangelium ſaluet.Nam ſubiungit Apoſtolus.*Iuſtitia enim Dei reuelatur in eo ex fide in fidem.* At nuſquam Scriptura ita expoſuit modum ſaluandi ſacramentorum.Tertiò dico, Scripturam,&verbo,& ſacramento tribuere vim iuſtificandi,ſed nuſquam dicere eodem modo iuſtificare;neque licet ex eo quòd legimus, verbum, & ſacramentum iuſtificare, continuò colligere,ergo eodem modo iuſtificant. Alioqui liceret etiam concludere eodem modo iuſtificare verbum,quo iuſtificat Deus,vel fides vel Chriſti paſsio, hæc enim omnia dicuntur in Scripturis iuſtificare: & tamen non admitteret Kemnitius, iſta eodem modo iuſtificare.

AD ſecundam reſpondeo,verbum,& ſacramenta dici poſſe manum Dei per quam ad nos venit gratia,& iuſtitia, ſed non eodem modo. Manus enim multa officia habere poteſt;nam & porrigit aliquid, & etiam operatur. Porrò verbum dici poteſt manus,quia offert ſalutem, non autem quia reipſa operetur,vel applicet:contrà verò ſacramentum dicitur manus, quia applicat reipſa Chriſti meritum,& operatur gratiam. Cuius differentiæ ſignum euidens eſt, quòd verbum non prædicatur, niſi intelligentibus,nec prodeſt,niſi intelligatur,& creditur: at ſacramentum exhibetur,& prodeſt etiam non intelligentibus,vt infantibus,& amentibus. Pari ratione fides dici poteſt manus noſtra,non,vt vult Kemnitius,quia apprehendat promiſsionem, & ipſa ſola hoc modo iuſtificet;ſed quia remouet obſtacula,& diſponit animam, vbi eſt neceſſaria talis diſpoſitio. Alioqui non ſolùm non prodeſſet Baptiſmus infantibus, & amentibus, ſed nec adultis, & ſanis, ſi in ipſo momento Baptiſmi paululùm diſtraherentur animo;tunc enim fides non apprehendit promiſsiones.

ARGVMENTVM Poſtremum Zvvinglij eſt:Fieri nō poteſt,vt ſacramenta, quæ ſunt res craſſæ & materiales, ad animam penetrent,igitur non purgant ſordes peccati, quæ in anima reſident.

CONFIRMARI poteſt hoc argumentum. Primò, Quia ſi vllo modo ſacramenta poſſent operari in animā,

id fieri deberet per actionem, quam habent in corpora, vt Augustinus dicit de aqua quæ corpus tangit, & corabluit, at sæpe Sacramenta ne ipsum quidem corpus attingunt. Nam cùm quis absoluitur, non est necesse, vt sonus verborum, aut manus sacerdotis pertingat ad pœnitentem. Pari ratione Matrimonium potest fieri solis nutibus, vel inter absentes. Denique non est necesse, vt verba consecrationis realiter panem consecrandum attingant: possunt enim ea verba dici tam submissè, & in tanta distantia, vt aër motus non perueniat ad panem. Denique de ipso Baptismo idem probari potest; nam virtus debet esse in verbis.

SECVNDÒ; Iustificatio est opus nobilius, & difficilius, quàm sit creatio mundi, vt Augustinus docet tract. 72. in Ioannem. Et patet, quia in iustificatione reperitur creatio gratiæ, quæ est res quædam diuina, & supernaturalis: at nulla creatura potest esse instrumentum creationis, vt sanctus Thomas docet, 3. part. quæst. 45. art. 5.

TERTIÒ; Iustificatio fit in momento: Sacramenta in momento operari non possunt; ergo non possunt iustificare. Probatur Minor. Nam non potest operari aliqua causa, nisi quando est: actio autem Sacramentalis, cùm sit successiua, in instanti esse non potest. Explico: res successiuæ non habent esse, nisi dum fiunt, consistunt enim in quodam fluxu. Quare non est assignare vllũ instans, in quo sit res successiua, vel etiam vlla pars eius: sed tantùm est assignare instans in quo est quiddam indiuisibile continuatiuum rei successiuæ, quod quidem continuatiuum non est res successiua, nec pars eius: res enim successiuæ essentialiter requirunt extensionem quandam. Igitur intelligi nequit rem successiuam agere, nisi successiuè, & proinde in tempore, cùm ipsa in nullo instanti sit, & non possit id quod non est, vel quando non est, agere.

QVARTÒ; Vel est in Sacramentis aliqua virtus superaddita diuinitùs, vel non. Si nó est, ergo non possunt attingere effectum supernaturalem: est enim inintelligibile, quòd aliqua res maneat prorsus, sicut antea erat, & nihil accipiat, & tamen possit facere, quod antea non poterat. Si est, vel est virtus corporalis, vel spiritualis. Si corporalis, non poterit efficere rem spiritualem, neque agere in rem spiritualem, proinde nihil proderit; nam ideò virtus superaddita requiritur, quia Sacramentum non potest agere in animam, quæ est spiritus, nec potest producere gratiã, quæ est spiritualis. Si autem virtus spiritualis est; non igitur poterit esse in sacramento corporali. Non enim accidens spirituale, & indiuisibile in subiecto corporali, & extenso recipi potest; omne enim quod recipitur, per modum recipientis recipitur.

PRAETEREA quintò, Ista virtus vel esset tota in qualibet parte Sacramenti, vel pars eius in vna parte Sacramenti, & pars in altera. Non primum, quia tunc sequeretur illam non pendere à subiecto inesse, nec propriè inhærere; quare esset substantia, non accidens. Item etiam prolato quouis verbo, statim produceretur effectꝰ, quod nemo concedit. Non etiam secundum, quia tunc esset corporea, & præterea prolato primo verbo periret pars virtutis, prolato secundo periret altera pars: & sic virtus illa, vel tota, vel maxima ex parte periret, antequam effectus inciperet produci. Quare superuacanea erat illa virtus in partibus sacramenti præcedentibus effectum.

SEXTÒ; Vel ista virtus est in verbis tantùm, aut in elemento tantùm, aut in vtroque. Si in verbis tantùm, quomodo Eucharistia sumpta iustificat? Si in elementis tantùm, quomodo verba consecrationis Eucharistię operantur? Si in vtroque, vel erit eadem virtus, & hoc non potest esse, cùm non possit vnum accidens esse in duobus subiectis: vel erunt duæ virtutes, & tunc erunt in vno sacramento duæ virtutes, quod videtur absurdum. Si dicas; Erunt duæ partiales. Contrà, quia tunc deberent concurrere simul ad opus: at aliquando accidit, vt vna pars Sacramenti longo tempore adhibeatur post aliam, vt cùm vnus hodie confitetur, & cras absoluitur.

DENIQVE inintelligibile est (vt Kemnitius dicit) quid sit ista virtus quando adueniat, quando desinat esse &c.

AD hæc argumenta posset tripliciter responderi: Primò posset, si quis vellet, confiteri ignorantiam circa huiusmodi nodos. & tamen satisfacere hæreticis, immò etiam ora illorum obstruere. Nam tenemur quidem rationem reddere eius, quæ in nobis est, spei, 1. Petr. 3. sed id facere tenemur ex principiis fidei, non ex Metaphysica. Nam S. Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 4. *Ego*, inquit, loquens de argumentis contra modum traductionis peccati originalis, *etiamsi istorum argumenta soluere non valeam, video tamen inhærendum esse diuinis literis, &c.* Et in epistola 29. ad Hieronymum, dicit se, cùm interrogaretur, quomodo peccatum Adæ propagetur in posteros, respondere solitum, *Hoc, vt alia multa, me ignorare confiteor.* Et tamen non propterea deerat defensioni fidei. immò acerrimè eam propugnabat, ostendens credendum esse peccatum originale propagari in posteros, licet modum ignoremus, quia id Scriptura docet, & traditio, atque vsus Ecclesiæ.

SECVNDÒ posset quis respondere, sacramenta esse veras causas iustificationis, sed Morales, non Physicas: quomodo vera causa est homicidij, qui illud fieri iubet, licet ipse hominem, qui occiditur, non attingat. Sed quanquam hæc responsio salua fide defendi potest; quam tuentur ex recentioribus, Ledesmius in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. & Canus in relectione de Sacramentis; & idem sensisse videntur antiqui Scholastici multi, vt Bonauentura, Scotus, Durandus, Richardus, Okam, Marsilius, Gabriel, in 4. d. 1. vel 2. qui docent, sacramenta verè iustificare, & tamen volunt solum Deum producere gratiam ad præsentiam sacramentorum, ita vt non sint sacramenta causæ Physicæ; nisi, sine quibus non fieret effectus: tamen puto longè probabiliorem, & tutiorem [illegible] quæ dat sacramentis veram efficientiam; quia Patres passim docent, sacramenta non agere, nisi priùs à Deo virtutem, seu benedictionem, seu sanctificationem accipiant; referunt effectum sacramenti ad omnipotentiam Dei; & conferunt cum veris causis efficientibus, vt suprà vidimus. Secundò, quia non esset differentia inter modum agendi sacramentorum, & signorum magicorum. Tertiò, quia tunc non esset homo Dei minister in ipsa actione sacramentali, sed homo præberet signum actione sua, & Deus alia actione, viso eo signo infunderet gratiam, vt cùm vnus ostendit syngrapham mercatori, & ille dat pecunias. At Scripturæ docent, Deum esse, qui baptizat per hominem, vt suprà ostendimus.

TERTIÒ igitur responderi potest cum sancto Thoma 3. par. q. 62. art. 4. quòd Sacramenta sint causæ efficientes, etiam Physicæ, sed instrumentales, virtus autem diuinitus indita, non sit aliqua noua qualitas inhærens spiritualis, vel corporalis, sed sit solùm motus, siue vsus Dei. Per hoc enim quòd Deus vtitur hac actione sacramentali ad gratiam producendam, eleuat eam, & facit eam attingere effectum supernaturalem, quem non posset attingere, si à quocunque alio moueretur.

AD cuius rei intelligentiam notanda sunt quatuor. Primum est, multum interesse inter instrumenta quibus vtitur Deus, & quibus vtuntur homines. Sunt autem quinque differentiæ: Prima est, quòd homo eget duplici applicatione; vna, qua se applicet instrumento, vt accipiendo securim in manu; altera, qua applicet instrumentum operi; prior motio est in ipso homine; posterior est in instrumento. Deus autem non eget priori applicatione; est enim immutabilis, & præsentissimus omnibus rebus, proinde etiã applicatus. Quare motio illa qua Deus mouet sacramenta, est sola applicatio sacramẽti ad opus, & est in ipso sacramento, non in Deo.

SECVNDA est, quòd homo eget instrumento naturaliter apto ad illud opus: non enim posset homo secare lignum serra, nisi illa ferrea, & acuta esset. Deus autem non indiget ista aptitudine instrumenti: non enim ipse iuuatur instrumento, cùm possit se solo omnia facere: sed vtitur instrumento, quia placet illi, vel honorare creaturam, vel certè in eo potentiam suam ostendere; vt si quis de industria scribere vellet calamo parùm idoneo: ex quo sequitur non esse necessarium, ponere in sacramentis aliquam inhærẽtem qualitatem, quæ illud formaliter perficiat: sed satis est, si Deus sacramento vti velit: non enim ipse indiget instrumento apto.

TERTIA est, quòd quando homo vtitur instrumẽto, necesse est, vt præter motionem ipsius hominis, qua instrumentum mouetur, ipsum etiam instrumentum per naturalem suam virtutem cõcurrat, & operetur id, quod sibi proprium est. Verbi gratia, cùm vtitur faber securi ad faciendam cathedram, non satis est moueri securim artificiosè, sed necesse etiam est, vt securis scindat: & cùm vtitur natura calore ad nutritionem, requiritur vt calor calefaciat, quod est sibi proprium: mediante enim illa actione, natura vtitur calore ad conuertendum cibum in carnem. At cùm Deus vtitur aliquo instrumento, non est necesse, vt instrumentum per naturalem suam virtutem aliquid operetur in subiecto; & si fortè operatur, illa operatio non est causa effectus diuini, vt talis operatio, sed solùm, vt res, quam Deus ad hoc faciendum adhibere voluit. Hinc videmus in vsu multorum Sacramentorum non repetiri vllam actionem propriam, & naturalem eorum, vt patet de Absolutione, de Matrimonio, de consecratione Eucharistiæ. In aliis reperitur actio propria, vt lotio, aut vnctio; sed, vt dixi, illa quatenus naturalis actio, non est causa, sed vt res quædam. Ex quo sequitur, vt motio, seu vsus Dei in sacramentis non solùm sit virtus [illegible] impressa, sed sit tota virtus, & ratio, per quam agunt. Id enim, quod est in securi acies, & vis agentis illi impressa, id totum est in sacramentis sola motio Dei.

QVARTA differentia sequitur ex his duabus, quòd homo non potest vti qualibet re pro instrumento sui operis: Deus autem potest; & reuera vtitur rebus diuersissimis ad rem eandem producendam.

QVINTA differentia sequitur etiam ex præcedentibus, quòd homo non potest vti instrumento, nisi quòd tangat rem, in qua est producendus effectus. Quia instrumentum debet operari circa subiectum, suam propriam & corporalem actionem: actio autem corporalis non fit sine contactu. Deus autem potest etiam per id, quod est in vno loco, agere in aliam rem ab eo loco remotissimam, quandoquidem non eget operatione propria illius rei.

SECVNDÒ notandum est, omnes concedere, posse Deum vti quibuslibet instrumentis quantumuis ineptis, modò tamen illa instrumenta priùs ipse faciat apta. At certè id non est necesse, sed potest Deus instrumẽto inepto, manente inepto, efficere quidquid voluerit, quomodo potest optimus scriba calamo inepto ita dextrè vti, vt per eum rectissimè formentur literæ. Exemplum habemus Ioan. 5. vbi Angelo descendente, & mouente aquam, per eam aquam ita motam curabantur omnes languores. Fuisse autem hanc figuram Baptismi, suprà docuimus. Quare Patres imitati hunc modum loquendi, sæpe dicũt, sacramenta non operari, nisi priùs in ea descendat Spiritus sanctus. Vide Tertullianum in lib. de Baptismo, Ambrosium lib. 1. de Spiritu sancto, c. 7. & Chrysostomum in c. 5. Ioannis, & ibidem Theophylactum, & Theophilũ Alexandrinum lib. 1. Paschali. Pari ratione cùm Deus voluit mundum conuertere per Euangelij prædicationem, poterat eligere homines eloquentes, aut certè homines rudes continuò eloquentissimos reddere: sed noluit hoc modo vti, sed elegit homines rudes, & qui simpliciter, impolitè, & inornatè loquerentur: & per eos mundum conuertit.

TERTIÒ notandum est, virtutem sacramentalem aliquando esse in elemento, aliquando in verbo, aliquando in vtroque. Nam actio sacramẽtalis propriè est actio ministri dantis sacramentum, nó actio suscipientis; susceptio enim est opus nostrum, sacramentum autem non est opus nostrum, sed Dei. Itaque actio ministri est illa, qua Deus vtitur tanquam instrumento ad iustificãdum. Quando ergo minister vtitur rebus, & verbis, vt in Baptismo, Confirmatione, & Vnctione extrema; tunc etiam Deus vtitur rebus, & verbis, & proinde virtus Dei est in vtrisque: & oportet illa duo simul concurrere, alioqui nihil fieret. At cùm minister non vtitur, nisi verbis, materia autem sacramenti se tenet ex parte suscipientis, aut certè non adhibetur à ministro ad agendum; tunc virtus non est nisi in verbis. Ita fit in sacramento Absolutionis, & Matrimonij, & in consecratione Eucharistiæ; non enim adhibet minister peccata pœnitentis ad eum absoluendum, nec panem ad aliquid consecrandum, sed verba ad consecrandum panem. Et hinc est quod non repugnat sacramento Pœnitentiæ, vt vno die dicantur peccata, & alio die absoluatur pœnitẽs; virtus enim operatiua non est in peccatis, sed in sola absolutione. In consecratione tamen Eucharistiæ requiritur præsentia panis, non quòd in pane sit virtus operatiua, sed quia nisi esset panis præsens, non esset materia, in qua ageret sacramentum: in Absolutione enim etiamsi non sit confessio, quia iam præteriit, est tamen homo, in quem cadit Absolutio. Denique aliquando minister vtitur solo elemento, vt cùm porrigit Eucharistiam, & tunc virtus est in solo elemento.

QVARTÒ notandum est, gratiam iustificantem non propriè creari, nec tamen educi de potentia naturali animæ, sed educi de potentia obedientiali, seu capacitate naturali: proinde S. Thomam non pugnare secum, cùm dicit, non posse creaturam instrumentaliter concurrere ad creationem, & tamen sacramenta concurrere ad productionem gratiæ in anima. Explico; illud dicitur propriè creari, quod fit independenter à subiecto; illud contrà dicitur educi, quod dependet à subiecto, in fieri inesse, & operari. Itaque anima rationalis verè creatur, licet fiat in corpore, quia non pendet à corpore necessariò, vt patet, quia separata esse, & operari potest, & priùs natura est in se ipsa subsistens, quàm corpori infundatur. At gratia est qualitas quædam spiritalis, quæ pendet omnibus modis à subiecto, vt patet; quare educitur. Sed non educitur de potentia naturali, quia non est in homine talis potentia; alioqui gratia esset res naturalis: vbi enim est potentia naturalis, ibi est actus naturalis. Neque obstat, quòd gratia non possit fieri nisi à Deo: nam etiam anima non potest creari nisi à Deo, & tamen est res naturalis, quia materia est in potentia naturali ad animam. Itaque gratia non dat esse naturale, sed supernaturale homini. Est tamen in homine capacitas naturalis ad gratiam: naturaliter enim conuenit homini posse recipere gratiam, vt Augustinus docet de prædestinatione Sanctorum, cap. 5. & potest ea capacitas dici etiam potentia obedientialis, quia licet non sit talis, vt naturaliter possit concurrere etiam passiuè ad productionem gratiæ, (tunc enim esset potentia naturalis) tamen est talis, vt ex ea possit fieri quidquid Deus voluerit, & hæc dicitur potentia obedientialis.

NEQVE repugnat hæc eductio gratiæ de potentia obedientiali ei,quod dicunt Theologi, & ipsum Concilium Tridentinum sess.6.cap.7.gratiam infundi: infusio enim opponitur acquisitioni,non eductioni.Sic enim distinguitur scientia infusa,& acquisita,non quòd nõ vtraque educatur de potentia intellectus, sed quòd vna acquiratur proprio labore, altera à solo Deo sine labore donetur: Etsi rectè dicitur infusa scientia rerum naturalium,quam Deus donauit Adamo, & Salomoni sine labore ipsorum, licet educta fuerit de potentia naturali: quantò rectiùs dicetur gratia infundi,quæ à solo Deo datur,& non respondet ei potentia naturalis?

Ex his ad argumentum Zvvinglij respondeo, negãdo consequentiam.Nã res corporea,& crassa potest agere in animam non ex natura sua,sed ex virtute Dei,Augustinus tract.80.in Ioannem,non timuit dicere:*Aqua corpus tangit,& cor abluit*,Et ignis verus & corporeus,animas,& dæmones tenere,& cruciare potest:immò etiam experimur corporis affectionibus,miro modo affici animos nostros,qui tamen spiritus sunt. Et quomodo hæc ipsa nostra corpora animas retinent tanquam in carcere? nec enim potest anima cùm voluerit à corpore recedere, & tamen corpus,corpus est,& anima spiritus est.

AD primam confirmationem iam responsum est,non egere contactu id,quod non agit per actionem suã propriam & naturalem.

AD secundam dico primò, locum Augustini non esse ad rem.Nam Augustinus cum dicit,minùs esse iustificare impium, quàm creare cœlum & terram,non vult dicere, esse difficilius infundere gratiæ habitum in anima, quàm creare cœlum;sed vult dicere (vt ipse ibidẽ se explicat)esse opus maioris misericordiæ iustificare impium quàm creare cœlũ;& etiam esse opus nobilius, quia cœlum,& terra transibunt, salus electorum non transibit. Idcirco ibidem dicit, fideles cooperari Deo in iustificatione sua,proinde fideles cõcurrere ad opus maius,quàm sit creare cœlum,& terram. Secundò,non est improbabile,posse creaturam concurrere,vt merum instrumentũ Dei ad veram creationem. S.autem Thomas loco notato id negat de creatura,quæ concurrat disponendo subiectum per propriam actionem. Tertiò, iam ostendi gratiam propriè non creari.

AD tertiam confirmationem posset dici,non dari vltimum vllo modo intrinsecum in successiuis,& ideò iustificationem fieri in vltima parte sensibili, non in vltima simpliciter,quæ nulla est. Vel dicendum,iustificationem fieri in instãti illo,in quo finitur actio Sacramentalis.Tametsi enim actio desinat negatiuè,quoad suas partes, id est,per primum non esse,tamẽ definit affirmatiuè,id est, per vltimum sui esse,quantum ad terminum suum.Vt enim in linea non potest assignari vltima pars,potest tamẽ assignari vltimum punctum,quo terminatur linea:ita in tempore & motu.At(inquiunt)tunc non est actio Sacramentalis.Respondeo tunc maximè esse,eo modo,quo res successiua esse potest.Res enim successiua nunquam est per suas partes in re existentes, sed semper habet quiddam indiuisibile, quod vel est initium, vel finis, vel continuatiuum rei successiuæ: & per illud dicitur esse: & tunc perfectè dicitur esse, quando illud indiuisibile terminat actionem. Id patet in tempore: non enim dicitur esse vna hora, nisi quando finitur. Idem patet in oratione,quæ perfectè significat,cùm profertur eius terminus.

AD quartum iam dixi,virtutem illam esse corporalem, quia est motus rei corporalis, licet dici possit spiritualis, ratione causæ,& effectus.

AD quintam dico,virtutem illam esse partim in vna parte Sacramenti,partim in alia:proinde paulatim perire, prout pereunt partes Sacramenti.Nec tamen superuacaneæ fuerunt. Nam vltima particula operatur in virtute omnium præcedẽtium.Sicut etiam oratio perfectè significat,cùm profertur vltima vox; quæ tamen nihil efficeret,nisi aliæ præcessissent: & terminus motus acquiritur per vltimum mutatum esse,quod tamen nihil pollet, nisi cætera præcurrissent.

AD sextam iam respondi,virtutem nunc esse in verbis,nunc in elemento,nunc in vtroque,&c.

AD vltimam dico, rem illis difficilem videri, quia imaginantur spiritualem qualitatem in re corporali debere constitui: sed qui sentiunt, non esse necessariam eiusmodi qualitatem, nullas in hac re patiuntur angustias.

CAPVT XII.

Explicatur controuersia de differentia Sacramentorum legis nouæ & veteris.

SEQVITVR altera quæstio de effectu Sacramenti,vtrum videlicet iustificare ex opere operato sit proprium Sacramentis nouæ legis, an commune cum Sacramentis legis veteris.Quatuor erunt partes huius quæstionis. Exponemus enim, Primò sententiam hæreticorum, Secundò sententiam Catholicorum. Tertiò probabimus veritatem. Quartò soluemus obiectiones.

QVANTVM ad primum, conuenit inter omnes Catholicos,& hæreticos, sex vt minimùm esse differentias inter Sacramenta legis nouæ,& veteris. Prima,quòd nũc sint alij ritus externi,quàm tunc erant,vt notum est. Secunda,quòd nunc sint pauciora Sacramenta, quàm tunc erant. Tertia,quòd sint nostra faciliora, vt patet de Circuncisione,& Baptismo,& aliis. Quarta,quòd nostra sint nobiliora saltẽ ratione auctoris,quia nostra ab ipso Christo immediatè instituta, & promulgata, Mosaica verò à Mose, si non instituta, certè promulgata sunt. Quinta, quòd illa fuerint figuræ nostrorũ. Sexta,quòd illa essent data ad tempus,id est,vsque ad aduentum Messiæ:nostra duratura sint,quandiu mundus durabit.Colliguntur hæc omnia ex Augustino in epist.118.ad Ianuarium, lib.3.de doctr.Christiana,cap.9.& lib.19.contra Faustum, capit. 13.in Psalm.73.

QVÆSTIO autem est,vtrum præter has differentias, discrimẽ sit in effectu principali,qui est iustificare à peccato.Hæretici huius temporis nullum ferè ponũt discrimen,quanquam inter se non satis conueniunt.

AC primùm Anabaptistæ,Carolstadiani,& Zvvingliani,qui(vt suprà ostendimus) nihil tribuunt Sacramentis nostris,nisi vt discernant fideles ab infidelibus, vel sint quasi professio fidelitatis,vel admoneant bonorum operum:coguntur plus tribuere Sacramẽtis veteribus,quàm nostris.Melius enim discernit Iudæum à non Iudæo Circuncisio,quæ semper manet, & cerni potest; quàm Baptismus,qui semel exhibetur,& transit.Et eadem ratione melius admoneret fidelitatis;& bonorum operum Circuncisio quàm Baptismus,cùm illa sit permanens, crassior, & sensibilior,&c.

LVTHERVS autem,qui vult Sacramenta nostra excitare fidem,idem tribuit Sacramentis veteribus. Vnde sic ait in libro de Babylonica captiuitate, cap. de Baptismo:*Error est Sacramenta nouæ legis,differre à Sacramentis veteris legis,penes efficaciam significationis,id est, quòd nostra efficaciter significent faciendo,quod figurant,non illa.* Et idem repetit in assert.1.articuli.

EST autem notandum; Lutherum distinguere duo genera signorum veterum in libro de Babyl. captiuit. cap.de Baptismo:Quædam enim fuisse dicit, quæ haberent annexum verbum promissionis, ac proinde exigerent fidem,vt signum iridis datum Noë, signum roris in vellere Gedeonis, signum in reuersione solis datum ab Isaia Regi Achaz, & alia. Atque hæc dicit fuisse vera Sacramen

cramenta,& æqualia nostris,quoad efficaciam. Alia verò fuisse dicit, quæ non haberent annexam promissionem, vt omnes illas cæremonias legales, quibus expiabantur homines,vestes,ædes,&c. atque has dicit non fuisse propriè Sacramenta,& esse longè inferiora nostris Sacramẽtis.Vnde in hom.1.de Baptismo non procul. ab initio 2. partis grauiter inuehitur in Anabaptistas qui non plus tribuerent nostro Baptismo, quàm lotionibus Iudaicis; quasi ipse multum tribuat Baptismo,qui iridem illi æquare non veretur.Porrò ex hac distinctione Lutheri colligitur alius error,vel potiùs paradoxum ipsius, qui non vult esse sacramenta ea,quæ ab omnibus veteribus dicũtur sacramenta,vt lotiones Iudaicas, agnum Paschalem, sacrificia;& similia;& contrà,ea vult esse sacramẽta,quæ à nullo,ne per somnium quidem,vocata sunt sacramenta,vt iridem,vellus Gedeonis,vmbram horologij Achaz, & similia.

IAM Caluinus conuenit cum Luthero, quòd sacramenta veteris legis eodem modo iustificarent, quo nostra,nimirum alendo fidem.Nam lib.4.Instit.ca.14.§.23. *Hoc dogma*,inquit,*Scholasticum,quo tam longum discrimẽ inter veteris,ac nouæ legis Sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud,quàm Dei gratiam adumbrauerint,hæc verò præsentem conferant,penitus explodendum est.*& similia habet in Antidoto Concilij Tridentini,sess.7.can.2. Dissentit tamen à Luthero Caluinus in duobus.Primò,quòd existimat sacramenta nouæ legis vberiorem gratiam dare,quàm vetera,quia nimirum clariùs excitant fidem, & proinde maior fides magis iustificat. *Neque tamen negamus*,inquit in Antidoto,loco citato,*quin vberior sub Christi regno percipiatur gratia.* Lutherus autem omninò æquat sacramenta illa nostris.Secundò, Lutherus(vt ostẽdimus)non omnes cæremonias Iudaicas,sed tantùm eas, quæ habent annexas promissiones,vult esse sacramenta, & nostris æqualia. At Caluinus omnes illas cæremonias habet pro sacramentis,quæ darent gratiam, licet non ita copiosam,vt nostra.Nam lib.4.Instit.ca.14.§.21.putificationes Iudæorum nũmerat inter sacramenta:& §.26.idẽ prolixiùs docet. Et licet vterque erret, minùs absurdè Caluinus docet,quàm Lutherus.

KEMNITIVS in Examine Concilij partim Lutherum,partim Caluinum sequitur.Nam pag.60.& 70. admittit Lutheri distinctionem de duplici genere signorum veterum, pag. autem 74. admittit cum Caluino vberiorem gratiam dari in sacramentis nouis, quàm in veteribus: cum vtroque autem conuenit in damnanda Ecclesiæ doctrina. atque hæc de sententia hæreticorum.

CAPVT XIII.

Explicantur sententiæ Catholicorum.

QVANTVM ad secundùm,Catholici omnes conueniunt, sacramenta veteris legis, quæ propriè Mosaica dicuntur,non contulisse gratiam ex opere operato. Id enim docent omnes Theologi in 4.dist.1. & idem definiuit Concilium Florentinum,in instruct. Armenorum;& Concilium Tridentinum. quamuis breuiùs & obscuriùs,quia non erat necesse;cùm iam res esset definita,sess.7.can.2.

EST autem hîc notandum,ista Concilia non definiuisse,(vt calumniatur & mentitur Kemnitius in 2. parte Examinis,pag.58.& 59.)veteres Patres non habuisse gratiam Dei ex merito Christi, aut eam habuisse sine vllo organo,seu medio applicante Christi merita.Concilia enim nihil horum dicunt, sed tantùm asserunt, hoc esse discrimen inter Sacramenta legis veteris,& nouæ, quòd nostra conferunt gratiam, illa solùm eam significabant. Non est autem consequens, veteres Patres non habuisse gratiam,aut habuisse sine organo applicato Christi merita.Nam etiamsi non habuerunt eam per sacramenta, tamen habuerunt per fidem, vt etiam nũc adulti per fidem, & contritionem veram iustificantur, antequam reipsa ad Sacramentum accedant.

ETSI autem Catholici in hoc principio conueniant inter se,& discrepent ab hæreticis huius temporis:tamen sunt etiam apud eos duæ quæstiones,de quibus breuiter dicam,quæ sint opiniones,cùm id sit necessarium partim ad controuersiam propositam explicandam, partim ad refellendas hæreticorum calumnias.

VNA igitur quæstio est de sacramẽtis veteribus, Circuncisione excepta,an saltem iustificarent ex opere operantis.Duæ sunt autẽ opiniones.Prima Magistri in 4.dist. 1.qui id negat: ait enim, sacramenta illa non iustificasse, etiamsi in fide & charitate susciperentur, quia data erãt, vt essent oneri,non vt iustificarent.Secunda est communis Theologorum, iustificasse omnia illa sacramenta ex opere operantis,id est, ex fide & deuotione suscipientis: & hæc sententia est verissima. Nam est generaliter vera sententia Apostoli Rom.2. *Factores legis iustificabuntur.* Quanquam ista iustificatio non est propriè sacramentalis, sed est communis omnibus bonis operibus, quæ in charitate fiunt;nec est iustificatio prima,sed secunda. Quod autem Kemnitius in 2.parte Examinis,pag. 58.vociferatur,hanc sententiam directè, & quasi aduersa fronte pugnare cum Paulo,qui Rom 4. ex professo docet, Abrahamum non esse iustificatum ex operibus, ex mera imperitia nascitur.Nam Paulus loquitur de operibus, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrij, quibus operibus & nos fatemur,neminem iustificari. Theologi autem cùm dicunt,sacramenta vetera iustificasse ex opere operantis; loquuntur de opere,quod oritur ex gratia Dei.Vocant enim opus operantis fidem,charitatem,obedientiam, quæ sunt omnia Dei dona, cùm sine speciali Dei auxilio non habeantur:de qualibus operibus Paulus Rom.2.*Factores legis iustificabuntur.*Et Iacobus cap.2.*Abraham nonne ex operibus iustificatus est?*

ALTERA quæstio est de Circuncisione,quæ non est propriè sacramentum Mosaicum, sed legis naturæ: vnde Ioan.7.*Circuncisio non est ex Mose,sed ex Patribus.*Porrò de Circuncisione duæ sunt opiniones. Prima opinio est Alexandri par.4.q.7.memb.7.art.4.Bonauenturę,Scoti, & Gabrielis,in 4.dist.1.qui admittunt, Circuncisionem ex opere operato contulisse iustificationem.Pugnant autem cum hac sententia multa argumenta.Primò Scripturæ,quæ cùm dicunt,sacramenta vetera fuisse egena elementa,non excludunt Circuncisionem,immò de illa maximè loquuntur,vt postea videbimus. Secũdò Concilia, Florentinũ & Tridentinũ, quæ solis Sacramentis nostris tribuũt vim iustificãdi.Neq; valet,quòd quidam dicunt, Concilia ista cùm negant,sacramenta veteris legis iustificasse,loqui tantùm de sacramẽtis Mosaicis,id est,à Mose promulgatis, non autem de Circuncisione, quæ erat sacramentum legis naturę datum Abrahę,non Mosi:hoc, inquam, non valet:nam Concilia intendunt explicare excellentiam sacramentorum nouæ legis; quæ quidem excellentia non minùs obseruatur,si sacramenta legis naturæ sint nostris æqualia,quàm si id tribuatur sacramentis legis scriptæ. Præterea cùm Deus in lege gradatim processerit,& legem imperfectiorem dederit in statu naturę, quàm in statu legis scriptæ; & in hoc statu imperfectiorem, quàm in statu Euangelij: idem sine dubio fecit in Sacramentis, proinde si Sacramenta Mosaica non iustificabant,multò minùs sacramenta legis naturæ.

HIC tamen est hoc annotandum, hanc sententiam primam non fauere hæreticis huius temporis, licet aliquod sacramentum antiquum cum nostris æquauerit.Nã hæretici cùm paria faciunt sacramenta vetera nostris,non vetera extollunt,sed nostra deprimunt,ac deiiciunt; hæc autem prima sententia non deiicit nostra, sed extollit antiqua.

SECVNDA sententia est S. Thomæ 3.p.q.70.art.4. & discipulorum S. Thomæ, Capreoli, Scoti, Ledesmij, & aliorum, in 4.dist.1.vel 2.qui docent, Circumcisionem vi sua non iustificasse, sed iustificasse tamen, quatenus fidei protestatio erat, & fidem applicabat. Itaque volunt ij auctores iustificatos fuisse veteres ex merito passionis Christi, vt nos iustificamur, sed hoc meritum nobis applicari per sacramenta, Hebræis autem per solam fidem; quæ tamen fides requirebat vt conditionem, sine qua non operabatur, sacramentum Circumcisionis. Hæc sententia sine dubio probabilior est: sed quia nō est nobis propositum, nisi fidem aduersus hæreticos propugnare, his omissis, ad tertium caput transeamus.

CAPVT XIV.

Probatur, nullum Sacramentum legis naturæ, aut scriptæ, iustificasse ex opere operato.

NVNC probanda est veritas. Probabimus autem, nullum sacramētum legis naturæ, aut scriptæ iustificasse ex opere operato, siue eo modo, quo iustificant sacramenta nouæ legis, contra omnes hæreticos huius temporis, & aliquo modo etiam contra eos, qui Circumcisioni tribuunt iustificationem ex opere operato.

Ac primùm quidem argumentum sumitur ex diuinis literis: nam & Prophetæ, & Apostoli miro consensu docent, Sacramenta vetera non iustificasse, cùm de nostris contrarium asserant.

PRIMVS locus ex Prophetis, Psal.39 *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustū & pro peccato non postulasti.* Vbi Scriptura nō negat, Deū velle sacrificia, cùm ipse ea fieri iusserit, sed negat ea velle ad expiandum peccatum. Secundus locus Psal. 50. *Si voluisses sacrificium* (nimirum ad peccatum expiandum) *dedissem, vtique holocaustis nō delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.* Vbi Scriptura opponit sacrificium contritioni; & de vno negat, quod de altero affirmat, quod non faceret, si vtrumque concurreret ad iustificationem: neque enim rectè diceretur nunc, Deus nō vult Baptismum, sed contritionem. Tertius locus Isaiæ 1. *Quò mihi multitudo victimarum vestrarum? quis quæsiuit hæc de manibus vestris?* Quartus locus Hierem. 11. *Nūquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* vbi de sacrificio pro peccato loquitur. Et certè de Baptismo non diceret; Nūquid Baptismus auferet à te malitias? Quintus locus Amos 5. *Quòd si obtuleritis mihi holocausta, & munera vestra, non suscipiam, & vota pinguium non respiciam.* Porrò si sacrificia non iustificabant, multò minùs iustificabant aliæ cæremoniæ: nullæ enim cæremoniæ habent clariores promissiones de remissione peccatorum, quàm sacrificia.

IAM ex verbis Apostolorum idem probari potest. Primus locus est Rom.3. *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ vtilitas Circumcisionis? multum quidem per omnem modum. Primùm, quia credita sunt illis eloquia Dei.* vbi illud; *Primùm* (etiam Caluino & Petro Martyre testibus in commentario) non est nota ordinis, quasi vellet Paulus multas vtilitates Circumcisionis adferre; sed significat potissimum, seu præcipuum: non enim adfert alias vtiliores. Solùm ergo, auctore Paulo, Iudæi circuncisi præstabant Gentibus incircuncisis, quòd illi habuerint Dei legem, & oracula: non ergo Circumcisio iustificabat. Nam alioqui præstitissent Iudæi Gētibus etiam iustitia, quod præcipuè Paulus refutare intendit; vnde paulò pòst subiungit: *Quid ergo præcellimus eos? nequaquam. Caussati enim sumus* (id est, caussas attulimus, & ostendimus) *Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.* vbi Paulus etiamsi dixerat, Iudæos præstare Gentibus ob Circumcisionem, quia fuerant illis credita eloquia Dei: tamen nunc negat, Iudæos præstare Gentilibus, quia non præstant, quod attinet ad iustificationem, de qua agebatur; omnes enim tam circūcisi, quàm incircuncisi peccatores sunt. Quibus verbis clarissimè docet, Circumcisionem non iustificasse. Nō enim vult dicere, nullum fuisse iustum ante Christi aduētum: cùm constet, Patriarchas, & Prophetas, & multos Gentiles fuisse iustos, vt Melchisedech, Iob, & alios. Sed vult dicere, non fuisse iustos ex eo, quòd essent, circuncisi, vel incircuncisi, sed ex eo, quòd in Christum venturum crederent. Ibidem addit Apostolus: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Quis autem neget, Circuncisionem fuisse opus legis? Ibidem: *An Iudæorum*, inquit, *Deus tantùm? nónne & Gentium? immò & Gentium, quoniam vnus est Deus, qui iustificat Circumcisionē ex fide, & præputium per fidem.* Quasi dicat, Deus est omnium Deus, quomodo igitur credibile est eum dedisse remedium contra peccatum solis Iudæis? Possumus nos hinc etiam aliter argumentari: An masculorum Deus tātùm? nónne & fœminarum? Quis ergo credat, Deum dedisse remedium, quòd solis masculis prodesset?

SECVNDVS locus est Rom.4. vbi Apostolus ex professo probat, Abrahamum non in Circuncisione sed in præputio, fuisse iustificatum, vt inde admoneat circuncisionem non esse datam, vt iustificaret. Si enim is, cui primò data est, non fuit ex ea iustificatus, quantò minùs alij ex ea iustificandi erunt?

TERTIVS locus 1.Cor.7. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est.* vbi ita Paulus Circuncisionem vt præputium despicit, cùm agitur de iustificatione.

QVARTVS locus est Galat.4. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma & egena elementa, quibus iterum seruire vultis?* Quorū elementorum nomine intelligit Circuncisionem, de qua præcipuè loquitur in ea epistola, & simul etiam alias cæremonias legales: & sanè non dicerentur infirma & egena, si iustificarent. Ibidem dicit, Iudæos tanquam paruulos sub elementis huius mundi seruientes fuisse; nos autem viros esse perfectos: quæ sanè differentia non esset vera, si sacramenta nostra non haberent aliam vim quàm illa Iudæorum.

QVINTVS locus Gal.6. *Neque Circūcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Vbi videmus opponi nouam creaturam tam circumcisioni, quam præputio; quod esset ineptum, si Circuncisio efficeret nouam creaturam.

SEXTVS locus Philipp. 3. vbi Paulus dicit, se arbitrari detrimentum, iustitiam quæ est ex lege, & hoc aliquoties repetit: quòd certè non diceret, si ex vlla legali cæremonia iustificatus fuisset. Vnde ibidem Circuncisionem per contemptum, concisionem vocat: *Videte*, inquit, *concisionem*, Nam (vt exponit Chrysostomus) circūciditur, quod apertè expolitur resecatis superfluis; conciditur, quod temerè & præter artem scinditur in frusta. Ibidem Apostolus ait, se non habere fiduciam in carne, & per fiduciam in carne, exponit ipse, fiduciam in Circuncisione, aliisque id genus rebus.

SEPTIMVS locus Coloss.2. vbi omnia Sacramenta vetera dicuntur vmbra futurorum, corpus autem Christi. Quòd si nostra eandem vim haberent, adhuc essemus in vmbra. Ibidem: *Circuncisi*, inquit, *estis Circumcisione nō manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed Circuncisione Christi consepulti ei in Baptismo.* Vbi Paulus Circuncisionem vocat manu factam, & proinde Baptismum non manu factum, quia principalis baptizans est Deus. Item nihil tribuit Circuncisioni, nisi carnem expoliare, & eam Baptismo opponit. Notandum autem est, in textu Græco haberi: *in expoliatione corporis peccatorū carnis*; & proinde coniungendam hanc partem (*In expoliatione &c.*) cum illa (*circuncisi estis*) nō cum illa (*Circumcisione manu facta*) vt sensus sit; Circūcisi estis in expoliatione corporis peccatorum, non Circuncisione manu facta, sed Circuncisione Christi spirituali consepulti ei in Baptismo. Ex quo textu sumitur idem argumentum, sed alio modo. Nā (vt exponūt Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus) Paulus docet, Circumcisionē Iudaicam, fuisse denudationem vnius pelliculæ, nostra autem Circuncisio est expoliatio totius corporis peccatorum.

OCTAVVS est Hebr.7. *Reprobatio*, inquit Apostolus, *fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem.* Loquitur autem de mandatis cæremonialibus, quorum præcipuum erat de Circuncisione.

NONVS locus Hebr.9. vbi cæremonias veteres dicit fuisse iustitias carnis, & sanctificasse quidem inquinatos, sed solùm ad emundationem carnis.

DECIMVS locus Heb.10. vbi dicit, legem vmbram habuisse, non ipsam imaginem rerum, nec potuisse accedentes perfectos facere; nec potuisse auferre peccata, & mundare conscientiam; & Deum hostias & oblationes noluisse, nec ei placuisse; quod intelligi debet in ordine ad iustificationem ex opere operato: nam alioqui negari non potest quin ei placuerint ex obedientia & deuotione offerentis. Nam vocantur odor suauissimus Domino, Leuit.1.

SED videamus quid ad hæc loca aduersarij respondeant. Lutherus & Lutherani respōdent, Scripturas cùm negant, Sacramenta vetera iustificare, debere intelligi de illis, quæ non habent annexam promissionem.

AT loca à nobis adducta loquuntur expressè de Circuncisione, quam omnes concedunt habuisse annexam promissionem. Deinde nullæ cæremoniæ Iudaicæ habuerunt promissionem magis expressam, quàm sacrificia & ablutiones. Nam Leuit.4.5.&6. promittitur remisio peccatorum offerenti sacrificium. Et rursus Leuit. 20.21. & 22. promittitur sanctificatio iis, qui abluuntur aqua, vt lex præcipit: & tamen Apostolus Heb.10. disertis verbis dicit, impossibile esse sacrificiis & ablutionibus Iudaicis remitti peccata.

KEMNITIVS in Exam.2.part.pag.63. post solutionem Lutheri, proponit aliam, quæ est etiam Caluini lib. 4.Instit.c.14.§.23. & 25. & Martyris in cap.7.1. ad Cor. quod videlicet Scriptura, cùm reprehendit tanquā inutilia Sacramenta vetera, non loquatur de illis secundum se, sed vt perperam intelligebantur à Iudæis, id est, de nudis cæremoniis, remota promissione & fide in Christum. Verissimum enim est, Sacramenta illa nihil valuisse accipientibus ea sine fide.

AT contrà; nam primò, non est quæstio inter nos & hæreticos, an Sacramenta illa ex fide prodessent: id enim fatemur omnes, & hoc est quod Scholastici dicunt, & illi malè reprehendunt, Sacramenta vetera fuisse vtilia ex opere operantis. Sed quæstio est, an præterea ex diuina institutione fuerint vtilia, vt Sacramenta: Illa enim vtilitas ex opere operantis, non est propriè Sacramentorum, sed communis omni bono operi.

SECVNDÒ, sacramenta sine promissione & fide nihil prodesse; non tantùm conuenit sacramentis veteribus, sed etiā nouis, vt ipsi aduersarij docent: & tamen Paulus ita distinguit noua à veteribus, vt dicat nostra seruare, regenerare, mundare, iustificare, Ephes.5. Tit.3. 1.Cor.1. vetera autem esse elementa egena, nihil valere, & nihil esse, 1.Cor.7. Gal.5. Heb.10. & alibi.

TERTIÒ, Apostolus in his locis dicit, illas cęremonias fuisse inutiles ad iustificandum, vbi dicit, fuisse vmbras & figuras rerum nostrarum, Coloss.2. 1.Cor.10. Hebr.10. Ergo Apostolus vult, sacramenta illa fuisse inutilia ad iustificandum, non solùm vt falsò exponebātur à Iudæis, sed etiam secundum se, & vt erant sacramenta à Deo instituta. Non enim vt exponebantur perperam à Iudæis; figurę dici poterant, sed solùm vt erant sacramenta à Deo instituta. Non enim illis figuræ erant, qui nihil de Christo cogitabant, sed solùm illo ritu acquiescebant.

DENIQVE, si Paulus solùm dicere vellet, sacramenta vetera sine fide nihil prodesse: non conferret cum præputio, nec diceret: *Circuncisio nihil est, & præputium nihil est*, 1.Corinth.7. & Gal.6. *Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium.* Præputium enim non solùm sine fide nihil est, & nihil valet, sed absolutè nihil est, & nihil valet.

CALVINVS præter hanc solutionem adhibet alias tres: Vna est lib.4. Instit.c.14.§.22. quòd Paulus loquatur de sacramentis veteribus, non absolutè, sed comparatiuè; ac præsertim Coloss.2. vbi vocātur vmbræ illa sacramēta. Dicit enim Caluinus, Paulū non voluisse extenuare efficaciam illorum sacramentorum, sed magnificare efficaciam nostrorum, quæ dant vberiorem gratiam, quàm illa.

AT contrà; nam si solùm differrent nostra à veteribus, quòd nostra darēt maiorem gratiam, illa minorem; Paulus non rectè diceret, illa nihil esse, & nihil valere; nec conferret cum præputio circuncisionem; neque etiam distingueret illa vt vmbram à corpore. Vmbra enim nō est corpus minus, sed nullum: nec habet aliud, nisi similitudinem corporis. Immò Hebr.10. ita extenuat ea Sacramenta, vt dicat, non fuisse imagines, sed vmbras. Nam imago habet positiuam & realem corporis similitudinē: vmbra autem habet similitudinem priuatiuam, & quæ reuera nihil est.

ALTERA solutio Caluini est ibidē, §.24. quòd Paulus loquatur de Sacramentis veteris legis pro eo tempore, quo iam erant per Christum abrogata.

AT contrà. Nam Rom.2. Paulus dicit: *Circuncisio quidem prodest, si legem obserues.* Vbi indicat, se loqui de eo, quod conueniebat Circuncisioni, cùm adhuc vigeret. Nam post abrogationem non prodest, sed obest, vt idem Paulus dicit Galat.5. Vult ergo Paulus dicere. Circuncisionem, quando vigebat, fuisse vtilem, non quidem quòd ipsa iustificaret, sed quia circuncisi habebant legem Dei, & poterant faciliùs quàm alij nosse Dei voluntatem, vt idem Paulus explicat cap. 3. *Quæ vtilitas Circuncisionis? multum per omnem modum*, &c. Item 1.Corinth. 7. vbi dicit, Circuncisionem nihil esse, loquitur pro tempore, quo vigebat, nam paulò antè dixerat: *Circumcisus vocatus est? non adducat præputium. In præputio vocatus es? non circuncidatur.* Et est sensus; perinde esse, vtrum quis ex Iudaismo ad fidem Christi veniat, an ex Gentilismo. Itaque loquitur de illis, qui fuerāt circuncisi vigente lege, & postea ad fidem Christi venerant, & illos monet, ne glorientur præter cæteros, ob Circuncisionem olim acceptam, quia nihil est. Præterea Galat.4. dicit, antiquos Patres sub elementis mundi huius fuisse seruientes. Item Philipp.3. dicit, se non habere fiduciam in carne, id est, non magnificare (vt ibidem exponit) quod fuerit circuncisus octauo die; ac proinde contemnit Circuncisionem, quam acceperat, cùm ea vigeret. Item Coloss. 2. & Hebr.10. vocat vmbras & figuras. Non autem erant vmbræ & figuræ, nisi ante abrogationem. Item Hebr. 7. dicit, abrogata illa fuisse ob infirmitatem & inutilitatem. Denique Hebr. 10. ex professo docet, impossibile fuisse, vt sacrificiis & lotionibus illis expiarentur peccata, & propterea Christum venisse, vt perficeret, quod illa non poterant.

TERTIA solutio est eiusdem ibidem §.25. vbi dicit, cæremonias legis vocari vmbratiles, non quod nihil habeant solidi, sed quia earum complementum vsque ad Christum quodāmodo suspēsum erat. Addit etiam, quòd vocantur vmbræ, non esse accipiendum de efficacia, sed de modo significandi, quia nimirum significabant res futuras, nostra significant res præteritas.

AT contrà. Primò, ista solutio planè destruit textum. Nam Paulus non solùm vmbratiles facit eas cæremonias, sed ipsam vmbram appellat. Secundò, si ideò solùm

fuissent vmbratiles, quia complementũ erat suspensum vsque ad Christum, id est, quia repræsentabant aliquid, quod nondum aderat, nostra etiam vmbratilia dici possent. Nam repræsentant resurrectionem & gloriam futuram, Tertiò, impudentissimè asseritur, Paulum non agere de efficacia, sed solùm de modo significandi. Nam illa verba: *Nihil est, nihil valet, elementa egena, infirma, inutilia, non posse expiare peccata*, & similia, non possunt nisi de efficacia exponi. Denique, Apostoli quæstio cum Iudæis de efficacia erat, & de iustificatione, nõ de modo significandi. Neque enim tam stulti erant Hebræi, vt non intelligerent, Sacramẽta vetera significasse res futuras, si Messiam venturum credebant. Atque hæc de primo argumento.

CAPVT XV.

Idem probatur ex Patribus.

EROBANDVM est hoc discrimen etiam ex Patribus, tum vt res sit magis confirmata, tũ quia Kemnitius in secunda parte Examinis pag. 56. & sequentibus, vsque ad 60. conatur ostendere, vnum tantùm locum nos habere, eúmque ex Augustino, quem tamen ipsum eripere nobis conatur. Proferemus igitur auctores veteres, Hebræos, Græcos, Latinos viginti, præter Augustinum.

I. Philo in lib. de Circuncisione, exponens omnes caussas Circuncisionis, quas à maioribus se accepisse fatetur, neque clarè dicit, neque obscurè insinuat, eam institutam fuisse in remedium peccati.

II. Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 12. non aliam caussam Circuncisionis reddit, nisi vt posteritas Abrahæ ab aliis Gentibus discerneretur. Et tamen si quis nosse potuit, quorsum esset instituta Circuncisio; isti maximè, qui Hebræi erant, & doctissimi; & vixerunt etiam eo tempore quo adhuc lex vigebat.

III. Iustinus in Dialogo cum Tryphone, ante mediũ: *Quinetiam*, inquit, *ex eo, quòd non possunt fœminæ circunci-di, intelligitur signi caussa datam esse Circuncisionem, non pro operum iustitia.* Et toto ferè Dialogo hoc probat, Circuncisionem non iustificasse, sed datam solum, vt discernerentur Iudæi ab aliis.

IV. Dionysius Areopagita in lib. de hierarchia Ecclesiastica, cap. 5. part. 1. docet; Ecclesiam esse mediam inter synagogã & cœlestem patriam quòd synagoga carnalia Sacramenta, & vmbras, ac figuras habuerit; cœlestis Hierusalem habeat nudam veritatem sine vllis signis corporalibus: Ecclesia nostra cum vtraque communicet, quòd habeat signa corporalia, & simul spiritualia dona.

V. Irenæus lib. 4. c. 30. *Circuncisionem*, inquit, *non quasi iustitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ.* Et infrà: *Et quia non per hæc iustificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quòd ipse Abraham sine Circuncisione credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Vide eundem in eodem lib. cap. 28. 29. 32. & 33.

VI. Origenes lib. 2. contra Celsum dicit, Christianos meritò dimisisse Circuncisionem, Sabbatha, & similia, quòd res carnales, & corporales essent, & transisse ad legem Dei spiritualem. Item homil. 3. in Genesim, vbi explicat Circuncisionis præceptum, opponit carnalem illam Circuncisionem Iudæorum, Circúcisioni spirituali Christianorum: proinde vult tantum interesse inter Sacramenta illorum & nostra, quantum interest inter carnem & spiritum.

VII. Eusebius Cæsariensis lib. 1. demonstrat. Euangelicæ, cap. 10. & lib. 1. hist. cap. 4. pulchrè docet, cur data fuerint primis illis parentibus Sacramenta carnalia, & sacrificia, tanquam elementa quædam, & adumbrationes rerum spiritualium.

VIII. Eusebius Emissenus hom. in Sabbatho post primam Dominicam Quadragesimæ, in illud: *Faciamus hîc tria tabernacula. Primum*, inquit, *tabernaculum est synagoga: secundum Ecclesia: tertium cœlum. Primum in vmbra fuit, & figura: secundum in figura & veritate: tertium in sola veritate. In primo via ostenditur, in secundo inuenitur, in tertio possidetur. Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut Sacramenta synagogæ, medicinam tantùm docent, & ostendunt, sed ipsa potiùs sunt medicina, & remissio peccatorum.*

IX. Athanasius oratione in illud: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, circa finem fusè docet Circuncisionẽ nihil fuisse aliud nisi vmbram, & figuram Baptismi, qui est vera, & spiritualis Circuncisio.

X. Epiphanius hær. 8. quæ est Epicurorũ. *Illic*, inquit, *Circuncisio fuit carnalis, quæ deseruit tempori vsque ad magnam Circuncisionem, hoc est, Baptismum, qui circuncidit nos à peccatis.*

XI. Basilius, lib. de Spiritu sancto, c. 14. *Qui veritatem*, inquit, *vmbræ comparans, cúmque figuris conferens ea, quæ figuris significantur, vniuersam pariter Euangelicam dispensationem eleuare aggreditur.* Et infrà: *Quid*, inquit, *confers lauacra cum lauacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum verò tanta est differentia, quanta est inter somnia, & veritatem: inter vmbras, & imagines, & inter ea, quæ reuera sunt.*

XII. Ioan. Chrysostomus hom. 27. in Genesim, *Attende*, inquit, *quod Deus Circuncisionem pro lege statui voluit, non quòd ad animæ salutem efficere hoc possit aliquid, sed, vt Iudæi pueri hoc gratitudinis iudicium circumferrent, quasi signum, & sigillum, & ne liceret eis commisceri gentium cõmistionibus. Hinc B. Paulus signum hoc vocat, dicens: Et signum dedit Circuncisionis sigillum; nam ad iustitiam ipsa Circuncisio nihil conducit.* Vide eundem hom. 39. & 40. in Genes. homil. de proditione Iudæ, homil. 7. in epist. ad Rom. & hom. 14. in epistol. ad Hebræos.

IDEM docent XIII. Cyrillus libr. 10. in Iulianum vltra medium. XIV. Theodoretus q. 67. in Genesim, & lib. 7. ad Græcos. XV. Damascenus lib. 4. de fide. cap. 10. 14. & 26. XVI. Theophylactus in cap. 2. ad Romanos, & XVII. Oecumenius, in cap. 4. ad Romanos.

Iam ex Latinis, XVIII. Tertullianus, lib. contra Iudæos, c. 1. *Si Circuncisio*, inquit, *purgat hominem, Deus Adã incircuncisum cùm faceret, cur cum non circuncidit, vel posteaquam deliquit, si purgat Circuncisio?* Et infra: *Prouidens Deus, quòd hanc Circuncisionem in signum, non in salutem esset daturus.* Ibidé probat ex Prophetis, sacrificia, & Sacramenta Iudæorum non iustificasse, vbi etiam illa vocat carnalia, & nostra spiritualia.

XIX. S. Cyprianus lib. 1. contra Iudæos, cap. 8. opponit carnalem Circuncisionem Iudæorum, spirituali Circuncisioni Christianorum: & addit, Adamum, Henoch, Noë, & Melchisedech iustos fuisse sine Circuncisione: *Quia*, inquit, *signaculum seminis nihil proficit.* Idem lib. 3. ep. 8. ad Fidũ, dicit carnalem Circuncisionem aduenienti spirituali, tanquam vmbrã luce adueniente, euanuisse.

XX. S. Ambrosius in ep. 72. ad Irenæum: *Signum*, inquit, *Circuncisio corporalis, veritas Circuncisio spiritualis: illa membrum amputat, ista peccatum.* Idem: *Si tamen idem*, in c. 4. ad Rom. *Non ergo*, inquit, *Circuncisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantùm, quod signum ideò accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur eius filij esse, qui credens Deo hoc signum acceperat, vt æmuli essent paternæ fidei.* Vide eũdem lib. 1. de Abraham. can. 4. vbi ex professo agit de Circuncisione, lib. 1. de Sacramentis, c. 4. & 6. & libro de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 8. & 9.

XXI. S. Hieronymus in cap. 3. ad Gal. reddit caussam cur fuerit Circuncisio instituta, & ne verbulo quidem indicat, fuisse in remedium peccati. *Quia*, inquit, *ex semine Abrahæ erat Christus oriundus, & ab Abraham, vsque ad Christum multa erant secula transitura, prouidens Deus,*

ne so

ne soboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus misceretur, & paulatim familia eius fieret incerta, gregem Israëliticum quodam Circuncisionis cauterio denotauit. Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circuncisus, soli quippe sine gentis alterius commistione viuebant. Statim vt Iordanis ripam transgressus est populus, Circuncisio necessariò futuro ex commistione Gentium prouidit errori. Quod autem à Iesu duce secundò scribitur populus circuncisus, significat in eremo cessare Circuncisionem, quæ in Ægypto rationabiliter exercebatur, & à Domino nostro Iesu Christo spirituali Circuncisione credentes esse mundandos. Idem in cap. 1. Isaiæ dicit, Deum respuere cæremonias Iudaicas, & placere ei lauacrum Baptismi. *Quod solum*, inquit, *potest purgare peccata.*

DENIQVE S. Augustinus etiamsi de Circuncisione sensit, quod antea diximus, de aliis tamen Sacramentis apertè docet, quod omnes Catholici docẽt. Sic enim habet in Psal. 73. *Sacramenta*, inquit, *non sunt eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem.*

AD hunc solum locum respõdent Kemnitius & Caluinus. Kemnitius in Exam. pag. 59. & 70. respondet Augustinum loqui de Sacramentis veteribus, quæ non habebant annexam promissionem, sed erant mera signa, iuxta Lutheri distinctionem.

NON valet solutio, quia Augustinus loquitur in genere de Sacramentis veteribus, & maximè de sacrificiis, & dicit omnia esse mutata, quia non dabant salutem. Præterea cùm Augustinus dicit, illa Sacramenta fuisse promittentia Saluatorem, videtur maximè loqui de illis, quæ habent annexam promissionem. Quomodo enim non habebant annexam promissionem, si promittebant Saluatorem?

SECVNDÒ, respondet cùm Caluino lib. 4. cap. 14. §. 26. Augustinum non loqui de efficacia Sacramentorum, sed de significatione; & hoc solùm velle interesse inter illa, & ista, quòd illa significabant Christum venturum, ista significant eum iam exhibitum, & datum.

AT contrà; nam Augustinus non dicit, nostra significare Sacramenta, sed [illegible] tem. Præterea ibidem ait: *Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.* At hæc ad efficaciam, non ad significationem pertinent. Denique idem Augustinus in aliis locis apertè ponit discrimen quoad efficaciam, Epist. 19. ad Hieronymum: *Cur non dicam*, inquit, *præcepta illa veterũ Sacramentorum, nec bona fuisse, quia eis non iustificantur homines? vmbræ enim sunt prænunciantes gratiam, qua iustificamur.* Hæc ille. Quid clarius? Nónne idem prorsus dicit Augustinus, quod postea definiuit Cõcilium Florentinum? lib. 16. cõtra Faustum, cap. 13. *Instituta sunt*, inquit, *alia Sacramenta virtute maiora, vtilitate meliora.* Hæc ille. Igitur nostra excellunt antiquis, vtilitate, & virtute, non sola significatione. tract. 41. in Ioannem: *In sacrificiis*, inquit, *non erat expiatio peccatorum, sed vmbra futurorum*, quæst. 25. in lib. Num. *Si*, inquit, *per se attendantur Sacramenta vetera, nullo pacto possunt mederi: si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum.* Hæc de testimoniis Patrum.

CAPVT XVI.

Idem probatur rationibus in scriptura fundatis.

PRIMA ratio. Sacramentum, vt iustificare possit, debet habere annexam promissionem absoluram gratiæ. Nullum tale erat in lege veteri; igitur nullum eorum iustificabat. Maior propositio est certissima apud aduersarios. Nam id asserit Lutherus in assert. primi articuli. Philippus in locis anni 58. ait. de Sacramentis, Caluinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 3. denique Kemnitius in 2. parte Examinis pag. 42. ponit in ipsa definitione Sacramenti, quod habeat promissionem gratiæ, & gratiæ non cuiuscunque, sed remissionis peccatorum. Denique coguntur hoc admittere, cùm velint Sacramẽta iustificare excitando fidem: fides enim apud eos non iustificat, nisi apprehendendo promissionem indulgentiæ.

MINOR propositio probatur Primò, ex Apostolo Hebr. 8. *Melius*, inquit, *sortitus est ministerium, quantò & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Et infrà, explicans quæ sint istæ promissiones meliores noui Testamenti, profert illud Hieremiæ 31. *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.*

SECVNDÒ, ex Augustino tract. in Psal. 72. vbi dicit, promissiones Testamenti veteris & noui esse diuersas, vt ipsa etiam Sacramenta sunt diuersa: tunc enim promittebantur res terrenæ, nunc autem cœlestes.

TERTIO, probatur ex ipso Luthero. Nam in lib. de captiuit. Babyl. cap. de Eucharistia, ita loquitur: *Vetus Testamentum per Moysem datum Promissio erat, non remissionis peccatorum, seu rerum æternarum, sed temporalium, nempe terræ Chanaam, per quam nemo renouabatur spiritu, vnde & irrationalem pecudem in figura Christi, oportebat occidi, in cuius sanguine idem Testamẽtum confirmabatur, vt qualis sanguis, tale Testamentum: qualis hostia, talis promissio.* Hæc ille: vbi præbet nobis contra se argumentũ planè insolubile. Nec potest responderi, loqui eum de Sacramentis, quæ non habent annexam promissionem; nam expressè meminit promissionis. Et præterea paulò pòst ponit exempla in iride, vellere Gedeonis, horologio Achaz, & similibus, ac dicit, ista signa habuisse tantùm promissiones terrenas, & tamen in sequẽti capite, quod est de Baptismo, hæc ipsa signa vult esse propriè Sacramenta, & nostris æqualia.

PORRÒ Caluinus negat hanc minorem propositionem. Nam lib. 4. Instit. cap. 16. §. 4. dicit, vnam esse, & eãdem promissionem Sacramentorum veterum & nouorum. Probatur igitur hæc minor. Quartò ex singulis, quæ apud illos dicũtur Sacramenta. Lutherus enim Sacramenta vocat, sacrificium Abel, iridem, vellus Gedeonis, horologium Achaz. At nullum eorum habet promissionem remissionis peccatorum. Nam de sacrificio Abel nihil legimus, nisi placuisse Deo, postquam factum fuerat. Iris habuit promissionem solius temporalis salutis: vnde Gen. 9. dicitur, data in fœdus non tantùm hominibus, sed etiam bestiis terræ, & omni reptili. Similiter in vellere Gedeonis, & in horologio Achaz, facta sunt signa ad confirmandam promissionem victoriæ contra hostes temporales. De aliis Sacramentis, vt de Circuncisione, de sacrificiis pro peccato, de manna, mari rubro, & cæteris, idem ostendam in solutione argumentorum.

SECVNDA ratio. Lex ipsa vetus tota in hoc distinguitur à noua, quòd illa nõ iustificat, hæc iustificat: ergo fieri non potest, vt Sacramenta vetera, quæ erant pars quædam illius legis, iustificarent. Probatur antecedens. Nã Primò dicitur, Ioan. 1. *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Quomodo hoc est verum, si Sacramenta Mosaica gratiam conferebant? Secundò, 2. Corint. 3. illa vocatur litera occidens: noua, spiritus viuificans. At cur non erat etiam illa spiritus viuificans, si eius Sacramenta iustificabant? Tertiò, Gal. 4. dicitur illa in seruitutem generasse, nostra libertatem attulisse. At cur hoc, si etiam illa gratiam conferebat, quæ liberat à seruitute peccati? Quartò, denique illud dicitur vetus Testamentum, quia ad veterem hominem pertinet, nec renouare nouit; nostrum dicitur nouum, quia renouat, vt docet Augustinus lib. 3. contra duas epist. Pelagian. cap. 4. vnde & Apostolus ad Titum 3. vocat Baptismum lauacrũ renouationis. Neque tamen hinc sequitur, non fuisse iustificationem à peccatis in sanctis hominibus Testameuti veteris: erat enim, sed non per

Testamentum vetus, aut per eius Sacramenta, sed per Testamentum nouum, ad quod illi pertinebant, & ad cuius participationem fide, ac desiderio pertingebant.

TERTIA ratio. Promissio in Sacramentis, quæ sunt instituta ad iustificandum, nō potest impleri nisi fide recipiatur, vt aduersarij dicūt. At promissiones annexæ Sacramentis veteribus implebantur, etiamsi homines non crederent; non igitur Sacramenta illa erant instituta ad iustificandū. Probatur minor. Nam promissio Dei annexa arcui cœlesti, qui Luthero est verum Sacramentum, fuit de non dissipanda nunquam ampliùs terra aquis diluuij. Quæ promissio impletur, & implebitur etiā si homines non credant. Sic etiam promissio annexa Circuncisioni fuit, vt fieret Abraham pater multarum Gentiū, & daret posteris eius terram promissionis, vt patet Gen. 17. & Rom. 4. quæ sine dubio implenda erat, etiamsi Hebræi non crederent. Ita quoque omnia sacrificia habebant annexam promissionem de Christi morte futura pro expiatione peccatorum: id enim significabant omnes illæ mactationes; quæ promissio implenda fuit, siue crederent homines, siue non crederent. Vnde Apostolus Rom. 3. *Nunquid*, inquit, *incredulitas illorū fidem Dei euacuauit? Absit. Est autē Deꝰ verax, omnis autē homo mēdax.*

QVARTA ratio. Nostra Sacramenta dicūtur in Scripturis saluare, regenerare, iustificare, vt suprà probauimus. Nihil tale vsquam legitur de Sacramētis veteribus, vt patebit ex solutione argumentorum: igitur temerè asseruntur paria, quoad efficaciam.

CAPVT XVII.

Soluuntur obiectiones.

ARGVMENTA aduersariorum sunt quinque. Primum est ex cap. 17. Genes. vbi Deus sic loquitur de Circuncisione: *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ex hoc loco sumunt argumentum tam Catholici, qui putant Circuncisionem iustificasse ex opere operato, quàm hæretici, qui non agnoscunt discrimen inter Sacramenta noui, ac veteris Testamenti.

Ac Primum Catholici Augustinum sequuti in lib. 16. de ciuit. Dei, cap. 17. ita argumentantur: Deus minatur omni masculo Hebræorum, etiam infanti, perpetuum interitum, nisi fuerit circuncisus, ergo per Circuncisionem liberabantur masculi ab æterna morte.

CALVINVS autem libro 4. Institut. cap. 16. §. 3. & 4. ita argumentatur. In Circuncisione eadem est promissio, quæ in Baptismo, nimirum remissionis peccatorum, & vitæ æternæ: igitur non differunt nisi externo ritu, seu signo. Probat antecedens. Nam Genes. 17. vbi instituitur Circuncisio, dixit Deus Abrahæ: *Ego ero Deus tuus; & seminis tui post te. Quibus verbis*, inquit Caluinus, *vitæ æternæ promissio continetur; quemadmodum interpretatur Christus, qui resurrectionem inde probauit, Matthæi 22. quòd dicatur Deus, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: non est enim Deus mortuorum, sed viuentium. Itaque idem est dicere, Ero Deus, &, Dabo tibi vitam æternam. Sed primus ingressus ad Deum est per remissionem peccatorum; ergo promisit Deus etiam remissionem peccatorum, cùm ait, Ero Deus tuus, & seminis tui.* Confirmat argumentum Caluinus ex eo, quòd Apostolus ad Ephes. 2. dicit, Gentiles, qui erant incircuncisi, fuisse sine Deo, sine Christo, sine spe, & alienos à promissionibus: Ergo ista omnia cōsequebantur homines per Circuncisionem.

RESPONDEO ad argumetum Catholicorum, vim totam illius argumenti pendere ex duabus vocibus, quæ habentur in editione Græca, qua vtebatur S. Augustinus. Græci enim sic legunt locum citatum: *Et incircuncisus masculus, cuius non circuncidetur caro præputij in die octauo, peribit anima illa de populo suo.* vbi illa verba: *In die octauo*, sunt addita à Græcis: non enim habentur in codicib. Hebraicis, nec in paraphrasi Chaldaica, nec in Latina vulgata editione. Porrò ob illa duo verba: *In die octauo*, S. Augustinus coactus est hunc locum exponere de paruulis, ac dicere, Deum minari pœnam paruulis carentibus Circuncisione; & hinc vlterius coactus est verba sequentia, *Quia pactum meum irritum fecerunt*, exponere de peccato originali, & de peccato facto cum Adamo de non comedendo ligno scientiæ boni & mali, quod solum paruuli præuaricari potuerūt: & hinc vltimò coactus est, illa verba, *Peribit anima illa*, exponere de morte æterna, quæ debetur peccato originali. Vide Augustinum lib. 16. ciuit. cap. 27. lib. 2. de peccato originali, ca. 30. & 31. & lib. 2. de nuptiis, & cōcupiscentia, cap. 11. At si remoueamus à textu duo illa verba (*In die octauo*) vt verè remouenda sunt, totum argumentum concidet. Nam nō cogemur exponere hunc locum de paruulis, immò cogemur exponere solùm de adultis, vt hic sit sensus; Masculus Hebræus, qui noluerit circuncidi, aut filium suum circuncidere noluerit, peribit de populo suo, quia inobediens fuit præcepto à me dato de Circuncisione. Ex qua sententia non magis sequitur, Circūcisionem iustificare, quàm quodcunque legis præceptum: millies enim Deus minatur mortem non seruantibus præcepta.

ESSE autem illum sensum eius loci, ostenditur tribus modis. Primò, ex illis verbis: *Quia pactum meum irritum fecit.* Nam etiamsi S. Augustinus hoc exposuerit de pacto facto cum Adamo, tamen luce clarius est hoc debere exponi de pacto facto cum Abraham de circuncidendis masculis. Nam illo capite octies nominatur pactum Dei, & semper accipitur pro pacto Circuncisionis. Et quid clarius illa expositione ipsius Dei in eodem capite: *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis: circuncidetur ex vobis omne masculinum?* Proinde caussa comminationis hoc loco non est peccatum originale, sed peccatum actuale, id est, transgressio præcepti de Circuncisione, cuius peccati soli adulti capaces sunt.

SECVNDÒ, idem probatur ex illa pœna, *Peribit anima eius de populo suo.* Non enim ista verba significant mortem æternam, seu gehennam, sed pœnam aliquam temporalem. Nam id significat illud, *De populo suo*; non enim dicit, peribit absolutè, sed peribit de populo, id est, separabitur à populo suo, seu per mortem corporalem, seu per quādam veluti excommunicationem. Vox enim Hebraica כָּרַת propriè exscindere significat. Et ponitur hæc pœna in Scriptura passim contra omnes, qui aliquā cæremoniam omisissent, vt patet Exodi 12. & 31. Leuit. 7. 17. 18. 19. 20. & 23. Numer. 15. & 19. in quo vltimo loco dicitur, peritura anima illius de populo suo, qui tetigerit cadauer, & se aqua non abluerit; quæ certè omissio non videtur crimen dignum æterna morte.

TERTIÒ probatur ex cap. 4. Exodi, vbi Dominus Mosem occidere voluit, quia filium suum non circuncideret. Vbi clarè videmus, pœnam illam esse mortem corporalem; & in eum latam, qui adultus sit, & capax peccati actualis, non in infantes. Et quamquam S. Augustinus quæst. 11. in Exod. & lib. 4. de Baptismo, cap. 24. conatur ostendere filium Mosis, non ipsum Mosem in periculo fuisse ob incircuncisionem; tamen res clarissima est. Nam si Deus minaretur mortem paruulo, si non circuncidatur octauo die; quid profuisset filio Mosis Circuncisio illa facta post octauum diem? Deinde textus apertissimus est: *Cùmque esset*, inquit, *in itinere in diuersorio Moses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Quē eum? nisi Mosem, de quo loquebatur in proximis verbis. Præterea sequitur: *Tulit ergo Sephora acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui.* Si illud: *Voluit occidere eum*, de filio Mosis intelligeretur, dixisset Scriptura; Circuncidit præputium eius, non autem filij sui. Præterea addidit Sephora, & dixit Mosi: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, id est, iam te sponsum meum amissura eram, nisi te sanguine filij mei redemissem. Quare S. Hieronymus in comment. cap. 5. ad Galatas, non dubitat, quin Moses in periculo fuerit hoc loco, non filius eius.

AD argumentum Caluini, nego Circuncisioni fuisse annexam promissionem remissionis peccatorū, & vitæ æternæ. Id enim repugnat: Primò, Apostolo, & Augustino, qui vt suprà vidimus, docent meliores esse promissiones Testamenti noui, quàm veteris. Secundò, repugnat primæ institutioni Circuncisionis. Nam primùm imperata est ipsi Abrahæ, & ei primò facta est promissio: ipse autem iustissimus erat ante Circuncisionem, vt patet ex Genes. capit. 12. & sequentibus, ex Paulo Rom. 4. Non ergo promissio erat de remissione peccatorum. Tertiò, repugnat isti ipsi capiti 17. Geneseos; vbi solùm legimus, Deum promisisse Abraham, quando illi iniūxit Circuncisionem, propagationem posteritatis, & terram Palæstinæ: *Ponam*, inquit, *fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* & Paulò post: *Ego sum, & ponam pactum meum tecum, eritque pater multarum gentiū.* Et infrà: *Daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaam.* Et hoc idem docet Apostolus Rom. 4. Verum quidem est, promissionem hanc terrenam figuram fuisse promissionis spiritualis, & cœlestis, quæ danda erat iis, qui non carne, sed corde circunciderentur: & hoc etiam intelligebant Patriarchæ, & Prophetæ, & alij viri perfecti illius temporis, vt dicit Apostolus Hebr. 11. & Tobias senior. Iob. 2. &. 13. tamen ad literam, promissio terrena erat annexa carnali Circuncisioni, & hæc sola ad vetus Testamentum pertinebat; & contrarium asserere, quod facit Caluinus, nihil est aliud, quàm ex lege Euangelium facere, & omnia confundere.

AD probationem Caluini ex illo; *Ero Deus tuus*, Respondeo, his verbis non significari promissionem vitæ æternæ, vel remissionis peccatorum, sed tantùm, vt exponit Chrysost. in comment. huius loci, promissionem cuiusdam peculiaris protectionis, qualis debetur populo peculiari, qualis fuit Israëliticus, vt in Deuteronomio passim repetitur. Hoc autem modo Deus non tantùm erat Deus bonorum, sed etiam malorum, modò essent de populo. Sed illa verba non significant promissionem remissionis peccatorum illa verba; alioqui Deus nō fuisset Deus, nisi iustorum. Adde, quòd ista verba non tam sonant promissionem Dei, quàm obligationem populi. Idem enim est: *Ero Deus tuus & seminis tui*, ac si dixisset: Non habebitis alium Deum quàm me, iuxta illud Hierem. 24. *Ego ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populū.* Et illud Gen. 29. *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad manducandum, erit mihi Dominus in Deum.*

At, inquit Caluinus, *Deus non est mortuorum Deus, sed viuentium, vt Christus ait: Ergo, Ero Deus tuus, significat promissionem vitæ æternæ.* Respondeo; Christi verba nihil aliud significare, nisi Deum nō esse Deū eorum, qui non sunt, sed eorū, qui sunt, siue sint boni, siue mali, siue beati, siue dānati. Nam probare volebat contra errorem Sadducæorū, animas mortuorū hominum esse immortales, & ideò non extingui cum corpore, sed reuera permanere, & viuere: id verò probauit optimè ex verbis Dei ad Mosem Exod. 4. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Cùm enim illi iam mortui essent, quantū ad corpus, nisi viuerēt, quātū ad animā, non diceretur Deus esse Deus eorū: nō. n. Deus est Deus eorū, qui nihil sunt.

Ad illud ex epistol. ad Ephesios respondeo, Gentiles fuisse sine Deo, sine Christo, sine spe, & sine promissionibus, non quia carebant Circuncisione, sed quia carebant vera fide, & notitia veri Dei, & idola pro Deo colebant. Alioqui enim etiam inter Gentiles, qui Deum verum agnoscebant, vt olim Iob, & postea Cornelius Centurio, & alij nonnulli, non erunt sine Deo, sine Christo, & sine spe, etiamsi circuncisi non essent.

ARGVMENTVM Secundum sumitur ex Leui. cap 4. 5. & 6. vbi sic legimus: *Anima quæ peccauerit, & contempto Domino, negauerit Proximo suo depositum, quod fidei eius creditū fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, siue rem perditā inuenerit, & infitians etiā peieruauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, conuicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam insuper partem domino, cui damnū intulerat: pro peccato autē suo offeret arietem immaculatū de grege, & dabit eū Sacerdoti iuxta æstimationē mensurámque delicti, qui rogabit pro eo coràm Domino, & dimittetur ei pro singulis, quæ faciendo peccauit.* Hīc apertè videmus promitti remissionem cuiuscunque peccati, etiam periurij, quod inter grauissima numeratur, offerenti sacrificium. Et confirmatur argumentum. Nam si hæc cæremonia à Deo instituta, cum tam insigni promissione remissionis peccatorum non iustificat, ineptè Catholici colligunt ex epist. Iacobi cap. 5. Extremam vnctionem iustificare. Nam eodem modo loquitur Iacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

RESPONDEO; Sacrificia vetera valuisse ad expiationē peccati, quoad pœnā tēporalē, & quoad immūditiam legalem, non quoad culpam, & pœnam gehennæ, nisi quatenus signa quædam erant protestantia fidem in Christum, vt docent communiter Theologi in 4. sent. dist. 1. & S. Thomas in 1.2 quæst. 103. art. 2. & Alfonsus Tostatus in caput primum Leuit. quæst. 19.

POTEST autē id probari multis modis. Primò, quia Scriptura non instituit sacrificia pro omnibus peccatis, sed solùm pro peccatis ignorantiæ præsertim contra cæremonias legis, vt patet Leuit. 4. & 5. & etiam pro peccatis circa damnum proximi, in rebus externis, & pro periurio ex cupiditate habendi res alienas prolato, vt patet Leuit. 6. Pro aliis peccatis grauioribus, vt pro blasphemia, homicidio, adulterio, idololatria, nullum inuenitur sacrificium. Neque obstat quod leuit. 6. dicitur, sacrificio arietis expiari omne id peccatum, quo peccare solēt homines. Nam loquitur de omni peccato circa ablationem rei alienæ, non de omni peccato simpliciter, alioqui quī frustrà capitibus superioribus ponerentur varia sacrificia pro variis peccatis? Igitur si sacrificia non expiabant omnia peccata, sed solùm quædam, sine dubio non expiabant quoad culpam, sed solùm quoad pœnam temporalem, vel immunditiam legalem. Nam Deus nunquam remittit vnum peccatum quoad culpam & pœnam æternam, quin remittat omnia; & hinc etiam apparet differentia inter promissiones istas veteris Testamēti, & promissiones Sacramenti Extremæ vnctionis. Iacobus enim absolutè de omnibus dicit: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

SECVNDO id probatur, quia sacrificia vetera, vt notat S. Thomas loco citato, non placebant Deo ex se, sed ex deuotione & obedientia offerentium; vt patet. Quia prouerb. 15. victimæ impiorū dicūtur abominabiles Domino; Eccles. 34. *Dona iniquorū non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorū.* Isaiæ. 1. vbi Dominus dixerat, se nolle sacrificia Israëlitarū, subiūgit: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Malach. 2. dicit Deus malis Sacerdotibus, *Maledicā benedictionibus vestris.* Et 1. Reg. 15. *Nūquid vult Deus sacrificium, & non potiùs, vt obediatur voci Domini?* Denique Genes. 4. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain & ad munera eius non respexit.* Vnde Gregorius lib. 22. moralium cap. 2. *Iram Iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis.* Et infrà: *Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt.* Hinc ergo colligimus, sacrificia nō valuisse ad expiationē peccati. Nam vel qui offerri iubebat,

iustus erat,vel iniustus: si iustus, non egebat remissione peccatorum: si iniustus,nihil valebat eius sacrificium, vt iam ostendimus.

DICES, valere poterat iniusto ex merito Sacerdotis offerentis. At non possunt merita vnius conferre alteri primam gratiam certò & infallibiliter. Hic autem ponitur promissio absoluta de remissione peccatorum; ergo oportet intelligere de remissione, quoad pœnam temporalem tantùm.

TERTIO, Ezechielis cap.18.cùm de remissione peccatorum agitur, nusquam fit mentio sacrificiorum. Immò Prophetæ cæteri,& Paulus,disertè docent, non posse sacrificiis expiari culpas animorum. Ne igitur Scripturæ inter se pugnent, cogimur fateri, in Leuitico non agi, nisi de explicatione legalis immunditiæ, vel remissione temporalis pœnæ.

ARGVMENTVM Tertium sumitur ex 1. Cor.10.vbi Apostolus loquens de manna Hebræorum, & de aqua scaturiente ex petra,sic ait: *Eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt.* Hoc argumentum magni facit Caluinus lib. 4. institut. cap.14.§.23.*Nihilo splẽdidiùs de illis*, inquit, *loquitur Apostolus,quàm de his,cùm docet,Patres eandem nobiscum escam spiritualem manducasse, & escam illam Christum interpretatur. Quis inane ausit facere signum illud,quod veram Christi communionem Iudæis exhibebat?* Et infrà: *Ergo*, inquit, *primùm in sacramentis pares nobis facit, nec vllam prærogatiuæ particulam nobis relinquit.* Idem argumentum vrgent,Petrus martyr in comment.1.Corinth.10. & Kemnitius in 2.Par.Exam.pag.67.

PORRO argumentum hoc quatuor habet difficultates.Nam Primò,vrgent particulam *(Eandem)* Si enim eandem escam Iudæi veteres manducauerunt in manna, quàm nos in Eucharistia, certè ciusdem erunt virtutis manna & Eucharistia.Secundò,vrgent particulam (*Spiritualem*) Si enim esca illa,& ille potus, spiritualia erant, certè spiritualem effectum habebant,proinde non erant nuda signa corporalia. Tertiò, vrgent statum causæ. Nam(vt ipsi dicunt) Apostolus volebat admonere Christianos, ne nimium confiderent in perceptione Sacramentorum, & vt non crederent, sibi esse omnia salua, quia Baptismum & Eucharistiam perciperent,nisi etiam perseuerarent in bonis operibus:id verò Apostolus facit exemplis antiquorum, quibus parùm profuerunt similia Sacramenta, cùm non abstinuerint se à peccatis. Oportet igitur Sacramenta illorum & nostra eiusdem esse dignitatis & efficaciæ,si Pauli argumentum aliquid valere debet. Quartò,cõfirmant ex Augustino,qui de isto loco Pauli disputans tractat.26.in Ioannem,dicit,Sacramenta Iudæorum & nostra fuisse in signis diuersa; in re quæ significatur, paria;diuersa specie visibili, paria virtute spirituali.

RESPONDEO;Caluinum & Kemnitium secũ apertissimè pugnare. Nam imprimis Caluinus & Kemnitius loco notato volunt, manna & aquam de petra scaturientem, immò & transitum maris rubri, Sacramenta fuisse apud Iudæos, & Sacramenta iustificantia, vt apud nos Baptismus & Eucharistia. At ipsi idem suprà negarunt, ista esse Sacramenta. Nam Caluinus lib.4.Instit.cap.14. §.19.dicit, Sacramenta de quibus agimus, esse cæremonias ordinarias, non aliquid quod semel aut iterum factum est,& Kemnitius in Exam.2.par. pag. 41. posuit in definitione sacramenti, vt sit cæremonia quæ duret, quandiu religio durat. Constat autem, tales non fuisse, manna,aquam de petra, & transitum maris:illa enim nec cæremoniæ fuerunt, nec nisi ad breue tempus durarunt. Deinde Caluinus hoc loco dicit, ita esse paria Sacramenta vetera nostris,vt nulla prærogatiuæ particula nostris relinquatur; & tamen suprà eodem ca.14,§.22.dixerat,nostra esse excellentiora,eò quòd vberiorem gratiam conferant, Porrò Kemnitius in alia re grauiore secum pugnat. Nam hoc loco admittit cum Caluino, Eucharistiam nihilo esse præstantiorem, quàm fuerit manna Iudæorum;& non aduertit Caluinum ista argumenta proferre ad probandum,in Eucharistia non esse corpus Domini,nisi tropicè,quomodo fuit in manna,cuius contrarium docent Lutherani,& ipse Kemnitius in hac ipsa 2. par.Examinis,pag.332.

SED his omissis, ad Primam partem argumenti respondeo;cùm scriptura dicit: *Eandem escam manducauerunt*,non velle dicere, eandem esse escam nostram & illorum, sed eandem illorum omnium: est enim sensus, Omnes Iudæi eandem escam manducauerunt, & tamen non omnes placuerunt Deo.Id quod probatur:nam Primò, illa non erant sacramenta, nostra sunt Sacramenta, vt iam ostendimus. Secundò illa erant communia etiam bestiis: nam etiam bestiæ biberunt aqua scaturiente ex petra,& transierunt mare rubrum; & canes & galinæ & similia animantia domestica,manna in cibum sumpserunt:& id non casu aliquo,aut malitia alicuius, quomodo etiam fieri posset, vt signa Eucharistiæ à bestiis vorarentur,sed ex instituto & voluntate Dei. Deus enim aquam de petra eduxit, vt biberent homines & iumenta: & mare aperuit,& pluit manna vt transirent & viuerent homines & iumenta.Tertiò quia nulla legitur promissio facta comedenti manna,aut bibenti aquam illam, aut transeunti per mare rubrum: nostra autem Sacramenta habent amplissimas promissiones. Hîc planè in angustias rediguntur.

PETRVS Martyr in commentar.1. Cotinth.10. conatur extricare se; & postquam petiit, vbinam sint promissiones annexæ mari rubro & mannæ, ita respondet: *Existimo ea esse, quæ in Exodo & in numeris legimus. In Exodo quippe admonebantur, vt attenderent visuri magnalia Dei.Idémque inuenies de manna scriptũ,si omnia diligenter percurreris.*Hæc ille. At ista testimonia sunt inopiæ & miseriæ aduersariorũ. Si enim aliquid haberent,notarẽt locũ Scripturæ,non nobis iniungerẽt,vt queramus. Porrò diligenter quæsiui,& nõ inueni,nisi has promissiones. Exod.14.filiis Israël trãsituris mare rubrũ, dicitur à Mose:*State,& videte magnalia Dei, Aegyptios enim,quos nũc videtis,non videbitis vltra in sempiternũ, Dominus pugnabit pro vobis,& vos tacebitis.*Hæc autẽ promissio temporalis est,& cõtinuò impleta occisis in mari rubro Ægyptiis, vt ibidẽ legimus.Rursus Exod.16.exhibetur manna populo,& coturnices, nec vlla promissio additur, nisi illa dicatur promissio:*Vesperè comedetis carnes,& manè saturabimini panibus.*Deniq; Exod.17.& Nume.20.educitur aqua de petra;sed nulla est ibi promissio,nisi ista:*Cũ eduxeris aquã de petra,bibet omnis multitudo, & iumenta eius.* Vidit Petrus Martyr,has esse terrenas promissiones; & idcirco ne penitus causa cecidisse videatur, ex istis ipsis promissionibus elicere conatur promissionem remissionis peccatorum. Vtitur autem hac ratiocinatione:extremum malorum,& radix omnium aliorum est peccatum: igitur cùm petimus ab aliquo malo liberari, quodcunque illud sit,tacito sensu petimus à peccato liberari.Igitur eodem modo, quæcunque bona Deus promittit aut exhibet,innituntur reconciliationi cum eo, & gratiæ ac fauori eius.At certè facilius esset,ex petra elicere aquam, quàm ex his locis Scripturæ elicere promissionem reconciliationis.Nam etiam si peccatum Adæ fuit occasio omnium malorum, tamen non sunt ita connexæ afflictiones huius vitæ cum peccatis, vt non possint esse separatæ. Sæpe enim peccant homines, & tamen non puniuntur in hac vita: sæpe non peccant, & affliguntur, vt patet de S.Iob,& Tobia,& aliis,qui non propter peccata, sed ad exercitium virtutis affligebantur. Et contrà in rebus bonis, sæpe Deus dat affluentiam rerum temporalium iis, quibus non est daturus gratiam suam,

& vitam æternam, vel vt remuneret eorum bona opera moralia, vel aliis de causis,& non dat bona temporalia iis, quibus daturus est vitam æternam, vt patet Luc.16. exemplo diuitis & mendici, & in scripturis passim de Nabuchodonosor,de Cyro,& aliis, quibus Deus subiecit orbem terræ, cùm tamen eius amici nunquam fuerint. Vide Augustinum lib.5. de ciuit. Dei,cap.12. & 15. Itaque errat Martyr apertissimè,cùm dicit,quælibet bona quæ Deus dat, inniti recõciliationi cum Deo,& gratiæ ipsius. Nec sequitur, Deus promisit populo Iudæorum victoriam de hostibus,vel abundantiam cibi & potus, ergo promisit remissionem peccatorum & vitam æternam.Vide Basilium.lib.de Spiritu sancto,cap.14.vbi probat,nullam fuisse spiritalem promissionem in transitu maris rubri, mannæ,æquæ,&c.ac dicit,eos vniuersam Euangelicam dispensationem extenuare, qui signa illa nostris æquant: *Quæ*,inquit,*peccatorum remissio, quæ vitæ renouatio in mariẽ quod donum spirituale datum est per Mosem? quæ illic peccati mortificatio?*

AD Secundam partem argumenti dico, Manna & aquam de petra scaturientem vocari cibum & potum spiritualem, non propter effectum, sed propter causam & propter significationem. Propter causam quidẽ quia vtrunque productum erat per miraculum opera Angelorum,vt indicant hoc loco Chrysost.& Theophyl.Vnde Psal.77.manna dicitur panis Angelorum:*Panem Angelorum manducauit homo.*Et certè non dicitur panis Angelorum, quia eo vescantur Angeli, sed quia eum fecerunt angeli.Et de aqua explicat idem Apostolus,cur diceretur potus spiritualis:*Bibebant*,inquit,*de spirituali cõsequente eos petra,petra autẽ erat Christus.*Vbi non ipsam aquam quam habebant, vocat spiritualem, sed petram, quæ erat causa illius aquæ: & monet veram causam illius aquæ non fuisse petram corporalem & visibilem, quæ fixa humi iacebat, sed quandam aliam inuisibilem petram,id est, Christi Dei prouidentiam, quæ eos nunquam deserebat.Quare cùm dicit Apostolus:*Bibebant de spirituali petra*, non est sensus (vt putat Caluinus) quòd biberent spiritualem petram,id est,Christum, sed quòd biberent aquam ex petra spirituali, id est, Christo, tanquam ex causa efficiente profluentem. Quocirca non comparat Apostolus aquam cum Christo, sed petram, quæ erat causa aquæ. Confirmatur hæc tota expositio ex Io.6. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto,& mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in aternum.* Vbi Dominus apertissimè docet,non fuisse mãna Iudæorum cibum spiritualem, quoad effectum,vt est Eucharistia:qui enim manna manducarunt,mortui sunt.

RESPONDENT, Caluinus lib.4.Instirut.cap.14.§. 25.& Martyr loco citato,Christum se accõmodasse crassæ Iudæorum opinioni, qui mãna nihil aliud,nisi cibum ventris esse cogitabant. Itaque Christum non asseruisse, se daturum meliorem cibum, quàm fuerat manna reuera,sed quàm fuerat manna secundum crassam Iudæorũ opinionem. At contra. Nam vel Iudæi rectè sentiebant manna fuisse cibum corporalem tantùm, vel non rectè: si rectè,igitur nostra Eucharistia est longè melior, cùm sit cibus spiritualis:si non rectè, igitur Dominus approbauit illorum errorem, & non syncerè, immò nec verè loquutus est. Siquidem etiam ipse asserit, cibum illum fuisse corporalem tantùm,cùm ait: *Patres vestri manducauerũt manna,& mortui sunt.*& clariùs paulò antè:nam cùm gloriarentur patres suos manducasse manna in deserto,& hunc panem quasi cœlestem iactarent,Christus dixit:*Non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panẽ de cœlo verum*,id est (vt rectè exponit Cyrillus lib.3 in Ioannẽ cap.34.& Chrysostomus homil.44. in Ioannẽ) manna nõ erat reuera panis cœlestis,sed terrenus,licet de cœlo,id est,ex aëre descenderit, panis autem verè cœlestis est iste, quem nunc Pater dat vobis.

ADDE quòd Chrysostomus homil. 45. in Ioannem nobiscũ sentit:*Animaduerte*, inquit,*quam faciat huius panis & mannæ differentiam, ab vtriusque scilicet fine; quod enim manna nihil magnũ præberet,addit; Patres nostri manducauerunt,*&c.Item Cyrillus lib.4. in Ioãnem,cap.11.de manna Iudæorum,ita Christum loquentem inducit:*Ego sum panis viuus;ille figura,imago,vmbráque solũmodo fuit.*

AD Tertiam partem argumenti respondeo, scopum Apostoli non esse ostendere,non esse nimium confidendum in Sacramentis,sed potiùs non esse abutendum Sacramentis.Nam si vellet ostendere,non esse nimium cõfidendum in Sacramẽtis ídque exemplo Iudæorum,accepisset in exemplum vera Sacramenta Iudæorum, vt Circũcisionem,& agnum Paschalem, & similia. Ipse autem accepit alia quædam, quæ sunt quidem figuræ Sacramentorum nostrorum, non tamen sunt ipsa Sacramenta,vt suprà ostendimus.Præterea id patet ex ipso cõtextu.Nam cap.8.hortabatur Christianos, ne manducarent idolothyta;ne eo modo offenderent infirmos:deinde cap.9.ostendit exemplo suo, oportere non offendere infirmos;tum cap.10. redit ad quæstionem de idolothytis,& probat, non esse ea comedenda, quia nimis turpe sit à mensa Domini transire ad mensam dæmoniorum;id enim est signum magnæ ingratitudinis in Christum, & magnæ irreuerentiæ erga Sacramenta ipsius.Ad hoc igitur ostendendum profert exempla Iudæorum. Proinde non requiritur (vt vult Caluinus) vt parem vim tribuamus mari rubro & Baptismo,mannæ & Eucharistiæ. Nã quòd sunt illa inferiora,eò argumentum Pauli est fortius. Si enim Iudæi puniti sunt, quòd contempserint figuras Sacramẽtorum nostrorum,& ingrati fuerint Deo, à quo illa beneficia acceperant; quantò iustiùs puniendi sunt Christiani qui contemnunt Sacramenta ipsa, & ingrati sunt Deo,à quo acceperunt beneficia longè maiora?

AD Quartam partem argumenti respondeo, S. Augustinum nusquam dicere, Sacramenta nostra & vetera esse paria,quoad efficaciam,sed tantùm quoad significationem,seu rem significatam,quia nimirũ eundem Christum omnia significant. Vide Augustinum non solùm tract.26.& 41.in Ioannem,quæ loca aduersarij citant;sed etiam in Psal.72.& 77.& tractat.11. in Ioannem, & homil.27.ex lib.50. homiliarum:vbique enim hoc repetit, diuersa fuisse signa,sed vnã rem significatã, id est, Christum.Illa autem verba,quæ Caluinus citat ex tract.26.in Ioannem:*Diuersa sunt specie visibili,paria virtute spiritali;* non integrè & bona fide adducta sunt. Sic enim Augustinus loquitur:*Aliud illi, aliud nos,sed specie visibili quidẽ, tamen hoc idem significante virtute spirituali:*id est,diuersa erant signa, tamen quoad vim spiritualem significandi, eadem erant,quia idem significabant:quod clariùs paulò antè dixerat his verbis: *In signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt.* Nec poterat Augustinus vllo modo dicere,quod ei Caluinus tribuit, Sacramenta vetera nostris æqualia esse quoad efficaciam, cùm in Psal. 72.dixerit nostra esse salubriora & feliciora; & libr.19. contra Faustum capit.13.nostra dixerit esse virtute maiora,vtilitate meliora.

VNVM est hîc obseruandum,Augustini expositionẽ, qui per eandem escam spiritualem 1.Corinth.10.intelligit significari,cadẽ esse Sacramenta vetera & nota,quoad vim significandi, & inde illam escam dictam esse spiritualem,non esse quidem contra nos vt iam ostẽdimus; tamen non esse necessariò sequendam. Nam si per escam spiritualem intelligeremus escam spiritualiter intellectam, vt vult Augustinus, tunc soli iusti eam manducassent.Id quod fatetur Augustinus, & ideò notat Paulum dixisse: *Patres nostri eandem escam spiritualem manducauerunt*,non autem Patres vestri:quia loquebatur solùm de iustis,qui sunt nobis similes.Christũ autem Ioã. 6.dixisse:*Patres vestri manducauerunt manna*,non Patres

nostri quia loquebatur Dominus de malis Iudæis, qui non manducauerunt illam escam spiritualiter. At hoc repugnat Apostoli verbis, qui ait: *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducarunt*: & per, *Omnes*, intelligit non omnes iustos tantùm, sed omnes absolutè tam bonos, quàm malos, qui in deserto illo fuerunt. Nam subiungit: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*: & paulò antè dixerat: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt*. At certè non tantùm boni, sed etiam mali sub nube fuerunt, & mali transierunt. Verior igitur est Chrysostomi & Cyrilli expositio, & aliorum interpretum, quos suprà sequuti sumus. Nec mirum esse debet, si anteponimus in huius loci explicatione Chrysostomum Augustino. Nam ille scripsit commentaria ex professo in epistolam hanc B. Pauli; hic autem obiter explicuit hunc locum in commentariis in Ioannem.

ARGVMENTVM Quartũ sumit Kemnitius ex Paulo Colos. 2. *Circuncisi estis Circunci sione non manu facta, in expoliatione corporis carnis. Paulus*, inquit Kemnitius pag. 66. *permutatis vocabulis Circuncisionis & Baptismi, significat nos, qui in nouo Testamento per Baptismum habemus expoliationem corporis peccatorum carnis, accepisse, & habere idem, quod circuncisi in veteri Testamento per Circuncisionem acceperunt.*

RESPONDEO, hoc argumentum nihil concludere. Nam etiamsi Paulus Baptismum vocat Circunci sionem, quia Circuncisio fuit figura Baptismi; tamen non inde sequitur, eundem fuisse effectum vtriusque, immò sequitur, non esse eundem, cùm nõ possit esse vis eadem figuræ, & rei figuratæ. Vnde idem Apostolus Circuncisionem Iudaicã vocat manu factam, nostram autem negat esse manu factam, quia qui principaliter baptizat, Deus est, non homo. Neque tribuit Paulus effectum Circuncisionis Baptismo. Nam expoliare à corpore peccatorum, id est, à toto corpore obnoxio peccatis, & reddere hominẽ plenè spiritualẽ, tribuit Paulus soli Circuncisioni Christianæ, id est, Baptismo. Circũcisio enim Iudaica nõ totum corpus, sed vnã particulam circuncidebat.

ARGVMENTVM Quintum est Kemnitij, pag. 67. ex Paulo ad Hebr. 13. *Christus* IESVS *heri, & hodie, ipse & in secula.*

RESPONDEO, argumentum si quid concludit, tantùm concludere, Sacramenta vetera idem significare, quod nostra significant, nimirum Christum, qui erat in Testamento veteri latens in figuris; & vaticiniis. At ne hoc quidem concludit. Nam Apostolus loquitur de fide, & doctrina, non de Sacramentis: vult enim credi, Christum esse æternum, non temporalem, vt somniabant hæretici.

CAPVT XVIII.

De Charactere.

SEQVITVR Tertia *quæstio de effectu Sacramentorum*, quæ est de charactere: an scilicet Sacramenta aliqua imprimant in anima indelebilem characterem. Tria dicemus. Primò, quid aduersarij sentiant de charactere. Secundò, quæ sit sententia ac doctrina Catholicorum de charactere. Tertiò, demonstrabimus ex Scriptura, Patribus, & rationibus hanc veritatẽ: ex quibus argumenta aduersariorum euanescent.

QVOAD Primũ, Ioan. Vviclefus lib. 4. Trialogi, cap. 15. (teste Thoma Vvaldensi tomo 2. de Sacramentis, cap. 109.) characterem Sacramentalem affirmat nec Scriptura, nec ratione posse probari. Idem hoc tempore docẽt omnes hæretici, ac inprimis Ioãnes Caluinus in antidoto Concilij, sess. 7. can. 9. & Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 129. & seq. & Tilmannus Heshusius in lib. de erroribus Pontificiorum tit. 15.

ARGVMENTA sunt tria, quibus vtitur Kemnitius. Primùm, quòd in Scripturis, & Patribus de charactere

A

isto mirum silentium sit. Quod argumentum etiam Caluini est, & ex his, quæ dicemus, per seipsum corruet.

SECVNDVM est, quòd inter ipsos etiam Scholasticos nihil sit certum, id quod ex Gabriele probat. Et hoc etiam argumentum paulò post euanescet.

TERTIVM, quòd primus auctor, siue excogitator characteris fuerit Innocentius III. Papa; qui multa mala partim decreuit, partim etiam fecit, ac inter alia Othonem Imperatorem creari curauit, ac postea eundem excommunicauit, ac deposuit. In quo argumento duo sunt mendacia. Vnum, quòd Innocentius III. excogitauerit primus characterem; quod mendacium est. Nam idem Innocentius cap. Maiores, extra de Baptismo, refert opinionem quorundam dicentium, eos qui inuiti baptizantur, recipere tantùm characterem, vt illi qui baptizantur ficti. Non ergo ipse primus excogitauit characterem. Alterum, quòd idem Pontifex malus fuerit: fuit enim vnus ex laudatissimis Pontificibus. Nam vt omittam opera eius, libros de contemptu mundi, sermones, & epistolas, quæ pietatem spirant: laudatur ab omnibus historicis, vt optimus, & doctissimus. Ac vt omittam Italicos, Blondum, Platinam, & alios, solùm audiamus testimonium duorum Germanorum.

B

ALBERTVS Krantius homo Germanus, & qui ante Lutheranas contentiones scripsit, proinde nec odio, nec amore ducebatur, lib. 9. Metropolis, c. 1. *Laudabilia*, inquit, *multa scripsit, multa constituit*, & lib. 12. ca. 2. *Præfuit*, inquit, *Innocentius III. Pontifex, cui parem multa doctrina, rerum magnificentia ætas illa non habuit.* Idẽ lib. 7. Saxoniæ, cap. 37. scribit, Othonem Imperatorem rebellem Ecclesiæ fuisse, & ideò nihil ei prosperum successisse, & tamẽ in morte summum dolorem, & cõtritionem ob id peccatum habuisse, adeò, vt etiam iuberet ab infimis famulis domus suæ in signum pœnitentiæ collum sibi pedibus conculcari: quæ certè pœnitentia non Papam, sed Imperatorem errasse docet.

C

ABBAS Vrspergensis item Germanus, & qui tempore Innocentij vixit, & non bene erga eum affectus fuit, quòd studeret Philippo Imperatori, cui Papa aduersabatur, & denique quem solum Kemnitius citat contra Innocentium: iste, inquam, auctor rectissimè de illo sensit. Nam vbi scribit de Philippo Imperatore, dicit, non esse credendum, quòd Papa voluntatem suam Deo præferre voluerit, licet Philippo aduersaretur, quod est dicere, Papam non malo animo, sed ex aliqua falsa informatione non fauisse Philippo. Et infrà loquens de excommunicatione Othonis dicit, Othonem contra iuramentum Domino Papæ factum, inuasisse hostiliter, & sibi vsurpare voluisse terras S. Petri. Item addit Papam pro bono pacis omnes iniurias tolerare voluisse, & tamen ne sic quidem potuisse flecti Othonis obstinationem. Ibidem dicit Papam vt fortem virum, & in Domino cõfidentẽ tria ardua negotia peregisse, nimirũ Othonis depositionem, expeditionẽ pro auxilio terræ sanctæ, & concilium generale maximũ, & Ecclesiæ vtilissimum.

D

CAPVT XIX.

De Charactere sententia Catholicorum.

QVANTVM ad Secundum, sententiam Catholicorum aliquot propositionibus complectemur: quibus comprehendam solutiones omnium quæstionum, quas Kemnitius attingit, & de quibus dicit nihil esse certum.

PRIMA: *Signum aliquod spirituale animæ imprimitur in quibusdam Sacramentis, quod character appellatur.* Hæc est omnium Catholicorum in 4. d. 6. & habetur expressè *in conciliis generalibus*, Florentin. *in Instructione* Armenorum, & Triden. sess. 7. can. 9. Est autem notandum, Theologos aliquos, vt Durandum in 4. d. 4. q. 1. & Scotum d. 6. q. 9. & Gabrielem ibidem q. 2. admittere quidem characterem, sed quædam docere, quæ

viden

videntur facere pro Kemnitio. Primò Durandus dicit characterem non esse aliquid reale distinctum ab anima, sed esse solùm respectum rationis: tamen ibidem dicit, characterem non esse debere negari, & hoc omnes Theologos dicere. igitur Durandi dubitatio non est de charactere an sit, sed quid sit. Porrò cæteri omnes fatentur characterem esse aliquid reale distinctum ab anima. Scotus dubitat de ratione probandi characterem, ac dicit non posse probari ex aliquo manifesto Scripturæ testimonio, vel etiam ex Patribus: tamen ob Ecclesiæ auctoritatem non dubitat esse certissimum, dari characterem. Gabriel dubitat etiam, an Ecclesia id definierit, tamen dicit, esse præsumptuosum negare characterem: his enim verbis vtitur in fine primi dubij. Cæteri omnes non solùm Ecclesiæ auctoritate, sed etiam Scripturis, & Patribus, docent characterem probari posse. Nulla ergo fuit inter Scholasticos quæstio, nisi de modo probandi characterem.

A

NOMEN autem characteris acceperunt Scholastici ab Augustino, qui hoc nomine passim vtitur: alij enim veteres ante Augustinum, signum, aut signaculum vocant, non characterem; res tamen eadem est. Character enim Græca vox est, & formam significat, seu figuram, & habetur *in codice* Græco hoc nomen in Scripturis Heb. 1. & in codice Latino Apoc. 13. licet non de Sacramentis, sed de aliis rebus in his locis agatur.

B

SECVNDA propositio: *Character non est relatio, sed absoluta qualitas.* Hæc est communis, Scoto & Durando exceptis. Durandus loco citato, docet characterem esse ens rationis, id est, respectum aduenientem ex deputatione ad certum officium, qualis est relatio in Doctoribus, Prætoribus &c. Quæ sententia vix distinguitur ab hæresi huius temporis, & videtur expresè damnata in Conciliis: quæ si Durandus videre potuisset, sine dubio aliter docuisset. Hæretici enim non negant, neque negare possunt, quin sit aliqua relatio rationis in ministris, quæ non est in aliis, qui non sunt deputati ad ministrãdum. Proinde Concilium Tridentinum cùm dicit anathema negantibus characterem, & intendit errorem aliquem damnare, sine dubio damnat eos, qui negant realem characterem. Scotus vult esse realem relationem: sed certè vix id defendi potest. Nam character omnium consensu producitur per actionem sacramentalem: relationes autem non producuntur, sed consurgunt ad productionem fundamenti proximi. Præterea quod esset fundamentum huius relationis? num anima? at tunc in omnibus hominibus esset character. Num fides, aut gratia? at sine his character esse potest. Scio Scotum quoddam genus relationis constituere, ad quod actio esse possit. Sed non est mihi propositum ista latiùs disputare, neque desunt, qui sententiam illam Scoti accuratè refutauerint. Certè nomen ipsum characteris, nónne aliud quàm relationem significat? Denique modus loquendi Patrum, qui dicunt characterem inprimi, & infigi, eóq; nos consecrari, & consignari, absolutam rem nominant. Est igitur character qualitas absoluta, ex qua tamen consurgit relatio similitudinis ad Christum, cui configuramur per characterem.

C

TERTIA propositio: *Character tria habet officia, aptũ facere ad cultum diuinum, configurare Christo, & distinguere ab aliis.* Explico: Primum officium est aptum facere. Est enim character potestas quædam spiritualis & supernaturalis, partim actiua, partim passiua. Nam tria sola sacramenta imprimunt characterem, Baptismus, Confirmatio, Ordo. Character Baptismatis est passiua potestas: facit enim hominem aptum ad suscipienda omnia alia Sacramenta, & sine ipso nulla Sacramentorum aliorum susceptio est rata. Character Ordinis est actiua potestas ad ministranda aliis Sacramenta. Character Confirmationis habet vtrumq; : nam & facit aptum ad alia Sacramenta suscipienda, & facit etiam aptum ad profitendam fidem. Videtur tamen magis principaliter esse actiuus, quàm passiuus, character iste Confirmationis. Nam sine isto charactere tenent reliqua sacramenta, quod non esset, si iste character esset principaliter passiuus, sicut character Baptismi. Est tamen hîc Notandum, istam; porentiam non videri Physicam, sed moralem. Non enim character attingit effectum, sed tantùm operari dicitur, quia vbicunque est talis character, Deus ex pacto adest, & concurrit ad effectum supernaturalem producendum, quod non facit, vbi non est talis character.

D

SECVNDVM officium oritur ex primo. Quia enim ista potentia deriuatur à Christo, & est quædam quasi participatio potestatis Christi, qui *vt* summus Sacerdos habet omnem potestatem in Sacramentis, ideò character configurat nos Christo, & similiores illi facit, quàm sint alij, qui non habent characterem.

TERTIVM officium oritur ex secundo. Quia enim, per characterem Christo configuramur speciali quadam ratione, inde fit vt distinguantur isti ab aliis, vt sacerdotes à laicis, & laici confirmati à non confirmatis, & baptizati à non baptizatis. Atq; hinc intelligitur, cur Theologi dicant, characterem esse sacramentum, & rem sacramenti, cùm signum externum sit Sacramentum tantùm, gratia autem sit res tantùm. Nam character est effectus Sacramenti sensibilis, & sic dicitur res: & simul est signum, quòd homo sit consecratus Deo, & Christi miles, &c. immò etiam gratiæ, quæ vel adest, vel adesset, nisi poneretur obex.

QVARTA propositio: *Character Sacramentalis in sola anima est, tanquam in subiecto.* Nota conuenire omnes, characterem esse in anima inhæsiuè. Accidens enim non inhæret in accidente, sed in substantia: tamen potest accidens vnũ esse in alio duobus modis. Primò, quia mediante illo est in substantia, quomodo accidentia corporalia sunt in quantitate. Secundò, quia perficit operationem alicuius alterius accidentis, quomodo fides dicitur esse in intellectu, spes & charitas in voluntate. Hoc modo characterem aliqui ponunt in intellectu, vt necessariũ ad exercendos actus intellectus, Alij ponunt in voluntate, quia putant disponere ad charitatẽ, quæ est in voluntate. Alij ponunt simpliciter in substãtia animæ, & hoc videtur verius, quia non est habitus, vel potentia operatiua. Vnde Concilia Florent. & Trident. dicunt, inprimi in anima.

QVINTA propositio: *Character indelebilis est.* Hęc habetur in Conciliis notatis, & ab omnibus cõceditur. Ratio à posteriori est, quia constat, Sacramenta quæ imprimunt characterẽ, non posse repeti. A priori multæ rationes adducũtur, sed potissima est, quia character nõ habet contraria, & est in subiecto incorruptibili. Non enim est sicut habitus fidei aliarúmq; virtutum, qui per actus contrarios tolluntur: vel est sicut potentia secundum quosdam, vel sicut forma, seu figura secundum alios. Accedit quòd character est quædam consecratio animæ: consecratio autem tamdiu durat, quãdiu durat res consecrata.

SEXTA propositio: *Tria solùm Sacramenta inprimunt characterem, Baptismus, Confirmatio, Ordo.* Hæc etiam habetur in Conciliis prædictis, & ab omnibus conceditur: & ratio à posteriori eadem est, quæ superioris Conclusionis. A priori difficile est, & minimè necessarium, reddere rationem. Illa potissimùm adduci solet, quòd in his tribus accipit homo nouam potestatem, ac deputatur nouo ministerio per nouam cõsecrationem, & quodam modo statum mutat, & proinde accipit nouum signaculum. Nã in baptismo transit homo à Diabolo ad Christum, & adscribitur in eius familiam, & accipit potestatem participandi Sacramenta, aliáq; bona Ecclesiæ Christi. In confirmatione adscribitur ad militiam Christi, vt gerat vexillum eius in fronte, & accipit robur, & potentiam, vt ex officio pugnet cõtra dæmones. In Sacramento

Ordinis adscribitur in numerum ducum, & præpositorum huius militiæ, & accipit potestatem distribuendi aliis bona Domini sui. In aliis Sacramentis non fit mutatio status, nec depuratur homo nouo ministerio, nec accipit nouam potestatem; sed vel aliter spiritualiter, vt in Eucharistia: vel accipit medicamentum contra morbos, & vulnera peccatorum, vt in Sacramento Pœnitentiæ: vel accipit antidotum contra reliquias peccatorum, vt in Extrema vnctione: vel denique accipit remedium contra concupiscentiam, vt in Matrimonio.

SEPTIMA propositio: *Nec Circumcisio, nec vllum Sacramentum veteris legis imprimebat characterem in anima.* Ita S. Thomas 3.p.q.63.art.1. Contrarium sentit Scotus de Circumcisione in 4.d.6.q.9.ad 1. sed verior est sententia S. Thomæ. Nam Circumcisio imprimebat in corpore characterem, & eo modo figura erat Baptismi, qui characterem in anima impressurus erat. Præterea character nobis imprimitur ad suscipienda vel ministranda opera supernaturalia: nulla autem opera Sacramentorum legis veteris erant supernaturalia. Denique Scotus, quia docuerat, Circumcisionem ex opere operato conferre gratiam, non sine caussa tribuit etiam impressionem characteris Circumcisioni. At nos, qui docemus Circumcisionem nullam vim habuisse ex se, nisi ad præcidendam carnem: debemus etiam consequenter negare vim imprimendi spiritualem characterem.

OCTAVA propositio: *Nullus in Christo character fuit creatus.* Est etiam S. Thomæ 3.p.q.63.art.5. Et ratio est, quia character est quædam participatio sacerdotij Christi, igitur solùm est in illis, qui habent hoc sacerdotium per participationem. Item signari charactere, est ouium, seruorum, militum, denique subditorum, qui recipiuntur ab aliquo maiore ad aliquod ministerium: Christus autem est Pastor, Dux, Dominus, &c. Item Christus non accepit vlla Sacramenta, ergo nec eorum characteres. Denique nos egemus charactere, vt Deus nobiscum quasi ex pacto concurrat ad actiones Sacramentales: at Christus non eget, vt vllus cum eo ex pacto concurrat, cùm sit ipse caussa principalis vt Deus, & instrumentalis coniuncta vt homo. Non enim facit vllus pactum secum, aut cum suo brachio de concursu.

CAPVT XX.

Probatur character ex Scripturis.

QVANTVM ad Tertium, probandum est ex diuinis literis, characterem esse. Vbi interim obseruandum est, non esse mirandum, si non inueniantur tot testimonia, & tam expressa de charactere, vt inueniuntur de gratia: nam gratia est effectus principalis, character secundarius: item gratia est effectus omnium sacramentorum, character aliquorum tantùm; proinde vera ratio Sacramenti potest sine charactere consistere. Denique notitia gratiæ magis necessaria est, quàm characteris. Non desunt tamen loca Scripturæ, ex quibus character colligi possit, præsertim adiuncta explicatione Patrum, & Ecclesiæ, sine qua nullum dogma Ecclesiasticum omnino certò statui potest.

PRIMVM testimonium est 2. Corint. 1. *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hîc tres effectus ponuntur regenerationis, & iustificationis, quæ fit in Baptismo. Primò vnctio, quæ sine dubio fit per gratiam gratum facientem. Vt enim oleum sanat morbos, reddit robusta membra, illustrat, consolatur, &c. ita gratia iustificans facit. Secundò est signum, seu obsignatio quædam, qua consecramur Deo, & deputamur ad eius cultum, & per hanc intelligimus characterem, quem Patres passim signũ & sigillum vocant. Tertio pignus spiritus, id est, testimonium bonæ conscientiæ, quod sequitur iustificationem, & est quasi arrhabo futuræ gloriæ. Nihil enim in hoc mundo iucundius testimonio bonæ conscientiæ: hæc est enim pax, quæ exuperat omnem sensum. Neque potest responderi per hoc signum intelligi ipsum Sacramentum externum, quo obsignantur promissiones, vt aduersarij volunt; tum quia Paulus loquitur de obsignatione cordis, non corporis, vt etiam de vnctione interna, & testimonio interno: tum etiam quia Paulus dicit nos obsignari, non promissiones. Alioqui etiam oporteret dicere inungi promissiones: nam eodem modo loquitur Paulus de signo, & de vnctione. Vide Ambr. lib.1.de Spiritu sancto, cap. 6. Haym. & Theod. in hunc locum.

SECVNDVS locus est Ephes.1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis.* Vbi Nota illud (credentes) in Græco esse temporis præteriti πιστεύσαντες, id est, postquam credidistis. Quo circa loquitur de Baptismate, quod datur post fidem; ac dicit in Baptismate dari obsignationem virtute Spiritus sancti. Et ita exponunt de signaculo, quod accipitur in Baptismo, Græci & Latini, Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, Haymo, Beda, Anselmus, & alij. Nec possumus dicere hîc agi de obsignatione promissionum ad excitandam fidem, quandoquidem hæc obsignatio datur post fidem.

TERTIVS locus est Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* vbi per *diem redemptionis*, intelligit diem regenerationis per baptismum, vt Haymo, & Oecum. annotarunt. Neque obstat particula illa, *in diem*, quia Apostolus solet vsurpare præpositionem εἰς, quæ coniungitur accusatiuo, pro præpositione ἐν, quę coniungitur datiuo apud Græcos, & ablatiuo apud Latinos: vt 2. Tim. vlt. *Saluabit me in regnum suum cœleste*, id est, in regno suo cœlesti.

HAEC omnia loca Caluinus in commentario exponit de obsignatione promissionum, quam Deus in cordibus facit, vt fides magis confirmetur. Sed repugnat modus loquendi Apostoli, qui semper dicit, nos obsignari. Esset enim nimis impropria, & inusitata loquutio, obsignari hominem, pro eo quod est, obsignari promissiones homini factas.

HIS accedant, figura & vaticinium Testamenti veteris. Nam circumcisio fuit figura Baptismi omnium consensu. Circumcisio autem non solùm præcidebat carnem, quo significabatur iustificatio à peccato, sed etiam relinquebat in corpore quoddam veluti cauterium, quo discernebantur Iudæi à non Iudæis. Quod cauterium si quid significabat, certè significabat characterem, quem in anima gerunt Christiani. Vaticinium habetur Isa. 66. vbi loquês Dominus de vocatione gentium: *Omnes gentes*, inquit, *& linguæ venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum, &c.* Quamuis enim per hoc signum possit intelligi signum crucis, aut aliquid aliud, tamen nihil repugnat, si dicamus intelligi characterem: præsertim cùm videamus Paulum loqui de signo quodam spirituali interno, & oporteat Scripturam exponere per Scripturam, cùm id fieri potest.

ALIQVI addunt aliam figuram ex Exod. 12. vbi signantur postes, & superliminaria sanguine agni; & vaticinium, Ezech. 9. *Signa Thau in frontibus gementium, & dolentium.* Sed hæc loca non sunt ad rem. Nam exponuntur à Patribus de signo crucis, quod inscribitur in frõte, & rectè: nam Ezechiel nominat frontem, & idem significat superliminare, quod est in porta domus id, quod est frons in homine. Vnde etiam Apoc. 7. vbi habetur similis obsignatio, etiam nominatur frons, donec signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et præterea in vtroque loco dicuntur seruari oẽs signati, & nulli non signati saluari: quod certè non conuenit characteri; multi enim cum charactere damnabuntur, & multi sine charactere saluabuntur. At omnes saluantur, qui signantur Christi crucis sanguine, id est, quibus applicatur meritum crucifixi, cuius figura est signum crucis; & nulli saluantur, quibus hoc meritum non applicatur. Vide de his locis Cyprianum tract. contra Demetrianum in cap. 9. Ezech. Gaudentium tract. 5. in Exod.

CAPVT XXI.

Idem probatur ex Patribus.

DIONYSIVS Areopagita lib. de Eccles. hierar. cap. 2. pag. 1. dicit Baptismum formare hominem ad alia suscipienda Sacramenta. Illam formationem vocamus nos characterem. Idem par. 3. de eo qui baptizatur, ita loquitur: *Hunc*, inquit, *diuina Maiestas in sui consortium intus admittit, eique lucem suam perinde ac signum aliquod tradit.*

CYRILLVS Hierosolymitanus in præfatione Catecheseon, describens Baptismum per effectus eius, vocat regenerationem, remissionem peccatorum, signaculum sanctum & indelebile. Item Catechesi 4. *Spiritus sanctus*, inquit, *tempore Baptismi animam tuam obsignat*: & Catechesi 16. *Hic*, inquit, *ad hodiernam vsque diem obsignat animas in Baptismo.* Vide etiam Catechesim 17.

BASILIVS orat. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum: *Deus*, inquit, *sub se militantibus dat tesseras, &c.* Et infrà: *Quomodo vendicabit te Angelus sibi, quomodo eripiet ex hostibus, si non agnouerit signaculum?* Et infrà: *Thesaurus non obsignatus facilè diripitur à furibus: ouis non signata, citra periculum insidiis appetitur*: & infrà definiens Baptismum per suos effectus, vocat signaculum inuiolabile.

GREGORIVS Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum, simili phrasi dicit, Baptismum esse sigillum, quo conseruantur fideles, & quo tanquam signo cognoscimur esse Dei possessio.

CHRYSOSTOMVS hom. 2. in epist. ad Ephes. *Porrò idem*, inquit, *charactere Spiritus sancti nos insigniuit.* Et infrà: *Signati sunt etiam Israëlitæ, sed Circumcisionis nota, vt pecora: nos autem vt filij signati sumus Spiritu sancto.* & homil. 14. nos dicit esse signatos, vt gregem Dominicum.

EPIPHANIVS hær. 8. quæ est Epicureorum, postquam dixerat, Circumcisionem fuisse carnalem abscissionem, & carnale signaculum, subiungit de Baptismo: *Circuncidit nos à peccatis, & obsignauit in nomen Dei.* & hæresi 30. vocat Baptismum signaculum Christi.

AMBROSIVS lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 6. *Spiritu*, inquit, *signamur, vt splendorem, vtque imaginem eius, & gratiam tenere possimus: quod est vtique spiritale signaculum.* Item de iis qui initiantur mysteriis, cap. 7. *Repete*, inquit, *quia accepisti signaculum spiritale.*

AVGVSTINVS lib. 6. de Baptismo, cap. 1. dicit in generali Concilio hoc approbatum: *Satis*, inquit, *eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarij Concilij auctoritate, originalis consuetudo firmata est, & ouem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ vnitatis salutem ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potiùs, quàm improbari.* Vide eundem epist. 23. 50. & 204. tract. 5. & 6. in Ioan. lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 13. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. vlt. libro 1. contra Cresconium, cap. 30. & tract. 5. in epist. Ioan. Similia vide apud Theodoretum in cap. 1. 2. ad Cor. Haymonem, Primasium, Anselmum, Theophylactum, Oecumenium in 1. & 4. ad Ephes. Damascenum lib. 4. de fide, cap. 10.

AD hæc loca solùm responderi posset, à Patribus non vocari characterem, seu signaculum id, quod nos dicimus; sed extremum symbolum. Nam Augustinus in sermone de gestis cum Emerito, tria dicit, quæ videntur valde fauere huic solutioni. Primò dicit, exteriùs characterem cognosci, & agnitum approbari. Secundò dicit, quòd si Donatus in nomine Donati baptizaretur, Donati characterem infigeret. At certè Donati character in anima infixus nullus esse potest. Tertiò dicit, characterem esse ipsam inuocationem Trinitatis, quæ fit in Baptismo: *Attende*, inquit, *fidem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Iste est character Imperatoris mei: de isto charactere militibus suis, vel potiùs comitibus suis, vt hunc imprimerent eis, quos congregabant in castris eius, præcepit, dicens: Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

RESPONDEO, characterem apud Augustinum, & alios Patres, non posse esse externum symbolum, seu Sacramentum. Nam primò Patres dicunt, hoc signaculum esse in anima, non in corpore, vt Cyrillus; vel esse spiritale, vt Ambrosius; vel opponunt cauterio Circuncisionis, quod erat in corpore, vt Epiphanius & Chrysostomus: vel denique esse quandam consecrationem, vt Augustinus lib. 2. contra epist. Parme. cap. 13. Et certè anima consecratur propriè, non corpus, iuxta illud Tertulliani lib. de resurrect. carnis: *Caro inungitur, vt anima consecretur.* Secundò dicunt, hærere, & manere, quod non conuenit symbolo externo, quod non mansit, nisi dum fieret. Augustinus lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 13. *Non minùs*, inquit, *hæsent Sacramenta Christiana, quàm nota corporalis, cùm videamus nec apostatas carere illis, quæ propterea illis respicientibus, non restituuntur, quia amitti non potuerunt.* Idémque habent alij Patres, qui dicunt esse sigillum indelebile, vt Cyrillus, Nazianzenus, & alij. Quò etiam spectant aliæ Augustini loquutiones locis citatis, vbi dicit characterem infigi, imprimi, portari, & alia, quæ non possunt quadrare in actionem transeuntem. Tertiò, si Symbolum externum diceretur à Patribus character, vel signaculum, omnia Sacramenta imprimerent characterem: omnia enim sunt externa symbola obsignantia promissionem, vt ipsi dicunt. Cur ergo nullus vnquam Patrum per Eucharistiam dixit imprimi characterem?

AD loca autem Augustini contrà allata Respondeo, characterem posse exteriùs videri, & cognosci, non in se, sed in sua caussa. Cùm enim cognoscimus aliquem ritè baptizatũ, simul cognoscemus illi infixum characterem, quia hic est effectus, qui semper, & necessariò sequitur illam caussam. Et quòd hoc satis sit, pater; nã etiam actum externum non videmus, postquam transiit; quare nec de externo symbolo Augustinus rectè dicere potuisset, illud videri, & agnosci, quando veniunt ad Ecclesiam, qui fuerant ab hæreticis baptizati.

AD illud de charactere Donati dico, Augustinum loqui ex hypothesi, non absolutè: vult enim dicere, si Donatus in nomine suo posset Sacramenta conferre, characterem suum imprimeret. Alioqui non ignorabat Augustinus, Baptismum in nomine Donati collatum, non modò non imprimere characterem in anima, sed neque esse Sacramentum externum.

AD vltimum dico, inuocationem Trinitatis, & ipsum totum externum symbolum, dici posse charactere m non impressum, sed imprimentem. Vt enim eadem imago est in sigillo, & in cera, sed imago sigilli est character imprimens, in cera est character impressus: ita Sacramentum externum, ac præcipuè forma Sacramenti est character imprimens, cùm ad eius collationem mox sequatur character in anima, & ex vi, & impressione Sacramenti sequatur.

CAPVT XXII.

Idem ostenditur ratione.

PRIMA ratio sumitur ex diuina libgralitate & consuetudine. Deus enim in hoc differt ab hominibus, quòd homines cùm hominibus iniungunt aliquod officium, non tribuunt eis aliquid internum, quo fiant apti ad illud officium; & cùm diligunt aliquem, non faciunt bonum, & pulchrum, sed diligunt, quia talis est; & cùm volunt se ab aliis diligi, aut sibi credi, aut in se sperari, non tribuunt eis vim aliquam

internam, qua diligant, sperent, aut credant. Deus autem cùm diligit, diligendo facit bonum, & pulchrum, infundendo gratiam: & cùm vult sibi credi, in se sperari, se diligi, infundit habitum fidei, spei, & charitatis. Igitur eodem modo credibile est, cùm Deus aliquem deputat & consecrat ad Sacramenta, vel danda, vel recipienda, vel alia ministeria, quòd id nō faciat per simplicē deputationem, vt homines facere solent, sed infundēdo certas qualitates, quibus illi fiant apti, & idonei ad talia officia, vel ministeria; & eas qualitates vocamus characteres.

A

Secvnda ratio. Baptismus ex communi sententia, exceptis Anabaptistis, aliquid Sacramentale confert, etiamsi detur, & percipiatur sine fide; Eucharistia, & Absolutio nihil conferunt; igitur aliquem effectum Sacramentalem habet Baptismus, præter gratiam. Et idem argumentum fieri posset de Confirmatione, & Ordine. Probatur antecedens; Nam qui baptizatur ab infidelibus, & communicat cum eis infidelitate, dicitur verè, & propriè baptizatus, si seruatus sit debitus ritus, & forma verborum cum intentione; neque id negant Lutherani & Caluinistæ: at qui absoluitur sine fide, non verè est absolutus; & qui sumit Eucharistiam sine fide, non verè communicat corpori Domini, secundum Caluinum: & secundum Catholicos sumit quidem ore verum corpus Domini, sed nihil recipit in anima, nisi peccatum. Manet igitur ex Baptismo effectus aliquis Sacramentalis, qui non est gratia, cùm gratia sine fide non detur, nec est ipsa actio exterior, quia illa reperitur etiam in Eucharistia, & Absolutione; est igitur aliquid aliud permanens in anima, & hoc vocamus characterem. Alioqui reddant aduersarij rationem, cur sine fide homo verè baptizetur, & non verè absoluatur, aut communicet corpori Domini. Et hæc fuit antiqua quæstio Donatistarum, qui non putabant Baptismum habere alium effectum, quàm dare gratiam, & ideò inanem putabant esse, cùm sine fide percipiebatur.

B

Tertia ratio. Baptismus non potest reperi, si fuerit semel ritè collatus, vt etiam Confirmatio & Ordo: cætera possunt repeti, vt notum est de Eucharistia, & Absolutione. Sed vera causa non potest assignari huius discriminis, nisi character; igitur necesse est fateri imprimi per Sacramenta quædam characterem. Maior propositio est recepta ab omnibus, etiam hæreticis huius temporis, exceptis Anabaptistis. Minor probatur; Nam, inprimis si ponatur character, perspicua erit ratio discriminis. Ideò enim quædam Sacramenta non possunt repeti, quia semel data semper manent in suo effectu: alia repetuntur, quia non manent nec in se, nec in suo effectu; gratia enim, quæ est effectus solus aliorum Sacramentorum, facilè potest amitti, & sæpe amittitur. Præterea etiamsi aliquando non amittatur, tamen augeri potest, & sic Sacramentum potest repeti, vt gratia augeatur. At character non potest augeri per iterationem Sacramenti eiusdem. Adde, quòd gratia non est Sacramentum, sed effectus Sacramenti tantùm: character autem Sacramentum est, & Sacramenti effectus. Hæc igitur ratio rectè ostendit, cur Sacramenta illa non reperantur, & alia repetantur, vt Concil. Florentinum & Tridentinum docent. Si autem hæc ratio non admittatur, nulla alia sufficiens reddi potest: quod ostendo ex refutatione earum, quæ adferuntur à Caluino, & Kemnitio.

C

Calvinvs libro 4. Instit. cap. 18. §. 19. dicit, Baptismum non posse repeti, quia est ingressus in Ecclesiam, & initiatio quædam fidei: vnde sicut vnus est Deus, in quem credimus, & vna Ecclesia, in quam ingredimur; ita vnus Baptismus.

Hæc ratio non est solida. Primò, quia qui baptizantur ab hæreticis, & eis credunt, non intrant in Ecclesiam, nec initiantur ad fidem, vt patet, cùm apud hæreticos, neque sit Ecclesia, neque fides: ergo possent isti iterum baptizari. Secundò, qui in Ecclesia Catholica baptizantur, & postea per hæresim, aut apostasiam ab illa discedunt, iterum debent, si salui esse velint, intrare in Ecclesiam, & initiari ad fidem; cur ergo non possunt iterum baptizari? Quare ratio Caluini solùm aliquid probaret, si homo baptizatus non posset exire extra Ecclesiam; nec perdere fidem; quæ tamen falsa esse constat. Tertiò, non minùs intramus in Ecclesiam, & initiamur ad fidem per verbum, quàm per Baptismum, sed verbum repeti potest, vt magis confirmemur in fide, & Ecclesiæ fortiùs adhæreamus, cur ergo non poterit etiam repeti Baptismus? Quartò, Ordinatio non est initiatio fidei, neque ingressus in Ecclesiam, & tamen repeti non potest, vt Augustinus docet lib. 1. de Baptismo, cap. 1.

D

Iam verò Kemnitius in 2. p. Exam. pag. 133. ponit vnam rationem non suo nomine, sed Gabrielis, quòd videlicet diuina institutio sit causa, cur quædam Sacramenta iterari possint, quædam non possint. At hæc ratio parùm valet: non enim sine magna ratione Deus prohiberet rem tam vtilem reperi. Qui ergo non possunt vllam causam assignare, cur Deus prohibuerit, temerè dicunt Deum prohibuisse. Vnde enim ipsi sciunt Deum id prohibuisse? nam Scripturæ id non apertè dicunt. Quòd si confugias ad Patrum, & Conciliorum traditionem; illa vtrumque simul docet, nimirum Deum id voluisse, quia Sacramenta quædam imprimunt characterem, alia non imprimunt.

Ipse autem Kemnitius, pag. 136. remittit nos ad alium locum, vbi pollicetur se ex diuinis literis solidissimas rationes redditurum. Id verò præstat postea, pag. 238 239. & 240. examinans Canonem 11. de Baptismo. Ibi autem ponit quatuor rationes, quas fatetur non esse adeò solidas, deinde alias quatuor solidissimas.

Prima igitur ex non solidis est, quia Baptismus significat Christi mortem: Christus autem semel tantùm mortuus est. Hæc non valet, nam Eucharistia etiam significat Christi mortē, 1. Cor. 11. & tamen repeti potest: & sacrificia Iudæorum significabāt omnia Christi mortem, & tamen frequentissimè repetebantur. Dicent, non esse hæc similia. Nā per Baptismum nos ipsi cōmorimur Christo: morimur enim peccato, vt ille mortuus est corporaliter. Contrà, nam vel vis rationis Kemnitij sumitur ex eo, quòd Christi mors, quæ vna fuit, per Baptismum repræsentatur, vel quia nos ipsi morimur peccato. Si primum dixerint, ratio nihil concludit, quia quod semel fit, potest sæpius repræsentari, vt patet in comœdiis, vbi repræsentantur res semel gestæ: & quantum ad hoc, per accidens est, quòd nos etiam moriamur in Baptismo. Si dicant secundum, tunc etiam ratio illa nihil concludit quia potest idem homo sæpius commori Christo; si nimirum sæpius peccet, & sæpius eum pœniteat peccatorum. Præterea Ordinatio, non est repræsentatio mortis Christi, & tamen repeti non potest. Non igitur vera causa prohibens repetitionem, est repræsentatio mortis Christi.

Secvnda ratio ex non solidis, quia Ioan. 13. dicitur: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Hæc non valet, quia loquitur de eo, qui reuera est mundus. Vnde qui post Baptisma iterum factus est immundus, non prohibetur ex hoc testimonio iterum baptizari.

Tertia ratio ex non solidis est, quia ad Hebræos 6. dicitur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, renouari iterum ad pœnitentiam,* vbi per illuminationem intelligitur Baptisma. Hæc non valet, quia loquitur Paulus de illis, qui semel sunt illuminati, & renouati, id est, iustificati, vt patet ex illis verbis: *Iterum renouari.* Quare possent ij saltem secundò baptizari, qui in primo Baptismo non fuerunt iustificati.

Qvarta ratio non solida est, quia Ephes. 4. dicitur:

Vnum Baptisma. Hæc non est solida, quia vnum Baptisma dicitur, quia solum Christi Baptisma salutare est, idque vno certo ritu celebratur. Nam alioqui etiam dicitur vna fides ibidem; & 1. Cor. 12. vnus panis dicitur Eucharistia: & tamen repetimus fidei confessionem; & Eucharistiæ sumptionem. Et si quis fidem amittat, potest & debet eam iterum acquirere, & tamen non potest Baptismum iterum accipere.

A

Prima ratio solidissima est, quia pactum Dei nobiscum in Baptismo initum, perpetuum est. Non enim sequitur illam vulgarem regulam Deus: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Sed semper ipse seruat pactū suum, etiamsi nos infideles simus. Rom. 3. *Nunquid infidelitas illorum, fidem Dei euacuauit? absit.* Quare cùm peccamus post Baptismum, non est opus nouo pacto, sed satis est recurrere ad illud primum iam initum semel in Baptismo.

Haec ratio minùs est solida, quàm superiores. Nam primò, Heb. 6. Paulus negat posse hominem peccantem post Baptismum redire ad pactum Baptismi. Ideò enim non ait; Impossibile est iterum baptizari, sed: *Impossibile est iterum renouari,* id est, non potest homo ampliùs ea facilitate redire ad amicitiam Dei, & remissionem totius culpæ, & pœnæ, vt quòdam in Baptismo, sed eget iam laboriosa pœnitentia, ieiuniis, lachrymis, &c. proinde eget alio pacto Dei multò magis seuero, quàm esset illud primum.

B

Secvndò, cùm quis sine fide baptizatur, non facit Deus pactum cum illo vllum: pactum enim est inter duos consentientes. Vnde etiam Kemnitius dicit, per Baptismum non solùm offerri, sed etiam exhiberi, applicari, & dari gratiam. At certè non applicatur, nec datur ei, qui non credit: igitur saltem possent rebaptizari secundum istam rationem illi, qui sine fide Baptismum acceperunt, quod falsum esse ipsi quoque concedunt.

C

Tertiò, sicut Baptismus est pactum, ita etiam verbum Dei, ac præsertim secundum aduersarios, qui dicunt eodem prorsus modo se habere in iustificatione verbum & Sacramentum. At verbum quotidie repetitur.

Qvartò, Eucharistia non minùs continet pactum Dei, quàm Baptismus, & tamen repeti potest.

Deniqve falsum est, pactum Dei esse perpetuum illi, qui Deo fidem frangit, ita vt promissio seruanda sit, qualemcunque se præbeat is, cui promissio facta est. Nam promissiones Dei sunt conditionatæ: promittit enim se fore patrem, & sponsum in Baptismo, si nos perseueremus esse filij, & sponsæ; alioqui dicit idem Deus, Hierem. 18. *Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam, quod cogitani, vt facerem ei: & subitò loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, pœnitentiam agam super bono, quod loquutus sum, vt facerem ei.* Quod autem Kemnitius adducit ex Roman. 3. *Nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuauit?* intelligitur de promissionibus absolutis, qualis erat de Messia mittendo: sed non talis est promissio in Baptismo. Nam, vt minimùm, pendet ex fide recipientis, vt ipsi docent: proinde non est absoluta.

D

Secvnda ratio solidissima, Kemnitij est, quia de Baptismo nusquam scriptum est, vt de Eucharistia, 1. Cor. 11. *Quotiescunque feceritis.* Et de pœnitentia Matth. 18. *Non dico tibi septies, sed septuagies septies.* At neque hæc ratio multùm valet. Nam vt omittam, quòd locus Matthæi non intelligitur de Sacramento Pœnitentiæ, sed de condonatione iniuriarum, possumus Kemnitio respondere, quod respondit Lutherus Carolstadio, in libro contra cœlestes Prophetas, de nomine Sacrament. non esse quidem scriptum, vt Baptismus repetatur, sed neque esse scriptum, vt non repetatur. Et sicut Augustinus libro 7. Trinit. cap. 4. dicit de nomine trium personarum: *Dicimus in Deo tres personas, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit:* ita & nos possemus rebaptizare; non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit, & res est bona, & vtilissima Baptismus, si non esset periculum sacrilegij ob characterem iam impressum.

Tertia ratio solidissima est, quia non habemus exemplum in Scripturis Anabaptismi; & præterea Circuncisio, quæ est figura Baptismi, tantùm semel recipiebatur. At hæc est similis superiori. Nam in Scriptura non habemus etiam exemplum alicuius, qui fuerit prohibitus baptizari; immò secundum aduersarios habemus exemplum Anabaptismi. Nam Actor. 19. Paulus iussit baptizari eos, qui fuerant à Ioanne Baptista baptizati: & secundum Lutheranos omnes, & ipsum Kemnitium, eadem erat vis, & efficacia Baptismi Christi, & Ioannis. Si igitur solùm exempla Scripturæ quæramus, oportere omninò rebaptizare. Deberent itaque aduersarij aperire oculos, & intelligere post Baptisma Ioannis potuisse rebaptizari, quia illud non habuit effectum in anima indelebilem, vt habet Christi baptisma. Si respiciamus exempla Patrum, deberent Lutherani omninò rebaptizare. Nam Cyprianus, & alij Africani, necnon plurimi in Asia rebaptizabant: resistebat autem illis Romana Ecclesia, quæ nolebat rebaptizari, vt patet ex Eusebio, lib. 7. hist. Quare aduersarij non sequuntur potiùs Africanos, & Asiaticos Patres in hac re, quàm Romanam Ecclesiam, vt in aliis omnibus rebus facere solent? Quod autem de Circuncisione Kemnitius profert, pro nobis est. Nam ideò Circuncisio non repetebatur, quia imprimebat in carne indelebilem characterem.

Qvarta ratio solidissima est, quia per Baptismum nascimur spiritualiter. Vna autem tantùm est natiuitas spiritualis, vt vna est natiuitas corporalis. Vnde Nicodemus, Ioan. 3. *quomodo potest,* inquit, *homo nasci, cùm sit senex?* Et rectè iudicabat de natiuitate corporali. Hanc rationem Kemnitius furatus est Catholicis: eam enim habet sanctus Thomas 3. q. 66. art. 9. Sed hoc interest inter Catholicos, & Kemnitium, quòd Catholici ea vtuntur, vt congruentia quadam; & simul notant veram causam, quæ est impressio characteris. Quam solam, vt veram, & solidam posuit Concilium Florentinum, & Tridentinum suprà citatum. At Kemnitius exposa vera causa, amplectitur istam congruentiam, vt solidissimam rationem.

Ostendam igitur & hanc rationem non esse solidam. Nam inprimis homo non solùm per baptismum, sed etiam per fidem, & verbum Dei generatur spiritualiter, vt aduersarij concedunt, & patet ex Paulo, 1. Corint. 4. *Per Euangelium ego vos genui.* & tamen fidei actus, & conciones sæpe reperuntur. Præterea secundò, etiamsi generatio corporalis vna tantùm sit naturaliter, tamen supernaturaliter potest repeti, immò reipsa repetetur in resurrectione, quam Dominus vocat regenerationem, Matthæi 19. Cùm ergo baptismus sit generatio supernaturalis, quid prohibet eum repeti? Tertiò, etiamsi generatio corporalis nullo modo posset repeti, tamen non eadem est ratio spiritualis generationis. Nam vt mors corporalis vna tantùm est, ita natiuitas corporalis. At mors spiritualis multiplex est, vt patet: cur igitur non possit etiam multiplex esse spiritualis generatio. Quartò, Ordinatio non est generatio, & tamen non potest reperi. Denique, qui sine fide baptizantur, reuera non regeperantur, & tamen rebaptizari non possunt: & contrà, qui sunt regenerati ante baptismum per fidem, & contritionem, & desiderium Baptismi, nihilominus postea baptizantur, vt patet de Cornelio, Actorum 10. Non igitur illa est ratio.

CONTROVERSIA QVINTA.

De numero, & ordine Sacramentorum.

CONTROVERSIA *quinta, quæ est de numero Sacramentorum, quatuor habebit partes. Nam primò exponemus hæreticorum sententias. Secundò probabimus Ecclesiæ Catholicæ veritatem. Tertiò refellemus argumenta aduersariorum. Quartò addemus per modum appendicis aliquid de ordine Sacramentorum.*

CAPVT XXIII.

Quid hæretici sentiant de numero Sacramentorum.

QVOD ad primum, aduersarij inter se multùm dissentiunt de numero Sacramentorum, quibus omnibus viam strauit Lutherus in libro de captiuit. Babylon. Nam in eo libello anno XX. edito, multa docuit. Initio libri dicit, vnum tantùm esse Sacramentum, si secundum vsum Scripturæ loquendum sit. Ibidem tamen dicit, neganda esse septem Sacramenta, & tria pro tempore ponenda, Baptismum, Panem, & Pœnitentiam. In fine libri dicit, si rigidè loqui velimus, duo esse Sacramenta, Baptismum, & Panem. In medio libri, cap. de Confirmatione dicit, se non damnare septem Sacramenta, sed tantùm negare ea ex Scripturis probari posse. At non bene hoc cohæret cum initio libri, vbi dicit, neganda esse septem, & tria ponenda: non enim aliud est damnare, aliud negare septem Sacramenta. Ex hac inconstantia Lutheri natæ sunt variæ Lutheranorum atque aliorum hæreticorum sententiæ, quas breuiter enumerabo.

PRIMA igitur est, vnum tantùm esse Sacramentum, quamuis plura sint Sacramentalia signa. Ita Lutherus loco citato. Sed non habuit in hac opinione sectatores: omnes enim alij plura ponunt, & secundum vsum Scripturæ ea ponere se putant.

SECVNDA opinio est eorum, qui tantùm duo numerant Sacramenta propriè dicta, Baptismum, & Eucharistiam. Hanc, vt dixi, Lutherus indicauit, in lib. de captiuit. Babyl. Idem sensit Philippus in locis anni XXI. & XXII. cap. de signis, vbi solùm ista duo agnoscit. Item Illyricus in Confess. Antuerpiensi cap. 11. de Sacramentis, & cap. 18. de Absolutione. Nicolaus Selneccerus in 2. par. suæ pædagogiæ, cap. de Sacramentis, & Kemnitius in 2. part. Exami. cap. de numero Sacramentorum, pag. 12. & sequentibus.

TERTIA opinio est eorum, qui tria Sacramenta numerant, Baptismum, Euchatistiam, & Pœnitentiam. Hæc est communior, & magis recepta apud Lutheranos. Nam inprimis Lutherus etiamsi rigidè duo tantùm esse voluerit, in lib. de captiuit. Babylon. tamen etiam tria esse dixit ibidem, & hoc semper postea repetiuit, vt anno XXIII. in lib. ad Pragenses de instituendis ministris, & anno XXXVI. in lib. de Missa priuata, & denique anno XLV. qui fuit penultimus vitæ ipsius, in assertionibus contra Louanienses. Sic enim habet assertio 35. *Pœnitentiam cum virtute clauium, Absoluentium Sacramentum libenter confitemur: habet enim promissionem, & fidem remissionis peccatorum propter Christum.* Idem habent ferè omnes Catechismi Lutheranorum, vt Catechismus Philippi, Brentij, & aliorum. Item libri rituales, seu agendæ ipsorum, & denique Apologia Confessionis Augustanæ, art. 13.

VBI notandum est, Illyricum, & Kemnitium non posse defendi à periurio, & defectione à Confessione Augustana. Nam vt refert Tilmannus Heshusius, in libro de præsentia Corporis Christi in cœna, iurant omnes apud Lutheranos in verba Confess. & Apologiæ, qui promouentur ad gradus, vel pastoratum. Sed respondent Illyricus in Apolog. Confess. Antuerp. cap. 18. & Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 44. & 903. Apologiam Confessionis largo modo appellasse Pœnitentiam Sacramentum, non quòd sit verè, & propriè Sacramentum. At solutio non valet, nam Apologia habet hæc verba: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent Dei mandatum, & quibus est addita promissio gratiæ, facile est iudicare, qua sint propriè Sacramenta.* Et paulò pòst applicans definitionem: *Verè igitur*, inquit, *sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ: nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ.* Hæc ibi. Præterea ideò solùm Kemnitius non vult Absolutionem esse propriè Sacramentum, quia non habet ritum à Deo præceptum. At Apologia profitetur Absolutionem habere ritum à Deo præceptum: igitur ex sententia Apologiæ Absolutio est verissimum Sacramentum.

QVARTA opinio est Zvvinglij, in libro de vera, & falsa religione. Nam cap. de Sacramentis, duo esse docet Sacramenta, Baptismum, & Cœnam, tamen cap. de Matrimonio, addit etiam Matrimonium. Verum est quidem, non libenter à Zvvinglio Matrimonium vocari Sacramentum, sed causa non est, quòd putet, Sacramenti definitionem nó conuenire Matrimonio, sed quia timet, ne Sacramenti vocabulo obscuretur, & inquinetur dignitas Matrimonij: dicit enim esse vocabulum multò illustrius Matrimonij, seu coniugij, quàm Sacramenti.

QVINTA opinio est Caluini, qui tria Sacramenta numerat, sed non eadem cum Luthero, & Zvvinglio: vult enim Sacramenta esse Baptismum, Cœnam Domini, & Ordinationem. Etsi enim libro 4. Institut. cap. 18. §. 19. & 20. duo tantùm esse dicat Sacramenta, Baptismum, & Cœnam, tamen paulò pòst. cap. 19. §. 31. sicut & antea, cap. 14. §. 20. etiam Ordinationem inter vera Sacramenta numerat, ac monet, se, cùm tantùm duo esse dicit, loqui de Sacramentis ordinariis, & toti Ecclesiæ communibus. Hinc etiam in Antidoto Cõcilij Tridentini, sess. 7. can. 1. quatuor tantùm Sacramenta reiicit à numero Sacramentorum; Confirmationem, Pœnitentiam, Vnctionem extremam, & Matrimonium. Proinde tria reliqua admittit.

Sexta opinio composita ex Lutherismo & Caluinismo, est aliorum, qui quatuor Sacramenta recipiunt, Baptismum, Cœnam, Pœnitentiam, & Ordinationem. Hæc est Philippi, qui licet cum Luthero primò posuerit duo tantùm Sacramenta, & postea tria: tamen in locis editis, anno XXXVI. LII. & LVIII. quæ fuit vltima editio, habet hæc verba in cap. de numero Sacramentorum: *Mihi maximè placet etiam addi Ordinationem, vt vocant, id est, vocationem ad ministerium Euangelij, quia hæc etiam mandato Euangelico præcipitur, & addita est promissio, &c.* ac toto capite fusè probat Ordinationem esse Sacramentum, ac proinde quatuor esse Sacramenta. Eandem sententiam habet Lucas Lossius in Catechismo, edito anno LVII. nam in eo, quem ediderat anno LIV. tantùm tria posuerat.

SEPTIMA opinio composita, ex Lutherismo, Caluinismo, & Zvvinglianismo, non apertè, sed obscurè fuit Philippi. Nam in locis vltimò editis, anno LVIII. licet quatuor tantùm faciat Sacramenta, tamen propendebat maximè ad quintum addendum, id est, Matrimonium cum Zvvinglio: Fatetur enim Matrimonium esse signum rei sacræ, & habere mandatum diuinum, & habere annexam promissionem. Vnum tantùm dicit ei deesse, quòd fuerit ante Christum. At hoc non debuit eum impedire, quò minùs Matrimonium faceret Sacramentum: nam Baptismus Ioannis ex sententia ipsius fuit verissimum

verissimum Sacramentũ, & idem cum nostro Baptismo, & tamen fuit ante Christum. Sicut igitur Baptismum vult esse Sacramentum, quia à Christo receptum, & cõfirmatum, cur non eadem ratione & Matrimonium?

OCTAVA opinio est, sex esse Sacramenta. Hanc tribuit Lindanus in tabulis analyticis Gulielmo Postello in sua Pantheosia: qui tamen vir postea Catholicè obiit.

NONA opinio est, septem esse Sacramenta. Licet enim fide Catholica nos teneamus septem esse Sacramenta: illis tamen hæc sententia, opinio, non fides esse potest: qui enim in vno articulo hæreticus est, fide simpliciter caret. Est igitur opinio hæc aliquorum Lutheranorum, quibus placuit, quòd Lutherus initiò dixerat, se non damnare septem Sacramenta, licet ibidem etiam dixerit, se negare septem Sacramenta. Scribit Ioan. Sleidanus, lib. 20. histor. biennio post obitum Lutheri, id est, anno XLVIII. in quodam Lipsensi Conciliabulo, determinatum fuisse, Confirmationem, & Extremam vnctionem esse ritus conferentes gratiam, atque adeò septem Sacramenta recipienda esse. In quo Conciliabulo interfuisse Theologos multos Vvittenbergenses, ac Lipsenses, & cum iis Philippum Melanchthonem, ac tum primùm cœpisse hos, molles Lutheranos appellari Scribit Surius in sua hist. anni XLVIII. Vnde Matthias Illyricus in lib. qui inscribitur: Adhortatio Illyrici ad constantiam in agnita Iesu Christi religione, & Augustana Confessione: quæritur, quòd in Lipsensi Interim (sic enim appellatur) septem Papistarum Sacramenta restituantur. Et præfatione septimæ Centuriæ, Hæresiarchas appellare non dubitat principes mollium, seu politicorum Lutheranorum.

Ex his colligere licet Primò, miram fuisse inconstantiam Lutheri, & Philippi præcipuorum patrum Lutheranorum, idque in re grauissima. Secundò, nó posse apud aduersarios veram Ecclesiam esse. Nam nota præcipua veræ Ecclesiæ apud *eos* est consensus in doctrina Sacramentorum. Ita enim habet Lutherus in lib. de notis Ecclesiæ, & Confes. Augustana, & Apolog. art. 7 Ipsi autem ita conueniunt, vt adhuc non potuerint Sacramenta communi consensu enumerare. Quod si quisque eorum ad se solum trahat Ecclesiam, mirum, si non pudeat eum suæ paucitatis. Hinc etiam Tertiò colligitur, non posse diu durare eiusmodi hæreses. Nam omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur. Vnde Lutherus ipse hoc annotauit in Psal. 5. *Nulli*, inquit, *hæretici victi sunt vi, aut æstu, sed mutua dissensione, nec aliter cum eis pugnat Christus, quàm misso inter eos spiritu vertiginis, & dissensionis, sicut inter Sichimitas, Iud. 9. & inter Babylonicæ turris operarios, Genes. 11. & in noua lege, inter Arianos, Donatistas, & Pelagianos.* Hæc ille. Quod idem multò antè scripsit Hilarius, lib. 7. de Trinitate.

CAPVT XXIV.

Ex Scripturis, & Patribus probatur veritas Catholica de numero septenario Sacramentorum.

QVANTVM ad Secundum, sententia Catholicorum vna est, ac semper fuit, septem esse propriè dicta Sacramenta, quæ probanda est tripliciter. Primò, ex testimoniis Scripturæ & Patrum, quæ quidem non numerant Sacramenta: tamen reipsa omnia ista septem Sacramenta vera, & propria esse testantur. Secundò, ex testimoniis aliis Conciliorum, & Doctorum, quæ præcisè numerum istum septenarium ponunt. Tertiò, rationibus seu congruentiis quibusdam.

QVANTVM ad Primum genus testimoniorum, notanda sunt tria. Primò, non debere aduersarios petere, vt ostendamus in Scripturis aut Patribus nomen septenarij numeri Sacramentorum. Nam nec ipsi ostendere possunt nomen binarij, vel ternarij, vel quaternarij: Scriptura enim & Patres non scripserunt Catechismum, vt modò facimus propter hæresum multitudinem, sed tantùm tradunt res ipsas variis in locis. Neque est hoc proprium Sacramentis, sed commune aliis multis rebus. Nã Scriptura refert Christi miracula, & nunquam numerat quot sint: tradit articulos fidei, & nusquam dicit, quot sint. Apostoli postea ediderunt symbolum duodecim articulorum certis de caussis. Sic etiam ex Scriptura non potest sciri, quot sint libri Canonici: sed Concilia postea ediderunt Canonem, & certum numerum, quem ex traditione didicerant.

SECVNDO notandum, non debere etiam aduersarios petere, vt ostendamus in Scripturis nomen Sacramenti attributum Confessioni aut Ordinationi, & similibus. Nam non disputamus de nomine, sed de re: & nec ipsi ostendent hoc nomen tributum Baptismo, aut Eucharistiæ, sed soli Matrimonio, quod tamen ferè omnes hæretici negant esse verum Sacramentum. Et contrà inuenimus nomen Sacramenti in Scripturis tribui multis rebus, quæ omnium consensu non sunt Sacramenta, de qualibus nunc agimus, vt Ephes. 1. propositum vocandi Gentiles ad fidem, dicitur Sacramentum voluntatis Dei. Et 1. Timoth. 3. Sacramentum pietatis dicitur incarnatio Verbi. Et Apocalyp. 17. dicitur, Sacramentum mulieris, signum quoddam impressum in fronte mulieris, quæ Babyloniam repræsentabat.

TERTIÒ notandum, id omninò sufficere, si ostendamus ex Scripturis, & Patribus definitionem Sacramenti conuenire ritibus non paucioribus, nec pluribus, quàm septem. *Licet autem non conueniamus in explicãda definitione Sacramenti (vt suprà fusè ostendimus lib. 1. in 2. controuersia) tamen conuenimus in definitione quadam generali; nimirum quòd Sacramenta sint ritus, seu signa externa, & sensibilia, quæ ex diuina institutione annexam habeant promissionem gratiæ iustificantis.* His notatis accedamus ad probationem.

Quòd Baptismus sit Sacramentum.

AC primùm de Baptismo nulla quæstio est. Est enim ritus expressus: *Lauacrum aquæ in verbo vitæ*, Ephes. 5. & institutio, ac mandatum Ioan. 3. *Nisi quis renatus*, &c. Et Matth. vlt. *Baptizantes eos.* Et promissio gratiæ, Matth. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum.* Idem docent omnes Patres suprà citati in quæstione de effectu Sacramentorum.

Quòd Eucharistia sit Sacramentum.

DE Eucharistia etiá nulla quæstio est; habetur enim ritus. Matth. 26. & 1. Cor. 11. *Accepit panem, gratias agens, fregit, &c.* Et institutio, ac mandatum ibidem: *Hoc facite.* & Ioan. 6. *Nisi mãducaueritis, &c.* Et promissio gratiæ, Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Idem etiam Patres docent, Augustinus epist. 118. cap. 1. vbi cùm dixisset, Christum instituisse Sacramenta numero paucissima, significatione præstantissima, obseruatione facillima, ponit loco exempli Baptismum, & Eucharistiam.

Quòd confirmatio sit Sacramentum.

DE Confirmatione habemus ritum externum, manuum impositionem, Actor. 8. & 19. Habemus effectum gratiæ ibidem. Nam per manus Apostolorum dabatur Spiritus sanctus. eadem phrasi qua dictum est: Tit. 3. de Baptismo: *Per lauacrum regenerationis saluos nos fecit.* Institutio, & mandatum non habetur expressè in Scriptura: tamen colligitur euidenter ex locis citatis. Nunquàm enim Apostoli ita confidenter, & ordinariè imposuissent manus ad gratiam Spiritus sancti communicandam, nisi Dominus id præcepisset. Non enim ignorabant non posse vllum hominem instituere cæremoniam, ad quam sequeretur gratia Spiritus sancti. Nam etiam Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 13. & Apolog. Confess. Augustan. art. 13. & Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19

§.2.affirmant, non posse vllum hominem efficere,vt externum symbolum contineat certam promissionem gratiæ. Proinde oportet vel Apostolos fuisse temerarios, quod nemo diceret,vel habuisse Christi mandatũ.Fuisse autem cæremoniam illam ordinariam, & necessariam, & non satis fuisse orare Deum pro aduentu Spiritus sancti,ex eo colligitur, quòd Apostoli primarij, Petrus & Ioannes tantum laboris & itineris susceperunt, vt irent ex Hierosolyma Samariam, ad imponendas manus iis, quos Philippus Diaconus baptizauerat. Nam orare poterant pro illis manentes Hierosolymæ.

Est autem notandum,impositionem manuum coniunctam fuisse cum vnctione & signo crucis:simul enim hæc fiunt dum crucis signũ Chrismate pingitur in fronte confirmandorum, idque ministerio manus Episcopalis. Vnde Dionysius lib.de Eccles. Hierarch.cap.2.part.3. & cap.4.part.3. meminit apertè Chrismatis in hoc Sacramento. Et Tertullianus lib. de resurrectione carnis, vbi ponit Confirmationem in eodem ordine, cum Baptismo,& Eucharistia:*Caro abluitur*,inquit,*vt anima emaculetur:caro vngitur, vt anima consecretur,&c.* Et de præscript. hæreticorum, docens diabolum imitari Sacramenta Christiana,ponit exemplum in his duobus: *Tingit*,inquit,*& ipse quosdam vtique credentes, & fideles suos, signat illic in fronte milites suos.* Et in libro de Baptismo: *Debint*, inquit,*manus imponitur per benedictionem,pronocans & inuitans Spiritum sanctum.* Vbi vides Tertullianum antiquissimum auctorem omnia tria ponere, vnctionem , signum crucis in fronte,& manus impositionẽ.

Item Cyprianus lib.1.epist.12.& lib.2.epistola 1.modò vocat vnctionem,modò manus impositionẽ, & præterea vocat apertè Sacramentum.Nam sic ait lib.2.epist. 1.de Baptismo,& Cõfirmatione loquens:*Tunc plenè sanctificari,& esse Filij Dei possunt, si Sacramento vtroque nascantur.* Augustinus lib.2.cõtra literas Petiliani,cap.104. *Sacramentum*,inquit,*Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est,sicut ipse Baptismus.*

De Pœnitentia.

Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis,retenta sunt.* Hic habemus Primò ritum, nimirum externum, & iudicialem absolutionem,quæ est signum interioris, quæ fit à Deo per verbũ externum, tanquam instrumentum. Secundò habemus promissionem gratiæ : *Remittuntur eis* : Tertiò habemus mandatum ibidem:*Sicut misit me Pater,& ego mitto vos:* Vnde Apostolus , 2.Corinth.5. *Deus*, inquit, *dedit nobis mysterium reconciliationis.* Et infrà:*Pro Christo legatione fungimur.*

Ambrosius lib.1. de Pœnitentia, cap.7. *Quid interest vtrum per Pœnitentiam , an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent? vnum in vtroque ministerium est. Sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? nónne Dei nomen operatur?*

Cyrillus lib.12. in Ioannem, cap. 56. comparat reconciliationem pœnitentium cum Baptismo.

Augustinus lib.5.de Baptismo, cap.20.numerat cum Baptismo, Eucharistia, & Cõfirmatione,etiam Reconciliationem,per manus impositionem,& in Psal.146. in illud : *Qui alligat contritiones eorum*,disertis verbis Sacramentum appellat reconciliationem pœnitentium: *Quæ sunt*,inquit,*ista alligamenta? temporalia Sacramenta, Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, Sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem.* Et infrà:*Hæc Sacramenta esse dicit Eucharistiam,& manus impositionẽ Præpositi in Pœnitentiam,quæ in cælo nõ erunt.*

De Extrema vnctione.

Iacobi 5.habemus ritum:*Orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini.* Item promissionem:*Et alleuiabit eum Dominus,& si in peccatis fuerit,dimittentur eis.* Denique mandatum colligitur euidenter ex eo,quod Apostolus non auderet ita absolutè promittere tantum effectum, nisi à Domino id accepisset , vt suprà ostendimus etiam testimonio Apologiæ, Caluini,& Kemnitij.

Ex Patribus,Innocentius I.in epist. 1. ad Decentium, cap.8. loquens de oleo sancto infirmorum:*Pœnitentibus*, inquit.*istud infundi non potest,quia genus est sacramenti.Nã quibus reliqua sacramenta negantur , quomodo vnum genus putantur posse concedi?*

Bernardvs in vita S.Malachiæ scribit eum vocatum,vt fœminam morituram inungeret,sed dum differtur vnctio,illam expirasse ; Malachiam autem vehementer doluisse,quòd sine gratia Sacramẽti huius obiisset; itaque tamdiu orasse, ac fleuisse , donec eam à mortuis reuocauit,& tum demum eam vnxisse, & eam omnino conualuisse : *Vnxit eam* , inquit, *sciens in hoc Sacramento remitti peccata.*

De Ordinis Sacramento.

Habemvs ritum externum,manus impositionem, 1.Tim.4 Item promissionem gratię ibidem:*Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam,cum impositione manuum presbyterij.* Et 2.Timoth.1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Denique institutio,& mandatum,Ephes.4.*Ipse dedit quosdam quidem Apostolos,alios Euangelistas,alios Pastores,& Doctores,&c.* Et præterea, vnde sciebat Apostolus datam esse Timotheo gratiam per impositionem manuum, si à Deo non didicerat, eo signo conferri gratiam ?

Avgvstinvs lib.2.contra epist.Parmeniani,cap. 13.loquens de Baptismo, & Ordinatione. *Vtrumque*, inquit,*sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur,illud cùm baptizatur,istud cùm ordinatur.Itaque in Catholica Ecclesia, vtrumque non licet reiterare.* Similia habet lib.1.de Baptismo,cap.1.

De Matrimonio.

Habemvs nomen ipsum Sacramenti, Ephes.5. *Sacramentum hoc magnum est.* Item ritum externum id est,contractum visibilem inter virum & fœminam:de hoc enim Apostolus dicit,quòd sit magnum Sacramentum,vt exponit Chrysostomus,& Hieronymus in hunc locum,qui etiam Nazianzenum citat, & omnes alij.Habemus etiam institutionẽ diuinam,Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Denique gratiam annexam colligimus ex hoc ipso loco Pauli. Nam coniunctio viri & fœminæ,significat coniũctionem Christi cum Ecclesia.Illa autem coniunctio duplex est; vna per naturæ cõformitatem,quæ facta est incarnatione,& hęc Christum coniungit non solùm cum Ecclesia , sed etiam cum toto genere humano:altera est per gratiã,& charitatẽ,& hæc est,cum sola Ecclesia; & ratione huius dicitur Christus, spõsus, & Ecclesia sponsa,iuxta illud,2.Corinth.10. *Despondi vos vni viro virginẽ castam exhibere Christo.* Igitur Matrimoniũ viri & fœminæ,vt possit significare vtrãque vnionem Christi cum Ecclesia, oportet vt non solùm sit inter coniuges vnio quædam naturalis, & carnalis,qualis etiam inter Gentiles reperitur , sed etiam vnio spiritualis ex gratia,& charitate proueniens. Proinde Sacramentum hoc gratiam istam confert, vt significatio sit perfecta.Quare Paulus Ephes.5.sæpe monet viros,vt diligant vxores,sicut Christus Ecclesiam,& fœminas monet,vt viris subiectę sint,sicut Ecclesia subiecta est Christo:& rationem reddit,quia hæc eorum coniunctio,Sacramentum est Christi,& Ecclesiæ.

Iam ex Patribus, Augustinus passim hoc docet, lib. de bono coniugali,cap.19. *In nostrorum*, inquit, *nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas vteri.* Et cap.24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes , & omnes homines in caussa generandi est, & in fide castitatis : quod autem ad populum Dei attinet , etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam intercedente repudio alteri nubere.*

Atque

Atque hæc hoc loco sufficiant: nam in disputatione de singulis Sacramentis plura adferemus.

Lotionem pedum non esse Sacramentum.

Nvnc supereſt demonſtrare, non esse plura Sacramenta, quàm septem prędicta.Et quidem multa dicuntur à veteribus Sacramenta,præter ista septem.Nam Alexãder I.Papa in epist.1.vocat aquam benedictam Sacramentum. Augustinus lib.19.contra Faustum, c.14.& in Psal.141. signum crucis vocat sacramentum , & in Psal.65.ac lib.4.de symbolo , c.1. vocat sacramenta cæremonias,quæ fiunt ante Baptismum, vt exorcismos, & similia,& lib.2.de peccatorum meritis, & remiss.cap.26. vocat sacramentum panem quendam benedictum , qui dabatur Catechumenis. Denique Ambros.lib.3. de sacramentis,c.1. & Cyprianus in serm . de ablutione pedum ,& Bernardus in sermone de cœna Domini contendunt ablutionem pedum , quam Dominus instituit, Ioan.13.sacramentum esse. Sed ex his omnibus nihil est, quod habeat difficultatem, præter vltimum.Nam in primis nec aqua benedicta , nec signum crucis , nec pahis benedictus,nec exorcismi,& aliæ cæremoniæ Baptismũ præcedentes in Scripturis inueniuntur:proinde non possunt aduersarij ea pro sacramentis habere. Deinde illa omnia dantur etiam ante Baptismum, vt exiisdem locis Augustini constat; At Baptismus omnium consensu est, omnium sacramentorum primum, & quasi ianua.Denique nihil eorum habet promissionem gratiæ gratum facientis ; neque constat an à Christo instituta sint, an ab Apostolis , cùm tamen vera sacramenta à solo Christo instituì potuerint.

De lotione pedum videtur maior difficultas. Nã habemus Ioan.13.ritum externum,ipsam pedum lotionem: item promissionẽ gratiæ:*Si non lauero te,non habebis partem mecum*,Item mandatum Dei: *Exemplum dedi vobis.* Item.*Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Item esse mysterium, indicant illa verba: *Quod ego facio tu nescis modò, scies autem postea.* Denique testimonia illa Patrũ, Ambrosij,Cypriani, Bernardi,cuius testimonium adducit Kemnitius , pag. 32. ad probandum sacramenta esse plura,quàm septem,si testimoniis Patrum standum sit.

Respondeo tamen, lotionem illam pedum,nihil habuisse commune cum sacramentis propriè dictis , & solùm posse dici sacramentum largo modo,quemadmodum sacramenta dicuntur omnia,quæ mysticum sensum habent,& figuræ sunt, ac typi aliarum rerum. Nam fuit reuera lotio illa signum Christi humilitatis,& charitatis. Item fuit signum puritatis qua debent homines ad Eucharistiam accedere : ideò enim immediatè ante Eucharistiæ institutionem Christus hoc fecit.Denique fuit etiã signum , & figura quædam purgationis , quam eramus habituri per Christi passionem , vt Cyrillus hoc loco exponit.

Non fuisse autem sacramentum propriè dictum, paret Primò , quia non habemus promissionem gratiæ iustificantis;illud enim : *Nisi lauero te , non habebis partem mecum*,ad literam non promittit gratiam, sed minatur pœnam ob inobedientiam , vt exponunt hoc loco Chrysostomus,& Cyrillus, & Basilius lib.1.de Baptismo, cap.2. Si enim Petrus obstinatè recusasset illã lotionem, periisset in æternum:non quia illi deerat lotio pedum,sed quia peccauerat contra Christum,& deerat illi obedientia.Mysticè tamen significare potest, vt exponit hoc loco Augustinus , etiam iustos indigere , vt Christus eos quotidie lauet à peccatis venialibus, quæ sunt veluti sordes, quæ pedibus adhærent ob humanam conuersationem.Sed hoc non sufficit ad Sacramentum efficiendum, quia hîc agitur de lotione peccatorum venialium , quæ non eget noua gratia gratum faciente. Vnde Dominus ait:*Qui lotus est,non eget, nisi vt pedes lauet , sed est mundus totus*, id est,mundus est simpliciter, & absolutè , cùm sit iustus: tamen adhuc eget lotione à peccatis venialibus. Et præterea non habemus ex hoc loco ipsam lotionem pedum,reipsa tollere peccata venialia, alioqui deberemus quotidie lauare pedes: sed solùm lotionem illam vnam , qua Dominus pedes lauit discipulorum,fuisse figuram internæ lotionis , quam accipimus à Christo. Non igitur ipsa pedum lotio est sacramentum propriè dictum.

Secvndò non habemus mandatum,seu institutionem huius ritus frequentandi, quod requiritur in omni Sacramento:Alioqui peccarent ferè omnes homines,qui non vtuntur ista cæremonia. Et licet fuerit hæc cæremonia vsitata olim in quibusdam Ecclesiis statim post Baptismum; tamen non fuit vnquam ab omnibus recepta,nec ab ipsa Romana Ecclesia,vt testatur Ambrosius loco citato. Neque obstat illud mandatum : *Exemplum dedi vobis* : Item: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Et:*Quod ego facio tu nescis modò, scies autem postea.* Nam hoc mandatum præcipit humilitatem , & charitatem, vt exponunt Chrysostomus, & Cyrillus , non autem ipsam materialem lotionem pedum,vt patet ex praxi Ecclesiæ; nunquam enim Christiani putarunt se habere speciale mandatum de lotione pedum.

Ad loca illa Patrum facilè est respondere.Nam Ambrosius vocat sacramentum,& mysterium;quia in ipsius Ecclesia seruabatur,vt sacra cæremonia,& vt aliquid sacramentale:tamen non putabat ipse esse hanc lotionem propriè dictum sacramentum, vt patet tum ex eo, quòd fatetur non remitti peccata lethalia per eam lotionem, sed quasdam reliquias peccati originalis:tum etiam,quia dicit se non reprehendere Ecclesiam Romanam , vbi hæc cæremonia non erat in vsu;quod certè non diceret, si putaret esse verum sacramentum.Porrò Cyprianus,& Bernardus, si attentè legantur,non dicunt ipsam lotionem pedum materialem, esse sacramentum , quo homines sanctificentur:sed solùm dicunt illam vnicam lotionem pedum Apostolorum à Christo factam,fuisse sacramentum ; quia per eam significabatur aliquid sacrum, quod in nobis quotidie fieri debet,id est,expiatio peccatorum venialium , quæ fit in nobis quotidie à Christo per orationem,ieiunia,humilitatem,& exercitia pietatis erga proximos,quibus vacamus. Et sanè si putarent lotionem pedum esse sacramentum , oporteret nos quotidie ex eorum sententia lauare inuicem pedes:id enim ipsi dicunt, hoc sacramentum esse quotidianarum culparum expiationem.

CAPVT XXV.

Septem esse Sacramenta,probatur ex posterioribus Conciliis,& Doctoribus.

Secvnda probatio sumitur ex testimoniis, quæ præcisè ponunt numerum septenarium, quæ testimonia tria sunt. Primum est omnium Theologorum, & proinde totius Ecclesiæ ab annis vt minimũ CD. Nam Magister Sentent. lib.4.d.2. & omnes inde Theologi septem sacramenta esse tradiderunt. Neque verò Magister aliquid nouum scripsit , sed quod inuenit in vsu Ecclesiæ;quod argumentum maximi ponderis esse debet.Nam si falsum esset,quod dicimus,etasset tota Ecclesia per annos CD. pernicioſissimè. Nam si sacramenta essent pauciora,magna impietas fuisset, & superstitio,& magna deceptio animarum,habuisse tandiu pro sacramentis ea, quæ sacramenta non erant. Si verò essent plura, fuisset magna impietas, tamdiu contempsisse vera Dei sacramenta , & magnum detrimentum animarum. Secundò , magis pernicioſus est error circa sacramenta,quàm circa alia dogmata : nam reliqua ferè speculatiua sunt,& earum ignoratio multos simplices excusat. At sacramentorum cognitio ad praxim pertinet, & ad praxim singulorum hominum.Tertiò,syncerus sacramentorum vsus ad notas Ecclesiæ pertinet ex sententia

omnium hæreticorum huius temporis. Quare si his CD. annis erratum est in Sacramentis tam grauiter, consequenter dicere debent, Ecclesiam periisse de orbe terrarum: non enim inuenient facilè, qui aliter senserint hoc tempore de Sacramentis. Nam ipsi etiam Hussitæ, & VValdenses, qui ferè soli erant hæretici, cùm Lutherus apparuit, septem Sacramenta recipiebant. De Hussitis patet in Concil. Constant. sess. 15. art. 8. de VValdensibus, id testatur Lutherus in libro ad eos scripto.

SECVNDVM testimonium est Concilij Florentini in institutione Armenorum, vbi septem Sacramenta asseruntur, & explicantur. Vbi Notanda sunt duo mendacia Kemnitij. Is enim in 2. parte Exam. pag. 35. dicit, septenarium numerum Sacramentorum apud Græcos tentatum, Armenis verò obtrusum fuisse: & addit, Armenos à sancto Bartholomæo Apostolo ad fidem conuersos, post mille & eo amplius annos septenarium numerum Sacramentorum à Romano Pontifice tandem accepisse. Vbi mentitur in primis cùm dicit, hunc numerum tentatum à Concilio apud Græcos, quasi dicere velit, conatos fuisse Patres id persuadere Græcis, sed non potuisse. At in toto Concilio, nihil omninò de numero Sacramẽtorum cum Græcis actum esse, ex ipso Concilio, quod exstat Græcè, & Latinè, perspicuum est. Immò institutio hæc Armenis data est toto approbante Concilio, paulò antè eius dissolutionem, vt ibidem legimus in decreto Eugenij IV. vbi hæc ipsa institutio habetur. Ex quo intelligimus, Græcos idem omninò cùm Latinis semper sensisse de numero Sacramentorum: alioqui Græci non tam facilè sine vlla quæstione institutionem approbassent.

SECVNDÒ mentitur Kemnitius, cùm dicit obtrusum fuisse Armenis hunc numerum Sacramentorum, cùm eum ignorassent per annos mille, & amplius. Nam (vt in decreto Eugenij legimus) ante vnionem Armenorum cum Latinis, collationes factæ sunt inter eos de fide Trinitatis, & Incarnationis, & Sacramentorum, & inspecti libri vtriusque nationis, & tum demum præscripta formula institutionis: Quare non obtrusa fuit, sed post maturam discussionem ab eis accepta: & sanè non tam facilè accepissent, nisi vidissent conformem esse antiquis libris, & ritibus Ecclesiæ suæ. Adde quod in eadem institutione traditur Armenis doctrina de tribus personis diuinis, & de duabus Christi naturis. Vt igitur Kemnitius dicit, obtrusum illis numerum septem sacramentorum, cur non dicit etiam obtrusum numerum personarum diuinarum, & naturarum Christi?

TERTIVM testimonium est Concilij Tridentini, sess. 7. can. 1. vbi additur anathema negantibus septem esse vera & propria sacramenta; quod testimonium etiã si nullum haberemus aliud, deberet sufficere. Nam si tollamus auctoritatem præsentis Ecclesiæ, & præsentis Cõcilij, in dubium reuocari poterunt omnium aliorũ Conciliorum decreta, & tota fides Christiana. Semper enim hæc fuit consuetudo apud Christianos, vt exortas controuersias definirent Episcopi, qui tunc viuebãt. Et præterea omnium Conciliorum veterum, & omnium dogmatum firmitas pendet ab auctoritate præsentis Ecclesiæ. Non enim habemus testimonium infallibile, quòd Concilia illa fuerint, & legitima fuerint, & hoc aut illud definierint, nisi quia Ecclesia, quę nunc est, & errare non potest, ita sentit, & docet. Quod enim historici quidam meminerint eorum Conciliorum, non potest parere fidem, nisi humanam, cui potest subesse falsum.

CAPVT XXVI.

Idem probatur ex congruentiis.

CATHOLICI Doctores confirmare solent septenarium Sacramentorum numerum variis congruẽtiis. Prima est à similitudine vitæ spiritualis, & corporalis. Siquidem in vita corporali quædam requiruntur ex parte hominum singulorum, quædam ex parte totius Reipublicæ. Ex parte hominum singulorum requiruntur tria per se, generatio, augmentatio, & nutritio; & duo per accidens, remedium contra morbos, si contingat hominem ægrotare: & remedium contra reliquias morbi, vt perfectè conualescat. Ex parte Reipublicæ requiruntur duo. Primò parentes, qui propagent vitam corporalem hominum. Secundò Principes, & Magistratus, qui eam ordinent, & regant. Eodem igitur modo in vita spirituali, Primò, requiritur regeneratio, quæ est per Baptismum. Secundò, augmentatio per Confirmationem. Tertiò, nutritio, per Eucharistiam. Quartò, remedium, contra morbos si cõtingat regeneratum peccare, per Pœnitentiam. Quintò, remedium contra reliquias peccatorum, per Vnctionem extremam. Sextò, ex parte Reipublicæ, Matrimonium, quo propagentur homines ad cultum Dei deputandi. Septimo, Ordo sacer, quo regantur, & gubernentur.

SECVNDA ratio ex numero peccatorum, & vulnerum. Nam Baptismus est præcipuè contra originale, Pœnitentia contra actuale mortale, Vnctio extrema contra reliquias peccatorum, Confirmatio cõtra infirmitatem, Eucharistia contra malitiam, Matrimonium contra concupiscentiam, Ordo cõtra ignorantiam.

TERTIA ratio ex numero virtutum, Baptismus respondet fidei, cõfirmatio spei, Eucharistia charitati, Pœnitentia iustitiæ, Vnctio extrema fortitudini, Ordo prudentiæ, & Matrimonium temperantiæ.

QVARTA ratio ex celebritate numeri septenarij in expiationibus. Vide Exod. 29. Leuit. 4. & 8. 13. 14. 15. 16. 23. Numer 19. Deuter. 15. 2. Paralip. 29. Iob vltimo, vbi semper videbis in expiatione offerri septem animalia, vel septem diebus, vel septies aspergi sanguinem, &c. Vnde etiam 4. Reg. 5. Naaman septies iussus est lauari ad purgandam lepram. Vide sanctum Thomam in 4. dist. 2. q. 1. 3. par. q. 65. artic. 1. & contra Gentes lib. 4. cap. 58.

SED Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 16. 17. & 18. tria dicit de his rationibus. Primò affirmat, esse fundamenta principalia, & demonstrationes nostræ sentẽtiæ: *Hæ sunt*, inquit, *demonstrationes, hæc fundamenta, quibus septenarius numerus Sacramentorum in Ecclesiam inuectus & receptus fuit à scriptoribus Scholasticis.* Secundò dicit, has demonstrationes nihil valere, quia alioqui probaremus etiam septem fuisse Sacramenta in lege veteri: nam etiam tunc erant virtutes, & peccata, & vita spiritualis, & corporalis. Tertio dicit, si ex numeris celebratis in Scriptura, numerus Sacramẽtorum desumi debeat, posse probari tria esse sacramẽta, vel etiam duodecim, aut plura, quia multi sunt numeri celebres, & sacri in Scripturis.

SED hæc leuia sunt. Nam inprimis nullus Theologorum dixit, ista esse fundamenta, & demonstrationes, sed solùm congruentias suppositas fide. Id enim Scholastici facere solent, vt ea, quæ ex fide habemus, ostendant etiam non repugnare rationi, sed illi potiùs esse conformia. Nec tamen argumentum Kemnitij concludit, oportuisse nimirum etiam in veteri lege esse Sacramenta septem. Nam Sacramenta vetera (vt suprà ostendimus) non erant instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali, nec ad remedium peccati, excepta Circũcisione, sed solùm ad significanda mysteria Christiana, & alios quosdam fines: nostra autem sunt instituta in remedium peccati, & ad iustificandum, & perficiendum hominem in vita spirituali, vt ex Scripturis apertissimè deducitur. Itaque congruentiæ illæ rectissimè se habent, si applicentur nostris Sacramentis, non autem si applicentur veteribus. Denique illa ratio Kemnitij de variis numeris in Scriptura celebribus, nihil concludit. Nam ratio Catholicorum sumitur ex numeris quæ significabant expiationem

tionem peccatorum, non autem ex quibuscunque numeris. Porrò in Scriptura, ita frequens est numerus septenarius in expiationibus, vt tota Scriptura clamare videatur, futurum aliquando fuisse tempus, quo septem insignia & efficacissima remedia darentur à Deo in expiationem peccatorum.

CAPVT XXVII.

Soluuntur obiectiones.

RESTAT vt obiectiones aduersariorum diluamus, quæ sunt partim ex Scriptura, partim ex Patribus, partim ex ratione. Primùm igitur ex Scriptura tria proferũt argumenta. Primum negatium, quia Scripturæ nusquam tradunt septem esse Sacramenta, Secundum affirmatiuum, quia Scripturæ duo tantùm Sacramenta esse docent. Nam Ioan. 19. ex latere Christi fluxerunt sanguis & aqua, id est, (vt exponunt Chrysostomus, Cyrillus, & Theophylactus eum locum, & Damascenus, lib. 4. de fide, cap. 10. & Augustinus, lib. 2. de symbolo, cap. 6. & tract. 9. in Ioannem, & alij.) Eucharistia & Baptismus. Tertium, quia Scripturæ non solùm non ponunt septem, & ponunt tantùm duo, sed etiam negant esse septem. Nam Apocalypsis 17. Angelus vocat Sacramentum bestiam, quæ septem capita habebat: ex quo significari videtur septenarium numerum Sacramentorum ad Antichristum pertinere, qui per eam bestiam designatur. Hæc sunt argumenta Kemnitij ex Scriptura, quæ ipse habet in 2. parte Examinis, pagin. 18. & 50. Sed hæc leuia sunt.

AD Primum suprà respondimus, Scripturam neque septẽ, neque duo, neque tria, vsquam expressè numerare.

AD Secundum, locus ille Ioannis non malè ita exponi potest, vt significentur per sanguinem & aquam, Eucharistia, & Baptismus, vt exponunt ferè Græci omnes, sed non propterea excluduntur cætera Sacramenta. Solùm enim duo posita sunt, quia sunt illa magis communia, & magis principalia, & ex illis poterat idem iudicium de cæteris fieri. Sicut etiam Hebr. 6. Paulus duo tantùm ponit Sacramenta, Baptisma, & manuum impositionem, id est, Confirmationem: *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Vbi permanuum impositionem intelligunt, Chrysostomus Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & alij, Confirmationem, quæ dabatur post Baptismum, nec meminit Eucharistiæ, quæ simul dabatur (vt etiam modo datur cùm baptizantur adulti) cum Baptismo, & Confirmatione.

DICO tamen Secundò, non esse necessarium sequi illam expositionem Græcorum de sanguine & aqua. Alij enim æquè magni expositores aliter exponunt. Cyrillus, Catecheli 3. & Hieronymus in epist. 83. ad Oceanum, intelligunt per sanguinem, & aquam, significata esse duo Baptismata, vnum in sanguine, id est, Martyrium, aliud in aqua. Ambrosius lib. 10. in Lucam, cap. 105. & Leo, epist. 4. & Augustinus, ac Beda in cap. 19. Ioannis, intelligunt per sanguinem, redemptionis pretium: per aquam, Baptismum. Et hæc videtur maximè literalis expositio, vt nimirum intelligamus ex Christi latere fluxisse Baptismum, qui omnem suam vim habet ex Christi sanguine. Nam ideò non dixit, Exiuit aqua, & sanguis, vt ordo postulabat, si ageretur de Baptismo, & Eucharistia, cùm Baptismus præcedat Eucharistiam; sed dixit: *Exiuit sanguis, & aqua*, id est, precium, & applicatio illius precij. Quod etiam confirmatur ex illo 1. Ioan. 5. *Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem, Iesus Christus, non in aqua solùm, sed in aqua, & sanguine.* Vbi videtur ipsemet Ioannes explicare mysterium; quod posuerat, Ioan. 19. & simul ostendere differentiam inter Baptismum Christi, & Ioannis, quòd Ioannes venerit in aqua solùm, id est, Baptismum attulerit non efficacem. At Christus attulerit Baptismum efficacissimum, cùm aquam dederit sanguini suo admistam.

AD Tertium respondeo, blasphemum esse Kemnitium, cùm Sacramenta Christi capita bestiæ esse dicit. Nam cogitur, velit nolit, ea etiam Sacramenta numerare inter capita bestiæ, quæ ipse habet pro veris Sacramẽtis, nimirum Baptismum & Eucharistiã: hæc enim sunt ex numero illorum septem. Adde, quòd Ioannes non dicit septem capita, esse septem Sacramenta, sed vnum Sacramentum: proinde, (si liceret nugari) id magis quadraret in Lutherum, qui vnum Sacramentum esse dixit, & plura signa Sacramentalia. Denique ipsemet Ioannes septem illa capita, septem Reges interpretatur: Ex quo ruit totum ædificium blasphemiæ Kemnitianæ.

IAM ex Patribus. Primò, Caluinus lib. 4. Institut. cap. 19. §. 3. dicit, veteres cùm loquuntur propriè de Sacramentis, duobus contentos esse, Baptismo, & Eucharistia. Id probat ex Augustino. lib. 3. doctr. Christianæ, c. 9. & epist. 118. Addit Caluinus probationem. Nam Augustinus solet, vt plurimùm quærere mysteria in numeris: *Immò*, inquit Caluinus, *in obseruandis numeris curiosior esse solet, quàm necesse foret: & tamen de isto numero septenario Sacramentorum nihil vnquam scripsit.*

KEMNITIVS in 2. par. Exam. pag. 25. & sequẽtibus, tria asserit ex Patribus. Primò si propriè loquamur de Sacramentis, vetustissimos Patres nõ agnouisse, nisi duo, Baptismum, & Eucharistiam. Id probat ex Iustino, Apologia 2. ex Irenæo, ex Tertulliano, lib. 1. & 4. in Marcionem, & de corona militis, item ex Cyrillo in Catechesibus, ex Ambrosio, in lib. de sacramentis, & de iis, qui initian. myst. qui duo auctores ex professo tractant de sacramentis, & tamen non ponunt nisi duo.

SECVNDÒ, affirmat Patres recentiores ponere plura sacramenta, quàm duo, sed pauciora, quàm septem; propriè loquendo de sacramentis. Id probat ex Dionysio, quem dicit à nobis fingi esse Areopagitam, qui in Ecclesiastica hierarchia, quatuor tantùm sacramenta exponit, Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, & Ordinem. Item ex Gregorio can. multi sæcularium, 1. q. 1. apud Gratianum, qui tria ponit, Baptismum, Chrisma, Eucharistiã. Item ex Rabano: & Paschasio de cœna Domini. Deniq; ex incerto auctore, qui sub nomine Cypriani, scripsit de operibus Cardinalibus Christi. Is enim in sermonibus de cœna Domini, de ablutione pedum, & de Chrismate, pauciora ponit quàm septem.

TERTIÒ affirmat, Patres, cùm largo modo de Sacramentis loquuntur, plura numerare quàm septem; & probat ex variis locis Augustini. Ex quibus omnibus colligitur, neque propriè, neque impropriè loquendo sacramenta esse septem apud veteres, sed vel pauciora, vel plura.

RESPONDEO Primùm ad hæc omnia, nullum ex Patribus scripsisse vnquam sacramenta non esse septem, aut esse tantùm duo, vel tria: sed solùm ad suum propositum mentionem fecisse aliquorum sacramentorum, de aliis nihil dixisse. Non autem pugnant cum Theologis, qui septem asserunt sacramenta, ij qui neque septem esse negant, neque dicunt tantùm esse duo, vel tria. Adde quòd iidem Patres in multis locis vnius tantùm sacramenti mentionem faciunt, in aliis locis nullius. Quare secundum Remnitij Dialecticam, oporteret colligere vnum esse sacramentum, aut etiam nullum. Satis igitur esse debet; quòd Patres in variis locis, aut certè varij Patres eiusdem ætatis omnium septem sacramentorum alicubi meminerint, vt nos suprà ostendimus. Hac solutione præmissa respondeo etiam ad singulos Patres.

AC Primùm ad Augustini testimonia à Caluino citata, dico Augustinum in illis duobus locis non dicere esse tantùm duo, sed ponere duo, loco exempli. Id quod patet ex iisdẽ locis. Nam lib. 3. doctrin. Christianæ, cap. 9. sic habet Augustinus: *Pauca pro multis, eademque facta*

facillima, & intellectu augustissima, & conseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Vbi vides particulam (*sicuti*) apertè indicare ista esse exempla. Sic etiam in epist. 118. vbi Augustinus dixit, nos habere sacramenta numero paucissima, significatione præstantissima; obseruatione facillima, subiungit: *Sicuti est Baptismus, & communicatio corporis Domini, etsi quid aliud in diuinis literis commendatur.* Vbi etiam vides exempla esse, & indicari etiam plura esse, quàm duo; quod clariùs repetit in Psal. 103. concione 1. in illa verba: *Qui tegit aquis superiora eius. Respice*, inquit, *ad munera ipsius Ecclesiæ, munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis.* Et in epist. 119. ad eundem Ianuarium, cap. 7. *Ad celebrationem*, inquit, *Sacramentorum vtimur de sensibilibus rebus, aqua, frumento, vino, & oleo.* Vbi vides numerari materias omnium sacramẽtorum, excepta Pœnitentia, & Matrimonio, quæ duo non habent vllam materiam consecratam.

A

B

Adde quòd Augustinus, etsi in quibusdam locis non meminerit, nisi duorum, tamen alibi expresè ponit plura; & præsertim de Confirmatione, & de Ordine affirmat illa esse sacramenta, sicut est Baptismus, lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 104, & lib. 2. cõtra epist. Parmeniani, cap. 13. Mentitur igitur Caluinus impudenter, cùm dicit, Augustinum duobus tantùm sacramentis esse contentum.

Ad Confirmationem, retorqueo argumentum in auctorem. Nam si S. Augustinus tantùm duo sacramenta esse credidit, & erat curiosior, quàm oporteret in mysteriis numerorum; cur non indicauit, quæ mysteria lateãt in binario numero sacramentorum? Præterea non est verum, S. Augustinum tam curiosum fuisse, vt dicit Caluinus, in mysteriis numerorum. Non enim ignorabat esse duodecim articulos fidei, tres virtutes Theologicas, decem præcepta decalogi, & alia id genus multa, de quorum tamen numerorum mysteriis, nihil Augustinus scripsit. Sic igitur neque scripsit de mysteriis septenarij numeri sacramentorum, ne Caluinus nimis eum curiosum in his rebus appellaret.

C

Venio ad loca citata à Kemnitio. Ad locum Iustini Respondeo. Iustinum in Apologia illa tantùm meminisse duorum sacramentorum, quia id requirebat argumẽtum illius operis: respondet enim iis, quæ obiiciebantur à Gentilibus. Gentiles autem duo quædam obiiciebant. Primò, quòd Christiani essent athei, quia non colebant Deos. Secundò, quòd in suis conuenticulis multa turpia, & scelerata agerent, ac præcipuè, quòd humanas carnes vorarent, & ideò ad suam synaxim non admitterent vllos præter suos. De quibus calumniis vide etiam Tertullianum in Apologetico, Athenagoram in Apologia, & Minutium in Octauio. Iustinus igitur ad illa duo respondet, & ideò in maxima parte Apologiæ tractat de fide, ac docet, Christianos non esse atheos, cùm colant tres diuinas personas, & præterea venerentur Angelos, &c. Deinde in altera parte tractat de synaxi, & obiter meminit Baptismi, vt doceat solis baptizatis licere interesse Synaxi; & breuiter exponit quid Christiani agant singulis Dominicis diebus in sua synaxi, vbi necessariò differre debuit de Eucharistia, quia hoc mysterium præcipuum est in synaxi, & de hoc potissimùm malè audiebãt Christiani; putabantur enim vesci carnibus alicuius pueruli. De aliis sacramentis non fuit opus, vt quidquam diceret, quia illa partim erant ignota Gentilibus, partim sine calumnia exercebantur.

D

Ad Irenæum Respondeo, Irenæum nunquam instituisse disputationem de sacramẽtis, sed pro locorum opportunitate modò meminisse vnius, modò alterius. Nam lib. 1. c. 9. tractat de Eucharistia, refellẽs deliramẽta Marci cuiusdam circa Eucharistiam, cap. 18. tractat de Baptismo refellens deliramenta aliorum eius temporis hæreticorum circa Baptismum. Rursus lib. 4. c. 32. 33 & 34. tractat de sacrificiis legis veteris, & nouæ, & ideò simul agit etiã de Eucharistia. Item lib. 1. c. 2. tractat de Pœnitentia, & li. 3. c. 4. meminit Confessionis. Neque obstat, quòd non vocet Pœnitentiam sacramentum: nam nec Baptismum, aut Eucharistiam vocat sacramenta.

Ad Tertullianum idem dici posset; non enim instituit vsquam disputationem de sacramentis: sed præterea perspicuè distinguit in libro de resurrectione carnis quatuor diuersa, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, Ordinationem. Neque valèt glossa Kemnitij, quòd Tertullianus Chrisma, & manus impositionem non faciat noua sacramenta, sed velit esse cęremonias Baptismo annexas. Nam Tertullianus distinguit illa quatuor, & tribuit singulis proprios effectus. Et præterea, si de cæremoniis Baptismi ageret, non poneret manus impositionem post Eucharistiam.

Sed videamus loca à Kemnitio adducta. Primò, adfert librum primum in Marcionem. Sed locus ille pro nobis est: non enim dicit in eo libro vsquam duo esse sacramenta, sed dicit in Sacramentis Deum vti voluisse aqua, pane, & oleo; quæ sunt materiæ, quæ consecrantur in quinque Sacramẽtis, Nec meminit Tertullianus aliorum duorum, quia solùm volebat ostendere, Deum nostrum esse verum Creatorem elementorum, & aliarum rerum sensibilium, contra Marcionis errorem, qui id negabat. Id autem probat egregiè; quia si res istas creasset alius Deus, non eis vteretur Deus noster in Sacramentis suis.

Secvndò adducit librum quartum contra Marcionem, vbi in margine ad numerum 51. est annotatio B. Rhenani: *Baptismus, & Eucharistia, duo Sacramenta primitiuæ Ecclesiæ.* Quæ annotatio Kemnitium decepit: non enim eo loco Tertullianus dicit tantùm esse duo ista Sacramenta, sed reprehendit Marcionem, quòd ad hæc sacramenta non admitteret, nisi eos, qui damnabant coniugium.

Tertiò, adducit librum de corona militis, vbi etiã non nominantur, nisi Baptismus, & Eucharistia. Sed non aduertit Kemnitius in eo libro non agi de sacramentis, sed de cæremoniis Ecclesiæ, quæ non habentur ex Scriptura, sed ex traditione. Vnde ibi enumerat varias traditiones circa hæc sacramenta; & ne putaremus non esse alia Sacramenta, vel alias cæremonias, addit: *Harum, & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem postulas Scripturarum, nullam inuenies; traditio tibi obtenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.*

Ad Cyrillum, & Ambrosium dico duo, Primò, falsum esse eos duo tantùm sacramenta agnoscere: vterque enim in libris à Kemnitio citatis, meminit Chrismatis, tanquam sacraméti à Baptismo, & Eucharistia distincti; vt patet ex Cyrillo Catechesi 3. & ex Ambrosio, lib. 3. de sacramẽtis, cap. 2. & de iis qui mysteriis initiantur, cap. 7.

Secvndò, dico non esse mirum, si isti auctores in his libris de tribus tantùm sacramentis tractant: scribunt enim ex professo ad Catechumenos, & eos instruunt de his rebus, quę fiunt tempore Baptismi. Porrò cùm baptizantur adulti, tria sacramenta eodem die illis ministrantur, Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia: id quod certum est, tum ex praxi, quæ hodie est in Ecclesia, tum ex libris citatis Ambrosij, vbi totum ordinem Baptismi, & rerum consequentium describit. Vnde Amphilochius in vita sancti Basilij, ita de illius Baptismo scribit; *Baptizauit*, inquit, *Episcopus Maximinus Basilium, & Eubulum, atque vngens eos sancto Chrismate, tradidit eis vinificam communionem.*

Ad Dionysium Areopagitam dico, eum tantùm differere in eo libro de hierarchia Ecclesiastica, vt ipsum nomen indicat, ac de solennibus actionibus Hierarchæ,

id est, Episcopi. Itaque tractat de Baptismo, & Eucharistia, quæ solenni ritu Episcopus administrare solet. Item de Consecratione olei, de Ordinatione clericorum, quæ à solis Episcopis fieri possunt: cætera tria omisit. Nam extrema vnctio, priuatim à presbytero confertur: Matrimonium non eget, quoad essentiam suam, ministerio Sacerdotum, tametsi præsentia parochi ex decreto Concilij Tridentini omninò requiratur: & benedictio, quàm nouis nuptis dare solet Ecclesia, à presbytero priuatim celebretur. Denique Pœnitentiam solenniter quidem olim Episcopi imponebant, & deinde in sancta hebdomada pœnitentes absoluebant: sed videtur id cœpisse post Apostolorum mortem, cùm peccata multiplicari cœpta essent. Quare hoc potiùs est argumentum antiquitatis horum librorum. Nec tamen ignorauit Dionysius Sacramentum Pœnitentiæ, cùm eius meminit in epistola ad Demophilum.

Ad Gregorium dico, verba illius Canonis non videri Gregorij, nec enim in eius operibus inueniuntur: exstant autem apud Isidorum, lib. 6. etymologiarum, cap. 19. sed cuiuscunque sint, non ponit ille auctor, nisi exempla quædam.

Rabanvs in libris de institutione Clericorum, tractat de Sacramentis omnibus, quæ conueniunt Clericis, lib. 1. cap. 6. de Ordine ibidem, cap. 24. de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, lib. 2. cap. 29. de Pœnitentia, ibidem cap. 11. de Extrema vnctione. Matrimonium solum omisit, quia ad clericos non pertinet.

Paschasivs in lib. de cœna Domini, quid mirum, si non tractet nisi de Eucharistia, cùm hoc solùm requirat argumentum illius libri? Denique Cyprianus seu quicunque sit auctor sermonum de operibus Cardinalibus Christi, non meminit omnium Sacramentorum; quia solùm explicat Sacramenta, quæ Dominus instituit in cœna, quæ sunt Eucharistia, Chrisma, & Ordinatio. Vide sermones de cœna Domini, de ablutione pedum, & de Chrismate. Ad alia loca Kemnitij nihil opus est respondere: fatemur enim Sacramenta largo modo sumpta, esse plura, quàm septem.

Vltimo loco Kemnitius argumentatur ex ratione, ac probat duo tantùm esse Sacramẽta, quia duobus tantùm conuenit definitio Sacramenti. Sed vt hoc possit efficere, fingit sibi nouam definitionem, eámque longissimam: tot enim particulas in ea posuit, quot sufficere videbantur ad excludenda quinque Sacramenta. Sed hanc definitionem nos suprà diligenter refutauimus in disputatione de definitione Sacramenti.

CAPVT XXVIII.

De ordine, & comparatione Sacramentorum nouæ legis inter se.

Nvm hoc supereſt ad finem quæstionis de numero Sacramentorum, vt eorum etiam ordinem ostendamus. Est enim vnus ex Lutheranorum errõribus, non esse vnum Sacramentum alio præstantius: ita enim loquitur Lutherus in lib. de instituendis ministris ad Pragenses. *Vnum Sacramentum altero dignius esse non potest, cùm eodem verbo Dei omnia constent.* Quod idem maiori ratione dicere coguntur Caluinistæ, qui cùm in Eucharistia non ponant Christi corpus, nisi tropicè, non est vlla ratio, cur eam Baptismo anteponant. Sed nec Lutherani rationem habent, cur Eucharistiam anteponant Baptismo. Etsi enim fatentur in pane esse verum Christi corpus, tamen idem corpus Christi coguntur eodem modo ponere in aqua Baptismi, cùm vbique illud ponant. Sicut etiam non est ratio, cùm eundem effectum vtrique Sacramento tribuant, nimirum obsignare promissiones ad alendam fidem.

Contra hunc errorem posuit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 3. in quo dicitur anathema iis, qui septem Sacramenta nouæ legis paria faciunt. Circa quem Canonem, & totam hanc rem, pauca quædam notanda sunt. Primum est, Caluinum in Antidoto, & Kemnitium in Examine 2. parte pag. 75. & sequentibus, omnino dissimulasse statum quæstionis præsentis, & rem totam ad iocum, & calumnias vertisse. Nam vterque dicit hunc canonem à se maximè seruari, cùm ipsi non faciant paria septem Sacramenta, immò tantùm discrimen ponant inter Baptismum, & Eucharistiam ab vna parte, & cætera quinque ab altera, vt priora duo Christi institutionem esse dicant, reliqua verò hominum inuenta. Sed hoc (vt dixi) est dissimulare statum quæstionis. Concilium enim cùm dicit anathema iis, qui septem Sacramenta faciunt paria, non vim facit in numero septenario, sed in ratione Sacramenti: hic enim est sensus canonis; Si quis Sacramenta nouæ legis, quæ in 1. can. septem esse diximus, paria facit, ita vt non sit vnum alio dignius, anathema sit. Esse autem hunc sensum patet, tum quia Concilium suis canonibus Lutheranorum errores damnat; error autem Lutheranorum non est, quòd parem faciant Baptismo Confirmationem, aut aliud eiusdem generis eorum; quæ ipsi non habent pro Sacramentis, sed quod inter Baptismum, & Eucharistiam discrimen dignitatis non ponant, tum etiam id patet ex ipso Concilio. Nam infrà sess. 13. cap. 3. asserit Eucharistiam excellere omnibus aliis Sacramentis, quam comparationem non facit Concilium in aliis.

A

B

C

D

Nota Secundò, Kemnitium dissimulata vera caussa huius canonis, alias quasdam ponere, nimirum quòd Concilium renouare voluerit antiquam contumeliam, quòd scilicet Chrisma præstet Baptismo. Item quòd Ordinis Sacramentum antecellat cæteris, quia secum adfert pingues præbendas. Denique quòd Ordinis Sacramentum tantò sit excellentius coniugio, vt simul cum eo manere non possit. Sed ista omnia meræ calumniæ, ac meræ nugæ sunt, auctoribus suis dignissimæ. Nam Concilium, vt dixi, præcipuè intendit damnare errorem Lutheranorum de paritate Baptismi, & Eucharistiæ, atque ad hoc respondere debuissent isti censores. Neque dicimus Sacramentum Ordinis pugnare cum Matrimonij Sacramento, sed actum Matrimonij habere aliquid indecens in sacerdote. Nam si laici continere debent ab vxore ad tempus caussa orationis. 1. Corint. 7. certè actus coniugij impedit orationem, & multò magis sacrificium. Alioqui veros coniuges, sed continentes, ordinamus sacerdotes.

Nota Tertiò, Sacramenta septem, licet sint eiusdem generis, & proinde omnia verè, & propriè Sacramenta: tamen differre specie, & secundũ varias rationes nullum esse, quod alicui alteri non præstet. Nam Baptismus excellit omnibus, quoad effectum remittendi peccata; nam remittit peccatum originale, quod nullo alio Sacramento remittitur: item remittit omnia actualia, & omnem pœnam eis debitam, quòd non faciunt Sacramenta.

Confirmatio excellit omnibus, & ipsi etiam Baptismo (etiamsi nolint Lutherani) quoad effectum gratiæ ad benè operandum. Nam in eo Sacramento confertur plenitudo Spiritus sancti, & est Confirmatio quædam, perfectio, & consummatio Baptismi: præsupponit enim totum effectum Baptismi, & superaddit, gratiam copiosiorem. Vnde Apostolis dicitur Luc. vlt. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Et ante Confirmationis effectum, quam acceperunt in die Pentecostes, licet Baptizati essent, timidissimi erant, ita vt omnes in passione fugerent, postea verò accepto Spiritu sancto, facti sunt robustissimi. Quare Cyprianus lib. 2. epist. 1. & Cornelius in epist. ad Fabianum apud Eusebium lib. 6. hist. ca. 33. non timuerunt dicere non esse plenè sanctificatos, nec perfectos Christianos, qui carent Sacramento Chrismatis; etiamsi hanc vocent Caluinus & Kemnitius veterem contumeliam.

EVCHARISTIA excellit omnibus, quoad ipsam substantiam sacramenti. Nam cætera constant ex re sensibili & virtute quadam agendi sibi à Deo communicata per motum: at Eucharistia non solùm virtutem quandam operatiuam, sed ipsum Christum auctorem illius virtutis verè continet.

POENITENTIA excellit cæteris necessitate, solo Baptismo excepto, cum quo est illi hæc excellentia communis.

EXTREMA vnctio aliquo modo excellit Pœnitentiæ, quoad effectum gratiæ, sicut Confirmatio Baptismo. Nam præsupponit totum effectum Pœnitentiæ, & superaddit gratiam copiosiorem, quæ non solùm posset delere omnia peccata si adessent, sed etiam tollit reliquias peccatorum.

ORDO excellit omnibus, excepta Confirmatione, ratione ministri; nam solùm ab Episcopo conferri potest. Immò etiam videtur excellere in hac re Confirmationi. Nam Confirmatio aliquãdo ex dispensatione confertur à simplici sacerdote: Ordines autem sacri, ac præsertim sacerdotium, nunquam nisi ab Episcopis conferuntur. Præterea Ordo cæteris præstat, quoad aliquid sibi proprium, quia constituit homines in gradu sublimiore, quàm sint cæteri Christiani, non (vt nugatur Kemnitius) quia præbendas pingues secum adfert.

DENIQVE Matrimonium excellit significatione: significat enim Christi vnionem cum Ecclesia; vnde ab Apostolo magnum Sacramentum appellatur, Eph. 5.

NOTA Quartò, simpliciter Eucharistiam omnibus excellere; nam eius excellentia est in ipsa sacramenti substantia. Et præterea est hoc sacramentum consummatio omnium sacramentorum, vnde etiam post singula conferri solet, quando ea traduntur adultis: de qua re alibi dicendum erit.

NOTA Quintò, ordinem, quem seruat Concilium in sacramentis numerandis, non esse ordinem dignitatis, sed primò poni quinque, quæ ad omnes pertinent, deinde duo, quæ non ad omnes: & quidem in primis quinque seruari ordinem temporis, quo ex natura sua sumi deberent. Primò enim datur Baptismus, Secundò confirmatio, Tertiò Eucharistia: hic enim ordo seruatur cùm baptizantur adulti, & est ordo naturalis. Quartò datur Pœnitentia, si contingat peccare post Baptismum. Quintò Extrema vnctio in fine vitæ. Post ista quinque, quæ sunt omnibus communia, ponuntur alia duo, quæ non conueniunt omnibus, Ordo, & Matrimonium; & quidem prius Ordo, quàm Matrimonium, quia Ordo est excellentior: hic enim non debuit haberi ratio temporis, cùm non coniungantur hæc duo Sacramenta in vno homine, nisi per accidens.

CONTROVERSIA SEXTA.

De cæremoniis Sacramentorum in genere.

DE ritibus singulorum Sacramentorum suis locis agemus; hic tantùm de ritibus in genere disputandum est. Quam postremam controuersiam disputare instituimus, tum quia res dignissima est, quæ sciatur, tum etiam vt nullus sit canon Concilij Tridentini de Sacramentis in genere, quem non defenderimus. hactenus enim omnes defendimus, præter vltimum, qui dicit anathema iis, qui cæremonias Ecclesiæ, vel contemnunt, vel sine peccato prætermitti posse putant.

ERVNT autem quatuor partes huius quæstionis. Prima de nomine, definitione, & partitione cæremoniarum: Secunda de statu causæ, & hæreticorum erroribus, & mendaciis: Tertia de explicatione, & probatione veritatis: Quarta de obiectionibus aduersariorum.

CAPVT XXIX.

De nomine, definitione, & partitione cæremoniarum.

QVOD ad Primum attinet, notanda sunt quædam pro statu causæ intelligendo. Primum est, quid sit cæremonia. Est autem cæremonia actus externus religionis, qui non aliunde habet laudem, nisi quia fit ad Dei honorem. Religio enim, quæ est nobilissima moralium virtutum, tres habet actus, vt quæuis alia virtus, Primò, actum internum elicitum, qui est velle Deo debitum honorem, & cultum dare. Secundò, actum externum internè respondentem, qui est quælibet externa actio, quæ non aliunde est bona, & laudabilis, nisi quia fit ad Deum colendum, vt sacrificium, genu flexio, & similia. Tertiò, actum imperatum, id est, actum cuiusuis virtutis, qui à religione ordinetur ad Dei honorem. Hoc modo ieiunia, eleemosynæ, & alia id genus dici possunt actus religionis, quando fiunt ad colendum Deum, licet alioqui sint etiam actus aliarum virtutum. De hoc tertio actu dixit S. Iacobus cap. 1. religionem esse visitare pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo; & S. Augustinus in Enchirid. cap. 3. dixit, Deum coli fide, & spe, & charitate. Ex his tribus actibus, primus nullo modo est cæremonia; tertius non est etiam cæremonia, nisi quatenus imperatur à religione; secundus est propriè, & simpliciter cæremonia, & de eo tractamus hoc loco.

QVOD autem ad nomen attinet: Cæremoniæ apud Hebræos dicuntur חקים quod nomen propriè significat, non tam ipsam externam actionem, quàm legem, seu statutum, quo actio illa præcipitur. Vnde etiam in nouo Testamento cæremoniæ Iudaicæ nomine legis appellari solent, vt Matth. 11. *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Gal. 5. *Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Eam vocem Græci reddunt vbique per δικαιώματα, id est, iustificationes, quia erant ritus ad hominem iustificandum, & purgandum instituti. Latinus interpres ferè semper vertit cæremoniam in Testamento veteri vocem Hebræam חקים. Nomen autem hoc Latinum vel dictum est ab oppido Cære, vt volunt Liuius lib. 5. & Valerius Maximus lib. 1. cap. 1 quòd in eo oppido sacra Romana seruata sint, quo tempore Galli Romam diripuerunt; vel fortè rectiùs dictum est à carendo, vt sit cæremonia, quasi carimonia, vt vult S. Augustinus lib. 2. retract. cap. 37. & Gellius lib. 4. c. 9. & Macrobius libr. 2. Saturnal. cap. 3. eò quòd quædam cæremoniæ in abstinendo, & carendo positæ sunt, qualis erat apud Iudæos carere vsu carnis suillæ, & omnia ferè vota Nazaræorum, & aliorum, qui vini, & aliarum multarum rerum vsu, & voto carebant.

SED ad partitionem veniamus. Quinque sunt partitiones cæremoniarum. Prima partitio sumitur à fine seu effectu. Quædam enim instituuntur ad iustificandum, vt Sacramenta, & de his modò non agimus: quædam ad alios quosdam effectus spiritales, vt ad dæmones coërcendos, vt exorcismi, aqua benedicta, &c. quædam ad solum ornatum, & significationem, vt vestis alba neophytorum, lumina cereorum, &c. & de his agimus.

SECVNDA partitio sumitur à causa efficiente, id est, ab institutore. Quædam enim sunt ab ipsa natura quodammodò institutæ, quę naturales dici possunt: quale est respicere in cœlum, tollere manus, flectere genua, tundere pectus cũ Deum oramus: ista enim natura ipsa docet, vnde etiam communes sunt etiam Gentilibus, & quibuscunque sectis. Quædam sunt à Deo institutæ, vt multę in Testamento veteri, & Sacramenta quædam in nouo, atque hæ diuinæ cæremoniæ appellantur. Quædam deniq; sunt ab Apostolis, vel eorum successoribus

institutæ, quæ dicuntur Ecclesiasticæ. Et similis est partitio verborum; sunt enim cæremoniæ quædam verba visibilia. Videmus enim quasdam voces esse naturales, vt sunt eæ, quibus varios effectus exprimimus; nam omnes eodem modo plorant, suspirant, rident, &c. alias à Deo institutas, vt Gen. 1. nomen cœli, terræ, maris, & alibi nomina aliquorum magnorum virorum. denique alias ab hominibus institutas, vt Gen. 2. Adam imposuit nomina animantibus.

TERTIA partitio sumitur à causa formali. Quędam enim cæremoniæ sunt immediatè cultus Dei, vt sacrificium, oratio, adoratio, &c. quædam disponunt ad colendum Deum, vt ieiunia, cœlibatus, vitæ asperitas, &c. quędam sunt instrumenta diuini cultus, vt templa, aræ, calices, &c.

QVARTA partitio à causa materiali, seu ab obiecto materiali. Quædam enim cæremoniæ versantur circa personas; vt exorcismi, insufflationes, aspersio cineris, &c. quædam circa locum, vt consecratio templi; quædam circa tempus, vt dies festi, vigiliæ, Quadragesima: & sic etiam sunt tempora determinata Sacramentorum celebrationi: quædam circa modum, vt quòd Latinè Sacramenta ministrentur: denique quædam circa res ipsas, vt benedictiones aquæ, olei, vestium, palmarum, &c.

QVINTA partitio sumitur ab accidentibus, vt quòd aliæ sint vniuersales, aliæ particulares; vt ieiunium Sabbathi temporibus S. Augustini seruabatur Romæ, non Mediolani; & contra lotio pedum post Baptisma, seruabatur Mediolani, non Romæ. Vide Augustinum epistol. 118. & Ambrosium libro de Sacramentis 3. capit. 1. Item aliæ temporales, vt abstinentia à sanguine, & suffocato, Actor. 15. aliæ perpetuæ, vt ritus Sacramentorum. Denique aliæ in præcepto, aliæ liberæ; de quibus vide Augustinum epist. 18.

CAPVT XXX.

De statu causæ.

IAM vt statum causæ intelligamus, obseruanda sunt tria. Primò non pauca esse, in quibus aduersarij nobiscum conueniunt: Primò enim fatentur aliquas cæremonias necessarias esse ad Sacramentorum administrationem, præter cæremonias, quibus continetur Sacramentorum essentia. Secundò eas cæremonias esse adhibendas, quæ habent in Scriptura mandatum, vel exemplum, vt orationes, gratiarum actiones, exhortationes, psalmodiam: ista enim fuisse in vsu Apostolorum, patet ex 1. Cor. 14. & 1. Tim. 2. Tertio fatentur posse Ecclesiam statuere de his cæremoniis, quæ habentur in Scripturis, certum ordinem, & modum, quo seruari debent, ne sit confusio. Ita Lutherus in lib. de piis cæremoniis, & in lib. de formula Missæ: Caluinus li. 4. Instit. c. 10. §. 14. Kemnitius in Examine, 2. part. pag. 171. Denique idem probant tot agendæ, quas singulæ ferè Ecclesiæ ipsorum ediderunt.

SECVNDÒ obseruandum est, multa ab aduersariis reprehendi in doctrina de cæremoniis Catholicorum, sed omnia esse ipsorum mendacia, non dogmata nostra: quocirca sunt hæc omnia notanda, & separanda, vt verus causæ status appareat.

IGITVR Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 157. & sequentibus, hęc omnia nobis tribuit. Primò, quòd Concilium Tridentinum approbauerit quoscunque ritus ab hominibus excogitatos, licet absurdissimos. Idem habet Caluinus in Antidoto huius canonis. At falsum est: nam Concilium non approbat, nisi ritus receptos ab Ecclesia vniuersali, quos etiam ita approbat Augustinus epist. 118. vt dicat contra eos disputare esse insolentissimæ insaniæ.

SECVNDÒ, quòd asseramus retinendos ritus, qui pugnant cum Dei verbo. Tertiò, quòd Papa possit immutare Christi instituta. Quartò, quòd sit peccatũ mortale, & anathemate dignum, mutare vel minimum in his cæremoniis. Idem habet Caluinus in Antidoto. Quintò, quòd anteponamus humanas cæremonias diuinis præceptis. Idem habet Caluinus libro 4. Institut. can. 10. & Confessio in Apologia August. artic. 15. & vltim. Sextò, quòd putemus sine his ritibus humanis non habere Sacramenta veritatem, & efficaciam. Quod sanè est mendacium impudentissimum: & idem tamen mendacium est apud Tilmannum Heshusium libr. de 600. erroribus Pontificiorum, tit. 15. errore 13. Septimò, quòd singulis cæremoniis tribuamus vim aliquam spiritualem. Octauò, quòd aliquibus cæremoniis tribuamus efficaciam Sacramentorum, vt cereo Paschali. Simile quid habet Lutherus in vltim. homilia de Baptismo, vbi dicit, Catholicos putare aquam benedictam, & similes res consecratas, esse Sacramenta: quamuis contrarium idem Lutherus dicat in libro de capt. Babyl. cap. de ordine. Nonò, quòd præferamus cæremonias nostras ipsis Christi Sacramentis. Idem habet Caluinus in Antidoto, vbi impudentissimè mentitur, nos anteponere salem, & oleum, & sputum aquæ Baptismi. Decimò, quòd Tertullianus, & Cyprianus ex errore Montanistarum docuerint, exorcismos, & vnctionem habere spirituales effectus. At nihil tale docuisse Montanistas vsquam legimus: sed in Patribus omnibus passim id legimus. Vndecimò, quòd Cyprianus, & Cornel. tribuerint Vnctioni effectum Baptismi, & quòd postea, teste Magistro Sententiarum, correctæ fuerint istæ opiniones, & nunc tamen à Concilio Tridentino iterum renouentur. Sed ista omnia mendacia sunt. Nam Cornelius, & Cyprianus non loquuntur de cæremoniis Ecclesiasticis, sed de Sacramento Confirmationis; & ei tribuunt non effectum Baptismi, sed alium proprium. Neque apud Magistrum extat vllum verbum de correctione huius sententiæ; solùm enim corrigitur error Cypriani de Anabaptismo lib. 4. sent. d. 6.

HIS addunt alij quòd sentiamus præcipuum Dei cultum in his cæremoniis consistere. Ita Caluinus lib. 4. Instit. cap. 10. §. 9. & 12. item Confessio Augustana artic. 26. qui est de discrimine ciborum. Item per has cæremonias homines iustificari, & in Christi locum quodammodo successisse. Ita Caluinus loco citato §. 15. & Apologia Confess. art. 15. Sed hæc omnia mendacia sunt, & ad statum quæstionis non pertinent. Fatemur enim omnes Catholici cæremonias Ecclesiasticas non esse præcipuum cultum; nec ab iis pendere essentiam, & efficaciam Sacramentorum; nec habere vim iustificandi, vt habent Sacramenta, proinde inferiora esse Sacramentis, nec esse approbandos ritus qui pugnant cum verbo Dei; nec esse nimis multiplicandas, ita vt sua multitudine obruant quodammodo religionem, cui seruire debent. Vt enim agricolæ cupiunt in vitibus præter vuas etiam pampinos, quibus ornentur, & adiuuentur vuę; sed si nimium pampini crescant, & impediant potiùs, quàm iuuent, eos resecant: ita faciendum esse in eiusmodi ritibus, docet Augustinus epist. 119. cap. 19. In his ergo cum aduersariis conuenimus.

NOTA Tertiò, totam controuersiam cosistere in sex capitibus. Primum est, an sint aliquę cæremoniæ à Christo, vel Apostolis institutæ, quę non habeantur in Scriptura, sed ex traditione sola cognoscantur. Secundum est, an cæremonię, quę non sunt Sacramenta, habeant vim aliquam spiritualem, vt coërcendi dæmones. Tertium est an Ecclesia possit instituere nouas cæremonias. Quartum, an possit eas ita instituere, vt teneantur fideles in conscientia eas seruare, etiam citra scandalum. Quintum, an eiusmodi cæremonię sint res bonę, & meritorię, & pars aliqua diuini cultus. Sextum, an lingua Latina Sacramenta celebranda, & ministranda sint.

AD hæc omnia Catholici respondent affirmatiuè:

ad eadem capita, solo excepto tertio, omnes ferè Lutherani, & Caluinistæ respondent negatiuè: de tertio inter se non conueniunt. Lutherus enim in lib.de formula Missæ, & in lib. de piis cæremoniis, & Confessio Augustana art.15.& 26.& Philippus in locis titul.de cæremoniis, & Illyricus in Apologia pro Confessione Antuerpiensi, cap. 10. & communiter Lutherani, fatentur posse Ecclesiam instituere aliquas cæremonias ad eruditionem & splendorem, & ordinem Ecclesiæ; modò absit obligatio,& opinio cultus. At Caluinus lib.4.Instit.cap. 10.§.11.contendit id non licere vllo modo, & idem sentire videtur Brentius in confessione VVitembergensi, cap.de cæremoniis. Dicit enim, posse Ecclesiam instituere dispositionem concionum, lectionum, festorum, & aliarum rerum, quæ secundum mandata, vel exempla Scripturarum celebrantur: sed non licere comminisci nouos ritus ad adumbrandam veritatem, iam in Euangelio patefactam; quales sunt interdiu accendere cereos, vti vexillis, seu crucibus, ad significandam victoriam Christi, &c. Idem denique satis apertè docet Kemnitius, pagina 166. Nam posteaquam dixit arduam quæstionem esse, an hominibus permissum sit, aliquos ritus quocunque consilio superaddere iis, quos Dei Filius instituit: subiungit diuinæ institutioni nihil addendum, aut detrahendum esse; & eos qui addunt, id videri facere, quasi cæremoniæ à Christo institutæ, non sint satis idoneæ, & sufficientes.

CAPVT XXXI.

Explicatur, & defenditur veritas.

NVNC vt veritas explicetur, & probetur, adferemus aliquot propositiones. Prima: *Cæremonias aliquas Christus, vel Apostoli instituerunt, quas ex nulla Scriptura, sed ex sola traditione habemus.* Hæc probanda est fusiùs, cùm de singulis agetur: nunc breuiter probatur ex eo quòd Sacramentum Chrismatis sacrosanctum est, sicut Baptismi Sacramentum, vt Augustinus affirmat.libro 2.cap.104. contra literas Petiliani, at Sacramenta solus Deus instituere potest; igitur Sacramentum Chrismatis Christus instituit: & tamen nusquam habemus in Scriptura mentionem Chrismatis. Item 1.Cor.11. Apostolus ait: *Cætera cùm venero, disponam.* Et tamen nihil postea scripsit de ritu Sacramenti Eucharistiæ, de quo ibi agebat: neque credibile est eum non præstitisse quod promiserat, aut eius leges postea interiisse. Quare B. Augustinus affirmat epist. 118.inter alias Apostolorum leges vnam fuisse, vt Eucharistiam ieiuni susciperemus; idq; cũ aliis ritibus, quos Ecclesia seruat Apostolum promisisse, cùm ait: *Cætera cùm venero disponam.* Basilius libro de Spiritu sancto, cap.27. multa enumerat, ac primo loco signũ crucis, quæ ab Apostolis instituta ad nos sola traditione non scripta venerunt. Pari ratione aqua vino miscenda in Eucharistia Christum ipsum instituisse asserit Cyprianus li.2.epist.3. & ex eo Augustinus li. 3.doctr.Christ.c.21.& tamen non habetur hoc expressè in vlla Scriptura, Sed de his aliàs.

SECVNDA propositio. *Aliquæ cæremoniæ vim habent spiritualem.* De hac etiam alibi dicendum est; interim probatur de signo crucis. Nam omnes Patres passim affirmant frontem armandam, & muniendã contra omnes insidias dæmonum; & miram eius esse virtutem. Vide Tertullianum initio Scorpiaci. Origenem homil.6.in c. 15.Exod. Cyprianum lib.4.epist.6. Lactantium li.4.cap. 26.& 27. Nazianzenum oratione 1.in Iulianum. Nyssenum in vita Gregorij Thaumaturgi. Epiphanium hæres. 30. Chrysostomum homil. quòd Christus sit Deus. Ephrem.in libr.de armatura spirituali. Palladium in histo. Lausiaca, cap. 2. & 54. Hieronymum in vita Hilarionis. Sulpitium in vita S.Martini. Augustinum lib.22.de ciuit. Dei,c.8. Prudentium in hymno ante somnum. Paulinum Natali 8. Sed nomine aliorum audiamus Athanasium in lib.de Incarnat. & salutari aduentu Domini: *Signo crucis*, inquit, *omnia magica compescuntur, & veneficia inefficacia fiunt.* Et infrà: *Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis dæmonum, & impostoris vaticiniorum, & in miraculis magiæ vtatur signo crucis ab ipsis deriso, nomẽque Christi inuocet, & videbit, quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia iaceant.*

EST autem Obseruandum, tribus modis operari signum crucis in dæmonibus terrendis. Primò, ex apprehensione ipsorum dæmonum. Secundò, ex deuotione hominis. Tertiò, idque potissimùm ex instituto Dei, atque adeò ex opere operato. Ac primùm dubium esse non potest, quin dæmon, cùm signum crucis fieri videt, recordetur se Christi cruce deuictum, ac proinde horreat illud signum suæ calamitatis, & fugiat, quomodo canes fugiunt, cùm baculum aut lapides vident. Deinde vim habet hoc signum ex deuotione hominis se signantis, eo modo, quo vim habet oratio vocalis. Est enim signum crucis quædam inuocatio meritorum Christi crucifixi signo expressa; loquimur enim corde, ore, & nutibus. Itaque opponere Diabolo, & cuiuis malo signum crucis, est opponere Christi passionem, id est, inuocare Deum per Christi merita. Quocirca tunc effectus magis procedit ex interna fide & deuotione, quàm ex ipsa figura crucis, sicut cùm oramus voce, & impetramus, impetratio non tribuitur sono vocis, sed fidei, & deuotioni. Præter hos duos modos est etiam tertius ex Dei institutione, & ex opere operato. Nam sæpe homines Iudæi, vel Ethnici, sine vera fide, aut deuotione signo crucis adiuti sunt, vt paret de Iuliano apostata apud Nazianzenum orat.1. in Iulianum: & de Iosepho Hebræo apud Epiphanium hæres.30.& de alio Hebræo apud Gregorium lib.3. Dialogor.cap.3. Quare S. Augustinus li.83.qq.q.79. *Nec mirum*, inquit, *quòd hæc signa valent, cùm à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cùm vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cùm autem non cedunt his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id iustum, atque vtile iudicat. Nam nullo modo vlli spiritus audent hæc signa contemnere, contremiscunt hæc vbicunque illa prospexerint.* Hæc ille.

TERTIA propositio: *Potest Ecclesia instituere nouas cæremonias, non quidem ad iustificandum impium, sed ad alios effectus spirituales.* Nota pro explicatione, cæremonias ab Ecclesia institutas tribus modis posse esse vtiles. Primò, ad ornandum, & repræsentandum aliquod mysterium religionis, & eo modo iuuandos rudiores; & de hoc inter Catholicos nulla potest esse dubitatio. Secundò, ad morbos curandos, & dæmones pellendos, & peccata venialia purganda, & alia id genus, idque per modum impetrationis, vt cùm Ecclesia benedicit candelas, palmas, agros, &c. Ista enim valent ad effectus illos, ad quos instituuntur ex vi ordinum Ecclesiæ, quæ sine dubio exaudiuntur & de hoc etiam non est quæstio apud Catholicos. Tertio modo probabile est, posse Ecclesiam instituere eiusmodi cæremonias ad eosdem effectus per applicationem Christi meritorum; ita vt ex opere operato illos effectus producant, quomodo Sacramenta ex opere operato iustificant. Christus enim sine dubio meruit Ecclesiæ suæ non solùm gratiam, & gloriam, sed etiam omnia alia beneficia, quæ illi vtilia esse possunt. Et quidem ad gratiam, & iustificationem impij consequendam instituit ipse Sacramenta, quibus applicentur ipsius merita, nec licet iam alia signa instituere ad effectum illum principalem: ad alia beneficia minora reliquit Ecclesiæ potestatem, vt instituat signa, quibus applicentur ipsius merita. Ita quidam disputant, sed non est hoc vsq; adeò certum, præsertim cùm videamus non habere signa ista infallibilem effectum.

Quan

Quanquam posset dici habere effectum infallibilem, si id sit vtile hominibus, non autem absolutè, quia sæpe non expedit nobis ea beneficia consequi: quomodo de extrema vnctione dicere solemus, quoad effectum sanitatis corporalis.

SED quidquid de hoc sit, nostra propositio solùm asserit contra hæreticos, licere Ecclesiæ instituere nouas cæremonias, non ad iustificandum à peccatis mortalibus, sed ad alios fines. Probatur Primò exemplis Synagogæ, vel hominum priuatorum in Testamento veteri. Non est enim vlla ratio, cur non possit Ecclesia Christi id, quod sine Dei mandato expresso, quanquam non sine Dei inspiratione, aliqui priuati homines vel Synagoga poterat. Gen.28. Iacob cùm nondum Patriarcha esset, sed priuatus homo, Deo quidem vt videtur, impellente, non tamen expressè mandante, nouam cæremoniam excogitauit. Erexit enim lapidem in titulum, fundens oleum desuper, & vocauit nomen loci illius Bethel in memoriam visionis, quam in eo loco habuerat. Item Synagoga Iudæorum auctore Mardocheo addidit nouum festum diem solennem omnibus celebrandum, quem Deus non instituerat in lege, vt habemus Ester 9. Idem factum est tempore Iudith in additione alterius festi; sic enim legimus cap. vlt. *Dies autem victoriæ huius festiuitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore, vsque in præsentem diem.* Neque obstat, quòd hunc librum hæretici non recipiunt: satis enim est nobis, si fidem illi habeant, quam habent Liuio, aut Salustio: non enim hîc agitur de aliquo abstruso dogmate, sed de historia rei gestæ. Simile habemus in Machabeis li.1.cap.4 vbi instituitur nouum festum dedicationis altaris, ad quod festum celebrandum, etiam Dominus ipse in Hierusalem ascendit, Ioan.10.

SECVNDÒ probatur ex Apostolorum exemplo. Apostoli enim Act.15.congregati in Concilio, nouam cæremoniam instituerunt, nimirum vt Gentiles abstinerent à sanguine, & suffocato; quod certè nusquam Deus iusserat, nisi Iudæis: & præterea iam erat euacuata, & abrogata lex illa Iudaica per Christi mortem. Vnde fuit verè noua cæremonia illa Apostolorum instituta ad alium finem, quàm olim Iudaica; vnde vocatur dogma Apostolorum Act. 16. Et præterea iam suprà probauimus multa alia Apostolos instituisse, licet in Scripturis non habeantur. Nulla autem est ratio, cur non possit modò Ecclesia, quod tunc poterat. Non enim Apostoli id fecerunt ex aliqua noua reuelatione sibi concessa, sed ex potestate ordinaria gubernandi Ecclesiam; vt patet ex eo, quòd Concilium coëgerunt, & collatis sententiis statuerunt, quod vtile esse iudicarunt.

TERTIÒ, Si Ecclesia non posset id facere, vel repugnantia esset ex parte Ecclesiæ, vel ex parte cæremoniarum, vel ex parte nouitatis, id est, vel nõ posset, quia non habet auctoritatem aliquid statuendi, vel quia cæremoniæ (vt dicit Brentius) sunt propriæ Testamenti veteris, proinde non conueniunt Testamento nouo, vel quia non licet aliquid addere cæremoniis à Christo institutis: At nihil horum dici potest: nam Ecclesiam posse aliquid statuere, manifestè patet, vel ex eo, quòd ab initio fidei singulis ætatibus, Concilia celebrata sunt, quæ semper canones ediderunt: damnare autem omnia Concilia, manifesta insania esset; vt interim omittam argumenta plurima, quibus hoc ipsum alibi demonstrauimus. Non repugnare autem cæremonias nouæ legi, patet ex Sacramentis à Christo institutis, quæ sunt verissimæ cæremoniæ, vt etiam aduersarij concedunt. Denique non repugnare ipsam nouitatem patet, quia nusquam Dominus prohibuit, ne adderemus cæremonias ad Sacramenta ipsius commodiùs, & vtiliùs administranda. Immò cùm Dominus paucissimas cæremonias instituerit, nec tradiderit modum, quo ministrari deberent, id reliquit sine dubio prouidentiæ pastorum ipsius Ecclesiæ, vt rectè docet Augustinus ep.118.c.6.

QVARTA propositio: *Cæremoniæ ab Ecclesia institutæ non possunt omitti sine peccato, etiam citra scandalum.* Hæc pendet ab alia quæstione, An leges Ecclesiasticæ obligent in conscientia: quam disputauimus libro 4. de Pontifice, cap.15. & sequentibus. Ratio præcipua est ex Paulo Rom.13. *Non est potestas nisi à Deo: quæ autẽ à Deo sunt, ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et infrà: *Ideóque necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quæ sententia etiamsi ab Apostolo applicetur in particulari temporalibus Principibus, cùm subiungit: *Si malè egeris, time; non enim sine causa gladium portat:* tamen sententia est generalis de omnibus habentibus potestatem, vt Caluinus concedit lib. 4. Instit. cap.19.§.5. & paret ex illis verbis: *Non est potestas nisi à Deo.* Ista enim propositio æquiualet huic; Omnis potestas à Deo est. Esse autem in Ecclesia potestatem quandam Præpositorum supra cæteros, negari non potest, cùm id Scriptura passim doceat, vt Rom.12. *Qui præest, in solicitudine.* 2.Cor.13. *Hæc absens scripsi, vt non præsens duriùs agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus.* Heb.13. *Obedite Præpositis vestris.* Efficitur igitur, vt qui leges Ecclesiæ non seruant, peccent in conscientia. Id enim significant illa omnia: *Dei ordinationi resistunt: &, ipsi sibi damnationem acquirunt: &, necessitate subditi estote: &, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Vide plura loco citato.

SED in particulari, quòd cæremoniæ non sint omnes liberæ obseruationis, probatur ex eo, quòd propter cæremonias natæ sunt in Ecclesia grauissimæ dissensiones, & sub pœnis grauissimis impositæ sunt leges de cæremoniis, & tandem hæretici habiti sunt, qui non obediebant. Quæ omnia sunt argumenta manifesta, rem istam non esse liberam: non enim de rebus liberis nascuntur dissensiones.

PRIMA dissensio in Ecclesia fuit ob cæremonias legales, quæ dissensio sopita est ab Apostolis Act.15. Vbi cùm dicunt, *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, præter hæc necessaria, vt abstineatis vos à sanguine, &c.* non vocarent onus legem cæremonialem, neq; rem necessariam, nisi obligaret in conscientia.

SECVNDA dissensio fuit de die Paschatis, hoc est, de alia cæremonia. Et tãti fecit Ecclesia hanc cæremoniam, vt Victor Papa I. totam Asiam separare voluerit ab vnitate fidelium, quòd nollent Asiatici in ea re parere. Testis est Eusebius lib.5.hist.ca.25. Deinde verò Concilium Nicænum propter istam quæstionem potissimùm conuenit, vt scribunt Epiphanius hæres.70.& Constantinus in epistola sua apud Eusebium li.3. de vita Constantini; & Athanasius in epist. synod. Arimini, & Seleuciæ: vbi etiam addit Concilium Nicænum disertis verbis imperasse, vt omnes obedirent. Et Concilium Antiochenum paulò pòst celebratum excommunicat can.1.eos, qui legem Concilij Nicæni de Paschate non seruant. Denique à Patribus habiti sunt hæretici, qui eam cæremoniam diuerso modo seruare volebant, vt patet ex Epiphanio hæres.50. Augustino hæres. 29. & Theodoreto libro tertio de fabulis hæreticorum.

TERTIA dissensio fuit de ritu Baptismi, an hæretici verè baptizarent. Quæ etiam dissensio multùm exercuit Ecclesiam, & multa inde Concilia facta sunt, & tandem habiti sunt hæretici Donatistæ, quòd nõ obtemperarent definitioni Concilij generalis. Vide Eusebium lib.6.hist. cap.3.& Augustinum in magna parte tomi 7.

ALIAE fuerunt postea dissensiones de delectu ciborum, de temporibus ieiuniorum, de diebus festis, peregrinationibus, vigiliis, cereis, aliisque cæremoniis, ob quas numerati sunt inter hæreticos Encratitæ apud

Epipha

Epiphanium hæresi 46.& Augustinum hæresi 23.Deinde Manichæi,qui plurimas cæremonias Ecclesiæ reiiciebant apud Augustinum lib.20.contra Faustum, cap.3. & 4.Deinde Eustathiani apud Socratem lib.2. cap.33. tum Aëriani apud Epiphanium hæres.75.& Augustinum hæres.53. tum Vigilantius apud Hieronymum in libro contra Vigilantium. Inde Claudius Taurinensis apud Ionam in libris tribus de sacris imaginibus. Inde Petrobrusiani apud Bernardum in epist.240. Inde VValdenses apud Guidonem in summa de hæreticis, & Thacuritæ apud Aeneam Syluium libro de origine Bohemorum. can.35. Denique Ioannes VViclefus apud Thomam VValdensem,tomo tertio,de Sacramentalibus.

VLTIMÒ probatur hæc propositio: quia si libera esset cæremoniarum obseruatio, nullo modo fieri posset, vt aliquis ordo, & vniformitas in Ecclesia seruaretur. Si enim nunc vix seruatur vniformitas in rebus quibusdam præcipuis,cùm tam seuerè id præcipiatur, quid fieret,si esset res libera? Et tamen iubet Apostolus 1.Corin. 14.vt omnia honestè,& secundum ordinem fiant. Quæ ratio Caluinum mouit,vt cæremonias suas voluerit lege sanciri. Nam lib.4.Instit.cap.10.§.27. dicit, dissolui suis neruis,& deformari, ac dissipari Ecclesiam, si vnicuique liceat mutare cæremonias, & §.31. dicit, libera quidem conscientia debere seruari cæremonias,sic tamen,vt non contemptim habeantur, nec supina negligentia prætereantur: & infrà dicit non esse crimen si per imprudentiam, aut obliuionem aliquid omittatur; vbi indicat esse crimen si per contemptum, vel crassam negligentiam omittantur. At nihil aliud Ecclesia de suis cæremoniis docet.

QVINTA propositio: *Cæremoniæ non sunt res indifferentes,sed sunt res vtiles, meritoriæ,& pars quædam cultus diuini.* Probanda sunt hæc omnia per partes. Ac Primùm, quod cæremoniæ sint vtiles, probatur his rationibus. Primò, Cæremoniæ, vt oriuntur ex interna pia affectione, & deuotione,ita etiam illam conseruant, nutriunt, augent, vt Augustinus docet libro de cura pro mortuis,capite quinto & epistol.119. capit.11. & libro 9. Confess.cap.6.& 7. Et nos ipsi hoc experimur,cùm intramus Basilicas ornatas, & mundas, & crucibus, ac sacris imaginibus & aris instructas, & accensis lampadibus, deuotionem facillimè concipimus: contrà autem cùm ingredimur templa hæreticorum, vbi nihil est, nisi sedes ad concionandum,& mensa lignea ad cœnam faciendam, videmur ingredi profanam aulam, non domum Dei.

SECVNDA vtilitas est, quòd non solùm affectum, sed etiam intelligentiam iuuant cæremoniæ, vt Augustinus docet eadem epist. 119. cap. 7. & præsertim rudibus sunt cæremoniæ loco Scripturæ, vel picturæ. Adde, quòd aliquando ex vetustis cæremoniis meliùs persuadentur aliqua dogmata, quàm multis testimoniis. Certè S.Augustinus lib.1.de peccatorum merit. & remiss. cap. 31.& lib.6.in Iulianum,cap.2.apertissimè se probare putauit, peccatum originale esse in paruulis ante Baptismum, quia secundum vsum Ecclesiæ exorcizantur, & insufflantur, & iubentur per ora gestantium abrenunciare Diabolo,& operibus eius.

TERTIA vtilitas est, quòd iuuant memoriam. Nisi enim quotannis repræsentaremus variis cæremoniis Domini ortum, apparitionem, passionem, aliaque mysteria redemptionis,facilè mandarentur obliuioni tam insignia beneficia.

QVARTA est, exercitium fidei. Valde enim fidem exercemus cùm contra Diabolum armamur signo crucis,vel aqua benedicta,vel similibus rebus. Proreſtamur enim ea cæremonia nos certò credere, tantam esse potentiam crucifixi, vt ad eius solam imaginem dæmones fugiant.

QVINTA est conseruatio religionis. Id enim cæremoniæ præstant, ne religio vilescat,& contemnatur, & sic paulatim pereat. Nam excellentia religionis nostræ præcipua, quia spiritualis est, non facilè perspicitur à nobis, qui corpore sumus. Ideò non proponuntur nuda mysteria,sed vestiuntur, vt externam quandam maiestatem sensibus obiiciant, & per eam maiori cum reuerentia ab ipsa mente percipiantur. Itaque id sunt cæremoniæ religioni, quod sal carnibus, & cortex medullæ. Quocirca rectè Augustinus libro 19. contra Faustum, cap. 11. affirmat nullam religionem, neque veram, neque falsam sine cæremoniis posse consistere. Atque hinc apud veteres, Theologum esse, nihil erat aliud, nisi scire, quæ numina, quibus cæremoniis colerentur, vt ex Platone intelligi potest in Dialogo de regno: Et apud Iudæos summum quid fuisse, scire cæremonias, patet ex capit. 18. Exod. vbi Ietro monet Mosem, vt iudicia ciuilia committat aliis, ipse autem doceat populum cæremonias, & ritum colendi. Apud Christianos quoque fuisse etiam in magno pretio cognitionem cæremoniarum, vel vna quæstio de Paschate, abundè demonstrat. Quod idem colligitur ex Basilio ep. 63. Leone ep. 4. Innocentio ep.1. ad Decentium, qui reprehendunt Episcopos, qui cæremonias ignorant.

SEXTA est distinctio Catholicorum ab hæreticis. Nam Sacramenta sunt quidem symbola quædam, quibus discernimur ab infidelibus, tamen ab hæreticis vix per Sacramenta distingui possumus, sed per cæremonias optimè distinguimur. Hoc enim tempore signum crucis, abstinentia à carnibus feria sexta, & similia sunt optima signa distinguentia Catholicos ab hæreticis. Hac de caussa initio Ecclesiæ mutarunt Apostoli Sabbathũ in Dominicã,ne videremur iudaizare:& Epiphanius in fine librorum contra omnes hæreses; recensuit cæremonias Ecclesiæ,vt indicaret quasdã veluti notas,quibus Ecclesia ab omnibus sectis discernitur. Hinc etiam sancti viri semper maluerunt mori, quàm cogi ad aliquam cæremoniam dimittendam,cùm intelligerent non abiicere signum militiæ,nisi militiæ desertores. Testis est S.Eleazarus lib.2.Machab.cap.6.qui maluit occidi,quàm simulare se comedisse carnem suillam, ne eo modo videretur religionem suam deseruisse: quem postea secuti sunt septem fratres Machabæi li.2.c.7. Testis est etiam ille, qui Tertulliano auctore in li.de corona militis,mori maluit, quàm cum cæteris militibus laurea coronari: quoniam apud Christianos tum cæremonia erat,id non facere.

IAM verò,quòd sint meritoriæ,ac Deo placeant,probatur, quia omnia opera virtutum Deo placent & apud eum præmium merentur,si fiant vt oportet,id est,cũ fide & charitate. Sunt autem cæremoniæ opera virtutũ. Nam vt minimùm sunt actus religionis,sæpe etiam sunt actus simul religionis, & alicuius alterius virtutis, & denique cùm sunt imperatæ,sunt etiã actus obedientiæ. Secundò, professio fidei exterior Deo placet,vt patet. Mat.10. *Qui me confessus fuerit,&c.*& Rom.10. *Ore confessio fit ad salutem.* Sed cæremoniis profitemur fidẽ,vt patet; quia non minùs cognoscet Turca me esse Christianum, si videat me venerari crucem, quàm si dicã me esse Christianum. Vnde etiam aduersarij fatentur,per Sacramenta nos protestari fidem. Tertiò,Deo placet fides,spes,charitas, deuotio,& omnis interior actus bonus;ergo etiã placebunt actus exteriores, qui partim sunt effectus interiorum, partim illos ipsos(vt diximus)augent & conseruant. Vnde Exod.17.cùm Moses oraret eleuatis manibus,populus Dei vincebat,cùm dimitteret manus,vincebatur.

QVOD autem dici possint pars cultus diuini,Probatur. Nam ipsa naturalis ratio docet hominem qui constat animo & corpore,debere Deum honorare & colere, & animo per actus interiores,& corpore per exteriores. Vnde Cyprianus in serm. de orat. Dominica: *Cogitemus,*

inquit,

inquit, *nos sub conspectum Dei stare: placendum est diuinis oculis,& habitu corporis,& modo vocis.* Secundò omnes aliæ virtutes,licet in animo consistant principaliter, tamen consummantur per actus exteriores,vt patet de temperantia,fortitudine,& cæteris;cur ergo non idem dicamus de religione? Et confirmatur, quia si oratio vocalis omnium consensu est cultus Dei,cur non etiam adoratio corporalis? Vt enim oratio vocalis est cultus, quia est signum mentalis; ita adoratio erit cultus, quia est signum internæ adorationis. Tertiò,natura docet, Deum esse colendum summo modo,cùm sit summum Esse. At magis colit qui corpore,& animo,quàm qui animo tãtùm; igitur corporalibus cæremonijs Deus potest coli. Quartò, Deus verè offenditur, & ignominia afficitur non solùm actu interno, sed etiam externo; igitur honorandus est non solùm actu interno,sed etiam externo.

SED ad hæc omnia responderent aduersarij,non negare se, quin aliquibus cæremonijs Deus coli possit, & debeat,sed id negare de cæremonijs ab hominibus inuẽtis. Deo enim non placet vllus cultus,quẽ ipse non instituit,aut certè,cui non dederit testimonium verbo suo.

AT contrà; Nam aut requiritur,vt in particulari, & expressè Deus approbauerit cultum,aut sufficit si in genere,& in virtute probauerit. Non potest dici primum, Deo videlicet non placere cultum, quem ipse in particulari expressè non probauerit. Nam sine dubio placuit illi cultus Abel,qui obtulit de adipibus gregis sui,Gen.4. & Hebr.11.& tamen hoc Deus non præceperat: & similiter placuit cultus Iacob, qui erexit lapidẽ in titulũ,Gen. 28.& cultus B.Virginis, quæ voluit perpetuam virginitatem,quam Deus nusquã imperauerat: ergo satis erit, si in genere Deus aliquid cõmendauerit. Et hoc fatetur Caluinus. Nam lib.4.Instit.c.10.§.30. probare volens geniculationem in oratione esse bonam,immò & diuinam, adfert illud testimonium Apostoli,1.Cor.14.*Omnia honestè,& secundum ordinem fiant in vobis*, ac dicit, geniculationem esse bonã,& diuinam,quia in genere iudicatur à Paulo in illo decoro,quod præscribit in oratione. At hoc modo omnes nostræ cæremoniæ sunt bonæ,& diuinæ: nã indicantur in genere à Deo,& probantur multis modis. Primò,in hoc ipso testimonio Pauli non magis includitur geniculatio,quã cereorum accensio, & sacræ vestes, & alia id genus. Secundò,cùm Deus iubet obediri præpositis,in genere iubet seruari omnes leges Ecclesiasticas, quarum non paucæ sunt de cæremonijs. Denique, Deus est auctor omnium virtutum;nam Sap.8.dicitur de diuina Sapientia: *Sobrietatem,& prudentiam docet, & iustitiam,& virtutem,quibus nihil est in vita vtilius hominibus.* vbi enumerantur quatuor virtutes Cardinales, ad quas omnes aliæ reducuntur. Deus ergo docet,& commendat religionem,quæ est pars iustitiæ,& proinde cultum externum,qui est pars quædam religionis.

SEXTA propositio: *Sapientissimè institutum est, vt in Ecclesia Latina, Latinè Sacramenta administrentur.* Nota Primò, Cùm de lingua, qua Sacramenta ministrari debent,agitur,debere excipi Matrimoniũ. Quia enim Matrimonium consistit in cõsensu mutuo, necessariò requiruntur verba,vel nutus,qui ab vtraque parte intelligantur. Et similiter Confessio peccatorum debet fieri lingua vtrique nota: licet Confessio non tam sit Sacramentum, quàm Sacramenti materia.

NOTA secundò,Non esse de iure diuino,qua lingua Sacramenta ministrentur, neque id ad essentiam Sacramentorum pertinere: tam enim valebit Baptismus,si ministretur Latinè,quàm si Italicè,vel alia lingua: tamẽ ob multas,eásque grauissimas causſas, visum est Ecclesiæ,& ipsi Spiritui sancto,qui eam regit,vt Sacramenta nõ ministrentur lingua vulgari,nisi forte in casu necessitatis.

NOTA tertiò; Nos loqui de Ecclesia Latina: nam in Ecclesia Græca rectè faciunt,cùm Græca lingua vtuntur,& in Ecclesijs Syriæ,cùm vtuntur lingua Chaldaica. Nam requiritur ad ministerium Sacramentorum lingua non vulgaris, sed quæ tamen non sit omnino incognita saltem doctis,alioqui non inuenirentur pastores, & ministri necessarij. Tales autem sunt lingua Græca, Chaldaica,& Latina: nulla enim est vulgaris, & tamen quælibet est cõmunis,& nota peritis in suis regionibus. Idem ferè dici potest de Arabica, quæ nunc est communis multis Orientalibus Prouincijs,& in ea celebrantur officia diuina,sed alia est Arabica vulgaris, alia Arabica, qua vtuntur in sacris.

PROBATVR hæc propositio. Primò,ex Ecclesiæ antiqua cõsuetudine. Ecclesia Latina semper Latinè Sacramẽta ministrauit, licet iamdudum desierit lingua Latina esse,vulgaris. Id patet ex Isidoro,Alcuino,Amalario,Rabano,Strabone,Micrologo,Ruperto, Thoma VValdensi,qui scripserunt de diuinis officijs in Hispania, Gallia, Germania,Italia,Anglia,quo tempore lingua Latina nusquam erat vulgaris,& apertissimè docent, lingua Latina Sacramenta ministrari solita. Describunt enim Latinè totum ritum, & formalia verba, quibus vti oportet. Præterea in Sacramentis ministrandis semper leguntur aliquæ partes diuinæ Scripturæ, & maximè apud aduersarios,at non exstabant tunc Scripturæ,nisi Hebraicè, Græcè,& Latinè,vt patet ex Beda lib.1.hist.Gẽtis suæ,c.1 vbi dicit,in Anglia suæ ætate fuisse quatuor linguas vulgares, sed Latinam fuisse communem omnibus ratione Scripturarum. Rabanus quoque lib.3.de Instit.Cleric.c.8.dicit,non extitisse suæ ætate, nisi in his tribus linguis diuinas literas. Denique non proferent aduersarij editionem Germanicam,vel Gallicam, vel etiam Hispanicam, aut Italicam Scripturarũ,nisi à paucis annis factam. Possent obiicere editionem Gothicam, quam Vlphilas Episcopus Gothorum fecisse dicitur in Tripartita hist.lib.8.c. 13.& apud Socratem lib.4.c.27. Sed Episcopus ille non priùs id fecit, quàm Arianus cum toto suo populo esse cœpit. Adde vltimò duo exempla, quæ apertè indicant olim non fuisse vsum linguæ vulgaris in sacramentorum celebratione. Vnum est Moraiorum, qui vt est apud Æneam Syluium de origine Bohemorum, c.15. impetrarũt à Pontifice Romano, vt possent officia diuina celebrare lingua Sclauonica. Alterum Bohemorum, quibus idem petentibus,negauit Gregorius VII. vt est in 7.lib.epistolarum eius. At si fuisset vsus communis tunc linguæ vulgaris, non petiissent hanc licentiam.

SECVNDÒ probatur ratione. Nam nulla est necessitas,quæ cogat lingua vulgari Sacramenta ministrari,& contrà multa sunt incommoda,si id fiat. Non esse vllam necessitatẽ probatur. Nam si vlla esset necessitas,ea esset maximè, vt intelligant id quod dicitur, qui Sacramenta percipiunt: at hæc non est vera necessitas. Nam verba Sacramentorum aut diriguntur ad elementa, vt consecratio Eucharistiæ,benedictio aquæ,& olei, elemẽta autem nullam linguam intelligunt: aut diriguntur ad Deum, vt formæ verborum deprecatorię,qualis est in extrema vnctione: Deus autem omnes linguas intelligit: aut diriguntur ad personas,sed consecrandas, vel absoluendas: non autem instruendas,& docendas, vt in Baptismo, & Absolutione,& proinde per accidẽs est, si persona intelligat. Cuius signum est,quia verissimè, & efficacissimè baptizantur, & reconciliantur etiam ij, qui non vtuntur ratione, vt patet in Baptismo infantium,& in Reconciliatione ægrotorum, qui sunt à sensibus alienati: quos posse reconciliari,vt etiam baptizari,si Baptismò careãt, docet Augustinus lib.1.de adulterinis coniugijs,cap.26. & 28.& Concilium IV.Carthaginense,can.76.& Leo I. epist 91.ad Theodorũ. Adde,quòd nulli ferè sunt in Ecclesia Latina adulti tã rudes,qui nõ intelligant verba Sacramentorũ,licet Latina,aut certè nõ intelligãt in genere per ea verba sibi tale,aut tale Sacramentũ ministrari,

ESSE autem incommodum, si vtamur lingua vulgari, patet. Primò, quia impeditur commercium Ecclesiarum; non enim poterunt conuenire in Ecclesijs Germanorum, Anglorum, Polonorum, Itali, Galli, Hispani, neque contrà. Quod multùm nocet vnitati, & communicationi, quæ deberet esse inter membra vnius corporis. Et præterea cogerentur Christiani extra suas regiones carere diuinis officijs.

SECVNDÒ, Sacramenta requirunt maiestatem, & reuerentiam quandam, quæ certè melius conseruatur, si vtamur lingua non vulgari, & cõmuni. Quomodo enim æquum est, vt in Sacramentis ministrandis vtamur alia domo, alijs vestibus, alijs instrumentis, quàm ordinarijs, & quotidianis; ita par esse videtur, vt vtamur alia lingua. Nec tamen somniamus, vt putat Kemnitius, linguam Latinam esse magis sacram, quàm sint cæteræ, sed hoc ipso dicimus eam habere plus venerationis, quòd non est vulgaris.

TERTIÒ, expedit, vt verba Sacramentorum conceptis verbis, & eodem modo ab omnibus proferantur, vt periculum caueatur mutationis, vel depratiationis. Id autem facillimè seruabitur, si eadem lingua omnes vtantur; difficillimè, si diuersis.

QVARTÒ, si lingua vulgari Sacramenta ministrentur, aperietur porta latissima ignorantiæ: contenti enim erunt ministri, si sciant legere. Itaque paulatim obliuiscentur linguam Latinam, atque ita non legent Patres, & proinde non intelligent Scripturas.

CAPVT XXXII.

Soluuntur obiectiones contra cæremonias.

IOANNES Caluinus lib. 4. Instit. cap. 10. multa iacit cõtra cæremonias, quæ ordine refellenda sunt. Primum argumentum, §. 2. *Apostolus 1. Corinth. 7. ne vna quidem in re laqueum iniicere ausus est, neque id nulla caussa. Prospiciebat enim quantum vulnus infligeretur conscientijs, si earum necessitas illis imponeretur, quarum relicta esset à Domino libertas.*

RESPONDEO; Agit Apostolus eo loco de continentia virginali, quam Dominus non imperauerat, sed consuluerat; & sanè æquum fuerat, vt Apostolus non faceret præceptum, quod Dominus concilium esse voluit. At non eadem est ratio aliarum rerum, de quibus Dominus nihil in particulari præscripsit. illa enim possunt ab Ecclesia, vel imperari, vel consuli, prout res ipsæ requirunt. Vnde idem Apostolus, qui continentiam imperare noluit, multa alia imperauit, & præter cætera 2. Thess. vlt. sic ait: *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commiscearnini cum illo, vt confundatur.* Et Apostoli Act. 15. imposuerunt gentibus onus abstinendi à sanguine, & suffocato, & necessarium id esse dicunt: & tamen Dominus liberum id reliquerat.

SECVNDVM argumentum, §. 8. *Apostolus in epistola ad Coloss. docet, non esse de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinam: quia Dominus fideliter nos, & ad plenum instituit, qualiter sit colendus. Quò hoc demonstret, primo capite dicit in Euangelio cõtineri omnem sapientiam, qua perfectus reddatur homo Dei in Christo: initio secundi capitis dicit, omnes thesauros sapientiæ & scientiæ in Christo esse absconditos: inde postea concluſit, Caueant fideles, ne per inanem Philosophiam abducantur à grege Christi secundum cõstitutiones hominum: in fine autem capitis maiore adhuc fiducia damnat omnes ἐθελοθρησκείας, hoc est, fictitios cultus, quos homines sibi ipsis comminiscuntur, vel ab alijs accipiunt, & quæcunque de cultu Dei tradere præcepta ex se audent.*

RESPONDEO Primùm, epistolam illam ad Colossenses, nihil habere contra Ecclesiasticas leges de cæremonijs. Nam vt ex Chrysostomo, Ambrosio, Theodoreto, Theophylacto, & Oecumenio constat, scripta est cõtra Simonem Magum, & alios eius temporis hæreticos, & impostores, qui persuadebant hominibus, per Angelos quosdam oportere accedere ad summum Deum, nec sufficere Christum, & præterea obtrudebant Christianis cæremonias, partim Iudaicas, partim ethnicas. Hinc igitur in 1. cap. fusè tractat de excellentia Christi, ac dicit, eum esse caput omnium, & super omnia, & Angelos ab ipso, vt auctore pendere. Deinde in 2. ca. monet, ne decipiatur per Philosophiam, videlicet Platonis, & similium, qua vtebantur Simoniani, & Gnostici, & simul arguit eos, quòd Sabbatha, & Neomenias seruent, quæ Iudaica sunt, & euacuata per Christum, & quòd abstinerent à cibis quibusdam, vt immundis, & quòd in religione Angelorum ambularent, putantes per eos tantùm ascendi posse ad Deum, quæ omnia sunt falsa, & superstitiosa.

DEINDE Respõdeo ad singulas propositiones Caluini. Prima est: *Christus ad plenum nos instruxit de vero Dei cultu.* Respondeo, id verum esse de instructione generali, non autem de particulari, vt ipse etiam Caluinus fatetur infrà, §. 30. vbi agit de geniculatione.

SECVNDA est: *Apostolus docet non esse petendam ab hominibus doctrinam de vero cultu.* Respondeo, docet non esse petendam ab hominibus, qui contraria Christo docent, vt erant Philosophi, & Simoniaci, sed benè esse petendam ab hominibus, qui super Christum ædificant, & secũdum eius regulam, & doctrinam docent in particulari, quod ille solùm in genere indicauit. Ipse enim ait, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.*

TERTIA est: *Apostolus damnat omnem cultum humanum, & voluntarium.* Respondeo, vocari cultum humanum & voluntarium apud Paulum eum, qui est merè humanus, & proprio ingenio inuentus, id est, qui non est conformis fidei, & principijs doctrinæ Christi. Quæ autem ab Ecclesia docentur, non sunt merè humana, cùm Deo inspirante instituantur. Vnde 1. Cor. 14. posteaquam instituerat Paulus varios ritus in Ecclesia de ordine prophetandi, & loquendi, & vt mulieres taceant, de quibus Dominus nihil expressè mandauerat, subiungit Apostolus: *Si quis Propheta, aut spiritualis est, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* vbi vocat mandata Domini, quia eius inspiratione data erant, ideò vult à spiritualibus cognosci. Si enim fuissent expressa Domini præcepta, non fuisset opus spiritu ad ea cognoscenda.

ARGVMENTVM Tertium, §. 9. *Apostolus Gal. 5. non patitur vllo modo, vt fidelium conscientiæ in seruitutem rediguntur. Non ergo licet instituere cæremonias, quæ obligent in conscientia.*

RESPONDEO, loquitur Paulus de seruitute Iudaica, qua seruierant illi sub antiqua lege, non autem de quauis obedientia legis. Nam alioqui idem Apostolus, Rom. 13. docet obedientiam potestati: *Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Vbi notandum est, legem veterem dici iugum seruitutis, non quia obligabat in cõscientia; (id enim est commune omni veræ legi) sed quia difficillima, & laboriosissima erat, & non habebat secum annexam gratiam, qua impleri posset, amore iustitiæ: vnde vel non implebatur, vel implebatur timore pœnæ (si qui enim amore iustitiæ illam implebant, quales Patriarchas, & Prophetas, & multos alios fuisse negari non potest; id non ex lege, sed ex gratia noui Testamenti habebant) & eo modo premebat, & grauabat more grauissimi iugi. Atque ab hoc iugo deterret Apostolus Galatas. Illi enim cum circuncidi vellent, excidebant à gratia Christi, & simul obligabant se ad omnem legem seruandam: quod erat prorsus redire ad statum veteris Testamẽti. Itaque Caluinus pessima fide Scripturas tractat; dum eas detorquet à vero sensu ad suam hæresim comprobandam.

ARGVMENTVM quartum, §. 10. & 15. *Dominus Mat. 15. reprehendit traditiones hominum, & idem facit Isaias 29. Frustrà colunt me mandatis hominum.* Respondeo; in hoc paragrapho decimo, sunt multa impudentissima

mendacia, quæ toto sapone Geneuensi nunquam elui possent; vt, quòd Catholici interdicant coniugium, & concedant scorta; quòd grauius iudicent, si quis die Veneris modico carnis gustu linguam infecerit, quàm si omnibus diebus totum corpus scortãdo fœdauerit, &c. Ad loca Scripturæ, quæ etiam passim afferuntur à Philippo, Brentio, Kemnitio, & alijs, dico Dominum tria reprehẽdere solitum in cæremonijs Iudaicis. Primò, quòd quædam pugnarent cum mandatis Dei; vt erant illa Matth. 15. & Marci 7. vt filij donarẽt Sacerdotibus, quæ necessaria fuissent parentibus. Secundò, quòd multa ex Iudaicis traditionibus Pharisæorum inanes essent, & inutiles prorsus, vt lauare toties manus. Atque hæc duo genera cæremoniarum Dominus vocat mandata hominum, quòd nihil haberent, nisi humanum. Tertiò, quòd quasdam alias bonas, & vtiles seruarent, sed peccarent in modo, constituentes in eis summam religionis, & pluris istas facientes, quàm diuina mandata; & de his loquitur Dominus, Matth. 23. nec vocat eas humanas traditiones, sed dicit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Cæremoniæ autem Christianæ ab Ecclesia approbatæ, nõ sunt primi, aut secundi generis: nec aduersarij adhuc protulerunt argumenta, sed sola mendacia ad probandum contrarium. Quòd si qui sunt inter Catholicos rudiores, qui pluris faciant cæremonias, quàm grauiora mandata, eos corrigendos putamus. Non enim probamus, quidquid homines faciunt, alioqui multa peccata approbaremus; sed id, quod facere debent secundum sanam doctrinam Ecclesiæ.

QVINTVM argumentum, §. 12. *Romanenses partim ex Gentilium delitijs sibi desumpserunt exemplum, partim similarum more temerè imitati sunt veteres Iudaicos ritus, qui nihilo magis ad nos pertinebant, quàm pecudum victimæ.* Respondeo: Primùm, idem argumentum feciſſe olim Manichæos apud Augustinum, lib. 20. contra Faust. cap. 4. & Vigilantium apud Hieronymum, in lib. contra Vigilant. quod ad Gentilium imitationem attinet. Itaque agnoscere debet Caluinus, à quibus maioribus descenderit. Secundò dico, si argumentum aliquid valeret, deberet etiam tolli Baptismus, & Cœna Domini; nam etiam Gentiles vtebantur Baptismo, cùm initiarent suos Mitræ sacris; & Sacramentum etiam panis celebrabant, vt Tertullianus refert in libro de præscriptionibus. Iudæi quoque frequentissimè vtebantur expiationibus per aquam, nec eis deerant panes propositionis. Dico Tertiò, non debere mirum videri, si nostræ cæremoniæ habent aliquam similitudinem cum Iudaicis; nam erãt illæ figuræ rerum nostrarum, vt 1. Cor. 10. legimus. Eadem ratione non debet esse mirum si interdum nostræ similes sunt ritibus Gentilium. Diabolus enim, qui semper simia Dei esse voluit, imitari conatus est Iudaicos ritus à Deo institutos, vt loco citato Tertullianus notat, quos rerum nostrarum figuras fuisse diximus. Dico Quartò, licet in externo symbolo sit aliqua similitudo inter nostros ritus, & ritus Gentilium, & Iudæorum: absolutè tamen maximum esse discrimen. Nam à fine, & intentione sumunt externæ actiones speciem suam. Ritus Gentilium fiebant ad cultum dæmoniorum: nostri fiunt ad colendũ verum Deum; id eò tãtùm interest inter illos & nostros, quantum inter sacrum & sacrilegium, quantum inter pietatem & impietatem, & quantum inter Deum & diabolum. Nam etiam sacrificia erant eadem Gentilium, & Iudæorum, & tamen erant illa idololatrica, ista pia, & religiosa. Et hoc modo respondent, Hieronymus Vigilantio, & Augustinus Manichæis, locis citatis. Ritus autem Iudaici boni erant, sed Christum venturum prænunciãtes, nostri item sunt boni, sed ab illis diuersi, quia partim sunt in memoriam rerum præteritarum, partim ad significandam gloriam futuram.

SEXTVM argumentum, §. 13. sumitur ex epistola Augustini 119. cap. 19. qui conqueritur, quòd multitudine cæremoniarum ita aliqui Ecclesiam onerauerint, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum. Respondeo, Augustinus loquitur de cæremonijs, quas priuati homines, & maximè mulierculæ sibi ipsis imponunt. Nam idem Augustinus ibidem loquens de cæremonijs superuacaneis, sic ait: *Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, neque consuetudine Ecclesiæ vniuersæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, resecanda existimo.*

SEPTIMVM argumentum, §. 14. *De hoc discrimen esse voluit inter nos & Iudæos, quòd illos vt pueros docuit per signa sensibilia, nos vt viros, simplicius, sine talibus signis. Id patet ex cap. 4. Ioannis, vbi Dominus ait: Venit hora, qua veri adoratores in spiritu, & veritate adorabunt Patrem. Et Galat. 4. Apostolus comparat Iudæos paruulis sub pædagogo degentibus.* Idem argumentum facit Kemnitius, pag. 166. vbi dicit, vmbras, & figuras esse proprias Testamẽti veteris, non autem in noua lege, luce verbi Dei admoneti, non vmbris. Similia etiam habet Brentius in Confessione Vvittemburgensi, cap. vlt. quod est de cæremonijs. Respondeo, discrimen inter Iudæos, & Christianos, quod ad cæremonias attinet, duobus modis intelligi posse, Vno, vt illi solas habuerint cæremonias externas, nos autem solam lucem verbi, & spiritualem, ac simplicem veritatem. Et hoc videntur sonare verba aduersariorum, ac præsertim Kemnitij: sed id manifestè falsum est. Nam Iudæi præter cæremonias habuerunt etiam lucem verbi; vnde est illud Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Nec solùm ab eis Deus cultum externum, sed etiam internum requirebat. Nam Isaiæ 29. Iudæos reprehendit Deus, cùm ait: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Et contrà Christiani, præter lucem verbi habent etiam Sacramenta sensibilia, quæ sunt vmbræ, & figuræ rerum præteritarum, & futurarum. Et sicut non repugnant nouo Testamento Sacramenta externa, & sensibilia, vt notum est; ita non repugnant aliæ cæremoniæ. Ecclesia enim Christiana, licet versetur in magna luce respectu synagogæ, tamen versatur etiam in vmbra respectu cœlestis Hierusalem. Nam per fidem, quæ obscura est, ambulamus, & non per speciem. Altero modo potest intelligi discrimen illud, quòd cultus Iudaicus, quatenus Iudaicus, id est, veteris Testamenti, erat principaliter externus, & corporalis; cultus Christianus, id est, noui Testamenti, est principaliter internus, & spiritualis. Et hoc est verissimum. Nam cultus internus, & spiritualis à spiritu fidei, & charitatis procedit, qui spiritus est ipsa gratia noui Testamenti, & ex lege veteri nullo modo haberi potest. Vnde Paulus 2. Cor. 3. vetus Testamentum vocat literam, nouũ vocat spiritum. Et Ioan. 1. illud dicitur lex, hoc gratia. Denique Ioan. 4. illud: *In spiritu & veritate*, significat (vt exponunt Chrysostomus, Cyrillus, & Euthymius) cultum Christianum esse in spiritu, vt opponitur Iudaico, qui erat corporalis, & esse in veritate, vt opponitur eidem Iudaico, qui in vmbris, & figuris consistebat. Quamuis non malè etiã Theophylactus, & B. Thomas in commentario eiusdem loci illud, *In spiritu*, opponant Iudaico cultui, qui erat corporalis: illud, *In veritate*, opponant cultui Samaritanorum, qui erat falsitati, & errori admixtus. Vnde paulò antè Dominus dixerat: *Neque in monte hoc*, id est, Garizim, vbi Samaritani adorabant: *Neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*, ac si diceret; Nõ coletis Deum deinceps cultu Samaritanorum falso, neque cultu Iudaico, præcipuè corporali, sed cultu Christiano, quierit in spiritu, & veritate, id est, spiritualis, & purus ab omni errore.

EST tamen obseruandum, licet cultus Iudaicus, vt veteris Testamenti, fuerit corporalis, tamen non placuisse Deo sine spirituali, & ideò Deum ab eis quæsiuisse

cultum etiam ſpiritualem, vt oſtendimus ex Iſaiæ.29. Sed qui eum præſtabant, id non ex veteri Teſtamento, ſed ex nouo habebant; ad quod iam tunc pertinere incipiebant. Sicut etiam notum eſt, timorem eſſe veteris Teſtamenti proprium, & amorem noui: & tamen Deus à Iudæis petebat, vt ex toto corde diligerent, & verè id ſanctiillius tẽporis præſtabant, non ex vi teſtamenti veteris, ſed ex gratia noui. Pari ratione, licet cultꝰ Chriſtianus ſit principaliter ſpiritualis, tamen ſine corporali eſſe non poteſt in hac peregrinatione, & ideò Sacramenta, & cæremonias alias admittit, quæ cultui ſpirituali deſeruiant.

OCTAVVM argumentum, §.15. *Quidquid commendationis habent opera, id totum habent obedientiæ intuitu, quam ſolam Deus reſpicit, vt teſtatur per Prophetam: Non præcepi de ſacrificijs, & victimis, ſed tantùm vt audiendo audiatis vocem meam.* Ierem.7. & 1.Reg.11. *Nunquid vult Deus ſacrificiũ, & non potiùs, vt obediatur voci Domini? non ergò cæremoniæ quas Deus non inſtituit, ipſi placere, aut meritoriæ eſſe poſſunt.* Confirmat ibidem argumentũ ſuum, quia cæremoniæ noſtræ non ſolùm nõ ſunt meritoriæ, ſed nec vtiles, cũ vix ab vllo intelligantur. Reſpondeo; Antecedens falſum eſſe, & contra apertiſſimas Scripturas. Nam Deo placuit ſacrificiũ Abel, Hebr.11. quod tamen Deus non imperauerat. Et 1.Cor.7. *Qui non nubit, melius facit.* Et ibidẽ de vidua: *Beatior erit, ſi ſic permanſerit.* & tamen ibidẽ aſſerit, non eſſe præceptũ, non nubere, etiã ſecundò. Et 1.Cor.9. contendit ſibi fuiſſe licitum viuere de bonis eorũ, quibus prædicabat, & tamen ſe maluiſſe viuere ex proprio labore, vt maiorẽ mercedem haberet; id enim ſignificant illa verba: *Melius eſt mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Porrò Scripturæ illæ anteponũt obedientiam ſacrificijs. Sed non ideò licet concludere; Ergò ſacrificia non imperata nihil merebantur, modò cũ fide, & deuotione offerrentur: cũ conſtet ex Scripturis cõtrarium, vt iam oſtendimus. Ad confirmationẽ reſpondeo, cæremonias Eccleſiæ facillimè intelligi ſaltẽ in genere, vt patet, ſi quis diſcurrat per cæremonias à perſona, à loco, à tẽpore, à rebus ſumptas. Quòd ſi aliquæ cæremoniæ non ab omnibus intelligantur, vt eſt multitudo veſtiũ in Miſſa, & ſignorũ, & tamen non catent vtilitate, etiã apud rudiſſimos, cùm ſine dubio concilient venerationem rebus ſacris. Certè Iudæi parùm admodum intelligebant, & tamen non fruſtrà eas acceperunt.

NONVM argumentum, §.17. *An non illa ſemel Eccleſiæ dicta lex æterna manet? Quod præcipio tibi, hoc obſerua, vt facias. Nõ addes quidquã, nec detrahes.* Et Prouer. 30. *Non addas ad verbum Domini, neque minuas ex eo, ne te fortè arguat, inueniariſque mendax.* Reſpondeo, Non prohibet Dominus in his locis quamlibet additionẽ. Nã ſiue per verbũ, intelligantur libri ſacri, ſiue præcepta moralia, aut iudicialia, aut cæremonialia, ſemper inueniemus factã fuiſſe additionẽ. Nam poſt Deuteronomiũ, vbi habetur illa prohibitio additionis ad verba Domini, ſcripti ſunt omnes alij libri ſacri, tũ hiſtorici, tum prophetales, & totum nouũ Teſtamentũ. Item multa ſunt moralia præcepta in Prophetis, & in libris Salomonis, quæ videntur addita Pẽtateucho: & Dauid addidit iudiciale præceptũ, vt æqualiter diuiderent prædã in bello, qui pugnabant, & qui ſarcinas cuſtodiebant, 1.Cor.30. Addiderũt etiam poſteriores Iudæi cæremoniales leges de nouis feſtis diebus, Eſter 9. Iudith. vlt. & 1. Macha. 4. prohibet igitur Dominus additionem corrumpentẽ; & id eſt, *Non addes, nec minuas*, ac ſi diceret, Integrè & perfectè obſerua, quod ego præcipio. Id patet ex ratione, quæ redditur, Prouerb.30. *Ne fortè arguat te, & inueniaris mendax.* Nõ enim poteſt dici mẽdax, & falſarius, qui inſtituit nouam cæremoniã, modò illa nihil officiat cæremonijs Dei: ſed ille dicitur mendax, & falſarius, qui corrumpit Dei verba, aut præcepta. Poteſt autẽ duobus modis fieri iſta corruptio. Vno modo, ſi quis ipſis Dei verbis, aut præceptis aliquid addat, vel minuat, quo illa corrũpantur; vt ſi quis in ſacrificijs Chriſti offerret panẽ ſine vino, aut panem, & vinum, & mel. Alio modo, ſi quis venditaret pro Dei verbo librũ non Canonicum, aut pro Sacramento aliquã cæremoniã à ſe inuentam: aut contra librum verè Canonicum, aut verũ Sacramentum detraheret de numero librorum ſacrorũ, aut Sacramentorum; quod peccatũ hæretici cõmittũt, cùm multos ſacros libros negãt eſſe Canonicos, & quinque Sacramenta ſunt de numero Sacramentorũ. Idem videmus in monetarum corruptione: illi enim dicuntur falſarij, qui vel ipſas monetas corrumpũt, addendo ſtannũ argento, aut minuendo ipſum argentũ; vel qui monetas à ſe cuſas obtrudunt pro moneta Principis. Nihil autẽ horũ inuenient in cæremonijs Eccleſiæ.

DECIMVM argumentũ, §.23. ſumit Caluinus à tribus exẽplis diuinæ Scripturæ, 4.Reg.17. Qui incolebant Samariã à feris diſcerpti dicũtur, quòd illi nouis cæremonijs Deũ colerent, quas Deus non inſtituerat, 4.Reg.16. Reprehenditur Achaz, quòd nouum Altare poſuerit in templo, quod quidẽ ad ornatum templi videri poterat: *Et tamen videmus*, inquit Caluinus, *vt Spiritus audaciam illam deteſtetur non alia de cauſſa, niſi quòd hominum inuenta in Dei cultu, impuræ ſunt corruptelæ.* 4. Reg.21. *Aggrauatur*, inquit Caluinus, *hac circunſtantia crimen Manaſſe, quòd Altare nouum exſtruxerit in Hieruſalem.*

RESPONDEO, in his omnibus exemplis more ſuo Caluinũ mala fide vti. Nam 4.Reg.17. non arguuntur Samaritani illi, quòd nouis cæremonijs Deum colerent, ſed quòd initiò non timerent Dominũ, neq; colerent, quippe Gentiles erant, nec ſciebant legem Dei; deinde autem edocti legem Dei, ſimul Deũ colere incœpiſſent, & ſua idola. Et 4.Reg.16. Achaz reprehenditur, non quòd nouum Altare in templo exſtruxerit, ſed quòd iuſſerit fieri in templo Domini Altare nouũ ad ſimilitudinem Altaris idolorũ, quod erat in Damaſco, & remouerit Altare Domini de loco ſuo, vt in optimo loco conſtitueret Altare illud idololatricum. Denique 4.Reg.21. Manaſſes nõ ſolùm nouum Altare in templo poſuit, ſed Altare vbi ſacrificaretur idolis. Sic enim Scriptura loquitur: *Exſtruxit Altaria vniuerſa militiæ cæli in duobus atrijs tẽpli Domini.* Et infrà: *Poſuit quoque idolum luci, quem fecerat in templo Domini.* Alioqui enim nouum Altare erigere in templo Domini, nullum crimen fuiſſet. Nam 3.Reg.8. legimus Salomonem iuſſiſſe mediam partem atrij ſanctificari ad holocauſta offerenda, quoniam Altare æneum, in quo offerri debuiſſent, non erat capax tantæ multitudinis victimarum: obtulit enim tum Salomon viginti duo millia boum, & centũ viginti millia ouiũ. Atq; hæc ex Caluino. Simili fide Scripturas tractat Melãchthon. Nam in Apologia Confeſſ. Auguſtanæ, art.15. præter alia, profert hæc argumenta. Primò, Ezech.20. *In præceptis Patrum veſtrorum nolite incedere: Ergo nõ licet inſtituere nouos cultus ſine Dei mandato.* At loquitur Ezechiel de patribus idololatris: nam alioqui Scriptura dicit, Prouerb.22. *Ne trãſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui.* Item Secũdo argumẽratur Philippus: *Si licet hominibus inſtituere cultus; iam omnium Gentium cultus erunt approbandi, & illi etiam quos inſtituit Ieroboam.* Egregiè ſanè, quaſi verò liceat cõdere legẽ iniuſtam, ſi licet cõdere legem nouã. Tertiò addit, Daniel.cap.11. *Significat nouos cultus humanos ipſam formam Antichriſti fore. Sic enim inquit; Deum Maoſim in loco ſuo colet, & Deum quem non nouerunt Patres eorum.* Et hoc præclarum eſt argumentum, quaſi idem ſit colere Deum verum nouo cultu, & colere nouum Deum, id eſt, falſum & fictitium Deum.

Finis Librorum de Sacramentis in genere
Ad honorem Dei.

SECVNDA CONTROVERSIA GENERALIS.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

DVOBVS LIBRIS EXPLICATA.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS,

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Argumentum, & partitio diſputationis de Baptiſmo.

CAP. I. De nomine, definitione, & partibus Baptiſmi.
II. De materia Baptiſmi.
III. De forma Baptiſmi.
IV. De neceſsitate & inſtitutione Baptiſmi.
V. Quo tempore cœperit Baptiſmus eſſe neceſſarius.
VI. De Baptiſmo ſanguinis & flaminis.
VII. De miniſtro Baptiſmi.
VIII. De Baptiſmo infantium contra Anabaptiſtas.
IX. Soluuntur obiectiones Anabaptiſtarum.
X. Quid ſentiant aduerſarij de fide, quæ requiritur in Baptiſmo paruulorum.
XI. Declaratur, quę fides requiratur in Baptiſmo paruulorum, & refelluntur errores aduerſariorum.
XII. Qui ſint veri aut falſi effectus Baptiſmi.
XIII. Quòd Baptiſmus verè tollat peccatum.
XIV. Quòd Baptiſmus non faciat homines impeccabiles.
XV. Per Baptiſmum non liberari homines à ſeruanda lege Dei.
XVI. Per Baptiſmum nõ liberari homines ab obligatione legis Eccleſiaſticæ.
XVII. Per Baptiſmum non fieri irrita omnia vota.
XVIII. Sola memoria Baptiſmi nõ poſſe dimitti peccata, quæ fiunt poſt Baptiſmum.
XIX. De Baptiſmo Ioannis qui fuerint errores.
XX. Baptiſmum Ioannis non fuiſſe Sacramentum idem cum Baptiſmo Chriſti.
XXI. Baptiſmum Ioannis non habuiſſe eandem vim & efficaciam, quam habet Baptiſmus Chriſti.
XXII. Quòd poſt Baptiſmum Ioannis neceſſariò percipiendus erat Chriſti Baptiſmus.
XXIII. Soluuntur obiectiones.
XXIV. De cæremonijs Baptiſmi.
XXV. Cæremoniæ ante Baptiſmum ſunt duodecim.
XXVI. De cæremonijs, quæ Baptiſmum comitantur.
XXVII. De cæremonijs, quæ ſequuntur Baptiſmum.

LIBER SECVNDVS,

De Sacramento Confirmationis.

CAP. I. De erroribus, & mendacijs circa Sacramentum Confirmationis.
II. Probatur ex Scriptura Sacramentum Confirmationis.
III. Probatur veritas teſtimonijs ſummorũ Pontificum.
IV. Idem probatur ex Concilijs.
V. Idem probatur ex Patribus Græcis.
VI. Idem probatur ex Latinis.
VII. Diluuntur ſolutiones aduerſariorum ad Patrum teſtimonia, quæ ſunt etiam argumẽta ipſorum contra veritatem.
VIII. De materia Sacramenti Confirmationis.
IX. Soluuntur obiectiones contra materiã Confirmationis.
X. De forma Sacramenti Confirmationis.
XI. De effectu huius Sacramenti.
XII. De miniſtro huius Sacramenti.
XIII. De cæremonijs Confirmationis.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

LIBER VNICVS.

Argumentum,& partitio disputationis de Baptismo.

DE Baptismo, quæ disputari solent, ad nouem capita reuocari possunt. Primum est, de nomine, & definitione. Secundum, de materia. Tertium, de forma. Quartum, de necessitate. Quintum, de ministro. Sextum, de suscipientibus. Septimum, de effectis. Octauum, de comparatione Baptismi Christi, & Ioannis: præcipua enim comparatio circa effecta versatur. Nonum, de ritu, & ceremonijs In quibus omnibus controuersiis explicandis, duos præcipuè fines intuebimur. Vnum vt Canones Concilij Tridentini de Baptismo, qui habentur in septima sessione, defendamus contra Caluini Antidotum, & Examen Kemnitij. Alterum, vt præcipuorum huius temporis hæreticorum sententias, & argumenta bene intelligamus, & efficaciter, Deo adiuuante, refellamus.

CAPVT PRIMVM.

De nomine, definitione, & partibus Baptismi.

DE NOMINE Baptismi nulla dissensio est; vtuntur enim omnes hac voce, quòd in Scripturis passim habeatur. Significat autem βάπτισμα proprie immersionem: Ordinariè enim Baptismus fit per mersionem, idque ad Christi sepulturam repræsentandam, iuxtai llud Colos. 2. *Consepulti ei per Baptismum.* Habet autem apud Patres alia multa nomina, de quibus videprecipuè Clementem, lib. 1. Pedagogi, cap. 6. Nazianzenum oratione de Baptismo, & Chrysostomum, homil. ad baptizandos; qui vocant Baptismum, illuminationem, gratiam, donum, sigillum, mysterium, expurgationem, & alia quædam: sed præcipuum nomen, & cõmunissimum est φωτισμὸς, id est, illuminatio: hoc enim præter tres citatos Patres, vtuntur omnes alij Græci posteriores, & ante eos Dionysius Areopagita de Ecclesiastica hierarchia, cap. 2. immò & ipse Apostolus, Hebr. 6. cùm ait, *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c.* Et cap. 10. *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum.* Vnde etiam Cyrillus Hierosolymitanus Catecheses suas de Baptismo, vocat Catecheses illuminatorum. Dicitur autẽ Baptismus illuminatio, quia in eo infunditur habitus fidei.

QVOD autem attinet ad definitionem, S. Thomas, 3. part. q. 66. art. 1. aliquot definitiones adfert. Sed ex Scripturis Catechismus Romanus aptissimè ita definiuit: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Quæ definitio partim sumitur ex Ioan. 3. partim ex Paulo ad Ephes. 5. Et quidem primo loco ponitur, *Sacramentum*, quod est genus. Deinde additur, *regenerationis*, quæ differentia est contrahens genus, & distinguens à Sacramentis veteris legis. Tertiò additur, *per aquam*, quæ est alia differentia, adhuc magis contrahens, & distinguens ab alijs Sacramentis nouæ legis. Etsi enim cætera non dicuntur propriè regenerare, tamen iustificant impium, ac præsertim Pœnitentia: iustificatio autem impij, præsertim hæretici, aut apostatæ, parùm aut nihil differt à regeneratione. Vnde Gala. 4. Paulus, *filioli mei, quos iterum parturio.* Sed cùm additur, *per aquam*, iam perspicua differentia est. Non enim reconciliatio pœnitentium est regeneratio per aquam, sed reformatio quædam, & quasi reuocatio ab inferis.

VBI & illud obseruandum est, Sacramentum Baptismi non esse ipsam aquam, quæ est res permanens, sed ablutionẽ, quæ est res trãsiens. Itaque Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam, id est, signum exA ternum sanctificans per aquæ aspersionem. Denique additur, *in verbo vitæ*, vt exprimatur etiam forma Sacramenti, quæ est præcipua pars essentiæ.

PHILIPPVS in locis, anni LVIII. tit. de sacrificio, ita definit Baptismum: *Baptismus signum est, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam.* Sed hæc definitio conuenit omni Sacramento; immò etiã ipsi verbo, quod tamen non est Sacramentum.

Caluinus, lib. 4. Instit. cap. 15. §. 1. ita definit: *Baptismus est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, vt Christo insiti inter filios Dei censeamur.* Quæ definitio multa habet vitia. Nam neque est essentialis, cùm non attingat vllam partem essentiæ Baptismi; neque explicat effectum, seu finem principalem huius sacramenti. Nam finis principalis secundum Catholicos, immò secundum
B Scripturas, est iustificare, & regenerare: secundum Caluinum (vt ibidem ipse subiungit) est alere fidem more diplomatis signati, qui certè finis in ea definitione non explicatur, sed solùm finis quidam secundarius, qui est testari fidelitatem, quam Deo & Ecclesiæ debemus, & se agnoscere, ac numerari inter filios Dei.

ADDE, quòd ista definitio conuenit etiam Circuncisioni. Nam Circuncisio erat signum initiationis, quo Iudæi cooptabantur in Ecclesiæ societatem, & Christo inserebantur. Nam etiamsi Iudæorum cœtus dicatur Synagoga, quando distinguitur contra Ecclesiam; tamen absolutè Ecclesia erat, & Ecclesia Dei veri, antequam Christum negaret. Ipse etiam Christus, licet non fuerit homo tempore Synagogæ, nisi in vltimis diebus, tamen, vt Deus, semper fuit caput totius Ecclesiæ. Immò etiã, vt homo vẽturus, & passurus, iam tum erat caput, cui per fidem Hebræi coniungebantur, eique inserebantur. Vnde, 1. Corinth. 10. Iudæi dicuntur in deserto tentasse Christum. Et Apocal. 13. dicitur, Agnus occisus ab origine mundi. Eadem etiã definitio verbi Dei prædicato conuenire videtur: nã etiã per verbũ Dei initiamur, & cooptamur in Ecclesiã, & Christo inserimur.

CAPVT II.

De materia Baptismi.

DE materia nulla ferè dissensio est, tametsi non pauci errores de hac re aliquando extiterint, vel etiam existant. Primus fuit error Manichæorum, qui teste Augustino, lib. de hæres. cap. 46. Baptismum in aqua nõ putabant adhibendum, quòd videlicet aquam, vt res cæteras corporales, non Deus, sed diabolus procreasset. Magis verecundi fuerunt Marcionistæ, qui etsi crederent aquam esse opus mali principij, id est, diaboli, non Dei boni: tamen eam adhibebant in Baptismo ob Christi præceptum. Refert Theodoretus, lib. 1. fabul. hæret. se vidisse senem quendam Marcionistam, qui fatebatur in mysterio aquam adhibendam, & tamen ita illam oderat, vt faciem suam maller proprio sputo, quàm aqua abluere, ne videlicet creatore indigere videretur.

SECVNDVS error fuit Seleuci, & Hermiæ, qui aquã Baptismo excludebant, idque ob auctoritatem Scripturarum, quæ vbicunque comparant Baptismum Ioannis cum Christi Baptismo, semper affirmant Ioannem baptizasse in aqua, Christum baptizaturum Spiritu sancto, & igne, Mat. 3. Luc. 3. Ioan. 1. Marci. 1. Acto. 1. Referunt hunc errorem, Philastrius in libr. de hæresibus, & Augustinus de hæresibus, cap. 59.

TERTIVS error ex eodem fundamento fuit Iacobitarũ, qui loco aquæ Baptismalis ferro candente imprimebant in frontibus crucis figuram. Testis est Bernardus Lutzburgensis in Catalogo hæreticorum.

QVARTVS est Paulicianorum, qui teste Euthymio in 2. parte Panopliæ. tit. 21. pro elemento aquæ in Baptismo illa verba substituunt; Ego sum aqua viua.

QVINTVS error Lutheri est, qui in symposiacis colloquijs, cap. 17. interrogatus, num deficiente aqua liceat baptizare in lacte, aut cereuisia, primũ respondit, iudicio diuino id esse committendum: deinde addidit, quidquid balnei nomine nuncupari potest, illud esse aptũ ad baptizandum. At certè balnea vini, & lactis, nedum cereuisiæ fieri posse, nemo dubitauit vnquam.

ADVERSVS hæc omnia deliramenta statuit Concilium Trident. sess. 7. can. 2. aquam veram, & naturalem requiri ad Baptismum. Ex quo intelligimus duo. Primò, nullum liquorem esse materiã Baptismi, qui non sit vera & naturalis aqua. Secundò, omnem veram, & naturalem aquam, quantumuis accidentaliter alteratam, & mutatã, esse materiam idoneam ad Baptismum. Id verò patet ex
C apertissimis Scripturis. Nam Ioan. 3. dicitur: *Ex aqua, & Spiritu sancto.*

ITEM ibidem orta est æmulatio discipulorum Ioannis, quia videbãt Christum baptizare per discipulos suos in aqua, vt etiã ipse Ioannes baptizabat. Acto. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizare?* Ephes. 5. *Lauacro aquæ in verbo vitæ.* 1. Cor. 10. Paulus comparat Baptismũ mari rubro. 1. Petri 3. comparat Petrus eundem Baptismum diluuio. Denique etiã Prophetæ expressè prædixerunt Baptismũ aquæ, vt Ezech. cap. 36. *Effundam super vos aquã mundam.* Cur autẽ aquam Deus elegerit potiùs, quàm aliud elementum, causas reddunt auctores, adferẽtes varias aquæ proprietates: quas vide apud S. Thomam 3. parte. q. 66. artic. 3. & Gulielmum Parisiensem in lib. de Sacramentis. cap. de Baptismo.

NEQVE testimonia à Seleucianis allata concludũt. Nam non docent discrimen esse inter Baptisma Ioannis, & Christi, quòd vnum esset in sola aqua, alterum in solo Spiritu, vel igne: sed quòd vnum esset in sola aqua, alterum non in sola aqua, sed in aqua & Spiritu, vt dicitur Ioan. 3. Vnde 1. Ioan. 3. *Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* Quod autem additur de igne Matth. 3. & Luc. 3. non significat ignem aliquem elementalem, vt stultè putarunt Iacobitæ, sed ignem quendam cœlestem, & diuinum: nam ideò coniungitur cum Spiritu sancto. Potest autem ille ignis, vel significare linguas igneas, quæ descenderunt in Apostolos in die Pentecostes: vel ignem purgatorij, vt Hieronymus docet in cap 3. Matthæi, & Beda in c. 3. Lucæ: vel etiam ignem diuini iudicij, vt exponit Hilarius can. 2. in Matth. vel denique ignem tribulationis in hac vita, qui nulli baptizato deest, vt exponit auctor operis imperfecti in cap. 3. Matth.

A KEMNITIVS in hunc canonem nihil aliud notat, nisi non esse necessarium, vt aqua Exorcizetur, & benedicatur: si aqua vera, & naturalis sufficit. Sed malè id colligit: nam etiamsi ad substantiam Sacramenti non requiratur benedictio aquæ, tamen rectè est instituta, vt infrà dicemus.

CAPVT III.

De forma Baptismi.

FORMAM Baptismi etsi hoc tẽpore ferè omnes admittant, quod ad praxim attinet, quæ est singularis Dei prouidentia, ne innumerabiles infantes pereant, tamen fuerunt, & sunt non leues de hac re errores. Primus fuit quorũdam, qui ipso tẽpore Apostolorum baptizabant in nomine trium principio carentium, id est, trium Patrum, vel in nomine trium Filiorũ, aut trium Paracletorum. Qui error refertur, & damnatur, cano. 48. aliàs 49. Apostolorum.

B SECVNDVS fuit Gnosticorum, qui teste Irenæo lib. 1. cap. 18. baptizabant in nomine ignoti Patris, in veritate Matris omnium, & in nomine descendentis Iesu.

TERTIVS fuit Cataphrygum, & Paulianistarum, qui non baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt Innocentius I. testatur in epist. 22. cap. 5. & ideò iterum baptizari iubentur in Concilio Nicæno can. 19. & Laodicensi can. 8.

QVARTVS fuit aliquorum Arianorum, qui baptizabant in nomen Patris per Filium in Spiritu sancto. Refert Nicephorus lib. 13. cap. 35. ita baptizare voluisse quẽdam Episcopum Arianum nomine Deuterium; sed diuino miraculo continuò aquam euanuisse. Alios itẽ Arianos non seruasse veram Baptismi formam, patet ex Concilio I. Arelatensi, can. 8. vbi iubentur interrogari Ariani, cùm ad Ecclesiam redeunt, sub qua forma verborum à suis baptizati sint: non enim eodem modo omnes baptizabant, multi quoque eorum Catholicos rebaptizabant, vt Augustinus testatur libro de hæret. cap. 49.

QVINTVS error fuit quorundam Eunomianorum, qui non baptizabant in nomine trium personarum, sed in Domini mortem, vt refert Socrates libro 5. cap. 23.

SEXTVS fuit Græcorum, qui aliquando ita adhærebant suæ formæ, quia dicunt, baptizetur N. seruus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt rebaptizare auderent Latinos baptizatos, illis verbis, Ego te baptizo, &c. Refert, & damnat hunc errorem Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 4. vbi non damnatur forma baptizandi Græcorũ, quæ non differt à nostra, quoad substantiam, vt in Cõcilio Florentino, sess. vlt. declaratum est: sed damnatur Græcorum error, qui nostram formam damnare audebant sine vlla ratione, vel caussa.

SEPTIMVS error est Lutheri, Zvvinglij, & Brentij, qui licet formam vsitatam vtendum esse doceant; tamen id non putant necessarium ad Baptismi substantiam. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, affirmat Baptismum esse ratum, quibuscũque verbis collatum, modò nõ in nomine hominis, sed in nomine Domini detur. Immò addit, etiamsi impius minister nõ det in nomine Domini, tamẽ esse ratum, si suscipiatur in nomine Domini. Zvvinglius in libro de vera, & falsa religione, cap. de Baptismo, sub finem, apertè docet, non esse necessariam vllam certam verborum formam in Baptismo: licet dicat se non vetare, quò minùs vtamur sacris verbis iam receptis. Vnde Zvvingliani quidam, vt refert Ioannes Eckius homilia 10. de Baptismo, baptizabant in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti; qui est manifestus Arianismus. Nomen enim, potestatem, & auctoritatẽ significat in Scriptura, Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eijcient.* Ioã. 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Vt autẽ est vna Deitas triũ personarũ, ita vnũ nomen, vna virtus, vna auctoritas. Vnde Ambrosius li. 1. de Sacramẽtis. c. 7.

& Hieronymus in cap. . ad Ephes. norant in Baptismo rinam fieri mersionem, & tamen nō dici, In nominibus, ied in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ioannes Brentius in suo Catechismo cap. de Baptismo scribit, verum esse Baptismum, si ministet post recitatum à Catechumeno Symbolum fidei, ita diceret: *Audiui iam ex te confessionem fidei tuæ, quòd credas in Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: in hanc igitur confessionem intingo te in aquam, vt hoc signaculo certus sis te esse insertum Christo: vade in pace:* Monet tamen, vt forma Ecclesiæ vsitata seruetur. Quod quidem bene monuit, alioqui non esset ratus Baptismus.

PRÆTER hos errores est opinio quædam incommoda multorum Catholicorum, qui putarunt sufficere ad Baptismum, inuocationem vnius personæ diuinæ tantùm, ac præsertim Christi. Ita videntur sentire, S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. Beda in cap. 10. Actor. qui ipsa verba Ambrosij citat. Bernardus epist. 340. ad Henricum, qui docet, ratum sibi videri Baptismum, quē quidam contulit ex imperitia, In nomine Dei, ac sanctæ & veræ Crucis. Item Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 2. & Magister lib. 4. sentent. dist. 3. & denique Nicolaus Papa in epist. ad Bulgaros, vt habetur can. A quodam Iudæo, de consecra. dist. 4. qui nihil quidem definit, sed profert Ambrosij auctoritatem, & eam approbare videtur.

FVNDAMENTA horum auctorum sunt duo. Primum, auctoritas Apostolorum, qui baptizabant in nomine Christi, vt habetur Actorum 8. & 10. & 19. Secundum, quia in qualibet persona diuina implicitè continentur omnes tres. Qui enim dicit Patrem, simul dicit Filiū, & Spiritum oris eius: qui dicit Christum, dicit vngētem, id est, Patrem, vnctum, id est, Filium, & vnctionem, id est, Spiritum sanctum; qui dicit Spiritum sanctum, dicit Patrem, & Filium, à quibus ille spiratur. Sed fundamentum præcipuum omniū auctorum post Ambrosium, est ipsius Ambrosij auctoritas: quare si fortè Ambrosius non illud voluerit dicere, quòd verba eius sonare videntur, ruit fundamentum præcipuum illius opinionis.

SED quidquid de hoc sit, certum est, Baptismum aut absolutè, aut sub conditione repetendum, si detur in nomine Christi, aut alterius cuiusuis personæ, sine expressione aliarum, vt rectè docent Theologi omnes grauiores in 4. dist. 3.

EST igitur hæc vera forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi non est de essentia, illa particula, *Ego*, & licet ea non debeat omitti, cùm præscribatur ab Ecclesia, tamen si omitteretur, baptismus esset integer, quia satis exprimitur persona ministri in verbo, *Baptizo*.

PORRÒ hanc esse veram & necessariam formam Baptismi, colligitur ex Euangelio, sed non euidenter ex solo Euangelio, sed cogimur recurrere ad traditionem, & Ecclesiæ declarationem. Quod est notandum contra Caluinum, & alios hæreticos qui eandem formam præscribunt in ritu Baptismi, & eadem vtuntur, cùm tamen nolint traditiones, sed solam Scripturam admittere. In Euangelio nihil habemus nisi vnum testimonium, Matt. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ex quibus verbis, si sola considerentur, non cogimur dicere, Ego te baptizo, sicut nō cogimur dicere cū prædicamus, Ego vos doceo: sed videmur satisfacere, si baptizemus, & doceamus, etiamsi non exprimamus verbis nos id facere. Pari ratione non colligitur euidenter ex hoc solo loco, oportere dicere, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: posset enim exponi hic locus, vel de fide Trinitatis, vt baptizemus in fide Trinitatis, vel etiam de auctoritate, id est, vt baptizemus auctoritate à Deo accepta; quemadmodum cùm Marci vlt. legimus: *In nomine meo dæmonia ejicient, &c.* Si tamen adiungamus ad hunc locum Euangelij, Ecclesiæ auctoritatem, constabit certissimè, omnia illa verba ad formam baptismi pertinere.

NAM in primis esse dicendum, *Ego baptizo*, vel aliquid eiusmodi, quo exprimatur actio ministri, docet Concilium Florentinum in instructione Armenorum: docet etiam Alexander Papa. III. extra de Baptismo, & eius effectu, cap. Si quis puerum: docent omnes catechismi, & rituales libri, etiam antiquissimi. Denique etiam ratio id docet. Nam sola illa verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, etiam cum ipsa lotione externa, non determinatè significāt id, quod hoc Sacramento significari debet. Nam posset fieri lotio illa ad refrigerandum, aut curandum ab aliquo morbo, & ad id etiam rectè inuocaretur auxilium sanctæ Trinitatis. Itaque addendum est verbum, *Baptizo*, quo ex vsu Ecclesiastico significatur ablutio à sordibus non tam carnis, quàm spiritus.

DEINDE esse exprimendam aliam personam à ministro diuersam, quod facimus per pronomen (*Te*) ac proinde non posse vllum baptizare seipsum; docet præter testimonia iam allata, disertis verbis Innocentius III. extra de Baptismo, & eius effectu, cap. Debitum.

DENIQVE esse exprimendas tres diuinas personas; præter allata testimonia, docent duo summi Pontifices, Pelagius can. Si reuera, & can. Multi sunt, & Zacharias can. In Synodo, de consecra. dist. 4. qui affirmant, Baptismum non esse ratum, si detur in nomine Domini, aut in nomine Christi, nisi disertè exprimantur tres personæ. Idem confirmat traditio omnium Patrum, qui affirmant, Baptismum dari debere in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vide can. 49. Apostolorum: Dionysium de Ecclesiastica hierarchia, ca. 2. Iustinū in Apologia 2. Origenem in cap. 6. ad Rom. in illud: *Quicunque in Christo baptizati sumus.* Vbi etiam dicit, non haberi ratum Baptismum in nomine solius Christi, nisi addantur aliæ personæ. Item Athanasium serm. 3. contra Arianos, parùm à medio: vbi dicit, non esse perfectam initiationem, nisi in nomine trium personarum; quod idem habent, Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 12. & Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, non procul ab initio. Vide etiam Nyssenum in libro de Baptismo ante mediū. Chrysostomū in cap. 5. ad Ephes. in illud: *Mundans eam lauacro.* Nazianzenum oratione in sanctum lauacrum prope finem. Damascenū lib. 4. cap. 10. & Theophylactum in cap. vlt. Matthæi. Præterea ex Latinis Tertullianum libro contra Praxeam, & libro de corona militis. Cyprianum in epist. ad Iubaianū. Hilarium lib. de Synodis in fine. Ambrosium lib. 2. de Sacramentis, cap. 5. & 7. de iis, qui initiantur mysterijs, cap. 4. Hieronymum in cap. 4. ad Ephes. Siricium in epist. 1. Innocentium epist. 22. Augustinum lib. 6. de Baptismo, cap. 25. Leonem in epistol. 4. Fulgentium de incarnatione, & gratia Christi, cap. 11. Gregorium lib. 9. epist. 61.

NEQVE illa argumenta quæ posuimus pro eorum opinione, qui putabant Baptismum esse ratum, si in nomine solius Christi daretur, aliquid concludunt. Ad primum de exemplo Apostolorum, aliqui Scholasticorum respondent, Apostolos id fecisse ex quadam peculiari Dei dispensatione. Sed, cùm neque in Scriptura, neque in vllo Concilio, neque in Patribus legatur talis dispensatio, solidiùs respondēt, qui negant Apostolos baptizasse, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; id quod etiam confirmatur ex cap. 19. Actor. Nam cùm quidam Paulo dixissent: *Neque si Spiritus sanctus est, audiuimus;* subiunxit Paulus: *In quo ergo baptizati estis?* Quibus verbis indicat etiam suo tempore in ipsa forma baptismi nominari solium Spiritum sanctum. Et cùm certum sit, nunquam datum esse in nomine solius Spiritus sancti, sequitur vt datus sit in nomine trium personarum. Adde, quòd cùm in Canonibus Apostolorum dānentur,

qui

qui aliter baptizant, quàm in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & antiquissimi Patres, qui vel Apostolos viderunt, vel eorum discipulos, vt Dionysius, & Iustinus, eandem formam Baptismi præscribant, non est vllo modo credibile Apostolos aliter baptizasse.

QVOD autem Lucas dicit in Actis, cap. 2. 8. 10. & 19. baptizasse Apostolos in nomine Domini Iesu: potest intelligi multis modis, nimirum, vt baptizasse dicantur in fide Domini Iesu, vel auctoritate Domini Iesu, vel baptismo à Christo instituto, vel denique in nomine Domini Iesu, sed non solius, verùm adiuncto Patre, & Spiritu sancto. Fortasse enim ad magis commendandum nomen Christi, ita dicebant; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius Iesu Christi, & Spiritus sancti.

ET hoc modo videntur mihi intellexisse hæc loca, Hilarius, Basilius, & Fulgentius. Nam Hilarius in lib. de Synodis prope finē, enumerat varia loca Scripturæ, quæ videtur inter se pugnare, nisi rectè intelligātur: & inter alia ponit hæc loca, quòd Apostoli Matthæi vlt. iussi sint baptizare, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & tamen in Act. Apostolorū referātur baptizasse in nomine Christi. Et quāuis nō explicet Hilarius quomodo hęc intelligenda sint, tamen ex modo loquēdi ipsius, & ex alijs similibus locis in speciem pugnantibus, colligitur eum sensisse, Apostolos baptizasse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: alioqui, vt ipse dicit, in crimine fuissent, tanquam præuaricatores regulæ diuinæ sibi datæ; sed Lucam in Actis id ipsum breuissimè significasse, exprimendo nomen Christi, & non negando nomina aliarum personarum. Fulgentius de incarnatione, & gratia Christi, c. 11. apertissimè dicit, Apostolos baptizasse, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & hoc ipsū esse baptizare in nomine Domini Iesu, vt dicitur Acto. 2. vel in morte Christi, vt dicitur Rom. 6. Basilius in libro de Spiritu sancto, cap. 12. scribit in nomine filij, intelligi omnes personas, cùm Scriptura dicit, Apostolos baptizasse in nomine Christi: proinde Apostolos reuera in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizasse, non in nomine solius Christi. Vbi vult S. Basilius in vna persona intelligi omnes, quod attinet ad verba S. Lucæ in Actis, non autem quod attinet ad ipsam formam Baptismi. Et hoc etiam modo aliqui volunt loquutum esse Ambrosium, & ex eo Bedam. Nam Ambrosius videtur sequi Basilium, cum eadem testimonia adducat, & de eadem re loquatur, & frequentissimè soleat Basilij sententias suas facere: certè Catechismus Romanus cap. de Baptismo, coniungit in hac re Ambrosium cum Basilio.

AD secundum argumentum respondeo, con sufficere in Baptismo implicitam mentionem trium personarum, tum quia Dominus in Euangelio, & omnes Patres explicitam tradunt, tum etiam quia Sacramenta sunt signa externa, & sensibilia; proinde oportet inuocationem trium personarum exterius, & sensibiliter sonare, nec sufficit, si vnius personæ inuocatio exteriùs sonet, aliarum autem sola mente concipiatur, quod fit, quando implicitè solùm inuocantur.

CAPVT IV.

De necessitate, & institutione Baptismi.

PRIMVS de caussa materiali, & formali, nunc de necessitate dicendum, quæ ad caussam finalem pertinere videtur. Ac primùm nulla quæstio est, quin Baptismus sit necessarius ad salutem ex diuino Christi mandato. Id enim etiam Caluinus fatetur in Antidoto Concilij, sess. 7. can. 5. Sed controuersia est, an sit necessarius, vt medium ad salutem, ita vt si quis non baptizetur, pereat, etiamsi fortè ob ignorantiam excusetur à præuaricatione præcepti. Ac præcipuè habet locū controuersia in paruulis, qui non sunt capaces præcepti. Tres autem sunt quæstiones. Prima, an Baptismus sit necessarius. Secunda, quando cœperit esse necessarius. Tertia, an possit suppleri per martyrium, an pœnitentiam, quæ dicuntur Baptismata, illud sanguinis, hoc flaminis.

DE prima quæstione fuit olim hæresis Pelagianorum, Baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis, sed solùm ad assequutionem regni cœlorum, teste Augustino libro de hæresibus, cap. 69.

SED nostri hæretici Pelagianis multò audaciores, nō solùm ad remissionem peccati, sed etiam ad regnum cœlorum negant Baptismum esse necessarium. Id in primis negauit Ioā. Viclef, vt testatur Thomas Vvaldēsis tom. 2. ca. 96. Deinde Zvvinglius lib. de vera, & falsa religione satis apertè negat, Baptismum esse necessarium ad salutem; quòd nihil sit nisi externum symbolum. Martinus Buccerus in cap. 3. Matth. idem docet: sed ex alio fundamento, nimirum, quia pueri prædestinati etiam sine Baptismo saluātur, non prædestinati autem, etiam cum Baptismo damnantur. Ioan. Caluinus in Antidoto Concilij ad 6. sess. ca. 5. & lib. 4. Instit. cap. 16. §. 24. & 25. docet, paruulos fidelium etiam sine Baptismo esse sanctos, & membra Ecclesiæ, & si moriantur, saluari. Fundamentum eius est, qui putat filijs fidelium non imputari peccatum originis, idque ex vi fœderis Dei facti cum Abraham, Gen. 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui.* Nos enim succesimus per Christum in Abrahæ posteritatem. Idem habet Petrus Martyr in cap. 7. 1. ad Cor. in illa verba: *Alioquin filij vestri mundi essent, nunc autem sancti sunt.* Vbi apertè dicit, filios fidelium saluari sine Baptismo, & profert eadem argumenta, quę Caluinus. Idem quoque habet Henricus Bullingerus Zvvinglij successor in Tigurina synagoga in eundem locum, 1. Cor. 7. Hoc tamen videtur interesse inter Bullingerum, & Caluinum; quòd Caluinus solos eos facit sanctos, ante Baptismum, qui nascuntur ex parētibus fidelibus: Bullingerus autem in lib. de Testaméto, seu fœdere Dei vnico & æterno, docet, satis esse, si parētes aliquando fuerint fideles, licet tunc non sint, quando filij eis nascuntur. Immò etiam videtur dicere, satis esse, si maiores fuerint fideles, licet immediati parentes non sint fideles. Ex quo sequitur secundum opinionem huius hominis, saluari ferè omnes pueros: rari enim sunt, qui non habuerint aliquem ex maioribus suis fidelem.

CONTRA hos errores posuit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 2. *Si quis dixerit, Baptismum non esse necessarium ad salutem, anathema sit.* Probatur hæc veritas. Primò, ex Dei verbo expresso, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quæ verba non sonant præceptum, sed medium, vt Augustinus demonstrat li. 1. de peccatorum merit. & remiss. cap. 30. vbi hūc locum accuratè expendit. Et patet etiam ex ratione, quæ redditur: *Quod natum est ex carne, caro est: & oportet vos nasci denuò.* Indicat enim Dominus homines nasci carnales, & peccatores, atque adeò seruos peccati; & proinde necessarium esse remedium contra hæc mala, quod remedium deinceps erit Baptismus. Idem apertissimè conuincitur ex figura ænei serpentis, quam ibidem Dominus ponit. Vult enim ita esse remedium contra mortem æternam, renasci per fidem & Baptismū suum, vt olim fuit serpens æneus remedium vnicum cōtra morsum serpentium. Itaque illud. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* simile est, ac si quis diceret; Nisi comedas, non viues: vel, Nisi pharmacum sumas, non conualesces. Ista enim non tam præceptum, quàm medium necessarium significant. Neque de hoc aduersarij disputant; sed nituntur varijs expositionibus ita deprauare hunc locum, vt non possit ex eo colligi, aquam necessariam esse.

CALVINVS in Antidoto, loco notato duo dicit. Primò, secundum aliquos Patres aquam accipi pro mor-

tifica

tificatione: quod idem habet Kemnitius in examine, can. 2. sess. 7. & nominat Basilium, qui per aquam intelligit mortificationem. At hoc vanum est. Nam Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 15. non explicat quid ad literam significet aquæ vocabulum, Ioan. 3. sed præsupponés significare veram, & naturalem aquā, quærit cur aqua adiungatur Spiritui in Baptismo, & causam reddit, vt aqua significet mortificationem peccatorum, spiritus autem resurrectionem virtutum.

SECVNDÒ Caluinus dicit, aquá hoc loco esse epithetum Spiritus, & sensum esse; Oportere nasci ex Spiritu, qui purgat ad modum aquæ. Sed hác expositionem refutauimus suprà libro 1. de Sacramentis, cap. 31. vbi attulimus quindecim testimonia Patrum, qui hunc locum intelligunt de aqua Baptismi: & præterea idem confirmauimus aliquod rationibus.

PETRVS Martyr in cap. 7. 1. ad Corinth. præter hanc Caluini explicationem, quam nó improbat, adfert aliam, quòd videlicet non sit vis facienda in illa copulatiua: *Ex aqua, & Spiritu*: satis enim est, si ex Spiritu homines renascantur, quomodo Rom. 10. dicitur: *Corde creditur ad iustitiam, & ore confessio fit ad salutem.* Vbi habetur eadem copulatiua particula, &, & tamen non est eiusdem necessitatis fides cordis, & confessio oris. At hoc etiam miserum est effugium. Nam in primis confessio oris, & fides cordis non referuntur ad eandem fidem, seu effectum; fides enim cordis necessaria est ad iustitiam acquirendam: confessio oris ad salutem non amittendam. At in baptismo, spiritus & aqua ad eandem regenerationem pertinent: quare loca illa non sunt similia. Præterea si non est vis facienda in copulatiua, certè æquialebit disiunctiuæ: inde autem sequetur satis esse renasci ex aqua sine Spiritu, quod absurdissimum est. Quod enim Martyr dicit, Christum velle, vt renascamur ex Spiritu, gratis dicit. Si enim particula, &, copulatiuè accipitur, vtrumque est necessarium; sin disiunctiuè, alterutrum sufficit, quodcunque illud sit.

ZVVINGLIVS in cap. 1. Marc. exponit per baptismum concionem. Ioan. Brentius in cap. 3. Matth. totum locum Euangelij: *Nisi quis renatus fuerit*, exponit de pœnitentia, vt sensus sit: *Nisi quis pœnitentiam egerit, non intrabit in regnum cœlorum.* Denique Ioan. Vviclef, teste Thoma Vvaldensi, tomo 2. cap. 101. per aquam in loco Euangelij Ioan. 3. intelligit aquam illam, quæ fluxit ex Christi latere, vt sensus sit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, quæ fluet ex meo latere, id est, ex passione mea, &c.

SED hæc & similia somnia facilè refutantur. Primò, ex communi consensu Patrum suprà citatorum. Cùm enim hic locus tam variè exponatur ab hominibus huius & superioris ætatis, nihil rectiùs facere possunt homines prudentes, etiamsi Christiani non essent, quàm appellare ad iudicium antiquorum, qui ante nostras lites hunc locum exposuerunt.

SECVNDÒ, refelluntur ex cómuni axiomate Theologorum, quo docemur Scripturam intelligere secundum verborum proprietatem, vbi non cogimur euidenti absurdo; alioqui possemus deprauare omnia loca, etiam clarissima, si liceat pro arbitrio fingere nouos sensus. Porrò aduersarij nullum absurdum ostendunt, quod sequatur, si hoc loco per aquam intelligamus aquam; nisi quia hinc refellitur ipsorum hæresis.

TERTIÒ, quia si hoc loco per aquam non intelligimus aquam, difficile erit statuere, Sacramentum baptismi constare ex aqua: quod tamen affirmant hoc tempore omnes tum Catholici, tum hæretici. Nam cætera loca Scripturæ, vbi fit mentio aquæ in Baptismo, vt Actor. 8. & Ephes. 5. probant quidé posse homines baptizari aqua, sed non probant non posse baptizari alijs etiam liquoribus. Et præterea poterunt ea loca detorqueri ad metaphoras, non minùs, quàm iste. Rectè igitur Concilium Tridentinum, sess. 7. canon. 2, anathema dicit omnibus, qui hunc locum Euangelij detorquent ad metaphoras, & non intelligunt de vera, & naturali aqua, vt verba sonant.

SECVNDÒ, probatur eadé veritas ex traditione Ecclesiæ, & Patrum: semper enim Ecclesia credidit, infantes perire, si absque Baptismo de hac vita recedãt. Ac primùm habemus testimonia Conciliorum, Carthaginensis & Mileuitani apud Augustinum epist. 90. & 92. in quibus ex professo damnatur sententia eorum, qui putant paruulos saluari sine Baptismo. Quibus consonat Tridẽtinum Concilium, sess. 6. cap. 3. & sess. 7. can. 5.

SECVNDÒ, habemus testimonia Pontificum, Syricij in epist. 1. ad Himericum, cap. 2. & Innocentij I. epist. 26. ad Concilium Mileuitanum, qui docent paruulos omnino perire, si absque Baptismo decedant. Item Leonis I. epist. 80. aliàs 78. ad Episcopos Campaniæ, vbi dicit, in periculo vitæ quocunque tempore esse homines baptizandos, ne careant necessaria liberatione.

TERTIÒ, habemus testimonia omnium ferè Patrum, qui idem docent, vt Irenæi lib. 3. ca. 19. Origenis in cap. 6. ad Roma, Nazianzeni oratione in sanctum Lauacrum. Basilij orat. 13. de exhortatione Baptismi. Item Cypriani lib. 3. epist. 8. ad Fidum. Ambrosij lib. 2. de Abraham, cap. vlt. Hieronymi lib. 3. contra Pelagianos. Augustini lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 16. 23. 24. & 27. & epist. 28. lib. 2. de origine animæ, cap. 12. & lib. 3. cap. 9. Prosperi lib. 2. de vocatione Gentium, cap. 8. Fulgentij libr. de fide ad Petrum, cap. 30. Bernardi serm. 66. in Cantica: & Petri Cluniacensis in epist. contra Petrobrusianos, qui ex professo hoc tractat. Sed audiamus vnum, aut alterum Augustini testimonium nomine aliorum, lib. 3. de origine animæ, cap. 9. *Noli*, inquit, *credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus*: & in epist. 20. ad Hieronymum: *Quisquis dixerit, quòd in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò, & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino viuificari non posse.*

TERTIÒ, probatur ratione deprompta ex fundamentis aduersariorum. Nam fundamentum ipsorum est, quia filij Christianorum nascuntur liberi à reatu peccati originalis, non quidem, quòd non habeant peccatum, sed quia eis non imputatur, cùm sint filij sanctorũ. Hoc enim fundamentum facilè potest euerti. Primò, quia Iacob, & Esau, filij erant optimi patris Isaac, & tamen Deus Iacob dilexit, Esau autem odio habuit, antequam aliquid boni, vel mali egissent, Roma. 8. Non ergo filij sanctorum nascuntur sancti.

RESPONDET Petrus Martyr in comment. 1. Cor. 7. filios sanctorum nasci sanctos, quando sunt prædestinati: quia tamen nos ignoramus, qui sint prædestinati, ideò benè speramus de omnibus filijs sanctorum, donec illi per mala opera non perdant suam reprobationem. Inepta responsio, Nam si res ita se habet, impertinens erit nasci ex fideli, vel infideli, & benè sperandum erit de omnibus infantibus; sæpissimè enim contingit, vt filij fidelium sint reprobi, & filij infidelium prædestinati. Præterea si filij fidelium non prædestinati, non nascuntur sancti, malè allegat Petrus Martyr Caluinum, sequutus illam promissionem Genes. 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui.*

RESPONDET Martyr, illam promissionem non esse vniuersalem, sed solùm habere locum in prædestinatis. At hoc gratis dicitur; Verba enim Scripturæ absoluta sunt, neque vlla fit in toto illo capite mentio prædestinationis. Et denique promissio illa inanis adderetur, si adiungenda est conditio prædestinationis: nullam enim consolationem inde capere possunt, vel parentes, vel filij, cùm ignorent an sint prædestinati. Simile est si Rex diceret alicui; Do tibi hanc vrbem pro te, & posteris, si tamen mihi placuerit posteris tuis illam concedere.

SECVNDÒ, Dauid erat filius hominis fidelis, & tamen Psalm, 50. dicebat: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et Apostolus erat filius sanctorum, vt ipse affirmat 2. Cor. 12. & tamen ait Ephes. 2. *Eramus & nos natura filij iræ.*

RESPONDENT: Hæc dici de corruptione naturæ, & de peccato quod reuera inest, non de reatu, qui non est in filijs fidelium, cùm eis peccatum non imputetur. Sed certè, esse filium iræ, apertissimè sonat reatum. Filius enim iræ non est, nisi qui est obnoxius pœnæ, & vindictæ. Non autem est obnoxius pœnæ, cui peccatum non imputatur. Vnde Paulus non ait; Sumus filij iræ, sed *Eramus*, & tamen secundum aduersarios, peccatum semper manet etiam post Baptismum.

TERTIÒ, loca Apostoli Pauli de peccato originali generalia sunt, Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* & 1. Cor. 15. *Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Nec possunt hæc loca exponi de vitio naturę, non de reatu: alioqui nemo haberet reatum. Nec potest dici, filios fidelium contrahere peccatum originale, sed mox dimitti eis, antequã nascantur. Nam si filij fidelium ideò sanctificantur, quia sunt filij fidelium, eodem momento incipient *sancti* esse, quo *incipiunt* esse filij fidelium; at eodem momento incipiunt esse filij fidelium, quo incipiũt esse simpliciter: ergo nunquam habent peccatum originale, quod est contra Paulum, & contra ipsos aduersarios, qui admittunt peccatum originale, & non aduertunt se pugnantia dicere.

QVARTÒ, fundamentum aduersariorum pugnat cum axiomate omnium Patrum, immò etiam omnium Christianorum; quod est, Christianos non nasci, sed fieri, vt Hieronymus ait epistol. 7. ad Lætam. Tertullianus in Apologetico, cap. 17. in fine, & alij passim. Iam enim secundum Caluinum & Martyrem Christiani nascuntur, non fiunt.

SED argumenta ipsorum videamus. Primò obiiciunt illud Genes. 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui.* Quod quidem dictum est Abrahæ, & eius posteritati: sed nos per Christum successimus in posteritate Abrahæ. Christus enim soluit macerią, quæ nos separabat à populo Dei.

RESPONDEO, promissonem illam, vt suprà ostẽdimus in quæstione de differentia Sacramentorum nouę & veteris legis, ad literam non fuisse promissionem remissionis peccatorum, sed peculiaris protectionis & gubernationis, & terrenæ fœlicitatis, tamen sensu quodam mystico, fuisse etiam spirituales promissiones, & remissionis peccatorum, ac vitæ æternæ, & ad nos pertinere: sed ad nos descendere nõ per carnalẽ generationem parentum, sed per spiritualem regenerationem Christi. Nã Apostolus Roma. 4. & 9. & Gala. 3. & 4. apertè docet eos esse veros Abrahæ filios, non qui sunt filij carnis, sed qui sunt filij fidei, id est, qui imitantur fidem Abrahæ. Tunc ergo incipimus secundum Apostolum esse filij Abrahæ, cùm incipimus esse fideles, quod paruuli non faciunt, nisi cùm baptizantur: illis enim baptizari est credere, vt dicit Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 27. Et præterea ratio idem docet. Nam per carnalem generationem non possumus fieri filij Abrahæ, cùm parentes nostri ab Abraham non descendãt, sed quia Christus verè fuit filius Abrahæ, tunc & nos incipimus esse filij Abrahæ, cùm incipimus esse Christi filij, vel fratres. Id autem certum est non fieri, nisi per Baptismum. Vnde Ioan. 1. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* & Ioã. 3. *Oportet vos nasci denuò.* Vide Augustinũ epist. 200. ad Asellicum.

SECVNDÒ obiiciunt illud Apostoli 1. Cor. 7. *Filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.*

RESPONDEO cum Augustino lib. 3. de peccatorũ merit. & remiss. c. 12. quidquid significetur per hãc filiorum sanctitatem, non posse vllo modo intelligi, quod aduersarij volunt, filios fieri sanctos sine Baptismo. Nam ibidem Paulus dicit, sanctificari coniugem infidelem per fidelem, & tamen stultissimum esset credere, coniugem infidelem, sine cõuersione ad Deum, & Baptismo Christi posse peruenire ad remissionem peccatorũ hoc solo, quòd adhæret coniugi fideli.

PORRÒ tres sunt huius loci Patrum expositiones: Vna est, sanctos hîc vocari filios sanctitate quadã ciuili, quòd videlicet legitimi, non spurij sint. Ita commentarius, qui tribuitur Ambrosio, & S. Thomas, & Anselmus in hunc locum.

REFELLIT Martyr hanc expositionem, quia filij essent legitimi, etiamsi vterque coniunx esset infidelis: & tamen Apostolus dicit, filios nasci sanctos ex vno cõiuge fideli, altero infideli; quia sanctificatur infidelis per fidelem: aliqua igitur alia sanctitas hoc loco agnoscẽda est. Sed malè reprehẽditur hæc expositio. Nam alia ratio est coniugij inter duos infideles, alia inter fidelem, & infidelem. Nam cùm vterque coniunx est infidelis, cõiugium sine dubio est legitimum, vt ciuilis quidam contractus; neque de eo dubitari poterat, vt etiam non posset dubitari cùm vterque est fidelis. At cùm alter fidelis est, alter infidelis, dubitari poterat, an coniugium esset legitimum propter religionis disparitatẽ: videtur enim fidelis pollui ob cohabitationem cum infideli. Ideò Apostolus monet Christianos, etiam tum Matrimonium esse legitimũ, neque pollui fidelem ob cohabitationem cum infideli, sed è cótrario sanctificari infidelem per fidelem: maior enim vis est fidei, quàm infidelitatis. Esse autem etiam in tali disparitate religionis legitimum coniugium, probat ex eo, quòd filij eorum non censentur immundi, id est, infames, & spurij, sed sancti, id est, legitimi & liberi à ciuili ignominia.

ALTERA expositio est, filios horum coniugum dici sanctos, quia consecrantur Deo ab altero coniuge fideli, & per Baptismum Christiani fiũt, & in Dei timore educantur. Hortatur enim Apostolus coniuges Christianos, vt non discedant à coniugibus infidelibus, si ipsi infideles velint cum fidelibus permanere; & rationem reddit, quia sanctificatur infidelis per fidelem, id est, vel conuertitur ad fidem, vel certè est candidatus fidei, cùm non abhorreat à consuetudine coniugis fidelis: inde autem sequitur vt filij sancti sint, id est, Christiani fiant. Quod certè non fieret, si nollet infidelis cum fideli habitare, vel non sanctificaretur infidelis per fidelem: tunc enim filij sequerentur parentem infidelem, & proinde immũdi, & infideles essent. Ita exposuit Tertullianus lib. 2. ad vxorem, & ex eo S. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum, & in epist. 153. ad Paulinum, & Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 26. & lib. 3. cap. 12. & lib. 1. de serm. Domini in monte. cap. 27.

CARPIT etiam hanc expositionem Petrus Martyr, vt suam hæresim ex hoc loco Apostoli stabilire possit. Nam sæpe accidit, vt qui ex scortatione filios suscepit, eos Christianos fieri curet, & in timore Dei enutriat, vt Augustinus ipse fecit cum filio suo Adeodato, & tamen nemo inde probaret sanctam esse coniunctiõnem cum scorto. Paulus autem probat sanctum esse coniugium etiam infidelis cum fideli, quia inde nascuntur filij sancti. At immeritò reprehendit Martyr hanc expositionem. Nam coniunctio cum scorto, res est per se mala, & ideò non potest fieri sancta per coniunctionem fidelis, nec potest fieri laudabilis, & retinenda, etiamsi inde nascantur filij, qui Christiani fiant. Nam non sunt facienda mala, vt veniant bona, Roma. 3. At coniugium

etiam infidelium res est bona,& ideò potest fieri melior, si alter eorum conuertatur ad fidem, & potest commendari,& suaderi perseuerantia in tali cõiugio, ob bonum, quod inde sequitur,vt filij Christiani fiant.

TERTIA expositio est aliorum, vt referunt, Augustinus & Anselmus locis citatis,qui dicebant,sanctificari coniugem infidelem per fidelem, quia discebat seruare leges coniugij,& non abuti Matrimonio. Infideles enim qui ignorant Deum,etiamsi legitimè coniuncti sint, tamen sæpe abutuntur Matrimonio, neque abstinent se à copula coniugali tempore menstrui,neque semper naturalem modum seruant: inde autem polluitur coniugium, & filij nascuntur immundi; à qua pollutione liberantur & parentes & filij, per hoc quòd infidelis consentit habitare cum fideli,& proinde seruare leges casti cõiugij.

TERTIVM argumentum Caluini, Profanatur Baptismus cùm datur ei,qui ad Christum nõ pertinet,quomodo profanatur sigillum regium, cùm eo signatur falsum diploma.

RESPONDEO, Baptismum non profanari,cùm datur immundis,sed contrà potiùs sanctificare, & purgare immundos. Non enim est sigillum,vt Caluinus somniat, acceptæ gratiæ,sed est instrumentum conferens gratiam, & signum gratiæ quæ tunc datur.

QVARTVM argumentum, Infantes Iudæorum, qui ante octauum diem moriebantur, non poterant circuncidi,& tamen non est verisimile eos periisse; igitur sine Circuncisione saluabantur. At eadem ratio est Baptismi apud Christianos,& Circuncisionis apud Iudæos.

RESPONDEO, Totum argumentum constare ex rebus incertis. Nam imprimis multi veterum (vt suprà diximus) negant Circuncisionem datam in remedium cõtra peccatum. Deinde nõ scimus an ante octauũ diem haberent infantes Iudæorum aliquod remedium, & quod illud esset. Denique nõ est eadem ratio Christianorum, & Iudæorum. Nunc enim determinatũ est à Christo certum remedium,& quidem communissimum, & facillimum,præter quod non licet fingere aliud; tunc autem quid fieret,certò sciri nõ potest,cùm Scriptura nihil dicat, Illud vnum certò scimus ex diuinis literis, omnes homines nasci peccatores, nec saluari, nisi per Christi passionem certis mediis applicatam, vt Augustinus fusè docet in tribus libris de peccatorum meritis, & remissione,& libris quatuor de origine animæ.

QVINTVM argumentum; Si Baptismus est necessarius,peribunt sine sua culpa infiniti infantes,quod alienũ videtur à Dei misericordia. Hoc argumẽtum Petri Martyris, fuit etiam quorundam Catholicorum, vt Caietani, Gabrielis,& aliorum,qui non quidem docẽt,filios Christianorum nasci sanctos, sed tamen conãtur inuenire alia remedia pro paruulis,præter Baptismum.

SED respondemus cum Augustino lib. 2. de bono perseuerantiæ, cap.12. & Prospero libro 2. de vocatione Gentium,cap.8. Dei iudicia esse occulta,cur tot paruulos pereat sinat; interim tamen esse iustissima. Nam etiamsi paruuli sine sua culpa non baptizantur, non tamen sine sua culpa pereunt, cùm habeant originale peccatum. Qui autem fingunt aliud remedium præter Baptismum, apertissimè pugnãt cum Euangelio,Concilijs, Patribus, atque Ecclesiæ vniuersæ consensu. Nam vt Augustinus ait epist.28.non alia de caussa in Ecclesiam festinatur, & curritur cum infantibus periclitantibus ad baptismum, nisi quia constat nullum esse aliud remedium. Videntur autem, qui ista fingunt, non cogitare curam infantium magis ad Deum,quàm ad se pertinere;& Christum cùm Baptismum necessarium asserit, Ioan.3. bene scisse, multos eo remedio sine sua culpa priuandos, & facillimum esse Deo, si vellet, prouidere infantibus omnibus Baptismum,sicut reipsa prouidet omnibus electis.Quòd enim Bucerus, & Martyr dicunt,infantes prædestinatos etiam sine Baptismo saluari,ineptissimè dicitur,vt Augustinus ostendit lib.3,de origine animæ,ca.10. Quos enim Deus prædestinauit,ijs remedia ad salutem efficacissimè prouidit. Proinde omnes,qui in infantia moriũtur,si prædestinati sint,sine dubio baptizantur,& contrà si reprobi sint,non baptizantur.

CAPVT V.

Quo tempore cœperit Baptismus esse necessarius.

QVO tempore cœperit Baptismus esse necessarius, quæstio est inter Theologos. Sed quia non est cõtrouersia cum hæreticis, exponam solùm paucis propositionibus,quæ mihi esse probabilior sententia videatur.

PRIMA propositio: *Baptismus ante passionem Domini institutus est.* Nota negari non posse, quin aliquem Baptismum Christus in vsu habuerit ante passionem. Nam Ioan. 3. & 4. dicitur Christus baptizasse per discipulos suos. Sed dubium esse potest,an ille Baptismus fuerit Sacramentum illud,quod nunc habemus,& de quo fit mẽtio Matth.vlt,an verò fuerit præparatio quædam ad Baptismi Sacramentum postea instituendum, vt erat Baptismus Ioannis. Et quidem Chrysostomus homil.28.in Ioan. & Theophylactus in cap.3. Ioan. apertè docent Baptismum illum, quo discipuli Christi baptizabant Ioan.3.non remisisse peccatum, & fuisse in aqua tantùm sine Spiritu; nec vllam fuisse differentiam inter Baptismum discipulorum Christi, & Ioannis, sed vtrumque fuisse præparationem ad fidem: & ideò Christum non baptizasse per se,sed per discipulos, quia non dicebat eũ baptizare sine Spiritu. Idem videtur sentire S.Leo epist. 4.ad Episcopos Siciliæ, cap.3. *Ipsa,* inquit,*operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimũ diem,* id est, diem Resurrectionis,*in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimùm valet,quòd ipse Dominus Iesus Christus, postquam resurrexit à mortuis,discipulis suis,in quibus omnes Ecclesiarum præsules docebantur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi,dicens: Euntes ergo nunc docete omnes gentes, baptizantes eos,In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. De quo vtique eos etiam ante passionem potuisset instruere,nisi propriè voluisset intelligi, regenerationis gratiam ex sua Resurrectione cæpisse.* Hæc ille. Probabilius tamen est, quod nos diximus. Quod ex professo docent,Cyrillus lib.2.in Ioan.cap.57. & sequentibus, & Augustinus tract.13.& 15.in Ioan.& epist.108.ad Seleucianũ, & Hugo de S.Victore lib.2.de Sacramentis,part.6.cap.4.

EST hæc communior Theologorum sententia, cum Magistro in 4.d.3.Et ratio est. Primò, quia Ioan.3.dicitur Christus baptizasse, cùm tamen non ipse baptizaret, sed discipuli eius, vt ibidem adiungit Euangelista. Ergo ille Baptismus erat propriè Christi Baptismus,vt distinguitur à Baptismo Ioannis alioqui non ipse,sed Ioannes diceretur baptizasse eos, quos discipuli Christi baptizabant. Si autem erat propriè Christi Baptismus, necessariò erat in aqua,& spiritu,non in sola aqua. Semper enim Scriptura ponit hoc discrimen inter Christum, & Ioannem, quòd iste in aqua,ille non in sola aqua,sed etiam in Spiritu baptizaret. Nec decebat vt Christus instituereet inanem cæremoniam, aut munus Ioannis sibi vsurparet, nimirum baptizandi in sola aqua. Adde, quòd Ioan. 1. dicitur de Christo in præsenti: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.*

SECVNDÒ probatur hoc idem,quia Actor. 19. legimus rebaptizatos, quos Ioannes, baptizauerat. At nusquam legimus rebaptizatos, quos discipuli Christi ante passionem eiusdem baptizauerant. Immò probabilissimum est (vt Augustinus docet in epistola 108.) Apostolos non fuisse baptizatos, nisi ante Christi passionem.

TERTIÒ

TERTIÒ Patres communi consensu docent, Christum, cùm baptizaretur in Iordane,dedisse aquis vim sanctificandi,vt patet ex Tertulliano libro cõtra Iudæos, cap.de passione;ex Hilario can.2.in Matt.Ambrosio lib. 2.in Luc.ca.12.Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos,Nazianzeno in oratione in sancta Lumina; Beda in cap.3.Luc.& ex aliis. At certè non habuerunt aquæ vim sanctificandi,nisi ab eo tempore,quo cœperunt esse materia Baptismi.

DENIQVE fundamentum contrariæ sententiæ non est solidum. Solùm enim adferunt Chrysostomum & Theophylact.in illud Ioan.7. *Nondum erat Spiritus datus,quia nondum Iesus erat glorificatus.* At hic locus intelligitur de plenitudine Spiritus sancti,quæ dari cœpit visibiliter in Pentecoste,alioqui enim omnes sancti habuerunt Spiritum sanctum,etiam ante Christi passionem.

SECVNDA propositio: *Baptismus Christi institutus est,quando Dominus ipse in Iordane à Ioanne baptizatus est.* Nota de hac re,id est,quo puncto temporis Christus Baptismũ instituerit, esse plurimas opiniones Scholasticorum, sed communiorem & probabiliorem esse,quã nos sequimur,quam etiam amplectitur Catechismus Cõcilij Tridẽtini,& Magister cum S.Thoma,& aliis lib.4.dist.3.

NOTA præterea,non velle nos dicere,Christũ in die sui Baptismi verbis docuisse materiam, aut formam Baptismi,id enim falsum est: sed tum primùm statuisse, ac decreuisse,quod postea declarauit Ioan.3.Nicodemo, & alio tempore suis discipulis: vt aqua esset materia Baptismi, & vt forma esset inuocatio trium diuinarum personarum. Determinauit enim aquas, ad Baptismi materiam, cùm eas tactu mundissimæ carnis suæ consecrare, & illustrare dignatus est, vt docent Patres citati. Et simul determinauit formam, cùm in eius Baptismate tota Trinitas sensibiliter apparuit, vt patet Matth. 3. Christo enim baptizato aperti sunt cœli, & vox Patris intonuit,& Spiritus apparuit in specie columbæ, & Filius ipse Dei in carne assumpta præsens erat,vbi etiam simul(Hilario teste loco citato)declaratus est effectus Baptismi à Christo instituti, nimirum quòd baptizatis aperitur cœlum,& à Patre in Filio adoptantur, & Spiritu sancto replentur,&c.

TERTIA propositio: *Baptismus Christi nõ fuit necessarius, necessitate medij, aut præcepti ante Christi mortem.* Probatur,quia vsque ad Christi mortem lex antiqua vim suam retinuit,vt patet,quia Christus eam seruauit vsque ad mortem. Nam pridie quàm pateretur, seruauit cæremoniam agni Paschalis,& Mat.23.monebat homines,vt seruarent & facerent, quæ Scribæ & Pharisæi docebant ex cathedra Mosis: ergo etiam Circuncisio, si in remediũ peccati data fuerat, vsque ad Christi mortem vigebat. Non igitur toto eo tempore Baptismus Christi necessarius erat vt medium ad salutem, quandoquidem sine eo poterant homines,etiam paruuli iustificari. Quare illud Christi verbum Ioan.3.*Nisi quis renatus fuerit,&c.* non significat ab eo die,quo Dominus cum Nicodemo loquebatur,fuisse Baptismum necessarium, sed significat necessarium futurum fuisse in lege noua,postquam cessarẽt cæremoniæ legales,vt rectè exponit Bernardus epist. 77. ad Hugonem. Et eodem modo exponendum est,quod ait Fulgentius lib.de fide ad Petrum,c.3. ex quo tempore dictum est: *Nisi quis renatus fuerit,* neminem sine Baptismo posse saluari. Accipit enim nomine temporis,non illum diem,quo ea dicebantur, sed tempus legis nouæ. Denique illud etiam Lucæ 16. *Lex,& Prophetæ vsque ad Ioannem,* non significat tunc legem cessasse, quoad vim aut obligationem,sed quoad prædicationem: Ioannes enim fuit vltimus Prophetarum. Vnde subiungitur: *Ex eo regnum Dei euangelizatur.* Præterea in morte Christi cessauit efficacia cæremoniarum,& totius legis veteris: ergo cessauit etiam vis Circuncisionis,ergo vsque ad illud tẽpus vim habuit lex vetus. Porrò in morte Christi cessasse vim legis,patet ex Euangelio Matt.27. *Scissum est velum.* & Ioan.19.*Consummatum est.* Item ex Apostolo Rom.7. *Mortificati estis legi per corpus Christi.* Item omnes ferè cæremoniæ legis figuræ erant Christi. Col. 2. & Hebr. 10. Christus autem in morte compleuit opus redemptionis.

QVARTA propositio: *Baptismus Christi cœpit esse necessarius necessitate medij, & præcepti à die Pentecostes.* Nota,legem vererem simpliciter cessasse in morte Christi,quia tunc cessauit vniuersaliter ratio legis: tamen ob ignorantiam huius rei adhuc obligasse Iudæos,vsque ad publicam promulgationem Euangelij: & contrà legem Euangelicam, & Sacramenta Christiana condita fuisse, & multùm profuisse etiam ante Christi mortem, tamen non habuisse vim præcepti,nisi post promulgationem solennem, vt cõcilium Tridentinum,sess.6.cap. 4.dicit de Baptismo. Et ratio est, quia promulgatio est de essentia legis, vt S. Thomas docet part.2.q.90.art.4. Promulgatio autem solennis nouæ legis facta est in die Pentecostes. Quod probatur primò,quia,vt diximus,lex vetus viguit vsque ad Christi mortem: ab eo autem tempore vsq; ad Pentecosten,neque Christus,neque Apostoli publicè ad populum loquuti sunt. Secundò,non debuit promulgari solenniter lex noua, nisi completis omnibus mysteriis redemptionis;mysteria autem cõpleta sunt in Ascensione Christi. Tertiò,lex vetus solenniter promulgata fuit in monte Sina die quinquagesimo post primum Pascha Iudæorum; ergo lex noua promulgari debuit die quinquagesimo post primum Pascha Christianorum. Fuisse enim illam legis promulgationem, figuram promulgationis Euangelij, docent Augustinus ep.119.Leo serm.1. de Pentecoste,& alij. Quartò,concioni primæ,quam habuit S.Petrus Act.2.ipso die Pentecostes,conuenunt omnes conditiones promulgationis solennis. Nam habita est in vrbe Regia Hierosolymorum, præsentibus omnibus hominibus omnium nationum, vt Lucas testatur, à summo Præcone Euangelij,qui erat Apostolus Petrus,& in ea concione comprehensa sunt præcipua capita totius doctrinæ Euangelicæ. Denique continuò etiam cœpit vsus Sacramentorum.

CAPVT VI.

De Baptismo sanguinis,& flaminis.

QVOD attinet ad Postremam partem disputationis de necessitate Baptismi, quæstio est an Baptismus aquæ suppleri possit per Martyrium, tam in paruulis, quàm in adultis; & per veram cordis Conuersionem in adultis.

MARTINVS Kemnitius in 2.part.Examinis,pag.90. 91.& 92.admittit hæc tria Baptismata,ac dicit,ab antiquis venustè distincta esse tria baptismata,sanguinis, flaminis, & fluminis. Sed dissentit à Catholicis in modo explicãdi: non enim vult Martyrium aut Pœnitentiam remittere peccata,vt facit baptismus aquæ,sed solam fidem,quæ tempore Martyrij & Pœnitentiæ,apprehendit Christum, esse eam quæ iustificat. Illyricus quoque Cent.5.c.4.col. 517.dicit,Prosperum contra verbum Dei,& cum magna iniuria Baptismi,æquasse Martyrium Baptismo. Sed Illyricus non adfert argumenta: Kemnitius autem probat, quia Martyrium & Pœnitentia sunt opera nostra; absurdum autem,& impium est,opera nostra æquare sanguini Christi,& virtuti Baptismi. Confirmat ex Augustino,qui lib.4.contra Donatistas,c.22,dicit,bonum latronem, qui cum Christo pendebat in cruce, non passione sua obtinuisse remissionem peccatorum, sed ex fide apprehendente Christum,cuius contrarium docuerat Cyprianus, sed eum Augustinus loco notato refutauit.

HÆc sententia Kemnitij non solùm est falsa, sed etiam secum ipsa pugnat, & mendaciis suis non caret. Nam cùm idem Kemnitius passim doceat cum Magistro suo Luthero, in ipso etiam baptismo aquæ solam fidem iustificare, an non apertè secum pugnat cùm dicit, Martyrium & Pœnitentiam non remittere peccatum, eo modo, quo baptismus, quia in eis sola fides iustificat? Mendacia verò duo sunt in hac sententia Kemnitij. Primum, cùm ait, Augustinum asserere bonum latronem sola fide Christum apprehendente iustificatum. Non enim hoc Augustinus dicit; sed bonum latronem fide, & conuersione cordis ad Deum iustificatum esse. Secundum, cùm ait, ab Augustino refutari Cyprianum, qui crediderat Martyrium iustificare, eo modo, quo facit Baptismus. Id enim est impudens mendacium. Augustinus enim non modò non refutat, sed etiam laudat Cypriani sententiam. Sic enim ait: *Baptismi sanè vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in Paradiso, non leue documentum idem B. Cyprianus assumit.* Hæc ille. Docet quidem paulò infrà Augustinus, latronem illum non posse dici Martyrem, nec saluatum Baptismo sanguinis, sed Baptismo flaminis: sed hoc dicit ad confirmandam Cypriani sententiam; si enim Baptismus flaminis iustificat, multò magis Baptismus sanguinis, vt Cyprianus dixerat. Vt autem res tota explicetur, ponam aliquot propositiones.

PRIMA propositio: *Martyrium rectè dicitur, & est quoddam Baptisma.* Probatur hæc propositio duplici ratione. Primò, quia Scriptura diuina, & sancti Patres Martyrium Baptisma nominare solent. Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Et quomodo coarctor, donec perficiam illud?* Idem etiam Patres passim docent. Tertullianus in lib. de Baptismo, de Martyrio loquens, *Hic*, inquit, *est Baptismus, qui lauacrum regenerationis non acceptum refert, vel perditum reddit.* Prosper in Epigrammatis:

Et quidquid sacri fert mystica forma lauacri,
Id totum implenit gloria Martyrij.

Cyprianus præfatione lib. de exhortatione martyrij, dicit martyrium esse baptismú, & quidem Baptismo aquæ præstantionem. Ambrosius in Psal. 118. serm. 3. tria baptismata distinguit, vnum aquæ, alterum sanguinis, tertium purgatorij in alia vita. Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. in illud: *Vnum Baptisma*, distinguit baptismum aquæ, à baptismo martyrij. Augustinus lib. 13. de ciuit. Dei, c. 7. epist. 108. ad Seleucianum, lib. 1. de origine animæ, cap. 9. lib. 4. de Baptismo, c. 21. & 22. Cyrillus catechesi 3. ponit etiam duo ista baptismata, vt faciunt quoque Nazianzenus, oratione in sancta lumina. Damascenus lib. 4. cap. 10. Bernardus in epist. 77. & Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 7.

ALTERA ratio est, quia martyrium conuenit cum baptismo aquæ in tribus effectibus; nimirum quòd primò configurat hominem Christi passioni, & morti. Secundò remittit peccatum originale, & reliqua omnia, si quæ sint admissa. Tertiò quòd remittit omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quàm temporalem: quod inter sacramenta proprium est solius baptismi.

HIC tamen obseruandum est, non esse hæc omnia æquè certa, ac primùm certum est, quòd martyrium sit configuratio mortis Domini, vt notum est, & configuratio nobilior, quàm baptismi aquæ; quia illa est realis, hæc Sacramentalis. Item certum est apud omnes, quòd remittat omnem pœnam, ita vt Martyres continuò perueniant ad coronam. Id quod patet vel ex eo, quòd Ecclesia nunquam orat pro animabus martyrum, sed illis potiùs se commendat: *Iniuriam*, inquit Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli, & Innocentius cap. cùm Marthæ, extra, de celebratione Missarũ, *facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Vnde Cyprianus lib. 4. epist. 2. ad Antonianum conferens martyres cum aliis Christianis moriẽtibus: *Aliud*, inquit, *est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem, aliud statim fidei, & virtutis acciperc mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse, aliud denique pendere die iudicij ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari.*

DE secundo effectu est maior difficultas. Nam non desunt Theologi, vt Dominicus à Soto, & Martinus Ledesmius in 4. d. 3. q. vn. art. 11. qui docent, Martyrium non dare gratiam ex opere operato, sed tãtùm ex opere operantis, nec dare vllum gradum gratiæ, præter eum, qui respondet merito charitatis ipsius Martyris. Martyrium enim sine charitate susceptum nihil prodest, vt Paulus ait 1. Cor. 13. Qui autem est in charitate, sine dubio est in gratia. Vnde etiam credimus, omnes veros Martyres habuisse veram, immò etiam summam charitatem antequã Martyrium subirent, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt quis ponat animam suam pro amicis suis.*

PROBABILIOR sententia est, Martyrium ex opere operato conferre primam gratiam, ita vt si quis ad Martyrium accedat adhuc in peccatis existens, tamen sine affectu ad aliquod peccatum, & cum fide, & dilectione inchoata, & pœnitentia saltem imperfecta, qualis requiritur etiam ante Baptismum aquæ; is virtute Martyrij ex opere operato iustificabitur, & saluabitur. Ita docet expressè S. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 3. ad 1. & q. 4. tota, & Ioan. Maior, Gabr. & alij eadem d. 4. li. 4. & probatur, Primò ex Martyrio infantium: constat enim infantes pro Christo occisos non solùm saluari, sed etiam haberi ab Ecclesia in numero Martyrum, vt patet de festo sanctorum Innocentium, cuius meminit Bernardus in serm. de Innocentibus, & ante eum Augustinus lib. 3. de liber. arbit. c. 23. & ep. 28. ad Hieronymum, & ante Augustinũ, Origenes hom. 3. in diuersos Euangelij locos, & Cyprianus lib. 4. ep. 6. ad Thibaritanos. At paruuli nihil operari possunt, & peccatores sunt antequam baptizentur Baptismo aquæ, vel sanguinis.

RESPONDENT quidam, eos Innocentes fuisse circuncisos, proinde ante Martyrium iustificatos. Sed hoc nihil est. Nam incertum est, an fuerint illi omnes circuncisi; immò probabilissimum est, & ferè certum, non fuisse omnes circuncisos. Nam occidit Herodes omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & finibus eius, nec iussit filios tãtùm Iudæorum, sed omnes omnino occidi: fortasse autem non pauci erant Gentiles inter eos. Præterea iussit occidi à bimatu & infra, omnes infantes, proinde eos etiam, qui nondum peruenerant ad octauum diem, quo solo poterant circuncidi. Denique non est de fide, Circuncisionem iustificasse, & tamen Ecclesia absolutè omnes illos infantes certò credit esse saluos. Præterea Ecclesia eos innocentes non solùm vt saluos, sed etiam vt Martyres honorat; ergo passio pro Christo susceptа aliquid eis contulit ex opere operato. Neque valet quod Sotus respondet, esse hoc priuilegium paruulorum: id enim sine vllo fundamento asseritur. Si enim Martyrium ex opere operato infantibus prodest, cur non adultis? certè nõ minus est Martyrium, nec minùs potens & efficax adultorum, quàm infantium, sed contrà potiùs nobilius, & efficacius.

SECVNDÒ probatur ratione S. Thomæ. Nam gratia, quæ datur Martyri, remissionis omnium pœnarum, non potest esse ex opere operantis; nam vel esset ex ipsa tolerantia pœnæ, vel ex feruore charitatis. Non tolerantia pœnæ, quia multi Martyres fuerunt antea homines sceleratissimi, qui millies mortem promeriti fuerant, & sine dubio non erat sufficiens satisfactio mors quædam

leuissima, vt per capitis abscissionem, & tamẽ si verè sint Martyres, dimittuntur eis omnes pœnæ. Multi etiam Confessores, plura sæpe patiuntur, quàm Martyres, & tamen non semper eis dimittitur tota pœna. Non etiam id potest tribui merito charitatis: multi etiam sancti Confessores maiorem habuerunt charitatem multis Martyribus, & tamen non habuerunt indulgentiam omnium pœnarum: Martyres autem etiamsi non haberent nisi vnum gradum charitatis, tamen, hoc ipso quòd sunt Martyres, habent indulgentiam omnium pœnarum. Fatendũ est igitur, Martyrium ex opere operato, id est, ex pacto, & institutione Christi conferre gratiam. Quòd si Martyrium ex opere operato confert gratiam, certè poterit etiam primam gratiam conferre: id enim solùm obstare videbatur, quòd non haberet vim ex opere operato.

TERTIÒ Ecclesia, vt aliquem colat vt S. Martyrem, nunquam examinat, an antea fuerit in gratia, sed indifferenter omnes honorat, quos constat pro Christo occisos in confessione veræ fidei, & vnitate Ecclesiæ. Hæretici enim, & schismatici Martyres esse non possunt, cùm ponant obicem gratiæ Dei per peccatum infidelitatis, & schismatis, in quo actu perseuerant.

QVARTÒ, si Martyrium nõ conferret primam gratiam ex opere operato, sed tantùm ex feruore charitatis operaretur, non verè distingueretur Baptismus sanguinis à Baptismo flaminis; sed vtrumque esset Baptisma flaminis, cùm vtrumque consisteret in interna conuersione & motione animi in Deum. At treuera Baptismus sanguinis distinguitur à Baptismo flaminis, quia ipsa sanguinis effusio supplet baptismum in Martyrio; in baptismo autem flaminis sola interna conuersio, & aspiratio Spiritus sancti.

QVINTÒ sit aliquis, qui comprehẽsus in persecutione malit mori, quàm Christum negare, & reipsa moriatur; & tamen non habuerit ante ipsum Martyrium veram contritionem, sed solùm attritionem quandam suorum peccatorum; & denique non habuerit maiorẽ dispositionem quàm eam, quæ necessaria est ad baptismum aquæ. Aut iustificabitur iste, & saluabitur, aut non: si sic, ergo Martyrium ex opere operato dat primam gratiam, neque enim iste aliquid mereri potuit ante ipsum Martyrium, cùm non esset iustus: si non, ergo baptismus sanguinis non supplet baptismum aquæ: iste enim verè baptizatur in suo sanguine, & verè Martyr est, cùm pro vera fide moriatur. Fatendum est igitur eum ex opere operato iustificari.

SEXTÒ & vltimò videtur omnino hæc sentẽtia Patrum. Cyprianus in epistola ad Iubaianum: *Nunquid potest*, inquit, *vis Baptismi esse maior, aut potior, quàm confessio, quàm passio?* Item Augustinus lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 7. *Quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.* Hæc illi. At falsa hæc erũt, si baptismus primam gratiam confert, & peccata etiam quoad culpam dimittit, martyrium autem neutrum facere potest: sic enim erit longè maior virtus baptismi aquæ, quam baptismi sanguinis, cuius contrarium Patres docent.

AD argumentum, quod contrà fieri solet, ex 1. Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Respondeo, hæc loca non concludere, oportere martyrem ante ipsum martyrium habere veram charitatem, & proinde esse iustificatum. Nam prior locus non requirit, vt charitas præcedat, sed vt comitetur reliqua bona, sine charitate enim nihil sufficit ad salutem. Et hoc verissimum; nam etiam Martyrium nihil prodesset, si Martyr de hac vita decederet sine charitate. Sed non potest decedere sine charitate, cùm vi ipsius Martyrij, ex pacto & priuilegio Dei infundatur gratia, & proinde charitas. Quòd autem non sit necesse propter hunc locum Pauli, charitatem præcedere, saltem tempore, ipsum Martyrium, patet, quia ibidem Paulus dicit, sine charitate non prodesse fidem, & scientiam; & tamen ordinariè prior est fides, & sæpe etiam scientia in homine, quàm charitas: & tamẽ si fides, & scientia semper maneant sine charitate, non saluabit hominem, vt rectè Apostolus dixit. Adde, quòd id, quod dicit Apostolus de Martyrio, dicere possumus etiam de Baptismo: qui enim habet Baptismum, si non habeat charitatem, non saluatur; & tamen nemo negat Baptismum dare primam gratiam.

ALTER locus docet, summam esse charitatem ex parte operis, ponere vitam pro amico, quia non habet aliquid maius homo, quod det pro amico, quàm vitam: tamen non docet hic locus, omnem, qui dat vitam pro amico, habere summam charitatem quoad habitum, vel actum internum, vt notum est; cùm multi qui non dederunt vitam, habuerint maiorem charitatem iis, qui dederunt, vt patet de beata Virgine, de sancto Ioanne Euangelista, & aliis. Præterea etiamsi qui vitã ponit pro Christi amore, habet sine dubio magnam, & veram charitatẽ, vt hic locus Euangelij docet, & tales videtur fuisse Martyres plurimi: tamen potest etiam fieri, vt aliquis nondum plenè iustificatus, raptus ad Martyrium, vitam ponere decreuerit, non tam propter Dei charitatem quam nõdum habet, quàm metu gehennæ, vel spe cœlestis præmij: certè de tali non potest dici quod habeat veram charitatem; & tamen benè facit ponendo vitam in confessione Christi, & Martyr est, id est, testis veritatis. Ac de eiusmodi dicimus, remitti illis peccata, & infundi gratiam ex opere operato Martyrij.

SECVNDA propositio: *Perfecta Conuersio, ac Pœnitẽtia rectè Baptismus flaminis dicitur, & Baptismum aquæ saltem in necessitate supplet.* Nota Baptismum flaminis non dici quamlibet conuersionem, sed perfectam, quæ includit veram contritionem, & charitatem, & simul etiam desiderium, seu votum Baptismi.

NOTA Secundò, non fuisse apud veteres tam certam hanc propositionem, ut erat superior. Nam de Martyrio nullus veterum, quod sciam, negauit eo suppleri Baptismum aquæ: at de conuersione, & pœnitentia non desunt, qui id negauerint. Nam liber, qui inscribitur de Ecclesiasticis dogmatibus, qui falsò tribuitur Augustino, cap. 74. apertè dicit, Catechumenum non saluari, etiamsi in bonis operibus vixerit, nisi Baptismo aquæ, aut sanguinis purgatus fuerit. Tempore etiam sancti Bernardi fuisse, qui idem sentirent, patet ex epistola eius. 77.

AT sine dubio credendum est, veram conuersionem supplere Baptismum aquæ, cùm non ex contemptu, sed ex necessitate sine Baptismo aquæ aliqui decedunt. Id enim expressè habetur Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam à peccatis suis, iniquitatem eius non recordabor amplius.* Idem apertè docet Ambrosius oratione de obitu Valentiniani iunioris: *Quem eram*, inquit, *regeneraturus, amisi, sed ille gratiam, quam sperauerat, non amisit.* Idẽ Augustinus lib. 4. de Baptismo, cap. 22. & Bernardus epistola 77. & post eos Innocentius III. cap. Apostolicam, de presbytero non baptizato. vnde etiam Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 4. Baptismum dicit esse necessarium in re vel in voto. Denique vera conuersio conuenit cum Martyrio, & cum Baptismo aquæ, in nomine Baptismi, & in effectibus duobus; ergo credibile est conuenire etiam in alio effectu, qui est dimittere culpam, & iustificare hominem, & eo modo supplere Baptismum aquæ. Antecedens probatur. Ac primùm de nomine Baptismi, legimus Marc. 1. & Luc. 3. *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et 1. Corinth. 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?*

Si mortui non resurgunt, vt qui baptizantur pro illis? Non enim vlla dari potest huic loco aptior expositio, quàm si per Baptismum intelligamus opera pœnitentiæ, & afflictionis, quæ viuentes suscipiunt pro animabus defunctorum. Præterea pœnitentia configurat hominem Christi passioni, vt facit Martyrium, licet non tam perfectè, quàm facit Martyrium: dimittit etiam totam pœnam perfecta conuersio, vt fuit in conuersione Mariæ Magdalenæ, boni latronis, & aliorum. Neque enim dicitur Baptismus flaminis absolutè, & simpliciter, interna conuersio, nisi quando est ita perfecta, & feruens, vt omnem rubiginem peccati tollat. Alioqui enim, si non tollat totam pœnam, vt plerumque fit, non est Baptismus, nisi imperfectè.

TERTIA propositio: *Tam Martyrium, quàm Pœnitentia, peccata remittunt, non autem sola fides, qua Martyres, aut Pœnitentes Christum apprehendunt.* Hæc est contra Kemnitium, & probatur Scripturis, Patribus, & ratione. Primò Scripturæ ipsi passioni, & pœnitentiæ tribuunt remissionem peccatorum, Mat. 10. & 16. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Marci 8. & Luc. 9. *Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam.* Ezechiel 18. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iustitiam, ipse animam suam viuificabit.* Et Lucæ 7. Magdalenæ dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Secundò, Patres suprà citati nunquam soli fidei, sed ipsi passioni, aut pœnitentiæ, & desiderio Baptismi tribuunt iustificationem. Tertiò, si sola fides operaretur in Martyrio, & Pœnitentia, non essent tria Baptismata, sed duo, vel potiùs vnum tantùm: proinde non rectè diceret Kemnitius tria Baptismata venustè à Patribus distincta. Quòd si dicat esse tria Baptismata, quia sunt tria instrumenta excitandæ fidei; dicam ego esse multò plura, quia multò plura sunt instrumenta excitandæ fidei, vt pater.

NEQVE argumentum Kemnitij concludit. Nam non æquamus opera nostra virtuti Baptismi, aut Christi sanguini, cùm dicimus, per Martyrium, & Pœnitentiam remitti peccata, & suppleri Baptismum: sed æquamus Dei gratiam, Dei gratiæ & Christi pactum & institutionem, Christi pacto & institutioni. Nam vt in Baptismo aquæ, quod præcipuè operatur, est institutio diuina, & gratia; ita etiam in Martyrio, & Pœnitentia: non enim passio Martyrum ex se vim habet iustificandi, sed ex pacto, & promissione Christi. Similiter pœnitentia, & conuersio, est solùm dispositio quædam, ad quam ex pacto, & promissione Dei sequitur iustificatio. Adde, quòd nec ipsa dispositio est præcipuum opus nostrum, sed Dei, qui primò inspirat pœnitentiam, & amorem Martyrij, & postea iuuat ad perficiendum.

QVINTA propositio: *Martyrium, & Conuersio ad Deum, licet Baptismata quædam sint, non sunt tamen Sacramenta.* Probatur primò, quia non habent essentiam Sacramenti: nam in Martyrio non est vlla forma verborum de essentia: in Conuersione, neque est forma verborum, neque signum externum sensibile, quod necessariò requiratur. Secundò, Sacramenta sunt remedia contra peccatum ordinaria, & omni tempore cõuenientia. At Martyrium non est ordinarium remedium, nec omni tempore potest haberi. Tertiò, Sacramenta sunt causa gratiæ, vt actiones Dei per suos ministros: at Martyrium non est actio Dei per suum ministrum, sed actio Diaboli per suũ satellitem. Vnde Martyrium concurrit ad iustificationem dispositiuè tantùm, vt etiam Conuersio in baptismo flaminis: atque ita diuersò modo iustificant ex opere operato Sacramenta, & Martyrium. Ibi enim opus operatum est causa actiua instrumentalis gratiæ, hîc solùm est dispositio.

CAPVT VII.

De ministro Baptismi.

SEQVITVR quinta controuersia de caussa efficiente ministeriali; de qua re, vna solùm quæstio est, vtrum scilicet laici possint baptizare. Nouam enim hæresim Caluinus excogitauit, lib. 4. Instit. ca. 15. §. 20. 21. & 22. vbi docet, nec in extrema quidem necessitate licere baptizare iis, qui non sunt ordinarij Ecclesiæ ministri ad hoc ipsum vocati, & ordinati: quod etiam repetit in Antidoto Concilij Tridentini sess. 7. can. 10. de Sacramentis in genere. Vtrum autem existimet baptismum non esse ratum, si à laico detur, an tantùm non licere sine peccato laicis baptizare; non satis apertè explicat.

PORRÒ Catholici Doctores communi consensu, sex pronunciata affirmant. Primò, ius baptizandi ex officio ordinario conuenire solis Sacerdotibus, id est, Episcopis, & Presbyteris, sic tamen, vt Presbyteris conueniat cum subordinatione, & dependentia ab Episcopis. Quemadmodum enim potestas absoluendi à peccatis datur Presbyteris, in sua ordinatione, & tamen, quia absoluere à peccatis est actus iurisdictionis, quæ est Episcoporum propria, ideò Presbyteri non possunt vti ea potestate, nisi quantum eis Episcopi concedunt: ita quoque de potestate baptizandi sentiendum est. Hinc conciliari possunt testimonia quædam auctorum, quæ alioqui contraria videri possunt. Quidam enim simpliciter affirmant officium baptizandi ad presbyteros pertinere, vt Isidorus, lib. 2. de officiis diuinis, c. 24. Alij dicunt Presbyteros baptizare non posse sine Episcopi facultate, vt Tertullianus lib. de Baptismo, & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos.

SECVNDÒ docent, Diaconis quoque ex officio cõuenire baptizare, sed in absentia Sacerdotum, aut eorum iussu. Ita docent iidem auctores, Tertullianus, & Hieronymus. Neque his repugnant Ignatius in epist. ad Heronem, & Epiphanius hæresi 79. qui negant Diaconis conuenire munus baptizandi, & proprium id esse dicunt Sacerdotum. Nam loquuntur Epiphanius, & Ignatius de ordinario officio, Tertullianus, & Hieronymus de extraordinario, & vtrique rectè dicunt: ordinariè siquidem ad solos Sacerdotes pertinere baptizare, extraordinariè etiam ad Diaconos. Quod etiam habet Gelasius in epist. 1. cap. 9. & exp. imitur in ipsa ordinatione Diaconorum.

TERTIÒ Catholici docent, nunquam licere laicis solenniter baptizare, neq; etiam priuatim præsente Sacerdote, aut Diacono, aut iis etiam absentibus, extra casum necessitatis. Docet hoc Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmenia. c. 13. & rationem reddit, quia nemini licet vsurpare alterius officium.

QVARTÒ docent, laicis baptizatis licere in casu necessitatis baptizare. De hoc enim nunquam in Ecclesia dubitatum inuenio: vnde noua est, & inaudita Caluini hæresis.

QVINTÒ docent etiam, non baptizatis in casu necessitatis licere baptismum dare, si sciant ritum. De hoc tamen veteres dubij fuisse videntur. Nam Tertullianus in lib. de Baptismo, reddit caussam, cur liceat laicis baptizare: *Quia*, inquit, *quod ex æquo ab omnibus accipitur, ex æquo ab omnibus dari potest.* Et Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, Tertullianum imitatus, inquit, *Scimus etiam licere laicis: vt enim accipit quis, ita & dare potest*, & Concilium Elibertinum, can. 38. dicit, laicos posse baptizare, modò sint ipsi baptizati, & non bigami. Augustinus similiter dubius fuit. Nam lib. 2. contra epist. Parmeniani, c. 13. proponit quæstionem, an non baptizatus possit baptizare, & dicit se non audere rem determinare, cùm in nullo generali Concilio res definita sit. Idẽ etiam habet lib. 7. de baptismo, ca. 53. Denique Gregorius

II. in

II. in epist. ad Bonifacium, & habetur etiam apud Gratianum, can. Quos à paganis, de consecr. dist. 4. iubet rebaptizari à paganis baptizatos.

CÆTERVM res iam definita est in Concilio generali, vt Augustinus cupiebat. Nam in Florentino Concilio habetur, in casu necessitatis licere laico, seu viro, seu fœminæ, seu Christiano, seu pagano baptizare, modò adsint materia, forma, & intentio debita. Quod idem multò antea statuerat Nicolaus Papa, vt habetur can. A quodam Iudæo, de consecr. dist. 4. & idem habetur ibidem, can. Romanus. Et ratio idem suadet. Nam cùm non requiratur in ministro Baptismi fides aut probitas, aut ordinatio, vt notum est, nulla est ratio, cur non sit verum baptisma, quod à Pagano aut Iudæo confertur, si adsint ea, quæ necessaria sunt ad baptismi essentiam.

ADDE, quòd nullum testimoniorum contrà prolatorum conuincit, non licere baptismum à non baptizato accipere. Nam Gregorius II. non tam creditur iussisse rebaptizari à pagano baptizatos, propter vitium ministri, quàm propter vitium formæ Sacramentalis, quam illi pagani, & imperiti fortè non tenebant. Augustinus autem etsi dubius fuit, tamen paratus erat generali Concilio acquiescere. Et præterea lib. 7. de Baptismo, cap. 53. apertè dicit, si sententia ipsius quæratur, se responsurum, baptismum esse ratum à quocunque, & vbicunque traditum, modò verbis Euangelicis consecratum. Elibertinum Cõcilium asserit, quod erat certum, laicum baptizatum licitè baptizare: non autem negauit expr esse contrarium, sed reliquit sub dubio. Denique Tertullianus, & Hieronymus id solùm fortè dicere voluerunt, baptisma ab omnibus posse dari, vt ab omnibus accipitur, id est, quia est Sacramentum omnibus necessarium, ideò ab omnibus posse accipi, & similiter ab omnibus posse dari, non quòd oporteat eum, qui dat, priùs accepisse. Id mihi persuadeo, tum quia verba hunc sensum ferre possunt, tum quia si alium sensum faciant, absurdam rationem continent. Nõ enim est bonum argumentũ. Hic habet baptismum, ergo potest dare; alioqui posset etiam presbyter ordinare presbyteros, & diaconus diaconos, quia habet ille presbyterium, & hic diaconatum. Neq; est bonum argumentum, si negatiuè ratiocinemur: Non habet iste baptismum, ergo non potest dare; alioqui non posset minister impius, per verba, & sacramenta alios iustificare, quia nimirum caret ipse iustitia, & pietate. Non igitur requiritur, vt habeat in se baptismum formaliter, qui est futurus minister; sed satis est, si habeat virtualiter, & ministerialiter, quomodo omnes habent, qui habent vsum rationis, linguæ, & manuum, vt possint ex intentione verba proferre, & aquam spargere.

SEXTÒ docent, non modò viros, sed etiam fœminas in extrema necessitate posse baptizare. Ita habet expressè Concilium Florentinum, item Concilium Carthaginense IIII. can. 100. vt infrà citabimus, & Vrbanus II. in epi. ad Vitalem, & habetur 30. q. 3. can. Super his. & denique idem habet consuetudo Ecclesiæ, & ratio manifesta, quæ suprà facta est pro non baptizatis.

HIS ergo ita constitutis, superest solùm, vt contra Caluinum probemus, licere in casu necessitatis baptizare iis, qui ministri Ecclesiastici non sunt. Probatur igitur primò, exemplo Testamenti veteris. Nam Exod. 4. Sephora vxor Moysis filium suum circuncidit, & eo modo virum suum à mortis periculo liberauit. At Circuncisio figura erat baptismi, & secundum Caluinum idem omninò efficiebat, quod nunc facit baptismus; igitur licebit etiam in casu necessitatis mulieribus baptizare.

CALVINO, loco notato, lib. 4. ca. 15. §. 22. mouit hoc exemplum bilem vehementissimam; dicit enim Sephoram stultam mulierem, & temerariã fuisse: *Insciè*, inquit, *ad imitationem trahitur, quod egit stulta mulier.* Et infrà: *Lectores attendere velim, nihil minùs Sephoræ fuisse propo-*

situm, quàm vt Deo ministerium præstaret. Filium periclitari videns, fremit, obmurmurat, nec sine indignatione præputium in terram proiicit, marito sic conuiciatur, vt Deo quoque succenseat. Denique hoc totum ab animi impotentia profectum esse palam est, quia Deo, & marito obstrepit, quòd filij sanguinem fundere cogitur. Adde, quòd si in aliis omnibus probè se gessisset, hæc tamen est inexcusabilis temeritas, quod præsente marito circuncidit filium, non priuato quopiam homine, sed Moysi primario Dei Prophetæ, quo nullus vnquam maior in Israële surrexit, quod nihilo magis ei licebat, quàm hodie mulieribus sub Episcopi oculis. Hæc ille.

SED Caluinus, qui arguit Sephoram temeritatis, & impotentiæ animi, non aduertit se ex mera impotentia animi, & libidine detrahendi incredibili temeritate id facere. Nam vt ab vltimo incipiam: non peccauit Sephora, quòd præsente viro filiũ circuncideret; id enim fecit coacta ab ipso Moyse, vel potiùs à Deo. Licet enim Moyses esset præsens, tamen non poterat ipse per se id facere, cùm esset in angustiis maximis, & penè exanimatus. Quòd enim Scriptura dicit: *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum*, vel significat, vt non malè exponit Rabbi Abenezra, immissum fuisse Moysi diuinitus grauissimũ morbum, vel, vt nostri exponunt, apparuisse ei Angelum nudato gladio, quieum continuò vexauit, & quiescere non permisit, donec Sephora filium circuncidit: tunc enim demum Angelus Moysem dimisit. Itaque non potest dubitari, quin Moyses, si potuisset, filium ipse circũcidisset, sed quia non poterat, significauit vxori vt ipsa id faceret. Id quod ipse etiam Caluinus nesciens quid loquatur, & secum pugnans, indicauit, cùm ait: *Deo & marito obstrepit, quòd filij sanguinem fundere cogitur.* Nam si coacta est à Deo, & à marito, non igitur temerè id sibi sumpsit, vt presente Moyse filium circunc deret. Vbi est ergo temeritas Sephoræ, quam Caluinus inexcusabilem esse dicit?

QVOD autem Caluinus dicit, Sephorã circuncidisse filium sine proposito obsequendi Deo, & proiecisse præputium in terram, & obmurmurasse contra Deum, & contra maritum, sunt mera mendacia sine vllo fundamento, & ex mera libidine detrahendi profecta: Scriptura enim nihil tale dicit. Vnũ est verbulum, quod fortè Caluinum decepit adiuncta Lyrani expositione. Quod enim Scriptura dicit: *Et dimisit eum*, postquam dixerat: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, Lyranus ita exponit, quasi Sephora dimiserit Moysem, & recesserit ab eo indignata ob filij Circuncisionem.

SED fallitur Lyranus, & quicunque ita exponit. Illa enim verba: *Et dimisit eum*, non possunt referri ad Sephoram, sed ad Angelum, qui dimisit Moysem, id est, destitit eum vexare, quando Sephora peracta Circuncisione dixit: *Sponsus sanguinum tu mihi es*: nam vox Hebræa est masculini generis חתנ, proinde non potest conuenire Sephoræ: nec significat רפה dimittere proprie, quomodo cùm vnus ab alio recedit, sed significat lenem esse, seu remissum, id est, nõ amplius persequi, & vexare, quod propriè conuenit Angelo, qui placatus ob Circuncisionem, destitit à Moyse vexando. Vnde Græca editio addit nomen Angeli ηφὲ ἀπῆλθεν ἀπὸ αὐτοῦ ὁ ἄγγελος. Ex quo etiam colligitur, Sephoræ factum Deo placuisse: proinde fuisse rectum, & bonum, quandoquidem eo continuò placatus est.

SED respondet Caluinus ad hanc nostram consequentiam. *Quòd placatus*, inquit, *fuit Dei Angelus postquã illa arrepto lapide filium circuncidit, inde perperam colligitur, factum illius probatum fuisse Deo. Alioqui dicendum esset placuisse Deo, quem Gentes ab Assyria traductæ exercerant cultum.* Hæc ille. Sed quæ est inter ista similitudo? Nam Gentes illæ ab Assyria traductæ, quia falsum cultum instituerunt, discerpebantur à leonibus 4. Reg. 17.

Sephora autem circuncidendo filium, liberauit Moysem à mortis periculo. Si fortè respondeat Caluinus, non se loqui de eo tempore, quo colebant idola sua Gentes illæ, & à leonibus discerpebantur: sed de tempore posteriore, quo Deum simul cum idolis colebant, & à leonibus immunes erant: contrà obiiciam, Gentes illas à leonibus liberatas, quia Deum verum vero ritu colebant, edoctæ nimirum à Sacerdote Israëlita, vt eodem loco dicitur: non autem quia idola simul colebant, vel quia ritu aliquo à se excogitato vtebantur. Licet enim Gentes illæ Deo non placerent nec apud Deum aliquid mererì possent, cùm Deum simul, & idola colerent: Deus tamen indicare voluit, quantum interesset inter cultum à se institutum, & impias Gentium superstitiones; & ideò leones immisit in eas Gentes, quando idola tantùm colebant: & leones repressit, quando Deum verum vero cultu honorare cœperunt.

A

Secundò, probatur eadem veritas ex eo loco, vnde Caluinus sumit præcipuum argumentum, nimirum, Matt. vlt. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Hæc dicuntur solis Apostolis, qui à Christo instituti sunt ministri Verbi, & Sacramentorum: Non ergo licet aliis id munus vsurpare.* Ita Caluinus. Sed ex hoc ipso nos argumentamur, licet ministerium Verbi sit proprium Apostolorum & Episcoporum, qui eis succedunt, tamè omnibus licet: immò omnes tenentur in articulo necessitatis docere, & instruere ignorantes, præsertim in periculo æternæ salutis. Exẽplum habemus, Act. 18. de Aquila, & vxore eius Prisc illa, qui videntes Apollinem quendã prædicare, cùm non bene teneret fidem Domini, instruxerunt eum diligenter.

B

Ergo eodem modo, licet munus baptizandi sit proprium Sacerdotum, tamen in necessitate licebit etiam laicis, & fœminis baptizare: immò maiori ratione id licebit, cùm sit magis proprium Apostolorum, & Episcoporum prædicare quàm baptizare: *Nõ misit me Dominus*, inquit Paulus, 1. Cor. 1. *baptizare, sed prædicare.*

C

Tertiò probatur exemplis Scripturæ, Act. 8. Philippus Diaconus baptizauit. Qui quidem licet non fuerit laicus, tamen non erat Apostolus, nec Episcopus, aut Sacerdos: & tamen secundum Caluinum soli Apostoli acceperunt à Christo baptizandi potestatem, sic enim loquitur §. 20. *Neq; enim aut mulieribus, aut hominibus quibuslibet mandauit Christus, vt baptizarent, sed quos Apostolos constituerat, iis mandatum hoc dedit.* Præterea, Act. 9. Ananias Paulum baptizat, qui neque Apostolus, neque etiam Diaconus erat, sed planè laicus. Id enim factũ est primo anno à passione Domini, quo tempore nondum erant ordinati vlli Episcopi, aut Sacerdotes, præter Apostolos, neque erant vlli Diaconi, præter septem. item Act. 10. Petrus Cornelium, & eius familiam baptizari iussit à fratribus, qui secum venerant: quos certè fratres probabilissimũ est non fuisse Apostolos, nec Diaconos, sed simplices discipulos. Denique Act. 2. antequam vlli ordinarentur Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, ipso die primo Pentecostes baptizata sunt tria hominum millia, quod certè non potuit cómodè fieri per solos Apostolos; oportuit igitur, vt etiam alij baptizarent, qui laici erant. Nam etiam 72. discipuli eo tempore laici erant: non enim Dominus Sacerdotes ordinauit, nisi in vltima cœna, vbi soli erant Apostoli.

D

Quartò, probatur testimoniis, & exemplis Patrum. Tertullianus, lib. de Baptismo, vbi dixerat ius baptizandi propriè conuenire Episcopis, & Presbyteris, necnon etiam Diaconis, si Episcopus iubeat, subiungit: *Alioqui & laicis ius est baptizandi. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* Alexander Episcopus Alexãdrinus, cum vniuersa sua Ecclesia ratum habuit Baptismum, quem Athanasius adhuc puer & laicus, aliis pueris contulerat, teste Ruffino, lib. 10. hist. c. 14. Concilium Nicænum, teste Hieronymo, in lib. contra Luciferianos, statuit Baptisma hæreticorum esse ratum, modò detur secundum formam Ecclesiæ. Quod antea definierat Stephanus Papa, & Martyr, vt Cyprianus refert in epist. ad Pompeium. At non poterant ignorare, Stephanus, & Patres Concilij Nicæni, apud aliquas hæreses non esse verum Sacerdotium, proinde laicos esse, qui baptizarent, licet forasse dicerentur Sacerdotes. Concilium Eliberitinum, circa hoc idem tempus celebratum, can. 38. docet fideles laicos posse baptizare, cùm Ecclesia procul abest, & aliquis Catechumenus vicinus est morti. Ambrosius, seu auctor Cõmentariorum in epistolas Pauli, quæ Ambrosio tribuuntur, in c. 4. ad Ephes. dicit, in primitiua Ecclesia omnibus licuisse prædicare, & baptizare, ob ministrorum paucitatem; nunc autem rebus Ecclesiasticis suo ordine constitutis, non licere clericis, & laicis prædicare, vel baptizare. At certè, quod licuit in primitiua Ecclesia ob ministrorũ paucitatem, eadem ratione licere debet quocunque tempore in extrema necessitate. Hieronymus in dialogo cõtra Luciferianos, *Baptizare*, inquit, *si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis.* Augustinus lib. 2. contra epist. Parmeniani, cap. 13. idem habet & Concilium Carthaginense IIII. cui Augustinus interfuit, can. 100. *Mulier*, inquit, *baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente.* Quamuis enim non habeatur in tomis Conciliorum illa exceptio: *Nisi necessitate cogente*, tamen ita canonem hunc citat Petrus Lombardus, lib. 4. sentent. dist. 6. & Gratianus can. Mulier, de consec. dist. 4. Denique idem docent de laicis baptizantibus, Gelasius ep. 1. Isidorus, lib. 2. de officiis diuinis, c. 24. & Magister cum vniuersa Schola, libr. 4. dist. 6. postremò Florentinum Concilium.

Ad hoc argumentum more suo ita Caluinus respondet: *Quod autem multis abhinc seculis, adeóque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio, vsu receptum fuit, vt in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quàm firma ratione defendi queat.* Hæc ille. At hæc ipsa est grauissima ratio: siquidẽ in rebus huiusmodi, quid maius habere possumus totius Ecclesiæ consensu, eóq; antiquissimo atque adeò ab ipso exordio Ecclesiæ ad nos deducto? Sed videamus nunc quid ille contrà adferat.

Primò, obiicit Christi mandatum, Matt. vlt. *Euntes docete, &c.* quod quidem ad solos Apostolos pertinet. Respondeo primùm, non esse certum, an hæc dicta sint solis Apostolis. Licet enim Matthæus mentionem faciat tantùm vndecim Apostolorum; tamè probabile est, fuisse tunc præsentes multò plures. Videntur enim dicta illa verba in die Ascensionis, quo die aderant cum Apostolis quingenti fratres, vt Apostolus testatur, 1. Cor. 15. Deinde secundò responderi potest, Apostolica facta mandatum istud exposuisse. Cùm enim Apostoli ratum habuerint, vt Stephanus, qui non erat Apostolus, concionaretur: Philippus, qui etiã non erat Apostolus, concionaretur, & baptizaret; & idem multi alij facerent, qui neque Apostoli, neque Diaconi erant, vt Ananias, & alij: apertè declararunt, vrgente necessitate licere omnibus, id quod alioqui ad quorundam speciale officium pertinet. Vt autem tũc vrgebat necessitas propagandæ Ecclesiæ, cùm pauciss imi essent ministri ad hoc ordinati; ita nunc aliquando vrget necessitas, cùm quis est in periculo vitæ absentibus Sacerdotibus.

Secundò obiicit, quòd ipsis etiam veteribus non constabat, an rectè fieret, vt laici in necessitate baptizarent, licet hunc morem ipsi quoque tenerent, vel permitterent. Et probat ex Augustino, qui sic loquitur, lib. 2. cõtra epist. Parmeniani; c. 13. *Etsi laicus necessitate compulsus Baptismum dederit, nescio an piè quisquam dixerit, Baptismũ esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est, si autem necessitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum est.*

Respondeo, nullam hîc esse Augustini dubitationem. Nam priora verba continent quidem oratoriã phrasim, sed planè assertiuam. Idem enim est dicere; Nescio an aliquis piè hoc dixerit, ac; Non nisi impiè id affirmari potest. Posteriora verba significant peccatum esse veniale, cùm laici non adhibent omnem diligentiam, vt Sacerdotem inueniunt, qui baptizet: nullum autem esse peccatum, cùm adhibita diligentia, & Sacerdote minimè inuento, ipsi baptizant.

Tertiò, obiicit Conciliũ IIII. Carthaginense, can. 100. vbi prohibentur mulieres baptizare. Respondeo, ipsum Concilium excipit casum necessitatis, vt ex Petro Lombardo, & Gratiano suprà demonstrauimus. Præterea licet Concilium non expressè exciperet, oporteret tamè intelligere eum casum esse exceptum: quemadmodum cùm Apostolus prohibet mulierem loqui, 1. Cor. 14. & 1. Timot. 2. intelligitur exceptus casus necessitatis. Quod autem Caluinus hîc respondet, nullam esse baptismi necessitatem, iam superiore controuersia refutatum est.

A

Quartò, obiicit Tertullianum & Epiphanium, quorum ille in lib. de virginibus velandis: *Non permittitur*, inquit, *mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, &c.* Et in lib. de Baptismo: *Petulãs*, inquit, *mulier, quæ vsurpauit docere, non vtique & tingendi ius sibi pariet.* Epiphanius autem hær. 42. quæ est Marcionis: *Permittit*, inquit, *etiã mulieribus, vt dent Baptisma, &c.* & hær. 79. dicit, ne ipsi quidem sanctissimæ Christi Matri datum esse, vt baptizaret, alioqui ipsa potiùs, quàm Ioãnes Christũ baptizasset. Respondeo, loquuntur isti Patres de publico ministerio, non de priuato in casu necessitatis. Nam Tertullianus dicit, in Ecclesia non licere mulieri loqui, docere, tingere, &c. & præterea coniungit officium dandi Baptismi, cum officio sacrificãdi; sacrificium autẽ semper est publicũ. Sicut igitur non licet mulieri sacrificare, quia id munus publicum est, ita nec licet publicè baptizare. Epiphanius quoque apertè indicat se loqui de ordinario, & publico ministerio, quia hæres. 79. vbi dicit, mulieri non licere baptismum dare, ibidem dicit, idipsum etiã Diaconis non licere: & tamen constat ex Scripturis id Diaconis licere, saltem extraordinariè.

B

Nec valet Caluini responsio, quod Epiphanius ludibrium esse pronunciauerit dare fœminis licentiam baptizandi, neque vllum casum exceperit. Nam hoc ipso, quòd vocat ludibrium, indicat se loqui de publico ministerio. Id enim verè ludibrium, & probrum esset, si in templo viris præsentibus mulier baptizaret. Nec mirum si non addidit exceptionem necessitatis: nam nec addidit, cùm negauit, Diaconos posse baptizare, quia certũ erat, eam per se intelligi potuisse.

C

CAPVT VIII.

De Baptismo infantium contra Anabaptistas.

Sequitur controuersia sexta de suscipientibus baptismũ: tota autẽ quæstio est de baptismo infantium. Tametsi enim iam probauerimus cõtra Caluinum, baptismum infantibus necessarium esse, si saluari debeant, si persunt tamẽ adhuc duæ quæstiones. Vna, cum Anabaptistis, vtrum infantes capaces sint baptismi, siue an liceat infantes baptizare. Altera, cũ Lutheranis, & Caluinistis, quæ fides sit necessaria in baptismo paruulorũ.

D

Quantum ad primam quæstionẽ; hæresis fuit tempore S. Bernardi, quæ docebat non licere infantes baptizare. Refert eam, & refellit sanctus Bernadus, serm. 66. in Cantica, & epist. 240. Eadem est huius temporis Anabaptistarum; non licere baptismum tradere, nisi adultis, qui baptismum per se flagitant. In hoc errore conuenire omnes Anabaptistas, licet alioqui in multis rebus inter se dissideant, testatur Caluinus in institutione contra Anabaptistas. Idẽ etiã Caluinus, lib. 4. Instit. ca. 16. §. 29. testatur Michaëlem Seruetum, & quosdam alios Anabaptistarum Magistros cõtendere, baptismum suscipi non debere, nisi anno XXX. qua ætate Christus baptismum suscepit. Exorta est hæc hæresis anno Christi, M. D. XXVII. vt Ioannes Cochlęus refert in actis Lutheri. Princeps videtur fuisse Balthasar Pacimõtanus, qui postea Viennæ crematus fuit. Sic enim eum vocat Cochlęus in actis Lutheri anni M. D. XXVIII. vbi dicit contra eum Lutherum scripsisse eodem anno, quanquam ex Lutheri scriptis hunc errorem Balthasar se collegisse fatetur: quod & verisimũ esse, in sequenti quæstione demõstrabimus.

Ministri Transyluani, qui anno M. D. LXVII. duos libros ediderunt contra Trinitatem, & Incarnationem Domini, ad finem eorum librorum addiderunt 36. argumenta contra Baptismum paruulorum, in quo apparet maxima Satanæ rabies, contra genus humanum, qui non contentus per Lutheranos, & Sacramentarios perdidisse innumerabiles animas hominum adultorum, voluit etiam animas infantium perdere per Anabaptistas.

Præterea hos hæreticos duo auctores obliquè idipsũ docuisse videntur. Erasmus præfatione paraphrasis in Matthæum, docuit, homines in infantia baptizatos, vbi adoleuerint, interrogandos esse, an habeant ratum, quod ipsorum nomine in Baptismo promissum est: etsi ratum non habeant, esse liberos dimittendos. Ludouicus Viues annotatione in c. 27. lib. 18. de ciuitate Dei, dicit, olim neminem consueuisse baptizari, nisi adultæ ætate, & qui per se peteret baptismum, & intelligeret quid sit baptizari.

Porrò Catholica Ecclesia semper docuit infantes baptizandos; quod etiam Concilium Tridentin. sess. 7. can. 12. 13. & 14. de Baptismo, iterum cum anathematis denunciatione definiuit. Probatur hęc veritas tribus argumentorum generibus. Primum sumitur à Scripturis: habemus autem in Scripturis tria argumenta. Primum sumitur à figura Testamenti veteris. Nam Circuncisio figura erat baptismi adeò manifesta, vt baptismus à Paulo dicatur Circuncisio, Coloss. 2. At Circuncisio dabatur infantibus, Genes. 17. cur igitur non etiam Baptismus? Hoc argumentum Anabaptistæ facilè possunt eludere, cùm à Lutheranis, & Caluinistis proponitur. Lutherani enim & Caluinistæ formam Baptismi esse volunt concionem, vt libro superiore ostendimus, quod de Circũcisione dicere non possunt. Inde autem sequitur vt infantes circuncidi potuerint, non autem baptizari. At cùm à nobis proponitur, qui ad Baptismi essentiam non requirimus verba concionalia, sed consecratoria, certè eludi argumentum non potest.

Secundum argumentum colligitur ex duobus locis Euangelij, simul iunctis, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Hic locus probat infantes sine Baptismo in æternum perire; est enim generalis Domini comminatio. Sed nondum habemus, posse infantes baptizari: dicẽt enim Anabaptistæ, paruulos perire, quòd vnici remedij capaces non sint. At quòd paruuli non pereant, Dominus docet, Mat. 19. Marci 10. & Luc. 18. *Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum*: vbi etiam Marcus dicit, Dominum complexum fuisse paruulos, eósque benedixisse. At quomodo paruulorum est regnum cœlorum, quomodo Dominus eos complectitur, eósque benedicit; si salui esse non possunt?

Ad hunc locum duæ dari possunt responsiones. Vna, Anabaptistarũ, quòd Dominus in personis paruulorum, benedixerit paruulos innocentia, & humilitate, non ætate: non enim dixit; Horum est regnum cœlorum, sed: *Talium*. Vnde etiam August. lib. 1. Confess. c. 19. *Humilitatis*, inquit, *signum in statura pueri commendasti Rex noster, cùm aiebas: Talium est enim regnum cœlorum.* Altera, quòd Euangelia non loquantur de infantibus, sed de pueris, qui iam vsu rationis vtuntur. Vt enim Tertullianus notat, lib. de Baptismo, prope finem, ideò Dominus ait: *Sinite paruulos venire ad me.* Non enim veniunt nisi grandiores: infantes enim portari possunt, venire non possunt.

SED neutra solida responsio est. Nam etiamsi Dominus in statura pueri commendare voluerit humilitatem, & innocentiam, vt Augustinus rectè docet, tamen simul etiam indicauit infantilem ætatem non esse alienâ à regno & salute. Nam cùm Dominus ait: *Sinite paruulos venire ad me*, ad literam, & historicè loquitur de veris paruulis, quos, vt tres Euangelistæ testantur, multi offerebant, vt eis Dominus benediceret; & Apostoli prohibere conabantur, ne illi accederent. Quare etiam illa ratio: *Talium est enim regnum cœlorum*, debet conuenire veris paruulis. Et præterea ille complexus, & benedictio veris paruulis data, apertè significat eos pertinere posse ad Christi societatem, & regnum, Itaque sicut Isaac, & Ismaël, sunt allegoricè duo Testamenta apud Paulum, Gal. 4. & tamen historicè duo veri homines fuerunt; sic etiam ætas infantilis typus est humilitatis, & tamen reipsa idonea est ad regnum cœlorum.

ALTERA solutio non est etiam solida. Nam verba Euangelistarum paruulos, & infantes significant. Matthæus, & Marcus habent παιδία; id est, paruulos. Lucas habet βρέφη, id est, infantes. Et ibidem Lucas dicit, eos portatos fuisse, non suis pedibus venisse, προσέφερον τῷ Ἰησοῦ καὶ τὰ βρέφη, id est, *Afferebant autem ad ipsum & infantes*. Igitur illa vox, *venire*, accipitur largo modo pro eo, quod est accedere, & appropinquare. Porrò hoc argumentum, quod per se, & reuera solidum est, infirmum tamen est, cùm à Caluinistis producitur. Nam Caluinistæ nolunt intelligi debere de Baptismo locum illum, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit.* Sublato autem illo loco, posterior locus, quo solo Caluinus vtitur, non conuincit: nam posset responderi ab Anabaptistis, secundũ Caluini principia, paruulos ad Christum pertinere, quia nascuntur sancti, vel quia prædestinati sunt. Viderit igitur Caluinus, quàm solidè resistere possit Anabaptistis.

TERTIVM argumentum colligitur ex locis illis, vbi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, vt Act. 16. dicitur Lydia baptizata, & domus eius. Et ibidem de custode carceris: *Baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò.* 1. Cor. 1. *Baptizaui*, inquit Paulus, *Stephanæ domum.* At certè in integris domibus rarum est, vt non sint infantes aliqui. Hoc argumento vtitur etiam Caluinus, sed argumentum est probabile tantùm, non autem apertè conuincens. Hæc igitur ex diuinis literis.

SECVNDA classis argumentorum continet testimonia Ecclesiæ, quæ tanquam traditionem Apostolorum, id semper & docuit, & seruauit. Vtitur hoc argumento etiã Philippus in locis, tit. de Baptismo paruulorum, idque tanquam firmissimum in prima acie posuit; sed meritò ridetur ad Anabaptistis. Nam si in hac re valere debet traditio, & antiquæ Ecclesiæ testimonium, cur non etiam valeat in aliis articulis? vt in asserendo Purgatorio, inuocatione Sanctorum, &c. Nostrum igitur est hoc argumentum, non aduersariorum.

Ac primùm habemus testimonium Dionysij Areopagitæ, qui lib. Ecclesiast. hierarch. cap. vlt. par. vlt. ab Apostolis traditum affirmat, vt infantes baptizentur. Idem docet Iustinus, seu quicunque est auctor earum quæstionum, q. 56. vbi dicit, paruulos baptizatos saluari, alios non item. Irenæus lib. 2. c. 39. dicit, saluari omnes, qui renascuntur in Christo, infantes, pueros, iuuenes, & senes. Origenes lib. 5. in cap. 6. ad Romanos: *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis dare Baptismum.* Cyprianus lib. 3. ep. 8. ad Fidum scribit, non solùm sibi, sed etiam integro Concilio visum esse, paruulos baptizari posse, etiam ante diem octauum. Hieronymus li. 3. cõtra Pelagianos extremo, infantes baptizari dicit, & tamẽ omni peccato carere. Nazianzenus orat. in sanctũ lauacrum, Basilius oratione exhortatoria ad Baptismum, Chrysostomus hom. ad Neophytos, Augustinus lib. 10. de Gen. ca. 23. *Consuetudo*, inquit, *matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, nec vllo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Idem Augustinus lib. 4. de Baptismo, ca. 24. iterũ repetit, Apostolicam esse traditionem, paruulos baptizãdos. & libro 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 26. dicit, Pelagianos ausos nõ fuisse negare Baptismum paruulorum, quòd viderent nimis apertè pugnandum fuisse cum tota Ecclesia, si id negarent. Vide etiam Prosperum lib. 2. de vocatione Gentium, cap. 8. qui (vt etiam Hieronymus & Augustinus) hoc potissimùm argumento contra Pelagianos probãt, dari peccatum originale, quòd infantes baptizentur, cùm nullum habeant actuale peccatum.

IAM verò Concilium Milevitanum inter alios Canones, secundum edidit his verbis: *Placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, anathema sit.* Concilium item Gerundense, ante annos M. celebratum can. 5. statuit, etiam ipso die, quo nascuntur, posse infantes baptizari, si periculum mortis imminere videatur. Concilium II. Bracarense can. 7. probat etiam infantium Baptismum: vt etiam Cõcilium Viennense generale, vt habemus in Clementina 1. de summa Trinitate, & fide Catholica.

HIS accedant expressa etiam sanctorum Pontificum decreta de re eadem. Clementis I. lib. 6. cõstitut. Apostol. ca. 15. Siricij epist. 1. ad Himerium, c. 2. Innocentij 1. epist. 26. ad Concilium Milevitanum: Leonis I. epist. ad Episcopum Aquileiensem 84. aliàs 86. Gregorij I. lib. 4. epi. 9. ad Ioan. Caralitanum: Innocẽtij III. in epistola ad Episcopum Arelatensem, & habetur cap. Maiores, de Baptismo, & eius effectu. Ex his colligitur quàm falsum sit, quod ait Ludouicus Viues, neminem olim admotum sacro Baptismo, nisi in ætate adulta.

TERTIA classis argumentorum, constat ex rationibus. Prima ratio. Paruuli salui esse possunt: sed extra Ecclesiam non est salus; igitur intrẽt Ecclesiam necesse est. Prima propositio probatur tum ex Scriptura citata Mat. 19. *Talium est enim regnum cœlorum*; tum exemplo sanctorum Innocentium, quos saluos esse semper Ecclesia docuit, vt suprà probatum est, c. 6. tum etiam, quia si possunt paruuli participes esse peccati Adami, cur non etiam gratiæ Christi? Alioqui plus posset culpa quàm gratia, cuius contrarium docet Apostolus Rom. 6. Secunda propositio certissima est. Nam Mat. 12. dicitur: *Qui non est mecum, contra me est*; & ideò in Symbolo coniungimus cum Ecclesia, remissionem peccatorum: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Ideò etiam comparatur Ecclesia cum Arca Noë; quia si ut regnante diluuio periit, qui in arca non fuit; ita & nunc pereunt, qui in Ecclesia non sunt, vt ait Hieronymus in epist. ad Damasum de nomine hypostasis. Idem testatur celebre illud Cypriani dictum, lib. de vnitate Ecclesiæ: *Non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.* Vide etiam Augustinum libro 4. de Baptismo, c. 1. Denique Concilium Lateranense sub Innocentio III. c. 1. *Vna*, inquit, *est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nemo saluatur.*

HABEMVS igitur, oportere infantes intrare Ecclesiam. At id facere non possunt nisi per Baptismum; igitur baptizentur necesse est. Assumptio probari potest. Primùm ex illo Pauli, Romanorum octauo. *Quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & magnificauit.* Hinc enim habemus, omnem prædestinatum vocari, iustificari, glorificari, & è contrario nullum glorificari, nisi antè iustificatum; nullum iustificari, nisi antè vocatum; nullum vocari, secundum propositum, nisi antè prædestinatum. At in paruulis non potest fingi vlla vocatio, nisi per Baptismum. Tunc enim rectè dicuntur vocati, cùm in numerum vocatorum adscribuntur. Præterea Actor. 2. dicitur:

Qui receperunt verbum baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Vbi videmus, baptizari nihil esse aliud, quàm Ecclesiam intrare. Vnde Patres cõmuni consensu distinguũt Catechumenos à fidelibus, ac docent illos, quòd Baptismo careant, nondum esse intra Ecclesiã, nec dici posse fideles. Vide Nazianz. orat. in sanctum laua. Chrysostomum hom. 24. in Ioan. Cyril. li. 12. in Ioannem. c. 50. Augustinum tract. 4. in Ioannem, & Concilium Florentinum in instructione Armenorum. Denique non potest homo Ecclesiæ, & Christo coniungi, nisi fide tantùm, aut vtroque. Sed paruuli consentientibus Anabaptistis, non possunt fide ad Christum & Ecclesiam adiungi, ergo per Sacramentum adiungi debent.

SECVNDA ratio. Si non possent infantes baptizari, aut impedimentum esset ex parte prohibitionis alicuius diuinæ, aut ex parte Sacramenti, aut ex parte ministri, aut ex parte ipsius suscipientis, aut denique ex parte Ecclesiæ, quę per Baptismum ac quirit iusin homines, quod non videtur posse fieri sine propria ipsorum voluntate. Nihil autem horum dici potest. Nam nulla extat diuina prohibitio. Sacramentum autem non pendet nisi à diuina institutione: alioqui non esset certum, nec adferret solidã consolationem; itaque ex se semper est efficax, & idem operatur, siue adulto, siue infanti detur. Minister autem æquè potest infantem aspergere, & verba sacra super eum proferre, ac super adultum. Ex parte suscipientis requiritur quidem in adultis dispositio quædam per actualem fidem, & conuersionem in Deum: at hæc non requiritur in infante. Nam in adultis duplici de caussa requiritur illa dispositio. Primò, propter peccata actualia, quæ illi originali addiderunt. Peccatum enim, quod committitur per actualem auersionem propriæ voluntatis à Deo, requirit, si remitti debeat, actualem conuersionem propriæ voluntatis in Deum. Secundò, quia Deus agit cum rebus secundum earum naturas, & ideò, qui habet vsum liberi arbitrij, non iustificatur à Deo, nisi etiam ipse concurrat per assensum liberi sui arbitrij. At neutra caussa in paruulis reperitur. Illi enim nec habent vsum liberi arbitrij, nec peccauerunt per auersionem actualem propriæ voluntatis à Deo: solùm enim habent auersionem habitualem, quæ potest tolli per habitum charitatis infusum, & peccauerunt aliena voluntate. Vnde æquum est, vt eis etiam prosit aliena voluntas.

DENIQVE non obstat obligatio, quæ nascitur ex Baptismo. Nam inprimis non obligatur nisi ad ea, ad quæ alioqui obligatus, vel obligandus erat. Nam ad legem diuinam seruandam, ad abrenunciandum Diabolo & pompis eius, omnes tenentur, etiam sine Baptismo. Rursus omnes tenentur suscipere baptismum, idque diuino mandato, & proinde omnes tenentur se subiicere Ecclesiæ & eius præceptis. Hoc solùm inter adultos, & infantes interest, quòd illi, quia sui iuris sunt, debent propria voluntate se Ecclesiæ subiicere; & nisi faciant, peccant: isti, quia non sunt iuris sui, sed parentum, possunt eorum voluntate Ecclesiæ subiici. Itaque est illis aliena voluntas loco rectæ rationis, quam habere deberent si essent adulti: proinde nulla eis fit iniuria, sed ingens beneficium, cùm baptizantur, licet inde consequatur obligatio obediendi Ecclesiæ. Sed neque infantes illi, qui carent parentibus, & tutoribus, & ab aliquo extraneo baptizantur, queri postea possunt. Nam qui illos baptizant, agunt eorum caussam: sicut si quis incideret in hominem lethaliter vulneratum, qui vsu linguæ, & rationis careret, eúmque in domum aliquam portari, & à medicis curari iuberet, certè non posset ille postea queri de isto homine, quod eum obligasset ad soluendam medicis mercedem: & si quereretur, ac soluere nollet, ab omni iusto iudice damnaretur.

CAPVT IX.

Soluuntur obiectiones Anabaptistarum.

SED operæ pretium erit soluere argumenta illa triginta & sex, quæ pro se adducunt Ministri Transyluaniæ.

PRIMVM argumentum: *In sacris nullibi inuenitur Pædobaptismus, & nullum de eo mandatum, vel exemplum habemus, ergo reijciendus.* Respondeo, Argumentum hoc aduersus Lutheranos magnas vires habet, quippe qui eo principio passim vtuntur. At apud Catholicos nihil vnquam valuit. Licet enim non inueniamus expressè mandatum, vt baptizemus infantes; tamen id & colligitur satis apertè ex Scripturis, vt suprà ostendimus; & præterea non minoris auctoritatis est apud nos Apostolorum traditio, quàm Scriptura: eodem enim spiritu Apostoli loquebantur, quo scribebant. Esse autem hanc Apostolicam traditionem, inde scimus, vnde scimus Scripturam Apostolicam, esse Scripturam Apostolicam, nimirum ex testimoniis antiquæ Ecclesiæ.

SECVNDVM argumentum: *Mandatum est, vt priùs doceamus, postea baptizemus; priùs ergo docendi infantes, quàm baptizentur: Ite, docete omnes gentes baptizantes.* Matth. 28. Respondeo, Ponit eo loco Dominus ordinem, quem seruare debeant Apostoli in conuersione Gentilium, vt priùs instruerent eos, deinde baptizarẽt, postremò monerent, non sufficere fidem, & baptisma, nisi etiam adderent postea legis obedientiam, & opera bona. Ideò enim subiungit: *Docentes eos seruare omnia, quæcunque præcepi vobis.* Qui quidem ordo seruandus est, cùm fieri potest, vt etiam ab Ecclesia diligenter seruatur, cùm adulti ad fidem veniunt. At si vel propter incapacitatem hominum, vel propter defectum aquæ, non possint seruari omnia, vel non eodem ordine, certè præstat aliquid seruare, quàm nihil. Si quis enim in deserto esset cum homine Gentili iam moriente vbi non esset aqua, posset illum docere, & instruere, vt crederet, nec peccaret contra præceptum Domini: *Docete baptizantes*, quia id intelligitur, cùm fieri potest. Quia igitur infantes nõ sunt capaces doctrinæ, & capaces sunt Baptismi, mutatur in eis ordo; vt priùs baptizentur, ne fortè pereãt sine hoc vnico præsidio, ac deinde cùm adoleuerint, docẽtur. Quemadmodum si adultus ad fidẽ veniat, & iusta de caussa differendus sit Baptismus, tamen docendus erit, & monendus, vt Dei legem obseruet. Et stultus sanè esset, qui diceret, nõ debere Catechumenos legem Dei seruare, & benè viuere, quia Dominus post Baptisma posuit, vt moneantur de obedientia legis præstanda.

TERTIVM argumentum: *Gloriatur Paulus, & gratias agit Deo, quòd neminem baptizauerit præter Caium, & Crispum, & Stephanæ domum*, 1. *Corint.* 1. Quàm igitur necessarius sit Pædobaptismus, illinc collige. Et quòd præterea Christus ne quidem adultum baptizarit vnquã, vel Ioannes Baptista infantem. Respondeo; Quòd Christus, Ioannes, & Paulus non baptizarint infantes; aduersarij dicunt, sed non probant, immò contrarium est probabilius, saltem de Paulo, & Ioanne. Nam in domo Stephanę, quam Paulus baptizauit, probabile est fuisse aliquem infantem. Porrò ad Ioannem exibat omnis Hierusalem, immò & omnis Iudæa, vt baptizaretur ab eo, Matth. 3. & Marci 1. Quis autem asserat, inter omnes non fuisse vllũ, qui adduceret filium suum? Christus autem non baptizabat quidem ordinariè per se, sed per discipulos: Ioann. 4. tamen aliquem, vel aliquos sine dubio baptizauit, vt haberet baptizatos, per quos alios baptizaret, vt scribit Augustinus in epist. 108. ad Seleucianam, & Euodius Apostoli Petri successor, in Antiocheno Episcopatu scribit, B. Virginem, & S. Petrum ab ipso Christo baptizatos, vt refert Nicephorus lib. 2. hist. c. 3. & Euthymius in c. 3. Ioannis. Sed esto ita sit, vt illi dicunt, à Christo, Ioanne, & Paulo nullum infantem baptizatum; num ideò nõ sunt infantes baptizandi? aut num ideò antiquis temporibus non baptizabantur? Ioannes enim fortè nullum in-

fantem baptizauit, quia eius Baptisma nō erat infantibus necessarium; Christus, & Paulus maioribus rebus intenti, baptizandi officium aliis committebant, vt patet de Christo, Ioan. 4. & de Paulo, Act. 19.

QVARTVM argumentum: *Reprobi non sunt baptizādi. Multi ex infantibus sunt reprobi: ergo abstinendū, ne profanetur Sacramentum per nostram ignorantiam.* Respondeo Primò, Eodem argumento probarent, neque adultos esse baptizandos: Secundò; Rectè probat hoc argumentum contra Caluinum, & Bucerum, & similes, qui volunt Baptisma esse sigillum æternæ beneuolentiæ Dei. At apud nos nihil probat. Nam etiāsi paruulus fortè sit reprobus, tamen dum baptizatur, verè iustificatur, & proinde Sacramentum non profanatur, cùm sit æquè in illo, atque in quouis electo signum gratiæ verum, & efficax.

QVINTVM argumentum: *Qui non credit, à Baptismo arcendus est, Act. 8. Si credis licet. Infantes nō credunt. Deuter. 1. Nec sciunt malum nec bonum.* Respondeo; Hoc argumentum demonstratio est contra Lutheranos, qui existimant Sacramenta nihil esse aliud, nisi instrumenta alendæ fidei: sed quid illi de hac re sentiant, sequenti capite explicabimus, vbi etiam hoc argumentum soluemus. Interim dico, sufficere infanti fidem alienam, sicut ei obfuit peccatum alienum.

SEXTVM argumentum: *Cogi homines ad Baptismum, est plus tribuere Sacramento, quàm par sit, & Papæ opinionem stabilire, qui docet neminem sine Baptismo posse saluari.* Respondeo; Argumentum verissimè concludit; sed contra Caluinum, non contra Catholicos.

SEPTIMVM argumentum: *Coniungenda est aqua cum Spiritu, Ioan. 3. veluti fides cum Baptismo, Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit. At infantes spiritu obtusi sunt, & credere non possunt:* Respondeo, Quòd ad Spiritū attiner. locus Ioannis non docet, baptizatum debere sentire motionem Spiritus sancti, vt Anabaptistæ credunt, sed solùm vim aquæ in Baptismo esse à Spiritu sancto: & sicut aqua lauat exteriùs, ita Spiritū lauare interiùs, quod potest fieri etiam in dormiente, & non sentiente. Fit enim illa lotio, & renouatio interior per infusionem habituū, qui sine vllo nostro actu infundi possunt. Quod autem ad fidem attinet, locus Marci vltimo intelligitur sine dubio de adultis: Nam præcedit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, &c.* At infantibus stultum esset prædicare. Adde quòd hoc ipsum fateri coguntur Anabaptistę, si sibi constare volunt. Nam docent infantes saluari sine fide, & sine Baptismo, vt Melanchthon testatur in locis, tit. de Baptismo paruulorum. Adde denique non deesse fidem illis necessariam, vt suprà diximus, & infrà dicemus.

OCTAVVM argumentum: *Ad fidei articulos tantùm credendos Ecclesia obligatur: ergo cogi ad Pædobaptismum non debet, cùm non sit articulus fidei.* Respondeo: Ad fidē pertinere infantes posse baptizari. Nam etiamsi non haberetur expressè in Scripturis: habetur tamē in traditione Apostolica. Præterea deducitur euidenter ex Scripturis, vt diximus. Argumentum tamen rectè concludit contra Zvinglium, & Caluinum, qui non admittūt traditionem, & putant, Baptismum non esse necessarium: & locum Euangelij Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* detorquent ad metaphoras.

NONVM argumentum: *Si infantes baptizandi sunt, ergo & communicandi: Vt ostendit vetustas, quæ eiusmodi inanes lotiones, & cœnas pueris obtrudere coacta fuit.* Respondeo: Non esse parem rationem Baptismi, & communionis. Nā Baptismus necessarius paruulis est: quia alioqui pereunt in æternum, si sine Baptismo de hac vita decedant: communio verò, vt etiam Sacramenta cætera, nō sunt necessaria, nisi adultis, post Baptismum. Id quod ex ipsorum natura, & effectis patet. Eucharistia enim (vt de ea solùm loquamur) *instituta est, vt vitam spiritualem in* Baptismo acquisitam conseruet, ac nutriat, quod facit in rebus corporalibus cibus corporalis, qui vitam animalem conseruat. Sicut igitur sine cibo potest aliquandiu viui, nimirum donec naturalis calor non cœperit humorem vitalem consumere; ita quoque sine Eucharistia conseruari potest vita spiritualis, donec concupiscentiæ calor nō cœperit humorem gratiæ & virtutum depascī: quòd certè non accidit in infantia, sed in adulta solùm ætate. Quare ipse etiam Dominus, vt indicaret Eucharistiam nō esse pro infantibus institutam, noluit eam in lacte constituere, quod est vnicum infantium alimentum, sed in pane, & vino, quæ ad solos adultos propriè pertinent. Porrò veteres aliqui certis de caussis in infantium ora infundebāt eo modo quo poterant Eucharistiam, sed neque eæ caussæ modò locum habent, & aliis de caussis magis vrgentibus Ecclesia id non facit. Verùm de hac re alibi plura dicenda sunt.

DECIMVM argumentum: *Non datur Baptismus absque pœnitentia, Act. 2. & Marci 1. At infantes pœnitere nesciunt.* Respondeo; Pœnitentiam necessariam esse in Baptismo adultorū, de quo tractatur in illis locis ob peccata actualia, quæ adulti commiserunt: originale enim peccatū non est materia pœnitentiæ. Nemo enim rectè pœnitentiam agit eius peccati, quòd ipse non commisit, & quod in eius potestate non fuit: originale autem peccatum non ipsi committimus, sed trahimus ab Adamo per naturalē propagationem, Vnde Rom. 9. dicitur de infantibus: *Cùm nihil boni, vel mali egissent.*

VNDECIMVM argumentum: *Nazianzenus in sermone de Baptismate optat differri baptismum, donec pueri de fide sua aliquid possint respondere. Augustinus lib. 4. de baptismo contra Donatistas, paruulorum baptismum scribit non fuisse à Conciliis stabilitum, incepisse autē Origenis tempore.* Addūt testimonium Trismegisti, Sibyllarum, & Musculi. Respondeo, Nazianzenus optabat quidem Baptismum differri vsque ad triennium, vt pueri aliquo modo respōdere possent; excipit tamen periculum mortis. Vult enim, si periculum conspiciatur, baptizari quocunque tempore; & probat ex Circuncisione, aliisque argumentis. Itaq; duo habet Nazianzenus cōtra Anabaptistas. Vnum, posse infantes baptizari quocunque tempore. Alterum, nunquam esse differendum vltra triennium Baptismum infantium. At certè pueri trium annorum nondum vtuntur ratione, neque possunt credere, aut pœnitere, aut alia præstare, quæ cupiunt Anabaptistæ. Adde, quòd Nazianzeni consilium non est probatum aliis Patribus: vtilitas enim illa perexigua est, & periculum ingens incurrere possent eiusmodi infantes, ob inopinatos casus. Idem dici debet ad Tertullianum, qui in lib. de Baptismo prope finem, idem consilium dedit, quod postea Nazianzenus. Iam verò Augustinus perperam & mendaciter citatur ab Anabaptistis. Non enim negat à Conciliis stabilitum Pædobaptismum Augustinus, quòd eum infirmare velit, sed vt ostendat antiquiorem esse omnibus Conciliis. Sic enim loquitur li. 4. de Baptismo infantium: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Ex quibus verbis refellitur etiam mēdacium de inuento Pædobaptismo Origenis tempore: nam Augustinus neque dicit inuentum Pædobaptismum Origenis tēpore, neque dicere potest, cùm affirmet descendere ex Apostolica traditione. Porrò testimonium Musculi Lutherani non pluris facimus, quàm ipsorū Anabaptistarum testimonia. Trismegistus, & Sibyllæ non loquuntur de Christi Baptismo, sed de aliqua Ethnica lotione, quæ nihil ad nos.

DVODECIMVM argumentum: *Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom. 10. id paruuli non possunt*, Respondeo cum Augustino loco citato, lib. 4. de Baptismo, cap. 24. hoc esse, quod Apostoli tradiderūt,

infan

infantes saluari per Baptismum, etiam si corde non credant, nec ore confiteantur. Etsi enim fidem actualem non habent, habent tamen fidei Sacramentum, quomodo è contrario bonus latro non habuit fidei Sacramentum, & saluus fuit per ipsam fidem, & conuersionem ad Deum. Itaque in necessitate supplet fides, & votum Sacramenti defectum; & contra supplet Sacramentum, fidei actualis & propriæ defectum.

DECIMVM tertium argumentum: *Perfecta Sacramenta cùm sint, perfectos requirunt. Infantes admodum imperfecti; ergo, &c.* Respondeo: Res perfectæ si comparentur ad causſam agentem, non conueniunt nisi perfectis: non enim possunt perfecta opera facere, nisi perfecti artifices. At si comparentur ad causſam patientem, id est, ad materiam seu subiectum, tum conueniunt imperfectis, non perfectis: earum enim munus est perficere res imperfectas. Huius generis est Baptismus respectu hominum: est enim perfectum Sacramentum, quod perficit homines imperfectos. Simile est de medicina corporali: perfecta enim medicina non datur perfectis in sanitate, sed valde imperfectis, id est, valde ægrotis. Vnde Apostolus, Heb. 6. dicit, imperfectorum esse baptizari. *Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non iterum iacientes fundamentum pœnitentiæ Baptismatum, &c.*

DECIMVM quartum argumentum: *Cœna Domini requirit externam fidei confessionem, & propterea ab ea arcentur paruuli: at Baptismus quoque requirit externam confessionem, cùm nihil sit aliud, nisi fidei protestatio.* Respondeo; Tam Cœna Domini, quàm Baptismus sunt fidei externæ professiones: & ideò per eorum susceptionem profitemur fidem, etiam si nihil omnino verbis diceremus. Quare etiam paruuli dum baptizantur, profitentur fidem, & idem facerent, si communicarent: non enim ista est causſa cur arceantur à communione.

DECIMVM quintum argumentum: *Christi symbola ad ipsius commemorationem, & prædicationem sunt ordinata. Nihil horum possunt paruuli facere.* Respondeo: Qui suscipiunt Christi symbola, hoc ipso quòd ea suscipiunt, cōmemorant, & prædicant Christū: quare etiam paruuli id faciunt. Dum enim merguntur in aquam, commemorant Christi mortem, & sepulturam; dum eleuantur ab aqua commemorant Christi resurrectionem. Neque aliud requirit Apostolus Rom. 6.

DECIMVM sextum argumentum: *Fides ex auditu: auditus per verbum Dei. Si dixeris infantes fidem habere, nouā nouæ fidei reuelationem in illis demonstrabis, quod ex verbo Dei probare nunquam poteris.* Respondeo; Argumentum concludit contra Lutheranos, qui fidem actualem ponunt in infantibus.

DECIMVM septimum argumentum: *Christus annorum triginta baptizatur.* Respondet Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum, non omnia quæ Christus fecit, à nobis eodem modo fieri posse, vel debere. Ieiunauit ille sine omni cibo, idque mox à Baptismo; nos id facimus alio modo, & alio tempore. Eucharistiam dedit ille in cœnaculo, post Cœnam, & ante passionem: nos in templis ante Cœnam, post resurrectionem. Adde præterea Christum distulisse Baptismum ad annum trigesimum, tum quia non egebat ipse Baptismo: tum quia non erat ei periculum ne morte præueniretur; tum quia decreuerat in ætate perfecta auspicari prædicationem suam, & ostensionem suam ad homines: in Baptismo autem agnosci cœpit ob miracula, quæ tunc acciderunt. Nos autē egere Baptismo incipimus continuò ac nati sumus, nec sumus certi de tempore vitæ nostræ, & denique non baptizamur, vt mundo innotescamus, sed ne in æternum pereamus. Adde, quòd Christus circunciſus est in infantia: quod autem Iudæis erat circunciſo, nobis est Baptismus.

DECIMVM octauum: *Quicunque baptizantur, Christum induunt, an infantes Christum induant, expende.* Respōdeo, induunt infantes Christum, quandoquidem per habitum gratiæ illis infusum, exuunt veterem hominem, & induunt nouum. Posse autem id fieri sine proprio mentis actu docet Apostolus, Rom. 5. *Sicut, inquit, per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Itaque sicut hoc ipso quòd aliquis nascitur ex Adam, communicatur ei peccatum Adæ, etiamsi vsum mentis non habeat; ita hoc ipso, quòd aliquis renascitur ex Christo per Baptismum, communicatur ei Christi iustitia, & ita Christum induit, licet per ætatem non habeat vsum rationis.

DECIMVM nonum: *Noui Testamenti Sacramenta sunt spiritualia, infantes toti carnales.* Respondeo; Ideò recipiūt Sacramenta spiritualia, vt fiant etiam ipsi spirituales: quales verè fiunt per habitum, non per actum.

VICESIMVM: *Apostoli hominum piscatores sunt, non infantium.* Respondeo; Quasi verò infantes non sint homines. Quanquam piscari propriè non est baptizare, sed prædicare; & fatemur infantibus non esse prædicandum.

VICESIMVM primum: *Qui accedunt ad Sacramenta, probare se ipsos debent. 1. Cor. 11. Infantes id non possunt, ergo, &c.* Respondeo, Id solum Apostolus dixit de Eucharistia, quæ requirit, vt homo sine conscientia peccati accedat, alioqui indignè accedit, & vt discernat corpus Domini. Quocirca rectè Ecclesia non communicat infantes, qui non possunt discernere corpus Domini. In Baptismo non requiritur talis probatio. Potest enim quis accedere cum conscientia peccatorum, dummodò pœniteat eum peccasse, & proposítum habeat rectè viuēdi: est enim Baptisma institutum, vt purget peccata. Quamuis autem requiratur in adultis ad Baptismum alia quædam probatio, vt non accedant ficto animo neque cum affectu peccati: tamen in infantibus nulla probatio necessaria est, cùm obicem ponere non possint.

VICESIMVM secundum argumētum: *Qui Christianus fieri vult, induere debet nouum hominem, exuto veteri. Id non possunt infantes.* Respondeo, Iam dixi, assumptum esse falsum. Quanquam nec maior propositio est absolutè vera, cùm Christianus sit etiam is, qui est malus, modò Baptismum perceperit, & Christi fidem profiteatur.

VICESIMVM tertium: *Fidelis dispensator dat cibum in tempore suo, & affricit albas messes, non virides, & tenerrimas,* Respondeo, Id optimè seruat Ecclesia, quæ paruulis dat Baptismum nō Communionem: quia Baptismi semper est tempus, non autem Communionis. Porrò regiones albæ ad messem, dicuntur homines dispositi, & idonei ad recipiendam salutem; quales semper sunt paruuli; non autem semper tales sunt adulti, qui variis desideriis, & peccatis impediuntur.

VICESIMVM quartum: *Illi verè dicuntur fratres, qui ex eodem poculo bibere possunt. Infantes non possunt, ergo, &c.* Respondeo; Dicuntur fratres qui bibunt ex eodem poculo, sed maiori ratione dicuntur fratres, qui Baptismo eodem renascuntur. Nam Baptismus facit nos Dei filios, & fratres Christi, ac omnium aliorum similiter renatorū: bibere autem ex eodem poculo, solùm est signum fraternitatis. Vnde Apostolus verumque dixit de Baptismo, 1. Cor. 12. *Omnes vos in vno Spiritu in vnum corpus baptizati estis.* De Eucharistia, 1. Cor. 10. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus.* Et contrà, bibere ex diuersis poculis, ita vt alij bibant calicem Christi, alij calicem dæmoniorum, signum est diuersitatis, & schismatis. Quòd si qui ex nullo calice bibant, quod faciunt paruuli, non impedit fraternitatem, quæ aliunde haberi potest, nimirum ex Baptismo qui verè nos fratres sub vno Patre, immò & mēbra vnius corporis facit. 1. Cor. 12. *Omnes nos in vno Spiritu in vnum corpus baptizati sumus.* Id quod etiam in rebus carnalibus videmus; infantes enim interdum fratres

sunt

sunt hominum adultorum; quia ex eodem patre geniti sunt, licet non vescantur eodem pane, nec bibant ex eodem poculo.

VICESIMVM quintum: *Qui sacramentorum externam partem tantùm sumit, nihil sumit. Infantes aqua sola tinguntur, cum careant ratione, ergo, &c.* Respondeo, Falsa est assumptio. Licet enim infantes careant rationis vsu, non tamen carent anima rationali, eiúsque potentiis, in quibus Deus per gratiam habitare potest, & habitat, cùm baptizati sunt, vt Augustinus scribit in ep. 57. ad Dardanum. Vbi dicit mirabile esse, & tamen verum, quod in multis Deus non habitet, qui eum norunt, vt in Philosophis, de quibus Rom. 1. *Cùm cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt:* & contrà in multis habitet, qui eum non norũt, vt in paruulis baptizatis. Et lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. ca. 9. *Dat*, inquit, *sui spiritus occultissimam gratiam, quam etiam latenter infundit & paruulis.*

VICESIMVM sextum: *Non debet ad Christum vocari, qui non potest à Ioanne Baptista præparari.* Respondeo; Verum est, si egeat præparatione: paruuli autem ea non egent. Quocirca Dominus ait Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me:* neque iussit eos exspectare donec à Ioanne præpararentur.

VICESIMVM septimum: *Baptismus est tinctio cum doctrina, & manuum impositione. Heb. 6.* Respondeo; Non hoc dicit Apostolus: sic enim loquitur: *Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorũ, & iudicij æterni.* Vbi illud: *Baptismatum doctrinæ*, coniungendum est cùm illis, *non rursum iacientes fundamentum.* Et sensus est: Non reuertamur iterum ad fundamentum doctrinæ de Baptismo tradendę, & de impositione manuum, id est, de Confirmatione: ista enim traduntur Catechumenis initio fidei, nunc ad altiora tendere nos oportet. Vbi non definitur baptismus, tinctio cum doctrina; sed afferitur, doctrinam de Baptismo ad incipientes, non ad perfectos pertinere, quod est contra Anabaptistas, qui Baptismum perfectorum esse volunt.

VICESIMVM octauum: *Baptismus est mortificatio, & ablutio cum innocatione nominis Iesu, Act. 22.* Respondeo, Etiam in paruulis Baptismus mortificat peccatum. Porrò innocatio illa non est de substantia Baptismi, sed conueniens, & adhibenda cùm fieri potest.

VICESIMVM nonum: *Baptismus est ablui corpore aqua in certitudine fidei, depulsa mala conscientia. Hebr. 10.* Respondeo, Non definit Baptismum Apostolus, sed monet eum, qui vult ad Deum accedere, vt habeat plenam fidẽ, & bonam conscientiam, & præterea Baptismum. Sic enim ait: *Accedamus in vero corde cum plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua mũda.*

TRICESIMVM: *Baptismus est depositio sordium, & peccatorum, & sepeliri cum Christo, Coloss. 2.* Respõdeo, Id etiam infantibus conuenit, qui habent peccatum originale. Etsi enim id Anabaptistę negant, tamen Paulus affirmat Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt* Et Ephes. 2. *Eramus & nos natura filij iræ.*

TRICESIMVM primum: *Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, 1. Petri 3.* Respondeo, Effectus est ille Baptismi, non ipsa Baptismi essentia. Porrò eum effectum in infantibus Baptismus efficit fundamentaliter, vt sic loquamur, facturus deinde, cùm ij adoleuerint, etiá formaliter: abluit enim peccatum, ex qua ablutione oritur postea restimonium bonæ conscientiæ.

TRICESIMVM secundum: *Baptismus est lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, Tit. 3. & Ioan. 3.*

TRICESIMVM tertium: *Baptismus, qui à Prophetis figuratus est Ezech. 36. Zach. 13. nihil ad infantes pertinet.* Respondeo; Falsum assumunt, ex eo quòd putant infantes

A non habere peccatum originale: hinc enim negant infantes regenerari, vel mundari debere.

TRICESIMVM quartum: *Sacramenta sunt cibi solidi. Infantes lacte indigent.* Respondeo; Sacramentum Eucharistiæ est solidus cibus, ideóque sub specie panis institutum est, nec paruulis datur. At Baptismus non est cibus, sed regeneratio, quæ maximè conuenit paruulis; paruuli enim nasci solent. Quare Apostolus Heb. 6. Baptismum imperfectorum esse dicit.

TRICESIMVM quintum: *Priùs nos esse oportet animales, deinde spirituales. 1. Cor. 5. Sacramenta sunt instrumẽta spiritualia; ergo infantes spiritu renasci non possunt.* Respondeo; Vis argumenti hæc videtur esse. Sacramenta sunt spiritualia, ergo spiritualibus tãtùm conueniunt. Sed infantes non sunt spirituales, vt ex Apostolo colligitur, qui docet nos priùs esse animales, & postea spirituales; igitur Sacramenta infantibus non cõueniunt. Sed in hoc argumento mala est prima consequentia. Sacramenta enim sic sunt spiritualia, vt homines spirituales ex animalibus efficiant, cùm vim habeant regenerandi, & renouãdi. Ioan. 3. & Tit. 3.

TRICESIMVM sextum. Adultos cæcos, surdos, & mutos, nemo vnquam baptizare audebit; tantò minùs infantes, qui nec ambulare possunt, nec audire, nec loqui. Respondeo, Eiusmodi adulti, si indicare possint aliquo modo suam voluntatem, qua baptizari velint, aut certè antea indicauerint, quàm in eum morbum inciderent, omninò baptizari possunt, ac debent: vt apertè tradit Cõcilium III. Carthag. c. 34. & Arausicanum I. can. 12. & Augustinus lib. 1. de adulterinis coniugiis, ca. 26. de ægrotis, qui repẽtè obmutescunt. Quòd si sciri nequeat eorũ voluntas, non baptizantur, quia in iis, qui rationis vsum habent, requiritur eorum consensus, vt suprà diximus, quod in infantibus non requiritur, vt quibus sufficit aliorum consensus. Item nescimus de adultis cæcis, mutis, & surdis, an non ponant obicem aliquem, quod de infantibus certè scimus.

CAPVT X.

Quid sentiant aduersarij de fide, quæ requiritur in Baptismo paruulorum.

RESTAT altera quæstio de fide, qua paruuli baptizantur. Sunt autẽ de hac re duæ extremæ sententiæ hæreticorum, inter quas media incedit sententia Catholicæ Ecclesiæ.

PRIMA sententia Lutheranorum est, qui fidem actualem, aut aliquid simile actuali fidei paruulis tribuũt. Primus Lutherus anno XX. in lib. de captiuit. Babylonica, c. de Baptismo, cùm dixisset: *Omnia Sacramenta ad fidem alendam instituta sunt.* Item: *Sacramenta non iustificant, nec vlli prosunt, sed sola fides.* Item: *Sacramenta non implentur dum fiunt, sed dum creduntur:* vidit repugnare his sententiis paruulorum Baptismum, atque eum sibi ipse obiicit: *Opponetur*, inquit, *forsan iis, quæ dicta sunt, Baptismus paruulorum, qui promissionem Dei non capiant, nec fidem Baptismi habere possint.* Respondet autem, ac duo dicit. Primò infantes credere. Secundò, fidem acquirere, non vi Sacramenti, sed per orationem Ecclesiæ, & fidem offerentium paruulum ad Baptismum: & sic exponit, quòd dici solet, paruulis fide aliena succurri. Quòd autem loquatur de fide actuali paruulorum, non de aliquo habitu, patet ex illis eius verbis: *Sicut verbum Dei potens est, dum sonat, etiam impij cor immutare, quod non minùs est surdum, & incapax, quàm vllus paruulus: ita per orationem Ecclesiæ offerentis, & credentis, cui omnia possibilia sunt, & paruulus fide infusa mutatur, mundatur, & renouatur.* Hæc ille. At certè impius cùm ad vocem verbi Dei immutatur, vt velit conuerti, actualiter immutatur, non habitualiter.

ITEM Lutherus in lib. contra Cochlæum anno XXIII. *Dicimus*, inquit, *ad Baptismum infantes credere*

per vim verbi, quo exorcizantur, & per fidem Ecclesiæ eos offerentis, & eis fidem orationibus suis impetrantis. Alioqui mera, & intolerabilia essent mẽdacia, quãdo baptizans à paruulo quærit, an credat, non baptizaturus, nisi vice eius respõdeatur, Credo. Vt quid interrogat an credat, si certum est, eos non credere? vt Cochlæus contendit. Esto, Augustinus sic aliquando dicat: sed Cochlæo satis sit, esse sic ab homine dictum: nos volumus hoc dictum diuinis testimoniis probari. Quin asserimus paruulos prorsus non esse baptizandos, si verum est, in Baptismo non credere, ne illudatur maiestatis Sacramentum, & verbum. Debemus autem & hunc negatæ in paruulis fidei errorem Sophistis, &c. Vbi apertissimè loquitur de fide actuali, non de habituali: neque enim Cochlæus, aut Augustinus, aut Scholastici, quos ille Sophistas vocat, fidem habitualẽ in paruulis negarunt. Et præterea, vult Lutherus fidem esse in paruulis ante Baptismum, dum exorcizantur, & interrogantur: illa autem non potest esse fides nisi actualis: habitualis enim non infunditur ante Baptismum, sed in ipso Baptismo. Idem etiam scripsit, in lib. ad VValdenses, vbi ait, præstare prorsus omittere Baptismum in paruulis, quàm baptizare eos sine fide. Nam si sine fide accipias Sacramentũ, magno tuo malo accipies. Et probat ex illo Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.* Qui locus de actuali fide intelligitur.

HÆC sententia visa est admodum dura omnibus aliis, & peperit tres sectas diuersas. Quidam enim negarunt paruulos baptizandos, cùm omninò crederent sine fide Baptismum nihil prodesse, vt Lutherus dixerat, & simul experimento certissimo tenerent paruulos non credere, cùm apertè renitantur, & eiulent cùm baptizantur. Atque hi sunt Anabaptistæ, de quibus suprà diximus.

ALII non negarunt paruulos baptizandos, sed negarunt fidem in paruulis requiri, & ij sunt Sacramentarij, de quibus mox dicemus, dum alteram sententiam referemus.

DENIQVE alij neque fidem, neque Baptismum paruulorum negarunt, sed mollire conati sunt, & exponere Lutheri sententiam. Itaque anno XXXVI. conuenerunt Lutherani ad Conciliabulum VVittembergense, cuius acta exstant apud Cochlæum lib. 3. miscellaneorũ tract. 8. cap. 2. In ea Pseudosynodo hęc pronunciata habentur. Primum, reiiciendum esse errorem illorum, qui imaginantur saluari infantes sine aliqua actione ipsorum. Secundum, etsi nos nõ intelligamus qualis sit illa actio paruulorum, tamen certum esse in eis fieri sanctos, & nouos motus, sicut in Ioan. Baptista, quando exultauit in vtero. Tertium, licet non sit imaginandum, quòd infantes intelligant, tamen motus eorum, & inclinationes ad credendum, & diligendum Deum, similes esse motibus fidei, & dilectionis: & hoc esse intelligẽdum, cùm dicuntur infantes credere.

HANC mitigationem sententiæ Lutheri, sequi videntur cõmuniter Lutherani. Philippus in locis anni LVIII. tit. de Baptismo paruulorum. *De infantibus hoc satis est tenere; Spiritus sanctus per Baptismum eis datur, qui efficit in eis nouos motus, nouas inclinationes ad Deum pro ipsorũ modo.* Idem habet Ioan. Brẽtius in Apologia pro confess. VVitterberg. cap. de Baptismo; & Dauid Chytræus in suo Catechismo loco 7. de Baptismo. Item Illyricus cũ Centuriatoribus cent. 2. cap. 4. col. 63. & cent. 5. cap. 4. col. 517. reprehendit Iustinum, & Augustinum, quòd velint infantes in Baptismo non credere fide propria, sed aliena. Denique (vt omittam cæteros) Martinus Kemnitius in 2. part. Exam. Trident. Concilij ad canonem 13. 7. sessionis pag. 258. & sequentibus, dicit quidem esse difficile intellectu, & explicatu, quemadmodũ infantes credant: *Tamen*, inquit, *quomodo hoc simplicissimè possit intelligi, explicatur in formula concordiæ inter Theologos Saxoniæ, & superioris Germaniæ anno M. D. XXXVI. constituta, &c.* Et ponit breuiter summam eorum, quæ ex conueniticulo VVittembergensi suprà citauimus.

EST autem hîc obseruandum, Kemnitium mira fraude, & artificio, immò aperto mendacio asserere hãc sententiam conueniticuli VVittembergensis concordare cũ Lutheri sententiis suprà citatis, & rursùm Lutherum cũ Augustino; & contrà Synodum Tridentinam dissentire in hac re à Synodo generali Viennensi, quòd Synodus Viennensis docuerit infantibus in Baptismo infundi habitus fidei, spei, & charitatis: Synodo autem Tridentinæ ita forduerit illud decretum, vt ne mentionem quidem eius facere voluerit. Quæ mendacia paulò pòst refellemus; atque hæc de prima sententia.

ALTERA sentẽtia in altero extremo: infantibus nullam fidem in Baptismo esse necessariam. Hanc videtur primus etiam Lutherus docuisse. Nam licet antequam Anabaptistæ exorirentur, illa scripserit, quę suprà citauimus: tamen postquam illi apparuerunt, scripsit librum contra eos anno M. D. XXVIII. & vbi ad hoc argumentum venisset de fide infantium, dicit nihil interesse, siue credant, siue non credant. Baptismum enim non fundari super fidem dantis, aut recipientis, quæ incertissima est, sed super Dei mãdatum, & institutionem. Et similia habet in homiliis de Baptismo anno XXXVII. & XL. habitis: tamen hoc principium Lutheri non est solidum. Nam etiam si ex eo, quòd Sacramentum non pendet à fide nostra, sed à diuina institutione, sequatur illud in se semper esse efficax, non tamen sequitur nobis esse vtile, & fructuosum, nisi cum fide accipiatur; alioqui etiam, qui ficto animo accedunt, vel peccatũ deferere nolunt, per Baptismum purgarentur. Ideò Sacramentarij sequũtur quidem Lutherum in eo, quòd scribit non requiri fidem: sed ex alio fundamento id colligunt, nimirum ex promissione facta Abrahæ, & semini eius, vel certè ex diuina prædestinatione.

CALVINVS libro quarto Institut. cap. 16. cupiebat primam Lutheri sententiam, quam suprà explicauimus, defendere, sed non est ausus. Vnde sic loquitur §. 18. *Non satis tutum fuerit hoc adimere Domino, ne sese illis quoquomodo exhibere cognoscendum queat.* & §. 19. *Non quòd cadẽ esse fide præditos temere affirmare velim, quam in nobis experimur, aut omninò habere notitiam fidei similem.* Hæc ille. Vides quomodo reiicit decretũ VVittembergense? Inde §. 21. *Quos electione sua dignatus est Dominus, si accepto regenerationis è signo præsenti vita antè demigrent, quàm adoleuerint; eos virtute sui Spiritus nobis incõprehensa renouat, quomodo expedire solus ipse prouidet.* Similia habet Theodorus Beza in sua cõfess. cap. 4. art. 48. & Petrus Martyr, in cap. 1. & 7. prioris ad Corinth. vbi apertè dicit, infantes non intelligere, neque credere, & tamen rectè baptizari, quia iam antea sanctificati sunt, & membra Ecclesię effecti per donum electionis diuinæ, & promissionẽ parentibus factam. Immò VVolgangus Musculus, qui interfuerat Conciliabulo VVittembergensi, postea Sacramentarius factus, in locis communibus, tit. de Pædobaptismo, dicit admodum inconsultè scripsisse Lutherum, si constet paruulos non credere, baptizandos non esse: & hanc fuisse occasionem Anabaptismi.

TERTIA sententia Catholicorum est, infantes non habere fidem actualem, nec tamen omni fide carere; sed habere fidem habitualem; & præterea credere fide aliena, & ipsa Baptismi susceptione. Quæ omnia, vt ordine probentur, ponam sequentes propositiones.

CAPVT XI.

Declaratur quæ fides requiratur in Baptismo paruulorum, & refelluntur errores aduersariorum.

PRIMA propositio: *Infantes non habent actualem fidem.* Hæc est contra primam Lutheri sententiã. Probatur Primò, quia Scriptura Deut. 1. & Ionæ vltimo affirmat, infantes non cognoscere distantiam boni, & mali, nec vsquam excipit tempus Baptismi. Quare

sine Scripturæ testimonio id Lutherus affirmat.

SECVNDÒ Patres hanc sententiam reiiciunt, vt Nazianzenus, qui oratione in sancta lumina, dicit, infantes sine sensu sanctificationis sanctificari: & Augustinus, qui epistola 57. ad Dardanum ridet hanc Lutheri sententiã, vt qui iniuriam faciat humanis sensibus: & rursus epist. 23. tractat. 80. in Ioãnem, libro quarto de Baptismo, cap. 24. & lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 20. dicit, paruulos non habere fidem, quæ est in cogitatione: item non habere sensum fidei: denique nõ habere quod Paulus dicit: *Corde creditur ad iustitiam*. Ex quibus intelligimus Kemnitium pagina 258. omninò temerè, & mendaciter scripsisse, eandem esse in hac re Augustini, & Lutheri sententiam. Nam suprà ostendimus, à Luthero fidẽ ipsam actualem tribui paruulis; cuius contrarium tot in locis dicit Augustinus. Quid, quòd Lutherus in libro contra Cochlæum fatetur, contra se in hac quæstione habere Augustinum? & tamen impudens Kemnitius, inuitum Lutherum, cum inuito Augustino concordare suo mendacio voluit.

TERTIÒ, est ratio. Nam fides non potest oriri in mẽte nisi ex diuina reuelatione: quæ quidem aut immediatè sit à solo Deo, aut per organum verbi Dei prædicati, aut lecti. Primo modo non dicit Lutherus dari infantibus fidem, sed secundo, cùm ait eos credere per vim verbi, quo exorcizantur, adiuuantibus Ecclesiæ precibus. Et præterea primus ille modus non est ordinarius, sed extraordinarius, & rarissimus, ac solis fortè Prophetis, & Apostolis concessus: *Fides enim ex auditu*, inquit Paulus Rom. 10. loquens de ordinario modo, quo gignitur fides. At si omnibus infantibus fides immediatè reuelaretur, iam esset modus ordinarius, & possent omnes infantes, dum baptizantur, dici Prophetæ. Quòd autem Secundo modo non oriatur in infantibus fides, patet manifesto experimento. Si enim verbum exorcismi gigneret fidẽ, certè audiretur, & intelligeretur ab infantibus: proinde attentè auscultarent infantes: cuius cõtrarium videmus. Deinde exorcismus nõ refertur ad fidem docendam, sed ad Dæmones coërcendos. Denique hoc est ponere nouum miraculum in auribus, & mente infantium. Neque valet, quòd Lutherus adfert de orationibus, & fide offerentium. Nam aliquando contingit, vt offerentes, & parentes, & ipsi baptizantes sint infideles, & tamen verè, & vtiliter detur infantibus Baptismus, vt Augustinus docet, epist. 23. Neque ea vis est orationum, & fidei offerentium, vt infallibiliter miracula impetrent. Et denique si Deus miraculum facit in mente infantuli, vt corde credat ad iustitiam, cur non facit etiam in lingua, vt ore confiteatur ad salutem? Fortè hoc est impossibile Deo; aut orationibus, & fide impetrari nequit? At facillimum esse, testatur asina Balaam, quæ Deo volente loquuta est sapienter, Numer. 22.

QVARTÒ, probatur ratione Augustini in epist. 57. quia cùm constet infantes, & voeis eiulatu, & motibus corporis reluctari, & obstrepere Baptismo, si verè intelligerent (quòd necesse est, si credere debent) quid agatur, rei fierent ingentis sacrilegij; nec abluerentur, sed magis sordidarentur.

SECVNDA propositio: *Non habent infantes, dum baptizãtur, vllos nouos motus, & inclinationes similes actibus fidei, & dilectionis.* Hæc est contra figmentum Conciliabuli VVittembergensis, & Philippi, Kemnitij, & aliorum Lutheranorum. Probatur Primò, quia repugnat verbo Dei. Isti enim volunt hos ipsos motus infantium sine cognitione esse, & dici fidem, licet impropriè, & eo modo infantes non iustificari sine aliqua fide. At in tota Scriptura nusquam habetur nomẽ fidei in ea significatione, vt designet motum quendam sine sensu, & sine cognitione; sed potiùs in contraria, vt patet Rom. 10. *Fides ex auditu.* Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* & sic de aliis locis.

SECVNDÒ, repugnat rationi. Nam aut illi motus, & inclinationes sunt in corpore, aut in animo. Si in corpore, non possunt esse similes actibus fidei, & dilectionis, qui sunt in animo; nec enim corporalia dicuntur similia spiritualibus, nisi metaphoricè, & per quandam analogiam. Et præterea non potest fieri, vt motus & inclinatio ad credendum Deo, & diligendum Deum, sint corporales, cùm Deus sit obiectum spirituale, & altissimum, quod vix mẽte attingi aliquo modo potest. Si autem sint in animo, est implicatio contradictionis, quòd sint absque cognitione. Quid enim est motus intellectus, nisi intelligere? non enim aliter moueri potest intellectus, nisi intelligendo; sicut nec oculus, nisi videdo, nec sensus audiendi, nisi audiendo. Et quomodo potest voluntas inclinari, nisi præcedẽte cognitione? cùm obiectum voluntatis non sit aliud, nisi bonum cognitum.

TERTIÒ, repugnat ipsi Luthero. Nam Lutherus locis antea citatis, illam fidem ponit in paruulis, de qua sæpe dixerat, quòd sola iustificet. Certum autem est, fidem iustificantem non esse motum sine cognitione: alioqui etiam bestiæ iustificari possent. Voluit etiam Lutherus fidem in paruulis gigni ex auditu verborum exorcismi, proinde non sine cognitione posuit fidem. Præterea Lutherus volebat, fidem in paruulis esse ante Baptismum, vt posset verè responderi ministro baptizaturo, paruulum credere: at auctores huius sententiæ dicunt, per Baptismum dari paruulis istos motus. Sic enim loquitur Philippus loco citato: *Spiritus sanctus per Baptismum eis datur, qui efficit in eis nouos motus, & inclinationes, &c.* Et similiter Kẽhitius pag. 259. dicit, effundi Spiritũ regenerationis in infantes, dum baptizantur, & operari in illis sanctos motus, &c. Quare falsò affirmat pag. superiore idem Kẽhitius, Lutherũ idem sensisse, quod ipse sentit.

QVARTÒ, repugnat doctrinæ, & principiis cõmunibus omnium Lutheranorum. Nihil enim est apud eos certius, & communius, quàm sola fide iustificari hominem; & Sacramenta nihil esse aliud, nisi instrumenta excitandæ vel nutriendæ fidei. At certè si motus illi infantium sine vera fide illis sufficiunt ad iustificationem, & ad Baptismum vtiliter suscipiendum, falsum est sola fide hominẽ iustificari. Neque dicere possunt, hos ipsos motus esse fidem. Nam quando loquuntur de fide in materia iustificationis, semper intelligunt per fidem apprehẽsionem diuinæ misericordiæ, quæ sine cognitione esse non potest. Præterea cùm isti motus immediatè excitentur à Deo, vt ipsi volunt, & non per Sacramenta, quæ more concionis prouocent fidem per externos sensus; certè ruit illud principium, Sacramenta non iustificare, nisi fidem excitando more concionis. Itaque si quis rectè iudicet, positis principiis de sola fide iustificante, minùs absurda est Lutheri sentẽtia, quæ fidem paruulis tribuit, quam Conciliabuli VVittembergẽsis, quòd motum sine cognitione iisdem concedit. Lutherus enim nouum miraculum falsò excogitauit, sed eo posito, omnia illi constant: isti autẽ & miraculũ fingunt, & eo posito destruũt sua ipsorum principia, & cum aperta ratione pugnant.

TERTIA propositio: *Infantes non iustificantur sine vlla fide.* Hæc est contra Sacramentarios: & probatur: Primò, quia Scriptura affirmat fidem esse medium ad salutem necessarium. Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ex quo loco Augustinus probat, infantes baptizatos habere aliquam fidem, lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 33. Nam eo loco Dominus nõ loquitur de præcepto credendi, quo sine dubio non tenentur paruuli, sed de medio ad salutem. Nam antea dixerat: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et subiunxit: *Qui credit in eum, non iudicatur; qui autẽ non credit, iam iudicatus est.* Sicut igitur aspicere æneum

serpen

serpentem, non tam fuit præceptum, quàm remedium vnicum salutis: ita & fides in hoc loco Euangelij asseritur necessaria, vt remedium, non vt præceptum.

SECVNDÒ, probatur ex illo Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem*: quod passim reperit, & inculcat Paulus. Quomodo igitur sine vlla fide iustificari & placere Deo possunt infantes? At, inquiunt Caluinus, & Martyr: Si Deus prædestinauit infantes, & promisit se fore Deũ ipsorum, sine dubio dabit illis Spiritum sanctum, eóque iustificabit modo aliquo sibi noto, licet non per fidem. Respondeo; Prædestinationem non impleri, nisi per ea media, quę in Scripturis nobis sunt reuelata. Porrò Apostolus Rom. 8. satis perspicuè explicat media, cùm ait: *Quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & magnificauit.* Idem verò Apostolus in eadem epistola, cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. nihil aliud contendit, nisi iustificationem non contingere sine fide. Quare tribuere paruulis iustificationem sine fide, & ante vocationẽ, id est, ante Baptismum, quo solo vocari possunt infantes, quid est aliud, nisi contra verbum Dei fingere nouam iustificationem?

QVARTA propositio: *Infantibus in Baptismo infunditur habitus fidei, spei, & charitatis.* Hæc inprimis certa est Catholicis ex auctoritate Conciliorum, & Doctorum. Nam licet aliquando disputatum fuerit, an infantes reciperent cum gratia iustificante habitus harum virtutum, tamen semper fuit communior sententia, infundi paruulis per Baptismũ hos habitus. Ita enim sanctus Thomas 3. part. quæst. 69. art. 6. Item Scotus, Durãdus, Gabriel, & cæteri ferè omnes in 3. distinct. 23. Quocirca Concilium Viennẽse generale, vt habemus Clement. prima de summa Trinit. & fide Catholica, definit hanc sententiam esse probabiliorem, & magis conformem testimoniis tam veterum, quàm recentium Theologorum. Neque hæc sententia sorduit Tridentino Concilio, vt audacter mẽtitur Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 261. Nam licet Cõcilium Tridentinum non fecerit mentionem Concilij Viennensis; tamen illam ipsam sententiam recepit, ac definiuit vt certam. Nam sess. 5. in decreto de peccato originis, definit infantes in Baptismo iustificari, ita vt si moriantur in eo statu, nihil sit, quod eos ab ingressu cœli remoretur. Deinde sess. 6. cap. 7. definit Concilium, in Baptismo infundi cum remissione peccatorum hæc omnia dona, fidem, spem, & charitatem, eáque menti inhærere.

SECVNDÒ, potest hæc eadem sententia colligi ex Scripturis, quibus suprà probauimus, sine fide paruulos non saluari. Cùm enim constet, fidem propriè non significare, nisi actum, vel habitum, & simul cõstet in paruulis actum fidei esse non posse; certè sequitur, vt in eis sit habitus. Itẽ ex Scripturis suprà probauimus, infantes rectè baptizari, & per Baptismum iustificari, & saluari. Itẽ constat ex Scripturis, iustificationem nullam esse sine fide: igitur constare etiam debet, infantes habere saltem habitualem fidem.

TERTIÒ, probatur ex Patribus, qui licet non meminerint expressè horum habituum, tamen aliis verbis idẽ dicunt. Primùm enim omnes Græci, & multi Latini dicunt, Baptismã esse illuminationem, & qui baptizantur, illuminari. Vnde etiam Augustinus tractat. 44. in Ioannem dicit, cæcum natũ, cùm à Christo fuit inunctus, factum esse quodammodo Catechumenum: cùm fuit illuminatus, fuisse quodammodo baptizatum. Id autem Patres sine dubio dicunt propter fidem, quæ in Baptismo recipitur, quæ est lumen cordis, vt exponit sanctus Thomas 3. part. quæst. 69. artic. 5. Et idem colligitur ex illo Actor. 15. *Fide purificans corda eorum.* Et denique, quia sola fides ad intellectum pertinet ex virtutibus Theologicis, in quib. consistit iustificatio, quæ acquiritur in Baptismo. At non recipitur actus fidei. Actus enim præcedit in adultis, vt dispositio: in infantibus nullus est fidei actus; igitur Baptismus illuminat ratione habitus, qui in eo infunditur. Adde quòd Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 26. in fine, affirmat infantulos per Baptismum non solùm purgari, sed etiam illuminari, quod, vt dictum est, non nisi per fidem fieri potest.

QVARTÒ, probatur ratione. Nam paruuli baptizati verè dicuntur, & sunt fideles, vt Augustinus docet, lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 33. & Concilium Trident. sess. 7. can. 13. de Baptismo. At fideles non dicimur ab actu, sed ab habitu fidei: alioqui cùm dormimus, aut etiam cùm vigilamus, sed de fide non cogitamus, non essemus fideles. Vnde Augustinus loco citato, cùm dixisset paruulos esse fideles, addit: *Hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti, & offerentium responsionem*: Vbi apertissimè significat paruulos dici fideles, tum ab habitu, qui infunditur virtute Sacramenti, tum ab actu fidei alienæ.

Item, Deus in nobis habitat per fidem, & charitatem, Ephes. 3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* At in paruulis baptizatis Deus habitat, vt Augustinus docet in epist. 57. ad Dardanum: igitur habent etiam paruuli baptizati illa dona, saltem quoad habitum.

DENIQVE, Deus infundit paruulis suis occultam gratiam, cùm baptizantur, vt Aug. docet lib. 1. cap. 9. de peccatorum meritis, & remiss. Sed gratia iustificationis infusa in cordibus, consensu omnium Theologorum, aut est charitas cum fide, & spe; aut certè est quædam alia qualitas, cum qua infallibiliter coniunctæ sunt tres illæ virtutes.

QVINTA propositio: *Paruuli actu credunt, partim reipsa dum baptizantur, partim aliena fide.* Prior pars est Augustini lib. 1. de peccatorum merit. & remiss. cap. 27. vbi dicit, infantibus ipsum baptizari esse credere, quia nimirũ ipsa actio est fidei professio. Similia habet epist. 23. Quemadmodum etiam de sanctis Innocẽtibus Ecclesia loquitur, cùm ait, eos non loquendo, sed moriendo confessos esse. Neque de hac re vlla potest esse cõtrouersia. Posterior pars est contra temeritatem Illyrici, Kemnitij, & aliorum, qui errorem Papisticum esse volunt, baptizari paruulos in fide Ecclesiæ. Sufficit autem ad hanc assertionem probandam, consensus Patrum. Ita enim docet Iustinus q. 56. Dionysius de Ecclesię hierarchia, cap. vlt. Ambrosius, vel quicunque est auctor, in cap. 11. ad Hebr. Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 23. vbi dicit, hanc esse totius Ecclesiæ sententiã. Itẽ epist. 23. 57. & 105. lib. 4. de Baptismo, cap. 24. & 25. & serm. 10. & 14. de verbis Apostoli. Prosper de vocatione Gent. lib. 2. cap. 8. & Bernard. serm. 66. in Cantica. & deniq; Conc. Trid. sess. . can. 13.

EST autem hoc loco obseruandum, duplicem fidem requiri in Baptismo, Actualem vnam, quæ præcedit Baptismum, vt dispositio quædam; & ea est, quæ exigitur à baptizandis cùm iubentur recitare Symbolum, & interrogantur an credant. Quæ quidem, vt plurimùm, iudicio grauium doctorum, non est ex habitu fidei, sed ex auxilio speciali Dei. Vnde Catechumeni cum ista fide adhuc non dicuntur fideles à Patribus. Altera est, quæ sequitur Baptismum, quæque est pars essentialis iustificationis, & non est actus, sed habitus; & hanc intelligunt baptizandi, cum interrogati, quid petant, respondent: *Fidem vitam æternam præstantem*, vt habemus in Concilio Trident. sess. 6. cap. 7. & in libris, qui tractant de ritu Baptismi. Iam igitur, cùm Patres dicunt, paruulos baptizari in fide parentum, aut Ecclesiæ, non loquuntur de fide posteriore, sed de priore. Et cùm dicimus paruulos baptizari in fide parentum, non est sensus, paruulos iustificari formaliter, aut esse fideles aliena fide; vt perperam colligunt Kemnitius, & Illyricus locis citatis, vbi etiam perperam citant illud Habacuc. 2. *Iustus ex fide sua viuit.*

Non enim vllus Catholicorum docuit vnquam, paruulos viuere fide aliena, sed sua habituali. Neque etiam est sensus, vt exponit Lutherus, paruulis impetrari fidē qua iustificentur, à fide & precibus offerentium, & Ecclesiæ. Fidem enim iustificantem habent paruuli infusam ex opere operato Sacramenti, non ex opere operantis ministri, aut Ecclesiæ. Sed sensus est fidem actualem, quæ requiritur vt dispositio ad Sacramentum, non haberi à paruulis propriam, sed alienam.

DICES; Quid prodest paruulo fides aliena? Respondeo; Multū omninò prodest. Primùm enim eos ad Baptismum adducit. Vt enim adulti, nisi credant, ad Baptismum non veniunt; sic etiam nisi parentes, aut aliqui alij, qui infantium curam gerunt credant, non eos ad Baptismum deferēt. Itaque sicut propria fidesvnicuique prodest, quia est caussa proprij Baptismi; ita fides aliena prodest infanti, quia est caussa, vt infans baptizetur. Et contrà infidelitas patris multùm obest infanti, quia est caussa ne ille baptizetur. Atque hanc vtilitatem persequitur Prosper loco citato. Altera vtilitas est, quòd hoc modo Deum honorant, & colunt, dum fidem profitentur, & Satanæ abrenunciant, & implent, quæ ad ritum Baptismi pertinēt, saltem per os alienum. Habet enim Deus ratum hoc obsequium per alios præstitum, cùm ipsi per se non possint. Et hoc est, quod sæpe inculcat Augustinus locis citatis.

Ex quibus omnibus colligitur, fidem alienam non esse ita necessariam, vt non sit Baptismus verus, aut fructuosus, si ea desit, quandoquidem non est de essentia iustificationis, vel Baptismi; tamen esse necessariam ad solennitatem ritus, ac cæremoniæ, & sæpe, vt diximus, ad ipsum Baptismum paruulis tradendum; quia si nemo haberet fidem, nemo curaret paruulos baptizari. Superest argumenta ipsorum soluere, quæ pauca sunt, & leuia.

ARGVMENTVM Primum Lutheri est contra primam propositionem: *Si infantes crederent, illuderetur Sacramentis sacrilego mendacio, dum respondetur pro infante, Credo.* Respondeo; Nullum est ibi mēdacium. Non enim qui respōder, *Credo*, significat infantem credere, proprio actu, sed alieno. Vt enim Augustinus loquitur serm. 10. de verbis Apostoli: *Accommodat mater Ecclesia infantibus aliorum pedes, vt veniant, aliorum cor, vt credant, aliorum linguam, vt confiteantur.* Idque non iniuria, cùm peccato alieno prægrauentur, id est, ab alio contracto, licet sibi verè & propriè inhærente.

SECVNDVM argumentum: *Matth.18. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt. Igitur pusilli credunt.* Respondeo, Pusilli, de quibus loquitur Euangelium, non infantes, sed pueri grandiores erant. Nam vocauit eos Dominus ad se, & scandalizari posse dixit, at venire suis pedibus, & scandali capacem esse, infantibus non conuenit.

TERTIVM argumentum contra secundam propositionem: *Ioan. Baptista exultauit in vtero. Luc... Non igitur mirum, si habent infantes nouos motus.* Respōdeo Primò, exemplum vnum non facere regulam generalem, vt Augustinus de hac ipsa re loquens testatur epist. 57. At quia Kemnitius dicit, hoc exemplo non se probare velle, id ita esse in omnibus infantibus, sed tantùm esse posse. Respondeo Secundò, Ioannem Baptistam non habuisse motum sine cognitione, vt isti fingunt. Nam vt Ambrosius, & Beda in commentario eius loci, testantur, Ioannes cognouit Domini præsentiam, & inde exultauit. Ipsum quoque Euangelium, dum ait, exultasse illum in gaudio, satis apertè docet, illum non caruisse cognitione.

QVARTVM argumentum, contra eandem propositionem: *Infantes saluari possunt, dicente Domino, Marci 10. Nisi quis acceperit regnum cœlorum, sicut paruulus, non intrabit in illud. Igitur oportet infantes recipere Spiritum sanctum, & proinde aliquam eius operationem. At non possunt recipere fidem cum cognitione: ergo nouum motum sine cognitione.* Respōdeo, vltimā consequentia nihil valere: possunt enim recipere, & reipsa recipiunt infantes habitum fidei, qui neque est fides cum cognitione, neque motus sine cognitione.

CAPVT XII.

Qui sint veri, aut falsi effectus Baptismi.

SEQVITVR Septima controuersia de effectu Baptismi. Duæ sunt autem quæstiones de hac re. Vna de veris effectibus, quos agnoscunt Catholici: Altera de falsis effectibus, quos aduersarij Baptismo tribuunt.

VERI effectus apud Catholicos tres sunt. Primò enim Baptismus tollit ac delet verè omnem culpam, & pœnam. Secundò confert ex opere operato gratiam, & dona diuina, quibus verè, & formaliter iustificatur homo. Tertiò imprimit indelebilem characterem, ob quem reiterari non potest. Ad hos reuocantur illi, quos Patres enumerant, & maximè Nazianzenus orat. in sanctum lauacrum, & Chrysostomus hom. 1. ad Neophytos, vt quòd faciat animam pulchram, Deo dilectam, splēdentem; quòd eam obsignet regio sigillo; quòd faciat hæredem Dei; quòd aperiat regnum cœlorum, & similia. Aduersarij Primum effectum negant: dicunt enim peccata per Baptismum non verè tolli, sed tantùm non imputari. Secundum etiam negant. Nolunt enim iustificari hominem ex opere operato per Sacramenta, sed solùm per fidem. Tertium absolutè negant, & ideireò non possunt sufficientem caussam reddere, cur Baptismus non repetatur. Sed de duobus effectibus posterioribus satis multa diximus in disputatione de Sacramentis in genere: solùm de primo hic agendum est. Atque hæc erit Prima quæstio, An Baptismus verè tollat peccata.

PORRÒ aduersarij alios quinque effectus Baptismi enumerant. Primum, quòd baptizatus non possit damnari, etiamsi velit, nisi nolit credere. Secundum, quòd Baptismus liberet ab obedientia diuinæ legis. Tertium, quòd liberet ab humanarū legum obseruatione. Quartum, quòd liberet ab omnibus votis. Quintum, quòd sola memoria Baptismi iustificet à peccatis, quæ fiunt post Baptisma. Qui certè nō tam sunt Baptismi effectus, quàm Lutheranorum errores, ac meritò damnantur à Concilio Tridentino sess. 7. totidem canonibus, id est, 6. 7. 8. 9. & 10. De his igitur effectibus erit altera quæstio.

CAPVT XIII.

Quòd Baptismus verè tollat peccatum.

VOD igitur attinet ad Primam quęstionem, fuit hæresis antiquissima Origenistarum, peccata non tolli per Baptismum, sed solùm tegi: tolli autem peccata tandem per mortem. Ita habet Proclus quidam Origenista apud Epiphaniū hær. 64. vbi etiam ponit refutationem huius hæresis ex libro S. Methodij Martyris de resurrectione. Similem hæresim postea excitarunt Messaliani, teste Theodoreto lib. 4. de fabulis hæreticorum. Item rursum alij quidā tempore S. Gregorij, vt ipse refert lib. 9. epist. 39. ad Theoctistam Patritiam.

HOC nostro sæculo idem docent omnes Lutherani. Nam Lutherus, ipse art. 2. ex iis, quos anno XX. Leo X. damnauit, sic ait: *In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare.* Deinde in assertione eiusdem articuli: *Aliud est*, inquit, *omnia peccata remitti, aliud omnia tolli: Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit, sed incipit tollere.* Similia habet Ioan. Caluinus in Antidoto Concilij Trident. sess. 5. vbi refellit decretū de peccato originis: *Manet*, inquit, *verè peccatum in nobis, neque per Baptismum statim vno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* Idem habet lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. & 11. Idem

etiam Philippus in Apologia 2. articuli Confessionis Augustanæ. Vbi Notandum est insigne mendacium. Sic enim Philippus: *Augustinus ait, Peccatum in Baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt non imputetur.* Atque hoc idem dixerat Lutherus in assert. 2. articuli: & Ioan. Roffensis, conuincit eum mendacij, ostendens Augustinum non hoc dicere. Editus est autem liber Roffensis anno M.D.XXIII. & tamen Philippus anno M.D.XXX. iterum idem mendacium protulit. Præterea testatur Cochlæus in discussione Confessionis Augustanę, art. 2. ipsū Philippum ab Eckio conuictum, & confessum esse, locum Augustini malè esse citatum: & tamen idem mendacium toties detectum, & confutatum, iterum scripserunt in libro Concordiæ Latino, pag. 59. edito anno M.D.LXXX. & semper repetūt cùm Apologiam illam imprimunt. Denique Martinus Kemnitius in Exam. 5. sess. Concilij Trident. pag. 430. & sequētibus idem defendit, quamuis magis cautè. Fatetur enim primò remitti in Baptismo omnia peccata, quin etiam tolli, ac deleri, & solùm restare reliquias quasdā peccati originalis. Deinde tamen addit illas reliquias esse quiddam, quod malum sit, & malum culpæ, & secundum Scripturas peccatum dicatur, & quod hominem damnare posset, si Deus imputare illud vellet. Quod est dicere; Peccatū in Baptismo remitti, non quia tollitur, sed quia non imputatur.

CONTRA hunc errorem grauissimum, & perniciosissimum statuit Concilium Tridentinum sess. 5. decretum, quo affirmat, per Baptismum tolli reipsa id omne, quod habet in homine rationem peccati.

EST autem hìc obseruandum, fundamentum aduersariorum non esse aliud, nisi quia putant ipsam concupiscentiam, quam certum est manere etiam in baptizatis, vsque ad mortem, esse verè & propriè peccatum, licet ei non consentiamus, sed repugnemus. Quæ quidem quæstio non est huius loci, sed tractari solet, & à nobis tractata est in disputatione de peccato originis. Et quia ita coniuncta est illa cum ista, vt vna explicata etiam altera terminetur; potuisset fortasse hoc loco ista quæstio præteriri: tamen quia alia sunt argumenta quibus probatur Baptismum tollere omnia peccata; & alia, quibus probatur concupiscentiam non esse peccatum, nisi impropriè, ideò visum est hìc tractare propositam quæstionem, licet, vt dixi, ex definitione vnius cōsequatur etiam alterius definitio.

PRIMÒ igitur probatur ex Scripturis, Baptismo reipsa tolli omnia peccata, ita vt non solùm non imputetur sed nec sit, quod imputari possit ad culpam. Et quia Scripturarum testimonia plurima sunt, reducam ea ad aliquot capita.

PRIMVM est eorum, quæ habent vocabula mūdandi, lauandi, tollendi, delendi, auferendi, & similia, quæ inprimis pugnant cum modo loquendi aduersariorum, ac præsertim Lutheri; & præterea non possunt nisi ineptissimè exponi per, non imputari. Non enim dicitur rectè quis tollere ab alio ignorātiam, vel malitiam, quia ignoscit illi, quod aliquid ignorāter, aut malitiosè fecerit. Loca hæc sunt, Psalm. 50. *Dele iniquitatem Amplius lauа me.* Micheæ 7. *Aufers iniquitatem.* Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ephes. 5. *Mundans eam lauacro.* Kemnitius in Exam. pag. 501. respondet, Paulum non dixisse, Mundauit, sed, *Mundans*, quia quotidie ea mundat, donec exhibeat eam in die iudicij gloriosam. At non considerauit Kemnitius illud, quod sequitur: *Lauacro aquæ in verbo vitæ.* Mundatio enim per lauacrum aquæ, id est, per Baptismum non fit quotidie, nisi in diuersis hominibus, qui veniūt ad Baptismum. Solùm enim baptizatur quisque semel, & tum mundatur, & efficitur sine macula, & ruga, quamuis Christus id quotidie faciat in diuersis, vt in die iudicij totum corpus suum, id est, omnes electos exhibeat sine macula, & ruga.

SECVNDVM caput est eorum locorum, qui dicunt tolli maculas, aut inquinamenta, aut iniquitates. Nam secundum aduersarios non tollitur per Baptismum peccatum, nisi quoad reatum, id est, quoad obligationem ad pœnam, manere autem volunt ipsam peccati fœditatem, quæ erat caussa illius reatus. Voces autem: *Maculæ, inquinamenti, iniquitatis,* & similia, non significant reatum, id est, obligationem illam, quæ potest tolli per non imputationem, sed significant ipsam fœditatem, quam illi manere volunt. Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Similis est locus Euangelij, Ioan. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi, vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Ponderat hunc locum Gregor. lib. 9. epist. 39. Non enim verè potest dici mundus totus, in quo aliquid relinquitur, quod maculæ rationem habeat. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ephes. 1. *Elegit nos, vt essemus sancti, & immaculati.* Colos. 1. *Reconciliauit vos in corpore carnis eius per mortē, exhibere vos sanctos, & immaculatos & irreprehensibiles.* Vbi vides, non solùm non habere maculam, sed nec aliquid, vnde reprehendi possint. Quod intelligitur quantum attinet ad ipsam iustificationem à Deo acceptam: nam posteà bene possunt homines labi, & facere digna reprehensione. Ex quo tollitur euasio Kemnitij, qui respondet, pag. 496. & sequentibus, obiiciendo alia loca, vbi iubemur emundari ab omni inquinamento carnis, & spiritus. 2. Corinth. 7. & exuere veterem hominem, & induere nouum. Ephes. 4. & Coloss. 3. Sed hæc & similia intelliguntur, vel de peccatis, quæ posteà fiunt, vel de mortificatione sensuum, & inclinationum, quæ ad malum prouocant, licet formaliter peccata non sint.

TERTIVM caput est ex figuris Baptismi. Nam multiplex figura præcessit. Vna in Circumcisione, Coloss. 2. Altera, in mari rubro, 1. Corinth. 10. Tertia in Iordane sanante lepram, 4. Reg. 5. Quarta, in suffocatione porcorū, Matth. 8. quam allegat Naziāzenus oratione in sanctum lauacrum. Quinta, in probatica piscina, Ioan. 5. Sexta, in lotione & curatione cæci nati, Ioan. 9. quam explicat Augustinus, tract. 44. in Ioannem. At in Circumcisione verè, non autem per solam imputationem abscindebatur caro. In mari rubro, verè & propriè suffocati sunt Ægyptij, quibus ante Hebræi seruiebant. Quare sanctus Gregorius, lib. 9. epist. 39. hūc locū tractans; *Qui*, inquit, *dicit, peccata in Baptismate, non funditus dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos.* Idem quoque de aliis dicendum est.

QVARTVM caput continet ea loca, quæ comparant mundationē iustificationis rebus verè & propriè mundis. Psal. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Isai. 1. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, sicut nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, vt vermiculus, sicut lana alba erunt.* Isaiæ 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulā peccata.* At certè cùm solaris radius dissoluit nebulas calore suo, ita eas euanescere facit, vt nihil remaneat tenebrarum, sed cœlum verè serenum appareat.

QVINTVM continet similitudinem peccati originalis, Roman. 5. *Sicut per vnius obedientiam peccatores cōstituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* At illi verè constituiuntur peccatores, & verè iustitiam amittunt, nō sola imputatione. Ioan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est; quod natū est ex spiritu, spiritus est.* Illi verè sunt carnales; igitur isti verè spirituales. Confirmatur ex illo, 1. Corin. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes viuificabuntur.* Hìc locus intelligitur de vera morte, & vera resurrectione; igitur etiam loca suprà citata de vero peccato, & vera iustificatione.

SEXTVM continet similitudinē mortis Christi, Roman. 6. *Consepulti sumus cum Christo per Baptismū in mortе.* Et ibidem: *Si mortui sumus, quomodo viuemus in illo?* Idē

repetitur, Colossen. 2. de quo loco Augustinus in Enchirid. cap. 52. sic loquitur: *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio. At Christi mors & resurrectio veræ fuerunt omnibus modis, non autem veræ quoad aliquid, & quoad aliud falsæ, igitur & remissio peccati vera mors est peccati, non quoad reatū tantùm, sed quoad omnia quæ peccati rationem habent.*

SEPTIMVM continet ea, quæ docent, Baptismo nos renasci Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Coloss. 2. *Cùm essemus mortui propter delicta, conuiuificauit nos Christo.* 1. Petri 2. *Quasi modo geniti infantes.* At certè noua ista generatio, & vita requirit veram mortem peccatorum, & veram mutationem interiorem; non autem solam imputationem. Quomodo enim verè sumus viuificati, & regeniti, si adhuc mors in nobis manet?

OCTAVVM continet ea, quæ docent, non posse simul habitare lucem & tenebras, peccatum & iustitiam. 1. Corinth. 10. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* 2. Corinth. 6. *Quæ societas luci ad tenebras? quæ participatio iustitiæ cū iniquitate? quæ conuentio Christi ad Belial? qui autem consensus templi Domini cum idolo? Vos enim estis templum Dei viui.* At aduersarij volūt simul & Diabolū in nobis habitare per peccatum, quod verè semper est in nobis, & Christū per iustificationem. Respondet Kemnitius: pagin. 501. Paulum docere, non posse esse peccatum mortale simul cum iustitia fidei: Papistas autem perperam hæc loca intelligere, qui idem deducunt non posse simul consistere vetustatem & nouitatem, carnem & spiritum. At in vtroque fallitur. Nam cùm fatetur non posse esse peccatū mortale cum iustitia fidei, id intelligit de mortali, non secundum naturam suā, sed ex misericordia Dei non imputante. Vult enim cum Magistro suo Luthero semper esse in nobis peccatū dignum ex se morte æterna, sed in credentibus fieri veniale, quia Deus non imputat. At hoc ipsum est contra Paulum. Quia si verè est in nobis post Baptismum peccatū natura sua mortale: ergo est in nobis iniquitas, ergo tenebræ, ergo Belial, ergo est conuentio luci ad tenebras, iustitiæ ad iniquitatem, Christo ad Belial: non enim iniquitas desinit esse iniquitas quia non punitur, vt notum est. Porrò Catholici non negāt esse in homine veruſtatē carnis, & nouitatē spiritus, cùm fateantur esse in nobis concupiscentiam, quæ est lex membrorū pugnans cum lege mentis, ad Romanos 7. sed eam negant esse peccatū, nisi quando libera voluntate eius desideriis consentimus.

NONVM caput continet ea loca, quæ docent, Deo odio esse peccata. Psalm. 5. *Odisti omnes, qui operātur iniquitatem.* Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Sapient. 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Ex his enim locis efficitur, vt aut Deus in iustificatione penitus tollat peccata, ita vt nihil sit, quod odio habere possit: aut certè nihil omninò remittat, ne obligationē quidem ad pœnam. Si enim peccatum maneret, Deus illud odisset: si odisset, punire vellet: si punire vellet, non ignosceret. Itaque dicere Deum non imputare peccata, quæ verè manent, atque ea nolle punire, est manifesta contradictio secundum Scripturas sanctas, quæ Deum hostem, & vindicem peccatorum seuerissimum vbique describunt.

ARGVMENTA aduersariorum non aliud probant nisi concupiscentiam esse verè peccatum, licet ei non consentiamus. Quæ omnia soluta sunt à nobis in disputatione de peccato originis.

CAPVT XIIII.

Quòd Baptismus non faciat homines impeccabiles.

NVNC ad effectus Baptismi, quos aduersarij confingunt, veniamus. Et quoniam ea ferè omnia, quæ hîc dicenda essent, ad alia loca propriè spectant, & hic solùm tractantur propter canones Concilij Tridentini de Baptismo, solùm breuissimè rem attingemus, tot propositionibus constitutis, quot sunt Concilij canones.

SIT igitur Prima propositio: *Baptismus non id efficit, vt baptizati non possint gratiam Dei amittere, nisi nolint credere.* Hæc expressè habetur can. 6. Concilij. Sunt autem quædam breuiter annotanda. Primùm, fuisse olim duos errores apud veteres. Vnus fuit Iouiniani qui, vt referunt, Hieronymus lib. 2. contra Iouiniani, & Augustinus lib. de hæresibus, cap. 82. docuit, hominem verè baptizatum non posse ampliùs peccare, & si fortè peccat, non fuisse tinctum, nisi aqua. Argumentum præcipuum erant illa verba, 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Et 1. Ioan. 5. *Qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum.* Refellit hunc errorem accuratè sanctus Hieronymus loco notato, & certè Scripturæ diuinæ passim occurrunt, vt illa Roman. 11. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time, &c.* Et Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c.* Et 2. Petri 2. *Melius erat eis non cognoscere viā iustitiæ, &c.* Denique, Actor. 8. apertè legimus, Simonem credidisse, & Baptismum suscepisse: & tamen ibidem legimus eius ruinam. Porrò testimonia ex epistola Ioannis accipienda sunt in sensu cōposito, quemadmodū & illud, Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere*: nimirum dum manserit arbor bona. Solùm enim vult Ioannes ostendere, non posse consistere veram iustitiam & charitatem cum peccato mortali, proinde non esse iustum, qui malè agit. Ita exponunt, Augustinus, tract. 5. *in epist. Ioannis*, & Hieronymus, lib. 2. in Iouinianum.

ALTER error quorundam fuit, qui, vt Augustinus refert, libr. 21. de ciuit. Dei, cap. 25. docebant, baptizatos non posse damnari, etiamsi perditissimè viuerent, modò ab Ecclesia Catholica non recederent. Refellit hunc errorem Augustinus ibidē ex clarissimis testimoniis Scripturarum: & præterea librum integrum scripsit contra eum errorem, qui inscribitur, *De fide, & operibus.* Scripturæ præcipuæ sunt, Rom. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* 1. Cor. 6. *Nolite errare: neque fornicarij, neque fures, neque adulteri, &c. regnum Dei possidebunt.* Et similia habētur, Gal. 5. Ephes. 5. 1. Thessal. 4. 1. Timoth. 6. & alibi, quæ omnia dicuntur baptizatis, vt ex iisdem locis patet.

NOTA Secundò, vtrumque errorem aliqua ex parte hoc nostro sæculo instauratum esse. Nam priorem errorem instaurauit Ioan. Caluinus, qui hominem semel verè iustificatum, docuit non posse vnquam excidere à gratia, & salute. Nam in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 7. can. 7. de Baptismo, dicit, Baptismo tanquam Dei chirographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia: & lib. 3. Instit. cap. 2. §. 11. & 12. docet, veram fidem semel habitam amitti non posse, essēque donum electorum proprium. Sed refutatio istius erroris, non est præsentis loci; non enim id ipse tribuit virtuti Baptismi, sed prædestinationi. Interim repugnat Scripturis apertissimè Caluini sententia, cùm Act. 8. Simon Magus crediderit, & baptizatus fuerit, & paulò pòst à fide, & charitate exciderit. Et præterea, si verum esset, quod vult Caluinus, nulli vnquam fuissent Apostatæ, nec vlli ex Catholicis hæretici fierent, quod nō solùm pugnat cum totius orbis terræ consensu, sed etiam cum Scripturis. Actor. 20. *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducāt discipulos post se.* 1. Timoth. 1. *Quidam circa fidem naufragauerunt* 1. Timoth. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide.* Et cap. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* Et 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt.*

POSTERIOREM errorem instaurauit Lutherus in lib. de captiuit. Babyl. cap. de Baptismo, vbi habet illa

ipsa verba, quæ Concilium in suo can. 6. damnauit. Nec ab ea sententia discordant eius discipuli, etsi modum loquendi non probent. Tribus enim modis potest intelligi illa propositio. *Non potest homo damnari, nisi nolit credere.* Primò, vt sensus sit, nullum esse peccatum verè, & in se mortale, nisi incredulitatem. Et hoc non docent aduersarij, immò è contrario, contendunt omnia opera etiam optimè facta esse peccata mortalia, si secundum rigorem iustitiæ iudiceutur à Deo. Vnde Kemnitius in censura canonis 6. Concilij Tridentini, probat ex Scripturis, multa peccata damnare posse hominem præter incredulitatem.

SECVNDÒ, vt sensus sit, peccata omnia, ita esse coniuncta cum infidelitate; & contrà, fidem ita coniunctam esse cum iustificatione, vt non possit fides consistere cum vllo peccato mortali: proinde qui habet fidem, nullum habere peccatum, nec posse perire: & contrà, quicunque peccat, hoc ipso carere fide. Quod quidem simile est ei, quod Catholici dicunt de charitate: Charitas enim reuera non potest consistere cum peccato mortali, & ideò nemo perit cum charitate, & nemo saluatur sine charitate. Hunc sensum vult esse Kemnitius illius Lutheranæ propositionis in 2. parte Examinis, pag. 213. & sequentibus, vbi dicit, Lutheram nunquam sensisse non amitti gratiam præsentem per quodlibet peccatum mortale, sed id sensisse, posse hominem per veram fidem statim redire ad gratiam. Vt enim peccata destruunt fidem, ita fides reuiuiscens destruit omnia peccata,

TERTIO modo potest intelligi ea propositio, vt sensus sit, posse hominem simul dum peccat, retinere fidem, & per hoc non amittere Dei gratiam præsentem: quia licet peccata ex natura sua hominem reū facerent, & Dei inimicum, tamen fides permanens in corde facit, ne imputentur, & non damnent. Hunc sensum fatetur Kemnitius esse Epicureum, & meritò damnatā à Concilio eam propositionem in hoc sensu, quod etiam fatetur Caluinus in Antidoto huius canon. 6. Hinc enim datur licentia hominibus baptizatis patrandi quæuis peccata, modò simul credant ea sibi non imputari. Sed nullo modo Kemnitius concedit hanc fuisse mentem Lutheri.

NOTA Tertiò, rectissimè à Concilio damnatam esse illam Lutheri sententiam. Nam & dicta est à Luthero in sensu tertio, licet nolit Kemnitius: & præterea hæretica est etiam in secundo sensu, quem Kemnitius, & Caluinus admittunt. Ac Primùm fuisse illam mentem Lutheri, patet ex his locis. In li. de Babyl. capt. cap. de Baptismo, postquam dixerat, hominem baptizatum non posse damnari, nisi nolit credere, subiungit: *Nulla peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas: cætera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem diuinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem.* Hæc ille. Vbi vides, eum dicere, *si redeat, vel stet fides.* Putauit igitur Lutherus posse stare fidem, dum quis peccat, & per eam fidem peccata non imputari, etiam dum fiunt, quanquam Kemnitius non bona fide hanc sententiam referens, omisit illud, *vel stet fides.* Item in lib. de libertate Christiana: *Non facit*, inquit, *personam bonam nisi fides, nec malam, nisi incredulitas.* Item in quæstione, An opera faciant ad salutem, hæc est prima assertio: *Vt nihil iustificat nisi fides, ita nihil peccat, nisi incredulitas.* Secunda assertio: *Iustificatio propriè est fidei quarto modo, & peccatū incredulitatis.* Item in li. de votis monasticis: *Credentis in Christum nulla sunt tam mala opera, quæ possint illam accusare & damnare.* Denique in 1. sermone super Euangelium feriæ 2. Pentecostes super illud, *Sic Deus dilexit mundum. Vbi fides*, inquit, *est, ibi nullum nocet peccatum.* Et addit; sic Deum nihili facere peccata credentium in se, qua modo pater nihili facit nugas ludentium infantium. Vbi apertè loquitur de peccatis, quæ actu fiunt, & vult ea non nocere, quia per fidem teguntur, vel excusantur.

QVOD autem etiam in secūdo sensu falsa sit ea propositio, patet, quia repugnat Paulo, 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vbi Paulus docet, posse fidem esse sine charitate, & proinde hominem cum vera fide damnari. Respondet, Paulum loqui de fide miraculorum, non de fide iustificante. contrà, quia fides miraculorum nihil est aliud, nisi excellens fides Catholica & iustificans suo modo. Vnde Paulus infra de eadem fide loquens, annumerat eam aliis virtutibus Theologicis: *Nunc*, inquit, *manet fides, spes, charitas.* Et hoc loco dicit: *Si habuero omnem fidem.* Præterea, secundum Lutheranos nulla est ratio cur nō possit fides ipsa iustificans manere cum peccato. Nam nihil est aliud, nisi fiducia diuinæ misericordiæ, vt ipsi passim definiūt. Quid autem prohibet, quò minus possit aliquis dum furatur, vel mœchatur, confidere, Deum non imputaturum eam actionem ad peccatum. Denique, si potest cum fide manere peccatum factum, quod tamen verè peccatum est, & in iustificatis hæret, vt ipsi dicunt, cur non etiā peccatum, quod fit? certè si peccatum non posset consistere cū fide, id non esset ratione temporis præteriti, vel præsentis, sed ratione malitiæ, & fœditatis ipsius peccati. At peccatum iam factum cum tota sua malitia & fœditate, manet præsente fide: Ergo fieri etiam potest præsente fide. Quare coguntur, si principia sua destruere nolunt, admittere tertium illum sensum cum Luthero: quem tamen fatentur Epicureum esse, ac meritò damnatum à Concilio Tridentino.

CAPVT XV.

Per Baptismum non liberari homines à seruanda lege Dei.

SEQVITVR Altera propositio de secundo effectu Baptismi: *Baptismus non id efficit, vt homo solius fidei debitor sit, non autem implendæ vniuersæ legis Christi.* Hæc habetur in 7. can. Concilij. Tridentin. Est autem obseruandum Primò, duobus modis intelligi posse, hominem baptizatum dici liberum à lege diuina seruanda. Vno modo, vt facere contra eam legē, non sit iniustum, nec peccatum, quasi lex abrogata esset. Et hoc non docent aduersarij, quippe qui volunt omnia opera iustorum esse peccata, quia nunquā implent legem, vt oporteret. Et in hoc sensu fatetur Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 216. rectè positum esse Concilij canonem, & contrariam sententiam esse blasphemam in ipsum Baptismum. Itaque de hoc sensu non est controuersia.

ALTERO modo intelligi potest, vt facere contra legem sit quidem peccatum, tamen non imputetur iis, qui fidem habent; nec pendeat iustificatio, aut salus ab impletione legis, sed à sola misericordia, quæ per fidem apprehenditur. Et in hoc sensu Lutherani omnes docent (licet alij timidius, alij liberiùs loquantur) non obligari Christianos ad legem diuinā, sed solùm ad fidem; immò in hoc constituunt summam libertatis Euangelicæ; vt patet ex li. Lutheri de votis monasticis, vbi in hoc dicit consistere libertatem Euangelij, quòd pia conscientia sit libera ab omnibus operibus, non quidem faciendis (volunt enim ea fieri, vt fructus fidei) sed accusantibus, & defendentibus: quia nulla opera sunt tam mala, quæ credentem accusare valeant, & damnare: nulla tam bona, quæ eum queant defendere, & iustificare. Item in comm. 2, can. ad Galat. instituit hunc dialogum: *Si conscientia dicat, Peccasti: respondeo, Peccaui. Ergo Deus puniet, & damnabit: non. At lex Dei hoc dicit: sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.* Idem satis apertè docet Ioan. Caluinus, lib. 3. Instit. cap. 19. §. 2. 4. & 7.

NOTA Secundò, quid aduersarij de Concilij canone sentiant. Caluinus in Antidoto Concilij, agnoscit canonem 7. Concilij, contra suam & suorum sententiam esse positum; & apertè contrarium profitetur.

AT Kemnitius in Examine ejusdem canonis frau-

dulenter agens, more suo, prætermittit eum sensum, in quo ipsi negare solent, obligari ad legem implendam: & perperam exponit tam concilij sententiam, vt eam refellat, quàm Lutheri, vt eam defendat. Itaque duo dicit. Primò Lutherum non docuisse Christianos liberos esse ab obedientia legis Dei, sed id solum, gratiam Baptismi & iustificationem non pendere à conditione obseruatæ legis, quasi nemo iustificetur, nisi qui antea id meruerit per integram legis obseruationem; sed gratis dari per fidem. Secundò dicit, Concilium definire voluisse, pendere iustificationem, quæ fit in Baptismo, à conditione legis impletæ. Et quia concilium id non apertè dicit, colligit ipse hoc modo: Concilium mutuatur ex ca. 5. ad Galat. illam phrasim: *Qui circunciditur, debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Illa autem verba Paulus non dixit ex propria mente, sed ex mente & abusu Pseudoapostolorum, qui putabant vniuersam legem esse implendam ad hoc, vt circuncisi gratiam Dei obtinerent, Ergo etiam Patres Concilij idem sentiunt de gratia Baptismi, nimirum, quòd pendeat à conditione impletæ legis Christi. Deinde fingit etiã duo sophismata Concilij pro isto dogmate, quæ & soluit. Primum est, quia renunciamus in Baptismo Satanæ, & profitemur nos Deo seruituros. Inde Cõcilium colligit gratiam Baptismi non pendere à sola fide, sed etiam à conditione legis: Secundum, quia non baptizamur in Moysem, sed in Christum, id est, non in legem, sed in Euangelium. Concilij Patres pro nomine Euangelij, legem posuerunt, vt indicarent pendere à legis obedientia, gratiam Baptismi.

SED vtrumque pronunciatum Kemnitij mendacio plenum est. Ac Primum Lutheri sententia tam differtè ab ipsomet Luthero expressa est, vt nullo modo excusari possit. Sic enim loquitur in lib. de libertate Christiana: *Nullo opere, nulla lege Christiano homini opus est, cùm per fidem liber sit ab omni lege.* Item in argumento epist. ad Gal. *Summa*, inquit, *ars, & sapientia Christiana est nescire legem, ignorare opera, & totam iustitiam actuum.* Et infrà: *Ad nouum hominem nihil pertinet lex.* Similia passim docet in commentario epist. ad Gal. in lib. de votis monasticis, & alibi. Denique coguntur, velint nolint, hoc dicere. Nam cùm ipsi existiment legem esse impossibilem, & omnia opera etiam sanctissimorum hominum esse peccata, certè si salus penderet à conditione seruatæ legis, nulli saluarentur omninò ex eorum sententia.

QVANTVMLIBET igitur Kemnitius tergiuersetur, & mentiatur, confiteri cogitur, nisi Papista fieri velit, non ita obligari Christianos ad legem seruandam, vt ab eius obseruatione pẽdeat salus. Atq; hoc ipsum est, quod Concilium damnat, & anathematizat. Nam mendacium est (vt ad Secundum dictum Kemnitij veniamus) Concilij sententiam esse, pendere gratiam Baptismi à conditione legis seruatæ. Concilium enim hoc non dicit, nec vllo verbo insinuat, sed contrarium disertis verbis in infinitis locis asseruit, ac præsertim, sess. 6. c. 8. vbi dicit, nulla nostra merita esse ante gratiam iustificationis. Et in isto ipso can. 7. de Baptismo, perspicuè Concilium dicit, ab ipso Baptismo nasci debitum seruandæ Christi legis: ex quo manifestè colligitur non requiri ad gratiam Baptismi consequendam, conditionem legis seruatæ, sed solum propositum seruandæ post Baptismum. Quod etiam multò antè docuerat Cõcilium II. Arausicanum, can. 25.

AD coniecturam Kemnitij ex phrasi desumpta ex epist. ad Galatas respondeo. Primò, Concilium Tridentinum non citasse, nec nominasse epistolam ad Galat. Secundò dico, in epistola ad Galatas, siue Paulus loquatur ex mente sua, siue ex mente aliorum, non haberi, ante Circunci sionem seruandam legem fuisse, sed post Circunci sionem. Id enim sonant illa verba: *Testificor omni homini circuncidenti se, quod debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Addo Tertiò, quòd Kemnitius dicit, loqui Paulum ex

A abusu Pseudoapostolorum, quòd etiam habet Caluinus in Antidoto Concilij ad hunc 7. canonem, esse manifestam Scripturæ deprauationem. Nam Paulus seriò testatur ita esse vt dicit: *Testificor*, inquit, *omni homini, &c.* Itaque, si id falsum erat, vt Caluinus, & Kemnitius volunt, falsus testis fuit Apostolus Paulus.

PORRÒ duo illa sophismata, quæ nomine Concilij Kemnitius sibi ipse obiecit, somnia sunt delirantis. Si enim vigilans, & sanus fuisset, saltem argumenta finxisset, quæ haberent aliquam speciem argumenti. Illa autem nullam prorsus speciem habent. Ex eo enim, quod renunciamus in Baptismo Satanæ, & promittimus Deo nos deinceps seruituros, nullo modo colligi potest, pendere gratiam Baptismi à conditione impletæ legis; cùm è contrario profiteamur illa abrenunciatione, & illa promissione, nos ante Baptismum seruisse Satanæ, & non Deo, Legem autem Christi non Euangelium, Concilium nominauit dedita opera, vt damnaret errorem Lutheranorum, qui Euangelium solam promissionem gratiæ esse volunt, non etiam legis nouæ promulgationem: cùm tamen Christus ipse dixerit, Matth. vlt: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docete eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Vnde & Paulus Christi legem vocat, 1. Cor. 9. *Cùm ego sine lege non essem, sed in lege essem Christi.* Et Rom. 7. *Mente seruio legi Dei.*

B NOTA Tertiò, errorem, qui in 7. can. Concilij damnatur, quòd videlicet non sint Christiani ita debitores legis, vt ab eius obedientia pendeat salus, refellendum esse in disputatione de iustificatione, tanquam in proprio loco. Interim tamen adferri posse apertissima Scripturarum testimonia. Nam Mat. 19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Rom. 8. *Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, sicut gesserit, siue bonum, siue malum.* Gal. 6. *Nolite errare, Deus non irridetur, quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Denique nihil sæpius Scriptura clamat, quàm Deum vnicuique darum secundum opera sua.

C SED insignis omninò Lutheri responsio est ad hæc & similia loca in com. 3. cap. ad Galatas: *Cùm illaqueant*, inquit, *te argumentis ex Scripturis pro defensione bonorum operum desumptis, simpliciter respondendum est, Hic mecum est Christus, illic vobiscum, Scripturæ testimonia pro operibus. Christus autem, Dominus est Scripturæ, & bonorum operum. Item respondè simpliciter, Tu vrges seruum, id est, Scripturam, quam relinquo tibi, ego vrgeo Dominum, qui Rex est Scripturæ.* Egregia sanè solutio, quasi Christus, & Scriptura contraria sint, & non potiùs Christus per Scripturam nos alloquatur. Vt omittam, quòd hic ille est Lutherus, qui in libro de abroganda Missa, & in omnibus ferè scriptis suis, sola Scriptura fretus contemnit omnes Patres, omnia Concilia, omnem ecclesiæ & totius orbis terræ consuetudinem. Nimirum illud assequi voluit, vt ipse vnus non solùm pro omnibus Patribus, & Conciliis, sed etiam pro omnibus diuinis literis haberetur.

D

CAPVT XVI.

Per Baptismum non liberari homines ab obligatione legis Ecclesiasticæ.

IERTIA propositio: *Non liberat Baptismus homines ab obligatione Ecclesiasticæ legis.* Hæc habetur in 8. canone Concilij, estq; posita aduersus Lutherum, qui in libro de captiuitate Babylonica, c. de Baptismo, & alibi passim docet, non posse Papam, aut vllum hominum vnam syllabam statuere, qua obligentur conscientiæ hominum baptizatorum.

VBI illud est obseruandum, alio modo ab aduersarijs liberari fideles ab obedientia legum diuinarum,

& alio modo ab obedientia legum humanarum. Nam diuinas leges affirmant obligare in conscientia, ita vt sit peccatum eas violare, sed tamen addunt, fidelibus indulgeri eiusmodi præuarieationes, seu non imputari, ac per hoc idem esse, ac si liberi essent ab earum legum obseruatione. At leges humanas, siue Ecclesiasticas, siue politicas affirmant non obligare in conscientia, nisi ratione scandali, aut contemptus, quæ sunt prohibita lege diuina. Itaque transgredi legem humanam etiam studiosè, non modò non imputatur ad peccatum, sed neque est vllum peccatum apud aduersarios. Quare tam Kemnitius, quàm Caluinus, ille in suo Examine, iste in suo Antidoto canonem istum 8. simpliciter reiiciunt, ac Lutheri sententiam apertè defendunt.

SED quoniam hunc errorem nos accuratè refutauimus in disputatione de summo Pontifice, & breuiter in libro de Sacramentis in genere, cap. 59. de cæremoniis, satis erit hoc loco ostendere obligationem legis humanæ non pugnare cum Baptismo. Id quod fiet soluendo ipsorum obiectionem, quæ est huiusmodi: *Per Baptismum addicimur diuinæ seruituti, ergo liberamur ab omnibus aliis vinculis. Atque hoc est, quod Scripturæ passim docent.* Mat. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis.* 1. Cor. 7. *Precio empti estis, nolite fieri serui hominũ.* Col. 2. *Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc decretis mundi tenemini iuxta mandata, & doctrinas hominum?* Ezech. 20. *In præceptis patrum vestrorum nolite ambulare.* Mat. 15. *Frustrà colunt me mandatis hominum.* Et hæc quidem profert Kemnitius: addit verò vnum, quod solum Caluino satis fuit: *Et vnus est Legislator*, inquit Iacobus, cap. 4. *qui potest perdere, & saluare. Vbi hoc falsum esse*, inquit Caluinus, *demonstrauerint, non recusabimus, quin suis nos legibus adstringant.*

C AT non opus est demonstrare id esse falsum, quod Iacobus dicit, cùm sit verissimum; sed ex illo vero non bene intellecto falsum aliquid, & pernicio sum, & verbo Dei repugnans à Caluino perperam esse collectum. Iacobus enim de summo Legislatore loquitur, qui ita fert aliis leges, vt nullas ab alio accipiat, quique ita potest perdere, & saluare, quos damnauerit, aut absoluerit, vt nullius ope indigeat, & à nullo impediri queat: talem autem Legislatorem fatemur non esse Papam, neque Imperatorem, sed vnum, & solum Deum. Sed non inde bene colligitur, non esse etiam homines quosdam verè legislatores, licet sub Deo summo Legislatore constitutos; ita vt sicut inferioribus dant leges, ita etiam accipiant ipsi à superiore, id est, à Deo.

ESSE autem eum sensum Iacobi patet, Primò ex ipso contextu. Nam probare volebat Iacobus non debere homines aliis hominibus detrahere. Id probat, quia lex Dei id prohibet: *Qui enim*, inquit, *detrahit fratri, detrahit legi*, quasi lex bona non esset. Non esse autem detrahendum legi, probat, quia *Qui detrahit legi, iudicat legem, qui autem iudicat legem, non est factor legis, sed iudex.* Nullum autem esse debere iudicem legis diuinæ, probat, quia *Vnus est Legislator*, id est, vnus solus est, qui dat omnibus legem, & omnes omnino, illo vno excepto, subiecti sunt legi. Hoc argumentum sancti Iacobi bene intellectum, nihil aliud probat, nisi nullum esse præter Deum talem Legislatorem, qui non ab alio legem accipiat. Secundò idem patet, quia Scripturæ, quæ certè secum non pugnant, non rarò nomen legislatoris, & iudicis tribuunt hominibus, vt Prouer. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Psal. 2. *Erudimini qui iudicatis terram.* Et confirmatur ex similibus, Matth. 23. *Vnus est Pater vester, qui est in cœlis*: Item: *Magister vester, vnus est Christus.* Et tamen Apostolus vocat se patrem 1. Cor. 4. & Magistrum. 2. Tim. 1.

AD alia, quæ sunt solius Kemnitij, Respondeo, per

A Baptismum nos Deo addici in seruitutem, ac proinde liberari à seruitute contraria. Contraria autẽ seruitus, non est obedientia, & seruitus, quæ præstatur hominibus, sed seruitus Diaboli, & peccati; illa enim sola impedit, ne seruiamus Deo, ista autem iuuat potiùs, quàm impedit. Vnde Rom. 6. dicitur: *Liberati à peccato*, non ab hominibus, *serui autem facti Deo.* Et idem Apostolus, passim imperat, vt obediant post Baptismum serui dominis, filij parentibus, priuati magistratibus, tum politicis, tum etiam Ecclesiasticis, Ephes. 6. Coloss. 3. Rom. 13. Heb. 13. & alibi.

AD Primum locum ex Matthæi vltimo, Si Kemnitius nosset rationem argumenta conficiendi, ita argumentari deberet. Dominus iubet, vt doceantur baptizati seruare omnia ipsius præcepta: Sed vnum ex eius præceptis est, vt obseruemus leges Prælatorum, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*; ergo pugnat cum verbo Domini, & cum

B professione Baptismi, nolle obligari ad leges Ecclesiasticas obseruandas. Etsi enim Dominus Matth. vlt. non expresse & nominatim iusserit seruari leges Ecclesiæ, tamen generatim, & implicitè id mandauit.

AD Secundum ex 1. Cor. 7. Non prohibet Apostolus seruitutem humanam absolutè, nam eandem ibidem approbat tanquam vtilem ad humilitatem, sed solùm quatenus contraria esset diuino obsequio; quod fieret, si quis homini seruiret in iis, quæ sunt contra Deum, vel si homini seruiret præcipuè propter hominem, cùm seruiendum sit etiam homini propter Deum, cuius præcipuè serui sumus. Quem sensum expressit Apostolus clariùs Col. 3. vbi iubet seruis, vt dominis suis seruiant tanquam Christo: ita vt in homine, cui seruiunt, non tam hominem considerent, quàm Christum, ob cuius amorem libenter subiiciuntur homini.

AD alia loca respondimus in vltimo capite libri de Sacramentis in genere.

CAPVT XVII.

Per Baptismum non fieri irrita omnia vota.

QVARTA propositio: *Per Baptismum non fiunt irrita omnia vota.* Hæc habetur can. 9. Concilij Tridentini, estque contra Lutherum in libro de captiuitate Babylonica, can. de Baptismo, & in libro de votis monasticis, necnon Caluinum in Antidoto, & Kemnitium in Examine huius can. 9. qui docent, per Baptismum liberari hominem ab omnibus votis, non solùm quæ antea, sed etiam quæ postea fecerit, excepto illo vno, quòd fit in Baptismo, cùm promittimus nos Dei legem seruaturos.

FVNDAMENTA ipsorum sunt: Primò, quia Deus in Testamento veteri disposuit de votis, quomodo fierent, & quando, & de quibus rebus. At in testamento nouo Christus & Apostoli nihil præscripserunt, nisi vnicam promissionem, quæ fit in Baptismo, Matth. vlt. Secundò, quia vel vouere volumus res à Deo præceptas, aut non præceptas. Si præceptas, frustrà id facimus, cùm in Baptismo vouerimus omnia præcepta. Si non præceptas, iam pugnamus cum Baptismo, qui nos liberauit ab omnibus humanis inuentionibus. Tertiò, in Baptismo plus vouemus, quàm implere possimus, ergo stultus est, qui aliquid aliud vouet, & iniuriam facit Baptismo, quasi votum in eo factum non sit sufficiens.

SED hæc fundamenta debilia sunt. Nam vt ad Primum respondeamus, etiamsi Christus, & Apostoli nihil de votis præscripsissent, mirum non esset, cùm vota sint de iure naturæ, vt patet ex voto Patriarchæ Iacob. Gen. 28. tamen falsum est Apostolos nihil de votis tradidisse: cùm 1. Tim. 5. B. Paulus omnium interpretum consensu de voto continentiæ loquatur, vbi dicit, viduas quasdam, si nubant damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt.

AD Secundum respondeo, voueri posse, tum res

præceptas à Deo, tum etiam res non præceptas, modò sint res bonæ. Neque frustrà vouentur res præceptæ, tum quia per votum homo magis ligatur, & certior redditur implendi, tum etiam quia quod fit ex præcepto, & ex voto, est actus duarum virtutum, & proinde excellentius, quàm id, quòd fit ex solo præcepto. Vouere autem rem non præceptam, non est contra professionem Baptismi, quia vt suprà diximus, Baptismus liberat à peccato, non ab iis rebus quæ iuuant ad vitanda peccata, & quæ magis Deo subiiciunt, & cum Deo ligant, vt sunt vota. Neque dici possunt vota, humana inuenta, cùm habeant in Scriptura commendationem, Psal. 75. *Vouete, & reddite.* Et Eccles. 5. *Si quid vouisti Deo, non moreris reddere.* Neque potest responderi vota esse Testamenti veteris: nam liber Psalmorum & Ecclesiastes, moralia documenta tradunt, quæ omnibus conueniunt. Denique violatio votorum pugnat potiùs cum Baptismo. Nam profitemur in Baptismo, nos seruaturos omnia Dei mandata, vnum autem est ex mandatis Dei, vt vota soluantur, vt pater ex locis citatis.

AD Tertium respondeo, falsum, & blasphemum esse, quod aduersarij assumunt, nos in Baptismo plus promittere, quàm implere possimus, id enim, & pugnat cum verbis Christi, qui Matth. 11. vocat legem suam iugum suaue, & onus suum leue: & cum verbis Pauli, qui dicit Rom. 8. Christum mortuum esse, vt iustificatio legis impleretur in nobis: & cum Concilio Arausicano II. can. 25. vbi definitur, posse hominem baptizatum seruare omnia Dei mandata, & cum Basilio oratione in illud: *Attende tibi*, & cum aliis Patribus, qui dicunt, blasphemum esse, afferere Dei mandata esse impossibilia. Neque putamus promissionem in Baptismo factam esse insufficientem. Est enim sufficiens ad suum finem, id est, ad saluandum hominem, licet addi aliquid possit, vt vel facilius, vel excellentius aliquis saluetur; quomodo non ideò Baptismus est insufficiens, licet melius sit, baptizari & Eucharistiam sumere, etiam testimonio aduersariorũ, quàm solùm baptizari: neque verbum Dei est insufficiens, licet melius sit, verbum Dei audire & Sacramenta suscipere, quàm solùm Dei verbum audire. Denique si Iudæi in Circuncisione pollicebantur se Dei legem seruaturos, & tamen præter ea vouere poterant multa alia, vt Kemnitius fatetur, neque dici poterat Circuncisionis promissio insufficiens, cur non poterunt Christiani vouere aliquid, etiamsi in Baptismo promiserint, se vniuersam Dei legem seruaturos? aut cur dicetur Baptismi promissio insufficiens? Atque hæc hoc loco sufficiant: nam de votis accuratè disseruimus in disputatione de Monachis.

CAPVT XVIII.

Sola memoria Baptismi non posse dimitti peccata, quæ fiunt post Baptismum.

QVINTA propositio: *Non potest fieri, vt sola memoria, & fide suscepti Baptismi peccata remittantur, quæ post Baptismum fiunt, sed necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum.* Hæc habetur in 10. can. Concilij Tridentini, estque aduersus Lutherum lib. de captiu. Babylon. cap. de Baptismo. Caluinum li. 4. Instit. cap. 15. §. 3 & 4. & in Antidoto Concilij, & Kemnitium in censura huius can. 10.

EST autem Primò notandum, quæ sit ipsorum, & quæ Ecclesiæ sententia de hac re. Illi igitur Primò docent, Baptismum non aliter iustificare, nisi subiiciendo ante oculos promissionem, & eo modo excitando fidem, quæ sola iustificat. Secundò, inde colligunt, cùm quis peccat post Baptismum, posse per memoriam Baptismi iterum redire ad gratiam ipsam Baptismi. Nam sicut ipse Baptismus subiicit ante oculos promissionem, ita etiam facit memoria, & cogitatio Baptismi; proinde ipsa etiam memoria excitat fidem, & eodem modo iustificat. Id

A quod etiam in aliis rebus videmus: nam si quis visa insigni imagine crucifixi, mouetur ad amorem Christi crucifixi, certè etiam postea cùm imaginem non videt, si mente recogitet, & recordetur eam speciem, mouebitur. Tertiò, inde rursum colligunt Sacramentum Pœnitentiæ nihil esse aliud, nisi ipsum Baptismum memoria & fide repetitum. Et sicut post Baptismum non remanet vlla satisfactio, nec sunt necessariæ indulgentiæ, nec Purgatorium post hanc vitam; ita existimant post Pœnitentiam, id est, post memoriam Baptismi, nullam superesse satisfactionem, &c. Quartò, inde colligunt non rectè dixisse Hieronymum in c. 3. Isaiæ, & in epist. ad Demetriadem, & ante eum Tertullianum in libr. de Pœnitentia, pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium. Nam Baptismi nauis nunquam frangitur, sed qui peccant, ab illa naui excidunt, vnde non est opus, cùm resipiscunt, vt quærant aliquam tabulam, sed redire possunt
B ad ipsam nauim, quæ integra, & incolumis eos expectat. Hæc est ipsorum sententia, & certè satis delicata, & mollis, vt ne Epicuro quidem meritò displicere queat.

AT verò Catholici longè aliter docent. Primùm enim affirmant Baptismo remitti peccata ex opere operato, id est, vi Sacramenti, vt antea ostendimus. Secundò, inde colligunt Baptismi efficaciam non se extendere ad futurum, sed solùm ad præteritum: remittit enim peccata antea commissa, & nondum dimissa, id est, ea quæ inuenit in homine, quando re ipsa suscipitur. Memoria autem Baptismi vtilis quidem est ad agendas Deo gratias, & vt sit quasi frænum ad non peccandum, sed nullo modo sufficit ad iustificationem. Tertiò, inde colligunt, amissam gratiam Baptismi, non posse iterum recuperari per Baptismum, sed quærendum esse aliud remedium magis arduum, & difficile, id est, Sacramentum Pœni-
C tentiæ, post quod remanet luenda temporalis pœna pro satisfactione, & inde consequitur vtilitas Indulgentiarum, Purgatorij locus, &c. Quartò, inde colligunt rectissimè dictum esse à Patribus, Pœnitentiam post Baptismum esse secundam tabulam post naufragium, quia non redeunt, qui pœnitentiam agunt, ad nauim Baptismi, sed magno cum labore nauigant, vt ij, qui arrepta tabula post naufragium, in ea vehuntur.

NOTA Secundò, Kemnitium in Examine canon. 10. perperam exponere eum canonem, & Catholicorum sententiam. Nam pag. 229, dicit, Catholicos asserere, non posse hominem etiam per veram pœnitentiam redire ad gratiam Baptismi, & fœdus, quod Deus nobiscum in Baptismo pepigit. At non hoc Catholici dicunt: Fatemur enim posse hominem redire per veram pœnitentiam ad gratiam, ad fœdus nobiscum initum in Baptismo, id est, vt iterum simus filij Dei per gratiam: sed negamus id fieri per eadem instrumenta fœderis, id est, per Baptismum, aut eius memoriam, sed per aliud Sacramentum. Nam etiamsi, vt plurimùm non ita deleantur peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, vt non remaneat aliqua pœna temporalis luenda, tamen potest tanta esse pœnitentia, vt planè deleat omnem pœnam, & sic redditur ad gratiam omnino similem ei, quæ in Baptismo habita est.

IBIDEM Kemnitius dicit, Catholicos cùm peccant post Baptismum, niti propria contritione, & satisfactione, vt redeant ad gratiam. Sed hoc etiam falsò dictũ est. Nitimur enim gratia Dei, Christi meritis, & virtute, atq; efficacia Sacramenti, non propria contritione, licet contritionem, vt dispositionem requiramus: sicut etiam cùm baptizamur, requirimus fidem, & pœnitentiam, & tamen non iis nitimur, vt caussis iustificationis, sed Dei gratia, Christi meritis, & Sacramenti efficacia.

DEINDE pagina 235. & 236. Kemnitius dicit, Concilium non fuisse ausum expresè damnare Lutheri sententiam, quia metuebat iudicium piarum aurium in tanta

D luce

luce Euangelij, ideò eam deprauasse, ac sic deprauatam damnasse. Deprauasse autem ostendit, quia Concilium anathema dicit illis, qui docent peccata, quæ post Baptismum committuntur, sola recordatione suscepti Baptismi dimitti; hoc est, qui sine pœnitentia in sceleribus perseuerant, & pergunt, illis si tantùm perfunctoriè, & historicè recordentur, se aliquando baptizatos esse, tali recordatione peccata dimitti: & addit hanc sententiam verè Epicuream etiam à suis sonora voce damnari. Arbonus Kemnitius, dum vult ostendere à Concilio deprauatam sententiam Lutheri, deprauat ipse Concilij sententiam, & quidem tam manifesto mendacio, vt mirum sit. Nam Concilium in illo ipso 10. canone, quem Kemnitius iisdem verbis descripsit in suo Examine, non dicit, sola recordatione Baptismi, eáque perfunctoria, & historica, dimitti peccata apud Lutheranos: sed dicit, sola memoria, & fide Baptismi. Vbi Concilium addit finem (quam Kemnitius semper omittit, cùm canonem exagitat) & non addit historicam, aut perfunctoriam, quæ de suo Kemnitius addidit. Itaque Kemnitius partim detrahendo, partim addendo, deprauauit canonem Concilij. Concilium autem paucis verbis pro more aliorum canonum simpliciter comprehendit Lutheri sententiam, eámque disertè, & apertè damnauit.

NOTA Tertiò probationem accuratam veritatis Catholicæ, & refutationem erroris Lutheranorum, non esse huius loci, sed ad disputationem de Pœnitentia spectare, hic verò solùm breuissimè probandum esse, non posse ad nauim baptismi redire eos, qui peccant post baptismum, sed indigere alio remedio. Primùm igitur id probatur ex Apostolo Heb. 9. *Impossibile est eos qui semel illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam.* Vbi Apostolus non vult dicere, non posse lapsos redire ad pœnitentiam vllo modo: iste enim est error Nouatianorum, quem nec aduersarij probant: sed vult dicere, non posse renouari ad pœnitentiam, quomodo renouantur, qui baptizantur. Ita enim exponunt Ambrosius, Chrysostomus, & alij interpretes; & eandem expositionem admittit Kemnitius in Examine sequentis canonis, pag. 240. & idem patet ex verbis, *illuminati, & renouari, & crucifigentes filium Dei*, quæ sunt propria baptismi, in quo illuminamur, & renouamur, & Christi mortem imitamur.

DICET aliquis fortasse pro Kemnitio: Hic locus probat non posse iterati Baptismum; at non probat non posse hominem redire ad reconciliationem per memoriam baptismi: immò verò hic locus id potissimùm probat. Nam aduersarij, & si nolint repeti aspersionem aquæ, tamen repeti volunt baptismi efficaciam, ita vt verè per baptismum remittantur peccata postea facta, & remittantur eadem facilitate, & eadem perfectione, ac plenitudine sicut antea, vt non sit vllo modo secunda reconciliatio laboriosior, quàm prima. At hoc ipsum est, quod
D Apostolus negat. Nam in primis ideò noluit dicere impossibile esse iterum baptizari, sed impossibile esse iterum renouari ad pœnitentiam, scilicet Baptismalem. Præterea propositum Apostoli est, deterrere homines baptizatos à peccatis, quos ea ratione deterret, quia non poterunt ampliùs eadem facilitate reconciliari. At secundum Lutheranos eadem facilitas est, immò etiam maior in secunda reconciliatione, quàm in prima: facilius enim est recordari, & cogitare Baptismum, quàm recipsa baptizari.

SECVNDÒ idem probatur ex testimoniis Patrum, qui semper peccantibus post baptismum, imposuerunt grauissimos labores, antequam eos reconciliarent, vt patet ex Cypriano in sermone de lapsis, & ex aliis, quos nominare non est opus, cùm Caluinus lib. 3. Instit. c. 4. §. 38. dicat, omnes ferè veteres, quorum libri extant, aut in hac parte lapsos, aut nimis asperè, & durè loquutos. Vbi apertè confitetur veteres Patres, & quidem ferè omnes

A non fuisse in ea sententia, vt esset æquè facilis reconciliatio in baptismo, & post baptismum.

TERTIÒ idem patet ratione. Nulla enim æquitas patitur, vt æquè facilem viam habeant ad gratiam Dei, qui peccát ante Baptismum, & qui post baptismum, cùm illi Deum ignorarent, isti nossent: illi non haberent gratiam, isti haberent. Nam etsi Catechumeni ante baptismum Deum per fidem nouerunt, sæpe etiam charitate flagrant: tamen hæc omnia ad gratiam baptismi pertinent. Nam & Catechismi doctrina, dispositio ad baptismum est; & gratia illa, atque charitas, quæ interdum in Catechumenis reperitur, ex voto baptismi procedit. Sed diluamus etiam breuiter ipsorum obiecta.

PRIMVM argumentum Lutheri sumitur ex illa promissione, Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hæc enim promissio semper manet, & semper est vera. Quare, qui peccando à fide, & à baptismi fœdere recessit, si iterum incipiat credere, & amplecti fœdus baptismi sui, certè saluus erit. Confirmat Lutherus,
B quia hoc modo in Testamento veteri Iudæi, quando redibant ad pœnitentiam, vt reconciliarentur Deo, ad memoriam renouabant exitum de Aegypto.

RESPONDEO, argumentum nihil concludere: quia licet veritas promissionis sit perpetua, tamen conditionata est, non absoluta. Alioqui omnes Apostatæ saluarentur: de illis enim verum est dicere; Crediderunt, & baptizati sunt. Itaque intelligitur conditio. Si permanserit in fide, & fœdere baptismali, saluus erit: quòd si non permanserit, non saluabitur hoc remedio, sed aliud quærere debet. Qui enim semel excidit per peccatum mortale à fœdere baptismi, non potest iterum ad illud redire: non enim reditur ad fœdus Baptismi per solam cogitationem, seu memoriam baptismi. Recipsa autem baptizari, quod esset verè redire ad fœdus baptismi, nullo
C modo licet. Et patet in exemplo fidei, & aliarum rerum: non enim rédire dicitur ad fidem, qui cogitat se aliquando credidisse, sed qui iterum actu incipit credere. Confirmatio autem illa de exitu ab Ægypto, nihil etiam probat: non enim commemorabant exitum illum, quasi ea commemoratione peccata purgarentur, sed vt commemorato tam insigni beneficio, arguerent ipsi suam erga Deum ingratitudinem, & eo modo se ad pœnitentiam prouocarent: quod commodum nobis quoque adferre baptismum non negamus. Adde, quòd si vera esset Lutheri sententia, debuissent Iudæi commemorare potiùs Circuncisionem, quæ erat illis pro baptismo, quàm exitum de Ægypto.

SECVNDVM argumentum Kemnitij est. Scripturæ cùm de baptismi effectu loquuntur, modò eum describunt per tempus præteritum, modò per futurum, modò etiam per præsens; igitur baptismus vim habet purgándi omnia peccata præterita, præsentia, & futura. Antecedens probat; Nam Tit. 3. dicitur in præterito: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Marci vltimo, dicitur in futuro: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* 1. Petri 3. dicitur in præsenti: *Saluos nos facit Baptisma.* Et Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ.* De quo loco Augustinus lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 33, sic loquitur: *Quod Paulus ait, Mundans eam lauacro aquæ, sic accipiendum est, vt eodem lauacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominũ regeneratorum mandentur, atq; sanentur, non solùm præterita peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posteriùs humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur, non vt Baptismus, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datum est, fit, vt non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Deniq; addit Kemnitius id totum clarissimè explicari, Rom. 6.

RESPONDEO, nullum esse Scripturæ locum, quo probari possit, Baptismo deleri peccata futura, aut etiam

præsen

præsentia id est, quæ in præsenti committimus nos, qui iamdudum baptizati sumus, quæ quidem respectu Baptismi, futura dici possunt. Quod autem obiicitur ex Marci vltimo, *Saluus erit*, vel accipitur de salute in re, id est, de ipsa gloria sempiterna; & eam non dubium est futuram esse, sed ea non est effectus, sed finis Baptismi. Nos autem de effectu disserimus, effectus enim Baptismi est remissio peccatorum præteritorum, finis autem vita beata futura, iuxta illud Apostoli Rom. 6. *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*: vel accipitur de salute in spe, id est, de ipsa gratia iustificationis; & eam certum est mox consequi ad Baptismum: proinde esse quidem futuram respectu Baptismi, sed peccatorum præteritorum, non futurorum. Quemadmodum qui dicit; Si tale pharmacum acceperis, curaberis, indicat curationem sequuturam post medicinam, sed eam curationem esse morbi antea contracti, non postea contrahendi.

A

Quod verò obiicitur ex 1. Petri 3. *Saluos facit Baptisma*, non est ad rem: nam Petrus cùm loquitur de tempore præsenti, non comparat Baptismum cum peccatis, sed tempus Christi cum tempore Noë, ac dicit; quòd sicut tempore Noë diluuium saluos fecit octo homines per arcam, ita nunc tempore Christi saluat Baptismus credentes, &c.

Quod obiicitur ex cap. 5. ad Ephes. *Mundans eam*, facilè explicatur. Nam illud (*mundans*) non refertur ad singulos homines, sed ad varios, qui vnam constituunt Ecclesiam. Christus enim quotidie mundat Ecclesiam lauacro aquæ, quia quotidie baptizantur aliqui; omnes tamen cùm baptizantur, mundantur à peccatis præteritis, non à futuris. Quòd si quis referat ad singulos homines, tum dicendum est, Baptismo purgari peccata futura, non immediatè, sed mediatè; quia videlicet, qui baptizatus est, per gratiam quam in Baptismo accepit, impetrat veniam peccatorum venialium, quæ postea facit, si eam petat; & præterea per Baptismi characterem ius habet ad Sacramentum Pœnitentiæ, quo peccata etiam mortalia purgantur, quod Sacramentum percipere non possunt, qui Baptismo carent. Et hoc est, quod Augustinus dicit eo loco, quem citat Kemnitius. Solùm enim Augustinus dicit, Baptismo peccata futura purgari aliquo modo, quia sine percepto Baptismo, nihil prosunt cætera, quæ fiunt ad peccatum purgandum, vt Pœnitentia, Eleemosynæ, Ieiunia, &c. *Quid enim*, inquit, *prodesset, velante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea nisi præcederet?* Vnde idem Augustinus, cùm loquitur de immediato, & proprio effectu Baptismi, disertè contrarium scribit, vt in epist. 23. ad Bonifacium: *semel acceptam paruulus Christi gratiam, non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus euaserit: tunc enim etiam propriè incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.*

B

C

D

Quod denique obiicitur ex cap. 6. ad Roman. nihil momenti habet. Nam Apostolus in eo cap. non docet quomodo remittantur peccata post Baptismum, sed quomodo caueri debeant: dicit enim per Baptismum hominem mori peccato, vt deinceps viuat Deo; proinde hominem semel renatum in Christo debere omni diligentia cauere, ne iterum inquinetur, & moriatur. Sed quid hæc ad rem de qua agimus?

Tertium argumentum est eiusdem Kemnitij. Fœdus Dei cum homine perpetuum est, Isaiæ 54. *In misericordia sempiterna misertus sum tui.* Rom. 3. *Nunquid illorum incredulitas fidem Dei euacuauit?* 2. Timoth. 2. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Hier. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Ergo fœdus nobiscum initum in Baptismo nunquam ita frangitur, quin possimus ad illud redire, illudq; renouare. Et confirmat, quia Paulus Galat. 3. & 1. Corint 12. lapsos post Baptismum reuocat ad promissionem gratiæ Baptismi. Denique addit, ipsam naturam eius promissionis hoc ostendere. Nam promissio Baptismi est, *Vt iustificati gratia Christi hæredes simus vitæ æternæ*, Tit. 3. Hæc autem est generalis ratio iustificationis; post quemcunque lapsum: ergo semper iustificamur per Baptismum.

Respondeo, Kemnitium sine vlla verecundia ludere in Scripturis, earumque testimoniis abuti. Nam locus Isaiæ 54. continet promissionem absolutam, nimirum de fouenda perpetuò Ecclesia; ista enim promissio à nulla conditione pendet. Est enim Matrimonium inter Christum & Ecclesiam planè indissolubile. Similiter locus Rom. 3. continet absolutam promissionem de mittendo Messia in mundum. Et promissio Baptismi non est absoluta, sed conditionata, vt patet, quia includit conditionem fidei, perseuerantiæ, &c. Locus autem 2. Tim. 2. pro nobis est. Cùm enim Paulus dicit: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*, significat Deum ita esse fidelem, quia facit quod promisit, dum iustos præmio, impios pœna afficit. Vnde præmisit: *Si sustinemus, & conniuemus, si negauerimus, ille negabit nos.* vbi vides promissionem conditionatam. Locus Hier. 3. docet, Deum recipere homines ad gratiam, si redeant, sed non docet recipere eodem modo, & per eadem instrumenta, quibus antea recepit. Locus Gal. 3. nihil facit ad rem. Nam Paulus non docet eo loco, quomodo iustificentur impij lapsi post Baptismum, vt Kemnitius fingit, sed docet homines non iustificari Circuncisione, aliisque operibus legis, sed per fidem Christi; id quod probat, quia qui baptizantur, Christum induunt. Locus autem 1. Corin. 12. ne vlla quidem specie ad rem præsentem facit. Solùm enim Paulus dicit esse nos omnes vnum corpus, quia in vno spiritu baptizati sumus: nec aliquid addit de lapsis iustificandis post Baptismum. Denique argumentum ex natura promissionis Baptismi, est ineptum sophisma. Etsi enim Baptismus promittat salutem per Christum, & quicunque post quemcunque lapsum iustificatur, per Christum iustificetur, non tamen inde sequitur, eos iustificari per Baptismum, qui post Baptismum lapsi sunt. Nam latiùs patet iustificari per Christum, quàm iustificari in Baptismo per Christum. Nam etiam Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & cætera promittunt salutem per Christum.

Quartum argumentum est Caluini lib. 4. Institut. cap. 15. §. 3. In Baptismo communicatur nobis Christi puritas. Sed ea semper viget, nec vllis maculis opprimitur: igitur semper manet virtus Baptismi nobis semel collati, & semper ad eam redire possumus, & per eam iustificari. Confirmat ex Patribus, qui reprehendunt eos qui differunt Baptismum vsque ad mortem. Multi enim olim hoc errore decepti, quòd Baptismus non purget, nisi præterita peccata, nolebant baptizari, nisi in fine vitæ, quando non ampliùs erant peccaturi. Sed Patres arguunt eiusmodi errorem, proinde credebant Baptismo purgari peccata omnia etiam futura.

Respondeo, argumentum Caluini niti falso fundamento, quòd videlicet iustificemur ipsa Christi iustitia nobis imputata. Illa enim verè semper viget, nec vllis maculis opprimitur: sed falsum est, ea nos iustificari formaliter. Nos enim iustificamur propria, & nobis inhærente iustitia, quæ planè non viget, & maculis obruitur, & aboletur, cùm peccamus. Ad confirmationem respondeo, eam pro nobis facere. Nam si Patres credidissent id, quod credit Caluinus, quando reprehendebant eos qui Baptisma differebant, istam caussam reddidissent, quòd Baptismus lauet etiam peccata futura: nihil enim potuit adferri efficacius. At nullus veterum istam reddidit, sed alias quasdam, vt patet ex Basilio in oratio. 13. de

exhor

exhortatione ad Baptismum, & Nazianzeno oratione in sanctum lauacrum, & Chrysostomo hom. 1. in Acta, qui hortantur ad non differendum Baptismum, tum ob periculum, & incertitudinem mortis, tum ob multa bona, quæ secum adfert Baptismus.

Quintum argumentum est Caluini ibidem, §. 4. Potestas clauium non potest separari à Baptismo, ergo qui post Baptismum lapsi, virtute clauium reconciliantur, per Baptismum reconciliantur. Antecedēs probat. Nam potestas clauium non exercetur sine prædicatione Euangelij, qua annunciamus impios mundari Christi sanguine: signum autem, & testimonium sanguinis Christi effusi, est Baptismus, ergo potestas clauium non exercetur sine Baptismo.

Respondeo; Si argumentum aliquid valeret, efficeret etiam nullum reconciliari, nisi per Eucharistiam, aut eius memoriam: nam Eucharistia est etiam signum, & testimonium sanguinis Christi effusi. Sed argumentum nihil concludit, tum quia falsum est, clauium potestatem non exerceri nisi prædicatione Euangelij, tum etiam quia latiùs patet mundari impios Christi sanguine, quàm mundari per Baptismum. Siquidem Christi sanguis est, qui semper mundat, sed is per varia instrumenta applicatur, aliquando quidem per Baptismum, aliquando per alia Sacramenta, aliquando sine Sacramentis per fidem, & veram conuersionem, aliquando per martyrium, vt suprà dictum est.

A

CAPVT XIX.

De Baptismo Ioannis, qui fuerint errores.

Sequitur controuersia octaua de comparatione Baptismi Christi cum Baptismo Ioannis, de qua est primus canon Concilij Tridentini, sess. 7. de Baptismo: *Si quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.* Tres erūt partes huius controuersiæ. Primò exponemus errores, & opiniones. Secundò aperiemus, & cōfirmabimus veritatem. Tertiò diluemus obiectiones.

B

Quod ad primum attinet, fuit antiquus error Petiliani Donatistæ, vnum esse Baptismum Christi, & Ioannis. Distinguebat enim tres gradus eiusdem Baptismi; ac dicebat, Ioannem baptizasse aqua, Christum spiritu, Paracletum igne; sed hæc tria ad vnum, & eundem Baptismū pertinere. Refert, & refellit Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 32. 34. & 37.

Hoc nostro tempore Lutherus initio prædicationis suæ apertè distinguebat Baptismum Ioannis à Baptismo Christi. Nam in disputatione de Baptismo legis, Ioannis & Christi, edita anno XX. tria ponit discrimina inter hæc Baptismata. Primum, quòd Baptisma Ioannis non sit Sacramentum, Christi autem sit. Secundum, quòd illud nō remittat peccata, hoc autem remittat. Tertium, quòd baptizati à Ioanne iterum essent baptizandi, non autem baptizati Christi Baptismo.

C

Cæterùm hæc sententia, quia non bene cohæret cum reliqua doctrina Lutheranorum de Sacramentis, non placuit Lutheri discipulis; omnes enim contrarium docuerunt, nimirum Baptisma Ioannis Sacramentum fuisse, & peccata remisisse, & ab eo baptizatos non fuisse iterum baptizandos. Ita docet Melanchthon in locis anni LVIII. tit. de Baptismo Ioannis: *Etsi*, inquit, *differentia erat in hoc articulo, Ioannes de passuro Christo, Apostoli de passo, & resuscitato prædicant: tamē ministerium fuit idem; & effectus eosdem habuit in credentibus.* Vbi apertè retractat, quod scripserat in locis anni XXII. titul. de Baptismo: ibi enim cum Luthero docuerat Baptismum Ioannis signum fuisse mortificationis, Christi verò Baptismū signum iustificationis; & propterea debuisse iterum baptizari, quos Ioannes baptizauerat. Idem habent, idem Philippus, & Alesius, & Lossius, Lutherani in cap. 1. Ioannis. Item Martinus Bucerus, & Dauid Chytræus in c. 3. Matt. Ioan. Brentius hom. 21. & 29. in Luc. Idem etiam Centuriatores, Cent. 1. cap. 4. col. 156. & cap. 10. col. 361. Item Nicolaus Selneccerus in 2. Pædagogiæ tit. de Baptismo. Item Zvvinglius lib. de vera, & falsa religione, ca. de Baptismo, & Caluinus tum in Antidoto Concilij, tū in Instit. lib. 4. cap. 15. §. 7. & 8. Deniq; Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 175. & sequentibus, conuenit cum cæteris, quòd Baptisma Ioannis remitteret peccata, & esset idem Sacramentum cum Baptismo Christi, quem Apostoli ministrabant, tamen non audet definire, an baptizati à Ioanne essent iterum baptizandi Christi Baptismo. Nam proposita quæstione, & rationibus pro vtraque parte, tandem ita loquitur pag 190. in fine: *Relinquatur igitur hæc quæstio in medio, vt quæ in vtramque partem rationes habet.* In quo valde cautè, & solerter egit. Nam hoc modo non apertè repugnauit, aut priori Lutheri & Philippi sententiæ, aut posteriori, & communi sententiæ Lutheranorum: & præterea liberauit se à molestissima quæstione, in qua soluenda alij multùm sudant, nec tamen se expediunt, videlicet, quomodo Actor. 19. baptizari iubeantur Christi Baptismo, quos constabat à Ioanne antea baptizatos.

D

Inter Catholicos fuerunt etiam duæ opiniones de Baptismo Ioannis; quarum altera censetur erronea, altera multùm improbabilis. Prior fuit Petri Lombardi, qui lib. 4. dist. 2. distinguit duo genera baptizatorum à Ioanne. Vnum eorum, qui sic baptizabantur à Ioanne, vt spē ponerent in eo Baptismo, & non haberent notitiam Spiritus sancti, & hos fatetur baptizandos fuisse Christi Baptismo. Alterum eorum, qui baptizabantur à Ioanne, sed non ponebant spem in eo Baptismo, & habebant notitiam Spiritus sancti; & hos dicit non fuisse necessarium baptizari Christi Baptismo. Hæc sententia præter argumenta, quæ infrà adferemus contra hæreticos, refelli potest ex his, quæ Magister ipse, & omnes Catholici concedunt. Nam consensu omnium, Christi Baptismus post promulgationem suam omnes homines obligat. At Baptismus Ioannis non erat Baptismus Christi, vt eadem distinctione docet Magister; igitur baptizati à Ioanne, obligabantur ad Christi Baptismum suscipiendum. Quare S. Thomas 3. p. q. 38. art. vlt. scribit hanc opinionem esse penitus irrationabilem.

Altera opinio est, Baptismum Ioannis fuisse Sacramentum quoddam, qualia erant Sacramenta veteris legis. Ita docuit Magister loco notato, & multi Scholasticorum, atque ipse etiam S. Thomas ibidem: sed meritò postea idem S. Thomas contrarium docuit 3. p. q. 38. artic. 1. Nam Sacramēta veteris legis cœperunt cum ipsa lege, & durauerunt toto tempore quo lex ipsa duravit. Baptismus autem Ioannis cœpit in fine legis, & non durauit nisi annum vnum; aut paulò amplius. Vnde rectè ait S. Thomas baptismum Ioannis non pertinuisse ad legem veterem, sed potiùs ad nouam, vt quandam præparationem ad Christi Baptismum.

Dices, Baptismum Ioannis non fuisse Sacramentū legis veteris, nec nouæ, sed medium inter vtraque. At id fieri nequit. Non enim esse potest Sacramentum mediū inter Sacramenta duarum legum, nisi etiam lex ipsa media sit. Lex autem media inter veterem, & nouam nulla fuit: vna enim abrogata, altera continuò succedit; quare si Baptismus Ioannis Sacramentum esset, esset omnino legis veteris, aut nouæ. Neque sufficit ad rationem Sacramenti (quod veteres illos fefellisse videtur) vt significet Christi Baptismum, vel etiam gratiam dandam per Baptismum. Nam etiam diluuium 1. Petri 3. & mare rubrum 1. Corinth. 10, significarunt Baptismum, & manna Eucharistiam, & tamen non fuerunt Sacramenta, sed solùm figuræ Sacramentorum. His ergo omissis veniamus ad veritatem constituendam, & probandam contra hæreticos.

CAPVT XX.

Baptismum Ioannis non fuisse Sacramentum idem cum Baptismo Christi.

AD explicandam, & probandam veritatem tres propositiones constituendæ erunt. Prima propositio: *Baptismus Ioannis non fuit Sacramentum idem cum Baptismo Christi.* Hæc est contra Philippum, Caluinum, Kemnitium, & cæteros, qui idem ministeriũ asserunt fuisse Ioãnis, & Apostolorum. Probatur primò. Baptismus Ioannis ab ipso Ioanne institutus erat; non ergo erat Sacramentum præsertim nouæ legis. Consequẽtia patet, quia nullus homo purus Sacramenta instituere potest, præsertim nouæ legis, vt suprà ex testimoniis etiam aduersariorum probauimus. Antecedẽs probatur, quia in Scripturis passim vocatur Baptismus Ioannis, vt Matth. 3. *Videns Ioannes multos venientes ad Baptismum suum.* Matth. 21. *Baptismus Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus?* Similiter legimus Marci 11. Luc. 20. Actor. 1. 18. & 19. Ista autem denominatio non potest significare Ioannem ministrum tantùm fuisse eius Baptismi, sed etiã auctorem; alioqui Baptismus Christi potuisset etiam vocari, Baptismus Petri, Pauli, Philippi, & aliorum; quod tamen Scriptura diligenter cauit, ne viderentur illi auctores Baptismi, vt Augustinus notauit lib. 5. de Baptismo, cap. 13. & alibi.

DICES; At Baptismus Ioannis à Deo, non ab ipso institutus videtur. Sic enim ipse ait, Ioan. 1. *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit.* Respondeo cum Augustino loco citato cap. 9. & 13. & cum Tertulliano libro de Baptismo, vbi tractat illam quæstionem à Christo propositam, an baptismus Ioannis esset de cœlo, an ex hominibus; Baptismum Ioannis à Deo fuisse institutum, sed mediante ipso Ioanne. Deus enim solùm in genere inspirauit, & inspiratione illa mandauit, vt baptizaret; sed ritum in particulari, quo baptizandum esset, ipse Ioannes instituit, non à Deo præscriptum accepit. Vnde meritò dicitur proprius Ioannis Baptismus.

SECVNDÒ: In Baptismo non sola aqua est de essentia ritus, seu Sacramenti, sed etiam inuocatio Trinitatis, vt suprà probatum est: nec dissentiunt aduersarij saltem in praxi, cùm etiam ipsi ita baptizent. At baptismus Ioãnis non habuit inuocationem Trinitatis; non igitur est idem Sacramentum cum baptismo Christi. Assumptio probatur, quia licet Centuriatores, Cent. 1. lib. 2. cap. 6. col. 496. affirment Ioãnem baptizasse in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti: tamen neque Scriptura, neque vlla Patrum traditio id docuit. Non possumus autem in eiusmodi rebus, nisi valde temerè aliquid fingere sine testimonio Scripturæ, aut traditionis. Fuerunt quidem, qui existimarent, Ioannem in suo baptismo vsum forma quadam verborum, nimirum, In nomine venturi Messiæ, idque propter illa verba Pauli Actor. 19. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, In eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent. Ita enim docet Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. Hieronymus in cap. 2. Iohelis, & Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, par. 6. cap. 6. Sed isti ipsi, præsertim duo posteriores, monent Ioannem non baptizasse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & propterea non fuisse illud perfectum Sacramentum. Adde, quòd valde probabile est Ioannem nulla omnino forma verborum vti consueuisse. Illa enim verba Pauli non videntur significare Ioannem baptizasse in nomine venturi, sed tantùm admonuisse populum, vt crederent in venturum Messiam. Nam etiam Christum baptizauit Ioannes eo ritu, quo cæteros; & certè ridiculum fuisset, Christum baptizasse in nomine venturi.

TERTIÒ, Baptismus Christi est Sacramentum noui Testamenti; ergo institutum ab ipso auctore noui Testamenti. Neque id negare possunt aduersarij: nam Philippus in locis anni LVIII. tit. de numero Sacramentorũ, dicit Baptismum, & Cœnam Domini, & Ablutionem esse Sacramẽta instituta in prædicatione Christi, ac proinde esse Sacramenta propriè dicta. Et Kemnitius in definitione Sacramenti propriè dicti, tertiam conditionem posuit, vt in nouo Testamento sit institutum, & mandatum. At Ioannis Baptisma non fuit in prædicatione Christi institutum, nec à Christo mandatum, sed à Ioanne, antequam inciperet noui Testamenti auctor prædicare: non igitur est Sacramentum noui testamenti, & multò minùs idem cum baptismo Christi.

QVARTÒ, Baptismus Christi iterari non potest, vt omnes hoc tempore Catholici, & hæretici docent, præter Anabaptistas. At baptizati à Ioanne iterum ab Apostolis iussi sunt baptizari: non igitur erat ille Christi baptismus, quem Ioannes ministrabat. Huius argumenti assumptionem negant Caluinus, & alij: sed ea probatur in tertia propositione.

CAETERVM Kemnitius negaret consequẽtiam admissa assumptione. Existimat enim ipse, vt suprà diximus, potuisse baptizari Christi baptismo eos, quos Ioannes baptizauerat; quia licet ministerium sit idem, quoad substantiam, tamen differt quoad significationem. Distinguit enim Kemnitius tria, quæ idem efficiebant sub diuersa significatione, Circuncisionem, Baptismum Ioannis, & Baptismum Christi: quorum Circuncisio significabat Messiam venturum: Baptismus Ioannis, Messiam iam esse in via, & venire: baptismus Christi, Messiam venisse. Inde colligit, quòd sicut circuncisi debuerunt veniente Ioanne baptizari eius baptismate, vt profiterentur se credere Messiam iam venire, licet essent iustificati per Circuncisionem: sic etiam baptizati à Ioanne debuerunt postea Baptismo Christi baptizari, vt profiterentur se credere Messiam venisse, licet iam essent iustificati baptismo Ioannis.

AT contra has Kemnitij argutias nos obiicimus in primis Augustinum, qui lib. 5. de baptismo, cap. 9. eam consequentiam facit, quam nos facimus, & quam Kemnitius negat: *Baptizatos*, inquit Augustinus, *à Paulo eos, qui iam baptismo Ioãnis baptizati fuissent, legimus in Actibus Apostolorum, non ob aliud, nisi quia baptismus Ioannis non fuerit Christi Baptismus.* Præterea, si ratio Kemnitij valeret, probaremus etiam baptizatos ab Apostolis ante Christi passionem, & resurrectionem, debuisse iterum baptizari post resurrectionem. Nam baptismus Christi ante eius passionem, significabat Christi passionem futuram, postea verò significare cœpit Christi passionem præteritam.

CAPVT XXI.

Baptismum Ioannis non habuisse eandem vim, & efficaciam, quam habet Baptismus Christi.

SECVNDA propositio: *Baptismus Ioannis non habuit eandem vim, & efficaciam, quam habet Baptismus Christi.* Nota, non esse quæstionem, an baptismus Ioannis potuerit remittere peccata ex deuotione, & fide accedentium, vel etiam ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus, & baptismo Ioãnis. Id enim facilè fieri potuit, & sic acceperunt illa verba Marci 1. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: quidã Patrum, vt Basilius lib. 1. de Baptismo, cap. 2. & frater Basilij Gregorius Nyssenus in oratione de laudibus Basilij, & auctor quæstionum noui Testamenti, quæstio 29. in tomo 4. operum S. Augustini. Ipse etiam Augustinus lib. 5. de baptismo, cap. 10. licet existimet illa verba aliter accipienda, tamen non existimat cõtentiosè resistendum iis, qui docent baptismum Ioannis aliquo modo remisisse peccata, modò fateantur magnũ esse discrimen inter baptismum Christi, & Ioannis. Tota igitur quæstio est, an baptismus Ioannis fuerit efficax, vt Christi baptismus, ita vt si baptismus Christi peccata remittat vi sua, seu ex opere operato (vt nos suprà probauimus) idẽ etiam tribuendum sit baptismo Ioannis.

AC aduersarij quidem eandem efficaciam, & eũdem effectum tribuunt vtrique baptismo. Concilium autem Tridentinum sess. 7. can. 1. de Baptismo contrarium statuit, his verbis: *Si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Quæ quidem veritas probatur primò ex Scriptura. Nam Marci 1. Ioan. Baptista distinguit suũ baptisma à Christi baptismate, quòd ipse baptizet in aqua, ille in Spiritu baptizaturus sit: *Ego baptizaui vos in aqua, ille vos baptizabit Spiritu sancto.*

RESPONDENT ad hunc locum aduersarij, Philippus, Caluinus, & Kemnitius locis notatis, Ioannem Baptistam distinguere voluisse hoc loco ministerium externum, quod sibi conueniebat, ab interno ministerio, quod est solius Christi. Itaque dicunt in baptismo Ioannis datam fuisse remissionem, sed à Christo per ministerium Ioannis. Et adducit Kemnitius similem locum, ex priore ad Corinthios, capite 4. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.*

SED facilè refellitur hæc solutio, quia Ioannes de suo ministerio loquitur in præterito tẽpore: de Christi operatione in futuro: *Ego baptizaui vos aqua, ille vos baptizabit Spiritu sancto.* Non igitur per ministerium Christus dedit remissionem: tũc enim dixisset, Ego baptizaui aqua, ille baptizauit Spiritu sancto: sicut Paulus in loco citato à Kemnitio, non dixit, Ego plãtaui, Apollo rigauit, Deus incrementum dabit, sed, *Deus incrementum dedit.* Porrò apud alios Euangelistas Matthæi cap. 3. & Luc. cap. 3. de se Ioannes dicit, in præsenti: *Ego baptizo vos aqua*, de Christo, semper in futuro: *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igne.*

HANC nostram solutionem conatur Kemnitius oppugnare duobus modis. Primò dicit, pag. 191. per baptismum Christi in Spiritu sancto, & igni intelligi donorũ visibilium effusionem, quæ facta est in die Pentecostes. Id probat tum ex vocabulo ignis, tũ ex testimonio Christi, & Petri, qui vsurparunt eandẽ phrasim Ioãnis. Christus enim Actor. 1. dixit Apostolis: *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Et Petrus Acto. 11. *Recordatus sum*, inquit, *verbi Domini, sicut dixit: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Non igitur opponitur baptismus Ioannis baptismo Christi: sed baptismus aquæ, in quo non datur visibiliter Spiritus sanctus, opponitur illi effusioni donorum visibili, quæ sine aqua fiebat in primitiua Ecclesia post baptismum, cùm Apostoli manus imponebant.

HÆC prima solutio non est sufficiens. Nam inprimis vox, ignis, non impedit, quò minùs intelligantur verba Ioannis: *Ille baptizabit in Spiritu sancto, & igni*, de Baptismi Sacramento. Nam omnes ferè interpretes ita intelligunt, ac dicunt additum esse vocabulum ignis, quia post baptismum Christi, sequitur ignis tribulationis, & ignis diuini Iudicij, & ignis Purgatorij: & in primitiua Ecclesia dabatur post baptismum Spiritus sanctus in forma visibili ignis per impositionẽ manuum Apostolorũ. Vide Hilariũ, Hieronymũ, & Chrysostomũ in cap. 3. Matthæi, Ambrosium, & Bedam in ca. 3. Lucæ. Quod autẽ attinet ad verba Christi, & Petri, non est certum, eodem sensu illa verba dicta fuisse à Ioanne Baptista, & à Christo. Potuit enim Dominus alludere ad verba Ioannis, & tamen in alio sensu illa proferre, vt frequentissimè facit S. Bernardus in verbis Scripturę vsurpandis, vt etiam S. Paulus verba Epimenidis ad Tit. 1. citauit in alio sensu, cùm ait: *Cretẽses semper mendaces: hoc testimonium verum est.* Quocirca Patres, vt dixi, verba Ioannis exponunt de Sacramento baptismi Christi, verba autem Christi & Petri nõ possunt exponi, nisi de missione Spiritus sancti.

DEINDE, si admittamus & Ioannem, & Christum cum Petro, eodem sensu verba illa protulisse; tum dicemus secundum Scripturas tria baptismata distingui. Vnum, in aqua solùm, & hoc erat Ioannis, quod in Scriptura perpetuò ita dicitur in aqua, vt distinguatur contra baptismum in Spiritu. Alterum, in Spiritu, & igni solo, id est, non in aqua, & hoc est visibilis missio Spiritus sancti, quæ quidem non continet solùm visibilem illam speciem linguarum ignearum, sed etiam internam charitatem, & gratiam à Spiritu sancto infusam, quæ per illa externa symbola significabatur, vt etiam admittit Kemnitius, pag. 192. Vnde baptisma Ioannis in sola aqua non solùm distinguitur contra baptismum ignis, id est, visibilis formæ ignis, sed etiam contra baptismum spiritus, id est, internæ gratiæ à Spiritu sancto infusæ. Tertium baptisma est in aqua, & Spiritu simul; & hoc est Sacramẽtum baptismi Christi, quod Ioan. 3. dicitur esse ex aqua, & Spiritu sancto. Itaque videmus verba Ioãnis, quomodocunque intelligãtur, semper distinguere baptisma Ioãnis tanquam externũ, & corporale tantùm à baptismo Christi, quod est partim spirituale, & partim corporale, cùm cõstet vel ex Spiritu, & igni, vel ex aqua, & Spiritu.

EST igitur altera solutio Kemnitij, qui cùm vidisset priorem non esse sufficientem, redit pagina 193. ad communem solutionem, quòd illud, *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni*, referatur ad operationem Christi internam in ipso Ioannis baptismo. Et quia huic sensui videtur repugnare illud futurum (*Ipse vos baptizabit*) conatur ostendere Kemnitius, eandem Scripturam loqui de operatione Christi etiã in præsenti, immò & in præterito tempore. Itaque citat illa loca Ioannis 1. *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Vbi in præsenti dicitur, *baptizat*, & tamen tunc non baptizabat per se, nec per discipulos; ergo per Ioannẽ baptizabat. Item ibidem: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Vbi in præterito dicitur: *Accepimus*, ergo operabatur Christus interna operatione, etiam antequam inciperet per discipulos baptizare. Denique Matth. 3. vt intelligeremus non esse sine efficacia Baptistæ ministerium; apparuit eo baptizante Spiritus sanctus in forma columbæ. Addit etiam verba Angeli, Lucæ 1. *Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Ex quo perspicuum esse dicit, non fuisse inefficax Ioannis ministerium.

SED hæc nullo negotio refutantur. Nam inprimis nunquã reddit causſam Kemnitius, cur in futuro dixerint omnes Euangelistę, *Ipse baptizabit*, si operabatur interius Christus illo ipso tempore, quo Ioannes exterius.

DEINDE loca allata non faciunt ad rem. Illud enim, *Hic est qui baptizabat in Spiritu sancto*, nõ significat, quòd tunc Christus baptizaret, cùm Ioannes ita loquebatur; sed significat, quòd Christus, quando baptizat, in Spiritu sancto baptizat, non in sola aqua, vt Ioannes, sicut rectè exponit Augustinus tracta. 13. in Ioannem, & alibi. Similiter etiam, cùm ibidem Ioannes ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, significabat, Christum sublaturum peccata mundi, cùm instar agni immolaretur in cruce, non autem, quòd tunc ea tolleret, cùm Ioannes loquebatur. Illud autem: (*De plenitudine eius omnes accepimus*) significat gratiam quã præditus erat Ioannes, à Christo manasse; vt etiam gratiam omnium aliorũ Sanctorum. Sed quid hoc ad baptisma Ioannis? Nam etiãsi ob merita Christi præuisa dabatur gratia Sanctis omnibus, non tamen dabatur per baptismum Ioannis, sed alia via, & per alia instrumenta. Porrò columba, quæ apparuit, Ioanne baptizante, non testabatur efficaciam ministerij Ioannis, vt imprudentissimè, & per summam temeritatem scribit Kemnitius. Alioqui oporteret fateri in ipsum Christum fuisse efficax Ioannis ministerium: tunc enim solùm columba apparuit, cùm Christus baptizaretur. At hoc ipsum, & blasphemũ est. Non enim eguit

efficacia baptismi Ioannis, Agnus ille innocens, qui tollit peccata mundi, teste eodem ipso Ioanne. Significauit igitur columba illa Christi innocentiam, & puritatem, & quòd ipse esset, qui sanctificaret, & purgaret aquas, & per aquas & spiritum homines regeneraret.

DENIQVE verba Angeli Lucæ primo, non agunt de baptismo, sed de concionibus Ioannis. Nemo autem negat, quin Ioannes efficacissimè prædicauerit, & conuerterit plurimos ad Deum. Sed aliud est prædicatione verbi mouere corda hominum, aliud per baptismum ea purgare. De primo argumento satis.

SECVNDÒ probatur testimoniis Patrum. Origenes lib. 5. in epistolam ad Romanos, exponens caput 6. docet & probat aliquot argumentis, baptismum Ioannis non remisisse peccata, & in hoc distingui à Christi baptismo. Idem docent alij Græci. Iustinus quæst. 37. ad Orthodoxos. Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina. Ioannes Chrysostomus homil. 10. & 12. in Matthæum, & homil. 16. in Ioannem, & homil. 1. & 40. in Acta. Item auctor homiliarum in Marcum, quæ habentur in secundo tomo Chrysostomi homi. 1. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem cap. 57. vbi ex professo hoc tractat, ac dicit, Spiritum sanctum præuidisse futuros aliquando temerarios homines, qui non discernerent Christi baptisma, à Ioannis baptismate: ideóque impulisse ipsum Ioannem, vt apertissimè diceret, se solùm in aqua baptizare. Idem etiã habent Damascenus lib. 4. de fide, cap. 10. & Theophylactus in cap. 3. Luc. Denique sanctus Basilius, etiamsi lib. 1. de baptismo dicat, baptismum Ioannis dedisse remissionem peccatorum, tamen ibidem sic loquitur: *Quātò præstantior est Spiritus sanctus aqua, tantò excedit, qui baptizat in Spiritu sancto, illum qui baptizat in aqua, & ipsum adeò baptisma.* Et oratione 13. quæ est exhortatio ad baptismum, sic habet: *Ioannes pœnitentiæ baptismum præcinit, Dominus autem adoptionis filiorum baptisma longè excellentius annunciat. Item initiatorium erat Ioannis baptisma, Christi autem perfectorium. Illud à peccato auocabat, istud cum Deo coniungit & familiarem reddit.* Hæc ille. Ex quo intelligimus Basilium non tribuisse eandem efficaciam baptismo Christi, & Ioannis; immò baptismo Ioannis non tribuisse vllam vim iustificandi, nisi ratione pœnitentiæ, & contritionis. Quomodo etiam intelligi debent verba Nysseni.

IAM ex Latinis Tertullianus in libro de baptismo: *Nihil*, inquit, *præstabat cœleste baptismus Ioannis, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ videlicet præpositus.* Et infrà: *Aut daret*, inquit, *Spiritum sanctum, & remissionem delictorum, si cœlestis esset.* Vbi Tertullianus contendit, nõ fuisse cœlestem, sed humanum Ioannis baptismum, quia non dabat Spiritum sanctum, nec remissionem delictorum. Et infrà: *Agebatur itaque baptismus pœnitentiæ, quasi candidatus sanctificationis, & remissionis in Christo subsecuturæ.* Ex quo intelligemus, quomodo sint acceptanda illa verba eiusdem auctoris, initio libri eiusdem: *Neque quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit.* Nam non loquitur de toto baptismo, sed solùm de materia; ac docet non referre, qua quis aqua baptizetur. Non dissimiliter loquuntur cæteri Latini. Cyprianus in sermone de baptismo Christi. Hilarius in cap. 3. Matthæi. Optatus lib. 5. contra Parmenianum. Ambrosius in cap. 3. Luc. & idem Ambrosius in præfatione Psal. 37. baptismum Christi, vocat oculum gratiarum, quia dabat gratiam: baptismum Ioãnis, oculum suppliciorum, quia tantùm erat baptisma pœnitentiæ. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos similia habet, & in epist. 83. ad Oceanum, & in 2. cap. Ioëlis. Idem habent, Innocentius I. in epist. 22. cap. 5. Leo epist. 4. cap. 6. Gregorius homil. 7. & 20. super Euangelia. Denique Augustinus epist. 48. & 163. Enchiridij cap. 49. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 37. & lib. 3. cap. 76. lib. 5. contra Donatistas, cap. 9. 10. & 14. de vnico baptismo. cap. 7. de vnitate Ecclesiæ, cap. 18. tract. 5. in Ioannem, & alibi.

AD hæc loca non aliter Caluinus respondet, nisi more suo ea contemnendo. Sic enim loquitur lib. 4. Instit. cap. 15. §. 7. *Quare neminem perturbet, quòd alterum* (Baptisma) *ab altero* (baptismate) *discernere veteres contendunt: quorum non tanti esse nobis debet calculus, vt Scripturæ certitudinem quatefaciat. Quis enim Chrysostomo potiùs auscultet, quàm Lucæ? Nec recipienda est illa Augustini argutia, in spe dimissa fuisse peccata Baptismo Ioannis, Christi Baptismo reipsa dimitti.* At nos rectiùs dicere possumus; Quis Caluino potiùs auscultet, quàm Chrysostomo, & Augustino, & tot aliis antiquissimis, & doctissimis Patribus: Non enim quæstio est, an sit credendum Lucæ, an Patribus: sed an Lucã meliùs intellexerit Caluinus, quàm tot Patres.

PORRÒ Kemnitius in Examine loco citato tota ferè disputatione conatur ostẽdere, quæstionem istam non esse necessariam, & proinde parùm referre, vtrum hoc aut illud Patres dixerint. At non ita dicunt ipsi Patres. Nam Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, adeò non putat rem istam esse leuem, vt dicat eos, qui confundunt hæc baptismata, in peruersum dogma abire: & cùm baptismo serui plus tribuunt, quàm par est, ipsum Baptismum Domini destruere. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 37. vbi dixerat, baptismum Ioannis non esse baptismum Christi, neque vllam eius partem aut gradum, subiungit, eos, qui contrarium sentiunt, incidere in impiam & sacrilegam opinionem. Denique Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 57. temerarios vocat, qui contrà sentiunt.

SED his omissis, tertiò probatur veritas ex ipsa persona, & officio Ioannis. Erat enim Ioannes præcursor Domini, & solùm ad hoc venerat, vt pararet vias eius. Id enim prædixit Angelus Lucæ 1. *Ipse præibit ante illum in spiritu, & virtute Heliæ, vt convertat corda filiorum ad patres, parare Domino plebem perfectam.* Idem prædixit Pater eius: *Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius*, Luc. 1. Idem denique ipse testatur, adducens vaticinium Isaiæ. Ioan. 1. *Ego vox clamãtis in deserto, parate viam Domini. &c.* At certè parare viam Saluatori, non est dare salutem, & iustificare, sed disponere ad recipiendum Saluatorem, & salutem: alioqui ipse Saluator, non præcursor Saluatoris fuisset. Vnde pater eius Zacharias Luc. 1. propriè designans officium Baptistæ: *Ad dandam*, inquit, *scientiam salutis plebi eius*: non dixit, Ad dandam salutem, sed, *scientiam salutis.* Docuit enim Ioannes, quomodo esset inuenienda salus, nimirum credendo in Christum, cùm illum digito ostendit, & ait Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

CAPVT XXII.

Quòd post baptismum Ioannis necessariò percipiendus erat Christi baptismus.

TERTIA propositio: *Post baptismum Ioannis, necessariò percipiendus erat Christi baptismus.* Hæc est contra Kemnitium, qui id in dubium reuocat, & contra Caluinum, & cæteros, qui id apertè negant. Probatur primò ex verbis Ioannis, Matth. 3. Luc. 3. Marc. 1. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Si enim hîc fiat collatio Baptismi Christi, & Ioannis, apertè videmus eosdem, quos Ioannes baptizauerat, dici baptizandos iterum à Christo. Fieri autem collationem duorum baptismatum, est communis interpretum sententia, vt Ambrosij, & Bedæ in Lucam, Hilarij, Hieronymi, Chrysostomi in Matthæum, & aliorum Patrum citatorum.

SECVNDÒ, probatur ex historia Euãgelij, & Actorum. Nam vt legimus Marc. 1. & Matth. 3. ac Luc. 3. ibant ad Ioannem vt baptizarentur, tota Hierusalem, omnis Iudæa, & regiones omnes vicinæ Iordani. Itaque rari admodum

modum erãt eo tempore non baptizati à Ioanne. At post Domini Ascensionem ipso primo die Pentecostes, B. Petrus in Hierusalem prædicare cœpit necessitatem baptismi Christi omnibus hominibus: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrùm in nomine Iesu*, & baptizati sunt eo die tria millia, deinde paulò pòst quinq; millia, præter eos, quos postea baptizauit Philippus, & alij discipuli in variis locis Iudææ, & Samariæ, vt habemus Acto. 2. 4. & aliis. Igitur necesse est, vt multi à Ioane baptizati, iterum ab Apostolis baptizati fuerint. Quomodo enim credibile, vt inter tot millia, quos Apostoli in Hierusalem baptizarunt, nullus fuerit à Ioanne antea baptizatus, si verum est, quod Marcus dixit cap. 1. vniuersos Hierosolymitas à Ioanne baptizatos?

TERTIÒ probatur ex loco expresso Actorũ 19. vbi Paulus iubet baptizari in nomine Domini duodecim viros, qui confessi fuerant, se non habere nisi Ioannis baptismum.

AD hunc locum incredibile est, quot explicationes, & quàm diuersas aduersarij excogitauerint: numerantur enim vt minimũ decem apud eos diuersæ opiniones. Prima est, quòd in eo capite, semper baptismus sumatur metaphoricè, & cùm agitur de baptismo Ioannis, & cùm agitur de baptismo Christi. Ita Zvvinglius, qui in libro de vera, & falsa religione, cap. de baptismo, baptismum in capite Actorum, accipi vult pro doctrina, vt sensus sit, eos duodecim viros, qui antea solùm instituti fuerant in doctrina Ioannis, postea institui cœpisse in doctrina Christi.

SECVNDA est, quòd semper ibi accipiatur baptismus metaphoricè, sed primo loco pro doctrina, secundo loco pro donis Spiritus sancti, quæ dabantur per manus impositionem. Ita Ioannes Brentius, & Lucas Lossius, in cap. 19. Actorum.

HAE duę expositiones hoc vno argumento satis refelluntur, quòd verba historica, & apertissima sine vlla caussa detorquent ad impropriam significationem. Non enim licet, præsertim in historiis, fingere tropos pro arbitrio: alioqui nihil esset certum in vlla Scriptura.

TERTIA expositio est, accipi baptismũ Ioannis metaphoricè, atque ita illos duodecim viros tantùm semel baptizatos, idque à Paulo, non à Ioanne. Ita Henricus Bullingerus in cap. 19. Actorum.

QVARTA est contraria superiori, baptismum Ioannis accipi propriè, baptismum Christi impropriè pro doctrina, pag. 198. & 199. vbi etiam trahere conatur in hanc sententiã Ambrosium libro 1. de Spiritu sancto, cap. 3. & glossam interlinealem in cap. 19. Actorum.

QVINTA est Caluini libro 4. Institutionum 15. §. 18. Baptismum Ioannis accipi propriè, baptismũ Christi impropriè, non pro doctrina, vt dicit Kemnitius, sed pro donis Spiritus sancti.

HAE tres expositiones, præterquam quòd fingũt tropos in historia pro arbitrio, admittunt etiam fœdam æquiuocationem in eodem capite intra paucas lineas. Neque verum est, quòd Kemnitius dicit, esse hanc explicationem Ambrosij, aut glossæ interlinealis. Nam Ambrosius in cap. 3. ad Galat. & lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. apertè dicit, illos duodecim viros iussu Pauli verè & propriè fuisse baptizatos. Quod etiam admittit Kemnitius pagina sequenti; qui proinde in duabus paginis secum ipse pugnat in Ambrosio citando. Glossa autem interlinealis, solùm dicit non fuisse eos viros rebaptizatos. quòd congruerent verba Pauli cum doctrina Ioannis. Vbi non negat glossa, fuisse eos viros iussu Pauli verè baptizatos; sed negat fuisse illum Anabaptismum. Anabaptismus enim est repetitio eiusdem Baptismi: illi autem non fuerunt eodem baptismo bis tincti, sed diuersissimis. Intellexerant enim ex verbis Pauli alium fuisse baptismum Ioannis, alium Christi, & hoc ipsum docuisse etiã Ioannem.

SEXTA expositio est, quòd in eo capite semper accipiatur Baptismus propriè, sed non agatur nisi de baptismo Ioannis, Siquidem illa verba (*His auditis baptizati sunt in nomine Domini*) nolunt esse Lucæ narrantis, quid egerint viri illi post verba Pauli audita, sed esse verba eiusdem Pauli narrantis, quid agere solerent discipuli Ioannis, auditis verbis eiusdem Ioãnis, prædicantis Christum venturũ: nimirum baptizabantur ab eodem Ioanne in nomine Christi venturi.

HANC explicationem recitat, & laudat vt concinnã & piam Nicolaus Selneccerus in 2. parte suę Pædagogię. Sed est quidem vtcunque argutã, at minimè pia & probabilis. Nam Paulus primò dicit Ioannem baptizasse populum, secundò addit eundem Ioannem baptizando monuisse populum, vt crederẽt in Christum venturum. Si ergo verba sequentia (*His auditis baptizati sunt*) pertinẽt ad populum, cui loquebatur Ioannes; sequetur eum populum bis baptizatum à Ioanne, aut certè Paulũ non bene rem illam narrasse: quorum vtrumque absurdum est. Deinde, vel duodecim illi viri sunt iussu Pauli baptizati baptismo Christi, vel non. Si sunt baptizati, est id quod nos contendimus: si non sunt baptizati quorsum pertinẽt illa narratio Pauli? certè superuacanea videtur. Non enim alia de caussa Paulus monuit eos, qui baptizati erant solo baptismo Ioannis, ipsum Ioannem prædicasse Christum, nisi vt intelligerent esse necessariũ præterea Christi baptismum.

SEPTIMA expositio est, nomen baptismi accipi propriè in toto illo capite, & eos duodecim viros bis baptizatos; sed ideò factũ esse, quòd non habuissent illi verum baptisma Ioannis, sed corruptum, & adulteratum, quoad formam, nimirum, sine nomine Spiritus sancti. Ita docẽt Centuriatores, Cent. 1. lib. 2. cap. 6. colum. 496. & Bucerus in cap. 3. Matthæi. Fauet autem non parùm Ambrosius huic sententiæ. Nã in cap. 3. ad Galat. & lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. dicit eos, quos Paulus baptizari iussit Act. 19. non fuisse baptizatos antea vero baptismo Ioannis, sed baptismo quodam qui Ioannis diceretur, sed non esset.

HAEC expositio nititur falso fundamento, quòd nimirum Ioannes baptizarit in nomine Trinitatis, aut certè in nomine Christi venturi, quod (vt suprà diximus) non est verum. Porrò Ambrosius dicit quidem illos duodecim viros non habuisse verum Ioannis baptismum, sed non dicit, si habuissent verum, non fuisse iterum baptizandos, quod aduersarij contendunt: immò contrarium colligitur ex testimoniis eius. Nam in cap. 3. Lucæ apertè dicit, baptismum Ioannis fuisse in sola aqua, & pœnitẽtiæ, non gratiæ, & diuersum à Christi baptismo, qui constat aqua, & spiritu, & gratiam confert.

OCTAVA expositio est, baptismum illorum duodecim virorum fuisse corruptum, non ratione formæ, sed ratione ipsorum accedentium, qui non accesserant rectè instituti in doctrina Domini, cùm ignorarent Spiritum sanctũ, & ipsum Christi baptisma. Ita docet Otho Prunfelsius in annotationibus ad cap. 19. Actor.

REFELLITVR hæc expositio, quia ignorantia non violat baptismum. Et sanè, vt non malè dicit Caluinus hanc expositionem refellens, lib. 4. ca. 15. §. 18. Instit. non sufficerent flumina, si deberent nouo baptismo corrigi eiusmodi ignorantiæ.

NONA est, viros illos duodecim fuisse reuera rebaptizatos, sed malè, & per errorem, idque antequã Paulus eò veniret, Ita Musculus in locis, tit. de baptismo.

SED hæc expositio corrumpit textum. nihil enim in textu clarius, quàm illos Paulo audito, eiusque iussu baptizatos.

DECIMA est Kemnitij in 2. parte Exami. pag. 196. & 202. vbi dicit, locum istum esse obscurissimum,

cùm tam variè à Doctoribus exponatur: & propterea quæcunque sit vera expositio, nihil certi inde posse colligi, non enim dogmata probãda sunt ex locis ambiguis.

A

AT nos opponimus his omnibus depravationibus, Primò ipsum textũ, qui si exponatur simpliciter & propriè, & sine præiudicio alicuius præconceptæ opinionis, sine dubitatione eum sensum offeret, quem nos defendimus. Secundò, consensum vnanimem Patrum suprà citatorum, ac præsertim Augustini, qui locis citatis constanter docet, viros illos iterum baptizatos: quod idem habent omnes veteres expositores Actorum, vt Chrysostomus, Beda, & Oecumenius. Neque potest dici locus ambiguus, quia hæretici non conueniunt in eo explicando: ista enim ambiguitas non oritur ex natura rei, id est, ex libri obscuritate, sed ex eorum pertinacia in suis erroribus defendendis. Alioqui etiam Patres non conuenirent, si esset locus verè ambiguus; & si ambigua dicenda essent omnia loca, in quibus aliqui non conueniunt, nihil omninò ex Scripturis probari posset: nulla enim sunt loca, in quibus non possit vnus ab alio dissentire, si velit pertinaciter agere.

B

CAPVT XXIII.

Soluuntur obiectiones.

ARGVMENTVM primum est Caluini in Antidoto, & in Instit. locis suprà notatis. Eadem fuit doctrina, idem ritus, eadem gratiæ oblatio in baptismo Ioannis, & Christi; igitur idem baptismus erat, & eiusdem efficaciæ. Antecedens probat. Nam Ioannes, quod attinet ad doctrinã, prædicauit, Christum esse hostiam pro peccatis nostris, cùm ait Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, quæ certè est summa totius doctrinæ Christianæ. Quantum ad ritum, baptizauit in aqua, & in nomine Christi, vt patet Act. 19. Denique quantum ad oblationem gratiæ, vtrique in pœnitentiam, vtrique in remissionem peccatorum baptizarunt, vt patet de baptismo Ioannis, Luc. 3. & de baptismo Christi, Actor. 2.

C

RESPONDEO, hoc argumentum est fundamentum præcipuum aduersariorum, & eo vtuntur etiam Kemnitius, & Philippus, & alij, sed tamen non difficulter solui potest. Nam quòd attinet ad doctrinam, in duobus errant aduersarij, id est, in antecedente, & consequentia argumenti. Siquidem non est verum, eandem fuisse doctrinam Ioannis & Christi, nisi in eo sensu, quòd nihil contrarium docuit Ioannes Christo. Alioqui enim Ioannes nihil docuit de resurrectione Christi, immò etiam neque expressè de passione. Nam quod vocauit illum agnum Dei, potuit referri ad innocentiam, & mansuetudinem, etiam si victima non fuisset. Deinde doctrina nihil facit ad Sacramenti essentiam, & veritatem; alioqui hæretici, qui habent falsam doctrinam, haberent falsa Sacramenta, qui est error Donatistarum, & à Caluino etiam, & Lutheranis reiicitur. Sicut igitur diuersitas doctrinæ non facit diuersum baptisma, ita nec doctrinæ similitudo facit, baptisma esse vnum vel simile.

D

QVOD attinet ad ritum, iam suprà ostendimus, non fuisse similitudinem, nisi in materia.

QVANTVM ad oblationem gratiæ, falsum est quod Caluinus dicit: *Vtrique in pœnitentiam, vtrique in remissionem peccatorum baptizarunt*. Nam Ioannis baptismus passim dicitur, baptismus pœnitentiæ, vt Matth. 3. Marci 1. Luc. 3. Acto. 13. & 19. At baptismus Christi nusquam dicitur baptismus pœnitentiæ, sed lauacrum regenerationis, Tit. 3. Quod autem obiicitur ex Acto. 2. non conuincit. Nam Petrus nõ dicit baptismum Christi esse baptismum pœnitentiæ, id est, quod ad pœnitentiam prouocet, vt faciebat baptismus Ioannis; sed dicit requiri pœnitentiam, vt dispositionem ante ipsum baptismum. Sic enim ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*. Itaque pœnitentia contrario modo se habet ad baptismum Christi & Ioannis: nam baptismum Ioãnis sequitur pœnitentia, vt eius effectus; baptismum Christi præcedit, vt eius dispositio. Quod autem attinet ad remissionem peccatorum, illa tribuitur baptismõ Christi, vt immediatus eius effectus. Actor. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrũm in remissionem peccatorum*. Et Ephes. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum, &c.* At baptismo Ioãnis nusquam tribuitur remissio peccatorum, vt effectus immediatus, & proximus: solùm enim proferre possunt aduersarij illa verba Marci 1. & Lucæ 3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Ibi autem non tribuitur remissio peccatorum baptismo, sed pœnitentiæ, ad quam prouocabat baptismus.

EST enim sensus eius loci; Ioannes prædicabat baptismum pœnitentiæ, id est, quòd incitabat, & inuitabat ad pœnitentiam, quam pœnitentiam qui agerent, vt oporteret, consequerentur remissionem peccatorum. Atque ita exponunt, qui plurimum tribuunt Ioannis baptismo, vt Basilius & Nyssenus suprà citati. Nam alij, vt Tertullianus in lib. de baptismo. Augustinus lib. 5. contra Donatistas, cap. 10. Gregorius homil. 20. in Euang. & Beda in cap. 3. Lucæ, illa verba, *In remissionem peccatorum*, referunt ad baptismum Christi, non Ioannis: dicunt enim Ioannem baptizasse in pœnitentiam, & simul prædicasse Baptismum Christi futurum in remissionem peccatorum.

SECVNDVM argumentum Kemnitij, pag. 183. Apostolus Ephes. 4. per gradationem ostendit in nouo Testamento, vbi vnum est corpus, vnus spiritus, vna spes vocationis, vnus Dominus, vnus Pater, vna fides; ibi etiam vnum esse baptisma. At illa omnia erant tempore prædicationis Ioannis Baptistæ; igitur idem tunc erat baptisma.

RESPONDEO, si hoc argumentum valeret, probaret etiam tempore Moysis, & Dauidis fuisse Christi baptismum: nam tunc erat idem vnum corpus Ecclesiæ, eadem spes, eadem fides, idem Deus, &c. Præterea probaret hoc argumentum, apud hæreticos non esse verum Christi baptisma; non enim apud eos est vnum corpus, vnus spiritus, vna fides, &c. Non igitur Apostolus probat idem esse baptisma, vbi est idem Deus, eadem fides, &c. sed probat debere Christianos seruare cum omni diligẽtia vnitatem spiritus in vinculo pacis, quia sunt vnum corpus: & vnum spiritum, vnum Deum, vnam fidem, vnam spem, vnum baptismum habent.

TERTIVM argumentum, quod maximè Kemnitiũ mouit, ibidem pag. 183. tale est. Quia ea est suauissima cõsolatio omnium Christianorum, quòd vnum & idem baptisma habeant cum suo capite Christo. At hæc tota consolatio perit, si non est idem baptisma Ioannis cum Christi baptismo: Christus enim Ioannis baptismo baptizatus est, nos autem baptismo Christi.

RESPONDEO, nõ est bona cõsolatio, quæ vel gloriã Christo detrahit, vel etiam contumeliam & iniuriam irrogat: baptismum autem Christi ipsi Christo tribuere vix possumus sine eius iniuria. Nam cùm sit lauacrum regenerationis, & adoptionis filiorum; si is Christo tribueretur, videretur indiguisse regeneratione & adoptione; quæ certè est maxima in Christum blasphemia, cùm sit ipse Filius Dei naturalis, & ab ipsa Conceptione sanctissimus semper, & plenus gratia fuerit, ita vt gratia crescere in eo non potuerit.

DICET fortè cum Magistro suo Luthero in cap. 3. ad Galat. & in homil. de baptismo, Christum fuisse quidem in se sanctum, tamen quia suscepit peccata nostra, fuisse etiam ratione eorũ peccatorum, furem, latronem, homicidam, denique maximum peccatorem totius mũdi; & sic indiguisse baptismo in remissionem peccatorum præ omnibus hominibus, quia propter omnes homines. At ista omnia sunt meræ blasphemiæ in Christũ.

Nam

Nam etiamsi Christus susceperit in se onus peccatorum nostrorum, tamen non potest verè ipse denominari fur, latro, homicida, peccator, vt impudenter eum vocat Lutherus sine vllo exemplo Scripturæ, aut Patrum: non enim dicitur fur, qui soluit debitum, quod fur debebat, sed qui furatur rem alienam. Pari ratione peccata nostra Christus purgauit operibus virtutum suarum, non vi alicuius Sacramenti ab alio sibi ministrati.

DICES, potuit Christus accipere suum baptisma, non ad effectum regenerationis & adoptionis consequendum, sed aliqua alia de causa, quomodo accepit Circumcisionem, qua non indigebat, & baptismum Ioannis, quod fuit baptisma pœnitentiæ, cùm tamen ipse non egeret pœnitentia; & denique quomodo accepit Eucharistiam, qua similiter non indigebat.

RESPONDEO, quidquid de hoc sit, certè magis gloriosum fuit Christo, non accipere suum Baptisma, quàm accipere. Dum enim Baptismum confert, & non accipit, Imperatorem se, & principẽ huius militiæ ostendit, quippe characterem suum in aliis imprimit. At si acciperet, videretur etiam ipse ad militiam adscribi. Denique maior nobis consolatio esse debet, quòd per Baptismum Christum induamus, & similitudini mortis eius configuremur, quàm si cùm illo simul ablueremur.

QVARTVM argumentum ibidem; Christus cùm baptizaretur à Ioanne, contactu carnis suæ sanctificauit aquas; & præterea adesse voluit visibiliter præsentiam Spiritus sancti in specie columbæ, & sonare vocem gratiæ, & beneplaciti diuini, quæ inuisibiliter adsunt in nostro baptismo; non igitur diuersa sunt Baptismata, illud & nostrum.

RESPONDEO, Patres varias causas attulisse, cur Christus à Ioanne baptizari voluerit. Prima est, ad exemplum humilitatis, vt ipse ait, Matth. 3. *Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam*. De qua causa vide Augustinum in Enchirid. cap. 49. & Bernard. serm. 4. de Epiphania. Secunda est, vt confirmaret Baptismum Ioannis tanquam bonum, & Deo gratum, vt docet Hieronymus in cap. 3. Matth. Tertia, vt ostenderet quanti facere debeant peccatores Baptismum Domini sui, quando ipse Dominus, & iustus, tanti fecit Baptismum serui sui. Ita Augustinus tractatu 4. & 13. in Ioannem. Quarta, vt lauaret nostra crimina in Iordane; vt canit Ecclesia in die Epiphaniæ; & vt scribit Nazianzenus oratione in sancta lumina, vt veterem Adamum suffocaret in aquis, & nouum emergere faceret. Quod quidem fecit, vt suprà diximus, non vi Baptismi accepti, sed merito humilitatis suæ. Quinta, vt ipse in sua persona figuraret Baptismum nostrum, & gratiam, quam in eo accipimus, vt docet Augustinus lib. 15. Trinit. c. 26.

SED Præcipua fuit, vt Baptismum salutarem institueret, & consecraret. Instituit enim sanctificando aquas tactu carnis suæ, vt suprà ostendimus ex Ambrosio, & Beda, in cap. 3. Lucæ; ex Chrysostomo, & Hieronymo, in cap. 3. Matthæi, & ex aliis multis Patribus: & simul figuratè ostendit effectum Baptismi sui, dum cœlum aperiri voluit, & Spiritum sanctum descendere, & vocem audiri, &c. vt patet ex Hilario in c. 3. Matth. Sed quid ista faciunt pro Kemnitio? immò quomodo non pugnant cum Kemnitio? Nam antequam Dominus baptizaretur, nunquam apparuit columba, neque audita est vox de cœlo, neque sanctificatæ sunt aquæ; & tamen idem erat Baptismus Ioannis cum eo, qui postea fuit: Non igitur Baptismus quem habuit Dominus à Ioanne, idem erat cum nostro: nam illud accepit, non instituit; nostrum autem instituit, non accepit.

QVINTVM argumentum p. 119. Paulus dicit, 1. Cor. 12. Nos omnes effici vnum corpus per Baptismum. At vnum corpus efficimur non solùm inter nos, sed etiam cum Christo; igitur idẽ Baptisma habemus cum Christo.

RESPONDEO, hanc esse aliam contumeliam in Christum, quasi ille egerit Baptismo, vt fieret mẽbrum Ecclesiæ: mirum est, cur non addiderit etiam, debuisse Christum per fidem & pœnitentiam adipisci remissionem peccatorum: Respondeo igitur, Paulum loqui solùm de corpore, non de capite. Nos enim membra Christi & proinde vnum corpus Christi efficimur per Baptismum, quia hoc Sacramento regeneramur, & annectimur Christo. At ipse caput nostrum factum est, non per Baptismum, sed per gratiam vnionis hypostaticæ. Quemadmodum etiam filij Adæ, & quasi corpus eius efficimur per carnalem generationem; ipse autem non fuit factus caput omnium hominum per carnalem generationem, sed per creationem, & gratiam Dei singularem.

SEXTVM argumentum. Vnum corpus sumus, non solùm nunc inter nos, sed etiam cum illis, qui erant prædicante Ioanne, & baptizante, antequam Dominus baptizare inciperet. Atqui vnum corpus efficimur per vnum Baptisma.

RESPONDEO, semper Ecclesiam fuisse vnum corpus mysticum, non tamen semper eodem Sacramento adiungebantur homines huic corpori, sed aliquando per Circumcisionem, aliquando alio modo, nunc autem post Christi tempora, per Baptismum. Itaque tempore Ioannis erant illi vnum corpus per Circumcisionem, non per Baptismum Ioannis, aut Christi; Paulus autem loquitur de tempore suo.

SEPTIMVM argumentum contra solutionem præcedentis. Etiam tempore Pauli multi erant vnum corpus Christi, qui tamen non habuerant nisi Baptismum Ioannis. Nam Apostoli non sunt baptizati, nisi Baptismo Ioannis, excepto Paulo. Similiter Apollo quidam Act. 8. non nouerat, nisi Baptisma Ioannis, & tamen non est coactus rebaptizari. Denique ipse etiam Baptista non fuit à Christo, vel à discipulis eius baptizatus.

RESPONDEO, Apostolos baptizatos Christi Baptismo scribunt & probant, Tertullianus in lib. de Baptismo, & Augustinus epist. 108. ad Seleucianum, & li. 3. de origine animæ, ca. 9. Nam cùm Dominus Io. 3. tam apertè pronunciauerit, neminem saluandum sine Baptismo, non debet dubitari, quin illi omnes Baptismum Christi acceperint, quos post ea tempora vixisse, & ad Ecclesiam Christi aggregatos constat, etiamsi id nusquam scriptum sit. Alioqui negabimus etiam Romanos, Galatas, Ephesios, Philippenses, Timotheum, Titum, Philemonem, & alios ad quos Paulus scribit, fuisse baptizatos, quia nusquam scriptum legimus, quando, & à quibus baptizati fuerint. Idem dici potest de Apollone, quem baptizatum fuisse Christi Baptismo, affirmant Chrysostomus & Oecumenius in c. 18. Act. Denique de Ioanne Baptista, sicut non scriptum est baptizatum à Christo, ita neque contrarium scriptum est. Et coniectura non leuis est, eum fuisse à Christo baptizatum: quoniam ait, Matth. 3. *Ego à te debeo baptizari*.

SED quidquid de hoc sit, certum est eum à Christo saltem spiritu baptizatũ, vt affirmant Nazianzenus oratione in sancta lumina, & Hieronymus, atq; auctor operis imperfecti apud Chrysostomum in ca. 3. Mat. Quòd si non fuit baptizatus aqua Ioannes, non est mirum, quia mortuus est, antequã lex de Baptismo Christi obligaret.

CAPVT XXIIII.

De cæremoniis Baptismi.

DE cæremoniis baptizandorum copiosè scribit Thomas VValdensis, tomo 3. de Sacramentalibus, tit. 5. ca. 45. & sequentibus septem, contra Ioan. VViclefum, quionines ferè Ecclesiæ Catholicæ ritus, & cæremonias circa Baptismum reiiciebat. Easdem cæremonias fusè tradunt, & explicant, Ordo Romanus, Alcuinus in libro de diuinis officiis, cãpit. de

Sabbatho sancto; Amalarius lib. 1. de officiis Ecclesiasticis, & Rabanus lib. 1. de institutione clericorum; & ex veteribus Cyrillus in Catechesibus, & Ambrosius in lib. de sacramentis.

EOSDEM ritus, paucissimis exceptis, damnant etiam hæretici huius temporis, ac præsertim Ioan. Caluinus, li. 4. Inst. c. 15 §. 19. & Illyricus Cent. 1. lib. 2. cap. 6. & Cent. 2. c. 6. qui tamen non aliud argumentum proferunt, nisi quòd ritus isti non sint in diuinis literis, neque præcepto, neque exemplo commendati.

NOS autem illis duo obiicimus. Primò, quod ipsi etiam aliquid præscribant in administratione Baptismi, quòd in sacris literis non inuenerunt. Nam in libello de formula Sacramentorum ministrandorum, præscribit Caluinus, Primò, vt infans adferatur ad Baptismum die Dominico, aut certè alio die, quo populus in Ecclesia ad concionem conuenit, vt coram populo fiat Baptismus: Secundò, vt qui infantes adferunt, interrogentur, an spondeant se infantes illos, cùm adoleuerint, instituturos in doctrina fidei, & morum; & sponsione facta pergatur in Baptismo. Tertiò, vt nomen imponatur infanti baptizando. Quartò, vt forma Sacramenti pronuncietur lingua patria. Quintò, vt recitetur Symbolum, & Oratio Dominica, aliæque preces. At nihil horum in Scriptura inueniet. Lutherani addunt etiam abrenunciationem Satanæ, & pomparum eius, vt patet ex agenda Saxonica, & aliis similibus. Vnde Illyricus etiam non audet reiicere abrenunciationem, Cent. 1. lib. 2. c. 6. col. 497. & ipse etiam Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 219. examinans canonem 7. de Baptismo, fatetur inter baptizandum proponendam esse abrenunciationem. Denique Lutherus in suo Catechismo voluit etiam pingi signum crucis in fronte, & pectore baptizandi. Ego verò optarem aliquid horum demonstrari testimoniis, vel exemplis diuinarum literarum. Nam Scripturæ recensent Baptismum multorum millium, Actor. 2. & 4. Item Eunuchi Reginæ Æthiopum, Actor. 8. Sancti Pauli, Act. 9. Cornelij, Act. 10. Lydiæ, & custodis carceris, Act. 16. & duodecim Asianorum, Act. 19. sed nulla mentio fit diei Dominicæ neque Ecclesiæ, aut frequentiæ populi, aut impositionis nominis, aut susceptorum, & sponsionis, aut precationis Dominicæ, & Symboli Apostolici, aut etiam signi crucis: quæ omnia notauerunt etiam Centuriatores, Centur. 1. lib. 2. ca. 6. col. 496. & 497. non haberi in Scripturis. Neque his repugnat, quòd oratio Dominica sit in Scripturis, & Symbolum, saltem quoad sensum. Nam in Scriptura non habetur, vt recitentur ista in Baptismo, immò nulla precatio legitur facta in tot locis Scripturæ, vbi narrantur Baptismata suprà notata. Vel igitur aduersarij reiiciant omnes omninò cæremonias, & solùm baptizent aspergendo aquam, & recitando verba, aut certè quærant alia argumenta, quibus oppugnent ritus ab Ecclesia approbatos.

SECVNDÒ, illis obiicimus testimonium veteris Ecclesiæ. Omnes enim ritus, quibus nunc vtimur antiquissimi sunt, & vel ex Apostolorum traditione manarunt, vel à sanctissimis Patribus instituti sunt, quorum auctoritas, præsertim tot seculis iam confirmata, plus apud nos valere debet, quàm nouatorum clamores, cùm ipsi nihil probare possint à nobis fieri contra sacras literas. Hoc igitur solum præstandum erit à nobis, vt adferamus pro singulis ritibus testimonia antiquitatis. Quod vt faciliùs fieri possit, distribuemus cæremonias Baptismi in tres classes. Aliæ enim præcedunt Baptismum, aliæ comitantur, aliæ sequuntur.

CAPVT XXV.

Cæremoniæ ante Baptismum sunt duodecim.

PRIMA cæremonia est, quòd Catechumeni, qui baptizari cupiunt, dant nomen suum, & ex eo tempore dicuntur competentes, seu Electi, & recipiuntur ab Ecclesia, vt instruantur, & præparentur ad Baptismum. Hinc sunt duo genera Catechumenorum (vt Rabanus docet loco notato) Vnum eorum, qui audiunt conciones, & volunt fieri Christiani, sed nondum petierunt Baptismum, & ij dicuntur Auditores, seu Audientes. Alij petunt Baptismum, & dicuntur Competentes, seu Electi. Nam S. Leo, epist. 4. c. 5. & 6. Electos vocat, vt etiam vocantur in Ordine Romano; sed Augustinus ordinariè Competentes vocat; sic enim ait, lib. de cura pro mortuis, cap. 12. *Pascha appropinquabat, dedit nomen inter alios Competentes.* Vide etiam libro 9. Confess. cap. 6. de fide, & operibus, cap. 6. & sermon. de tempore 116. qui est ad Competentes. Eodem nomine vtitur Hieronymus in epistol. ad Pammachium, de erroribus Ioan. Hierosolymitani.

SECVNDA cæremonia est, scrutinium; quo nomine significatur propriè examen & exploratio quædam, an competentes firmiter credant, & syncerè: tamen continet hoc nomen etiam Catechisinum, & Exorcismum, & omnes cæremonias, quæ fiunt ab eo die, quo nomen dederunt, vsque ad eum diem, quo baptizantur. Fiunt autem septem scrutinia, quorum principale est tertium, & fieri solet feria quarta post Dominicam quartam Quadragesimæ: tunc enim fiunt ferè omnes cæremoniæ, de quibus mox dicemus, vt patet ex auctoribus suprà citatis. Porrò hac voce scrutinij non solùm vtuntur, Ordo Romanus, Alcuinus, Amalarius, & Rabanus, sed etiam antiquiores, Augustinus, lib. de fide, & operibus, cap. 6. & Leo in epist. 4. ad Episcopos Siciliæ, c. 6.

TERTIA est, abrenunciatio Satanæ, & operum eius; quæ sæpe repetitur tum in scrutiniis, tum etiam postea paulò ante ipsum Baptismum, ac sine dubio de Apostolica traditione descendit. Nam eius meminit Clemens, li. 7. constit. cap. 41. & 42. & Dionysius Areopagita de Ecclesiastica hierarchia, cap. de Baptismo. Tertullianus, in libro de spectaculis, cap. 1. cùm inquit: *Æquam ingressi, Christianam fidem in suæ legis verba profitemur; renunciasse nos Diabolo, & pompis eius, & Angelis eius, ore nostro contestamur.* Similia habet in lib. de idololatria, & in lib. de corona militis, vbi hoc potissimùm argumento probat, non debere Christianum fieri militem Imperatoris Gentilis, ne cogatur defendere Dæmonum templa, quibus in Baptismo renunciauit.

EIVSDEM cæremoniæ apertè meminerunt Cyprianus in libro de duplici martyrio. Origen. hom. 12. in Numer. Cyrillus Catechesi mystagogica 1. Basilius in lib. de Spiritu sancto, cap. 11. & 27. Chrysostomus homil. 21. ad populum. Ambrosius, lib. 1. de Sacramentis, cap. 2. & lib. 2. c. 7. Hieronymus in cap. 6. Amos. Augustinus, lib. 1. de Symbolo ad catechumenos, cap. 1. & lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 34.

QVARTA cæremonia est, fidei professio, quam sæpius interrogati respondent, & postea etiam in ipso die Baptismi publicè pronunciant recitantes Symbolũ. Meminit huius cæremoniæ Clemens, & Dionysius locis citatis. Item Origenes, hom. 5. in Numer. Cyprianus, lib. 1. epist. 12. Cyrillus Catechesi 1. Hilarius, can. 15. in Matthæũ. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Epiphanius in Anchorato, & Augustinus li. de fide, & operibus c. 11. & lib. 8. Confess. c. 2. Vbi refert historiam Victorini baptizati, cui cùm offerrent presbyteri, vt si vellet, fidei Symbolum priuatim recitaret, maluit ille publicè ex edito loco de more fidem pronunciare.

QVINTA est, signum crucis in fronte, & pectore: in singulis enim scrutiniis, vel à presbyteris, vel à clericis imprimitur illis signum crucis. Meminit huius cæremoniæ Dionysius loco citato: Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 27. vbi ponit hanc cæremoniam inter Apostolicas traditiones, vt etiam abrenunciationem, & cætera, quæ in Baptismo fiunt. Augustinus, libro de catechizandis rudi

rudibus. c. 20. alloquens Catechumenum prima die instruendum: *Crucis*, inquit, *signo in fronte hodie tanquam in posse signandus es.* Vide eundem in epist. 118. in Psal. 36. concione 2. tractat. 3. & 36. in Ioannem, & serm. 19. de Sanctis.

SEXTA cæremonia est; Exorcismus, id est, adiuratio Dæmonum certis precibus facta, vt recedant ab homine baptizando. Hanc præter cæteras Caluinus ridet, vt inanem & fictitiam, lib. 4. Instit. cap. 19. §. 24. Sed nos facilè possumus ostendere ex libris ferè omnium veterum Patrum omnia, quæ etiam hoc tempore Ecclesia retinet de Exorcismis.

NAM In primis accepisse Ecclesiam potestatem à Deo coërcendi Dæmones per Exorcismos, testantur antiquissimi Patres, vt Iustinus in dialogo cum Tryphone: *Illi*, inquit, *per nomen Iesu Christi adiurati à nobis, parent.* Idem habet Tertullianus in lib. de corona militis, in lib. ad Scapulam, in Apologetico, c. 32. & in lib. de spectaculis, cap. de munere. Cyprianus in li. ad Demetrianum: *O*, inquit, *si audire eos, & videre velles, quando à nobis adiurantur, & torquentur: spiritualibus flagris, & orationis flagellis exire coguntur.* Similia habent, Minutius in Octauio, Lactantius, lib. 2. cap. 16. vbi etiam dicit, interrogatos nomen ab Exorcistis, Dæmones respondere, quo nomine appellentur. Cuius etiam rei meminit Beda in c. 8. Lucæ. Vide etiam eundem Lactantium, lib. 4. c. 27. & lib. 5. cap. 22. Augustinum, lib. 10. ciuit. c. 22. Denique (vt omittam infinitos alios) etiam Prudentius ita cecinit in Apotheosi contra Iudæos:

Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest.
Intonat antistes Domini, Fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes.
Has inter voces medius Cyllenius ardens
Eiulat, & notos suspirat Iuppiter ignes.

DEINDE esse in Ecclesia non solùm donum Sanctorum quorundam, sed etiam ordinarium officiũ exorcizandi, & coërcendi Dæmones, testantur Concilia antiqua, Antiochenum, can. 10. & Carthaginense IV. can. 7. & Laodicenum, can. 29. & Patres vetustissimi, vt Cyprianus, li. 4. epist. 7. & Cornelius in epist. ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium, lib. 6. hist. c. 33.

TERTIÒ, Exorcismos non fuisse quaslibet preces pro arbitrio Exorcistæ, sed certas, & præscriptas ab Ecclesia, quæ propriè dicuntur exorcismi, patet ex Concilio Carthaginensi IV. can. 7. & ex Ioan. Micrologo, lib. de obseruationibus Ecclesiasticis capit. 7. vbi etiam monet Ezorcismos non concludi, *Per Christum Dominum nostrum*, vt alias preces, sed, *Per eum, qui venturus est iudicare seculum per ignem*, quia Dæmones maximè diem vltimi iudicij timent.

QVARTÒ, ante Baptismum præmitti Exorcismos, testatur Dionysius loco notato, & Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum: *Ne despuas*, inquit, *Exorcismi curationem: est enim & ipsa natiuæ syncericatis, &c.* Cyrillus Catechesi 1. *Suscipe cœlestem thesaurum, & in Exorcismis studiosè versare.* Idem repetit pluribus in præfatione Catecheseon. Vide etiam Cyprianum. lib. 4. epist. 7. Ambrosium. lib. 1. de Sacramentis, cap. 5. Optatum, li. 4. contra Parmenianum. Augustinum, lib. de fide, & operibus, cap. 6. lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 18. vbi dicit, in tota Ecclesia esse hanc ipsam consuetudinem. Cœlestinum I. epist. 1. cap. 12. Denique Leonem I. epist. 4. c. 7. vbi dicit, secundum Apostolicam regulam Catechumenos Exorcismis scrutandos esse.

SEPTIMA cæremonia est exsufflatio, quæ quidem annectitur Exorcismis. Nam & verbis Exorcismorum pelluntur Dæmones, & cæremonia exsufflationis significatur eorum expulsio, & simul significatur afflatio boni Spiritus, quem recipiunt homines, cùm recedit spiritus malus.

AVGVSTINVS, lib. 6. contra Iulianum. cap. 2. *Ecclesia*, inquit, *filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis eueret.* Et infrà: *Id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mundi à paruulis eiicitur foras, contradicere voluisses.* Similia repetit, lib. 2. de peccato originali, cap. 40. & lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia; cap. 17. & 18. & lib. 5. Hypognostici prope finem.

AMBROSIVS, lib. de iis, qui initian. myst. c. 1. *Odorem*, inquit, *vitæ æternæ nobis inhalatum carpite.* Neq; hæc cæremonia rideri potest, nisi Dominus ipse rideatur, qui Ioan. 20. simili cæremonia vti voluit, cùm Apostolis Spiritum sanctum dedit; nam insufflauit in eos.

OCTAVA cæremonia est gustus salis. Datur enim Catechumenis gustandum sal, vt apparet ex Origene, hom. 6. super Ezechielem, & Concilio III. Carthaginensi, ca. 5. Et fortè ad hunc salem alluserit Augustinus, cùm de se puero ait, lib. 1. Confess. cap. 12. *Signabar in signo crucis eius, & condiebar eius sale.* Dabatur etiam panis benedictus loco Eucharistiæ, vt Augustinus testatur, libro 2. de peccatorum meritis, & remiss. c. 26. Quanquam, & ipsum salem datum eis loco Eucharistiæ, constat ex Concilio Carthaginensi citato.

NONA est, cùm tanguntur saliua nares & aures, & dicitur eis, Epheta, id est, adaperire. Hanc valde miratur, & conspuit Caluinus, sed eam probat, & explicat Ambrosius, lib. 1. de Sacramentis, ca. 1. & de iis, qui init. myst. cap. 1. vbi etiam adfert exemplum Domini, qui Marci 7. sputo tetigit linguam muti, & aures surdi, & dixit, Epheta. Ergo petenti Caluino, cur etiam sputo tangamus nares & aures Catechumenis, respondeamus, vt nobis dicat, cur Dominus sputo tetigit linguam, & aures muti, & surdi, Marci 7. & oculos cæci nati, Ioan. 9. Certè enim sine his cæremoniis potuit Dominus vtrumque curare.

DECIMA cæremonia est, impositio manuum ac benedictio Sacerdotalis. Huius meminit Dionysius loco notato, & Clemens, lib. 7. constit. c. 39. & Concilium IV. Carthaginense, canon. 85. Item Cyprianus referens acta Concilij Carthaginensis in testimonio Vincentij à Thibari, asserit manus impositionem cum Exorcismis præcedere debere Baptismi regenerationem. Augustinus, lib. de peccat. merit. & remiss. c. 26. *Catechumenos*, inquit, *secundum quendam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari.* Atq; hæc quidem cæremonia frequentissima est in diuinis literis. Nam & Dominus, Mat. 19. manus imponebat paruulis, & Apostoli semper ferè orationi super aliquos addebant manus impositionem, vt patet Act. 8. 9. 13. & alibi.

VNDECIMA est vnctio. Vnguntur enim Catechumeni oleo benedicto ante Baptismum, in pectore, & scapulis, vngendi postea Chrismate post Baptismum. Meminit huius vnctionis Clemens, lib. 3. recognitionum (etsi enim liber iste incertæ fidei sit, quoad dogmata, tamen antiquissimus est) *Baptizetur*, inquit, *vnusquisque vestrum in aquæ perennibus, nomine trinæ beatitudinis super se inuocato, perunctus primùm oleo per orationem sanctificato.* Chrysostomus, homil. 6. in c. 2. epist. ad Colos. *Inungitur baptizandus more athletarum, qui stadium iam ingressuri sunt.* Iustinus, q. 107. quærit cur bis inungantur Christiani, semel ante Baptismum, & iterum post Baptismum. Ambrosius quoque vtriusque vnctionis meminit, prioris quidem, lib. 1. de Sacramentis cap. 2. posterioris autem, lib. 2. canon. 7. Cyrillus vtriusque etiam meminit, prioris Catechesi 2. mystagog. posterioris Catechesi 3. mystagog. Vtriusque etiam meminit Augustinus, sermon. 206. de tempore.

DVODECIMA est, abstinentia vini, & carnium, & etiam

etiam rei vxoriæ, aliáque operapœnitentiæ, non quidem ad satisfactionem, sed vt parationes accederent ad Sacramentum baptismi, vt patet ex Cyrillo Catech. 1. Nazian. orat. in sanctum lauacrum: & Augustino, lib. de fide, & operib. cap. 6. & Concilio III. Carthaginensi, can. 85.

CAPVT XXVI.

De cæremonijs, quæ Baptismum comitantur.

IN ipso autem Baptismo hæ cæremoniæ adhibentur. Primò imponitur nomen baptizato; vbi ridiculus sanè fuit Illyricus, Cent. 1. li 2. c. 6. col. 467. qui ex eo probat Apostolorum tempore non fuisse in vsu hanc cæremoniam, quia Eunuchus Reginæ Candacis, Act. 8. semper vocatur Eunuchus, tam ante Baptismum, quàm pòst: quasi Eunuchus, sit nomen proprium personæ, & non potiùs designet vitium corporis, quod sanè Baptismo tolli non potest. Sumpta videtur hæc cæremonia ex Testamento veteri. Nam in Circuncisione imponebatur nomen paruulo, vt patet Luc. 1. de Ioanne; & Luc. 2. de Christo. Eiusdem apud Christianos meminit Dionysius Areopagita loco citato. Veteres, qui quando baptizabantur, vel in fine vitæ, vel certè valde adulti, non mutabant nomina in Baptismo, vt patet de Saulo, Act 9. & de Cornelio, Act. 10. & de Ambrosio, Augustino, & aliis: tamen cùm baptizabantur infantes, solebant patres eorum imponere nomina Sanctorum, vt modò facimus. Id patet ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium lib. 7. histor. c. 20. secundum versionem Christophorsoni. Scribit enim is Dionysius, filiis Christianorum sæpe imponi consueuisse nomina Petri, Pauli, Ioannis, &c. Idem etiam patet ex ipsis nominibus multorum veterum, vt Petri Alexandrini, & Petri fratris Basilij, Ioannis Chrysostomi, & Ioannis Cassiani, & aliorum, qui nomina Hebraica habuerunt, cùm ipsi Græci essent. Immò etiam de hac re exstat etiam canon. XXX. inter canones Nicæni Concilij nuper ex Arabico in Latinum conuersos, & editos à Francisco Turriano; in quo iubentur Christiani in Baptismo nomina imponere filiis suis, non Gentilium, sed Christianorum.

SECVNDA cæremonia est, vt habeant susceptores, à quibus de sacro fonte leuentur, & postea diligentiùs in fide instituantur. Eos vocat Dionysius Areopagita de Ecclesiastica hierarchia, cap. vlt. Susceptores; Tertullianus in li. de Baptismo, sponsores appellat. De iisdem vide Augustinum, serm. 116. de tempore, qui est tertius de Dominica Palmarum & li. 1. c. 34. de pec. merit. & remiss.

TERTIA est, consecratio aquæ, cuius meminit Dionysius, cap. de Baptismo: *Regenerationis aqua sacris inuocationibus prius consecratur.* Idem habent Cyprianus, li. 1. epist. vlt. Ambrosius, li. 1. de Sacram. cap. 5. Basilius, lib. de Spiritu sancto: can. 27. vbi dicit, hanc esse Apostolicam traditionem. Denique Augustinus, lib. 6. in Iulianum, c. 8. & homil. 27. ex lib. 50. homiliarum, & tract. 118. in Ioannem in fine.

QVARTA est, trina mersio, cuius meminit Clemens, can. 49. Apostolorum, Dionysius loco citato, Tertullianus, lib. de Corona militum, & lib. contra Praxeam. Cyrillus Cateches. 2. Basilius de Spiritu sancto, c. 27. Chrysostomus. homil. 24. in Ioan. Augustinus, serm. 91. & 201. de tempore. Obseruandum est autem Arianos abuti cœpisse hac cæremonia (vt Gregorius scribit libr. 1. epistola 41 ad Leandrum) ad suum errorem stabiliendum. Nam cùm trina mersio fieret à Catholicis ad significandas tres personas diuinas, & triduum sepulturæ Christi, vt Gregorius ibidem dicit: Ariani trina mersione vtebantur ad significandas tres naturas trium personarum. Quare & tunc Gregorio visum est, vt in Hispania vna mersio fieret & idem paulò pòst confirmauit Concilium Toletanum IV. can. 5. Nunc autem prò regionum varietate, vel vna, vel trina mersio adhibetur: neutrum enim est de essentia Sacramenti, vt Gregorius, & dictum Concilium locis citatis testantur.

QVINTA est, tempus Paschale, & Pentecostes. Etsi enim quouis tempore dari possit Baptismus, si necessitas vrgeat: tamen veteres diligentissimè seruabant hanc cæremoniam, vt solùm in Sabbathis Paschæ, & Pentecostes ordinariè baptizarent. Exstant de hac re epistolæ decretales Siricij, 1. cap. 2. & Leonis I. epist. 4. & epist. 80. & Gelasij, epist. 1 cap 12. vbi seuerissimè reprehendunt Episcopos quosdam, qui audebant extra casum necessitatis Baptismum conferre in Epiphania, aut festis diebus Martyrum: & iubent, vt seruetur antiqua consuetudo, vt solùm in Paschate & Pentecoste detur Baptismus. Esse item hanc antiquam, & vniuersalem consuetudinem, patet ex Catechesibus Cyrilli, quæ ideò in Quadragesima habitæ sunt, quia præparabant ad Baptismum in Paschate celebrandum. Item ex Hieronymo in epi. ad Pammachium, aduersus errores Ioan. Hierosolymitani, & ex illis verbis Augustini, lib. de cura pro mortuis. c. 12. *Venit Tascha, dedit nomen inter alios competentes.* Denique placuisse Deo hanc cæremoniam, intelligi potest ex miraculo, quod narrat Paschasinus Episcopus in epistola ad S. Leonem, quæ habetur ante epistolam 64. S. Leonis, Vbi dicit, in Sicilia suo tempore fuisse sacrum fontem, in quadam perexigua Ecclesia, in quodam monte sita, qui toto anno aridus manebat, & in sola Paschatis vigilia (quo tempore datur Baptismus) aquis redundabat hora baptizandi, cùm nulli canales, nullæ foueæ, nunquam aqua vicina conspiceretur. Quod autem Illyricus obiicit ex actis Apostolorum, qui non seruarunt hæc tempora in baptizando Paulo, Cornelio, & similibus: soluitur ab Ambrosio, in c. 4. ad Ephes. Vbi dicit, initio Ecclesiæ, vt populus Christianus facilè propagaretur, concessum fuisse omnibus, vt omni tempore baptizarent: tamen paulò pòst Ecclesiis constitutis, ordinem statutum fuisse, vt solùm quidam, id est, presbyteri, & certis diebus baptizarent.

CAPVT XXVII.

De cæremoniis, quæ sequuntur Baptismum.

CÆREMONIAE, quæ sequuntur Baptismum, sunt aliæ quinque. Prima videtur fuisse osculum pacis, in signum, quòd baptizatus est frater noster. Meminit huius cæremoniæ Cyprianus, lib. 3. epist. 8. ad Fidum: respondet enim quibusdam, qui existimabant non esse baptizandos infantes recens natos, & in argumentum adferebant, quia oportet osculum dari baptizato; omnes autem horrent infantem recens natum osculari. Respondet autem Cyprianus, nihil esse cur horreat Christianus osculari eum, quem Deus ipse creauit.

SECVNDA est, vnctio Chrismatis in vertice: quæ quidem introducta videtur, quia non semper adest Episcopus, qui possit continuò dare post Baptismum Sacramentum Confirmationis. Ideò enim interim vngitur à presbytero baptizatus, non quidem in fronte, sed in vertice, Chrismate ab Episcopo consecrato. Meminit huius cæremoniæ Damasus in vita Syluestri. Innocentius I. epist. 1. cap. 3. Ambrosius, lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, vbi dicit, presbyteris non licere sine Chrismate baptizare. Vbi apertè loquitur de vnctione Chrismatis, quæ datur à presbytero in vertice: nam ibidem paulò antè asseruit, Sacramentum Confirmationis non dari, nisi ab Episcopo.

TERTIA cæremonia est, cereus accensus qui datur baptizato in signum fidei, & gratiæ acceptæ, & quòd sit translatus à potestate tenebrarum ad lumen, & sortem Sanctorum. Meminit huius cæremoniæ Gregorius Nazianzenus in orat. in sanct. lauacr. & Augustinus in Psal. 65, in illud: *Transiuimus per ignem & aquam.*

QVARTA est, vestis candida, quam ferre solebant à Sabbatho sancto, vsque ad Dominicam in Albis. Meminit huius Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, ca. de

Baptismo. Ambrosius, lib. de iis, qui myst. init. cap. 7. & Augustinus, sermon. 157. de tempore, qui est 1. in Octaua Paschatis.

QVINTA cæremonia olim fuit, delibatio lactis, & mellis, seu vini, quæ tamen hoc tempore non est in vsu. Meminit huius cæremoniæ Tertullianus, libro 1. contra Marcionem: & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, vbi dicit, id fieri consueuisse in signum nouæ infantiæ in Christo. Vnde etiam in Missa Dominicæ in Albis legitur propter Neophytos illud ex epistola Petri: *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite.* Sed hæc non videtur fuisse generalis, cùm tantùm in Occidente eam viguisse scribat Hieronymus, in ca. 55. Isaiæ, in illud: *Emitte vinum, & lac.* Ieaque non mirum, si prætermissa tandem fuit; sicut etiam illa, cuius meminit Ambrosius, lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. lauandi pedes Neophytis mox à Baptismo, particularis erat quarundam Ecclesiarum, & idcircò facilè exoleuit.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

LIBER VNICVS.

DE Sacramento Confirmationis Sex Controuersiæ sunt. Prima, an sit verum, & proprium Sacramentum. Secunda, de materia. Tertia de forma. Quarta, de effectu, Quinta, de ministro. Sexta de cæremoniis. Ac, vt à Prima incipiamus, tres erunt primæ Controuersiæ partes. In Prima referemus errores de Confirmationis Sacramento. In Secunda confirmabimus veritatem. In Tertia soluemus obiectiones.

CAPVT I.

De erroribus & mendaciis circa Sacramentum Confirmationis.

HÆRETICI huius temporis ferè omnes confirmationem de numero Sacramentorum auferunt. Etsi enim anno M. D. XLVII. in conuentu Lipsiensi, Theologi Lipsienses, & VVittembergenses receperint septem Sacramenta, & nominatim Confirmationem, vt Sacramentum propriè dictum, & gratiam conferens; tamen non perstiterunt in ea Confessione. Siquidem omnes ferè eorum Doctores, & qui ante illud tempus, & qui postea scripserunt, Sacramentum Confirmationis reiiciunt.

QVIA tamen negare non possunt, fuisse in veteri Ecclesia ritum aliquem, qui diceretur Confirmatio, finxerunt ipsi, ritum illum non fuisse quidem Sacramentum à Christo institutum, sed fuisse cæremoniam quandam vtiliter ab Ecclesia introductam: quam in sex capita distinguit Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 320. Is enim accuratissimè omnium describit ordinem Lutheranæ Confirmationis. Primò dicit, paruulos in infantia baptizatos cùm peruenerunt ad annos discretionis, debere instrui in doctrina Catechismi, & vbi saltem principia didicerint, offerri debere Episcopo, qui coram Ecclesia admoneat puerum de suo Baptismo, quid acceperit, quid promiserit, &c. Secundò, debere ipsos paruulos publicè recitare confessionem fidei, & doctrinæ, quam didicerunt. Tertiò, debere interrogari de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, atque ad ea respondere. Quartò, debere moneri, vt hac professione fidei ostendant, se dissentire ab omnibus ethnicis, hæreticis, fanaticis, & profanis opinionibus. Quintò, debere graui exhortatione admoneri, vt in pacto Baptismi, & fidei professione perseuerent, & proficiendo confirmentur. Sextò, fieri debere publicam precationem pro illis pueris, vt Deus Spiritu suo sancto illos gubernare, & confirmare dignetur in hac fidei professione: & simul addi posse manus impositionem.

HANC sententiam breuiter indicauit Lutherus in lib. de Babyl. captiu. c. de Confirmatione. Nam, & negat esse verum Sacramentum; & addit posse recipi pro Ecclesiastica cæremonia, qualis est, consecratio aquæ, & aliarum rerum: non meminit autem Lutherus Catechismi, aut Examinis in ritu confirmationis, Zvvinglius in lib. de vera, & falsa religione, c. de aliis Sacramentis, negat confirmationem esse Sacramentum; & addit fuisse ritum in Ecclesia institutum ad examen puerorum, qui in infantia fuerant baptizati. Quod idem postea docuit Philippus in locis, cap. de Confirmatione Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 4. Ioan. Brentius in Confess. VVittemberg. cap. de Confirmatione, & alij.

NON sunt autem ipsi primi, qui hoc Sacramentum reiecerunt. Nam Ioan. VViclefus in 4. li. Trialogi, cap. 14. etsi non omninò videatur hoc Sacramẽtum respuere, tamen non vult posse probari ex Scripturis, & apertè reprehendit Catholicorum sentẽtiam. Immò dicit, quibusdam videri à Diabolo introductam Episcoporum Cõfirmationem cum omnibus suis ritibus: nec reprehẽdit, sed potiùs indicat, sibi placere sententiam eiusmodi. In alio etiam libro, qui fortè iam non exstat, vnctionem Chrismatis apertè reiicit, vt Thomas VValdẽsis testatur, tom. 2. de Sacramentis, c. 113. Ante VViclefum VValdẽses hæretici idem hoc Sacramẽtum reiecerunt, teste Ænea Syluio in historia Bohemica, can. 35. & ante hos omnes Nouatiani, de quibus sic loquitur Theodoretus, lib. 3. hæret. fab. *Nouatiani pœnitentiam à suo conuentu arcent penitus, & iis, qui ab ipsis tinguntur sacrum Chrisma non Præbent. Quocirca eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ coniunguntur, benedicti patres vngi iusserunt.* Cur autem Nouatiani reiecerint hoc Sacramentum, caussa non fuit aliqua ratio conuincens, aut Scripturæ testimonium euidẽs: sed quia ipse Nouatianus (vt scribit ex Cornelio Papa Eusebius, lib. 6. hist. ca. 33.) in lecto decumbẽs baptizatus fuerit sine consuetis Ecclesiæ cæremoniis, nec postea adimpleri curauit, quæ omissa fuerant, nec signaculo Spiritus sancti cõfirmatus fuit. Ob quæ, cùm malè audiret apud omnes, hoc remedium excogitauit, vt negaret, Chrismate inungi oportere homines post Baptismum. Donatistas etiã contumelioſos fuisse in sanctum Chrisma scribit Optatus li. 2. contra Parmenianum: sed non constat an Donatistæ oderint hoc Sacramentum absolutè, an tantùm, vt à Catholicis dabatur. Probabile tamen est eos hoc Sacramentum contempsisse, vt etiam Arianos, & alios multos hæreticos: qui cùm ad Ecclesiam veniebant, iubebantur sacro Chrismate inungi, vt infrà dicemus.

SED ad hæreticos huius temporis redeamus. Doctrinam suam illi tam crassis mendaciis, tantaque impudentia conuiciorum, & blasphemiarum onerant, vt planè perspicuum fiat, eos, qui hoc Sacramentum oppugnant, recipere mali spiritus plenitudine sicut è contrario, qui illud reuerenter suscipiunt, sancti Spiritus plenitudinem consequuntur.

IOANNES Caluinus in Antidoto Concilij, sess. 7. ca. 2. *Olei*, inquit, *qui faciat mentionem, nemo est ex veteribus, immò nec ex media illa ætate, quæ iam multis vitiis abundabat.* Hæc ille. Atqui meminerunt olei plurimi veterum, immò etiam vetustissimorum. Tertullianus libro 1. contra Marcionem, loquens de Sacramentis Christi, *ille*, inquit, *neque aquam Creatoris respuit, qua suos abluit, neque oleum, quo suos vngit.* Et Augustinus lib. 5. contra Donatistas, c. 20. *Si ad hoc valet, quod dictum est in Euangelio, Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleũ, vel super Eucharistiam,*

vel super capi. a eorum, quibus manus imponitur? Denique adeò clarè, & sæpe meminerũt Chrismatis, Tertullianus, Cyprianus, & Cyrillus, vt Kemnitius hoc nomine istos Patres reiiciat, & per contemptũ vocet Chrisma Cyrilliũ.

IDEM Caluinus ibidem, can.3. Tridentinos Patres, asinos & porcos vocat, cùm tamen modestissimus videri velit. Porrò in Instit.lib 4.cap.19.§.8. *Verbum*, inquit, *vnctorum est, nullam promissionem in baptismo percepisse, qua in agonibus instruantur.* Hæc ille. Atqui hoc nullus Catholicorum docet. Nam quod citat Caluinus ex epistola S. Melchiadis: *In baptismo regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam*, referendum est ad proprios effectus horum Sacramentorum. Baptismus enim propriè ad vitam regenerat, quamuis gratia illa regenerationis, valeat etiam ad peccata vitanda: Confirmatio autem propriè datur ad augmentum roboris, & ad pugnandum pro fide.

RVRSVS §.10. aliud mendacium profert, cùm ait: *Nónne se Donatistas produnt, qui vim Sacramenti à ministri dignitate æstimant?* quia nimirum dicimus, Sacramentum Confirmationis non posse conferri ordinariè, nisi ab Episcopo. At Caluinus non ignorabat, Donatistas de alia dignitate loqui consueuisse, nimirum de dignitate probitatis, & innocentiæ, non de dignitate ministerij Ecclesiastici. Alioqui etiam Caluinus Donatista esset, cùm velit baptismum non posse tribui à laico, neque à fœmina, sed solùm à publico Ecclesiæ ministro. Igitur contra mentem & conscientiam suam loquutus est, ac proinde mentitus.

IBIDEM de S.Melchiade Papa, & Martyre, cuius verba proximè citauerat, ita loquitur: *Os sacrilegum, tùne pinguedinem fœtore duntaxat anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatam, audes Christi Sacramento opponere, & conferre cum aqua verbo Dei sanctificata? At parùm hoc ipsum erat tuæ improbitati, nisi etiam præferres. Hæc sunt sanctæ Sedis responsa: hæc Apostolici tripodis oracula.* Hæc ille. Poterátne Caluinus impudentiùs blasphemare in sanctissimum virum? poterátne manifestiùs confiteri, nihil sibi esse commune cum antiqua Ecclesia? Siquidem S.Melchiadi omnis Ecclesia, quæ tunc erat, communicauit; ac de eo sic loquitur Augustinus, in epist. 162. *Qualis*, inquit, *ipsius beati Melchiadis vltima, & prolata sententia: quàm innocens, quàm integra, quàm prouida, atque pacifica?* Et infrà: *O virum optimum, ô filium Christianæ pacis, ô patrem Christianæ plebis!*

DENIQVE §. II. profert aliud mendacium Caluinus: *Ecce*, inquit, *præterita aqua, & nullo numero habita, vnum oleum in baptismo magni faciunt.* Hæc ille. Confinxit autem hoc mendacium, occasione accepta ex verbis Magistri Sententiarum, perperam expositis. Nam Magister lib.4.d.7.cap.2. dicit, Sacramentum Confirmationis esse nobilius Sacramento baptismi aliquo modo, ratione videlicet ministri, à quo datur, & ratione membri, in quo perficitur: nam Confirmatio non potest perfici, nisi in fronte, nobilissimo omnium membrorum. Hæc ita accepit Caluinus, quasi Magister contulerit vnctionem Confirmationis, quæ fit in fronte, cum vnctione baptismi, quæ fit in vertice; & proinde Sacramentum baptismi non constituerit in aqua, sed in solo oleo. At noluit intelligere Caluinus verba Magistri; ille enim confert vnctionem Confirmationis, nõ cum vnctione baptismi, sed cum ipso baptismo, qui ex aqua, non ex oleo conficitur. Confert enim inter se Sacramenta: non est autem Sacramentum vnctio in baptismate, sed aspersio aquę. At inquit Caluinus, aspersio aquæ fit etiam in fronte. Respondeo, hoc interesse inter baptismum & Confirmationem, quod Confirmatio non perficitur, nisi in fronte; aspersio autem aquæ baptismi, potest fieri in fronte, sed potest fieri etiam extra frontem; immò nunc ordinariè cùm baptizantur infantes, solùm vertici ipsorum infunditur aqua. Vt etiam Confirmatio à solo Episcopo datur; baptismus ab Episcopo dari potest, sed dari etiam potest à Presbytero: & idcircò tam ratione ministri: quàm ratione subiecti præstat Confirmatio baptismo, vt rectè dicit Magister. Quare sine vlla caussa mentitur Caluinus, Catholicos nullo numero habere aquam baptismi.

IBIDEM Caluinus dicit, se ne vnius quidem stercoris facere oleum, siue in baptismo, siue in Confirmatione. Atqui de vtroque oleo, omnes sancti, & antiqui Patres honorificentissimè semper loquuti sunt, vt suprà ostendimus in disputatione de cæremoniis baptismi, & infrà ostendemus, cùm agemus de materia Confirmationis.

IAM verò Martinus Kemnitius multa similiter habet, & mendacia, & conuicia; sed vno tantùm loco ero contentus. Igitur in 2.parte Examinis, pag.298. tria simul mendacia conglutinat. Primum est, quòd vnctio Chrismatis ex schola Montani prodierit. Secundum, quòd Tertullianus, & Cyprianus in hac re Montanistæ fuerint. Tertium, quòd Hieronymus hanc sententiam refutet in dialogo contra Luciferianos.

AT nullus vnquam auctor prodidit hanc fuisse hæresim Montani. Scribunt de erroribus Montani, Tertullianus de præscript. Epiphanius hæres. 48. Eusebius lib. 4. hist. cap. 14. Clemens Alexandrinus strom. 4. Philastrius in Catalogo. Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Montani. Augustinus hære. 26. Theodoretus lib. 3. de fabulis hæret. Damascenus in libro de centum hæresib. in nullo autem horum, vllum est verbum de hac re. Sed colligit Kemnitius, vt est solers, hunc fuisse errorem Montani, licet nemo id scripserit, quia Tertullianus fuit Montanista: & ipse est, qui scribit, Spiritum sanctum dari baptizatis per Chrismatis vnctionem. At non omnia, quæ Tertullianus scribit, ad Montani errores pertinent, licet ille in vltima ætate Montanista fuerit. Alioqui Montanistarum hæreses erunt, Christum esse Filium Dei, baptismum in aqua celebrandum, Eucharistiam in pane & vino; & alia id genus multa, quæ Tertullianus scribit.

DEINDE quanta est impudentia, S. Cyprianum Martyrem celeberrimum, Montanistam hæreticum facere? Quid, quòd ipse Kemnitius in hac ipsa re sibi non constat? nam pag.317. dicit, hunc errorem confictum ab antiquissimis Patribus, Tertulliano, Cornelio, & Cypriano. At si isti confinxerunt; non ergo à Montano id acceperunt.

DENIQVE, quòd S. Hieronymus hunc errorem refellat in dialogo contra Luciferianos, crassissimum est mendacium. Nam in eo dialogo solùm explicat S. Hieronymus, quomodo dari dicatur Spiritus sanctus per manus impositionem, cùm etiam antè in baptismo datus sit: sed neque Montanum, ac Tertullianum, neque sanctos Episcopos Cornelium & Cyprianum nominat; tantùm abest, vt eos refellat, vt mentitur Kemnitius. Neque ex eo, quòd Hieronymus dicit, in baptismo dari Spiritum sanctum, sequitur refutari sententiam Tertulliani, & Cypriani, qui dicunt dari in Confirmatione: alioqui Hieronymus refutasset etiam Lucam, qui ait, Acto.8. *Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* At nullos refutat Hieronymus: non enim negant, Lucas, & alij, in baptismo dari Spiritum sanctum, nisi in illa plenitudine, qua datur in Confirmatione.

CAPVT II.

Probatur ex Scriptura Sacramentum Confirmationis.

QVINQVE argumentis probandum est, Confirmationem esse Sacramentum verè ac propriè dictum, vt Concilium Tridentinum docet, sess.7.can.1.de Confirmatione. Primò, ex Scripturis. Secũdò, ex traditione, & testimoniis summorũ Pontificum.

Tertiò, ex testimonijs Conciliorum. Quartò, ex testimonijs Patrũ Græcorum. Quintò, ex testimonijs Latinorum.

QVOD ad primum attinet: Tria requiruntur ad essentiam Sacramenti Christiani propriè dicti. Primò promissio gratiæ. Secundò, signum sensibile cũ verbo, quod sit medium, seu organum, quo applicetur promissio. Tertiò, mandatum diuinum, quo id iubeatur ministrari. Hęc tria postulant sibi ostendi ex Scripturis in quæstione de Confirmatione, Caluinus lib.4.Instit.c.19.§.5.& Kemnitius in 2. parte Examinis, pag.276. *In hac quæstione*, inquit Kemnitius, *quæ sint illa media, per quæ credendum sit Spiritum sanctum velle efficacem esse, ante omnia petimus ex verbo Dei nobis monstrari, expressum mandatum, & promissionem diuinam: quando enim illa habemus, tunc scimus medijs illis, vtpotè diuinitus institutis, reuerenter esse vtendum: scimus etiam quid illis tribuendum sit.* Hæc ille. Itaque nihil aliud requirunt, & meritò: nã ad hæc reuocantur omnia; & omnium consensu Sacramentum est propriè dictum, vbi hæc tria inueniuntur.

AC promissio quidem, & certè amplissima habetur, Ioan.14. vbi Dominus promittit Spiritum paracletũ, qui consoletur in omnibus aduersis. Item cap.15. vbi promittit eundem Spiritum sanctum, qui faciat discipulos fortes, atque intrepidos, in testificatione veritatis: Et cap.16. vt arguat mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio, id est, qui det robur Apostolis ad arguendam infidelitatem hominum, & testificandam Christi iustitiam, & annunciandum Principem huius mundi iam esse iudicatũ. Item Lucæ vltimo: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Denique Acto.1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes, &c.* Hãc certè diuinam esse promissionem, & in Scripturis haberi, & eã promitti hominibus iam baptizatis, & iustis gratiam ampliorem Spiritus sancti, qua fiant fortes in confessione fidei, nullo modo negari potest.

IAM verò medium, seu organum, siue signum sensibile constans ex rebus, & verbis, quibus applicetur illa promissio, fuit manus impositio cũ oratione. Nam Apostoli quidem singulari miraculo, & beneficio receperunt illam gratiam promissam sine vllo medio, seu Sacramento in die Pentecostes, vt notum est ex Actorum 2. At verò cæteri recipiebant illam eandem gratiam ministerio Apostolorum per illud medium, vt patet Actor.8. *Tunc imponebant manum super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*; & antea dixerat illos venisse, vt orarent. Idem habetur Actor.19. Et quòd hoc medium sit medium, quo applicatur promissio facta de mittendo Spiritu sancto, patet ex effectu: nam cuicunque baptizato Apostoli manus imponebant, veniebat super eũ Spiritus sanctus. Denique quòd istud donum, quod dabatur tunc omnibus baptizãdis per manus impositionem, fuerit illud ipsum, quod promissum fuit Apostolis, patet ex testimonio S. Petri, qui Acto.2. concionabatur populo, & promittebat idem donum, quod ipse acceperat, si crederent, & baptizarentur; & allegabat Ioëlem, qui prædixerat donum illud effundendum, non super Apostolos tantùm, sed super omnem carnem. Idem etiam Petrus Actor. 11. testabatur, Cornelium, & eius comites accepisse idẽ donum, quod acceperũt Apostoli in Pentecoste: *Nihil*, inquit, *discreuit inter nos, & illos*, & tamen Scriptura nusquam meminit alterius medij, seu signi sensibilis, quo daretur donum illud, nisi manus impositionis cum oratione.

RESTAT mandatum. Sed pro mandato, damus illis mandati exequutionem. Núquam enim Apostoli ita ordinariè, & securè imposuissent omnibus baptizatis manus, vt veniret super eos Spiritus sanctus, nisi Dominus hoc eis mandasset. Quemadmodum etiam hîc in terris cum famulus aliquid agit, quod nõ potest, nisi iussu Domini, & non est stultus; omnes intelligunt, eum habere mandatum, etiamsi is non dicat se habere mandatum; vt si lictores capiant magnum aliquem virum in medio foro, aut si viatores indicent senatoribus tali die habendum senatum, &c. Fuisse autem ritum illum ordinarium, & communem omnibus baptizatis, patet ex cap.8.& 19. Actorum: & ex epistola ad Hebræos, cap.6. Itaque ipse etiam Caluinus cùm lib.4.Institut.cap.19.§.5. postulasset mandatum sibi ostendi, respondet ipse sibi nomine Catholicorum, §.6. *Tuentur*, inquit, *se quidem Apostolorum exemplo, quos nihil temerè feciſse existimant*: ac responsionem admittens, ait: *Id sanè rectè; nec à nobis reprehenderentur, si se Apostolorum imitatores ostenderent, &c.*

NVNC videndum est, quid ad hoc argumentum respondeant aduersarij. Prima solutio est Caluini loco citato; quòd illa manus impositio non fuerit Sacramẽtum, sed quædam oblatio baptizatorum Deo: solebant enim per manus impositionem offerre Deo, quos baptizauerant.

AT hæc solutio facilè refellitur. Nam in primis id Caluinus tantùm dicit, sed nec probat, nec potest probare vllo testimonio, nisi sua ipsius auctoritate. Sic enim ait: *Huic manus impositioni non altius subesse mysterium cogito, sed huiusmodi cæremoniam ab illis adhibitam interpretor, vt ipso gestu significarent se Deo commendare, & velut offerre eum, cui manus imponebant.* Deinde Scriptura dicit, quòd ad illam manus impositionem sequebatur continuò effusio doni mirabilis; immò etiam asserit Scriptura, per illam impositionem manuum datum Spiritum sanctum, Actor.8. sicut dicit Tit.3. per lauacrum regenerationis saluos nos fieri. Vt igitur lauacrum nó est simplex oblatio, sed mysterium conferens gratiam; ita etiam impositio manuum. Præterea offerre Deo baptizatum, non est aliquid maius, quàm baptizare, præsertim secundum Caluinum, qui dicit nihil subesse mysterij in hac cæremonia: ergo poterant offerre illi ipsi, qui baptizauerant. At Scriptura contrarium docet. Nam Actor.8. Philippus baptizat, & tamen non potest imponere manus, sed veniunt ad hoc faciendum Petrus & Ioannes. Et Actor.19. Paulo præsente bapuzantur duodecim viri, & non exprimitur à quo, quia quilibet poterat id facere: at baptizatis Paulus ipse manus imponit. Denique quid opus erat noua oblatione, cùm hoc ipso, quòd quis baptizatur, offerat se Deo, eiúsque legibus, & obsequio se subiiciat?

SECVNDA solutio est eiusdem Caluini ibidem, & Brentij in confess. Vvittembergen. cap. de Confirmatione, qui dicunt, Deum initio nascentis Ecclesiæ per manus Apostolorum dedisse fidelibus dona quædam visibilia Spiritus sancti, vt donum linguarum, donum miraculorum, & similia; ex quo sequitur illam impositionem manuum non fuisse Sacramentum, quia non dabat gratiam iustificationis. Et confirmant ex similibus; nam vmbra Petri curabantur homines Actorum 5. & per sudarium Pauli Actor.19. & tamen non facimus inde Sacramenta.

SED hæc etiã solutio facilè reiici potest. Nã quòd dicunt, illã impositionẽ manuũ nõ dedisse nisi dona quædã loquendi linguis, & miraculorũ, falsum est. Nam in primis dona illa gratis data nõ dicũtur in Scriptura simpliciter Spiritus S. nec dicitur Spiritus S. habitare in eo, in quo non sunt nisi illa dona; quin potiùs è contrario Spiritus sanctus effugiet fictũ, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sapient.1. dona autem illa gratis data, etiam in peccatoribus interdum inueniuntur, vt patet Matth.7. At per manus impositionem Apostolorum dabatur ipse Spiritus sanctus, Actorum 8.& 19. non igitur solùm dona illa gratis data. Secundò: Id dabatur per manus impositionem, quod promiserat Dominus Ioannis 14.15.16.& Lucæ vltimo, vt suprà ostendimus. At quod promisit Dominus; non erat donum linguarum, aut curationum (id enim fuit additamentum quoddam) sed gratia roborans, & confirmans in fide. Tertiò: Dona illa non erãt

communia omnibus, vt patet ex Roman. 12. & 1. Corinth. 12. *Nunquid omnes prophetant, nunquid omnes loquuntur linguis?* At Spiritus sanctus per manus impositionem dabatur omnibus, vt apertè colligitur ex locis notatis Actorum 8. & 19. Quartò: Apostolus Hebræ. 6. numerat impositionem manus cum Baptismo, cum fide, cum pœnitentia, cum aliis rebus, quæ pertinent ad salutem; immò etiam ad fundamẽta religionis, vt ibidẽ Apostolus dicit. At certè loqui linguis, & prophetare, nó pertinet ad salutem, multò minus ad fundamenta religionis. Quintò: Si nihil aliud conferebat Spiritus sanctus datus per manus impositionem, nisi dona illa miraculorum; certè nunquam Apostoli primarij, Petrus & Ioannes ex Hierusalem in Samariam descendissent, vt manus imponerent. Nam satis multa miracula operabatur Philippus in Samaria, vt non essent ibi necessarij alij, qui miracula facerent. Sextò: Idem ostendunt exempla, quę aduersarij proferunt de vmbra Petri, & sudario Pauli; nusquã enim legimus per ea instrumenta datum esse Spiritum sanctum, sed solùm temporalem sanitatem.

A

B

TERTIA solutio est ea, quam attingit quidem loco citato Caluinus, sed latiùs eam persequitur Kemnitius, pag. 290. In Apostolis priuilegium singulare fuit, vt Spiritum sanctum darent per manus impositionem: habuerunt enim illi peculiare mandatum, & promissionem de hac re. At nos non habemus eiusmodi mãdatum, & promissionem; igitur temerè imitari conamur. Confirmatur argumentum ex euentu. Nam ad eorum manus impositionem sequebatur effectus, ad nostram nihil sequitur: etiamsi enim quis millies manum imponat, non descendunt linguæ ignęæ. Cessauit igitur donum illud: proinde otiosa, & inanis cæremonia remansit.

HÆc quoque solutio facilè reiici potest. Nam in primis non ostendent aduersarij, vbi mandauerit Dominus Apostolis, vt manus imponerent ad Spiritum sanctũ recipiendum. Legimus quidem Marci vlt. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*: sed illa dicuntur omnibus fidelibus, non autem solis Apostolis: *Signa*, inquit, *eos qui crediderint, hæc sequentur, &c.* & præterea ista est impositio manus ad morbos pellendos, non ad Spiritum aduocandum. Legimus item Ananiam Actor. 9. accepisse mãdatum, vt Paulo manus imponerer, quem locum perperam Caluinus exponit de manus impositione, de qua nunc agimus, cùm in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 7. can. 3. de Confirmatione, tum in Instit. lib. 4. cap. 19. §. 10. Sed is locus nihil facit ad rem. Nã illa impositio manus fuit curatiua ad depellẽdam cæcitatem corporalem, non ad dandum Spiritum sanctum: vnde etiam ante Baptismum facta est. Secundò, neque ostendent Apostolis vsquam factam esse promissionem, vt cui manus imponerent, daretur Spiritus sanctus. Promisit quidem Apostolis Dominus Spiritum sanctum, quem & acceperunt in die Pentecostes: at vt ipsi alijs darent, nusquam legimus, & tamen dabant, & quidem ordinariè. Non igitur requirebatur peculiaris promissio. Tertiò, promissio generalis est non solis Apostolis, sed toti Ecclesiæ facta, igitur & cæremonia, qua applicatur promissio, generalis esse debet, & perpetua. Probatur antecedens. Nam etiamsi Dominus Apostolos alloquebatur, cùm promittebat Spiritum sanctum, tamen in eis Ecclesiam totam alloquebatur, vt ait S. Leo serm. 9. de Quadragesima; *Tota*, inquit, *Ecclesia salutare suum in ijs qui aderant, vniuersaliter audiebant.* Vnde etiam Dominus ait Matt. vlt. *Vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad mundi consummationem.* Vbi alloquitur eos, qui erant omnes morituri intra centum annos, & tamen dicit se cum eis semper futurum, quia nimirum, & ipsi semper erunt in posteris suis. Item ex eo, quod ait Luc. 22, *Hoc facite in meam commemorationem*: quod certè ad alios etiam pertinet, qui Apostoli non erãt. Vnde B. Petrus, qui eas promissiones rectissimè intelligebat, Actorum 3. omnibus pollicebatur Spiritum sanctũ, si crederẽt, & baptizarentur: & allegabat vaticinium Ioëlis: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Accedit etiam ratio euidens. Nam causa, cur Deus promisit & dedit Spiritum sanctum, non minùs locum habet in nobis, quàm in Apostolis, siquidem omni tempore egent fideles virtute Spiritus sancti ad resistendum in persequutione & confitenda fide. Neque Dominus prouidere potuit aut voluit Ecclesiæ suæ ad annos decem, aut viginti, & non perpetuò, quando illa auxilio indiget.

C

D

SED respondet Kemnitius, promissionem quidem esse generalem, sed organum, quo illa applicatur, non esse iam impositionem manus, sed alia instrumenta, nimirum Baptismum, & Eucharistiam. At qui hoc est temerè, & pro arbitrio, immò etiam contra verbum Dei fingere organa, quibus applicentur diuinæ promissiones. Nam si Baptismus, & Eucharistia applicant promissionem prædictam, cur Apostoli vtebantur manus impositione? deerant fortasse illis Baptismus & Eucharistia? Deinde Apostoli ante Christi passionem baptizati fuerant, & Eucharistiam sumpserant, & tamen post illa omnia promittitur eis Spiritus sanctus. Non igitur acceperant hoc donum, nimirum in ea plenitudine, quæ danda erat in sacramento Confirmationis, per Baptismum & Eucharistiam. Præterea Actor. 8. Samaritani baptizati erant, & tamen Lucas disertis verbis dicit, Spiritum non venisse in quendam illorum, nisi post manus impositionem Apostolorum. Denique cùm ipsa Scriptura tã apertè doceat medium ad recipiendum hoc donum esse manus impositionem, quanta temeritas est hoc medium reiicere, & alia confingere?

AT, inquiunt, cessauit effectus ille, qui sequebatur ad impositionem manus. Respõdeo; Cessauit quoad visibilia symbola, non quoad inuisibilem gratiam. Non posse dari etiam inuisibiliter Spiritum sanctum, constat ex facto Domini, Ioã. 20. vbi insufflauit, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum*: debuisse autem dari semper, saltem inuisibiliter, paulò antè probatum est. Fuit autem caussa rationabilis, quare tunc daretur visibiliter, nunc solùm inuisibiliter; quia initio Ecclesiæ ad fidem plantandam, & nutriendam, eiusmodi miracula necessaria erant. Vnde Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 16. *Neque enim temporalibus, inquit, & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem, modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant loqui linguis? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur, per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari.* Denique idem patet ex similibus. Nam initio Ecclesiæ, qui credebant, operabantur miracula iuxta illud Marci vlt. *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Nunc cessauit iste effectus fidei. Nec tamen est fides otiosa, & inanis, quia habet effectum suum principalem, qui est viuificare: *Iustus enim ex fide viuit*, Hebr. 10. Vide Gregorium in homilia Euangelij Ascensionis. Pari ratione in principio Ecclesiæ puniebantur peccatores visibilibus pœnis, vt patet de Anania, & Sapphira, Actor. 5. de Elima Mago Actor. 13. de ijs, qui indignè communicabant. 1. Corinth. 11. At num hoc tempore, quia non puniuntur ista peccata visibilibus pœnis, ideò impunita manebunt: & non saltem inuisibiliter punientur, & hîc, & in alia vita? Ita igitur & in bonis.

QVARTA solutio est Kemnitij, pag. 291. torum locum Act. 8. & 19. nihil pro nobis facere, cum nos impositionem manus reiecerimus, & in eius locum vnctionem Chrismatis subiecerimus.

HÆc solutio nulla est. Nam vt omittam, quæ infrà de Chrismate dicenda sunt, falsum est, reiectam esse

manus

manus impositionem. Bis enim Episcopus manus imponit confirmandis, vt ex Pontificali Romano intelligi potest: semel cùm super eos manus extendit, atque orat: & rursùm cùm signat in fronte, atque vngit: ipsa enim vnctio, & signatio cùm manu fiat, manus impositio rectissimè dicitur, vt docet Hugo lib. 2. de Sacramentis, part. 7. cap. 2. Vnde etiam Mar. 7. cùm postulassent quidam, vt Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit: nam digito tetigit linguam, & aures eius.

CAPVT III.

Probatur veritas testimonijs summorum Pontificum.

NVNC secundò probanda est veritas ex veterum, & sanctorum Pontificum responsis. Adferemus autem testimonia, quæ non quidem disertis verbis affirment, Confirmationem esse Sacramentum (id enim neque necessarium est, & facilè posset detorqueri ad significationem Sacramenti largo modo accepti) sed testimonia adferemus, quæ rem ipsam demonstrent, id est, cæremoniam dantem gratiam, & à Baptismo distinctam.

PRIMVS igitur sit S. Clemens Romanus in epist. 4. *Omnibus*, inquit, *festinandum est sine mora renasci, & demũ consignari ab Episcopo, & septiformem Spiritus sancti gratiam recipere.* Et infrà, caussam reddit, quia non potest aliquis sine eo Sacramento esse perfectus Christianus. Vide eundem lib. 3. constit. cap. 10. 16. & 17. & lib. 7. ca. 44.

SECVNDVS sit S. Vrbanus in Epistola sua decretali: *Omnes*, inquit, *fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.*

TERTIVS sit S. Cornelius Papa & Martyr, in epistola ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium libro 6. histor. cap. 33. *Non fuit*, inquit, *signaculo Chrismatis consummatus, vnde nec Spiritum sanctum potuit promereri:*

QVARTVS sit Melchiades Papa & Martyr, in epist. ad Episcopos Hispaniæ; interrogatus, vtrum maius Sacramentum esset, Baptismus, an Confirmatio, respondit his verbis: *Scitote vtrumque magnum esse Sacramentum:* & addit, Confirmationem in eo præstare Baptismo, quòd solùm à summis Sacerdotibus, id est, Episcopis confertur. Vbi apertissimè docet, Confirmationem esse Sacramentum verè, & propriè dictum; quia confert cum Baptismo, & aliquo modo etiam Baptismo anteponit: Baptismum autem omnes fatentur esse verè, ac propriè dictum.

QVINTVS sit S. Eusebius Papa in epistol. 3. *Manus*, inquit, *impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alys perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus.* Sextus sit S. Innocentius I. in epist. 1. ad Decentium, cap. 3. *Presbyteris*, inquit, *Chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum Paracletum:* & adducit exemplum Apostolorum Actorum 8. Vbi Innocentius apertè distinguit Episcopalem Cõfirmationem, qua tradi dicit Spiritum sanctum, ac proinde Sacramentum esse, ab vnctione, quæ fit in Baptismo, quæ non est Sacramentum, sed quid Sacramentale; & præterea ab Apostolorum doctrina hoc descendente.

SEPTIMVS sit S. Damasus in Epist. 4.

OCTAVVS sit S. Leo epist. 86. aliàs 88.

NONVS sit S. Ioannes III. in epist. ad Episcopos Germaniæ. Hi tres Pontifices declararunt non licere Chorepiscopis, sed solis Episcopis dare Spiritum sanctum per manus impositionem, & vnctionem Chrismatis in fronte. Ac Ioannes III. citat Damasum, & Leonem, & caussam reddit, cur tam ipse, quàm illi ita declarauerint; quia in Actis cap. 8. soli Apostoli dabant Spiritum sanctum per manus impositionem: vbi videmus eos loqui de illa cæremonia, quæ Apostolis fuit in vsu.

DECIMVS sit S. Gregorius, qui lib. 3. epist. 9. monet, ne Presbyteri signare audeant Chrismate baptizatos in fronte, cùm ad Episcopi munus id pertineat. Et in cap. 1. Cantic. in illud, *In vineis Engaddi*, inquit, *balsamum nascitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur.* Adde etiam Innocentium III. cap. Cùm venissset, extrà, de sacra vnctione.

CAPVT IV.

Idem probatur ex Conciliis.

PRIMVM est Elibertinum Cócilium antiquissimum can. 38. Postquam enim dixerat posse laicum in necessitate baptizare, addit: *Si superuixerit, ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit.* Idem etiam infrà canone 7. iubet Diacono, si quos baptizauerit.

SECVNDVM est Concilium Arelatense I. tempore S. Syluestri celebratum, quod can. 8. iubet hæreticis ad Ecclesiam redeũtibus, si baptizati fuerint in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non iterum tradi Baptismum, sed manus ab Episcopo imponi, vt accipãt Spiritum sanctum: quia nimirũ hæretici illi Baptismum dare solebant, sed non Confirmationem.

TERTIVM est Arelatense II. sub eodem Syluestro, quod idem statuit can. 17. nisi quod exprimit etiam Chrisma cum manus impositione.

QVARTVM sit Laodicenum etiam antiquissimum, vbi can. 7. iubentur Nouatiani sancto Chrismate inungi: & can. 48. *Oportet*, inquit, *baptizatos sacratissimum Chrisma percipere, & cœlestis regni participes fieri.*

QVINTVM sit Aurelianense Concilium apud Gratianum de consecrat. distinct. 5. can. Vt ieiuni: *Vt ieiuni*, inquit, *ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, vt moneantur confessionem priùs facere, vt mundi donum Spiritus sancti valeant accipere.*

SEXTVM sit Meldense Concilium apud eundem Gratianum eadem distinct. can. Vt Episcopi: *Vt Episcopi, inquit, non nisi ieiuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant.*

SEPTIMVM sit Concilium II. Hispalense can. 7. vbi idem repetitur quòd suprà ex Leone I. citauimus.

OCTAVVM sit Concilium, quod celebrauit S. Bonifacius Episcopus, & Martyr, quod extat in vita ipsius in tomo 3. Surij, vbi statutum est, vt Episcopi circumirent Diœceses Confirmando.

HIS accedant Concilia tria Generalia, VI. Synodus can. 7. Florentinum in instruct. Armenorum, & Trident. sess. 7. can. 1. de Confirmatione.

CAPVT V.

Idem probatur ex Patribus Græcis.

PRIMVS ex Patribus Græcis sit Dionysius Areopagita. Is de Eccles. hierar. cap. 2. part. 2. sic habet: *Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt: ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signat.* & p. 3. *Perficiens illa vnctio facit perfectum:* & cap. 4. p. 3. *Sed & ipsis, qui sacratissimo regenerationis mysterio cõsecrantur, aduentum Spiritus sancti consummans vngẽti inunctio elargitur.* Hîc vides cæremoniam, & eius effectum, ac proinde Sacramenti propriè dicti rationem.

SECVNDÒ loco prodeat Clemens Alexandrinus, qui teste Eusebio lib. 3. hist. cap. 17. secundum versionem Christophorsoni, refert historiã iuuenis cuiusdã à S. Ioãne Apostolo commendati curæ ac diligentiæ Episcopi nuper creati, ac inter alia sic loquitur: *Qui* (Episcopus)

cum Baptiſmi Sacramento illuminauit, poſtea verò ſigillo Domini tanquam perfecta, & tuta eius animi cuſtodia obſignauit. Vbi apertè loquitur de Sacramento Confirmationis, quod eſt ſigillum Dominicum in fronte impreſſum, & cuſtodiam præbens per gratiam quam confert.

III. Iuſtinus q.137. Orthodoxorum, ſcribit peractis myſterijs Baptiſmi, conſignari fideles ſacro vnguento.

IIII. Origenes homil. 8. in Leuiticum, prope finem: *Sic ergò*, inquit, *cõuerſis à peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quæ ſuperiùs diximus: donum autem gratiæ Spiritus per olei imaginem deſignatur, vt non ſolùm purgationem conſequi poſſit is, qui conuertitur à peccato, ſed à Spiritu ſancto repleri.* Et homil. 9. vltra medium: *Omnes*, inquit, *quicunque vnguento ſacri Chriſmatis delibuti ſunt, ſacerdotes effecti ſunt, ſicut & Petrus ad omnem Eccleſiam dicit: Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.*

V. Cyrillus Hieroſolymitanus ex quinque catecheſibus myſtagogicis, 1. & 2. ſcripſit de Baptiſmo, 3. de Sacramento Confirmationis, 4. & 5. de Euchariſtia, quę ſunt tria Sacramẽta, quæ eodem die percipiuntur à Neophytis. Vnde apparet Cyrillum non tantùm habuiſſe Confirmationem pro Sacramento, ſed etiam pro Sacramento propriiſſimè dicto, quandoquidem illud in numero ponit cum Baptiſmo, & Euchariſtia. Praterea catecheſi 3. iam citata, ſic loquitur: *Quemadmodum panis Euchariſtiæ poſt ſancti Spiritus inuocationem non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti; ſic & ſanctum hoc vnguentum, non amplius eſt vnguentum nudum, poſtquam iam conſecratum eſt, ſed eſt Chriſma Chriſti, quod aduentu Spiritus ſancti per ipſius diuinitatem energiam habet, quo frons, & alij ſenſus tui ſymbolicè inunguntur, & corpus quidem iſto viſibili vnguento perungitur, anima verò ſancto ac viuifico Spiritu ſanctificatur.* Nota ad hũc locũ, Primò conferri hîc etiam Chriſma cum Euchariſtia; quod eſt argumentum, vtrũque eſſe æquè propriè Sacramentum. Secundò nota, vnguentum conſecratum vim habere ſanctificandi, quod eſt proprium verorum Sacramentorum, quæ ſunt inſtrumenta ſanctificationis. Tertiò, non ſolùm vim habere ſanctificandi, ſed etiam reipſa verè animam ſancto Spiritu ſanctificari, cùm frons Chriſmate perungitur. Quartò nota, hunc auctorem cautè loquutum, cùm ait, panẽ Euchariſtiæ poſt cõſecrationem eſſe corpus Chriſti; vnguentum autem poſt conſecrationem non dixit eſſe Spiritum ſanctum, ne putaremus à Cyrillo fingi ſimilem tranſubſtantiationem vnguenti, qualis fit in pane: ſed dixit, non eſſe nudum vnguentum, ſed Chriſma Chriſti habens energiam ſanctificandi à Spiritu ſancto.

IDEM Cyrillus ibidem docet, quemadmodum Chriſtus primò Baptiſmum acceperit; ſecundò deſcẽdit in eum columba; tertiò excepit eum tẽtatio. ita nobiſcum etiam fieri, qui primò baptizamur, deinde per Chriſma recipimus Spiritum ſanctum, & ſic tandem ad prelium deſcendimus cum Diabolo. Ibidem etiam dicit Chriſtianum propriè denominari à Chriſmate. Cùm enim Chriſtianus dicatur quaſi vnctus, non videtur dignus hoc nomine, qui non eſt vnctus hoc vnguento, quò Chriſtiani perficiuntur. Denique ibidem etiam rectè dicit, Ioãnem in ſua epiſt. 1. cap. 2. cùm ait: *Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, in vobis maneat, & vnctio docebit vos de omnibus*, ad hoc ſanctum Chriſma alluſiſſe per quod datur Spiritus ſanctus, qui docet nos de omnibus.

VI. Gregorius Nazianzenus oratione in ſanctum lauacrum: *At ſi tu*, inquit, *per Baptiſmum teipſum obfirmaueris, ac præclariſſimo, & firmiſſimo auxilio tibi in futurum caueris, animum ſcilicet, & corpus vnctione, & Spiritu conſignãs, quemadmodum olim Iſraël nocturno illo, primigenóſque tuente cruore; quid tibi accidet? & quod tibi præſidium comparatum erit? audi Salomonis paræmias; Si ſederis, ait, intrepidus eris; ſi dormieris, ſuauis erit ſomnus tuus.*

VII. Amphilochius in vita S. Baſilij, ſi tamen is eſt verus auctor eius libri: *Baptizauit*, inquit, *Maximinus Epiſcopus Baſilium, & Eubulum, & veſtiuit albis, atque vngens eos ſancto Chriſmate, tradidit eis viuificam communionem.*

VIII. Theodoretus in comment. 1. cap. Cantic. *Qui initiantur Baptiſmo poſt Satanæ abnegationem, & confeſſionem fidei, veluti ſigno, ac nota regia ſpiritualis vnguẽti Chriſmate inuncti, ſub ea viſibili vnguenti ſpecie inuiſibilem ſanctiſſimi Spiritus gratiam percipiunt.*

IX. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide, cap. 10. *Oleum*, inquit, *in Baptiſmate aſſumitur, vnctionem ſignificans, & Chriſtos nos efficiens, & miſericordiam Dei nobis annunciãs per Spiritum ſanctum.* Vbi apertiſſimè loquitur de Sacramento Confirmationis, quod datur poſt Baptiſma. Nam paulò antè dixit, Apoſtolis in forma ignis datum Spiritum ſanctum; & mox ſubiungit, nobis dari per oleum. Certè autem Confirmatio Apoſtolorum in die Pentecoſtes non reſpondet Baptiſmo, ſed Confirmationi per Chriſma. Et paulò pòſt idem auctor dicit, ſicut columba attulit ramum oliuæ poſt diluuium; ita nobis poſt Baptiſmum, cuius figura fuit diluuium, aduenire Spiritum ſanctum per oleum, cuius figura fuit illa columba cum ramo oliuæ. Denique verba Græca, *τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται*, rectiùs verterentur, *Oleum Baptiſmati ſuccedit*, quàm, *Oleum in Baptiſmate aſſumitur*, vt Oecolampadius vertit. Nam in Græco non eſt, *in Baptiſmate*, & verbum *παραλαμβάνω*, propriè dicitur de eo, quod aſſumitur, vt alteri ſuccedat.

CAPVT VI.

Idem probatur ex Latinis.

TERTVLLIANVS in lib. de reſurrectione carnis, videtur totum ritum breuiſſimè comprehendere, id eſt, vnctionẽ, ſignum crucis, & impoſitionem manus: *Caro*, inquit, *vngitur, vt anima conſecretur; caro ſignatur, vt anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* Et ibidẽ coniungit hoc Sacramentum cum Baptiſmo, & Euchariſtia: nam antea dixerat, *Caro abluitur, vt anima emaculetur.* Et poſt illa omnia ſubiungit: *Caro corpore Chriſti veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur.* Idem in libr. 1. contra Marcionem non procul à fine; iterum cõiungit olei vnctionem cum aqua Baptiſmi, & pane Euchariſtiæ: & ſimiliter in lib. de præſcriptione hæreticorum. Denique in lib. de Baptiſmo, ſic ait: *Exinde egreſſi de lauacro, perungimur benedicta vnctione.* Et paulò pòſt: *In nobis carnaliter currit vnctio, ſed ſpiritualiter proficit.* Et paulò pòſt: *Dehinc manus imponitur per benedictionem, aduocans & inuitans Spiritum ſanctum.*

II. S. Cyprianus lib. 1. epiſt. vlt. *Vngi quoque neceſſe eſt eũ, qui baptizatus ſit, vt accepto Chriſmate eſſe vnctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.* Et lib. 2. epiſt. 1. *Tunc demum plenè ſanctificari, & eſſe Filij Dei poſſunt, ſi Sacramento vtroque naſcantur.* Vides, Sacramentum vocari Cõfirmationem, & cum Baptiſmo conferri. Item in epiſtola ad Iubaianum: *Nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur, per Præpoſitos Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Si quis obiiciat, Cyprianum in his omnibus locis agere cauſſam Anabaptiſmi: Reſpondendum eſt, id quidem eſſe verum, ſed non ob id eſſe falſa, quæ de ritu, & effectu ſacri Chriſmatis ab eo dicũtur. Nam Eccleſia Catholica ſemper notauit errorem Cypriani de Anabaptiſmo; nunquã notauit vt errorem id, quod ille ſcripſit de Confirmatione; & S. Auguſt. lib. 5. de Baptiſmo, refellit argumenta Cypriani pro Anabaptiſmo, nec tamen vnquam, vel vno verbulo, damnat, quæ Cyprianus de hoc Sacramento tam magnificè ſcripſit.

III. Auctor ſermonũ de operibus Cardinalibus Chriſti, quæ

quæ habentur inter opera Cypriani, tametſi revera non eſt Cyprianus, eſt tamen antiquus, & doctus, & apertiſſimè tribuit Chriſmati conſecrato vim ſanctificandi eo modo, quo Cyrillum loquẽtem audiuimus. Sic enim loquitur in ſermone de vnctione Chriſmatis: *Hodie in Eccleſia ad populum acquiſitionis ſanctificandum, in participatione dignitatis & nominis ſacrum Chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum regiæ, & ſacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem, quibus dignitatibus initiandis diuinitus eſt vnctio inſtituta.* Et infrà loquens de Chriſmate: *Sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potentiùs operatur, & adeſt veritas ſigno, & Spiritus Sacramento.* Et infrà: *Et huius vnctionis beneficio, & ſapientia nobis, & intellectus diuinitus datur conſilium, & fortitudo cælitus illabitur: ſcientia, & pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo vncti cum ſpiritualibus nequitijs colluctamur.*

IIII. Euſebius Emiſſenus, ſeu quicunque fuit auctor (nam ſine dubio Latinus fuit, & inſignis) in ſermone de Pentecoſte: *Quod*, inquit, *nunc in confirmandis Neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus ſancti deſcenſio in credentium populo donauit vniuerſis.* Et infrà: *Ergò Spiritus ſanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocẽtiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam.*

V. Prudentius in Ψυχομαχίᾳ, cùm pugnam luxuriæ & ſobrietatis deſcribit:

Poſt inſcripta, inquit, *oleo frontis ſignacula, per quæ Vnguentum regale datum eſt, & Chriſma perenne.*

Et in hymno antè ſomnum:

Cultor Dei memento
Te fontis & lauacri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te Chriſmate innotatum.

VI. Pacianus in lib. de Baptiſmo. *Lauacro*, inquit, *peccata purgantur: Chriſmate ſanctus Spiritus ſuperinfunditur: vtraque verò iſta, manu & ore antiſtitis impetramus.* Item in 1. epiſt. ad Sympronianum Nouatianum: *Si ergò & lauacri, & Chriſmatis poteſtas, maiorum longè Chariſmatum, ad epiſcopos inde (ex Apoſtolorum forma) deſcendit, & ligandi quoque ius adfuit, atque ſoluendi.* Vbi vides Chriſma non ſolùm coniungi cum Baptiſmi & pœnitentiæ Sacramento, ſed etiam anteponi Sacramento Pœnitentiæ: dicit enim eſſe poteſtatem maiorum Chariſmatum, hoc Chriſmate inungere, quàm ſoluere, vel ligare: & inde probat poſſe Epiſcopum ſoluere, & ligare: & quia poteſt baptizare, & Chriſmate conſignare, quæ ſunt maiora munera. Idem in epiſt. 2. *Veſtræ plebi*, inquit, *vnde Spiritus, quam non conſignat vnctus ſacerdos?*

VII. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis, cap. 2. *Sequitur*, inquit, *ſpirituale ſignaculum, quia poſt fontem ſequitur vt perfectio fiat, quando ad inuocationem ſacerdotis Spiritus ſanctus infunditur.* Et lib. de ijs, qui initiãtur myſterijs, cap. 7. *Repete, quia accepiſti ſignaculum ſpirituale.* Et infrà: *Serua quod accepiſti, ſignauit te Deus Pater, Confirmauit te Chriſtus Dominus.*

VIII. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, poſteaquam dixerat, Epiſcopos baptizatis per impoſitionem manuum dare Spiritum ſanctum, ſubiungit: *Exigis, vbi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum. Sed etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.*

IX. Auguſtinus lib. 15. Trinit. cap. 26. dicit, Eccleſiam adhuc ſeruare, quod fecerunt Apoſtoli Actor. 8. vt eius præpoſiti manus imponant ad Spiritum ſanctum accipiendum. Ibidem etiã meminit Chriſmatis. Item in præfatione 2. concionis in Pſalm. 26. dicit, hac vnctione ſpiritualiter homines perfici. Item li. 3. de Baptiſmo, cap. 16. & tract. 6. in epiſt. Ioannis dicit, nunc quidem non loqui linguis, quibus imponuntur manus poſt Baptiſmum, tamen reuera accipere Spiritum ſanctum, & latenter atque inuiſibiliter infundi charitatem. Sed præcipuus locus eſt lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 104. *In hoc vnguento*, inquit, *ſacramentum Chriſmatis vult Petilianus interpretari: quod quidem in genere viſibilium ſignaculorũ ſacroſanctam, ſicut ipſe Baptiſmus, ſed poteſt eſſe in hominibus peſſimis.* Et infrà: *Diſcerne igitur viſibile ſanctum ſacramentum, quod eſſe & in bonis & in malis poteſt: illis ad præmiũ, iſtis ad iudiciũ, ab inuiſibili vnctione charitatis, quæ propriè bonorũ eſt.*

X. Beda lib. 6. in Lucam, exponẽs illa verba Luc. 22. *Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem oliuarum. In montem*, inquit, *oliuarum diſcipulos educit, vt omnes in morte ſua baptizatos altiſſimo ſancti Spiritus Chriſmate confirmandos eſſe deſignet.*

HIS accedant qui de hoc Sacramento ex profeſſo tractant. XI. Rabanus li. 1. de Inſti. Cleric. c. 30. XII. Amalarius lib. 1. de officijs Eccleſiaſticis. XIII. Hugo lib. 2. de Sacramentis, p. 7. & XIIII. Magiſter cum omni Schola, lib. 4. Sent. diſt. 7.

HIS accedant tria miracula ad huius ſacramenti cõfirmationem à Deo oſtenſa. Primùm exſtat apud Optatum lib. 2. vbi refert ampullam S. Chriſmatis ab Arianis per feneſtram proiectam, Angelica manu ſuſtentatã collidi non potuiſſe. Alterum extat in vita S. Remberti Bremenſis Epiſcopi apud Surium tom. 1. in menſe Februario, quæ ſcripta eſt ante annos DCC. Ibi legimus S. Rembertum inter confirmãdum cæcum illuminaſſe. Tertium extat in vita S. Malachiæ à S. Bernardo ſcripta: *Puerum* inquit Bernardus, *mente captum, ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum ſacra vnctione curauit.* Loquitur autem de Malcho Epiſcopo S. Malachiæ præceptore.

CAPVT VII.

Diluuntur ſolutiones aduerſariorum ad Patrum teſtimonia, quæ ſunt etiam argumenta ipſorum contra vnitatem.

NVNC quid aduerſarij ad tam multa Patrum teſtimonia reſpondeant, & quid nobis obiiciant, videamus. Caluinus primo ſimpliciter reiicit Patres. Nam lib. 4. cap. 19. §. 4. Hieronymum dicit in eo hallucinari, quòd Apoſtolicam obſeruationem eſſe putauerit, ritum Confirmationis. Et §. 8. & 10. vehementiſſimè inuehitur in S. Melchiadem, vt ſuprà cap. 1. notauimus. Denique §. 12. ita loquitur: *Iam verò cùm verbo Dei, & probabili ratione defeciſſe vident, præexũt, quod ſolent, vetuſtiſſimã eſſe hanc obſeruationem, & multorum ſeculorum conſenſu firmatam. Etiamſi id verum eſſet, nihil tamẽ efficiunt. Non è terra eſt ſacramentum, ſed è cœlo: non ex hominibus, ſed ab vno Deo.* Hæc ille. Quaſi verò nos adferamus Patres, vt ſacramentum ab ijs inſtitutum doceamus. Fatemur ſacramenta eſſe de cœlo, non de terra: ſed tamen teſtes ſacramentorum homines adhibemus. Quanquam neque teſtimonium hoc de terra dici debet, ſed de cœlo: non enim hoc teſtimonium ex capite ſuo ipſi confingũt, ſed ex Apoſtolorum doctrina, & traditione deducunt. Adde, quòd nec admittimus nos deſtitui verbo Dei, vt in 2. cap. oſtendimus.

SECVNDÒ, Idem Caluinus ibidem negat Patres agnouiſſe hoc ſacramentum: *Sed quid*, inquit, *vetuſtatem obiectant, cùm veteres dum propriè eloqui volunt, nuſquam plura duobus ſacramentis recenſeant? Si ab hominibus petẽdum eſſet noſtræ fidei præſidium, habemus arcem inexpugnabilem, nunquam veteribus agnita fuiſſe pro ſacramentis, quæ iſti Sacramenta ementiũtur. De manuum impoſitione loquũtur veteres, ſed an ſacramẽtum vocant? Auguſtinus apertè affirmat lib. 3. de Baptiſmo, cap. 16. nihil aliud eſſe, quàm orationem.* Addit Kemnitius pag. 319. Gratiani auctoritatẽ, qui can. Arianos 1. q. 1. ex hoc loco Auguſtini colligit, manus impoſitionem, non eſſe ſacramentum, quia reperi poteſt, cùm nihil ſit, niſi oratio quædam.

HÆC ſecunda ſolutio duobus clariſſimis mendacijs

constat. Quod enim Caluinus ait, veteres non agnoscere nisi duo Sacramenta propriè dicta, constat esse mendacium ex testimonijs citatis, & idem mendacium refutauimus cùm ageremus de numero Sacramentorum. Quod autem Caluinus negat veteres Sacramentum appellasse ritum Confirmationis, mendacium esse patet ex testimonijs Melchiadis, & Eusebij, Cypriani, atque Augustini suprà citatis. Ad locum ex Augustino citatum Respondeo, Augustinum loqui de simplici manus impositione, quæ fiebat in reconciliatione pœnitentium, non de manus impositione cum Chrismate, quæ est propriè Sacramentum Confirmationis.

A

At instat Caluinus, atque ait: *Neque hic mihi putidis suis distinctionibus obganniant, non ad Confirmationem illud Augustinum retulisse, sed ad curatoriam, vel reconciliatoriam: extat liber, &c.* Ac probat hîc agi de vtraque simul, quia loquitur Augustinus de hæreticis, qui ad Ecclesiam redeunt; qui quidem non rebaptizantur: tamen imponûtur eis manus, & eo modo datur eis Spiritus sanctus. Et confirmat hoc idem ex libro quinto, capite vicesimotertio, de Baptismo.

Respondeo, hæc omnia si quid probarent, probarent solùm Confirmationem esse Sacramentum iterabile; non autem probarent, non esse Sacramentum propriè dictum, quod Caluino probâdum erat. Nam sic loquitur Augustinus: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest: quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Vbi Augustinus ex eo, quòd manus impositio est oratio, non colligit non esse Sacramentum, quod repeti non potest. Alioqui Sacramentum esse manifestè probatur. Nam hîc est materia sensibilis, impositio manuum: est forma, oratio: est effectus, gratia Spiritus sancti, vt ipse Caluinus contendit. cur ergò non est Sacramentum? At neque ex hoc probari potest Confirmationem esse Sacramentum iterabile. Nam (vt dixi) non agitur hîc de confirmatione, sed de reconciliatione pœnitentium. Id quod probo his rationibus.

B

C

Primò, Augustinus passim docet, Confirmationem fieri Chrismate, vt patet ex locis suprà allegatis. Hic autem non solùm non meminit Chrismatis, sed apertè indicat se loqui de impositione manuum sine Chrismate, alioqui non diceret: *Quid est aliud, nisi oratio?* posset enim responderi, est consecratio, & consignatio per Chrismatis vnctionem.

Secundò, Sacramentum Confirmationis semel datum non potest repeti, vt ex concilio Tarraconensi, & ex rescripto Gregorij II. testatur Gratianus dist. 5. de consecrat. can. Dictum est, & can. De homine. Et præterea idem apertè colligitur ex Augustino lib. 2. contra literas Petiliani, ca. 104. vbi dicit, sacramentum Confirmationis, sicut etiam Baptismi interdum in pessimis hominibus esse, & manere, licet ad iudicium. Quòd si manet etiam in pessimis, non debet, nec potest eis dari, cùm reconciliantur, quia iam habent nec amiserunt. At hoc loco dicit, manus impositionem repeti posse: non igitur loquitur de manus impositione confirmatoria.

D

Tertiò, Augustinus loquitur de reconciliatione hæreticorum, vt Caluinus fatetur, & ex vtroque loco citato perspicuum est. Sed manus impositio reconciliatoria distincta erat, præsertim in Ecclesia Occidentali à manus impositione Confirmatoria; ergò non loquitur Augustinus de Confirmatoria. Assumptio probatur tum ex Vigilio Papa in epist. 1. cap. 3. vbi hoc expressè testatur: tũ ex Gregorio libr. 9. epistol. 61. vbi dicit, Arianos in Ecclesia Orientali, consueuisse recipi per vnctionem chrismatis; in Occidentali per solam impositionem manuum. cuius diuersitatis ratio assignati solet, qui Ariani Occidentales non confirmabantur per chrisma in sua secta, Occidentales autem confirmabantur; & ideò in Oriente oportebat eos vngere, cùm redibant ad Ecclesiam, quia hoc eis deerat. Vnde etiam in Concilio Nicæno ex Arabico nuper translato can. 31. iubentur Ariani inungi, cùm ad Ecclesiam veniunt. Vel certè si etiam in Occidente Ariani reiiciebant confirmationem, tamen cùm ad Ecclesiam redibant, non statim chrismate vngebantur, sed postea per opportunitatem, vt modò facimus cum Lutheranis. Vel denique illa vnctio in Ecclesia Orientali non erat Sacramentum, sed ritus quidam. Quidquid sit, Gregorius expressè dicit, in Occidente non inungi, sed simpliciter reconciliari per impositionem manus. Quare S. Augustinus, qui de Ecclesia Occidentali erat, cùm loquitur de reconciliatione hæreticorum per impositionem manuum, non agit de confirmatione, quæ non fit sine vnctione, sed de simplici reconciliatione.

At duo videntur obstare huic nostræ explicationi. Vnum, quòd Augustinus lib. 3. de Baptismo, ca. 16. id est, in illo ipso capite, vbi dicit, impositionem manuum nihil esse nisi orationem, dicit etiam per eam manuum impositionem nunc non exspectari, vt homines loquantur linguis, vt fiebat tempore Apostolorum, sed satis esse si infundatur Spiritus sanctus inuisibiliter: quem locum nos suprà citauimus pro sacramento Confirmationis. Ergo Augustinus loquitur de manus impositione confirmatoria, vel certè æquiuoce accipit in vno & eodem capite manus impositionem, quòd videtur absurdum. Alterum est, quod lib. 5. de Baptismo, cap. 23. Augustinus dicat per manus impositionem reconciliatoriam dari Spiritum sanctum. At hic per nos est effectus confirmationis, ergo eadem erat apud Augustinum impositio manus confirmatoria, & reconciliatoria.

Respondeo ad primum, vario modo accipere Augustinum in eo capite manus impositionẽ, sed sine vllo vitio. Nam propositum eius erat soluere argumentũ S. Cypriani, qui ex eo, quod in solâ Ecclesia Catholica dari potest, & accipi Spiritus sanctus, colligebat Sacramenta hæreticorum non esse vera, & rata. Ad hoc argumentum diluendum Augustinus initio capitis explicat, quid intelligi debeat per Spiritum sanctum, cùm dicitur non posse dari, vel accipi, nisi in Ecclesia Catholica per manus impositionem: ac dicit intelligi donum charitatis, hoc enim non possunt habere nisi boni, & ideò non nisi in Ecclesia Catholica, quia extra illam nulli sunt boni. Hoc autem loco accipit Augustinus manus impositionem in genere, siue sit confirmatoria, siue reconciliatoria: siue (vt hîc loquar) Ordinatoria: semper enim per eam datur gratia, & charitas, nisi ponatur obex. Deinde vult Augustinus ostendere per manus impositionem dari reuera donum charitatis, & declarat exemplo manus impositionis confirmatoria, cùm dicit, nunc non exspectari, vt loquantur linguis, quibus manus imponitur, sed latenter eis infundi charitatem. Itaque hîc iam accipit manus impositionem magis strictè (id est, pro sola confirmatoria) nec tamen est vitiosa æquiuocatio, quia quod conuenit toti generi, rectè declaratur exemplo vnius speciei. Postea redit ad argumentum Cypriani, & distinguit tria. Sacramentum, donum Spiritus sancti gratis datum, vt prophetiam, & donum gratum faciens, id est, charitatem: ac dicit extra Ecclesiam, vel in malis hominibus esse posse duo priora, non tamen tertium, & idcirco debere ad Ecclesiam redire, vt in ea per manus impositionem reconciliatoriam illud accipiant. Et quia poterat aliquis suspicari non posse repeti hanc manus impositionem, sicut non potest repeti Baptismus, nec Confirmatio, nec Ordinatio, ideò Augustinus subiungit, posse repeti manus impositionem, id est, reconciliatoriam, quia nihil est aliud, nisi oratio super hominem, id est, non est consecratio aliqua, quæ maneat, & characterem imprimat, vnde repeti non possit, sed est tantùm cæremonia adiuuans orationem.

Ad alterum argumentum respondeo, vt iam dixi, Spiritũ sanctum dari, per omnẽ impositionem manuum, sed

sed ad varios effectus. Nam per impositionem manuum confirmatoriam datur ad roborandam animam in fidei confessione; per reconciliatoriam datur ad remissionem peccatorum; per Ordinatoriam datur ad potestatem ministrandi Sacramenta.

Ad locum Gratiani à Kemnitio additum respondeo, Gratianum velle dicere non esse Sacramentum Ordinis, vel etiam Confirmationis, impositionem manuum, de qua loquitur Augustinus; id quod rectè ille dicit, ac rectè etiam probat ex eo, quòd repeti potest. Non autem negat esse Sacramentum reconciliationis. nam alioqui etiam Eucharistia repeti potest, & tamen est verissimum Sacramentum.

Tertia solutio est, quòd apud veteres Confirmatio fuerit tantùm Catechesis puerorum, qui in infantia baptizati fuerant. Ita Caluinus ibidem §. 4. & 13. vbi citat Leonem epistola 35. & 77. & Hieronymum contra Luciferianos: quam eandem solutionem omnes alij amplectuntur. At vanissima est: nam primò nec Scriptura, nec vllus veterum meminit huius catechesis. Scriptura Actor. 8. & 19. dicit, Apostolos orasse, & imposuisse manus, & eo modo dedisse Spiritum sanctum: examinis puerorum nulla mentio. Similiter loquuntur Patres, vt suprà ostendimus. Porrò etiam sanctus Leo epistola 35. & 77. nihil dicit de hac re: nam loquitur de reconciliatione hæreticorum, non de examine puerili. Hieronymus quoque examen non nominat. Præterea ista solutio non solùm non est conformis Patrum doctrinæ, sed etiam ei repugnat. Patres enim dabant Confirmationem per vnctionem, & manus impositionem eriam infantibus, vt expressè docent, Innocentius I. epistola prima, & liber de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 52. & Ordo Romanus. Et præterea id certissimum est, quia dabant olim infantibus etiam Eucharistiam, vt patet ex Cypriano in sermone de lapsis, & tamen Eucharistiam non dabant, nisi post confirmationem, vt ex Dionysio, Ambrosio, & alijs patet. At certè infantes non sunt capaces examinis, nec Catechismi; nec aduertarij volunt examen etiam infantium, sed puerorum iam adultorum; igitur euidens est, omnes Patres non loqui de ritu confirmationis, quam sibi hæretici hoc tempore confinxerunt Denique, omnes fere Patres meminerunt Chrismatis, & signaculi Crucis in fronte, & in hoc ponunt essentiam huius Sacramenti, vt ex eorum testimonijs constat.

A

B

Iam verò Kemnitius in secunda parte Examinis, pagina 297. & deinceps disserit de sententijs Patrum, ac ad quinque capita reuocat omnes suas solutiones. Primò dicit, multos auctores qui citantur pro Sacramento Cõfirmationis, esse apocryphos, & suppositirios. At id nihil est. Nam etiamsi epistolæ citatæ Clementis Romani, Melchiadis, Eusebij, & Vrbani, necnon liber Dionysij Areopagitæ, homiliæ Eusebij Emisseni, & sermones Cypriani de operibus Cardinalibus Christi, sint apud nonnullos dubiæ, vel etiam supposititicæ: tamen multos habemus alios certissimos, & probatissimos auctores; & isti ipsi sunt antiquissimi, & optimi, licet non sit certum, an sint illi, quorum nomina præferunt.

D

Secundò Kemnitius addit, alios auctores qui de Chrismate agunt, certos quidem esse, sed ex schola Mõtani prodiisse, vt Tertullianum, & Cyprianum. Sed hoc esse impudens mendacium, demonstrauimus capite 2.

Tertiò dicit, alios esse auctores certos & probatos, qui de vnctione mentionem faciunt, sed eam vocare Sacramentum impropriè, & largo modo, quia est humana cæremonia quædam, in Baptismo abhiberi solita: sicque exponit loca Augustini à nobis citata ex libro 15. Trinit. cap. 26. & libro 2. contra literas Petiliani, capit. 104. At multùm hic errat Kemnitius. Suprà enim ostendimus, Patres ferè omnes distinguere confirmationem à Baptismo, & effectum spiritualem ei tribuere, qui non conuenit, nisi verè ac propriè dictis Sacramentis. Id quod etiam manifestè patet ex locis Augustini citatis, quæ suo more Kemnitius truncata, & imperfectè citauit. Nam in priore loco dicit, Præpositos Ecclesiæ imponere manum, & Chrismate inungere ad hoc, vt detur Spiritus sanctus, vt olim fecerunt Apostoli Actorum octauo. At certè Apostolorum actio non fuit humana cæremonia adiuncta Baptismo, sed alia, & quidem diuina, & efficacissima. In posteriore loco Augustinus multùm laborat, vt ostendat veram Confirmationem posse dari, & accipi à malis, vt ipsum etiam Baptismum. At quid opus erat hoc probare de humana, & sterili cæremonia; quis enim de eo dubitare poterat? Deinde ibidem Augustinus dicit, malos accipere Sacramentum Cõfirmationis visibile, sine inuisibili gratia Spiritus sancti, idque ad iudicium. At certè non distingueret Sacramentum visibile ab inuisibili gratia in malis, nisi crederet in bonis ista coniungi, & vnum per alterum dari: neque ad iudicium sumitur cæremonia humana, etiamsi à malis sumatur. Denique ibidem Augustinus dicit, Sacramentum Chrismatis esse sacrosanctum, sicut ipse Baptismus. At quanta Blasphemia fuisset æquare humanam cæremoniam Sacramento Baptismi?

C

Quartò Kemnitius dicit, etiam si veteres variè loquantur de hac re, tamen nullum esse in puriore antiquitate Patrem, qui detrahat Baptismo suos effectus, vt eos tribuat Chrismati, vt modò faciunt Papistæ. Et quia Cyrillus videbatur illi valde obstare, in dubium reuocat, an sint eius illa catecheses, & an ipse aliquando errauerit in fide; & tandem reiicit tanquam falsa, quæ dicit Cyrillus. Sed hæc omnia meræ nugæ sunt. Nam nec nos dicimus detrahendos esse Baptismo suos effectus, sed damus vtrique Sacramento effectus proprios. De catechesibus autem Cyrilli nemo vnquam dubitauit, neque profert Kemnitius vllam rationem, vel coniecturam, cur dubitandum sit. De fide autem, & probitate Cyrilli exstat egregium testimonium in epistola Concilij Constantinopolitani ad Damasum apud Theodoretum libro 5. capit. 9. vbi tota illa Synodus Oecumenica Cyrillum vehementer commendat, quòd multa & varia certamina cum Arianis ob fidem Catholicam gesserit.

Quinto Kemnitius dicit, Patres loqui valde dissimiliter ab auctoribus recentioribus. Nam veteres inculcant manus impositionem, quæ tamen nunc abolita est; item veteres nominant oleum, sed nullus probatus auctor addit mixtionem cum balsamo, vt modò faciunt omnes recentiores: veteres tribuunt Baptismo eos effectus, quos recentiores tribuunt Confirmationi, vt dare gratiam, dare Spiritum sanctum, perficere, armare contra Diabolum, &c. denique veteres Vnctionem annectunt Baptismo: recentiores separant, ac si duo essent Sacramenta. At hîc etiam valde hallucinatur Kemnitius. Nam in primis falsum est, esse abolitam manus impositionem, vt suprà ostendimus capite secundo. Deinde balsami cum oleo mixti expressè meminit Gregorius I. Papa in capit. primum Canticorum, qui certè probatissimus auctor est; sed de hac re postea. Præterea falsum est, eosdem effectus tribui à Patribus Baptismo, quos nos tribuimus confirmationi, etiamsi nomina effectuum sæpe sint eadem. Nam Baptismus dat gratiam, & Spiritum sanctum, sed ad alios effectus, quàm confirmatio. Vnde etiam Dominus Ioannis 20. dedit Apostolis Spiritum sanctum per insufflationem; & tamen eodem tempore promisit illis Spiritum sanctum, Actor. 1. & dedit Actor. 2. sic etiam Baptismus armat, quia dat gratiam benè operandi. Sed Confirmatio

addit peculiare robur ad profitendam fidem. Vnde dicitur Apostolis iam baptizatis Luc. vlt. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Denique Baptismus perficit in suo genere, quia facit verè & integrè iustos, & Dei filios; & tamen Confirmatio adhuc perficit in alio genere: quomodo infans perfectus homo est, quoad essentiam, & tamen non est perfectus, quoad molem. Itaq; ijdem Patres, qui magnificè loquuntur de Baptismo, magnificè etiam loquuntur de Confirmatione, vt ex locis citatis patet.

QVOD autem Kemnitius obiicit de coniunctione vnctionis cum Baptismo, ostendit eius imperitiam. Nam solebant veteres etiam Eucharistiam coniungere cũ Baptismo, siue adultos, siue infantes baptizarent: & tamen nemo negat Sacramenta esse distincta, Baptismũ & Eucharistiam. Hoc tempore cùm baptizantur adulti, eodem die datur Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, vt veteres faciebant: sed cùm baptizantur infantes, differuntur alia duo sacramenta, donec ad vsum rationis peruenerint, qui ea percepturi sunt, quia non sunt ea Sacramenta infantibus necessaria, & maiori cum fructu, & reuerentia percipiuntur ab adultis. Neque in hoc à nobis Lutherani dissentiunt.

CAPVT VIII.

De materia Sacramenti Confirmationis.

EQVITVR altera quæstio de materia huius Sacramenti, de qua, & si quædam iam dicta sint in superiori quæstione, tamen accuratiùs res explicanda est. Igitur materiam huius Sacramenti remotam Catholici communi consensu esse docent, oleum balsamo admixtum, atque ab Episcopo consecratum: materiã verò proximam, quæ propriè est altera pars Sacramenti, vnctionem ex prædicto oleo in fronte adhibitam ad formam, seu figuram crucis. Hæretici hoc totum non modò reiiciunt, sed etiam rident, vt ex locis quæstione superiori indicatis intelligi potest; vbi pinguedinem per contumeliam vocant, & Kemnitius pag. 324. non putat impium, qui calices in itinere torrefactos Chrismate isto inungat: & reipsa in Gallia Caluinistæ dicũtur ocreas suas Chrismate inunxisse. Vt autem commodiùs hæc veritas probari possit, statuam sequentes propositiones.

PRIMA propositio: *Chrisma, siue Vnctio, materia est sacramenti Confirmationis.* Hæc certissima est Catholicis, ex Concilio Florentino in Instructione Armenor. & Cõcilio Tridentino, sess. 7. cano. 2. de Confirmatione. Probatur, primò ex duobus locis Scripturæ, vbi vel expressè fit mentio huius vnctionis, vel certè ad eam alluditur. Prior est, 2. Corinth. 1. *Qui cõfirmat nos Deus, & vnxit nos, & signauit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hunc locum exponunt de sacramento Confirmationis, Ambrosius libro de ijs, qui initiantur mysterijs, cap. 7. & Anselmus, ac Theodoretus in commentario, & verba ipsa satis apertè hoc significant. Nam in primis verbum (*Confirmat*) proprium est huius sacramenti, in quo robur datur. Deinde (*Vnxit nos*) vel refertur ad ipsam vnctionem externam, vel si referatur ad internam, fit allusio ad externam; ideò enim interna illa illustratio, & operatio Spiritus sancti dicitur vnctio, quia per vnctionem externam, dari & significari solet. Illud autem (*Signauit nos*) referri potest tum ad internam obsignationem per characterem, tum ad externum signaculum crucis, quod in hoc Sacramento in fronte imprimitur. Denique illud (*Dedit pignus Spiritus in cordibus*) apertissimè designat effectum principalem huius sacramenti, qui est donum charitatis. Posterior locus est, 1. Ioã. 2. Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, &c. Hunc locum de hoc sacramento exponit Cyrillus catechesi 3. mystagogica, & Augustinus tract. 3. in epistol. Ioannis, vbi dicit, esse quoddam sacramentum vnctionis, cuius tãtùm virtus inuisibilis sit.

SECVNDÒ probatur, & quidem efficaciùs ex communi consensu Pontificum, Conciliorum, & Patrũ, Græcorum ac Latinorum, quos suprà citauimus. Tametsi enim Scripturæ testimonia primum locum habent, quando perspicua sunt: tamen cùm ea non sunt ita manifesta, plus momenti habet Ecclesiæ auctoritas, quam ipsa Scriptura apertissimè commendat.

SECVNDA propositio: *Materia Confirmationis non est oleum simplex, sed oleum mixtum balsamo.* Probatur, Primò ex traditione maiorum. Nam in primis Dionysius Areopagita, etiamsi nõ nominat balsamum, tamẽ apertè describit ab effectu, seu proprietate: siquidem in Ecclesiastica hierarchia, cap. 4. parte tertia, dicit, Chrisma cõponi ex varijs rebus, & odoriferum esse: *Discimus*, inquit, *vnguenti compositionem esse collectionem suauiter spirãtium materiarum.* Secundò Clemens libro 7. constit. Apostol. cap. 44. in benedictione Chrismatis mẽtionem facit fragrantiæ odoris. Tertiò Fabianus Papa & martyr in epist. 2. ad Orientales apertè dicit, Christum ipsum instituisse, vt Chrisma cõficeretur ex oleo admixto balsamo. Quartò Cyprianus, vel quicunque est auctor, in sermone de vnctione Chrismatis: *Hodie*, inquit, *in Ecclesia sacrum Chrisma conficitur: in qua mixtum oleo balsamum sacerdotalis & regiæ gloriæ exprimit vnitatem.* Quintò Gregorius Turonensis libro de gloria Martyrum, cap. 40. enarrans ingens miraculum, quod exstat etiam apud Prudentiũ in libro contra Iudæos, pro eo, quod Prudentius dixerat: *Lotus & vnctus*, (sic enim requirebat ratio carminis) ille ait: *Baptismo lotus, & balsamo vnctus.* Vbi videmus Gregorio interprete, tempore Prudentij in Chrismate fuisse balsamum, immò etiam diu ante Prudentij tempora. Is enim narrat historiam, quæ tempore Ethnici Imperatoris acciderat; qui cùm victimarum intestina inspiceret, & inde per artes dæmonum responsa quæreret, nihil efficere potuit, quòd dæmones timuerint præsentiam adolescentis, qui cum Imperatore aderat, qui & Baptismo lotus, & Chrismate in fronte delibutus fuerat. Sextò Gregorius Papa, vt suprà citauimus in primum cap. canticorum, disertis verbis asserit, chrisma ex oleo, & balsamo cõfici: neque aliquid noui institui, sed solùm refert, quod in vsu Ecclesiæ erat. Septimò Concilium II. Braccarense, can. 4. celebratum paulò post Gregorij mortẽ; expressè etiam meminit balsami; vt etiam Concilium Florentinũ in instructione Armenorum, & omnes Scholastici ac recentiores auctores.

CÆTERI Patres veteres, etiamsi non expressè balsamum nominent, tamen satis apertè idem significare videntur; cùm non oleum, sed Chrisma appellant vnctionem, quæ datur in sacramento confirmationis: nam ex Ecclesiæ vsu chrisma non significat simplex oleum, sed vnguentum confectum ex pluribus rebus. Id patet ex Innocentio III. cap. Pastoralis, extrà de sacramentis non iterandis; vbi referens quendam in sacramento confirmationis per errorem vnctũm simplici oleo benedicto, non autem vnguento ex oleo & balsãmo, vt est consuetudo, scribit eum vnctum fuisse simplici oleo benedicto, non Chrismate: vbi distinguit chrisma ab oleo propter alterius liquoris admistionem. Sic etiam Concilium II. Carthaginense, canone 3. & Concilium III. Carthaginense, can. 36. dicunt, non licere Presbytero chrisma conficere. Quid autem est chrisma conficere, nisi ex pluribus liquoribus vnum vnguentum facere?

SECVNDÒ accedit figura testamenti veteris. Nam vngũtum, quod Deus iussit fieri Exodi 30. quo vngeretur tabernaculum, & sacerdotes; figura erat chrismatis, quo vngitur Ecclesia, quæ est verum Dei tabernaculum, vt docent, Cyprianus sermone de vnctione chrismatis, &

Petrus Damianus sermone primo de Dedicatione. Illud autẽ erat ex oleo oliuarum cũ admistione odoriferorum succorum, quorum vnum erat שׁשׁם quod flacten, & etiã balsamum fuisse dicitur.

DENIQVE accedit etiam congruentia, quam dum ridiculã videri vult Kemnitius, ipse se ridiculum probat. Ratio Theologorum, & ipse etiam sancti Thomæ 3. parte, quæstione 72. articulo 2. est, quia debet materia Sacramenti significare effectum Sacramenti. Porrò effectus huius Sacramenti præcipuus est confirmatio in fide, quæ duo requirit, puritatem & feruorem fidei in corde, & constantem confessionem in ore: primum apertissimè significatur oleo, quod liquor purissimus, & subtilis, lucidus, & calidus est: secundum non minùs aptè significatur balsamo, quod bonum odorem effundit ad alios.

PRAETEREA huius Sacramenti effectus significati sunt in illis igneis linguis, quæ apparuerunt super Apostolos in die Pentecostes. Etsi enim Apostoli sine Sacramento confirmati sint illo die ab ipso Deo immediatè, tamen non sine visibili symbolo effectum inuisibilem significante. Illis ergo duobus symbolis, igni & linguis, seu potiùs vni ex duabus partibus constanti, id est, linguis igneis respondent optimè in Sacramento nostro oleum, & balsamum, seu Chrisma ex oleo, balsamóque confectum.

HANC rationem his verbis Kemnitius irridet pagina 284. *Arrige aures, optime Lector, magnum, & insigne audies acumen.* Et infrà: *Miraberis scio, vbi audieris; Igni in Pentecoste respondet in Pontificia Cõfirmatione oleum. Qua ratione? quia oleum nutrit ignem. Sed idem facit etiam baculus quercineus fumo benè induratus. Species linguarum respondet balsamum, quia est odoriferum. Sed quid linguæ commune est cum odoribus: num lingua odoramur?* Hæc ille.

AT non mirum, si absurdus homo absurdè intellexit, quæ benè à doctis viris dicta, & scripta sunt. Non enim dicimus oleum respondere igni, quia nutrit ignem; sed quia sicut in Scripturis per ignem significatur sapientia, & charitas, & ipse Spiritus sanctus illustrans, & calefaciens corda, vt ignis illustrat, & accẽdit corporalia etiam in Scripturis oleum; siue vnctio significat eandem charitatem, & sapientiam, & ipsum Spiritum sanctum. Nam oleum res facit lucidas, & perspicuas, & simul fouet, emollit, penetrat, &c. Itaq; de igne legimus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram*, & ad Hebræos 12. *Deus noster ignis consumens est.* Et similiter de vnctione legimus. Act. 10. *Vnxit eum Spiritu sancto, & virtute.* 1. Ioan. 2. *Vnctio docebit vos de omnibus.* Non inueniet autem Kemnitius, vbi in Scripturis Spiritus sanctus baculo quercineo comparetur. Quod attinet ad linguas & balsamum, in eo posita est similitudo, quòd sicut per linguam cõmunicatur vox, & eo modo foras prodit confessio fidei: ita per balsamum communicatur odor, & eodem modo significatur exterior protestatio veræ fidei. Sed de nugis Kemnitianis satis.

TERTIA propositio: *Chrisma, quod est materia Sacramenti Confirmationis, prius consecratum ac benedictum esse debet.* In hac etiam Catholici omnes conueniunt. Et quia Caluinus & Kemnitius hanc benedictionem superstitiosam, & magicam vocant, ita vt Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 8. vocet Chrisma consecratum, oleum Diaboli mendacio pollutum; & Kemnitius pag. 287. dicat appellari debere Chrisma excantatum: probanda est hæc veritas testimonijs veterum sanctorum Pontificum, Conciliorum, Patrum.

IGITVR probatur, Primò ex traditione Ecclesiastica sanctorum Pontificum. Clemens Romanus satis fusè de ista consecratione tractat, quam etiam Apostolis tribuit lib. 7. Apostol. constit. cap. 42. & 44. Idem docet Fabianus Papa, & Martyr, in Epist. 2. suprà notata, qui etiam addit singulis annis feria 5. in Cœna Domini nouum Chrisma consecrandum. Damasus I. epist. 4. Innocentius I. epist. 1. cap. 3. Leo I. epistol. 88. Gelasius I. epist. 1. Ioan. III. in epistola vnica. Gregorius I. in cap. 1. Cantic. & Innocentius III. cap. Cùm venisset, extra de sacra vnctione, disertis verbis docent, Chrisma esse consecrandum, idque à solo Episcopo.

SECVNDÒ probatur ex Concilijs. Concilium Nicænum can. 69. secundum Arabicum codicem in Latinũ nuper conuersum, expressè meminit triplicis consecrationis, quæ etiam nunc in Ecclesia viget, id est, olei Catechumenorum, olei infirmorum, & Chrismatis. Concilij Laodicenum can. 48. sacratissimum Chrisma vocat; quo nomine non illud appellaret, nisi consecratum esset. Cõcilium Romanum sub Syluestro can. 5. prohibet Presbyteris, ne Chrisma faciant, quia nimirũ id ad munus Episcopi pertinet. Porrò Chrisma facere non est solùm miscere oleum, cum balsamo, sed etiam simul consecrare: nam alioqui etiam Pharmacopolæ Chrisma facere possent. Idem paulò pòst prohibuerunt Concilia Carthaginensia II. can. 3. & III. cano. 36. Concilium IV. Carthaginense can. 3. iubet Parochis, vt omni anno ante Pascha petant Chrisma ab Episcopo propitio, idque non per clericos iuniores, sed per seipsos, aut per illum, qui sacrario præest. Vbi videmus in hoc concilio, quod apud omnes est maximæ auctoritatis, idem haberi de Chrismate singulis annis renouando, quod habetur in epistola Fabiani, quam nonnulli apocryphum esse volunt. Videmus præterea quantam reuerentiam huic sancto oleo Concilium detulerit, cùm prohibuerit deferri à clericis iunioribus, sed expressè præceperit, vt ipse, qui præest parœciæ, aut certè qui præest sacrario, illud accipiat ab Episcopo, Idem habet Concilium Vasense can. 2, vbi etiam dicit, non decere, vt summa infimis committantur, & ideò non debere Chrisma deferre clericum vllũ nisi vt minimùm sit subdiaconus. Concilium Toletanum I. can. 20, iterum declarat soli Episcopo licere Chrisma cõsecrare, & ab eo petendum singulis annis paulò ante Pascha. Concilium I. Hispalense can. 7. I. Bracarense can. 37. Concilium sancti Bonifacij Martyris quod exstat in vita ipsius, & Vvormacience Concilium can. 2. & 8. ac denique Florẽtinum in instruct. Armenorum idem habent.

NOTANDVM autem est, hæc Concilia non solùm antiquissima esse, præter Florentinum, sed in diuersissimis prouincijs celebrata: Nicænum, & Laodicenum in Græcia: Romanum, & Florentinum in Italia: Carthaginensia in Africa: Toletanum, & Hispalense in Hispania: Bracarense in Lusitania: Vasense in Gallia: Concilium S. Bonifacij, & Vvormacience in Germania. Ex quo intelligi potest omninò, totam veterem Ecclesiam conculcare hæreticos huius temporis, qui Chrismatis consecrationem vt rem magicam execrantur.

TERTIÒ probatur ex Patribus. Dionysius Areopagita toto 4. cap. hierarchiæ Ecclesiasticæ de ista consecratione agit, quam etiam ab Apostolis se didicisse affirmat. Theophilus Antiochenus Episcopus ab Apostolo Petro VI. in libro 1. ad Autolycum (qui habetur in 5. tomo bibliothecæ sanctorum Patrum) vocat sanctum Chrisma diuinum oleum; vbi etiam dicit Christianos ab hac vnctione denominari. Quod est notandum contra Kemnitium, qui pagina 305. atque Cyrillum mendacij contra verbum Dei, quòd dixerit non esse dignos nomine Christiani, qui non sunt vncti Chrismate: *Cùm tamen constet*, inquit Kemnitius, *nomen Christianorum ortum esse Antiochiæ, teste Luca Actor. 11.* Quasi verò non potuerit Antiochiæ primùm hoc nomen imponi, & tamen à Chrismate deriuari. Certè melùs nouerat res Antiochenas Theophilus Antiochenus, & proximus Apostolicis temporibus, quàm Kemnitius Germanus, & qui paulò antè viuere cœpit.

TERTVLLIANVS li. de Baptismate. *Exinde*, inquit,

egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione. Cyprianus lib. 1 epist. 12. *Oleū*, inquit, *in Altari sanctificatur, sanctificare autem olei creaturam non potuit, qui nec Altare habuit, nec Ecclesiam. Vnde nec vnctio spiritualis apud hæreticos esse potest, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.* Auctor serm. de vnctione Chrismatis, apud eundem Cyprianum: *Hodie* (id est, feria 5. in cœna Domini) *vnguentum ad sanctificationem paratur.* Basilius lib. de Spiritu sancto. cap. 27. *Benedictus*, inquit, *aquam Baptismatis, & oleum Vnctionis.* Cyrillus catechesi 3. mystagog. *Sanctum vnguentum non amplius est vnguentum nudum, postea quam consecratum est, sed Christi Chrisma.* Optatus lib. 2. *Vt omnia*, inquit, *sacrosancta Episcopi vestri violarent, Eucharistiam iusserunt canibus infundi, & ampullam Chrismatis per fenestram, vt eam frangerent, proiecerunt.* At certè nec sacrosanctum Chrisma vocaretur, nec cum Eucharistia conferri posset, nisi consecratum. Augustinus li. 5. de Baptismo. cap. 19. & 20. tractãs argumentum Cypriani, quo ille probare volebat, hæreticos non habere vera Sacramenta, quia non possunt cõsecrare oleum, quo inunguntur Baptizati, vt accipiant Spiritũ sanctũ: non ait (quod certè dicere debuit secundũ Caluinũ, & Kemnitiũ) non esse opus oleũ cõsecrare immò superstitionem, & incantationem esse olei consecrationem: sed respondet, posse hæreticos oleum consecrare, quia nimirum potestas consecrandi non est in illis ab hæresi, sed ab ordinatione, quam veram, & sanctam susceperunt. Et probat à simili: nam si possunt Sacerdotes homicidæ, & adulteri in Ecclesia, etiam Cypriano consentiente, oleum consecrare; cur non hæretici, modò sint verè ordinati? *Cur*, inquit, *ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit Deus oleum sanctificare, & in Altari quod hæretici posuerunt, non possit, nescio.* Vide etiam tract. 118. in Ioannem prope finem.

His accedant Beda in cap. 8. Actorum, Rupertus lib. 5. de diuinis officijs, cap. 17. & 18. Isidorus lib. 1. de diuinis officijs, cap. 28. Rabanus lib. 2. de Instit. Clericorum, cap. 26. Alcuinus lib. de diuinis officijs, cap de feria 5. in cœna Domini: & Amalarius lib. 1. de officijs Ecclesiasticis, cap. de eadem feria 5. & Petrus Damiani serm. 1. de Dedicatione templi.

Quarta propositio: *Vnctio Chrismatis ad Crucis figuram in fronte hominis baptizati fieri debet, vt sit vera, & proxima Sacramenti huius materia.* Hæc satis patet ex locis suprà citatis. Expressè enim nominant signaculum in fronte ex Pontificibus Damasus, Innocentius, Leo, Ioannes III. Gregorius I. ex Concilijs II. Hispalense, & Florentinum: ex Patribus Tertullianus lib. de præscriptione: *Signa*, inquit, *in fronte milites tuos.* Cyrillus, catechesi 3. mystagog. Prudentius in Ψυχομαχίᾳ Augustinus in Psal. 141. in illa verba: *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi*: vbi dicit, Sacramenta varia, in varijs partibus accipi, quædam toto corpore, vt Baptismum: quædam in ore, vt Eucharistiam; quædam in fronte, vt signaculum crucis in confirmatione. Et causam reddit, quia frons est locus pudoris: datur autem hoc signaculum, vt non erubescamus Dominum confiteri, etiam coram persequutoribus. Idem habent Rabanus, Petrus Damiani, & alij omnes.

CAPVT IX.

Soluuntur obiectiones contra materiam Confirmationis.

Prima obiectio Brentij in confessione Vvirtemberg. cap. de Baptismo. Vsus Chrismatis ad elementa huius mundi pertinet, & ad Iudaicas cæremonias, à quibus nos reuocat Paulus Coloss. 2. *Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi huius, quid adhuc his detinemini?* Respondeo, Si argumentum valeret, probaret etiam non esse vtendum aqua in Baptismo, nec pane in Eucharistia, quia his rebus vtebantur etiam Iudæi, cùm haberent aquam expiationis, & panes propositionis quare sicut potuit aqua, & panis deseruire vmbræ & veritati, sic potest etiam oleum. Paulus autem reuocat nos à cæremonijs Iudaicis, quæ verè elementa erant, & egena, vt ipse alibi dicit, cùm iustificare non possent: non autem à Sacramentis Christianis, licet in eadem materia consistant.

Secvnda obiectio; Dionysius Areopagita nõ obscurè significat ritum Chrismatis desumptũ ab athletis vnctionibus Ethnicorum, & partim ex lege Mosaica. Ac Moses Deut. 12. *Caue*, inquit, *ne imiteris Gentes, & requiras cæremonias eorum, &c.* Respondeo, Dionysium tribuere Chrismatis doctrinã Apostolis Christi, non Ethnicis, aut Iudæis, vt suprà ostendimus. Quod autem ait de Iudæis, pertinet ad figuram huius Sacramenti, non ad ipsam essentiam, & veritatem. Quod verò de athletis dicit, non pertinere ad cæremoniam, & cultum, vt somniat Brentius, sed ad effectum Sacramenti per similitudinem explicandum: vt enim athletæ vngebantur, vt vincerent in certamine corporali, ita nos vngimur sancto Chrismate, vt vincamus in certamine spirituali. Qua similitudine vtuntur plurimi Patres, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & alij. Non igitur facit ad rem testimoniũ Deuteronomij: non enim athletæ vnguntur, vt ea cæremonia Deum colant.

Tertia obiectio. Acta Conciliorũ testantur Chrisma institutum esse à Sylvestro, non igitur Apostolis in vsu esse potuit, vt Fabianus scribit. Respõdeo, Acta Cõciliorum, seu potiùs Damasus in vita Sylvestri, solùm testatur, Sylvestrum præcepisse, vt Presbyteri tangerent verticem baptizati Chrismate, quæ vnctio distincta est à Sacramento confirmationis, quod in fronte ab Episcopo datur. Non potuisse autem Chrisma à Sylvestro institui, euidenter patet ex Tertulliano, Theophilo Antiocheno, Cypriano, Cornelio, & alijs suprà citatis, qui fuerunt ante Sylvestrum, & expressè Chrismatis meminerunt.

Primvm argumentum obiicit Kemnitius contra propositionem primam ex Scripturis. Nam Actor. 2. & 10. datur Spiritus sanctus sine vllo Chrismate. Ité Act. 8. & 19. fit mentio impositionis manuũ, non autẽ Chrismatis.

Respondeo; Quòd attinet ad cap. 2. & 10. Actorum, non fuisse in his locis ministerio Sacramentorum datum Spiritum sanctum, sed singulari priuilegio datum à Deo effectum Sacramenti sine Sacramento.

Qvod verò pertinet ad alia duo loca, duæ dari solent responsiones. Prior est aliquorum Scholasticorum, qui dicunt Apostolos vario modo ministrasse hoc Sacramentum; ac primis quidem temporibus, quia visibiliter descendebat Spiritus sanctus, non vsos fuisse eos vlla vnctione, sed simplici manus impositione: siquidem, effectum internum satis testabatur externus ille ignis, qui diuinitus apparebat. At postea cùm formæ illæ visibiles cessassent, tum adhibere eos cœpisse vnctionem, vt per eam significarent id, quod antea visibili specie diuinitus apparente significabatur. Si obiicias non potuisse Apostolos instituere materiam Sacramenti: Respondẽt, eos non instituisse, sed à Christo id mandatum accepisse, vt modò vterentur manus impositione, modò Chrismate, prout opportunũ esse iudicarent. Hæc solutio non est omnino improbabilis, & ab ea non abhorret sanctus Thomas tertia parte, quæstione 72. artic. 2. & fortasse possent huc trahi testimonia Concilij Florentini, & Innocentij cap. Cùm venisset, extrà, de Sacra vnctione, qui dicunt dari in Ecclesia Sacramentum confirmationis loco manus impositionis Apostolicæ.

Est tamen alia solutio, quæ longè mihi probabilior videtur, Thomæ Valdensis tomo II. de Sacramentis, cap. 113. & Hugonis de sancto Victore libr. 2. de Sacramentis, parte 7. capite secundo, qui dicunt idem esse vnctionem Chrismatis, & manus impositionem; qui enim inungit, manus imponit: & idcirco vtrumque significari, etiamsi

alterum tantùm exprimi videatur. Hæc solutio probabilior est. Nam constat Apostolos in Confirmatione vsos esse Chrismate, cùm dixisset: *Credo Filium Dei esse Iesum.* Augustinus autem rectè notat Lucam per compẽdium rem attigisse, sed omnino credendum esse, de multis alijs interrogatum Eunuchum, & multas alias cæremonias adhibitas in illo Baptismo. Alterum exẽplum esse potest id, quòd Lucas ait, Apostolos baptizasse in nomine Christi, Act. 8. 19. & alibi. Nam vt suprà ostendimus, Apostoli baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: sed Lucas id per compendium dicere maluit, sciens rem esse notissimam. Aliud exemplum esse potest in eo, quod Paulus ait ad Tit. 3. nos saluari per lauacrum regenerationis; vbi nihil dixit de verbo, & tamen intellexit sine vllo dubio lauacrum cum verbo, vt ipse idem alibi expressit Ephes. 5. Et multa sunt huiusmodi, quæ longum esset recensere.

Vna est hîc difficultas, quòd videtur hæc nostra solutio repugnare Innocentio III. cap. Cùm venisset, extrà, de sacra vnctione, & Concilio Florentino in instructio. Armenorum. Nam Innocentius dicit, per frontis Chrismationem, designari manus impositionem Apostolorum: Concilium autem dicit loco illius manus impositionis dari nunc in Ecclesia Confirmationem.

Respondeo In primis, non omnia quæ habentur in Decretis aut Concilijs, ad fidem pertinere, sed solùm ea, quæ definiuntur: hoc autem, de quo agimus, non definitur, sed tantùm obiter dicitur ad rem explicandam.

Dico tamen secundò & meliùs, ac tutiùs, Innocentium, & Concilium non velle dicere, Chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non vterentur Chrismate, & nos non vtamur impositione manus: sed velle dicere, id ipsum quod Apostoli faciebant, cùm dicebantur imponere manus, facere nunc Episcopos, cùm dicuntur Confirmare, vel Chrismare. Distinguitur enim in his locis, non ritus à ritu, sed modus loquendi à modo loquendi; & personæ à personis, & denique illa particularis impositio manuum ab ista, quæ modò est: siquidem tunc communiter dicebatur hoc Sacramentum, impositio manus, nunc dicitur communiter Confirmatio: præterea illam dabant Apostoli, istam Episcopi: denique illa erat efficacior, quia cum effectu interno dabat etiam externum, & cum gratia gratum faciente: dabat etiam dona gratis data linguarum, & miraculorum, &c. Hac ergo ratione dici potest, id quod nunc fit, esse loco eius, quod tunc fiebat, licet sit idem, quoad substantiam. Et quòd hic sit sensus eorum locorum, probatur dupliciter: Primò, quia Concilium & Innocentius, non dicunt Chrisma esse loco impositionis manuum, sed Sacramentum Confirmationis esse loco impositionis manuum. At certè Apostoli omnium consensu dabant Sacramentum Confirmationis, siue adhiberent Chrisma, siue non. Secundò, quia Concilium & Innocentius ibidem dicũt, Episcopos esse in Ecclesia loco seu vice Apostolorũ. At certè Apostoli veri Episcopi erant, licet aliquid etiam amplius haberent.

Secvnda obiectio Kemnitij contra eandem propositionem sumitur ex Patribus. Nam vt ipse dicit, Tertullianus in lib. de Baptismo dicit, hanc vnctionem sumptam esse ex veteri disciplina, id est, ex Testamento veteri; proinde non à Christo institutam. Cyprianus in sermone de ablutione pedum, dicit has cæremonias non à Christo, sed ab hominibus institutas: & in sermone de Chrismate dicit, relictam esse hanc vnctionem ex Testamento veteri. Basilius ait, nullum extare λόγον γεγραμμένον de vnctione Chrismatis. Atque ex his auctoribus dicit Kemnitius satis apertè refelli mendacium Fabiani Papæ & Martyris, qui asseruit hanc vnctionem à Christo ipso Apostolis traditam.

Respondeo, Tertullianũ id solùm asserere, præ-

ceſſiſſe in Teſtamento veteri figuras huius Sacramenti; ex quo non ſequitur non eſſe à Chriſto inſtitutum: nam ibidem aſſerit diluuium fuiſſe figuram Baptiſmi, & tamen fatetur Kemnitius non negaſſe Tertullianum Baptiſmum à Chriſto inſtitutum. Cyprianus in ſermone de ablutione pedum non loquitur de Sacramento confirmationis, cùm dicit cæremonias Sacramentorum ab hominibus inſtitutas, ſed intelligit alios ritus, quos adhibemus; immò contrarium colligitur ex hoc auctore. Nam in iſto ſermone de ablutione pedum, dicit Chriſtum eſſe auctorem ſui Sacramenti, & ſermone ſequenti, qui eſt de Chriſmate, dicit hanc vnctionem eſſe diuinitus inſtitutã, & eſſe Sacramentũ: ex quo certè colligitur à Chriſto inſtitutam. Neq; obſtat, quòd aſſerat manaſſe ex Teſtamento veteri, quia id intelligit ratione figurarum, vt diximus de Tertulliano. Porrò Baſilius nihil affirmat contra nos, aut ſanctum Fabianum: neque enim aut ſanctus Fabianus, aut nos dicimus eſſe ſcriptam in diuinis literis inſtitutionem Chriſmatis, ſed dicimus haberi ex traditione non ſcripta, & tamen certiſſima, & cui fides habenda eſt, vt ipſi verbo ſcripto, vt ibidem ſcribit Baſilius, libro videlicet de Spiritu ſancto, cap. 27.

A

B

Tertia obiectio Kemnitij contra ſecundam propoſitionem. Natiuum balſamum vnà cum arboribus iam periiſſe conſtat. Scribit enim Plinius libro 10. capite 25. verum balſamum ſolùm in duobus hortis Iudææ naſci ſolitum, qui horti iam dudum vaſtati ſunt: *Periit igitur*, inquit Kemnitius, *materia Confirmationis, ſi ea neceſſariò balſamum requirit: neque poteſt ſuppleri artificioſo, & factitio balſamo balſamum naturale: quemadmodũ nec aqua Baptiſmi factitia aqua, nec vinum Euchariſtiæ factitio aliquo vino.* His addunt quidam Catholici, non eſſe probabile, Chriſtum inſtituere voluiſſe Sacramentum aliquod in re tam incerta, rara, pretioſa, quæ vix magno labore, & ſumptibus obtineri poteſt.

C

Respondeo; Queſtionem eſſe inter Theologos, vtrum balſamum requiratur in Chriſmate neceſſitate Sacramenti, an ſolùm neceſſitate præcepti. Et quidẽ veteres omnes Theologi diſt. 7. lib. 4. ſentent. & Iureconſulti in cap. Paſtoralis, extra de Sacramentis non iterandis, docent balſamum requiri neceſſitate Sacramenti, ita vt Sacramentum irritum ſit, ſi abſque balſamo detur. Tamen recentiores quidam, Caietanus in 3. parte quæſt. 72. art. 2. Dominicus à Soto libro 4. ſentent. diſt. 7. quæſt. 1. art. 2. & Franciſcus Victoria in ſumma de Sacramento Confirmationis, putant balſamum non requiri ad eſſentiam Sacramenti, ſed neceſſariò adhibendum ex diuino præcepto. Vtrique nituntur quodam textu Iuris canonici, cap. Paſtoralis, extra de Sacramentis non iterandis, quem textum vtraque opinio ad ſe trahit. Neutra opinio eſt de fide, vel contra fidem, & fallitur Kénitius pag. 309. vbi docet, Concilium Florentinum definiuiſſe contra Scholaſticos, balſamum requiri in Chriſmate. Nam Concilium non expreſsit, quomodo requiratur, ſed dixit materiam eſſe oleum cum Balſamo, vt etiam in Euchariſtia dixerat materiam eſſe vinum cum aqua: & tamen omnes fatentur, aquam non eſſe ita de eſſentia, vt ſine ea ſit irritum Sacramentum.

D

Ad argumentum autem Kemnitij nego balſamũ verum, & natiuum periiſſe. Nam etſi aliquando opinione Plinij tantùm in duobus hortis Iudææ naſcebatur balſamum, tamen in Indijs naſcitur, & inde adhuc aduehitur. Neque refert ſi id Plinius ignorauit: nec enim ille omnia ſcire potuit. Neque balſamum, quod adferrur ex Indijs artificioſum, aut factitium dici debet, licet fortè non ſit eiuſdem ſpeciei cum eo, quod naſcitur in Palæſtina. Variæ enim poſſunt eſſe ſpecies balſami, vt ſunt variæ ſpecies vini; & quælibet idonea eſt ad Sacramentum conficiendum. Adde, Plinium id, quod refert de duobus hortis, referre de tempore antiquo: nam ſuo tempore fatetur multas fuiſſe arbores balſami in Palæſtina: & Hieronymus, qui trecentis annis fuit poſt Plinium, in caput vicesimum ſeptimum, Ezechielis; immò & Gregorius, qui ducentis annis poſt Hieronymum, & quingẽtis poſt Plinium, in caput primum Canticorum, affirmant tempore ſuo in vineis Engaddi balſamum gigni ſolitũ. Falſum igitur eſt, balſamum natiuum periiſſe. Ad confirmationem reſpondet praxis Eccleſiæ. Licet enim rarum, & pretioſum ſit balſamum, tamen adhuc nunquam defuit Eccleſiæ, neque ex penuria balſami prætermiſſa eſt aliquando Confirmatio. Quod ſi per annos mille, & ferè ſexcentos Deus prouidit, certè non deerit deinceps.

Quarta obiectio eſt contra tertiam propoſitionem, quia videtur eſſe quædam ſpecies magiæ & incantationis ritus conſecrandi Chriſmatis. Sed de hoc argumento ſuprà diximus in materia de Sacramẽtis in genere, & dicemus etiam poſtea cùm agemus de cæremonijs huius ſacramenti.

Quintam obiectionem contra quartam propoſitionem ſumit Kemnitius ex Cyrillo, & Ambroſio. Cyrillus enim catecheſi 3. myſtagogica dicit, Chriſmate inungi omnes ferè corporis ſenſus; Ambroſius autem libr. de ijs, qui initiantur myſterijs, cap. 6. dicit, caput inungi & inde vnguentum ad barbam defluere. Non igitur certũ eſt, quod nos diximus, Chriſma in fronte adhibendum eſſe. Reſpondeo; Cyrillum loco citato, præcipuè velle frontem inungi, vt ipſe expreſsè ait, deinde alios ſenſus; quod quidem non eſt contra nos: ſiquidem id ſolùm aſſerimus, niſi in fronte adhibeatur Chriſma, Sacramentũ nullum eſſe; non tamẽ negamus, quin deinde poſsit iuxta varios Eccleſiæ mores inungi etiam alia aliqua corporis pars. Porrò Ambroſius loco citato à Kemnitio, non agit de confirmatione, ſed de vnctione, quæ fit in Baptiſmo: quam etiam nos fatemur in vertice capitis faciendã: de confirmatione autem agit Ambroſius, cap. ſequenti.

CAPVT X.

De forma Sacramenti Confirmationis.

Forma huius Sacramenti, ſunt hæc verba, *Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Neque dubitari poteſt, quin hæc ſit conueniens forma, cùm aperè explicet & cauſſam principalem, quæ eſt ſancta Trinitas: & cauſſam miniſtralem, quæ eſt ille, qui verba ipſa profert: & denique effectum Sacramenti, qui eſt, facere Chriſti militem inſigniendo illum cruce, & roborare, atque armare confirmando Chriſmate. Habetur autem hæc forma diſertis verbis in Concilio Florent. in Pontificali Romano, & apud S. Thomam tertia parte, quæſt. 72. art. 4.

Apvd antiquiores auctores nõ habentur hæc omnia verba, & hoc ordine, tamen habetur idem ſenſus, & hoc ſufficit. Nam vis formæ ſacramentalis poſita eſt in ſenſu, nõ in ſono, aut numero literarũ: alioqui ſi quis Græcè, aut Hebraicè, aut alio idiomate iſta verba proferret, nihil efficeret. Igitur ordo Romanus, qui eſt antiquiſsimꝰ liber, cũ ab Alcuino, & Amalario citetur, qui fuerunt ante annos D.CCC. in officio Sabbathi ſancti deſcribens ritũ Confirmationis, dicit Epiſcopum per modum orãtis hęc verba pronunciare. *Signa eos Domine ſigno Crucis*; ac deinde, cùm tangit pollice frontem, dicere, *Ego te confirmo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vbi videmus planè eundem ſenſum verborum. Neque refert, quòd ibi dicatur, *Signa eum*, & nos dicamus, *Signo te*: nam ſemper ſignificamus Deũ eſſe, qui ſignat principaliter, & hominem qui ſignat miniſterialiter: vnde etiã forma Græcorum, qua in Baptiſmo vtuntur: *Baptizetur ſeruus Chriſti*, cenſetur ab omnibus legitima, etiam ſi nos alio modo dicamus. Quod etiam in Ordine Romano non habetur

non videtur multùm referre: nam includitur in verbo (*Confirmo*) & ſatis oſtenditur ipſa actione, chriſmate illum confirmari; quomodo idem eſſet ſi quis diceret, baptizo te, vel baptizo te aqua. Quare non videtur illa particula eſſentialis, licet omitti non debeat, quia Eccleſia præſcribit, vt dicatur: quemadmodum in forma baptiſmi: *Ego te baptizo*, &c. illud (*ego*) non eſt de eſſentia: & in forma Euchariſtiæ: *Hoc eſt enim corpus meum*, illud (*enim*), & in forma calicis (*myſterium fidei*) & quædam alia, non ſunt de eſſentia.

Ex quo duo quædam intelligimus. Primò Alcuinum in libro de diuinis officiis, capite de Sabbatho ſancto, vbi dicit, Romæ Pontificem, cùm confirmat, ſolitum vngere frontem, & dicere: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, non integram formam retuliſſe, ſed ſolùm partem: nam citat Ordinem Romanum, in quo expreſsè habentur plura, vt iam dixi. Secundò intelligimus, falli quoſdam, qui exiſtimant Ambroſium poſuiſſe formam confirmationis, cùm ait: *Veniſti ad ſacerdotem, quid tibi dixit? Deus Pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te vngat in vitam æternam.* lib. 2. de Sacrament. c. 7. Nam hæc verba quæ Ambroſius ponit, in Ordine Romano dicuntur à presbytero, cùm linit verticem baptizati; poſt quam cæremoniam ſequitur poſtea confirmatio Epiſcopalis. Vnde etiam Amalarius lib. 1. de officiis Eccleſiaſticis, ca. 27. dicit, iſta verba eſſe presbyteri, qui ſolùm forma deprecatoria vtitur. Epiſcopus enim non ſolùm deprecatoriè, ſed etiam ex poteſtate ſua, quam à Deo accepit, dicit: *Ego te confirmo.* Porrò ex Patribus Ambroſius ſatis apertè huius formæ meminit, cùm ait in libro de iis, qui initiantur myſteriis, c. 7. *Serua quod accepiſti, ſignauit te Deus Pater, confirmauit te Chriſtus Dominus.* Neque eſt mirum, quod quædam omiſerit: nam eo loco non referebat ipſam formam, ſed tantùm reuocabat in memoriam confirmatorũ ipſum ritum, quo fuerant confirmati; ad id autem ſatis erat, ſi principalia verba commemoraret.

A

B

Non debet autem mirum videri, ſi Patres non expreſsè ponunt hanc formam: nam neque aliorum Sacramentorum formas deſcribũt, tum quod res eſſent omnibus Chriſtianis notæ ob quotidianum vſum, tum etiam ne Gentilibus, qui libros noſtros videbant, proderent eiuſmodi myſteria ſine neceſſitate. Itaque nullus ferè eſt veterum, qui diſertis verbis ſcripſerit formam baptiſmi eſſe: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, Spiritus ſancti*: tantùm dicunt Baptiſma dari cum inuocatione Trinitatis. Immò Dionyſius, cap. vlt. hierarchię Eccleſiaſticę dicit, fas non eſſe literis mandare verba, quibus in adminiſtratione Sacramentorum vtitur Eccleſia. Et Innocentius I. in ep. 1. c. 3. de confirmatione loquens: *Verba*, inquit, *dicere non poſſunt, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.* Denique ipſe etiam Magiſter ſentẽtiarum lib. 4. diſt. 7. noluit verba formæ huius Sacramenti ponere: tantùm ait, formam eſſe manifeſtam, nimirum verba, quibus Epiſcopi vbique vtuntur, cùm hoc Sacramentum adminiſtrant.

C

Sed obiectiones hæreticorum videamus.

Prima obiectio Caluini eſt lib. 4. Inſtit. c. 19. §. 5. vbi poſtquam recitauerat formam illam: *Conſigno te ſigno crucis, &c. Pulchrè*, inquit, *& venuſtè, ſed vbi Dei verbum?* Reſpondeo; Dei verbum non ſcriptum, ſed traditum, ſatis teſtari morem vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ. Nam neque aliorum Sacramẽtorum formæ expreſsè in Scripturis habentur: nuſquam enim ſcriptum eſt, in Baptiſmo dicendum eſſe: *Ego te baptizo*: Et præterea Caluinus fatetur Ordinationem miniſtrorum eſſe Sacramẽtum in eodem cap. 19. lib. 4. Inſtit. §. 31. & tamen nuſquam inueniet verbum in Scriptura, quod cum elemento faciat Sacramentum, vt ipſe requirit de confirmatione. Addo præterea, nos in genere verbum habere Act. 8. vbi dicuntur Apoſtoli oraſſe, cùm manus imponerent. Nam formæ ſacramentorum paſſim à Patribus dicuntur preces myſticæ, licet interdum proferantur per verbum indicantis: nam ſemper à Deo expectatur, & petitur principalis operatio in Sacramẽtis. Denique 2. Cor. 1. alludens Paulus ad formam huius Sacramenti, expreſſit principalia verba, cùm ait: *Qui nos confirmat Deus, & ſignauit, &c.*

D

Secvnda obiectio §. 7. *Vnde*, inquit, *vocant oleum ſalutis? quis eos in oleo ſalutem quærere docuit?* Et infrà: *Hoc verò non à me, ſed à Domino audacter pronuncio: qui oleum vocant oleum ſalutis, ſalutem quæ in Chriſto eſt, abiurant, Chriſtum abnegant, partem in regno Dei non habent. Oleum ventri, & venter oleo: vtrumque Dominus deſtruet.* Reſpõdeo; Totum hoc argumentum niti Caluini auctoritate. Nam verbum Dei non protulit, quamuis ſe ex Dei nomine loqui mentiatur, vbi dicantur ſalutem, quæ eſt in Chriſto, abiurare, qui oleum Cõfirmationis vocãt oleum ſalutis. Et quidem ſi in oleo ſine Chriſto ſalutem quæreremus, aliquid Caluinus diceret: ſed cùm oleum faciamus inſtrumentum duntaxat applicandæ gratiæ Chriſti; mirum eſt vnde ſuſpicari potuerit Caluinus, Chriſtum negare, qui oleum vocat oleum ſalutis. Adde, quòd eiuſmodi phraſes ſunt in Scripturis frequentiſſimę, vt 4. Reg. 13. ſagitta ſalutis, 2. Cor. 6. dies ſalutis, Act. 13. verbum ſalutis, Luc. 1. ſcientia ſalutis. Adde etiam, quòd Caluini argumentum non minùs valet contra aquam baptiſmi, & panem Euchariſtiæ, quàm contra oleum confirmationis: nam & illa dicitur, lauacrum regenerationis, & renouationis, Tit. tertio: & panis Euchariſtiæ dicitur panis vitæ, Ioan. 6. Reſpondet ibidem Caluinus in Sacramẽtis duo ſpectanda eſſe, naturam elementorum, & eam eſſe corruptibilem, & ſalutem adferre non poſſe; & vim ſpiritalem à verbo Dei impreſſam, & ratione illius aquam in baptiſmo, & panem ac vinum in Euchariſtia ſalutem adferre. At cur, quæſo, non idem nos de oleo dicere poſſumus?

Tertia obiectio eſt Kemnitij in 2. parte Examin. pag. 288. forma huius Sacramenti: *Signo te ſigno crucis, &c.* non habetur in vetuſtis ſcriptoribus, nec in ipſis Canonibus, &c. Reſpondeo, Iam reddidi cauſſam huius rei.

Quarta obiectio ibidem. In ipſis Pontificalibus non eſt eadem forma. Nam Gabriel recitat quoſdam pro *Chriſmate ſalutis*, dicere: *Chriſma ſanctificationis*: & Gerſon habet formam: *Firmo te ſigno crucis, & Chriſmate ſalutis.* Reſpondeo, Iſta omnia in idem coincidere cum noſtra forma: ſemper enim eſt idem ſenſus, ſiue dicas: *Salutis*, ſiue *ſanctificationis*, ſiue *confirmo*, ſiue *firmo*, &c. quãuis enim oporteat præſcriptis verbis vti, & nihil mutare, & qui ſecus faciunt, peccent, tamen (vt ſæpe diximus) dũ idem ſenſus manet, ſemper Sacramentum conficitur: & poteſt facilè fieri, vt in variis Eccleſiis ſit aliqua varietas in vocibus, modò maneat ſententia eadem: vt etiam patet in forma Baptiſmi Latinorum, & Græcorum.

CAPVT XI.

De effectu huius Sacramenti.

Svplex eſt Sacramenti huius effectus. Vnus, quòd gratiam confert gratum facientem, & quidem maiorem, quàm ipſe Baptiſmus, in ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus: ſed minorem in ordine ad remiſsionem peccati, quia non remittit totam pœnam, vt facit gratia Baptiſmi. Nèque eſt opus hîc aliquid addere, cùm id ſatis copioſè probatum ſit ſuprà in prima Controuerſia: inde enim probauimus, Confirmationem eſſe Sacramẽtum propriè dictum, quia Scripturæ, & Patres omnes affirmant, dari per hanc cæremoniam copioſiſsimam gratiam, atque adeò ipſum Spiritum ſanctum.

Alter effectus eſt character, quo adſcribimur in Chriſti militiam, ſicut per Baptiſmum in Chriſti fa-

miliam. Probatur autem iſte character Confirmationis, eo modo, quo character Baptiſmi, ex eo, quòd non poteſt repeti Confirmatio. Nam ſuprà oſtendimus, rationem, cur Sacramenta quædam ſint initerabilia, nullam poſſe reddi ſufficientem, præter characterem, quocirca etiam ab effectu demonſtratur euidenter character, cùm oſtendimus aliquod Sacramentum eſſe initerabile.

ESSE autem initerabilem Confirmationem, Primò expreſsè probatur ex Apoſtolo Heb. 6. *Non iterum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuũ, &c.* vbi teſte Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylacto, & aliis, Apoſtolus per impoſitionem manuum intelligit Confirmationem, quæ dabatur ſtatim poſt baptiſmum; ac docet non licere ei, qui labitur poſt Baptiſmum, & Confirmationem, iterum redire ad baptiſmum, & cõfirmationem: hæc enim ſunt fundamenta, quæ non iaciũtur niſi ſemel. Secundò idem patet ex Cõcilio Toletano VIII. can. 7. vbi apertè dicitur, Chriſma ſemel collatum, repeti non poſſe, vt nec ſacrum Ordinem. Item ex Concilio Tarraconenſi, & ex decreto Gregorij II. apud Gratianum, diſt. 5. de conſecratione, can. de hiſt. & can. de homine: quibus adde Concilium Florẽtinum in inſtructione Armenorum, & Trident. ſeſſ. 7. can. 9. Tertiò idem patet ex Patribus, Nam Cyprianus, ſeu quicunque fuit auctor, in ſerm. de ablutione pedum: *Baptiſmum*, inquit, *repeti Eccleſiaſticæ prohibent regulæ: nemo ſacros Ordines ſemel datos iterum renouat: nemo ſacro oleo lita iterum linit, aut conſecrat: nemo impoſitioni manuum, vel miniſterio derogat ſacerdotum: quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi euacuari poſſet, quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emendaret, quod ille ſemel ſtatuit, & confirmat.* Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani, c. 104. (vt ſuprà notauimus) apertè docet, Sacramentum Chriſmatis ſemel datum, permanere etiam in peſſimis, nec vnquã aboleri: ex quo manifeſtè ſequitur repeti non poſſe. Similia docent, Rabanus lib. 1. de Inſtit. clericorum, c. 30. Amalarius lib. 1. de officiis Eccleſiaſticis, cap. 27. & alij recentiores.

CAPVT XII.

De miniſtro huius Sacramenti.

EQVITVR Controuerſia quinta: Vtrum miniſter Sacramenti Confirmationis ſit ſolus Epiſcopus. Et quidem hæretici licet hunc ritum è numero Sacramentorum auferant, tamen etiamſi Sacramentum eſſet ipſorum, quoque opinione, negant ad ſolos Epiſcopos eius miniſterium vllo modo pertinere. Ioann. Vvicleſ lib. 4. Trialogi, c. 14. apertè negat eſſe Epiſcoporum proprium munus, confirmare. Idem habet Caluinus lib. 4. Inſtit. c. 19. §. 10. Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 324. & alij, fortè omnes, præſertim cùm ipſi vix agnoſcat differentiam inter Epiſcopum, & presbyterum, vt in lib. de clericis oſtendimus.

EX Catholicis ſolus eſt Richardus Armachanus, qui in lib. 11. Armenicarum q. cap. 4. exiſtimat, commune eſſe Epiſcopis & presbyteris munus confirmandi, atque ab hoc Armachano arbitratur Thomas Vvaldẽ. lib. 2. de Sacramentis, c. 114. hauſiſſe Vvicleſum ſuam hæreſim: Fuit enim Armachanus paulò antiquior Vvicleſo, quamuis eodem ſæculo vixerint. Cæteri omnes cõmuni conſenſu docent, ſolùm Epiſcopum eſſe proprium huius Sacramenti miniſtrum.

EST quidem inter Catholicos quæſtio, an ſaltem ex diſpenſatione poſſit presbyter hoc Sacramentum cõferre. Nam S. Bonauentura, Durãdus, & Adrianus in 4. diſt. 7. contendunt id nullo modo committi poſſe presbyteris, ſed S. Thomas 3. p. q. 72. art. 11. & omnes eius diſcipuli, & multi alij Theologi in 4. diſt. 7. vt Richardus, Paludanus, Marſilius, & alij, & omnes Canoniſtæ in can. 1. diſt. 95. contrarium docent: & quidem longè verius eſt, quod iſti poſteriores affirmãt. Nã Ambroſius in c. 4. ad Epheſ. 4. teſtatur in Ægypto presbyteros confirmare in abſentia Epiſcoporum, neque reprehendit eum vſum. Gregorius lib. 3. ep. 26. apertiſſimè permitrit presbyteris Sardiniæ, vt in abſentia Epiſcoporum confirment: & quia corruptus eſt hic locus Gregorij, fortè à fautoribus contrariæ ſententiæ (nã dicit ſe permittere, *vt baptizandos vngant*, cùm dicere deberet, *vt baptizatos*) conferatur hic locus cum ep. 9. eiuſdem lib. 3. inde enim manifeſtè apparebit corruptio. Siquidem in epiſt. 26. dicit, ſe permittere, quod in epiſt. 9. prohibuerat: prohibuerat autem, ne presbyteri vngerent in fronte baptizatos. Vnde etiam Gratianus, & S. Thomas hunc locum ita citant, vt eſſe debet, non vt modò legitur in codicibus impreſſis. Præterea Conciliũ Arauſicanum I. can. 1. & 2. & Toletanũ I. can. 20. & Martinus Bracarenſis, c. 52. Græcarum Synodorum, & Florẽtinum in inſtru. Armenorum, idem habent. Denique Cõcilium Trident. ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione, ideò ait, ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, vt indicaret, poſſe extraordinaria poteſtate idem fieri etiam à presbytero. Ex quo apparet error Kemnitij, qui in ſuo examine parte 2. pag. 315. dicit, Concilium definiuiſſe contra S. Thomam, & alios quoſdam doctores, imò & contra ipſum S. Gregorium, ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum Confirmationis.

SED his omiſsis, probatur Catholica veritas apertiſſimo Scripturæ teſtimonio. Nam Act. 8. miſsi ſunt Petrus & Ioannes, vt per impoſitionem manuum darent Spiritum ſanctum iis, quos Philippus in Samaria baptizauerat: & Act. 19. Paulus ipſe Apoſtolus manus imponit illis, quos alij baptizauerant. At certè nulla videtur poſſe fingi cauſſa, cur ſoli Apoſtoli manus imponant; immò cur ad hoc ipſum veniant ex vno loco ad alium, niſi quia hoc munus propriè pertinet ad primum gradum Eccleſiaſticum, qui eſt ſine controuerſia Epiſcopalis.

AD hoc Vvicleſus reſpondet, illos, quos Philippus baptizauerat, fortè nõ fuiſſe legitimè baptizatos, & ideò rurſus fuiſſe baptizandos ab Apoſtolis, vt acciperent Spiritum ſanctum.

SED hæc ſolutio ineptiſsima eſt. Nam quis credat, Philippum Diaconum poſt acceptum Spiritum ſanctum non rectè baptizaſſe? & deinde ſi erant rebaptizandi, quid opus erat, vt Apoſtoli venirent ex Hieruſalem? non poterant ſignificare per literas, aut alium mittere, qui illos ritè baptizaret? Denique Apoſtoli cur tantùm impoſuerũt manus, & non etiam baptizarunt, ſi illi non erant ritè baptizati? Neque obſtat, quòd dicantur baptizati in nomine Domini Ieſu, & non in nomine Trinitatis. Nam (vt ſuprà oſtendimus) Lucas breuiter deſcribit ritum baptiſmi, ex parte intelligi volens totum.

CALVINVS loco citato reſpondet, quod Apoſtoli fecerunt, non poſſe tribui Epiſcopis, aut certè non ſolis Epiſcopis. Nam Epiſcopi non ſunt Apoſtoli: quòd ſi tenent, quoad aliquid, locum Apoſtolorum, eundem locum tenent etiam presbyteri. Nam alioqui nõ liceret presbyteris, ſed ſolis Epiſcopis communicare ſub vtraque ſpecie: id enim ſoli Apoſtoli in Cœna Domini fecerunt.

RESPONDEO, Epiſcopos ſolos ſimpliciter, & abſolutè Apoſtolis ſuccedere. Obſeruandum enim eſt in Apoſtolica auctoritate contineri omnem Eccleſiaſticam poteſtatem. Erant enim Apoſtoli primùm Chriſtiani, & membra Eccleſiæ. Secundò erant Sacerdotes. Tertiò ſummi Sacerdotes. Quartò ſummi non vno in loco, ſed in toto orbe terrarum: poterant enim vbique prædicare, baptizare, ordinare, leges ferre, punire, &c. Sed hoc vltimum in ſolo Petro fuit ordinarium munus, in cæteris extraordinarium, & quaſi delegatum: & idcircò ſoli Petro ſuccedi videmus, non autem vlli alteri Apoſtolo in illa ſumma in totum orbem poteſtate. Cætera tria erant

omnibus ordinaria. Quare licet omnes Chriſtiani aliquo modo ſuccedant Apoſtolis, quatenus illi fuerunt primi Chriſtiani: & omnes Sacerdotes eiſdem Apoſtolis ſuccedant, quatenus illi fuerunt primi Sacerdotes: & omnes Epiſcopi eiſdem ſuccedant, quatenus illi fuerunt primi ſummi Sacerdotes: tamen ſoli iſti ſimpliciter illis ſuccedunt, quia ſuccedunt in tota eorum ordinaria auctoritate, in qua ſola ſuccedi poteſt. Idque patet etiam ex praxi, & teſtimonio Sanctorum. Nam ſi quis petat, quis ſucceſſit Apoſtolo Iacobo? omnes reſpondent, Epiſcopus Hieroſolymæ. Quis Apoſtolo Ioanni? Epiſcopus Epheſinus. Ad hæc Concilium Neocæſarienſe can. 13. Damaſus in epiſt. 4. de Chorepiſcopis. Hieronymus in epiſt. ad Marcellam de erroribus Montani. Leo epiſt. 88. Auguſtinus in Pſalm. 44. in illud: *Pro Patribus nati ſunt tibi filij*: & alij vetereſ paſſim affirmant, Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere.

SED dices, vnde ſcimus Apoſtolos manus impoſuiſſe, Act. 8. vt Epiſcopos, & non vt Presbyteros, vel vt Apoſtolos per extraordinariam poteſtatem? Reſpondeo; quòd non vt presbyteri, inde conſtat, tum quia Scriptura nunquam tribuit hoc officium niſi ipſis Apoſtolis, cùm alia officia, vt prædicandi, & baptizandi tribuat etiam aliis inferioribus miniſtris: quòd non vt Apoſtoli per extraordinariam poteſtatem, colligitur tum ex eo, quod Heb. 6. numeratur hæc manus impoſitio cum reliquis ordinariis Eccleſiæ ritibus; tum ex eo, quòd ſemper in Eccleſia manſit iſta conſuetudo, vt Epiſcopi manus imponerent baptizatis.

SECVNDÒ, probatur eadem veritas teſtimoniis, & traditione Eccleſiaſtica. Nam Concilia, Pontifices, & Patres citati in prima controuerſia, communi conſenſu docent, ſolos Epiſcopos eſſe propriè Sacramenti huius miniſtros: idque probant ex c. 8. Actorum.

TERTIÒ, probatur etiam ratione. Nam Confirmatio eſt complementum, & perfectio Baptiſmi; proinde conuenit, vt à primario miniſtro detur: ſic enim in omnibus aliis rebus vltima forma imprimitur à primo agente. Præterea in Confirmatione adſcribimur ad Chriſti militiam; adſcribere autem ad militiam, proprium eſt Ducum, & Imperatorum.

NEQVE argumenta Caluini, & Kemnitij difficulter ſoluuntur. Argumentum primum Caluini: Error eſt Donatiſtarum, quòd Sacramentum pendeat à dignitate miniſtri. Reſpondeo; Si de dignitate morali agatur, verum eſt, ſi de Eccleſiaſtica, falſiſſimum. Alioqui eſſet etiam error Donatiſtarum, quòd ſoli presbyteri miniſtrent corpus Domini, immò & Baptiſmum, ſecundum Caluinum.

SECVNDVM argumentum: Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis, vt patet de miniſterio Euchariſtiæ, quod ſolis Apoſtolis commiſſum fuerat. Reſpõdeo Apoſtolos in vltima Cœna presbyteros creatos fuiſſe, non autem Epiſcopos; Epiſcopi enim poſt reſurrectionẽ facti ſunt, cùm eis diceretur, Ioan. 20. *Ecce ego mitto vos, &c.* Itaque presbyteri in aliqua re Apoſtolis ſuccedunt, ſed non in omnibus, neque abſolutè, vt diximus.

TERTIVM argumentum, 1. Tim. 4. Paulus ait: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyterij.* Et Ananias Act. 9. impoſuit manus Paulo, & tamen non erat Epiſcopus. Reſpondeo ad hoc argumentum, quod eſt Armachani; Non tractari eo loco de Confirmatione, ſed de Ordinatione Timothei; & præterea per illam vocem (*Presbyterij*) intelligi chorum presbyterorum, id eſt, Epiſcoporum, vt exponunt Chryſoſtomus, & alij: multi enim Epiſcopi, vnum Epiſcopum ordinant, vnus autem ſolus confirmat.

Ad illud de Anania, quòd mutuò accepit Caluinus à Vvicleſo, vt ille ab Armachano; dico Ananiam impoſuiſſe manum Paulo ad hoc, vt viſum reciperet, vt ibidem legimus. Quare non fuit confirmatoria, ſed curatoria illa impoſitio manus: vnde facta eſt ante Baptiſmum, non poſtea, vt fieri debet Confirmatio: neque deſcendit tunc viſibiliter Spiritus ſanctus, ſed ceciderunt tanquam ſquamæ ob oculis eius: *At*, inquiunt, *Ananias cùm imponeret manus dicebat; Saule frater, Dominus Ieſus miſit me, vt videas, & implearis Spiritu ſancto: igitur finis illius impoſitionis manus fuit donum Spiritus ſancti.* Reſpondeo, Ananiam expoſuiſſe ſimul finem proximum, & remotum ſui aduentus. Finis enim proximus erat, curatio à cæcitate, finis remotus, perfecta iuſtificatio, & infuſio Spiritus ſancti, quam paulò poſt conſequutus eſt Paulus per Baptiſmum. Vnde paulò antea deſcribitur viſio Pauli, qua antè præuidit, quod futurum erat: *Et vidit*, inquit Lucas, *virum introeũtem ad ſe, Ananiam nomine, & imponentem ſibi manum, vt viſum recipiat*: & cap 22. Act. vbi narrat ipſe Paulus totam hanc hiſtoriam, nihil ſe accepiſſe dicit ab Anania, niſi depulſionem cæcitatis, & poſtea Baptiſmum. Eſt autem valde probabile Paulum, vt cæteros Apoſtolos, immediatè à Deo accepiſſe Confirmationem ſine humana impoſitione manuum.

ARGVMENTVM quartum. Si iure diuino Epiſcoporum eſt proprium cõfirmare, quomodo id etiam presbyteris Gregorius conceſſiſſe legitur? Reſpondeo; iure diuino ſolos Epiſcopos eſſe ordinarios miniſtros huius Sacramenti. At non inde ſequitur, quin extraordinaria conceſsione id poſsit etiam presbyteris conuenire: ſicut etiã iure diuino proprium eſt Epiſcoporum prædicare, & tamen eorum conceſsione prædicant etiam Presbyteri, & aliquando etiam Diaconi.

SED inſtant quidam Catholicorum; Confirmare, aut conuenit Epiſcopo ratione ordinis, aut ratione iuriſdictionis. Si ratione ordinis, nullo modo poteſt id concedi iis, qui nõ habent eum ordinem, vt patet in ſimilibus; nec enim poteſt vlla diſpenſatione fieri, vt Diaconus conſecret Euchariſtiam. Si ratione iuriſdictionis; ergo poſſet Epiſcopus non conſecratus confirmare, quia habet ipſe ordinem presbyteralem, & iuriſdictionem Epiſcopalẽ. Reſpondeo, Confirmare eſſe actum ordinis, & eum ordinem eſſe etiam in presbytero, ſaltem inchoatum, & imperfectum. Obſeruandum eſt enim, characterem Epiſcopalem, ſiue ſit alius à presbyterali, ſiue idem extenſior, & maior: eſſe poteſtatem abſolutam, & perfectam, & independentem conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, & ideò non ſolùm poſſe Epiſcopum ſine alia diſpenſatione confirmare, & ordinare, ſed etiam non poſſe impediri ab vlla ſuperiori poteſtate, quin reuera Sacramenta iſta conferat, ſi velit, licet peccet ſi id faciat, prohibente ſummo Pontifice; characterem autem presbyteralem eſſe quidem poteſtatem abſolutam, perfectam, & independentem, quod ad Sacramentum baptiſmi, & Euchariſtiæ: eſſe autem poteſtatem inchoatam, imperfectã, & dependentem à voluntate ſuperioris, quoad Sacramẽtum Confirmationis. Quocirca niſi perficiatur per diſpenſationem ſuperioris ea poteſtas, presbyter confirmando nihil ageret, ac ſi perficiatur, iam ex ipſo ſuo charactere confirmabit. Id quod minùs mirum videbitur, ſi cogitemus, characterem non eſſe Phyſicam aliquam potentiam, quæ Phyſicè aliquid operetur, (tunc enim difficile eſſet intelligere quomodo poſſet perfici per diſpenſationem Pontificiam) ſed eſſe ſignum diuini cuiuſdam pacti, quo Deus concurrit ad effectum Sacramentalem producendum cum eo, qui habet characterem, & non cum aliis: facile enim eſt intelligere, vnum characterem eſſe ſignum pacti abſoluti, alium autem eſſe ſignum pacti conditionati. Sed de his hactenus.

QVINTVM argumentum eſt Kemnitij, loco citato. Scriptura ignorat differentiam Epiſcopi, & presbyteri. Reſpondeo, Non Scriptura id ignorat, ſed Kemnitius

Scripturam ignorat. Nam 1. Timot. 6. cùm dicitur: *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus:* apertissimè tantum discrimen ponitur inter Episcopum, & presbyteros, quantum est inter principem, & eius subditos. Quo circa Aëriani ob hoc ipsum hæretici dicuntur ab Epiphanio hæres. 75. & Augustino hæres. 53. quòd negauerint hoc discrimen.

SEXTVM argumentum eiusdem Kemnitij. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos dicit, ob honorem sacerdotij fieri, vt soli Episcopi manus imponant, non ob legis necessitatem. Respondeo, locum hunc pro nobis maximè facere. Nam Hieronymus non negat, solis Episcopis licere Confirmationem dare post Baptismą; immò hoc affirmat, & infrà id ipsum probat exemplo Apostolorum, qui in Samariam profecti sunt, vt eos confirmarent, quos Philippus baptizauerat. Et præterea causam reddit, cur id voluerit Dominus proprium esse Episcoporum, quia id requirebat honor summi sacerdotij. Nam vt paulò pòst ipse idem magis explicat, necesse est in singulis Ecclesiis esse vnum Episcopum, ne si multi sint pares, & non ad vnum summa referatur, schismata fiant: hinc igitur Dominus voluit quædam esse propria Episcoporum, vt inde eorum eminentia supra cæteros appareret. Illud autem (*non ob legis necessitatem*) non refertur ad legem ministrandi Confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis: significat enim Hieronymus non esse necessarium ad salutem absolutè, vt quis ab Episcopo confirmetur; nam etiam sine tali Confirmatione per solum Baptisma saluari potest. Vnde continuò subiungit, explicans quod dixerat: *Non ob legis necessitatem, alioqui lugendi essent, qui in vinculis à presbyteris vel diaconis baptizati antè moriuntur, quàm ab Episcopis inuisantur.* Quod si id non placet, dici potest, loqui Hieronymum de lege, quæ sumatur ex natura rei, vt sensus sit; id esse tributum solis Episcopis, non ob legis necessitatem, id est, non quòd id necessariò requirat natura rei, quasi aliter fieri nõ posset, sed quia voluit Dominus hac re honorare Episcopalem dignitatem.

SEPTIMVM argumentum. A multis iam annis in Germania nulli ferè Episcopi confirmant, sed suffraganei quidam, qui sunt fictitij Episcopi, & larvæ Episcoporum potiùs, quàm Episcopi. Respondeo, Suffraganeos esse veros Episcopos, quia & Ordinationem habent, & iurisdictionem, licet careant possessione propriæ Ecclesiæ. Quocirca licet non possint extra suam Ecclesiam confirmare sua auctoritate, possunt tamen si ad id inuitentur à proprio Episcopo.

CAPVT XIII.

De cæremoniis Confirmationis.

DVPLICES sunt cæremoniæ in hoc Sacramento. Primùm enim multæ cæremoniæ adhibentur in consecratione Chrismatis feria V. in Cœna Domini. Deinde quædam etiam adhibentur in ipsa collatione huius Sacramenti.

AC vt à primo genere incipiamus, tractant de ritu consecrationis omnes, qui scribũt de diuinis officiis, cap. de feria V. in Cœna Domini, vt Isidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus, Rupertus, & alij.

FIVNT autem quatuor cæremoniæ. Primò benedictiones olei & balsami per orationes: & hoc reprehendi non potest, cùm Apostolus, 1. Timot. 4. dicat omnia sanctificari per verbum Dei, & orationem.

SECVNDÒ fiunt etiam benedictiones olei & balsami per signum crucis: ac ne id quidem reprehendi potest, cùm sine hoc signo nihil consecrari possit, vt testantur omnes ferè Patres, sed præcipuè Chrysostomus hom. 55. in Mat. & in lib. quòd Christus sit Deus, & Aug. tract. 118. in Ioannem, & serm. 181 de tempore, cap. 3.

TERTIÒ, halat Episcopus aliquoties super ampullam Chrismatis. Et quidem hæc cæremonia ridicula, & magica videtur hæreticis: nam id apertè scribit Kemnitius pag. 285. & Caluinus ad hanc cæremoniam respexit, cum ait lib. 4. Instit. ca. 19. §. 10. Chrisma fœtido anhelitu inquinari: tamẽ & antiquissima est, cùm eius meminerint auctores citati, Amalarius, & alij, & præterea ab exemplo Domini sumpta, qui in Apostolos insufflauit Ioan. 20. vt ea cæremonia demonstraret, Spiritum sanctum in eos descendere. Et sanè cùm vult Ecclesia descensum sancti Spiritus designare ad aliquid sanctificandum, quo melioris signo vti potest, quàm eo, quo Christus ipse ad rem eandem designandam vti voluit? Quòd si magica est hæc cæremonia, Christum Magiæ doctorem faciemus. Neque magica dici potest vlla cæremonia, nisi cùm effectus mirabilis expectatur à Diabolo, cum quo fœdus ineunt Magi: nos autem effectum à Diabolo nullum expectamus, sed à solo Deo, à quo id per orationes petimus, vt sæpe dictum est.

QVARTA cæremonia est, quòd Chrisma iam consecratum, salutatur ab Episcopo & presbyteris, his verbis: *Aue sanctum Chrisma:* atque hanc cæremoniam idololatricam esse dicunt aduersarij. Tilmannus Heshusius lib. de erroribus Pontificiorum, tit. 22. num 26. *Chrisma,* inquit, *tantum non adorandum: Si quidem hæc verba dici iubent, Aue sanctum Chrisma.* Reprehendit etiam hanc cæremoniam Kemnitius pagina 289. & Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 21. Sed ineptè in primis ad idololatriam hoc referunt, cùm aliud sit salutare, aliud adorare: alioqui etiã Dominus, qui Matth. vltimo dixit mulieribus, *Aucte,* eas adorasse diceretur. Adhibetur quidem Chrismati consecrato reuerentia, quia est res sacra, & vim habet, vt Dei instrumentum, sanctificandi: sed non adoratur vt Deus, alioqui etiam Hebræi idololatræ fuissent, qui arcam Domini ligneam adorabant; idque faciebant Propheta monente, Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Dices, ridiculum videtur salutare rem inanimam. Respondeo, id esse vsitatissimum, in signum gratulationis etiam res inanimas salutare, ac si viuerent & sentirent. Ita Nazianzenus oratione ad C. L. Patres cùm Episcopatu se abdicaret, valedicit cathedræ, templo, psalmodiæ, aliisque id genus rebus. Hieronymus in epist. de obitu Paulæ, describit salutationem, quam B. Paula ad Bethlehem habuit, cùm eam primùm vidit. Immò & Æneas apud Virgilium in 7. Æneidos Italiam salutat, cùm eam primùm ingreditur. Suntque eiusmodi exempla planè infinita.

IAM verò in ipsa Confirmatione præter cæremoniam essentialem vngendi, & signãdi frontem cruce, adhibentur etiam aliæ octo cæremoniæ. Prima, vt Susceptor adsit, sicut in Baptismo, qui confirmandum offerat Episcopo. Estque hæc cæremonia antiquissima, vt patet ex decretis antiquorum Pontificum, & Conciliorum, quæ citantur à Gratiano 30. quæst. 1. can. Si quis: & can. de his, & quæst. 4. can. Si quis ex vno: & de consecrat. distinct. 4. canon. In Catechismo.

SECVNDA, vt variè preces dicantur super confirmãdos, & quidem cum manus impositione; quem ritum solùm aduersarij non reprehendunt.

TERTIA, vt confirmato pax detur ab Episcopo, in signum acceptæ gratiæ Spiritus sancti, cuius effectus est pax.

QVARTA, vt confirmatum Episcopus manu leuiter cędat, vt is intelligat se cõtra ignominiam, & verbera pro Christo ferenda, patientia præcipuè armandum.

QVINTA, vt fascia ligetur frons, tum ne Chrisma facilè defluat, tum vt significet, acceptam gratiam diligenter conseruandam iuxta illud, 1. Ioann. 2. *Vnctionem quam accepistis, maneat in vobis.* Sed in hac re seruanda est Ecclesiæ consuetudo: alicubi enim ad septem dies frontis fascia conseruatur, alicubi ad tres, alicubi cõtinuò ablui

abluitur, & exsiccatur Chrisma à sacerdotibus, vt fascia opus non sit.

SEXTA, vt ad septem dies, non lauetur caput, seu frõs. Cuius cæremoniæ meminit Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 7. cap. 6. Tertullianus lib. de baptismo scribit à die Baptismi per totam hebdomadam Christianos lauacro abstinere solitos: quod quidem faciebant non tantùm ob Baptismum, sed etiam, & fortasse præcipuè ob Chrisma, quod eodem die dari solebat.

SEPTIMA, vt in Sabbatho Paschæ, & Pentecostes detur Confirmatio, quia videlicet iis diebus dari debet Baptismus, vt suprà diximus. Hoc tamen tempore, quia vt plurimùm non dantur simul hæc Sacramenta, laudabilis est consuetudo multorum Episcoporum, vt in festis Pentecostes præcipuè confirment, quia nimirum in eo festo data est prima Confirmatio à Deo sanctis Apostolis.

OCTAVA, vt à ieiunis detur, & accipiatur Confirmatio; de qua re extant canones Conciliorum, apud Gratianum de consecrat. dist. 5. can. Vt Ieiuni: & cap. Vt Episcopi.

AD hæc omnia Kemnitius addit pag. 323. mirum esse cur Pontificij malint has suas cæremonias, quàm examen puerorum, professionem fidei, & adhortationem; ac tragicè queritur, à nobis ista omnia reiici. nec pati nos velle, vllam emendationem. Sed sunt ista omnia verba ociosa. Nos enim nihil horum reiicimus, sed volumus omnia fieri suo loco, & tempore, nec patimur nobis eripi Sacramentum à Christo institutum, & cæremonias à Patribus traditas prætextu examinis puerilis. Ac de Sacramento Confirmationis satis dictum est.

Finis librorum de Baptismo, & Confirmatione,
Ad honorem Dei.

TERTIA CONTROVERSIA GENERALIS. DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

SEX LIBRIS EXPLICATA.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

Ordo, ac partitio totius Operis.

LIBER PRIMVS,

De reali præsentia Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ, ex verbo Dei.

CAP. I. De hæresibus.
II. Explicatur sententia Catholicæ Ecclesiæ.
III. Ex figuris Testamenti veteris demonstratur præsentia corporis Domini in Eucharistia.
IV. Refellitur solutio aduersariorum ad argumentum nostrum.
V. Quòd Ioan. 6. agatur de Eucharistia.
VI. Probatur veritas corporis Domini in Eucharistia, ex cap. 6. Ioannis.
VII. Soluuntur obiectiones aduersariorum.
VIII. Referuntur variæ expositiones verborum Domini: Hoc est corpus meum.
IX. Propriè, non figuratè explicanda esse illa verba: Hoc est corpus meum.
X. Explicantur verba institutionis, & referuntur hæreticorum deprauationes.
XI. Soluuntur argumenta, quibus probant aduersarij, verba institutionis figuratè accipienda.
XII. Probatur veritas corporis Domini in Eucharistia ex locis Scripturæ, quæ continent vsum huius Sacramenti, ac primùm ex cap. 10. prioris ad Corinthios.
XIII. Idem probatur ex cap. 11. ad Corinthios.
XIV. Soluuntur argumenta aduersariorum deprompta ex verbo Dei.

LIBER SECVNDVS.

De veritate corporis Domini in Eucharistia, ex testimoniis Patrum.

CAP. I. Prima ætas Ecclesiæ ab anno Domini I. vsque ad C. Testimonium discipulorum sancti Andreæ Apostoli.
II. Testimonium Ignatij.
III. Testimonium Dionysij Areopagitæ.
IV. Secunda ætas Ecclesiæ ab anno Domini C. ad CC. Testimonium Iustini.
V. Testimonium Pij I. Papæ.
VI. Testimonium Irenæi.
VII. Tertia ætas Ecclesiæ ab anno Domini CC. ad CCC, Testimonium Tertulliani.
VIII. Testimonium Origenis.
IX. Testimonium S. Cypriani.
X. Quarta ætas Ecclesiæ ab anno Domini CCC. ad CCCC. Testimonium Nicæni Concilij.
XI. Testimonium S. Athanasij.
XII. Testimonium S. Hilarij.
XIII. Testimonium S. Cyrilli Hierosolymitani.
XIV. Testimonium S. Ambrosij.
XV. Testimonium Basilij.
XVI. Testimonium Gregorij Nysseni.
XVII. Testimonium Optati Mileuitani.
XVIII. Testimonium Gregorij Nazianzeni.
XIX. Testimonium S. Ephrem:
XX. Testimonium S. Epiphanij.
XXI. Quinta ætas Ecclesiæ ab anno CCCC. ad D. Testimonium Gaudentij.
XXII. Testimonium Chrysostomi.
XXIII. Testimonium S. Hieronymi.
XXIV. Testimonium Augustini.
XXV. Testimonium S. Cyrilli Alexandrini, & Synodi Ephesinæ generalis.

XXVI. Testimonium Procli Episcopi Constantinopolitani.
XXVII. Testimonium Theodoreti, & Gelasij.
XXVIII. Testimonium S. Leonis.
XXIX. Testimonium Hilarij Papæ.
XXX. Testimonium Eusebij Emisseni, seu Fausti Rhegiensis.
XXXI. Testimonia Patrum sextæ ætatis, Remigij & Primasij.
XXXII. Testimonia Patrum septimæ ætatis, S. Gregorij & Hesychij.
XXXIII. Testimonia Patrum octauæ ætatis; Ioannis Damasceni, & Epiphanij, eius æqualis.
XXXIV. Testimonia Patrum nonæ ætatis, Theophylacti, & Paschasij.
XXXV. Testimonia Patrum decimæ ætatis, Stephani Heduensis, & Fulberti Carnotensis.
XXXVI. Testimonia Patrum vndecimæ ætatis, Anselmi & Oecumenij.
XXXVII. Testimonia Patrum duodecimæ ætatis, Euthymij & S. Bernardi.
XXXVIII. Testimonia ætatum reliquarum.
XXXIX. Compendium argumentorum, quæ sumuntur ex Patribus.

LIBER TERTIVS.

De veritate corporis Domini in Eucharistia, & de modo existentiæ in eadem.

Cap. I. Proponitur quæstio; An possit fieri, vt corpus Christi præsens constituatur in Eucharistia.
II. Quæ sit regula cognoscendi quid Deus possit.
III. Posse vnum corpus simul esse in pluribus locis.
IV. Soluuntur obiectiones, quibus aduersarij probare conantur, implicare contradictionem, vt vnum corpus sit in pluribus locis.
V. Proponitur & explicatur secunda difficultas, quæ in eo posita est, quòd corpus non occupet locum.
VI. Posse corpus alicubi esse, & locum non occupare.
VII. Soluuntur obiectiones aduersariorum.
VIII. Ostenditur Deum voluisse, & fecisse, vt reipsa corpus Domini in Eucharistia præsens adesset.
IX. Soluitur obiectio deprompta ab inutilitate realis præsentiæ.
X. Soluitur altera obiectio, quæ sumitur ab indignitate rei.
XI. De modo existentiæ corporis Domini in Eucharistia. Recensentur variæ de hac re sententiæ.
XII. Refellitur secundus error Berengarianorum.
XIII. Refellitur error Durandi.
XIV. Refellitur quartus error.
XV. Refellitur error Ruperti.
XVI. Refellitur error Ioannis Parisiensis.
XVII. Refellitur error Vbiquistarum.
XVIII. Explicatur sententia Ecclesiæ.
XIX. Probatur ex verbo Dei transubstantiatio.
XX. Transubstantiatio probatur testimoniis Patrum.
XXI. Probatur idem ex definitione, & consensu Ecclesiæ ab annis quingentis.
XXII. Probatur eadem veritas ex conuenientia rationis.
XXIII. Refelluntur Kemnitij obiectiones.
XXIIII. Refelluntur obiectiones Petri Martyris.

LIBER QVARTVS.

De Sacramento Eucharistiæ.

Cap. I. Quid sit propriè Sacramentum Eucharistiæ, & num extra vsum sit verè corpus Domini sub specie consecrati panis.
II. Probatur ex verbis institutionis Dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ esse rem permanentem, & in eo corpus Domini permanenter existere.
III. Probatur ex dissimilitudine Baptismi, & Eucharistiæ, Eucharistiam rem esse permanentem.
IV. Probatur eadem veritas testimoniis Patrum.
V. Diluuntur responsiones aduersariorum ad testimonia Patrum.
VI. Explicatur quid propriè sit Sacramentum Eucharistiæ.
VII. De materia Eucharistiæ, sitne azymo pane, an fermentato Sacramentum conficiendum.
VIII. Probatur Christũ instituisse Sacramentum 14. die mensis secundum legẽ, & secundum morem Hebræorum.
IX. Soluuntur argumenta Græcorum, & aliorum, qui quocunque modo eis fauent.
X. De vino temperando aqua in sacro calice.
XI. Soluuntur argumenta aduersariorum.
XII. Quibus verbis fiat consecratio Eucharistiæ.
XIII. Solis Domini verbis fieri consecrationem.
XIV. Soluuntur obiectiones Græcorum, & Lutheranorum contra formam consecrationis Eucharistiæ.
XV. Mendacia Kemnitij de forma Sacramenti Eucharistiæ.
XVI. De ministro Sacramenti Eucharistiæ.
XVII. De effectu Eucharistiæ, & de præparatione ad Communionem, sententiæ hæreticorum.
XVIII. Indignè sumere Eucharistiam omnes illos, qui accedunt cum conscientia peccati mortalis.
XIX. Soluuntur obiectiones aduersariorum.
XX. Proponitur quæstio, & sententiæ aduersariorum de Communione sub vna, vel vtraque specie.
XXI. Totum esse Christum sub vtraque specie.
XXII. Totam Sacramenti rationem in vna specie inueniri.

XXIII. Non maiorem vtilitatem sumi ex Communione sub vtraque specie, quàm sub vna.
XXIV. Non pugnare cum diuinis literis, seu cum Christi mandato, Communionem sub vna specie, probatur variis coniecturis.
XXV. Soluuntur obiectiones ex Scriptura petitæ.
XXVI. Refelluntur obiectiones ex Patribus.
XXVII. Refelluntur obiectiones ex ratione.
XXVIII. Ecclesiam iustis de caussis præcepisse Communionem sub vna specie.
XXIX. De veneratione huius Sacramenti.
XXX. Soluuntur obiectiones.

LIBER QVINTVS.

De Eucharistia: qui est primus de sacrificio Missæ.

Cap. I. De voce, Missa.
II. De sacrificij definitione.
III. Mortem Christi, sacrificium esse propriè dictum.
IV. De partitione sacrificij.
V. Explicatur status controuersiæ, & sententiæ referuntur Catholicorum & hæreticorum.
VI. In Missa verum sacrificium offerri, probatur ex primo testimonio Scripturæ, & ex sacerdotio Melchisedech.
VII. Probatur sacrificium Missæ ex figura Agni Paschalis.
VIII. Probatur sacrificium Missæ ex figuris variorum sacrificiorum Testamenti veteris.
X. Probatur sacrificium Missæ ex vaticiniis Prophetarum.
X. Probatur idem ex Malachia.
XI. Idem probatur ex cap. 4. Ioannis.
XII. Probatur sacrificium Missæ ex verbis institutionis.
XIII. Probatur sacrificium Missæ ex cap. 13. Actorum.
XIV. Probatur sacrificium Missæ ex cap. 10. prioris ad Corinthios.
XV. Probatur sacrificium Missæ ex traditione Patrum, ac primũ ex vocibus sacrificij, oblationis, immolationis, &c.
XVI. Probatur sacrificium propriè dictum ex ritu altarium.
XVII. Idem probatur ex nomine sacerdotis.
XVIII. Probatur sacrificium ex Liturgiis.
XIX. Idem probatur ex iis, pro quibus sacrificium Missæ offertur.
XX. Probatur sacrificium Missæ ex coniunctione legis, & sacrificij.
XXI. Probatur sacrificium Missæ, ex comparatione legis Christianæ ad Mosaicam.
XXII. Probatur idem ex differentia Sacramenti, & sacrificij.
XXIII. Probatur idem ex consensu Ecclesiæ.
XXIV. Soluuntur obiectiones Lutheri.
XXV. Soluuntur argumenta Ioannis Caluini.
XXVI. Soluuntur obiectiones Kemnitij.
XXVII. Soluitur vltima obiectio, & explicatur in qua parte Missæ propriè consistat essentia sacrificij.

LIBER SEXTVS.

De Eucharistia: qui est secundus de sacrificio Missæ.

Cap. I. Ponitur controuersia; An Missa sit propitiatorium sacrificium.
II. Probatur sacrificium Missæ, propitiatorium esse.
III. Probatur idem sacrificium esse etiam impetratorium.
IV. Explicatur efficientia propria sacrificij Missæ.
V. Soluuntur obiectiones aduersariorum.
VI. Sacrificium Missæ omnibus viuentibus prodest.
VII. Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus, ritè offertur.
VIII. Sacrificium Missæ rectè celebrari pro Sanctis.
IX. De Missis priuatis.
X. Soluuntur argumenta contra Missas priuatas.
XI. De genere linguæ.
XII. Non esse omnia necessariò in Missa alta voce pronuncianda.
XIII. De cæremoniis Missæ quid hæretici sentiant.
XIV. Cæremonias quæ Missam præcedunt, esse antiquas, & pias.
XV. De cæremoniis quæ fiunt in Missa, & in actione consistunt.
XVI. De iis, quæ recitantur in Missa Catechumenorum.
XVII. De Offertorio, & Præfatione.
XVIII. De nomine Canonis.
XIX. De auctore Canonis.
XX. De antiquitate Canonis.
XXI. De veritate primæ Orationis Canonis.
XXII. De veritate secundæ Orationis Canonis.
XXIII. De veritate tertiæ Orationis Canonis.
XXIIII. De veritate quartæ Orationis Canonis.
XXV. De veritate quintæ Orationis Canonis.
XXVI. De sexta Oratione Canonis.
XXVII. De Oratione Dominica, & sequentibus Orationibus.

DE

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE. LIBRI SEX.

Ordo, ac partitio totius Operis.

DE Sacramento Eucharistiæ his omissis, quæ Catholici Doctores inter se disputare salua fide, & pace Christiana solẽt, quatuor hoc tẽpore inter Catholicos, & hæreticos versantur cõtrouersiæ principales: de quibus omnibus, Domino adiuuante, pro nostrarum virium tenuitate iuxta instituti operis rationem disputare aggrediemur.

PRIMA igitur, ac præcipua controuersia est de vera, ac reali, & substantiali præsentia corporis, & sanguinis Domini in hoc non minùs admirabili, quam venerabili Eucharistiæ Sacramento. Sed quoniam ea controuersia longissima necessariò futura est, vitandæ confusionis caussa, tribus modis tractabitur, ac si essent distinctæ quæstiones. Primò ex solo verbo. Secundò ex solis Patribus antiquis. Tertiò ex iudicio rationis.

ALTERA de modo ac ratione existentiæ Christi in Eucharistia: sitne ratio existentiæ Christi in Eucharistia conuersio panis & vini in corpus, & sanguinem Christi, quæ ab Ecclesia Catholica dicitur Transubstantiatio: an potiùs assumptio panis & vini ad vnionem hypostaticam corporis, & sanguinis Domini, aut omnipræsentia, siue Vbiquitas, vt quidam loquuntur, humanitatis Christi; an aliquid aliud.

TERTIA controuersia principalis est de ipso Sacramento, vbi primùm de natura ipsius disputandum erit, sitne res aliqua permanens, an actio transiens: ex qua quæstione illud etiam manifestum fiet, vtrum in Eucharistia sit corpus Domini solùm in vsu, an etiam extra vsum: deinde de materia, forma, fine, seu effectu: de ministro, de vsu, id est, de Communione sub vna, vel altera specie: & tandem de veneratione Sacramenti disseremus.

QVARTA & postrema de sacrificio.

LIBER PRIMVS.

De reali præsentia Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ ex verbo Dei.

CAPVT PRIMVM.

De hæresibus.

ANTEQVAM veniamus ad quæstiones propositas de præsentia corporis Domini in Eucharistia, explicandæ erunt hæreses contrariæ, contra quas pugnandum est, & sententia Ecclesiæ, pro qua pugnandum.

PRIMI qui negarunt, Christi corpus esse in Eucharistia, videntur fuisse illi ipsi, qui primi hæresum zizania in Ecclesia serere cœperunt, Simoniani, Menandriani, & similes; de his loquens sanctus Ignatius in epistola ad Smyrnenses, sic ait: *Eucharistias, & oblationes non admittunt, eò quòd non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Saluatoris nostri Iesu Christi:* quæ sententia citatur à Theodoreto in 3. Dialogo ex epistola ad Smyrnenses, vbi tamen nunc non habetur.

NE autem glorientur Caluinistæ sententiam suam valde antiquam esse, illud est obseruandum, antiquissimos illos hæreticos, non tam Sacramentum Eucharistiæ, quàm mysterium Incarnationis oppugnasse. Idcircò enim (vt Ignatius ibidem indicat) negabant Eucharistiam esse carnem Domini, quia negabant Dominum habere carnem. Quare nullus verorum, qui de hæresibus scripserit, hunc errorem in catalogo posuit, vt patet ex Irenæo, Tertulliano, Philastrio, Epiphanio, Augustino, Theodoreto, Damasceno: neque vllus veterum disputat contra hunc errorem primis sexcentis annis. His igitur omissis, primi, qui veritatem corporis Domini in Eucharistia in A quæstionem vocarunt, fuerunt Iconomachi post annum Domini DCC. in quodam suo Conciliabulo Constantinopolitano, quod ipsi septimam Synodum falsò vocabant. Hi enim (vt refertur in septima Synodo, *Act. 6. tomo III.* in fine) dicebant vnicam esse imaginem Christi ab ipso Christo institutam, nimirum panem & vinum in Eucharistia, quæ repræsentant Christi corpus & sanguinem. Quocirca ab eo tempore Græci scriptores sæpe monent, Eucharistiam non esse figuram, siue imaginem corporis Domini, sed ipsum verum corpus: vt patet ex ipsa Synodo 7. loco citato, ex Damasceno lib. 4. cap. 14. ex Theophylacto in cap. 26. Matth. & in cap. 11. prioris ad Corinthios.

SECVNDVS auctor huius erroris fuit Ioan. Scotus, non ille Doctor subtilis, sed alius antiquior, qui tempore Caroli Magni circa annum Domini DCCC. scripsit. Is enim primus in Ecclesia Latina de hac rè dubiè scribere cœpit, cuius librum de Eucharistia damnatum fuisse in concilio Vercellensi, testatur Lantfrancus in suo B libro de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia.

TERTIVS fuit Bertramus tempore Caroli Crassi, circa annum Domini DCCC. LXXXVI. cuius liber adhuc exstat. Is rursum in controuersiam vocare cœpit, an esset verè in Eucharistia illud ipsum corpus Domini quod de Virgine natum erat. Confutauit hunc errorem doctissimè Paschasius Abbas Corbeiensis,

qui

qui illo ipso tempore floruit.

QVARTVS fuit Berengarius Archidiaconus Ecclesiæ Andegauensis circa annum Domini M.L. qui auctor habetur huius erroris, non quòd primus eum inuenerit, sed quòd primus apertè defenderit, & propagare studuerit, & re ipsa propagauerit. Refutarunt Berengarium tres insignes scriptores, qui simul cum Paschasio editi sunt, Lantfrancus, Guitmundus, & Algerus: de quibus ita censuit Petrus Cluniacensis initio libri de sacrificio, vt diceret Lantfrancum scripsisse contra hæresim Berengarij benè, plenè, perfectè; Guitmundum meliùs, plenius, perfectiùs; Algerum optimè, plenissimè, perfectissimè. Porrò quatuor errores Berengarius docuit, per quos parens videtur fuisse omnium sectarum, quæ hoc sæculo vigent. Primò docuit, paruulos nó esse baptizandos, vt Guitmundus testatur lib. 1. contra Berengarium; atque hinc pater dici potest Anabaptistarum. Secundò docuit, corpus Domini non esse in Eucharistia, nisi vt res significata est in suo signo, vt referunt Lantfrancus, Guitmuudus, Algerus, auctores illius temporis: hinc verò pater est Sacramentariorũ; quod agnoscit Caluinus in vltima admonitione ad Ioachimum Vvestphalum. Tertiò docuit, post alteram palinodiam (nam ter reuocauit errores suos, vt infrà dicimus) corpus Domini esse quidem verè in Eucharistia, sed simul cum pane, & vino; vnde parens est Lutheranorum. Fuisse autem hunc errorem Berengarij, colligitur ex libro 1. Guitmundi, qui scribit nonnullos Berengarij discipulos, qui docebant, corpus Domini verè esse in Eucharistia, sed simul cum pane, dicere solitos hanc fuisse subtiliorem doctrinam Berengarij. Idem etiam colligitur ex Concilio Romano sub Gregorio VII. cuius Concilij meminit Thomas Vvaldensis tomo 2. de Sacrament. cap. 43. Nam in eo Concilio coactus est Berengarius confiteri non solùm præsentiam realem corporis Domini in Eucharistia, vt antea coactus fuerat in Concilio Romano, sub Nicolao 2. sed etiam transmutationem panis in corpus Domini. Quartò docuit idem Berengarius, teste eodem Guitmundo ibidem, legitima Matrimonia posse dissolui, in quo etiam pater fuit omnium huius temporis hæreticorum. Sed de hoc aliàs.

QVINTVS propugnator huius erroris fuit Henricus quidam cum Petro Bruis, circa annum Domini M. C. XL. qui asserebat semel tantùm, id est, in ipsa vltima Domini cœna cum Apostolis, Christi corpus verè datum sub specie panis: deinceps autem meram esse deceptionem, quod Sacerdotum ministerio dicitur aut creditur. Testis est, & refutator huius erroris Petrus Cluniacensis, qui eodem tempore floruit, in tractatu de sacrificio.

SEXTVS fuit auctor sectæ Albigensium, circa annum Domini M.CC.VIII. ij enim inter alios plurimos errores, hunc etiam habuerunt, Sacramentum Eucharistiæ non esse verum corpus Domini. Testis est S. Antoninus in summa Theologica, part. 4. tit. II. c. 7. §. 5.

SEPTIMVS fuit auctor sectæ Flagellantium, circa annum Domini M.CCC.L. teste Berna. do Lutzemburgensi, in Catalogo hæreticorum.

OCTAVVS fuit Ioannes Vviclef, circa annum Domini M. CCC. LXX. is enim rursus docere cœpit non esse corpus Domini in Eucharistia, nisi vt in signo, vt patet ex 4. lib. Trialogi, c. 2. & sequẽtibus, vsque ad 10. Huius libri post annum Domini M.CCCC. delati in Bohemiam, totum illud regnum infecerunt, vt scribit Æneas Syluius, lib. de origine Bohemorum, cap. 35. & Thomas Vvaldensis tomo II. doctrina 10. Tametsi enim Ioã. Huss ab hoc errore semper abhorruit, vt ostendit Ioan. Cochlæus in historia Hussitarum, tamen Iacobitæ, & alij permulti in Bohemia hunc errorem cum cæteris ex libris Vviclefi libenter hauserunt. Contra Vviclefum scripsit Thomas Vvaldensis in 2. tomo de Sacramentis.

NONVS patronus huius hæresis iam nostro sæculo fuit Andreas Carolstadius Archidiaconus Vvittembergensis, ac Lutheri discipulus primarius. Lutherus enim nunquam apertè hanc hæresim docuit, quin potiùs acerrimè illi restitit aliquando: tamen sine dubio semina iecit huius erroris, vt etiam Anabaptismi, de quo suprà diximus; licet postea, tum Sacramentarios, tum Anabaptistas confutare conatus sit: siquidem multa docuit, ex quibus ansam præbuit Sacramentariis huius hæresis renouandæ. Primùm in epist. ad Argentinenses asserit se valdè propensum fuisse in eam sententiam, quæ in Eucharistia nihil præter panem agnoscit, & conatum totis viribus hoc asserere, sed non potuisse Scripturis satisfacere, quæ contra obiiciebantur. Quid igitur mirum, si discipuli eius id tentare ausi sunt, quod Magistro gratissimum fore putabant? Deinde libri de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, asseruit Sacramenta non iustificare, sed esse nuda signa. Ex quo rectè colligi videtur in Eucharistia non esse reuera Christum: quorsum enim ibi esset, si nihil nobis conferre debebat? In eodem libro, cap. de Eucharistia, negauerat, cap. 6. Ioannis ad Eucharistiam pertinere. At hæc fuit præcipua causa cur Sacramentarij negauerint realem præsentiam Christi in Eucharistia. Ibidem scripsit, verba Euangelistæ: *Hoc est corpus meum*, hunc facere sensum: Hic panis est corpus meum. Quæ sententia aut accipi debet tropicè, vt panis sit corpus Christi significatiuè, aut est planè absurda, & *impossibilis*: nec enim fieri potest, vt panis sit corpus Christi. Itaque maluerunt Lutheri discipuli recurrere ad tropum, quàm admittere manifestam absurditatem.

DENIQVE in libro de Eucharistia ad Vvaldenses, negat Eucharistiam adorandam, & in dubium reuocat, an cum corpore sit etiam anima, & diuinitas in Eucharistia. At certè ex his manifestè sequitur, non esse reuera Christum in Eucharistia. Nam vbicũque reuera est, adorandus est, nec potest vllo modo separari anima, & diuinitas à Christi corpore, vt notissimum est. His ergo Lutheri sententiis edoctus Carolstadius anno M.D.XXV. vel vt alij volunt M.D.XXIV. librum edidit, in quo apertè negauit præsentiam corporis Domini in Eucharistia. Vide de Carolstadio Ioan. Cochlæum in actis Lutheri anno M.D.XXV.

DECIMVS patronus huius erroris fuit Huldricus Zvvinglius Tigurinus pastor, qui cùm aliquot annis docuisset Lutheri hæresim, ac palàm asseruisset, in Eucharistia verè esse corpus Christi, sed cum pane: tandem eodem anno, quo Carolstadius, librum edidit de vera, & falsa religione: atque in eo retractat sententiam suam, ac nouam quandam statuere nititur, nimirum, corpus Domini non esse in Sacramento, nisi vt in signo. Non est autem prætereundum, quàm egregiè purget Zvvinglius inconstantiam suam. Dicit enim se multò antea agnouisse id, quod verum erat, sed tempori seruiuisse, & in hoc laudari se à Christo tanquam seruum prudentem, & fidelem qui dat cibum familiæ in tempore suo. Sed nimis frigida excusatio est: non enim laudat Christus eos, qui vt tempori seruiant, mentiuntur in rebus tanti momenti. Immò Zvvinglius non tam se purgat, quàm inquinat hac sua defensione: vt enim ignorantiam tegat, improbitatem prodit.

ZVVINGLIO comes accessit Ioannes Oecolampadius Apostata ex Monacho Birgittano, qui eodem tempore librum scripsit, de genuina expositione verborum: *Hoc est corpus meum*, vbi etsi in re conueniat cum Zvvinglio, tamen commodiùs exponere conatus est verba cœnæ, vt infrà dicemus. Zvvinglium, & Oecolampadium sequuti sunt permulti eorum discipuli, ac præcipuè Henricus Bullingerus Zvvinglij successor, in sede Tigurina,

qui

qui scripsit Apologiam pro Zvvinglio contra Lutheranos; & Bernardinus Ochinus, qui scripsit etiam librum de cœna Domini contra Vvestphalum: & Petrus Martyr, qui scripsit ingens volumen de Eucharistia contra Stephanum Gardinerum, in quo refellit solutiones Gardineri ad 255. argumenta Sacramentariorum.

VNDECIMVS patronus insignis erroris Berengariani fuit Ioan. Caluinus. Is igitur anno Domini M.D. XXXVI. edidit primò suas institutiones, vt apparet ex epistola dedicatoria ad Regem Gallorum Franciscum, quas postea iterum edidit auctas anno M.D.XXXIX. & tandem anno M. D. LIX. tertiò mutata forma, & quatuor libris comprehensas edidit.

EDIDIT etiam anno M.D.XL. librum de cœna Domini Gallicè, quem post annos quinque Nicolaus Gallasius Latinum fecit, in quo libro extremo apertè, ac nominatim reprehendit tum Lutherum, tum Zvvinglium, & se iudicem eorum constituit, ac nouam opinionem introducit, quæ tamen reuera nihil differt à sententia Zvvinglij.

VNDE paulò pòst, id est, anno M.D.XLIX. edidit libellum de consensu suo cum Tigurinis in re Sacramentaria. Multa præterea de hac re scripsit in libro de reformanda Ecclesia, in commentariis tum ad c. 26. Matt. tum ad cap. 11 prioris ad Cor. & in responsionibus ad Ioachimum Vvestphalum.

CALVINVM sequitur Vvilhelmus Klebitius, qui scripsit librum contra Heshusium, quem inscripsit, Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici: quando videlicet in ditione Comitis Palatini obtinuit Caluinismus. Ité Petrus Boquinus, qui scripsit examen libri Heshusij de corpore Domini, in quo egregiè Caluinum tuetur. Denique Theodorus Beza, qui adhuc superest, Caluini Genevæ in Cathedra pestilentiæ successor, multa scripsit pro errore Caluiniano, vt summam doctrinæ de re Sacramẽtaria, librum de cœna Domini contra Vvestphalum: Dialogum qui inscribitur ἀληθοφαγία, siue Cyclops contra Tilemannum Heshusium.

PORRÒ Caluini sententia breuiter explicanda est, quia de industria obscurè ab illo proponitur, vt mysterij aliquid continere videatur. Primò igitur docet Caluinus cum suis, symbola cœnæ tantùm esse in terra: corpus autem Christi tantùm esse in cœlo: proinde tanto interuallo abesse Christi corpus à pane & vino in cœna, quanto abest terra ab altissimis cœlis. Quòd videlicet Christi corpus nusquam sit nisi in certo, ac determinato loco cœli. id habet disertis verbis in fine consensus cum pastoribus Tigurinis, idem habet etiam disertis verbis Beza in summa doctrinæ de re Sacramentaria, q. 6.

SECVNDÒ docet, symbola, & corpus Christi, licet loco inter se plurimùm distent, tamen coniuncta esse, nõ solùm ratione signi, quia vnum est signum alterius, sed etiam quia cum signo Deus nobis verè exhibet ipsum verum Christi corpus, & sanguinem, quo animæ nostræ verè alantur in vitam æternã. Id habet Caluinus in omnibus locis suprà citatis. In c. 26. Matth. sic loquitur: *Verè in cœna datur nobis corpus Christi, vt sit animis nostris in cibum salutarem, hoc est, substantia corporis Christi pascuntur animæ nostræ, vt verè vnum efficiamur cum eo.* Et infrà: *Nõ ergo vacuum & inane signum nobis proponitur, sed verè carnis & sanguinis Domini fiunt participes, qui fide promissionem hanc recipiunt.* Et li. 4. Instit. c. 17. §. 5. docet, comedere Christi carnem, non esse solùm credere, sed verè participem fieri carnis eius, & ponit exemplum: *Quemadmodum enim*, inquit, *non aspectus, sed esus panis alimentum corpori suffici: ita verè, ac penitus participem Christi animam fieri conuenit.* Et §. 32. *In sacra sua cœna iubet me sub symbolis panis ac vini, corpus ac sanguinem suum sumere: nihil dubito, quin & ipse verè porrigat, & ego recipiam.* Et in lib. de cœna Domini, cap. 2. ponit exemplum de columba, in qua

apparuit Spiritus sanctus.

VT enim illa columba dicta est Spiritus sanctus à Ioãne Baptista, Ioan. 1. quia certissimum signum erat præsentiæ Spiritus sancti: ita panis per metonymiam dicitur corpus Christi, quia est certissimum signum præsentiæ corporis Christi, quod nobis datur in cœna.

VNDE ibidem affirmat, Christum nobis in cœna veram, propriámque carnis, & sanguinis sui substãtiam donare. Similia habet etiam Beza loco notato, de re Sacramentaria, q. 6. Vnde etiam q. 7. admittit illas propositiones Lutheranorum: corpus Christi esse in pane, vel sub pane, vel iuxta panem; si sano modo intelligantur, id est, quòd significent simul cum pane verè donari nobis corpus Christi. Quia verò hoc secundum videtur pugnare cum primo (quomodo enim corpus Christi verè nobis datur cum pane, & est præsens in cœna, si corpus Christi solùm est in summo cœlo, & panis tantùm est in terra?) ideò ponit tertium dictum.

TERTIÒ igitur dicit, non posse ingenio comprehendi, sed sola fide, quomodo fiat ista coniunctio rerum tam distantium. Sic loquitur libro 4. Institut. ca. 17. §. 7. *Nihil*, inquit, *restat, nisi vt in eius mysterij admirationem prorumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse potest.* Et §. 10. *Etsi autem incredibile videatur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit in cibum, meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus sancti virtus, & quàm stultum sit eius immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides. Spiritum verè vnire, quæ locis disiuncta sunt.* Et §. 32. Porrò, inquit, *de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quàm vt vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat.* Similia habet Beza de re Sacrament. q. 9. *Sed*, inquit, *nihilominus fatemur incomprehensibile esse mysterium Dei, quo fit, vt quod est, & manet in cœlis, & non alibi, nobis, qui nunc in terra sumus, & non alibi, verè communicetur.* Et infrà: *Quo fit vt tota hæc actio valde propriè μυστήριον vocetur.* Sed quia intelligebat Caluinus hoc suum mysterium planè esse incredibile, & apertissimam repugnantiam inuoluere, ideò addit quartum.

QVARTÒ dicit, non ipsum corpus Christi ad nos descendere, sed quandam vim substantialem ex Christi carne ad nos deriuari per Spiritum eius, tanquam per canalem quendam. Vbi videtur dicere non substantiam, sed qualitatem quandam nobis dari. Sic enim loquitur lib. 4. Instit. c. 17. §. 12. *Vinculum*, inquit, *istius coniunctionis est Spiritus Christi, cuius nexu copulamur: & quidam veluti canalis, per quem quidquid Christus ipse & est, & habet, ad nos derivatur. Nam si solem conspicimus radiis in terram emicantem ad generandos, fouendos, vegetandos eius fœtus, suam quodammodo substantiam ad eam trajicere, cur inferior Spiritus Christi esset irradiatio ad communionem carnis, & sanguinis eius in nos traducendam?* Et §. 32. *Ingenuè confiteor, mixturam carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem, qualis ab ipsis docetur, me repudiare, quia nobis sufficit, Christum è carnis substantia vitam in animas nostras spirare, immò propriam in nos vitam diffundere, quamuis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro.* Quod ergo dixerat suprà §. 10. ad nos vsque penetrare Christi carnem, licet tanto interuallo distantem, debet intelligi, non per se, sed per virtutem suam. Quod tamen ipse viderit, quàm rectè cohæreat cum iis, quæ suprà dixerat de præsentia Christi in cœna: nisi etiam præsentiam intelligat, secundum virtutem, non secundum substantiam.

QVIA verò, si realis aliqua qualitas ex Christi corpore ad nos descenderet, periculum esset, ne nimis multum huic Sacramento tribueremus, ideò addit quintò, Communicationem istam siue corporis Domini, siue virtutis eius tãtùm fieri per fidem. Fides enim apprehendit Chri

stum

stum in cœlo existentem, & eum nostrum facit, vt participare possimus bona ipsius. Itaque nulla fit realis coniunctio Christi nobiscum, sed solùm per cogitationem. In quo certè nullum est mysterium, nullum miraculum, nulla difficultas intelligendi. Quis enim non facillimè capiat, fide apprehendi posse Christum, immò etiam totam Trinitatem? Sic igitur habet Caluinus lib. 4. Instit. c.17. §.5. *Interim verò hanc, non aliam esse, quàm fidei manducationem, fatemur: vt nulla alia fingi potest.* Et §.31. *Christus*, inquit, *præsens illis non videtur esse, nisi ad nos descendat: quasi verò, si ad se nos euehat, non æquè potiamur eius præsentia.* Hæc ille.

VBI videtur corrigere, vel explicare, quod dixerat, §.10. carnem Christi magno miraculo ad nos penetrare: núc enim sublato omni miraculo, dicit, nos fide ad ipsum ascendere. Item §.32. dicit, fidem esse, quæ pascitur Christi corpore: porrò fides non aliter manducat, quàm credendo. Idem repetit in aliis libris, & idem habet Beza in lib. de summa docti. in re Sacrament. q.9.10.11.& 13. Neque moueri debemus quòd Caluinus lib.4. Instit.c.17.§. 5.& 11. negat, Christum sola cogitatione, vel intelligentia manducari, ac dicit, non esse omninò idem, credere in Christum, & manducare Christum.

NAM ibidem asserit, manducare Christum, non esse quidem ipsum credere, sed effectum tamen eius esse: nã credendo manducamus, siquidem ex actu fidei sequitur, vt Christus sit in nobis, & nobis sua bona communicet. Vnde Beza in lib. de cœna Domini contra Vvestphalum, c.9. dicit, hoc interesse inter fidem, & manducationem Christi, quod inter manum, & apprehẽsionem, quæ manu fit. Quia verò non est in nobis Christus nisi per fidem, vt perpetuò Caluinus, & Beza dicunt, inde fit, vt non sit in nobis, nisi obiectiuè, quomodo in nobis est id omne, de quo actu cogitamus.

PORRÒ ex hoc sequitur sextum eorum pronunciatum, quo asserunt homines improbos nõ percipere corpus Christi, licet symbola percipiant. Nam (vt ait Beza in summa doct. de re Sacrament. q.13.) *Sicut symbola accipiuntur solo ore corporis, ita corpus Christi solo ore fidei: cùm ergo non habeant impij os fidei, non percipiunt nisi symbola corporis Domini* Docet hoc idem Caluinus lib.4. Instit. ca.17.§.33. & 34. Immò in libello de consensu cum Tigurinis, solos prædestinatos dicit percipere symbola externa cum re per Symbolum significata, sicut soli prædestinati habent veram fidem.

SEPTIMVM ac postremum eorum pronunciatum est, non esse eam vim in Sacramento Eucharistiæ, vt det ipsum corpus Christi, aut fidem non habenti, sed solùm vt testetur & confirmet iam haberi. Ita habet Caluinus lib.4. Instit.c.17.§.2. *Magnum*, inquit, *fiduciæ, & suauitatis fructum ex hoc Sacramẽto colligere possunt piæ animæ, quòd testimonium habent in vnum corpus nos cum Christo coaluisse, vt quidquid ipsius est, nostrũ vocare liceat.* Et §.5. *Non*, inquit, *facit Sacramentũ vt Christus panis vitæ esse primùm incipiat, sed in memoriam reuocat panem vitæ esse factum, quo assiduè vescamur.* Et infrà: *Pollicetur enim nobis quidquid fecit, aut passus est Christus, id ad nos vinificandos factum esse.* & in lib. de cœna Domini, c.3. docet, ad præparationem ad hoc Sacramentum percipiendum requiri, vt quis antea fidem veram habeat, & per fidem sit factus Christi membrum, atque adeò Christũ in se habeat. Denique nisi Caluinus diceret, Eucharistiam tantùm esse testimonium sumptæ gratiæ, & veluti sigillum obsignans & confirmans promissionem verbo factam, destrueret omnia, quæ antea docuit de sacramentis.

HINC autem nos tria colligere debemus. Primùm falsò iactasse Caluinum sententiam suam de Eucharistia esse difficillimam, & incomprehensibilem humano ingenio, atque adeò summum mysterium. Non enim maius mysterium est, quòd symbola panis & vini reuocent nobis in memoriam, Christũ pro nobis passum & mortuum esse, quàm quòd id faciat imago crucifixi, præsertim si addatur hæc inscriptio ex verbo Dei: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Nam eiusmodi imago cum tali inscriptione idem omninò facit, quod Eucharistia Caluini, & sine vllo miraculo tam imago, quàm inscriptio naturaliter agit, dum memoriam passionis Domini pro nobis toleratam excitat.

DEINDE, meras ludificationes esse illa omnia magnifica encomia Eucharistiæ, cùm videlicet tot in locis Caluinus dicit, nobis vnà cum symbolis dari ipsum verum & reale Christi corpus, & eo nutriri animas nostras, &c. nihil enim tandem nobis reliquit, nisi nudum symbolum rei iam habitæ.

DENIQVE, ex hac Caluini sententia sequi illud absurdum, vt porrigere cœnam Domini, sit testificari, illum cui porrigitur, iam antea sumpsisse cœnã, & Christi corpus comedisse: Quod & est intolerabile, si respiciamus vsum vocabulorum: & est sæpissimè falsum, cùm plurimis porrigantur ista symbola, qui tamen non comederunt corpus Christi, secundum regulas Caluini, cùm sint impij. Quocirca falsò testificantur ministri, illos comedisse corpus Christi, & tamen ita nituntur ista sua testificatione, vt Caluinus lib.4. ca.17.§.2. dicat, ex hoc Sacramento sibi securè promittere posse, regnum cœlorum non magis sibi excidere posse, quàm ipsi Christo. Sed de his hactenus.

CAPVT II.

Explicatur sententia Catholicæ Ecclesiæ.

IAM verò explicandum erit, quid de hac re sentiat, ac senserit Catholica Christi Ecclesia. Summa Catholicæ sententiæ his verbis exprimitur in Concil. Tridentino, sess.13. cap.1. *Principio docet sancta Synodus, & apertè, ac simpliciter profitetur in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum, atque hominem verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.*

SINGVLA verba huius decreti aliquid continent, quo damnentur hæreticorum sententiæ. Primò, Concilium docet, post Sacramenti huius confectionem adesse corpus Christi, quod est, contra Lutheranos Vbiquistas, qui etiam ante consecrationem adesse volunt corpus Domini: est etiam contra Caluinistas, qui dicunt, Eucharistiam esse signum coniunctionis cum Christo iam antea factæ per fidem.

SECVNDÒ concilium dicit, Sacramenti confectionem esse consecrationem panis & vini, cuius vi exhibetur nobis corpus Christi. Id quod est cõtra eosdem Vbiquistas, qui non vi consecrationis, sed vi omni præsentiæ corporis Christi, id fieri contendunt: est etiam contra Caluinistas, qui non ex consecratione, sed ex promissione Euangelij in concione explicata volunt effici Sacramentum,

TERTIÒ, concilium docet, totum Christum esse in hoc Sacramento: id quod explicatur clarius in 1. canone eiusdem sess. vbi habemus, in Sacramento esse corpus & sanguinem Christi, vnà cum anima, & diuinitate. Quibus verbis indicatur, ex vi Sacramenti tantùm adesse corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, id enim solùm exprimitur in forma verborum: ac per naturalem concomitantiam sub vtraque specie esse totum Christum. Ita enim ista coniuncta sunt in Christo, vt separari nequeant sine eius dissolutione: ipse autem dissolui, iam post resurrectionem, nullo modo potest. Porrò est hoc aduersus Lutherum, qui in dubium reuocat istam concomitantiam, in lib. ad Vvaldenses de Eucharistia.

QVARTÒ, Concilium dicit, Christum in Sacramento esse verè. Id quod asseritur contra omnes Sacramentarios, qui volunt Christum adesse, vt in signo, & figura. Figura enim veritati opponitur, vt colligitur ex 1. canone eiusdem sessionis, vbi posteaquam Concilium dixerat, Christũ esse verè in Eucharistia, explicat per negantem particulam: *Non autem solùm in signo, aut figura.*

QVINTÒ dicit, *Realiter*, quod opponitur figmento Caluinistico, qui (vt suprà ostendimus) vult adesse, vt fide apprehẽditur. Quod etiam disertis verbis Zvvinglius docet, in Confess. ad Carolum, quam citat Beza in lib. de cœna Domini, contra Vvestphalum, cap.9. ait enim Zvvinglius, se credere in cœna Domini verum Christi corpus adesse, hactenus quidem, vt fidei contemplationi sit veluti præsens, quod corporaliter est in cœlis. Itaque Sacramentarij sæpe dicunt, reale corpus Christi in cœna adesse, sed realiter adesse nunquam dicunt, quod legerim: nisi fortè loquantur de cœna, quæ fit in cœlo, vt mox dicam. Atque hinc sequuntur duæ aliæ differentiæ inter nos & Sacramentarios: quòd illi negant Christum in Eucharistia adorandum, aut sumi posse ab illis, qui non credunt: nos vtrumque concedimus.

SEXTÒ, Concilium addit, *Substantialiter*, tum contra Caluinistas, qui dicũt, corpus Christi, quoad substantiam, esse tantùm in cœlo, sed nescio quam virtutem seu vigorem inde ad nos manare: vnde idem concilium, can. 1. opponit illud, *Substantialiter*, virtuti, tum etiam vt explicaret modum existendi Christi in Sacramento. Nam vt paulò infrà idem concilium dicit, Christi corpus in cœlo habet modum existendi naturalem, in Sacramento autem nõ naturalem, sed Sacramentalem. Porrò modus existendi Sacramentalis, & tamen simul verus, & realis, non poterat meliùs explicari, quàm illo aduerbio, *substantialiter*. Id enim significat, totum Christum in Sacramento existere ad modum substantiæ, non quantitatis, vel qualitatis, vel aliorum accidentium, idque ea ratione, quia substantia panis conuertitur in substantiam corporis Christi, cætera autem substantiam concomitantur, & ideò modum existendi substantiæ habere debent. Porrò substantia secundum se, neque ordinem habet ad locum, neque ad corpora circunstantia. Quare in Christo (vt est in Sacramento) est quidem debita magnitudo præter substantiam, sed per eam non occupat locum, neque extenditur ad extensionem magnitudinis, sed per modũ substantiæ. Pari ratione est in Christo sua figura, suus color, & tamen inuisibilis est, vt Sacramento contineatur, quoniam figura, & color non habent modum qualitatis, sed substantiæ, vt in Sacramento sunt. Denique habet etiam Christus, vt est in Sacramento, certas qualitates, quibus tangi posset, & tamen per se ac propriè tangi nequit, quia eæ qualitates habẽt (vt sæpe diximus) modum existendi substantiæ; nõ qualitatis. Vide S. Thomam lib.4. contra Gentiles, cap.64. & 3. parte quæst.76. art.5.

SEPTIMÒ, concilium dicit, corpus Domini sub illis speciebus sensibilibus contineri, quibus verbis explicatur adhuc clariùs modus existendi Christi in Eucharistia. Christus enim non est in Eucharistia, vt in loco, vel vt in vase, aut quasi sub aliquo velo sed est ad eum modum, quo erat substantia panis sub suis accidentibus, eo excepto, quòd accidentia illa inhærebant panis substantiæ, Christi autem substantiæ non inhærent. Vnde ex natura rei peracta consecratione tamdiu perseuerat corpus Domini in Eucharistia, quamdiu naturaliter manisset substantia panis sub illis eisdem accidentibus: atque hoc est Christi corpus sub speciebus panis contineri.

Ex qua sententia refutatur fraudulenta quædam cõfessio Bezæ. Nã (vt refert Claudius à Xantes in respons. ad Apologiam Bezæ) anno M.D.LVI. Theodorus Beza, vt Lutheranos per dolum traheret ad Caluinismũ, scripsit Cõfessionem, in qua asseruit, Christi corpus verum, & naturale, verè, & realiter esse præsens in cœna, & communicantibus verè & realiter exhiberi: atque in eam confessionem consentire asseruit Ecclesias Heluetiorũ, & Geneuensium. Verùm cùm inde Lutherani de Sacramentariis triumpharent, & Tigurini grauiter in Bezam inuehi cœpissent, respondit ille, se vera scripsisse, sed à Lutheranis non benè intellecta: neque enim se loquutum de cœna Domini, quæ celebratur in terris, sed de illa, quæ celebratur in cœlis. vbi Christus verè, & realiter præsens est. Sed Concilium Tridentinum præuenit eiusmodi fraudes, cùm non ait in cœna corpus Domini præsens esse, sed sub speciebus panis & vini verè, & realiter contineri. Atque hæc de expositione decreti. Ex qua expositione deduci possunt aliquot regulæ de modo loquendi in hac materia.

PRIMA regula. Nomina substantiua, quæ dicũtur de Christo siue eius corpore extra Sacramentum, dicuntur etiam de ipso, vt est in Sacramento. Ratio est, quia nomina substantiua significant naturam rei, abstrahendo à modo: rei natura autem, & essentia omnium, quæ sunt in Christo, verè est in Sacramento. Itaque verissimè dicimus, in Sacramento esse corpus, carnem, sanguinem, &c. & carnem illam esse corpus, non spiritum.

SECVNDA regula. Nomina adiectiua, quæ dicunt ordinem ad corpora circunstãtia, non dicuntur de Christi corpore, vt est in Eucharistia, licèt dicantur de eo, vt est in cœlo, alia verò dicuntur. Ratio est, quia corpus Christi propter modum existendi in Eucharistia peculiarem, non dicit vllum ordinem ad corpora circunstantia, vt diximus. Itaque dicemus quidem corpus Christi, vt est in Eucharistia, esse verum, reale, naturale, animatum, quantum, coloratum. &c. & carnem illam dicemus esse corporalem, non spiritualem: nisi nomen spirituale sumatur, sicut 1. Cor:15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale*, id est, obediens spiritui in omnibus. At non dicemus, corpus Christi in Eucharistia esse sensibile, visibile, tangibile, extensum, licet tale sit in cœlo: quia ista nomina dicunt ordinem ad corpora circunstantia, quem non habet corpus Christi in Eucharistia. Vnde Augustinus, vt citatur à Gratiano de consecr. dist. 2. can. Nos autem, inuisibilem appellat Christi carnem in Sacramento: *Nos*, inquit, *in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, carnem & sanguinem honoramus.*

TERTIA regula. Aduerbia, quæ dicũt modum existendi corporalem, non dicuntur de Christo in Eucharistia, licet dicantur de ipso, vt in cœlo residet: alia verò nihil prohibet dici. Ratio est, quia (vt sæpe diximus) non habet Christus in Eucharistia modum existendi corporum, sed potiùs spirituum, cùm sit totus in qualibet parte. Itaque dicemus, Christum esse in Eucharistia verè, realiter, substantialiter, vt Concilium rectè loquitur, sed non dicemus, corporaliter, id est, eo modo quo suapte natura existunt corpora, nec sensibiliter, mobiliter, &c. Immò contrà dici posset esse spiritualiter, vt Bernardus dicit in sermone de S. Martino, vbi affirmat in Sacramento exhiberi nobis veram carnis substantiã, sed spiritualiter, non carnaliter: tamen non videtur hæc vox multùm frequentanda, quia periculum esset, ne traheretur ab aduersariis, non tam ad modum, quàm ad ipsam naturam significandam, propter quod item periculum non videtur valdè vsurpandum illud, non esse corporaliter, nisi addatur continuò explicatio.

QVARTA regula. Verba quæ significant præsentiam corporis Domini in Eucharistia, abstrahendo à modo existendi cum ordine ad alia, simpliciter affirmari possunt, reliqua non item. Quare rectè dicemus: Corpus Domini est, continetur, manet, reperitur, sumitur, percipitur in Eucharistia: at nõ rectè diceremus, corpus Christi in Eucharistia extensum est, occupat locum, &c.

QVINTA regula. Quamuis corpus Christi in Eucharistia per se non videatur, nec tãgatur, nec moueatur;

tamen ratione specierum, siue accidentium, quibus coniunctum est, potest dici videri, tangi, moueri, &c. Id patet, quia species illę verè videntur, tanguntur, mouentur; & quod eis conuenit, vt satè etiam tribuitur ei, quod est cum illis coniunctum. Nam hoc modo Angeli, qui sunt spiritus, dicebãtur videri, & tangi corporeis oculis, quãdo videbantur, vel tangebantur corpora ab illis assumpta, Gen. 19. & in toto lib. Tobiæ Scriptura passim vocat Angelos, quos dicit visos, auditos, tactos. Immò Ioan. 1. Spiritum sanctum dicit se Ioánes vidisse, cùm columbam vidit. Hinc etiam Patres eodem modo loquuntur de corpore Domini in Sacramento. Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Ipsum*, Christũ, *vides, ipsum tangis, ipsum comedis*: & homil. 24. in priorem ad Corinthios dicit; Regium corpus nobis intuendum, & tangendum proponi: & Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 58. *Præbet*, inquit, *nobis carnem suam tangendam*: & Augustinus sermon. 2. de verbis Apostoli: *Quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur*. Denique in Concilio Romano sub Nicolao II. compulsus est Berengarius cõfiteri, Christi corpus sensualiter Sacerdotum manibus tangi, & frangi.

A

B

Sed exsitit hoc loco quorundam dubitatio, num ea, quæ dicuntur de Christo ratione specierum, dicantur de ipso verè & propriè, an per aliquem tropum. Et quidem aliqui volunt, verè & propriè dici eo modo, quo dicerentur illa eadem verè & propriè de pane, si adesset: panis enim verè & propriè dicitur videri, tangi, frangi, ratione accidentium suorum. Ratio horum est, quia existimant vnionem Christi cum accidentibus panis, vel esse hypostaticam, vel ei valde similem; atque idcirco fieri communicationem idiomatum inter Christum, & accidentia illa. Itaque sicut verè dicitur Deus in Christo videri, & tangi, immò etiam pati, & mori, ratione naturæ humanæ assumptæ: ita isti volunt, Christum in Eucharistia verè & propriè videri, & tangi ratione accidẽtium panis. At sententia Theologorum communis contrarium docet.

C

Idèo sit regula sexta ex Petro de Soto lect. 6. de Sacramento Eucharistiæ. Verba quæ significant motum localem, verè & propriè dicuntur de corpore Christi in Eucharistia existente, ratione specierũ; licet per accidens, non per se: cætera autem, quæ significant alias mutationes, vel actiones, dicuntur quidem de corpore Christi ratione specierum, sed impropriè, & figuratè.

Prima pars huius regulæ certissima est, quia realis præsentia corporis Christi, id necessariò requirit, vt motis speciebus verè moueatur corpus Christi, quamuis per accidẽs: quomodo anima nostra verè mutat locùm, cùm corpus mutat locum. Itaque verè & propriè dicemus, Christi corpus in Eucharistia, attolli, deponi, deferri, collocari in altari, vel in pyxide, transferri à manu ad os, & ab ore ad stomachum.

D

Altera pars probatur, quia si quæ conueniũt speciebus, excepto motu locali, deberent propriè conuenire corpori Christi, oporteret, vel recipi eas mutationes immediatè in corpore Christi, quòd omnes negant, vel mediantibus speciebus, & hoc vel quia species inhæreãt corpori Christi, & id etiam omnes negant, vel ratione communicationis idiomatum ob vnionem hypostaticã, vel similem: & hoc etiam non habet locũ. Nam vt omittam ea, quæ suo loco infrà dicemus contra opinionem, siue errorem de hypostatica vnione, si ista esset caussa, quatuor absurda sequerentur. Primum, quòd Christus in Eucharistia deberet etiam dici albus, & rotundus ratione specierum: quod tamen omnes absurdum esse confitentur. Cur enim potiùs actiones, & passiones, quàm ipsæ qualitates de Christo dicantur, si est communicatio idiomatum? certè in mysterio incarnationis, non solùm dicitur Deus ambulasse, comedisse, &c. sed etiam fuisse corporeus, humilis, tristis, &c. Secundum, quòd sicut dicunt Christum verè & propriè videri, & tangi; ita possent dicere eum calefieri, aut frigefieri, immò & mucidum, aut acidum fieri, quando ista contingunt in speciebus, ante eorum corruptionem: quemadmodum Deus dictus est pati, vulnerari, & mori in carne. At illa nemo planè concederet. Tertium, quòd oporteret etiam speciebus tribuere Christi attributa, est enim mutua communicatio idiomatum. At nunquam est auditum, vt accidẽtibus aliquid eiusmodi tribueretur. Quartum, quòd non liceret dicere, carnem Christi videri, aut tangi, sed solum ipsum Christum. Communicatio enim idiomatum tribuit soli suppositi attributa vtriusque naturæ, non autem attributa vnius naturæ accommodat alteri; caro autem natura est, non suppositum. Et tamen Patres suprà citati de carne ipsa loquuntur. Chrysostomus enim homil. 47. in priorem ad Corinthios dicit, nos carni Christi dentes infigere, & Cyrillus loco notato, *Carnem suam*, inquit, *tangendam præbet*.

CAPVT III.

Ex figuris Testamenti veteris demonstratur præsentia corporis Domini in Eucharistia.

Nvnc, vt ad probationem accedamus. Catholicam veritatem, quatuor argumentorum generibus confirmabimus, ac simul respondebimus ad ea, quæ aduersarij in vnoquoque genere obiiciunt. Ad primum genus argumentorum pertinent Scripturæ testimonia: ad secundum, testimonia veterum Patrum: ad tertium, Ecclesiæ consensus: ad quartum, variæ rationes. Ex Scripturis quatuor argumenta peti possunt. Primum, ex figuris. Secundum, ex promissione. Tertium, ex institutione. Quartum, ex vsu.

Ex figuris igitur Testamenti veteris sumitur hoc argumentum. Figuræ necessariò inferiores esse debent rebus figuratis. Figuræ autem Sacramenti Eucharistiæ, vel sunt excellentiores, vel non inferiores simplici, & naturali pane, significante corpus Christi: igitur Eucharistia non est simplex & naturalis panis, significans corpus Christi, sed est ipsum corpus Christi, panis verè cœlestis, & supersubstantialis.

Maior propositio ex Apostolo Paulo certissima est, qui Colos. 2. comparat figuras Testamenti veteris vmbris, impletionem autem corpori. Et Hebr. 10. comparat eadem figuras vmbris, veritatem autem imagini. Vmbra enim non est vera imago, sed vel est inanis similitudo imaginis, qualis efficitur, cùm quis ambulat in sole: vel certè adumbrata imago in tabula, nondũ expressa, & perfecta. Hieronymus in cap. 1. ad Titum, vt in re clara non multiplicem testes. *Tantum*, inquit, *interest inter panes propositionis, & corpus Christi, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur*. Sed etiã absq; his testimoniis dubitari nõ potest, quin figura seruiat veritati, & per eã impleatur, ac perficiatur.

Minor propositio dupliciter probari potest. Primùm, ex his figuris, quæ sunt æquales pani. Deinde ex his, quæ sunt præstantiores. Figuræ æquales sunt illæ, quæ in pane sitæ erant. Primùm panis, quem protulit Melchisedech, Gen. 14. eum enim fuisse figurã Eucharistiæ docet Chrysostomus, homil. 35. in Gen. *Vides*, inquit, *quomodo Sacramentum nostrum insinuatur: vidisti typum: cogita, ore, veritatem*. Idem habent alij Patres, Cyprianus lib. 2. epist. 3. Arnobius in Psal. 109. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 3. Hieronymus in cap. 26. Matth. Clemẽs lib. 4. Stromatum. Eusebius lib. 5. Demonstrat. Euang. cap. 3. Damascenus lib. 4. cap. 14. Deinde erat panis propositionis, qui solùm à pueris, & sanctificatis comedi poterat: Exod. 40. & 1. Reg. 21. quem figuram Eucharistiæ fuisse testantur, Hieronym. in 1. cap. ad Titum. Damascenus loco notato,

tato, & Cyrillus Cateches. 4. mystag. item panis primitiarum Leuit. 23. ad quem alludens Irenæus lib. 4. cap. 32. vocat Eucharistiam primitias diuinorum munerum in nouo Testamento. Denique panis ille Angelicus, quo Helias roboratus 40. dierum spatio ambulauit, vsque ad montem Dei Oreb, vbi & Deum quodammodo vidit, 3. Reg. 19.

Ex præstantioribus tres sunt præcipuè figuræ, quæ robustissima argumẽta Catholicis præbent. Prima, agnus Paschalis, quem figuram Eucharistiæ fuisse docent multi veterum: vt Tertullianus lib. 4. in Marcionem. Hesychius in cap. 23. Leuitic. Hieronymus in cap. 26. Matthæi. Chrysostomus homil. de proditione Iudę, Cyprianus lib. de vnit. Ecclesiæ. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 37. *Aliud est*, inquit, *Pascha, quod Iudæi de oue celebrant, aliud quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus*. Leo serm. 7. de passione Domini. Gregorius homil 22. in Euangelia. Et ex ipso Euangelio Matth. 26. Lucæ 22. manifestè colligitur: non enim alia de caussa Dominus post Agnum Paschalem ritu Iudaico manducatum, continuò Sacramentum Eucharistiæ instituit, nisi vt significaret, vt ait Leo loco citato, antiquam obseruãtiam nouo Sacramento adimpleri, & tolli. Denique cõstat Agni Paschalis cæremoniam non tam fuisse positam in immolatione, quàm in manducatione, vt patet Exod. 12. igitur illi respondet in Testamento nouo Agnus ille, qui tollit peccata mundi quatenus manducatur, quod certè non aliter fieri solet, quàm in Eucharistia.

A

B

Iam verò Agnum Paschalem Iudæorum rem fuisse præstantiorem Eucharistia nostra, si in ea nõ verè Christi corpus continetur, nullo negotio demonstrari potest. Si enim consideremus agnum & panem, vt res naturales, dubitari non potest, quin agnus excellat: Si verò ea consideremus vt Sacramenta, id est, symbola externa, eo modo etiam agnus excellit. Nam caro Christi meliùs significatur carne agni, quàm pane: item mors Christi meliùs significatur morte agni, quàm fractione panis; Christi innocentia, mansuetudo, & aliæ proprietates meliùs significantur per agnum illum electum, anniculum sine macula, qui in lege iubebatur immolari, & manducari, quàm pane, qui nihil horum habet: effectus etiam Sacramenti, siue sit nutritio quædam spiritualis, siue excitatio fidei, meliùs obtinetur per esum agni, quã per esum panis. Magis enim caro nutrit, quàm panis, & id etiam fidem magis excitat, quod meliùs repræsentat Christi mortem. Quare illa verba Domini: *Hoc est corpus meum*, aptiùs per metonymiam dici possunt de Agno Paschali, quàm de pane Eucharistiæ.

C

Altera figura est sanguis Testamẽti. Nam Exod. 24. & Hebr. 9. describitur Testamentum vetus, vbi legimus, Moysem nomine Dei mandata legis proposuisse, deinde aspersisse sanguinem in populum, ac dixisse: *Hic est sanguis Testamenti, quem misit ad vos Deus*.

D

Impleta est autem hæc figura in institutione huius Sacramenti, quod facilè probari potest: posset enim aliquis existimare, illam esse figuram passionis Christi, & non institutionis huius Sacramenti. Probatur igitur primò, quia Lucæ cap. 22. disertis verbis Dominus ait: *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*: igitur in ipsa cœna Testamentum institutum fuit. Secundò, quia videtur Dominus de industria vti voluisse iisdem ferè verbis, quibus vsus fuit Moyses: nam Matth. cap. 26. ita scribit eum dixisse: *Hic est sanguis meus noui Testamenti*. Et præterea tertiò, tunc Dominus proposuit etiam legem, vt antea fecerat Moyses, cùm ait, Ioan. 3. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*. & aspersit sanguinem in pectora discipulorum, quorum neutrum in passione factum legimus. Quartò, Testamentum fieri debet ab homine libero, ante mortem coram testibus, & per aliquod publicum instrumentum, quod exstet ad memoriam. Hæc omnia videmus adfuisse in vltima cœna, non autem in passione. Nam in vltima cœna Dominus adhuc liber erat, in passione autem, erat quodãmodò iuris alieni, cùm vinctus esset in manibus Iudæorum. Item in vltima cœna testes aderant Apostoli, & confectum est publicum instrumentum exstans ad memoriam, id est, Sacramentum ipsum Eucharistiæ. In passione autem inimici aderant, non testes, excepto Ioanne, neque vllum tũc instrumentum factum est. Denique in vltima cœna Dominus viuebat, in passione non tam viuebat, quàm moriebatur. Vnde Apostolus Hebr. 9. dicit: Testamentum morte confirmari; non enim valet dum viuit, qui testatus est, quasi dicat, ante mortem fieri, sed morte consequente formari.

A

B

Hoc ergo posito, sanguinem illum Testamenti veteris, figuram fuisse sanguinis, qui nobis datur in Eucharistia; iisdem argumentis probari posset, meliorem fuisse figuram re ipsa figurata, si ibi verus sanguis, hîc tantùm sit vinum, quibus probauimus Agnum meliorem esse pane. Sanguis enim, & nobilior substantia est, quàm vinum, & meliùs repræsentat Christi sanguinem, quàm vinum.

Tertia figura est Manna, quod Iudæis in deserto pluebat. Exod. 16. fuisse enim Manna figuram Eucharistiæ, patet ex verbis Domini, Ioan. 6. *Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Idem præterea colligitur ex Apostolo, qui 1. Cor. 10. mare rubrum comparat Baptismo, & Manna Eucharistiæ, Idem & Patres docent, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Augustinus in cap. 6. Ioannis, & præterea Ambrosius lib. 5. de Sacramen. cap. 1. & de iis, qui init. myst. cap. 8. & 9. Denique tanta est inter Manna, & Eucharistiam similitudo, vt res ipsa clamet, illud huius fuisse typum. Manna datum est in deserto, dum filij Israël transito mari rubro ad terrã promissionis pergerent: ita etiam (vt notat Augustinus tract. 11. in Ioan.) Eucharistia datur in huius vitæ deserto, dum post Baptismum tendimus ad veram patriam nostram, quæ est vita æterna. Deinde Manna id habuit singulare, vt licet aliqui multum, aliqui parum collegisse viderentur, omnes tamen eandem mensuram inuenirent: Exod. 16. quod certè aptissimè quadrat in Eucharistiam, cùm idem sit Sacramentum, eadem virtus, idem fructus in magna parte signorum, & in parua. Denique non caret mysterio, quod & Manna, & aqua de petra, quibus vtraque species Sacramenti figuratur, contemptum, dubitationes, & contradictiones passa sint, & propterea multi inde perierint, vnde refici debuissent. De Manna Psal. 77. *Nunquid panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Et Numer. 20. legimus aquam illam, aquam contradictionis appellatam. Et Numer. 21. *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo*. Ibidem describitur strages occisorum propter huiusmodi murmurationes. Porrò dubitationes, murmurationes, & contradictiones circa Eucharistiam hoc potissimùm tempore notissimæ sunt. Et certè si (vt Apostolus ait, 1. Corinth. 11.) multi dormiebant, id est, moriebantur corporaliter olim, quia indignè sumebant Eucharistiam, multò plures credendum est mori in æternum, propter contemptum, & blasphemias in tam admirabile Sacramentum.

C

D

Iam verò, quòd Manna res fuerit multò præstantior, quàm Eucharistia, si ea non verè continet corpus Domini, facilè probari potest. Nam si consideremus Manna, & panem Eucharistiæ, vt dona quædam, abstrahendo à significatione, Manna fiebat manibus Angelorum, vnde dicitur panis Angelorum, Psal. 77. & Sapient. 16. Panis Eucharistiæ fit manu pistorum. Manna pluebat è cœlo; panis iste è furno prodit. Manna habuit omnem saporẽ, immò summo miraculo, cuique sapiebat, quod is desiderabat, Sapiẽt. 16. panis, nihil nisi panem sapit. Quid

igitur est, quod Christus Ioan. 6. ait: *Non Moyses dedit vobis panem de cælo: sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum* & alia quæ ibidem subiungit, longè anteponens Eucharistiam suam Mannæ Iudæorum? Si verò considerentur vt symbola externa, meliùs Christum significat Manna quàm panis, & quia illud erat è cœlo, & quia habuit omnem saporem, & quia æqua mensura sumebatur ab omnibus, licet diuersa esse videretur.

CAPVT IV.

Refellitur solutio aduersariorum ad argumentum nostrum.

AD hoc argumentum respondet Petrus Martyr in sua defensione de Eucharistia, part. 3. pag. 692. ac duo docet. Primò iacit fundamentum quoddam, videlicet in Sacramentis veteribus fuisse symbolum externum, & rem ipsam, sicut in nostris; & licet symbola nostra, & illorum sint diuersa, tamen rem esse eandem. Et probat ex Apostolo 1. Corinth. 10, qui dicit, Hebræos eandem nobiscum escam manducasse; & ne quidquam de re dubitemus, eam ait disertis verbis fuisse Christum.

AT in hac probatione bis peccat Martyr: Primò, quia Paulus nusquam dicit, Hebræos eandem nobiscum escã manducasse. Illa enim particula (*nobiscum*) quam sæpe inculcat Martyr; & in qua totum præsidium ponit, non habetur in Apostolo, & nos suprà in disputatione de Sacramentis in genere demonstrauimus, Apostoli sensum esse, quòd Hebræi eandem escam inter se comederint, non autem nobiscum. Secũdò, quia Paulus nusquam dicit, escam, vel potum illum Hebræorum, seu rem Sacramentorum illorum fuisse Christum, quod tamen disertis verbis eum dicere, Martyr solita confidẽtia scripsit. Verba enim Apostoli hæc sunt. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Vbi Apostolus non dicit Christum fuisse aquam, quam illi bibebant, sed petram, vnde illa aqua fluebat: & petram non illam materialem, ex qua visibiliter, & quodãmodò materialiter aqua fluebat, sed petram inuisibilem, quæ Hebræos vbique comitabatur, id est, diuinam Christi prouidentiam, & virtutem, quæ erat caussa efficiens illius aquæ, & omnium bonorum. Sed de hac re satis multa loco citato disputauimus.

VNICVS restat scrupulus, quia apud Paulũ (vt Martyr ibidem annotauit) idem est edere, & bibere aliquid, & de aliquo. Nam 1. Corinth. 11. dicit: *Bibere calicem*, & *bibere de calice*, & similiter, *edere panem, & de pane.* At id verum est, cùm agitur de re comestibili, vel potabili, vt in exemplis positis. Quia verò non rectè dicimur bibere petram; ideò cùm legimus, *bibere de petra*, non potest exponi, quasi idem sit quod, bibere petram, sed (vt nos diximus (quod bibere aquam ex petra manantem. Quare quantumlibet se vertat in omnem partem Martyr; nõ efficiet, vt Paulus dicat Hebræos bibisse Christum.

SECVNDÒ igitur Petrus Martyr iacto illo putrido fundamento, addit, Sacramẽta nostra, quantum ad symbola externa, præstare antiquis Sacramentis, quia sunt magis firma, nec ampliùs mutanda, vsque ad finem sæculi; & quia ostendunt rem factam, non vt illa, futuram; & quia sunt simpliciora, & pertinent ad populum numerosiorem, & quia sunt clariora, non propter externam repræsentationem, sed ex claritate verborum, quæ ibi proferuntur: vnde etiam sequitur, quòd maiorem fidem excitant, & sic veriorem fructum adferunt. Ac per istas prærogatiuas satisfieri putat argumento Catholicorum.

SED minimè satisfaciunt. Nam quod attinet ad Sacramenta, vt signa, extrinsecæ sunt illæ prærogatiuæ, quòd nostra sint durabiliora, & quòd significẽt rem præteritam, & quòd ad plures pertineant: id enim totum pendet ex voluntate instituentis, & idcirco, aut nullam aut ferè nullam dignitatem addunt signis, vt signa sunt. Exempli gratia, immolatio agni ex se non minùs durabilis esse posset, & ad multos pertinere, & rem præteritam significare, quàm fractio panis: quare per accidens est, quòd Hebræi adhiberent immolationem agni ad rem futuram significandam, nos fractionem panis ad rem præteritam, vt notum est. Et idem de cæteris dici potest. Adde, cùm Dominus Eucharistiam instituit, mors ipsius, quæ eo Sacramento significatur, futura erat, non præterita: igitur Eucharistia illa, quam Dominus ipse celebrauit, nihil habuit præ cœna typica Agni Paschalis. Quorsum ergo Dominus iterauit cœnam, & Eucharistiam tunc dedit? Comparatio facienda est in ipsa significatione, si propria, & intrinseca dignitas signorũ quæritur: illa enim sunt meliora, quæ meliùs significant. Signa vetera meliùs significare, quantum ad externam repræsentationem, aduersarius non negat, & nos in nostro argumento planissimum fecimus.

SOLVM ergo restat, quòd nostra videantur excellere ratione verborum. Sed hoc aduersarios nihil iuuat: nam ipsi nolunt verba esse de essentia signorum, vt Catholici dicunt. Tria sunt enim genera verborum in Sacramentis. Primò, sunt yerba institutionis; & hæc communia sunt Sacramentis veteribus & nouis, & non sunt propriè de essentia, cùm ad caussam efficientem pertineant. Secundò, sunt verba promissionis, & hæc etiam sunt communia, & non sunt de essentia: distinguuntur enim per aduersarios verba, & Sacramenta, sicut diploma, & sigillum, vel sicut fœdus, & signum fœderis. Vnde Caluinus lib. 4. Institut. cap. 14. §. 1. dicit, Sacramẽta esse appendicem promissionum: & omnes aduersarij dicunt Sacramenta esse signa confirmantia promissiones. Quãuis igitur verba promissionis sint clariora in nouo Testamento, quàm in veteri, non tamen sequitur ideò Sacramenta etiam esse clariora: potest enim fieri, vt diploma clariùs obsignetur sigillo obscuriore, & diploma obscurius sigillo clariore, & meliore. Et hoc admittere coguntur aduersarij in materia Sacramentorum, cùm fateantur signa vetera fuisse clariora, quoad externam repræsentationem. Quare si maior fides excitetur in perceptione Sacramentorum nouorum, quàm veterum, vt Martyr dicit, id non est ex vi signorum, sed ex vi verborum tantùm, quæ distinguuntur à signis essentialiter, vt diximus. Tertiò, sunt verba consecratoria; & illa sunt de essentia apud Catholicos, & ratione eorum sunt Sacramenta nostra signa clariora: sed hoc genus verborum aduersarij explodunt, tanquam incantationem, & magiam. Nihil ergo illis remanet, vnde probent, signa nostra esse clariora veteribus.

SED licet etiam id probare possent, adhuc remanet insolutum argumentum nostrum ex comparatione rerum inter se, omissa significatione, & hæc est comparatio, quæ fit in Scripturis, & apud Patres. Non enim Scripturæ & Patres dicunt, nostra Sacramenta excellere veteribus, quia meliùs significant, sed quia illa erãt figuræ, & ista res figurata, & proinde res ipsæ considerandæ sunt. Si autem res ipsæ considerentur, quis dubitet meliorem esse agnum pane, & Mãna etiam de cœlo, quàm panem ex furno? Et hæc est comparatio, quam Christus facit, Ioan. 6. vbi non meminit significationis, sed dicit, Manna non fuisse panem verè de cœlo, si cum pane Eucharistiæ conferatur. Pari ratione Patres non dicunt, Eucharistiam esse præstãtiorem, quàm Manna, quia meliùs significat, sed quia continet corpus Christi, quod est incomparabiliter nobilius, quàm Manna: vnde nunquam comparant Manna cum pane, vt facere debuissent, si de significatione ageretur, sed cum ipso corpore Domini. Loca Patrum multa ad hoc propositum attulit Gardinerus in eo libro, cui respondet Martyr, vt Origenem homil. 7. in Numeros. Cyprianum serm. de cœna Domini. Ambrosium de iis qui init. myster. cap. 9. Hieronymum in 1. cap. ad Titum. Chrysostomum homil. 83. in Matthæum. Cyrillum lib. 4. in Ioannem, cap. 16. Hesychium lib. 6. in Leuiticum cap. 22.

EXPLICATIONES autem, quas ad ea loca Martyr adhibet, adeò sunt absurdæ, vt magis confirment argumentum nostrum. Tres autem sunt eius solutiones. Prima est ad locum Cypriani; sic autem loquitur Cyprianus in serm. de cœna Domini: *Cœna dispositа inter Sacramentales epulas obuiauerunt sibi instituta antiqua, & noua, & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum Magister opponit discipulis.* Hoc loco Cyprianus apertè comparat Agnum Paschalem non cum pane, qui non minùs consumitur in cœna, quàm agnus, sed cum corpore Christi; quod ita sumitur in cœna, vt semper integrum maneat. Respondet Martyr, agnum dici consumptibilem, quia cæremonia illa cessare debebat; panem Eucharistiæ dici inconsumptibilem cibum, quia Sacramentum Eucharistiæ vsque ad finem sæculi durabit. Quid magis, quæso, hac explicatione extortum? Nam non loquitur Cyprianus de cæremonia ipsa in genere, quæ tunc abrogãda erat, sed de illo agno particulari, quem tunc Apostoli cum Domino comederant; *Agno*, inquit, *consumpto, quem antiqua traditio proponebat.* Sicut igitur ille agnus propriè per comestionem consumptus fuerat, ita è cõtrario, si antithesis valet, cibus inconsumptibilis, non est cæremonia noui Sacramenti in genere, sed est res aliqua particularis, quæ dum comeditur, non absumitur, quæ certè non est panis, sed corpus Christi. Præterea, etiamsi Sacramentum Eucharistiæ durabit vsque ad mundi finem, tamen cessabit tandem: quare non rectè dici potest inconsumptibilis cibus, nisi ratione rei contentæ, quæ est absolutè inconsumptibilis: alioqui posset omnis panis, & quilibet alius cibus dici inconsumptibilis, quia durabit in specie vsque ad mundi finem.

ADHIBET deinde aliam solutionem, quæ etiã conuenit testimonio Ambrosij, ac dicit posse incomsumptibilem cibum vocari ipsum Domini corpus; sed quia idẽ corpus, & eodem modo, (id est, per fidem percipiebant veteres in agno, quod nos in pane iuxta aduersarios, ideò Martyr dicit, Cyprianum opponere agnum illum irrationalem non pani, vt par erat, sed corpori Domini, quia agnus ille obscuriùs significabat corpus Domini, quàm noster panis, & res tunc futura erat, quæ iam facta est. Poterant enim veteres propter illam obscuritatem per quendam tropum dici non habuisse corpus Christi.

AT quis non misereatur huius hominis in tantis angustiis positi? Nam & falsum est, vt ostendimus, agno illo obscuriùs significatum esse Christũ, quàm pane, cùm potiùs multò clariùs illo significaretur: & falsum est etiã saltem de Eucharistia, quam Dominus ipse discipulis distribuit, quòd rem præteritam significauerit. Significabat Christi mortem, quæ futura erat, non præterita. Et præterea quis ferat tropum illum, quo dicantur non habuisse Christum veteres; & nos dicamur habere, cùm eundem Christum, & eodem modo, id est, per solam fidem habeamus? Ad hunc enim modum habendi, parum aut nihil interest, vtrum Christus venturus fuerit, an venerit, sicut nõ magis reficit memoria præteriti cibi, quàm exspectatio futuri. Neque refert etiam vtrum habeamus per signa clariora, vel obscuriora. Ac, vt similitudine rem illustremus: Si quis dimitteret debitori debitum centum aureorum in gratiam amici, qui donaturus est ei mille aureos post annum, & faceret ei syngraphan donationis, & obsignaret sigillo paulò rudiori; deinde post duos annos dimitteret alteri debitum item centum aureorum in gratiam eiusdem amici, qui ei donauit mille aureos ante vnum annum, & daret huic etiam syngraphan donationis, & obsignaret pulcherrimo sigillo: quæro, num propter sigilli & temporis diuersitatẽ posset dici priori debitori datam obsignatam syngraphan, posteriori autem verè debitum remissum? nullus certè sanæ mentis homo ita loqueretur, & hoc modo tamen loquitur Martyr.

ALTER locus erat Ambrosij, qui ita loquitur de Manna, sicut Cyprianus de Agno Paschali; sic enim ait de his qui initiantur mysteriis, cap. 9. *Considera nunc vter præstantior sit, panis Angelorum, an caro Christi, quæ vtique corpus est vitæ. Manna illud de cælo, hoc supra cælum: illud cœli, hoc Domini cælorum: illud corruptioni obnoxium, si in alterum diem seruaretur, hoc alienũ ab omni corruptione.* Ad hunc locum non respondet Martyr, sed remittit nos ad solutionem iam datam ad locum Cypriani, & nos eũ remittamus ad superiorem confutationem.

AD alia testimonia Hieronymi, Origenis, Chrysostomi, Hesychij (nam à Cyrillo fatetur se dissentire) respõdet illos tribuere Hebræis tantùm symbola, nobis autem rem ipsam; quia non intelligebant multi Hebræorum, quid symbola significarent, & proinde non habebant nisi externa symbola. At solutio non satisfacit, tum quia Hieronymus, & alij comparant inter se res ipsas, non autem habentes; tum quia etiam Christiani, qui non intelligunt quid symbola significant, non habent nisi symbola secundum aduersarios.

CAPVT V.

Quòd Ioan. 6. agatur de Eucharistia.

IAM vt ad secundum argumentum ex Scripturis veniamus, probanda est eadem veritas ex promissione Domini, quæ habetur apud Ioannem cap. 6. Tria autem de hoc argumento tractanda erunt. Primò disputandum est, an Ioannis 6. loquatur Dominus de Eucharistia. Secundò, deducendum inde argumentum pro veritate corporis Domini. Tertiò, soluenda argumenta aduersariorum, qui putant Ioan. 6. non agi de Eucharistia.

QVANTVM ad primum, non est controuersia, an in toto capite agatur de Eucharistia: constat enim non ita esse. Nam & de miraculo panum, & de fide, & de Incarnatione agitur in magna part. capitis. Solùm igitur quæstio est de illis verbis: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, & de sequentibus ferè ad finem capitis.

AC hæretici quidem huius temporis ferè omnes negant hæc verba ad Sacramentum Eucharistiæ pertinere. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, cap. 1. dicit cap. 6. Ioannis in totum seponendum esse, vt quod nihil ad hanc rem pertineat. Idem habet Zvvinglius in libro de vera & falsa religione, ca. de Eucharistia. idem Oecolampadius in libro de verbis Domini: *Hoc est corpus meũ.* Idem Martinus Kemnitius in secunda parte Examinis, pag. 657. ad cap. 1. sess. 21. Cõcilij Tridentini. Ioãnes Caluinus videtur quidem nonnullis in alia esse sententia. Nãli. 4. Institut. cap. 17. §. 1. & 5. & deinceps, tractans de hoc Sacramento, citat cap. 6. Ioannis: tamen §. 33. apertè sententiam suam aperit. Nam cùm citasset illa verba, *Quis quis ederit carnem meam, & biberit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo*, Ita subiungit: *Excipiunt, illic non agi de Sacramentali ẽsu, quod ego fateor.* Non igitur voluit Caluinus, intelligi debere sextum caput Ioannis de Sacramẽtali manducatione: citauit tamen verba huius capitis, cùm de Sacramento ageret, quia existimat in hoc capite tractari de spirituali Christi manducatione, cui postea Dominus addidit externa symbola. Id quod clarissimè expositit Petrus Martyr in libro contra Gardinerum p. 1. ad solutionem 32. obiecti: *De sexto capite*, inquit, *Ioannis, an ad Eucharistiam pertineat, nos ita respondemus, sermonẽ ibi de Sacramento cœnæ non instituti* Et infrà: *Quonã tamen*

res ipſa, id eſt, corporis & ſanguinis Chriſti, ſpiritualis manducatio, & potus ibi luculenter traditur, ad quam poſtea Euangeliſtæ ad finem hiſtoriæ ſuæ declarant Chriſtum adiunxiſſe ſymbola externa panis & vini, idcirco nos caput illud à Sacramento Euchariſtiæ non putamus eſſe alienum. Atque hæc de hæreticorum ſententia.

PORRÒ Catholici ferè omnes intelligi volunt huius capitis verba de Sacramento ipſo Euchariſtiæ, ſiue de Sacramentali manducatione corporis Domini in Euchariſtia. Sunt tamen pauci quidam, qui vt faciliùs reſponderent Huſſitis, vel Lutheranis ex hoc capite probantibus communionem ſub vtraque ſpecie, docuerunt non agi in hoc capite de Sacramentali manducatione, & potu corporis, & ſanguinis Domini. In hoc numero ſunt Gabriel lect. 84. ſuper canon. Miſſæ. Nicolaus Cuſanus epiſt. 7. ad Bohemos. Thomas Caietanus in 3. part. quæſt. 80. artic. vlt. Ruardus Tapper in explicatione artic. 15. Louanienſium. Ioannes Heſſelius in libro de Communione ſub vna ſpecie. & Cornelius Ianſenius cap. 59. Cõcordiæ. Multùm autem intereſt inter Catholicos, & hæreticos, licet in ſententia eadem conuenire videantur; quod Catholici id ſenſerunt optima intentione, vt videlicet faciliùs defenderent veritatem: hæretici autem, vt eandem faciliùs oppugnarent. Deinde Catholici ſubiiciunt ſe ac ſua cenſuræ Conciliorum, ac Pontificum, quod hæretici non faciunt.

PORRÒ cæteri ſcriptores Catholici, quos in maximo numero citat Nicolaus Sanderus in libro de ſexto capite Ioannis, ſummo conſenſu docent, in hoc capite agi de manducatione Sacramentali: quod ſine dubio veriſſimum eſt; & probari poteſt quatuor argumentis. Primò ex hoc ipſo loco Scripturæ. Secundò ex teſtimonio Eccleſiæ. Tertiò ex Patribus. Quartò ex abſurdis, quæ ſequuntur ex aduerſariorum ſententia.

QVANTVM ad primum, ex ipſo textu ſumũtur hæc argumenta. Primum, Dominus loquitur de futuro, cùm ait, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt.* At ſi panis eo loco ſignificaret Chriſtum, vt fide percipitur ſine vlla relatione ad ſpecies Sacramentales, non diceret in futuro. Mãducatio enim illa per fidem, res eſt omnium temporum: nam etiam Patres veteris Teſtamenti ita Chriſtũ manducauerant. Et confirmatur ex textu Græco, quem hæretici Latino anteponere ſolent; ſic enim habetur: *Panis quẽ ego dabo, caro mea eſt, quã ego dabo pro mundi vita.* Vbi illud ſecundum, *Dabo*, non poteſt exponi, niſi pro re verè & propriè futura; ergo & primũ, *Dabo*, ita exponi debet. Promiſit igitur Dominus carnem ſuã, nõ abſolutè, ſed in Sacramento ſumendam, quod promiſſum impleuit in vltima cœna. Confirmatur ſecundò ex diſtinctione, quam facit Dominus inter donũ Patris, & donũ ſuum. Nã de Patre dicit in præſenti: *Pater meus dat vobis panẽ de cælo verum*, de ſe autẽ in futuro: *Panis, quẽ ego dabo*, quia nimirum donũ Patris iam aderat, id eſt, Filius eius incarnatus: donum Filij, id eſt, caro, in Sacramento futurum erat.

SECVNDVM argumentum ſumitur ex collatione horum verborũ, cùm verbis cœnæ: tanta enim eſt ſimilitudo, vt planè clamare videatur diuina Scriptura, ibi reddi, quod hîc fuit promiſſum. Hic enim dicitur, *Panis, quẽ ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mũdi vita* Ibi autem: *Accipite & manducate, hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis datur in remiſſionem peccatorum.*

TERTIVM argumentum ex ſequentibus verbis, *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* & ex illis diſcipulorum paulò infrà: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Ex his enim colligitur tam Iudæos cæteros, quàm diſcipulos ipſos intellexiſſe, aliquid nouum, & mirandum proponi a Chriſto. Dominus autem non correxit eorum ſententiam, ſed iterum inculcauit: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* Quis credat, rem ſacillimam, qualis eſt credere in Chriſtum, voluiſſe Dominum cum tanto offendiculo diſcipulorum inuoluere tot obſcuriſſimis metaphoris, cùm potuiſſet vno verbo rem totam declarare? Et confirmatur, quia ſolebat Dominus, ſi quid per parabolas obſcurè proponeret, poſtea diſcipulis explicare, vt patet Matth. 13. de parabolis ſeminantis, & zizaniorũ. & Ioan. 3. cùm dixiſſet: *Oportet vos naſci denuò*, & Nicodemus nõ intellexiſſet, explicuit paulò pòſt id fieri ex aqua, & Spiritu ſancto. & Ioan. 10. explicuit parabolam de paſtore, ouibus, oſtio, &c. Idẽ fecit & Ioan. 16. de illis verbis: *Modicùm & videbitis me, & iterum modicùm, & non videbitis me.* Hîc autem non explicuit aliter, ſed dixit iis, qui non receſſerant: *Vultis & vos abire?* quaſi diceret, Non habeo aliud quod faciam, inſinuaui myſterium, fide hîc opus eſt: qui non vult acquieſcere, abeat.

QVARTVM argumentum ex illis verbis: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitam in vobis, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã: & Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.* Iſta enim diſtinctio tam frequẽs carnis & ſanguinis, & cibi ac potus, apertè indicat Chriſtum loqui de communicatione ſui ſub ſpeciebus panis & vini: alioqui enim quorſum iſta diſtinctio, toties præſertim repetita? Spiritualis enim perceptio Chriſti per fidem, non eget iſta diſtinctione, cùm vno modo fiat: idem enim eſt manducare, & bibere in ſumptione per ſolã fidem. Adde, quòd illa expreſſio, *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus*, ſignificat diuerſum modum ſumendi carnem, & ſanguinẽ Chriſti, qui planè perit, ſi tollas ſpecies Sacramentales.

QVINTVM eſt, in illis verbis: *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, &c.* Siquidem comparatio non fit inter manna, & corpus Chriſti, vt ſumitur ſola fide, ſed vt ſumitur in Sacramento, id quod perſpicuum eſt, tum ex Apoſtolo 1. Corinth. 10. vbi comparat tranſitum maris rubri cum Baptiſmo, & mãna cum Euchariſtia: tũ etiam, quia corpus Domini, vt ſumitur ſola fide, non defuit veteribus, immò illud in manna ita ſumebãt opinione aduerſariorum, vt nos ſumimus in Euchariſtia.

SEXTVM ex miraculo panum. Adiunxit enim Dominus hanc diſputationem illi miraculo, quia multiplicatio illa panum fuit inſignis figura huius Sacramenti.

SEPTIMVM ex verbis, manducandi carnem & bibendi ſanguinem, tam ſæpe repetitis, & cum iuramento, *Amen, amen* confirmatis. Illa enim verba non poſſunt figuratè accipi, ſed propriè; tũ quia ſemper propria ſignificatio ſequenda eſt, niſi euidenter probetur contrarium; tum quia valde abſurdum eſſet, Dominum nõ ſemel, ſed ſæpius iuramento confirmaſſe, oportere mãducari ipſius carnem, ſi hoc non niſi figuratè faciendum eſſet: neque enim iuramento confirmare licet, niſi ſententias apertiſſimas, & certiſſimas, & quæ non poſſint in alium ſenſum torqueri, ne detur occaſio periuriis. At propriè caro ſignificat carnem, & manducare ſignificat corporalem actionem, qua cibus trãiicitur ab ore ad ſtomachum. Id autem non fit quando creditur in Chriſtum, ſed tantùm quando ſumitur in Euchariſtia; loquitur ergo Dominus de Sacramento Euchariſtiæ.

OCTAVVM ex collatione huius capitis cum 3. cap. eiuſdem Euangelij. Sicut enim cap. 3. Dominus vt Baptiſmũ inſinuaret, dixit Nicodemo, & aliquoties repetiuit: *Oportet vos naſci denuò*, &, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*: ita hoc loco, vt inſinuaret alterum Sacramentum, nimirum Euchariſtiæ, dixit, & repetiuit ſæpius, *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis*, &, *Qui manducat meam carnem, &c.* Et ſicut eo loco mirabatur Nicodemus, neque poterat capere, quomodo fieri deberet illa regeneratio: ſic etiam hoc loco mirantur diſcipuli, quomodo poſſit fieri iſta manducatio.

PROBATVR ſecundò ex teſtimonio Eccleſiæ. Nam

Conci

Concilium Alexan. quod approbatum fuit in 3. Synodo generali, in epiſt. ad Neſtorium exponit illud: *Niſi manducaueritis*, de Sacramenti huius perceptione. Item facit VII. Synodus act. 6. in fine 3. tomi. Similiter Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. exponit de hoc eodem Sacramento illa verba: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Itaque licet iſta Concilia non condiderint decretum aliquod de hac re: tamen ſatis apparet, quòd ſenſerint omnes Epiſcopi trium generalium Conciliorum, & proinde omnis Eccleſia, quam illi repræſentabant. Adde, quod in die feſto venerabilis Sacramenti, Euangelica lectio proponitur ab Eccleſia ex c. 6. Ioan. Adde vltimò, quòd Romanus Catechiſmus, qui omnibus paſtoribus communis eſſe debet, adducit teſtimonia ex hoc capite, cùm de Sacramento Euchariſtiæ tractat: quæ argumenta ex Eccleſiæ præſentis teſtimonio, licet ab hæreticis contemnantur, tamen Catholicis maxima eſſe debent.

PROBATVR tertiò ex Patribus. Ac primùm, qui commentaria ſcripſerunt in Ioannem, ſummo conſenſu hæc loca de Sacramento Euchariſtiæ exponunt, nimirum Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, S. Thomas, Nicolaus Lyranus, & Dionyſius Carthuſianus. Præter hos interpretes, qui ex propoſito Euangelium explicant, Origenes hom. 7. in Num. Athanaſius hom. in illud: *Qui dixerit verbum in Filium hominis.* & in ſynopſi. Baſilius lib. 1. de Baptiſmo, cap. 3. & in regulis moralibus, cap. 21. Cyrillus Hieroſolymitanis catecheſi 4. myſtagogica. Theophilus Alexandrinus lib. 2. Paſchali; Epiphanius hæreſ. 55. Theodoretus lib. 4. hiſt. cap. 11. Damaſcenus lib. 4. de fide, cap. 14. Ex Latinis Cyprianus ſerm. de orat. Dominica, & lib. 1. contra Iudæos, cap. 21. & in ſerm. de cœna Domini. Hilarius lib. 8. de Trinit. Ambroſius lib. 6. de Sacramentis, cap. 1. & de iis qui initiantur myſteriis, cap. 8. & li. 4. de fide, cap. 5. Heſychius lib. 6. in Lenit. cap. 22. Euſebius homil. 5. de Paſchate. Etſi enim Heſychius & Euſebius videntur Græci homines fuiſſe, tamen Latinè ſcripſerunt. Hieronymus in epiſtol. ad Hedibiam, q. 2. & in primum c. ad Epheſios. Auguſtinus ſerm. 2. de verbis Apoſtoli q. 57. in Leuiticum, in Pſal. 33. concion. 1. de conſenſu Euangeliſtarum, li. 3. cap. 1. & alibi. Leo ſerm. 6. de ieiunio 7. menſis. Caſſiodorus in Pſal. 109. Haymo, Sedulius, & Primaſius in cap. 10. & 11. ad Corint. Gregorius lib. 7. moral. cap. 4. Iſidorus lib. 1. de officiis diuinis, cap. 18. Bernhardus ſerm. 1. in vigilia Natiuit. & ſermon. 1. de Paſchate.

AD hæc loca reſpondent Ruardus & Ianſenius, Patres in homiliis ad populum præſertim, accommodaſſe verba Ioan. 6. ad Sacramentum Euchariſtiæ: At maior pars auctorum allegatorum, ſcripſit commentaria, vel diſputationes, in quibus literalis ſenſus exprimi debet, non ſenſus myſtici, & accommodationes. Et ſanè ſi licet hoc dicere de iſto capite, cur non licebit idem dicere de c. 3. Ioan nimirum Patres accommodaſſe eum locum ad Baptiſmum? Adde, quòd aduerſarij, ne vnum quidem proferre poſſunt, qui docuerit, hunc locum Ioannis intelligi debere ſolùm de ſpirituali manducatione, & nullo modo de Sacramentali.

PRAETER hos Patres notandi ſunt alij poſteriores doctores, ne quis putet recentiores Catholicos contrarium ſenſiſſe, exceptis illis pauciſſimis, quos ſuprà nominaui. Ita igitur expoſuerunt, qui ſcripſerunt olim contra Ioannem Scotum, vel Berengarium, vt Paſchaſius lib. de Sacramentis, cap. 14. Adelmannus in epiſt. ad Berengarium, Guitmundus lib. 3. Algerus lib. 1. ca. 10. 12. & 17. Ita etiam Scholaſtici qui poſtea ſequuti ſunt cum Magiſtro lib. 4. d. 10. Ita quoque Thomas Vvalden. contra Vviclefum tomo 2. de Sacramentis, cap. 92. & 94. & Ioannes Gerſon, contra Huſſitas in lib. de Communione laicorum. Denique noſtro tempore contra Lutheranos plurimi, ſed præter alios Nicolaus Sanderus, librum integrum ſcripſit de hac re.

PROBATVR quarto hæc eadem veritas ex abſurdis, quæ ſequerentur. Primò, ſequeretur Ioannem nihil planè ſcripſiſſe de hoc Sacramento; nam nuſquam attigit hanc materiam niſi hoc loco. At certè valde abſurdum eſt, Euangeliſtam primarium, & diligentiſſimum in ſummis myſteriis explicandis, nihil de hoc ſummo Sacramento ſcriptum reliquiſſe, præſertim cùm tam multa ſcripſerit de Baptiſmo. Quare Auguſtinus libro 3. de conſenſu Euangeliſt. c. 1. monet, Ioannem nihil ſcripſiſſe de cœna Domini in proprio loco, vt cæteri fecerũt, quia plurima de ea re antè ſcripſerat. Secundò ſequeretur, Chriſtum nunquam explicuiſſe fructum, aut excellentiam huius Sacramenti, cùm id tam ſæpe fecerit de Baptiſmo: nam in vltima cœna ſolùm inſtituit, ſed nihil addidit ad eius explicationem. Et confirmatur, quia (vt Chryſoſtomus annotauit in com. cap. 26. Mat.) Apoſtoli ſine dubio commoti fuiſſent & turbati, cùm audiebant: *Accipite, & comedite, hoc eſt enim corpus meum*, niſi antea inſtructi fuiſſent. Tertiò ſequeretur, nullum extare præceptum diuinum de hoc Sacramento percipiendo. Nam apud alios Euangeliſtas ſolùm exſtat inſtitutio, & vt quoties Sacramentum ſumitur, id fiat in memoriam Dominicæ paſſionis. Argumenta in contrarium ſoluentur infrà cap. 7.

CAPVT VI.

Probatur veritas corporis Domini in Euchariſtia ex cap. 6. Ioannis.

VNC iacto fundamento ſolidiſſimo, poſſumus inde ſumere æquè ſolidam argumentum ad probandam veram præſentiam corporis Domini in Euchariſtia. Dominus enim loquens de pane, quem daturus erat in cœna, diſertè dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.*

POSSET autem dupliciter hoc argumentum refutari. Primò, ſi quis diceret, (quod reuera dicunt hæretici) per panem hoc loco intelligi Chriſtum abſolutè, non autem vt eſt in Sacramento ſub ſpeciebus. Sed hæc ſolutio profligara iam eſt omnibus argumentis, quæ fecimus cap. ſuperiori.

SECVNDÒ, ſi quis admitteret, per panem intelligi Euchariſtiam, ſed diceret, panem illum Euchariſticum dici carnem Chriſti, non propriè, ſed figuratè, ſiue tropus ſit in verbo (*eſt*) ſiue in nomine (*caro*)

HAEC autem ſolutio refutanda eſt fuſiùs in explicatione verborum illorum: *Hoc eſt corpus meum*; nunc autem refutari poteſt ex verbis huius ipſius loci multipliciter, & quidem ſolidiſſimè. Primò, ex comparatione panum miraculo multiplicatorum, & Mãnæ, quod pluit in deſerto. Dominus enim contendit panem hũc ſuum, quem daturum ſe pollicebatur, præſtãtiorem eſſe vtriſque. At certè ſimplex panis ob ſolam ſignificationem corporis Chriſti non præſtat panibus illis miraculo creatis, & multò minùs ipſi Mannæ, quod etiam Chriſtum ſignificabat, vt ſuprà oſtendimus. Præterea illi ſignum petebant à Chriſto obiicientes illi Manna, quod non ſine magno miraculo pluebat Patribus in deſerto; Chriſtus autem reſpondet ſe daturum panem de cœlo verum. Nullum autem eſt miraculum in pane communi ſignificante corpus Chriſti; neque etiam in apprehenſione, & manducatione Chriſti per fidem. Denique Dominus aliquid promiſit, quod Patres non habuiſſent: ſicut illi habuerunt Manna, quod nos non habemus. At carnem Chriſti per figuram, ſeu ſignificatiuè etiam Patres habuerunt.

SECVNDÒ, ex dubitatione Capharnaitarũ, qui ſine dubio intellexerunt veram carnẽ à Chriſto promiſſam;

& similiter ex offensione discipulorum, qui eodem modo verba Christi intellexerant: quorum opinionem Dominus non correxit, sed arguit eorum dubitationem. At quis credat, Dominum, qui tãtopere sitiebat hominum salutem, passurum fuisse, vt tot discipuli ab ipso discederent, si potuisset vno verbo eos reuocare, dicendo se figuratè loqui, & rem facillimam creditu se proposuisse?

TERTIÒ ex illis verbis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem.* Nam in apprehensione Christi per fidem, non solùm non est vera manducatio, sed nulla potest fingi distinctio inter cibum & potum, vt suprà diximus; ergo hîc promittitur vera caro, & verus sanguis, qui manducari & bibi possunt.

QVINTÒ ex illis verbis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat priùs?* Ista enim dupliciter exponi solent, & vtraq; expositio confirmat nostram sententiam. Vna expositio est, quòd voluerit Dominus rem vnam mirabilem alia mirabiliore, vel æquè mirabili confirmare. Sicut enim cùm dubitabant Iudæi, an Christus posset remittere peccata, id ipse probauit, sanando paralyticum Mat. 9. & idem sæpe alibi fecit, vt Io. 1. cum Nathanaële, & Io. 3. cum Nicodemo. Ex qua expositione sequitur veritas nostræ sententiæ: si enim Dominus non promisisset veram carnem suam se daturum in Sacramento, non fuisset opus probare potentiam suam exemplo Ascensionis.

ALTERA expositio est, quam indicare mihi videtur Chrysostomus in cõmentario, & est sanè valde literalis, quòd Dominus reprehendat incredulitatem discipulorum, ac doceat, maiorem occasionem eos habituros dubitandi in Christi absentia, si in eius præsentia dubitant, quasi dicat: Hoc vos scandalizat, quòd carnem meã vobis edendã dare velim? quid ergo facietis, quando in cœlum ascendero, & tam procul à vobis abierit corpus meum? quomodo tunc poteritis credere idẽ corpus vobis in Eucharistia præsens exhiberi? Porrò hæc etiã expositio mirificè confirmat Catholicam veritatem. Nã si Dominus solũ promisisset corpus suũ fide percipiendũ, non fuisset difficilius, sed facilius ita illud sumere iis, qui vidissent Ascensionem Christi: Ascẽsio enim conspecta roborauit Apostolos in fide, non ergo Dominus diceret: *Quid ergo si videritis Filium Hominis ascendentem?*

CAPVT VII.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

AD hoc nostrum secundum argumentum ex c. 6. Ioan. nihil habent, quod obiiciant, nisi caput illud, ad Sacramentum non pertinere. Soluenda igitur sunt eorum argumenta.

PRIMVM argumentum Lutheri est, quo vtitur etiam Kemnitius, & alij. Cœna Domini instituta fuit pridie passionis Christi. Sermo autem ille, qui describitur Io. 6. habitus est integro anno ante Christi passionem; non igitur in eo de cœna agitur. Confirmat Kemnitius, quia si ideò Papistæ reformare volunt Communionem, quia Ioan. 6. dicitur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; oportebit etiam dicere in cœna solam aquam adhibendam, quia Ioan. 4. dicitur: *Qui biberit ex aqua hac, non sitiet in æternum.*

RESPONDEO: Non negamus cœnam Domini institutam fuisse pridie passionis, & non vno anno antè; dicimus tamen vno anno antè promissam à Christo, & de eius cœnæ futuræ eximiis fructibus ab eodem disputatum. Id quod in aliis etiam multis rebus Dominus fecit. Nam claues regni cœlorum Petro promisit, Mat. 16. explicuit quam vim essent habituræ; quas tamen non tradidit, nisi post resurrectionem Ioan. 21. Ad confirmationem respondeo, Catholicos non reformare Communionem traditam, Mat. 26. ex c. 6. Ioannis, vt Kemnitius mentitur: non enim deformatur Communio, Matt. 26. vt reformatione indigeat. Dicimus tamen rectè ex-

A plicari vnum locum per alium; & quia Ioan. 6. dicitur; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, rectè colligimus, sub vna specie sumptum Sacramentum ita sufficere, vt non necessariò requirantur duæ ad fructum Communionis percipiendum. Magna est autem dissimilitudo inter aquam, de qua loquitur Dominus Ioan. 4. & panem de quo loquitur idem Dominus Ioan. 6. Nam in primis omnes interpretes posteriorem locum exponunt de Eucharistia, vt suprà demonstrauimus, priorẽ autem nullus omninò. Deinde Ioãnes ipse expoluit per aquam gratiam Spiritus sancti. Io. 7. *Hoc autem dixit*, inquit, *de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*; panem autem, de quo Ioann. 6. Christus ipse dixit esse, carnem suam cùm ait: *Panis quem ego dabo, caro mea est.*

B SECVNDVM argumentum eiusdem Lutheri. Io. 6. disserit Dominus de illa manducatione cœlestis panis, quæ dat vitam. Sed sola manducatio spiritualis per fidem dat vitam, ergo de illa sola agitur.

RESPONDEO, falsum assumi: nam etiam Sacramentalis manducatio dat vitam, sicut in Baptismo non sola interna ablutio, sed etiam externa mundat animas, illa formaliter, ista efficienter, atque instrumentaliter: & sicut scriptum est Act. 15. *Fide purificans corda eorum*; ita scriptum est: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, Ephes. 5. Neque obstat, quòd manducatio Sacramentalis non det vitam sine fide: nam id prouenit ex indispositione accedentis, non ex ipso Sacramento, quod ex se semper est efficax.

C TERTIVM argumentum eiusdem Lutheri, & Martyris in defensione contra Gardinerum par. 1. ad obiectum 13. pag. 94. Dominus Io. 6. non solùm dicit, manducationem huius panis dare vitam, sed etiam dicit sine hac manducatione neminem posse viuere: *Nisi manducaueritis, &c.* At hoc præceptum tam arctum non potest intelligi de manducatione Sacramẽtali; alioqui perirent omnes infantes, qui manducare nihil possunt, sed solùm lac sugere: perirent etiam omnes, qui non communicarent, impediti aliqua necessaria caussa, etiamsi alioqui baptizati & iustificati essent.

RESPONDEO, communem esse difficultatem, quomodocunque hic locus intelligatur. Nam si velint aduersarij intelligi de manducatione spirituali per fidem; quomodo, quæso, infantes manducabunt, qui nullum habent vsum spiritus, nec fidẽ actualem vllam? immò facilius esset infantibus instillare aliquid Sacramenti, quàm efficere, vt credant. Dico igitur hunc locum ad solos adultos pertinere, qui quidem, aut reipsa si possunt, aut saltem desiderio tenentur hoc Sacramentum aliquando percipere. Id ita esse patet, quia hoc Sacramentum non est institutum ad vitam dandã iis, qui non habent, sicut Baptismus; sed ad conseruandam iis, qui habent. Et sic intelligitur illud: *Non habebitis vitam in vobis*, id est, non poteritis retinere, sed eam amittetis, sicut dicitur 1. Ioan. 3. *Omnis homicida non habet vitam in se manentem.* Non enim sensus est, non acquirit vitam; sed non retinet, amittit, moritur: hinc enim nõ regeneratio, sed manducatio dicitur. Porrò ista conseruatio non est necessaria, nisi iis, in quibus vita iam acquisita minui, aut perdi potest, quales non sunt infantes. Vnde Dominus non ait; Nisi quis manducauerit, sicut dixit de Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit*, sed, *Nisi manducaueritis*, vbi alloquitur circunstantes, & eorum similes, qui capaces sunt huius præcepti. Et præterea cùm loquitur de manducatione panis, id est, cùm carnem suam panem vocat, satis apertè indicat, se non loqui de infantibus, qui non vescuntur pane, sed lacte. Denique, vel hæc verba: *Nisi manducaueritis*, sonant præceptum, vel medium ad salutem necessarium. Si præceptum, aut ad infantes non pertinet, cùm eius non sint capaces, aut certè excusantur cũ non possint illud implere; id enim est commune

omni præcepto. Si medium ad salutem necessarium; certè solum est medium iis, qui vitam amittere possunt, quales non sunt, qui vsu rationis carent.

QVARTVM argumentum eiusdem. Augustinus li. 2. contra Iulian, docet infantes maducare carnem Christi, quatenus fidei communicant; igitur hic locus de manducatione per fidem intelligitur. Huc addi possunt alia loca Patrum, quæ à Martyre, & ab aliis adferuntur. Nam idem Augustinus tract. 25. in Ioan. cap. 6. Io. adeò spiritualiter exponit, vt dicat: *Crede, & manducasti*: & tract. 26. *Credere in eum hoc est, manducare panem viuum.* Idem etiam doctr. Christ. lib. 3. cap. 16. dicit illa verba: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, nihil aliud significare, nisi passioni Domini communicandum, & mente suauiter cogitandum, Christi carnem pro nobis fuisse crucifixam. Prætereà Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi, cap. 6. exponit hoc loco per carnem, & sanguinem Christi, verbum Dei, quo spiritualiter alimur, & inebriamur. Item Basilius epist. 141. exponit per carnem, & sanguinem doctrinam Christi, & mysticum eius aduentum. Hieronymus quoque in Psal. 147. per carnem, & sanguinem Domini Scripturas intelligit. Denique S. Bernardus in 3. versiculum Psalm 90. *Qui habitat*, dicit, manducare Christi carnem, esse passioni Domini communicare, eiúsque vitam imitari.

B RESPONDEO ad locum Augustini allatum à Luthero, qui habetur lib. 1. in Iulianum, non li. 2. vt ipse citat. Ac primò obseruandum est, Augustinum non rarò dicere infantes debere edere corpus Domini, si salui futuri sint. cæterùm non intelligit id fieri debere necessariò reipsa. Nam idem Augustinus ibidem, & li. 3. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 4. & in serm. ad infantes, quem citat Beda in comment. 1. Cor. 10. scribit infantes in ipso Baptismo communicare corpori Christi, & per susceptionem Baptismi implere etiam præceptum de sumptione Eucharistiæ.

C NOTANDVM secundò, infantes non solùm non obligari ad Communionem reipsa, sed nec in voto explicito, cuius non sunt vllo modo capaces, sed tantùm in voto implicito, quod votum infantes habent dum baptizantur: tunc enim infantes ius accipiunt ad Eucharistiam percipiendam. Et quia omnis qui nascitur, naturaliter appetit cibum; ideò etiam illi hoc ipso, quod renascuntur in Christo, appetunt cibum renatorum, suo tamen loco, & tempore percipiendum. Itaque infantes non communicant spiritualiter, nec sacramentaliter in re, sed Sacramentaliter in voto implicito; ex quo sequitur, vt non sit omninò idem illis baptizari, & communicare, licet simul fiant, cùm vnum sequatur ex altero. Itaque S. Augustinus, licet locis notatis, dicat infantes mãducare Domini carnem in Baptismo, tamen alibi apertè distinguit baptizari, & comedere Christi carnẽ: *Aliud*, (inquit serm. 11. de verbis Domini) *est nasci de spiritu, aliud pasci de spiritu, sicut aliud est nasci de carne, quod fit, cùm parit mater, & aliud pasci de carne, quod fit, cùm lactat infantem.* & libr. 1. de peccat. meritis, & remiss. can. 20. apertè demonstrat hoc præceptum: *Nisi manducaueritis*, distingui à præcepto Baptismi, etiam infantibus.

D AD argumentum ergo respondemus, Augustinum exponere hunc locum Ioan. 6. de manducatione Sacramentali, sed eam tamen manducationem tribuere infantibus, non in re, sed in voto implicito, quod per Baptismum habetur, vt diximus.

AD alia duo loca Augustini ex tract. 25. & 26. in Io. Respondeo, illud: *Vt quid paras dentem, & ventrem? crede, & manducasti*, & illud: *Credere in eum, hoc est, manducare carnem eius*: dicta esse ab Augustino, non de Sacramento, sed de fide incarnationis: nondum enim peruenerat ad locum Euangelij, vbi agitur de Sacramento. Illud autem: *Qui manducat corde, non qui premit dente*, dixit

A Augustinus cum de Sacramento loqueretur, non vt excluderet Sacramentalem esum, sed vt significaret, finem Sacramenti huius esse, alere animam, non corpus, licet per instrumentum corporis sumatur. Verè enim reficitur hoc cibo, qui manducat corde, non qui premit dente, nimirum solo: non enim excludit corporalem esum, cùm ibidem dicat Iudam comedisse solo corpore: sed solùm anteponit spiritualem manducationem corporali, quòd illa sine ista prosit, ista sine illa non prosit, sed obsit. Similis locus est Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium*; non enim Dominus respuit sacrificia, sed non vult illa, si absque misericordia sint.

AD alios Patres respondeo, eos exposuisse mysticè, non ad literam: sed non negasse vsquam debere ista verba accipi ad literam de Sacramentali manducatione. Immò contrà citauimus nos suprà pro nostra sententia, Basilium, Hieronymum, & Bernardum: non enim pugnant sensus literalis & mysticus.

B AD vltimum Augustini ex lib. 3. de doctrina Christiana, Respondemus, figuram ponere Augustinum in his verbis, ratione modi sumendi carnem Christi, non ratione substantiæ ipsius rei. Non enim vult dicere, carnem Christi tropicè dictam manducari, id est, panem, quo significatur caro; nec veram carnem tropicè manducari, si essentiam manducationis spectemus, quæ solùm requirit, vt verus cibus ab ore traiiciatur ad stomachum per instrumenta vitalia; sed vult dicere tropicè manducari, quoad modum: nam ordinarius & proprius modus manducandi carnem est, vt ea visibiliter secetur in partes, & particulatim sumatur, & cocta, non cruda, &c. Caro autem Christi sumitur integra; & inuisibiliter, & sine vlla sui læsione: quare non propriè, sed tantùm figuratè Christi caro occiditur, & laceratur in hac manducatione; repræsentamus enim Christi passionem. Augustinum id voluisse, perspicuum est ex duobus. Primò, quia dicit tropicè id exponendum, ne scelus aliquod, vel flagitium præcipi videatur. Porrò scelus esset, Christi carnem occidere, & secare in partes: non autem spirituali quodam modo ipsam veram carnem, sine vlla sui læsione in Sacramento sumere. Secundò, quia ipse idem explicat, quis sit literalis sensus, qui scelus sonare videatur, videlicet is, in quo verba Christi acceperunt Capharnaitæ, qui putarunt Christi carnem laniandam, sicut in macello fieri videmus, & cuiq; particulam dandam. Vide tract. 27. in Io. & in Psal. 98. Cùm igitur Augustinus dicit, hoc præcepto, *Nisi manducaueritis*, mandari, vt communicemus Christi passioni, & eam recolamus, ac mente reuoluamus; id ipsum significat, quod Apostolus ait 1. Cor. 11. sumendam Christi carnem in Sacramento in memoriam passionis, & mortis Domini.

C QVINTVM argumentum Zvvinglij est, in libro de vera, & falsa religione: Cibus, de quo differitur in c. 6. Io. est fides, nam cùm Dominus dixisset: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet*, dixerunt Iudæi: Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondit Dominus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.*

RESPONDEO, in eo capite multa tractari: fit enim mentio triplicis panis, & ab vno transitur ad alterũ occasione data inter loquendum. Primùm narratur de pane illo materiali, quem Dominus multiplicauit. Deinde, quia Iudæi eum solum panẽ quærebant, monuit eos Dominus, vt aliũ panem operarẽtur, id est, parare, & habere satagerent. Atque hunc secundum panem dicit seipsum esse, qui de cœlo descendit, per Incarnationem. De hoc pane dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descẽdi, & Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Hunc autem panẽ, id est, Christum incarnatũ fide apprehendere debemus, vt nos reficiat: & hoc est, quod Dominus ait: *Hoc est opus Dei. vt credatis in eum, quem misit ille.* Vbi cibus, qui parandus est, non est fides, vt Zvvinglius dicit,

sed Christus ipse: Fides autem est operatio, qua panis iste acquiritur. Denique tertiò, inde transitum fecit Dominus ad panem Eucharisticum, cùm ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, &c.*

ARGVMENTVM sextum eiusdem Zvvinglij, Christus ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* At id non est verum, nisi de spirituali manducatione: multi enim Sacramentaliter manducando, non solùm non viuunt, sed manducando moriuntur: *Qui enim manducant indignè, iudicium sibi manducant*, 1. Cor. 11.

RESPONDEO, verba Domini intelligi cum conditione, si ritè manducetur. Panis enim ille, quod ad se attinet, semper viuificat, & hoc significant verba Domini: potest tamen impediri effectus aliunde, nimirum ex indispositione accedentis. Id quod commune est promissionibus similibus ferè omnibus, Luc. 11. *Omnis qui petit, accipit*, & tamen multi non accipiunt, quia (vt expositum fuit Iacobus c. 4.) non benè petunt. Iohelis 2. *Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Et tamẽ dicitur Prou. 1. *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, eò quòd exosam habuerint disciplinam.* Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et tamen Act. 8. Simon post fidem, & Baptismum, periit. Denique Apostolus 1. Corin. 10. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus*: omnium consensu de Sacramento loquitur, & tamen multi de vno pane participant, qui non sunt nobiscum vnus panis, & vnum corpus, vt omnes hæretici, & schismatici, qui ritum huius Sacramenti integrè celebrant.

SEPTIMVM argumentum Petri Martyris in sua defensione contra Gardinerum parte 1. obiectio 13. Si illa verba. *Panis quem ego dabo*, ad symbola cœnæ Domini pertinent, cur panem abiiciunt Papistæ? nec enim accidentia sola panis dici possunt.

RESPONDEO, Panis vocabulum in illis verbis: *Panis quem ego dabo*, non significat panem triticeum, neque etiam corpus Christi absolutè, & sine respectu ad symbola, vt Martyr existimat, sed significat cibum generatim. Id enim frequens est apud Hebræos, vt nomine panis intelligatur omnis cibus: vnde in isto ipso c. 6. Ioannis, Manna dicitur panis: & in Psal. 77. *Panem de cœlo dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Est igitur sensus: Panis, id est, cibus, quem ego dabo, est ipsamet caro, quæ crucifigenda, & occidenda est, pro salute humani generis.

OCTAVVM eiusdẽ Martyris, obiecto 32. Dominus Io. 6. nullam mentionem facit panis materialis, nec calicis, neq; gratiarum actionis, neque fractionis, neq; distributionis, neque Testamenti, neque memoriæ, neque annunciationis mortis Christi: nõ igitur loquitur de Sacramento cœnæ, quod sine symbolis illis esse nõ potest.

RESPONDEO, argumentum hoc rectè probat, non fuisse hoc Sacramentum institutum, Io. 6. sed non fuisse promissum, non probat: satis enim ad promissionem est, quòd expresserit Dominus id, quod est præcipuum, id est, carnem suam, & sanguinem. Adde, quòd etiam symbola futura insinuauit, cùm tam sæpe distinxit carnem à sanguine, & illam cibum, hunc potum appellauit: & fortasse ideò carnem suam aliquoties panem appellauit, vt indicaret sub specie panis nobis edendam.

NONVM argumentum est quorundam Catholicorum. Dominus ait Io. 6. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum*: ergo panis, de quo agitur Io. 6. credendo manducatur, & bibitur. Expressit enim Dominus, credere esse bibere: & sine dubio idem est venire ad Christum, & credere in Christum. Nam de fide loquitur, cùm ait ibidem: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum*: ergo illud, *Qui venit ad me, non esuriet*, significat, Qui venit ad me per fidem, seu, qui fide manducat me, non esuriet.

RESPONDEO, verba, quæ citantur, non pertinent ad Sacramentum propriè, sed ad fidem incarnationis, vt suprà diximus: quæ verò sequuntur postea, ad Sacramentum pertinent.

DECIMVM argumentum, & ferè solum, quo persuasi sunt quidam Catholici, est, quoniam ægrè videtur posse defendi vsus Ecclesiæ de Communione sub vna specie, si ad literam de Sacramẽto intelligamus illa verba: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

RESPONDEO primò, non oportere ob rei difficultatem deserere cognitam veritatem. Secũdò, facilè solui posse hunc nodum, si dicamus (quæ est communis solutio) vim præcepti non consistere in modo sumendi, sed in ipsa re, quæ sumenda est. Verba quidem præcepti sonant, vt sumam carnem sub specie panis per modum cibi, & sanguinem sub specie vini per modum potus: tamen mens legislatoris, ex qua lex ipsa explicanda est, non erat obligare, nisi ad res ipsas sumendas, id est, veram carnem, & verum sanguinem; quæ res tam sumuntur integrè sub vna specie, quàm sub duabus. Probatur autem eam esse mentem legislatoris, tum quia fructus huius præceptionis oritur ex ipsis rebus præceptis, non ex modo sumendi; sicut etiam medicina corporalis non prodest, quia sumitur per modum cibi, aut potus, sed quia ipsa vim habet sanandi: tum etiam quia idem Christus expliçans, quod dixerat, ait ibidem, *Qui manducat me, vinet propter me*: vbi videmus idem esse manducare carnem, & bibere sanguinem, quod Christum ipsum totum manducare.

CAPVT VIII.

Referuntur variæ expositiones verborum Domini: Hoc est corpus meum.

SEQVITVR argumentum tertium ex ipsa institutione Sacramenti, quæ habetur Mat. 26. Marci 14. Luc. 22. & 1. Corint. 11. de qua institutione, quæ sanè præcipuum fundamentum est totius controuersiæ, atque adeò totius huius altissimi mysterij, tria dicemus. Primò, referemus expositiones præcipuas horum verborum: *Hoc est corpus meum.* Secundò, confirmabimus eam, quæ est vera, & refellemus falsas. Tertiò, soluemus argumenta aduersariorum.

QVANTVM ad primum, expositiones aduersariorum plurimæ sunt, ita vt ferè numerari non possint. Lutherus in libr. quòd verba cœnæ adhuc firmiter stent, scribit decem fermè suo tempore fuisse Sacramentariorũ opiniones, ac sectas. Nuper etiã anno M.D.LXXVII. prodiit libellus, in quo ducentæ numerantur hæreticorum vel expositiones, vel deprauationes horum paucorum verborum: *Hoc est corpus meum*, tamen præcipuæ sunt solùm nouem, quarum tres fundantur in pronomine, Hoc: duæ in verbo, Est: tres in nomine, Corpus: vna in pronomine, Meum.

PRIMA igitur est Andreæ Carolstadij, qui intelligi voluit aduerbium, ex pronomine, id est, Hîc, ex hoc, vt sit hæc sententia verborum: *Hoc est corpus meum*: id est, Hîc sedet corpus meum. Ac ne dubitaremus de hac expositione, asseruit in libro edito Basileæ anno M. D. XXIV. se ex reuelatione Patris cœlestis didicisse hanc expositionem. Quare Lutherus librum contra Carolstadium inscripsit, contra cœlestes Prophetas.

SECVNDA est Buceri in retractationibus suis, & tribuitur etiam Ioanni à Lasko, qui volunt pronomen, *Hoc*, significare totam actionem cœnæ, vt sensus sit, Hæc actio corpus Christi repræsentat; siue in hac actione exhibetur corpus Christi.

TERTIA est Ioãnis Langi, in annotatione ad 1. Apologiam Iustini, qui per *Hoc*, intelligit panem, sed panem exponit metaphoricè hoc modo: *Hoc est corpus meum*, id est, corpus meum est hoc, nimirum panis, quia nutrit animas,

animas, & reficit instar panis.

QVARTA est Zvvinglij, qui in libr. de vera, & falsa relig. cap. de Eucharistia, scribit, verba ista accipienda esse tropicè, sed tropum non esse in pronomine *Hoc*, sed in verbo *est*, quod accipi debet pro significat. Et sicut Carolstadius, vt fidem faceret, cœlestis Patris reuelationem, ita hic spiritus cuiusdam per quietem apparitionem, ita protulit. Nam in lib. quem edidit anno XXV. & Subsidium de Eucharistia inscripsit, refert se biduo disputasse in senatu Tigurino contra Missam, & Eucharistiam, nec tamen fidem facere potuisse (resistente sibi scriba quodam) *est*, accipi pro significat: sed tandem nocte sequenti dormienti sibi astitisse nescio quem (*ater autem*, inquit, *an albus fuerit, nihil memini*) qui moneret, eum locum Exod. 12. arriperet: *Est enim phase, id est, transitus Domini*, vbi *est*, accipitur pro significat. Itaque die sequẽti de eo loco verba feciisse ad populum, & quod volebat obtinuisse. Sequuntur Zvvinglij expositionem Bernardinus Ochinus in defensione veræ doctrinæ de cœna Domini contra Vvestphalum, & alij.

QVINTA est Petri Boquini, qui in examine libri Heshusij non procul ab initio, contendit rectè dici, panem esse corpus Christi, propter idiomatum communicationem, sicut propter eandem rectè dicimus in Christo, Hic homo est Deus: in qua expositione verborum, *est*, accipiendum est, pro dicitur, hoc modo, *Hoc est corpus meum*, id est, hic panis dicitur corpus meum, propter idiomatum communicationem. Vbi notat Boquinus tres vniones, ex quibus resultat idiomatum communicatio. Vnam naturalem, qualis est animæ, & corporis. Alteram hypostaticam, qualis est Dei, & hominis in Christo. Tertiam Sacramentalem, qualis est inter panem, & corpus Christi in Sacramento. Simile quid habet Lutherus in lib. de Babyl. captiuit c. 1. vbi dicit, ita verum esse. Hic panis est corpus Christi, sicut est verum, Hic homo est Deus. Hoc tamen interest inter Lutherum & Boquinum, quòd Lutherus ponit veram & realem coniunctionem panis cum corpore Christi, ex qua vult oriri illam Idiomatum communicationem: at Boquinus, qui Sacramentarius est, non ponit vnionem, nisi Sacramentalem, qua vniuntur res distantissimæ, id est, panis qui est in terra, & corpus Christi, quod est in cœlo.

SEXTA expositio est Ioan. Oecolampadij, qui tropum non agnoscit in pronomine *Hoc*, neque in verbo *est*, sed in nomine *corpus*. Vult enim panem dici corpus per figuram Metonymiæ, qua nomen rei significatæ tribuitur signo, vt sensus sit: *Hoc est corpus meum*, id est, hic panis est figura corporis mei. Ita habet in libro de genuina expositione horum verborum.

SEPTIMA est Ioan. Caluini, qui lib. 4. Instit. c. 17. §. 21. admittit, cum Oecolampadio, tropum Metonymiæ esse in nomine *corpus*, sed addit non esse panem Eucharistiæ nudam figuram corporis Christi, sed esse figuram, quæ rem ipsam exhibeat: ac propterea Christum non dixisse, Hic panis est figura corporis, sed corpus ipsum. In idem recidit, quod habet Petrus Martyr in libro de vtraque natura Christi, vbi per *corpus*, intelligit Sacramentum corporis. Nam ipse idem in defensione contra Gardinerum in fine tertiæ partis dicit, Christum noluisse dicere; Hic panis est figura, vel signum, vel Sacramentum corporis, sed corpus, vt exprimeret signum esse efficax, & cum quo res ipsa exhiberetur, &c.

OCTAVA est quorundam Caluinistarum, quorum sententiam sine nomine citat Cornelius Iansenius, in comm. cap. 59. concord. in illa verba: *Nisi manducaueritis.* Hi docent vocabulum *corpus*, accipi pro corpore mystico, id est, pro Ecclesia, vt sit sensus, *Accipite & manducate, Hoc est enim corpus meum*, id est, quia vos discipuli estis corpus meum.

NONA est in pronomine, *meum*, quam per iocum excogitauit Lutherus anno XXVII. in lib. Quòd verba Domini firmiter stent. Vt enim irrideat Sacramentarios, dicit se posse adferre pulchriorem expositionem in eorum gratiam, vt hic sit sensus: *Hoc est corpus meum*, id est, Hic panis est corpus à me factum, & creatum. Quod autem ioco Lutherus protulit, seriò accepit, ac defendit Ioan. Campanus, vt testatur Lutherus in sua breui confess. edita anno XLIV.

CVM his omnibus pugnat Ecclesiæ Catholicæ sententia, quæ hæc verba simpliciter & propriè docet esse accipienda vt sensus sit; Hoc, id est, quod his speciebus continetur, est verè & propriè corpus ipsum meum verum & naturale.

CAPVT IX.

Propriè, non figuratè explicanda esse illa verba; Hoc est corpus meum.

NVNC, vt veram sententiam comprobemus. Primò in vniuersum demonstrabimus, non esse probabile, Dominum figuratè loqui voluisse. Deinde expendemus singula verba institutionis, ac simul refellemus hæreticorum opiniones. Primùm igitur non esse probabile, Dominum loqui voluisse figuratè, probamus argumentis ductis à materia, de qua agitur. Deinde à personis, cum quibus Dominus loquebatur, à loco, & tempore in quo loquebatur. Tertiò ex consensu Patrum. Quartò ex regula interpretandi Scripturas.

PRIMVM igitur argumẽtũ sumitur à materia. Est autẽ materia de qua hîc agitur, pactum, Sacramentum, Testamentũ, lex, & dogma, quæ omnia requirũt propriam, non figuratam loquutionem. Sacramentum esse, de quo hîc agitur, nemo negat: Sacramenta autem solere à Deo institui propriis verbis, vt in eorum vsu non erretur, perspicuum est ex institutione Sacramentorum omnium veteris & nouæ legis. Certè Gen. 17. vbi instituitur Circuncisio. & Exod. 12. vbi instituitur Agnus Paschalis, & in toto Leuitico, vbi tot sacrificia, & expiationes instituuntur, vix vnquam occurrit vna aliqua vox figurata: sic etiam Matth. vlt. Marci vlt. & Ioan. 3. vbi de Baptismi institutione agitur, omnia propriis vocibus explicantur. Neque obstat, quòd Ioan. 3. Dominus vtitur voce renascendi, quæ videtur metaphorica: nam ibidem explicatur vox illa per adiuncta: *Ex aqua, & Spiritu sancto.* Et præterea non pertinet vox illa ad Sacramenti essentiam, sed ad effectum significandum. Quis ergo credat Christum in instituendo Sacramento primario nostræ religionis ita figuratè, & ambiguè loqui voluisse, vt ne ipsi quidem Doctores legis diuinæ inter se conuenire possint, quid sit hoc Sacramentum, panisne an corpus Domini.

DEINDE Testamentum nouum fuisse simul à Domino institutum, patet ex illis verbis, *Hic est sanguis meus noui Testamenti.* Mat. 26. vel vt habet Luc. 22. *Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine.* Iam verò nihil solet magis propriè, simpliciter & exquisitè explicari, quàm Testamentum; ne videlicet detur occasio litigandi de voluntate testatoris. Ita videmus Exod. 24. vbi Testamentum vetus instituitur, omnia propriissimis, & apertissimis vocibus explicari. sic enim refert illam institutionem Apostolus, Heb. 9. *Lecto*, inquit, *omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum asperſit, dicens, Hic est sanguis Testamenti, quem misit ad vos Deus.* Sic etiam in testamentis hominum fieri videmus: nam Gen. 49. Iacob, vbi inter vaticinandum variis figuris vsus fuisset, ad ipsum Testamentum veniens, clarissimis verbis vtitur, *Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis, in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre*

in terra

in terra Chanaam, quam eruit Abraham. Ita quoque & Rex Dauid 3.Reg.2.& Tobias cap.4. & Matthatias lib. 1.Machab.c.2.testamenta sua verbis simplicissimis composuerunt. Quidni igitur etiam Christus Testamentum suum tanti momenti, quo de æterna hæreditate agitur, verbis propriis & apertis composuerit? nisi fortè deceat, vt Testamentum vetus, quod figura erat & vmbra, propriis ac perspicuis vocibus proponatur: Testamentum autem nouum figuratis, & typicis loquutionibus obscuretur? Confirmatur ex humano more, à quo etiam Apostolus argumentum sumpsit Galat.3. vbi dicit, testamentum hominis *ita* esse ratum, vt nemo audeat aliquid addere, vel demere. Iam ergo testamenta humana in proprio sensu verborum intelligenda esse, iubent humanæ leges, ff. de legatis, 3. leg. non aliter, & ideò si testamento relinquatur domus aut ager, & vellet aliquis cauillari, non esse relictam domum veram, sed depictam, & exponeret, relinquo domum, id est, signum domus, apud nullum iudicem obtineret. Quantò igitur minùs obtinere debent aduersarij, qui Testamentum ipsum Christi contra morem omnium testamentorum, detorquere audent ad Metonymias?

A

Porrò, pacta seu fœdera, sunt etiam ex eo genere rerum, quæ exquisitissimis, & propriis verbis explicantur, ne locus vllus relinquatur cauillis. Testamentum autem Christi simul Testamentum & pactum fuit: nam est Testamentum conditionatum. Id quod patet ex veteri Testamento, cui nouum respondet, vt res figurata suæ figuræ. Idcircò enim à Moyse vocatur pactum, Exod.24. & à Paulo Testamentum Hebr. 9. quia vtrumque simul erat, continebat enim donationem hæreditatis; sed cum eo pacto, & conditione, si perseuerarent in cultu, & religione vnius veri Dei.

Sequitur lex, seu præceptum. Esse enim in hac institutione præceptum aliquod diuinum, nemo negat, & patet ex illis verbis. *Accipite, edite,* item, *hoc facite.* Etsi enim vt suprà dixi, non est in his verbis præceptum, quo obligentur omnes ad Eucharistiam sumendam: tamen præceptum est saltem, quo iubebantur Apostoli tunc illam accipere, & etiam præceptum est, vt quando sumimus, hoc modo, aut illo sumamus. Verba autem legum perspicua, & propria esse debent, ne detur occasio præuaricationi: vnde omnia præcepta non solùm Decalogi, sed etiam alia, quibus certi ritus instituuntur, in lege veteri propriis verbis explicantur. Dicet aliquis; Verba in quibus lex posita est, propria sunt, nimirum, *Accipite, edite, facite.* Respondeo, Non satis est, nisi etiam propriè, & apertè significetur quid sit, quod est accipiendum, edendum, faciendum: longè enim aliter accipiendum est frustum panis, aliter Christi corpus.

C

Denique, dogmata præcipua non nisi propriis verbis tradi solent in diuinis literis. Tropi enim locum habent, vel in prophetiis ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quæ præcisè credi, aut seruari debent. Vnum autem ex præcipuis dogmatibus Christianæ religionis in illis verbis: *Hoc est corpus*, contineri, nemo hactenus negauit.

D

Ad hoc argumentum respondet Petrus Martyr in fine tertiæ partis defens. suæ contra Gardin. non deesse in Scriptura Sacramenta, dogmata, & præcepta tropis explicata. Et quidem exempla præceptorum ponit illa Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Et Matth. 16. *Attendite à fermento Pharisæorum.* Et Ephes.4. *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Et Matth.6. *Nolite cogitare de crastino, sufficit enim diei malitia sua, & crastinus solicitus erit sibiipsi.* Exempla dogmatum ponit illud: *Deus noster ignis consumens est.* Et illud. *Nos omnes vnus panis sumus:* & illa, vbi Christus dicitur lapis, leo, vitis, &c. Denique exempla Sacramentorum ponit: *Petra erat Christus, & Agnus erat Pesach, & Circumcisio est fœdus, & denique calix est Testamentum nouum.*

Respondeo In primis, nihil aduersarium dixisse ad argumentum nostrum depromptum ex vocibus Testamenti, & pacti. Deinde, quod ad præcepta attinet, distinguenda sunt præcepta peculiaria, & propriè dicta à cohortationibus, licet etiam ipsæ præcepta quædam continere videantur: Nam præcepta peculiaria, & propriè dicta, sunt efferenda propriis vocibus, ne sit locus tergiuersationi: at in cohortationibus, quæ non continent peculiaria præcepta, sed tantùm persuadent facienda, vel non facienda ea, quæ alioqui notissima sunt, apertissimè admiscentur tropi, & eiusmodi sunt allata exempla. Nam esse cauendum à falsis Prophetis, omnes norunt, etiamsi non præcipiatur: ideò Dominus, non tam id præcipit, quàm hortatur ad id faciendum adhibita similitudine ouium & luporum. Sic etiam cauendum ab hypocrisi, & falsa doctrina, quis nescit? ideò Dominus, vt non tam id præciperet, quàm excitaret ad faciendum, vtitur tropo fermenti. Non esse aliquid agendum, quod displiceat Deo, nullus ignorat, idcircò Apostolus non simpliciter id scripsit, sed vt magis permoueret, vti voluit tropo contristandi Spiritum sanctum. Denique esse vitandas superuacaneas curas & solicitudines, omnes norunt, ideò Dominus adhibuit tropos.

B

Quod attinet ad dogmata, obseruandum est, non vocari dogmata quaslibet de Deo sententias, sed solùm eas, quæ habent peculiarem difficultatem, siue ad credendum, siue ad operandum, quales sunt articuli fidei, & canones Conciliorum: cætera autem, quæ ex illis apertissimè consequuntur, non dicuntur dogmata. Verbi gratia, Deus est vnus, Deus est trinus, Deus est infinitus: Christus est Deus & homo, & similia dogmata sunt. At Deus est ignis consumens, Christus est vitis, lapis, leo, &c. non dicuntur dogmata, sed explicationes proprietatum notissimarum Dei, & Christi.

Rursus tum de præceptis tum de dogmatibus. Notandum est, cùm dicimus dogmata, & præcepta debere propriis verbis efferri, sic esse intelligendum, vt vel tantùm propriis verbis efferantur: vel si vno in loco tropicis, in alio propriis: nihil enim prohibet quod habetur expressè & propriè in vno loco, alibi obscuriùs haberi. Quod notauit Augustinus, lib.2. doctr. Christ. cap.6.& 9. *Nihil est*, inquit, *obscurè dictum in Scripturis, quod spectet ad fidem, vel mores, quod non planissimè dictum sit in aliis locis.* Ita videmus, quod de fermento Dominus dixerat obscuriùs, paulò pòst clarè explicuisse. Nam Matth.16. addidit se loquutum de doctrina, non de fermento panum: & Lucæ 11. *Attendite*, inquit, *a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Sic etiam illud: *Christus est lapis angularis*, sine tropo habetur in infinitis locis apud Paulum; & illud, *Vnus panis sumus*, habetur propriè frequentissimè, vbi dicimur vnus populus, vna Ecclesia, vna familia Dei. Sic illud Ioan.2. *Soluite templum hoc*, explicuit Euangelista esse intelligendum de corpore Domini; & illud Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, explicuit intelligendum de Spiritu sancto: & Ioan. vlt. illud: *Alius cinget te, & ducet, quò tu non vis*, explicuit de morte Petri accipiendum. At hoc dogma & præceptum peculiare, & præcipuum de Eucharistia nusquam habetur aliis verbis in Scriptura: nusquam enim legimus panem Eucharistiæ significare, aut esse figuram corporis Domini. Quare cogimur propriè accipere id, quod legimus, *Hoc est corpus meum.*

Iam quod attinet ad Sacramenta, ostendemus paulò pòst non esse tropum in exemplis allatis. Id solum nùc est obiter adnotandum, in exemplo: *Petra erat Christus*, 1.Corint.10. tria esse peccata Petri Martyris. Primò enim

dicit, petram illam, ex qua fluxit aqua in deserto, Sacramentum fuisse. At id nullo modo verum esse potest, cùm fuerit res temporaria, & non cæremonia religionis, quæ frequentãda esset in populo Dei. Secundò dicit, petram illam, vt etiam Manna, cõferri cum Baptismo, 1.Corinth. 10. At Apostolus transitum maris cõfert cum Baptismo, Manna autem, & aquam de petra cum Eucharistia, vt omnes exponunt: nec tamen ita confert, quasi Sacramẽta cum Sacramentis, sed quasi figuras Sacramentorum cum ipsis Sacramentis. Tertiò dicit, exemplum tropi in Sacramentis esse in illis verbis: *Petra erat Christus.* At Sacramentum erat (per aduersarium) petra illa materialis: Paulùs autem non de illa loquitur, sed de alia inuisibili, quæ reuera erat Christus, vt Deus. Sic enim ait: *Bibebant de spirituali consequente eos petra: petra autẽ erat Christus.* Vbi est quidem tropus in eo, quòd Christus vocatur petra: sed hoc nihil ad propositum: non enim Christus erat Sacramentum, sed petra illa visibilis per aduersarios. Hîc autem non petra visibilis dicitur Christus, sed Christus dicitur petra; sicut alibi dicitur leo, vel agnus, vel vitis: vnde nullum ducitur exemplum tropi in Sacramentis.

A

Argvmentvm Secundum sumitur à personis cũ quibus Dominus loquebatur, cùm diceret: *Hoc est corpus meum*: nam loquebatur cum solis Apostolis. Dominus enim etiamsi Pharisæis multa obscurè dicebat, quia indigni erant cognitione tam sublimium mysteriorum: tamen Apostolis, qui rudes, ac simplices erant, & instituebantur vt magistri futuri totius humani generis, omnia vel clarissimè proponebat, vel obscuriùs dicta, continuò exponebat. Præterea loquebatur eo loco, & tẽpore, quo minimè oportebat obscurè loqui, nimirũ cùm Apostoli essent primi participes tanti Sacramenti futuri. Nã vt cum debita reuerentia Sacramentum perciperent, necesse erat, vt planè intelligerent, quid eis daretur.

B

Quod autem Dominus in cœna non explicuerit tropum, manifestè colligitur ex duobus. Primò ex eo, quod nullum exstat vestigium explicationis, vt in omnibus aliis locis. Verbi gratia, Matth.13. Dominus parabolicè loquuturus, ait: *Simile est regnum cœlorum*, & Ioan. 15. vbi dixerat: *Ego sum vitis, & vos palmites*, subiungit explicans: *Si quis in me non manserit, sicut palmes, &c.* At hîc nihil tale.

C

Secvndò ex eo, quòd omnes scriptores huius historiæ iisdem verbis vtantur. Solent enim Euangelistæ, se inuicem supplere, vel explicare, vt quod vnus obscuriùs dixit, alius dicat clariùs. Hîc autem omnes iisdẽ verbis vtuntur, cùm tamen sint scriptores quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Paulus, & scripserint diuersis in locis, & temporibus, quod argumentum est, Dominum nihil aliud dixisse.

D

Tertiò, probatur ex consensu interpretum. Nullus enim vnquam ita posuit, vt tropicè hunc locum intelligendum esse diceret: cùm tamen scripserint in Matthæum Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Beda, Anselmus: in Lucam, Ambrosius, Theophylactus, Beda: in Paulum, innumerabiles. Immò contrà multi expressè monent, non esse accipiendum tropicè, sed propriè. Vide Chrysostomum, & Theophylactum in hûc locum, Cyrillum Hierosolymit. cateches. 4. mystag. Ambros. lib.4. de Sacramentis, cap.5. Cyrill. Alexandrin. epist. ad Calosirium, Euseb. Emissen. homil.5. de Paschate, Epiphan. in Ancoraro: qui omnes docent, hîc opus esse fide, vt credatur res quæ absurdissima sensibus esse videtur. At certè, si tropicè hîc locus intelligendus esset, nulla esset difficultas fidei. Quæ enim difficultas, si solùm credendum sit, panè significari corpus Christi?

Vltimò, probatur ex communi regula explicandæ Scripturæ, quæ est vt nunquam dimittamus propriũ verborum sensum, nisi cogamur ab aliqua alia Scriptura, vel ab aliquo articulo fidei, aut certè à communi totius

Ecclesiæ explicatione: alioqui enim peribit fides, & remanebit sola opinio de rebus diuinis, & aperietur porta infinitis erroribus. Id probari potest exemplo aduersariórum, qui non habent fidem, sed meram opinionem de hoc Sacramento: nam eorum sententia non nititur expresso verbo Dei, cùm verba expressa non sint. Hoc significat, sed, *Hoc est corpus meum.* Neque nituntur alio verbo Dei: nusquam enim inuenient in Scripturis: *Hoc est corpus meum*, debere exponi tropicè. Etsi enim protulerunt quædam loca, vbi verbum, *Est*, putant debere exponi per, Significat, tamen farentur non vbique, *Est*, exponi debere per, Significat. Proinde non possunt ex verbo Dei solidè concludere, hæc verba accipienda esse tropicè, nisi proferant locum, vbi expressè dicatur in particulari, hæc verba exponenda esse tropicè, qualem locum nusquam inuenient.

A

Nec habent articulum fidei, cui propria acceptio horum verborum expresè repugnet. Solent illi vrgere articulum Ascensionis. sed illi non repugnare hanc veritatem, patet, quia nos vtrumque credimus, & Christum verè ascendisse, & esse in cœlo, & simul esse in Eucharistia. Nequè probabile est inter tot Catholicos, qui sunt & fuerunt à tot annorum centuriis, non fuisse vllum, qui videret istam repugnantiam: præsertim cùm Doctores Scholast ci longè meliùs norint regulas contradictionũ, quàm omnes Lutherani qui contemnũt subtilitatem disputationum. Idem apertissimè patet ex eo, quòd Dominus cùm primùm hoc Sacramentum præbuit discipulis, non in cœlo erat, sed in terra, nondum enim ascenderat in cœlum; tunc igitur non repugnauit hæc veritas articulo Ascensionis. Non igitur cogimur accipere hæc verba tropicè. Denique non magis repugnat hæc veritas articulo Ascensionis, quàm repugnat veritas Trinitatis, articulo vnitatis diuinæ: Sicut illi colligunt, Christus est in cœlo, ergo non in terra: ita possent colligere, Deus est vnus, ergo non trinus: neutrum enim intelligimus, tamen vtrumque fatemur, quia vtrumque legimus in diuinis literis, nec est euidens repugnantia.

B

Sed nec saltem possunt proferre communem aliquam expositionem Ecclesiasticam; cùm inter se non conueniant. Nituntur igitur solùm auctoritate vnius, aut alterius doctoris, & leuibus coniecturis, quæ certè non fidem diuinam, sed opinionem faciunt. Præterea experimur etiam, quot sectæ natæ sint his paucis annis, & nascantur indies propter hanc solam causam, quòd relicto sensu proprio Scripturæ, tropos temerè consectẽtur.

C

CAPVT X.

Explicantur verba institutionis, & refelluntur hæreticorum deprauationes.

Veniamvs nunc ad verba institutionis. Ac primùm narrant Euangelistæ, Dominum accepto pane gratias egisse Deo, & panem benedixisse. Vbi obseruandum est, Euangelistas variè vsurpasse has voces, εὐλογεῖν, id est, benedicere, & εὐχαριστεῖν, id est, gratias agere. Nam Marcus, cùm de pane loquitur, vtitur verbo εὐλογήσας, cùm de calice, εὐχαειτήσας: Lucas & Paulus vtuntur in vtroque loco voce, εὐχαειτήσας. Matthæus in Latinis codicibus, & in Græco Complutensi, & in Syriaco habet, *Benedixit*, in multis tamen Græcis habet, *Gratias agens.*

D

Hinc nonnulli Catholicorum contendunt, vtrumque verbum in Scriptura idem significare, & eius significationem esse, Benedicere aliquid, non Gratias agere alicui. Hæretici contra volunt, vtrumque verbum poni, pro Gratias agere, seu Benedicere Deo, ita vt non referatur ad panem benedictio, de qua hîc agitur. Optimè autem videtur Iansenius in commentario huius loci in sua

Concordia obseruare, vtrumque verbum seruare suam significationem, sed in vna actione intelligi etiam alteram, quia simul fiunt gratiarum actio, & oratio. Id satis probatur ex eo, quòd vnus Euangelista dicat, *Benedixit*: alius, *Gratias egit*. hinc enim colligimus vtrumque esse factum, sed Euangelistas ex vno intelligi voluisse etiam alterum. Idem illustrat Iansenius apposito exemplo: ait enim Apostolus, 1. Timoth. 4. *Nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Vbi per gratiarum actionem intelligit etiam orationem sanctificantem cibos, clarè enim dicit, ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγου θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως. Oportet igitur, vel εὐχαριστεῖν, non significare Gratias agere, sed solùm Benedicere, quod est valde durum, vel significare quidem Gratias agere, sed in ea actione intelligi etiam aliam, quæ ordinariè coniungi solet, nimirum orationem, seu benedictionem. Quocirca rectè Ecclesia in Canone Missæ vtrumque exprimit: *Accepit panem, & eleuatis oculis ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, &c.*

A

B

Qvod autem Dominus ipsum panem benedixerit, euidenter probatur contra aduersarios. Nam 1. Corinth. 10. Paulus ait: *Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* vbi in Græco est, ἣν εὐλογοῦμεν, *id est, quem benedicimus*. Neque dubium esse potest, quin Apostolus ritum seruauerit, quem anteà nouerat à Christo ipso fuisse seruatum. Item Luc. 9. narrans miraculum de panibus, dicit, εὐλόγησεν αὐτούς, id est, *Benedixit eos*. Denique modus loquendi Euangelistarum, ac præcipuè Marci cap. 14. idem apertè indicat. Nam cùm dicit: *Accepto pane, benedixit, fregit, deditque discipulis*, dubitari non potest, quin sicut, *fregit, & dedit*, referatur ad materiam, quæ erat in manibus, ita etiam, *benedixit*, ad eandem referatur. Adde, quòd Iustinus in 2. Apologia verbum ipsum εὐχαριστέω retulit ad panem, quē vocauit τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν, cibū Eucharistizatum (vt sic loquamur) id est, panem sanctificatum, & benedictum. Denique omnes Liturgiæ Iacobi, Basilij, Chrysostomi, & aliorum, habent tum in consecratione panis, tum vini, & *gratias agens, & sanctificauit, seu benedixit*. & Cyprianus lib. 2. epist. 3. ad Cæciliū, dicit à Domino calicem benedictū, quod tamen expressè nullus Euangelista posuerat.

C

Hinc igitur argumentum sumitur pro veritate corporis Domini in Sacramento. Nam Dominus non consueuerat gratias agere, nisi cùm aliquid magnum & mirabile facturus esset: solùm enim legitur gratias egisse, cùm quinque panes multiplicare vellet, Ioan. 6. & tursus cùm septem panes, Matth. 15. & cum Lazarum excitaturus esset ab inferis, Ioan. 11. & denique in institutione huius Sacramenti. Pari ratione non consueuit benedicere res insensibiles, nisi cùm in eis aliquid mirabile operaturus esset: tantùm enim legitur hoc fecisse, cùm benedixit panes multiplicādos, Luc. 9. & Marc. 8. & in Eucharistia; sicut contrà cùm maledixit ficui, eam continuò arefecit. Nam benedicere Dei, est benefacere: benedictio enim Dei non est imprecatio (vt nostra) sed effectio, vt patet Gen. 1. cum benedixit animantibus: tribuit enim eis ea benedictione fœcunditatem. Adde etiam, quòd nusquam legitur Christus benedixisse aquā, quam symbolum Baptismi esse volebat, sicut benedixit panem, in quo Eucharistiam instituebat, quia nimirū nulla mutatio fiebat in substantia aquæ. Adde vltimò, quòd Patres ex hoc loco colligunt argumentum ad probādum idem, quod nos probare contendimus. Ambrosius (vt vnum exempli gratia proferamus) lib. de his, qui initiantur mysteriis, cap. 9. *Quantis, inquit, vtimur exemplis, vt probemus hoc non esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque esse vim benedictionis, quàm naturæ: quia benedictione & ipsa natura mutatur.* Expendamus nunc singula verba institutionis, & refutemus nouem

D

suprà citatas opiniones hæreticorum.

H O C.

Prima vox est pronomen Hoc, quod quidem quadrupliciter exponitur ab aduersariis. Alij volunt significare, *Hic*, vt Carolstadius, quæ fuit Prima opinio. Alij, *hæc tota actio*, quæ fuit Secunda opinio. Alij volunt esse demonstratiuum panis, sed ita vt panis sit prædicatum, hoc modo: *Hoc est corpus meum*, id est, corpus meum est hoc, nimirum panis: quam suprà diximus esse Tertiam opinionem. Alij Denique volunt ea particula demonstrari panem, sed ita vt panis sit subiectum hoc modo. *Hoc*, id est, hic panis: & est communior sententia aduersariorum, & minùs absurda, quàm cæteræ.

Sed Prima explicatio ridicula est, & riderur ab ipsis etiam hæreticis. Nam inprimis fruſtrà Dominus diceret, Hic sedet corpus meum, cùm id Apostoli oculis cernerent, neque admonitione egerent. Deinde malè cohærēt ista verba cū superioribus. Illud enim: *Hoc enim est, &c.* reddit rationem, cur debeant accipere & edere: quæ autem ratio est, Edite, quia hîc sedeo?

Secvnda explicatio refellitur æquè facilè. Nam (vt omittam, quòd est inauditus tropus, *Hoc*, id est, hæc actio, cùm Dominus panem ostenderet, cùm ait: *Hoc est corpus*) verba quæ dicuntur à Luca, & Paulo in consecratione calicis, conuincunt apertissimè hunc errorem: aiunt enim: *Hic calix*. Certè autem, *Hic calix*, non potest totam actionem significare: est enim calix res quædam vna, & certa.

Porrò Quarta explicatio facilè etiam refelli potest. Nam inprimis, vel illud, *Hoc*, accipitur adiectiuè, vel substantiuè: si adiectiuè, debet concordare cum substantiuo: quare non potest demonstrare panem, sed corpus. Nam panis est generis masculini, tam Latinè, quàm Græcè; at in neutro genere habetur τοῦτο Græcè, & Latinè, *Hoc*, quod conuenit cum corpore, quod Latinè, & Græcè est neutri generis. Similiter in altera specie, vinum Græcè est generis masculini, & sanguis neutri, Dominus autem non dixit οὗτος hic, sed τοῦτο. Latinè autem è contrario, vinum est neutri, & sanguis masculini, & tamen omnes legunt: *Hic est sanguis*, non Hoc, vinum scilicet, est sanguis. Si accipitur substantiuè, tunc sensus erit. Hoc, id est, hæc res est corpus meum. Si autem illud Hoc, siue Hæc res, de pane dicatur, absurdissima propositio erit: non enim potest dici, Hoc, de re quæ cernitur, & apertè cognoscitur, nisi sit generis neutri res illa. Nemo enim demonstrato fratre suo diceret, Hoc est frater meus, vel demonstrata imagine Cæsaris, diceret. Hoc est Cæsar, ergo nec de pane, quem discipuli videbant, dici rectè potuit: *Hoc est corpus meum*. Ratio est, quia cùm semper subiectum debeat esse notius prædicato: cùm subiectum est notum audientibus in particulari, non debet efferri per nomen vniuersale, sed tunc solùm efferri debet per nomen vniuersale, cùm non est notum, nisi in vniuersali. Verbi gratia, vident aliqui longè nescio quid, sed non discernunt quid sit, arbór ne, an lapis, an homo: ego autem video esse hominem; quare dicam cæteris, illud est homo; non autem, ille est homo; at si videant esse hominem, sed non discernant quis sit, Petrus, an Paulus, an quis alius, non dicam, Illud est Petrus, quia iam sciunt esse hominem, sed dicam, Ille est Petrus. Cùm ergo discipuli panem viderent, & panem esse non ignorarent, absurdissima fuisset loquutio, si de illo pane Dominus dixisset, *Hoc est corpus meum*, cùm debuisset dicere, Hic panis est corpus meum. Non igitur potest fieri, vt illud, *Hoc*, demonstret panem tanquam subiectum propositionis.

Sed addo argumentum robustissimum ex Scriptura. Nam si, *Hoc*, demonstraret panem; ita etiam in consecratione vini, *Hic*, siue, Hoc, Græcè demonstraret vinum: quod quidem illi concedunt, sed apertè repugnat Lucas

cap. 22. qui sic ait: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id est, *Hic calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui effunditur*, non coniungitur cum illis verbis, *In sanguine meo*, sed cum illis, *Hic calix*, vt patet ex Græcis verbis. Dicit ergo Lucas calicem effundi pro nobis: non autem vas aut vinum effusum est pro nobis, sed verus sanguis: calix igitur non significat calicem vini, sed calicem sanguinis. Ad hoc argumentum non potuit Beza respondere, nisi negando textum Euangelij esse integrum. Nam cùm in hunc locum scribit, fatetur ita legi in omnibus libris, etiam vetustissimis; tamen quia destruit hic locus eius sententiam, audet dicere, locum esse corruptum in omnibus codicibus, aut ex margine irrepsisse in textum. Quod si recipitur, nulla causa est, cur non liceat totam Scripturam negare.

A

Tertia explicatio, quæ habet etiam suos auctores, vt suprà ostendimus, refellitur hac ratione. Dominus ex sententia aduersariorum non dedit Apostolis corpus suum, sed panem, cùm ait: *Accipite, & manducate*, ergo debuit explicare vim, & efficaciam illius panis, non corporis sui: ergo non debuit dicere, Corpus meum est hoc, nimirū panis, quia reficit instar panis, sed dicere debuit, Panis est hoc, id est, corpus meum quia reficit significando, vel repræsentando corpus meum. Quemadmodum si quis daret panem edendum, inepte diceret, Sume, comede istum panem: nam castaneæ sunt panis, id est, reficiunt instar panis: rectè autem loqueretur, si castaneas daret, ac diceret, Comede has castaneas; nam sunt ipsæ quidam panis.

B

Dicent, Dominum dedisse Apostolis corpus suū spiritualiter manducandum per fidem, ac de illo dicere potuisse, Corpus meum est hoc, id est, panis. Contrà: nā disputatio nostra est de verbis Domini. Cùm autē Dominus dixit: *Accipite, & manducate*, non obtulit per ea verba corpus suum fidei, sed panem manibus, & ori corporali Apostolorum, vt patet ex illis verbis: *Accepit panem, & cùm gratias egisset, fregit, deditque eis dicens, &c.* Ita que panem obtulit manducandum siue (vt aduersarij volunt) panem verum, & naturalem, vel, vt volunt Catholici, panem conuersum in suam carnem, manentibus tamen accidentibus, & specie exteriore panis. Cùm ergo panem dederit, ineptissima est illa ratio, Accipite, edite hunc panem: quia corpus meum nutrit instar panis.

C

Præterea nititur hæc sententia baculo arundineo: probat, enim eam Langus, quia sic tradidit præceptor linguæ Græcæ, Valētinus Cratoaldus: & quia apud Græcos articulus est signum subiecti in propositione, in hac autem sententia τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, articulus adiungitur corpori, non pronomini. At stultum est in re tanta dimissis omnibus sanctis Patribus, & tot Conciliis Ecclesiæ Catholicæ, audire quid vnus ludimagister in suo angulo mussitet. Neque est vniuersalis lex illa Grammaticæ Græcæ de articulo: sæpissimè enim ponitur articulus in prædicato ad rem demonstrandam, & definiēdam, siue energiæ causa, vt Matt. 5. *Vos estis sal terræ*, ὑμεῖς ἐστὲ τὸ ἅλας, & ibidem: *Vos estis lux mundi*, τὸ φῶς, & cap. 21. *Hic est hæres*, & alibi. Quid, quod Paulus 1. Corinth. 11. non ait τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. sed ad confundendum hæreticum dixit τοῦτό μου ἐστι τὸ σῶμα;

D

Restat igitur, vt vera sit Catholicorum sententia, qui illud, *Hoc*, demonstrare volunt, non panem, sed rem contentam sub speciebus panis, quæ etsi antea fuerat panis, tamen tunc iam erat Christi corpus. Ex quo sequitur, vt etiam ex hac particula probetur veritas corporis Domini in Eucharistia.

E S T.

Secvndò consideranda est particula Est, circa quā refutandæ sunt duæ hæreticorum sententiæ Quarta & Quinta. Igitur eam particulam Zvvinglius contendit accipiendam esse, pro Significat, quod etiam Caluinus, & Petrus Martyr, & Beza in lib. de cœna Domini, cap. 5. aliquando dicunt; licet aptiùs putent, si tropus ponatur in nomine, *Corpus*, quàm in verbo, *Est*. At verò Catholici propriè accipi volunt, ita vt, *Est*, nihil significet, nisi, *Est*. Quod autem Caluinus scribit lib. 4. Instit. cap. 17. §. 20. Catholicos accipere, *Est*, pro Transubstantiatur, qui est tropus omnibus gentibus inauditus, mera calumnia est. Catholici enim dicunt quidem, colligi ex hac voce transubstantiationem, vt infrà contra Lutherum demōstrabimus, sed non dicunt, *Est*, poni pro Transubstantiari: nec solùm hoc non dicunt, sed ne verisimiliter quidem id potest eis affingi, cùm ipsi contēdant pronomen, *Hoc*, non demonstrare panem, qui solus (eorum sententia) mutatur in corpus Christi.

Qvod igitur verbum, *Est*, hoc loco significet, *Est*, probatur Primò, quia hoc verbum non potest vllo modo accipi in alia significatione, quam in sua propria. Nam inprimis habet simplicissimam, & communissimam significationem, ita vt omnia alia verba resoluātur in hoc, & aliquid aliud: sic enim resoluimus, Homo ambulat, id est, est ambulans, ridet, id est, est ridens, &c. ergo hoc verbum non potest trahi ad significationem alterius verbi, quia tunc posset, ac deberet resolui in se, & aliud, quod nullo modo fieri potest, cùm sit omnium simplicissimum. Præterea hoc verbū est copula omnium propositionum, coniungens prædicatum cum subiecto: ergo est in omni propositione necessarium, ergo nunquā potest dimittere suam significationem, vt induat aliam. Præterea tropi non ponuntur in verbis, nisi ratione peculiaris alicuius rei, seu naturæ, quæ in vno verbo implicatur, & nō in altero, vt verbi gratia, ridere sumitur tropicè, propter risum, quem significat, & sic de cæteris. At hoc verbum, *Est*, nihil significat, nisi coniūctionem vnius cum altero, aut ipsum esse commune cum omnibus rebus: vnde dicitur substantiuum, & alia adiectiua. Quare fieri non potest, vt in eo sit aliquis tropus. Denique nullus vnquam Rhetor scripsit, tropum fingi posse in verbo, *Est*. Opinio igitur Zvvinglij, & sectatorum eius, ex mera imperitia nata est, ac propterea prudentiores Sacramentarij, non in verbo, *Est*, sed in nomine, *Corpus*, tropum posuerunt.

Dices, in explicatione vocabulorum, *Est*, accipitur ordinariè pro Significat, vt Amare est diligere, id est, significat diligere. Respondeo; Id verum est, & tamen non est hîc vllus tropus. Nam quia in eiusmodi sententiis præ icatur signum de signo, ideò explicatur, *Est*, per Significat, essentia enim signi est significatio. Itaque etiam in his sententiis, *Est*, significat Esse, sed quia ipsum esse, est significare in vocibus, ideò, *Est*, explicatur per Significat: at in aliis sententiis, vbi quod prædicatur, non est signum formaliter, non potest, *Est*, explicari per Significat.

Sequitvr explicatio Boquini, quæ erat Quinta opinio. Is, vt diximus, vult illud, *Est*, significare communicationem idiomatum nascentem ex vnione Sacramentali panis, & corporis Christi; sed toto cœlo aberrat, licet multùm sibi placeat cum isto suo nouo figmento. Nam communicatio idiomatum non oritur ex qualibet vnione, sed solùm ex hypostatica, vbi est vnum suppositum in duabus naturis. Id verò patet exemplo vnionis naturalis, quæ est inter animam & corpus in homine. Etsi enim ex hac vnione putat Boquinus nasci communicationem idiomatum, quia idem homo dicitur corporalis, & mortalis ratione corporis: & spiritualis, & immortalis ratione animæ: tamen apertè fallitur. Nam in rigore, id est, verè, & propriè homo non dicitur spiritualis, & immortalis, sicut verè & propriè dicitur corporalis, & mortalis. Nam post mortem homo non est amplius homo, proinde non est homo immortalis, sed solus spiritus eius: ergo multò minùs ex vnione Sacramentali, quæ

est minor quàm naturalis, orietur communicatio idiomarum.

SECVNDÒ, Communicatio idiomatum non est inter naturas vnitas, sed in solo supposito communi: non enim dicimus, Deitas est humanitas, vel contrà; sed Verbum dicitur Deus, & homo: & in exemplo hominis dicitur homo secundum Boquinum corporalis, & spiritualis: at non corpus esse spiritus, vel contrà spiritus corpus. Ergo non potest dici vi istius communicationis, Hic panis est corpus, sed solùm, Hoc Sacramentum est panis, & corpus. Nam vt ipse Boquinus explicat, Sacramentum est id, in quo fit vnio Sacramentalis, sicut Christus est id, in quo fit vnio hypostatica; & homo est id, in quo fit vnio naturalis.

TERTIÒ, Communicatio idiomatum est mutua: at ex vnione Sacramentali non oritur mutua communicatio. Nam tametsi signum accipit interdum nomen signati, tamen non contrà imago Cæsaris dicitur Cæsar, B sed Cæsar non dicitur imago; hedera est signum vini, & posset aliquo modo dici vinum, nimirùm repræsentatiuè: at vinum nullo modo dicitur hedera: ita igitur licet panis posset dici Sacramentaliter corpus, quia illud significat: tamen Christus non potest dici Sacramentaliter panis. Non ergo exponi possunt verba Domini Sacramentalia, per communicationem idiomatum.

QVARTÒ, Communicatio idiomatum non solùm communicat nomina naturarum, sed etiam proprietatum ipsarum. De Christo enim dicimus; Hic homo est æternus, omnipotens, &c. & hic Deus esuriit, sitiit, mortuus est, &c. at non licet tribuere pani, corporis Domini proprietates, neque è contrario proprietates panis corpori: nemo enim ferret, si quis dicere vellet, Panis est animatus, vnitus diuinitati, &c. & multò minùs, si quis diceret, Corpus Domini est rotundum, triticeum, expers vitæ, & sensus. Quare ineptum est Boquini figmentum.

SEQVITVR alia particula, nimirum, Corpus, quam tribus modis aduersarij exponunt. Alij enim significari C volunt ea voce corpus Christi mysticum: Alij signum corporis Christi: alij signum quidem, sed efficax: quæ sunt tres opiniones ex illis nouem, quas suprà recitauimus, nimirum, Sexta, Septima, & Octaua.

SED Prima expositio ineptissima est, nec vllo nititur fundamento, & aperrè repugnat sequentibus verbis: *Quod pro vobis datur*. nec enim corpus mysticum datum est pro nobis, sed corpus verum. Magis autem repugnat verbis, quæ dicuntur in consecratione calicis: non enim Ecclesia, seu corpus mysticum Christi, dici potest calix sanguinis, vel Testamenti: nec pro nobis effunditur in remissionem peccatorum.

SECVNDA autem expositio refellitur his argumentis. Primò, quia nusquam in Scriptura accipitur corpus Christi, nisi vel pro corpore vero, & naturali ipsius, vel D pro corpore mystico: pro signo, vel figura corporis nusquam: ergo expositio illa est planè temeraria, & sine exemplo vllo Scripturæ introducta. Et cõfirmatur: quia Scriptura cùm accipit propriè corpus Christi, id est, pro Ecclesia, continuò id ipsum explicat: vt Coloss. 1. *Adimpleo, quæ desunt passionibus Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia*. At hoc loco nullus Euangelista, neque Paulus explicuit, corpus accipi impropriè: relinquitur igitur, vt propriè accipi debeat.

SECVNDÒ idem probatur ex dictis de pronomine, *Hoc*: Nam si pronomen, *Hoc*, non demonstrat panem, vt clarissimè antea ostendimus, certè ruit fundamentum aduersariorum; nec enim habent, de quo prædicent, *signum corporis*, nisi velint ipsum verum, & naturale corpus esse signum sui ipsius.

TERTIÒ probatur ex sequentibus verbis: *Quod pro vobis datur*. Est autem obseruandum, paulò aliter legi

A in Græcis & Latinis codicibus. Matth. 26. & Marc. 14. & Luc. 22. Græcè habetur, de sanguine ἐκχυνόμενον, id est, effunditur, Latinè *effundetur*. Luc. 22. de pane dicitur διδόμενον & Latinè, *datur*. 1. Cor. 11. κλώμενον, id est, frãgitur, Latinè, *tradetur*.

QVÆ verba dupliciter exponi possunt. Vno modo, vt hæc omnia dicantur de corpore & sanguine, vt est in Eucharistia, non autem vt fuit postea in cruce, vt sensus sit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, id est, offertur, & donatur Deo Patri in sacrificium. Neque obstat vocabulum Frangitur: nam iuxta morem Scripturæ frãgere, est dare, Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum*. Vnde Lucas posuit, *quod datur*, pro eo, quod habet Paulus, Frãgitur. Verborum autem calicis hunc esse volunt sensum: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*, id est, qui libatur, & offertur Deo in sacrificium pro salute vestra. Porrò hæc explicatio si recipiatur, planè euertit hæreticorum sententiam de corpore Domini tropicè intelligendo. Neque enim corpus tropicè acceptum, id est, panis, datus est pro nobis, sed datus est nobis: neque vinum sanguinem significans effusum est in institutione cœnæ, sed infusum potiùs; neque id pro nobis, sed nobis, neque in remissionem peccatorum, quod propriè conuenire vero sanguini omnes fatentur.

ALTERA tamen expositio, quæ refert hæc omnia ad passionem, & crucem Domini, & quam recipit Petrus Martyr in comment. cap. 11. primæ ad Corinth. & Caluinus atque alij in cap. 26. Matth. est etiam vera & non pugnat cum superiore, vt in 1. lib. de sacrificio, cap. 10. de monstramus. Quod autem hæc etiam expositio quam aduersarij recipiunt, ostendat corpus proprié, non tropicè accipiẽdum, probatur hoc modo. Ista additio: *Quod pro vobis datur*, nõ videtur apposita alia de caussa, quàm vt distingueretur corpus Christi, quod dabatur discipulis, ab alio, quod eis non dabatur. Sicut enim addidit: *Meum*, vt distingueret corpus suum à corporibus non suis, ita adiecit (*quod pro vobis tradetur*) ad distinguendum corpus verum, & naturale suum ab alio corpore suo, sed non naturali, quale est, corpus mysticum Ecclesiæ. Quod etiam satis aperté indicat articulus appositus nomini Græcé, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα, &c. Nam vt Cyrillus docet lib. 1. in Ioan. cap. 4. articulus facit, vt nomen accipiatur in vna certa, determinata, & propria significatione. Itaque sicut cùm dicimus; Hic est ille Petrus, qui accepit claues regni, distinguimus eum ab aliis eiusdem nominis; ita cùm Dominus ait; Hoc est illud corpus (hanc enim vim habet articulus) quod pro vobis tradetur, intelligimus Dominum distinguere corpus suum verum ab omni alio, & determinatè loqui de illo solo. Iam igitur, si Dominus Apostolis tradidit verum corpus propriè dictum, optimè se habet illa additio: dedit enim eis comedendum corpus suum naturale, non mysticum, si autem (vt aduersarij volunt) dedit eis panem, qui esset signum corporis, falsa est additio. Panis enim, vt symbolum corporis Dominici, vtrũque corpus significat, & mysticum & naturale: quocirca malè addita fuisset illa distinctio. Quod enim panis Eucharistiæ vtrumque corpus Christi significare debeat, & verum, & mysticum, dubitari non potest: inde enim 1. Corinth. 10. dicitur: *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus*, & Augustinus tractat. 26. in Ioannem, dicit, ideò in specie panis, & vini consecrari Eucharistiam, vt significetur vnitas corporis mystici. Vt enim panis ex multis granis efficitur, & vinum ex multis racemis confluit; ita Ecclesiæ corpus, ex multis fidelibus componitur. Præterea corpus in crucem traditum, & sanguis in cruce effusus verè sunt corpus, & sanguis Christi propriè, non significatiuè.

DICENT, Panis est signum seu figura veri corporis, & sanguinis pro nobis traditi, & effusi. Contrà; nam illæ

voces in recto positæ διδόμενον, & ἐκχυνόμενον debent coniungi cum substantiuo in recto, non in obliquo; ergo iunguntur cum eo, quod dicitur corpus & sanguis, non cum vocibus in obliquis positis, id est, corporis, & sanguinis. Ergo aut verũ corpus & sanguis sunt in Eucharistia, aut corpus, & sanguis significatiuè, id est, panis & vinum, tradita sunt pro nobis ad crucem & mortem, quo nihil absurdius fingi potest.

SEQVITVR Tertia explicatio, quæ (vt diximus) Caluini est, qui existimat panem Eucharistiæ non appellari signum corporis, sed ipsum corpus, quia est signum efficacissimum. Quod idem admittit Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum in fine tertiæ partis: vbi dicit, Christum nõ dixisse, Hoc significat, vel Hoc est signum, sed Hoc est ipsum corpus meum, vt distingueret hoc signum ab aliis signis inanibus, & sterilibus; dum enim panem istum Eucharistię ore sumimus, verè simul ipsum Christi corpus spiritu manducamus.

EST autem hîc reuocandum ad memoriam, quod suprà diximus in 1. capite, non existimare Caluinum nobis cum pane dari reipsa ipsum Christi corpus, ita vt Christi corpus dici possit, esse tunc & in cœlo, & nobiscum; sed solùm dari per quandam communicationem ipsius, & omnium bonorum eius, quæ non requirit localem præsentiam, quomodo dantur aliquando regna, & ciuitates, vel prædia absentibus. Id autem fieri existimat per instrumentum fidei, dum enim credimus in Christum, fit ipse noster cum omnibus bonis suis. Vide quæ suprà diximus loco citato.

HAEC opinio, seu potiùs figmentum, duplici argumento refutari potest. Primò ex principio quodam ipsius Caluini. Credere in Christum, non est verè manducare Christum: nec diceretur panis Eucharistiæ corpus Christi, si credere esset manducare. At ex sententia Caluini apertè sequitur, nihil esse aliud manducare Christum, C nisi credere in ipsum, ergo ex sententia Caluini non verè manducatur in Eucharistia corpus Christi, nec dici potest panis ille corpus Christi. Maior propositio est ipsius Caluini lib. 4. Institut. cap. 17. §. 5. *Sunt*, inquit, *qui manducare Christi carnem, & sanguinem eius bibere, vno verbo definiant, nihil esse aliud, quàm in Christum ipsum credere: sed mihi expressius quiddam, ac sublimius videtur voluisse Christus in præclara illa concione, vbi carnis suæ manducationem nobis commẽdat*. Et infrà: *Quemadmodum enim non aspectus, sed esus panis corpori alimentum sufficit: ita verè ac penitus participem Christi animam fieri conuenit, vt ipsius virtute in vitam spiritualem vegetetur*. Vbi comparat actum credendi, cum actu videndi cibum, vt significet ita credere, non esse manducare, sicut videre cibum non est manducare, qualia etiam repetit, §. 11.

PROBATVR nunc minor propositio. Nam manducare est actio quædam, & actio manducantis, non cibi manducati, vt notissimum est. At in manducatione corporis Domini secundum Caluinistas, nulla est actio hominis manducantis, nisi ipsum credere: ergo ipsum credere est manducare secundum Caluinum. Probatur minor. Nam illa vnio corporis Domini nobiscum, quæ sequitur post actum fidei, non est aliqua actio, sed relatio sequens apprehensionem fidei, vel si actio est, non est nostra, sed Christi: ita enim ipsi docent, ex hoc quod quis credit, sequi vt Christus se totum ei donet, & communicet, vel explicent ipsi, post actum fidei, quam aliam actionem exerceat homo in coniunctione cum Christo facienda. Et confirmatur exemplo corporalis manducationis: in hoc enim manducare est apprehendere cibum, & trahere ab ore ad stomachum, non autem vnio cibi, & hominis: ergo eodem modo in spirituali manducatione, manducare erit apprehendere Christum, qui est actus fidei, non autem vnio Christi nobiscum, quæ non est actio, sed actionis effectus. Confirmatur etiam

A ex loco Pauli, quem Caluinus adducit ad illustrandam sententiam suam, cùm Paulus ait Ephes. 3. Christum habitare in nobis per fidem, nõ intelligimus idem esse credere, & habitare Christum in nobis, sed vnum ex altero sequi, ita etiam cùm dicimus, corpus Domini manducari per fidem. At habitare Christum in homine, non est actio aliqua hominis distincta ab actione fidei: ergo eodem modo vnio Christi nobiscum per manducationem spiritualem Eucharistiæ, non est actio distincta ab actione fidei, igitur manducare nihil est aliud nisi credere.

SECVNDÒ omissa ista inepta Caluini metaphysica, probo, non posse panem dici corpus, quin sit signum efficax. Nam eandem efficaciam habent Sacramenta vetera, nouæ legis, Baptismus, verbum Dei, & imago depicta vel sculpta crucifixi. At ineptus esset, qui diceret, Imago crucifixi non est nuda imago, sed est verè ipse Christus, qui pro nobis passus est: & eodem modo esset ineptus, qui diceret, Sacrificia, & Sacramenta vetera, vel B Baptismus noster, aut verbum Dei, sunt ipse Christus, non eius tantùm symbola; ergo ineptus est etiam qui dicit; Panis Eucharistiæ est ipsum corpus Domini, non nudum symbolum. Probatur maior propositio. Nam (vt suprà ostendimus in 1. cap.) nihil aliud tribuit Caluinus Eucharistiæ, nisi vt sit symbolum reuocans ad memoriam Christi passionem, & ea ratione fidem excitans, vt patet ex lib. 4. Instit. cap. 17. §. 2. & 5. & alibi. At hoc idem faciunt Sacramenta vetera, & Baptismus, & verbum Dei, & imago crucifixi. Omnia enim hæc repræsentant Christi mortem, & proinde fidem excitant: immò multò melius mortem Christi repræsentat imago depicta, vel sculpta crucifixi, quàm panis fractio. Et idem dici potest de sacrificiis vitulorum & agnorum apud veteres; & maximè de verbo Dei expresè proponente Christi mortem.

AD hoc argumentum ex parte aliqua respondere C conatur Petrus Martyr, in lib. contra Gardinerum parte 1. obiecto 94. dicit enim Sacramenta vetera non fuisse appellata corpus Christi, sicut appellatur panis Eucharistiæ, licet illa etiam fuerint signa efficacia huius rei; quia nondum peracta erat Christi passio, nunc autem peracta est.

AT vanissima est solutio. Nam quando Christus dixit: *Hoc est corpus meum*, nondum peracta erat passio. Et præterea, quòd signa repræsentent rem præteritam vel futuram, ad hoc, vt accipere possint nomen rei significatæ, est omnino per accidens, & impertinens. Nam si cùm Deus reuelauit aliquem nasciturum, sicut reuelauit de Cyro, Ioanne Baptista, & aliis, depicta fuisset imago illius, non minùs illa imago dici potuisset Cyrus, vel Ioannes, quàm illæ, quæ modò pinguntur.

DEINDE esto, solutio aliquid valeat, quantum ad Sacramenta vetera: certè nihil responderi potest ad instantiam de Baptismo, in quo repræsentamus Christi mortem iam præteritam teste Paulo Rom. 6. & de imagine crucifixi, & de verbo Dei. & tamen rideretur qui diceret, verbum, aut Baptismum esse ipsum corpus Christi; & imaginem depictam non esse nudum signum, sed ipsum Christum, qui pro nobis mortuus est.

MEVM.

SEQVITVR vltima particula, Meum, ad quam pertinet Vltima opinio hæreticorum, & ea quidem ineptissima, eorum videlicet, qui dicunt vocari panem corpus Christi, quia ab ipso creatus fte. Id enim facillimè refellitur ex sequẽtibus verbis; *Quod pro vobis datur*; & clariùs de sanguine: *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*. Panis enim, & vinum, quamuis sint res à Christo creatæ, tamen non sunt datæ aut effusæ pro nobis in remissionem peccatorum.

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta, quibus probant aduersarij verba institutionis figuratè accipienda.

VIDEAMVS nunc quibus argumentis probent aduersarij verba institutionis figuratè accipienda. Sed obiiciunt illi Primò argumentum, quod olim obiiciebat Berengarius teste Guitmundo lib.1. Particula (*Hoc*) est demonstratiua. Dominus autem cùm ait: *Hoc est corpus meum*, panem solùm in manibus habuit, quem demonstraret: ex sententia enim Catholicorum, non fuit corpus Domini in Sacramento, cùm diceretur (*Hoc*) sed peracta demum consecratione. Secundò, augetur difficultas ex illis verbis Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes*, illud enim (*ex hoc*) non potest referri nisi ad vinum. Quare iussit Dominus, vt vinum biberent, proinde vinum, non sanguinem biberunt, nisi figuratè: vel si repentè mutauit vinum in sanguinem, præstigiis vsus videbitur, quippe qui vinum obtulerit, & dum essent bibituri, illud è medio sustulerit. Tertiò Lucas, & Paulus dixerunt τοῦτο τὸ ποτήριον, *hic calix*, ergo pronomen demonstrat calicem, non sanguinem. At eadem ratio est panis, & calicis, ergo illud: *Hoc est corpus*, significat, Hic panis est corpus. Quartò est argumentum Lutheri cap.1. de Babylon. captiuit. Hebræi nõ habent genus neutrum; ergo Dominus non dixit; *Hoc est corpus meum*, sed, Hic est corpus meum: ergo demonstrauit panem, non corpus. Quintò est argumentum Caluini, & aliorum. Quod accepit Dominus, ac benedixit, fregit, id discipulis dedit; nam omnia verba: *Accepit, benedixit, fregit, dedit*, regunt eundem accusatiuum. Sed accepit, & benedixit, ac fregit panem; ergo, & panem dedit: ergo illud (*Hoc*) panem demonstrat.

VT soluantur obiectiones, & tota res aperiatur, notandum est secundum Græcos codices, pronomen τοῦτο, accipi posse substantiuè, & adiectiuè: præterquam Luc. 22. & 1. Cor. 11. vbi dicitur τοῦτο τὸ ποτήριον, *hic calix*: tamẽ in Latinis codicibus, non potest accipi substantiuè, nisi in illis verbis: *Hoc est corpus*. Nam in consecratione calicis omnes habent, *Hic est sanguis*, aut *Hic calix*, quæ non possunt exponi substantiuè. Est quidem in quibusdam codicibus Cypriani lib. 2. epist. 3. *Hoc est sanguis*: sed correctiores Manutij, Morelij, Pamelij, habẽt, *Hic est sanguis*, vt etiam habetur in omnibus liturgiis Latinis. Quare vt omnia conueniant, præstat exponere vbique illud pronomen adiectiuè, vt hic sit sensus: *Hoc est corpus meum*, id est, Hoc edulium est corpus meum: *Hic est sanguis*, id est, Hic potus est sanguis meus. *Hic est calix sanguinis mei*, id est, Hic calix est calix sanguinis mei.

NOTA Secundò Catholicos etsi conueniant in re, tamen non conuenire in modo explicandi, quid propriè demonstret illud pronomen, *Hoc*, vel *Hic*. Sunt autem duæ celebriores sententiæ. Vna, quod pronomen, *Hoc*, demonstret corpus, & pronomen, *Hic*, demonstret sanguinem. Et ad argumentum aduersariorum respondent, in huiusmodi propositionibus, quæ significant id, quod tunc fit, cùm dicitur; pronomina demonstratiua non demonstrare id quod est, sed id quod erit: & ponunt exempla, vt si quis, dum pingit lineam, aut circulum, dicat, hæc est linea, hic est circulus: quomodo etiam exponi debet pronomen in illis verbis Domini Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum*. Et rursus: *Hæc mando vobis*. Et Luc. 22. *Hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, quoniam necesse est impleri omnia, &c.* & sic accipiuntur illa exordia Prophetarum: *Hæc dicit Dominus*.

HÆC explicatio non videtur plenè satisfacere propter duas causas. Primò, quia etsi pronomen demonstratiuum demonstret rem futuram, quando nihil est præsens, quod demonstretur, vt in exemplis allatis; tamen si quis digito aliquid ostendat, dum pronomen effert, valde absurdum videtur, dicere pronomine illo non demonstrari rem præsentem. Atqui Dominus accepit panem, & illum porrigens ait: *Accipite, edite, hoc est corpus meum*, videtur igitur demonstrauisse panem. Neque obstat, quod propositio non significat, nisi in fine totius prolationis. Nam etsi ita est de propositione, quæ est ratio quædam: tamen demonstratiua pronomina mox indicant certum aliquid, etiam antequam sequantur cæteræ voces. Et sanè in illis verbis: *Bibite ex hoc omnes*, valde durum est non demonstrari id, quod erat, sed id tantùm, quod futurum erat.

SECVNDÒ verba Sacramentalia secundum Catholicos non sunt speculatiua, sed practica; efficiunt enim quod significant: vnde etiam à Patribus operatoria dicuntur, vt postea videbimus. At si pronomen demonstrat solùm corpus, verba erunt speculatiua, non practica. Sẽper enim verum est demonstrato Christi corpore, dicere: *Hoc est corpus Christi*, siue id dicatur ante consecrationem, siue postea: siue à laico, siue à sacerdote. At verba Sacramentalia, quia operatoria, non sunt vera, nisi dicantur ab eo, qui est legitimus minister; neque sunt vera, antequam Sacramentum efficiatur.

EST igitur Altera sententia S. Thomæ. 3. p. q. 78. art. 2. & 5. & in cap. 11. prioris ad Corinth. necnon aliorum multorum, qui eum sequuntur, quòd pronomen, Hoc, non demonstret præcisè panem, nec corpus, sed in communi substantiam, quæ est sub illis speciebus: sic tamen vt demonstratio propriè ad species pertineat; non quidem, vt sensus sit: Hoc, id est, hæ species sunt corpus meũ; sed in obliquo, hoc modo: *Hoc est corpus meum*, id est, sub his speciebus est corpus meum: Quomodo etiam exposuit olim Guitmundus lib. 2. qui hunc vult esse sensum eorum verborum: *Hoc est corpus meum*, id est, hoc hactenus panis, nunc est corpus meum: atque hoc modo omnia optimè cohærent. Nam quia Sacramenta significant, quod efficiunt, & non efficitur in hoc Sacramẽto, vt corpus Christi, *sit corpus Christi*: id enim semper fuit, neque efficitur, vt panis sit corpus Christi: id enim fieri nequit; sed efficitur, vt sub speciebus illis sit corpus Christi, sub quibus antea erat substantia panis, ideò illud, *Hoc*, non demonstrat panem, nec corpus Christi, sed contentum sub speciebus.

HINC argumentum optimè soluitur. Nã cùm aiunt, *Hoc*, demonstrat panem; ergo panis est corpus Christi: propriè autem id esse non potest, ergo figuratè. Respondeo illud, *Hoc*, non demonstrare panem præcisè, sed contentum sub illis speciebus, quod quidem licet fuerit panis ante consecrationem, tamen vi illorum verborum incipit esse corpus Domini.

IDEM dico ad illud, *Bibite ex hoc omnes*: illud enim, *ex hoc*, non significat ex hoc vino, sed ex eo, quod in calice sub speciebus vini cõtinetur, quod quidẽ licet vinũ fuerit ante consecrationem, tamen finitis verbis consecrationis, non vinum, sed sanguis erat, vt Dominus testatur subiiciens: *Hic enim est sanguis meus*. Quare nõ iussit Dominus (sicut aduersarij mentiuntur) vt Apostoli in sacra cœna vinum biberent, nec fuerunt vllæ præstigiæ: id enim fuit verè, quod Dominus dixit, nimirum sanguis eius. Præstigiatores enim vnum pollicẽtur, & aliud præstant: immò cõtrarium Dominus fecit eius, quod præstigiatores faciunt: illi enim dicunt se aliquid dare, & non dãt verè, sed apparẽter: Dominus autem dedit verè, quod dicebat se dare, licet non appareret ita esse.

ILLVD quod obiiciebatur ex verbis Lucæ, & Pauli, *Hic calix*, pro nobis facit. Nam nomine calicis, intelligitur ex communi vsu loquendi non ipsum vas, sed quod in vase continetur: rectissimè igitur exponitur, *Hic calix*, id est, quod in hoc calice continetur. Neque est eadem ratio panis, & calicis; nam panis non potest significare nisi panem, calix autem significat generatim quidquid in calice continetur, siue sit vinum, siue sanguis, siue quid aliud.

AD argumentum Lutheri respondeo, Primò, Sicut Hebræi non habent genus neutrum in pronomine; ita, nec habere in nominibus: quocirca etiam corpus Hebraicè, est generis masculini, & demonstrari potuit per pronomen masculinum. Secundò verba Domini Hebraica dico rectiùs exposita à Marco, & Luca, & ab eo, qui Matthæum Græcum fecit, qui sine dubio antiquissimus auctor fuit, quàm ab vllo alio exponi possint. Porrò hi auctores cum panem nominassent ἄρρεν generis masculini, pronomen posuerunt in genere neutro, τοῦτο.

AD vltimum Respondeo, Dominum accepisse, ac benedixisse panem, sed dedisse panem, non vulgarem, vt acceperat sed benedictum, & benedictione mutatum. Intercedit enim inter, *Accepit, & dedit*, verbum, *benedixit*, quod facit, ne omnia verba regant eundem accusatiuum eodem modo se habentem. Neque est hoc inusitatum: nam si quis dicat, Percussit quidam Petrum, occidit, & sepeliuit, non intelliget Petrum fuisse viuum sepultum, tametsi viuus fuerit percussus. Adde, quod etiam illi hoc modo coguntur soluere hoc argumentum: nam volunt Dominum accepisse panem vulgarem, & tamen dedisse panem Sacramentalem.

OBIICIVNT contra hanc solutionem, Caluinus & Petrus Martyr. Caluinus lib. 4. Institut. cap. 17. §. 20. *Nihil absurdius*, inquit, *quàm ad speciem transferre, quod de pane prædicatur*. Respexit nimirum Caluinus ad verba S. Thomæ 3. p. q. 78. art. 2. vbi dicit, pronomen. *Hoc*, demõstrare species sensibiles panis, quæ solæ manent in illa mutatione panis in corpus Christi.

SED S. Thomas explicuit se in art. 5. ad 2. vbi dicit pronomen, *Hoc*, non demonstrare accidentia, quasi esset sensus, Hoc, id est hæc accidentia sunt corpus Christi, (id enim verè absurdissimum esset, vt Caluinus dicit, qui videtur in hoc sensu accepisse verba S. Thomæ) sed demonstrare substantiam sub illis accidentibus contentam, quæ antea erat panis, & nunc est corpus Christi, ita vt hic sit sensus, Hoc, id est, substantia sub his accidentibus contenta, est corpus Christi. Et hic sensus non modò non est absurdus, sed est necessarius, quandoquidem (vt suprà ostendimus) illud, *Hoc*, non potest demonstrare panem, neque etiam corpus Christi præcisè: esset aptum exemplum, si Dominus quando mutauit aquam in vinum, ostendisset hydrias aquæ, ac dixisset, Hoc est vinum, & illis verbis mutasset aquam in vinum. Neque enim possemus ita exponere illam sententiam; Hoc est vinum, id est, hæc aqua est vinum: id enim falsum esset, neque ita, Hoc, id est, hoc vinum, siue hæc res, demonstrando vinum, est vinum: nam falsa fuisset demonstratio: non enim aderat vinum, cùm diceretur, Hoc, sed hic esset sensus, Hoc est vinum, id est, in hoc vase est vinum.

PETRVS Martyr in libro contra Gardinerum par. 1. obiecto 13. & 14. ridet hanc solutionem, & quia dicimus demonstrari substantiam sub speciebus contentam, quæ videtur esse quoddam indiuiduum vagum: ait ipse indiuiduum vagum mente posse concipi, demonstrari autem planè non posse: Dominum autem demonstrasse quod in manibus habebat, id est, rem certam, & determinatam. Et vt se in Scholasticis versatum ostenderet: addit Scotum fuisse parentem huius indiuidui vagi in explicatione horum verborum.

SED in vtroque fallitur. Nam in primis Scotus in 4. dist. 8. q. 2. vbi fusè de hac re agit, neque nominat indiuiduum vagũ, neq; ita exponit hunc locum, vt pronomẽ, *Hoc*, demonstret aliquid incertum, seu vagum, sed dicit, *Hoc*, significare Hoc ens, illud autem Hoc ens, supponere pro Christi corpore, proinde esse propositionẽ illam singularem, & determinatam: quam sententiam suprà refutauimus. Porrò indiuidui vagi meminit Dominicus

à Soto in explicatione sententiæ S. Thomæ in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 5. Quamuis autem simile sit indiuiduo vago substantia sub speciebus panis contenta, & ex se non magis possit supponere pro pane, quàm pro corpore Christi, & pro qualibet alia re, quæ sub iisdem speciebus maneat: tamen in hac propositione: *Hoc est corpus meum*, substantia illa determinatur vi verbi, *Est*, ad supponendum pro corpore Christi, atque ita propositio est singularis, & determinata.

AD id verò, quod ille ait indiuiduum vagum non posse demonstrari. Respondeo formaliter in hac propositione demonstrari species, quæ sunt certæ, & determinatæ, quamuis, vt dixi, in obliquo, non in recto. Quocirca non dicimus, *Hoc*, id est, hæc substãtia, vel hoc ens, cum Scoto, sed, *Hoc*, id est, substantia sub his speciebus, vt pronomen demonstratiuum teneat se ex parte specierum, non ex parte substantiæ: interest autem inter illa duo, *Hoc*, id est, hæc substantia, & Hoc, id est, substantia sub his speciebus. Quod si dicas, *Hoc*, id est, hæc substantia, necesse est, vt substantia illa tunc sit præsens, quando dicitur, *Hoc*, & tamen tunc non est præsens substantia Corporis Christi, & falsa redditur demonstratio. At si dicas, Hoc, id est, substantia sub his speciebus, non est necesse, vt illa substantia tunc sit præsens, sed satis est, si præsentes sint species, quæ demonstrantur pronomine, His. Id quod clarius erit, si tacita substantia dicas: *Hoc est corpus meum*, id est, sub his speciebus est corpus meum. Sed de his satis.

SECVNDVM argumẽtum sumitur ex particula, Est. Docet Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, par. 3. pag. 658. cogi Papistas, vt verbum, *Est*, accipiant tropicè pro Fit, vel transubstantiatur. Nam alioqui esset falsa propositio, *Hoc est corpus meum*, priùs enim debet esse res, quàm pronuncietur eam esse, vera enim est propositio, si res ita se habeat, non contrà, ac præsertim secundum Catholicos, qui volũt hæc verba esse caussam conuersionis panis in corpus Christi: semper enim caussa est prior suo effectu. Sed corpus Domini non est in Eucharistia, antequam dicatur, *Est*, ergo falsò dicitur, *Est*, nisi sumatur pro Fit. Præterea ista oratio est operatoria ex sententia Papistarum, sicut illa, *Fiat lux*, ergo verbum, *Est*, debet sumi pro Fit.

RESPONDEO cum S. Thoma, 3. part. q. 78. art. 2. & 5. (vnde videtur Petrus Martyr accepisse hæc argumenta) verba illa conseratoria (vt quamuis aliam sententiam) non habere perfectam significationem, nisi in vltimo instãti, quo profertur vltima vox: pendet enim intellectus, donec ad finem veniatur: in eodem autem vltimo instanti ponitur effectus verborum in esse, id est, conuersio panis in corpus Christi. Neque obstat, quòd verba non videantur habere vltimũ instans positiuum, cùm finiantur per motum. Nam etsi non datur vltima pars motus, & proinde verborum, tamen datur vltimum mutatum esse, & proinde vltimum instãs terminatiuum verborum: quomodo in linea non datur vltima pars, datur tamen vltimum punctum. Quare simul tẽpore sunt completa significatio verborum, & conuersio panis in corpus Christi: ordine tamen naturæ inuicem se præcedunt, & sequuntur hæc duo. Nam verba illa, quatenus caussa sunt illius conuersionis, præcedunt conuersionem: & contrà, quatenus veritas propositionis pendet à rei essentia, conuersio præcedit significationem.

AD illam confirmationem respondeo, verba esse operatoria, etiamsi non ponatur, *Est*, pro fiat, quia cùm Deus, qui mentiri non potest, dicit aliquid esse, necesse est, vt illud sit: & ideò si antea non fuerit, necesse est, vt tunc fiat. Cur autem dixit olim Deus, *Fiat lux*, & Christus non dixerit, fiat corpus, sed Est corpus, ratione reddit S. Thomas, quia verba Dei in principio creationis operabantur solùm efficienter, non autem Sacra-

mentaliter: verba autem Christi operantur vtroq; modo,& ideò debent significare suum effectum in facto esse, quod fit per verbum substantiuum indicatiui modi, & temporis præsentis. Sed etiamsi ista caussa non esset, quis posuit Christo legem, vt semper eodem modo loqueretur cùm aliquid faciebat? nónne in Euangelio legimus dictum Luc. 13. *Mulier dimissa es ob infirmitate tua?* Et Ioan. 4. *Vade, filius tuus viuit:* Et certè non minùs his verbis curauit hos ægrotos, quàm alium illis verbis: *Tolle grabatum tuum,& ambula.* Ioan. 5.

OBIICIVNT Zvvingliani quædam exempla Scripturæ, in quibus, *Est*, accipi videtur pro Significat, vt: *Semen est verbum Dei, petra erat Christus.* Sed de his dicemus in sequenti disputatione: nam cómunia sunt etiam Oecolampadio,& Caluino,& aliis. Perinde enim est si dicas, *Semen est*, id est, significat verbum, &, *Semen est verbum Dei*, id est, est signum verbi Dei: quomodo etiam possunt exponi omnes similes loquutiones.

TERTIVM argumentum, sicut & quatuor proximè sequentia, ex particula, Corpus, desumitur. Igitur Caluinus,& Martyr,& cæteri sæpe hoc argumentum repetunt. Illa sententia: *Hoc est corpus meum*, est Sacramentalis, ergo Sacramentaliter exponenda, ergo significat, panem esse corpus Christi Sacramentaliter, seu significatiuè. Hoc argumentum tanti fecit Caluinus, vt in vltima admonitione ad Vvestphalum de hoc argumento dixerit: *Hic murus aheneus esto.*

RESPONDEO, Sacramentalem propositionem sumi posse duobus modis. Primò, vt dicatur Sacramentalis, quia explicat Sacramentum, siue eius significationem, qualis est Apoc. 17. *Septem capita, septem colles sunt, &c.* Nam ostenderat in visione Deus Ioanni mulierem sedentem super bestiam septem capitum quæ significabat Romam, quæ sita est in septem montibus: ait ergo Angelus: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet.* Tales sunt etiam illæ Mat. 13. *Semen est verbum Dei.* Et Gen. 41. *Septem boues, septem anni sunt.* Atque in hoc genere propositionum accipiuntur semper prædicata tropicè, non propriè.

SECVNDÒ, potest dici Sacramentalis propositio, quia per eam Sacramentum instituitur, aut conficitur: vt cùm dicitur Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Et Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, aut cùm nos baptizantes dicimus: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et in hoc genere propriè accipiuntur vocabula, quæ designant materiam, & formam Sacramenti. Neque enim licet dicere, non oportere assumere aquam propriè dictam in Baptismo, sed aliquid per eam significatum: aut non esse inuocandam propriis verbis Trinitatem, sed aliquem tropum in illis verbis subesse: alioqui nihil certi haberemus de Sacramentis.

TOTA igitur quæstio est vtrum illa verba: *Hoc est corpus meum*, dicantur ad explicandum Sacramentum, an ad instituendum, vel conficiendum: vel potiùs nõ est quæstio, sed certum est dici ad instituendum, & conficiendum Sacramẽtum. Nam apud Catholicos hæc verba sunt de essentia Sacraméti,& sunt operatoria, vt Ambrosius testatur lib. 4. de Sacramentis: ca. 4. Apud hæreticos autem etiamsi hæc verba non propriè dicantur forma Sacramenti, nec censeantur operatoria, tamen sunt necessaria ad Sacramenti confectioné, quia continent promissioné, sine qua nullũ Sacramentum constare potest. Et quia Sacramentũ secundum Caluinum est posterius verbo promissionis, tanquã sigillũ eius, & appendix, vt ipse loquitur li. 4. Inst. c. 14. §. 2. inde fit, vt panis non fuerit Sacramentum, nisi post ea verba recitata. Non ergo fuit illa explicatio Sacraméti, cùm Sacramentum nondũ esset, sed institutio,& confectio. Deinde, cur

A omnes hæretici ista verba præmittunt in suę cœnæ celebratione, nisi quia putant sine his verbis nullum esse Sacramentum? Deniq;, vbicunq; in Scripturis est explicatio mysterij, præcedit ipsum mysteriũ,& indicat Scriptura esse declarandum per sequentia verba. Id patet in omnibus parabolis, somniis,& visionib. quæ declarãtur in Scriptura. Hoc autem loco nullum narratum est mysterium, nec vlla indicatur sequutura declaratio: constat igitur illa verba ad institutionem, & confectionem Sacramenti non ad declarationem significationis eius pertinere. Ita murus aheneus, inuentus est luteus.

ARGVMENTVM Quartum eiusdem Caluini, li. 4. Inst. c. 17. §. 23. Nisi Apostolis venisset in mentem, *Corpus*, figuratè accipi debere, turbati fuissent de re tam prodigiosa. Atqui tranquillè,& quietè leguntur participasse sacram illam carnem.

B RESPONDEO, Cur Apostoli mirati, ac turbati non fuerint, duplex est caussa. Vna, quia fuerant iam antea instructi, & præmoniti Ioan. 6. vt Chrysostomus docet hom. 83. in Matt. Altera, quia idem Christus qui mysteria tradebat, mentem eorum fide illustrabat, vt simpliciter crederent, Nam multa alia mirabiliora sine turbatione audierant,& crediderant, quale erat in primis, hominem illum, quem videbant comedere, bibere, dormire, fagitari, esse verum Deum, & iam tunc esse in cœlo cùm loqueretur in terris. Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Denique cur hodie tot millia simplicium Catholicorum non turbantur, cùm primùm audiunt in Eucharistia esse totum, & integrum Christum? nisi quia fide illustrante persuasi sunt Christum, qui hoc dixit, Deum esse, qui mentiri non potest.

C QVINTVM argumentum Klebitij in lib. de victoria veritatis part. 1. arg. 8. & aliorum. Christus de corpore suo ait: *Accipite, & manducate.* At corpus Christi non potest propriè manducari, cùm non possit dentibus teri: ergo vel accipitur corpus figuratè, vel certè ipsum manducare, vt vel sensus sit: Manducate panem, qui signum est corporis mei: vel, manducate corde, non corpore: fide, non ore, ipsum verum corpus meum.

RESPONDEO, corpus Christi verè ac propriè manducari etiam corpore in Eucharistia. Nam ad rationem manducationis nõ est necessaria attritio, sed satis est sumptio,& transmissio ab ore ad stomachũ, per instrumenta humana,& naturalia, id est, linguam,& palatum. Alioqui senes, & pueri edentuli nihil vnquam comederent, & nos, cùm deglutimus integros aliquos cibos, vel ipsas hostias non consecratas, non diceremur comedere. Addo præterea, si de ratione manducationis esset attritio

D dentibus facta, corpus Christi propriè mãducari in Eucharistia, non tropicé. Nõ enim dicimus, corpus Christi absolutè manducari, sed mãducari sub specie panis, quæ sententia significat ipsas species manducari visibiliter, ac sensibiliter, ac proinde ipsas dentibus atteri: sed sub illis inuisibiliter sumi etiam,& transmitti ad stomachum corpus Christi. Nam etiam panis ipse verus non atteritur dentibus, nisi ratione accidentium suorum: substantia enim cuiuslibet rei non est per se diuisibilis. Hoc tamen interest inter substantiam panis, & corpus Christi sub speciebus panis, quòd illa extenditur ad extensionem quantitatis, qua veré informatur: hoc autem non extenditur, nec informatur, sed est totum sub qualibet particula. Ideò panis absolutè manducatur, corpus Christi non absolutè, sed sub specie panis.

SEXTVM argumentum sumunt ex variis locis Scripturæ, vbi vel, *Est*, accipitur pro Significat, vel certè prædicatum accipitur figuratè. Caluinus libro quarto Institut. capit. 17. §. 21. & §. 22. exempla profert. Genes. 17. *Circuncisio est fœdus.* Exod. 12. *Angelus dicitur Deus. Agnus est phase id est, transitus.* Leuit. 16. *Sacrificia sunt*

expiationes. Psal. 84. *Arca est Deus.* Matth. 3. *Columba dicitur Spiritus sanctus:* Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus:* vbi, *Est*, non potest accipi substantiuè, alioqui non esset æternus Spiritus sanctus. 1. Cor. 10. *Petra erat Christus.* Et ibidẽ: *Panis est communicatio corporis Christi.* 1. Cor. 12. *Ecclesia est Christus*, Tit. 3. *Baptismus est lauacrum regenerationis.* Si illud, *Est*, acciperetur substantiuè, omnes qui baptizantur, regenerarentur, multis tamen scimus inutilem esse Baptismum. Alij adferunt alia, vt: *Septem boues sunt septem anni*, Gen. 41. *Semen est verbum Dei*, Mat. 13. *Ego sum ostium.* Io. 10. & alia id genus. Confirmant argumentum, quia multæ hæreses ortæ sunt ex Scriptura propriè,& literaliter intellecta, vt Anthropomorphitarum, & aliorum. Exempla multa enumerant, Caluinus lib: 4. Instit. cap. 17. §. 23. & Klebitius de victoria veritatis parte prima, arg. 16.

A

RESPONDEO, hoc argumentum multis modis deficere. Nam inprimis nõ potest colligi ex aliquot exemplis, sic vbique accipi verbum, *Est*, aut prædicatum propositionis: nos enim proferre possumus multò plura loca, in quibus, *Est*, significat, *Est*, & prædicatum propriè accipitur.

RESELLIT hanc solutionem Klebitius in li. de victoria veritatis, parte 1. argu. 16. dicit enim simili modo argumentari aduersarios suos, qui inde probant locum Euangelij: *Hoc est corpus meum*, accipiendum sine tropo, quia multa loca in Scripturis accipiuntur sine tropo. At mentitur in caput suum, nos enim generali regula vtimur, ac dicimus vbiq; seruandam esse verborum proprietatem, nisi euidenter doceatur alicubi esse tropũ: ex illa vniuersali regula probamus hunc locum accipiendum sine tropo. Idem dico ad confirmationem, non rectè probari vbiq; cauendum sensum literalem, quia aliqui inde occasionem errãdi sumpserunt. Nam hoc modo probaremus etiam nunquam sequendum sensum mysticum, quia inde occasionem errandi sumpserunt Chiliastæ, Origenistæ, Donatistæ,& alij: Imò cauendum esset ab ipsa tota Scriptura, quia errores multi, ac ferè ex ipsa omnes malè intellecta orti sunt.

SECVNDÒ peccat argumentum aduersariorũ, quia nullum exemplum simile attulerunt. Nam in exemplis allatis, semper prædicatur de disparato disparatum, vt patet ex illis, Boues sunt anni, Semen est verbum, Christus est vitis,&c. in his enim cùm nullo modo possit fieri, vt illa propriè sint vera, cogitur necessariò recurrere ad tropos. At in hac sententia: *Hoc est corpus*, non prædicatur disparatum de disparato, saltẽ verbis disertis. Quid enim illud, *Hoc*, referat, in quæstione est, & non debet assumi tanquam certum, quod referat panem, cùm expresè Scriptura id non habeat. Deberent igitur adferre exemplum, vbi de pronomine, *Hoc*, prędicaretur aliquid tropicè.

KLEBITIVS duo exempla ponit. Vnum argum. 16. Exod. 24. *Hoc est Testamentum*, vbi, *Hoc*, sanguinẽ refert. Alterum in fine libri ex Confessione Ducis VVittembergensis, Ezec. 5. *Ista est Hierusalem*, vbi demonstratur imago Hierosolymæ depicta in latere, vt patet ex cap. 4. At illud, *Hoc est Testamentum*, non legitur. Exod. 24. sed, *Hic est sanguis Testamenti*: illud autem: *Ista est Hierusalem*, non intelligitur de imagine Hierosolymæ, sed de ipsa vera Hierosolyma, vt ex ipso textu, & Hieronymi commentario patet. Nam etiamsi c. 4. iussus fuerit Ezechiel depingere illam vrbem, tamen cap. 5. non loquitur amplius de illa imagine. Addo, quòd non ait Ezechiel, Hoc

D est Hierusalem, ostensa imagine, sed, *Ista est Hierusalem*, Dominus autem dixit. *Hoc est corpus*, non Iste est corpus, quod dicere debuit, si panem ostendere volebat. Itaque non sunt illa similia.

TERTIÒ peccat argumentum, quòd multa falsa admiscet. Nam Quædam falsò citantur, vt verbi gratia,

A *Sacrificia sunt expiationes*, citant Caluinus, & Klebitius ex Leuit. 16. nec tamen habetur talis sententia eo loco, aut alibi. Item citat Caluinus Psal. 84. v. 8. vt probet arcam dici Deum. At non hoc ibi habetur, illa enim verba, ad quæ Caluinus respexit: *Videbitur Deus Deorum in Syon*, exponuntur ab Aug. Hieronymo, Theodoreto, & aliis, non de arca, sed de ipso Deo vero, qui in cœlesti Syon in se videbitur: & in terrena Syon visus est cùm carnem induisset. Adde, quòd etiamsi de arca intelligeretur hic locus, non propterea dici posset, Hæc arca est Deus; sed per hanc arcam videtur Deus, vt per locum Deo sacrum in quo responsa dabantur. Sic etiam citat, & valde vrget Caluinus ex 1. Cor. 12. *Ecclesia est Christus.* At nõ hoc Paulus dicit, sed hoc: *Ita & Christus.* Vbi vocat Christum, ipsum Dominum cum suo corpore mystico, sed non propterea licet dicere, Ecclesia est Christus, sicut nec dicimus; Corpus est caput, vel regnũ est Rex, licet aliquando nomine Regis intelligamus ipsum Regem cum suo regno. Illud etiam: *Nondum erat Spiritus sanctus*, Ioan. 7. aliter habetur in textibus correctioribus, nimirum: *Nondum erat Spiritus datus.* Sic enim legit Didymus li. 2. de Spiritu sancto, Augustinus tract. 52. in Ioannem. Leo ser. 2. de Pentecoste, & alij: Et præterea etsi legeretur, *Nondum erat spiritus*, non propterea est ibi vllus tropus, sed intelligeremus non fuisse Spiritum in Apostolis, vt legit Hieronymus quæst. 9. ad Hedibiam.

B

QVAEDAM citantur rectè, sed malè exponuntur, vt illud: *Agnus est Pascha, id est transitus.* Nam Agnus Paschalis non dicebatur Pascha tropicè, quia significaret transitum; nulla enim erat similitudo inter agni occisionem,& trãsitum Domini, sed dicebatur propriè Pascha, sicut etiam festus dies dicebatur Pascha, nomine deriuato ab illo transitu Domini, quia agnus immolabatur, & dies festus agebatur in memoriam & honorem illius transitus. Vnde in Euangelio absolutè Agnus Paschalis

C dicitur Pascha: *Vbi vis tibi paremus comedere Pascha?* &, *Necesse erat occidi Pascha*, Marc. 14. Luc. 22.

ILLVD etiam 1. Cor. 10. *Petra erat Christus:* secundum Chrysostomi, Theophylacti, Theodoreti, & Ambrosij expositionem veriorem,& literalem, non accipitur de petra materiali, quę significaret Christum: illa enim non sequebatur Hebræos: sed de petra inuisibili,& spirituali, quæ Iudæis omnia necessaria prouidebat: quæ petra verè & propriè erat Christus vt Deus. Etsi enim est tropus in eo, quòd Christus vocatur petra, tamen per additionem, spiritualis, explicatur tropus, & determinatur illa vox ad Christum significandum: & proinde ipsa propositio: *Spiritualis petra erat Christus*, propriè, non figuratè accipitur.

CALVINVS, etsi in institutione loco notato per petram intelligat saxum, tamen in vltima admonitione ad Vvestphalum, intelligit aquam nomine petræ per Metonymiam: aqua enim facilè sequi poterat Hebræos per riuulos fluens. At hoc cõmentum refutauit olim Theo-

D doretus in hunc locum, & Petrus etiam Martyr non ei pepercit in commentario huius loci. Nã repugnat Scripturæ illa expositio: siquidem paulò pòst indiguerunt rursus aqua, vt patet Num. 20. & 21. qua certé non eguissent, si aqua de petra eos sequuta fuisset.

MARTYR duas expositiones adfert. Vnam, quòd illud: *Consequente eos petra*, significet, Obsequente, & ministrante eis petra. Quia tamen Græci Patres, qui optimè nouerant vim Græcæ vocis, ἀκολουθούσης, constanter explicant, *Comitante*, non, Obsequente, vt etiam Erasmus, cui aduersarij multum tribuunt: ideò ponit alteram, quòd illud, *Comitante*, referatur ad Christum, non ad petram, vt nos diximus. Sed non aduertit hac sua expositione, quàm præ cęteris probare videtur, se destruere id, quod suprà dixerat. Nã hoc modo nõ potest habere tropum in Sacramentis. Nã si petra comitans nõ erat

petra materialis,sed Christus petra inuisibilis,certè non potest exponere,*Petra erat Christus*,id est,petra significabat Christum,quod tamen ille maximè contendit.

A

Est tamen hîc obseruandũ,nõ negari à nobis,quin petra illa materialis figura Christi fuerit, & aqua inde manans figura fuerit sanguinis Christi: sicut etiam non negamus speciem panis signa esse corporis Christi, sed negamus per illa verba:*Petra erat Christus*, explicari illam figuram,sicut negamus per illa verba:*Hoc est corpus meum*,explicari significationem speciemm panis.

Illvd etiam;*Panis est communicatio*,1.Cor.10. non rectè exponitur, cùm aiunt: *Panis est communicatio, id est, significat communicationem*: sed sensus est, Communicatio panis consecrati in cœna Domini, nónne communicatio corporis Domini est? Vbi non est tropus vllus tollens veritatem rei,aut obscurans sententiam:nam accipitur vsitatè panis, pro panis vsu, & communicatione.Neque est tropus in voce panis, quia loquitur de pane consecrato,qui verè est corpus Domini, vt in sequenti cap.ostendemus.

B

Deniqve illud;*Baptismus est lauacrum regenerationis*, malè exponitur per illa verba, Baptismus significat lauacrum;nam non significat solùm,sed verè etiam lauat animas à peccatis,quod ad se attinet,licet impediri possit effectus per nostram indispositionem.

Qvartò peccat argumentum, quòd in omnibus locis adductis,vbi est vel tropus, vel aliquid obscurum, semper additur explicatio,*vt Gen.17.vbi circũcisio* vocatur fœdus:ibidẽ dicitur etiam signum fœderis. Exod. 12.vbi agnus dicitur phase,ibidem dicitur victima,transitus Domini, 1.Cor.10. *Petra erat Christus*. ibidem explicatur de spirituali cõsequente eos petra:denique in omnibus parabolis, & visionibus, seu somniis, semper indicatur parabolam esse,vel visionem mysticam.

Vbi præterea est adnotandum in eiusmodi locis parabolarum, similitudinum, visionum, &c. sine vllo tropo posse accipi, *Est*, pro Significat, quia essentia talium rerum tota posita est in significando, sicut suprà diximus de explicatione vocabulorum. Vt verbi gratia cùm dicitur Gen.41. *Septem boues sunt septem anni*, non est sensus, quod boues significent annos, sed quòd boues in visione ostensi sunt ad significandos annos. Hæc autem sententia: *Hoc est corpus meum*, vt sæpe diximus, non est explicatio signi, aut parabolæ, sed assertio rei, Quocirca Caluinus lib.4.Instit.c.17.§.21.allaturus explum troporum, præfatur se nolle adferre exempla ex parabolis,nimirum aduertebat illa non esse ad rem,

C

Septimvm argumentum est Caluini li.1.4.Instit.c. 17.§.23. Si corpus in illa sententia: *Hoc est corpus meum*, accipitur propriè, vel significat solum corpus,vel totum Christum. Si solum corpus:ergo erit alicubi corpus Domini sine anima,sanguine, & deitate. Si totũ Christum, ergo erit confusa battologia: *Hoc est corpus*, & *Hic est sanguis*, idem enim ista significabunt: & poterit dici de pane:*hic est sanguis*, & de Calice: *hoc est corpus*. Confirmatur, quia si totum Christum significat vox, *Corpus*, erit tropus,qui dicitur, Intellectio: non ergo possumus tropos fugere in hac sententia, nisi impiè distrahamus corpus Domini à sanguine ipsius.

D

Respondeo,verba propriè significare, & nomine corporis solum corpus intelligi,nomine sanguinis solum sanguinem,nec tamen distrahitur corpus à sanguine,quia coniuncta sunt illa ob necessariam concomitantiam, licet ista coniunctio non significetur illis vocibus:sicut neque negatur. Quemadmodum si quis demonstrato corpore Petri,dicat,Hoc est corpus Petri: is propriè solum corpus significat, nec tamen sequitur corpus illud carere anima,quia non ait ille, Hoc est corpus sine anima,sed simpliciter. Hoc est corpus,quod est verum,siue ibi sit anima,siue non sit: quare neque vlla est hîc battologia,neque intellectio. Quanquam si cogeremur intellectionem admittere,non grauatè id faceremus,quia magnum est discrimẽ inter intellectionem, & metaphoram,ac metonymiam:illa enim non tollit rei veritatem, istæ tollunt. Vnde in illis verbis:*Verbum caro factum est*,Catholici omnes intellectionem, qua ex parte intelligimus totum,omnes admittunt,metonymiam nulli, sicut nec metaphoram, nisi hæretici, qui negant veram carnem in Christo.

Octavvm argumentum Caluini §.20. & Martyris in c.11.1. Cor. & aliorum, ex illis verbis: *hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*. Hic enim duplex tropus necessariò est admittendus.Primus in voce, *Calix*, accipitur enim omnium consensu continens pro re contenta qui tropus dicitur metonymia. Secundus in voce Testamenti: neque enim vinum, aut sanguis est propriè Testamentum, sed signum Testamenti. Quod probant primò,quia alioqui singulis diebus renouaretur Testamentum Christi,& præcedens antiquaretur. Secundò,necesse esset sæpe Christum mori: Testamentum enim non valet, nisi moriatur, qui testatus est, Hebr. 9. Præterea tertiò Matthæus ait: *Hic est sanguis meus noui Testamenti*:ergo sanguis non erat Testamẽtum:at quod erat in calice erat Testamentum,teste Luca:ergo in calice non erat sanguis,Quartò Lucas & Paulus dicunt,calicem esse Testamentum in sanguine,ergo quod erat in calice,non erat sanguis:esset enim sensus,Hic sanguis est Testamentum in sanguine, quod est absurdum, & impossibile.Nam quando vnum est in alio,non possunt illa esse vnum & idem:nisi dicamus idem esse in seipso. Ex his colligit Caluinus exponi debere verba Matthæi, & Marci per verba Lucæ, & Pauli, quia illa sunt pauciora, ista plura.Itaque illud: *Hic est sanguis meus*, quod Matthæus, & Marcus dixerunt, sic debet exponi, Hoc est Testamentũ in sanguine meo,id est,signum Testamenti sanguine meo confirmati,& similiter illud:*hoc est corpus meum*,exponi debet, Hoc est Testamentum in corpore meo.Non solùm enim sanguis,sed etiam corpus Christi Testamentum nouum stabiliuit:non ergo propriè accipi potest vocabulum corporis, nisi idem esse velimus corpus,& Testamentum in corpore. Atque hic videtur esse Achilles Caluini in hac materia.

Respondeo, non negamus in verbo,*Calix*, tropum esse,sed tropũ ibidem clarissimè explicatum:quod de tropo, quem aduersarij ponunt in voce, *Corpus*, dici non potest.Dominus enim ait:*Accipite,bibite,hic est calix*:at certè non bibitur vas, sed liquor in eo contentus. Item(vt supra diximus) Lucas addit in calicem:*Qui pro vobis effunditur*,at vas nõ effunditur,sed liquor. Deniq;, quod Lucas,& Paulus dicunt:*hic est calix*,Matthæus,& Marcus dixerunt: *hic est sanguis*. Oportet autem exponere obscura verba per clariora,& figurata per propria. Certè si idem homo de eodem vase diceret: Bibite ex hoc poculo,& adderet:Bibite ex hoc vino, nemo dubitaret illo poculo contineri vinum,& cum hominem explicare voluisse,quid in poculo contineretur: cùm ergo idem Spiritus sanctus de eadem re dicat per duos scriptores sanctos,*hic est sanguis*, per alios duos;*hic est calix*, dubitari non debet,eo calice sanguinem contineri. Demonstrent aduersarij explicari tam clarè in Scripturis tropum,quem fingũt in vocabulo corporis,& vicerunt. Omitto quòd accipere calicem pro re contenta in calice,est tropus tam vsitatus & vulgaris, vt non minùs apertus sit, quàm voces ipsæ propriæ.

Qvantvm ad alterum tropum, quem ponunt in voce,*Testamenti*,dico nullum esse ibi tropũ. Obseruandum enim est duo esse, quæ nomine Testamenti appellari solent. Primò,ipsa voluntas testatoris,quæ de hæreditate disponit,siue sit absoluta,siue conditionem requirat,& pactum etiam dici possit. Sic accipitur Exod.24.

hic est sanguis fœderis, seu(vt citat Apostolus Heb.9.) *hic est sanguis Testamenti*, est enim sensus: Hic est sanguis, quo sancitur, & Confirmatur voluntas, pactum, promissio Dei. Sic accipitur etiam Gen. 27.vbi Circuncisio dicitur signum fœderis:& Gal.4.Heb.8. & Hier.31. vbi distinguuntur duo testamenta.

A

Secvndò, vocatum est Testamentum authenticum instrumentum, quo continentur voluntas testatoris,& per quod acquirit hæres ius ad hæreditatem.Et hoc modo non impropriè vocamus Testamentum vetus & nouum,sacra Biblia,in quibus continetur voluntas Dei de bonis temporalibus dandis populo Hebræorum,& de bonis æternis dandis populo Christianorum: necnon Sacramenta,quæ sunt instrumenta authentica, quibus applicatur nobis ius ad hæreditatem;immò etiam ipsa hæreditas saltem ex parte. Hæreditas enim est gratia, & gloria:datur autem nobis per Sacramenta in præsenti gratia,& ius ad gloriam. Vnde Circuncisio, quæ erat Sacramentum Testamenti veteris,& per quod dabatur Hebræis ius ad terram promissionis,Testamentum vocatur Eccl. 44. *In carne eius stare fecit, Testamentum*.Eadem etiam dicitur signum fœderis,& ipsum fœdus,Gen.17.& vtrumque propriè.Nam erat ipsa signum fœderis,vt fœdus accipitur pro diuina promissione: & simul erat fœdus vt fœdus accipitur pro instrumento, quo explicatur illa promissio. Inter omnia autem Sacramenta dicitur Testamentum præcipuè ipsa Eucharistia, quia, non solùm est instrumentum conferendæ hæreditatis,sed etiam continet apertissimam repræsentationem effusionis sanguinis Domini, à quo vim suam habet Testamentum nouum.

B

Ex his ad omnes obiectiones respondemus. Ad Primam nego,quotidie fieri nouum Testamentum, & antiquari præcedens. Nam celebratio Eucharistiæ non est noua institutio Testamenti, sed repetitio eiusdem, vt cùm describitur sæpius idem Testamentum, quæ repetitio fit ad applicandam hæreditatem variis hæredibus, qui subinde exoriuntur, sicut etiam Circuncisio repetebatur sæpissimè, nec tamen antiquabatur præcedens.

Ad Secundam nego, debere Christum quotidie mori. Nã mors eius non fuit Testamentum, sed confirmatio Testamenti:sufficit autẽ vna eius mors ad confirmandum Testamẽtum ipsius, etiãsi infinities repetatur.

Ad Tertiã dico,in Matthæi verbis:*Hic est sanguis Testamenti*,accipi vocem Testamẽti 1.modo,id est,pro diuina promissione:in verbis autem Luc. *Hic calix Testamentum est*, accipi 2. modo,id est,pro instrumento illius promissionis. Itaque vtrumq; est verè ac propriè dictũ.

C

Ad Quartam dico,non esse absurdam loquutionem: *Hic calix Testamentum est in meo sanguine*, etiam si illud: *Hic calix*,significet, Sanguis in calice contentus. Nam sanguis accipitur diuerso modo in his duobus locis. Cùm enim dicitur:*Hic calix* sumitur sanguis in eo contentus,vt est sub speciebus vini,& est Sacramentum, ac proinde Testamentum: cùm autem dicitur, *In sanguine meo*, sumitur pro ipso sanguine visibiliter in cruce effuso,vt hic sit sensus, Hic calix, id est, res contenta in hoc calice sub speciebus vini,est nouum Testamentum dedicatum,& sanctum in sanguine meo.

D

Ad illud quod obiiciunt, necessariò distingui ea, quorum vnum est in alio,Respondeo,illud(*in*)hoc loco non significare continentiam,sed caussam instrumentalem:est enim positum(*in*)loco(*per*)vt sit sensus, Testamentum nouum in sanguine Christi sanciri, id est, per Christi sanguinem.Quomodo dicitur Rom 3. Christus propitiator in sanguine suo & Rom. 5. dicimur iustificati in sanguine Christi.& Eph.2.*Qui eramus longè,facti sumus propè in sanguine eius*.

Deniqve ad consequẽtias illas Caluini,dico non debere exponi Matthæum per Lucam,neq; contra,quia vterque propriè loquitur & satis apertè:tamen si tropus esset in illis verbis:*Hic calix Testamentum est*, deberet exponi per verba Matthæi,quæ sunt clariora:*Hic est sanguis noui Testamenti*: Potest tamen concedi Caluino, licere dicere,Hic est sanguis Testamenti,id est:*Hic calix Testamentum est in meo sanguine*. & etiam:*Hoc est corpus meum*, id est,Testamentum in corpore meo. Neque sequitur corpus accipi figuratè:quia, vt diximus, verum corpus, & sanguis Domini sub speciebus panis & vini, verè & propriè Testamentum sunt.

Nonvm argumentum,ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Nam memoria est rerum absentium; ergo panis & vinum non sunt corpus & sanguis, nec in ea mutantur, sed sunt mera symbola rei absentis; ergo corpus & sanguis figuratè accipiuntur pro signo corporis & sanguinis.Confirmatur,quia commemoratio mortis Domini est proprius finis symbolorum illorum Eucharistiæ:ipsius autem veri corporis alius est finis sublimior.At Dominus in institutione Sacramenti solùm meminit commemorationis,ergo corpus figuratè accipitur pro symbolo corporis.

Respondeo,quid sit,*in mei memoriam*, explicatũ esse à Paulo 1.Cor.11.illis verbis:*Mortem Domini annuntiabitis donec veniat*.Itaq; iubemur sumere Eucharistiam in memoriam Dominicæ passionis & mortis, quæ non præsens,sed absens est,immò non est, sed fuit. Ad confirmationem respondeo,Dominum meminisse vtriusq; finis.Nam cùm ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*. Et,*Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, apertè significat finem huius Sacramenti esse peccatorum remissionem. Addo, quòd de fructu Sacramenti huius multa dixerat Dominus, Io.6. vt necesse non fuerit hîc plura adiungere.

Decimvm argumentum ex illis verbis:*Non bibam amodò ex hoc genimine vitis, donec illud bibam nouum in regno Dei*. Hæc dicuntur post consecrationem;ergo etiam post consecrationem vinum fuit,quod erat in calice,ergo non fuit sanguis,nisi figuratè.

Respondeo, ex Luca apertè colligi verba ista pertinere ad calicem vini,quem dedit Apostolis Dominus post esum Agni Paschalis antè consecrationem mysteriorum, ac proinde alios duos Euangelistas non narrasse hoc suo loco. Nam in primis Lucas meminit duorum calicum,vnius ante consecrationem panis, alterius post consecrationem panis:& de priore non dicit:*Hic est sanguis*,vel,*Testamentum in sanguine*, sicut dicit de posteriore: de eodem autem priore dicit: *Non bibam de hoc genimine vitis*. Præterea coniungit Lucas ista verba:*Non bibam de genimine vitis*, cum illis, *Non manducabo ex hoc*, nimirum Paschate,*donec impleatur in regno Dei*. At certum est Pascha ibi vocari Agnum Paschalem, quo nomine vtuntur in hac significatione omnes tres Euangelistæ: ergo pertinent illa verba, *Non bibam de genimine vitis*,ad vinum,quod biberunt,cùm Agnum Paschalem comederent.

Dices,Matthæus, c.26. non facit mentionem, nisi vnius calicis, nimirum Eucharistiæ: ergo cùm ait: *Non bibam de hoc genimine vitis*,illud,*hoc*, refertur ad calicem Eucharistiæ, non ad alium: videtur enim valde absurdum, vt demonstret calicem alterum, de quo nihil omninò dixerat.Respondeo,Matthæum nõ demonstrasse vllum calicẽ ex duobus,sed simpliciter demonstrasse vinum,quod erat in mensa,vel quod biberant in cœna: tamen ex Luca colligimus,Dominum non solùm respexisse ad vinum, quod biberant, sed etiam ad certum quoddam poculum,quod ipse Apostolis porrexit in fine cœnæ Iudaicæ, dum imponeret finem legalibus, quod Matthæus,vt multa alia,prætermisit.

Si rursus obiicias Augustinũ, qui lib.3.de consensu

Euangelistarum, c.1, dicit, Lucam non narrasse historiam suo ordine, sed per anticipationem narrasse id, quod suo loco Matthæus, & Marcus narrarunt. Respondeo, Augustinum non expendisse hunc locum diligenter, vt ex eo patet, quòd breuissimè se expediuit ab hac difficultate. Porrò Hieronymus in c.26. Matthæi. Beda, & Theophylactus in c.22. Lucæ, apertè duo pocula distinguunt in cœna Domini, & de priore, quod erat Iudaicum, intelligunt illa verba: *Non bibam de genimine vitis.* Adde, quòd multò probabilius est (si nulla alia esset ratio) Matthæum, & Marcum non narrasse suo loco rem parui momenti, quàm Lucam non narrasse recto ordine summum mysterium. Denique, si conuinceremur, verba illa Domini, *Non bibã de hoc genimine vitis*, dicta esse post consecrationem calicis, adhùc nihil aduersarij obtinerent. Possent enim, ac deberent ea verba referri, non ad calicem consecratum, sed antea potatum, vt ea refert Anselmus in eum locum Matthæi: non enim voluit Dominus dicere, se non ampliùs celebraturum Eucharistiam, sed non se bibiturum more humano ad reficiendas vires.

CAPVT XII.

Probatur veritas corporis Domini in Eucharistia ex locis Scripturæ, quæ continent vsum huius Sacramenti, ac primùm ex cap. 10. prioris ad Corinthios.

VARTVM argumentum ex Scripturis sumi diximus ex his locis, quæ declarant vsum Eucharistiæ tempore Apostolorum. Sunt autem duo loca præcipua, quæ ad propositum faciunt. Vnus habetur 1. Cor. 10. in illis verbis: *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est?*

Ex hoc loco plura sumuntur argumenta ad veritatem Catholicam comprobandam. Primum, ex illis verbis, *Calix benedicti nomis, cui benedicimus.* Significatur enim his verbis, consecrationem necessariam esse ad hoc Sacramentum conficiendum, quæ tamen necessaria non esset, si tantùm contineret hoc Sacramentum figuram, seu repræsentationem sanguinis Domini: ad hoc enim sufficeret prima institutio, & voluntas Christi declarata in Scripturis. Nam Manna, & aqua de petra, & Agnus Paschalis erant etiam figuræ, & signa corporis Christi, immò & Sacramenta secundum aduersarios, eiusdem generis cum nostra Eucharistia, & tamen nulla erat necessaria consecratio ad hoc, vt Manna & Agnus Paschalis essent figuræ, vel Sacramenta.

ATQVE *hinc refellitur expositio Caluini, & Martyris in commentario huius loci, qui dicunt benedictionem calicis esse consecrationem, qua efficitur, vt vinum commune sit Sacramentum.* Nam si ita esset, vel quia Sacramentum est signum ad placitum, vel quia habet analogiam quandam ad rem signatam ex natura rei. Non primum, quia ad illud sufficit prima institutio. Non secundum, quia illa analogia cùm sit naturalis, est in re ante omnem consecrationem: quod enim panis & vinum alant corpora sicut Christi corpus, & sanguis animas, non habent ex consecratione, sed ex natura. Denique cur in aqua Baptismi nulla est necessaria benedictio, vt Baptismus sit Sacramentum? cur etiam in Manna, & aquâ de petra, & Agno Paschali? Neque dicere possunt, hanc benedictionem calicis esse similem illi, quam adhibemus in mensa communi ad benedicendos cibos. Nam illa adhibenda est, ne videamur ingrati creatori, & est vtilis, non autem planè necessaria: nam etiam sine benedictione cibi sapiunt, & nutriunt. At hîc fatentur etiam aduersarij necessariam esse consecrationem, vt vinum fiat Sacramentum.

SECVNDVM argumentũ sumitur ex illis verbis: *Panis quem frangimus.* Nam in mysterio Eucharistiæ fractio idem est, quod immolatio, siue oblatio, vt patet ex illis verbis Pauli, 1. Cor. 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Nã & Caluinus, & Martyr, & multi ex Catholicis referunt hoc ad passionem, & Caluinus disertis verbis dicit, Frangi, in eo loco idẽ esse, quod immolari. Ergo etiã hoc loco fractio erit immolatio: est enim verbum eiusdẽ auctoris, in eadem epistola, & de re eadem tractantis. Et confirmatur, quia Paulus calicẽ descripsit per verba consecrationis, non per verba distributionis: non enim dixit, calix, quem propinamus, sed, *cui benedicimus*: ergo etiam panẽ describere debuit per verba consecrationis, non distributionis. Ergo illud, *frangimus*, non significat distribuimus, sed offerimus & immolamus Deo, quod fit per verba cõsecrationis. Si autẽ frangere, est immolare, sequitur necessariò, vt vox illa, *panis*, nõ significet panẽ triticeũ, sed ipsum Christi corpus, quod est panis supersubstantialis, & cœlestis. Neq; enim panem triticeum immolamus, sicut etiã paulò infrà, cùm dicitur, *Vnus panis, vnũ corpus multi sumus*, non accipitur nomẽ panis pro pane triticeo, sed pro corpore Christi: non enim sumus nos panis triticeus, sed panis quidã mysticus, id est, (vt Apostolus exponit) vnum corpus Christi. Hinc autẽ euidenter probatur, Christi corpus verè esse præsens in cœna. Nã non immolamus panẽ (vt diximus) triticeũ, sed corpus Christi, neq; corpus Christi, vt est in cœlo, ergo vt est in ipsa mensa sub specie panis. Ad hoc argumentum responderi non potest, nisi admittendo duplicem æquiuocationem, vnam in verbo, *frangimus*, alteram in nomine, *panis*: quare id saltẽ obtinebimus, vt nostra explicatio sit censenda aptior, cum non admittat æquiuocationes, & Paulum per Paulum exponat.

TERTIVM argumentũ sumitur ex illis verbis: *Cõmunicatio sanguinis Domini.* Et, *Cõmunicatio corporis Domini est.* Vbi notandum est, vocem κοινωνία tripliciter accipi in Scriptura. Aliquando enim significat distributionẽ, vt Rom. 12, *Necessitatibus Sanctorum cõmunicantes.* Et hoc modo exponendum esse hunc locum negant aliqui Sacramentarij, vt Klebitius in solut. 1. arg. ne cogantur admittere, distribui cum specie panis ipsum Christi corpus. Sed Martyr, & alij, etsi ipsi quoq; Sacramẽtarij sint, non reiiciunt hanc expositionem. Nã satis putant se præsidij habere in suo tropo contra omnia argumenta: dicũt enim distribui quidẽ corpus Christi cũ specie panis, sed significatiuè, & spiritualiter tantùm. Aliquando κοινωνία significat societatem, seu cõfœderationem, vt Gal. 2. *Dederunt mihi & Barnabæ dexteras societatis.* Et hanc significationẽ videntur Caluinus & Martyr anteponere cæteris, vt sensus sit, calicis sacri potum signum esse societatis, quæ est omnibus fidelibus, qui eodem sanguine redempti sunt, atq; eodem etiã spiritualiter hausto nutriũtur. Deniq; aliquando significat participationem eiusdem rei, vt Eph. 4. *Tribulationi meæ communicantes*, id est, participes effecti. Et hanc significationem sequitur ex aduersariis Klebitius loco citato, & vt ipse dicit, etiam Melanchthon. Sed certè omnes videntur probabiles, & in idem recidere: siue enim sit distributio, siue confœderatio, siue participatio, omnium consensu, Paulus docet sumi in Sacramento corpus Domini.

SED tota difficultas est, an corporaliter, realiter, propriè sumatur sanguis & caro, an solùm significatiuè & spiritualiter. Quòd autem corporaliter & propriè, probari posset omnibus argumentis, quibus suprà probauimus propriè esse intelligenda illa verba institutionis: *Hoc est corpus meum*, sed illis omissis, tripliciter id probamus. Primò, quia sensus proprius & literalis semper est eligendus, nisi euidenter probetur contrarium. Neque debent à nobis petere aduersarij, cur sequamur proprium sensum verborum: simile enim id esset, ac si quis peteret ab iis, qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem, & tritam: nemo enim sanus id quærit, vel cur ingrediamur per portam, non per fenestram.

SECVNDÒ, quia sic exposuerunt veteres sancti, ac præsertim Chrysostomus quem alij sequuntur. Nam in commentario huius loci, id est, homil. 24. in priorem ad Corinth. exponens ista verba: *Calix benedictionis, &c. Horum*, inquit, *verborum hæc sententia est, quod est in calice, id est, quod à latere fluxit, & illius sumus participes.* & addit: Paulum noluisse dicere μετοχὴν, id est, participationem, sed κοινωνίαν, id est, communicationem, vt indicaret per hoc Sacramentum ita participari corpus, & sanguinem Domini, vt fiant vnum, participans, & res participata, intima quadam, & vera coniunctione, quomodo verè coniuncta sunt per Incarnationem verbum Dei, & caro. Certè Dei verbum, & caro non sunt cõiuncta figuratè, aut per fidem tantùm, sed verè, & realiter. Cyrillus quoque lib. 10. in Ioan. cap. 13. ex hoc loco probat, Christum per Eucharistiam nobis vniri non solùm per charitatem, sed etiam verè, & corporaliter.

TERTIÒ, probatur ex intentione, & proposito Apostoli, quod erat auertere Corinthios à sacrificijs Gentiliũ, & ab esu carnium immolatarum, vt patet ex toto cõtextu: auertit autem illos ostendendo mensam, & sacrificium longè præstantius, quo frui possunt. Illustrat autem rem totam Chrysostomus insigni similitudine. Sicut enim amans quispiam, cum videt personam à se amatam desiderare vestes, aut aliud aliquid alicuius alterius, continuò offert ipse sua illis meliora & præstantiora: ita etiã Apostolus, cùm videret Corinthios desiderare sanguinem sacrificiorum, & esum carnium immolatarum, vt eos reuocaret, ostendit illis mensam Domini, in qua sanguinem, & carnem habent sine comparatione præstantiorem. Sed si vera esset sententia aduersariorum, nihil Apostolus obtinuisset. Si enim vera caro, & verus sanguis non est in altari, sed tantùm figura & signum, non magis mouebit oratio Apostoli, quàm moueret qui personæ amatæ offerret vestem sericam depictam, vt eam auerteret à veste serica vera concupiscenda.

CAPVT XIII.

Idem probatur ex cap. 11. prioris ad Corinthios.

ALTER locus ad vsum Sacramenti pertinens habetur cap. 11. prioris ad Corinth. vbi præter verba institutionis, quæ suprà tractata sunt, habentur illa verba: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Et suprà: *Reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Hinc enim cõficitur hoc argumentum. Reprehẽduntur quidam, quod indignè recipiant corpus Christi, & inde dicuntur non vitam, sed iudicium haurire. At isti non recipiunt spiritu, & fide corpus Christi, quia vtiliter reciperent, si ita reciperent, ergo recipiunt solo corpore: ergo corpus Christi verè præsens est in Eucharistia, neque enim ore corporali sumi potest corpus Christi, vt est in cœlo.

ADVERSARII duobus modis eludere conantur hunc locum: dicunt enim eos, qui indignè accedunt, duplici de causa reos fieri corporis Domini, & iudicium sibi manducare. Primò, quia non recipiunt verè corpus Domini, quod eis in illis symbolis Deus offert, quod idẽ est, ac si illud in terram abiicerent, & conculcarent. Secundò, quia iniuria afficiunt symbola corporis Domini: iniuria autem symboli, seu imaginis refertur ad ipsum, cuius est symbolum, vel imago. Vtramque causſam breuiter attingit Caluinus, libr. 4. Instit. cap. 17. §. 33. fusiùs autem Petrus Martyr in comment. huius loci, vbi ponit exemplum statuæ principis, & Petrus Boquinus in libr. contra Heshusium, pag. 164. vbi etiam adfert exemplum Theodosij, qui grauissimè puniuit, qui vxoris suæ imaginem affecerant contumelia.

SED neutra causſa solida est. Ac, vt à posteriore incipiamus, miranda est inconstantia Caluinistarum. In causſa enim imaginum non putant se peccare in Christum & Sanctos, cùm eorum imagines demoliuntur, & rident Catholicos, cùm illis obiicunt, honorem & contumelias imaginum referri ad exemplar: nunc autem summum sacrilegium esse volunt indignè sumere figurata corporis Christi, quod ea iniuria in Christum ipsum redundet. Porrò Klebitius tam est sine mente, vt in eadem pagina in solut. 7. argum. inuehatur in eos, qui imagines Christi, & Sanctorum non demoliuntur, in qua dixerat peccare eos, qui indignè sumunt symbola corporis Domini, quia in Regem peccat, qui sigillo eius iniuriam facit, quia nimirum in sigillo ineſt Regis imago.

PRÆTEREA non censetur fieri iniuria imagini, nisi quando eo animo quis imaginem violat, vt illi iniuriam faciat: si enim alia de causſa imago discerpatur, conculcetur, maculetur, vt sæpissimè vsu venit in imaginibus, vel humi depictis, vel in vasis, vestibus, aliisq; eiusmodi rebus existentibus, nemo dicit violatum esse eum, cuius illæ imagines sunt. At qui Sacramentum Eucharistiæ percipiunt cum conscientia peccati lethalis, rei fiunt corporis Domini, & iudicium sibi manducant, etiamsi non accesserint animo Eucharistiam violandi: non igitur illa causſa est huius peccati, quòd Eucharistia sit figura corporis Christi.

AD hæc, si ideò peccarent, qui indignè sumunt Eucharistiam, quia illa Christum repræsentat, non liceret homini peccatori aspicere, vel tractare imaginem Christi depictam, neque verbum Dei audire. Nam ista etiam Christum repræsentant, & offerunt, immò opinione aduersariorum, meliùs verbi Dei prædicatio Christum nobis significat, & offert, quàm vllum Sacramẽtum. Et cur quæso, Manna, & aquam de petra sumebant promiscuè boni & mali, digni & indigni; & tamen non dicebantur vlli rei corporis Domini, neque iudicium sibi manducabant, licet illa etiam Christum repræsentarent, & offerrẽt eo modo, quo Eucharistia, aduersariorum sententia?

SI obiicias non licuisse in Testamento veteri homini polluto edere de carnibus sacrificij, Leuit. 7. nec de panibus propositionis, 1. Reg. 21. Respondeo, id pro nobis facere. Illa enim, quia erant typi quidam, & figuræ sacramenti Eucharistiæ, exigebant munditiam quandam corporalem, vt inde intelligeremus spiritualem mũditiam, quam exigit res figurata.

SI rursus obiicias, in Baptismo esse aquam veram, naturalem, & non Spiritum sanctum sub speciebus aquę, & tamen, qui aquam illam sine debita dispositione sumit in Baptismo, sine dubitatione peccat in Sacramentum Dei, & proinde etiam in ipsum Deum. Respõdeo, id quidem esse verum, peccare, qui Sacramentum quodcunque indignè, & sine dispositione sumunt, quia ponunt obicem gratiæ Dei, non autem quia materia illa significat, vel repræsentat aliquid sacrum. At in Eucharistia sumenda præter dispositionem, ne in vacuum Sacramentum recipiatur, requiritur etiam singularis quædam, & specialis reuerentia, & puritas. Quod patet tum ex verbis Pauli: *Reus erit corporis Domini: iudicium sibi manducat.* nihil enim tale de vllo alio Sacramento vsquam legimus nec vllus diceret reum esse Spiritus sancti, qui aquâ Baptismi indignè tractat: tũ ex pœna, qua puniebantur olim, qui Sacramentum Eucharistiæ indignè percipiebãt: nam vel ægrotabant, vel moriebantur, vt Apostolus testatur: *Ideò inter vos multi infirmi, & dormiunt multi*: & exempla aliqua refert Cyprianus in serm. de lapsis, qualia, de Baptismo nusquam inueniuntur: tum denique, quòd semper in Ecclesia diligentissimè cauerint, ne vlla particula Eucharistiæ in terram caderet. Tertullianus de coron. milit. *Calicis, aut panis nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur*: at aquam Baptismi ipsi proiicimus, dum baptizamus. Quare non ideò solùm honoranda est Eucharistia,

quia est Sacramentum, vel figura, vel signum corporis Domini, sed ob aliam longè maiorem causſam : nulla autem fingi potest, nisi quia ipsum Dominum verè continet: nam cætera communia sunt alijs Sacramentis, & figuris.

IAM altera causſa, quam adferunt aduersarij, cur Paulus reprehendat indignè sumentes Eucharistiam, quòd videlicet illi non recipiant verè corpus Domini, quòd sacra symbola illis offerunt, nihil habet probabilitatis. Nam Apostolus non dicit eos peccare, quòd non recipiant, sed quòd recipiant indignè: vbi crimen ponit in ipsa sumptione, non in omissione sumptionis.

PRAETEREA illa verba: *Iudicium sibi manducat, & bibit*, apertè indicant, ipsum, quod sumitur ab indignis, adferre illis mortem, cùm alijs adferat salutem: hoc enim est manducare iudicium, sumere aliquid, quod sumptum noceat.

PRAETEREA illa verba: *Non diiudicans corpus Domini*, quid aliud significare possunt, nisi non discernens corpus Domini, sed ita sumens, ac si nõ esset corpus Domini? vbi certè non negatur manducatio veri corporis, sed asseritur maximè.

PRAETEREA, si nolent impij sumere corpus Christi, non accederent ad Communionem: ergò cùm accedunt, non in eo peccant quòd nolunt corpus Domini, sed in eo, quòd illud volunt, cùm sint eo indigni.

DENIQVE omnes interpretes, atque omnes veteres ita hunc locum semper intellexerunt. Basilius libr. 2. de Baptismo. cap. 3. Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinth. prope finem, homil. 83. in Matthæum, & homil. 45. in Ioannem. Origen. homil. 2. in Psal. 37. Hesychius lib. 6. in Leuiticum, cap. 26. Hieronymus in 1. ca. Malach. Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius, & Theodoretus in cap. 11. primæ ad Cor. in eo ponunt peccatum, de quo loquitur Apostolus, quòd immundi ac sordidi purissimum Domini corpus sumere audeamus. Et Chrysostomus quidem addit exemplum de eo, qui purpuram regiam in lutum abiicit, qui non minùs peccare cẽsetur, quàm si eam scinderet. Theophylactus ponit exemplum de luce solis, quæ oculis ægris nocet, non quia non videtur, sed quia nimia lux offendit debiles & infirmos oculos. Oecumenius comparat indignè communicãtes cum ijs, qui Christum crucifixerunt, qui certè non solùm peccarunt, quia Christum vt Deum non receperunt, sed quia eundem iniuria grauissima affecerunt. Cyprianus serm. de cœn. Dom. *Vbi sacrum cibum mens perfida tetigit, & in sceleratum os panis sanctificatus intrauit, &c.*

Denique Augustinus li. 5. de Baptismo, c. 8. *Sicut*, inquit, *Iudas, cum buccellã tradidit Dominus, nõ malũ accipiendo, sed malè accipiendo, locũ in se Diabolo præbuit: sic indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. corpus enim Domini, & sanguis Domini, nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat.* & libr. 1. contra Cresconium, cap. 25. probare volens vsum malum rerum bonarum nocere: *Quid*, inquit, *de ipso corpore, & sanguine Domini, vnico sacrificio pro salute nostra, quamuis ipse Dominus dicat, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam, nonne idẽ Apostolus docet, etiam hoc perniciosum malè vtentibus fieri, cùm ait, Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*? Quo loco Augustinus apertissimè dicit, indignos peccare, quia sumunt ipsum corpus Domini, vnicum sacrificium salutis nostræ: certè autem vnicum sacrificium salutis non est symbolum panis, sed ipsum verum Domini corpus. Idem Augustinus in epist. 120. ad Honoratum, cap. 17. loquens de superbis, qui indignè communicant: *Et ipsi*, inquit, *adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quia non imitantur.* Vbi dicit, superbos licet sine fructu communicent, tamen percipere corpus Domini: & ne putemus eum loqui de corpore figuratè, id est, de pane, qui est signum corporis, dicit eos adorare id, quod sumunt, sed inde non saturari. Deniq; in epist. 162. vltra medium, *Tolerat*, inquit, *ipse Dominus Iudam Diabolum, furem, & venditorem suum: finit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles nouerunt, precium nostrum.* At certè non est precium nostrum, frustum panis, sed vera Christi caro.

SED obiicit Caluinus libr. 4. Instit. cap. 17. §. 34. quædam loca Augustini, vbi videtur sanctus ille Doctor negare sumi ab impijs corpus Christi. Tractat. 26. in Ioannem distinguit Augustinus visibile sacramentum à virtute, seu re Sacramenti: ac dicit ab impijs sumi tantùm visibile Sacramentum, non virtutem, aut rem Sacramenti: & Sacramentum quidẽ proponi omnibus, siue ad exitium, rem verò ipsam omnibus ad vitã, nulli ad exitium. Quòd autem per virtutem, & rem Sacramenti non solùm intelligatur gratia iustificans, sed etiam corpus Christi, probat Caluinus, ex antitheſi inter visibile & inuisibile. Nam corpus Christi non est visibile in Eucharistia, ergo non comprehenditur nomine Sacramenti visibilis, quod à bonis, & malis sumitur: sed nomine rei inuisibilis, quæ sumitur solùm à bonis.

RESPONDEO, S. Augustinus per virtutẽ seu rem Sacramenti, non intelligit corpus Christi absolutè, sed gratiam iustificantem, id est, effectum carnis Christi spiritualiter reficientis. Id patet tum ex eo, quod ibidem dicit, Patres Testamenti veteris in Manna de cœlo pluente sumpsisse virtutem, & rem Sacramenti, quam nos in Eucharistia suscipimus; Patres autem non sumebant ipsa carnem Christi, quæ nondum erat, sed sumebant effectum eius, id est, gratiam, quę dabatur ex merito passionis Christi futuræ: tum ex eo, quòd ibidem, cùm asserit impios non sumere carnem Christi, addit vocem, *Spiritualiter: Ac per hoc*, inquit, *qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus signum corporis & sanguinis.* Hæc ille. Porrò, corpus ipsum Christi sine effectu suo, id est, sine spirituali nutritione animæ, non distinguit Augustinus à visibili sacramento, sed simul cùm illo comprehendit, licet non sit visibile ipsum corpus, nisi in specie panis. Ratio, cur non distinguat corpus à signo visibili, est, quia non maiorem fructum percipiunt ex Communione, qui sic accipiunt corpus Christi, quàm si nihil perciperẽt, nisi solum signum. Ac ne miretur Caluinus, nos dicere comprehendi corpus Christi nomine signi visibilis, cogitet Scholasticos omnes dicere solitos Christi corpus sumi ab impijs Sacramentaliter tantùm, cùm tamen constet, à Scholasticis non negari, sumi ab impijs verè ipsum Christi corpus. Itaque Sacramentaliter tantùm, siue quod Augustinus dicit, in signo visibili tantùm non excludit corpus Christi, sed effectum corporis Christi.

SED obiicit alium locum ex tract. 59. in Ioannem, vbi Augustinus dicit, Apostolos cæteros manducasse panem Dominum, Iudam manducasse panem Domini. & serm. 2 de verb. Apost. *Tunc erit*, inquit Augustinus, *vnicuique corpus, & sanguis Christi, si quod in Sacramento sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.* Obiicit etiam alia loca, sed in eandem sententiam.

RESPONDEO, apud Augustinum sæpissimè illud solùm dici tale, & verè tale, quod habet effectum suum coniunctum: res enim ex fructu æstimatur. Itaque illos dicit verè comedere corpus Christi, qui vtiliter comedunt: quomodo etiam non vulgò dicimus aliquem nihil comedisse, qui tam parum comedit, vt non sufficiat ad eius vitam sustentandam, aut certè, quod comedit, non retineat, sed continuò eiicit. Idem etiam Augustinus lib. 4. in Iu-

lianum, cap. 3. cùm dixisset, opera virtutum sine fide esse mala, & vitiosa, explicat, se illud solùm appellare verum bonum, quod ad æternam salutem ducit. Et lib. 11. cõtra Faustum, cap. 7. ostendit in Scripturis ita sæpe accipi vocabula, vt non substantiam rei, sed qualitatem, vel effectum significent: vt 1. Cor. 15. dicuntur corpora post resurrectionem futura spiritualia: quia talia erunt quoad effectum, non quoad substantiam, & ibidem dicitur: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, vbi caro accipitur pro carnis corruptione: & 2. Cor. 5. *Si nouimus Christũ secundum carnem, iam non nouimus*, vbi etiam caro non substantiam carnis significat, sed mortalitatem. Sic igitur dicuntur impij non comedere corpus Christi, licet sumant Sacramentum Eucharistiæ, quia nihil eis prodest, nec inde nutriuntur, aut roborantur. Denique in serm. 2. de verbis Apostoli à Caluino citato, Augustinus dicit: *Illud manducare, reficiesti, illud bibere, quid est nisi viuere*: cùm ergo manducare apud illum eo loco sit reficiẽ, quid mirum, si dicat eos non verè manducare, qui non reficiũtur?

SED vrget Caluinus alium locum ex lib. 21. ciuit. ca. 25. vbi Augustinus refert quorundam opinionem, qui putabant impios quoscunque saluandos esse, modò non in Sacramento solùm, sed reipsa comedissent corpus Christi: refellit autem eam opinionem, atque affirmat impios non posse dici verè comedere corpus Christi, sed solùm Sacramento tenus.

RESPONDEO: eo loco per corpus Christi accipit Augustinus corpus Christi mysticum, cuius etiam Sacramentum est Eucharistia, vt ipse ibidem dicit. Nam opinio, quam refutat, ita accipiebat corpus Christi: dicebant enim illi non posse perire eos, qui Sacramentum percepissent, in vera Ecclesia constituti, quia eo modo non solùm Sacramentum sumebant vnitatis fidelium, sed etiam comedebant corpus Christi, id est, incorporati erant illi vnitati. Augustinus autem refellit ac dicit, neque etiam eo modo impios comedere corpus Christi, quia non possunt esse membra Christi, cùm sint membra meretricis: vbi tamen non negat impios esse de corpore Christi quod est Ecclesia, sed negat esse membra viua eius corporis. Itaque argumentum Caluini in manifesta æquiuocatione versatur. Sed de his hactenus.

CAPVT XIV.

Soluuntur argumenta aduersariorum deprompta ex verbo Dei.

NVNC tandem soluenda sunt argumenta, quę aduersarij ex verbo Dei proferunt, vt probẽt Christi corpus non esse reuera in Eucharistia. Proponam autem argumenta secundum ordinem librorum Scripturæ sacræ, memoriæ causſa.

PRIMVM argumentum sumunt ex illis verbis Psal. 113. *Deus autem noster in cœlo.* Et Isa. 66. *Cœlum mihi sedes est.* Ex his locis hoc argumentum instituit Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, parte 1. in 8. obiecto: *Christus vt homo post resurrectionem est in eadem sede cum Patre, quia sedet ad dexteram Dei: ergo sicut Deus Pater in cœlo sedem habet, ibique quærendus est, non in templo, vel pyxide, ita etiam Christus, nisi velimus, sedem Dei & cœlum in pyxide contineri.*

RESPONDEO, Argumentum hoc nihil omninò probare, vel potiùs contrarium probare eius, quod auctor intendit. Nam licet sedes Dei dicatur cœlum, quia in eo loco Deus manifestat gloriã regni sui: tamen etiam extra eum locum Deus inuenitur, cùm sit vbique: & falsum est Deum non esse quærendum, nisi in cœlo, cùm Act. 17. Paulus dicat, vbiq; posse quæri & inueniri Deũ, quia non longè est ab vnoquoque nostrũm: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Eodem igitur modo Christus homo, licet sit in cœlo, & ibi sedeat in throno regni, manifestans Angelis & beatis gloriam suam: tamen etiam extra cœlum esse potest, vbi ipse voluerit: non ergo dicimus cœlum esse in pyxide, sed Christum in cœlo, & extra cœlum esse posse.

SED vrget Martyr in solutione obiecti 48. hoc sophisma: *Christi corpus est in cœlo, Christi corpus est in Sacramento, ergo Sacramentum est in cœlo.* Et quia respondet Gardinerus vitiosum esse argumentum, cùm constet quatuor terminis, iterum Martyr affirmat, non esse nisi tres terminos, videlicet Christi corpus, existẽs in cœlo, existens in Sacramento: & duobus alijs argumentis contendit omninò sequi, vt Sacramentum sit in cœlo, si corpus Christi est in cœlo, vt Scriptura dicit, & etiam in Sacramento, vt nos dicimus. Secundum igitur argumentum est. *Esse idem corpus eodem tempore cum Sacramento, & non cũ Sacramento, contradictio est manifesta: ergo Christi corpus in cœlo erit etiam cum Sacramento, proinde Sacramentum erit in cœlo. nam si sit in cœlo sine Sacramento, erit eodem tempore cum Sacramento, & non cum Sacramento.* Tertium est in prima figura: *Omne Christi corpus, vel quidquid est Christi corpus, est in cœlo. Sed Sacramentum Eucharistiæ est Christi corpus, ergo Sacramentum Eucharistiæ est in cœlo.*

RESPONDEO, in primo argumento verè sunt quatuor termini, vt Gardinerus dixit. Nam in conclusione: *Ergo Sacramentum est in cœlo*, non accipitur, existens in Sacramento, qui fuit tertius terminus in præmissis, sed ipsum Sacramẽtum, qui est quartus terminus: aliud enim est esse in Sacramento, aliud esse Sacramentum. Itaque vel ita concludi debuisset: Christi corpus est in cœlo, Christi corpus est in Sacramẽto, ergo quod est in Sacramento, est in cœlo: sicut, ergo res existens in Sacramento, est res existens in cœlo. Et hoc est verum, sed non inde sequitur, ergo Sacramentum est in cœlo, cùm aliud sit Sacramentum, aliud res existens in Sacramento.

SECVNDVM argumentum nihil concludit: quia ex eo, quòd Christi corpus est in cœlo, vbi non est Sacramentum, non sequitur Christi corpus esse cũ Sacramento: sed tantùm sequitur Christi corpus esse in Sacramento, & extra Sacramentum, vel esse cum Sacramento, & esse sine Sacramento, vel esse non cum Sacramẽto. Quæ omnia sunt vera, & nullo modò contradicentia, cum omnia sint affirmantia: contradicentium enim altera negare, altera affirmare debet. Idem videmus in similibus. Nam ex eo, quòd idem Deus eodem tempore est in cœlo, & in terra, & in cœlo non est Deus cum terra, nec in terra est cum cœlo: non colligimus, ergo Deus est in cœlo, & non est in cœlo, vel est cum cœlo, & non est cum cœlo: sed solùm colligimus, ergo Deus est in cœlo, & extra cœlum, & cum cœlo, & sine cœlo. Idem apparet in anima, quæ simul est in capite, & pedibus, cùm tamen nec pedes sint in capite, nec caput in pedibus.

TERTIVM argumentum est quidem in prima figura, si accipiatur corpus Christi pro corpore Christi naturali, & mystico: sed tunc est falsa propositio: *Omne corpus Christi est in cœlo*: nam Ecclesia militans est corpus Christi, & non est in cœlo. Si verò accipiatur corpus Christi pro solo naturali corpore, tunc vera est propositio, sed non est vniuersalis, neque argumentum esse potest in prima figura. Non enim propositio est vniuersalis, nisi signum illud (*Omne*) addatur ad terminum singularem: idem enim est, Petrus, & Omnis Petrus, si de vno tantùm loquaris. Præterea etiam assumptio est falsa. Non enim Sacramentum Eucharistiæ est corpus Christi, sed cõtinet corpus Christi: Sacramentum enim est signum sensibile.

SECVNDVS locus est Matth. 15. *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Sed corpus Christi non emittitur in secessum, sed solus panis, ergo non intrat corpus Christi in os, sed solus panis.* Argumentum est Petri Martyris in lib. contra Gardinerũ, 1. par, obiect. 88.

RESPONDEO cum Algero initio secundi libri, ad similia obiecta oportuisse quidem aures obturare, & nihil respõdere: tamen ob hæreticorum opportunitatem, ac ne pusilli scandalizentur, breuiter argumento satisfaciendum. Dico igitur, apud Catholicos quæstionem esse Physicam, quid fiat de speciebus corruptis in stomacho, de qua nos hoc loco non disputamus: de corpore autem Christi, de quo solo disputationem instituimus, nullam esse quæstionem, sed certum esse Christi corpus intrare per os Communicantium, & tamen non emitti in secessum, sed corruptis in stomacho speciebus sine vlla sui læsione desinere ibi esse: sicut ante consecrationem panis sine vllo detrimento suo ibi non erat. Solùm igitur quæstio manet de verbis Domini, quomodo cum illis cohæreat, quod dicimus, aliquid per os intrare, & in secessum nõ emitti. Sed solutio apertissima est. Loquitur enim Dominus de cibis, qui sumuntur ad alendum corpus: illi enim ordinariè eum cursum tenent, quem Dominus describit. Quare ipse Dominus post resurrectionem verè comedit & bibit, vt testantur omnes Euangelistæ in vlt. cap. Euangelij, & Petrus Act. 10. & tamen non emisit cibos in secessum, quia non comedit ad nutriendum corpus, sed vt ex actione illa vitalis manducationis probaret se verum, & viuum corpus habere. Sic igitur corpus Christi, quod à fidelibus manducatur, non ad corpus nutriendum, sed ad animam sustentandam, vt Ambrosius dicit lib. 1. de Sacramentis, cap. 4. non est necesse vt corporaliter digeratur, vel in secessum emittatur.

EXCIPIT Petrus Martyr, exemplum allatũ de Christo comedente post resurrectionem, non esse ad rem, quia Dominus loquebatur Matt. 15. de hominibus mortalibus comedentibus, non de immortalibus. At sicut ipse restringit verba Domini ad manducantes mortales, ita nos restringere possumus ad cibum corruptibilem, quale non est corpus Christi quod in sacramento sumimus. Et præterea exemplum nostrum maximè est ad rem. Nam Dominus si tantùm loquebatur de mortalium manducatione, ideò de eis tãùm loquebatur, quia illi soli comedunt, vt nutriantur: quocirca per se loquebatur de omnibus, qui comedunt vt nutriantur, per accidens autem loquebatur tantùm de mortalibus. Nam si immortales indigerent nutritione, certè etiam ipsi post comestionem digererent cibũ, & egererent excrementa: sicut è contrario cùm aliquis mortalis comedit, & inde non nutritur, sed euomit quod comederat, quod intrauit per os, in secessum non vadit. Exemplum igitur Christi comedentis post resurrectionem, aperrissimum est ad demonstrandum eũ solum cibum intrare per os, & in secessum emitti, qui sumitur ad corpus nutriendum.

TERTIVS locus est Matth. 24. *Si dixerint vobis, Ecce hic, aut illic est Christus, nolite credere. Non igitur credendum est, cùm dicunt (Papistæ) Ecce in illo Altari, aut in illa pyxide est Christus.* Argumentum est eiusdem Petri Martyris in lib. contra Gardinerum, 1. parte, obiect. 9.

RESPONDEO, Monet Christus, vt caueamus impostores, qui se nomine Christi venditabunt: subiungit enim: *Surgent Pseudochristi, &c.* Sed duabus conditionibus describit hos impostores, quæ omnino repugnant Eucharistiæ, vt nulla probabilitate trahi possit hic locus ad Eucharistiam. Primò dicit, eos impostores clanculum venturos, non apertè & manifestè, vt patet ex illis verbis: *Ecce in deserto est, ecce in penetralibus.* Vnde etiam opponit his clancularijs Pseudochristis aduentum suum toti orbi terrarum conspicuum, quem comparat fulgori solis: nemo enim dicit, Hîc est sol, aut ibi est sol: nam vix apparuit supra Horizontem, cùm totum hemisphærium splẽdore impleuit, vt non sit opus indicare vbi sit. Secundò dicit, eos venturos visibiliter, & more humano loquentes, & tractantes cum hominibus, licet in angulis, & penetralibus: nam dicit fore homines, qui verbis & falsis prodigijs decipiant. Vtraque conditio deest Eucharistiæ. Nam inprimis non in deserto aut penetralibus, sed in medijs vrbibus, in frequentissimis templis, in editis & conspicuis altaribus consecratur, & asseruatur. Et præterea licet ita publicè in toto mundo Eucharistia habeatur, & honoretur, tamen Christus nó visibiliter, nec more humano ibi adest, neque prædicat, aut miracula facit, sed ita est ibi, ac si non esset, quod attinet ad iudicium exteriorum sensuum.

SED instat Petrus Martyr: *Licet Christus non loquatur eo loco de Eucharistia, tamen rectè adfertur iste locus cõtra Papistas errantes circa Eucharistiam. Nam Christi mẽs eo loco fuit, admonere fideles, ne temerè credendo decipiantur, & pro vero Christo recipiant impostores: at non minus periculum imminet, si Christum in pane esse credant, & creaturam pro creatore adorent.* At probare debuit, non assumere, idem esse periculum. Siquidem magnum imminet periculum, si credamus alicui homini prædicanti in deserto se esse Christum; cùm Dominus apertè monuerit, se non venturum more prædicatoris, aut Prophetæ clancularij, sed solùm more iudicis, idque in nubibus cœli manifestissimè. Nusquam autem Christus monuit, se non futurum inuisibiliter in sacramento: immò contrarium dixit, tum per se, cùm ait, *Hoc est corpus meum*, tum per Ecclesiam, cui vt obediremus, imperauit.

QVARTVS locus est Matt. 26. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Vrgent hunc locum vehementer, Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 26. & Martyr contra Gardiner. in 2. obiect. *Nam si verè Christus est in Eucharistia*, inquit Martyr, *contraria sententia erit vera, nimirum: Pauperes non semper habebitis, me autem semper habebitis. Nam post resurrectionem non habebimus pauperes, sed in hac vita tantùm, atque ita non semper habebimus: Christum autem, & hîc in omnibus templis, & in alia vita in cœlo semper habebimus.* Et quia Catholici fortè respondere possent, hîc agi de præsentia Christi pauperis, & egentis hominum obsequijs, qualis nunc nõ habetur à nobis: contrà illi probant, Christum hoc loco se à pauperibus distinxisse, cùm ait: *Pauperes semper habebitis, me autem non semper*, Nec loqui eum de obsequio vtili, sed de cultu, & honore: nam ideò Apostoli murmurabant, quia viderant subtractum precium pauperum necessitatibus, & effusum in cultum, & honorem quendam, quo Christus non egebat, neque eum requirebat. At eiusmodi cultum adhuc possemus exhibere Christo præsenti, si in Eucharistia adesset. Quare necesse esse cõcludunt, vt vel non sit Christus in Eucharistia, vel falsa sint illa verba: *Me autem non semper habebitis*, id est, ita præsentem, vt rebus pretiosis corpus meũ honorare possitis. Addit Martyr, Christum his verbis aperte notasse Papistarum idololatriam, qui Eucharistiam honorant auro, argento, suffitu, aliisque rebus pretiosis. Denique, tum Caluinus, tum Martyr, confirmant expositionem suam ex Augustino, qui tract. 50. in Ioan. conferens hunc locum: *Me autem non semper habebitis*, cum illo: *Vobiscum sum omnibus diebus*, dicit, priorem locum intelligi de præsentia carnis, posteriorem de præsentia maiestatis.

RESPONDEO, Loquitur Dominus de præsentia sua corporali, ac visibili, & secundum eum statum in quo aliquid vtilitatis corporalis ab hominibus recipere poterat. Id patet, quia loquitur de obsequio à Maria sibi præstito in illa vnctione, ac dicit non semper se ita fore præsentem vt tale obsequium recipere possit. Porrò Magdalena vnxit certam partem corporis, quam videbat, & tangebat; proinde more humano cum ea versabatur Dominus. Præterea loquitur Dominus de præsentia, qua habemus nobiscum pauperes: id enim requirit antithesis: *Pauperes semper habebitis, me autem nõ semper*, id est, eo modo, quo habetis pauperes, id est, visibiliter, & more humano conuersantem. Neque illud Magdalenæ obsequium fuit

solius honoris, sed etiam commodi, & vtilitatis, siue respiciamus intentionem Mariæ, siue intentionem Spiritus sancti illam mouentis. Illa enim sine dubio id fecit ad refocillanda Christi membra ex laboribus fatigata: Spiritus sanctus autem intendebat etiam per hoc Mariæ ministerium significare Christi mortem, & sepulturam imminere: sic enim Dominus ait, *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Vnctio autem corporum non est tantùm honoris, sed etiam vtilitatis, quia conseruat, & odorem tribuit. Secundum præsentiam igitur talem, id est, visibilem, & obsequio indigentem, non habemus nunc Christum: nec tamen carentia huius præsentiæ repugnat præsentiæ eiusdem Christi in Eucharistia, quæ est inuisibilis, & nullo indigens obsequio. Nam si Dominus Lucæ vlt. dixit: *Hæc loquutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum*, vbi significauit, se non esse iam cum illis, quia non versabatur ampliùs cum eis more humano, licet verè & visibiliter adesset: quantò magis nos dicere possumus, Christum non esse iam nobiscum iuxta illud: *Me autem non semper habebitis*, cùm non modò non versetur nobiscum more humano, sed ne adsit quidẽ visibiliter?

EX his ruunt omnia obiecta aduersariorum. Nam inprimis non sunt contrariæ sententiæ, vt Martyr obiiciebat: *Pauperes semper habebitis, me autem non semper*, &, Pauperes non semper habebitis, me autem semper. Nam si intelligantur de diuerso modo præsentiæ, ambæ sunt veræ.

DEINDE falsum est, quod illi assumebant, posse Christo exhiberi obsequium tale in Eucharistia, quale exhibuit Maria. Nam (vt paulò antè ostendi) illud obsequium fuit non solius honoris, sed etiam vtilitatis, qualis obsequij nunc Dominus capax non est. Et præterea illa obsequium præstitit Christo visibiliter præsenti, & vnxit certa membra, quod nos facere non possumus: immò si quid valeret obiectum aduersariorum, sequeretur Christum, ne in cœlo quidem nunc esse. Nam etiam in cœlo existentem possumus honorare auro, argento, suffitu, ac similibus rebus, vt honoramus in Eucharistia. Nec enim suffitum adhibemus, vt oblectemus nares Christi: vel aurum, vt oblectemus eius oculos corporales: sed adhibemus ista extrinsecus ad species illas panis & vini, vt testemur pium affectum erga ipsum, sicut etiam facimus, cùm ornamus templa, cruces, imagines, & alia vel loca, vel instrumenta, etiam absente Eucharistia.

QVOD autem Martyr dicebat, notari à Christo Papistarum idololatriam, qui auro honorant Eucharistiam, multò nos meliùs retorquemus in ipsum. Dominus enim dum factum Mariæ laudauit, satis apertè docuit cultum sui corporis anteponendum esse aliquando eleemosynis in pauperes. Et Theophylactus in cap. 14. Marci scribit, eos Iudæ Iscariotis socios esse, & cum eo à Domino reprehendi, qui discum aureum, in quo iacere solet Christi corpus in sacra mensa, dant pauperibus, & in viliori vase illud reponunt. Quod tamen intelligitur, quando non ea vrget calamitas pauperum, vt aliter prouideri non possit eorum necessitati,

DENIQVE ad locum Augustini, respondeo; Per carnis præsentiam intelligere Augustinum præsentiam visibilem Christi, more humano inter homines conuersantis: ita enim ipse se explicat: *Non semper habebitis*, inquit, *me vobiscum. Quare? quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis, & eis deducentibus videndo, non sequendo, ascendit in cœlum.* Et infrà: *Habuit illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt.* Hæc ille. Vbi indicat præsentiam carnis vocari, quando Christus oculis videbatur, quam certè modò nõ habemus: nam Christum in Eucharistia fide tenemus, oculis non videmus. Adde, quòd Augustinus ibidem non tacuit præsentiam Domini in Eucharistia. Dixit enim nunc adesse tribus modis, per maiestatem, per prouidentiam, & per ineffabilem atque inuisibilem gratiam: sub quo vltimo membro, etiam Caluino teste, includitur præsentia Domini per Eucharistiam. Sed intelligit ipse more suo non de reali præsentia, sed per signum, aut fidei apprehensionem. Verùm id repugnat eidem Augustino, qui superiùs in eodem tractatu scribit, Christum non esse præsentem per fidem, per signum Christi, id est, per signum crucis, per Baptismum, & per Eucharistiam: vbi distinguit Eucharistiam à signo, & apprehensione fidei.

VBI etiam notandum est, fidem, signum crucis, & Baptismum non requirere realem præsentiam Christi, vt requirit Eucharistia. Nam fide apprehendimus etiam absentia, signum crucis repræsentare potest etiam absentia: in Baptismo adest Christus vt regenerans: potest autem regenerare, etiamsi corpore absit, quemadmodum Sol manens in cœlo, gignit herbas in terra. At in Eucharistia Christus adest, vt cibus reficiens, dum manducatur: non potest autem cibus manducari, & reficere, nisi reipsa sit præsens.

QVINTVS locus est Marci vltimo: *Assumptus est in cœlum, & sedet ad dexteram Dei.* Item Act. 1. *Videntibus illis eleuatus est, &c.* & Act. 3. *Oportet illum cœlum suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium.* Philip. 3. *Conuersatio nostra in cœlis est, vnde etiã Saluatorem expectamus.* Hinc ita argumentatur Caluinus lib. 4. cap. 17. §. 27. *Scriptura testatur Christum, quod attinet ad naturam humanam ascẽdisse in cœlum, ibique mansurum vsque ad diem iudicij, & tunc demum, & non antè ad inferiora hæc loca rediturum: non igitur verum est tam sæpe descendere, vt sit in Eucharistia, vt Papistæ volunt.*

RESPONDEO, Hoc argumentum, quod videtur aduersarijs insolubile (vnde perpetuò clamant nos destruere vnum articulum Symboli) nullam reuera difficultatem habet. Nos enim fatemur Christum, quoad naturam humanam ascendisse in cœlum, ibique nunc esse, & futurum vsque ad diem iudicij, neque antè descensurum. At negamus consequentiam: *Ergò nõ est verè in Eucharistia.* Non enim vt sit in Eucharistia, debet cœlum deserere, aut descendere motu locali, sicut etiam voluit apparere Paulo Act. 9. & Petro cùm ei dixit: *Vado Romam iterum crucifigi*, & alijs Sanctis frequenter, non cœlũ deseruit, sed solum se constituit, vbi voluit, & quomodo voluit. Non igitur de articulo Ascensionis vlla quæstio est, sed potiùs de articulo omnipotẽtiæ, vtrum scilicet Christus possit se in pluribus locis constituere, & sit verè omnipotens, an id non possit: de qua re suo loco disseremus.

At, inquit Caluinus, *è cœlo illum exspectare iubemur, non igitur in terris quærere.* Respondeo, Expectare iubemur, vt veniat cum gloria, reformaturus corpora nostra, nundum iudicaturus, &c. cum qua expectatione non pugnat inuisibilis præsentia ad nos interim reficiendos.

SEXTVS locus est Luc. 24. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Caluinus lib. 4. cap. 17. §. 29. ita argumẽtatur: *Veritas carnis, Christo teste, probatur aspectu & contactu. At in Eucharistia nihil videtur, aut tangitur, nisi panis: nõ igitur ibi caro, sed panis est.* Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum obiecto 123. alio modo cõsequentiam deducit. *Si posset fieri, vt sensus fallerentur, & aliquid panis videretur, & esset caro: Christi argumentum infirmum fuisset, cùm probauit se carnem habere, quia videri, & tangi poterat: potuisset enim responderi, videri quidem sensuum iudicio esse carnem. Sed tamen aliud quidpiam esse.*

RESPONDEO ad Caluinum, aliud esse affirmatiuè colligere, Hoc palpatur & videtur, ergo corpus est, aliud negatiuè, Hoc non palpatur, nec videtur, ergo non est corpus. Prior consequentia optima est, quam Dominus facit. Siquidẽ nullo modo fieri potest, vt res incorporalis

videatur, aut tangatur sensibus corporalibus, nec sensus fallũtur circa proprium obiectum. Itaq, necessariò quod videtur & tangitur, corporale est. Posterior consequentia, quam Dominus nunquam facit, sed Caluinus facit, mala est. Potest enim fieri, vt verum corpus sit, præsens, & non tangatur, nec videatur, quia tectum est alio corpore, vel quia Deus impendit, ne species sensibiles ad sensus transmittat: quomodo Luc.4. ipse transiens per medium illorum ibat, qui eum de monte præcipitare volebant. Et de S. Gregorio Thaumaturgo scribit Nyssenus in eius vita, & de S. Felice Nolano Paulinus in natalibus eius, interdum eos persequutoribus occultaros, vt nulla re interposita præsentes non viderentur, aut sentirentur. Addo etiam, posse diuina virtute fieri, vt corpus existat more spirituum indiuisibiliter, vt videri, ac tangi nullo modo possit, cùm tamen fieri nequeat, vt spiritus existat more corporum diuisibiliter. Sed de hoc infrà dicemus: nunc satis est ostendisse non esse bonam consequentiam, Non videtur, aut tangitur, ergo non est corpus: licet optima sit, Videtur, & tangitur, ergo corpus est.

Iam ad Petrum Martyrem respondeo, Sensus corporales falli non posse circa proprium obiectum, falli tamen posse circa id, quod latet sub obiecto sensuum, quod tamen magis conuenit sensui interno, quam externo. Sæpe enim accidit vt pictores decipiant oculos, vel imaginationem intuentium, cum aliquid ad viuum exprimunt: quod de vllo refertur, qui ita scitè vuas depinxit, vt ad illas, aues occurrerent, quasi veræ essent vuæ. Et in Scripturis, qui videbant, & tangebant assumpta ab Angelis corpora, Gen.18. & 19. non fall. bantur, cùm se corpus videre & tangere credebant: fallebantur tamen, cùm se corpus humanum tangere & videre existimabãt. Sic etiam in Eucharistia, non falluntur sensus nostri, cùm nos album quid, rotundum, solidum sentire arbitramur: falluntur tamen cum nobis substantiam panis, sub illis accidentibus latere denunciant. At non propterea infirmum fuit argumentum Domini, sed efficacissimum. Solùm enim probare voluit Dominus, se non esse inane spectrum, aut vmbram, seu phantasma, vt Apostoli suspicabantur, sed verum corpus: id verò ex testimonio sensus tangendi optimè probauit: illud autem corpus esse humanum, viuum, idem quod antea fuerat, non probauit Dominus hoc solo argumento ex tangẽdi sensu deprompto, quod sine dubio non erat sufficiens; sed multis alijs modis, loquendo, manducando, testimonio Angelorum, miraculo piscium, allegatione Scripturarum, &c.

Septimvs locus est Ioan.6. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam.* Hoc est potissimum fundamẽtũ Zwingly, in li. de vera & falsa religione, c. de Eucharistia; hunc enim locum vocat murũ aheneum, & adamantem infractum. Petrus etiam Martyr in libr. contra Gardinerum obiecto 34. eodem hoc loco vritur, atque ita argumentum deducit: *Capharnaitæ putabant Christi carnem corporaliter manducandam, vt nunc arbitrãtur Papistæ. At Christus errorem illorum reprehendit, cùm ait: Caro non prodest quidquam: significat igitur Dominus carnem suam non corporaliter manducandam, sed sola fide spiritualiter.*

Respondeo; Murum istum non modò non aheneum, aut adamantinum, sed vix luteum dici posse. Nam in primis etiamsi Christus loqueretur de carne sua, & eam diceret nihil prodesse: non tamen rectè colligeremus, non esse veram carnem in Sacramento, idque propter duas causas. Primò, quia eodem modo concludi posset, non esse panem in Sacramẽto: nam si caro Christi non prodest, multò minùs panis triticeus proderit. Secũdò, quia si de carne sua hoc Dominus dixisset, certè non intellexisset eam absolutè non prodesse, sed non prodesse, si sola sit, id est, absque spiritu eam viuificante, vt exponunt Augustinus & Cyrillus; alioqui enim si caro

A Christi non prodesset manducantibus eam, quomodo in eodem capite Dominus dixisset? *Qui mãducat meam carnem, habet vitam æternam.* &, *Nisi manducaueritis, non habebitis vitam in vobis.* Et denique summa impietas est, negare Christi carnem diuinitati vnitam nihil prodesse, cui totam nostram salutem B. Paulus tribuit, dum Colos. 1. dicit, nos Deo reconciliatos per carnem Christi. Cùm igitur in Sacramento nos esse credamus non nudam carnem, sed vnitam diuinitati, & per spiritum Dei viuam, & viuificantem; nihil facit contra nos illud: *Caro non prodest quidquam.*

Sed præterea est alia solutio. Nam verus, & literalis sensus eorum verborum, non est, quòd caro Christi, siue substantia carnis non prosit, sed quòd carnalis intelligẽtia non prosit, vt exponunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius in hunc locum; necnon Origen. in li. 3. in epist. ad Roma. explicans illa verba cap. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* & Cyprianus in serm. de cœna Domini, & alij. Vocatur enim eo loco nomine carnis, humana & carnalis cogitatio, vt distinguitur à cogitatione spirituali, & ex fide, atque inspiratione cœlesti excitata.

Id probatur primò, quia caro in Scripturis vbicunque distinguitur contra spiritum, vel contra aliquid sublimius, non significat substantiam carnis, sed vel infirmitatem, vel corruptionem, vel (vt dixi) humanam & carnalem cogitationem: quæ omnia in idem ferè incidunt: siquidem ex corruptione est, vt homo humano suo sensu de rebus diuinis iudicare velit. Genes. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro sunt*, id est, carnales, infirmi. Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Roma. 8. *Qui secundum carnem ambulant, & non secundum spiritum: & Qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* & *Prudentia carnis mors est, prudentia spiritus, vita, & pax.* Gal. 1. *Non acquieui carni, & sanguini.* Hoc ergo modo caro non prodest quidquam, id est, cogitare, & intelligere mãducationem carnis Christi humano & carnali modo, quasi scindenda esset in partes, & coquenda, ac masticanda, & conuertenda in propriam substãtiam per actionem caloris naturalis.

Secvndò idem probatur ex occasione, quam habuit Dominus, vt diceret ista verba. Occasio enim fuit error Capharnaïtarum, qui non solùm cogitabant, quod Martyr dicit, veram carnẽ Christi nobis promitti, quod est verissimum, sed cogitabant eam manducandam eo modo, quem illis suggerebat proprium iudicium, & humanum experimentum, vt Augustinus, & alij exponunt, nimirum quo modo comeduntur aliæ carnes. Huic enim errori aptissimè respondet hæc Domini sententia: idem enim est ac si dixisset, Animalis homo non assequitur diuina mysteria.

Tertiò probatur ex verbis sequentibus, subiungit enim immediatè: *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, id est, sunt verba explicantia, & tradentia res diuinas spirituales, vitam æternam adferentes, propterea non debent humano sensu accipi, sed fide, & intelligentia à Deo inspirata: quasi dicat Dominus, Non mirum est si vos non intelligitis, quia vos humana cogitatis, & ego loquor diuina. Quomodo etiam Ioan. 3. cum Dominus loqueretur de mysterio regenerationis, & Nicodemus cogitaret carnalem quandam natiuitatem ex vtero matris, reprehẽdit eum illis verbis: *Qui de terra est, de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est*, id est, tu homo terreus, terrena cogitas, & loqueris: ego qui de cœlo veni, loquor ea, quæ superant captum omnium hominum: & ideò fide diuina, nõ humano iudicio hîc opus est. Idem etiam colligitur ex alijs sequentibus verbis: *sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt.* Ista enim verba nullo modo cohærent cum illa explicatione: *Caro non prodest quidquam*, id est, non prodest manducare carnem in

Sacramento. Quæ enim est ista connexio? Non prodest manducare carnem in Sacramento: sed sunt ex vobis qui non credunt. At cum nostra explicatione aptissimè cohærent. Idem enim est, ac si diceret: Caro non prodest ad credendum, sed spiritus fidei: ideò quidam ex vobis non credunt, quia non habẽt spiritum, sed toti sunt caro, & carnali iudicio res diuinas metiuntur. Vnde etiam consequenter adiungit: *Propterea dixi vobis, quia nemo potest ad me venire, nisi Pater meus traxerit illum.* Vbi videmus Dominum semper loqui de intelligentia spirituali, quæ datur à Deo ijs, qui credunt verbis ipsius, & opponitur humanæ cogitationi, & sapientiæ.

A

Vbi etiam illud est obseruandum, istam sententiam: *Caro non prodest quidquam*, ideò adferri vt murum aheneum contra Sacramentum ab hæreticis, quia verè caro sunt ipsi, & caro non modò non prodest quidquam, sed etiam plurimùm obest: est enim radix, & quasi parens omnium hæresum. Ideò enim hæretici sunt hæretici, quia nolunt subiicere iudicium suum verbo Dei, sed humana sua ratione omnia metiri volunt, & præsertim Sacramentarij. Causa enim præcipua cur non credant, est, quia humana ratio, qua sola ducuntur, non assequitur arcana Dei, & ipsi nihil volunt credere, nisi quod intelligunt. Prætexunt quidem Scripturas, sed tota quæstio est de sensu Scripturæ, in quo assequendo nolunt illi Ecclesiæ acquiescere, ad quam nos Scripturæ apertissimè mittunt, sed iudicio suo niti volunt. Itaque Apostolus Gal. 5. inter opera carnis hæreses numerauit.

B

Octavvs locus est Ioan. 12. *Vbi sum ego, illic & minister meus erit. At sancti non sunt in Eucharistia, igitur neque Christus ibi est.* Hoc argumentum satis indicat inopiam solidarum rationum, qua laborant aduersarij: neque enim ad has ineptias descenderent, si aliquid solidi proferre possent.

Sed tamen respondeo, Primò, Christum non dixisse, Vbicunque ego sum, sed, *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Satis igitur est, si Sancti alicubi sint cum Christo, etiamsi non sint vbicunque est ipse, alioqui etiam in cruce cum ipso omnes esse debuissent. Secundò, certum est, Christum illis verbis promisisse consortium regni, & gloriæ: sic enim ait clariùs Ioan. 17. *Pater, volo vt vbi sum ego, & isti sint mecum, vt videant claritatem meam.*

Sed instat Petrus Martyr contra hanc solutionem in libro contra Gardinerum obiecto 37. *Vel Christus in Eucharistia est in gloria Patris, vel non: Si est, igitur etiam Sancti cum illo in Eucharistia esse debent: si non est, impiè faciunt, qui eum à gloria Dei Patris ad hæc inferiora deuocant.*

Respondeo, Sophisticè argumentari Pseudomartyrem istum: siquidem Christum in Eucharistia esse in gloria Patris, dupliciter intelligi potest. Vno modo, vt dum est in Eucharistia, videat Deum sancta illa anima, & proinde sit etiam in gloria Patris, & hoc modo Christus in Eucharistia est in gloria, nec enim vnquam, aut vsquam gloria priuatur. Altero modo, vt esse in Eucharistia, sit illi gloria, & beatitudo, & hoc modo in Eucharistia non est in gloria: nec enim species illæ sunt gloria Dei Patris, non igitur opus est, vt Sancti sint in Eucharistia, vt sint cum Christo in gloria. Addo autem secundum sanctorum Patrum doctrinam, Christo in Eucharistia existenti adesse semper choros Angelorũ, vt apertè testatur Chrysostomus libro sexto, de Sacerdotio, & homilia 65. ad populum Antiochenum, & Ambrosius in caput primum Lucæ, in illa verba: *Apparuit illis Angelus:* & Gregorius libro 4. Dialog. cap. 58.

C

Nonvs locus est Ioan. 14. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ac ne forte respondeamus, Dominum reliquisse mundum visibiliter, sed mansisse tamen in mundo inuisibiliter, occurrit Martyr libro contra Gardinerum obiecto 3. & Caluinus libro 4. institut. cap. 17. §. 26.

D

ac probat id non rectè posse responderi, quia Dominus in eodem loco promittit alium Paracletum, id est, Spiritum sanctum, qui suppleat absentiæ suæ defectum. Non autem verè suppleret defectum absentiæ Christi Spiritus sanctus, nisi is verè saltem vt homo, abesset: si enim totus Christus, & vt Deus, & vt homo adest, quorsum eget vicario? Denique notat Caluinus, antithecta esse, Christi ascensum & descensum Spiritus sancti: quocirca necesse esse, vt verè ex mundo Christus abierit quoad carnem, si ei succedere debuit Spiritus sanctus.

Respondeo, Christum reliquisse mundum, quoad conuersationem humanam, non enim post mortem suam versatus est in mundo more aliorum hominum: hæc tamen absentia non repugnat præsentiæ alterius generis, vt suprà diximus, & probauimus ex eo loco Luc. 24. *Hæc loquutus sum vobis cùm essem vobiscum.*

Porrò argumentum de aduentu Spiritus sancti, aut ego nihil video, aut iuuat caussam nostram. Nam Spiritus sanctus non promittebatur vt suppleret omnem Christi præsentiam, ipse enim ibidem dicit: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* & Matth. vltimo. *Vobiscum sum, vsque ad mundi consummationem.* & Ioannis 1. *In mundo erat.* Solùm ergò supplere debuit præsentiam Christi inter homines humano more conuersantis. Quia enim Apostoli carituri erant cõspectu Christi, & concionibus, atque exemplis eius egebant maiori gratia interna, quæ suppleret externam illam consolationem & auxilia: atque hoc est, quod eis Christus promisit, cùm alium Paraclerum promisit. Quod certè nihil facit contra præsentiam Christi in Eucharistia: sic enim ibi præsens est Christus, vt eum nec videamus nec audiamus, neque nobiscum humano more conuersetur.

Denique illa antithesis ascensus Christi, & descensus Spiritus sancti, videtur etiam contra Caluinum. Nam sicut Spiritus sanctus verè descendit & tamen in cœlo etiam mansit: ita Christus verè ascendit, & tamen verè etiam mansit nobiscum, non solùm vt Deus (quomodo vbique est) sed etiam vt homo, in Eucharistia, sed modo spirituali & inuisibili.

Decimvs locus est Ioan. 20. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, Vrget hunc locum Caluinus libro quarto, cap. 17. §. 29. *Dominus*, inquit, *ipse non oculos tantùm, sed omnes sensus nostros è terra subducere voluit, se tangi à mulieribus vetans, donec ascendisset ad Patrem. Cùm pio reuerentiæ studio Mariam videat properare ad osculandos pedes, cur tactum hunc improbet, ac prohibeat, donec in cœlum receptus fuerit, nulla caussa est, nisi quia nusquam alibi vult quæri.*

Respondeo, Tantum abest, vt nulla sit alia caussa, nisi ista, vt ista non sit vera caussa, & multæ aliæ reddi possint. Istam enim veram caussam non esse, perspicuum est ex eo, quod paulò pòst permisit Dominus se tangi, non modò à Magdalena, sed etiam ab alijs mulieribus vt Matthæus habet, capite vicesimo octauo, & Augustinus notauit tractatu 121. in Ioannem. Sicut ergo Caluinus ex prohibitione probat, Christum nolle quæri aut tangi, nisi in cœlo, ita ex permissione nos probamus velle quæri, & tangi etiam in terra. Deinde si Christus noluisset quæri, nisi in cœlo, non debuisset se ostendere, nisi de cœlo: at in terra sæpissimè apparuit, tum ante ascensionem, tum etiam postea.

Mvltas autem caussas illius prohibitionis reddi posse non dubitabit, qui Patres legerit. Chrysostomus homilia octogesima quinta in Ioannem, & Theophylactus in hunc locum dicunt, Mariam voluisse solito sibi more familiariter ad Dominum accedere, eúmque complecti, Dominum autem id prohibuisse, vt indicaret corpus suum iam gloriosum & immortale, maiori reuerentia tractandum, quàm anteà, & hoc significa-

cant illa verba: *Nondum ascendi, sed vade, &c.* id est, nondum quidem ascendi, sed paulò pòst, ascensurus; iam enim corpus habeo gloriosum, & dignum cœlesti mansione. Vnde cùm ipsa cũ alijs mulieribus paulò pòst adoraret, & pedes reuerenter oscularetur, non legitur eas prohibuisse.

AVGVSTINVS tract.121. in Ioann. & Leo serm.2. de ascensione dicunt, Mariam typum gessisse Ecclesiæ Gentilium, & quia Christus non se ostensurus erat videndum, & tangendum Ecclesiæ Gentium, sed tantùm fide, per Apostolorum prædicationem post ascensionem, ideò dixisse: *Noli me tangere, nondum enim ascendi, &c.*

IDEM Augustinus ibidem, & Gregor. lib.26. Moral. cap.26. dicunt, per illum contactum significari contactũ fidei, & quia Maria nondum credebat Christum esse Patri æqualem: ideò Christum noluisse ab ea tãgi; & hoc significari in verbis, *Nondum enim ascendi*, id est, in corde tuo nondum ascendi, opinione tua non sum cum Patre.

CYRILLVS lib.12. cap.50. in Ioannem, scribit, Christum voluisse his verbis significare carnem in Eucharistia non debere tangi, nisi ab hominibus puris, & qui iam acceperint Spiritum sanctum. Et quia Maria typum gerebat peccatorum, quatenus tangere eum voluit, antequam per aduentum Spiritus sancti planè purgata fuisset, ideò dictum esse, *Noli me tangere.*

BERNARDVS serm.28. in Cantica, dicit hunc esse sensum, *Noli me tangere*, id est, noli iudicio sensuum probare meam resurrectionem, sed expecta ascensionem, & aduẽtum Spiritus sancti: tunc enim roborata in fide, ipsa fide longè melius, & utius cognosces me resurrexisse, quàm nunc possis tangendo:

ADDI potest alia explicatio, quæ mihi videtur simplicissima, & literalis maximè, non prohibitum contactum, sed cohibitam festinationem tangendi, vt hic sit sensus, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, sed vade ad fratres meos, & dic eis, &c.* hoc est, Noli ita festinare ad me tangendum, adhuc satis temporis habebis: nondum enim recessi à vobis; vade priùs ad Apostolos, nuncia me resurrexisse, & tunc commodiùs poteris vnà cum alijs me videre, & tangere. Ista expositio, ideò videtur optima, quia cohæret apertissimè cum illa causa, *Nondum enim ascendi*, & etiam cum eo, quòd Dominus se tangi permisit à mulieribus, & Apostolis: immò ipse inuitauit eos, dicens, *Palpate & videte*, Luc.24. & Thomæ, *Tange latus meum*, Ioan.20. Denique ista explicatio totum Caluini fundamentum euertit.

VNDECIMVS locus est Act.7. & 17. *Deus non in manufactis templis habitat: non igitur manet inclusus Christus, cùm sit Deus, in singulis templis*, Vtitur hoc argumento Petrus Martyr in libro contra Gardinerum obiecto 8. sed quia viderat facilè solui posse, dicit hanc esse vim huius argumenti, & hoc modo à suis proponi solere: *Deus ob suam immensitatem non potest vllo templo concludi, quia est maior omni templo: ergo neque corpus Christi, quod iustam hominis staturam habet, poterit includi in pyxide, quia maius est pyxide.*

RESPONDEO, Loca illa intelliguntur propriè de diuinitate, quæ licet sit vbiq;, peculiari modo in templis, dicitur tamen verissimè nõ habitare in templis manu factis, quia habitare significat indigentiam loci; illi enim propriè habitant in domo, qui nisi ibi essent, malè essent; significat etiam comprehensionem, & conclusionem in loco. Vtrumque repugnat Deo vero, & tamen vtrumque conueniebat idolis Gentilium: idcirco Paulus Actor. 17. hoc dicit, Deum non habitare in templis, vt distingueret eum ab idolis. Quamuis autem hæc loca propriè de diuinitate intelligantur: tamen cõueniunt suo modo etiam corpori Christi in Eucharistia existenti. Etsi enim est ibi verè Christus, tamen non propriè habitare ibi dicendus est, cùm non indigeat ipse tecto, aut domo vlla, nec concludatur ita vno in loco, vt non sit etiam extra eum locum.

IAM ad argumentum Martyris respondeo, Si rectè accommodetur proportio, argumentum esse pro nobis, non contra nos. Nam sicut Deus ob suam immensitatem non concluditur templo, tamen ibi reuera totus Deus est; ita etiam corpus Christi, ob omnipotentiam ipsius Christi non concluditur in pyxide, aut speciebus panis, tamen totum ibi reuera est. Quomodo autem possit corpus humanum non occupare locum, & proinde sub specie modici panis contineri, in alia quæstione explicabitur: hîc enim solùm ex verbo Dei agitur. Verbum autem Dei nõ habet, non posse magnum corpus esse in paruo loco: sed contrarium potiùs, cùm Matth.7. legamus posse Deum facere, vt transeat camelus per foramen acus.

DVODECIMVS locus est 1.Cor.10. *Patres nostri eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt. At illi non manducauerunt carnem Christi, nec biberunt ore corporali, vt notum est, sed fide tantùm: igitur etiam nos fide tantùm manducamus, & bibimus.* Hoc argumentum vrget Petrus Martyr lib.contra Gardinerum, part.1. obiecto 82.

SED facilis solutio est. Nam in primis demonstrauimus in disputatione de Sacramentis in genere, non velle Paulum dicere eandem escam nos, & Hebræos comedisse, sed eandem escam comedisse omnes illos, qui tunc viuebant, tum boni, tum mali.

QVIA verò citat Augustinum Petrus Martyr, qui in Psal.77. & tract.26. in Ioannem, dicit, eandem escam nos, & Hebræos comedisse ex hoc loco Paulii: ideò ad Augustinum duo quædam respondeo. Primò Augustinum non exposuisse hunc locum in commentario aliquo proprio, sicut fecerunt, Chrysostomus, Theophylactus, & alij: sed solùm adduxisse ad suum propositũ aliquid ex hac Pauli sententia: præterea non mirum videri debere, si anteponimus in hac parte in sensus literalis inuestigatione Chrysostomum, & alios, qui ex proposito hunc locum exposuerunt, Augustino tractante hæc verba in alienis locis. Certè Paulus apertissimè ad literam loquitur de esca eadem inter omnes illos, non autem nobiscum. Nam secundum Augustinum, & etiam aduersarios, non omnes Hebræi, sed boni duntaxat, qui symbola intelligebant, eandem nobiscum escam manducauerunt. At Paulus significat bonos & malos eandem manducasse: subiũgit enim: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*: Omnes ergo manducarunt, & tamen plurimi eorum non placuerunt Deo, quia nimirum multi mali cum bonis illã escam manducabant. Et sicut dicit: *Omnes eandem escam spiritualem manducarunt*; ita etiam dicit: *Omnes mare transierunt.* At certè mare transierunt omnes, & mali, & boni.

DICO secundò, veram esse Augustini sententiam, licet Pauli loco ad literam non conueniat: nec tamen nobis vllo modo aduersari. Nam dicit ipse, eandem nobiscum escam manducasse Hebræos, sed explicat quomodo eandem, nimirum significatione: quia idem significant Sacramenta illa, & nostra. Sic enim ait tract.26. in Ioan. *Sacramenta illa, quæ fuerunt in signis, diuersa sunt: in re, quæ significatur, paria sunt.* Et præterea eadem sunt significatione, quia nostra continent, quod illa significãt, vt apertè Augustinus ait in Psalm.73. vbi dicit, Sacramenta vetera promisisse Saluatorem, nostra dare salutem: & in Psalm.75. *Idem*, inquit, *in mysterio cibus, & potus illorum, & noster, sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Vbi vides, Iudæis tribui Christum in petra, nobis in carne, quã nimirum petra illa figurabat. Deniq; lib. 2. contra literas Petiliani, cap.37. *Aliud*, inquit, *est Pascha, quod Iudæi de oue celebrãt, aliud quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus.* Vbi vides, pro oue, quã habebant

Iudæi,

Iudæi, nobis non tribui panem, sed corpus & sanguinem Domini, quæ oue illa significabantur. Non igitur apud Augustinum eadem erat esca Iudæorum, & Christianorum, quoad rẽ ipsam, sed solùm quoad significationem: quomodo dicuntur idem esse figura, & figuratum, quia vnum est verè, quod alterum est typicè.

Decimus tertius locus est 1.Cor.10. & 11. *Vbi aliquoties Eucharistia vocatur panis, etiam post consecrationem: nihil igitur aliud est Eucharistia, nisi panis reipsa, significatione autem corpus Christi.* Vtitur hoc argumento, quod est commune aduersariorum, Petrus Martyr lib.contra Gardinerum, obiecto 19.

RESPONDENT nonnulli, Eucharistiam vocari panem per tropum, quia sit ex pane, siue quia antea fuit panis: & adferunt multa exempla Scripturæ, vt quòd Gen.3. Eua dicitur os Adami: Exodi 7. virgæ conuersæ in dracones, adhuc vocentur virgæ: quòd Matth.11. dicãtur cæci videre, claudi ambulare: quòd Matth.21. dicantur publicani, & meretrices præcedere in regnum cœlorum. Sed hæc solutio non videtur solidissima: possent enim aduersarij dicere, non ideò, quia alicubi res dominatur ab eo, vnde facta est, vbique ita accipienda esse vocabula. Secundò igitur dici potest, Scripturam vocare ordinariè res vt exteriùs apparent: sic enim serpentem æneum vocat serpentem: Angelos, qui apparebant in forma humana, vocat viros: boues æneos, malogranata aurea, & similia ornamenta templi, simpliciter vocat boues, malogranata, &c. Quoniã igitur Eucharistia forma exterior e nihil differt à vero pane, quid mirũ si vocatur panis? Tertiò dici potest, & (meo iudicio) optimè vocari panem phrasi Hebraica, qua nomine panis intelligitur generatim omnis cibus. Et denique quartò vocari panem, quia nõ solùm est cibus, sed est cibus solidus, præcipuus, substantialis, qualis est panis triticeus inter cibos corporales. Ac vt videas argumentum aduersariorum nihil efficere, illud perpende, in 6. cap. Ioannis, corpus Domini frequenter vocari panem, & tamen aduersarij contendũt in eo capite non tractari de Eucharistia, ac proinde coguntur per panem non intelligere panem materialem, sed cibum cœlestem.

Decimus quartus locus est Philip.3. *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Hinc tale argumentum facit Caluinus lib.4. Instit. ca.17. §.29. *Corpora nostra post resurrectionem habebunt eas dotes, quas nunc habet corpus Christi. At stultum esset expectare, vt nostra corpora esse possint in pluribus locis, vel sub modica panis specie.*

RESPONDEO, Quòd Christi corpus esse possit in multis locis, aut sub modica specie panis, non oritur ex aliqua dote corporis glorioſi, sed ex infinita Dei potentia. Nam etiam ante Christi resurrectionem credimus, Christi corpus fuisse in Eucharistia; nihil igitur ad rem facit gloria corporis, quam expectamus.

Decimus quintus locus est Coloss.3. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Ex hoc loco Caluinus colligit lib.4. Instit. cap.17. §.36. Christum non esse quærendum in pane Eucharistiæ: & addit, non sine causa in antiqua Ecclesia fuisse institutum, vt ante mysteriorum celebrationem diceretur: *Sursum corda.*

RESPONDEO; Si timeremus hoc argumentum, iamdudum valere iussissemus illam præfationem: *Sursum corda*; quam tamen nos diligenter frequentamus, & aduersarij negligunt. Tametsi enim in libro de ritu Sacrament. ministrandi. iubet Caluinus, vt concionator inter concionandum moneat, sursum cor esse habendum: tamen non vult præscriptis verbis recitari præfationem illam cum suis responsionibus, vt veteres faciebant, teste Cypriano in serm. de orat. Dom. & Augustino lib. de bono perseuer. c.13. & omnibus Græcis Liturgijs, Iacobi, Basilij, Chrysostomi, & omnibus Latinis. Id quod etiã hoc tempore nos facimus.

RESPONDEO igitur, *Sursum corda*, non significare eleuationem ad locum corporalem, alioqui astrologi pissimi essent omnium hominũm, qui semper versantur animo & oculis inter sydera: sed eleuationem à rebus terrenis, & curis huius vitæ ad Deum, & res æternas, & diuinas. Vnde, Sacerdoti dicenti, *Sursum corda*, non responderetur, Habemus ad firmamentum, sed, *Habemus ad Dominum.* Et certè, qui in hoc mundo Christum quærebãt, vel in præsepi, vt tres Magi, vel in templo, vt ipsa Virgo Mater, vel in sepulchro, vt Magdalena, sursum cor habebant, quia illum quærebãt, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Et potest fieri, vt quis dũ terram intuetur, & cogitat, cor habeat sursum; & contrà, dum quis cœlum intuetur, & cogitat, cor habeat deorsum; si nimirum ille in terra cogitet Dei potentiam, quæ ibi relucet; hic autem in cœlo nihil cogitet, nisi naturam, & qualitates cœli. Sic igitur qui in Eucharistia Christum quærũt, & venerantur, sursum cor habent, si de ipso Christo, non de negotijs huius vitæ interim cogitent.

DE VERITATE CORPORIS DOMINI IN EVCHARISTIA. EX TESTIMONIIS PATRVM.

LIBER SECVNDVS.

Actenus ex verbo Dei controuersiam disputauimus de præsentia corporis Domini in Eucharistia, nunc ex testimonijs veterum Patrum, qui ante hanc litem exortam floruerunt, eandem controuersiam disputare aggredimur. Nam etsi aduersarij, Patres contemnere soleant, cùm eos sibi aduersari non dubitent: in hac tamen quæstione aliquid eis tribuere videntur: certè laborant, quantùm possunt, vt eos ad se pertrahant. Ioan. Caluinus in vltima admonitione ad Vuestphalum: Constat, *inquit*, vetustos omnes scriptores, qui totis quinque sæculis post Apostolos vixerunt, vno ore nobis patrocinari. *Petrus Martyr in præfatione suæ defensionis contra Gardinerum ad Reginam Angliæ, iactat se defendere sententiam Patrum Græcorum, & Latinorum veterum de Eucharistia. Petrus Boquinus initio libri de Cœna Domini contra Heshusium dicit, nullam esse rationem certiorem, & breuiorem inueniendæ veritatis, in hac de qua agimus controuersia, quàm insistendo vestigijs antiquorum Patrum.*

Nos igitur, vt apertissimè, & breuissimè (quantum rei magnitudo patietur) intelligamus, quid Patres senserint,

singulos

singulos seorsim excutiemus ordine ætatis, quo in Ecclesia floruerunt: ac in singulis quatuor considerabimus. Primò, quid ipsi doceant pro Catholica veritate. Secundò, quid ad ea respondeant aduersarij. Tertiò, quid ex ijsdem contra nos illi adferant. Quartò, quid ad ea sit respondendum.

Est autem illud obseruandum, testimonia Patrum, non quidem æquari per se Scripturarum testimonijs: tamen ex ijs apertè cognosci, quæ fuerit sententia, & fides eius Ecclesiæ, quam omnes fatemur veram Christi Ecclesiam fuisse, & veram de Sacramentis fidem, ac doctrinam habuisse: quocirca ex illis colligitur argumentum firmissimum, & infallibile pro veritate. Vnde Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 7. cùm attulisset Patrum testimonia quædam, vt Cypriani & Hieronymi pro peccato originali: Hæc, *inquit,* non ideò commemorauj, quòd disputatorum quorumlibet sententijs tanquam canonica auctoritate nitamur, sed vt appareat ab initio vsque ad præsens tempus, quo nouitas ista orta est, hoc apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, vt, &c.

CAPVT PRIMVM.

Prima ætas Ecclesiæ ab anno Domini I. vsque ad C.

Testimonium discipulorum S. Andreæ Apostoli.

PRIMO igitur excutienda sunt testimonia eorum, qui Apostolos viderunt, & audierunt, quæ fuit prima ætas Ecclesiæ. Ac primùm occurrit liber passionis S. Andreæ Apostoli scriptus ab eius discipulis, qui passioni interfuerunt. Hunc librum legitimum esse satis constat, tum, quia nulli (quod sciam) adhuc in quæstionem eius auctoritatem vocarũ: tum, quia reuera nihil continet, quod nouitatem redoleat: tum, quia genus passionis S. Andreæ, & illa eius verba: *Saluè sancta crux,* in tota Ecclesia celeberrima, ex hoc libro sine dubitatione sumpta sunt: tum denique, quia Ioannes à Louanio in sua censura de passionibus Sanctorum, quæ habetur in Martyrologio Molani, hunc librum omnibus modis legendum censet, & idem indicauit vir grauissimus Aloysius Lipomannus, qui ex probatis auctoribus vitas Sanctorum descripsit: vt omittam quòd in Breuiario Romano nuper recognito, ac repurgato, suum locum habet passio S. Andreæ ex hoc libro.

IN eo igitur libro habentur hæc verba Apostoli Andreæ: *Ego omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie sacrifico.* Et infrà: *Qui cùm sit verè sacrificatus, & verè à populo carnes eius manducatæ, integer perseuerat & viuus.* In quibus verbis illud (*Verè manducatæ*) excludit manducationem in solo signo, aut spiritu: Ac præterea paulò infrà, cùm Ægeas miraretur, ac peteret sibi explicari, quomodo posset fieri, vt agnus verè manducatus, integer & viuus maneret, & sanctus Andreas recusaret homini Ethnico mysterium explicare: & ille instaret, ac per tormenta cogere vellet Apostolum, tandem Apostolus subiunxit, fieri nõ posse vllo modo, vt sine fide in Christum, ad huius mysterij notitiam perueniret. At certè si nihil est Eucharistia, nisi panis significans Christum, non erat difficile etiam sine fide intelligere, quomodo Christus in signo manducatus, integer perseueret. Nam si in pane imprimatur imago Principis alicuius, certè sine vlla sua læsione, comedi poterit Princeps ille in sua imagine, nec vlla difficultas est in hac re intelligenda. Ad hunc locum non vidi vllam responsionem hæreticorum.

A *confiteantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris quæ pro peccatis nostris passa est, quã Pater sua benignitate suscitauit.*

AD hunc locum Beza respondet in Dialogo Cyclops, fateri se, veram carnem Christi nobis dari fide mãducandam. At Ignatius non dicit, carnem Christi nobis dari quocunque modo, sed dicit Eucharistiam esse carnem Christi. Petrus Boquinus in lib. de Cœna Domini, respõdet Ignatiũ differere contra eos, qui negabant Christum habuisse veram carnem, & ex Eucharistia argumentum duxisse: quia si Christus non habuit veram carnem, non potest Eucharistia esse caro vera, id est, signum, seu symbolum veræ carnis.

B AT contrà, nam Ignatius dicit, hæreticos illos, contra quos agit, omninò repudiasse Eucharistiam, ne fateri cogerentur, Christum habuisse veram carnem, si Eucharistiam, quæ est ipsa caro Christi, admisissent. Obseruandũ enim est, hæreticos illos (vt ex ipsa epistola ad Smyrnenses patet) docuisse Christum putatiuè natum, passum, mortuum, resurrexisse: ac per hoc non negasse Christum habuisse carnem aliquam visibilem, & apparentem, sed negasse habuisse veram carnem humanam. Ex quo sequitur, vt non debuerint repudiare imagines, & figuras carnis Christi, sed solùm ipsam veram carnem. Nam corpora humana apparentia depingi possunt, & figuris exprimi, licet verè humana non sint, vt patet de imaginibus Angelorum. Ergo hæretici illi non negabant Eucharistiam significare posse carnem Christi, sed negabant esse carnem Christi (vt Ignatius disertè dicit) ne videlicet cogerentur admittere, Christum habuisse veram carnem. Reprehenduntur autem ab Ignatio: igitur Ignatius contrarium sentiebat, nempe Eucharistiam esse verè & propriè Christi carnem. Habentur alia loca in epist. ad Romanos, & in epist. ad Ephes. sed faciliùs eludi possunt.

C Porrò ex Ignatio obiicit Petrus Martyr in libro cõtra Gardinerum prima parte, obiecto 149. illa verba ex epistola ad Philadelphienses: *Rogo vos, vt instetis vni fidei, vni prædicationi, vnæ Eucharistiæ vtentes: vna est caro Domini Iesu, & vnus eius sanguis, qui pro nobis effusus est, vnus etiã panis pro omnibus confractus, & vnus calix totius Ecclesiæ.* Notat enim Petrus Martyr Ignatium distinguere panem & calicem, à carne & sanguine Christi, cùm dicat: *Vna caro, vnus sanguis: vnus etiam panis, vnus calix.* Ex quo sequi videtur, vt in Sacramento non sit nisi panis, & vinum, quę tamen carnem, & sanguinem, quæ sunt res Sacramenti, significent. Addit etiam argumentum ex nomine panis, & fractionis, quæ non conueniunt propriè, nisi vero pani.

RESPONDEO. Quod attinet ad nomina panis, & fractionis, non esse faciendam nouam quæstionem, cùm sint ista ipsa vocabula Pauli, 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus, &c.* de quibus suprà diximus. Quod autem pertinet ad illam distinctionem carnis & sanguinis, à pane, & calice, dico Ignatium distinguere carnem, vt in cruce passam, & sanguinem, vt in cruce fusum, à Sacramento Eucharistiæ, & rectissimè. Sacramentum enim Eucharistiæ, siue contineat verè (vt nos credimus) Christi carnem, siue non contineat, & signum repræsentans carnem Christi, vt morientem in cruce, & sanguinem, vt in cruce effusum, & proinde distinguitur ab illis. Vult autem eo loco Ignatius hortari ad vnitatem, & charitatem consectandam, & ad schismata, & hæreses fugiendas. Itaque monet vt in vna fide maneant, eidem prædicationi dent operam, & vna vtantur Eucharistia, id est, simul communicent, non facient schismata, non erigant contraria altaria. Probat autem debere eos simul communicare, quia vnum est Sacramẽtum Eucharistiæ: vnum autem Sacramentum esse, probat, quia vna est caro Christi, & vnus sanguis. Quæ probatio efficax esset, etiamsi hoc Sacramẽtum significaret tantùm carnem Christi, vt aduersarij volunt: sed est efficacior, si Sacramentum non tantùm significet, sed etiam verè contineat Christi carnem.

CAPVT III.

Testimonium Dionysij Areopagitæ.

DIonysium Areopagitam Apostolorum tempore floruisse nemo dubitat: libros qui ei adscribuntur, negant hæretici illius Dionysij esse, & nos alibi probauimus esse. Sed hoc loco supersedendum est hoc labore, quia Petrus Martyr non solùm admittit, eos libros esse alicuius antiqui Patris, sed etiam argumentum inde petere audet pro suo errore. Et præterea cùm citetur hic auctor tanquam antiquus, & venerabilis Pater à S. Gregorio homil. 34. in Euangelia, necesse est omninò vixisse illum in primis quinque sæculis, quæ à Caluino recipiuntur. Nam si Gregorio qui ante annos mille floruit, fuit hic auctor antiquus, & venerabilis Pater, quid erit nobis?

ILLE igitur auctor in list. de hierarch. Eccles. iast. cap. 3. parte 3. præter alia multa, quæ de hoc Sacramento dicit, ita ipsum alloquitur: *O diuinissimum, & sacrosanctum Sacramentum, obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperi, & perspicuè nobis fac appareas, nostrosque spirituales oculos, singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.* Hæc ille. At eiusmodi inuocatio stultissimè, & impiè referretur ad Sacramentum, si solùm esset panis triticeus, non autem panis cœlestis viuus & diuinus.

RESPONDET Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, parte 1. obiecto 150. Dionysium apostrophen fecisse, ad rem significatam, id est, ad ipsum Christum qui per symbola panis, & vini repręsentatur: *Quemadmodum in templis Papistarum,* inquit ipse, *videas procumbere homines ante signa, & statuas, & ad illas exclamare, quasi aut B. Virgo, aut Petrus, & Paulus præsens esset.*

AT bis peccat in hac responsione Pseudomartyr. Primò, quia seipse damnat cum cæteris Sacramentarijs, qui acerrimè reprehendere solent, & idololatriæ accusare Catholicos, quòd orent ante imagines, aut venerabile Sacramentum: nunc enim vsum istum ipse defendit, dum eum sanctissimo Patri tribuit. Secundò peccat, quòd non aduertit, aliud esse ante imagines inuocare Christum, vel Sanctos, quos imagines repræsentant, quod Catholici rectè faciũt: aliud inuocare ipsas imagines, quod Catholici non faciunt, nec potest nisi stultè, & impiè fieri. Dionysius autem ipsum inuocat Sacramentum, atque ab ipso petit, quæ à solo Deo rectè peti possunt: existimauit igitur in Sacramento verè Christum ipsum Deum, & hominem contineri, immò ipsum Christum vnà cum externis symbolis Sacramentum esse.

IDEM Dionysius ibidem, sed paulò inferiùs: *Pontifex,* inquit, *quòd hostiam salutarem, qua suprà ipsum est, litet, se excusat ad ipsum exclamans; Tu dixisti, Hoc facite, &c.* At certè purus panis non suprà nos est; neque esset opus vlla excusatione, si merum panem tractare debemus, etiamsi is Christum significaret: alioqui debuissent etiam Aaronici Sacerdotes se excusare, quòd indigni essent, qui tangerent oues & boues illos, quod ridiculum est.

AVDIAMVS nunc quid ipse pro se adferat ex Dionysio. Adfert igitur illa verba ex eodem cap. 3. parte 3. *Pontifex opertum panem & indiuiduum aperit, & in frusta concidit.*

RESPONDEO; Miram esse aduersariorum importunitatem, qui si in vno, vel altero Patre legant Eucharistiam vocari panem, statim clamant, Eucharistiam nihil esse, nisi panem propriè dictum: & cùm in omnibus Patribus in infinitis locis legant Eucharistiam esse corpus Christi, tamen non volunt admittere corpus vllo in loco propriè accipi. Dico igitur panem vocari Eucharistiam, sed panem cœlestem, & diuinum, non triticeum. nam paulò antè (vt diximus) idem Dionysius scribit eum panem esse hostiam ipso Pontifice longè digniorem, ita vt excusatione illi opus sit, quòd rem tam eximiam tractare audeat.

CAPVT IV.

Secunda ætas Ecclesiæ ab anno Domini C. ad CC.

Testimonium Iustini.

POST Apostolorum discipulos in secunda ætate Ecclesiæ tres habemus testes insignes, & indubitatos, Iustinum Martyrem, Pium I. Pontificem, & Irenæum. Iustinus igitur Martyr in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem, sic loquitur de Eucharistia. ὁ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα, ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλὰ ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, ἕτω καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατ' μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνης τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ, καὶ σάρκα καὶ αἷμα, ἐδιδάχθημεν εἶναι. *Non enim vt communem panem, neque communem potum hæc sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Christus Saluator noster, & carnem, & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiã factum cibum, ex quo sanguis, & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius incarnati Iesu, & carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Hæc ad verbum ex Græco interpretatus sum; quia queri solent hæretici sæpenumerò de interpretationibus Catholicorum. Solùm ambigi posset de illa voce: *Eucharistiam factum*; nam Græca vox Εὐχαριστηθεῖσαν, significare potest, super quem gratiæ actæ sunt, vel barbaro vocabulo, Eucharistizatum, vel (vt nos reddidimus) *Eucharistiam factum.* Sed non refert quidquam hoc adrem propositam.

Ex hoc igitur loco duobus modis colligitur sensisse Iustinum, veram Christi carnem propriè in Eucharistia contineri. Primò ex eo, quòd simpliciter asserit panem Eucharistiæ non esse communem panem, sed carnem Christi: neque vllam mentionem facit tropi, aut figuræ alicuius. Nam si Eucharistia esset significatiuè caro Christi, & non realiter, id Iustinus omninò dicere debuisset: scribebat enim Apologiam pro Christianis, quibus præter alia crimina obiiciebatur mãducatio carnium

humanarum in sacris, vt patet ex Tertulliano in Apologetico, capite 7. & ex Minutio Felice in Octauio: & quod maximum est, ex Athenagora, qui in Apologia ad eundem Antonium tria crimina refellit falsò Christianis obiecta, quòd Deum non esse crederent; quòd humanis carnibus vescerentur; quòd promiscuo concubitu vterentur. Certè enim ad hoc abolendum crimen, omninò cendum fuit, Christi carnem à Christianis non comedi, nisi significatiué. Et etiamsi id crimen nó fuisset Christianis obiectum; stultus fuisset Iustinus, si absque vlla necessitate mysteria religionis facillima, ipse incredibilia suis verbis fecisset, ad ethnicum Imperatorem scribens.

SECVNDÒ, id colligimus ex comparatione Eucharistiæ, quam facit Iustinus cum mysterio Incarnationis. Vt enim doceret non temerè Christianos credere panem fieri carnem, adducit in medium aliud mysterium æquè difficile: qua enim potentia fieri potuit, vt Deus incarnaretur, eadem fieri potuisse dicit, vt panis fieret caro. Vbi nisi reipsa velit affirmare, panem fieri carnem, sed solùm significatiuè; frustrà adducit exemplum Incarnationis: nullum enim est miraculum, facere vt panis significet corpus Christi.

VTRVMQVE argumentum soluere nititur Petrus Martyr, & contrarium etiam colligere ex hoc loco Iustini in lib. contra Gardinerum, obiecto 13. & 151. Ad primum nostrum respondet, Iustinum non dixisse panem Eucharistiæ esse figuram corporis Christi, sed dixisse esse ipsum corpus, quia ita inter se loqui solebant Christiani eo tempore: nec fuisse periculum, ne ethnici putarent nos verè, & propriè comedere carnem Christi, tum quia dixerat Iustinus, panem, & vinum proponi in sacra mensa; tum quia poterant facilè Gentiles colligere, verba illa Christi: *Hoc est corpus meum*, à Iustino citata, esse intelligenda Sacramentaliter: tum denique quia Iustinus dicebat, non cuiusuis hominis carnem à Christianis manducari, sed solius Christi, qui iam resurrexerat, & in cœlum ascenderat.

AT Petrus Martyr multa dicendo, nihil dicit. Nam etiamsi Christiani inter se loquerentur, tamen debuit defensor Christianorum Imperatori ethnico, & imperito rerum nostrarum, explicare tropum in illis verbis constitutum; alioqui non tollebat, sed augebat suspicionem criminis Christianis obiecti. Deinde, etiamsi Iustinus dixerit, panem, & vinum proponi in sacra mensa, tamen addidit, post mysticas preces non esse amplius panem, & vinum cómune, sed ipsam carnem, & sanguinem Christi. Et ridiculum est, debuisse vel potuisse Imperatorem ethnicum per se intelligere, verba Christi esse accipienda Sacramentaliter: vnde enim id colligeret homo Gentilis, qui neque an Sacramenta essent, audiuerat? Opinatur forsasse Petrus Martyr, Imperatorem illum versatum fuisse in schola Caluinistarum, vt statim ad tropos omnia reuocaret. Denique, quod additur de Christi Resurrectione, non tam explicat, quàm implicat magis difficultatem, & sine vlla caussa reddit fidem nostram homini Gentili prorsus incredibilem. Itaque insolubile manet hoc dilemma: Aut poterat Iustinus verè dicere, carnem Christi à Christianis solùm in signo manducari; aut non poterat: si poterat, præuaricator fuit caussæ Christianæ: nam odiosissimam reddidit fidem, & auxit criminum suspicionem, cùm posset vno verbo & fidem probabilem facere, & crimen diluere: si non poterat, certè ideò non poterat, quia verè, & non in signo tantùm datur nobis comedenda Christi caro.

AD secundum nostrum argumentum respõdet Martyr, Iustinum ideò explicuisse Eucharistiam exemplo Incarnationis, vt ostenderet contra hæreticos Marcionistas nos veram Christi carnem per fidem accipere. Nam si Christus non assumpsisset per Incarnationem veram carnem, sed simulatam & fictam, vt Marcionitæ, & Valentiniani hæretici dicebant, non esset Eucharistia signum veræ carnis, neque nos veram carnem participaremus.

AT non probat hoc loco Iustinus Incarnationem ex Eucharistia, sed è contrario, Eucharistiam ex Incarnatione. Præterea Iustinus hoc loco non scribit contra hæreticos, nec mentionem eorum facit, sed persuadere vult Imperatori non esse impossibile mysterium Eucharistiæ apud eos, qui credunt mysterium Incarnationis. Adde, quòd Imperatores, & cæteri ethnici tantùm aberant ab opinione Marcionis, vt nihil dubitarent Christum habuisse veram carnem, cùm id perpetuò Christianis obiicerent, Christum à Pilato verè crucifixum, & necatum fuisse: nulla ergò fuit caussa, cur Iustinus exemplum Incarnationis adferret ad probandum Christum habuisse veram carnem. Præterea, si Eucharistia nihil esset nisi panis significans carnem Christi, nihil inde concluderetur contra Marcionem: nam diceret ille Christum habuisse carnem phantasticam, & apparentem, & eam significari per Eucharistiam; ideò veteres non probant ex signo isto Eucharistiæ, Christum habuisse veram carnem, sed probant ex communi sententia, & fide Ecclesiæ, quæ erat, Eucharistiam esse verè carnem Saluatoris. Quocirca (vt dicit Ignatius) hæretici illi simpliciter repudiabant Eucharistiam. Denique, Iustinus comparat Eucharistiam cum Incarnatione, quoad modũ, quo vtrumque factum est: dicit enim eo modo per preces verbi Dei panem fieri Eucharistiam, & tunc esse carnem Christi; quomodo per verbum Dei, id est, per virtutem, seu imperium Dei, Incarnatio facta est. At si Eucharistia non esset corpus Christi, nisi significatiuè, non esset opus vlla prece consecratoria, sed satis esset prima institutio Christi: vnde etiam Caluinistæ nullam adhibent consecrationem. Ergo Iustinus, qui scribit panem Eucharistiæ fieri corpus Christi per preces verbi Dei, credebat Eucharistiam non esse solam figuram, sed reipsam corpus Christi.

QVOD autem Martyr cauillatur, consecrationem apud nos non fieri prece, sed verbis illis: *Hoc est corpus meum*; nimis leue est, quia (vt suprà sæpè ostendimus) sancti Patres vocant mysticas preces omnium Sacramentorum formas, etiamsi non videantur habere formam precum, quia omnes illæ formæ, quoquoque modo pronuncientur, continent inuocationem Dei, cuius virtute Sacramenta, & eorum effectus producuntur.

VIDEAMVS nunc, quid Petrus Pseudomartyr adferat pro suo errore ex vero Martyre Iustino. Duo igitur argumenta profert. Vnum, ex hoc ipso loco à nobis citato, quòd Iustinus dicat, panc Eucharistiæ ali corpora nostra: hinc enim colligit verum esse panem in Eucharistia, non autem corpus Christi, nisi significatiuè: non enim corpore Christi aluntur corpora nostra, sed animi tantùm. Eandem obiectionem facit Boquinus in libro de cœna Domini. Sed Petrus Martyr proponit alterum ex Dialogo cum Tryphone, vbi Eucharistiam vocat Iustinus panem & poculum.

SED hoc posterius iam suprà refutatum est. Ad illud prius respondeo dupliciter. Primò illa verba, (*Ex quo carnes nostræ per mutationem aluntur*) esse periphrasim *panis*, ex quo conficitur Eucharistia; vt sit sensus, Cibus ille, ex quo carnes nostræ ali solent, cùm prece mystica consecratur, efficitur corpus Christi. Neque obstat, quòd Iustinus priùs meminerit consecrationis, quàm dicat ex eo cibo ali carnes nostras: nam non dicit ipse, ex pane cõsecrato ali carnes nostras, vt aduersarius contendit, sed dicit, per consecrationem cibum illum, ex quo carnes nostræ aluntur, fieri corpus Christi.

SECVNDÒ respondeo, non esse nouum apud veteres, ac præsertim Irenæum, Hilarium, Nyssenum, Cyrillũ, & alios, vt Eucharistia dicatur alere corpora nostra.

Sed

Sed non intelligunt Patres, cùm hoc dicunt, Eucharistia nutriri, vel augeri mortalem substantiam corporis nostri; sic enim facerent Eucharistiam cibum ventris, non mentis, quo nihil absurdius fingi potest: sed intelligunt, vt posteà videbimus, per Eucharistiam ali corpora nostra ad immortalitatem, id est, suscipere ex contactu carnis Christi vim quandam, seu dispositionem ad glorioſam resurrectionem, & vitam immortalem; id quod ex verbis illis deducunt, Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Sed de Iustino hactenus.

CAPVT V.

Testimonium Pij I. Papæ.

IAM verò Pius Papa I. qui eodem tempore sedit in Pontificatu, quo Iustinus florebat, statuit pœnam satis grauem in eos, quorum negligentia aliquid Dominici sanguinis in terram, vel etiam super ipsũ altare decideret: iussitque locum lambi, radi, &c. vt patet ex Gratiano de consecrat. dist. 2. can. Si per negligentiam, & ex lib. 1. decreti Iuonis, & li. 5. Burchardi. Quamuis autem non habeamus nunc epistolam ipsam Pontificis, tamen satis probabile reddit hoc testimonium, tum auctoritas Iuonis, Burchardi, & Gratiani; tum etiam, quòd legamus in Tertulliano, Origene, Cyrillo, & aliis, qui proximi fuerunt iis temporibus, summam diligentiam adhiberi solitam in Ecclesia, ne quid Sacramenti huius vllo modo in terram decideret. Testimonia Tertulliani, Origenis, & Cyrilli, infrà suo loco ponentur.

PORRÒ ista cautio argumentum est euidens fidei antiquorum. Si enim panis Eucharistiæ non esset corpus Christi, nisi repræsentatiuè, non esset adhibenda maior diligentia, ne caderet in terram, quàm ea sit, quam adhibemus, ne sacra biblia in terram cadant, aut imago aliqua Christi, aut aqua Baptismi, aut quam adhibebant Hebræi in conseruando Manna, aut Agno Paschali. Quis autem audiuit vnquam debere lambi, aut radi terram, vbi cecidisset codex Euangelij, aut imago, aut Manna, aut aqua Baptismi? Ad hoc testimonium, non legi aduersariorum responsum.

CAPVT VI.

Testimonium Irenæi.

SEQVITVR Irenæus, qui eodem sæculo floruit, quo Iustinus, licet paulò posteriùs. Is igitur in libro 4. contra hæreses, cap. 34. disputans contra hæreticos, qui negabant Christum esse Filium Creatoris, & Creatorem mundi huius, ita loquitur: *Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum eius, per quod lignũ fructificat, defluunt fontes, dat primùm quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?* Ex hoc loco nos tale argumentum facimus. Irenæus probat Christum esse Creatorem, ex eo, quòd panis per consecrationem fit corpus Christi: igitur credebat reipsa, & non sola significatione mutari panem in corpus Christi, nam mutatio realis requirit planè omnipotentiam Creatoris, non autem impositio notiæ significationis.

RESPONDET ad hoc argumentum Petrus martyr, lib. contra Gardinerum, obiecto 62. & 157. Irenæum non probare, Christum esse Filium Creatoris, vel Creatorem ex transmutatione panis in corpus suum, sed ex eo, quòd vtitur pane ad corpus suum significandum, & quia Patri gratias agit, cùm pane illo vtitur: non enim decebat, vt Filius illius Dei, qui est contrarius Creatori, vteretur rebus aduersarij sui, & de illis Patri suo gratias ageret.

AT contrà, nam in primis argumentum ex vsu rerum Creatoris fecerat Irenæus in proximis verbis superioribus: dixerat enim solam Ecclesiã rectè offerre Deo oblationem cum gratiarum actione ex creatura eius, hæreticos autem offerre non posse, cùm non agnoscant eum esse Creatorem. Quid ergo opus erat, vt rursus idem argumentum repeteret? Adde, quòd illa verba: *Quomodo autem constabit eis, &c.* indicant nouum argumentum inchoari: alioqui dixisset, Quomodo enim, si hæc ratio ad argumentum præcedens pertineret. Deinde, Irenæus hoc loco ex Eucharistia probat, Christum non solùm esse Filium Creatoris, sed etiam ipsum Creatorem, cùm ait, non posse constare, panẽ Eucharistiæ esse corpus Domini sui, nisi fateantur ipsum esse Verbum illud, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, &c. At hoc argumentum nihil cõcludit, nisi ponamus veram, & realem mutationem in pane fieri. Posset enim Christus vti pane ad corpus suũ significandum, etiamsi non esset Creator illius panis, quemadmodum nos vtimur hedera, quam non creauimus, ad vinum designandum. Immò nec probat hoc argumentum, Christum esse Filium Creatoris: potest enim vti rebus Creatoris etiam is, qui non est Filius Creatoris. Si quid autem probat, id solum est, Christum non esse aduersarium Creatoris, nec enim vteretur rebus aduersarij sui. At Irenæus Filium Creatoris, & Creatorem affirmat esse Christum, ex hac mutatione panis in corpus suum.

SECVNDVM testimonium est in eodem capite in illis verbis: *Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & sanguine alitur?* Et paulò infrà: *Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam nõ communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constãs, terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spẽ resurrectionis habẽtia.*

EX his verbis tria argumẽta colligimus. Primum est: Corpora nostra incorruptibilia fiunt, quia aluntur corpore Christi: ergo corpus Christi non solùm animis percipitur, sed etiam corpore ex Irenæi sententia. At corpus non potest in cœlum conscendere vt ibi gustet Christi carnem, ergo verè præsens est in Eucharistia ipsa Christi caro. Secundum est: Panis terrenus post inuocationem Dei, seu mysticas preces, non est amplius communis panis, sed est cibus constans duabus rebus, vna terrena, altera cœlesti. Non potest autem res illa cœlestis esse, nisi corpus Christi, igitur verè est in Eucharistia corpus Christi. Tertium: Ita panis mutatur ex terreno in cœlestem per inuocationem Dei, sicut corpora nostra mutabuntur per Eucharistiam ex mortalibus in immortalia. Sed corpora nostra reipsa fient immortalia, non autem sola significatione: igitur panis terrenus reipsa fit corpus Christi, non sola significatione.

AD omnia respondere conantur hæretici. Ad primum Beza respondet in Cyclope, per Eucharistiam corpora fieri immortalia, quia per eam fide coniungimur ipsissimo corpori Christi, ex quo tam animus, quàm corpus viuificatur. Paulò planiùs id explicat Petrus Martyr, libro contra Gardinerum, obiecto 151. vbi dicit, per Eucharistiam corpora nostra fieri immortalia, quia per eam fide apprehendimus Christum, ex ea fide renouatur anima, ea renouatio redundat in corpus, illúdque facit paulatim aptum instrumentum Dei, & vitæ æternæ capax.

AT contrà. Nam Irenæus (vt aduersarij fatentur) contendit probare hæreticis sui temporis veram carnis nostræ resurrectionem aliquando futuram, idque probat, quia ipsa caro nostra per Eucharistiam coniungitur immortali, & viuificatrici Christi carni. At si esset vera aduersariorum sententia, Irenæi argumentum vel nihil concluderet, vel certè esset superuacaneum. Nam quinegãt resurrectionem carnis, & nõ admittunt illam redundantiam gratiæ ex anima in corpus, in qua ponit Petrus Martyr totam vim argumenti Irenæi, admittent, quod dicit Beza, Christi corpus animo apprehensum, animam & corpus viuificare: immò dicent inde sequi, corpus non

viuificari,sed solam animam,cùm illa sola Christum apprehendat. Deinde,quid erat opus vrgere tantopere Eucharistiam ad probandam resurrectionem,quòd Irenæus facit,tum hoc loco,tum lib.5. & alibi? Nam satis erat dicere, Christum per fidem apprehensum viuificaturum animas,& corpora nostra: impertinens autem est, vnde excitetur illa fides, vtrũ sumptione Eucharistiæ, aut Baptismi,aut solo Dei verbo,aut aliquo miraculo;ista enim omnia nihil sunt apud aduersarios, nisi instrumenta excitandæ fidei.

AD secundum respondet Martyr,lib.contra Gardinerum,obiecto 152.& 153.Eucharistiam vocari panem nõ communem, quia est Sacramentum quoddam, proinde panem sacrum non vulgarem dici debere. Constare autem,ait,re terrena,& cœlesti,id est,symbolo,& re significata, licet res significata procul absit, sine pane,& sanctificatione. Est enim panis res terrena, sanctificatio autem, qua panis Sacramentum efficitur, res est cœlestis.

VTRAQVE absurda est explicatio:ac primum rem terrenam esse symbola,rem cœlestem esse rem significatam, sed absentem, nullo modo fieri potest. Nam nihil constare dicitur ex eo,quod in ipso non est:Eucharistiã autem constare dicit Irenæus ex duabus rebus, terrena vna,altera cœlesti; vult ergo vtramque rem esse in ipsa Eucharistia.

RESPONDET Martyr,omninò constare posse aliquid ex eo,quod in ipso nõ est:*Nam sermo noster*,inquit, *constat ex voce,& re significata, & tamen res significata sæpe longissimè abest à voce. Præterea Paulus dicit,Sacramenta veteris Testamenti constitisse ex symbolis,& corpore Christi:manducabant enim eandem escam nobiscum*,1.Cor. 10. *At corpus Christi tam procul aberat, vt ne natum quidem esset.*

HIC verò prodit suam imperitiam Petrus Martyr. Quis enim vnquam dixit,sermonem constare ex voce,& re significata? nonne relatiuè opponuntur signum & res significata? quomodo igitur potest aliquid ex oppositis constare? fefellit eum fortasse,quòd dici soleat,sermonem constare ex voce, & significatione. Sed significatio in ipsa voce est,vt relatio in suo subiecto; ac proinde non potest ex ea probare Petrus Martyr aliquid constare ex eo,quod in ipso non est. Quod verò addit de Sacramentis veteribus ex Paulo, impudens mendacium est. Nusquam enim Paulus dixit,Sacramenta vetera constitisse ex symbolis,& corpore Christi: nec dixit Patres veteris Testamenti manducasse eandem escam nobiscum, vt suprà sæpius demonstrauimus.

IAM verò illa altera expositio,qua per rem cœlestem intelligunt cõsecrationẽ, siue sanctificationẽ, æquè facilè refelli potest. Nam nullã ipsi agnoscunt veram consecrationem panis;quam enim nos adhibemus, incantationẽ vocant: sed solùm illis consecratio est, panem deputari à Deo ad Sacramenti vsum, id est, vt repræsentet corpus Christi:quæ consecratio nihil reale ponit in pane,sed merum respectum rationis. Porrò Irenæus de rebus loquitur,non de entibus rationis,cùm dicit Eucharistiam cõstare duabus rebus,vna terrena, altera cœlesti. Et confirmatur argumentum ex ipso aduersariorum testimonio. Nam cùm quæritur, quid sit res terrena, & nos dicimus esse accidentia panis sensibilia, illi clamant, rem terrenam debere esse substantiam,non sola accidentia. Si ergo res terrena,vt verè dici possit res,debet esse substantia;res cœlestis,vt res verè dici possit, nónne debet esse etiam substantia? quomodo igitur exponunt per rem cœlestem,consecrationem,quæ in re nihil est? Præterea nemo ita loquitur de aliis Sacramentis,vt dicat aquam Baptismi constare duabus rebus,vna terrena, altera cœlesti;& tamen aqua Baptismi, symbolum est Sacramenti, vt panis Eucharistiæ. Denique consecratio non habet eã vim,quam tribuit Irenæus rei cœlesti in Eucharistia: ipse enim vult Eucharistiam,quia re cœlesti constat,facere corpora nostra immortalia ex mortalibus. At non habet sola consecratio istam virtutem, & præsertim secundum aduersarios,qui nullam vim tribuunt Sacramẽtis,nisi ad fidem excitandam repræsentando. Vera igitur expositio est, rem terrenam esse id,quod sensu percipitur in Eucharistia (illud enim etsi reuera substantia non sit,tamen vera res, & verè terrena est, alioqui sensibus corporalibus apprehendi non posset)rem cœlestem esse id,quod creditur,nimirum Christi corpus glorioſum,& immortale.

AD tertium nostrum argumentum respondet Petrus Martyr, lib. contra Gardinerum,obiecto 152.ex verbis Irenæi colligi contrarium eius,quod nos volumus. Ille enim dicit, sic mutari panem per consecrationem, & ex communi fieri sacrum & cœlestem,quomodo per ipsam Eucharistiam corpora nostra fiunt immortalia ex mortalibus. At nostra corpora non mutantur substãtialiter,sed accidentaliter tantùm; ergo & panis ille non mutatur nisi accidentaliter; quia nimirum fit Sacramentum religionis,cùm antea cibus esset tantùm vulgaris.

RESPONDEO dupliciter. Primò, quæ adferuntur vt similia,debere esse similia in re,de qua disputatur,nõ autem in omnibus. Volebat autem Irenæus ostendere, corpora nostra verè resurgere,& fieri ex mortalibus immortalia;id ostendit hac similitudine: Sicut panis communis, & proinde corruptibilis, per consecrationem fit panis cœlestis, & incorruptibilis, ita corpora nostra corruptibilia per Eucharistiæ perceptionem fiunt incorruptibilia. In qua similitudine id requiritur,& sufficit,vt sicut corpora nostra verè mutantur, & fiunt incorruptibilia ex corruptibilibus, ita panis ille communis verè mutetur; & fiat incorruptibilis: vtrum autem id fiat per mutationem substantiæ aut accidentium, impertinens est,vt patet.

SECVNDÒ tamen respondeo cum Ioan. à Louanio in lib.de Eucharist. Irenæum loqui de mutatione substantiali, tam panis, quàm etiam corporum nostrorum. Nam loquitur de mutatione, quæ fiet in resurrectione, quando pulueres,seu cineres corporum nostrorum mutabuntur in corpora humana glorioſa & immortalia: id enim apertissimè Irenæus demonstrat lib.5.c.2. Ibi enim cùm dixisset non posse fieri, quin caro nostra resurgat immortalis,cùm nutriatur corpore, & sanguine Christi, rebus nimirum immortalibus,ita subiungit: *Et quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei,qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in vsum hominibus veniunt,& percipientia verbum Dei fiunt Eucharistia, quod est corpus, & sanguis Christi:sic & nostra corpora ex ea nutrita,& reposita in terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris.* Vbi pulchrè Irenæus comparat corpora nostra cum grano tritici, quod in terra dissoluitur, & corrumpitur, virtutem autem Eucharistiæ cum spiritu illo, seu genitali virtute, quæ corruptum granum resurgere facit. Nam quemadmodum granum frumenti, etiamsi mutatum fuerit in putredinem, tamen propter illam vim genitalem, quam habet, resurgit in spicam:ita corpora nostra, quamuis in puluerem resoluantur; tamen propter virtutem receptam à communicatione carnis & sanguinis Domini,resurgunt glorioſa & immortalia. Et hoc est etiam,quod Irenæus significat, eùm ait,corpora nostra cõsistere, & augeri ex corpore, & sanguine Christi, quia nimirum Eucharistia facit, vt corpora non solùm non pereant, sed etiam vt resurgant aucta pluribus donis, quàm antea haberent: sicut etiam granum non resurgit simpliciter in granum, sed in spicam, id est,

multiplicatum,& auctum.

VNVM argumẽtum ex Irenæo pro se adducit Petrus Martyr lib.contra Gardin.obiecto 154.156.157. Nam Irenæus scribit,ipsum panem esse corpus Christi,quod non potest esse verum,nisi tropicè accipiendo corpus Christi, lib.4.c.32. *Eum*,inquit Irenæus,*qui est ex creatura,panem accepit,& gratias egit,dicens,Hoc est corpus meum:& calicem similiter, qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est.* Et lib.eodem c.34. *Quomodo constabit eum panem,in quo gratiæ actæ sunt,esse corpus Dominiẽ&c.* Et lib.eodem cap.57. *Accipiens panem,suum corpus confitebatur.*

RESPONDEO, Irenæus non significat, panem simpliciter esse corpus Christi,sed panem,in quo gratiæ actę sunt,id est,panem sanctificatum, & factum Eucharistiã, vt Iustinus loquebatur, τροφὴ εὐχαριστηθεῖσα. Credibile enim omninò est,Irenæum eadem voce Græca vsum,quã interpres nõ potuit reddere vnica voce, sed per circumloquutionem expressit. Porrò, panis factus Eucharistia, verè & propriè est corpus Christi. Similis loquutio esset, si quis diceret: Virga Moysis versa in draconem ambulabat & comedebat:& aqua à Christo in vinum conuersa, colorem & saporem vini habebat.

PROFERT etiam aliud argumentum Petrus Martyr ex eo,quòd Irenæus dicit,corpore Christi ali, & augeri corpora nostra. Sed hoc iam est solutum.

CAPVT VII.

Tertia ætas Ecclesiæ ab anno Domini cc.ad ccc.

Testimonium Tertulliani.

IN tertia ætate habemus tres testes, Tertullianũ, Origenem,Cyprianum. Tertullianus ad initium anni CC. floruit, & quamuis hæreticus fuerit Montanista in extrema ætate sua,tamen à nullo veterum Patrum reprehenditur hoc nomine, quòd errauerit circa Sacramẽtum Dominici corporis. Itaque potest ad testimonium diceadum,tanquam auctor antiquissimus, & doctus, admitti, vt etiam eum admittunt hæretici huius temporis.

IS igitur in lib.2.ad vxorem, cùm hortaretur fœminas Christianas,vt non nuberent Gentilibus maritis,præter alia argumenta, quibus id persuadere nititur, vnum sumit ab Eucharistiæ communicatione. Nam aut oportebit clam marito sumere Eucharistiam, & hoc vix fieri poterit:aut illo sciente, & tum exponetur Sacramentum contẽptui: *Non sciet*,inquit,*maritus quid secretò ante omnẽ cibum gustes: & si sciuerit,panem, non illum credit esse qui dicitur.* Hęc ille. Vbi Tertullianus satis apertè indicat Eucharistiam non esse panem materialem,licet id videatur esse Gentilibus,sed esse Christum.

RESPONDET Petrus Martyr.in lib.contra Gardinerum,obiecto 160,velle Tertullianum dicere,Gentiles non scire Eucharistiam esse Sacramentum,sed profanum panem solummodo credere.

AT repugnat ratio Grammaticæ. Nam Tertullianus ait:*Et si sciuerit, panem,non illum credit esse,qui dicitur*:nõ autem ait: Non illud credit esse, quod dicitur:certè Sacramentum est generis neutri,non masculini. Denique nulla difficultas erat, vel fœminæ Christianæ significandi panem illum esse sacrum,quòd repræsentaret Christum, vel viro Gentili id credendi. Tertullianus autem loquitur de re,quam maritus Gentilis non facilè credere posset,nec rutò illi explicanda esset.

IDEM Tertullianus in lib. de corona militis inter alios Christianos ritus ponit summam cautionem,quam adhibebant Christiani, ne aliquid Eucharistiæ in terram caderet:*Calicis*,inquit,*aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur*. Hæc ille: de quo argumento suprà diximus in testimonio S.Pij Papæ.

IDEM Tertullianus in libro de resurrectione carnis probat,verè carnem resurrecturam,& non solam animã saluandam, ex eo, quòd omnia Sacramenta per corpus transeunt ad animam: *Caro*,inquit,*abluitur,vt anima emaculetur:caro inungitur, vt anima consecretur: Caro corpore & sanguine Christi vescitur,vt anima de Deo saginetur.*

RESPONDENT,Petrus Martyr loco citato,& Beza in Cyclope,& Boquinus in libro de cœna Domini,à Tertulliano vocari corpus Christi ipsum Sacramentum corporis, quia repræsentat per modum signi ipsum verum corpus Christi.

AT si ita est,argumentum Tertulliani concidit. Dicent enim hæretici,qui negabant veram resurrectionem, quòd sicut sola anima verum corpus Christi percipit, caro autem non ipsum corpus,sed eius figuram: ita solam animam verè & propriè resurgere, carnem autem non verè & propriè,sed metaphoricè.

IDEM denique in libro de idololatria reprehendens quosdam, qui artifices idolorum ad Sacerdotium, vel certè Diaconatum promouebant: *Probè scelus*,inquit,*semel Iudæi Christo manus intulerunt,isti quotidie corpus eius lacessunt,ô manus præcidendæ,&c.* At certè non conferret Tertullianus crimen eorum, qui indignè tractant hoc Sacramentum,cum Christi crucifixione,nec manus illas præcidendas diceret,si tantùm putaret esse in Sacramento corporis Christi figuram. Nam etiamsi iniuria imaginis refertur(vt suprà diximus)ad exemplar,tamen quando non fit ea intentione,vt lædatur exemplar,non est crimen vllo modo conferendum cum iniuria, quæ fit ipsi exemplari in se. Tertullianus autem non loquitur de illis,qui dedita opera,& vt Christum iniuria afficerent,Sacramentum eius violabant,sed de illis,qui cùm peccatores essent,audebant corpus Domini tractare,& porrigere communicaturis.

SED videamus quid illi ex Tertulliano adferant. Tria igitur testimonia ex illo producunt. Primum est lib. 1.contra Marcionem,paulò ante medium:*Sed ille*,inquit, *vsque nunc nec aquam reprobauit Creatoris,qua suos abluit: nec oleum,quo suos vngit: nec mellis, & lactis societatem, qua suos infantat: nec panem, in quo ipsum corpus suum repræsentat.*

RESPONDEO, verbum repræsentandi ambiguum est: significat enim præsentem rem aliquam facere, siue reipsa,siue in signo aliquo, vel imagine. Ac,vt omittam testimonia Ciceronis, & etiam sanctorum Patrum, qui frequenter vtuntur hac voce ad significandum rem aliquam verè, & propriè præsentem exhiberi: Tertullianus ipse vtriusque significationis exempla præbere potest,lib.4.in Marcionem, circa medium: *Itaque*,inquit, *tam repræsentans eum:Hic est Filius meus,&c.* vbi dicit Deũ Patrem,qui aliquando promiserat Filium, eundem repræsentasse, cùm ait in monte Thabor: *Hic est Filius meus*, vbi apertissimè vocat repræsentare, exhibere reipsa:& in lib.contra Praxeam vocat Filium Patris repræsentatorem, quia reuera Pater est in Filio. Sed ipse idem in lib. de pœniten. distinguit adulterium reipsa commissum,ab adulterio per concupiscentiam in mente repræsentatum: vbi repræsentare est exhibere non reipsa, sed in imagine.

CVM ergo vox ambigua sit, non potest rectè vllo modo colligi, Tertullianum loqui de repræsentatione in signo, & non in re: immò contrà potiùs, quia magis proptiè dicitur repræsẽtari,quod reipsa exhiberur,quàm quod solùm in signo: probabiliùs colligetur Tertullianum loqui de repræsentatione, qua reipsa corpus Domini exhibetur.

QVARE Perrus Martyr libro contra Gardin. obiecto 160. tractans hunc locum Tertulliani, fatetur non posse ex hoc solo loco aliquid certi concludi, sed oportere ex aliis locis, venari mentem Tertulliani, & remittit nos ad alium locum, quem nos paulò pòst excutiemus.

SECVNDVM testimonium proferunt ex lib. 3. contra Marcionem, & ex lib. cõtra Iudæos: nam eadem verba in vtroque libro habentur. Sic ergo Tertullianus in libro contra Iudaeos, ait: *De hoc ligno Deus per Hieremiam insinuat, quod essetis dicturi: Venite, mittamus lignum in panem eius. Vtique in corpus eius lignum missum est. sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans, cuius retrò corpus in panem Prophetes nunciauit.* Et rursus sic ait lib. 3. in Marcionem: *Hoc lignum, & Hieremias tibi insinuat dicturis prædicans Iudais: Venite, mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem corpus suum appellans, vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figurã panis dedisse, cuius retrò corpus in panem Prophetes figurauit.*

RESPONDEO, hic locus Catholicis fauet, non hæreticis, si sententia Tertulliani diligenter consideretur. Nam scribit ipse apud Hieremiam per panem intelligi corpus Christi, quod in ligno crucis affixum fuit: atque addit, Christum ipsum ita explicuisse prophetiam Hieremiæ, cùm de pane Eucharistiæ dixit: *Hoc est corpus meum, quòd pro vobis tradetur.*

VBI necesse est per panem apud Hieremiam, non accipere panem materialem, qui significet corpus Christi (vt hæretici loquuntur de pane Eucharistiæ) sequeretur enim panem fuisse crucifixũ, non autem ipsum Christum, si ita acciperemus eo loco panem; sed accipere cogimur per panem, ipsum verum Christi corpus, quod est panis vitæ. Itaque Hieremias loquitur quidem figuratè, sed tropus non est in eo quòd panis dicatur corpus, quia sit corporis signum, sed in eo quòd corpus dicatur panis, quia nutrit animas nostras instar panis: vt etiam rectè exposuit Lactantius lib. 4. diuin. Instit. c. 18. vbi dicit, corpus Domini vocari panem à Hieremia, quia est cibus, & vota hominum, qui credunt in eum. Sed Christus per Tertullianum declarauit prophetiam Hieremiæ, cùm ait de pane: *Hoc est corpus meum*, ergo Christus non de pane materiali dixit: *Hoc est corpus meum*, sed de pane cœlesti, qui est verè corpus eius. Nam si Dominus de pane materiali dixisset, *Hoc est corpus meum*, sequeretur, panem materialem fuisse pro nobis crucifixum; de illo enim pane dixit: *Hoc est corpus meum*, secũdum Tertullianum, de quo dixit Hieremias: *Mittamus lignum in panem eius.* Quare ex sententia Tertulliani, illud pronomen, *Hoc*, demonstrat quidem panem, sed panem cœlestem, vel certè demonstrat panem terrenum, non qui maneat, sed qui mutetur in corpus Christi, vt sensus sit eorum verborũ (secundum Tertullianum) *Hoc est corpus meum*, id est, Hic panis, quem vobis porrigo, non est panis communis, sed est ipsum corpus meum. vel, Hoc, quod hactenus fuit panis communis, iam est corpus meum.

PORRÒ illa verba obscurissima Tertulliani ex lib. 3. contra Marcionem: *Hinc intelliges corporis sui figuram panis dedisse*, non significant Christum dedisse Apostolis figuram corporis sui, non ipsum corpus: alioqui non diceret corporis figuram panis: sed figuram corporis panè dedisse. Significat igitur Christum dedisse, id est, explicuisse, siue implêsse figuram corporis sui, quam in pane Hieremias posuerat. Itaque sic ordinanda sunt illa verba; Hinc, intelliges corporis sui figuram: figuram, inquam, panis, id est, in panis vocabulo latentem, Christum aperuisse: vnde subiungit: *Cuius retrò corpus in panem Prophetes figurauit.* Est enim antithesis quædam in his verbis notanda: nam sicut Hieremias panem dixit, cùm significare vellet corpus Domini: sic è contrario Dominus corpus suum esse dixit, cùm panem vitæ discipulis daret.

SEQVITVR tertius locus ex lib. 4. contra Marcionem, vbi sic legimus: *„Acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum illum fecit: Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.*

RESPONDEO, priora verba huius testimonij, quod omnes Sacramentarij tanquam Achillem quendam in prima acie constituunt, pro nobis maximè faciunt: posteriora autem nihil obsunt causæ nostræ. Illud enim: *Acceptum panem corpus suum fecit dicendo: Hoc est corpus meum*, apertè indicat panis realem mutationem in corpus Christi, illud autem: *Hoc est figura corporis mei*, non significat (vt Sacramentarij credunt) panem Eucharistiæ esse figurã corporis Domini, sed quod fuit olim figura in Testamento veteri, nunc in corporis veritatem esse mutatum. Coniungitur enim illud, *Figura corporis mei*, non cũ voce proximè præcedente, *corpus meum*, sed cum pronomine, *Hoc*, vt sit hic sensus: Acceptum panem corpus suũ fecit, dicendo, Hoc, id est, panis, qui olim fuit figura corporis mei, nũc est corpus meum: vbi pronomen, *Hoc*, demonstrat panem, non qui manet, sed qui mutatur, vt suprà diximus.

ID autem ita esse probatur primò ex illis verbis sequentibus: *Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* Si enim per figuram intelligeret Eucharistiam, non diceret, *non fuisset*, sed, non esset: loquitur igitur de figura Testamenti veteris, quæ sine dubio vera figura non fuisset, nisi corpus verum ei responderet.

SECVNDÒ idem patet ex verbis paulò infrà sequẽtibus: *Cur*, inquit, *panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam: Venite conjiciamus lignum in panem eius, scilicet crucem in corpus eius? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem.* Vbi Tertullianus dicit, Christum vocasse corpus suum panem, non peponem, aut aliquem alium cibum, vt impleret figuram Hieremiæ, qui nomine panis significauerat Christi corpus: non ergo Christus instituit in Eucharistia figuram corporis sui, vt aduersarij volunt, sed impleuit figuram veterem, ex pane conficiendo corpus suum.

TERTIÒ ex verbis aliis sequentibus, vbi explicans prophetiam Iacob. Gen. 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Stolam*, inquit, *carnem demonstrat, & vinum sanguinem. Ita & nunc sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit.* Vbi notandum, quòd sicut apud Hieremiam panis significabat corpus, quia corpus Domini est cibus fideliũ, vt suprà diximus: ita vinum apud Iacobum Patriarcham significat sanguinem Domini, quia sanguis Domini est potus fidelium. Christus autem vt explicaret istas figuras, seu vaticinia, corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini nobis tradidit: & sanè si non verum corpus & sanguinem reipsa dedisset, non rectè explicuisset, vel implêsset vaticinia. Nam tam Hieremias per panem verum corpus, quàm Iacob per vinum verum sanguinem prænunciauit, vt Tertullianus dicit. Illa autem verba Tertulliani: *Qui tunc vinum in sanguine figurauit*, referuntur ad illa verba Iacobi, *in sanguine vuæ pallium suum.* Vult enim dicere, per sanguinem vuæ, intelligi vinum, sed per vinum intelligi sanguinem Domini, vt ipse explicat, cùm ait per stolam carnem, per vinum sanguinem demonstrans.

QVARTÒ denique idem patet ex progressu totius libri. Nam propositum eius erat ostendere Christum in Euangelio non destruxisse Testamentum vetus, sed illud implêsse. Itaque percurrit Tertullianus plurima Christi opera, ac demonstrat Christum in omnibus illis dedisse operam, vt impleret figuras legis: igitur hoc etiam loco

non

non inducit figuram institutam in Testamento nouo, sed impletionem tantùm veterum figurarum.

CAPVT VIII.

Testimonium Origenis.

ORIGENES, qui Tertulliano non multò posterior fuit, multis in locis de Sacramento Eucharistiæ loquitur: ac primum homil. 13. in Exodum, exponens c. 25. eius libri, cùm hortari vellet populum, vt non contemneret verbum Dei, adducit exemplũ diligentiæ omnium Christianorum in conseruãdo Christi corpore: *Volo*, inquit, *vos admonere religionis vestræ exemplis: nostis, qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cùm omni cautela, & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur: reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat.* Hæc ille. Porrò aduersarij, neque corpus Domini seruant, cùm non agnoscant Sacramentũ, nisi in vsu, neque conseruant, neque reos se putant, si quid illius panis, aut vini in terrã cadat. Et meritò non putant, quia nihil nisi panem habẽt: at si verè corpus Domini haberent, aut habere se crederent, certè vel diligentissimè conseruarent, vt semper Ecclesia fecit, aut se apertè impios, & sacrilegos testarentur. Ad hoc testimonium, vt etiam ad sequens, non vidi responsionem aduersariorum.

ALTERVM testimonium Origenis est in homil. 5. in diuersa loca Euangelij, in qua tractat de puero Centurionis: *Quando sanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas, & bibis corpus, & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Hæc ille. Sanè ista non possunt rectè dici nisi de vero corpore Domini, quod verè ore corporis accipiatur. Nam si loqueretur Origenes de corpore Domini per metonymiam, id est, de pane significante corpus Christi, non vocaret eum panem incorruptum epulum, nec ei dici vellet: *Domine non sum dignus, &c.* Si verò loqueretur de ipso Christo per panem significato, qui per fidem accipitur, non diceret: *Vbi indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Nam secundum aduersarios Christus per fidem non potest accipi nisi à piis, & ad vitam: quod enim indignè accipitur ab impiis, non est nisi externum symbolum, secundum aduersarios. At Origenes illi, qui ingreditur ad pios, & impios, vult dici: *Domine non sum dignus*, ergo vel vult adorari, & inuocari panem, quod est absurdissimum, vel vult sub illis speciebus verè Christum ipsum contineri.

TERTIVS locus est homil. 7. in libro Numeri, *Tunc*, inquit, *in ænigmate erat Manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei, & verus cibus, sicut ipse dicit, quia caro mea verè est cibus.* Hæc ille. At certè species cùm ænigmati opponitur, idem significat, quod veritas collata figuræ. Si autem Eucharistia esset corpus Christi solùm tropicè, nõ in specie, sed in ænigmate dici deberet caro Domini: nam etiam Manna erat corpus Domini tropicè, id est, significatiuè. Et confirmatur argumentum ex verbis præcedẽtibus, vbi Origenes dicit Hebræos habuisse Baptismum in ænigmate, dum transirent mare rubrum, nobis autem in specie per Baptismum conferri regenerationem. At vera regeneratio nobis datur in Baptismo, quam non dabat, sed adumbrabat solùm trãsitus maris rubri: ergo eodem modo vera caro nobis datur in Eucharistia, quam non dabat, sed in ænigmate significabat Manna Iudæorum.

AD hunc locum respondent aduersarij, ac maximè Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum parte quarta, Origenem loqui de modo loquendi, non de existentia rerum, id est, asserere Iudæos habuisse corpus Christi in ænigmate, quia nõ declarabatur eis quid significaret Mãna: nobis autem dari in specie, quia apertè nobis dicitur, quid significet panis Eucharistiæ.

SED fallitur, aut fallit Petrus Martyr. Nam Origenes vtrumque dicit, & Deum loquutum olim in ænigmate, nunc autem apertè loqui, & Deum dedisse in ænigmate, quod non in specie dat. Sic enim ait: *Veruntamen Moyses, priusquam acciperet Aethiopissam, non est scriptum, quæ in specie loquutus sit ei Deus, & non in ænigmate: sed vbi accepit Aethiopissam, tunc dicit de eo Deus, quia os ad os loquar ad eum, in specie, & non in ænigmate. Multò enim cùm Moyses venit ad nos, & cõiũctus est huic nostræ Aethiopissæ, lex Dei, iam non in figuris, & imaginibus, sicut priùs, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur: & quæ priùs in ænigmate designabantur, nunc in specie, & veritate complentur.* Hæc ille. Vides hîc non solùm Deum clariùs loqui, sed etiam reipsa præstare, quæ in ænigmate designabat: Eucharistia igitur veram carnem continet, quam in ænigmate Manna designabat.

VIDEAMVS nunc quid illi contra nos adferant ex Origene. Profert Petrus Martyr loca sex Origenis in lib. contra Gardinerum, obiecto 162. & sequentibus, quæ tamen, aut nihil concludunt, aut nobis magis, quàm aduersariis fauent. Primus locus est ex homil. 16. in Numeros: *Bibere*, inquit, *dicimur sanguinem Christi non solùm Sacramentorum ritu, sed etiam cùm sermones eius recipimus.* Hæc ille. Hinc aduersarij probare nituntur in Sacramentis nõ bibi sanguinem Christi, nisi spiritualiter, sicut non nisi spiritualiter bibitur in concione.

AT contrarium potiùs sequitur. Non enim dicit Origenes eodem modo bibi Christi sanguinem in Sacramentis, quo bibitur in concione: immò cùm distinguat hos duos modos, indicat esse modos diuersos, & per hoc bibi in concione spiritualiter, in Sacramentis autem reipsa.

SECVNDVS locus est ex commentario Origenis in c. 26. Matt. vbi sic legimus: *Panis iste, quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum.* Notat Martyr panẽ ipsum vocari corpus Christi: proinde panem materialem esse in Eucharistia. Deinde addit, eum panem dici verbum, quia sacramenta sunt verba visibilia. Addit denique, non posse panem dici verbum nutritorium, si per transubstantiationem euanescat: id enim quod nihil est, non potest aliquid nutrire.

RESPONDEO, Origenes prætermisso literali sensu omnibus noto, exponit mysticè totum hunc locum. Nec per panem intelligit panem materialem, qui sit verbum visibile: sed intelligit sermones Christi, seu verba Dei nõ visibilia; sed audibilia: dicit enim hoc verbum esse verbũ de Deo Verbo procedens, & panem de pane cœlesti, id est, esse sermonem quem loquitur Christus, qui est Deus Verbum, & panis cœlestis. Vide totum locum tract. 35. in Matthæum, & nihil dubitabis, quin mystica sit, non literalis Origenis expositio.

TERTIVS locus est in hom. 7. in Leuiticũ, vbi postquam dixerat Origenes, carnẽ Christi esse verbum Dei, subiungit: *Si enim secundum literam sequaris hoc, quod dictum est: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit hæc litera.* Vbi videtur non admittere vllum alium sensum, nisi mysticum.

RESPONDEO primùm: Si quid probat hoc testimonium, solùm probat non agi de Eucharistia in 6. c. Ioã. nõ autem probat in Eucharistia non esse verum Christi corpus. Nam etiam aduersarij docent Ioan. 6. non agi de Eucharistia, & tamen non concederent, carnem Christi non manducari, nisi audiendo concionem: hoc enim esset planè tollere Sacramentum Eucharistiæ.

DICO secundò, illa verba: *Nisi manducaueritis carnẽ Filij hominis*, tribus modis exponi posse. Vno modo prorsus mysticè & figuratè, & hoc modo exponit hoc loco Origenes, dum per carnem Domini intelligit sermones diuinos. Altero modo prorsus ad literam, id est, sine vlla adiunctione mysterij: & hoc modo acceperunt Capharnaitæ, qui putarunt edendam Christi carnem, quomodo comeduntur cæteræ carnes, id est, eam lacerando & consumendo: & de hoc sensu rectè dicit hoc loco Origenes: *Litera occidit*: & Augustinus lib. 3. doctrinæ Christianæ, cap. 16. dicit, verba Domini ita ad literam accepta, scelus quoddam sonare. Tertiò modo non omnino ad literam, nec omnino figuratè, sed ad literam quoad substantiam rei, & manducationis, figuratè autem, quoad modũ manducationis, vt videlicet sensus sit: manducandam verè Christi carnem, sed sine vlla sui læsione, vt suprà diximus in explicatione sententiæ S. Augustini de his verbis: atque hunc sensum hoc loco Origenes non attingit, sed non reiicit; & hom. 7. in Numeros, eundem apertè recipit cùm de Eucharistia ad literam exponit illa verba: *Caro mea verè est cibus*.

QVARTVS locus est hom. 9. in Leuiticum prope finem: *Non hæreas in sanguine carnis, sed disce potiùs sanguinem Verbi, & audi ipsum tibi dicẽtem, quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*. Hîc Petrus Martyr doceri contendit, vt non existimemus in Sacramento esse verum sanguinem carnis Dominicæ, sed erigamus mentem ad significationem Verbi. Si enim reuera sanguis Domini esset in Eucharistia, oporteret illi inhærere, vt precio nostro, illúdque submissè adorare.

RESPONDEO, Toto cœlo hoc loco aberrat Petrus Martyr cum aliis Caluinistis, dum existimat sanguinem Verbi esse prædicationem, seu significationem verborũ Domini. Vocat enim Origenes sanguinem Verbi, sanguinem verum, & corporalem Dei Verbi, id est, Christi: ac monet vt non inhæreamus in eo sanguine, tanquam in sanguine carnis, ac si nihil esset, nisi sanguis quidam humanus, sed cõsideremus eum esse sanguinem ipsius Dei, quo redempti sumus. Vel (quod videtur probabilius) monet, vt non hæreamus in sanguine carnis, id est, in sanguine vitulorum, & hircorum, de quo loquitur Moses in eo loco Leuitici: sed eo dimisso ascendamus ad sanguinem Dei Verbi, qui per sanguinem illum vitulorum, & hircorum significabatur. Intelligere autem Origenem per sanguinem Verbi ipsum verum, & corporalem Christi sanguinem, patet, quia de hoc sanguine Verbi dicit Origenes, eo nos esse redempros. At non sumus redempti significatione verborum, sed veri sanguinis effusione. Item dicit de hoc sanguine scriptum esse: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*. At hæc verba non possunt intelligi de concione, sed de vero sanguine, vt patet. Denique addit ibidem Origenes hæc verba: *Nouit qui mysteriis imbutus est, & carnem, & sanguinem Verbi Dei: nõ ergo immoremur in his, quæ & scientibus nota sunt, & ignorantibus patere non possunt*. Vbi Origenes dicit fideles satis nosse, quid sit caro, & sanguis Verbi Dei; infideles autem nec scire, nec dicere posse, nisi priùs ad fidẽ veniant. At quid sit concio, quid passio Christi prædicata, etiam infideles norunt: omnibus enim in commune prædicatur Euangelium, non igitur loquitur de concione, sed de mysterio altissimo Eucharistiæ, quod infideles non norunt, nec discere possunt. Vides quomodo testimonium Origenis contra nos allatum maximè nobis faueat?

QVINTVM testimonium sumunt ex commentario in c. 15. Matthæi, vbi Origenes tractans illa verba Domini: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem*: quædam dicit de hoc Sacramento, quæ Petrus Martyr, & alij Caluinistæ pro sua sententia adducunt. Primò dicit, corporalem esum Eucharistiæ rem esse indifferentem, id est, nec bonum, nec malum: *Quod*, inquit, *ad esum per se attinet, neque ex hoc, quod non edimus de pane, verbo Dei & per obsecrationem sanctificato, fraudamur aliquo bono, neque ex edendo abundamus aliquo bono: siquidem causa defectus est malitia, peccatáque: & abundantiæ causa est iustitia, & recta facta*. Hæc ille. At si esset in Eucharistia reipsa Domini corpus, rectè prodesset visu, & non solùm ex bonitate sumentis. Secundò dicit, in Eucharistia esse materiam panis, quæ in secessum emittitur: *Et ille cibus*, inquit, *qui sanctificatur per verbum Dei, & orationem, iuxta id, quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum emittitur*. Et infrà: *Nec materia panis, sed super illam dictus sermo est, qui prodest non indignè Domino comedenti illum*. Tertiò vocat Eucharistiam corpus typicum, & symbolicum, & distinguit illud à vero Christi corpore: *Et hæc quidem*, inquit, *de typico, symbolicóque corpore. Multa porrò & de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro, verúsque cibus, &c.* Quartò dicit, corpus Christi non posse manducari à peccatoribus: *Si fieri posset*, inquit, *vt qui malus adhuc perseueret, edat Verbum factum carnem, cùm sit Verbum, & panis viuus, nequaquam scriptum esset: Quisquis ederit panem hunc, viuet in æternum*. Ob hæc loca ita triumphat Petrus Martyr, vt dicat lib. 1. contra Gardinerum, obiecto 169. *Locum hunc nunquam nobis excutiet: verba ita sunt perspicua, vt nullis ambagibus, aut commentis possint mitigari*.

AD hæc loca quidam respondent, commentaria ista non esse integræ fidei, neque omnino constare, an sint Origenis: modus enim loquendi (quidquid sit de re) non parum dissonat ab his locis, quæ nos suprà citauimus ex veris libris Origenis.

ALII respondent, Origenem hoc loco non loqui de Eucharistia, sed de pane quodam sanctificato, qui dabatur Catechumenis loco Eucharistiæ, de quo scribit etiam Aug. lib. 2. de pecca. merit. & rem. cap. 26. qui panis rectè dici poterat corpus Domini symbolicum, quia repræsentabat Eucharistiam, cùm eius loco daretur. Vnum obstat huic explicationi, quòd Origenes de isto pane indignè manducato intelligat Apostolum 1. Cor. 11. vbi ait: *Propter hoc multi inter vos imbeciles, & dormiunt multi*. Nisi fortè Origenes extendere voluerit verba illa Pauli, quæ propriè ad Eucharistiam pertinent, ad panem illum Catechumenorum: nam suo modo, id est, seruata proportione, peccat etiam, qui contemnit panem illum sanctificatum, licet multò minùs, quàm qui despicit Eucharistiam.

SED his omissis, respondeo illa omnia, quæ Origenes dicit, posse rectè intelligi de Sacramento Eucharistiæ. Ad primum igitur respondeo, loqui Origenem præcisè de esu corporali Eucharistiæ, abstrahẽdo à bonitate, vel malitia sumentis; & hoc modo verum est, esum illum non prodesse, si adsit: nec obesse, si absit. Nihil enim prodest comedere corporaliter Eucharistiam, nisi adsit etiam spiritualis manducatio; quia hic cibus mentis est, non ventris: neque obest non manducare, si non ex contemptu, sed aliqua iusta de causa omittatur Sacramentalis manducatio. Neque ex hoc colligi debet, Eucharistiam esse rem indifferentem, & non habere vim sanctificandi, nec ex fide sumentis. Nam non dicit Origenes, eam non habere vim ex se, sed dicit non exercere eam vim in eos, qui indignè sumunt, quod est verissimum.

AT, inquies, *comparat Eucharistiam Origenes cum cibis communibus, qui sunt verè indifferentes*. Respondeo, Non comparat, quoad omnia, sed solùm quoad effectum: alioqui idem ipse dixerat, panem illum sanctum vim habere sanctificandi ex verbo Dei, quo consecratus est.

AD secundum respondeo, materiale, quod in secessum abit, appellari ab Origene accidentia visibilia. Neq; obstat, quòd ait Petrus Martyr, illa accidentia ad formam potiùs pertinere, quàm ad materiam, cùm sint qualitates quædam, id est, accidentales formæ. Nam hoc

loco non vocatur aliquid materiale, respectu formæ naturalis, sed respectu sanctificationis, & significationis. Et præterea ex accidentibus Eucharistiæ principale est magnitudo, in qua fundantur omnia alia: magnitudo autem ad materiam potiùs, quàm ad formam pertinet.

AD tertium respondeo, symbola panis, & vini rectè dici corpus typicum, & symbolicum, modò sanè & Catholicè intelligatur: omnes enim Catholici Eucharistiam Sacramentum esse dicunt, signum seu symbolum rei sacræ, id est, corporis Christi. Sed quæstio est inter nos, & Sacramentarios, vtrum hæc symbola sint rei absentis, an præsentis: nos enim dicimus sub illis symbolis verè contineri corpus Dominicum, illi negant. Et præterea ipsum verum corpus, vt in Eucharistia, est typus ac symbolum sui ipsius, vt fuit in cruce, & vt est nunc in cœlo. Nam nõ solùm per Eucharistiam cõmemoramus passionem Domini; sed etiam accipimus pignus æternæ gloriæ. Ab hoc igitur corpore symbolico, & simul vero, distinguit Origenes Verbum Incarnatum, vt extra Sacramentum fide accipitur.

AD quartum respondeo, Origenem loqui de manducatione corporis Christi extra Sacramentum, cùm dicit non posse ab impiis mãducari. Et hoc etiam verissimum est, nam extra Sacramentum manducatur solùm spiritualiter. Loqui autem Origenem de manducatione extra Sacramentum, patet, tum quia distinguit hanc manducationem à manducatione panis sanctificati per verbum Dei, qui est Eucharistiæ Sacramentum, tum etiam, quia allegat illa verba Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, quæ verba non intelliguntur de Eucharistia, sed de ipsa Christi Incarnatione. Distinguuntur enim eo loco à Domino duo panes. Vnus, qui iam tunc præsens erat, & fide comedendus erat, id est, verbum Incarnatum & de hoc dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Alter futurus, in Sacramento videlicet, & de hoc subiungit: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Denique mirum est, cur tantam vim faciant in hoc loco aduersarij, cùm nihil esse putent in 6, c. Ioan. quod ad manducationem Sacramentalem pertineat.

VLTIMVM testimonium Origenis sumunt ex libro 8. contra Celsum, paulò ante medium, vbi sic ait: *Nos, qui rerum omnium conditori placere studemus, cum precibus, & gratiarum actione pro beneficiis acceptis, oblatos panes edimus*. Vbi Eucharistiam panem vocat.

RESPONDEO, Hic locus maximè nobis fauet. Nã non ait Origenes, nos panes simpliciter edere, sed panes mutatos in corpus Christi: sic enim ait, *Oblatos panes edimus corpus sanctum quoddam per preces effectos, & sanctificans eos, qui cum sancto proposito ipso vtuntur*. Quibus verbis non solùm dicit Origenes, panes mutari in corpus, sed etiam offerri Deo, & sanctificare homines, quorum vtrumque negant aduersarij.

AT instat Petrus Martyr libro contra Gardinerum obiecto 168. Origenem non dixisse, mutari panes in corpus sanctum Christi, sed in corpus quoddam sanctum: illud enim, *quoddam*, est diminutiuum, vt cùm dicimus, Hic est quidam Isidorus, lachrymæ sunt quidam sanguis.

RESPONDEO, Si Origenes dixisset, panes mutari in quoddam corpus Christi, haberet locum aduersarij obiectio, significari enim posset panes mutari in corpus non verum, sed repræsentatiuum. At non ita dixit, sed, mutari in sanctum quoddam corpus, vbi illud, *quoddam*, non est diminutiuum, sed declaratiuum in confuso veri corporis Domini. Noluit enim Origenes ethnico palàm dicere, panes mutari in corpus Christi, ne daret illi occasionem magis irridendi mysteria, quæ non intelligebat: sed dixit obscuriùs, mutari in sanctum quoddam corpus, quod corpus norant fideles, cuiusnam esset.

CAPVT IX.

Testimonium S. Cypriani.

TERTIVS testis in eadem tertia ætate, est S. Cyprianus, qui passus est anno Domini CC.LIX. vel circiter. Is igitur in sermone quinto, qui est de lapsis, reprehendens eos, qui post negatum Christum ad Sacramentum Eucharistiæ accedebant, non priùs per debitam pœnitentiam purgati: *Vis*, inquit, *infertur corpori eius, & sanguini: & plus modò in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt*. Hæc ille. At profectò incredibile videtur Cyprianum sensisse, maius esse peccatum indignis manibus tangere signũ aliquod, seu figuram Christum repræsentantem, quàm Christum ipsum negare. Quis enim ita desiperet, vt diceret, grauiùs peccare eum, qui tangeret librum Euangelij, aut imaginem Crucifixi cum conscientia peccati, quàm eum, qui Christum coram persequutore negaret? Vult igitur Cyprianus dicere, eos qui indignè sumunt Eucharistiam, ipsam Christi personam in se, & immediatè iniuria afficere, & propterea grauissimè peccare, & grauiùs (saltem ex hac parte) quàm ij faciant, qui Christum negando, in fidem, & honorem eius peccant. Ibidem narrat S. Cyprianus quatuor miracula, quæ facta fuerant in eos, qui indignis manibus corpus Domini tractare voluerãt, quæ satis abundè arguunt non esse Eucharistiam signum tantùm Dominici corporis, cùm nulla eiusmodi miracula legantur in eos edita, qui alia signa indignè tractarunt, præsertim cùm illi, de quibus loquitur Cyprianus, non ex contemptu, vel odio Christi ad Sacramentum accederent.

EXTAT inter opera Cypriani sermo de cœna Domini, qui etsi Cypriani Episcopi Carthaginensis, de quo nũc agimus, esse non videatur: tamen est omnino antiqui alicuius, & doctissimi, ac sanctissimi Patris, vt aduersarij fatentur. Inde igitur petemus sub nomine Cypriani duo vel tria clarissima testimonia. Primum est in principio sermonis: *Cœna disposita inter Sacramentales epulas, obuiauerunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis*. De hoc loco suprà disseruimus, vbi egimus dè figuris Sacramenti huius, atque ostendimus contra Petrum Martyrem, per cibum inconsumptibilem non posse intelligi panem, qui non minùs consumitur, quàm agnus: neque corpus Christi, vt sola fide manducatur, quia eo modo habuissent eundem cibũ Iudæi in Agno Paschali, quem nos in Eucharistia, & propterea non rectè opponeret Cyprianus cibum consumptibilem datum Iudæis, cibo inconsumptibili, qui datur Christianis.

SECVNDVM testimonium habetur paulò inferiùs: *Panis iste*, inquit, *quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas apparebat, & latebat diuinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia*. Hoc testimonium nullam admittit solutionem, etiamsi aduersarij sæpe ad illud respondere conati sint.

RESPONDET igitur Petrus Martyr in 2. parte libri contra Gardinerum prope finem, & rursum in 4. parte libri eiusdẽ, panem mutari, quia ex profano fit sacer, & ex non Sacramento Sacramentum. Dicit autem mutari non effigie, sed natura, quia noua illa significatio Sacramentalis non accedit accidentibus panis, quæ à Cypriano dicuntur effigies, sed ipsi naturæ, & substantiæ panis. Analogia enim est inter panem, & corpus Christi,

quòd sicut panis nutrit corpora, ita caro Christi nutrit animas: porrò nutrire ad substantiam pertinet, non ad accidentia. Addit verò (ne decipiamur) substantiam, seu naturam panis mutari, non quòd ipsa desinat esse, quod erat, sed quòd acquirat aliquid, quod non habebat: quemadmodum mutari dicitur homo, cùm ex non Grammatico fit Grammaticus, & ex priuato Princeps.

SED facilè refellitur hæc solutio ex omnibus ferè vocibus, quibus vtitur Cyprianus. Primò ex illa, *non effigie*. Nam si mutatio ista nihil est aliud, nisi additio significationis, non solùm natura panis, sed etiam effigies mutatur, immò magis effigies, quàm natura: siquidem id, quod propriè significat, est aliquod signum sensibile, qualia sunt accidentia panis; cur ergo Cyprianus ait, *non effigie, sed natura mutatus?*

RESPONDET Martyr, substātiam panis sensibilem esse per accidentia sua, & ipsi propriè conuenire analogiam illam nutritionis.

AT licet substantia sensibilis sit per accidentia, tamē, signum esse, magis conuenit accidentibus, quàm substantiæ: signum enim est id, quod per se, & immediatè sensibus percipitur. Neque verum est, analogiam illam nutritionis esse in substantia, & non in accidentibus, tum quia substantia sine accidentibus non nutrit: tum verò maximè, vt aliquid sit signum nutritionis spiritualis, non requiritur, vt verè nutrire possit corporaliter, sed requiritur, vt repræsentet externa specie eam rem, quæ nutrire solet. Nam serpens æneus fuit vera figura Christi crucifixi, ob analogiam inter serpentem, & Christum; & tamen serpens ille æneus non habuit substantiam veram, sed solùm figuram serpentis. Et linguæ igneæ, quæ super Apostolos apparuerunt, rectissimè significabant donum eloquentiæ diuinitus datum Apostolis, ob analogiam inter linguam, & illud donum: & tamen linguæ illæ non habuerunt substantiam, sed solam figuram linguæ. Denique in omnibus visionibus Propheratum, & in somniis diuinitus immissis, Pharaoni, Nabuchodonosor, & aliis, & in tota Apocalypsi describuntur plurima signa rerum aliarum, ob analogiam inter res naturales, & diuinas: & tamen signa illa non habebant substantiam rerum naturalium, sed figuram externam tantùm. Sic igitur accidentia panis propriè signa sunt corporis Domini, ob analogiam inter panem, & Christum: per accidēs autem est, vt sub illis accidentibus sit substantia panis, vel non sit: nulla igitur causa reddi potest. cur Cyprianus dixerit, non effigie, sed natura mutari panem: si mutari est acquirere nouam significationem.

SECVNDÒ refellitur ex illa voce, *sed natura*. Nam nō dixit Cyprianus, naturam panis mutari, vt Martyr videtur accepisse, sed, panem natura mutari: panem autem natura mutari, est, panem naturaliter, id est, substantialiter mutari: naturam enim eo loco pro substantia accipi, fatetur aduersarius. At acquirere significationem nouam, non est mutari substantialiter, sed accidentaliter tantùm, imò ne accidentaliter quidem, nisi secundum rationem, cùm sit illa significatio relatio rationis.

SED, inquit Petrus Martyr, *non solùm mutatur panis, quia acquirit nouam significationem, sed etiam quia efficitur instrumentum Dei ad mouendos animos nostros*. At si petas, quomodo sint Sacramēta instrumenta Dei ad mouēdos animos, nihil respondere poterit, nisi significando, & repræsentando: nec enim tribuunt ipsi Sacramentis vllam efficientiam veram, vt suprà demonstrauimus.

TERTIÒ refellitur ex illis verbis: *Omnipotentia Verbi*. Nam quæ omnipotentia requiritur ad faciendum, nihil? Sed ait Petrus Martyr, requiri omnipotentiam, quia solus Deus potest instituere Sacramenta. Contrà, nam omnipotentia requiritur in eo, qui instituit Sacramenta, vt verè perficiat, quod Sacramenta significant, id est, iustificet hominem. At non requiritur vlla omnipotentia ad faciendum, vt res aliqua significet: id enim etiam homines facere possunt. Porrò Cyprianus non ponit omnipotentiam Dei in efficiendo, quod Sacramenta significant, sed in mutatione panis in carnem, sic enim ait: *Omnipotētia Verbi factus est caro*, nulla potentia requisita est.

QVARTÒ ex illa similitudine: *Sicut in persona Christi humanitas apparebat, latebat diuinitas, in Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infundit essentia*. Vbi Cyprianus non dicit, quod aduersarij ex hoc loco colligūt, in Sacramento esse duas naturas, vt sunt in Christo: ac proinde manere naturam panis, sed dicit ita latere sub specie visibili panis Deum verum: vt latebat sub specie visibili carnis Christi, dum is in terris conuersaretur. Et ne quis dicat in Sacramento latere Deum per solam representationem, addit aduerbium, *ineffabiliter*, quo declaratur mysterium hîc subesse maximum, & difficillimum: nulla autem difficultas est in eo, quòd panis significet Christum.

TERTIVM testimonium est in eodem sermone: *Noua est huius Sacramenti doctrina, & scholæ Euangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & Doctore Christo primùm hæc mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquæ auctoritas districtissimè interdicit: lex quippe esum sanguinis prohibet, Euangelium præcipit, vt bibatur*. Hæc ille. Vbi nisi propriè de sanguine loquatur, nihil prorsus dicit: non enim lex vetus prohibebat sanguinem figuratè sumptum; imò Hebræi in potu aquæ de petra scaturientis, Christi sanguinem bibebant figuratè, vt modò Sacramentarij facere se dicunt in Eucharistia.

SED iam adferenda sunt testimonia, quæ ex Cypriano adfert Petrus Martyr in libro contra Gardinerum, obiecto 170. & sequētibus nouem: collegit enim ipse omnia loca, quæ ab aliis citari solent. Primùm ergo ex isto ipso sermone de cœna Domini profert illa verba: *Vsque hodie hoc veracissimum, & sanctissimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit*. Quo loco, pro se aduersarij arripiunt illud: *Creat, sanctificat, benedicit, diuidit*, hæc enim omnia pani conueniunt, non ipsi corpori vero Christi.

RESPONDEO, Cyprianum alludere voluisse ad Canonem Missæ, vbi post cōsecrationem panis, dicimus: *Per quem omnia semper nobis bona creas, sanctificas, benedicis, & præstas nobis*. Porrò tā in verbis Canonis, quàm in verbis Cypriani, illa: *Creas, sanctificas, & benedicis*, referuntur ad materiam vnde conficitur corpus Christi: agimus enim Deo gratias, quòd per Christum nobis panem primùm creet, deinde per eundem sanctificet, & benedicat, conuertendo in corpus suum, & sic nobis præbeat. Itaque similis est illa sententia: Christus corpus suum creat, sanctificat, diuidit: ac si quis de pane diceret, hic panis primò seminatur, deinde metitur, tum molitur, coquitur, & tandem comeditur. Non enim sensus esset, panem sub forma panis, seminari, meti, moli, &c. sed quoad materiā vnde fit, primò seminari, deinde meti, &c. Quòd autem loquatur Cyprianus de vero corpore, nō de signo corporis, quod nobis diuidi, id est, distribui dicit, postea quam panis creatus, & sanctificatus est, patet ex illo adiuncto, *veracissimum*: neque enim dici potest veracissimum, quod non nisi figuratè corpus est.

SECVNDVM testimonium ex eodem sermone: *Panis iste communis in carnem, & sanguinem mutatus procreat vitam, & incrementum corporibus: ideóque ex cōsueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas sensibili argumēto edocta est, visibilibus Sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum*. Hæc ille. Hinc deducit Petrus Martyr, panem Eucharistiæ, etiam post mutationem Sacramentalem nutrire nostra corpora, & esse verum panem, & ex illa analogia nutritionis vocari corpus Christi, &c.

RESPONDEO, Errat hoc loco toto cœlo Petrus Martyr. Neque enim Cyprianus loquitur de pane Eucha-

charistiæ, cùm dicit, *in carnem*, & alere corpora nostra; sed rationem reddit, cur ex pane communi fiat Eucharistia, & cur aliquando corpus Christi dicatur panis. Rationem autem esse dicit, quia sicut panis communis, id est, verè materialis, & triticeus, dū mutatur in carnē, & sanguinē nostrum per naturalem actionem caloris naturalis nutrit nos, & auget: ita corpus Christi spiritualiter nos nutrit, & auget. Itaq; non loquitur de nutritione Sacramentali, cùm dicit: *Panis communis in carnem, & sanguinem mutatus*, sed de naturali mutatione, quæ fit in nobis, dum cibo nutrimur.

TERTIVM testimonium ex fine eiusdem sermonis: *Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus*.

RESPONDEO, Declarat his verbis Cyprianus fructum Sacramenti non consistere in corpore nostro delectando, vel saginando, sed in animo nutriendo, & reficiendo. Non enim acuere dicuntur dentes quicunque aliquid sumere volunt per oris instrumentum, sed qui auidè sumere cupiunt, vt palatum delectent. Certè qui medicamentum amarum comedere iubentur, non dicūtur acuere dentes, quia non sumunt, vt delectentur eo cibo, sed inuiti accipiunt, vt sanentur.

QVARTVM testimonium est ex eodem sermone, vbi legimus: *Solus quippe Filius Patris consubstantialis est nec diuisibilis est, nec partibilis substantia Trinitatis: nostra verò, & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates*. Hæc ille. Ex quo loco Petrus Martyr colligit, nullam esse inter nos & Christum, corporalem vnionem, sed solùm spiritualem; proinde non corpore, sed spiritu solo Christi corpus à nobis manducari.

RESPONDEO, Loquitur Cyprianus de illa vnione, quæ est proprius, & principalis finis Eucharistiæ: ac negat per Eucharistiā ita nobis vniri Christū, vt efficiamur cum illo vna persona, sicut fit in mysterio Incarnationis, vel vt efficiamur vna natura, quomodo vnum est Pater cum Filio in arcano Trinitatis: & solùm affirmat vniri nos Christo per affectus, & voluntatis confœderationem. Porrò corporalem vnionem, qualis est inter nos, & Christi corpus per Eucharistiam, Cyprianus neq; negat, quia reuera fit, neque asserit, quia nō est illa vnio finis Eucharistiæ, sed potiùs medium. Nam etiam in impiis illa vnio inueniri potest: & obest, non prodest, cùm non perducit ad spiritualem vnionem, quæ est verus finis huius Sacramenti.

QVINTVM testimonium ex eodem sermone: *Vt sciremus*, inquit, *quòd manſio nostra in ipso, sit manducatio*. Et infrà: *Esus igitur huius carnis, quædam auiditas est, & desiderium manendi in ipso*. Et infrà: *Quod est esca carni, hoc animæ est fides*.

RESPONDEO; Cyprianus his verbis de Sacramenti effectu loquitur, id enim est comedere Christi carnē, quantum ad effectum, & fructum, manere in ipso per fidem, & charitatem. Hoc tamen testimonium non Petrus Martyr, sed alij quidam adferre solent.

SEXTVM testimonium sumit Petrus Martyr ex sermone de vnctione Chrismatis: *Dedit*, inquit, *Dominus noster in mēsa, in qua vltimùm cum Apostolis participauit conuiuium, panem & vinum, in cruce verò manibus militū corpus tradidit vulnerandum: vt in Apostolis secretiùs impressa syncera veritas, & vera syncerit as, exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis, & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent: & diuersa nomina, vel species ad vnam reducerentur essentiam, & significantia & significata iisdem vocabulis censerentur*. Ex hoc loco colligit aduersarius panem tantùm & vinum, vt opponūtur vero corpori in cruce mortuo, esse in Eucharistia, & ideò panem vocari corpus, & vinum sanguinem, quia illa significant, ista significantur.

RESPONDEO; Verba Cypriani non carent obscuritate: tamen rectè expensa, Catholicis, non hæreticis fauent. Primùm igitur cùm Cyprianus ait Christum in mēsa dedisse Apostolis panem edendum, militibus autem in cruce dedisse corpus vulnerandum: non opponit panem corpori, sed corpus sub specie panis eidem corpori in specie sua, siue corpus vt cibum, eidem corpori vt victimæ. Id patet Primùm quia idem iste auctor in superiore sermone disertis verbis docuit, panem natura mutari, & fieri carnem omnipotentia Verbi. Deinde idem pater, quia in toto eo sermone tractat hic auctor de excellentia religionis Christianæ supra Iudaicam, conferens hinc inde Sacramenta: at certè nihil ad hanc excellentiam pertinet, quòd habeamus merum panem in Sacramento.

PRÆTEREA explicat continuò Cyprianus, cur dederit Dominus panem, & vinum in cœna, ratio autem eius non benè cohæret, nisi per panem, & vinum intelligamus corpus, & sanguinem sub specie panis & vini. Ratio quam subiungit, habet quatuor membra: dicit enim Dominum dedisse panem, & vinum, vt Apostoli secretò edocti synceram veritatem, possent aliis omnibus explicare ista quatuor. Primò, quomodo panis, & vinum caro sit, & sanguis. Secundò, quomodo causæ effectibus conueniāt. Tertiò, quomodo diuersa nomina, vel species ad vnam reducantur essentiam. Quartò quomodo & significantia & significata iisdem vocabulis censeantur.

PRIMVM membrum à nobis rectissimè exponitur. Dicimus enim Apostolos facilè intellexisse, & aliis explicare potuisse, quomodo panis esset caro, quia verè panis ille sanctificatus, qui exteriùs panis videbatur communis, & visitatus, caro Domini erat, dicente ipso: *Hoc est corpus meum*.

SECVNDVM etiam membrum nos rectè exponimus. Intellexisse enim Apostolos dicimus ex eo, quod acceperunt corpus sub specie panis, quomodo causæ cum effectibus conueniant, id est, quomodo caro Domini verè nutriat, & reficiat animas fideliter eam manducantiū: id enim intellexerunt ex analogia panis, sub cuius specie carnem Domini sibi dari videbant.

TERTIVM quoque membrum rectè exponimus. Dicimus enim Apostolos intellexisse, quomodo nomina, ac species diuersæ ad vnam reducantur essentiam: quia videlicet per consecrationem Eucharistiæ ex pane fit caro Domini & vnica tantùm essentia remanet, carnis videlicet, quæ tamen diuersa nomina recipit: nam & dicitur caro, quia talis est per substantiam, & dicitur panis, quia talis est per effectum.

DENIQVE quartum membrum rectè à nobis exponitur, quomodo scilicet & significantia & significata iisdem vocabulis censeantur, id est, cur panis Eucharistię dicatur caro, & cur caro Domini dicatur panis. Nam caro Domini, quæ est res significata, potest dici panis, quia datur sub specie panis, & potest ille panis, qui exteriore specie sua corpus Domini significat, dici caro, quia reuera quoad substantiam, est caro. Itaque omnia cohærēt in nostra interpretatione. At aduersarius non ita facilè se expedire potest, & præsertim quoad tertium membrum illius rationis. Quomodo enim, quæso, ad vnam essentiā reducuntur diuersæ species, id est, panis & caro, si nulla fit realis mutatio?

RESPONDET Petrus Martyr reduci ad vnam essentiam, quia fiunt vnum Sacramentum: Sacramentum enim Eucharistiæ integrum constat ex signo, & re significata. At absurdissimum est quod dicit. Cùm enim signū & res significata sint oppositа relativè, quomodo potest vnum aliquid ex signo, & re significata constare? Non enim vult ipse dicere, quod Catholici dicunt, Sacramentum constare materialiter ex signo, & re significata

reipsa præsente, & cum signo coniuncta, sed formaliter constare ex signo, & re signata, quorum vnum tantum abest ab altero, quantum cœlum à terra, signum enim est tantùm in terra, & res signata tantùm in cœlo.

SEPTIMVM testimonium sumit ex epist. 6. lib. 1. ad Magnum, vbi scribit Cyprianus, corpus Domini panem vocari ex multorum granorum adunatione congestum, & sanguinem vinum ex botris pluribus expressum.

SED nulla est hic noua difficultas, explicat enim Cyprianus, cur Dominus ex pane, & vino hoc Sacramẽtum conficere voluerit, & non ex aliqua alia re: rationem autem esse dicit propter analogiam, quæ est inter panem, & vinum, & Ecclesiam Domini, quæ per Sacramentum illud significatur.

SED vrget aduersarius illa verba: *Panẽ vocauit corpus*, atq; inde colligit, *ergo panis est corpus: non est autem propriè, ergo tropicè.* Respondeo, panem ex Cypriani sententia vocatum esse à Domino corpus, cùm dictum est in cœna: *Hoc est corpus meum*, Quare panis vocatus est corpus, sed ipsa vocatione factus est verè corpus: & ideò nõ sequitur, panem dum est panis, esse corpus, sed qui fuerat panis, iam esse corpus. Quemadmodum cùm exercitus priuatum aliquem militem appellabat Imperatorem, ipsa appellatione fiebat ille Imperator: nec poterat dici, homo priuatus est Imperator, sed qui fuerat paulò antè priuatus, nunc est Imperator.

OCTAVVM testimonium proferunt ex lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium, vbi sic legimus: *Nec potest videri sanguis eius, quo redempti sumus, esse in calice, quando vinum defit calici, quo Christi sanguis ostenditur.* Et infrà: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino verè ostendi sanguinem Christi.* Et infrà: *Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis vnius compage solidatum.* Ex hoc loco deducunt aduersarij primò, vinum necessariò debere esse in calice, etiam post consecrationem. Nam post consecrationem, vinum ostendit sanguinem Domini: quod autem non est, nihil potest ostendere. Secundò, eo vino sanguinem Domini ostendi, id est, significari, ac proinde non esse in calice Domini, nisi figuratè. Tertiò, eo vino non ostendi sanguinem præsentem, & in calice reipsa existentem, sed absentem. Nam eo modo per vinum ostenditur sanguis, quo per aquam populi: populi autem non sunt in calice, nisi significatiuè. Hoc argumentum vrgent Petrus Martyr, Petrus Boquinus, Beza, & alij.

RESPONDEO; Locum hunc Cypriani, quo Petrus Martyr lib. contra Gardinerum, obiecto 175. *in fine* gloriatur, ita perspicuè asseri suam sententiam, vt ex nullo alio possit asseri clariùs, nihil omnino pugnare cum sententia Catholicorum, sed apertè destruere sententiam hæreticorum.

OBSERVANDVM *est* enim, multum interesse inter has duas propositiones; Vinum est sanguis Domini, & Sanguis Domini est vinum. Nam prior propositio docet vinum esse sanguinem per similitudinem; reipsa autem, & propriè esse vinum, non sanguinem: posterior contrà docet, sanguinem esse vinum per similitudinem; reipsa autem, & propriè esse sanguinem, non vinum; nec enim propriè esse potest, aut vinum sanguis, aut sanguis vinũ, cùm res illæ sint specie diuersæ, & (vt loquuntur) termini disparati. Hinc fit, vt prior propositio, si apud Cyprianũ vel alium Patrem inueniatur, non sit pro nobis, neque contra nos posterior autem sit apertè pro nobis, contra aduersarios. Nam illa propositio, Vinum est sanguis Christi *significatiuè*, solùm requirit, vt in Eucharistia sit vinum, quantum ad id, quod significat, id est, quantum ad accidentia exteriora: nam, vt supra ostendimus, ratione accidentium tãtùm vinum significat. Verè autem in Eucharistia remanet vinum, quantum ad accidentia significantia sanguinem Christi. Virum autem cum accidentibus illis sit in Eucharistia substantia vini, aut ipse Christi sanguis, illa propositio nihil dicit; atque ita neque est cõtra nos, neque pro nobis. Altera autem propositio, nimirum Sanguis Christi est vinum per similitudinem, est omnino pro nobis: nam requirit necessariò vt in calice sit sanguis propriè, qui tamen habeat cum vino similitudinem. Neque possunt dicere, sanguinem Domini esse alicubi, quoad accidentia, non quoad substantiam, vt nos dicimus de vino. Nam non est impium separare accidentia vini ab ipsa eius substantia: impium autem esset separare accidentia realia Christi ab eius substantia; id enim esset Christum verè perimere.

IAM igitur aduersarij in Cypriano priorem tantùm propositionem videre potuerunt, quæ, vt ostendi, non est contra nos: at posteriorem etiam illis in eodem loco Cypriani ostendemus, quæ est apertissimè contra eos. *Sic* enim loquitur in illa epistola non procul à principio: *Nam cùm dicat Christus; Ego sum vitis vera: Sanguis Christi non aqua est vtique, sed vinum. Nec potest videri sanguis eius, quo redempti sumus esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur.* Hæc ille. Vbi sicut dicit, Christũ esse vitem, non vitem esse Christum; ita dicit sanguinem eius esse vinum, non vinum esse sanguinem: & eum sanguinem, quo redempti sumus, dicit esse in calice, sed demonstrari debere per vinum, quia sanguis est similis vino, non aquæ. Et infrà citat illud Genes. 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum.* Et illud Isa. 63. *Quare rubicunda sunt vestimenta tua, & indumenta tua velut à calcatione torcularis?* vt probet sanguinem Domini dici vinum, non vinum dici sanguinem. Nõ enim Dominus lauit stolam suam (id est, carnem suam in passione) vino significante sanguinem; sed vero sanguine, qui habet cum vino similitudinem. Habemus ergo in Cypriano posteriorem illam sententiam, quam ostendere volebamus.

IAM ad illa tria, quæ ex Cypriano colligebant aduersarij, nullo negotio responderi potest. Ad primum dico, vinum debere esse in calice, saltem quoad accidentia, vt diximus, quia per ea sanguinem ostendit. Ad secundum dico, sanguinem Domini vino significari, sed præsentem in calice, non absentem. Nam vt ex Cypriano audiuimus, quod est *in calice*, vinum dicitur per *similitudinem*, sanguis autem est per proprietatem, & is sanguis, quo' redempti sumus. Ad tertium dico, comparationes non in omnibus rebus conuenire debere. Quare licet dicat Cyprianus per vinum significari sanguinem, per aquam populos: non tamen inde colligi debet, in omnibus pares esse populos, & sanguinem Domini, vt si sanguis verè in calice sit, ibi etiam populos esse oporteat. Nam alioqui sanguis Domini significatur vt precium, & vt potus, populi autem non ita significantur: & denique principaliter in Eucharistia repræsentatur corpus, & sanguis Domini, secundariò autem populi. Ac de Cypriano hactenus.

CAPVT X.

Quarta ætas Ecclesiæ ab anno Domini ccc. ad CD.

Testimonium Nicæni Concilij.

SEQVITVR nunc ætas Ecclesiæ quarta, in qua habemus duodecim insignia testimonia, videlicet Nicæni I. Concilij, Athanasij, Hilarij, Cyrilli Hierosolymitani, Ambrosij, Basilij, Optati, Gregorij Nysseni, Gregorij Nazianzeni, Ephrem, & Epiphanij.

Ac pri

Ac primùm exstat testimonium Nicæni Concilij I. in Actis eiusdem Concilij in Vaticana Bibliotheca his verbis: *Iterum etiam hîc in diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem, & calicem, sed attollentes mẽtem fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruẽtè à sacerdotibus immolatum, & preciosum ipsius corpus, & sanguinem verè nos sumentes, credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola: propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, vt sciamus non ad satietatem, sed ad sanctificationem sumi.*

HOC testimonium agnoscunt etiam aduersarij, vt Ioannes Oecolampadius in Dialogo cum Nathanaële, Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. c. 17. §. 36. Petrus Boquinus in lib. de cœna Domini contra Heshusium, Vvilhelmus Klebitius in lib. de victoria veritatis in solutione 3. argumẽti: ac nitũtur ipsi grauissimum hoc testimonium ad suã hæresim stabiliendam trahere, quasi Concilium admoneat, vt non quæramus Christi corpus in sacra mensa sub speciebus panis, sed in cœlum mente conscendamus, atque ibi fide Christi corpus comedamus. Sed falluntur apertissimè. Iubet enim Concilium, vt non hæreamus in speciebus panis, & vini, quasi nihil ibi sit, nisi quod oculi nobis renunciant, sed fide intelligamus ibi verè esse corpus Christi, licet corporalibus oculis non videatur.

HANC esse Concilij sententiam, ita probari potest. Primò, quoniam Concilium, postquam dixerat non humiliter hærendum esse in pane, & vino, sed mentem attollendum, adiungit, fide conspiciendum agnum Dei situm in sacra mensa. Debuisset autem secundum aduersarios dicere, fide conspiciendum esse Christum in cœlo ad dexteram Patris. Vult igitur Concilium, vt ad ipsam mẽsam attendamus, sed in ipsa non tam symbola externa, quàm quod sub ipsis latet consideremus. Klebitius per sacram mensam intelligit cœlum, dicit enim, Concilium velle vt in cœlesti mensa, non in altari lapideo, agnum Dei quæramus. At fallitur apertissimè. Nam Concilium in eadem diuina, & sacra mensa ponit symbola panis, & vini, in qua ponit agnum Dei, vt patet ex primis verbis: *Hîc in diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem.* At qui symbola panis non sunt in cœlo, sed in altari lapideo: ergo diuina mensa nõ est cœlum, sed altare in terris. Ac ne fortè dicant in altari esse corpus Christi significatiuè, & Concilium velle, vt non attendamus ad symbola, quatenus sunt res materiales, sed quatenꝰ Christum repræsentant: addidit Concilium illam particulam, *situm*. Cùm enim dicit agnum Dei situm esse in sacra mensa, & eundem agnum opponit symbolis, manifestè declarat, agnum Dei verè & propriè, ac reipsa esse in mẽsa, & non solùm quatenus per symbola repræsentatur.

SECVNDÒ idem probatur ex eo quod Concilium dicit, agnum Dei in sacra mensa à sacerdotibus immolari: nam per agnum omnes intelligunt ipsum Christum, vt distinguitur contra symbola, quem aduersarij solùm in cœlo esse dicunt. At non potest manibus sacerdotum immolari si tantùm est in cœlo, neque enim tam longas manus habent sacerdotes, vt ad cœlum pertingant.

TERTIÒ probatur ex illis verbis: *Preciosum corpus eius nos verè sumentes.* Quorsum enim illud, *verè*, nisi vt opponatur figuræ. *At*, inquiunt, *nos verè sumimus corpus Domini, sed corde, non corpore*, Sed repugnant verba sequentia, vbi symbola resurrectionis nostræ dicuntur corpus & sanguis Domini. Quia enim mortalia corpora nostra cum immortali corpore Domini verè coniungitur, inde apertissimè significatur futura corporum nostrorum resurrectio: si autem sola esset coniunctio animorum cum corpore Domini, solus animus resurrecturus significaretur.

CAPVT XI.

Testimonium S. Athanasij.

ANCTVS Athanasius, qui ipso tempore Nicæni Concilij floruit (quippe qui eidem Concilio interfuit (citatur à Theodoreto in 2. Dialogo in hæc verba: *Corpus est, cui dicit, Sede à dextris meis; cuius etiam fuit inimicus Diabolus cum malis potestatibus, & Iudæi, & Græci, per quod corpus Pontifex, & Apostolus fuit, & dictus est per id quod nobis tradidit, mysterium, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frãgitur, & sanguis noui Testamenti, non veteris, qui pro vobis effunditur. Diuinitas autem, neque corpus habet, neque sanguinem.* Hæc citantur ex oratione de fide, quæ etsi fortasse nunc non exstet, tamen sufficit Theodoreti testimonium, vt non dubitemus hæc verba esse S. Athanasij. Porrò in hoc loco probare vult Athanasius, Christum verum corpus habuisse, & non solam in eo fuisse veram etiam carnem. Id autem probat, quia Christo dicitur à Patre: *Sede à dextris meis*; sedere autem in certo loco, non diuinitati, sed corpori conuenit. Item probat ex eo, quod Christus vt Pontifex & sacerdos corpus suum obtulit, & tradidit nobis, cùm ait: *Hoc est corpus meum.* Vbi si non verum, & propriè dictũ corpus intelligeret Athanasius, hæreticis faueret, quos oppugnabat: illi enim fatebantur Christum habuisse corpus quoddam apparens, atq; adeò figuram corporis, sed negabant verum corpus humanum habuisse.

SED obiiciunt aduersarij alium locum ex Athanasio. Nam in tractatu super illa verba: *Quicunque dixerit verbũ in filium hominis, remittetur ei, &c.* Sic ait: *Quot hominibus corpus eius sufficeret ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret? Sed propterea ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, vt eos corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam (de qua loquutus erat) cibum è supernis cœlestiũ, & spiritualem aimoniam, & ab ipso donandam intelligeret. Quæ enim loquutus sum vobis, inquit, spiritus, & vita sunt, quod perinde est, ac si diceret, Corpus meũ, quod ostenditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt spiritualiter vnicuique tribuatur, & fiat singulis tutamen, præseruatióque ad resurrectionem vitæ æternæ.* Hæc ille; De hoc loco ita triũphat Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, obiecto 180. vt dicat: *Hoc argumento vix puto vllum aliud firmius esse, aut magis inuictum ex his, quæ sumuntur ex Patribus.*

RESPONDEO. In tribus rebus consistit vis argumenti aduersariorum. Primùm in eo, quòd Athanasius dicat, manducationem corporis Domini non debere accipi carnaliter, quia non sufficeret caro Christi tam multis, qui eam manducaturi sunt, si carnaliter sumi deberet. Atqui hoc non pugnat contra sententiam nostram, sed contra Capharnaitas, qui putabant debere diuidi carnem Christi in particulas, & sic distribui manducantibus: hoc enim modo verè non sufficeret tam multis sine nouo aliquo miraculo. Nos autem dicimus ita sumi carnem Christi, vt indiuisibiliter ab omnibus sumatur tota.

DEINDE in eo, quòd Athanasius dicit, carnem Christi esse alimoniam spiritualem, & spiritualiter distribui. Sed neque hoc pugnat cùm sententia nostra. Vocatur enim caro Christi rectissimè alimonia spiritualis, quia datur in cibum spiritus, non corporis: & distribuitur spiritualiter, non corporaliter, quia non diuiditur in partes, sed datur tota simul, vt diximus, indiuisibiliter. Vnde etiam S. Bernardus in sermone de S. Martino dicit, carnem Christi spiritualiter dari, & manducari, & tamen ibidem dicit in Sacramento adesse veram carnis substantiam.

VLTIMÒ in eo, quòd Athanasius dicit, Christum cùm loqueretur de manducatione carnis suæ, meminisse ascensionis in cœlum, vt auditores abstraheret à corporali intellectu. Sed neque hoc officit causæ nostræ. Dominus enim meminit ascensionis, vt ostenderet,

carnem

carnem suam non manducãdam more aliarum carnium, qui erat corporalis intellectus Capharnaitarum, sed spirituali quodam modo: si enim Dominus dedisset carnem suam in particulas discerpram, vt Capharnaitæ suspicabantur esse dandam, certè in cœlum ascendere non potuisset cum illa carne. Cùm ergo discimus, Christũ ascendisse in cœlum cum immortali & gloriosa carne; simul discimus carnem illam non manducari carnaliter, ita vt laceretur, & consumatur.

NIHIL igitur ex loco illo Athanasij colligitur cõtra Catholicorum sententiam, sed contrà potiùs aliquid pro ea colligitur. Nã quod ait ibidẽ Athanasius, illud ipsum corpus, quod ostensum est mundo, & datum ad mortem pro mundi vita, dari nunc nobis in cibum, satis apertè indicat, verum corpus nobis dari, nó corpus symbolicum; nõ enim corpus symbolicum datum fuit ad mortem pro mundi vita. Istud autem verum corpus dari nobis non solùm per apprehensionem fidei, sed etiam per apprehẽsionem oris corporalis, indicant illa verba Athanasij: *Vt sit nobis tutamen, & præseruatio ad resurrectionem.* Nam (vt suprà diximus) veteres Patres probare solebant corporum resurrectionem, ex coniunctione corporis nostri mortalis cum corpore Christi immortali in Sacramento Eucharistiæ.

CAPVT XII.

Testimonium S. Hilarij.

BEATVS Hilarius æqualis Athanasij fuit: hos enim duos eximios Doctores simul Dominus excitauit, vt fidem contra Arianos defenderẽt, ille in Oriente, hic in Occidente. Is igitur sic ait in 8. lib. de Trinitat. *Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo nõ naturaliter manere in nobis existimandus est?* Et infrà: *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus, nunc enim, & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est, &c.*

AD hæc duobus modis aduersarij respondent: neque habent ipsi præterea locum vllum, quem ex Hilario proferãt. Caluinus in vltima admonitione ad Vvestphalum, contendit Hilarium hyperbolicè loqui. Sed refellitur facillimè ex ipso Hilario, qui quasi præuidisset, quod Caluinus dicturus erat, in eodem ipso loco affirmat se loqui propriè, & simpliciter; sic enim ait: *Non est humano, aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam, atque impudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati, alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda peruersitas est. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus; ipse enim ait: Caro mea verè est esca, &c.* Vides vt Hilarius dicat, se nihil asserere humano aut sæculi sensu, sed solum id, quod Scriptura ipsa rectè intellecta docet. Præterea cùm Hilarius disputet aduersus Arianos, & ex naturali Christi nobiscum per Sacramentum Eucharistiæ, concludat naturalem vnionẽ inter Deum Patrem, & Deum Filium; si hyperbolicè loquitur de naturali vnione Christi nobiscum, oportebit etiam, vt loquatur hyperbolicè de vnione Patris, & Filij, ex quo sequetur eum aut Arianum fuisse, aut certè imperitè causam fidei defendisse: neque enim Ariani negassent naturalem vnionem inter Patrem & Filium hyperbolicè.

PETRVS Martyr in libro contra Gardinerum, parte 4. Theodorus Beza in Dialogo Cyclope contra Heshusium, & Petrus Boquinus in lib. de cœna Domini contra eundem, respondent, Hilarium, cùm is ait nos verè sumere in Eucharistia carnem Domini, intelligere de sumptione spirituali, quæ fit per fidem: cùm autem ait, naturaliter Christum nobiscum vniri, intelligere de vnione, quæ facta est in Incarnatione. Christus enim nobiscum naturaliter vnitus est, quia naturam nostræ carnis assumpsit.

ADDIT Petrus Martyr, naturaliter vnionem apud Hilarium non esse realem commixtionem naturarum, sed esse vnionem aliquam maiorem, quàm sit vnio voluntatum: opponit enim ille vnionem naturalem vnioni per consensum solius voluntatis, quam Ariani in Patre, & Filio ponebant. Hanc autem vnionem naturalem, id est, maiorem, quàm solius voluntatis cum Christo habemus, ex sententia Petri Martyris, tum quia, vt diximus, Christus naturam nostram assumpsit; tum quia nos per fidem in Sacramento carnem eius verè sumimus. Probat verò idem Petrus Martyr, Hilarium non loqui de reali naturarum commixtione, cùm dicit, Christum nobiscum vniri naturaliter per Eucharistiam; quia Hilarius quinque vniones ponit naturales. Primò enim dicit, omnes fideles esse vnum naturaliter, quia per fidem sunt vnum.

SECVNDÒ dicit, nos esse vnum naturaliter, quia sumus vnum per regenerationem. Tertiò dicit, nos esse vnum naturaliter, quia sumus vnum per Sacramentum Baptismi. Quartò dicit, nos esse vnum cum Patre, & Filio per honorem nobis à Christo communicatũ. Quintò dicit, nos esse vnum cum Christo naturaliter per Eucharistiam. Sicut ergo vniones illæ per fidem, per regenerationem, per Baptismum, per honorem, dicuntur naturales, quia includunt aliquid præter consensum voluntatis, licet non includant naturarum commixtionem: ita etiam vnio, qua Christo coniungimur, dum per fidem carnem eius apprehendimus, dici potest naturalis, licet non includat realem vnionem carnis Domini cum nostra. Hæc ille.

AT refelli possunt hæc aduersariorum figmenta ex ipso Hilario multis modis. Primò ex illis verbis: *Nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus.* Quod enim ait (*cibo Dominico*) cogit vt intelligamus de manducatione corporali, non de sola spirituali, vt ipsi volunt: nam cibus Dominicus omnium consensu, est Eucharistia. Vult igitur Hilarius nos, dũ Eucharistiam percipimus, in illa, & per illam, verè carnem Domini sumere.

SECVNDÒ ex illis verbis: *De naturali in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus.* Hæc enim verba indicant, mysterium Eucharistiæ tale esse, vt paradoxum stultissimum videri possit, nisi à Deo proponeretur. At Christum sola fide manducari, & esse in nobis, eo tantùm modo, quo sunt cætera, quæ animo apprehenduntur, neque paradoxum, neque stultum aliquid videri potest, etiam si id non diceretur à Deo. Verè autem stulti haberi possemus, si absque Dei verbo crederemus, veram Christi carnem ore corporali manducari: nam id semper infideles stultissimum paradoxum æstimarunt, vt notum est de Auerroë, & de aliis.

TERTIÒ ex illis verbis: *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.* Et mox: *An hoc veritas non est? contingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant.* Hæc verba non possunt accipi, nisi vno ex his tribus modis. Aut enim vult Hilarius dicere, veram carnem Christum assumpsisse, aut veram carnem fide manducari in Sacramento, aut veram carnem reipsa & ore corporis sumi, cum sumitur Eucharistia. Prima intelligẽtia, quam amplectuntur Beza & Boquinus, & fortè Petrus Martyr, non est ad mentem Hilarij. Nam non disserit eo loco de Incarnatione, sed de Eucharistia: neque disputat contra Manichæos, qui negabant Christum habere verã carnem, sed contra Arianos, qui negabant Diuinitatem

Christi, non carnem. Præterea paulò antè dixerat de veritate Christi in nobis, *nisi ab eo discimus, &c.* & attulerat illam Scripturam: *Caro mea verè est cibus*, vt probaret Christi carnem nobis naturaliter vniri; post illa autem verba immediatè subiungit: *De veritate carnis, & sanguinis non est relictus ambigendi locus*, & quæ sequuntur. Loquitur igitur de veritate carnis nobis communicatæ, non veritate carnis assumptæ. Denique illa probatio, qua probat Hilarius non posse ambigi de veritate carnis Domini, quia Christus, qui dixit, *Caro mea verè est cibus*, verè Deus est, apertissimè indicat eum loqui de veritate carnis in Eucharistia, non de Incarnatione. Nam non rectè probatur, Christum habere verã carnem, quia idem Christus Deus est, vel quia dixit: *Caro mea verè est cibus.* At rectissimè probatur in Eucharistia esse veram carnem Domini, quia Christus Deus est, qui dixit, carnem suam esse cibum nostrum: cùm enim Deus sit, potuit præstare quod dicebat. Secunda intelligentia coincidit cum prima. Nihil enim aliud est, veram carnem fide manducare, nisi credere, Christum habere veram carnem, & in ea carne verè esse mortuum pro nobis. Neque ad hoc probandum oportebat adducere argumentum ex Diuinitate Christi id asserentis: non enim difficile est (posito mysterio Incarnationis) veram carnem fide manducari. Remanet igitur Tertia intelligentia, quæ sine dubitatione est ad mentem Hilarij.

QVARTÒ, probatur ex eo, quòd Hilarius sæpissimè repetit, Christum naturaliter esse in nobis per sumptionem Eucharistiæ. Nam apud Hilarium, vnum esse in alio naturaliter, est naturam vnius verè in altero esse, vt patet ex multis locis, sed maximè ex illis verbis, quæ habentur in eadem pagina: *Cur gradum quendam, atque ordinem consummandæ vnitatis exposuit, nisi vt cùm ille in Patre per naturam Diuinitatis esset, nos contrà in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursus in nobis per Sacramentorum inesse mysterium crederetur?* Vbi docet, Filium esse in Patre naturaliter, quia natura Filij verè est in Patre, cùm sit vna vtriusque natura: item nos esse in Christo naturaliter, quia verè naturam nostram sibi Deus vniuit per mysterium Incarnationis. Denique Christum naturaliter esse in nobis, quando sumimus Eucharistiam, quia naturam carnis suæ nobis vnit. Sicut igitur verè & propriè natura Filij est in Patre, & natura nostra est in Christo, ita necesse est verè, & propriè natura carnis Christi sit in nobis, quando Eucharistiam sumimus.

QVINTÒ, probatur ex illis aliis verbis eius, vbi explicans illud: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat meam carnem, & ipse viuet propter me*, sic ait: *Hæc verò vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua viuit ille per Patrẽ. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum viuimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se Patrem habeat, cùm viuat ipse per Patrem?* Et infrà: *Dicit Filium Dei carnaliter in nobis manere per Eucharistiam.* Quid potuit, quæso, clariùs dici, quàm in nobis carnalibus Christum per carnem suam carnaliter manere? Si enim fide tantùm, & non corporis instrumento Christi carnem manducaremus, non esse in nobis carnalibus, id est, in nobis, quatenus carne constamus, sed esset in mente, & animo nostro tantùm; neque esset in nobis per carnem, sed per fidem, & spiritum, neque esset carnaliter sed spiritualiter. Præterea comparatio Hilarij apertè conuincit. Ipse enim dicit, Filium secundùm spiritum viuere propter Patrẽ, quia vita Patris, quæ spiritus est, verè tribuitur Filio: & eodem modo nos viuere propter Christum secundum carnem, quia verè caro eius nobis in Sacramento communicatur.

NEQVE obiectio Petri Martyris concludit, quam ex Hilario ille adferebat: quod videlicet eo modo simus naturaliter vnum cum Christo per Eucharistiam, sicut sumus inter nos vnum per fidem, per regenerationem, & per Baptismum, & sicut sumus vnum cum Christo per honorem. Sunt autem tria Obseruanda, pro huius argumenti solutione.

PRIMÒ, notandus est scopus Hilarij, & occasio totius disputationis. Obiecerat ille Arianis eum locum: *Ego & Pater vnum sumus*, Ioan. 10. Sed respondebant Ariani, intelligi ea verba de vnitate voluntatis & consensus; non de vnitate naturæ, & attulerant in exemplum illa Scripturæ loca: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, Actorum 4. Et: *Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt*, 1. Corinth. 3. Et: *Et ipsi vnum sint in nobis*, Ioan. 17. Hilarius igitur, vt nulla in re cedat hæreticis, ex iltis ipsis locis ab Arianis allatis, probat Patrem, & Filium esse vnum naturaliter, & non sola concordia voluntatum: *Ex his*, inquit, *ipsis, quibus vtuntur, refellendi sunt.* Ac primùm docet, fideles inter se esse vnum cor, & vnam animam, non solo consensu, sed naturaliter: quia sunt vnum per fidem, & per regenerationem, & per Baptismum, ac proinde sunt vnum per eandem fidei naturam, & per eandem naturam nouæ regenerationis, & Baptismi: omnes enim sunt fideles, omnes Filij Dei, omnes baptizati, etiamsi fortè inter se non nouerint, nec sciat vnus, quid alter velit; *Quomodo*, inquit, *non naturalem in his intelligis vnitatẽ, qui per naturam vnius fidei vnum sunt?* Et idem dicit de regeneratione, & Baptismo, quod de fide dixit. Deinde docet illud: *Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt*, 1. Corinth. 3. indicare etiã naturalem vnitatem: sunt enim illi vnum, quia sunt ministri eiusdem Christi, & proinde vnum sunt per naturam eiusdem ministerij: *Itaque*, inquit, *qui per rem eandem sunt, natura etiam vnum sunt, non tantùm voluntate, quia & ipsi res eadem effecti sunt, & eiusdem rei atque efficientiæ sunt ministri.* Denique venit ad Tertium locum ex Ioann. 17. *Vt & illi vnum sint in nobis*; & docet nos esse vnum cum Christo naturaliter, quia per Eucharistiæ participationem vnitur nobis carnis Christi natura, & hîc habet illa omnia, quæ suprà exposumus.

NOTA Secundò, aliud esse apud Hilarium, aliqua esse vnum naturaliter, aliud autem, vnum esse in alio naturaliter. Nam vt aliqua sint vnum naturaliter, satis est, si verè participent naturam ipsius rei, in qua sunt vnum: & hoc modo dicit ipse, omnes fideles esse vnum naturaliter per fidem, per regenerationem, & per Baptismum, quia participant naturam eiusdem fidei, eiusdem regenerationis, & eiusdem Baptismi: & similiter dicit omnes ministros esse vnum naturaliter per ministerium, quia participant eiusdem ministerij naturam. Sed vt vnum sit in alio naturaliter, non satis est, vt participent quomodocunque eandem naturam, sed necesse est, vt natura vnius merè sit in alio; & hoc modo dicit Filium esse in Patre per Diuinitatem naturaliter, quia natura diuina Filij verè est in Patre: & similiter dicit, Christum esse in nobis per carnem naturaliter, quia natura carnis eius nobis verè vnitur per Eucharistiam. Atque ex his soluitur ferè tota obiectio Petri Martyris, & Bezæ, & aliorum. Non enim eodem modo loquitur Hilarius (vt illi falsò assumebant) de vnione per fidem, seu regenerationem, vel Baptismum, & de vnione per Eucharistiam. Nam non dicit, Christum esse in nobis per fidem, vel per Baptismum, sicut dicit esse per Eucharistiam: neque dicit ex fidelibus vnum esse in alio per fidem, sed omnes esse vnum per fidem.

NOTA Tertio, vnitatem per honorem apud Hilariũ eandem esse cum vnitate per Eucharistiam. Nam explicans illud eiusdem capitis 17. Ioannis: *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis*, dicit honorem, quem Filius habet à Patre, dedisse eundem Filium nobis, quia fecit vt essemus vnum cum illo, sicut ipse est vnum cum Patre: vt autem vnum essemus cum illo, dicit eum fecisse per

mysterium Eucharistiæ, per quod ipse in nobis per carnem suam verè manet. Atque ita soluitur tota obiectio aduersariorum: non enim ipsi intellexerunt, quid esset apud Hilarium, fieri vnum per honorem. Ac de Hilario hactenus.

CAPVT XIII.

Testimonium S. Cyrilli Hierosolymitani.

BEATVS Cyrillus Hierosolymitanus, cuius laus est in II. Synodo generali, eodem tempore floruit, quo S. Hilarius, vt patet epistola eius ad Cõstantium Imperatorem. Ac de Sacramento Eucharistiæ tam propriè, & perspicuè loquitur, vt non magis apertè loqui potuerit, si vixisset temporibus nostris. Quocirca nihil habent hæretici, quod ex illo nobis obiiciant: nos verò multa, & firmissima testimonia contra illos habemus.

PRIMVM igitur initiò Catecheſis 4. mystagogicæ, & in tota ferè Catecheſi, hortatur ad non dubitandum de veritate corporis Domini in Eucharistia: quod certè superuacaneum esset, si Eucharistia esset solum signum corporis Domini; nemo enim dubitare solet de eiusmodi rebus, quæ nullam habent difficultatem. Sic ergo loquitur: *Hæc B. Pauli doctrina satis potest efficere vos certissimos de diuinis mysteriis, &c.* Et infrà: *Cùm Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, & dicente: Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem?* Quod autem dicit de pane, Christum affirmasse illum esse suum corpus, non significat panem materialem esse corpus Domini, sed panem consecratũ, qui figura externa panis materialis est, sed quoad substantiam panis cœlestis est; illum, inquam, panem, corpus Domini esse confirmat.

SECVNDÒ, in eadem Catecheſi apertè ponit Cyrillus transmutationem panis in corpus Domini, & solas panis species remanere post eam transmutationem: *Aquam*, inquit, *aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galileæ sola voluntate, & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutauit? Quare omni cum certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus. nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis.* Hæc tam sunt perspicua, vt omninò nesciam, quid fingi possit ad eorum peruersionem.

TERTIÒ, ibidem dicit, Christi corpus, non solùm animis nostris, sed etiam corporibus verè coniungi per Eucharistiam: *Sic*, inquit, *Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cùm eius corpus & sanguinem in membra nostra recepe rimus, atque vt beatus Petrus dicit, Diuinæ naturæ consortes efficiemur.* Hæc ille. Neque potest intelligi hic locus de corpore symbolico, quasi solùm panẽ in membra nostra recipiamus: nam de illo corpore loquitur, de quo immediatè antea dixerat, corpus Domini sub specie panis sumi: vbi distinguitur corpus à pane.

QVARTÒ monet ibidem, sensus nostros falli circa Eucharistiam, neque esse illis obtemperandum: *Ne ergo consideres tanquam nudum panem, & nudum vinum; corpus enim est, & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices.* Et infrà: *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse.* Quid clariùs dici potest?

NEQVE enim potest responderi, non vocari nudum panem, quia habet adiunctam significationem, & sensus in eo falli, quòd nudum panem esse iudicant. Nam sensus non iudicant, vtrum panis significet, vel non significet; sed iudicant rem eam esse, quæ solet naturaliter esse sub accidentibus, quæ sentiuntur. Et præterea Cyrillus non dicit falli sensus, quia non iudicãt esse corpus Christi sub specie panis, sed quia iudicant rem illam, quam sentiunt, esse panem, cùm non sit. At reuera panis esset, si solùm adderetur significatio: non igitur sensus fallerentur, vt Cyrillus dicit. Denique in sequẽti Catecheſi prope finem, monet communicantes, vt summa diligentia prouideant, ne mica vlla Eucharistiæ cadat, néue amittatur; quod, vt suprà diximus, magnum est argumentum veritatis: & ibidem iubet, vt flexo genu, & in adorantium morem accedant ad Eucharistiam.

Sed obiiciet aliquis quod idem Cyrillus Catech. 3. mystagogica de sancto Chrismate dicit, non esse nudum vnguentum post consecrationem; sicut ibidem dicit, panem Eucharistiæ non esse nudum panem post consecrationem. Atqui id confirmat sententiam nostram: nam Cyrillus non eodem modo loquitur de Chrismate, & de Eucharistia. De Eucharistia enim dicit, post consecrationem non esse panem communem, sed corpus Christi: de Chrismate autem dicit quidem non esse commune vnguentum, sed non addit esse Spiritum sanctum, vel corpus Christi, sed esse Chrisma Christi, seu sanctificatum oleum.

HAEC de Cyrillo, cuius testimonium vel solum sufficere deberet: est enim hominis sancti, & antiquissimi, & ex opere eius indubitato, & clarissimum, atque apertissimum, vt nullo modo peruerti possit, & est ex Catecheſi, in qua solent omnia propriè & simpliciter explicari: & denique nemo vnquam reprehendit Cyrillum erroris alicuius circa Eucharistiam.

CAPVT XIV.

Testimonium S. Ambrosij.

SANCTVS Ambrosius rectè adiungitur Cyrillo, quia & eodem tempore floruit, & scripsit similes Catecheſes, nimirum libros de Sacramentis, & de iis, qui initiantur mysteriis, & non minùs apertè loquitur, quàm Cyrillus, vt videamus eodem tempore, eandem fuisse Orientis & Occidentis sententiam de Eucharistia.

PRIMÒ igitur Ambrosius in lib. de mysteriis initiandis, cap. 9. & libro 1. de Sacramentis, cap. 34. & 5. fusè docet, longè excellentiorem escam nobis dari in Eucharistia, quàm olim in Manna Iudæi habuerint, cùm illis Christi corpus in figura, nobis detur in veritate: de quo argumento suprà diximus, cùm ageremus de figuris huius Sacramenti.

SECVNDÒ, idem Ambrosius in iisdem locis dicit, mutari panem & vinum in corpus & sanguinem Christi, & non esse amplius panem & vinum, sed corpus & sanguinem.

AD quod argumentum dupliciter aduersarij respondent. Primò reuocant in dubium, sintne Ambrosij libri, qui inscribuntur de Sacramentis. Secundò dicunt mutationem, de qua loquitur Ambrosius, non esse realem, sed Sacramentalem, ita vt panis & vinum, ex communibus & profanis rebus adiuncta noua significatione, fiant Sacramenta religionis. Vide Petrum Martyrem lib. contra Gardinerum, parte 1. obiecto 190. & sequentibus, & parte 4. in explicatione verborum Ambrosij.

SED prior solutio timidè ab illis proponitur, & meritò. Nam citantur hi libri sub nomine Ambrosij à Lantfranco, Guitmundo, & aliis, qui ante annos D. floruerũt. Deinde constat, librum de mysteriis init. esse Ambrosij: nam in præfatione dicit se tractasse moralia quædam ex vitis Patriarcharum, & ex Salomone; quæ opera nemo negauit vnquam esse Ambrosij. Libros autem de Sacramentis eiusdem auctoris esse, cuius est liber de mysteriis init. res ipsa per se clamat, tanta est styli & sententiarum similitudo. Denique, etiamsi non essent Ambrosij, essent tamen antiqui alicuius auctoris. Sed stultum est ambigere

gere de auctore horum librorum, cùm nullum adueṛsarij argumentum adferant, cur ambigere debeamus.

POSTERIOR solutio refellitur ex ipsis Ambrosij verbis. Nam in lib. 4. de Sacramen. cap. 4. 7*u*, inquit, *fortè dicis, meus panis est vsitatus, sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum. vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Hæc ille. At si panis tãtùm mutaretur Sacramentaliter, non desineret esse panis post consecrationẽ. Ibidem probat multis miraculorum exemplis, Christi verba esse operatoria; & eiusmodi, vt naturas verè mutare possint, quæ omnia sine causſa adducuntur, si nulla realis mutatio fit in pane Eucharistiæ. Sed adferamus testimonium ad idem probandum ex libro indubitato de mysteriis init. cap. 9. *Fortè*, inquit, *dicas, Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus, nõ hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit? maioremque vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? virgam tenebat Moyses. proiecit eam, & facta est serpẽs.* Hæc ille: Qui posteaquam multa alia miracula narrauit Moysis, Heliæ, & Helisæi, concludit: *Quòd si tantùm valuit humana benedictio, vt naturam cõuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantùm valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus est noua rebus dare, quàm mutare naturas.* Hæc ille: vbi tam apertè loquitur de reali mutatione, vt nimia impudentia sit id negare. Ibidem paulò infrà idem probat ex mysterio Incarnationis: *Liquet*, inquit, *quod præter naturæ ordinem Virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?* Hæc ille. Quàm ineptè ista omnia dicerentur, si nulla fieret realis mutatio? Quid enim opus erat probare, non posse naturaliter fieri ex pane corpus Christi, quemadmodum nec vt Virgo pariat; si non reipsa, sed solùm significatiuè panis fit corpus Christi?

TERTIVM testimonium est in eodem lib. 4. de Sacramen. cap. 5. vbi probat, non esse dubitandum de veritate corporis Domini. Quæ probatio superuacanea est, si verum est, quod aduersarij sentiunt: nemo enim dubitare solet, vtrum panis possit esse corpus Christi significatiuè: *Deinde*, inquit, *ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus, & sanguinem: numquid debemus de eius fide, & testificatione dubitare?* & ibidem paulò infrà dicit: *Tibi Sacerdos, Corpus Christi, & tu dicis. Amen: hoc est verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Hîc certè loquitur de eo, quod offertur manibus Sacerdotis, quod quidem, nisi verè sit corpus Christi, decipit nos Ambrosius, qui vult nos id, & confiteri lingua, & affectu sentire. Et lib. 6. cap. 1. *Sicut verus est Dei Filius, Dominus noster Iesus Christus: non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris: ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus.*

QVARTVM testimonium est lib. 1. in Lucam. vbi exponens illa verba capitis 1. *Apparuit illi Angelus: Nõ dubites*, inquit, *assistere Angelum, quãdo Christus assistit, Christus immolatur.* At certè non assisteret Angelus, si sola figura corporis Domini, nõ ipse Christus in altari adesset.

QVINTVM testimonium est lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. vbi tractans illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius. Itaque*, inquit, *per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, vt suprà diximus, adorarunt.* Hic locus nullam admittit solutionem: nã & liber est indubitatus, & sermo est de adoratione latriæ, & apertè Ambrosius dicit, carnem Christi Verbo vnitam adorari à nobis in mysteriis, id est, in Eucharistia.

DILVAMVS nunc breuiter, quæ Petrus Martyr ex Ambrosio profert, lib. contra Gardinerum, obiecto 188. & sequentibus. Primò igitur obiicit ex commentario in 11. cap. 1. ad Corinth. quod Ambrosius in mysteriis dicat significari carnem, & sanguinem, quæ oblata sunt pro nobis, & mysticum calicem typum esse sanguinis Domini.

RESPONDEO, neque ea commẽtaria sunt Ambrosij, neque quidquam habent contra nos: fatemur enim imò & docemus, Eucharistiam signum ac typum esse mortis Christi, seu carnis, & sanguinis, vt visibiliter in cruce illa suffixa, ille effusus est.

SECVNDÒ obiicit ex lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. illa Ambrosij verba: *Hoc igitur adstruamus, quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi? consecratione.* Hinc ita Petrus Martyr argumentatur: *Qui panis est, corpus etiam Christi est per consecrationem. At panis non potest esse corpus propriè: ergo solùm significatiuè.* Idem confirmat ex illis verbis, quæ ibidem habentur: *Si tanta vis est in sermone Domini, vt ea incipiãt esse, quæ non erant, quãtò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?* vbi videmus sic mutari panem in corpus, vt tamen maneat panis.

AD priorem locum respondeo, non dicere Ambrosium, panem manere post consecrationem, sed potiùs non manere; illa enim verba: *(Quomodo potest qui panis est, esse corpus Christi?)* hunc sensum faciunt; Quomodo potest, qui nunc est panis, paulò pòst esse corpus Christi? & respondet: *Consecratione*: consecratio enim facit, vt qui panis est ante consecrationem, corpus sit post consecrationem. Istum esse sensum patet ex illis verbis lib. de myst. initian. cap. 9. *Probemus, non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit*: vbi vides non esse panem post consecrationem. Immò in ipso lib. 4. de Sacram. cap. 4. nónne Ambrosius ait: *Panis iste panis est ante verba consecrationis, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.*

AD alterum locum respondit olim Lantfrancus in lib. contra Berengarium, dupliciter. Primò, in aliis codicibus Ambrosij non haberi illa verba: *Vt sint quæ erant*, sed hoc modo legi: *Quantò magis operatorius est, vt quæ erant, in aliud commutentur?* Quæ lectio verior esse videtur, quia est conformior libro de mysteriis initian. cap 9. vbi sic legimus: *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, nõ potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant?* Secundò respondet, illa verba: *Vt sint quæ erãt*, hunc sensum facere: *Vt sint quæ erant*, nimirum quoad speciem exteriorem, & tamen verè mutentur, quoad interiorem substantiam. Posset etiam responderi, Ambrosium voluisse dicere; Si potuit Christus ex nihilo aliquid facere, cur non poterit ex aliquo aliquid facere, non annihilando id, quod antea erat, sed in melius commutando? vnde non dixit: *Vt sint id, quod erant*: tunc enim panis manere deberet, sed: *Vt sint quæ erant*, id est, non annihilentur, sed maneant, quamuis mutata.

TERTIÒ obiicit ex lib. 4. de Sacram. cap. 5. & de his, qui init. myst. cap. 8, & de benedictione. Patriarcha. cap. 9, vbi Ambrosius dicit, corpus Domini accipientibus fieri peccatorum remissionem. Atque inde colligit non sumi corpus Domini ab impiis; ac per hoc non sumi corporali instrumento, quod est commune cum impiis, sed ore tantùm spirituali, quo impij carent.

SED hæc sæpius iam dissolutæ sunt: corpus enim Domini, quod ad se attinet, omnibus adfert peccatorum remissionem, licet in quibusdam ob eorum indispositionem id non fiat.

QVARTÒ, obiicit ex lib.de myst.init.cap.9.illa verba: *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur.* Et lib.4.de Sacram. cap.4. dicit, nos bibere similitudinem pretiosi sanguinis,& cap.5. dicit, oblationem altaris esse figuram corporis Christi. & lib.1.de officiis, cap. 48.dicit,vmbram fuisse in lege,imaginem in Euangelio, veritatem in cœlestibus.

RESPONDEO,In primis verbis citatis illud ,*significatur*,idem valet,quod *appellatur*,seu,*dicitur*. Non enim loquitur de significatione rerum,sed vocum : nec docet quid Eucharistia significet,sed quomodo appelletur.Itaque sensus est:*Ante benedictionem alia species nominatur*, id est, panis vocatur id, quod est in altari : *Post consecrationem corpus Christi significatur*, id est, non amplius panem esse significamus, seu dicimus, si quis nos interroget,quid sit in altari, sed corpus Domini esse significamus,seu dicimus. Vnde ibidem:*Ante consecrationem*,inquit,*aliud dicitur,post consecrationem sanguis nuncupatur.* Ad alia verba fateor nos bibere similitudinem cruoris, sed sub qua veritas contineatur. Docet enim Ambrosius, nos non in specie sanguinis sanguinem sumere,ne vt ipse ibidem dicit,horror esset cruoris,sed in similitudine sanguinis,id est,specie vini, quod habet sanguinis similitudinem,ipsum sanguinem bibere.Ad illud de figura corporis, quamuis non esset absurdum , Sacramentum Eucharistiæ vocare figuram corporis ratione specierũ externarum : tamen eo loco Ambrosius loquitur de pane ante consecrationem, vt ex eius verbis patet. Neque est absurdum,panem vocari figuram corporis Domini ante consecrationem , licet nondum sit Sacramentum : nam panis naturalem habet analogiam ad corpus Christi; & præterea ex eo,quòd ponitur super altare, vt consecretur,incipit repræsentare ipsum Domini corpus,licet nõdum habeat Sacramentalem significationem. Ad aliud ex lib.de officiis, Ambrosius distinguit imaginem à veritate , non quoad substantiam , seu præsentiam rei , sed quoad notitiam : nunc enim habemus Christum, sed signis & imagine velatum,in cœlo videbimus sine vllo signo,facie ad faciem.Id patet ex verbis eius,quibus explicat,quod dixerat:*Hic ergo*,inquit,*in imagine ambulamus, in imagine videmus,illic facie ad faciem,vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.* Vnde etiam paulò antè distinguens vmbram ab imagine : *Antè*, inquit, *agnus offerebatur,offerebatur vitulus : nunc Christus offertur,sed offertur,quasi homo recipiens passionem.*

QVINTÒ, obiicit illud ex lib. 5. de Sacram. cap.4. *Non iste panis est,qui vadit in corpus,sed ille panis vitæ æternæ,qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ex his verbis*, inquit Petrus Martyr , *vel cæcus videre potest , Ambrosium non tam crassè sensisse de corpore Christi, vt putauerit illud ingredi,& recipi in corpus nostrum.*

RESPONDEO, Non negat Ambrosius corpus Christi ingredi in corpus nostrum , sed negat illud conuerti in substantiam corporis nostri more ciborum corporalium.Id patet manifestè ex aduersatiua:*Sed animæ substantiam fulcit*. Est enim sensus : iste panis non vadit in corpus,id est,non transit in corpus per nutritionem,sed animam reficit. Alioqui enim,quomodo negaret Ambrosius corpus Christi in corpus nostrum ingredi, cùm dicat in serm.de S. Agnete : *Iam corpus eius corpori meo sociatum est?* & cùm tam apertè docuerit in tot locis à nobis citatis, id quod sumimus, dũ sumimus Eucharistiam, veram esse carnem Domini?Hæc de Ambrosio.

CAPVT XV.

Testimonium Basilij.

SANCTVS Basilius eodem tempore, quo Ambrosius floruit,& in 2.lib.de Baptismo, cap.2.sic loquitur:*Si tales minæ aduersos eos positæ sunt,qui temere ad ea sacra accedunt , quæ ab hominibus sanctificantur:quid dicendum est de eo,qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quantò enim maius aliquid is est templo secundum Domini vocem , tantò grauius & terribilius est in animæ impuritate constitutum corpus Christi temere contingere,quàm sit accedere ad arietes, vel tauros, &c.* Hoc loco Basilius affirmat tantò grauiùs peccare , qui indignè sumunt corpus Christi,quàm eos, qui indignè sumebant arietes,& tauros Deo immolatos,quãtò Christus maior est,non solùm arietibus, & tauris, sed etiam ipso templo Domini:quæ certè sententia vera esse non potest,nisi in Eucharistia sit verè corpus Domini præsens. Nam inter Christum,& arietes ab Hebræis immolari solitos,distantia est planè infinita:inter panem autem Eucharistiæ,secundum aduersarios, & illos arietes penè nulla distantia: vel si distantia est notabilis, arietes excellebant , non panis Eucharistiæ, vt nos suprà demonstrauimus. Basilius autem affirmat tantò grauiùs peccare , qui indignè tractant Eucharistiam , quàm ij,qui indignè tractabant sacrificia illa vetera,quantò Christus maior est non solùm sacrificiis,sed etiam templo.

PETRVS Martyr in lib.contra Gardinerum, part.4. respondere conatur,sed se ipse inuoluit, ac secum turpiter pugnat in eadem pagina. Dicit enim primum , Basilium ita conferre Eucharistiam cum Sacramentis veterum,vt ab vna parte ponat nuda symbola,id est, in Sacramentis veterum,ab altera ponat rem ipsam, nulla facta symboli mẽtione,id est,in Eucharistia nostra. Itaque vult corpus Christi , in illa collatione Basilij significare corpus Christi proprie dictum : illud enim est per eum res,& veritas Sacramenti, vt opponitur symbolo externo. Sed quia Basilius dicit , illud Christi corpus sumi ab indignis,indigni autem non sumunt rem Sacramenti,sed nuda symbola secundum aduersarios:ideò Petrus Martyr paulò pòst addit Basilium loqui de symbolis Eucharistiæ , quæ sola sumuntur ab impiis, & ea conferre cum symbolis veteribus.

HÆC autem apertè inter se pugnãt,& vnum destruit aliud , & præterea vtrumque dictum est falsum. Quod pugnent,sic ostẽdo.Cùm Basilius nominat corpus Christi in illa collatione cum sacrificiis veterum , vel intelligit corpus Christi verum,vel symbolicũ.Si corpus Christi verum, ergo falsum est posterius dictum,quo asseruit Petrus Martyr Basilium loqui de symbolis, quæ sola sumuntur ab impiis:si corpus symbolicum,ergo falsum est priùs dictum eiusdem , quo asseruit Basilium conferre rem ipsam, id est, corpus Christi cum symbolis veteribus. Quod autem sit falsum etiam absolutè vtrumque dictum Petri Martyris,sic demonstro.Nam Basilius non confert cum sacrificiis veterum solum corpus Christi verum , quod erat primum dictum Petri Martyris : nam impij non sumunt corpus Christi verum secundum aduersarios : neque sumunt illud corpus extra symbola secundum Catholicos. At Basilius illud ipsum dicit sumi ab impiis, ergo non loquitur de solo corpore Christi verò. Adde , quòd non debuit Basilius, nec potuit ita comparare Sacramenta vetera cum Eucharistia , vt in illis tantùm poneret nudum signum, in hac, verum corpus, cùm vtraque Sacramenta eodem modo contineant corpus Christi secundum aduersarios : imò meliùs vetera, quàm noua,quia meliùs repræsentabant. Sed de hoc alibi diximus.

NEQVE verò confert Basilius cum sacrificiis veterum solum symbolum Eucharistiæ,quod erat secundum dictum Petri Martyris : nam symbola sola Eucharistiæ non præstant sacrificiis veterum , sed sunt illis inferiora, vt alibi ostendimus, & tamen Basilius hoc loco constituit infinitam distantiam inter corpus Christi, & sacrificia veterum. Sequitur igitur necessariò, vt Basilius loquatur de corpore Christi vero, vt continetur sub specie panis verè,& realiter:sic enim omnia cohærẽt.Nam

hoc corpus verè excellit sacrificiis veterum infinita distantia,& verè sumitur ab impiis corporali instrumento.Et confirmatur hoc totum argumentum ex sequentibus verbis eiusdem Basilij in eo loco : monet enim vt sumpturi Eucharistiam diligentissimè purgemur à sordibus peccatorum , ne incidamus in peccatum eorum, qui Christum occiderunt.Ista enim comparatio indignè communicantium cum illis , qui Christum occiderunt, cogit omninò vt intelligamus verè & realiter Christi corpus contineri in Eucharistia. Nam ideò comparantur inter se ista peccata, quia vtrumque attingit Christũ in seipso : & Christum,non vt est in cœlo , sed vt est in Eucharistia,quia impij non possunt Christum attingere, vt est in cœlo,sed solùm,vt est in Eucharistia.

ALTERVM testimonium Basilij est in lib.de Spiritu sancto,cap.27.vbi sic ait;*Verba inuocationis,cùm ostenditur panis Eucharistiæ, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?* Hinc enim habemus morem fuisse in Ecclesia veteri,vt post consecrationem ostẽderetur populo Eucharistia,quod etiam nunc fieri videmus, & conceptis verbis inuocaretur , quæ verba quidam suspicantur fuisse, Kyrie eleeson. Sed certè ex inuocatione manifestè colligitur veritas Christi in Eucharistia:neque enim panem inuocare possumus, quantumlibet significet vel repræsentet corpus Christi. Ibidem Basilius de mysteriis his loquens, dicit , nec intueri fas esse ista non initiatis. At certè nulla reddi potest caussa , cur Eucharistiam ne videri quidem permitterent infidelibus , vel etiam Catechumenis,si nihil est nisi signum. Nam rem significatã, id est,Christi passionem publicè prædicabant, & signum etiam manifestissimum eiusdem passionis Catechumenis quotidie ferè imprimebant,dum eos signo crucis signabant. Qui igitur signa clarissima concedebant , cur negassent signum obscurius?

PORRÒ ex Basilio obiiciunt aduersarij , quod in sua Liturgia Eucharistiam appellet ἀντίτυπα, id est , figuram corporis Christi:de qua re multa scribit Petrus Martyr in lib.contra Gardinerum obiecto 185.

AD hoc argumentum tres dari solent solutiones,sed duæ priores mihi non videntur solidæ. Prima est vocem illam ἀντίτυπα non semper accipi pro figura, sed aliquãdo sumi pro exemplari : cuius significationis proferunt exemplum ex 1.epist. Petri cap.3.vbi Baptismus vocatur antitypon diluuij,cùm tamen diluuium figura fuerit Baptismi,non Baptismus diluuij.Itaque hac acceptione cõtendunt quidam à Basilio Eucharistiam dici antitypon, quòd sit exemplar veterum figurarum.

SED hæc opinio facilè reiici potest. Nam vox antitypon (vt etiam notauimus in 1. libro de Sacramentis in genere) nunquam accipitur pro exemplari,sed pro imagine , quæ è regione respondet exemplari ; & ita illud imitatur, vt ferè cum eo contendere videatur. Quomodo valde propriè vocatur antitypon imago, quæ resultat in speculo , dum quis in illud intuetur:etenim ea imago ita ad viuum repræsentat,vt cum ipso homine de forma ipsius hominis certare videatur. Et hoc modo accipitur hæc vox ab Apostolo, Hebr.9. & ab auctoribus passim: neque aliter accipitur 1.Petri 3. Nam Baptismus aliquo modo est exemplar, aliquo modo imago diluuij , & vt imago,non vt exemplar, dicitur à S.Petro antitypon diluuij.Nam si consideremus significationem ad placitum, seu diuinam ordinationem , diluuium figura fuit Baptismi,non contrà,Baptismus diluuij:neque enim Deus instituit Baptismum,vt repræsentaret diluuium,sed è contrario,diluuium Deus induxit in mundum, tum ob alias caussas,tum etiam vt esset figura Baptismi. At si consideremus naturalem similitudinem, Baptismus est potiùs imago diluuij, quàm diluuium Baptismi; siquidem magis propriè & verè diluuium suffocauit homines impios, quàm Baptismus peccata suffocet : illa enim vera & propria,hæc metaphorica suffocatio est. Quia tamen valde similis est effectus Baptismi, id est, suffocatio iniquitatum,effectui diluuij, id est , suffocationi hominum impiorum:ideò S.Petrus Baptismum antitypon diluuij appellauit.Sed præterea licet antitypon pro exemplari accipi posset, non tamen id nobis prodesset, Nam Basilius non dicit,Eucharistiam esse antitypon Sacramentorum veterum,sed corporis Domini : quare certum est à Basilio non accipi hanc vocem pro exemplari, sed pro imagine imitante ipsum exemplar.

ALTERA solutio est aliorum, vocari à S.Basilio panem Eucharistiæ antitypon corporis Domini , sed ante consecrationem , non postea. Ita respondit olim Ioan. Damascenus lib.4.de fide,cap.14. & Epiphanius in VII. Synodo,act.6.tomo 3.

SED hæc solutio multas habet difficultates. Nam in Liturgia Basilij inuenimus panem Eucharistię vocari antitypon corporis domini post recitationem verborum illorum : *Hoc est corpus meum.* Quocirca oporteret Damascenum , & Epiphanium existimasse , non consecrari Eucharistiam illis verbis : *Hoc est corpus meum* , sed aliis, quæ infrà ponuntur : quod minùs adhuc probabile est; de qua re disputabimus in 4.lib.in controuersia de verbis,quibus Sacramentum Eucharistiæ conficitur. Adde, quòd licet Basilius non vocaret Eucharistiam antitypon corporis Domini post consecrationem;tamen Theodoretus apertissimè ita eam vocat in 1.dialogo,nec non Macarius Ægyptius homil.27. immò & Dionys.cap.3. Eccles.hierarch. & Nazianzenus oratione in Gorgoniam.

EST igitur Tertia solutio , Eucharistiam etiam post consecrationem rectè dici antitypon corporis & sanguinis,non solùm quia species panis, & vini sunt signa corporis & sanguinis ibi reuera existentium,sed etiam quia ipsum corpus & sanguis Domini, vt sunt sub illis speciebus,signa sunt eiusdem corporis,& sanguinis,vt fuerunt in cruce;repræsentat enim Eucharistia passionem Christi.Et ideò fortasse Basilius,& alij Patres non vocant Eucharistiam figuram,seu typum,sed antitypon;quia,vt diximus , antitypa non dicuntur quælibet figuræ , sed illæ tantùm,quæ nihil ferè differunt à veritate. Porrò panis & vinum, remoto corpore Domini , non ita ad viuum repræsentant corpus & sanguinem, vt dici possint antitypa:meliùs enim repræsentabat Agnus Paschalis, & tamen non dicebatur antitypon,sed typus. At si sub specie panis sit verè corpus Christi , tum verè Eucharistia erit antitypon corporis in cruce immolati.Vnde Chrysostomus homil.17.in epist. ad Hebr. dicit, Eucharistiam esse typum,seu figuram sacrificij crucis;& tamen ibidem asserit, nunc eundem Christum offerri , qui tunc oblatus fuit.Simile esset,si Rex aliquis grauissimo bello confecto idem ipsum bellum ad oblectandum populo in scena repræsentari vellet, & ipse idem, qui verè pugnauerat , in scena seipsum repræsentaret:esset enim ipse verè antitypon sui ipsius.Similia habemus in aliis Christi repræsentationibus:nam cùm tribus diebus latuit, & tandem tertia die inuentus est in templo, significare voluit , teste Ambrosio in cap.2. Lucæ, se triduo futurum in sepulchro absconditum, & tandem tertia die resurrecturum. Et Matth. 17. cùm transfiguratus est in monte coram Prophetis, & Apostolis , significare voluit , se eo modo videndum in gloria cœlesti ab omnibus Sanctis veteris & noui Testamenti. Ipse igitur non semel fuit typus , & figura sui ipsius.

CAPVT XVI.

Testimonium Gregorij Nysseni.

SANCTVS Gregorius Nyssenus,S.Basilij frater, insigne testimonium nobis præbet: ex quo etiã intelligi posset,quid Basilius sensisset,si de ea re vlla dubitatio oriretur. Constat enim Nyssenum in iis, quæ ad fidem pertinent, nulla in re à Basilio dissensisse.

Igitur in lib. de vita Moysis, vbi disputat de Manna Iudæorum, & eum cibum cum Eucharistia confert, sic loquitur de Eucharistia: *Panis est absque semine, absque aratione, absque vllo humano opere nobis paratus. Is desuper defluens inuenitur in terris. Panis enim, qui de cœlo descendit, qui verus cibus est, qui ænigmaticè hac historia significatur, non incorporea quædam res est: quo enim pacto res incorporea corpori cibus fieri? res autem quæ incorporea non est, corpus omnino est.* Hæc ille. Hic duo habemus, quæ excludunt omnes, quæ fingi possent ab aduersariis, expositiones. Nam primò Gregorius dicit, Panem Eucharistiæ sine semine, sine aratione, sine opere humano fieri; quod certè non conuenit pani triticeo: loquitur igitur de vero corpore Christi, cui illa omnia conueniunt.

A

Secundò dicit, eundem panem corpore manducari: non ergo loquitur de corpore Domini, vt est in cœlo, & sola fide sumitur, sed de vero corpore, vt est in Eucharistia.

B

Idem Gregorius in oratione Catechetica, cap. 36. & 37. multa habet expressè de veritate huius Sacramenti, & citatur hic locus ab Euthymio in Panoplia, part. 2. titul. 21. & à Bessarione in lib. de verbis consecrationis. Inter alia dicit, & sæpius repetit, corpus Christi immortale coniungi per Eucharistiam cum nostro mortali corpore, & illud sibi simile reddere, id est, efficere, vt gloriosum & immortale aliquando resurgat: *Quemadmodum*, inquit, *parum fermenti totam massam sibi similem reddit, sic & corpus illud, quòd à Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert, atque commutat. Nã, vt pestiferum cum salubri commistum, illud efficit pernicio-sum: sic & corpus immortale reddit totum illud, in quo susceptum est, naturæ simile immortali.* Et infrà: *Fidelium corporibus coniungitur, vt ea coniunctione cum immortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat.* Hæc ille.

Secundò quærit, quomodo possit vnum corpus toti mundo communicari, & tamen semper integrum maneat: quæ quidem quæstio absurdissima esset, si tantùm in signo corpus Christi manducaretur: nulla enim difficultas in ea re fingi posset: *Considerandum est*, inquit, *quomodo fieri queat, vt cùm vnum illud corpus assiduè per totum orbem terrarum tot fidelium millibus impertiatur, totum cuiusque per partem euadat, & in seipso totum permaneat.* Hæc ille.

C

Tertiò, respondet ad quæstionem, ac dicit, panem qui ponitur in altari, conuerti in carnem Christi, & eo modo omnes, qui eo pane vescuntur, verè sumere Christi carnem sine vllo eius detrimento: quæ sanè est acutissima, & verissima responsio. Nam vult dicere, vt habeamus, & comedamus veram Christi carnem, nõ esse opus, vt Christus de cœlo descendat, sed manente illo saluo, & incolumi in cœlo, verti quotidie panem in corpus eius, & eo modo à multis manducari.

Quòd autem non loquatur de mutatione panis in carnem per solam significationem, vt aduersarij dicere solent, sed de vera, & reali mutatione, patet Primò, ex ipsa quæstione, quæ (vt dixi) inepta esset, si de mutatione significationis ageretur. Secundò, patet ex ipsa eius explicatione; dicit enim, ita mutari nunc panem in carnem Domini virtute verborum ipsius, quemadmodum cùm ipse in terris viueret, mutabatur panis, quo ipse vescebatur, in carnem ipsius. Tertiò patet, quia dicit hanc mutationem fieri diuina virtute, seu virtute diuinæ benedictionis: nulla autem virtus requirebatur ad mutandam significationem, cùm sit res merè voluntaria. Hæc autem sunt verba eius: *Diuinum illud corpus panis nutrimentum accipiens, idem quodammodo erat cum illo cibo, (vt diximus) in eius corporis naturam immutato.* Et infrà: *Quamobrem rectè etiam nunc Dei Verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari.* Et infrà: *Hæc autem tribuit virtuti benedictionis, in illud (corpus Domini) rerum quæ vi-*

D

dentur (id est, panis, & vini) naturam mutans. Hæc ille. Quæ tam perspicua sunt, vt non fuerit ausus vllus aduersariorum, quod sciam, vel ad hæc loca respondere, vel aliquid ex hoc auctore nobis obiicere.

CAPVT XVII.

Testimonium Optati Mileuitani.

Ptatvs Mileuitanus floruit eodem tempore, quo Ambrosius, & Basilius, vt patet ex lib. 2. contra Parmenianum, vbi scribit se vixisse tempore Siricij Papæ, qui Damaso successerat. Is igitur in 6. lib. contra Parmenianum, sic ait: *Quid enim est tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere, radere, remouere? in quibus vota populi, & mẽbra Christi portata sunt: quò Deus omnipotens inuocatus sit, quò postulatus descendit Spiritus sanctus, vnde à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est.* Et infrà: *Quid est aliare, nisi sedes corporis, & sanguinis Christi?* Et infrà: *Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus, & sanguis habitabat?* Et infrà: *Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portatores.* Hæc ille.

Quod autem per corpus Christi, quod tam sæpe repetit Optatus in altari manere solitum, non intelligatur corpus significatiuè, sed verè, id est, non solus panis, qui Christi corpus repræsentet, sed ipsum verum, & propriè dictum corpus, multis modis probari potest ex hoc ipso loco. Primò ex eo, quod cùm toties id repetat, ne semel quidem dixerit, signum corporis in altari manere vel offerri, sed perpetuò, corpus Christi, aut membra Christi.

Secundò ex eo, quod dicit, inuocari super altare Deum omnipotentem, & descendere super idem altare Spiritum sanctum, quod sine dubio referendum est ad consecrationem: videmus enim in omnibus Liturgiis antiquis inuocari Spiritum sanctum, vt descendat, & transmutet panem in corpus Christi, neque potest reddi alia ratio huius descensus Spiritus sancti, nisi ad Sacramentum conficiendum. At quorsum iste descensus, quorsum inuocatio omnipotentis, si nihil mirabile, & supernaturale fieri deberet?

Tertiò ex eo, quòd Eucharistiam vocat Optatus, pignus salutis, tutelam fidei, & spem resurrectionis: alludit enim ad id, quòd veteres, Irenæus, Hilarius, Cyrillus, Nyssenus, & alij dicere solent, ideò coniungi cum corpore nostro corpus Christi, vt ex illo trahat vim quandam ad beatam immortalitatem assequendam.

Quartò ex eo, quòd dicit, per certa momenta habitare corpus Christi in altari. Si enim loqueretur de signo corporis, nõ diceret: *Per certa momenta*, sed semper: semper enim in altari manere solet crux, vt Chrysostomus testatur in oratio. quòd Christus sit Deus; immò etiam (vt ipse ibidem ait) in culminibus, in parietibus, in vasis, &c. Crux autem signum est Christi crucifixi, & ipsum etiam altare figura quædam est, & signum Christi, vt fatetur Petrus Martyr lib. contra Gardine. obiecto 38. alio igitur modo, quàm per significationem, Eucharistia corpus Christi est.

CAPVT XVIII.

Testimonium Gregorij Nazianzeni.

Ivvs Gregorius Nazianzenus, qui eodem tempore floruit, quo superiores Patres, in 2. oratione de Pascha te ita loquitur: *Absque confusione & dubio comede corpus, & sanguinem bibe, si saltem vitæ desiderio teneris, neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges, neque ob passionem offendaris, constans esto, firmus, & stabilis, in nulla re propter aduersariorum sermones, fluctues.* Hæc ille. Vbi hortatur ad fidem erga tantum mysterium, etiamsi aduersarij, id est, Philosophi Gẽtiles nos irideãt, quod dicamus nos carnem Christi manducare: hæc autẽ

cohor

cohortatio superuacanea esset, si tantùm in signo Christi carnem manducaremus.

A

Respondet Petrus Martyr, Gregorium loqui de fide passionis Christi, atque hortari Christianos, vt certa fide credant Christum habuisse veram carnem, & verè esse mortuum, & hoc modo spiritualiter manducent carnem Christi. At non disputabat eo loco Gregorius de passione, sed de Eucharistia, cuius figura fuit manducatio Agni Paschalis: explicat enim eo loco varios ritus, quibus manducabant Iudæi Paschalem Agnum, & accommodabat illos ad manducationem Eucharistiæ. Et quoniam inter alios ritus Iudæorum vnus erat, vt baculis nixi manducarent, dicit eo baculo significari, vt etiam nos firmi, & stabiles, & sine vllo dubio manducemus carnem, & bibamus sanguinem.

Aliud testimonium extat in orat. de obitu Gorgoniæ sororis suæ, vbi refert, Gorgoniam morbo incurabili affectam, nocte quadam sese in templum proripuisse, ac procumbentem ante altare coram venerabili Sacramento ita orasse, vt statim conualuerit: *Ad altare*, inquit, *cum fide procumbit, eúmque, qui super illud colitur magno cum clamore obtestans, &c.* Quid autem super altare colatur, dubium esse non potest, cùm nihil ibi ponatur à Christianis, nisi panis & vinum mutanda in corpus & sanguinem Christi: vnde Optat. paulò antè citatus, vocabat altare sedem corporis Christi.

B

Petrvm Martyrem valde vsit pupugitq; hic locus, vt apparet ex libro eius contra Gardinerum, obiecto 38. Nam primùm conatur se expedire, ac dicit, super altare coli quidem Christum, sed coli in symbolo, sicut in symbolo significatur. At hæc responsio nihil eum iuuare potest. Nam si colitur in symbolo, vel est ipse reuera in eo symbolo, vel non est. Si est, errant Sacramentarij, qui id negant: si non est, ergo licet saltem coram symbolis procumbere, & ibi Christum, licet absentem, adorare: ergo licet Eucharistiam, & imagines Christi venerari, neque est idololatria, vt ipsi passim clamant.

Sed hac solutione non contentus Petrus Martyr, paulò infrà aperit mentem suam, ac dicit, mulierculam illam parùm in Christiana religione fuisse instructam, & abusum, ac superstitionem esse, quod illa fecit, cùm nec vllum sit altare Christianis, nec vllus Sacramenti vsus esse debeat, nisi ad sacram cœnam. At illam sanctam fœminam satis defendit ab istius impij Apostatæ petulãtia tum sancti Gregorij auctoritas, qui illam nõ solùm prædicat, vt sanctissimam, & optimam, sed etiam testatur fuisse doctissimam in literis vtriusque Testamenti: tum euidens miraculum, quod illa ipsa nocte accidit, siquidem continuò curata est ab incurabili morbo. Quis autem credat abusum, & superstitionem tanti miraculi causam esse potuisse? Adde, quòd si imperitia, & superstitio est, mensam Domini vocare altare, & Christum in Eucharistia colere, non sola Gorgonia, sed etiam ipse Gregorius accusandus erit imperitiæ, & superstitionis. Nam ipse est, qui mensam vocat altare, & qui Christum in Eucharistia coli dicit; ipsius enim Gregorij, non Gorgoniæ verba sunt illa: *Ad altare cum fide procubuit, eum, qui super illud colitur, magna voce obtestans, &c.*

C

D

CAPVT XIX.

Testimonium S. Ephrem.

Sanctvs Ephrem, æqualis superiorum Patrum fuit, quippe sancto Basilio familiaris, ac tantæ auctoritatis, vt eius scripta publicè post diuinas Scripturas in Ecclesia legerentur, vt testatur S. Hieronymus in Catalog. scriptor. Is ergo in libro de natura Dei minimè scrutanda, c. 5. *Quid scrutaris*, inquit, *inscrutabilia? si ista curiosè rimaris, non iam fidelis vocaberis, sed curiosus. Esto fidelis, atq; innocens, participa immaculato corpori Domini tui, fide plenissima, certus quòd agnum ipsum integrum comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, noli temerè ea perscrutari, ne in ipsorum perscrutatione comburaris.* Hæc ille. Et infrà: *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnémque sermonem, quòd fecit nobis vnigenitus Filius Christus Saluator noster. Ignem, & spiritum manducandum, ac bibendum præstitit nobis, corpus scilicet, & sanguinem suum.* Hæc ille.

Ad hoc testimonium neque respondent aduersarij, neque respondere aliquid possunt. Nam difficultas ad credendum, mysterij inscrutabilitas, & miraculum superans omnem mentem, (quæ tria in hoc Sacramento prædicat sanctus Ephrem) clarissimè testantur, non esse Eucharistiam panem materialem, qui tantùm significet corpus Domini, sed esse ipsum verum Domini corpus. Adde, quòd Ephrem facit antithesim quandam: dicit enim mirabile fuisse, quòd Angeli, qui sunt incorporei, in corpore assumpto manducarint cibos corporeos: sed mirabilius esse, quòd nos homines corporei, & lutei comedamus ignem & spiritum, id est, corpus cœleste Christi. At nulla esset admirationis caussa, si tantùm in signo corpus Christi manducaremus, immò mirabilior multò fuisset illa Angelorum manducatio, quàm nostra sit.

CAPVT XX.

Testimonium S. Epiphanij.

Sanctvs Epiphanius omnium superiorum æqualis (nam etiam Athanasio familiaris fuit, licet omnibus superuixerit) in Ancorato, circa medium, cùm docere vellet, hominem verè esse factum ad imaginem Dei, licet non facilè appareat, in quo consistat similitudo inter Deum, & hominem, cùm homo sit corporalis, finitus, mutabilis: Deus incorporalis, immẽsus, immutabilis: dicit, multa esse eiusmodi, quæ aliud sunt, aliud videntur esse, & ponit exemplum de Eucharistia, quæ verè est corpus Christi, & tamen nihil minus esse videtur; cùm id, quòd apparet exteriùs, sit rotũdum, & insensibile, & proinde valde dissimile corpori Christi: *Videmus*, inquit, *quod accepit Saluator in manus suas, veluti Euangelista habet, quod surrexit à cœna, & accepit hæc, & cùm gratias egisset, dixit: Hoc meum est, Hoc & Hoc. Et videmus quod non æquale est, neque simile, non imagini in carne, non inuisibili Deitati, non lineamentis membrorum: hoc enim est rotundæ formæ, & insensibile, quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere: Hoc meum est, Hoc & Hoc: & nemo non fidem habet sermoni, qui enim non credit esse ipsum verum, excidit à gratia, & salute.* Hæc ille.

Hic sanè locus omninò conuincit. Nam quod dicit Epiphanius, oportere credere esse ipsum verum, excludit tropos, & præsertim cùm addat excidere à salute, qui id non credunt. Quòd etiam addit esse id credendum, licet sensus repugnent, apertissimè testatur non loqui eum de significatione, sed de re ipsa: nam sensus non modò non repugnant, sed etiam iuuant, vt credamus Sacramentum significare.

Respondent aduersarij, ac præcipuè Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, obiecto 186. Epiphanium loqui de repræsentatione corporis Domini, ac velle dicere, credendum esse panem Eucharistię verè esse corpus Christi repræsentatiuè, licet nulla appareat in pane similitudo cum corpore Christi. Id verò ex eo potissimùm colligit, quòd Epiphanius panem dicit esse corpus Christi: affirmat enim id, quod Dominus accepit in manus, quòdque ait rotundum, & insensibile esse: illud, inquam, ipsum vocatum à Christo per gratiam corpus ipsius. Panis autem rotundus, & insensibilis, id est, panis verus, ac materialis non potest esse corpus Domini, nisi repræsentatiuè.

SED hæc solutio facilè refelli potest duplici ratione. Primò, quia Epiphanius non sine caussa mutauit conclusionem in comparatione Eucharistiæ cum homine. Nam cùm dixisset hominem esse imaginem Dei, licet non appareat similitudo inter Deum,& hominem: debuisset dicere consequenter, panem Eucharistiæ esse imaginem corporis Domini, licet non appareat similitudo inter panem,& corpus Domini;id enim requirere videbatur ratio exempli allati. At non ita dixit, sed ait panem Eucharistiæ esse ipsum verum corpus Domini. Et certè non dixisset de homine esse ipsum verũ Deum, sicut dixit de Eucharistia, esse ipsum verum corpus, & tamen non minùs homo est verus Deus representatiuè,cùm sit eius imago,quàm sit per aduersarios Eucharistia verum corpus repræsentatiuè. Quorsum igitur hæc mutatio, nisi vt intelligeremus, non conferri Eucharistiam,vt imaginẽ cum homine; sed Eucharistiam, quatenus in eą verè continetur corpus Domini?

SECVNDÒ, refellitur solutio aduersariorum, quia si Epiphanius vellet solùm dicere, panem Eucharistiæ esse corpus Domini repræsentatiuè, exemplum ipsius nihil valeret. Nam Sacramenta signa quidẽ sunt repræsentantia rem aliquam sacram,sed non repræsentant ratione figuræ, aut formæ,aut colorum, quemadmodum repræsentant imagines depictæ,vel sculptæ;sed repræsentant partim vt signa ad placitum, partim ob analogiã naturalem inter effectus ipsorum signorũ,& rei significatæ,quemadmodum etiam verba sunt signa rerum, & hedera signum est vini. Quare nihil est nouum,vel mirum, quòd Sacramẽtum Eucharistiæ repræsentet Christum,licet non sit illi simile,vel æquale,quoad figuram, & formam: non enim repræsentat vt imago. Et quemadmodum stultus esset, qui miraretur, quomodo voces possint esse signa rerum,cùm non sint illis in figura, vel colore similes,vel magnitudine æquales : sic etiam stultus esset,qui miraretur,quomodo panis Eucharistię possit Christum repræsentare, cùm non sit Christo æqualis, nec habeat lineamenta corporis Christi. Atqui Epiphanius adfert in medium,vt rem mirabilem,& sola fide comprehensibilem, quòd panis Eucharistiæ dicatur verè esse corpus Christi, cùm non sit illi similis,nec æqualis,nec referat vlla corporis illius lineamẽta;non igitur Epiphanius loquitur de pane repræsentante corpus Domini,sed de ipso vero corpore,quod verè adest in illa sacra hostia, quam oculis videmus, & manibus tangimus,licet sensus omnes reclament.

AD argumentum autem Petri Martyris,Respondeo, Epiphanium nunquam dixisse, panem materialem esse corpus Christi ; sed tantùm dixisse, Dominum accepto pane,gratias egisse, id est, consecrasse eum panem, atq; Eucharistiam fecisse,& tunc demum dixisse:*Hoc est corpus meum*,vbi pronomen,*Hoc*, non demonstrat panem, sed id quod in manibus Domini erat, siue quod sub speciebus illis continebatur: vt suprà diximus:quod quidem antea fuerat panis, sed prolatis illis verbis, corpus Domini erat.

AT, inquit Petrus Martyr,de ea re, quam vocat rotundam,& insensibilem, de eadem pronunciat quòd sit corpus Domini.Illa autem res panis sine dubio est.Respondeo,res illa rotunda,& insensibilis non est panis eo loco,sed aliquid speciem panis præ se ferens : vult enim Epiphanius dicere, sacram Eucharistiam verè esse corpus Domini,licet exteriori forma,ac specie rotunda, & insensibilis sit, vt panis merus videatur. Immò in hoc consistit(vt diximus) tota sententia Epiphanij, quòd videlicet credere debeamus,verum Domini corpus nos in Sacramento Eucharistiæ percipere,cùm tamen nihil videamus,nisi panis materialis accidentia.

A

CAPVT XXI.

Quinta ætas Ecclesiæ ab anno Domini CD.ad D.

Testimonium Gaudentij.

B

BEATVS Episcopus Gaudentius ad initium Quinti seculi floruit,vt patet ex sermo. ipsius de dedicatione basilicæ Concilij Martyrum. Vbi dicit, se accepisse reliquias quasdam à duabus neptibus S.Basilij,& ante paucos annos refert inuenta fuisse corpora Sanctorum Geruasij, & Protasij à S. Ambrosio.Hic igitur insignis auctor. tract.2.de Exodo, dicit, in veteri Testamento Agnum Paschalem non fuisse eundem omnium Iudæorum,sed multos;siquidem vnaquæque familia suum occidebat, & manducabat : ille enim agnus figura erat,non veritas.At in nostra veritate vnum , & eundem in omnibus Ecclesiis immolari , & manducari affirmat. Quæ comparatio manifestè indicat in nostro Sacramento verum Christi corpus in seipso, non in solo symbolo adesse : alioqui etiam Iudæi, vnum & eundem agnum habuissent, cùm omnes illi eorum agni vnum Christum significarent.

DEINDE idem auctor sic loquitur : *Ipse naturarum Creator,& Dominus, qui producit de terra panem,de pane rursus(quia & potest,& promisit,)efficit proprium corpus: & qui de aqua vinum fecit,& de vino sanguinem suum.* Et infrà:*O altitudo diuitiarum sapientiæ,& scientiæ Dei. Pascha est Domini,hoc est transitus Domini.Ne terrenum putes, quod cæleste effectum est, per eum, qui transit in illud, & fecit illud suum corpus,& sanguinem.* Et infrà:*Quod annunciatũ est credas,quia quod accipis,corpus est illius panis cælestis,& sanguis est illius sacræ vitis. Nã cùm panem consecratum,& vinũ discipulis suis porrigeret,sic ait:Hoc est corpus meum,Hic est sanguis meus. Credamus cui credidimus:nescit mendaciũ veritas.* Et infrà:*Non infringamus os illud solidissimũ,Hoc est corpus meũ,Hic est sanguis meus.Si quid autẽ superfuerit etiam nunc in vniuscuiusque sensu,quod expositione ista non cæperit,ardore fidei concremetur.* Ad hęc loca aduersarij non responderunt,nec respondere possent.

C

CAPVT XXII.

Testimonium Chrysostomi.

AD initium anni CD. floruit etiam S. Ioannes Chrysostomus, qui multis modis testatus est, quid sentiret de Sacramento corporis Domini.Primum testimonium eius habetur homil.60.ad populum Antiochenum,& hom.83. in Matthæum:*Credamus*,inquit,*vbique Deo,nec repugnemus ei,etiamsi sensui,& cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit. Superet & sensum,& rationẽ nostram sermo,quæso,ipsius:quod in omnibus rebus,sed præcipuè in mysteriis faciamus,nõ illa, quæ ante nos iacent solummodò aspicientes,sed verba quoque eius tenentes:nam verbis illius defraudari non possumus.Sensus verò noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ille dixit:Hoc est corpus meũ,nulla dubitatione teneamur, sed credamus,&c.* Et hom.51.in Matthæum : *Qui*,inquit,*maius, id est,animam suam,pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi tradere corpus? Audiamus igitur tam Sacerdotes,quàm alij, quàm magna, quàm admirabilis res nobis concessa est: audiamus,oro,& perhorrescamus : carnes suas nobis tradidit seipsum immolatũ proposuit.* Sanè non potuisset Chrysostomus clariùs loqui, si Caluinistam aliquem ante se habuisset,quem hortari ad fidem voluisset.

SECVNDVM testimonium habetur in iisdem duobus locis : *O,quot modò dicunt,vellem formam,& speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre: ipsum igitur vides,ipsum tangis,ipsum comedis.*

AD hunc locum respondet Petrus Martyr, Boquinus, & alij, Chrysostomum tribuere nomen rei significatæ symbolis ipsis, & hyperbolicè loqui. Et probant,

eum

cum loqui de symbolis,non de ipso vero corpore,quia dicit videri Christum, & tangi in Sacramento, cùm tamen sola symbola tangantur,& videantur : de ipso autem vero corpore suprà dixit, oculis mentis, per fidem esse videndum, & infrà dicit, in rebus sensibilibus donum insensibile nobis dari. Quod autem insensibile est, nec tangi, nec videri potest : non igitur de ipso vero Christo loquitur,sed de pane,cùm ait:*Ipsum vides,ipsum tangis,ipsum comedis.*

AT solutio ista facilè refellitur. Chrysostomus enim cùm dicit, Christum ipsum videri & tangi , intelligit ipsum verum Christum videri & tangi, sed in specie aliena,non in sua,id est,verè adesse,& recipi sub illis speciebus,quæ propriè videntur,& tanguntur;licet in propria specie Christus in Sacramento non videatur , nisi oculis fidei,neq; sensibilis sit,vt in Sacramento est.Exẽplum habemus in Angelis.Nam verè dicebantur videre, tangere, & hospitio excipere Angelos,qui illos recipiebant in corpore assumpto,vt Abraham,Loth,Tobias,& alij. Id autem velle Chrysostomum, patet ex eo, quod dicit,multos cupere videre vestimenta,& calceamenta, & in Sacramẽto plus habere,quàm cupiant,cùm ipsum Christum habeant:illi enim qui cupiunt vestimenta,vera vestimenta cupiunt, non imaginem vestimentorum. Et sanè optabilius esset videre, vel habere vera Christi indumenta, quam imaginem corporis eius : non ergo verè dicit Chrysostomus, illos habere plus quàm optent,nisi ipsum verum Christum verè habeant.

PRAETEREA ibidem dicit Chrysostomus, nullum vnquam pastorem pauisse oues carne,& sanguine suo, vt Christus facit,& multas matres dedisse filios aliis nutriendos;at Christum carne sua nos alere. Quæ comparationes omninò frigebunt,si tantùm in symbolo carne sua nos nutrit.

ADDE,quòd hom.24.in priorem ad Cor.dicit,Magos hoc ipsum corpus adorasse in præsepi : nos autem aliquid amplius habere,quàm habuerint Magi : nam illi habuerunt in præsepi, nos in altari:illi in vlnis mulieris, nos in manibus Sacerdotis : illi simplex corpus viderunt,nos & corpus idem videmus,& scimus eius potentiam, & virtutem, &c. At si tantùm in signo Christum habemus, non modò non sumus Magis superiores, sed tantò inferiores, quantò inferior est imago Christi ipso vero Christo.

IBIDEM dicit,amantes consueuisse personis amantibus donare vestes,pecunias,& alia id genus:at carnem suam non posse dare : Christum autem rationem inuenisse per hoc mirabile Sacramentum, quo se nobis verè donaret habẽdum.Sed falsum erit,quod Chrysostomus dicit,si tantùm in symbolo se nobis Christus donat:possunt enim etiam homines se donare,& reipsa donant amicis in symbolo,cùm imagines suas illis donant.

ITEM hom.51.in Matthæum:*Adeamus*,inquit,*Christum singuli ægrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti eius tunc tetigerunt,rectè omnes conualuerunt:quantò magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus?* Vbi non loquitur Chrysostomus de Christo habito tantùm in symbolis:nõ enim maior est virtus imaginis Christi,quàm fimbriæ illius,quam qui tangebant, curabantur omnes.

ITEM homil.3.in epist.ad Ephes.dicit, Eucharistiam nihil prorsus differre ab illo corpore, quod in cœlo ab Angelis adoratur:*De corpore*,inquit,*nobis sermo est,& eo, quod nihil ab illo dissidet.Quot istius corporis efficimur participes? quot eius sanguinem gustamus ? Recolito, quia illius corpus & sanguis est,qui supra cœlos residet,qui ab Angelis suppliciter adoratur.*

DENIQVE homil. 3. de incomprehensibili natura Dei prope finem,reprehendit acerrimè populum,quòd ad eius concionem frequentissimi accederent, ad sacrum autem rariores : *Me*, inquit, *vehemens cæpit suspirium,quòd cùm ego disputo vester conspernus, studium adhibetis, & ingenium, contenditis animum, alter alterum impellit,& iactat,vt ipse propiùs adsit,frequentes ad finẽ vsq; dicendi patientissimi perseueratis : cùm autem ipse Christus communis omnium Magister,& Dominus in sacris mysteriis se ostensurus est,vacua Ecclesia redditur.Proh fidem hominum Christianorum !* Hæc ille. Quæ sanè comparatio, & exclamatio ineptissima esset,si nihil in Eucharistia præter signum haberemus:potuissent enim illi respondere, se domi satis multas habere imagines Christi,in quibus eum videre possent.

TERTIVM testimonium habetur in iisdem locis, homil. videlicet 60. ad popul. & 83. in Matthæum, vbi Chrysostomus sic ait:*Non sufficit ipsi, hominem fieri, flagellis interim cædi : sed nos secum in vnam (vt ita dicam) massam reducit,neque id fide solùm,sed reipsa nos corpus efficit.* Et hom.61.ad popul.& homil.45.in Ioan.addit non sola charitate,sed reipsa nobis commisceri carnem ipsius per hoc Sacramentum.Et homil.24.in priorem ad Cor. dicit, sic nos vniri corpori Christi per Eucharistiam, quemadmodum corpus illud vnitum est Verbo per Incarnationem, id est,verè & realiter. Et ibidem dicit, amantes aliquando præ nimio amore morsu appetere eos,quos diligunt,vt eo modo indicent cupere se,si possent fieri,intimè vniri,& fieri vnum cum illis : Christum autem hoc mirabili modo per Eucharistiam effecisse,vt verè corpori eius intimè vniremur. Quæ omnia frigidissima, & ridicula essent, si tantùm in signo Christi corpus acciperemus.

RESPONDET, Petrus Martyr,duplicem esse vnionem fidelium cum Christo,vnam per fidem,& charitatem;alteram, quæ ex ista sequitur, qua sumus membra Christi,& ipse caput nostrum : & de hac posteriore loqui Chrysostomum,cùm dicit,nos reipsa vniri Christo, & non sola fide,aut charitate.

SED contrà. Nam ista vnio membrorum cum capite,qua efficimur vnum corpus mysticũ Christi, propriè obtinetur per Baptismum,& necessariò,præcedere debet sumptionem Eucharistiæ: qui enim non est membrorum Christi, non nisi indignè ad hoc Sacramentum accedit. At Chrysostomus dicit, per Eucharistiam nos coniungi Christo noua quadam,& vera vnione.Præterea,quòd ait Chrysostomus, reipsa nobis coniungi corpus Christi:non minùs opponitur coniunctioni mysticę membrorum cum capite, quàm cõiunctioni per fidem, & dilectionem : neque enim illa magis realis est, quàm ista. Deniq; illa exempla Incarnationis,& amantium,satis refellunt figmenta ista aduersariorum.

QVARTVM testimoniũ est in his locis,vbi miraculo tribuit Chrysostomus,ꝙ Christi corpꝰ simul sit in cœlo,& in altari,li.3.de sacerdotio:*O miraculũ, ô Dei benignitatẽ, qui cũ Patre sursum sedet in illo ipso tẽporis articulo omnium manibus pertractatur,ac se ipse tradit volẽtibus illũ excipere,& amplecti.* Item hom.2.ad populum Antiochenũ, in fine : *Helias meloten discipulo reliquit : Filius autem Dei ascendens suam carnem dimisit : sed Helias quidem exutus, Christus autem,& nobis reliquit,& ipsam habẽs abscondit.*

AD hunc locum respondet Beza in Cyclope,Christi carnem in cœlo esse propriè,in terra symbolicè.Et probat,quia ibidem Chrysostomus dicit,Heliã simul fuisse sursum & deorsum ; quia nimirum sursum erat in sua persona, & deorsum erat, quia requieuerat spiritus eius in Heliseo:& sic in alio erat deorsum, non in se. adducit etiam Beza eundem Chrysostomum homil.24.in priorem ad Cor. vbi dicit, per hoc mysterium fieri, vt terra nobis sit cœlum, & hortatur, vt mente conscendamus in cœlum,vbi Christum habeamus.

SED nihil Beza dicit. Nam etiamsi Helias non erat propriè sursum & deorsum, tamen alia ratio est de

Christi

Christi carne, quàm Chrysostomus non confert cum Helia, sed cum eius melote.

QVOD autem propriè carnem Domini Chrysostomus intellexerit in terra nobis relictam, & simul in cœlo; patet, tum ex loco citato ex lib. 3. de sacerdotio, vbi miraculum in hac re agnoscit Chrysostomus; neque enim miraculum esset, si tantùm in symbolo carnem Domini haberemus; tum ex hoc ipso loco, de quo agimus. Dicit enim Chrysostomus, rem nobis longè maiorem à Christo relictam, quàm ea fuerit, quàm Helias Helisæo reliquit: quia Helias vestem, Christus carnem reliquit. At certè non est res maior caro in symbolo, quàm vestis propriè dicta.

DENIQVE locus alius à Beza productus ex hom. 24. in priorem ad Corinthios, vel solus sufficeret ad eum conuertendum ad veram fidem, nisi in sua hæresi planè obduruisset. Nam non dicit Chrysostomus, vt mente in cœlum ascendamus, vt ibi tantùm Christum habeamus, sed vt videamus, nihil esse in cœlo præstantius Christo, & ideò terram Sacramentum fieri cœlum, quia verè habeamus in terris id, quod est in cœlo præstantissimum. Verba eius hæc sunt hom. 24. in priorem ad Corinthios, in fine: *Dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium. Ascende igitur ad cœli portas, & diligenter attende, immò non cœli, sed cœli cœlorum, & tum quod dicimus intueberis. Etenim quod summo honore dignum est, id tibi in terra ostendam, nam quemadmodum in regiis non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens, omnium præstantissimum est: ita quoque in cœlis regium corpus, quod nunc in terra videndum tibi proponitur: neque enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium Dominum tibi ostendo.* Quo loco Chrysostomus si solùm in signo Christum in terra esse veller, planè deciperet auditores; nec anteponeret eum Angelis & Archangelis. Quis enim non malit veros Angelos videre, quàm solã Christi imaginem? Adde quòd ibidem rursus ait Chrysostomus: *Si puer regius purpura, & diademate ornatus tibi ferendus traderetur, nonne omnibus rebus humi abiectis eum exciperes? Verùm nunc cùm non hominis regium puerum, sed vnigenitum Dei Filium accipias, non horrescis, & omnem secularium rerum amorem abiicis?* Hæc ille. Vbi si de Christi signo, non de ipso Christo loqueretur, nullo modo cum cum regio puero, sed cum imagine pueri regij conferret, aut certè ineptissimus esset.

QVINTVM testimonium, est in his locis, vbi Chrysostomus dicit, Christum in Eucharistia, non modò ab hominibus, sed etiam ab Angelis adorari. Homil. 41. in priorem ad Corinthios: *Non frustrà memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus, pro istis agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes.* Hæc ille. Vbi apertissimè dicit inuocari (quæ species est summæ adorationis) agnum in altari iacentem, & fortè alludit ad illa verba: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.*

IDEM in oratione de S. Philogonio, loquens de Magis, qui ad Christum adorandum ex Perside venerunt, sic ait: *Si cum fide accesserimus, proculdubio videmus eum in præsepi iacentem. Nam hæc mensa vicem explet præsepis: siquidem & hic ponitur corpus Dominicum, non quidem fasciis inuolutũ, sicut tunc, sed vndequaque Spiritu sancto conexũ. Ac Magi quidem nihil aliud, quàm adorarunt: tibi verò si cum pura accesseris conscientiã, permittemus vt sumas, & sumpto domũ abeas.* Vbi indicat nos non tantùm adorare posse, quod Magi fecerunt, sed etiam sumere.

IDEM hom. 60. ad popul. Antioch. *Cogita quali sis insignitus honore, qua mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorẽ, hoc nos pascimur, huic nos vnimur.* Et hom. 61. *Huic & supernæ potestates assistunt, quoniam & illæ nobis manifestiùs propositorum virtutem speculãtur, & inaccessibiles admirantur splendores.* Et hom. 3. in epist. ad Ephes. *Et tu ad salutarem hanc hostiam accessurus, quã Angeli ipsi cum tremore suspiciunt.* Et lib. 6. de sacerdot. *Per id tempus,* inquit, *& Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est: id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò, & cõmemorantem quendam audiui, cùm diceret senem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignũ habitum à Deo fuisse, ac per illud quidem tempus derepentè Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdãtium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente Rege stantes videt.* Hom. 21. in act: *Quid dicis? hostia in manibus est, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei: cum tanto horrore astant omnes, &c.* Denique hom. de Eucharistia in encæniis: *Agnus Dei immolatur: Seraphim astant sex alis faciem tegentia, &c.*

AD hæc aduersarij neque respondent, neque respondere possunt. Si enim Angeli ad altare astant capitibus inclinatis, & cum timore, ac tremore, vix audent liberè intueri, propter splendorem, inde emicantem; quis negare potest ibi aliud esse, quàm panem? & si Angeli adorant, quis homines reprehendere potest, si & ipsi adorent?

SEXTVM testimonium est in his locis, vbi Chrysostomus dicit mutari panem homil. 83. in Matthæum, & hom. 60. ad populũ: *Non sunt humanæ virtutis opera proposita: nos ministrorum locũ tenemus, qui verò sanctificat ea, & immutat, ipse est.* Et infrà, *Qui dixit, Hoc est corpus meũ, & verbo factũ confirmauit.* Et in hom. de proditione Iudæ dicit ista verba: *Hoc est corpus meum,* similia esse illis: *Crescite & multiplicamini.* Et hom. de Eucharistia in encæniis: *Num vides panem? num vinum sicut reliqui cibi in secessum vadit? absit, ne sic cogites. Quẽadmodũ enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria cõsumi corporis substãtia.*

AD hunc vltimum locum respondet Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, parte quarta, Chrysostomum non negare in Eucharistia esse verum panem; sed modo illo loquendi significare velle, non esse attendendum ad panem, sed ad id, quod per eum significatur: neque substantiam panis propriè velle consumi ab ipso Domini corpore superueniente, sicut ceram ab igne, sed istum esse tropum, quo indicetur oportere nos mẽtem abstrahere à pane & vino, & in rebus significatis eam ponere. Id autẽ probat, quia Chrysostomus non solùm substantiam panis, sed etiam accidentia consumi dicit, cùm ait mysteria consumi, & cùm ait nihil superfluere, & cùm adhibet ceræ similitudinem, quæ tota omnino perit in igne, tùm quoad substantiam, tum quoad accidentia. At qui accidentia panis non consumuntur verè & propriè, cùm adhuc sensibus percipiantur, ergo neque substantia verè, & propriè consumitur. Secundò idem probat, quia ibidem Chrysostomus dicit: *Ne putetis quod accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsius Seraphim forcipe ignem.* Quæ certè verba propriè accipienda non sunt, quia falsa essent: eodem igitur modò, cùm idem auctor dicit, non esse panem & vinum, & consumi mysteria, intelligenda sunt omnia impropriè.

SED hæc solutio nullo negotio refelli potest. Nam si Chrysostomus non negaret reipsa panem adesse, & tantùm vellet, non adesse quoad cogitationem nostram, non diceret Eucharistiam non emitti in secessum, sicut alios cibos: ista enim nihil ad cogitationem, sed ad rem ipsam pertinent. Vnde Petrus Martyr, quamuis multa dixerit de hoc loco, nunquam tamen respondit

ad

ad ullam sententiolam, sed eam semper, quasi scopulum quendam infestum euitauit. Præterea valde absurda esset similitudo illa de cera ab igne consumpta, si non reipsa panis consumeretur.

AD argumentum eius, Primùm respondeo, Chrysostomum non dicere consumi accidentia panis: immò disertis verbis expressit ille substantiam discedere adueniente alia substantia. Vnde cùm ait mysteria consumi, intelligit quoad substantiam, de qua loquebatur, & cùm ait, nihil superfluere, nihil substantiæ remanere significat. Et denique cum cera, quæ tota consumitur, solam substantiam panis comparat, non quidquid in pane est.

AD Secundum dico, non esse similes illas loquutiones: *Ne putes diuinũ corpus ex homine te accipere:* &, *Num panem vides? num vinum?* Nam in priore manifesti sunt tropi, dum sacerdotem vocat Angelum Seraphicum, & corpus Domini ignem, & manum sacerdotis forcipem: neque negat accipi corpus Domini à sacerdote, sed negat illum eo tempore gerere se, vt hominem, sed potiùs Angelico ministerio illum vti confirmat. At in posteriore omnes circunstantię clamant, non esse ibi tropum, cùm dicat, eum panem non ire in secessum, & totam substantiam consumi.

SEPTIMVM testimonium est in his locis, vbi dicit, in Eucharistia esse veritatem sanguinis, cuius figura præcesserat in Testamento veteri. Homilia ad Neophytos disputans de sanguine agni, quo liniebantur postes filiorum in Israël in Ægypto, vt ab Angelo percutiente liberarentur: *Sicut,* inquit, *regnantium statuæ, nonnunquam ad se confugientibus hominibus subuenire consueuerunt, non quia sunt ære confectæ, sed quia retinent imaginem principalem: ita & sanguis ille liberauit, non quia sanguis fuit, sed quia huius sanguinis ostendebat aduentum. Nunc ergo si viderit inimicus non postibus impositum sanguinem typi, sed fidelium ore lucentem sanguinem veritatis, multò magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quãto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem?* Similia repetit hom. 45. in Io. & homil. 61. ad populum Antiochenum. Ad quæ loca nihil omnino respondeti potest: nam sanguinis veritatem ponit Chrysostomus, non solùm in animo, sed etiam in ore fidelium.

IAM contra Catholicam veritatem ex Chrysostomo nouem testimonia Petrus Martyr adducit in libro contra Gardinerum, obiecto 197. & sequentibus, sed sex ex illis nullam habent difficultatem. Vnum sumit ex hom. 83. in Matth. vbi Chrysostomus Eucharistiam vocat symbola passionis Christi. Quod quidem & nos fatemur, vt suprà sæpe diximus.

ALTERVM sumit ex eadem homilia, vbi dicit Israëlitas Agnum Paschalem comedisse habitu viatorum, quia in Palæstinam profecturi erant, nos autem in cœlum profecturos esse: ex quo loco deducit Petrus Martyr, nos, dum manducamus Eucharistiam, debere in cœlum mente conscendere, & ibi Christum quærere, non in Sacramento. Atqui ista mira est vel stupiditas, vel pertinacia. Nam non docet Chrysostomus, vt dum sumimus Eucharistiam ascẽdamus in cœlum, sed vt sumamus Eucharistiam tanquam cibum, & viaticum, quo roboremur in hac vita, dum proficiscimur ad patriam cœlestem, ad quam post mortem peruenimus. Id quod ex allata comparatione perspicuum est: neq; enim Israëlitæ dum comederent agnum, ibant in Palæstinam, vt ibi quærerent agnum: sed comedebant agnum, quem præsentem habebant, habitu tamen viatorum, quia paulò pòst iter facturi erant ad terram promissionis.

TERTIVM testimonium sumit ex hom. 24. in priorem ad Corinthios, vbi Chrysostomus ait: *Quid est panis? corpus Christi: Ergo,* inquit Petrus Martyr, *panis est corpus Christi: ergo verus panis manet in Eucharistia.*

RESPONDEO, Chrysostomus non de pane materiali, sed de pane consecrato prædicat corpus Christi: verissimè autem panis consecratus non est panis communis, sed panis vitæ, id est, corpus Christi. Vnde ibidem Chrysostomus disertis verbis dicit, in calice sacro illud esse, quod ex latere Christi fluxit, id est, sanguinem eius.

QVARTVM testimonium sumit ex eadem homilia, vbi Chrysostomus dicit, Eucharistiam esse cibum aquilarum, iuxta illa verba Domini: *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* proinde more aquilarum debere nos in altum euehi, & ad Christum accedere. Hinc autem nititur ostendere Petrus Martyr, Christum non esse quærendum in altari. Sed frustrà nititur. Chrysostomus enim loquitur de ascensione non in cœlum corporale, sed in Deum, ac res æternas, & spirituales, neglectis terrenis curis, quod sanè facit, qui Christum quærit, eique adhæret, vbicunque tandem is sit.

QVINTVM testimonium sumit ex hom. 27. in priorem ad Corinthios, vbi panem, & calicem vocat Eucharistiam. Sed ad hoc iam sæpe responsum est: vtitur enim Chrysostomus verbis Pauli.

SEXTVM testimonium est in hom. 20. in posteriorem ad Corinthios, vbi Chrysostomus dicit, non solùm Eucharistiam esse corpus Domini, sed etiam pauperes esse corpus Domini, de quib. Dominus ait: *Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* At pauperes non sunt corpus Christi nisi repræsentatiuè; ergo & Eucharistia solùm repræsentatiuè corpus est Christi. Respondeo, Non dicit Chrysostomus eodem modo corpus Christi esse pauperes, quo est Eucharistia: & ex aliis eius locis infinitis satis iam probatum est, Eucharistiam esse ipsum verum Christi corpus, quale certum est non esse pauperes.

SEPTIMVM testimonium sumit ex commentario Psal. 22. Sic enim ibi legimus: *Vt quotidie in similitudinem corporis & sanguinis Christi, panem & vinum secundum ordinem Melchisedech nobis ostenderet in Sacramento.*

RESPONDEO; Commentarium in eum Psalmum, sine dubio non esse Chrysostomi, immò neque Græci alicuius; phrasis enim Latina est, & cùm res, tum verba longissimè absunt à scriptis Chrysostomi: potest tamen responderi, (cuiuscunque sit illa sententia) panem & vinum in Sacramento ostendi quoad externam speciem. Nam vt suprà diximus, etiam more Scripturarum res denominantur ab exteriore specie: quomodo serpens æneus vocatur serpens, & Angeli qui apparebant in forma humana, passim dicũtur in Scriptura homines. Neq; negamus panem Eucharistiæ similitudinem gerere corporis Domini, quoniam eius Sacramentũ est, licet simul etiam doceamus, præsens Domini corpus, non absens eo Sacramento significari. Porrò ille auctor panem & vinum appellare voluit Eucharistiam, non corpus & sanguinem, quia exponebat illa verba Salomonis: *Venite comedite panes meos, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

OCTAVVM testimonium sumit ex libro, siue epistola ad Cæsarium Monachum, vbi legimus, panem post consecrationem non vocari ampliùs panem, licet natura panis in ipso permaneat.

RESPONDEO, Nihil eiusmodi vnquam scripsisse Chrysostomũ: neque enim in toto Chrysostomi opere vllus est liber, vel epistola ad Cæsarium. Verba autem huius auctoris (quicunque ille fuerit) eandem prorsus sententiam habent cum sententia Theodoreti, & Gelasij; ideò, quod postea ad illos respondebimus, idem & huic responderi poterit: nolo enim cum Chrysostomo miscere testimonia incerta, & nullius auctoritatis.

NONVM testimonium sumit ex hom. 11. in Mat. vbi sic legimus: *Sic ergo hæc vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre sic periculosum est, in quibus non verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur; quantò*

magis

magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparauit, non debemus locum dare Diabolo agendi in eis, quod vult.

RESPONDEO, Non dubium est, opus homiliarum imperfectum, vnde sumptum est ab aduersariis testimonium, non esse Chrysostomi: nec minùs certũ est, opus illud variis erroribus scatere. Id annotauit Erasmus in præfatione: idem fatetur Petrus Martyr, & omnes, qui legerint, facilè iudicabunt. Porrò verba illa, *In quibus non est verum corpus Domini, sed corporis eius mysterium continetur*, ab aliquo Berengarij discipulo inserta illi homiliæ esse videntur. Nam non sunt in omnibus exemplaribus, vt ibidem ad marginem annotatur: & præterea adrem non faciunt. Nam loquebatur auctor homiliæ de vasis sacris templi Salomonis, quę Balthasar transtulit ad profanum vsum, & propterea regnum, & vitam perdidit. In illis autem vasis, non solùm non erat verum corpus Domini, sed nec mysterium eius. Denique constat opus illud multis modis corruptum à variis hæreticis, & varia hinc inde inserta habere. Id quod rectè probat Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ sanctæ, pag. 413. tribus argumentis. Primò, quia in quibusdam antiquissimis exemplaribus non inueniuntur hi errores. Secundò, quia si auferantur, nihil perit de sensu & contextu verborum. Tertiò, quia non solùm sunt in hoc libro errores diuersissimorum hæreticorum, vt Montani, Donati, Manichæi, Arij, Pelagij, Berengarij; sed etiam inueniuntur contrariæ sententiæ, & planè Catholicæ, & præsertim aduersus Arianos: id enim argumentum est manifestum, non esse illa omnia eiusdem auctoris. Habemus igitur, nihil solidi ex vero Chrysostomo ab hæreticis adferri potuisse, cùm tamen nos tam multa ex indubitatis eius libris attulerimus pro Catholica veritate.

CAPVT XXIII.

Testimonium S. Hieronymi.

IVVS Hieronymus æqualis Chrysostomi fuit, licet ei aliquandiu superuixerit: obiit anno Domini CD. XXII. cùm obiisset Chrysostomus anno CD. IX. Ex hoc igitur auctore quædam testimonia produci possunt. Primum est in comm. Matthæi. cap. 26. vbi sic legimus: *Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret.*

HVNC locum etiam hæretici pro se adducunt, vt Petrus Martyr libro contra Gardinerum, obiecto 210. propter illam vltimam vocalem, *repræsentaret*, sed locus planè noster est totus. Nam repræsentare apud Hieronymum, exhibere reipsa significat, vt suprà diximus in testimoniis Tertulliani: qua significatione vtitur etiam Ambrosius li. 1. de officiis, cap. 36. cùm ait: *intellige priùs, quæ habentur in ferculis dapes, & tunc mitte manum, vt quæ legis, vel accipis à Deo, tu operibus exequaris, & collatam in te gratiam officiis repræsentes:* vbi pro eodem accipit, exequi, & repræsentare.

SIC accepisse Hieronymum patet, Primò ex eo, quod opponit typicum Pascha Iudæorum vero Sacramento Paschatis Christianorum. Nam si Eucharistia solùm repræsentaret corpus Christi in symbolo, & non reipsa, nulla esset causa cur diceretur verum Sacramentum, & cur opponeretur typico: nam etiam Pascha Iudæorum repræsentabat in symbolo corpus Christi. Secundò patet ex eo, quòd dicit Melchisedechũ offerendo panem, & vinum præfiguraſſe, Christum autem instituendo Eucharistiam repræsentasse corporis veritatem: vbi antithesis requirit, vt Christus exhibuerit corporis veritatem, cuius figura in Melchisedechi oblatione præcesserat. Quod ipse idem clariùs exponit in commentario Psal. 109. *Quomodo*, inquit, *Melchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum, sic & tu offeres corpus & sanguinem tuum, verum panem & verum vinum. Ille Melchisedech ista mysteria, quæ habemus, tradidit nobis. Ipse est, qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c.* Hic videmus apertè opponi pani, & vino Melchisedechi corpus & sanguinem Christi, quæ dicuntur verus panis & verum vinum, non ratione naturæ, sed ratione effectus: quomodo idem Dominus ait: *Ego sum vitis vera.* Nam alioqui etiam panis Melchisedechi fuit verissimus panis, si naturam spectes.

SECVNDVM testimonium est in epistola ad Hedibiam, q. 2. *Nos*, inquit, *audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini Saluatoris.* Et infrà: *Nec Moses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.*

HVNC etiam locum pro se Petrus Martyr adducit, quia nomen panis in hoc testimonio legit: sed locum esse pro nobis, dubium esse non potest, tum quia declarat Hieronymus panem illum non esse panem materialem, sed ipsum Domini corpus; tum quia non verè diceret, Mosem non dedisse panem verum, id est, Christi corpus, si Eucharistia non esset corpus Christi, nisi significatiuè.

TERTIVM testimonium est in comment. 1. cap. ad Ephes. *Dupliciter*, inquit, *caro Christi, & sanguis intelligitur: vel spiritualis illa, atque diuina, de qua ipse dixit, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus: vel caro, & sanguis, quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea. Iuxta hanc diuisionem & in Sanctis eius diuersitas sanguinis & carnis accipitur: vt alia sit caro, quæ visura est salutare Dei, alia caro, & sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere.* Hæc ille. Vbi distinguit carnem, quæ est in Eucharistia, ab illa, quæ fuit crucifixa, solùm quoad accidentia, nimirum quòd in cruce fuit caro passibilis, in Eucharistia sit impassibilis, & spiritali ac diuino quodam modo se habens: quemadmodum distinguitur caro nostra mortalis, ab ipsa nostra carne immortali, qualis erit post resurrectionem. Nec potest responderi, carnem spiritalem, quæ est in Eucharistia, solùm esse in signo, & non reipsa: nam si ita acciperet, destrueret id, quod astruere volebat, veram carnem resurrecturam, contra Origenistas. Deinde caro Christi, vt in Eucharistia significatur, non potest distingui ab ea, quæ fuit in cruce, nec vocari diuina; Eucharistia enim Sacramentum est, siue symbolum passionis Christi: non ergo Hieronymus distingueret vnam ab alia, si de symbolo tantùm loqueretur. Neque etiam respondere possunt aduersarij, Hieronymum non loqui de Eucharistia, sed de spirituali manducatione carnis Domini, de qua intelligunt ipsi verba domini ab Hieronymo citata. Hoc, inquam, respondere non possunt: nam verba Domini secundum aduersarios intelligũtur de carne Domini, vt fuit in cruce, quæ per fidem manducatur spiritualiter, cui manducationi adiunxit postea Dominus, vt ipsi dicunt, symbola externa. At Hieronymus distinguit carnem Domini, quæ verè est cibus, & quam manducamus, à carne crucifixa; ergo non loquitur de manducatione per fidem, sed de vera & reali, vt diximus.

QVARTVM testimonium est in comm. c. 2. epist. ad Titum, vbi cùm dixisset oportere ab officio coniugali eos abstinere, qui corpus Domini suscipere volunt, & attulisset exemplum Abimelech, qui noluit Dauidi panes propositionis dare manducandos, nisi priùs audiuisset, eum ab vxore se aliquãdiu continuisse, subiungit:

Tantùm interest inter panes propositionis, & corpus Christi, quàtum inter imaginem, & veritatem; inter exemplaria verorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur. Hic sanè locus apertissimus est. Nam si in Eucharistia est ipsa veritas, quæ per panes propositionis figurabatur; certè non est in Eucharistia panis materialis significans corpus Christi, sed ipsum verum corpus: id enim omnium consensu est veritas per illos panes adumbrata. Quod autem Petrus Martyr dicit, Eucharistiam vocari ipsam veritatem, quia est symbolum clarius, quàm fuerint panes propositionis, suprà refutatum est, cùm ageremus de figuris.

PORRÒ ex Hieronymo quædam loca adducit Petrus Martyr in libro contra Gardinerum, obiecto 207, 208. & 209. in quibus videtur Hieronymus dicere, non manducari corpus Christi ab impiis. Sed nihil ea loca concludunt; nam loquitur de manducatione vtili, & fructuosa, id est, quæ reuera spiritualiter nutriat, aç reficiat. Loca, quæ ipsi citant, sunt in commẽtar. in cap. 66. Isaiæ, in cap. 22. Hieremiæ, & in cap. 8. Oseæ, quibus locis opponi debet commentarius in 1. cap. Malac. vbi disertis verbis Hieronymus dicit, ab impiis pollui mẽsam Domini, dum immundi ipsi mundissimum sanguinem bibunt.

CAPVT XXIV.

Testimonium Augustini.

SANCTVS Augustinus proximè S. Hieronymum sequitur, quippe qui eius amicissimus fuit, & annos circiter decem illi superuixit: obiit enim teste Prospero in Chronico Augustinus anno Domini CD. XXXIII. cùm obiisset Hieronymus, eodem Prospero auctore anno CD. XXII. Hunc autem Patrem Caluinus totum suum esse mentitur lib. 4. Institut. cap. 17. §. 28. Eundem Petrus Martyr, & cæteri Caluinistæ præter cæteros omnes citant, ac suum esse iactant: vt etiam olim Berengarius teste Guitmundo lib. 2. solum Augustinum non respuebat. Proferam igitur ad hanc eorum iactantiam comprimendam testimonia ex omnibus omnino tomis operum Augustini.

AC primum ex Primo tomo testimonium habemus in lib. 9. confess. cap. 13. *Tantummodo*, inquit, *memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.* Et infrà: *Ad cuius precij nostri Sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei.* Hæc ille. Qui per victimam, qua deletum est chirographum contrarium nobis, non potest intelligere, nisi verã Christi carnem, quæ pro nobis immolata fuit in cruce; neque enim panis est eiusmodi victima: & cùm dicit eam victimam dispensari ex altari, apertissimè indicat, carnẽ Christi non tantùm fide, sed etiam manibus & ore suscipi. Denique cùm dicit sanctam Monicam alligasse animam suam vinculo fidei ad Sacramentum corporis Domini, manifestè significat in eo Sacramento non esse nudum signum, sed ipsum etiam verum Domini corpus: neque enim alligasset mulier sapientissima animam suam pani, vt per eum secura esset.

IN Secundò tomo in epistola 44. ad Maximum, cùm Maximus homo gentilis obiecisset Augustino, quòd Christiani in abditis locis Deum suum se videre credãt: nihil omnino respondit. Nã neque negare poterat Christum videri in Sacramento altaris, cùm ipse idem dicat libro 3. Trinitat. capite 10. in specie panis Dominum oculis apparere mortalium: neque tamen tutum, aut æquum putauit homini gentili explicare hoc mysterium. At certè si non nisi in signo Christus in Eucharistia adesset, potuisset & debuisset obiectionem illam refellere.

EXSTAT testimonium in epist. 86. ad Casulanum, vbi reprehendit Augustinus quendam Vrbicum, qui dixerat, ita mutatum esse Testamentum vetus in nouum, vt cederet pecus pani, & sanguis poculo: *Dicit*, inquit, *cessisse pani pecus, tanquam nesciens, & tunc in Domini mensa panes propositionis poni solere, & nunc se de agni immaculati corpore partem sumere; dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem.* Et infrà: *Quantò ergo melius, & congruentius vetera transisse, & noua in Christo facta esse sic diceret, vt cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini?* Hæc ille. At certè si vera esset aduersariorum sententia, Vrbicus ille rectissimè dixisset: nam verè cessisset pecus pani, & sanguis poculo.

QVOD enim ad signum attinet, in pecore illo non minùs fuisset Christus, quàm in nostro pane: & sanguis Domini non minùs fuisset in sanguine illo, quàm in nostro vino. Quocirca tunc habuissent Christum in pecore, quem nos habemus in pane; & sanguinem in sanguine, quem nos habemus in vino: ac per hoc cessisset pecus pani, non pecus pecori; & sanguis poculo, non sanguis sanguini. Vult igitur Augustinus ita esse omnia mutata, vt pro pane propositionis panem cœlestem habeamus: pro pecore irrationali, agnum Dei: pro sanguine brutorum animantium, sanguinem Christi.

IDEM in epist. 118. cap. 3. dicit, Eucharistiæ deberi singularem venerationem: & ibidem comparat eos, qui ex deuotione accedunt quotidie ad hoc Sacramentum, vel ex deuotione etiam aliquando non accedunt, cum Zachæo, & Centurione: quorum alter Dominum excepit in Domum suam gaudens, alter dixit, *Domine non sum dignus*, quæ comparatio frigida, & inepta esset, si nihil nisi signum corporis Domini sumeremus.

IN epist. 120. ad Honoratum, cap. 27. idem Augustinus exponens illud Psal. 21. *Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites plebis. Et ipsi*, inquit, *adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorãt tantùm, non etiam saturantur, quia non imitantur: manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes.* Hoc loco Augustinus apertè dicit, homines superbos accipere de mensa Domini, corpus Domini, & adorare, sed non saturari. Ex quo sequitur, vt per corpus Domini non intelligat signum corporis, id est, panem, quia panis non adoratur: nec intelligat corpus Domini, vt est in cœlo, sed vt est in altari; quia dicit sumi ex mensa Domini, & sumi ab impiis. Vide etiam epist. 162. & 163.

IN tertio tomo sunt duo alia testimonia. Vnum est lib. 3. de Trinitate, cap. 4. vbi cùm dixisset aliter significari Christum per linguam & voces scriptas, aliter per Sacramentum corporis & sanguinis, subiungit: *Nec linguam quippe, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus: sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.* Hæc ille. At certè si Eucharistia tantùm esset corpus Christi significatiuè, cur non possent corpus Domini vocari verba ipsa, seu scripta, seu pronunciata, quæ clarissimè idem corpus significant?

SED paulò pòst idem Augustinus subiungit: *Quod cùm per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum Sacramẽtum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei: cùm hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, &c.* Vbi dupliciter asseritur ab Augustino veritas corporis Domini. Primò, quia dicit, operante inuisibiliter Spiritu sancto fieri hoc Sacramentum: nec enim illa operatio necessaria esset, si tãtùm significatiuè esset Eucharistia corpus Domini. Secundò, quia numerat hanc operationem inter miracula: ibi enim de miraculis agit, ac multa profert exempla, vt de pluuia ab Helia impetrata, de tonitruis in monte Syna, de aqua mutata in vinum à Christo, de virga Aaron quæ floruit, & de virga Mosis versa in

draconem. Quæ porrò mirabilis operatio in confectione huius Sacramenti esse potest, si nihil omninò fit?

Ex his refelli potest solutio Petri Martyris, quam ad hunc locum adhibet in lib. contra Gardinerum, par. 4. Dicit enim operari inuisibiliter Spiritū sanctum in hoc Sacramento, tum quia Sacramenta à solo Deo instituūtur, tum quia efficacia Sacramenti, qua mentes nostræ excitantur, à Spiritu sancto est. Sed sunt hæc mera effugia. Nam Sacramenti institutio, & etiam confectio, si nihil sit nisi signum, nullam requirit inuisibilem operationem Spiritus sancti: operatio autem, qua mentes nostræ excitantur ad fidem, in mentibus nostris est, non in Sacramento.

Alterym testimonium est lib. 3. Trinitat. cap. 10. vbi sic ait: *Illas etiam nubes, vel ignes quomodo fecerint, vel assumpserint Angeli ad significandum quod annunciabant, etiamsi Dominus, vel Spiritus sanctus illis formis ostendebatur, quis nouit hominum? sicut infantes non nouerunt, quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur, vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vsum religionis assumatur. Et si nusquam discant experimento vel suo, vel aliorum, & nunquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationem Sacramentorum, cùm offertur, & datur, dicatúrque illis auctoritate grauissima, cuius corpus, & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso liquorem illum omnino fluxisse.* Hæc ille. Vbi disputat de formis, in quibus Angeli, vel Deus apparuerunt in Testamento veteri. Ac vt ostendat nos ignorare, quomodo illæ formę factæ sint, & tamen certò credere, in illis Deum vel Angelos apparuisse, assumit similitudinem ab Eucharistia: ignorant enim infantes cùm sacris interesse, quomodo fiat illa forma, in qua consecratur Eucharistia, & tamen certò credunt in illa forma apparuisse Dominum, & in calice sanguinem Domini esse, quia dicitur eis, Christum in Euangelio hoc docuisse, cùm ait: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

Habemvs autem hinc argumentum firmissimum contra aduersarios. Nam infantes, quibus dicitur auctoritate grauissima, in illa forma visibili esse corpus Christi, & liquorem qui est in calice, esse sanguinem, nō credunt illa esse corpus, & sanguinem significatiuè, sed verè & propriè: non enim valent ipsi per se intelligere istos tropos, sed credunt simpliciter id, quod eis dicitur. Vnde Augustinus ait: *Nihil aliud credent, nisi Dominum oculis apparuisse mortalium in illa specie, & liquorem illum de latere Christi omninò fluxisse.* Neque dicendum est hos infantes falsam fidem habere, tum quia Augustinus dicit, illos id credere, quia dicitur eis auctoritate grauissima, tū etiam quia si falsa esset ista fides, debuissent instrui, & admoneri, præsertim cùm etiam ipsi eo tēpore ad Communionem admitterentur. Præterea comparat Augustinus Eucharistiam cum formis, in quibus Angeli apparebant, sed in illis formis Angeli verè & propriè aderant præsentes. Igitur etiā in forma panis verè & propriè præsens adest corpus Christi: alioqui nihil valebit comparatio, & tota Augustini disputatio corruet. Vide præterea eundem Augustinum libro 4. Trinitat. cap. 14. & in Enchiridio, cap. 100.

In tomo quarto habemus testimonium in lib. 3. super Leuiticum, quæst. 57. *Quid sibi vult*, inquit, *quòd à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis vnum hoc sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum: à cuius tamen sacrificij sanguine in alimētum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qui volunt habere vitam?* Hæc ille. At certè quæstio ista non modò superuacanea, sed etiam ineptissima esset, si tantùm in signo, & spiritualiter sanguinem Domini sumeremus: non enim prohibebantur Iudæi sanguinem bibere spiritualiter per fidē, sed corporaliter. Quare Cyprianus, vel quicunque fuit auctor, in serm. de cœna Dom. rectè dixit, nouam esse & inauditam hanc doctrinam, quæ iubet sanguinem bibi, cùm lex vetus esum sanguinis districtissimè prohiberet.

In quinto tomo extat testimonium lib. 17. Ciuita. Dei, cap. 20. in hæc verba: *In alio libro, qui dicitur Ecclesiastes, vbi ait: Non est bonum homini, nisi quod manducabit, & bibet: quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensæ huius pertinet, quam sacerdos ipse mediator Testamenti noui exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore, & sanguine? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in Psalm. 39. eiusdem mediatoris per prophetiam agnoscimus: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: quia pro illis omnibus sacrificiis, & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Hæc ille. Quo loco non potest Augustinus loqui de signo corporis, sed de ipso vero corpore, cùm dicit offerri & ministrari illud corpus, quod successit sacrificiis antiquis: nam etiam illa erant signa corporis Domini. Ac præterea illud corpus offerri & ministrari dicit Augustinus, de quo scriptum est in Psalm. 39. *Corpus autem aptasti mihi*: quod quidem verum & naturale corpus fuisse, nemo negat. Neque possunt aduersarij respondere, loqui Augustinum de vero corpore, sed quod fide tantùm percipiatur: nam cùm ait, *Offertur, & ministratur*, apertissimè loquitur de corporali tractatione corporis Domini. Vide etiam de hac re expositionem eiusdem Augustini in Psalm. 39. vbi vocat corpus, quod norunt fideles, & quod sumunt in Eucharistia, completiuum omnium veterum sacrificiorum.

In sexto tomo li. 12. contra Faustum, cap. 10. dicit, fideles eum sanguinem ore percipere, quo redempti sunt. & cap. 20. dicit, nunc bibi, quod ex latere Christi manauit. & lib. 2. contra aduersa. legis, & prophe. cap. 9. *Mediatorem*, inquit, *Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendúmque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus, quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere.* Hæc ille. Vbi notandum est, quod dicit, non solùm corde: sed etiam ore sumi à nobis carnem Domini.

In septimo tomo lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 37. *Aliud est Pascha, quod adhuc illi de oue celebrant: aliud autem quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus.*

Hæc ille. Vbi opponit Agno Paschali corpus Domini, quod sumimus in Eucharistia, quod certè non faceret, si de signo corporis, non de vero corpore loqueretur: nam etiam ille agnus erat corpus Domini significatiuè, & expressiùs, quàm panis. Vide etiam lib. 1. contra Cresconium, cap. 25. & lib. 1. de peccat. meritis. cap. 24.

In octauo tomo sunt apertissima testimonia. In Psalm. 33. concil. 1. explicans Augustinus titulum Psalmi, in quo scriptum erat: *Et ferebatur in manibus suis: Hoc*, inquit, *quomodo posset fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur, in ipso Dauid secundum literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus suis.*

Ad hunc locum dignatus est Caluinus respondere lib. 4. Instit. cap. 17. §. 28. qui tam multa testimonia omnium Patrum, & ipsius Augustini alto silentio præteriit. Dicit igitur, Christum seipsum manibus suis tulisse, sed impropriè ac figuratè, quia nimirum Sacramētum corporis sui ferebat. Id autē probat, quia Augustinus conc. 2. in eundem Psalmum, rem eandem repetens, addit particulam, *Quodammodò*, sic enim ait: *Quomodo ferebatur in*

manibus suis? quia cùm commendaret ipsum corpus suum, & sanguinem, accepit in manus suas, quod norunt fideles, & ipse se portabat quodammodò, cùm diceret, Hoc est corpus meum. Eandem etiam solutionem adhibet ad hunc locum Petrus Martyr.

Sed facilè refelluntur. Nam Augustinus non solùm dicit, Christum suis ipsius manibus portatum, sed addit rem istam esse difficillimam, & impossibilem aliis hominibus: sic enim ait: *Quomodo posset fieri in homine, quis hoc intelligat?* & rursus: *Manibus aliorum portari potest homo, manibus suis nemo portatur.* At quàm facilè est, vt quis seipsum in signo portet? certè cùm princeps monetam suam in sacculo portat, seipsum portat in signo, cùm in ea moneta imago ipsius inueniatur impressa, & vnusquisque nostrum cùm literas ad se datas legit, vbi nomen suum scriptum habet, nónne seipsum in signo portat? Cùm igitur tam frequenter, & vsitatè hoc fiat, cur diceret Augustinus id non posse fieri, & vix etiam intelligi, si de signo tantùm loqueretur?

Sed inquit Petrus Martyr: *Nemo potest se portare, quomodo Christus se portabat, quia nemo potest Sacramentum instituere, & eo modo seipsum in Sacramento portare.* At respondeo, Nemo potest Sacramentum instituere, quatenus Sacramentum est instrumentum gratiæ conferendæ, vel infallibile signum eiusdem gratiæ: sed benè potest instituere, quatenus est simplex alicuius rei signum. Christus autem si portare se ipse dicebatur, quia Sacramentum portabat: ideò dicebatur se portare, quia Sacramentum illud erat signum ipsius, non quia erat instrumentum gratiæ, vt etiam ipsi fatentur, qui dicunt Sacramentum corporis Domini, vocari corpus Domini, quia nomen rei signatæ aliquando tribuitur signo. Quicunque ergo portat imaginem suam à se depictam, ille non minùs se ipse portat, quàm se Christus portaret, si vera est sententia aduersariorum.

Addit Petrus Martyr: *Velint nolint Papistæ, non potest vllo modo fieri, vt corpus suum Christus portauerit propriè, quia duo corpora tunc fuissent.* Hoc nimirum est, quod illi dolebat, mysterium esse sublimius, quàm vt ipse illud capere posset. Sed si Arianus quispiam illi diceret, non posse fieri, vt vna natura sit in duabus personis distinctis reipsa, nisi natura illa geminetur: quid quæso, respondebit, nisi fide opus esse ad ista intelligenda, quæ humanam rationem superant? idem ergo sciat à nobis responderi de hoc mysterio. Vel si Ariano ipse respondeat, diuinam essentiam ob suam infinitatē posse esse in pluribus personis re distinctis: & nos ei dicemus, corpus Christi ob omnipotentiam Christi posse simul statui in diuersis locis. Sed de hoc in sequenti libro disseremus.

Ad illud igitur obiectum ex particula *quodammodò*, respondeo, illam particulam significare Christum non se portasse in propria specie, sed in aliena, nec se portasse quomodo ordinariè portantur corpora humana, nimirū magno labore in humeris, vel alio simili modo, sed mysticè, & sacramentaliter, sic tamen, vt verè sub eo mysterio corpus eius contineretur. Ac breuiter quidquid illud *quodammodò*, significet, id nobis hoc loco sufficit, non significare, *in signo*, vel *figuratè*, vt ostendimus.

Alivs insignis locus est in comment. Psal. 98. vbi explicans illud: *Adorate scabellum pedum eius*, dicit, scabellum pedum Domini esse terram, iuxta illud Isaiæ 66. *Terra autem scabellum pedum meorum:* & quærit quomodo liceat terram adorare sine impietate: *Fluctuans*, inquit, *conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra, adoretur scabellum pedum eius: suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit: inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, vt non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Hæc ille.

Respondet Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum parte 4. loqui sanctum Augustinum de vera, & propriè dicta carne Domini, quam spiritualiter ore fidei manducamus, & quam in cœlo existentem adoramus: atque ibidem obiter notat, impios secundum Augustinum non manducare carnem Domini, quia impij non adorant Christi carnem, & secundum Augustinum, nemo eam carnem comedit, nisi priùs adorauerit.

At falsùs iste Martyr, non bene legit Augustinum, & ideò audacter colligit ex Augustino omnino contraria iis, quæ Augustinus scripsit. Nam in Psalm. 21. conc. 1. de diuitibus superbis & impiis, inquit Augustinus, *Manducauerunt corpus humilitatis Domini sui etiam diuites, non sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, sed tamen adorauerunt.* & in epist. 120. suprà citata: *Et ipsi*, inquit, *adducti sunt ad mensam Domini, & accipiunt de corpore, & sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quia non imitantur.* Hæc ille. Vides igitur secundum Augustinum impios adorare, & manducare carnem Domini de ipsa mensa, id est, de altari acceptam. Ex illis igitur locis hūc locum explicamus, ac ex ipso Augustino docemus, loqui ipsum de ipsa manducatione carnis Domini per corporale instrumentum, quandoquidem etiam impij eam carnem manducant.

Præterea si tantùm vellet Augustinus dicere, terram sine impietate adorari, quia caro Christi vt est in cœlo, adoratur; sine causa dixisset, eam carnem nobis manducandam datam esse. Quorsum enim Eucharistiæ meminit, si non in ipsa Eucharistia carnem Domini præsentem adoramus? Voluit igitur Augustinus ostendere, carné ipsam Domini adorari, & quia non habemus aliud argumentum illustrius, quàm ex quotidiano vsu adorandæ Eucharistiæ, ideò illius meminit: nam præter istam adorationem non facilè potest discerni, an quis adoret carnem Domini, an solam diuinitatem.

Deniqve probabile est Augustinum totum hunc locum desumpsisse ex Ambrosio, qui vt suprà citauimus, apertè dicit carnem Domini à nobis in mysteriis adorari, vt eam Apostoli in propria specie adorarunt: & hoc esse adorare scabellum pedum Domini. Vide præterea in Psal. 33. 65. 93. 94. & 100.

In nono tomo tractat. 11. in Ioannem explicans illud, *Iesus autem non se credebat eis*, dicit istud conuenire Catechumenis, quibus non se prębebat Dominus per Eucharistiam: *Si dixerimus*, inquit, *Catechumeno, Credis in Christo? respondet, Credo: & signat se cruce Christi, portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine eius. Interrogemus eum, Manducas carnem filij hominis, & bibis sanguinem filij hominis? nescit quid dicimus, quia Iesus non se credidit ei.* Et infrà: *Quò perducit credentes, & baptizatos? ad Manna: ecce dico Manna. Notum est quid acceperint Iudæi, populus Israël: notum est quid illis pluisset Dominus de cœlo: & nesciūt Catechumeni, quid accipiant Christiani? Erubescant ergo, quia nesciunt, transeant per mare rubrum, manducent manna, vt quomodo crediderunt in nomine Iesu, sic se ipsis credat Iesus.* Hæc ille. Qui etiam libro secundo, de peccatorum meritis, & remiss. cap. 26. dicit, Catechumenis dari solitum panem sanctum, qui non esset quidem corpus Christi, tamen sanctus esset, & sanctificaret, & Sacramentum etiam dicit posset, ac proinde sacræ rei signum. Ex his habemus argumentum insigne. Nam primò, si non esset in Eucharistia verum Christi corpus, & si non manducaretur Christi caro, nisi in symbolo, & per fidem, non esset verum, Christum non se credere Catechumenis; nam & illi habent Christum in signo, & manducant eum fide: nam & signant se signo crucis, & credunt in Christum. Secundò, nulla esset ratio cur non daretur eis Eucharistia, cùm dentur illis alia

signa clariora,vt sunt verba Dei scripta. Tertiò, potuisset etiam ille panis sanctus dici corpus Domini,vt patet, cùm tamen id Augustinus constanter neget,

IDEM auctor tract.26. in Ioannem, explicans illud: *Panis quem ego dabo,caro mea est:Hoc*, inquit,*quando caperet caro,quod dixit panem carnem? vocatur caro,quod non capit caro,&c.* At profectò facillimè caperet caro,panem esse carnem significatiuè. Vide etiam tract.27. & 31. in Ioannem.

IN tomo decimo,serm.2.de verbis Apostoli: *Audiuimus veracem Magistrum, diuinum Redemptorem,humanum Saluatorem,commendantem nobis precium nostrum,sanguinem suum:loquutus est enim de corpore,& sanguine suo,quod corpus dixit esçam, & sanguinem potum. Sacramentum fidelium, agnoscunt fideles.* Hæc ille. Vbi sanè loquitur de sanguine suo, non de figura sanguinis: nec enim figura est precium nostrum:atque hunc sanguinem potum esse dicit, sicut etiam corpus escam. Ac ne dicerent aduersarij, potum, & escam istam sola fide, ac mente sumi, adiunxit,Sacramentum esse fidelium,quod norunt fideles: vbi indicat, esse mysterium solis fidelibus notum, quomodo corpus Christi & sanguis, sint esca & potus. Quâ phrasim,*norunt fideles*, in infinitis locis in Augustino reperimus,vt lib.10.ciuit.cap.6. in Psal.9. in Psal.109. lib. 50.homil 42.& alibi. At profectò non est arcanum solis fidelibus notum, quòd Christi corpus, & sanguis fide percipiatur:id enim publicè prædicatur etiam gentilibus, & notissimum erat non solùm fidelibus, sed etiam Catechumenis.Intelligit igitur Augustinus id,quod Ecclesia Catholica intelligit, arcanum esse verè mirabile in Eucharistia,quod nec debet aperiri infidelibus, nec sine fide intelligi potest.

IN serm. ad Neophytos,vt testatur Iuo Carnotensis Episcopus in epist. ad Haymericũ, & Paschasius in epist. ad Haymericum,& Paschasius in epist.ad Frudegardum: *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod manauit de Christi latere.* Lib. 50. homil.26. monet,vt summa diligentia caueant, ne aliqua particula Eucharistiæ in terram cadat.Serm. . de tempore : *Inuitati sumus ad mensam,vbi non inuenitur cibus hominum, sed panis ponitur Angelorum.* Denique citat etiam Gratianus ex Augustino in libro sententiarum Prosperi apertissimas sententias. Vide dist.2.de consecratione, can. Nos autem,& can.Hoc est quod dicimus.Eadem citat Algerus lib.1 cap 5.*Caro*,inquit Augustinus, *eius est,quam formam panis opertam in Sacramẽto accipimus,& sanguis eius, quem sub vnii specie,& sapore potamus.*

Obiectiones ex Augustino.

VIDEAMVS nunc quid aduersarij obiiciant ex Augustino, ac eodem ordine per Tomos eius progrediamur.

EX secundo tomo (nam ex primo nihil obiiciunt) proferunt duo loca. Vnum ex epist.23. ad Bonifacium. Alterum ex epist.57.ad Dardanum.In epist.23. loquitur Augustinus in hæc verba: *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent,omnino Sacramenta non essent: ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est:ita Sacramentum fidei, fides est.*

PRODVCVNT hunc locum,Caluinus,Petrus Martyr, & omnes alij, sed ante eos olim protulit etiam Berengarius,& responsum ei fuit: quare vt aduersarij reperunt argumenta suorum maiorum, & nos repetemus solutiones maiorum nostrorum. Primò igitur Paschasius in epist.ad Frudegardum,& Lantfrancus in lib.contra Berengarium, respondent, Sacramentum corporis Domini vocari quodammodò corpus Domini; quia licet in Sacramẽto Eucharistiæ sit verum corpus Domini, quoad substantiam,non tamen est ibi eo modo,quo fuit in cruce,nisi per similitudinem:loquitur enim ibi Augustinus de passione & morte Christi, quæ in sacrificio altaris repræsentatur. Idem itaque est, ac si dixisset, Celebratio mysteriorũ altaris est quodammodò passio Christi:non enim est verè, sed tantùm repræsentatiuè passio Christi:vel si dixisset, Corpus Domini, vt est sub specie panis, est quodammodò corpus in cruce pendens: non est enim verè, sed repræsentatiuè corpus in cruce pendens.Et illustrat Lantfrancus rem totam insigni similitudine.Luc.vlt.Dominus finxit se longiùs ire:quod exponit Augustinus lib.cõtra mendac.cap.13. vbi dicit, Christum ea fictione significasse,se supra omnes cœlos ascẽsurum.Idem igitur Christus sui ipsius figura fuit, & dici rectissimè posset : Christus fingens se longiùs ire, erat quodammodò Christus in cœlum ascendens.

GVITMVNDVS lib.2.adhibet duas alias solutiones. Vnam, quòd loquatur de Sacramentis veteribus, vt de Manna,vel de pane Melchisedech,quæ secundum quendam modum erant corpus Domini, quia Sacramenta, id est,signa,& figuræ corporis Domini. Alteram, quòd loquatur de Eucharistia, quatenus signum est corporis Christi mystici: nam ipse idem Augustinus tract. 26. in Ioannem dicit,Eucharistiam esse fidelium societatem, quia est signum,seu Sacramentum eius societatis.

PORRÒ Algerus lib.1.cap.5. de Sacram.Eucharistiæ exponit aliter, nec minùs rectè,hunc locum Augustini. Vult enim loqui Augustinum de speciebus panis & vini, quæ sunt maximè propriè Sacramentum corporis & sanguinis Domini, id est, signa sensibilia repræsentantia corpus & sanguinẽ Domini:ac de iis rectissimè dictum esse, Sacramentum corporis Christi est quodammodò corpus Christi:neque enim illæ species sunt corpus Christi,nisi quodammodo,id est,repræsentatiuè. Dices,Non solemus ita loqui, vt dicamus species illas esse corpus Domini. Respondeo, Nec solemus etiam dicere Baptismum esse fidem:& tamen Augustinus hoc loco ait, Sacramentum fidei, id est, Baptismum quodammodò esse fidem. Sicut igitur Augustinus dicit posse Baptismum vocari fidem, quia est Sacramentum fidei, licet reuera non sic loqui soleant homines ordinariè : ita etiam dicit, Sacramentum Eucharistiæ quodammodò esse corpus Domini, quia est Sacramentum corporis Domini, licet non ita loqui soleamus:

ALTER locus,quem Caluinus,& Petrus Martyr,& alij passim obiiciunt, est in epist.57. ad Dardanum:*Spacia tolle corporibus, & nusquam erunt, & quia nusquam erunt,nec erunt:tolle corpora qualitatibus corporum:nõ erit vbi sint,& ideò necesse est,vt non sint.* Hinc probare nituntur,neque esse posse corpus Christi indiuisibiliter in Sacramento,vt nos dicimus,neque accidentia panis & vini sine proprio subiecto.

RESPONDEO, Loquitur Augustinus de rebus secundum naturæ cursum,non secundum omnipotentiam Creatoris:fatemur autem,naturaliter nõ posse intra cœlum corpus non occupare locum,neque accidentia posse sine subiecto existere : siue (quod idem est) loquitur de corporibus, quæ modum existendi corporalem retinent; vtrum autem possit aliquod corpus per omnipotentiam Dei accipere modum existẽdi spirituũ,& proinde non occupare locũ,non disputat eo loco Augustinus. Sed de toto hoc argumento tractabimus infrà suo loco. Ex tertio tomo obiiciunt primo cap.9.lib.3. de doctrina Christ.vbi dicit Augustinus, Christum instituisse pauca quædam signa, vt Baptismum, & Eucharistiam. Sed locus non est ad rem,quia non negamus Eucharistiam esse Sacramentum, & proinde signum. Sed negamus, nihil esse nisi signum.

SECVNDÒ obiiciunt cap.16.lib.3. de doctr.Christ. vbi dicit, figuratè accipiendam manducationem carnis

Christi.

Christi. Sed hoc explicatum est suprà, vbi tractauimus cap.6.Ioannis.

TERTIÒ proferunt cap.19. libri de fide ad Petrum, vbi vocatur Eucharistia Sacramentum panis,& vini.Sed nulla est in hac re difficultas : siquidem à materia rectissimè potest eo modo Eucharistia nominari.

QVARTÒ proferunt c.4. lib.3. de Trinita. vbi sic legimus: *Apostolus potuit significando prædicare Dominum Iesum, aliter per linguam, aliter per epistolam, aliter per Sacramentum corporis,& sanguinis eius.* Atqui hîc etiam nulla difficultas est. Nunquam enim Catholici non asseruerunt per Sacramentum corporis Domini significari ipsum corpus Domini,sed præsens,non absens : id quod Augustinus ibidem apertè asseruit,cùm ait,aliter significari per hoc Sacramentũ,aliter per sonos,& literas:ista enim sunt nuda signa rei absentis,illud est signum rei præsentis.Vnde ibidem dicit,nec literas,nec sonos dici corpus Christi, licet illud significent, sed tantùm panem consecratum,corpus Christi dici.

QVINTÒ proferunt ca.10. eiusdem lib.3.de Trinit. vbi Augustinus dicit, panem in altari positum peracta pietatis celebratione consumi : *At corpus Christi verum,* inquiunt,*non consumitur:igitur verus panis est, qui sumitur,cùm Eucharistia sumitur.* Respondeo, Panis, qui in altari ponitur, peracta celebratione consumitur:nam cõsumitur quoad interiorem substantiam peracta consecratione:quoad externam verò formam cõsumitur,dum manducatur.Nec enim dubium est, quin Augustinus loquatur de symbolo tantùm visibili:nam loquitur de corporalibus formis,in quibus Deus, vel Angeli apparebãt; & cum eis comparat symbola Eucharistiæ.

EX quartò tomo nihil habent.Profert quidem Petrus Martyr vnum locum ex lib.de catechiz.rudib.c.26. vbi Sacramenta dicuntur signacula visibilia rerum inuisibilium.Sed neque constat an loquatur eo loco Augustinus de Eucharistia,an de Baptismo,an de pane benedicto,qui dabatur Catechumenis, & præterea nũquam negauimus Sacramentum Eucharistiæ signaculum esse visibile rei inuisibilis,sed præsentis tamen.

EX quinto tomo nihil etiam habent solidi. Proferunt illud lib.10.de ciuitate Dei,c.5. *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum,id est,sacrum signum est.* At locus iste non facit ad rem , quia loquitur Augustinus de sacrificiis Testamenti veteris.Item illud lib.21.ca. 25. vbi Augustinus dicit impios non comedere corpus Christi. Sed loquitur de corpore mystico, vt suprà ostendimus, cùm explicaremus locum Pauli 1.Cor.11.

EX tomo sexto producunt Caluinus,Petrus Martyr, & alij locum illum ex libro contra Adimantum,c.12.*Non dubitauit Dominus dicere,Hoc est corpus meum,cum signum daret corporis sui.*

AD hunc locum respondent nostri multis modis.Dicunt aliqui, nec malè, Augustinum loqui ex Manichæorum sententia , vt eos ex propriis ipsorum sententiis refellat. Ipsi enim cùm Christo non tribuerent corpus verum, sed externa tantùm specie, & apparentia ; & quidquid Christus passus est , dicant , in signo & apparentia passum:illa etiam verba, *Hoc est corpus meum*, in eo sensu accipiebant,ac si dictum esset, Hoc est signum, & apparentia corporis mei. *Consueuisse* autem Augustinum, disputare cum Manichæis ex eorum principiis,constat ex lib.2.de bono perseuerantiæ,c.11.& 12. Vbi cùm Augustino obiiceretur , quòd scripsisset in libris de libero arbitrio,naturalem esse ignorantiam,& difficultatem, cum qua nascimur : cùm ipse contra Pelagianos contrarium asseereret , nimirum non esse naturalem , sed ex peccato primi parentis ortam:respondit se loquutum in libris de libero arbitrio ex mente Manichæorum, vt eorum errorem redargueret ex ipsa ipsorum sententia.

ALIA solutio est , Augustinum hoc loco per signum intelligere non nudum signum,sed cum quo reipsa coniuncta sit res significata.Nam explicat illa verba Deuteronomij 12. *Sanguis est anima*, ac docet sanguinem dici animam,non quia sit anima, sed quia signum sit animæ, & ad hoc illustrandum adfert illam sententiam,Eucharistiam appellari corpus Domini,quia est signum corporis Domini. Porrò sanguis non est signum animæ absentis, sed præsentis:longè enim aliter sanguis animam demonstrat,quàm statua principem. Quare idem Augustinus q.57.in Leuiticum, explicans, quomodo sanguis dicatur anima,docet animam dici,quia continet animam. Sic igitur sanguis animam significat,vt simul eam contineat,& cum ea reipsa coniunctus sit : eodem autem modo Eucharistiam signum esse corporis Domini, omnes Catholici fatentur.

TERTIA solutio est, loqui Augustinum de signo corporis,vt in cruce immolati:quomodo panis Eucharistiæ,de quo Dominus ait:*Hoc est corpus meum*, & est verè corpus Domini,& signum eiusdem corporis.Sic respondet ad alium similem locum Guitmũdus lib.2.Vide quæ suprà diximus ad testimonium ex ep.23.nam eadem est, meo iudicio,sententia vtriusque loci.

ET hinc etiam soluitur,quod proferunt ex lib.20. cõtra Faustum,cap.21.vbi sic ait Augustinus:*Huius sacrificij caro,& sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur:post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur.* Hæc ille.Videmus autem hoc loco Augustinum manifestè loqui de memoria passionis, & mortis Domini.

DENIQVE ex eodẽ tomo sexto profert Petrus Martyr,& alij testimonium Augustini lib.3. cõtra Maximum c.22.vbi dicit,Sacramenta signa esse rerum,aliud existẽtia,aliud significantia. Sed quid hoc ad rem ? quis enim Catholicorum id non semper docuit de Sacramentis in genere,de quibus ibi loquitur Augustinus ?

EX tomo septimo nihil habent.Ex tomo octauo duo testimonia producunt,Primum ex comment.in Psalm.3. *Christus adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis sui figuram discipulis commendauit.* Respondemus,quod ad superiora respõdimus,loqui Augustinum de figura corporis in cruce suspensi, id est, de repræsentatione Dominicæ passionis, eodem enim modo Augustinus Eucharistiam figuram corporis vocauit,quo veteres Græci antitypa,de qua voce diximus in testimoniis Basilij.

ALTERVM locum proferunt ex comment. in Psal. 98.*Non hoc corpus,quod videtis,manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem,quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis,&c.* Respondit olim Lantfrancus lib.contra Berengarium, voluisse Augustinum dicere,non idem corpus manducandum,id est, non eodem modo.Nam corpus in specie mortali,& visibili aderat tunc præsens; comedendum autem erat in aliena specie , & impassibiliter, ac inuisibiliter se habens. Itaque idem erat (vt ait Lantfrancus) & non erat idem; idem quoad substantiam,non idem quoad modum , speciem,& qualitatem.Nam & Apostolus 1.Cor.15.*Non corpus*,inquit,*quod futurum est,seminas , sed nudum granum.* Vbi similiter intelligit,non idem corpus humanum mori, & seminari in sepulchro,quod postea resurrecturum est: non quod non sit idem corpus numero futurum, quoad substantiam (idem enim maximè probare volebat) sed quia non erit idem,quoad qualitates:seminatur enim, vt ipse explicat, corruptibile , & surget incorruptibile. Et hunc modum loquendi notauit in ep.146. Et Ambrosius lib.2.de Pœnitentia,cap.10.refert quendam rectè dixisse: *Ego non sum ego*, quia mutauerat vitam,& mores. Et Hieronymus in cap.1.ad Ephesios,dicit aliam esse carnem in Eucharistia , aliam fuisse in cruce : cùm tamen euidenter probatum sit,eum in Eucharistia ponere veram carnem,

& eandem cum illa, quæ fuit in cruce, quoad substantiã, licet non qualitate. Denique Dominus ipse Lucæ 24. distinguit se ipse à se, cùm ait: *Hæc locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum.* Portò hanc fuisse mentem Augustini, ex illo ipso loco colligimus. Nam verum corpus Domini sumi in Eucharistia, ibidẽ docet, cùm ait, esse ipsam carnem, in qua Dominus ambulauit, & à nemine manducari, nisi priùs adoretur. Quomodo autem non idem corpus manducetur, explicat ibidem cùm ait, putasse Capharnaitas scindẽdam in particulas Christi carnem, & sic manducãdam: ad hanc enim absurdam cogitationem respõdet Dominus, cùm ait: *Nõ hoc corpus, quod videtis, &c.*

A

Sed obiicit Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, obiecto 220. vnum dilemma: *Cùm Dominus in vltima cœna corpus suum discipulis dedit, vel erat mortale illud corpus, vel, immortale. Si mortale, non ergo differebat qualitate ab eo, quod tunc videbatur: nec poterat rectè dici, Non hoc corpus, quod videtis, &c. Si immortale, quomodo paulò pòst mortuum est?*

B

Respondeo, In vltima cœna corpus datum discipulis, fuisse mortale, sed datum illis modo immortali, & impassibili: vt enim erat sub specie panis, lædi non poterat, licet alioqui in propria forma pati & mori posset.

Ex tomo nono multa proferunt testimonia, sed vel leuissima, vel alibi explicata. Primò illud tract. 25. in Ioan. *Quid paras dentem, & ventrem? crede, & manducasti.* Ad hunc locum suprà respondimus in explicatione cap. 6. Ioannis, loqui Augustinum de manducatione Christi spirituali per fidem Incarnationis, non autem de Eucharistia.

Secundò addunt illud tract. 26. in Ioan. quòd mãducarint Hebræi eandem escam nobiscũ. Ad hoc respondimus suprà in explicatione figurarum Testamenti veteris, quod mãducarint eandem significatione, nõ reipsa.

Tertiò proferunt illud tractat. 30. in Ioan. *Corpus Christi, in quo resurrexit, vno in loco esse potest: veritas eius vbique diffusa est.* Sed non negat hoc loco Augustinus, corpus Domini pluribus in locis esse posse, sed negat eius veritatem posse restringi ad vnum locum, cùm sit vbique diffusa: quod verissimum est. Quale etiam esset, si quis diceret, Christi humanitas vno in loco esse potest, diuinitas non potest.

C

Quartò proferunt illud tract. 50. in Ioã. vbi dicit, nunc non adesse Christum secundum præsentiam carnis. Ad hunc locum respondimus, cùm tractaremus locum illum: *Me autem non semper habebitis*, ac diximus loqui Augustinum de præsentia visibili.

Quintò proferunt illud tract. 59. *Illi manducabant panem Dominum, Iudas autem panem Domini.* Ad quem locum respondimus, cùm tractaremus cap. 11. prioris ad Cor. vbi demonstrauimus corpus Domini ab impiis etiam manducari.

D

Sextò proferunt illud tract. 10. in epistolam Ioannis, vbi Augustinus dicit, corpus Christi naturale esse in cœlo, quo sublatum est per ascensionem: in terra autem relictum esse corpus Christi mysticum, id est, Ecclesiam. At ipse se explicat Augustinus, nam sic ait: *Iam non inuenis loqui Christum in terra.* & ibidem: *Ascensurus dixit verba nouissima, post ipsa verba non est loquutus in terra.* Itaque loquitur de præsentia Christi visibili, & more humano cum hominibus conuersantis: hoc enim modo non est in terra, nisi in corpore suo mystico.

Ex decimo tomo primò profert Petrus Martyr, & etiam Caluinus, ex serm. de verbis Apostoli, quod impij non verè sumant corpus Domini. Sed ad hoc respondimus suprà, cùm exponeremus c. 11. prioris ad Corinth. vbi diximus, impios dici non manducare, quia non nutriũtur spiritualiter: nam ibidem ait Augustinus: *Illud manducare refici est, illud bibere, quid est, nisi viuere?* Ex eodẽ fundamento soluitur quod Petrus Martyr citat ex Augustino in sententiis prosperi, vbi legimus non manducare panem Domini, nec bibere eius sanguinem, qui ab illo discordat, licet Sacramentum eius accipiat.

Secundò profert ex lib. 50. hom. serm. 26. quod Augustinus dicat, æquale esse peccatũ, si quis corpus Domini in terram cadere sinat, & si quis verbum Dei sibi ex corde permittat effluere. Quæ comparatio non videtur vera, si corpus Domini verum, & naturale sit in Eucharistia: maius enim peccatum esset sinere corpus Domini in terram cadere, quàm verbum Christi ex corde perire.

Respondeo: Non comparat Augustinus verbum Christi ratione soni, aut characterum cum corpore Christi, sed ratione veritatis diuinæ, quæ illis sonis, & characteribus significatur. Vnde non dicit verbum Dei ex auribus effluere, sed ex corde: neque dicit idem esse peccatum, si quis Eucharistiam, & si quis Biblia in terram cadere sinat. Si enim hoc Augustinus dixisset, tum verè Petri Martyris argumentum aliquid valeret. Portò veritas diuini verbi in multis similis, & æqualis est corpori Christi. Nam vt illud est immortale, impassibile, Deo vnitũ, ita veritas verbi Christi est æterna, immutabilis, diuina. Et sicut illud corpus datur nobis in specie rerum visibilium, ac terrenarum: ita hæc veritas datur nobis in signis externis literarum, & sonorum. Quare ista collatio Augustini nobis maximè fauet. Nam hinc sequitur, verè esse peccatum, & graue peccatum, sinere Eucharistiam in terram cadere, sicut est peccatum, & graue peccatum, cõceptam in corde veritatem extingui sinere: nõ autẽ est peccatum, aquã Baptismi in terram proiicere, quæ tamen apud aduersarios nõ minùs sancta est, quàm Eucharistia.

Vltimò proferunt sermonem ad infantes, cuius fragmentum recitat Beda in c. 10. prioris ad Corinthios: *Quod vidistis*, inquit, *panis est, & calix, quod nobis etiam oculi renunciant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, & calix est sanguis.* Et infrà, cùm dixisset Christum esse in cœlo, quærit: *Quomodo est panis corpus eius? & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius?* deinde respondet: *Ista fratres ideò dicuntur Sacramenta, quia in illis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, audi Apostolorum dicentem: Vos estis corpus Christi, &c.*

Respondeo, Tota vis huius testimonij in duobus posita est. Primò in eo, quòd Augustinus dicat, panem esse id, quod est in altari, vt oculi ipsi renunciant. Secundò quod ad quæstionem: Quomodo panis est corpus Christi, si Christus est in cœlo? non respõderit Augustinus per transmutationem, aut aliquid eiusmodi, sed dixerit, Sacramenta esse signa quædam visibilia, & corporalia rerum spiritualium, & intelligibilium.

Ad primum facile est respondere. August. enim declarat quid sit, quod est in altari, ac dicit, panẽ esse, quoad speciem exteriorem, vt oculi rectè iudicant; quoad interiorem substantiam, esse corpus Christi, vt fides rectè iudicat. Nam si Aug. vellet dicere in altari esse panem etiã quoad substantiam, & id probaret testimonio oculorum, vt verba eius prima fronte sonare videntur: repugnaret apertissimè Cyrillo, Ambrosio, Nysseno, Epiphanio, Gaudentio, Chrysostomo, qui disertis verbis dicunt sensus falli, & non esse iudicandum ex gustu, & denique non esse panem. Quis autem credat Augu. in re tam magna tot Patribus repugnasse? & præterea si repugnasset, quomodo nec ipse vnquam eos reprehendisset, nec ipse ab aliis reprehensus fuisset? Quare cùm verba eius dupliciter exponi possint, & vno modo repugnent Patribus cæteris, alio modo cum eis congruant, quis non videt vter sensus præferendus sit? Adde quod non solùm aliis Patribus, sed etiam sibi ipse repugnaret, si sensum iudicio in hoc mysterio locum dare vellet, vt patet ex tot locis à nobis citatis.

Ad secundum respondeo, Augustinum ad quæstionem, quomodo panis sit corpus Christi, noluisse directè respõdere, quia non erant auditores capaces; homilia enim illa habebatur ad pueros recèns baptizatos: ideò monuisse, vt simpliciter crederent, panem illum esse corpus Christi, & operam darent, vt essent ipsi corpus Christi per fidem, & opera bona, quia postea vbi creuissent, & profecissent in via Dei, mysteria ista eis aperirentur. Id ita esse patet, quia cùm esset propositum de corpore Christi naturali, quod est in cœlo, quomodo sit in Eucharistia; ipse omisso corpore Christi naturali, transiit ad corpus mysticum, ac dixit, Eucharistiam esse signum societatis fidelium, & nos esse corpus Christi, & nos mãducare quod sumus, & mysterium nostrum esse in mensa, & alia id genus; nunquam autem dixit, panem esse signum corporis Christi naturalis, aut corpus naturale non esse in altari, aut esse symbolicè, quæ certè dicere debuit, si directè ad quæstionem respondere voluisset, & in hæresi Caluinistarum fuisset. Sicut ergo illi à nobis quærunt, Quare Augustinus non soluit quæstionem dicendo, partem esse corpus per transubstantiationem? sic & nos ab illis quærimus, quare non soluit quæstionem dicendo, esse corpus Christi repræsentatiuè? & pro vtrisque respondemus, Augustinum dedita opera dissimulasse quæstionem, & ad moralem cohortationem digressum. Ac de Augustino hactenus.

A

B

CAPVT XXV.

Testimonium S. Cyrilli Alexandrini, & Synodi Ephesinæ generalis.

Sanctus Cyrillus Episcopus Alexãdrinus, qui paulò post Augustini tempora floruit, multa nobis testimonia præbet. Sed primo loco poni debet testimonium, quod à III. Synodo generali, cui ipse præsedit, ac deinde in IV. & V. approbatum fuit. Exstat epistola S. Cyrilli ad Nestorium cum duodecim anathematismis, quæ vt dixi, ab Ephesina Synodo, & ab aliis duabus approbata fuit: in ea sic legimus: *Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrũm redemptoris, effecti: non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec vt viri sanctificati, & c. sed ipsius Verbi propriam factam.*

Ad hunc locum respondet Petrus Martyr in lib. cõtra Gardinerum extremo, Cyrillum loqui de participatione veræ carnis Christi, sed quæ fit animo, & fide, non ore corporali.

Verum falsam esse istam interpretationem facilè probari potest, tum ex hoc ipso loco, tum ex aliis testimoniis eiusdem Cyrilli: nullus enim interpres melior ipso auctore inueniri potest. Et quidem hoc loco apertè loquitur de Eucharistia, ad quam accedimus communicaturi, quam ille vocat sacram benedictionem, & illam ipsam dicit esse carnem verbi Dei. Sed videamus alia eius loca adhuc clariora. Libro 4. in Ioan. c. 13. explicans illud: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Firmam*, inquit, *fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud (quomodo?) aut cogitemus, aut proferamus.* Hæc ille. Deinde ostendit, Deo nihil esse impossibile, & probat potuisse nobis dare carnem suam ad manducandum, quia multa alia mirabilia fecit, vt cùm virgam in serpentem, & aquas in sanguinem mutauit; cum diuisit mare, cùm ex petra scaturire fecit aquas, &c. quæ omnia ineptissimè dicerẽtur, si nihil esset Eucharistia, nisi signum corporis Domini. Eodem libro quarto, cap. 14. docet non solùm animam per Spiritum sanctum in beatam vitam ascendere, sed etiam corpus nostrum corruptibile per contactum, & manducationem carnis Christi incorruptibilis, immortale fieri: & cap. 15. idipsum repetit, atque illustrat similitudine insigni: *Sicut enim scintilla ignis in fœnum, aut paleam immissa totum inflammat: sic Verbum Dei per Eucharistiam naturæ nostræ corruptibili coniunctum totam resurgere facit immortalem, & gloriosam.* & cap. 16. dicit, nos membra Christi esse, quia per Eucharistiam ipsum Dei Filium suscipimus, & c. 17. dicit, rem istam esse arduam, & sola fide comprehensam, & rursum illustrat alia similitudine de cera liquefacta, & alteri ceræ admixta. Idẽ Cyrillus lib. 10. in Ioan. c. 13. *Non negamus*, inquit, *recta nos fide, charitatéque sincera Christo spiritualiter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idque à diuinis Scripturis omnino alienum dicimus.*

C

Et quia nugatur Petrus Martyr, loqui Cyrillũ de coniũctione corporali, quæ nobis est cum Christo per incarnationẽ, quia natura nostra in Christo est; audi quomodo Cyrillus ipse se exponat: is enim paulò infrà exponens, quæ sit ista cõiunctio, sic ait: *An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? quæ cùm in nobis sit, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare?* Et infrà: *Vnde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam participatione naturali.* Et infrà: *Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. non credis mihi hæc dicenti, Christo, obsecro te, fidem præbe.* Similia fusè repetit libro vndecimo, ca. 26. Denique citari solet passim epistola sancti Cyrilli ad Calosyrium, in qua tria dicit. Primò, firmiter esse credendum verbis Domini: *Hoc est corpus meum.* Secundò, in Eucharistia esse corpus Domini, etiam extra vsum manducationis. Tertiò, transmutari panem in veritatem carnis Christi. Vide hunc locum apud Ioan. Garetium.

D

Iam ex Cyrillo contra veritatem multa aduersarij colligere conati sunt, sed planè frustra. Primò proferunt ex libro ad Euoptium in explicatione 11. Anathematismi, vbi Cyrillus dicit in Sacramento Eucharistiæ, non contineri hominis manducationem; id enim esse ad crassas cogitationes credentium mentes deducere. Addit Petrus Martyr in libro cõtra Gardinerum, obiecto 211. id ipsum haberi in Concilio Ephesino, siue in epistola Cyrilli à Concilio approbata: *Inter cætera*, inquit Petrus Martyr, *ait Eucharistiam nostram non esse comestionem nudi & puri hominis: quod non est aliud, quàm mutatis verbis negare ἀνθροποφαγίαν.* Hæc ille.

Sed excæcauit eos malitia eorum. Nam Cyrillus in vtroque loco negat, Eucharistiam esse manducationem puri hominis, vt Nestorius existimabat, & affirmat esse manducationem hominis Dei: & id vocat crassam, & humanam cogitationem, si quis existimet in Eucharistia esse carnem puri hominis, quæ nihil reuera esset, nisi caro, id est, res terrena, & incorruptibilis, quæ vitam adferre non posset. Legatur tantùm vterque locus, & nulla remanebit quæstio.

Secundò profert Petrus Martyr quædam loca, vbi Cyrillus dicit, carnem Christi adferre vitam, vt lib. 4. in Ioan. c. 10. 14. & 17. in epist. ad Calosyrium: & inde concludit, carnem Christi non manducari ab impiis; proinde non manducari ore corporali.

Sed hæc inanissima sunt, & sæpe refutata. Non enim sequitur, impios non manducare carnem Christi, etiamsi vitam inde non accipiant: caro enim Christi ex se virtutẽ habet viuificandi, sed ob indispositionem accedentium aliquando mortem adfert, non vitam, quomodo sol sanos oculos illustrat, infirmos lædit.

Tertiò profert idem Petrus Martyr testimonium

ex eadem epist. ad Calosyrium, vbi Cyrillus dicit, in pane, & vino sumi carnem & sanguinem Domini. Item aliud ex lib. 4. in Ioan. cap. 14. vbi Cyrillus dicit, Christum dedisse Apostolis fragmenta panis, cùm ait: *Accipite, & a n ducate, hoc est corpus meum.*

RESPONDEO; Cyrillus panem, seu fragmenta panis vocat Eucharistiam, quia in specie panis datur: nam alioqui in eadem epistola ad Calosyrium disertis verbis Cyrillus ait. panem mutari in veritatem carnis Christi.

QVARTÒ profert Petrus Martyr testimonium ex li. 6. in Ioan. c. 14. vbi legimus Christum præsentiam corporis sui hinc subduxisse, tamen diuinitatis maiestate semper adesse.

HIC verò prodit Pseudomartyr negligentiam, & impudentiam suam. Nam sextus ille liber non est Cyrilli, sed Iodoci Clicthouei, vt etiam inscriptio librorum indicat: perierunt enim ex duodecim libris Cyrilli in Ioannem quatuor intermedij, sed eos suppleuit Clicthoueus. Cùm autem Clicthoueus ante paucos annos vixerit, & scripserit contra Oecolampadium de Eucharistia, & apertissimè hostis Sacramentariorum fuerit, dubitari nõ potest, quin illa eius verba non repugnent veritati Eucharistiæ. Atque hinc discimus nõ esse mirandum, si Augustinus, Theodoretus, & alij veteres, quædam dixerint, quæ in speciem videantur fauere hæreticis, cùm etiam Iodoco quædam acciderint, quæ ab aduersariis trahantur ad suam caussam. Voluit igitur dicere, Christum secundum præsentiam carnis, *non vbique*, nec semper nobis adesse, secundum diuinitatem autem vbique, & semper.

CAPVT XXVI.

Testimonium Procli Episcopi Constantinopolitani.

PROCLVS eodem tempore Episcopus erat Cõstantinopolis, quo Cyrillus Alexandriæ. Exstat eius testimonium breuissimum, & robustissimum in lib. de traditione diuinæ Liturgiæ. Nam posteaquam multa dixerat de mirifico affectu Apostolorũ, atque aliorum Patrum antiquissimorum, erga Sacramentum Eucharistiæ, & quod semper in mente habebant illa verba: *Hoc est corpus meum:* & longissimas preces, & psalmodias inter sacra mysteria peragebant; ita subiunxit: *Per has preces Spiritus sancti aduentum exspectabant, vt eius diuina præsentia propositum in sacrificio panem, & vinum aqua permistum, ipsum illud corpus, & sanguinem Saluatoris nostri Iesu Christi efficeret.* Hæc ille. His enim verbis tam apertè docet iste auctor mutari panẽ & vinum in corpus & sanguinem supernaturali virtute Spiritus sancti, vt nullum hîc locum habeant solutiones aduersariorum de mutatione Sacramentali per additionem solius significationis: ad istam enim mutationem non esset opus inuocare præsentiam Spiritus sancti.

CAPVT XXVII.

Testimonium Theodoreti, & Gelasij.

THEODORETVS æqualis Cyrilli fuit, & ei etiam superuixit, vt patet ex epistola Theodoreti ad Ioannem Antiochenum de obitu Cyrilli, quę legitur in V. Synodo.

DVO loca proferuntur ex Theodoreto, tum à Catholicis, tum ab hæreticis. Prior est in 1. dialogo: *Seruator*, inquit, *noster nomina commutauit, & corpori quidem id, quod erat symbolo, ac signi nomen imposuit: symbolo autem quod erat corporis.* Hæc ille. quæ verba pro se accipiunt aduersarij. Sed paulò pòst ita subiungit, reddens caussam mutationis nominum: *Volebat enim*, inquit, *eos, qui sunt mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videtur, sed propter nominum permutationem mutationi, quæ fit ex gratia, credere.* Hæc ille. vbi dicit, panem vocatum esse corpus, vt ex nominis mutatione intelligeremus, & crederemus rei mutationem. Non ergo vult Theodoretus (vt aduersarij dicunt) Eucharistiam vocari corpus, solùm quia representat externa specie corpus Domini; sed quia reuera interiùs mutatus est panis in corpus.

POSTERIOR locus est in 2. dialog. *Neque enim*, inquit, *signa mystica post sanctificationem veredunt à sua natura, manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri, & tangi possunt, sicut priùs: intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sint, quæ creduntur.* Hæc ille. Huius loci priorem partem arripiunt hæretici, posteriorem Catholici.

SED obseruandum est locum istum in specie quidem iuuare nonnihil caussam Lutheri, qui putauit cum pane vero coniunctum esse corpus Christi verum: at caussam Caluini, & Petri Martyris, & aliorum Sacramẽtariorum penitus destruere. Nã apertissimè asserit hoc loco Theodoretus præsentiam corporis Domini in Eucharistia, cùm dicit, intelligi, credi, & adorari corpus Domini in Eucharistia, & idcò intelligi, credi, & adorari, quia panis Eucharistiæ, id est, panis consecratus, est verè id quòd intelligitur, creditur, & adoratur. Adde, quòd ibidem nolebat Theodoretus apertè loqui, metuens ne adesset inter auditores aliquis non initiatus: *Non oportet*, inquit, *apertè dicere: est enim verisimile adesse aliquos non initiatos.* At de Eucharistia, vt iam intelligunt Caluinistæ, potuisset quibusuis infidelibus apertissimè loqui, cùm nihil in ea mirabile, nihil arduum sit. Denique probare vult Theodoretus in illis omnibus dialogis, in Christo verè esse duas naturas, idque exemplo Eucharistiæ, vbi verè credimus cum symbolis panis esse corpus Christi. At si negasset veram præsentiam corporis Domini in Eucharistia, contra seipsum pro aduersariis pugnasset.

SED nec Lutheri caussam adiuuat, si diligenter consideretur Theodoretus. Nam cùm dicit, substantiam symbolorum remanere, & non mutari, non loquitur de substantia, quæ distinguitur contra accidentia, & quam in prima categoria posuit Aristoteles, sed de essentia, & natura accidentium, quæ *ipse* perpetuò symbola appellat, quomodo alij auctores Græci & Latini passim accipiunt vocabulum substantiæ: sed maximè Græcæ voces φύσις, & οὐσία, quibus Theodoretus vsus est, omnem essentiam & naturam amplectuntur. Nec solùm Græci, sed Latini etiã interdum per substantiam intelligunt naturam accidentium. Petrus Cluniacensis in lib. de sacrificio, & transubstãtiatione: *Annón cernis*, inquit *præter glacialem duritiã, præter lapideam firmitatem (quantum ad speciem, vel perspicuitatem iam dicti elementi pertinet) nihil vtique substantiæ detractum?* vbi per substantiam intelligit naturam externæ figuræ & perspicuitatis, quæ manent, quando mutatur glacies in crystallum.

HOC igitur Theodoretus docet, naturam symbolorum, id est, accidentium sensibilium, quæ sunt in Eucharistia, fuisse etiam ante consecrationem. Eum ita loqui patet. Primò, quia in Dialogo 2, hæreticus ex communi fide vrgebat mutationem panis in corpus Christi, vt inde probaret suum errorem de mutatione vnius naturæ in alteram in mysterio incarnationis. Catholicus autem nõ negat mutationem aliquam panis in corpus Christi fieri; quod certè facere debuisset, si esset vera sententia Lutheranorum. Immò ipse potiùs debuisset ex Eucharistia argumentari contra Eutychianum. Si enim verum esset, quod Lutherani dicunt, manere in Eucharistia panem, & corpus sine vlla reali mutatione panis, exemplum Eucharistiæ nihil omnino, ne quoad speciem quidem, Eutychianos iuuisset. Catholicus ergo in Dialogo Theodoreti, quia non poterat negare mutationem essentiæ panis, confugit ad symbola externa, ac dixit, naturam symbolorum non mutari, & eo modo esse in Eucharistia duas naturas impermixtas. Secundò, quia ita se ipse explicat. Nã vbi dixisset naturam symbolorum manere, probat, quia videmus, & tangimus eundem colorem, eandem figuram, & formam, quam antea videbamus, & tangebamus.

Tertiò, quia alioqui pugnaret secum. Nam ipse dicit mutari, & non mutari symbola, & videri quidem ac tangi symbola: tamen intelligi, & credi corpus Domini: quæ non cohærent, nisi dicamus mutari, quoad internam substantiam panis, non mutari quoad exteriorem naturam, & proprietates accidentium. Quartò, quia non est vllo modo credibile, Theodoretum tam apertè repugnare voluisse Chrysostomo, Ambrosio, Cyrillo, & aliis, qui negant panem manere in Eucharistia: hos enim auctores in illis Dialogis frequentissimè citat, & præcipuè Chrysostomo Theodoretus addictissimus fuit.

EADEM prorsus ratio est de sententia Gelasij in lib. de duabus naturis. Nam quicunque fuerit is Gelasius (neque enim satis constat, quis ille fuerit) itidem prorsus docet, quod Theodoretus, & ad eandem rem confirmandam: dicit enim manere naturam panis in Eucharistia, & tamen ibidem dicit mutari, Spiritu sancto perficiente in diuinam substantiam, & esse Eucharistiam rem diuinam, ita vt eius perceptione efficiamur diuinæ consortes naturæ.

VBI obiter est Notandum, Gelasium istum non fuisse Romanum Pontificem, vt aduersarij impudenter iactant. Nam Kemnitius in 2. parte Examinis Trident. Concil. sess. 13. cap. 4. mirabiliter triumphat ex hoc testimonio, tanquam Romani Pontificis. At non esse Romani Pontificis, argumento certissimo esse potest, quòd cùm dicat se velle referre testimonia omnium Patrum, nullam mentionem facit Hieronymi, Augustini, Leonis, & similium, qui Gelasio Papæ notissimi erant. Præterea quòd multa testimonia adferat iste Gelasius ex Eusebio Cæsarienſi, quod nunquam Gelasius Papa fecisset, cùm Eusebij libros reprobauerit in suo decreto de libris authẽticis, & apocryphis. Adde, quòd videtur iste Gelasius scripsisse ante Concilium Chalcedonense, & is ipse esse, quem Theodoretus citat in 3. Dialogo, & cuius meminit Hieronymus in lib. de script. Eccles. nimirum Gelasius Episcopus Cæsarienſis, qui non potuit nisi valde senex esse, cùm librum istum scripsit contra Eutychianos. Sed quicunque tandem fuerit, non discrepat ab aliis Catholicis scriptoribus, vt iam ostendimus.

CAPVT XXVIII.

Testimonium S. Leonis.

SANCTVS Leo, licet iunior Theodoreto esset, eodem tamen sæculo floruit, vt patet ex epistola Theodoreti ad Leonem, & ex altera Leonis ad Theodoretum.

QVATVOR testimonia ex Leone citari solent. Primum est sermon. 7. de passione Dom. vbi sic ait: *Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalia festiuitas, dum mutatur, impletur.* Hæc ille. Secundum est serm. 14. de passione Domini: *Ipsum*, inquit, *per omnia & spiritu, & carne gustemus.* Tertium serm. 6. de ieiunio septimi mensis: *Sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustrà ab illis, Amen respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur.* Quartum est in epistol. 23. ad Clerum, & populum Constantinopolitanum: *In Ecclesia Dei, in omnium ore tam consonum est, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis Sacramenta fidei taceatur.* In duobus postremis locis probare nititur S. Leo, Christum habuisse veram carnem contra errorem tunc exortum Eutychetis, id verò probat ex Eucharistia. Neq; enim acciperemus veram carnem, si Christus non haberet veram carnem.

RESPONDET Petrus Martyr, argumentum Leonis in eo consistere, quòd non esset Eucharistia symbolum corporis Domini, si Christus non haberet corpus. Sed fallitur, nam adhuc esset symbolum corporis, quale ponebant Eutychiani, nimirum apparentis: possunt enim etiam corpora apparẽtia signo aliquo repræsentari. Præterea Leo dicit, idipsum ore sumi, quod fide creditur. At fide credimus Christum habere veram carnem: veram igitur carnem ore sumimus. Et qui respondet, *Amen*, dum suscipit Sacramentum, non confirmat confessione sua, id quod accipit, esse symbolum, sed esse corpus: sacerdos enim nõ dicit, Accipe symbolum, sed, Accipe corpus, vt etiam ex Ambrosio suprà notauimus. Deniq; dicit, linguas infantiũ non tacere corporis Dñi veritatem in Sacramẽtorum celebratione: infantes autẽ simpliciter loqui solent, nõ figuratè & symbolicè.

CAPVT XXIX.

Testimonium Hilarij Papæ.

HILARIVS Papa S. Leoni successit. Ex ipsius decretis proferunt aduersarij vnum testimonium, quod planè pro nobis, non pro illis facit. Testimonium exstat apud Gratianum de consecr. dist. 2. can. Corpus, in hęc verba: *Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extrà videntur: veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interiùs creditur.* Hæc ille. Sententia huius testimonij ista est; Si spectes Sacramentum Eucharistiæ, quoad ea, quæ exteriùs videntur, figura est, immò & panis est, at si consideres, quid intùs lateat, & quid ibi fides videat, corpus & sanguis in veritate est.

CAPVT XXX.

Testimonium Eusebij Emisseni, seu Fausti Rhegiensis.

POSTREMVS in hac ætate quinta sit nobis Eusebius Emissenus, seu quicunque fuit auctor eius celeberrimi sermonis de corpore Domini, qui incipit, *Magnitudo cœlestium beneficiorum.* Citatur quidem hic sermo nomine Eusebij Emisseni à Paschasio Corbeiẽsi, qui ante annos fermè DCCC floruit: tamen certum est, non esse illius Eusebij Emisseni Græci, cuius meminit Hieronymus in Catalogo viror. illust. meminit enim in hoc ipso sermone hæresis Pelagianæ, quæ exorta est post mortem Eusebij illius Emisseni Græci. Et præterea auctor huius sermonis sine dubitatione Latinus fuit, non Græcus: & vt ex eius homiliis ad Monachos, & ex homilia de S. Maximo, colligitur, Abbas fuit Monasterij Lirinensis. Quare nonnulli non sine caussa suspicantur auctorem omnium illarum homiliarum esse Faustum Gallum, qui teste Gennadio, ex Abbate Lirinensi Episcopus Rhegiensis factus est, & floruit ad finem I V. sæculi. Alij tamen existimant eas homilias esse B. Cæsarij, qui teste Trithemio ex Abbate Lirinensi, Episcopus Arelatensis factus est.

QVICVNQVE tandem fuerit, insignis auctor est etiam aduersariorum testimonio: ac de Eucharistia hæc docet. Primò nihil esse ambigendum de veritate corporis Domini in Eucharistia: *Recedat*, inquit, *omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse testis est veritatis.* Et infrà: *Ad cognoscendum, & percipiendum sacrificium veri corporis, ipsa te roboret potentia consecrantis.*

SECVNDÒ docet, non esse credendum sensibus: *Verè*, inquit, *vnica, & perfecta hostia fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu.*

TERTIÒ docet, verè & realiter mutari panem in carnem: *Inuisibilis*, inquit, *sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis verbo suo secreta potestate cummutat.* Hæc ille. Ac deinde probat id esse credendum exemplis rerum similium, quia eodem iubente Deo repentè ex nihilo subsiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, &c.

QVARTÒ docet, corpus Christi totum esse in qualibet parte Sacramenti: *Quod corpus*, inquit, *sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto, quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in vniuersis, ita integrum esse probatur in singulis.* Hæc ille. Vbi si loqueretur de pane, non diceret, tantum esse in exiguo, quantum in magno, siue in toto: & si loqueretur de corpore Christi, vt est in cœlo, & fide solùm à fidelibus mẽtibus apprehenditur, non diceret, dispensari à sacerdote.

QVINTÒ docet, post consecrationem nõ esse amplius panẽ: *Quando*, ait, *benedictũ de verbis cœlestibus creaturæ, sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini, post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autẽ si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere? Immò iam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia & inuisibilia voluntatis imperio suscitare.*

PORRÒ ex hoc auctore vnum proferunt testimonium aduersarij. Confert enim hic auctor mutationem panis in corpus Christi, cum ea mutatione, quę fit in nobis per iustificationem: quæ sanè mutatio non est substantialis, sed accidentalis, vt omnes fatentur.

ATQVI hoc ipsum nobis maximè fauet. Iste enim auctor non probat, mutationem substantialem fieri in Eucharistia ex alia substantiali mutatione: sed probat, non esse impossibilem mutationẽ substantialem in Eucharistia ex alia mutatione, accidentali quidem, sed vera, ac reali, & magis difficili, ac mirabili, quàm sit mutatio substantialis panis in corpus Christi. Iustificatio enim impij, & vera, ac realis mutatio est animæ à peccato ad gratiam: & mirabilior est, quàm ipsa creatio cœli, & terræ, vt Augustinus testatur tract. 72. in Ioannẽ. Et simul ostendit, non esse mirum, si dicamus panem mutari, cùm nulla exteriùs appareat mutatio: nam etiã in nobis nulla mutatio apparet exteriùs, cùm tamen interiùs in anima maxima mutatio fiat. Sed verba Eusebij audiamus: *Vt tibi nouum, & impossibile non debeat videri, quòd in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, teipsum, qui iam in Christo es regeneratus, interroga. Dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus mortuus exulabas, subitò initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis innouatus in corpus Ecclesiæ non viuendo, sed credendo transisti, & de filio perditionis, adoptiuus Dei filius fieri occulta puritate meruisti: in mensura visibili permanens, maior factus es teipso inuisibiliter, &c.*

CAPVT XXXI.

Testimonia Patrum VI. ætatis Remigij, & Primasij.

HACTENVS expendimus testimonia Patrum, qui primis quinq; seculis floruerunt, quos sibi fauere Caluinus iactauerat. Nunc breuiter annotabimus sequentium ætatum pauca testimonia, tum propter audaciam Perri Martyris, qui posteriores etiam, vt Theophylactũ, & Bernardum pro suo errore citare non dubitauit; tum etiam, vt appareat continuatio doctrinæ Catholicæ ad nostram ætatem à temporibus Apostolicis, quod aduersarij de sua doctrina demonstrare nullo modo possunt. Igitur ex ætate sexta duo testimonia proferemus, vnum Remigij, alterum Primasij.

REMIGIVS floruit in Gallia tempore Clodouei Regis ad initium anni Domini D. & in hæc verba scripsit in comment. c. 10. prioris ad Cor. *Panis*, inquit, *quem frangimus in altari, nónne participatio corporis Domini est? Vtique, primùm consecratur, & benedicitur à Sacerdotibus, & à Spiritu sancto, & deinde frangitur, cùm iam, licet panis videatur, in veritate corpus Christi est.* Et infrà: *Caro quam Verbum Dei Patris assumpsit in vtero virginali, in vnitate suæ personæ, & panis, qui consecratur in Ecclesia, vnum corpus sunt, sicut enim illa caro, corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus.*

PRIMASIVS floruit tempore V. Synodi, circa annum Domini DL. vt patet ex ipsa V. Synodo, collatione 2. Scripsit autem in c. 10. epist. ad Heb. in hæc verba: *Est Vnum corpus Christi cum illo, quod suscepit de vtero virginali, non multa corpora, &c.* vbi conteadit hoc interesse inter sacrificia vetera, & sacrificium Christianorũ, quòd illa quotidie mutabantur; nec enim idem agnus bis immolabatur, sed hodie vnus, cras alius: at Christiani in diuersis altaribus, & tẽporibus, semper idem Christi corpus sacrificant. Quod certè non potest intelligi de pane materiali: is enim quotidie mutatur; nec de pane vt significat corpus Christi; nam hoc modo etiam Hebræi idem corpus semper immolassent, quippe qui omnibus suis victimis eundem Christum repræsentabant: nec potest intelligi de corpore, vt est in cœlo, & fide apprehenditur; nam Primasius dicit immolari à sacerdotibus in altari: cogimur ergo intelligere, ipsum verum Christi corpus, quod vtique vnum est, verè in altari adesse, & sub specie panis ac vini, à sacerdotibus immolari. Ex quo testimonio apertissimo illud etiam colligitur, S. Augustinum nihil aliud sensisse, quàm Catholici sentiunt. Fuit enim Primasius Augustini doctrinæ addictissimus.

CAPVT XXXII.

Testimonia Patrum VII. ætatis S. Gregorij, & Hesychij.

SANCTVS Gregorius, qui ad initium anni DC. Romæ sedebat in cathedra sancti Petri, ita loquitur, hom. 22. in Euangelia: *Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super vtrumque postemonitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* & lib. 4. Dialog c. 58. *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlis aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnũ quid ex visibilibus atque inuisibilibus fieri?* Hæc ille, vbi satis apertè describit præsentiam veram & realem corporis Christi cœlestis, summi, & inuisibilis, in specie panis terreni, imi, & visibilis.

IDEM quoq; Gregorius insigni miraculo probauit, verè panem in carnem Domini conuerti, vt testantur Io. Diaconus li. 2. vitæ S. Gregorij, ca. 41. & Paulus Diaconus in vita eiusdem Gregorij. Addit verò Paulus Diaconus patrato miraculo ita Gregorium fuisse loquutum ad mulierem, quæ de veritate corporis Domini in Eucharistia dubitauerat: *Disce veritati, vel modo etiam contestanti credere: Panis quem ego dabo, caro mea est, & sanguis meus verè est potus. Sed præscius Conditor nostræ infirmitatis, ca potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper Virginis operãte Spiritu sancto fabricauit, panem & vinum aqua mistum, manente propria specie in carnem & sanguinem suum, ad Catholicam precem ob reparationem nostrã Spiritus sui sanctificatione conuertit.* Hęc ille.

HESYCHIVS Hierosolymæ Præsbyter, ac deinde Episcopus, S. Gregorij æqualis fuit: falluntur enim, qui eum Hieronymi, & Augustini temporibus floruisse dicunt. Nam Episcopus fuit Hierosolymæ, vt Glossa ordinaria in Leuit. testatur: nullus autem fuit Hierosolymæ Episcopus, qui Hesychius diceretur, nisi ille ad quẽ scribit S. Gregorius li. 9. regist. epist. 40. Et præterea exponit hic auctor in com. in Leuit. versionem Hieronymi, tanquam communem, & receptam in Ecclesia, cùm satis constet eam non fuisse ita communiter receptam, nisi longo tempore post ipsius Hieronymi obitum.

IGITVR Hesychius lib. 2. in Leuit. cap. 8. *Est*, inquit, *locus sanctus altare: ibi enim Sanctus sanctorum requiescit.* & infrà, explicans ritum, quo igni tradebatur quidquid ex Agno Paschali homines comedere non potuerant, dicit eo ritu significari, vt quod non possumus capere in mysterio Eucharistię, id omnipotẽtiæ Dei relinquamus:

Ergo, inquit, *ex hoc, quod agitur sensibiliter, significatio cuiusdam intelligibilis rei eis qui intendunt, prouenit, vt quando ad comestionem sacrificij deficimus, & comedere illud integrè non possumus, mente forsan lassescente, siue deficiente, verum ea quæ videntur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec Angeli possunt prospicere, non relinqui, sed etiam tradi ea igni oportet Spiritus, vt ea comedat, quæ nobis sunt ex infirmitate inesibilia. Quomodo autem comedat? cùm cogitauerimus virtuti Spiritus esse possibilia ea, quæ nobis impossibilia videntur.* Et lib. 6. c. 22. *Per ignorantiam*, inquit, *percipit, qui virtutem eius & dignitatem ignorat, qui nescit quia corpus hoc & sanguis est secundum veritatem.* Et infrà: *Sanctificationem*, inquit, *mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem siue commutationem, ei qui verus est sacerdos, videlicet Christo oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere, & imputare: quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum quæ videntur, tam sanctificata sunt, quàm cunctum carnis excedunt sensum.*

SED obiicit Petrus Martyr in libro contra Gardinerũ, obiecto 187. illa verba Hesychij ex lib. 2. in Leuiticum, cap. 8. *Propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, vt nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis, & caro est.* At hoc testimonium si quos hæreticorũ iuuaret, Lutheranos iuuaret, qui in Sacramento verum panem, & verum Christi corpus agnoscunt, non autem Zvvinglianos, & Caluinistas, qui tanto interuallo separant panem à corpore Christi, quanto summum cœlum abest ab ima terra. Sed nec Lutheranos iuuat, quia ibidem Hesychius dicit, Eucharistiam esse panem & carnem, quia corpus Christi, quod in Eucharistia sumimus, est panis vitæ, qui de cœlo descendit.

SED instat Petrus Martyr: *Si per panem hoc loco intelligere debemus non panem triticeum, sed panem cœlestem, id est, carnem Christi, ergo cùm Hesychius ait, mysteriũ Eucharistiæ esse panem & carnem: sensus erit, esse carnem, & carnem, quod sanè perabsurdũ videtur.* Respondeo, Obiectionẽ istã nõ nobis, sed ipsi Hesychio fieri debere. Ipse enim sententiam suam ita exposuit, vt per panem non panem triticeum, sed panem cœlestem intelligendum diceret. Nulla autem est in eius verbis absurditas: id enim dicere voluit, Eucharistiam eiusmodi cibum esse, vt carnis & panis appellationem mereatur ob varios suos effectus, quemadmodum etiam Dominus, Io. 6. ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Sed de his satis.

CAPVT XXXIII.

Testimonia Patrum VIII. ætatis Ioannis Damasceni, & Epiphanij, eius æqualis.

IOANNES Damascenus tempore Leonis Iconomachi floruit, circa annum Domini DCC. XL. Scripsit verò de Eucharistia lib. 4. de fide, cap. 14. pro instituto suo plenissimè, & apertissimè. Nam cùm aliquot argumentis probasset, nihil esse Deo impossibile, ita subiungit: *Quemadmodum omnia, quæcunque fecit Deus, Spiritu sancto cooperante fecit. sic & nunc Spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides.* Et infrà: *Panis vinúmque, & aqua, per inuocationem Spiritus sancti supernaturaliter trãsmutãtur in corpus & sanguinem Christi: & non sunt duo, sed vnum, & idem. Non est figura panis, & vinum corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc, sed ipsum corpus Domini deificatum.*

EPIPHANIVS Damasceni æqualis, & doctissimus, in disputatione cum Gregorio, quæ habetur in VII. Synodo act. 6. tomo 3. multis verbis probat, Eucharistiam non esse figuram corporis & sanguinis, sed ipsum verum corpus, & sanguinem Domini: *Nunquam inuenies*, inquit, *neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginem dixisse, verùm ipsum corpus, & ipsum sanguinem.*

CAPVT XXXIIII.

Testimonia Patrum IX. ætatis Theophylacti, & Paschasij.

THEOPHYLACTVS post annum Domini DCCC. omnium consensu floruit, ac de veritate corporis Domini Chrysostomum imitatus apertissimè, & copiosissimè scripsit. In c. 26. Matth. *Porrò dicens, Hoc est corpus meum, ostendit quod ipsum corpus est panis, qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura, sed, Hoc est corpus: ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis.* Vide etiam eundem in c. 14. Marci, & in cap. 6. Ioannis, & in cap. 10. & 11. prioris ad Cor. in quo vltimo loco explicans illa verba: *Non diiudicans corpus Domini.* Sic ait: *Si certiores essemus, quisnam & quantus sit ille, qui nobis in conspectu adiacet, nulla fermè rei alterius ope indigeremus, sed solus ille, & continentiam nobis, & vigilantiam compararet.*

SED inuenerunt in Theophylacto vnum verbum, quod pro se arriperent aduersarij. Nam in c. 14. Mar. dicit Theophylactus, panem transmutari in virtutem carnis Christi: ex quo exponi volunt, quod idem habet in c. 26. Mat. & in ca. 6. Ioannis, panem transmutari in carnem Domini. Itaque sensum esse volunt omnium istorum locorum, panem per mutationem Sacramentalem fieri instrumentum diuinæ virtutis, quo nimirum animi nostri excitentur ad fidem. Ita Petrus Martyr disputat lib. contra Gardinerum, obiecto 13.

AT nimia impudentia est de Theophylacti testimoniis disputare, cùm ipse in cap. 6. Ioan. disertè dicat, non esse panem post consecrationem, licet oculis videatur, & transformari ineffabili operatione (nulla autem ineffabilis operatio requiritur vt sit instrumentum excitandæ fidei) & non esse figuram, sed ipsum corpus, & ita verti panem in carnem Christi per consecrationem: vt vertebatur olim per nutritionem, cùm Dominus hîc in terris viueret: & denique oportere in Eucharistia sumenda simpliciter credere & non dicere, Quomodo potest id fieri? &c. Quod ergo Theophylactus dicit mutari substantiam panis in virtutem carnis Christi, significat mutari in essentiam carnis Christi, quæ vim habet nutriendi animos; vt substãtia panis vim habet nutriẽdi corpora: idem enim est, ac si dixisset, sub speciebus panis antea erat vis quædam nutriendi corpora, nimirum substantia panis: nunc est vis quædam nutriendi animos, nimirum substantia carnis Christi. Adde, quòd si Theophylactus dicere voluisset, panem fieri instrumentum diuinæ virtutis, non dixisset mutari in virtutem carnis Christi, sed in virtutem Spiritus sancti: nam Spiritus sanctus est (vt ibidem ait Petrus Martyr) qui in sacra functione vtitur Sacramento tanquam instrumento, immò nec dixisset transelementari, sed fieri. Quis enim tam absurdè loqueretur, vt si dicere vellet, calamum aptari oportere, vt fiat instrumentum scribæ, diceret calamum transelementari in virtutem scriptoris?

EODEM sæculo floruit Paschasius Abbas Corbeiẽsis, qui librum accuratissimum scripsit de corpore Domini ducentis fermè annis, antequam Berengariana hæresis nasceretur. In eo sic ait cap. 1. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, & quia voluit, licet figura panis, & vini hic sit, tamen omnino nihil aliud, quàm caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt:* & infrà prolixè id probat. Idem in epist. ad Frudegardum ex professo idem probat: & rursus in libello de institutione Sacramenti: *Nec*, inquit, *ita dixit cùm fregit, & dedit eis panem. Hoc est, vel in hoc mysterio est quædam virtus, vel figura corporis mei: sed ait non fictè, Hoc est corpus meum: & ideò, hoc est quod dixit, non quod quisque fingit.*

CAPVT XXXV.

Testimonia Patrum X. ætatis Stephani Heduensis, & Fulberti Carnotensis,

STEPHANVS Episcopus Heduensis, qui floruit circa annum Domini C.M L. (vt Ioānes Garetius testatur) sic ait in lib.de Sacramento altaris, c. 15. (Exstat hic liber tomo 4.Bibliothecę sanctorum Patrū) *Itaq; fides nostra est, & verè credendum est, quod sacerdote proferente hæc verba, Hoc est corpus meum, iam non est panis terrenus, sed ille panis, qui de cælo descendit, mediator Dei, & hominum Iesus Christus.*

FVLBERTVS Episcopus Carnotensis vir sanctissimus & doctissimus floruit ad finem huius decimæ ætatis. Nam Adelmannus Episcopus Brixinensis in epistola ad Berengarium indicat, se & Berengarium discipulos olim in adolescentia fuisse sancti senis B. Fulberti, quem suum Socratem appellat. Si igitur Berengario adolescentulo Fulbertus senex erat, necesse est Fulbertum floruisse ante annum Domini M. Siquidem constat Berengarium circa annum Domini M, XL. cum sua hæresi apparere cœpisse.

HIC igitur sanctissimus vir in epistol. ad Adeodatum, quæ excudi solet cum libris Paschasij, sic loquitur: *Quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in precium, paulò pòst à nostris visibus sublaturus erat in cœlum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu sancto corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione sub visibilis creaturæ forma invisibiliter virtus secreta in sacris solennibus operatur.* Et infrà: *Dubitari nefas est, vt ad cuius nutum cuncta subitò ex nihilo subsliterunt, si pari potentia in spiritualibus Sacramentis terrena materies panis, & vini naturam, & meritum generis sui transcendens, in Christi substantiam commutetur, cùm ipse dicat, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

CAPVT XXXVI.

Testimonia Patrum XI. ætatis Anselmi, & Oecumenij.

IAM verò ætate XI. exorta hæresi Berengariana plurimi ex professo scripserunt de veritate corporis Domini in Eucharistia. Vt S. Anselmus, Lanfrancus, Guitmundus, Adelmannus, Algerus, Hugo Lingonensis, & alij, qui floruerunt ab anno M. ad MC. Eodem sæculo scripsisse creditur Oecumenius Græcus. Satis verò hoc loco erit S. Anselmi, qui sanctitate, & eruditione præter cæteros claruit, & Oecumenij testimonia ponere.

IGITVR S. Anselmus in c.11. primæ ad Cor. exponens illud. *Hoc est corpus meum, Manducate*, inquit, *quod tribuo, quia hoc est corpus meum. Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud, sed idem substantialiter, quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem.*

OECVMENIVS in c.11. prioris ad Cor. *Cùm sæpe*, inquit, *corpus, & sanguinem memoret, indicat, nequaquam exilem esse hominem, qui sacrificatur, immò ipsum Dominum omnium Creatorem.* Et infrà: *Si sciremus quantus sit, qui appositus est (in altari) nullo alio indigeremus, verùm hoc ipsum sobrios nos redderet.*

CAPVT XXXVII.

Testimonia Patrum XII. ætatis Euthymij, & S. Bernardi.

IN ætate XII. plurimi quoque de hac re apertissimè, & fusissimè scripserunt, vt Petrus Cluniacensis, Petrus Lombardus, Hugo, & Richardus de S Victore, Euthymius Zigabenus, S. Bernardus, & alij. Nobis autem satis erit duo testimonia ponere, vnum S. Bernardi pro Latinis, alterum Euthymij pro Græcis.

S. BERNARDVS in vita S. Malachiæ: *Fuit*, inquit, *quidam clericus, probabilis, vt fertur, vitæ, sed fidei non itaris sciolus in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodò Sacramentum, & non rem Sacramenti, id est, solam sanctificationem, & non corporis veritatem.* Hæc ille. Vbi subnectit insigne miraculum, quo ille à B. Malachia coactus est, vel inuitus veritatem tandem amplecti, & confiteri.

EVTHYMIVS in c.26. Mat. *Non dixit*, inquit, *Hæc sunt signa corporis mei, & sanguinis mei, sed, Hæc sunt corpus & sanguis meus.* Et infrà: *Quemadmodum supernaturaliter assumptam carnem deificauit, si ita loqui liceat, ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum viuificum corpus suum.* Vide etiam Panopliam eiusdem tit. 21. vbi ex Patribus Nysseno & Damasceno fusè probat, transmutationem panis in carnem Domini.

AVDET tamen Petrus Martyr testimonia ex Bernardo proferre in lib.contra Gardinerum, obiecto 252. 253. & 254. Scribit enim Bernardus serm. 33. in Cantica: *Habeo & ego Verbū, sed in carne, & mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo satiatur grano. Me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, literæ palea, velamine fidei.* Et infrà: *At quantalibet sanè abundantia pinguescant ista, non pari omnino iucunditate sumitur cortex Sacramenti, & adeps frumenti: fides, & opes: memoria, & præsentia: æternitas, & tempus: vultus, & speculum: imago Dei, & forma serui.* Idem quoque Bernardus in serm. de cœna Domini, comparat Sacramenta annulo & baculo, quibus tanquam signis confertur dignitas aliqua vel possessio.

HAEC illi proferunt, ex quibus nos multum omnino lucramur. Nam dubitari non potest de sententia S. Bernardi, tum ex testimonio à nobis paulò antè citato, & ex aliis plurimis, quæ adferri possent, tum quia constat eum fuisse cōiunctissimum Romanæ sedi, quæ multis Conciliis damnauerat hæresim Berengarij: necnon amicissimū Hugoni de S. Victore, & Petro Cluniacensi, qui ex professo scripserant de Sacramento contra hęresim paulò antè exortam; tum denique, quia Petrus Martyr in finē obiecti 252. dicit, Bernardum non rectè de hoc negotio sensisse, quòd illa tempora tenebris essent mirabiliter obfuscata. Quæ cùm ita sint, necesse est, verba eius, quę ab aduersariis citantur, Catholicum sensum habere, quidquid tandem significent.

EX quo intelligimus, non debere videri mirum, si antiquiores Patres, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alij, ante exortam hæresim quædam scripserint, quæ possent trahi in malam partem, cum videamus Bernardum post hæresim exortam & damnatam, quædam scribere, quæ ab aduersariis ad suam hæresim stabiliendam rapiuntur: quare oportet ex verbis apertis & perspicuis sanctorum Patrum exponere ea quæ videntur obscura & dubia in aliis Patribus, cùm constet eos omnes idem sensisse.

VT igitur ad locū Bernardi ex Canticis respōdeam, confert Bernardus modum, quo Angeli fruuntur Verbo æterno in cœlo, cum eo, quo nos eodem fruimur in terris, ac dicit, Angelos esse longè feliciores, quòd illud apertè, & perspicuè videant: nos autem habeamus velatum, & occultatum in cortice Sacramentorum, in furfure carnis, in palea literæ, in velamine fidei. Quibus verbis non dicit nos habere solùm corticem, furfurem, paleam, & velamen; sed habere ipsum etiam Verbum, sed occultatum in his quasi inuolucris: vnde nihil ista pugnant contra veritatē corporis Domini in Eucharistia.

QVOD verò paulò infrà adiungit, Angelos habere præsentiam, nos memoriam, quod maximè vrget Petrus Martyr, facillimè soluitur. Nam per præsentiam intelligit conspectum: id enim appellat præsens, quod

cerni

cernitur, id absens, quod non cernitur. Id verò inde patet, quia non loquitur de præsentia carnis Domini, sed de præsentia Verbi æterni. Illud enim dicit esse Angelis præsens, quia facie ad faciem ab illis cernitur: nobis verò dicit esse absens, & in memoria, non in præsentia, quia non cernimus illud vt est, sed tantùm cum eo cogitatione versamur, licet alioqui Verbum Dei, cùm Deus sit, vbique sit. Neque est hic modus loquendi alienus à Scripturis: Scripturæ enim Deum vbique esse testantur, & hortantur tamen, vt eum quæramus, dum inueniri potest. Si vbique est, certè præsens est, & tamen si quærendus est, aliquo modo absens est.

EODEM modo intelligimus quod ibidem Bernardus dicit, nos habere corticem, Angelos adipem: significat enim Angelos frui ipsa adipe, quia facie ad faciem intuentur Verbum, nos autem in conspectu non habere, nisi corticem Sacramēti. Nec enim videmus aliud, quàm species panis & vini: sed tamen intra eum corticem latere etiam adipem, suprà dixerat Bernardus. Denique id sufficere deberet, quod (vt antè dixi) non loquitur de carne Christi, de qua nostra quæstio est cum aduersarijs, sed de præsentia, seu fruitione Verbi æterni.

IN sermone autem de cœna Domini, non dicit Bernardus, per Sacramentum Eucharistiæ dari carnem Christi, tanquam per signum, vt datur dignitas aliqua per baculum, & annulum, sed dicit gratiam Dei dari per Sacramenta, vt per signa: sic enim loquitur, *In hunc modum approprians passioni Dominus, de gratia sua curauit inuestire suos, vt inuisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur.* Hæc ille. Quomodo autem Sacramenta non sint nuda signa, sed etiam causſæ instrumentales gratiæ, explicimus in disputatione de Sacramentis in genere, vbi etiam hunc locum S. Bernardi tractauimus.

CAPVT XXXVIII.

Testimonia ætatum reliquarum.

IN ætate XIII. præter plurima testimonia insignium Theologorum, Alexandri Alensis, Alberti, S. Thomæ, S. Bonauēturæ, & aliorum, extat testimonium Concilij generalis Lateranensis sub Innocentio III. in ipso 1. cap. decretorum eius Concilij, vbi sic legimus: *Christi corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continetur, &c.*

IN ætate XIIII. præter plurima Doctorum testimonia, vt Scoti, Henrici, Durandi, & aliorum, extat decretum Concilij generalis Viennensis sub Clemente V. de festo corporis Domini, vbi expressa testimonia permulta leguntur de veritate corporis Domini in Eucharistia. Vide Clementinam vnicam de Reliq. & veneratione Sanctorum. Extat etiam decretum de adoratione huius Sacramenti contra errores Begardorum. Vide Clementinam, Ad nostrum, de hæret.

IN ætate XV. extant testimonia duorum generalium Conciliorum, Constantiensis sess. 13. & Florentini, tum in decreto de vnione cum Græcis, tum in instructione Armenorum. Quo etiam tempore non solùm multi Latinorum de hac re scripserunt, vt Thomas Vvaldens. Ioannes Gerson, & alij, sed etiam multi Græci scriptores, vt Samonas Episcopus Gazæ, Nicolaus Methonensis, Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesius, & Bessarion Cardinalis: qui omnes disertè asserunt veram ac realem transmutationem panis in corpus Christi. Vide tomum IIII. Bibliothecæ sanctorum Patrum.

IN ætate denique XVI. extat testimonium Concilij generalis Tridentini sess. 13. Extat etiam Græcorum perspicuum testimonium, in censura, quam ante paucos annos ediderunt ad Confessionem Lutheranorum. Nam cap. 10. eius censuræ disertis verbis affirmant panem per consecrationem verè conuerti in ipsum verum Christi corpus. Habemus igitur continuationem Catholicæ doctrinæ per omnes ætates Ecclesiæ, non solùm in Occidente, sed etiam in Oriente.

CAPVT XXXIX.

Compendium argumentorum, quæ sumuntur ex Patribus.

SI quis velit ad classes reducere argumenta omnia, ex quibus probamus, quid Patres locis iam ante à nobis citatis, de hoc Sacramēto senserint, poterit ad sex classes omnia reuocare.

PRIMA erit ex modo loquendi Patrum de hoc Sacramento. Vtuntur enim veteres Patres vocabulis quibusdam, à quibus Sacramentarij nostri valde abhorrent; quod certè non facerent, si cum Patribus in sententia cōuenirent. Nam Sacramentarij vix vnquam aliter Eucharistiam appellant, quàm symbola corporis, & sanguinis Domini. At veteres omnes passim appellant, corpus & sanguinem Domini, quod non faciunt, cùm de alijs signis loquuntur. Præterea vocant preciosum corpus, tremenda mysteria, pignus salutis, precium nostrum. Vide Optatum, Chrysostomum, Ephrem, Augustinum, & alios. Denique Damascenus, Theophylactus, Euthymius, Paschasius, & alij, disertis verbis dicunt, non figuram esse, sed ipsum verum corpus.

SECVNDA erit ex comparatione huius Sacramenti cum alijs rebus: ac primò cum Sacramētis Hebræorum. Patres enim palàm affirmare non timent, differre hoc Sacramentum à Manna, agno Paschali, pane propositionis, & similibus rebus, vt veritatem à figuris, & corpus ab vmbra, & rem cœlestem, diuinam, & inconsumptibilem à re terrena, & consumptibili. Vide Origenem, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum Alexandrinum. Secundò comparant cū mysterio Incarnationis, vt Iustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Gelasius, Remigius, Damascenus. Tertiò comparat Chrysostomus Christum, vt est in altari per Eucharistiam, cum eodem Christo in præsepi, & cum Christo in cœlo. Quartò comparat Augustinus Christum in Eucharistia, cum Angelis apparentibus in forma corporali. Quintò comparant, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, & alij, indignè tractantes Eucharistiam cum illis, qui Christum occiderunt.

TERTIA classis sumitur ex mutatione panis: nam indicant Patres realem mutationem fieri multis modis. Primò, quia dicunt, non remanere panem post mutationem, vt Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Gaudentius, Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, Emissenus. Secundò dicunt, sensus falli in hac re: vt ijdem auctores, & præterea Hilarius, & Epiphanius. Tertiò dicunt, sic mutari panem in carnem, vt mutabatur per nutritionem Christo comedente, vt Nyssenus, Damascenus, & Theophylactus. Quartò comparant cum realibus mutationibus aquæ in vinum, virgarum in serpentes, & similibus. Vide Ambrosium, Cyrillum Hierosolymitanum, Cyrillum Alexandrinum, Augustinum, Emissenum, Damascenum. Quintò dicūt, ad istam mutationem requiri omnipotentiam Dei: Iustinus, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Nyssenus, Gaudentius, Proclus, & alij.

QVARTA classis sumitur ex mysterio altissimo, quod Patres in Eucharistia agnoscebant. Nam primò dicebant, nō posse intelligi sine fide, vt Andreas Apostolus, Ephrē, Gaudentius, Augustinus, Damascenus. Secundò hortabantur sæpe ad fidem certam, & ad non dubitandum de veritate huius mysterij, vt Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Nazianzenus, Epiphanius, Ephrem, Gaudentius, Chrysostomus, Emissenus, Cyrillus Alexādrinus. Tertiò dicebāt, miraculū esse superans humanum captū, Ephrem, Chrysostomus, Augustinus, Gaudentius, Hesychius. Quartò non loquebātur de eo corā Ethnicis,

& Catechumenis,nisi rectè,vt illis verbis,*Nòrunt fideles.* Vide Tertullianũ, Origenem,Chrysostomum, Augustinum, Theodoretum, Quintò interrogantes, quomodo potest fieri? remittebant ad omnipotentiam, vt Cyrillus Alexandrinus,Euthymius,Theophylactus,& alij.

QVINTA classis sumitur ex veneratione.Nam primò adorabant Eucharistiam. Vide Cyrillum Hierosolymitanum,Ambrosium,Naziãzenum,Chrysostomum, Augustinum,Theodoretum. Secundò inuocabant, vel inuocãdam dicebant.Vide Dionysium Areopagitam,Origenem,Nazianzenum,& Chrysostomum.Tertiò diligẽtissimè cauebãt,ne caderet in terram.Vide Pium Papam, Tertullianũ,Origenem, Cyrillum Hierosolymitanum, Augustinum.Quartò non permittebant videri ab infidelibus,vel catechumenis. Vide Basilium, & Augustinum. Quintò asserebãt,Angelos astare prope altare dum peragitur sacrificium,Ambrosius,Chrysostomus,Gregorius Papa:ex quibus Chrysostomus apertè dicit,Angelos cA pite inclinato astare coram Eucharistia.

SEXTA classis sumitur ex effectu,quem tribuũt Eucharistiæ. Nam primò dicunt nobis per eam vniri Christum corporaliter,Hilarius, Nyssenus, Chrysostomus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Cyrillus Alexandrinus. Secundò dicunt,nostra corpora resurrectura, quia vniũtur cum Christi corpore,Concilium Nicænum,Irenæus, Hilarius, Ambrosius, Opatus, Nyssenus, Gaudentius, Chrysostomus,Cyrillus. Tertiò dicit Chrysostomus,donare Christum se nobis per Eucharistiam, vt eum verè habeamus intra nos, quomodo cupiunt, & non possunt donare se homines ijs,quos amant. Quartò dicũt,Chrysostomus & Cyrillus Alexandrinus,& alij, coniungi Christum nobiscum non solùm per fidem,& charitatem, sed etiam reipsa, cùm eum in Eucharistia percipimus. Quintò dicunt,per huius Sacramenti perceptionem,nos fieri diuinæ consortes naturæ, vt Cyrillus Hierosolymitanus, & alij. B

LIBER TERTIVS, DE VERITATE CORPORIS DOMINI IN EVCHARISTIA.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur quæstio, an possit fieri, vt corpus Christi præsens constituatur in Eucharistia.

EX Verbo Dei,& veterum Patrum sententijs disputauimus hactenus controuersiam de veritate corporis Domini in Sacramento altaris : nunc ad plenam quæstionis huius grauissimæ explicationem fingemus, non posse ex solo verbo Dei,aut Patrum sententijs quidquam certi colligi (tametsi contrarium duobus superioribus libris apertissimè docuerimus) ac inuestigabimus ratione adiuta varijs principijs fidei,quid tandem de hac re sentiendum sit homini sapienti, & pio. Secabitur autem quæstio tota in partes duas. Primùm enim quæremus, an potuerit Deus reipsa præsens exhibere corpus & sanguinem Domini in specie panis & vini. Deinde an voluerit. A

DE prima quæstione Ioannes Vvicleſus apud Thomam Vvaldensem, tomo 2.cap.72.& 73. & eius discipulus Ioannes Caluinus,apertè negant id posse fieri. Nam etiamsi ad inuidiam declinandam Caluinus sic loquitur lib.4.Instit.cap.17.§.24. *Non quæritur quid Deus potuerit, sed quid voluerit.* Tamen paulò infrà sic ait: *Cur (inquiunt) non faciat Deus,vt caro eadem plura,diuersáque occupet loca,vt nullo loco contineatur,vt modo,& specie careat? Insane,quid à Dei potentia postulas, vt carnem faciat simul esse, & non esse carnem?* Et infrà,§.29.respondet ad argumenta, quibus Catholici probant fieri posse,vt vnum corpus sit in duobus locis, vel non occupet locum. Similia habet Petrus Martyr libro contra Gardinerum, obiecto 10.11. & 12.& 106.& Theodorus Beza in libro de cœna Domini contra Vvestphalum. Catholici contrà certò credunt, id fieri potuisse. B

TRES autem sunt difficultates, in quibus ab aduersarijs dissentimus. Vna, an possit vnum corpus poni simul in diuersis locis. Altera,an possit corpus alicubi esse non occupando locum; & hæ sunt nobis cum solis Sacramentarijs, non autem cum Lutheranis, & hoc loco tractandæ. Tertia est etiam cum Lutheranis,an possint accidentia manere sine subiecto, & de hac disputabimus in sequenti libro,vbi tractabitur de transubstantiatione. C

VT igitur quæstionem de potentia Dei in hoc mysterio contra Sacramentarios disputemus, & ordine rem totam explicemus : Primò inuestigabimus,quæ sit certa regula cognoscendi quid Deus possit.Secundò probabimus posse Deum facere, vt vnum corpus simul sit in diuersis locis. Tertiò soluemus obiectiones aduersariorũ. Quartò probabimus posse Deum facere,vt vnum corpus indiuisibiliter maneat, ita vt locum non repleat. Quintò soluemus obiectiones.

CAPVT II.

Quæ sit regula cognoscendi,quid Deus possit.

REGVLA cognoscendi quid Deus possit, vel sumi potest ab ipso Deo, de cuius potentia agitur,vel ab homine qui eum cognoscere debet, vel à rebus ipsis,quæ per eam potentiam fiunt. B

A Deo regulam quandam sumunt,Ioannes Caluinus in Catechismo breui,vbi explicat primum articulũ Symboli: & Instit. cap.6.§.27.& Petrus Boquinus in libr.de cœna Domini prope finem, vbi de omnipotentia disputant.Dicunt ij homines potentiam Dei non esse separandam à voluntate,& operatione: id enim Deum posse facere,quod reipsa vult facere,& facit; nullam autem esse in Deo potentiam,qua possit facere id,quod non decreuit facere.

HÆC regula falsa est, & inutilis. Falsa est,quia Scripturæ apertissimè docent,Deum posse facere multa,quę nunquam faciet.Matth.3.& Luc.3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* In quem locum Chrysostomus,Ambrosius,& Hieronymus,dicũt,posse Deum ex veris lapidibus homines formare: quod tamen nunquam fecit, & probabile est nunquam facturum. Item Matth.26.*Possum rogare Patrem meum,& exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum.* Et Marc. 14.*Omnia tibi possibilia sunt,transfer calicem hunc à me.* Vbi satis apertè indicat Dominus,potuisse reparari mundum sine morte sua,& potuisse impediri passionem suam per diuinam potẽtiam,& tamen scimus hoc non esse factum. C

Quod

Quod etiam notauit Gregorius Nazianzenus in epist.1. ad Chelidonium : qui rursus lib.4.de Theologica dicit, posse Deum facere, vt camelus transeat per foramen acus : & vt senex iterum redeat in vterum matris suæ, & renascatur,quæ tamen nunquam fecit. Quare Augustinus in Enchirid.cap.95.rectè scribit,multa Deum posse, quæ non velit,nihil autem velit,quod non possit : & lib. de spiritu,& litera,cap.1.docet,multa esse possibilia Deo, quæ nunquam fient, & ponit exemplum de camelo trãseunte per foramen acus. Sed quamuis ista regula vera esset,est tamen inutilis,quia non magis notum est nobis, quid Deus velit facere,quàm quid possit facere.

SI quis autem diceret,regulam cognoscendæ diuinæ potentiæ esse eius voluntatem, vel intellectum, in hoc sensu:quòd id omne possit Deus facere,quod potest velle facere,vel quod intelligit esse factibile:regulam verissimam daret,sed inutilem. Verissimam quidem, quia in hoc differt Deus à creaturis, quòd creaturæ multa possunt animo concipere,vt factibilia,& etiam velle facere, quæ tamen non possunt reipsa facere : at Deus quidquid potest velle, vel intelligere vt factibile,id totum potest facere,& nihil potest facere, quod non potest velle, aut quod non intelligit esse factibile. Sed regula est inutilis, quia non minùs obscurum est nobis quid Deus possit velle, aut intelligere, vt factibile, quàm quid possit facere.

EX parte hominis posset accipi hæc regula : Id omne posse Deum facere,quod potest homo concipere. Nam cùm obiectum mentis nostræ,sit ipsum ens, & verum in vniuersum,id quod potest concipi, siue intelligi, reuera existere poterit : quod autem non potest concipi, nihil erit,proinde omnia poterit facere,qui poterit id totum, quod homo potest concipere.

SED hæc regula partim est vera, partim falsa. Vera quidem est,quatenus affirmat posse Deum facere, quidquid potest homo intelligere : at quatenus negat posse Deum facere, quod homo non potest intelligere, fallax est,& contraria diuinis literis.Nam etiamsi totum ens est ex se intelligibile, & id solum, quod non est, non potest intelligi : tamen mens nostra ob suam imbecillitatem, nisi diuinitus adiuuetur, sæpe fallitur in rebus intelligẽdis,& multa putat non posse existere,& proinde nec esse intelligibilia,nec factibilia, quæ tamen intelligi,fieri, & existere possunt.Hinc dicit Ioannes, *Maior est Deus corde nostro.*1.Ioan.3.Et Apostolus Ephes.3. dicit,Deũ operari suprà quàm petimus, aut intelligimus. Et S.Augustinus,lib.21.ciuit.cap.5.6.& 7.ostendit multa esse vera, quæ tamen homines intelligere non possunt.Et similiter Hilarius lib.3.de Trinit.& alij Patres.Et sanè multa nostræ fidei mysteria ethnici Philosophi prorsus impossibilia esse iudicabant.quæ tamen fideles homines non minùs,quàm illi periti naturalium scientiarum,verissima esse credunt. Et si potest vnus homo interdum ea facere, quæ alij homines non capiunt,& nisi facta viderent,crederent nullo modo fieri potuisse,qualia sunt,quæ de Archimede narrantur à Plutarcho in vita Marcelli:quantò magis poterit Deus multa facere supra captum omnium hominum? Atque hoc ipsum verbi fatentur etiam aduersarij,vt Caluinus lib.4.Instit.cap.17.§.10.& 24.& Petrus Boquinus in lib.de cœna Domini, vbi mysterium Eucharistiæ dicunt sublimius esse,quàm vt à nobis plenè intelligi possit: tamen reipsa satis indicant se nihil velle credere,nisi quod capiunt,cùm passim asserant non posse fieri, id quod orbis terrarum credit non modò fieri potuisse,sed etiam factum esse, & mysterium quod ipsi dicunt,superare humanum captum, nullam habeat difficultatem,vt suprà ostendimus.

RESTAT igitur,vt regula sumatur à rebus ipsis.Posset autem dupliciter sumi regula à rebus. Vno modo, si diceremus,Deum habere tantum actiuæ potentiæ, quãtum est passiuæ potentiæ in omnibus rebus, siue in tota natura. Et hoc modo Deum omnipotentem Philosophi ethnici fortasse facerent,at Christiani maiorem aliquam potentiam Deo tribuere debent, cùm fateantur Deum ex nihilo mundum procreasse:qui enim ex nihilo aliquid facit,non pendet à potentia passiua subiecti. A,

ALIO igitur modo regula sumetur à rebus,si dicamus Deum posse facere omnia, quæ vllo modo existere possunt, iuxta illud verbum Angeli Gabrielis, Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deũ omne verbum.* Et illud Saluatoris Marci14.*Omnia tibi possibilia sunt.*Id autem omne existere potest,quod in sua ratione non dicit,non esse,sed tantùm esse.Et hoc est, quod scribit S. Thomas 1.parte, quæst.24.artic.3.& omnes Theologi, Deum dici omnipotentem,quia potest id omne, quod non implicat contradictionem:quod enim implicat contradictionem,non est possibile vllo modo,quia ponit esse,& non esse simul, & proinde si illud fieret, fieret aliquod, cuius esse esset nõ esse.Solùm autẽ non esse,non potest à Deo fieri,quia omne quod fit, debet esse aliquo modo simile ei,à quo fit:Deo autem qui est ipsum esse, omne quod est, simile est,& solum non ens,non est ei vllo modo simile. Præterea facere quod non est, non est facere, sed deficere, & proinde ad illud non potentia, sed impotentia requiritur. Et hinc dicimus, Deum non posse mori, non posse peccare,non posse deficere, quia mors, peccatum, defectus formaliter sunt, non entia, & illa posse non est potentiæ,sed impotentiæ. Denique est primum principium in lumine naturę:omne est,aut non est:quo sublato tollitur omnis cognitio. Itaque etiam aduersarij in hoc conueniunt, id non posse fieri, quod implicat contradictionem.Et si quidem in particulari euidenter constaret, quæ sit essentia vniuscuiusque rei, simul etiam constaret quid implicet, & quid non implicet contradictionem; & quæstio omnis finita esset : sed quia id non satis cõstat, ideò laborandum est nobis, vt ostendamus quod volumus. B

CAPVT III.

Posse vnum corpus simul esse in pluribus locis.

ACCEDAMVS nunc ad singula capita mysterij Eucharistiæ,quæ aduersarij contendunt implicare contradictionem,atque ideò esse impossibilia.Ac vt incipiamus ab eo quod est omnium difficillimum, probabimus non implicare contradictionem, & proinde possibile esse,vt vnũ corpus sit in pluribus locis. C

PRIMVM argumentum sumitur à Scriptura, quæ testatur Deo nihil esse impossibile,Matth.19.*Apud Deum omnia possibilia sunt.* Explicabunt aduersarij, omnia præter ea, quæ implicant contradictionem, quale est vnum corpus esse in duobus locis.At refelli potest hæc explicatio multis modis,etiam ex eorum principijs.

PRIMÒ, principium eorum est, nihil esse credendum sine verbo Dei.At Verbum Dei nusquam excipit à Dei omnipotentia,vnum corpus esse in duobus locis. Excipit quidem alicubi,mentiri Deum,Hebr.6. *Impossibile est mentiri Deum.* Et alibi : *Negare seipsum non potest.* 1.Timoth.2.Ex quibus rectè colligitur, Deum illa tantùm non posse,quæ facere,nõ est facere,sed deficere. Sed vnum corpus in duobus locis esse, non potest clarè ad ista reduci,proinde excipi non debuit. D

SECVNDÒ, principium eorum est,eam esse veram doctrinam,quæ Deum exaltat,& hominem deprimit; & contrà falsam esse, quæ hominem exaltat, & deprimit Deum,At qui dicit,inter ea,quæ potest Deus,esse etiam, ponere vnum corpus in pluribus locis,hic Deum exaltat, & hominem deprimit, cùm fateatur plura posse facere, quàm nos intelligamus:qui autem id negat,Deum deprimit,& hominem exaltat,cùm dicat,Deum non posse facere,quod homo non potest capere.

TERTIÒ, illa explicant contradictionem, quæ pugnant cum essentia rei, ita vt dicatur res esse, & non esse. At esse in loco, non est de essentia corporis, sed quid extrinsecum, & accidentarium: nam vltimum cœlum est verum corpus, & non est in loco, ergo non repugnat essentiæ corporis esse in vno, vel pluribus locis, cùm sint omnia extrinseca, & posteriora ipsa corporis essentia.

SECVNDVM argumentum ducitur ab exemplo Scripturæ diuinæ. Christus cùm Apostolo Paulo apparuit, Actor. 9. & 22. fuit simul in summo cœlo, & in terra, siue in aëre terræ vicino, igitur vnum corpus in pluribus simul locis esse potest. Christum fuisse tunc in cœlo, aduersarij non negant, & patet ex illo Act. 3. *Quem oportet cœlum suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium.*

AD hoc argumentum duplex solutio dari potest. Vna, quòd Paulus non viderit reipsa Christum in propria persona, sed in specie aliqua sibi apparétę, & audierit vocem non ex ipso Christi ore, sed vocem quandam diuinitus factam, qualis fuit vox Dei Patris super ipsum Christum in Baptismo, & in monte Tabor. Ita videtur totum hunc locum intellexisse Caluinum in cap. 9. Actorum.

ALTERA, quòd Paulus viderit quidem, & audierit Christum, sed in cœlo existentem, ita vt diuina virtute factum fuerit, vt oculi & aures Pauli penetrarent cœlos. Et hoc modo respondit ad argumentum propositũ Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 29. Cui sanè commodum esset obiicere, quod ipse idem scribit lib. 3. Instit. cap. 20. §. 24. vbi ridet Sanctorum inuocationem: *Quis*, inquit, *eousque longas esse illis aures reuelauit, quæ ad voces nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent?* Hæc ille. Quid igitur, si illi obiiciamus non habuisse Paulum tam longas aures, nec oculos tam perspicaces, vt in cœlum vsque penetrarent, & ibi Christum viderent, & audirent? quid, quæso, respondebit, nisi diuina virtute id fieri potuisse? At si diuina virtute fieri potest, vt oculi carnei, & aures carneę in cœlum penetrẽt: non poterit eadẽ virtute fieri, vt oculi, & aures spirituales animarum glorificatarum in terram vsque penetrent?

SED his omissis probandum nobis est, à Paulo ipsum Christum verè, & propriè visum fuisse oculis corporalibus, idque in terra, non in cœlo. Ac primum quidem non modò certissimum, sed etiam euidentissimum est. Nam Actor. 9. cùm dicit Lucas de comitibus Pauli: *Viri autem illi, qui comitabantur, cum eo stabant stupefacti: vocem quidem audientes, neminem autem videntes.* Ponit antithesim inter Paulum, & comites eius, quasi dicat, Comites eius audiebant vocem loquentis, sed non videbant quis loqueretur, Paulus autem, & vocem audiebat, & videbat eum, qui loquebatur. Ibidem narrabat Barnabas Apostolis, quemadmodum Paulus vidisset Dominum. Et cap. 22. Ananias dicit ad Paulũ de visione illa quam habuerat in via: *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & vocem audires ex ore eius.* Hæc ibi. Vidit igitur tunc Paulus Christum, & vocem audiuit, non ex aliqua nube, aut Angelorum ministerio formatam in aëre, sed ex ore Christi. Et cap. 26. ipse Christus Paulo dicit: *Ad hoc apparui tibi, vt constituã te ministrum & testem eorum, quæ vidisti.* Vbi facit illum Apostolum, & testem oculatum resurrectionis: non autem fuisset verus testis, nisi ipsum corpus vidisset quod resurrexerat, idque oculis corporalibus. Præterea 1. Cor. 9. idem Paulus probaturus Apostolatum suum: *Nónne*, inquit, *Dominum nostrum vidi?* Et 1. Cor. 15. enumerans testes oculatos resurrectionis Christi, posteaquam posuerat Petrum, Iacobum, & alios, tandem ait: *Nouissimè tanquam abortiuo visus est & mihi*: quæ probatio nihil valeret, nisi vidisset ipse, vt alij viderant. Itaque dubitari nõ potest, quin verè oculis corporalibus corpus ipsum Christi viderit.

IAM verò quòd Christum viderit, non in cœlo, sed in terra, vel in aëre propinquo terræ, probatur, quia tanta lux eius, qui illi apparuerat, Paulum circunfulsit, vt eum planè excæcauerit, vt patet Actor. 9. non autem lædere potuisset eius oculos lux illa corporis Domini, nisi propinqua fuisset. Deinde lumen quoddam etiam comites eius viderunt, & sonum quoque vocis audierunt, Actorum nono, & vicesimo secundo, quod est argumentum certissimum, in terra, vel in aëre proximo Christum apparuisse: nec enim comites Pauli summum cœlum oculis & auribus penetrare potuissent. Ad hæc licet comites Pauli audierint vocem, Actor. 9. tamen non distinctè intellexerunt, quid Dominus dixerit, Actor. 22. Quare propinquior Paulo Dominus fuit, quàm alijs, & quasi in aurem ei loquutus est. Si autem de cœlo vox facta fuisset, omnes æquè audiuissent. Præterea illa interrogatio: *Quis es Domine?* & illa responsio: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris.* apertè indicant præsentiam Domini. Si enim vidisset Paulus Christum in summo cœlo, vt eum vidit Stephanus, non dubitasset quisnam esset: sed quia repentè vidit coram se hominem quendam supra lucem solis rutilantem, ideò dixit: *Quis es Domine?* Denique si solùm in cœlo Paulus Christum vidisset, non fuisset idoneus testis resurrectionis: potuissent enim facilè homines calumniari eius testimonium, ac dicere eum deceptum fuisse, aut sola imaginatione vidisse.

CONFIRMATVR argumentum ex alijs Christi apparitionibus. Nam inprimis Petro Apostolo Christum apparuisse in terra, & cum eo collocutum, restantur grauissimi auctores, vt Ambrosius in oratione contra Auxentium, Hegesippus lib. 3. de excidio vrbis Hierosolym. cap. 2. Et Athanasius, licet paulò obscuriùs, in Apologia pro fuga sua. Deinde Christum apparuisse S. Antonio, posteaquam à Dæmonibus grauissimè cæsus fuerat, & ad Christi præsentiam Dæmones fugisse, & plagas Antonij repentè curatas, testatur Athanasius in vita eius. Sanctus Gregorius, lib. 4. Dialog. cap. 16. affirmat ipsum Christum verè apparuisse sanctæ Therisillæ amitæ suæ paulò ante obitum: & realem non imaginariam fuisse visionem probat ex immensa odoris fragrantia, quæ in cubiculo relicta est. Et ipsi Gregorio Dominum humana specie verè apparuisse, testatur Ioannes Diaconus, lib. 2. vitæ ipsius, cap. 22. aliáque id genus multa ex probatis auctoribus adduci possent: quæ si quis velit omnia negare, meritò impudentiæ, ac temeritatis argui posset. Sed præter cæteras apparitiones legatur ea, quàm fusè narrat sanctus Paulinus in epist. ad Macharium, quæ sola abundè sufficit testatissimum efficere id quod volumus.

TERTIVM argumentum sumitur à testimonijs Patrum, qui rem vnam in pluribus simul locis esse posse docent. Ac primùm Chrysostomus, lib. 3. de Sacerd. (vt suprà citauimus) disertis verbis affirmat, eundem Christum eodem temporis articulo, & sursum in cœlo, cum Patre sedere, & in terra omnium communicantium manibus pertractari: & non loqui eum de pertractatione solùm in symbolo, patet, quia tribuit id miraculo. Idem etiam Chrysostomus, & cum eo Primasius, & Anselmus, & cõmentarius Ambrosio adscriptus in cap. 10. ad Hebr. idem corpus Domini in multis altaribus simul offerri dicunt, nec loquuntur de signo corporis, sed de vero corpore (vt suprà estendi lib. 2. cap. 31.) Item Cyrillus lib. 12. in Ioannem, cap. 32. & Theophylactus in cap. 19. Ioannis, disertis verbis docẽt, Christum per carnem suam in Eucharistia perceptam sanctificare animas, & corpora omnium communicantium in toto mundo, & esse in omnibus totum, & impartibilem. Augustinus libr. de cura pro mortuis, cap. 16. proponit quæstionem, vtrum cùm diuersis locis simul fiant miracula ad memorias alicuius Martyris, sit ipse Martyr præsens vno tempore tam multis locis, an ista fiant ministerio Angelorum: ac respondet, quæstionem esse supra ingenij vires.

EX quo intelligimus, non existimasse Augustinum impossibile esse, vt vna res sit in diuersis locis; alioqui nõ dubitasset, sed apertè dixisset (vt Caluinistæ dicunt) implicare contradictionem, vt sit vnum aliquid in diuersis locis simul. Præterea cap. 17. refert historiam quandam sancti Ioan. Monachi, qui cùm ex monasterio suo nõ discessisset, apparuit tamen adhuc viuẽs in somnis cuidam alteri longè posito: ac deinde dicit dubium esse, an spiritus eius reuera fuisset in vtroque loco, an id esset factum alio modo: *Si ipse*, inquit, *interfuit somnianti, mirabili gratia vtique id potuit, non natura, & Dei nutnere, non propria facultate, &c.* Ac denique dicit se, si cum sancto illo Monacho loqui potuisset, ab eo quæsiturum fuisse solutionem vtriusque quæstionis, & verbis eius creditum.

SI quis obiiciat, aliam esse rationem corporum, aliam spirituum: Augustinum autem spiritibus concedere, vt possint esse in pluribus locis simul, non corporibus: is facilè refelli poterit. Nam ratio, cur corpora non videantur posse esse in pluribus locis, non tam est moles, quàm vnitas. Non enim quæstio est, an possit corpus occupare duo loca: nam corpus Christi, non occupat nisi vnum locum ordinariè; in Sacramento enim non est localiter, nisi ratione dimensionum panis. Et licet etiam localiter, arbitremur posse vnum corpus esse in pluribus locis, & id probant exempla allata in 2. argumento; tamen ad mysterium Eucharistię defendendum, non requiritur, vt vnum corpus possit occupare seu replere plura loca, sed satis est, si possit quocunque modo esse in plutibus locis.

IDEÒ autem non videtur posse esse, quia non potest diuelli à seipso, & videtur necessariò debere diuelli, ac distrahi à se, si ponatur in varijs locis. Quocirca Petrus Martyr cùm negat idem corpus posse esse in duobus locis, rationem reddit, quia geminaretur. Porrò ista repugnantia, quæ sumitur ab vnitate rei, non minùs inuenitur in spiritu, quàm in corpore: vtrumque enim est vnum, & à se diuidi non potest, quare perinde est in hac quæstione siue de corpore, siue de spiritu probetur.

QVINTVM argumentum sumitur ab exemplis Dei, & animæ rationalis. Deus enim cùm sit res vna, & simplicissima, atque indiuisibilis: tamen est simul in infinitis locis: est enim præsens totus Deus omnibus rebus creatis. Quod certè superat captũ hominum: nec enim possumus cogitare rem vnam in diuersis locis, nisi cogitemus, aut loca illa fieri vnum locum, aut rem vnam diuidi in plures. Vnde Augustinus in epist. 3. ad Volusianum de hac existentia Dei in tot locis simul, sic ait: *Miratur hoc mens humana, & quia non capit, fortasse non credit.* Pari ratione anima rationalis tota est in qualibet parte corporis, alioqui enim si extenderetur ad extensionem corporis, esset materialis, & à corpore penderet, proinde non esset immortalis, quod cum fide Catholica pugnat.

AD hoc argumentum nihil responderi potest, nisi, Deum & animam, non esse in diuersis locis, sed in vno: replet enim Deus totum mundum, quasi vnum locum, & anima totum corpus. Cuius rei signum est, quod si separetur vnum membrum à corpore humano, in eo desinit esse anima, quia membrum illud incipit esse corpus aliud per se existens. At non magno negotio id refellitur. Nam si non possit naturaliter anima esse in membro abscisso, tamen nulla prorsus ratio fingi potest, cur non possit Deus in brachio abscisso conseruare animam, vt ante abscisionem erat. Denique posset Deus alium mundum creare, qui istum, qui nunc est, nulla ex parte contingeret; & in eo etiam esset Deus, sicut in isto, ac proinde esset in locis diuisis, ac distantibus. Constat igitur nullam esse implicationem, vt res sit in pluribus locis.

QVINTVM argumentum sumitur à mysterijs nostrę fidei, vel difficilioribus, vel æquè difficilibus, atque hoc est, de quo agimus. Primum mysterium Trinitatis est, quod etiam Lutherani, & Caluinistæ admittunt in quo vnam naturam in tribus personis reipsa verissimè distinctis credimus, quod planè mirabilius est, quàm vt corpus vnum sit in pluribus locis. Nam sicut hic est realis distinctio locorum, ita ibi personarum: sicut hic est vnitas corporis, ita ibi vnitas naturæ; sed mirabilius est mysterium Trinitatis, quia natura in Trinitate identificatur realiter, & formaliter cum singulis personis, corpus autem non identificatur vllo modo cum locis. Si ergo potest vna numero natura non distrahi à seipsa, licet identificetur cum personis realiter distinctis, cur non facilius poterit vnum corpus coniungi extrinsecus cum distinctis locis, & tamen non distrahi à seipso?

SECVNDVM est mysterium Incarnationis, in quo vnam hypostasim in duabus naturis perfectis, & dissimillimis confitemur. Et quia longè maior vnio est inter hypostasim, & naturam, quàm inter locatum & locum, cùm illa intrinseca & substantialis, hæc extrinseca & accidentaria sit: profectò rectè inspicienti mirabiliùs videbitur vnam esse hypostasim in duabus naturis, quàm vnum corpus in duobus locis. Adde, quod illa hypostasis identificatur prorsus realiter, & formaliter cum altera naturarum, id est, cum natura diuina; & tamen vnitur intrimè cum natura humana, quæ realiter, & formaliter differt à natura diuina. Ex quo sequitur, vt sit planè incomprehẽsibile, quomodo in illa vnione, vel non confundãtur naturæ, vel non diuidatur hypostasis.

TERTIVM est mysterium resurrectionis mortuorum, quod vt semper Philosophis impossibile visum est, ita semper à fidelibus certa fide creditum est, & nũc etiã à Lutheranis, & Caluinistis creditur, si tamen creditur. Porrò in hoc mysterio id maximè difficilè, & mirabile est, vt vnum & idem individuum bis fiat. Si enim bis fit, quomodo non duplici actione? si duplici actione, quomodo non sunt duo? nam effectus per se ab actione dependet, vt eius terminus. Atqui id maximè cernitur in accidentibus, quæ penitus perierunt, & tamen eodem numero restituuntur à Deo.

QVARTVM est creatio, & annihilatio, quæ ab omnibus fidelibus diuinæ potentiæ conceduntur, licet à Philosophis rideantur, & contradictionem implicare credantur. Nam qui dicit ex nihilo aliquid fieri, quod est creari, vel ex aliquo nihil fieri, quod est annihilari, videtur dicere, nihil esse aliquid, vel aliquid esse nihil. Et sanè superat humanam cogitationem, quod aliqua res nunc existat, quæ paulò antè nihil omninò erat. Quis enim cõcipiat, vnde venerit? vnde extracta sit? vnde processerit in lucem, si nusquam latebat, nisi ipsum nusquam aliquid sit? Pari ratione quis intelligat ex aliquo nihil fieri, nisi ipsum nihil sit aliquid? Et tamen ista credunt, aut credere se dicunt, qui nolũt credere ea, quæ sunt faciliora, vt vnũ corpus posse à Deo poni in pluribus locis.

QVINTVM mysterium æternitas est. Difficilius enim videtur, vt vnum instans durationis simul sit in diuersis temporibus, siue coëxistat diuersis temporibus, quàm vt vnum corpus simul sit in diuersis locis. Tempora enim fluunt, & impossibile est simul manere præteritum & futurum, at loca simul permanent, licet distincta, & separata ab inuicem. Iam æternitas est vnum instans durationis non fluens, & proinde coëxistens toti tempori præterito, & futuro, & tamen nec ipsum instans diuiditur, nec tempora confunduntur, quod superat planè humanum captum.

SEXTVM argumentum sumitur à simili. Nam potest vnus locus capere duo corpora sibi adæquata simul, & tamen neque locus ille diuiditur in duo loca, neque corpora illa confunduntur in vnum corpus: ergo poterit etiam vnum corpus replere duo loca, etiamsi nec ipsum corpus diuidatur in duo corpora, nec loca illa conueniãt in vnum locum.

CONSEQVENTIA videtur optima, quia ita se

habet locatum ad locum, sicut locus ad locatum. Antecedens verò certum est exemplis diuinæ Scripturæ de egressu corporis Christi ex clauso sepulchro, & alijs, quæ in sequenti difficultate tractabuntur.

QVIDAM tamen Catholici, arque in eis sanctus Thomas in 4. dist. 14. quæst. 2. articul. quæst. 3. existimant nó posse vnum corpus esse in duobus locis localiter, sed tãtùm Sacramentaliter, & ideò negant consequentiã argumenti adducti. Et rationem hanc reddunt, quia vnum est illud, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio: ex quibus conditionibus, prior, nimirum indiuisum esse in se, essentialis est, & inseparabilis; posterior autem, nimirum diuisum esse à quocunque alio, accidẽtaria est, & separabilis. Cùm autem duo corpora sunt in vno loco, tollitur tantùm posterior conditio vnitatis, ac proinde non destruitur vnitatis essentia: cùm verò vnum corpus ponitur in diuersis locis, tollitur prior conditio, ac destruitur tota essentia vnitatis.

SED hæc ratio, pace tanti Doctoris, nó est solida. Nam duplex est indiuisio in se, & diuisio ab alijs. Vna respectu loci, quæ extrinseca est, & planè accidentaria. Altera respectu rei ipsius, quæ intrinseca est, & vel est de essentia, vel certè proprietas quædam vnitatis. Iam igitur, quãdo duo corpora sunt in vno loco, non tollitur indiuisio à se, nec diuisio ab alijs intrinseca, sed extrinseca solùm quæ est respectu loci. Nam licet se penetrent duo corpora, sunt tamẽ duo diuersa, & distincta, quoad omnia principia essentialia, immò etiam, quoad accidentalia, excepto situ. Sic etiam, cùm vnum corpus est in diuersis locis, non tollitur indiuisio intrinseca, sed solùm extrinseca respectu loci: nam non diuiduntur principia intrinseca, quæ corpus constituunt, sed solùm diuiduntur situs, siue Vbi illius corporis.

ADDE, quòd si non posset esse vnum corpus localiter in duobus locis, quia diuideretur à seipso: profectò nec esse posset Sacramẽtaliter, eadem ratione. Licet enim esse alicubi Sacramentaliter, non dicat esse per loci occupationem; tamen dicit esse per realem, & veram præsentiam in pluribus hostijs, siue altaribus, quæ realis præsentia in tot altaribus, & non in locis intermedijs, non minùs tollere videretur indiuisionem rei, quàm repletio plurium locorum. Sed iam ad solutionem obiectionum veniamus.

CAPVT IV.

Soluuntur obiectiones, quibus aduersarij probare conantur, implicare contradictionem, vt vnum corpus sit in pluribus locis.

AVERSARII multa argumenta proponunt, ac primùm ex Scriptura, & Patribus duo argumenta proferunt. Primò, Caluinus *in* vlt. admonit ad Vvestphalum, vrget illam consequentiam Angeli, Matth. vlt. *Non est hîc, surrexit enim*, quæ consequentia infirma esset, si posset idem corpus esse in pluribus locis: posset enim discedere, & remanere.

SECVNDÒ, proferunt ea loca, vbi Deo tanquam proprium tribuitur, vt non circunscribatur loco, sed vbique sit: *Cælum & terram ego impleo.* Hierem. 23. Et cõfirmant ex patribus, qui probant Spiritum sanctum esse Deum, quia vbique est, iuxta illud Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo?* Vide Ambrosium 1. lib. de Spiritu sancto, cap. 7. Hieronymum, & Cassiodorum in Psal. citatum. Augustinum 3. lib. contra Maximinum, cap. 21. Basilium libr. de Spiritu sancto, cap. 22. Didymum lib. 1. de Spiritu sancto, Cyrillum lib. 7. Dialogo. de Trinit. At si corpus Christi posset esse in multis locis, eadem ratione posset esse in omnibus, & tamẽ nõ esset Deus; ergo ratio Patrum nihil concluderet. Præterea Patres qui scripserunt contra Eutychetem, probant humanam Christi naturam non esse

A

confusam cum diuina, quia diuina est vbique, humana autem etiam post resurrectionem certo loco circunscribitur. Vide Theodoretum dialog. 2. & 3. Vigilium lib. 1. & 4. cõtra Eutychetem, & Fulgentium lib. 2. ad Thrasymundum, cap. 17.

ADDIT Vviclef apud Vvaldensem Tom. 2. cap. 72. alium locum ex Augustino in epistol. 3. ad Volusianum, vbi Augustinus dicit, nullum corpus posse esse vbique totum. Posset denique addi alius locus ex lib. 20. contra Faustum, c. 11. vbi sic loquitur Augustinus de Christo secundum præsentiam corporalem: *Simul & in Sole & Luna, & in Cruce esse non potest.*

B

RESPONDEO ad locum Scripturæ: *Non est hîc, surrexit enim*; facilè responderi potest, duobus modis. Primò, consequentia illa Angeli optima est, sed si applicetur (vt applicanda est) ad mentem illarum sanctarum mulierum, cum quibus Angelus loquebatur: illæ enim quærebant corpus Domini mortuum in sepulchro, vt illud vngerent. Quare cùm Angelus ait: *Non est hîc*, sensus est: Non iacet mortuus in sepulchro, vt vos creditis. Et id probat, cùm addit: *Surrexit enim.* nec enim poterat mortuus iacere, si resurrexerat.

SECVNDÒ, consequentia illa optima est etiam absolutè, sed moraliter loquendo, vt Angelus loquebatur, non metaphysicè. Nam moraliter loquendo, qui resurgit à morte, non remanet in sepulchro, sed egreditur: sepulchrum enim est locus mortuorum, non viuentium; tamen fieri etiam potest, vt aliquis viuens in sepulchro iaceat, si velit. Itaque moraliter verissimè dixit Angelus: *Non est hîc, surrexit enim*; quanquam absolutè potuisset ibi esse Christus, licet surrexisset. Simile est si quis dicat. Talis homo non sedet ad mensam, cœnatus enim est.

C

AD alias Scripturas, & testimonia Patrum dico duas esse differentias inter Deum, & corpus Christi, quod pertinet ad existentiam in loco. Prima est, quòd Deus ex ipsa, ac de facto est vbique; corpus Christi, ex ipsa, ac de facto non est vbique, neque vnquam erit, sed vno in loco est localiter, nimirum in cœlo, in multis Sacramentaliter, in multis alijs, nullo modo. Et hoc sufficit ad saluanda argumenta Patrum de Spiritus sancti diuinitate, & de differentia naturarum, in Christo. Nam si solus Deus de facto est vbique, certè Spiritus sanctus conuincitur Deus esse, quia est vbique, & Christi humanitas conuincitur non esse confusa cum diuinitate, quia non est vbique. Secunda differentia est, quòd diuinitas non solùm est vbique, sed etiam non potest cõstringi ad vnum locum, immò non potest nõ esse vbique, cùm sit intrinsecè, & essentialiter immensa. At Christi corpus licet posset esse, & sit per Dei potẽtiam in multis locis, tamen potest etiam redigi ad vnum solum locum, quemadmodum ante Sacramenti institutionem in vno solo loco erat, & post mũdi consummationem *in* vno solo loco erit. Et hinc habemus, argumentum propositum optimè cõcludere cõtra Vbiquistas, sed nihil contra Catholicos. Nam Vbiquistæ docẽt, Christi corpus per vnionem ad Verbum semper reipsa, & de facto esse vbique, nec posse redigi ad vnum locum. Et hoc est, quod ex professo oppugnant, Theodoretus, Vigilius, & alij, qui scribunt contra Eutychetem.

D

AD locum autem ex epist. ad Volusianum, respõdeo, loqui Augustinum de corpore existente in loco naturaliter, id est, secundum modum naturæ suæ cõuenientem. Omne enim corpus quantum est, & quia quãtum, etiam extensum est, ita vt maior pars maiorem locum, & minor minorem occupet; & implicat planè cõtradictionem, vt corpus extensum maneat, & tamẽ sit totum in qualibet parte. Eodem modo in lib. 20. contra Faustum, loquitur Augustinus de corpore Christi. Manichæi enim, non arbitrabantur Christum esse vnum hominem, sed lucem quandam expãsam per Solem, Lunam, & omnia alia loca,

vt ibidem

vt ibidem Augustinus restatur: illum autem qui in forma humana crucifixus fuit à Pilato, dicebãt phantasma fuisse, non verum hominem. Quare Augustinus vtitur hoc dilemmate: Si Christus est Spiritus, seu phantasma, crucifigi non potuit: si autem est corpus expansum per Solem, Lunam, & alia loca, non potuit totus simul esse in Sole, & in Luna, & in cruce, quia corpus expansum per tot loca non potest totum esse in singulis locis. Quòd si Augustinus loqueretur de corpore Christi, vt est reuera, & non secundum sententiam Manichæorum, respondere possemus, eum loqui de corpore secundum ordinariũ cursum naturæ, & non secundum id, quod potest in illo facere omnipotentia Creatoris. Nam ibidem dicit, spiritum nullo modo pati posse in cruce, quod necessariò intelligi debet, secundum ordinarium cursum naturæ, alioqui Augustinus pugnaret secum, quippe qui libr. 21. ciuit. cap. 10. scribit spiritum pati posse ab igne corporeo per diuinam potentiam. Et certè si potest allegari spiritus igni corporeo, vt ab eo recipiat pœnam miris, sed veris modis, vt Augustinus loquitur, cur non posset alligari cruci, & ab ea pœnam recipere miris, sed veris modis? sed de hoc argumento satis.

A

SECVNDÒ, adferunt etiam philosophicas rationes. Ac primùm Ioan. Vvicleſus illo argumento vtebatur, Non potest aliquid simul esse in duobus temporibus, ergo nec in duobus locis.

SECVNDÒ, Caluinus, & P. Martyr argumentantur ab vnitate rei, Si vnum corpus sit in diuersis locis simul, erit vnum, & multa. Nam non cõtinuatur corpus vt est in altari, cum eodem, vt est in cœlo: ergo diuisum est; ergo non vnum: & tamen ponitur esse vnum; ergo vnum, & non vnum.

B

CONFIRMATVR primò, quia si ponatur corpus vnum in pluribus locis, erit in loco, & non in loco; nam erit in loco, immò in locis, vt ipsi ponimus, & tamen nó erit in loco: quia omne, quod est in loco, aut circunscribitur loco, aut saltem ita continetur, vt non sit alibi, quod Theologi vocant esse in loco definitiuè. At corpus Christi non ita est in cœlo, aut in altari aliquo, vt non sit etiam alibi, non igitur est in loco.

SECVNDÒ, quod incipit esse alicubi, vbi antea non erat, aut venit eò per motum localem, aut ibi generatum est. Sed corpus Christi non venit de cœlo ad altare per motum localem: quia quod mouetur localiter, deserit vnum locum, vt acquirat alium; Christus autem nunquã deserit cœlum, neque generatur in altari, nó enim potest id, quod est, fieri: non ergo potest fieri, vt sit Christus simul in cœlo, & in altari.

C

TERTIÒ, sequuntur multæ contradictiones, si idem corpus sit in pluribus locis. Nam poterit esse sursum & deorsum, proinde remotum, & non remotum ab eodem loco: item moueri, & quiescere, accedere ad vnum locum, & simul ab eo recedere: item poterit vno in loco summè calefieri, in altero summè frigefieri: vel etiã vno in loco vulnerari, & occidi, in altero benè valere, quę sunt apertissimè repugnantia.

RESPONDEO, de his argumentis rectissimè dici potest, quod ait Augustinus lib. 22. ciuit. cap. 11. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.* Nã quòd vna res nõ possit esse in duobus temporibus, non nascitur ex ipsa re, sed ex temporibus, quæ non possunt esse simul, cùm semper fluant: vnde non est simile in locis, quæ permanent. Ad illud autem de vnitate, iam antea responsum est, vnitatem essentialem rei non pendere ab vnitate loci, cùm priùs sit rem esse vnam, quàm esse in vno loco, sed pendere ab internis suis principijs. Itaq; imaginatio quidem non potest concipere vnum corpus in diuersis locis, sed ratio tamen iudicare potest, si sana sit, falli imaginationem, sicut fallitur dum Deum, vel animam non potest cogitare in diuersis locis, vel duo corpora in vno loco.

D

AD illud de continuatione dico, corpus Christi, vt est in altari, non continuari cum corpore, vt est in cœlo, nec tamen esse discontinuum, vel diuisum ab illo. Nam continuari & diuidi, est eorum, quæ multa sunt, siue sint tota quædam, siue partes eiusdem. Corpus autem, vt in cœlo, & in altari, non sunt duo tota, nec partes eiusdem, sed idem omninò totum.

At, inquientes, *intercedunt multa corpora inter corpus Christi, vt in cœlo, & vt in altari est; ergo discontinuum, & diuisum est à seipso.* Respondeo, hoc argumento rectè probari, loca ipsa esse discontinua, nimirum cœlum, & terram, & per hoc etiam corpus Christi diuisum esse à se respectu loci, sed non respectu propriæ substantiæ, siue quantitatis, vt suprà dictum est.

AD primam confirmationem responderet sanctus Thomas; corpus Christi esse in cœlo circunscriptiuè, in Sacramento autem non esse in loco, nec circunscriptiuè, nec definitiuè secundum se; tamũ ratione dimensionum panis esse circunscriptiuè in omnibus locis, vbi sunt hostiæ consecratæ.

AT quia nos existimamus, posse corpus Christi esse in pluribus locis etiam localiter, & visibiliter, ideò dicimus corpus idem posse esse circunscriptiuè, & etiam definitiuè in pluribus locis. Nam vt corpus sit circunscriptiuè in aliquo loco, tantùm requiritur, vt commensurentur illi loco, ita vt termini loci & locati sint simul: non autem requiritur vt non sint alibi, tanquam in alio loco, & hoc seruatur in præsenti. Nam corpus Christi in cœlo commensuratur loco suo, quem ibi habet, & quando simul erat in terra, cùm videlicet apparuit Paulo, commensurabatur loco suo, quem in terra, vel in aëre habebat. Itaque in vtroque erat circunscriptiuè.

DICES, si corpus aliquod commensuretur loco triũ cubitorum, & ponatur in duobus, vel tribus locis æqualibus, nónne occupabit spacium sex, vel nouem cubitorum? Quomodo ergo commensuratur, & circunscribitur loco trium cubitorum?

RESPONDEO, dupliciter potest intelligi, vt corpus trium cubitorum, occupet spacium nouem cubitorum. Vno modo, quia magnitudo talis corporis commẽsuretur tali loco, & hoc modo fieri non potest, vt corpus trium cubitorum, occupet spacium nouem cubitorum.

ALTERO modo, vt magnitudo talis corporis non commẽsuretur, nisi loco trium cubitorum. tamen eadem magnitudo, bis aut ter ponatur in loco: & hoc fieri posse contendimus. Idem dici potest de modo existendi definitiuè. Nam vt aliquid sit definitiuè in loco, satis est si definiatur certo quodam spacio, *ita vt in toto illo sit*, & nõ in maiori; siue sit in alio loco etiam definitiuè siue non. & hoc modo corpus Domini in qualibet hostia potest dici esse definitiuè, quia est in tanto spacio, quantum occupat hostia consecrata, & non in maiori. Quòd si quis contendat esse in loco tam circunscriptiuè, quàm definitiuè, id requirere, vt res nullo modo sit alibi, dicere possumus dari tertium modum existendi in loco, nimirum per solam præsentiam, quomodo Deus est in loco: & hoc modo esse in loco ea corpora, quæ per diuinam potentiam simul sunt in varijs locis.

AD secundam confirmationem dico, Domini corpus incipere esse in altari, vbi antea non erat, non per generationem, nec per motum localem, sed per couersionem panis in ipsum. Nec desunt exempla similia. Nam cùm homo per nutritionem augetur, anima rationalis incipit esse in materia illa addita, vbi antea non erat, & tamen non producitur anima noua, nec mouetur localiter, sed solùm incipit informare materiam sibi adiunctam, quam non informabat. Et contrà, cùm membrum aliquod abscinditur, anima desinit ibi esse,

& tamen nec perit, nec recedit localiter: sic etiam Deus cùm aliquid in mundo nascitur, incipit in ea re esse, & cùm illud perit desinit ibi esse, & tamen nec generatur, aut corrumpitur Deus, nec localiter accedit, aut recedit.

Ad tertiam confirmationem variè Theologi respondent. Alij enim existimant ex positione vnius corporis in diuersis locis, multiplicari respectus, nó autem absoluta; Vt verbi gratia, dicunt idem corpus in cœlo, & in terra existens, habiturum varias relationes, ita vt dicatur esse propinquum terræ, vt est hic, quàm relationem non habebit, vt est in cœlo, & contrà. At si hic calefiat, etiam ibi erit calidum, &c. Alij putant etiam absoluta multiplicari, & eousque progrediuntur, vt dicant, posse eundem hominem vno in loco ebrium esse, in alio sitire, immò in vno mori, in altero viuere.

Sed media via tutissima esse videtur, pro qua intelligenda, notandum est, vnum corpus in pluribus locis positum, habere vnum esse substantiale, sed multa esse localia. Ex quo fit, vt illa omnia multiplicari debeát, quæ consequuntur esse locale: illa autem non multiplicentur, quæ aliunde prouenium, quàm ex esse locali.

Ac primum relationes ad loca necessariò multiplicabuntur: quia cùm sit corpus verè in pluribus locis, & relatio terminetur ad ipsa loca, quæ plura sunt, non potest ipsa relatio non multiplicari. Itaque erit idem corpus sursum & deorsum; remotum & propinquum; poterit moueri ad locum, & quiescere in alio loco. Neque absurdum est in eodem subiecto esse contrarias relationes, cùm insint in eo subiecto per diuersa fundamenta, aut diuersas fundandi rationes. Nec tamen implicatur hic vlla contradictio.

Nam etsi possit dici propinquum, & remotum; & etiam remotum, & non remotum: sed sub diuersa ratione, vt nimirum est in diuersis locis: illa enim dicuntur contradicentia, quæ conueniunt vni respectu eiusdem, eodem tempore, loco, modo, &c. Ac ne mirum id esse videatur, exemplum adferre possumus animę humanę, quæ cùm in toto corpore, & in quolibet membro sit tota, certè vt est in capite, est remota à terra, vt est in pedibus, nó est remota: & si quis vnam manum moueat, altera quiescente, nónne etiam anima simul mouebitur, & quiesceret? Hæc igitur de relationibus ita se habent.

Idem porrò iudicium esse videtur de actionibus, quæ terminantur ad loca, vt si verbi gratia, vna facula ponatur in multis locis, omnia illa simul illustrabit, & si applicentur in omnibus locis combustibilia, omnia comburet. Itaque posset fieri per diuinam potentiam, vt vna facula totum mundum illustraret, si poneretur in pluribus locis. Nam causa cur vna facula posita in vno loco non illuminet ea, quæ procul absunt, est, quia illa nó sunt intra sphæram actiuitatis illius faculæ.

At si facula ponatur in pluribus locis, iam erunt illa omnia intra sphæram actiuitatis eius, nec propterea tamen sequeretur, faculam illam esse soli æqualem, aut agere vltra suam virtutem; nam ipsa sua virtute non illuminat, nisi modicum sibi proportionatum, sol autem sua virtute illuminat totum orbem: sed expositione in multis locis id illi faculæ accedit, vt multas habeat sphæras actiuitatis, omnes tamen exiguas, & sibi proportionatas. Et simile est omninò de corpore trium cubitorum, quod (vt suprà diximus) occupare potest spacium sex, & nouem cubitorum, non vnica extensione sua, sed quia sæpius illa extensio ponitur in loco. Atque hæc dicta sint de actionibus corporis locati, quæ recipiuntur in ipsis locis, vel alijs extrinsecis corporibus.

Contrarium porrò iudicium esse debet de his, quæ recipiuntur in corpore locato: quæ enim recipiuntur in corpore, siue sint actiones, siue qualitates, siue quæcunq; alia, non multiplicatur, quia corpus vnum est, non multa.

Itaque si corpus vno in loco calefiat, etiam in alio erit calidum; & si vno in loco sit prope ignem, in altero prope glaciem, nec summè frigefiet, sed eodem modo alterabitur, atque alteraretur, si in eodem loco applicarentur ei contraria illa egentia: & si vno in loco vulneretur, aut occidatur, in altero etiam vulneratum apparebit, & morietur: & si vno in loco comedat, in altero nó esuriet, etiamsi non comedat, quia idem est corpus. Sed de his satis multa dicta sunt.

CAPVT V.

Proponitur, & explicatur secunda difficultas; quæ in eo posita est, quòd corpus non occupet locum.

Antequam ad probationem secundi pronunciati veniamus, duo sunt obseruanda. Primum est, duas opiniones particulares falsas, & erroneas excogitatas fuisse in scholis, ob huius mysterij magnitudinem, quæ etiam nonnullam occasionem dederunt hæreticis huius temporis, argumenta subtiliora contra veritatem fidei obiiciendi. Vna fuit Durandi in 4. dist. 10. q. 2. qui probabile esse putauit in Eucharistia substantiam corporis Christi esse absque magnitudine, & argumenta fecit ad hoc probandum, quæ nunc etiam à Sacramentarijs fiunt, vt quod de essentia magnitudinis sit occupare locum, & alia, quæ postea adferemus. Altera sententia veterum quorundam, quam sine nomine refert, & refellit, Alb. in 4. dist. 13. art. 10. & quam postea sequutus videtur Okam in 4. q. 4. qui dicunt esse quidem in Eucharistia magnitudinem corporis Christi, quàm ipsi à substantia distingui re ipsa non putant, sed addunt, ita penetrari singulas partes cum omnibus alijs, vt nulla figura sit in corpore Christi, nec distinctio, & ordo partium corporis.

At sententia communis scholarum, & Ecclesiæ est, in Eucharistia totum Christum existere cum magnitudine, & omnibus accidentibus, & excepta relatione ad locum cœlestem, quam habet, vt est in cœlo, & ijs, quæ ad existentiam in eo loco consequuntur: & contrà in cœlo totum Christum existere cum magnitudine, & omnibus accidentibus, excepta relatione ad species panis, quam habet, vt est in Eucharistia: & præterea corporis Christi partes, & membra non se penetrare, sed ita distincta esse & disposita inter se, vt & figuram, & ordinem habeant corpori humano conuenientem. Ita docent Albertus, S. Thomas, Bonauentura, Richardus, Scotus, & alij in 4. distinct. 10. vel 13. & Alexan. 4. part. summæ, quæst. 10. m. 7. art. 3. & alij. Et hanc esse doctrinam Ecclesiæ dubitari non potest. Nam Ecclesia vniuersa, vt patet ex Concilio Trident, sess. 13. can. 1. non solùm corpus, & sanguinem, sed etiam animam, & diuinitatem, atque adeò totum Christum in Eucharistia esse docet. Certum autem est animam, & diuinitatem non esse in Eucharistia ex vi cõsecrationis, sed ex naturali concomitantia, quia vbi est vnum, ibi esse necesse est quidquid cum illo est vnitum. At magnitudo & figura, vnita sunt corpori Christi, & quidem naturaliter, & inseparabiliter, igitur & illa adsunt.

Præterea cùm Dominus ait: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, idē corpus manducandū dedit, quod ad mortē tradendum fuerat sequenti die: ad mortem autem non fuerat tradendum corpus sine magnitudine, & figura, & alijs accidentibus, quæ in ipsa magnitudine fundantur.

Ad hæc, in Eucharistia sub specie panis caro Domini propriè continetur, iuxta illud, Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Et rursus: *Caro mea verè est cibus.* Et illud Ecclesiasticum: *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit.* At certè substantia sine quantitate, & complexione quadam accidentium caro dici non potest.

Denique

Denique in Eucharistia non sola caro, sed etiam anima continetur, vt suprà ex Concilio Tridenti, probatum est. Atqui anima in corpore esse nequit, nisi disposito, & organizato: sine quantitate nulla esse potest dispositio, nulla organizatio; non igitur fieri potest, vt Durandi opinio cùm Ecclesiæ doctrina facilè concilietur. Sed hęc fusiùs tractanda Scholasticis relinquemus.

Secundò, obseruandum est, vt Ecclesiæ sententia planiùs intelligatur, magnitudini tria quædam cõuenire, quorum vnum ex altero sequitur. Primum est, extensam esse in se, & partem habere extra partem, ac proinde situ quendam intrinsecum, & ordinem, ac dispositionem partium; & hoc primum omninò essentiale magnitudini est. Quid enim est linea, nisi extensio in longitudinem? quid superficies, nisi extensio in longitudinem & latitudinem? quid corpus, nisi extensio in longitudinem, latitudinem, & profunditatem? Si tollas itaque extensionem, & partes, tolles pariter magnitudinem. Alterum est, coëxtendi loco, seu commensurari loco, & habere situm extrinsecũ in ordine ad locum: atque hoc posterius est, & ex primo sequitur, & ideò separari potest ab illo. Nam supremum cœlum reuera extensum est in seipso, & tamen nullum occupat locum, cùm à nullo corpore ambiatur. Tertium est, extrudere aliud corpus ex loco, seu non pati secum aliam magnitudinem in loco sibi adæquato: & hoc est posterius secundo, & ex illo sequitur. Ideò enim corpus vnum non patitur alterum secum, quia replet totum locum. Quia tamen semper posterius per Dei potentiam separari potest à priore, ita vt maneat prius sine posteriore, non contrà; quia non pendet prius à posteriore: inde est, quod secundum Catholicos, potest vnum corpus occupare locum, & tamen non expellere aliud; quæ dicitur propriè penetratio corporum.

His notatis, Catholicorum communis sententia est, in sacramento Eucharistiæ verè adesse totam magnitudinem corporis Christi, sed habere primam conditionem, quæ (vt diximus) essentialis est, non autem secundam, & tertiam, quæ separabiles sunt. Et quamuis in Sacramẽto, nulla sit propriè corporum penetratio, cùm desit secunda conditio: tamen existimamus posse etiam per Dei potentiam dari penetrationem, ita vt corpus aliquod habeat primam, & secundam conditionem sine tertia. Quæ quia aduersarijs impossibilia videntur, nunc ea probare aggrediemur duplici argumentorum genere. Quorum alterum sumitur ab omnipotentia Dei, quam Scripturæ prædicant. Alterum ab exemplis, tum à Scriptura, tum aliunde petitis.

CAPVT VI.

Posse corpus alicubi esse, & locum non occupare.

Primum igitur argumentum sumitur ab illis Scripturis, quę dicunt esse apud Deum omnia possibilia, Matthæi 19. Marci 14. Lucæ 1. Porrò inter illa omnia esse etiam id, de quo nunc agimus, probari potest ex principijs aduersariorum, vt suprà fecimus in probando alio Catholicorum pronunciato. Vide caput tertium.

Sed præterea probatur ex ipsa rei natura. Conuenit enim inter nos, non debere excipi ab eorum numero, quæ Deus potest facere, nisi ea, quæ implicant contradictionem. Corpus autem esse alicubi, & non occupare locum, vel occupare, & non expellere alterum, nullam implicat contradictionem. Nam id est implicare, repugnare essentiæ: non autem repugnat essentiæ magnitudinis, non occupare locum, aut non expellere alterum corpus. Id quod probatur; primò, quia occupare locum, est quid posterius ipsa magnitudine: priùs enim res in se magna est, & apta replere locum, deinde replet locum. Nihil autem posterius est de essentia prioris: essentiæ enim in indiuisibili consistunt. Secundò, potest magnitudo intelligi, atque etiam definiri sine loco, siue repletione loci; immò nemo hactenus in definitione magnitudinis posuit locum. Et quod maius est, potest esse sine loco, vt patet de vltima sphæra, & de corporibus, quæ sine dubio à Deo collocari possent supra conuexum vltimæ sphæræ: non igitur de essentia magnitudinis est, occupare locum. Tertiò, officium, seu functio non est de essentia vllius rei creatæ: solùm enim in Deo, qui infinitus & simplicissimus est, idem est esse, & agere. At replere locum, & expellere alia corpora, est officium magnitudinis, & functio quædam externa: non igitur ad essentiam pertinet. Quartò, ita se habet moles, seu extensio ad magnitudinem, vt se habet grauitas ad corpus graue. Nam vt magnitudo sua mole replet locum, & aliud corpus extrudit: ita corpus graue, sua grauitate ponderat, & alia corpora deprimit. At nón est de essentia grauis ponderare, vt patet, quia in propria regione aqua & aër non ponderant: igitur neque est de essentia magnitudinis, replere.

Alterum argumentum sumitur ab exemplis diuinæ Scripturæ. Primum exemplum est Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Et cùm Apostoli dicerent: *Quis ergo poterit saluus fieri?* Respondit Dominus: *Hoc apud homines, impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt.* Vbi Dominus, cùm dicit, possibile esse Deo, id quod difficilius est, significat esse etiam possibile id, quod facilius est: facilius autem esse dicit, vt transeat camelus per foramen acus: igitur hoc Deo possibile esse voluit. At non potest camelus transire per foramen acus, nisi locum non occupando: alioqui maius esset minus suo minore.

Et præterea quomodocunque hoc fiat, certè non minùs repugnare videtur rationi, vt camelus intret per foramen acus, quàm vt corpus Christi contineatur in parua specie panis: immò minor est proportio foraminis acus ad camelum, quàm hostiæ cõsecratæ ad corpus Domini, nisi quis dicat per camelum non intelligi magnum illud animal, quod camelum vocamus, sed funem nauticum, vt quosdam sensisse testatur Theophylactus in cap. 19. Matthæi. Sed tunc erit quidem minor proportio corporis Domini ad hostiam consecratam, quàm cameli ad foramen acus; tamen etiam hoc erit hominibus impossibile, vt Dominus dicit, & vt experiẽtia docet. Quis enim intelligat, qua ratione possit crassissimus funis, quales nautici sunt, per foramen acus transire?

Adde, quod expositio communis Patrum animal gibosum, nó funem nauticum intelligit. Vide Origenem, Hieronymum, Hilarium, & Chrysostomũ in Matthęum, & Augustinum lib. 2. q. Euang. q. 47. Adde etiam, quod funis nauticus Græcè scribitur per iota κάμιλος, vt est apud Suidam: in Euangelio autem scribitur per eta, κάμηλος, qua voce non funem, sed animal Græci intelligunt.

Quòd autem quidam dicunt, per foramen acus intelligi portam quandam angustam Hierosolymæ, per quã cameli intrare non poterant onusti, nisi magno labore genua flecterent, (quam sententiam Caietanus etiam approbauit) non solùm fabulosum est, & sine vllo fundamento assertum; nec solùm Patribus omnibus repugnat, sed etiam verbis Domini aduersatur, dicentis Luc. 18. *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Quomodo enim ista impossibilia sunt apud homines, si poterat arte humana fieri, vt cameli genua flecterent, & intrarent?

Ex eodem refellitur, quod Pelagiani dicebant apud Augustinum. epist. 89. quæst. 4. verba Domini esse intelligenda in sensu diuiso, non in sensu composito, ita vt impossibile sit diuitem, si maneat diues, ingredi in regnum cœlorum, non autem si abiectis diuitijs desinat

esse

esse dies; & eodem modo impossibile sit camelum, si maneat camelus, transire per foramen acus, non autem si extenuetur ad sili subtilitatem. Hæc, inquam, refelluntur ex eodem fundamento. Nam non est impossibile apud homines, vt camelus transeat per foramen acus, si desinat esse camelus, & conuertatur in subtilissimum filum. Quare augustinus epist. 89. q. 4. rectè docet, posse hominem diuitem, etiamsi non desinat esse dies, per Dei gratiam, & potentiam ingredi in regnum cœlorum; licet sine gratia Dei solis viribus naturæ non solùm impossibile sit, sed etiam valde impossibile: omnibus enim hominibus impossibile est sine gratia Dei saluari, sed multò magis diuitibus, quàm pauperibus. Idem etiam Augustinus, lib. de spiritu, & litera, cap. 1. apertè dicit, posse camelum per Dei potentiam transire per foramen acus, licet id nunquam sit factum, & núquam fortasse futurum. Quod idem affirmat Gregorius Nazianzenus, lib. 4. de Theologia, & Origenes in cap. 19. Matthæi, vbi dicit, quomodo id fieri possit, soli Deo esse notum.

ALTERVM exemplum Scripturæ est Ioan. 20. vbi Euangelista scribit, Christum venisse ad discipulos, cùm fores essent clausæ, & rursum post dies octo iterum ad eos intrasse ianuis clausis. Ex quo necesse est, vt corpus Christi, vel non occupauerit locum, cùm transiuit per ianuas clausas, vel se cum alio corpore penetrauerit: quorum vtrumque est impossibile viribus creatis, & intelligentiam nostram superat.

HVNC tamen locum deprauare semper hæretici conati sunt. Nam & Berengariani, teste Guitmundo lib. 3. negabant, Christum intrasse ianuis clausis: & nostro tempore Ioan. Oecolampadius Christum intrasse voluit per fenestram, aut alium aditum, cùm fores essent clausæ, nec eas penetrare posset; quod accepisse videtur à Durando in 4. distinct. 44. quæst. 6. qui satis temerè singulares suas opiniones in medium adducit. Ioan. Caluinus, lib. 4. Instit. cap. 17. §. 29. dicit, Christum diuina virtute sibi aditum patefecisse: atque id ipsum clariùs explicans in vltima admonit. ad Vvestphalum dicit, Christum intrasse ianuis clausis secundum Euangelium, quia non expectauit, donec Apostoli aperirent, sed ipse sua virtute ostium aperuit, vel etiam in nihilum redegit, & continuò restituit. Petrus autem Martyr. lib. contra Gardin. obiecto. 11. & 12. dicit, Christum intrasse per aditum patefactum, siue rarefecerit Dominus portas illas, siue etiam cedere iusserit.

AT hæ sunt meræ corruptelæ, & depravationes Euangelij. Nam inprimis Euangelista Ioannes miraculorum Domini diligentissimus enarrator, & qui alioqui non solet verba sine caussa multiplicare, magno studio addere curauit: *Ianuis clausis*, idque non semel, sed bis. At si per fenestram intrauit Dominus, aut aditu quocunque modo patefacto, nullum erit miraculum intrare ianuis clausis.

DEINDE Lucas cap. 24. eandem apparitionem narrans, dicit Dominum repentè constitisse in medio Apostolorum, & propterea spiritum esse putatum: quæ certè indicant, Dominum nullo strepitu facto, sed tota domo immota manente comparuisse.

PRÆTEREA, Patres communi consensu agnoscũt miraculum in eo, quòd Dominus corpus suum solidum per aliud solidum introduxerit. Vide Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum, Euthymium, Theophylactum in hunc locum Ioannis. Et præterea Iustinum quæst. 117. ad Orthodoxos. Ambrosium in cap. vult. Lucæ. Amphilochium apud Theodoretum in 2. dialogo. Epiphanium hæres. 64. Hieronymum in epist. ad Pammachium de erroribus Ioan. Hierosolymitani. Leonem epist. 10. ad Flauium. Gregorium homil. 26. in Euangelia. Bernardum serm. 1. de resurrect. & præter cæteros Hilarium, lib. 3. de Trinit. vbi videtur præuidisse impudentiam nostri temporis hæreticorum: *Integra, inquit, sunt omnia, & obstricta, sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt peruia. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili, ligna & lapides amittunt. Corpus Domini à sese non deficit, vt sese resumat ex nihilo; & vnde qui assistit, in medio est? Cedit ad hæc & sensus, & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti. Idcirco ergo, vt de natiuitate Domini fallimur, ita & de ingressu Domini mentiamur: dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus, & cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mendacium nostrum facti ipsius fides vincit. Assistit Dominus clausa domo in medio discipulorum, & Filius est natus ex Patre.*

ADDE, quòd Patres maximam habuerunt occasionem negandi, Christum intrasse per ianuas clausas. Nam Marcionitæ, Valentiniani, Origenistæ, & alij, qui negabant veram corporis resurrectionem, ex hoc loco argumentabantur; vt patet ex Cyrillo, Epiphanio locis citatis: non videtur enim verum corpus esse posse, quòd ianuis clausis intrare potest. Huic autem obiectioni facillimè occurrere potuissent Patres, si dixissent, Christum intrasse per fenestras, aut per ianuam à se antea patefactam, vel annihilatam: & tamen nulli vnquam ante Berengarij tempora ista solutio venit in mentem; immò contrà potiùs, ex hoc principio tanquam certissimo & explorato probabant alia dogmata. Nam Hilarius loco notato probat, non esse impossibile, Deum Filium ex Patre generari sine vlla substantiæ paternæ diminutione, quandoquidem corpus Christi potuit ingredi per clausas ianuas sine vlla læsione, vel sua, vel ianuæ.

TERTIVM exemplum est de Domini natiuitate. Exisse enim Dominum de vtero Matris clauso, inuiolata videlicet manente integritate carnis, colligitur ex verbo Dei, & à Patribus disertis verbis asseritur. Nam B. Mariæ virginitas in partu, habetur in symbolo Apostolico: *Natus ex Maria virgine.* Symbolum autem Apostolorum, verbum Dei esse non scriptum Catholici omnes fatentur, & hæretici nostri temporis non solent apertè symbolum illud reiicere. Et hęc veritas Symboli ex illa Scriptura colligitur Isaiæ 7. *Ecce Virgo cõcipiet, & parict Filium.* vbi dicitur non solùm Virgo conceptura, sed etiam Virgo paritura. Ezech. 44. describitur porta quædam clausa, per quam solus Dominus intrat, quam portam, vterum semper clausum Virginis Deiparæ esse docent, Ambrosius lib. de Instit. Virg. cap. 7. & Hieronymus, in commẽtario huius loci. Præterea Iouinianus hoc nomine inter hæreticos ponitur à Siricio & Ambrosio in epistolis, quæ sunt apud Ambros. 80. & 81. & Augustinus libro de hæresibus, cap. 82. quòd asseruerit, beatam Mariam pariendo fuisse corruptam.

IDEM Augst. lib. 22. ciuit. cap. 8. hoc ipsum probat alio simili miraculo, quod tempore ipsius accidit. Scribit enim fœminam quandam nobilissimam nomine Petroniam accepisse à quodam Iudæo annulum, in quo esset lapis quidam vtilis ad sanandum morbum nescio quem, quo illa vexabatur: fuisse autem annulum illum capillatio vinculo inuolutum, ac diligentissimè alligatum, sed cùm illa iret ad memoriam S. Stephani primi Martyris, apud quem verè curanda erat, ne tribueretur virtus miraculi alligaturæ Iudaicæ, repentè annulum illum ante pedes mulieris astitisse illæsum, illæso etiam vinculo, & vndique diligentissimè clauso. De hoc miraculo sic loquitur Augustinus: *Non credunt hoc, qui etiam Dominum Iesum per integra virginalia Matris enixum, & ad discipulos suos ianuis clausis ingressum fuisse non credunt. Sed hoc certè quærant, etsi verum inuenerint, illa credant. Clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat: ampla ciuitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt. Martyr certè, quo impetrante illa sanata est, in filiũ permanẽtis Virginis credidit, in eum, qui ostijs clausis*

ad discipulos ingressus est, credidit. Idem B. Augustinus in epist. 3. ad volusianum de vtroque isto miraculo disserẽs, id est, de ingressu in mundum per non reseratum matris vterum, & ingressu ad discipulos ostijs clausis, dicit in huiusmodi operibus totam rationem facti, esse potẽtiam facientis. Idem communi consensu docent alij Patres, qui etiam coniungunt hæc duo miracula, vt Gregor. Nazianzenus in Tragœdia, Christus patiens, Theodoretus Dialogo 2. Hieronymus in Apologia pro liberis contra Iouinianum. Maximus homil. 2. de Natali Domini. Gregorius homil. 26. in Euangel. Fulgentius in serm. de laudibus B. Mariæ, & Bernardus serm. 1. de resurrectio. Domini.

PVDET iam referre quid ad hæc Durandus vel Beza respondeant. Ille enim in 4. dist. 44. quæst. 6. dicit, integra quidem fuisse claustra pudoris, sed tamen dilatatas à Deo fuisse naturales meatus, ac per eos liberè Christum exiuisse. Iste autem in lib. de omnipotentia carnis Christi contra Brentium vltra medium, audet dicere, Virginis vterum reuulsum & apertum, Christo egrediente, sed continuò diuina virtute coaluisse partes vteri, vt etiam post partum Virgo dici posset.

AT quæro primùm, vndénam ista didicerint? nec enim Scripturam, aut Patrem vllum proferent. Deinde, si dilatati sunt meatus, non peperit Virgo sine dolore: dolor enim parturientium in sola illa dilatatione consistit. Immò (si verum diceret) supra omnes mulieres beata Virgo dolorem experta esset: grauiùs enim sentitur carnis reuulsio, quàm dilatatio. At ne Mahumetani quidem admitterent, beatam Virginem cum dolore peperisse. Præterea, si ita esset, vt isti dicunt, B. Maria non fuisset Virgo in partu, quia Virginem esse in partu, nihil aliud significare potest, quàm in ipsa actione pariendi inuiolatum illæsumque vterum permanere. At hoc negant isti, vt olim negabat Iouinianus. Nam quod Durandus ait, inuiolatam mansisse carnis integritatem, & solùm meatus dilatatos, iuxta doctrinam peritissimorum Medicorum, implicat cõtradictionem. Nam, vt Ioan. Fernelius docet, in 1. lib. de partium corporis humani descrip. cap. 7. integritatis virginalis amissio nó in fractione membranæ alicuius consistit, sed in sola dilatatione partium coniunctarum, seu contiguarum. Verùm nec post partum Virgo mansisset. Nam virginitas carnis semel amissa reparari nequit, vt rectè ait Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis. Nam etiamsi possint iterum cõiungi partes reuulsæ, tamen fieri nequit, quin reuulsæ fuerint, si reuulsæ fuerunt. Atqui esse Virginem, est nunquam fuisse corruptum.

SED obiicit Beza Ambrosium, & alios quosdam Patres, qui dicunt, Christum aperuisse vterum Matris cùm natus est. Sic enim scribit Ambrosius lib. 2. in Lucam. cap. 7. *Qui vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur Prophetæ, hic est, qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret.* Similia habet Origenes homil. 14. in Lucam, & Tertullianus in libro. de carne Christi.

AC de Tertulliano quidem ambiguum est, quid sibi voluerit, nec magni facienda est eius auctoritas, cùm contradicit alijs Patribus, cùm constet eum (vt Hieronymus loquitur) hominem Ecclesiæ non fuisse. De Origene, & Ambrosio, facilis solutio est: id enim solum docent, Christum sua virtute, non auxilio obstetricum, vel alia humana opera de vtero egressum, sed ipsum sibi aperuisse aditum. Porrò aperuisse sibi aditum per clausum vterum, non eum diuidendo, sed mirabiliter penetrando, docet idem Ambrosius locis suprà citatis. Sic enim ait in lib. de Instit. Virgin. c. 7. *Quæ est hæc porta, nisi Maria, ideò clausa, quia virgo? Porta igitur Maria, per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu: & genitalia virginitatis claustra non soluit. Mansit intemeratum septum pudoris, & inuiolata integritatis duraũre signacula, cùm exiret ex Virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non potest.* Et cap. 8. *Hæc porta clausa erit, & non aperietur: bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur: transiuit per eam Christus, sed non aperuit.* Origenes quoque tract. 26. in Matth. asserit, B. Mariam etiam post partum virginem fuisse.

QVARTVM exemplum est de egressu Domini ex clauso monumento. Nam vt colligitur ex Matthæo cap. 28. & Marco cap. 16. lapidem ab ostio monumenti non reuoluit Christus, cùm resurrexit, sed post resurrectionem Angelus de cœlo descendit, & reuoluit lapidem, vt ostenderet sanctis mulieribus, quæ Christum vngere volebant, monumentum vacuum esse. Vnde S. Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæst. 6. docet, nulli hominum notam esse horam, qua Dominus resurrexit, cùm tamen ex Euangelio satis constet, qua hora fuerit lapis reuolutus à monumento.

AD hoc argumentum Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 29. Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, obiecto 11. & Theodorus Beza in libro de omnipotentia carnis Christi suprà citato, non negant Christum surrexisse, atque exiuisse de monumento, antequam lapis amoueretur per Angelum: licet existiment probabilius esse, amotum priùs fuisse lapidem: sed more suo respondent eodem modo, quo ad superiora, nimirum diuina virtute lapidem cessisse, vel annihilatum, & continuò restitutum.

SED ista non possunt ipsi probare, nisi propria auctoritate, cui nos obiicimus testimonia Patrum, qui in eo ponunt miraculum, quod per clausum sepulchrum verum corpus exiuerit. Iustinus quæst. 117. Nazianzenus in Tragœdia, Christus patiens, Chrysostomus homil. de S. Ioanne Baptista. tom. 3. Hieronymus in epist. ad Hedibiã, quæst. 6. Augustinus serm. 138. de tempore, qui est tertius de resurrectione. Beda homil. in vigilia Paschæ. Euthymius in capit. 28. Matth. Bernardus sermo. 1. de resurrectione.

QVINTVM exemplum est de Ascensione Christi & beatorum in cœlum. Nam fide certissima tenemus, Christum ascendisse super omnes cœlos, Ephes. 4. & similiter corpora beatorum post resurrectionem ascensura. Nulla autem est in cœlo ianua, nulla fenestra, nulla rima, per quam supra cœlum ascendi possit, & vt dicitur Iob. 37. *Solidissimi quasi ære fusi sunt cœli.* Necesse igitur est, vt possint plura corpora esse in eodem loco.

AD hoc argumentum id solum responderi posse videtur, quod respondet Durandus in 4. distinct. 44. quæst. 6. diuina virtute cœlum diuidi, quando corpora beatorum illuc ascendunt.

AT si cœlum natura sua solidum est, & incorruptibile, vt ferè omnes hoc tempore Theologi, & Philosophi docent, certè probabile non est, tot foramina in cœlo esse facienda, quot corpora beatorum ascendent, præsertim cùm illa plurima sint futura. Sed quidquid de hoc sit, de corpore Christi non nisi temerè dici potest, cœlos omnes disruptos fuisse, cùm ipse ad Patrem ascenderet. Nam primò, Scriptura nusquam id habet; immò contrarium insinuat. Hebr. 4. cùm dicit, Christum penetrasse cœlos. Et sanè tam nouum, & inauditum miraculum sine Scripturæ testimonio affirmare, mirum est, si non insignis temeritas iudicetur, præsertim apud eos, qui nihil credere volunt, nisi quòd in diuinis literis continetur. Secundò, si corpus Christi clausis ianuis in cœnaculum intrauit, vt ex Scriptura antè probauimus, cùm tamen facillimè potuisset eas aperire: quantò credibilius est non disrupto cœlo, quod natura sua disrumpi nequit, idem illud corpus suprà sydera collocatum?

NEQVE his repugnat quod in Scriptura sæpe legimus, apertum vel diuisum esse cœlum, vt Matth. 3. Ioan. 1. Actor. 7. & 10. & Apocalyp. 19. Nam Scriptura in his locis loquitur de apertione cœli secũdum apparentiam, ac metaphoricè: significat enim speciem quandam in

cœlo apparuisse, ac si diuideretur. Non fuisse autem reales cœli diuisiones, vel ex eo colligi potest, quòd eodem modo loquitur Scriptura de apertione cœli, quæ facta est in sola imaginatione & intelligentia, qualis est illa, quæ describitur Act. 10. & Apocalyp. 19. & de ea, quæ facta est in oculis corporalibus, Matth. 3. Ioan. 1. & Act. 7. constat autem illam priorem non fuisse realem. Deinde, nulla fuit caussa, cur cœlum diuidi deberet. Nam Matth. 3. dicitur diuisum cœlum, cùm de cœlo Spiritus sanctus descendit in forma columbæ: at neque Spiritus sanctus egebat cœli apertione, vt descenderet, cùm sit vbique; neque ea columba de cœlo propriè dicto missa est, sed in aëre, & ex aëre producta fuit: tamen vt intelligerent homines, rem illam fuisse diuinam, ita apparuit, quasi è summo cœlo missa fuisset. Ioan. 1. dicit aperiri cœlum ob descensum Angelorum. Angeli autem cùm spiritus sint, omnium cõsensu, per quælibet corpora penetrare possunt. Act. 7. aperitur cœlum, vt S. Stephanus videat Christum in dextera Patris. At neque tum vlla ratio fuit, cur cœlum scindi deberet. Nam aut oculis corporis, aut oculis mentis vidit Stephanus Christum; cœlum autem cùm sit perspicuum, aut diaphanum, neutram visionem impedire poterat. Itaque vocata est eo loco apertio cœli, non scissio corporis cœlestis, sed noua quædam illustratio, qua factum est, vt oculis Martyris appareret, quod antea non apparebat: quemadmodum Lucę vltimo dicuntur aperti oculi duorum discipulorum, quando Dominum agnouerunt; non quod antea clausos habuerint, sed quia agnouerũt quem antè cognoscere non potuerant.

A

Sextvm exemplum est de pœnis damnatorum: sunt enim in his pœnis multa miracula difficiliora, vel æquè difficillima, atque est hoc de quo agimus. Ac primùm quod corpora damnatorum ab igne corporali comburantur, & verè, ac realiter torqueantur, & tamen non dissoluantur: nam dolor corporalis ad dissolutionem corporis tendit. Si est igitur in illis pœnis verus dolor corporalis, quomodo nunquam dissoluitur corpus? si nulla dissolutio, vnde dolor? Itaque Ethnici hæc ridebant, vt impossibilia, & tamen Catholici non propterea voluerunt vnquam spiritualiter, vel metaphoricè interpretari illa supplicia, certò persuasi Deum posse facere supra id, quod cogitare possumus, vel intelligere.

B

C

Deinde, non minùs difficile videtur, vt spiritus teneatur, & impediatur à corpore, & transeat quocunq; voluerit, quàm vt corpus non teneatur, nec impediatur à corpore, sed liberè transeat per solida corpora, ac si nulla essent: non enim minùs conuenit naturæ spirituali non posse impediri, quàm corporali posse impediri. At diuina potentia alligat spiritus hominum, & etiam Dæmonũ in gehenna certis locis & corporibus, quasi carceribus, vt nullo modo egredi valeant. Et quid opus est in gehennam descẽdere, vt hoc miraculum videamus: annon potest vnusquisque in seipso id cernere? siquidem animus noster spiritus est per se existens, & à corpore independens, & tamen tam mirabili artificio est inclusus à Deo in corpore mortis huius, quasi in carcere, vt nõ possit inde egredi, nisi priùs corporis constitutio dissoluatur.

D

Denique, illud est supra modum mirabile in pœnis damnatorum, vt non solùm animæ, ac dæmones teneantur ab igne corporali, sed etiam affligantur, & torqueantur: quod tam difficile est, vt adhuc nemo inuentus sit, qui rationem huius rei, in qua alij acquieuerunt, reddere potuerit. Nam si ignis incendium nõ affligit, nisi (vt diximus) dissoluendo continuum: quomodo potest intelligi, vt affligat indiuisibilem spiritũ? Vide de hoc toto argumento Augustinum lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 2. 3. 4. 5. 6. & 10. vide etiam epist. 49. ad Deo gratias, quæst. 6. vbi Augustinus quosdam reprehendit, qui quædam miracula Christianæ religionis credebant, quædam credere nolebant. Id enim rectissimè in Sacramentarios conuenit: deberent enim, aut omnia credere, quæ ex diuinis literis Ecclesia proponit, aut omnia negare.

Septimvm exemplum sumitur à multis rebus similibus. Nam non magis conuenit corpori quanto occupare locum, quàm graui ponderare colorato videri, lucido lucere, calido calefacere. Sed potest Deus efficere, vt graue non ponderet, vt coloratum non videatur, etiamsi sit in lumine, & medium sit diaphanum, & oculi astantium sint aperti, & intuenti, & lucidum non luceat, & calidum non calefaciat: cur igitur facere non poterit, vt corpus quantum non occupet locum?

Assvmptio perspicua est in diuinis literis. Nam Matth. 14. Christus, & Petrus cùm adhuc corpora mortalia haberent, super aquas ambularunt: & Iosue 3. aquæ Iordanis non modò non descendebant, sed etiam ascendebant, & instar montis eleuabantur, dum transiret populus Dei: & simile miraculum describitur à S. Hieronymo in vita B. Hilarionis. Christus item non semel inuisibilem se fecit, ita vt à vicinis hominibus non videretur, cùm tamen ibi esset, neque colorem amisisset, neque aliquid inter se & illos opposuisset. Luc. 4. *Ipse autem trãsiens per medium illorum ibat.* Et Ioan. 8. abscondit se, ne lapidaretur: non autẽ se abscondit in aliquo angulo, quod nec decebat eum, nec poterat commodè fieri, cùm esset in media turba, & omnium oculi in eum conjecti. Et Luc. vltimo, cùm euanuit ex oculis eorum. Et quibus locis Marcionitæ probare nitebantur; Christi corpus non verum, sed phantasticum fuisse, vt B. Hieronymus refert in epistola ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani, quibus ipse B. Hieronymus respõdet, verũ fuisse corpus Domini, sed diuina virtute se inuisibile facere potuisse, qua etiã per ianuas clausas potuit penetrare. Idem etiam Domini corpus post resurrectionem sole isto cœlesti lucidius est, vt Paulus testatur Act. 26. qui & ex eius aspectu excæcatus fuit; & tamen sæpius apparuit Apostolis, & cùm eis familiarissimè conuersatus sine vllo insolito splendore. Potuit ergò id efficere, vt corpus lucidum non luceret, & sicut de corpore suo fecit, ita prorsus de sole isto cœlesti facere posset, si vellet. Denique ignem diuina virtute non calefacientem habemus Dan. 3. & sæpe idem legimus in historijs Sanctorum. Qui ergo potuit tam multa æquè difficilia, cur non poterit hoc vnum de quo ambigimus?

Respondet Petrus Martyr ad hoc argumentum in libro contra Gardinerum, obiecto 12. ac dicit, non esse similia exempla, quæ adducimus: siquidem facilè fuit Deo suspendere grauitatem corporis, ne mergeretur in aquis, & actionem ignis, nè calefaceret: non enim propterea destrui naturam corporis, aut ignis: sed vt corpus sit præsens, & non occupet locum, non posse fieri sine destructione corporis.

At nostrum argumentum, non est nostrum, sed Patrum, qui illam ipsam consecutionem probant, quam Petrus Martyr improbat. Nam Iustinus quæst. 117. ad Orthodoxos: Hieronymus in epist. de erroribus Ioãnis Hierosolymitani, & in epistola de obitu Paulæ; Augustinus in lib. de agone Christiano, cap. 24. & Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 53. qui obiicientibus hæreticis nõ potuisse Christi corpus intrare per clausas ianuas, obiecerunt exemplum de ambulatione Christi, & Petri super aquas. & Augustinus lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 18. & lib. 22. cap. 4. & 11. multum laborat, vt respondeat Gentilibus, qui putabant, fieri nullo modo posse, vt corpora terrena, id est, humana, post resurrectionem suprà aërem ascenderent, cùm ipsa grauiora sint aëre.

Præterea ratio planè conuincit, exempla esse similia. Nam tota ratio cur possit diuina potentia fieri, vt graue non ponderet, lucidum non luceat, calidum non calefaciat, coloratum non videatur, est, quia caussa est

prior effectu, & proinde ab eo non pendet, & sine illo esse potest. At eadem ratio valet in magnitudine, quæ est caussa, & occupatione loci, quæ est effectus. Neque multum interest, sitne caussa formalis, an efficiens, quod ad rem præsentem pertinet. Nam etiamsi effectus formalis à sua propria caussa separari nequeat, & ideò non possit à Deo suppleri, possit autem effectus efficientium caussarum: tamen caussa ipsa quæcunque, etiam formalis, sine suo effectu esse potest, cùm nulla caussa ab effectu pendeat. Adde, quòd grauitas in eodem genere caussæ dat corpori graui ponderare, in quo moles dat quãto replere: & tamẽ fatetur Petrus Martyr, posse Deum facere, vt corpus graue etiam extra regionem suam non ponderet.

A

Qvod autem videatur destrui natura corporis (vt dicit Petrus Martyr) si non occupet locum, idem etiam videtur in exemplis allatis. Nam si lapis ingens marmoreus, Deo impediente grauitatis officium, duobus digitis attolli posset, & instar plumæ huc atque illuc iactari, quis non diceret, illud videri marmor, sed non esse? Et si ignis ardens, Deo impediente actionis calorem, manibus tractari posset sine vllo sensu caloris, quis non diceret depictum illum esse, non verum ignem? Et si niuem candidissimã manibus tractaremus, & tamen videre non possemus, quis non arbitraretur se deludi? Denique si solem in medio cœlo conspiceremus non lucentem, & nihil tamen interpositum esse videremus, quis non assereret naturã solis mutatam esse? Si igitur fieri possunt ista omnia sine destructione naturæ, vt Petrus Martyr affirmat, licet ignorantibus miraculum videatur omnino destrui natura in eiusmodi suspensione caussalitatum: cur non idem fieri poterit in magnitudine locum non occupante?

B

CAPVT VII.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

C

Duo sunt aduersariorum argumenta præcipua. Vnum ex Augustino in ep. 57. ad Dardanum, quod & à Caluino, & à Petro Martyre millies repetitur: sic enim Augustinus loquitur: *Non potuit obtinere quantitas corporis, quod potuit qualitas, nam ita distantibus partibus, quæ simul esse non possunt, quoniam sua quæq; spatia locorum tenent, minores minora, & maiora maiores, non potuit esse in singulis quibusque partibus tota, vel tanta, sed amplior est quantitas in ampliioribus partibus, breuior in brenioribus, & in nulla parte tanta, quanta per totum.* Et infrà: *Spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erũt, & quia nusquam erunt, nec erunt.* Et suprà iam dixerat, destrui naturam humanam Christi, si nõ detur ei certum spatiũ, quo more aliarum rerum corporatarum contineatur.

D

Respondeo, Augustinus in ea epistola quædam dicit de corpore Christi, quædam de corporibus generatim, quæ non sunt confundenda. De corpore Christi docet, illud non esse vbique diffusum, ita vt forma, & figura humana careat, id enim esset naturam eius destruere. Sic enim loquitur initio epistolæ: *Hinc fortasse intelligendum dicis, Paradisum quasi in aliqua cœli parte compositum, aut quia vbique Deus sit, hominem quoque illum, qui in Deo sit, vbique esse diffusum.* Et infrà hoc ipsum refellens: *Sic venturus est*, inquit, *illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus: cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod est in Deo, ita sit vbique vt Deus.* Hæc ille: nec alia dicit de corpore Christi in particulari.

Hæc autem directè pugnant cum sententia Vbiquistarum Lutheranorum, qui per vnionem hypostaticam, ita Christi corpus vbique diffusum esse volunt, vt nusquam seruet figuram, formam, & situm humano corpori conuenientem: quod est (vt Augustinus dicit) destruere naturam humanam Christi. At nos fatemur Christi corpus non esse vbique diffusum, & vbicunque est, habere suam formam, & figuram humanam, & partium situm, ac dispositionem; quamuis hæc figura, forma, dispositio partium in cœlo conspiciatur, vbi locum replet, in Sacramento autem sit quidem, sed non repleat locum, nec videri à nobis possit: quemadmodum etiam vt suprà diximus, non caruit figura, & forma Christus, cùm se non semel inuisibilem fecit; neque carne, & ossibus caruit, quando super aquas ambulauit, & per clausas portas intrauit.

Iam verò de corpore generatim duo dicit Augustinus. Primò corpora magnitudinem habentia extensa esse, & habere certum ordinem partium, & proinde non posse fieri vt tanta sit magnitudo vnius partis, quanta totius: vel tanta in paruo corpore, quanta in magno: cuius contrarium videmus nõ solùm in rebus spiritualibus, sed etiam in qualitatibus corporalibus. Nam eadem anima, & tota potest esse in parte corporis, & in toto corpore, & similiter in paruo corpore, & in magno; & potest fieri, vt tantus sit candor, vel calor in parte corporis, quantus in toto, immò etiam vt maior sit candor, vel calor in paruo corpore, quàm in magno.

Qvae omnia verissima sunt, & nihil pugnant cum sententia nostra de Eucharistia, quia solùm requirit Augustinus, vt omne verum corpus sit extensum in se, non autem, vt necessariò coëxtendatur loco. Quòd si in verbis Augustini primo loco allegaris ab hæreticis, fit mentio loci, id fit, quia à posteriori probat Augustinus corpus in se extensum esse ex eo, quòd occupat certum spatium loci, sed non inde sequitur non posse extensum esse in se, nisi occupet locum. Ac per hæc explicata manent prima verba Augustini suprà citata: *Non potuit obtinere quantitas, &c.*

Secvndò Augustinus dicit corpora ita esse in loco, vt pendeant à loco, cùm è contrario Deus ita sit in loco, vt non pendeat à loco, sed potiùs locus pendeat à Deo. Sed hoc dictum intelligendum est de corporibus, quæ sunt infra cœlum, & quatenus naturaliter existunt: nam alioqui falsum esset. Siquidem, vt sæpe diximus, vltimum cœlum non est in spatio, vel loco aliquo, sed est in seipso, & in Deo: & sicut vltimum cœlum non eget vllo spatio, in quo sit, ita posset sine dubio Deus conseruare alia corpora sine spatio, tametsi naturaliter egeant spatio.

Nequę mirũ, aut durum videri debet, dictum Augustini non esse verum absolutè, sed solùm cum duabus illis limitationibus: id enim abunde sufficit proposito ipsius, solùm enim docere volebat, Deum ita esse in loco, vt nõ pendeat à loco. Vt autem ostenderet, quid sit esse in loco, & non pẽdere à loco, explicuit per contrarium, quod est nobis notius, id est, per exẽpla corporũ, quæ ita sunt in loco, vt pendeãt à loco: ad huius autẽ exẽpli veritatem, satis est, si quædam corpora non possint naturaliter existere nisi in loco sint. Atque hinc explicata manent illa alia verba: *Spatia locorum tolle corporibus, &c.*

Altera obiectio Philosophica est: niuntur enim ostendere, destrui essentiam quantitatis si alicubi ponatur, & tamen non occupet locum. Sic enim Caluinus argumentatur lib. 4. Instit. cap. 17. §. 29. *Hæc est propria corporis veritas vt spatio contineatur, vt suis dimensionibus constet, vt suam faciem habeat: faceſſat igitur ſtultum illud commentum, quod tam mentes hominum, quàm Christum pani affigit.* Secundò Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, obiecto 74. probat quædam esse ita intrinseca rei, vt licet sint posteriora, tamen separari nequeant vllo modo: *Nã facultas intelligẽdi est posterior ipsa hominis essentia,*

cùm illa qualitas, ista substantia sit, & tamen non potest separari ab homine facultas intelligendi, neque enim homo erit, si ratione careat. Similiter quantitas est posterior corporata substantia, & tamen separari nequeunt, sine interitu substantiæ. Sed occupare locum, est quadam intrinseca proprietas quantitatis, ergo separari non poterit à quantitate, licet posterior sit. Tertiò idem ibidem argumentatur: *Nõ potest separari quaternarius à modo quaternarij, ita vt existat per modum vnitatis, ergo nec poterit linea, aut alia quãtitas continua separari à modo suo, ita vt existat non extensè, sed indiuisibiliter.* Huc pertinet aliorum etiam argumentum, quod sit quartum: *Non potest substantia existere nisi substantialiter, ergo nec quantitas, nisi quantitatiuè:* & aliud quod sit quintum: *Non potest vllo modo spiritus indiuisibilis existere per modum corporis diuisibiliter, & extensè, ergo nec potest corpus diuisibile existere vllo modo per modum spiritus indiuisibiliter.* Sextum: *Videtur implicare contradictionem, vt corpus trium cubitorum contineatur sub dimensionibus frustuli panis vnius digiti: nam si ita fiat, erit idem corpus maius, & minus, & proinde maius, & non maius respectu eiusdem.* Septimum: *Si corpus Domini suam habet in Eucharistia figuram, & partium distinctionem, & ordinem: ergo distant pedes magis quàm pectus à capite. At distantia maior, & minor sine relatione ad locum intelligi nequit: illa enim magis distãt inter se, inter quæ maius interuallũ interiectũ est.* Octauũ: *De essentia quãtitatis est habere partẽ extra partẽ, ergo vbi est vna pars, nõ est alia: non igitur tota quãtitas corporis Domini in eadẽ hostiæ particula esse potest.*

A

Sed hæc omnia solui possunt ex fundamentis iactis c. 5. Ad primum igitur Caluini argumentum. Respondeo illum admisisse vera falsis, vt aliquid dicere videretur. Nam quod ait ad corporis veritatem requiri, vt suas dimensiones, & suam faciem habeat, verum est: neque nos dicimus, Christi corpus in Eucharistia dimensionibus, aut facie carere. Quod verò addit, requiri etiam, vt spatio contineatur: falsum est, vt suprà ostendimus. Et sanè si ex tota hac aula, in qua nunc sumus, Deus totum aërem auferret, nec alium ingredi pateretur, nos omnes retineremus dimensiones nostras, & facies, & tamen nec spacio contineremur, nec vllus alterius faciem videret.

Ad secundum Petri Martyris dici posset inprimis, illa non esse similia, quæ ipse vt similia adducit. Nam replere locum ast actus quidam, non potentia, at facultas intelligendi est potentia, non actus: & magis absurdum est, rem carere potentia, quàm actione. Vnde nos qui dicimus, quantitatem aliquando diuino miraculo non replere locum: tamen simul dicimus, illam ex se aptam esse replere locum, & repleturam, si suæ naturæ relinquatur.

Deinde etiam respondeo facultatem intelligendi per diuinam potentiam tolli posse, nec tamen inde sequi, vt homo desinat esse homo, sed tantùm, vt desinat exercere, quæ hominis sunt, quia instrumentis actionum humanarum careat: quemadmodum infantes, ac moriones homines sunt, quia rationabilem animum possident, licet non minùs careant vsu intelligendi, quàm si facultatem illam penitus non haberent. Quod idem dico de substantia, & quantitate; licet enim naturaliter seiungi nequeant, tamen nullam inuoluit contradictionem, vt vnum sine altero sit.

Ad tertium eiusdem respondeo quaternarium non posse separari à modo quaternarij essentiali, sed posse ab accidentario, id est, non potest fieri vt quaternarius redigatur ad essentiam vnitatis, ita vt quatuor homines sint vnus homo: sed potest fieri, vt redigatur ad locum vnitatis, ita vt quatuor homines occupent locum vnius hominis. Et eodẽ modo non potest linea, vel corpus separari à modo suo essentiali, ita vt fiat in se indiuisibile, sed potest tamen separari à modo accidentario, ita vt non occupet locum diuisibilem.

Ad quartum de substantia, quæ nõ videtur posse existere, nisi substantialiter, respondeo eodem modo, substãtiam non posse separari à modo suo essentiali, quod fieret, si inhæreret in subiecto more accidentiũ: tamen posse separari à modo suo intrinseco, & proprio, sed non essentiali, qui est per se existere. Nam substantia humanitatis Christi, ab isto modo separata est, cùm existat in verbo, & non habeat propriam subsistentiam: sic igitur, & quantitas non potest existere nisi quantitatiuè, quantum ad essentialẽ modũ, quia non potest existere sine extẽsione, & partium distinctione in se, tamẽ benè potest existere non quantitatiuè in ordine ad locum, vt sæpe diximus.

B

Ad quintum de spiritu & corpore, Respõdeo, ex eodem principio colligi posse, cur non possit spiritus extendi in loco, & possit corpus non extendi. Nam extendi in loco est effectus formalis extẽsionis in se: ideò enim potest aliquid extendi in loco, quia in se est extensum; non è contrario. Potest autem caussa formalis ab effectu separari, non contrà, effectus à caussa, quia caussa prior est, effectus posterior. Hinc igitur potest corpus in se extensum non extendi in loco, quia per hoc separatur tantùm caussa ab effectu: non autem potest spiritus in se indiuisibilis extendi in loco, quia per hoc poneretur effectus formalis sine caussa, & posteriùs sine priore, quod fieri nequit.

Ad sextum respondeo, si consideremus dimensiones corporis Christi seorsim, & dimensiones hostiæ cõsecratæ, maiores multò esse illas, quàm istas, tamen si consideremus easdem corporis Domini dimensiones, vt sub specie panis ineffabiliter continentur, non esse maiores nec minores, quia non commensurantur illæ istis, sed existunt sine ordine ad locum, eo modo ferè quo anima est in corpore, quæ nec minor, nec maior corpore dici potest.

Ad septimum respondeo distantiam, quæ est inter membra corporis, quatenus in se extensum est, non esse distantiam localem, sed alterius cuiusdam generis: dicuntur enim ea distare inter se, quæ non sunt immediatè coniuncta, & ea magis distare, inter quæ plura sunt interiecta, nõ interualla, sed membra. Quod perspicuè cernitur in corpore humano, quod supra cœlum collocatum esse cogitare possemus: in eo siquidem distarent pedes à capite, non per spatium locale, quod ibi nullum est, sed per interiectionem pectoris, aliorúmque membrorum.

C

Ad octauum, quod omnium videtur esse difficillimũ ob ingenij humani imbecillitatem, respondeo, corpus quantum habere partem extra partem, si illud (extra) dicat habitudinem ad subiectum: non autem, si dicat habitudinem ad locum. Et similiter cùm in argumento colligunt; Ergo vbi est vna pars, non est alia, dico rectè colligi, si illud (vbi) dicat situm internum partium in subiecto, non autem, si dicat situm in loco, & hoc modo intelligitur quod ait Philosophus in prædicamento quantitatis, quandam speciem quantitatis constare ex partibus habentibus positionem: loquitur enim de positione in toto, siue subiecto, non de positione in loco.

D

Sed contra solutionem quidam acutè instant, Corpus quantum habet partem extra partem in ordine ad totum seu subiectum; ergo & in ordine ad locum. Probatur consequentia. Nam pars corporis coëxistit certæ parti loci: vel ergo eidẽ parti loci coëxistit alia pars corporis, vel nõ; si nõ, ergo etiam in loco habet corpus illud partẽ extra partem, & proinde non est totum in qualibet parte: si coëxistit, ergo etiam inter se partes corporis coëxistunt. At hoc fieri nequit, cùm inter se distent, & vna sit extra aliam, vt dictum est.

Respondeo, Nego primam illam consequẽtiam. Ergo & in ordine ad locum habet partem extra partem. Ad probationem dico, duas partes corporis, coëxistere eidem parti loci. Cùm infertur, Ergo coëxistunt etiam inter se, dico coëxistere etiam inter se in loco, non

tamen

tamen in subiecto, cuius ratio est sæpe reddita, quia videlicet extensio, & distinctio partium in subiecto non impeditur, nec impediri potest, cùm sit essentialis: extensio, & distinctio, quoad locum, impediri possit, & reipsa impediatur à Deo, cùm corpus Domini in Sacramento manet. Sed de his satis.

A

CAPVT VIII.

Ostenditur Deum voluisse, & fecisse, vt reipsa corpus Domini in Eucharistia præsens adesset.

Demonstravimvs hactenus, non esse impossibile Deo, corpus Domini in Eucharistiæ Sacramento verè ac realiter cõstituere: sequitur vt videamus, an voluerit id facere. Et Sacramentarij quidem vno ore Deum noluisse dicunt, quidquid tandem de potentia sit: id verò non aliter probant, nisi quia non videtur id neque vtile, neque decens. At nos habemus omissis etiam Scripturis, & Patribus, testimonia credibilia nimis, & ad quæ nihil omnino responderi possit ab iis, qui Christianæ fidei nomen dederunt.

B

Ac primum quidem argumentum sumitur à natura, & conditione hæresis. Illa enim tam apertè quadrat in opinionem Sacramentariorum, vt nulla sit in mundo hæresis, si illa non est hæresis. Quod si illa est hæresis, cõtraria erit veritas fidei, proinde veritas à Deo reuelata: atque ita constabit Deum hoc voluisse, & fecisse.

Conditio primaria hæresis est nouitas doctrinæ, vt veritatis Catholicæ antiquitas. Porrò nouitas his coniecturis conuincitur, si notari possint, auctor, locus, tempus, si incipiat cum paucis sectatoribus, si cum admiratione, & perturbatione fidelium appareat, etsi ei contradicatur, ad iudicium & examen adducatur, & tandem à Concilio Episcoporum, & consequenter à populis fidelibus condemnetur. Id enim in omnibus hæresibus grauioribus inuenitur, vt in Ariana, Nestoriana, Eutychiana, Pelagiana, & similibus.

Iam sententia Sacramentariorum habet auctorem suum certum, Berengarium Turonẽsem natione, & Andegauensem Archidiaconum. Id patet ex Paschasio, qui in lib. de verbis Instit. Sacramenti, affirmat suo tempore non defuisse aliquos, qui quæstiones mouerent de veritate corporis Domini in Eucharistia (fuerant enim Ioãnes Scotus, & Bertramus) tamen nullum fuisse, qui apertè negaret: *Et ideo*, inquit, *quamuis ex hoc quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit, & confitetur.* Hæc ille. Itaque tempore Paschasij adhuc nullus fuerat, qui apertè profiteri ausus esset, non esse verè, & realiter Christi corpus in Eucharistia. Post Paschasij autem tempora nullus fuit ante Berengarium, qui apertè vel obscurè de hac re scripserit, sed ipse primus se doctorem noui dogmatis venditare ausus est. Quare Adelmannus Episcopus Brixinensis, & Hugo Episcopus Lingonensis in epistolis ad Berengarium, ad eum scribunt tãquam primum assertorem eius hæresis, & seriò monent, ne Ecclesiam perturbet, & vt meminerit, quem exitum habuerint Hæresiarchæ, qui ante eum fuerunt. Denique Guitmundus lib. 3. non procul à fine: *Notissimum*, inquit, *est hoc tempore, priusquam Berengarius insaniisset, huiusmodi vesanias nusquã fuisse.* Itaque auctor notissimus est.

C

Tempvs æquè notũ, quippe ab Historicis, & Chronologis, aliísque scriptoribus eorum temporum annotatũ. Scribit Sigebertus in Chronico, anno M.LI. cœpisse Berẽgarium nouo suo dogmate Gallias perturbare, quod idem indicant Lantfrancus, & Guitmundus, & alij, inter quos præcipuè legendus est Gulielmus Bibliothecarius, Malmes Berien sis lib. 3. de gestis Anglorum, qui illo ipso tempore floruit.

Locvs item notissimus, nam in Gallia cœpit suam hæresim prædicare, vt omnes citati auctores scribunt.

Pavcitas sectatorũ initiò describitur à Guitmundo lib. 1. vbi dicit, Berengarium cœpisse audiri à pauperibus scholaribus quibusdam, quos ille data stipe ad se alliciebat. Admiratio, & perturbatio Ecclesiæ, quæ est euidens indicium nouitatis, describitur ab iisdem auctoribus, & præsertim ab Adelmanno in epist. ad Berengarium, & à Lantfranco initio libri contra Berengarium, vbi dicit lectam fuisse in Concilio Romano sub Leone IX. epist. Berẽgarij à se, in qua epistola cùm scriptum esset, panem & vinum Eucharistiæ esse tantummodò Sacramentum, omnes Episcopos miratos esse, quòd illa verba aduersarentur vsitatissimæ fidei Catholicæ Ecclesiæ.

D

Deniqve contradictio, examen, iudicium, & condemnatio, habentur ibidem. Sic enim Scribit Lantfrancus: *Tempore S. Leonis Papæ delata est hæresis tua ad Apostolicam sedem. Qui cùm Synodo præsideret, ac resideret secum non parua multitudo Episcoporum, Abbatum, diuersi q; ordinis à diuersis regionibus religiosarum personarũ, iussum est in omnium audientia recitari, quas mihi de corpore, & sanguine Domini literas transmisisti.* Et infrà: *Intellecto, quod communi de Eucharistia fidei aduersa sentires, promulgata est in te damnationis sententia, priuans te communione sanctæ Ecclesiæ, quam tu priuare sancta eius communione satagebas.* Hæc ille.

Videmvs igitur omnia signa nouitatis in opinione Berengarij reperiri: quorum ne vnum quidem in sententia nostra reperitur. Neque enim hactenus vllus hæreticorum dicere potuit, quis auctor fuerit nostræ sententiæ: vnde etiam Berengarius vocabat eam sententiam vulgi, vt ibidem Lantfrancus testatur. Neque tempus, aut locũ, aut paucitatem primorum sectatorũ, aut admirationem populorum, aut denique vllum publicum iudicium contra eam proferre vnquam potuerunt aduersarij.

Et sanè non esse inuentum Papistarum (vt aduersarij nos vocant) sententiam nostram de Eucharistia, sed rem antiquissimam, patet euidenter ex consensu Græcorum. Græci enim à Romanis Pontificibus à longissimo tempore dissidere cœperunt, & proinde eorum noua dogmata non facilè recepissent: & tamen in hac re nũquam à Latinis dissenserunt, neque hoc tempore dissentiunt, vt ex censura Orientalium ad Confessionem Lutheranorũ patet. Confirmatur hoc totum argumentum à facilitate sententiæ aduersariorum, & difficultate nostræ sententiæ. Nam cùm sententia aduersariorum sit facillima, & humanis sensibus accommodata, facilè potuisset occultè irrepere, & à plurimis continuò admitti, ita vt lateret signa illa nouitatis. At sententia nostra, quæ difficillima est, & repugnat sensibus, ac superat rationem, non potuit occultè irrepere, nec potuit facilè tantæ multitudini persuaderi. Cùm ergo videamus in sententia nostra nulla apparere signa nouitatis, quæ tamen non potuit vllo modo occultè subintrare; & contrà inueniamus omnia signa nouitatis in sententia aduersariorum, quæ tamen facilè potuisset occultè insinuari: euidẽter sanè ostenditur nostram esse antiquissimam, & proinde veram; contrariam verò nouam, & proinde falsam, & hæreticam.

Altervm argumentum veritatis fidei nostræ, est consensus Ecclesiæ. Nam habemus consensum Ecclesiæ totius Latinæ, Græcæ, Barbaræ. Scribit enim Paschasius in libro de Instit. Sacramenti, vbi explicat verba Domini: *Hoc est corpus meum*, nullum omnino fuisse, qui se Christianum diceret, qui negare auderet carnem Domini verè esse in Eucharistia. Lantfrancus autem de suo tempore sic scribit in extremo libro contra Berengarium: *Interroga vniuersos, qui Latinæ linguæ, nostrarúmque literarum notitiam perceperunt: interroga Græcos, Armenios, seu cuiuslibet nationis quosciunq; Christianos, vno ore*

hanc fidem se testabuntur habere. Nostro autem tempore tantus consensus erat in nostro orbe terrarum, antequam Carolstadius, & Zvvinglius apparere cœpisset, vt Zvvinglius scribat in commentario de vera, & falsa religione cap. de Eucharistia, se valde occultè initiò egisse, & cum paucis amicis contulisse negotium illud noui dogmatis proponendi: metuebat enim, ne omnes offenderet, cùm nullum omnino sciret esse eius sentétiæ, quam ipse inuehere in Ecclesiam cogitabat.

A

Hoc igitur consensu posito, necessariò sequitur, vt vel nostra sit vera fides de Eucharistia, vel nunquam fuerit Ecclesia in mundo, vel fuerit, sed perierit, vel manserit in solis Berengarianis, vel simul maneat Ecclesia Dei, & summum ac publicum sacrilegium, summáque & publica idololatria. At Ecclesiam nunquam fuisse in mundo, pugnat cum Scripturis, & cum Symbolo, & à nullo vnquam vel hæreticissimo id fuit assertum. Ecclesiam fuisse, sed periisse omnino, pugnat cum apertissimis promissionibus Dei. Lucæ 1. *Regni eius non erit finis.* Mat. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matth. vlt. *Et ecce ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi.* Mansisse in solis Berengarianis dici non potest, quia tunc ante Berengarium non fuisset. Nam saltem per annos ducentos Berengarium constat testimonio Paschasij, & omnibus historiis, totam Ecclesiam credidisse id, quod nos credimus. Deinde Berengariani paucissimi fuerunt, & vix alibi, quàm in Gallia, & breui tempore ad nihilum redacti. Et licet post annos circiter CCC. à Ioanne Vviclefo, renouata fuerit hæresis Berengariana, tamen extra Angliam, & Bohemiam pedem non posuit; & in illis etiam locis, ita extincta fuit, vt annis circiter centum ante Zvvinglium nusquam fuerit. At Ecclesia semper viuit, semper conspicua est, nec potest (vt ista hæresis fecit) modò interire, modò renasci, nisi falsæ sint promissiones suprà citatæ. Denique Ecclesiam esse, & simul in summo errore, sacrilegio, & idololatria versari, nullo modo fieri potest: nam alioqui nulli hæretici essent extra Ecclesiam, & falsò Paulus diceret 1. Timoth. 3. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis.

B

C

Videtvr Petrus Martyr in sua precatione ad Deum, qua concludit librum suum contra Stephanum Gardinerum; existimasse Ecclesiam veram esse posse, vbi hæresis, & idololatria regnent: sed ita aduersus eum pugnat illa ipsius precatio, vt mirum sit ipsum etiam non id animaduertisse. Sic enim alloquitur Christum: *Si desperata,* inquit, *est plaga, neque veritati tuæ in tua Ecclesia ampliùs futurus est publicus & apertus locus, ad exercendum iudicium quamprimum venito.* Hæc ille; qua quidem precatione nullam vnquam stultiorem legi. Nam si per veritatem intelligit sententiam Zvvinglij, quam in toto eo libro asserere conatus est; fateri cogitur apud nos esse veram Ecclesiam Christi, & proinde se esse extra Ecclesiam: nostra enim Ecclesia est, in qua non permittitur locus sententiæ Zvvinglij. Si verò suum cœtum vocat Ecclesiam Christi, tum fateri cogitur, sentétiam nostram de Eucharistia esse veritatem Dei: nam sententia nostra est, cui non datur locus in cœtu Zvvinglianorum. Quare quocunque se vertat, suo se gladio ferit: vt omittam, nimiam esse stupiditatem, dicere in Ecclesia Dei non dari locum veritati Dei. Vbi enim erit veritas Dei, si in Ecclesia Dei non est? Sed iusto iudicio Dei, qui Ecclesiam Dei perdiderunt, iam nec qualis illa sit, videre possunt.

D

Tertivm argumentum sumi potest à diligentia, quam Ecclesia adhibuit in præsenti controuersia examinanda, & à constantia in veritate retinenda. Si enim Ecclesia quæstionem discutere noluisset, aut leuiter discussisset: possent hæretici aliquem colorem obtendere, cùm dicunt Ecclesiam in errore versari. At nulla vnquam quæstio sæpius, ac diligentiùs examinata est.

Primvm discussa fuit in Concilio Romano sub Leone IX. & damnata hæresis Berengarij. Secundò in Vercellensi, eodem Leone præsente, ac præsidente, eadem quæstio discussa & eodem modo explicata: quò etiam Berengarius vocatus est, & cùm accedere noluisset, cum eius confœderatis, qui se Berengarij legatos nominabant, disputatũ est. Tertiò mortuo sancto Leone iterum in Cõcilio Turonensi præsidentibus legatis Victoris Papæ, qui Leoni successerat, cum ipso Berengario acerrimè disputatum, eóque conuicto & hæresim abiurante, eadem fides confirmata est. Quartò cùm Berengarius ad vomitum rediisset, iterum Romæ in generali Concilio Nicolao II. præsidente, & Berengario præsente, eadem quæstio proposita, & discussa diligentissimè fuit, & tum secundò Berengarius abiurauit, & librum ipse suum coram omnibus cremauit. Atque horum quatuor Conciliorum meminit Lanfrancus in libro contra Berengarium, qui omnibus interfuit. Quintò cùm Berengarius iterum secunda abiuratione contempta, ad suam hæresim rediisset, coactum est quintum Concilium Romæ à Gregorio Papa VII. & rursus quæstio discussa diligenter, & hæresis damnata fuit: vbi etiam Berengarius tertiò abiurauit, neque ampliùs defecit. Huius Concilij non meminerunt Lanfrancus & Guitmundus, quia nondum celebratum erat, cùm illi scriberent: sed meminit Thomas Vvaldens. tomo 2. de Sacramentis, cap 43. Sextò in Concilio amplissimo totius orbis sub Innocentio III. Romæ celebrato, iterum eadem hæresis damnata est. Septimò eadem veritas explicata est in Concilio generali Viennesi, anno Domini M. CCC. XI. vnde exstat Clementina vna de reliq. & vener. Sanctorum. Octauò idem est factum in Concilio generali Romano sub Ioanne XXIII. anno Domini M. CD. XIII. vt testatur Ioannes Cochlæus libr. 1. historiæ Husitarum. Nonò idipsum actum est in Concilio Constantiensi propter hæresim eandem à Ioanne Vviclefo renouatam. Decimò in Concilio Tridentino nostris diebus propter Zvvinglianos, & Caluinistas: vt omittam Concilium Florentinum, & plurima alia, in quibus obiter idem est definitum.

Qvæ cùm ita sint, quis poterit sibi persuadere, Deum permissurum fuisse, vt Ecclesia in hac re erraret? Quid enim facere debuit, & nõ fecit? congreuauit homines doctos, rem excussit, Deum inuocauit, idque non semel, nec bis, sed sæpius. Quod si dubitare possumus, an hac in re errauerit Ecclesia, de omnibus aliis definitionibus cõtra varias hæreses dubitare poterimus: immò etiam, an Deus sit, siue an res nostras curet, dubitare poterimus; quid enim curat, si ista non curat?

Hvc accedit quòd Ecclesia Catholica semper in eadem sententia mansit, neque deterrita est ob argumenta varia, & difficilia, quæ vel Berengariani, vel postea Vviclefistæ, vel Zvvingliani excogitauerunt: in omnibus enim citatis Conciliis eadem sententia inuenitur. Contrà verò aduersarij, nec vlla Concilia Episcoporum habuerunt, nec inter se vnquam conuenerunt. Scribunt enim Guitmundus lib. 1. & Algerus in Prologo librorum de corpore, & sanguine Domini, statim in ipso initio Berengarianæ hæreseos ortas esse sex diuersas opiniones, ac sectas, quas ipsi enumerant. Nostro autem tempore (vt suprà diximus) multò plures existunt, præsertim si coniungamus errores Lutheranorum cùm erroribus Zvvinglianorum.

Qvartvm argumentum sumi potest à patronis sententiæ nostræ. Nam sententia nostra ab eo tempore, quo propter Berengarium clarissimè explicata est, id est, ab anno Domini M. LI. patronos habuit plurimos viros tam claros vitæ sanctitate, & miraculis, vt etiam ab hæreticis huius temporis sancti habeantur,

& nominentur. In hoc numero sunt S. Anselmus, S. Bernardus, S. Malachias, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Antonius de Padua, S. Petrus Martyr, S. Thomas, S. Bonauentura, S. Nicolaus Tolentinas, S. Ludouicus Rex, S. Bernardinus, S. Vincentius, S. Antonius, S. Franciscus Paulanus, & alij plures. Isti verè sancti, & amici Dei fuerunt, & cum Christo nunc in cœlis regnant: nam præter commune Ecclesiæ testimonium, omnes miraculis claruerunt, & aliqui eorum pluribus, & certioribus, quàm vlli ferè veterum; vt Bernardus, cuius miracula præ multitudine numerari non possunt; vt Vincentius, in cuius canonizatione dicuntur certis testibus probata plusquam octingenta miracula; vt Franciscus, cuius etiam propè innumerabilia, & maxima narrantur à S. Bonauentura. Sũt autem hæc miracula certiora, quàm veterũ Sanctorum, quia Ecclesia his posterioribus sæculis non solet referre in numerum Sanctorum aliquos, nisi miracula certissimis testibus comprobentur, quod olim non fiebat. Et denique aliquos horum, vt Bernardum, Franciscum, Dominicum, sanctos esse fatentur etiam aduersarij. Lutherus in libro de captiu. Babyl. cap. de Eucharistia, Thomam Aquinatem vocat sanctum, & cap. de Baptismo, sanctos vocat, Bernardum, Dominicum, & Franciscum. Philippus Melanchthon in Apologia Confess. artic. 4. & 5. & 27. sanctos vocat Antonium, Bernardum, Dominicum, Franciscum. Et Petrus Martyr in comment. 3. c. 1. ad Cor. in illud, *Dies enim Domini declarabit,* saluatos affirmat eosdem. Caluinus in Instit. capit. 10. §. 17. Bernardum pium scriptorem vocat. Hos autem in nostra sententia de Eucharistia fuisse, tum ex libris eorum constat, tum ex eo, quòd omnes Romanis Pontificibus adhæserunt; tum denique Romana Ecclesia nunquam eos in sanctorum catalogum retulisset, si in tanta re ab illa dissensissent.

A

Adhæc extra controuersiam est, sanctos & amicos Dei esse non posse, qui vera fide carent: cùm sine fide impossibile sit placere Deo, Heb. 11. & cùm iustus ex fide viuat, Heb. 10. Et denique non est vllo modo credibile, Deum, qui sanctis istis dedit spiritum Prophetiæ, & reuelauit plurima etiam non necessaria, tanquam amicis, nolsuisse saltem alicui eorum reuelare veritatem huius rei tam necessariam.

B

Neqve potest dici sanctos istos excusari posse, licet errauerint, quòd in re parui momenti, aut in re nondum explicata, & definita, aut certè non pertinaciter, sed simpliciter, & ex ignorantia lapsi fuerint. Nam imprimis res grauissima est, & in qua vel summa pietas, & religio, vel summa impietas, idololatria, & sacrilegium continetur. Deinde res tractata, discussa, & definita iam erat in multis Conciliis, vt diximus, & inter hæreticos iam numerabantur, qui aliter sentiebant. Denique ipsi homines sancti non simpliciter hoc asseruerunt, sed ferè omnes contra hæreticos propugnarunt; vel libris, vel concionibus, vel etiam disputationibus cum hæreticis habitis. Quare necesse est omnino, aut veram esse sententiam nostram, aut homines illos hæreticos, & inimicos Dei fuisse: neque aduersarij nostri vnquam inter se conciliabunt ista duo, viros illos sanctos fuisse, & in errore grauissimo versatos, atque ideò idololatras, & sacrilegos tota vita sua fuisse.

C

Qvintvm argumentum sumitur ab auctoribus, & patronis contrariæ sententiæ: tales enim fuerunt, vt nullo modo probabile sit, Deum per tales homines Ecclesiã suam corrigere, vel reformare voluisse. Etsi enim Deus eligere solet aliquando homines simplices, ignobiles, imperitos, vt per eos magnalia sua operetur, tamen ipse eos instruit diuina sapientia, charitate, dono miraculorum, & similibus ornamẽtis, vt homines cæteri tutò credere possint illos à Deo missos. Tales fuerũt Patriarchę, Prophetę, Apostoli, Institutores Ordinũ religiosorũ, & alij similes.

D

Inspiciamvs nunc, qualis fuerit Berengarius, quem parentem suum agnouit Caluinus, in vltima admonitione ad Vvestphalum, vbi dicit se non ægrè ferre, quòd sententiam suam olim in Berengario damnauerit Nicolaus Papa in Concilio Romano, & Gregorius VII. in Concilio Vercellensi, sed contrà potius suspectam sibi futuram fuisse, si Romani Pontifices illam approbassent.

Iste igitur Berengarius multis modis insignis. Primò præuisus fuit diuinitus. Nam vt scribit Gulielmus Bibliothecarius in lib. 3. de gestis Anglorum, S. Fulbertus Episcopus Carnotensis in extremis agens, cùm inter alios, qui illi morienti aderant, Berengarium tunc adolescentem, & nondum Hęresiarcham vidisset, iussit eum expelli, protestatus videre se immanem Dæmonem prope illum, qui etiam blando anhelitu multos ad eum allicere videbatur. Quæ sanè visio apertè significauit Berengariũ opera Diaboli plurimos per nouam hæresim seductũ. In quo Berengarius æqualis Ario dici potest; nam Arij futuram hæresim S. Antonio Deus præmonstrauit, vt in eius vita testis est Athanasius. Solet enim Deus grauissima mala vt iustissimo iudicio suo interdum permittere, ita etiam ex magna sua misericordia præsignificare, vt homines sibi caueant, & minùs inde lædantur.

Secvndò excellit Berengarius in periuriis, & inconstantia. Nam (vt suprà diximus) ter diuersis temporibus hæresim abiurauit, ac proinde bis periurus fuit: ideò enim ter abiurare coactus est, quia post primam abiurationem bis periurus fuit, cùm hæresim relapsus esset: tandem tamen Catholicus obiit, vt idem Gulielmus ibidem refert.

Fvit præterea Berengarius, (vt patet ex 1. lib. Guitmundi, qui eius vitam breuiter describit) supra modum superbus, & arrogans, & ex ipsa superbia occasionem accepit noui dogmatis promulgandi. Nam prima illi controuersia cum Lanfranco, fuit de rebus ad Dialecticam pertinẽtibus: sed cùm ab eo superari, & auditoribus quotidie magis ac magis deseri se videret, ignominiam illam non ferens, Dialectica omissa ad Theologiam se transtulit: & quia malebat (vt ait Guitmundus) cum aliqua hominum admiratione esse hæreticus, quàm in oculis Dei occultè Catholicus viuere, ea diligentissimè sectabatur, quæ noua & inaudita cæteris essent. Inde ergo initium hæresis.

Accedit ad hæc, quòd præter hanc sententiam de Eucharistia, duas alias promulgauit, quas ne ipse quidẽ Caluinus negaret hæreses esse. Docuit enim, vt ibidem Guitmundus testatur, legitima Matrimonia destrui posse, ac licere omnibus fœminis vti, & non esse infantes baptizandos; quæ duo in Anabaptistis huius temporis, Caluinus, & Lutherus damnant. Quis igitur credat voluisse Deum per hominem ita erroneum, aduersariorum etiam iudicio, atque adeò manifestè hæreticum, Ecclesiam illustrare & reformare?

De sectatoribus Berengarij scribit ibidem Guitmundus, homines sceleratos ad eum concurrere solitos, qui lætabantur se magno metu liberatos, cùm intelligerent Eucharistiam non esse rem tam diuinam, vt propter eius perceptionem à sceleribus, & flagitiis se continere deberent.

Iam de Vviclefo, de Carolstadio, Zvvinglio, Caluino, Petro Martyre, & aliis huius hæresis patronis, nimis longum esset, quales fuerint, explicare. Illud constat, neminem ipsorum vllum vnquam miraculum edere, aut signum vllum sui Apostolatus ostendere potuisse.

Postremvm argumentum sumitur à miraculis quæ in confirmatione huius veritatis facta sunt; qualia, hæretici pro suo errore, neque à Deo, neque à Dæmone extorquere potuerunt. Nam nec Deus testis mendacij esse potest, nec permisit hactenus hæreticis, vt saltem

opera Diaboli, si non vera, saltem apparentia miracula facerent. Multa referuntur miracula circa Sacramentum Eucharistiæ à Ioanne Garetio in libro de vera præsentia corporis Domini, & à Tilmanno Brendebachio toto lib. 1. sacrarum collationum. Septem mihi videntur ad rem nostram maximè facere.

PRIMVM est in vita B. Gregorij à Paulo Diacono scripta, & in lib. 2. c. 41. vitæ eiusdem Gregorij per Ioannem Diaconum scriptæ. Summa historiæ hæc est, cùm S. Gregorius Eucharistiâ populo distribueret, venit ad mulierē quæ fortè panem, qui in altari fuerat consecrandus, suis manibus fecerat. Cùm ergo illi S. Gregorius diceret, *Corpus Domini nostri* IESV CHRISTI *custodiat animā tuam*, illa Diabolo tentante subrisit, & Pontifex manum retraxit, & particulam in altari reposuit. Deinde completis solennibus interrogauit mulierem coram populo, cur in tam tremenda actione risisset. Illa diu mussitans tandem respondit, recognouisse se panem, quem suis manibus fecerat, atque inde credere non potuisse corpus Domini reuera esse. Tum S. Gregorius à Deo petiit, & impetrauit, vt etiam species externa panis, in carnem mutaretur; quo facto, tam illam ad fidem reduxit, quàm totum populum confirmauit.

ALTERVM miraculum exstat apud Paschasium in libro de corpore Domini, ca. 14. vbi refert Presbyterum quendam valde pium & sanctum, optasse aliquando videre corporalibus oculis speciem eius, quem certa fide credebat sub speciebus panis & vini latere: & tandem quod petebat, obtinuisse, ac vidisse Christi corpus in forma humana, sed puerili, quod etiam ipse petierat. Vt enim eo loco idem Paschasius refert, duplici de caussa Deus hæc miracula facere solet, vel ad dubitantes in fide confirmandos, vel ad consolandos eos à quibus ardenter amatur.

TERTIVM est S. Malachiæ, quod refert Bernardus in eius vita. Cùm enim Clericus quidam aliquando dicere præsumpsisset, in Eucharistia solum esse Sacramentum, non corporis veritatem, S. Malachias secretò, ac sæpe eum conuenit & admonuit: non resipiscentem adduxit in conuentum Clericorum, ibique data facultate pro suo errore dicendi, cum illo disseruit, eúmque apertissimè confutauit. Nondum ad mentem redire volentem, coram omni populo publicè arguit, hæreticúmque denunciat, & cùm aliis Episcopis, qui fortè aderant, anathemate ferit. Sed cùm adhuc ille furens diceret, omnes fatuere homini, se autem solum non accipere personas, nec deserere veritatem. S. Malachias dixit: *Dominus faciat te veritatē fateri, vel ex necessitate.* cui ille respondit, *Amen.* Sed ecce die eodē corripitur grauissimo ac lethali morbo, redit ad mentem, reconciliatur Ecclesiæ, expirat. Poterat ne clariùs Deus ostendere, à qua parte sit veritas?

QVARTVM est ipsius Bernardi. Nam vt scribitur in eius vita lib. 2. c. 3. Mediolani præsente populo innumerabili inter Sacramentorum celebrationem curauit Dæmoniacam, cuius sanitas desperata iam videbatur. Siquidem multos annos Diabolus eam possederat, & oculorum, aurium, ac linguæ vsum illi eripuerat; ipsam etiam linguam in morem promuscidis elephantinæ illi extenderat, vt monstrum horribile, non mulier videretur. Igitur sacram hostiam patenæ impositam super caput Dæmoniacæ tenens, atque in hunc modum loquēs, Diabolum expulit: *Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas: iam resiste si potes: adest ille, qui pro nostra salute passurus, Nunc, inquit, princeps huius mundi eiicietur foras. Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascēdit in cœlum. In huius ergo maiestatis terribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præsumas.* Hæc ille. Vbi sicut fides veritatis à Deo exaudiri meruit; ita prorsus deceptionis, erroris auctor dici posset (quod absit) Deus, si falsum esset quod S. Bernardus dixit, & tota Ecclesia credit.

QVINTVM est S. Antonij de Padua, quod insigne est, nec tamen à Ioan. Garetio, vel Tilmanno Brendebachio annotatum. Describitur in eius vita apud Surium, tomo 3. & à S. Antonino in summa historiali, par. 3. tit. 24. cap. 3. §. 2. Disputāte S. Antonio de veritate corporis Domini in Eucharistia cum hæretico quodam in partibus Tolosanis (siquidem eo tempore Albigenses vexabant Ecclesiam, qui cum aliis plurimis hoc etiam errore infecti erant) petiit hæreticus ab Antonio, quem nouerat dono miraculorum præditum esse, eiusmodi signum: *Habeo*, inquit, *iumentum, cui per integrum triduum cibum non dabo. Exacto triduo adsis tu cum Sacramento, ego adero cum iumento, atque ante illum hordeum effundam, si iumentum hordeo derelicto ad Sacramenti venerationem accesserit, credam.* Factum est vt ille voluit, & triduo exacto S. Antonius, turbis fidelium comitatus, & venerabile Sacramentum manu tenens, sic ad iumentum loquutus est: *In virtute, & nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, veraciter teneo, tibi dico animal, & præcipio, vt confestim venias humiliter modo tuo, & ei reuerentiam exhibeas: vt ex hoc cognoscat hæretica prauitas, quòd omnis creatura suo subditur Creatori, quē sacerdotalis dignitas ingiter tractat in altari.* His verbis prolatis, iumentum hordei ante se effusi, & famis oblitum, ad sanctum occurrit, & capite inclinato, ac genibus curuatis, eo modo quo potuit, Dominum adorauit, & hæreticum confutauit.

SEXTVM narrat Thomas Vvaldensis testis oculatus, tomo 2. c. 63. Scribit enim sartorem quendam hæreticum publicè in Ecclesia S. Pauli Londini in iudicio coram Archiepiscopo & aliis Prælatis constitutum, dixisse, digniorem esse araneam cultu ac reuerentia, quàm Eucharistiam; & continuò de alto tecti culmine horribilem araneam directo filo ad os eius properasse ac vix multorum manibus prohibitam, ne ingrederetur.

SEPTIMVM narrat Tilmannus Brendebachius lib. 7. sacratum collationum, c. 60. quod quidem in illis partibus, vbi contigit, dicit esse notissimum, & celeberrimū, ac non solùm soluta oratione, sed etiam carmine conscriptum. Eius hæc est summa. Anno Domini M. D. LXI. die 8. Aprilis, feria 2. Paschæ horis ante meridiem, Nouiomagi, quod oppidum est in Geldria, Parochus quidā nomine Antonius Vvorstius, completis Missarum solennibus, venerabile Sacramētum ad fœminam ægrotam de more Catholico deferebat. Casu accidit, vt tempore eodem ad ianuam tabernæ, iuxta quam Parocho transeundum erat, duo iuuenes consisterent, Nouiomagensis vnus, alter Traiectensis, qui oua Paschalia in manibus habentes, inter se contendebant, vter celeriùs ouum deglutiret. Interea Parocho propinquante, Traiectensis blasphemus, & irrisor tanti mysterij, & vt apparet, hæreticus Caluinista, sodali suo dixit, se multò citiùs ouum suum deuoraturum, quàm mulierculam Deastrum illum: & continuò ouum in os iniecit. Sed ouum in medio gutture constitit, & cùm ille suffocari se sentiens vndique circunspiceret, vidit candelam sebaceam ex pariete dependentem, eáque arrepta, atque in os iniecta, vt ouum detruderet, ita hæsit totum sebum in ouo, vt nudum filum, seu stamen candelæ miser extraxerit; tum demum concedit, & in Æthiopum nigredinem mutato vultu, eliso̱que gutture expirauit. Repertum est autem postea ouū instar tuberis in altera parte colli, non in gutture, vt par erat. Ita nimirum Christus, non Deastrum, sed verum Deum se esse demonstrauit. Sed de his hactenus.

AD hoc argumentum ex miraculis Petrus Martyr breuiter respondet in lib. cōtra Gardinerum, obiecto 158. esse meras præstigias ista, quæ à nobis dicuntur miracula.

Id ve

Id verò probat, quia Irenæus lib. 1. ca 9. testatur, Marcum Hæresiarcham, & Magum præstigiis quibusdam solitum fuisse in sua Eucharistia efficere, vt in calice cruor appareret.

AT qúænam est ista consequentia? Marcus Hæresiarcha & Magus præstigiis cruorem in calice apparere faciebat; ergo B. Gregorius vir sanctissimus, S. Bernardus, S. Antonius, & alij, quos sanctos fuisse etiam hæretici confitentur, non nisi præstigiis miracula circa Eucharistiam fecerunt. Sanè si ita liceat argumentari, poterimus etiam hoc modo colligere; Magi Pharaonis per incantationes, conuertebant virgas in dracones, & aquam in sanguinem; ergo & Moses cùm similia faceret, per incantationes faciebat: & breuiter omnia miracula Christi, & Apostolorum calumniari possemus.

DICO secundò, responsionem Petri Martyris vtcunque aptari posse ad miracula, quæ fiunt, cùm exterius in Eucharistia apparet caro, vel aliquid eiusmodi, at nullo modo aptari posse ad ea miracula, quæ consistunt in interitu hominum, vt est tertium & septimum à nobis recitatum: illæ enim veræ mortes fuerunt, non simulatæ, ac fictæ.

DICO postremò in hoc mysterio maximè locum habere dilemma Augustini lib. 22. de ciuit. Dei, c. 5. Nam aut facta sunt miracula ad hoc mysterium confirmandū, aut non sunt facta. Si facta sunt, credamus igitur, quod tot miraculis confirmatū est. Si non sunt facta, hoc ipsum est summum miraculum, quòd sine miraculis res tam difficilis credi potuerit à tot Philosophis, atque à toto orbe terrarum. Nam sententia aduersariorum, quæ facillima est, non est mirum, si absque vllis miraculis admittatur: nostram autem sententiam, quæ non modò cum sensibus, sed etiam cum ratione pugnare videtur, quis credat tantæ multitudini, sine multis, magnísque miraculis persuaderi potuisse, nisi vt dixi, hoc ipsum summum miraculum esse dicatur?

CAPVT IX.

Soluitur obiectio deprompta ab inutilitate realis præsentiæ.

DVAE sunt, vt suprà diximus, obiectiones aduersariorum. Prima est eiusmodi: Deus nihil frustra facere solet. At frustrà poneretur in Eucharistia vera corporis Domini præsentia, cùm satis sit, si eam illic habeamus in signo. Primò, quia finis, ac fructus Eucharistiæ est, nutrire animas. Non minùs autem nutrit animas Christus in symbolo existens, quàm reipsa delitescens in pane. Animæ enim nutriuntur fide, & charitate: fides autem, & charitas tam bene possunt complecti Christum in cœlo, quàm in Eucharistia. Caluinus lib. 4. Instit. c. 17. §. 32. *Fidem*, inquit, *nos istam, quam enarrauimus, corporis participatione non minùs lautè, affluēterque pascimus, quàm qui ipsum Christum è cœlo detrahunt.* Similia habet Petrus Martyr libro contra Gardinerum, obiecto 52. & 60. vbi etiam addit Scripturæ testimonium. Nam Ioan. 16. Dominus ait Apostolis: *Expedit vobis, vt ego vadam: Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Non erat igitur vtilis Apostolis corporalis Christi præsentia, alioqui expediuisset ipsum manere cum eis, non autem ab eis recedere. At non potest esse vtilior corporalis Christi præsentia in Eucharistia, quàm esset illa eadem cum Apostolis manifesta, & visibilis: igitur si illa inutilis erat post certum quoddam tempus, quantò magis ista inutilis erit?

SECVNDÒ, Baptismus confert gratiam, regenerat animam, ac proinde vitam spiritualem confert, licet non transmutetur aqua in Christum, vel Spiritum sanctum, sed vera & sola aqua maneat, vt antea erat: cur ergo non poterit Eucharistia conferre gratiam, & vitam iam acceptam conseruare, & augere, etiamsi non mutetur panis in carnem, sed verus & solus panis maneat, vt antea erat?

TERTIÒ, ista præsentia Christi inuisibilis est, immò nullo sensu, ac ne ipsa quidem mente perceptibilis, nisi per fidem. At fides non egebat ista præsentia, vt Christū apprehendere posset: nihil igitur confert præsentia ista Christi in Eucharistia.

QVARTÒ, qui sola fide in symbolo Christum recipiunt, fructum passioni Domini sine dubio consequuntur: qui Christum reipsa in Eucharistia sine fide percipiunt, nullum fructum consequuntur.

QVINTÒ, argumentatur Caluinus contra Vvestphalum: *ista præsentia realis plus incommodi, quàm commodi adfert: nam fecit, vt corpus Christi sit commune piis, & impiis, quod certè incommodum est non leue. Et præterea breuissimo tempore nobis adest, nimirum quandiu species illæ conseruantur; quod exiguum commodum est; igitur inutilis est ea præsentia.*

RESPONDEO, ista argumenta leuissima sunt. Ad primum negari potest consequentia, & antecedens. Cōsequentia enim illa si quid probat, solùm probat, nō fuisse necessarium absolutè, vt in Sacramento reipsa corpus Domini poneretur, sed non probat non fuisse vtile, vel frustrà poni. Id enim omne vtile est, & nō frustrà fit, per quod nobis aliquid boni confertur, licet illud ipsum alia via conferri potuisset. Id verò manifestè colligitur ex multis similibus. Nam eodem modo argumentari possemus in mysterio Incarnationis: Poterat Deus sine Incarnatione Filij nos liberare; frustrà igitur Deus homo factus est. Item poterat Christus homo, per quodcunque opus bonum nobis reconciliationem apud Patrem mereri; frustrà igitur labores, & dolores sustinuit. Item poterat vna sanguinis gutta nos redimere; quorsum igitur tot ludibria, verbera, vulnera, & sanguinis totius effusio? Item poterant sine descensu ad Inferos sanctos Patres inde eruere, Dæmones alligare, aliáque id genus operari solo imperio; quorsum igitur illa descensio? Denique poterant ægroti sola fide in Christum sanari, sine contactu manuum, vel fimbriæ eius; quorsum igitur Dominus manus imponebat? quorsum illi tanto studio ad fimbriā accurrebāt? Atque id genus infinita exempla possem adferre. Sic igitur non sequitur frustrà corpus Domini reipsa in Eucharistia exhiberi, etiamsi eundem fructum ex solo symbolo per fidem recipere possemus.

DEINDE nego eundem fructum recipi ex solo symbolo per fidem. Nam primùm magis excitatur fides, charitas, deuotio, pietas, reuerentia, cùm cogitamus reipsa nobiscum vniri Christum, quàm si solum in cœlo eum sedere credamus. Et hoc experimentum ipsum abundè testatur: longè enim aliter afficiuntur pij fideles erga venerabile Sacramentum, quàm erga imagines Saluatoris, quæ sunt mera Christi symbola. Deinde Christus ipse dū nobis reipsa coniungitur, multa nobis largitur, quæ non largiretur sine ista coniunctione, etiamsi posset. Quemadmodum omnes, quotquot tangebant eum, curabat ab omnibus languoribus, quos certè non curasset, nisi eum tetigissent, vt infinitos alios, qui eum non tangebant, non curabat: & tamen quis negat potuisse eum sine illo contactu omnes curare? Sæpe etiam Principes, si carceres inuisant, multos liberant, quos alioqui non liberassent, tametsi possent solo imperio omnes liberare, sine illa carceris visitatione.

AD locum Euangelij dantur à Patribus duæ expositiones: neutra nobis aduersatur. Vna est Augustini tract. 94. in Ioan. & Bernardi serm. 3. de ascensione Domini, qui dicunt Apostolos allectos dulcissima Christi consuetudine, amasse illum humano quodam amore, dum is in terris degeret: sed oportuisse eos abstrahi, & quasi

ablactari ab humana illa consolatione, vt ad amorem spiritualem Christi proueherentur. Quæ expositio nostræ sententiæ non aduersatur, quia præsentia Christi in Eucharistia cùm sit inuisibilis, non conciliat amorem humanum (nec enim illum videmus, aut audimus, aut cum eo versamur, vt Apostoli faciebant) sed planè diuinum, & spiritualem: quare præsentia ista solùm prodesse, non autem obesse vllo modo potest.

ALTERA expositio est Græcorum, Cyrilli lib. 10. in Ioan. c. 32. & Theophylacti in cap. 16. Ioan. qui dicunt expediuisse, vt Christus recederet, non quia præsentia eius corporalis vnquam posset esse inutilis, sed quia vtilior erat Apostolis & nobis omnibus, eius recessus per mortẽ, & ascensionem in cœlum, quàm conuersatio illa in terris. Deus enim constituerat non mittere Spiritum sanctũ, nisi priùs sacrificium crucis perageretur, & nisi dispensatio Christi per eius Ascensionem compleretur. Itaque non impediebat aduentum Spiritus sancti præsentia corporalis Christi, sed impediebat decretum illud Dei, quo statuerat, vt mors & ascensio Christi præcederent.

AD secundum argumentum concedo, potuisse Deũ, per Sacramẽtum Eucharistiæ, etiam sine reali præsentia corporis Domini, conseruare & augere in nobis vitam spiritualem in Baptismo acquisitam; sed non ideò inutilis est ea præsentia. Nam etiam potuisset Deus sine symbolis aquæ & panis, id est, sine Sacramentis sensibilibus, Baptismi & Eucharistiæ eandem nobis gratiam conferre, quam per ea symbola confert: & tamen non dicunt aduersarij, inutilia esse symbola externa aquæ & panis.

ADDE, quòd non est eadem ratio Baptismi & Eucharistiæ. Nam Baptismus nihil est aliud, nisi Sacramentum regenerationis: Eucharistia autem non est solùm Sacramentum refectionis, seu mutationis, sed præterea est memoriale omnium miraculorum, & quasi compendium vitæ, passionis, & resurrectionis Domini, iuxta illud Psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Quare debuit esse res plena miraculo, non autem simplex aliquod symbolum, vt non esset inferior, sed superior Mannæ Iudæorum, quod similiter fuit memoriale mirabilium, quæ in deserto Hebræis contigerunt. Deinde est testimonium, & quasi pignus amoris Christi erga sponsam suam Ecclesiam: & ideò sicut amor ille est infinita, ita debuit hoc pignus supra modum esse mirabile. De qua re multa præclara extant apud Chrysostomum, hom. 24. in priorem ad Cor. & alibi. Tertiò est caussa, & quasi semen resurrectionis corporum nostrorum, idque per contactum & coniunctionem corporis glorioſi cum corporibus nostris mortalibus, vt suprà ex Irenæo, Hilario, Cyrillo, aliisque Patribus demonstrauimus. Denique est sacrificium religionis Christianæ (velint nolint hæretici) & quia sacrificium Christianorum impletiuum esse debuit figurarum veterum, & proinde præstantius sacrificiis omnibus Hebræorum, non potuit in solo pane, & vino constitui, quæ sunt longè inferiora vitulis & arietibus, sed necesse fuit ipsum verum Domini corpus in hoc sacrificio contineri, vt eo modo veritas imagini, & exemplar figuræ, & corpus vmbræ, quàm aptissimè responderet.

AD tertium nego, corpus Domini in Eucharistia non percipi, nisi fide. Nam etiamsi in propria specie, & immediatè non attingitur ab vllo sensu, nec ab ipsa mente, nisi per fidem; tamen in specie aliena, & mediatè attingitur oculis, manibus, lingua, & ipso etiam pectore. Quomodo etiam interdum saluberrima pharmaca ita inuoluta dantur ægrotis in variis integumentis, vt nullo sensu immediatè percipiantur, & tamen quia ipsa reuera ad stomachum penetrant, vtilissima sunt.

AD quartum concedo, sola fide sine reali præsentia corpus Domini apprehensum prodesse; & contrà solo corpore per realem præsentiam acceptum nihil prodesse: sed nego inde sequi, realem præsentiam, & corporalem perceptionem inutilem esse. Nã etiamsi ista sine fide non prosunt, & fides sine istis prodest: magis tamen prodest fides cum istis, quàm sine istis. Quemadmodum opera bona sine fide non prosunt; fides autem sine operibus prodest, cùm quis videlicet ab operibus legitimè impeditur. Et tamen plus prosunt opera bona cum fide, quàm sola fides: & B. Mariæ nihil profuisset Christum corpore concipere, & parere, nisi etiam mente per fidem, & charitatem eundem concepisset: & cõtrà multùm profuisset sola mente concipere, licet eundem corpore non concepisset. Et tamen quis dicere auderet, nõ magis ei profuisse mente & corpore Christum, quàm sola mente cõcipere?

AD vltimum dico, nullum incommodum, sed maximum commodum consequi ex reali præsentia: nam non læditur corpus Domini ex eo, quòd impiis communicatur; & in eo demonstratur summa Dei charitas. Quamuis autem breui tempore intra nos Dominum habeamus, tamen breui illo tempore maxima dona nobis largitur: alioqui etiam breui tempore tangebant fimbriam Christi multi ægroti, qui tamen ex eo contactu curabantur.

CAPVT X.

Soluitur altera obiectio, quæ sumitur ab indignitate rei.

ALTERA, eáque postrema hæreticorum obiectio ab indignitate rei sumitur. Scribit enim Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 32. absurda oportere reiicere, quæ cœlesti Christi maiestate indigna sunt. Quæ autem illa sint absurda, ipse eo loco non dicit: sed ab aliis ista ferè enumerari solent, quòd oportebit concedere, Christum in terrã cadere, dentibus atteri, in ventrem & in secessum ire, à muribus corrodi, vel etiam deuorari, putrescere, vel acescere, denique etiam cremari. Quæ omnia, & nunc ab hæreticis obiiciuntur, & olim à Berengarianis obiiciebantur, vt patet ex Guitmundo, lib. 2. & ex Algero, lib. 2. cap. 1.

SED respondemus, quod ad similia obiecta veteres Patres maiores nostri responderunt. Neque enim solùm hoc mysterium, sed omnia ferè alia Iudæi, pagani hæretici tanquam indigna, & stulta irriserunt: de quibus Augustinus in epist. 49. ad Deogratias, q. 6. *In ipsum*, inquit, *Christum non crederemus, si fides Christiana cachinnum metueret paganorum.*

AC primùm apud Iudæos Saducæi ipsi Christo quæstionem ridiculam proponere ausi sunt contra resurrectionem, vt ex absurditate, quæ inde sequebatur, concluderent, nullam futuram esse corporum resurrectionem. Videtur enim sequi, vt si mulier aliqua hîc habuerit septem viros per mortem sibi inuicem succedentes, in altera vita, aut pro vxore litigent, aut vna sit vxor septem virorum simul. Eodem modo Marcionistæ apud Tertullianum in lib. de resurrect. carn. & Origenistæ apud Hieronymum in epist. ad Pammach. contra errores Ioann. Hierosolym. vt resurrectionem carnis exploderent, argumenta petebant ab absurdis: quia si erunt tunc sexus distincti, erit etiam procreatio, erunt nutrices, & obstetrices; si venter & palatum, erunt etiam cibi, erunt egestiones, erunt latrinæ, &c. Dominus autem respondit: *Erratis, nescientes Scripturam, & virtutem Dei: in resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur.* Matth. 22. Quod idem nos hæreticis dicere possumus; Erratis, ignorantes Scripturam, & virtutem Dei. Christus enim verè in Sacramento existit, sed nullo modo lædi potest; proinde non cadit in terram, non teritur, non roditur, non putrescit, nõ crematur: ista enim in speciebus illis recipiũtur,

sed

sed Christum non afficiunt, licet coniunctæ sint species illæ cum Christo. Ipsa quoque Diuinitas nónne vbique est præsens, & tamen nec sordescit in sordibus, nec crematur in flammis, nec putrescit in putrescentibus rebus.

DICES, si verè corpus Domini in Eucharistia est, cadente Eucharistia in terram, non cadit corpus Domini, ergo separatur in illo casu corpus Domini ab Eucharistia, & vnum manet in terra, alterum in altari, vel in manibus eius, cui cecidit Eucharistia.

RESPONDEO, Corpus Domini non separatur ab Eucharistia, donec species illæ integræ manent: & ideò, si Eucharistia cadat in terram, corpus Domini in terra erit, sed non dicetur cecidisse; id enim propriè cadit quod corpus est, & corporaliter existit, ac mouetur. Quare cadente homine, corpus cadit, anima non cadit, licet per accidens moueatur: sic etiam corpus Domini, quod indiuisibiliter manet in Eucharistia, locum mutat cadente hostia, sed non propriè cadit.

SECVNDÒ, multi Philosophi, ac præsertim Epicurei, negabant prouidentiam Dei respectu rerum earum, quæ sunt infra lunam, quòd dicerent, indignum Deo, vt ad res tam viles procurandas se deiiciat. Sed Christiani ex Scripturis didicerunt, non esse Deo indignum, immò dignissimum, vt absque vllo suo labore, & incommodo erga passeres, fœnum, & res omnes, quamuis minutissimas beneuolentiam suam ostendat. Quod idem nos hæreticis dicere possumus: non enim indignum est, sed dignissimum Christo, sine vlla sui læsione ita se nobis præbere, vt summum erga nos amorem ostendat.

TERTIÒ, qui negabant Incarnationem, nulla ferè argumenta fortiora sibi videbantur obiicere, quàm ab indignitate. Hinc Marcionistę apud Tertullianum in lib. de carne Christi, obiiciebant indignum esse Deo, in vtero fœminę includi, poni in præsepi, & alia id genꝰ. Et Nestorius apud Theodoretum, lib. 4. hæret. fabular. & Euagrium lib. 1. histor. c. 2. nihil fortius adferebat, quàm, indignum esse, si Deus dicatur bimestris, & bicubitus; quæ tamen dici posse videntur, si verè infans aliquando fuit Christus, & simul Deus. Porrò Iudæi & Pagani nihil magis horrebant, & ridebant in Christiana religione, quàm indignitatem illam, quòd dicerentur Christiani credere in hominem suspensum, & spem habere in homine inter latrones crucifixo, vt videre est apud Iustinum in dialogo cum Tryphone, & Minutiũ Felicem in Octauio. Sed contempsit Ecclesia illorum irrisiones edocta ab Apostolo, 1. Cor. 1. mysterium crucis Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam esse, sed ipsis electis, Dei virtutem, & Dei sapientiam. Neque enim ex omnibus Christi passionibus, Diuinitas lædi vllo modo potuit, & tamen inde ingens Deo gloria, & summa hominibus vtilitas nata est. Idem nos, & multò maiore ratione Sacramentariis possumus respondere. Nam maior indignitas videtur Christum Deum, & hominem in propria specie, quàm in specie panis lædi potuisse. Et præterea Christus homo in specie panis, nihil omnino patitur: at in specie propria, verè passus est verbera, vulnera, & ipsam mortem, eámque cum summa ignominia in patibulo, atque inter latrones.

QVARTÒ, Ariani, vt oppugnarent Christi diuinitatẽ, semper obiiciebant, id requirere honorem Dei Patris, vt ex Hilario colligitur lib. 11. de Trinit. & in lib. contra Cõstantium. Nouatiani quoque (vt Ambrosius refert, lib. 1. de Pœnit. cap. 2.) vt negarent Ecclesiæ potestatem absoluendi peccatores, dicebant, indignum esse, si id hominibus tribuatur, quod est proprium Dei. Sed respondent Patres, à nullis magis Deum Patrem affici contumelia, quàm ab illis, qui non crederent verbis eius: *Hic est Filius meus.* Et: *Quæcunque solueritis super terram.* Idem & nos Sacramentariis respondemus: non enim clariùs dixit illa Deus, quàm Christus dixerit: *Hoc est corpus meum.* Non amat Deus eiusmodi patronos, qui nesciant honorem, & dignitatem ipsius tueri, nisi verba eius corrumpant, & mendacem (quantum in se est) efficiant.

DENIQVE, quia nonnulli vix ferre possunt, Christum quocunque modo posse includi in parua pyxide, cadere in terram, comburi, rodi à bestia; ab ipsis ego libenter discerem, an non credant Christum infantulum inclusum verè fuisse primùm in angustissimo, & obscuro fœminæ vtero, deinde fasciis ac pannis inuolutum? eundem non modò cadere in terram potuisse, sed etiam humi sæpe iacuisse? eũdem infantulum remoto miraculo, & comburi, & à bestia morderi potuisse? Si igitur ista pati potuit in propria specie, & cum læsione, cur mirum videri debet, si similia in specie aliena, & sine vlla læsione eidem accidere posse dicamus?

CONTROVERSIA SECVNDA.

De modo existentiæ corporis Domini in Eucharistia.

CAPVT XI.

Recensentur variæ de hac re sententiæ.

GRAVISSIMA controuersia de reali præsentia Domini corporis expedita, sequitur alia de ratione, & modo, quo corpus Domini in Eucharistia adesse incipit. Et quidem Catholica Ecclesia semper docuit per conuersionem substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini, quæ conuersio postmodum transubstantiatio appellata est, fieri, vt corpus & sanguis Domini, verè ac realiter in Sacramento Eucharistiæ prętentia sint. Sed præter hanc sententiam, quæ sola est antiquissima, & verissima, septem omninò extiterunt errantium opiniones.

PRIMA Berengarij, & discipulorum eius fuit, vt ex lib. 1. & 3. Guitmundi colligitur. Isti enim conuicti fidelium argumentis, cùm defendere non possent, Eucharistiam nihil esse aliud, nisi signum corporis Domini; ab isto quidem errore recesserunt, sed ad veritatem nõ peruenerunt: docuerunt enim, verum panem & vinum, simul cum vero corpore & sanguine Domini in Eucharistia consistere. Et licet impanationem Christi rem istam Guitmundus appeller, non tamen apertè declarat, an panis hypostaticè à Verbo assumeretur ex illorum sententia, an non; immò ita illos impugnat, ac si solùm docuissent, misceri simpliciter Christi corpus pani.

ALTERA sententia aliorum fuit, qui, vt ibidem Guitmundus ait, panem asserebant partim mutari in corpus Domini, partim non mutari: id quod ea de caussa asserebant, quia putabant omninò improbabile, vt verum corpus Domini ab impiis sumeretur. Itaque volebant eam panis partem, quæ à piis sumenda erat, verti per consecrationem in corpus Domini, eam verò, quæ ab impiis erat accipienda, non conuerti. Cuius sententiæ auctores, Guitmundus dicit, Berengarij hostes fuisse, & tamen iisdem ferè argumentis ad suum dogma stabiliendum vti consueuisse.

HVC referri possunt duæ aliæ sententiæ isti similes. Nam vt isti docebant, partem integrantem panis conuerti, & partem non conuerti: ita Durandus docuit, partem vnam essentialem, id est, formam panis conuerti, partem alteram, id est, materiam non conuerti. Existimat enim Durandus in 4. dist. 11. q. 3. conuerti panem in corpus Domini per consecrationẽ, sed ita, vt forma panis recedente,

mate

materia panis maneat informata Christi anima, omninò ad eum modo quo cibus conuertitur in carnem nostram per nutritionem.

ALII autem(vt nullus error deesset)è contrariò docuerunt, materiam panis mutari in corpus Christi, sed formã panis substantialem remanere eandẽ. Refert hunc errorem sine nomine auctoris, sanctus Thomas 3. parte, quæst. 75. attic. 6.

QVINTA sententia est Ruperti Abbatis Tuitiensis, qui circiter XL. annis Guitmundo posterior fuit. Rupertus igitur docuit, panem Eucharistiæ hypostaticè assumi à verbo, quo natura humana ab eodem Verbo assumpta est. Id patet ex lib. 6. in Ioan. vbi exponens illa verba: *Panis quem ego dabo, caro mea est*, dicit Verbum æternum per Incarnationem factum hominem non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem, & eodem modo per consecrationem Eucharistiæ, idem Verbum fieri panem non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter panem. Vbi apertè fatetur, Christum dici, & esse panem facta consecratione, sicut dicitur, & est homo, per Incarnationem. Idem auctor in 2. libro de diuinis officiis, ca. 2. fusè idipsum docet: vbi declarat, ipsum panem fieri corpus Christi, non quia vertatur in carnem Domini, sed quia assumatur à Verbo. Ex quo sequitur panem esse corpus Christi, sed corpus non humanum, neque carneum, sed panaceum; & longè diuersum ab illo, quod de Virgine sumptum est. Ibidem docet, hęc duo corpora posse dici vnum, quia vnum est suppositum vtriusque, siue vnus est Christus, qui vtrumque assumpsit: & disertis verbis dicit, illa corpora, panaceum, & carneum, esse vnum: quia idem Christus sursum, id est, in cœlo, est in carne, deorsum, id est, in altari, est in pane. Denique in eodem lib. 2. c. 9. multa similia docet, & addit impios in Communione sacra nihil accipere, nisi corpus panaceum: pios autem accipere vtrumque corpus. Nam quia idem Dominus sursum est in carne, deorsum in pane, ideò solùm in pane sumitur ore corporali, quod est commune piis, & impiis; in carne autẽ, quæ est sursum, non sumitur nisi ore spirituali, quo carent impij.

HVNC errorem notauit, & refutauit Algerus, lib. 1. de Sacram. cap. 6. vbi dicit, hanc esse nouam hæresim, & absurdissimam: Algerus enim vixit eodem tempore, quo Rupertus. Siquidẽ Rupert⁹ viuebat anno M.C.XXIIII. teste Trithemio: Algerus autem vixit, & obiit tempore Petri Cluniacensis, vt idem Petrus testatur in epist. ad Alberonem Episcopum Leodiensem: Petrus autem Cluniacensis æqualis sancti Bernardi fuit, qui floruit circa annum M.C.XL. Et notat ibidem Petrus, Algerum refutasse accuratissimè modernorum quorundam errorem de corpore Domini.

HINC refelli potest communis quidã error, quo hoc tempore plurimi tenentur de auctore huius hæresis. Nã vt testatur Thomas Vvaldensis, tomo 2. de Sacram. c. 47. 65. & 93. extabat olim quidã liber de diuinis officiis sine nomine auctoris, quo Ioannes Vviclefus mirabiliter triũphabat, & Catholicos vexabat, nunc Ambrosij, nunc Isidori, nunc Fulgentij nomine eum librum vẽditans. Quare Catholici diu quæsierunt auctorem verum eius libri, & tandem certò deprehenderunt eum auctorem, vixisse tempore sancti Anselmi, & ab ipso Anselmo refutatum: & nescio, quibus coniecturis suspicati sunt auctorem illũ fuisse Vvaltamum, seu Valeramum, ad quem extãt duo opuscula sancti Anselmi, vnum de azymo, alterum de diuersitate Sacramentorum. Hinc Dominicus à Soto, Claudius Sanctius, Gulielmus Alanus, & alij, qui scribũt de Eucharistia, primum auctorem impanationis faciunt Valeramum. Sed necille fuit primus, cùm præcesserint Berengariani, nec fuit Valeramus, sed Rupertus Tuitiensis, ex cuius libris eruenda eius sententia, quam sanè perperam exponit Dominicus à Soto in 4. dist. 9. q. 2. art. 2.

ESSE autem Rupertum auctorem illorum librorum de officiis diuinis, in quibus isti errores continentur, dubitari nullo modo potest. Nam sententiæ omnes, quas citabat Vviclefus apud Vvaldensem, inueniuntur ad verbum in secundo libro Ruperti de officiis, cap. 9. Initium quoque librorum de officiis apud Vvaldensem est: *Ea quæ per anni circulum*, & idipsum est initium librorum Ruperti. Denique conueniunt isti errores librorum de officiis diuinis cum aliis eiusdem Ruperti in commentar. in Exodum, & in Ioannem. Vnde non sine caussa libri isti Ruperti sine honore, & titulo iacuerunt annis fermè CCCC. nam ætate nostra primùm lucem liberè aspexerunt. Neque dubium esse potest, an libri isti de officiis diuinis eiusdem Ruperti sint, cuius sunt omnia alia opera, quæ eidem adscribuntur: nam in prologo horũ librorum de officiis diuinis enumerat ipse omnia alia sua opera.

SEXTA opinio, seu potiùs hæresis est cuiusdam Ioãnis Parisiensis, qui (vt refert Thomas Vvaldensis, tomo 2. de Sacramentis, c. 65.) palàm oppugnauit hæresim præcedentem, & aliam excogitauit: docuit enim panem assumi à Verbo, sed mediante corpore parte, id est, mediãte corpore Christi, vt corpus accipitur pro parte hominis, non vt accipitur pro toto homine. Dixit autem mediante parte hominis, non mediante toto, ne admittere cogeretur, Deum esse panem. Quomodo enim Æthiops non dicitur albus absolutè, quia non est candor in toto ipsius corpore, sed solùm in dentibus: ita existimabat Deum non debere dici panem absolutè, quia non coniungitur Deo panis, nisi mediante parte humanitatis eius.

SEPTIMA opinio, seu hæresis, Lutheranorum est, quæ quatuor capitibus continetur. Lutherus in libro de captiuit. Babylonica, cap. de Eucharistia, duo dicit. Primò, non esse articulum fidei, vtrum panis maneat, vel non maneat cum corpore Domini in Eucharistia, sed vtrumque posse defendi sine periculo hæresis. Et in hoc valde distinguuntur Lutherani à Caluinistis. Caluinistæ enim dicũt, transubstantiationem, scleratam esse hæresim, & rem prorsus impossibilem: Lutherani dicũt, esse possibilem, & non pugnare apertè cum fide. Vnde etiam Brentius in Confess. Vvirtemberg. cap. de Eucharistia, & Kemnitius in 2. parte Exam. Concilij Trident. sess. 13. ca. 4. magis reprehendunt Catholicos, quòd transubstantiationem faciant articulum fidei, quàm quod eam defendant. Secundò dicit, videri sibi probabilius, & cõformius Scripturis, & hoc etiam receperunt omnes Lutherani, vt panis maneat. Tertiò, addit veram esse propositionem; Panis est corpus Christi propter vnionem panis cum corpore; sicut est vera, Christus homo est Deus: vbi insinuat impanationem Ruperti, vel Ioan. Parisiensis, tamen non apertiùs id explicat. Et Martinus Kemnitius in 2. parte Examin. ad c. 4. sess. 13. Concilij Trid. disertis verbis dicit, Lutheranos non ponere vnionem personalem Christi cum pane: vnde etiam cæteri Lutherani magis adhærent primo errori ex citatis, quam quinto vel sexto. Quartò idem Lutherus in serm. de Sacram. cœnæ Dom. & in lib. *Quòd verba Christi, Hoc est corpus meum, adhuc firmiter stent.* Et in lib. qui inscribitur: *Confessio Mart. Lutheri, de cœna Domini*, explicat modum seu rationem, quo corpus Domini cum pane coniungitur, ac dicit, corpus Domini per vnionem ad Verbum id assequutum esse, vt sit, vbicunque est Verbum, id est, vbique: quod si vbique est, certè etiam in pane cœnæ Domini erit.

ATQVE hanc Lutheri sententiam sequuti sunt postea Ioan. Brentius in Apologia pro Confess. Vvittemberg. in tractatu de cœna Domi. & in libro de duabus naturis Christi, & Ascensione, & sessione à dextris, & in libro de Maiestate Christi hominis. Matthias Illyricus in libro de Ascensione Domini. Iacobus Schmidelinus in Thesibus de Maiestate Christi hominis. Martinus Kemnitius in lib. de duabus Christi naturis. Ioan. Vvigandus in lib. de communicat. idiom. Ioan. Tilmannus in libro quem vocat Farraginem sententiarum. Denique ferè omnes Lutherani, vt apparet ex libro Concordiæ nuper edito. Itaque Lutherani hoc tempore maxima ex parte sequuntur quartum hoc dictum Lutheri de Vbiquitate. Si qui tamen sunt qui ab eo abhorreant, ij sequuntur tria priora, & proinde primum errorem suprà citatum Berẽgarianorum: & in hoc numero videtur Kẽnitius in Exam. sess. 13. cap. 4. vbi dicit, fundamentum præsentiæ corporis Domini, non esse vbiquitatem, tametsi ipse idem in lib. de duabus naturis satis apertè Vbiquitatem tueatur.

CAPVT XII.

Refellitur secundus error Berengarianorum.

ANTEQVAM ad sententiam Ecclesiæ confirmãdam veniamus, refellendi sunt errores delirantium, idque quàm breuissimè fieri poterit, quòd errores illi, excepto primo & postremo, extincti ac sepulti iam sint: postremus autem qui est de Vbiquitate, à nobis alio loco diligenter fuerit confutatus: primus autem iisdem argumentis confutandus sit, quo sententia vera confirmanda.

IGITVR secundus error (primum enim differemus in alium locum) facilè refutari potest. Primò, quia (vt Guitmundus scribit lib. 3.) fundamentum huius erroris erat, ne daretur indignis corpus Domini. At hoc fundamentum pugnat cum Apostolo, 1. Cor. 11. *Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, &c.* quem locum suprà lib. 1. exposuimus, vbi etiam ostendimus consensum Patrum in eandem doctrinam, & respondimus testimoniis Augustini, quæ contrà à Caluino adferuntur, & olim ab auctoribus huius secundi erroris adferebantur.

SECVNDÒ, cùm Sacerdos solus communicaturus est, vt sæpe accidit, si is fortè indignus sit, vel consecrabitur panis, & conuertetur in carnem Domini ipso impio Sacerdote agente, vel non. Si consecrabitur, ergo impius sumet corpus Domini: si non consecrabitur, ergo pender consecratio à bonitate, & malitia ministri, quæ est antiqua hæresis Donatistarum, iamdudum explosa à Catholica Christi Ecclesia.

TERTIÒ, si esset vera ea sententia, nunquam sciremus an aliqua hostia sit verè consecrata, nec posset Sacerdos, nisi temerè, dicere, Corpus Domini Iesu Christi, nec liceret vllam hostiam venerari. Nam nemo scit, qui sint iusti, qui peccatores: & secundum hanc sententiam non est hostia verè consecrata, nisi quam iusti accipiunt.

QVARTÒ, oporteret nouum, & continuum miraculum Dei in consecratione, & distributione Eucharistiæ adesse, quo fieret, vt Sacerdote consecrante, vel nulla pars consecraretur, si omnes communicaturi essent indigni: vel totum consecraretur, si omnes essent digni: vel partim consecraretur, & partim non consecraretur, si pars communicantium digna esset, pars indigna: & rursùm in distributione opus esset nouo miraculo, quo fieret, vt Sacerdos non erraret in distributione, licet ignoraret, quæ sint partes verè consecratæ, & qui sint homines verè digni. At eiusmodi miracula sine vllo fundamento Scripturæ, Conciliorum, Patrum asserere, mera stultitia est. Sed de his satis.

CAPVT XIII.

Refellitur error Durandi.

TERTIVS error eorum, qui volunt solam materiam panis remanere, pugnat imprimis expressè cum Tridentino Concilio, sess. 13. c. 4. & can. 2. vbi legimus, mutationem fieri totius substantiæ panis in corpus Domini: & cum Concilio Constantiensi, sess. 8. vbi reprobatur secundus error Vviclefi, qui erat, accidẽtia non manere sine subiecto. Nam ex sententia Durandi, si materia panis maner, manẽt etiam accidentia omnia in suo subiecto: subiectum enim accidentium materia est ex sentẽtia meliorum Philosophorum. Immò etiam cum Concilio Lateranensi pugnare videtur hęc Durandi sententia. Neque enim Concilium illud transubstantiari dixisset panem in carnem, nisi totam panis substãtiam mutari, significare voluisset: illa autem mutatio, quam Durandus inducit, non transubstantiatio, sed transformatio dici potest. Itaque sententia Durandi hæretica est, licet ipse non sit dicendus hæreticus, cùm paratus fuerit Ecclesiæ iudicio acquiescere.

SECVNDÒ, refellitur hæc sententia. Nam vel informaretur materia panis sola Christi anima, vel tota Christi humanitate. Vtrumque autem est apertissimè falsum. Nõ enim vllo pacto dici potest informari materiam illam tota Christi humanitate: nec enim fingi potest, quomodo materia informetur à materia, materia enim potentiam habet ad formam, non ad materiam. Sed neque hoc Durandus dicit, qui vult conuersionẽ panis similem esse nutritioni. At nec potest dici, materiam panis à sola Christi anima informari: nam illud compositum ex materia panis, & anima Christi, non esset caro, aut certè non esset illa caro, quæ de Virgine sumpta est, & in cruce suspensa. Scriptura verò disertis verbis affirmat, Eucharistiam esse carnem illam quæ crucifixa est, Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Et Matth. 26. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

DICET aliquis pro Durando, per concomitantiam erit in Sacramento etiam caro illa, quæ de Virgine sumpta est. Sed hoc non sufficit ad Scripturæ veritatem; Scriptura enim testatur id, quod ex vi Sacramenti est in Eucharistia, esse corpus illud, quod pro nobis ad mortem traditum est: debet igitur non per concomitantiam, sed ex vi Sacramenti esse in Eucharistia caro illa Domini, quæ de Virgine sumpta est.

TERTIÒ, vel materia panis acceditreliquo corpori Christi, & in eo manet, vel accedit, sed non manet, vel nõ accedit. Si accedit, & manet: ergo quotidie augetur, & crescit corpus Domini, & iam in immensam molem excreuit: si accedit, & postea recedit, ergo quotidie crescit, & decrescit, quod sanè quis ferat: si non accedit, ergo tria sunt Christi corpora reipsa distincta, vnum de Virgine sumptum, alterum conflatum ex materia panis, & Christi anima; tertium ex materia vini, & forma sanguinis Domini. Ecce qualia figmenta Patribus omnibus omnibus contraria Durandi temeritas admittere cogitur.

QVARTÒ, si materia manet, & Christi anima informatur: ergo dimensiones panis, dimensiones Christi erũt, ergo extensè, & corporaliter corpus Christi in loco erit: ergo verè & propriè diuidi, calefieri, corrumpi poterit. Dices, Non poterit: quia gloriosum est, & incorruptibile. At hoc ipsum probat argumentum, corpus illud non esse glorioſum, & incorruptibile, aut certè corpus glorioſum & incorruptibile lædi & corrũpi posse: experimur enim consecratum panem, qui per Durandum est materia panis, Christi anima informata, diuidi, alterari, corrumpi.

SED videamus, quid pro se Durandus adferat. Ille satis appositè ad persuadendum probat. Primò, sententiam contrariam esse impossibilem. Secundò, suam esse possibilem. Tertiò, suam re ipsa esse veram.

PRIMVM hoc pacto probat: *Conuersio fieri nequit, nisi manente materia, seu subiecto in vtroque termino conuersionis. Hoc enim interest inter creationem, annihilationem, & conuersionem: quòd in creatione fit, quod non erat: in annihilatione desinit esse id, quod erat: in conuersione transit aliquid de vno esse ad aliud: oportet igitur, vt maneat id, quod transit.*

RESPONDEO, hoc argumentum tolerabile esset, si

ab ethnico Philoſopho fieret. Verè enim naturaliter fieri nequit cõuerſio, niſi manente materia: nec enim poſſunt agentia naturalia materiam ipſam producere. At Chriſtiani, qui certa fide tenent Deum ex nihilo feciſſe materiam, & eam in nihilum poſſe redigere: mirum profectò eſt, ſi non credant ab eodem omnipotente Deo poſſe mutari materiam, & quodlibet in quodlibet, ex creatis rebus videlicet: nam in Deum nihil verti poteſt, nec ipſe in aliud, ſiquidem repugnat actui puro omnis potentia paſſiua. Ad argumentum ergo dico, conuerſionem poſſe fieri totius in totum, diſtingui autem eam ab annihilatione, & creatione, quia per conuerſionem vna, & eadem actione ex vno fit aliud, cùm per creationem ex nihilo fiat aliquid, per annihilationem ex aliquo nihil.

SECVNDVM probat Durandus hoc modo: *Chriſtus poſt reſurrectionem verè manducauit*, Luc. vlt. *& proinde verè nutritus eſt, ergo poteſt verti in corpus eius glorioſum panis per modum nutritionis.*

RESPONDEO, Chriſtum poſt reſurrectionem verè comediſſe, quia vero palato, veriſque dentibus, & lingua verum cibum ſumpſit, & ad ſtomachum traiecit. Sed potuit non inde nutriri, ſed eum cibum in aërem cõuertere, id quod indicare videtur Beda in comment. cap. vltimi Lucæ, vbi ponit hanc ſimilitudinem inter manducationem noſtram, qui ex indigentia manducamus, & illam Chriſti, quæ ex poteſtate facta eſt: *Sicut*, inquit, *aliter aquam terra ſitiens abſorbet, aliter ſolis radius candens: ſic etiam aliter nos manducamus, aliter ille manducauit.* Porrò terra verè ſibi adiungit aquam, & ea iuuatur & pingueſcit: ſolis autem radius non ſibi adiungit aquã, quam abſorbet, ſed eam in auram, vt vapores diſſoluit. Poſſet etiam dici cum Ioanne à Louanio, in lib. de corpore Domini, Chriſtũ verè nutritum eo cibo poſt reſurrectionem, ſed ſine vlla acceſſione, vel mutatione ſua: potuit enim totum eum cibum vertere in carnem ſuam præexiſtentem, ita vt nec materia, nec forma panis remaneret. Sed prior ſolutio facilior eſt.

TERTIVM probat Durandus ex Damaſceno lib. 4. de fide, c. 14. cui poſſumus addere Gregorium Nyſſenum in orat. Catechet. c. 37. & Theophylactum in c. 6. Ioãnis, qui dicunt eo modo mutari nũc panem in carnem Chriſti per conſecrationem, quo mutabatur olim, dum ipſe in terris viueret, per nutritionem.

AT Patres illi ſimilitudine nutritionis vtuntur, vt veram, & realem mutationem oſtendant, non autem, vt in omnibus ſimilia eſſe velint, conſecrationem, & nutritionem: neque exempla, & ſimilitudines id vnquam exigunt, vt in omnibus omninò conueniant.

CAPVT XIV.

Refellitur quartus error.

IAM verò quartus error de forma panis, ineptiſſimus eſt, nec alio fundamento nititur niſi imperitiæ. Exiſtimabant enim auctores eius erroris, panem rem eſſe merè artificioſam, quia manibus, & arte hominum fit, & proinde formam panis nihil eſſe, niſi figuram illam externam, & accidentariam, quam in Sacramento remanere videmus. At panis non eſt res merè artificioſa, nec ſola arte humana fieri poteſt, vt fiunt ſcamna, veſtes, ædificia, ſed res eſt naturalis, & actione naturali agentium naturalium ab hominibus applicatorum conficitur. Quemadmodum etiam ranæ, ſcorpiones, apes, calx, vitrum, & alia nonnulla, humana arte fieri poſſunt, quæ tamen naturalia ſunt, & formam ſubſtantialem habent, eò quòd ad ea producenda adhibeantur agentia, ſeu cauſſæ naturales.

PORRÒ formam ſubſtantialem panis, quam eſſe in pane præter figuram externam, iam oſtendimus, in Sacramento Euchariſtiæ non remanere, facilè probari poteſt. Nam aut cum materia ſua maneret, aut ſine illa; & ſi abſque illa, aut informaret materiam corporis Domini, aut ſine informatione, & ſeparata à materia omni maneret. Si primum, tũc nulla fieret conuerſio, & coinciderent hæc ſententia cum prima. Si ſecundum, tunc non panis fieret corpus Domini, ſed è contrario corpus Domini fieret panis, & Euchariſtia formaliter eſſet panis, non corpus, & Dominus nõ dixiſſet accepto pane: *Hoc eſt corpus meum*, ſed oſtenſo corpore dixiſſet, Hic eſt panis meus: à forma enim res vnaquæque accipit eſſe, & nomen. Si tertium, fruſtra fieret miraculum hactenus inauditum, vt forma eſſentialis, & tamen corporalis ſine materia maneret. Quorſum enim iſtud miraculum? Nam accidentia quidẽ externa vtiliter manent in Euchariſtia ad velandum corpus Domini; at iſta forma inuiſibilis ſine vlla cauſſa maneret.

CAPVT XV.

Refellitur error Ruperti.

VINTVS error, quem Ruperti eſſe diximus, refellitur primò, quia repugnat apertiſſimis verbis Domini. Dominus enim ait Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* At panis ille aſſumptus à Verbo, eſt quidem corpus Chriſti, ſed non caro Chriſti, neque enim per aſſumptionem illam ſpeciem ſuam mutat: panis autem corpus eſt, caro non eſt. Rurſus Dominus ait Matt. 26. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* At corpus illud panaceum non fuit pro nobis traditum, corpus igitur datum Apoſtolis à Chriſto manducandum in vltima cœna, non fuit panaceum, ſed carneum. Vel ſi contendas corpus panaceum datum diſcipulis: oportebit etiam fateri corpus panaceum pro nobis fuiſſe crucifixum, vt facerè deducit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem.

RESPONDERI poſſet de corpore panaceo propter vnionẽ hypoſtaticã prædicari corpus carneum; ac proinde dici potuiſſe, Hic panis eſt corpus illud, quod pro vobis tradetur & hic panis eſt caro mea pro mũdi vita, ſicut dicimus, Hic homo eſt Deus, & hic Deus eſt homo.

AT non poteſt ita reſponderi. Nam prædicatio diuerſarum naturarum propter vnionem hypoſtaticam non valet, niſi in iis, quæ ſignificantur vt tota quædam, & integra ſuppoſita. Vnde non dicimus, Corpus eſt anima, vel homo eſt anima: neque dicimus, Hic Deus (Chriſtus) eſt corpus Chriſti, vel anima Chriſti, ſed tantùm, eſt homo. Eodem igitur modo poſita aſſumptione hypoſtatica panis à Verbo, liceret dicere, Hic panis eſt Deus, vel eſt Chriſtus, vel eſt homo: non tamen poſſet dici, Hic panis eſt caro Chriſti, vel hic panis eſt corpus carneum Chriſti: caro enim ſeu corpus carneum ſignificantur, vt partes naturæ humanæ, non vt integra ſuppoſita. Nec poteſt dici, carneum & corpus Ioan. 6. & Matth. 26. accipi pro ſuppoſito, ſeu pro re totali, ſaltem per figuram intellectionis, quomodo legimus: *Omnis caro corruperat viam ſuam*, Gen. 6. & *Verbum caro factum eſt*, Ioan. 1. Nam pronomina addita in vtroque loco cogunt, vt accipiamus carnem & corpus pro patre, non pro toto. Sic enim Dominus ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt. & Hoc eſt corpus meum*, vbi *mea*, & *meum*. non permittunt, vt illa accipiantur pro toto, ſeu ſuppoſito.

POSSET quis rurſus pro Ruperto reſpondere, corpus Chriſti carneum per concomitantiam naturalem eſſe in Euchariſtia ſimul cum corpore Chriſti panaceo, quandoquidem vnita ſunt illa corpora in eodem ſuppoſito: & ideò verè dici potuiſſe de Euchariſtia: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

AT neque hæc reſponſio ſolida eſt. Nam vnio hypoſtatica non trahit ſecum concomitantiam vnius naturæ cum altera, alioqui vbicunque eſt Verbum cum ſua Diuinitate, ibi etiam eſſet humanitas Chriſti per naturalem concomitantiam: quod falſum eſſe docẽt omnes Catholici contra Vbiquiſtas. Adde, quòd Rupertus ipſe nõ admittit iſtam cõcomitantiam: nam lib. 2. de officiis diuinis, cap. 2. dicat eundem Chriſtum ſurſum, id eſt, in cœlo eſſe in carne, deorſum, id eſt, in altari, eſſe in pane.

SECVNDÒ poſſet hic error refutari omnibus fermè teſtimoniis Patrum, quæ ſuprà toto lib. 2. adducta ſunt: omnes enim vna voce clamant, nobis in Euchariſtia dari corpus Chriſti carneum de Virgine ſumptum, & in ligno crucis extenſum, &c.

TERTIÒ ratione refelli poteſt. Nam nulla omninò cauſſa reddi poteſt, cur panem hypoſtaticè Chriſtus aſſumere voluerit: cur enim hominem aſſumpſerit, tota cauſſa fuit, vt hominem liberaret. Ideò enim neque Angelum, neque naturam aliam aſſumpſit, quia res cæteræ aut non egebant liberatione, aut non poterant liberari: ſolus homo capax, & indigẽs liberationis erat. Quorſum igitur panem aſſumeret, qui nulla liberatione egebat?

ADDE, improbabile eſſe omnino, vt vnio hypoſtatica Dei cũ creatura quotidie fiat, & quotidie deſtruatur: nihil enim maius, & mirabilius Deus creaturis donauit, quàm ſuam ipſius perſonalitatem, cùm Verbum caro factum eſt. At quis ferat, donum tam ſingulare quotidie cum pane communicari, & iterum paulò pòſt auferri?

ADDE vltimò, quòd hæc opinio fidem noſtram ſine cauſſa facit odioſam, & ridiculam infidelibus, & dat anſam cum fundamento blaſphemandi. Nam abſurda, quæ hæretici falsò colligunt, cùm dicũt, Chriſtum in Euchariſtia poſſe cadere in terram, rodi à muribus, ire in ſeceſſum, comburi, &c. ſecundum hanc ſententiam veriſſima eſſent. Si enim panis materialis per vnionem hypoſtaticã eſt corpus Chriſti, atque adeò Chriſtus ipſe: quomodo negari poſſet, Chriſtum, ſiue eius corpus cadere, rodi, putreſcere, ire in ſeceſſum, cremari, cùm panis ille cadit, roditur, putreſcit, in ſeceſſum abit, crematur?

SED pro hac ſententia adduci poſſe videntur quædam Patrum teſtimonia. Nam Cyprianus in ſermone de Cœna Domini, comparans Euchariſtiam cum Incarnatione, ſic ait: *Sicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat Diuinitas, ita Sacramento viſibili diuina ſeſe infundit eſſentia.* Remigius Remenſis in cap. 10. prioris ad Corinth. *Caro*, inquit, *quam Verbum Dei Patris aſſumpſit in vtero virginali in vnitate ſuæ perſonæ, & panis, qui conſecratur in Eccleſia, vnum corpus ſunt. Diuinitatis enim plenitudo, quæ fuit in illa, replet & iſtum panem.* Similia habent Haymo in comment. eiuſdem loci; & Damaſcenus lib. 4. cap. 14. Huc etiam trahi poſſent teſtimonia Theodoreti in 1. & 2. Dialogo, & Gelaſij in lib. de duabus naturis Chriſti, qui videtur ita velle panem, & corpus Domini vniri in Sacramento, quomodo vniuntur in Chriſto Diuinitas & humanitas.

SED hæc omnia facilè ſolui poſſunt. Nam Cyprianus, Remigius, & Damaſcenus cùm dicũt, pani ſe infundere Diuinitatem, intelligunt ita ſe infundere, vt conuertat panem in corpus Domini omnipotentia ſua, non autem, vt hypoſtaticè ſibi coniungat. Nam Cyprianus dicit ibidem apertè, panem mutari, quoad naturam, & ſic fieri carnem omnipotentia Verbi. Remigius quoque (quem Haymo ſequutus eſt) dicit eſſe idem corpus panem conſecratum, & corpus ex Virgine, quia panis in corpus vertitur. Sic etiam Damaſcenus multis verbis conuerſionem panis in carnem docet, & probat. Porrò Theodoretus & Gelaſius comparant Euchariſtiam cum Incarnatione propter quandam ſimilitudinem, nõ quòd in omnibus paria ſint: ſimilitudo autẽ in eo ſita eſt, quòd ſicut in Euchariſtia ſunt ſpecies panis, & etiam eſt caro Chriſti, & non confunduntur iſta, nec permiſcentur, ita in Chriſto ſunt duæ naturæ inconfuſæ, & impermiſtæ. Quod autem attinet ad ſubſtantiam panis, mutari illam non negant. Nam etiã ipſi ibidem (vt ſuprà docuimus) apertè meminerunt mutationis terreni panis in rem cœleſtem, id eſt, carnem Chriſti glorioſam. At Rupertus contraria via ingreditur, quippe qui in cap. 6. Ioannis apertiſſimè docet, à Chriſto panem fieri corpus non mutando, vel deſtruendo panem, ſed aſſumendo ad perſonam ſuam.

CAPVT XVI.

Refellitur error Ioannis Pariſienſis.

SEXTVS error Ioannis Pariſienſis iiſdem argumentis refellitur, quibus error præcedens Ruperti: & præterea habet aliud maius incommodum, quod vult panem immediatè aſſumi à corpore Domini. Multi enim non ſine cauſſa dubitant, an poſſit fieri, vt creatura creaturam hypoſtaticè aſſumat. Et præterea corpus Domini in Chriſto caret propria perſonalitate: quomodo igitur poterit aliis communicare, quod in ſe non habet?

SED nec obtinet iſte error, quod cupit, nimirum, vt poſſit dici verè, Panis eſt corpus, & non cogamur admittere, panem eſſe Deum. Nam adhuc poſita illa aſſumptione panis à Verbo mediante corpore Chriſti, nõ eſt vera propoſitio, Panis eſt corpus: ſiquidem corpus, vt hic ſumitur, eſt pars quædam naturæ humanæ, & proinde non poteſt prædicari, vel de toto, vel de altera parte coaſſumpta. Sicut enim non dicimus, Deus eſt corpus Chriſti, nec Diuinitas eſt corpus Chriſti, ſed ſolùm, Deus eſt homo: ita non poſſet dici, Panis eſt corpus Chriſti, vel eſſentia panis eſt corpus Chriſti, licet in eodem ſuppoſito ſubſiſterent. Quomodo etiam non dicimus, Digitus eſt manus, vel annulus eſt digitus, licet digitus mediante manu in corpore ſubſiſtat, & annulus mediante digito ſit in manu. Et præterea poſita illa aſſumptione, poterit omnino verè dici, panis eſt Deus, & Deus eſt panis; quod eſt alterum incommodum, quod Ioannes ille vitare cupiebat. Nã licet panis à verbo aſſumatur mediante ſolo corpore Chriſti: tamen quia Verbum indiuiſibile eſt, à totò Verbo aſſumitur, & in toto Verbo ſubſiſtit ille panis, perinde planè, ac ſi mediante tota humanitate Chriſti aſſumeretur, quare verè dicetur Deus Verbum eſſe panis. Nec ſimilitudo Æthiopis repugnat: nam ſi candor, qui eſt in dentibus Æthiopis, mediãtibus dentibus in toto corpore exiſteret, totus Æthiops diceretur candidus. Vide plura apud Durandum in 4. diſtinctione 10. quæſt. 1.

CAPVT XVII.

Refellitur error Vbiquiſtarum.

DE errore Vbiquiſtarum fusè tractauimus in libris de Chriſto, ad quẽ locum lectorem remittendum putauimus. Hîc autem contẽti erimus breuiſſimè demõſtrare, per figmentum Vbiquitatis, non modò non explicari vel confirmari, ſed planè obſcurari & euerti Sacramentum Cœnæ Domini.

PRIMÒ igitur ex Vbiquitate ſequitur, Euchariſtiam non eſſe Sacramentum. Sacramenta enim noui teſtamẽti à Chriſti inſtitutione pendent, & à ritu, & verbis, quæ ille præſcripſit. At præcipuum quod eſt in Euchariſtia, ab inſtitutione, ritu, & verbis Chriſti non pendet, ſi vera eſt Vbiquiſtarum doctrina, non igitur Euchariſtia Sacramentum Chriſti eſt. Propoſitio conceditur ab omnibus, & ſuprà à nobis in lib. de Sacramentis in genere probata eſt, nullo ex aduerſariis diſſentiente. Aſſumptio autem eſt ipſius Lutheri in lib. quòd verba Domini, Hoc eſt corpus Domini, adhuc firmiter ſtent. Ibi enim affirmat ex eo, quòd Chriſtus ſedet ad dexteram Dei, euidenter ſequi, vt eius corpus ſit in pane, etiamſi illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, neque à Chriſto dicta fuiſſent, neque ſcripta eſſent. Et quamquam id Lutherus non diceret, tamẽ apertè ſequeretur ex eius ſententia. Si enim ex vnione hypoſtatica Chriſti corpus eſt vbique, certè fuit in pane ante Sacramenti inſtitutionem, neque ab ea vllo modo pendet præſentia iſta Chriſti in cœna.

DICENT fortaſſe, Sacramentum Cœnæ pendere ab inſtitutione, & verbis Chriſti, quãtum ad ſymbola panis,

& vini, quæ non essent symbola, nisi à Domino ad hoc
institutta fuissent. Sed hoc est incidere in sententiam Sa-
cramentariorum, ob quam cauendam inuenta erat Vbi-
quitas. Nam Sacramenta & eorum efficacia & veritas,
integrè pendent ab institutione & verbis Christi. Si er-
go ab institutione & verbis Cœnæ nõ pendẽt, nisi sym-
bola illa, & eorum significatio, ergo Sacramentum Cœ-
næ nihil omnino est, nisi symbolum externum signifi-
cans corpus Christi: & proinde illa verba, *Hoc est corpus
meum*, quibus hoc Sacramentum conficitur, exponenda
erunt, vt Sacramentarij faciunt, per illa, Hic panis signifi-
cat corpus meum, vel est signum corporis mei.

SECVNDÒ, ex Vbiquitate sequitur, Christi corpus
non posse verè manducari ore corporali, sed solùm ore
spirituali per fidem & gratiam, seu energiá & effectum;
& consequenter non posse manducari, nisi à piis. At, hæc
est ipsissima hæresis Sacramentariorum, ob quam de-
struendam Vbiquitas in mundo apparuit. Quod id se-
quatur, sic ostendo. Quod est vbique, non potest mouե-
ri, nec transire de loco ad locum, ergo licet corpus Chri-
sti sit in pane, tamen non manducatur, cùm panis man-
ducatur, quia non mouetur, nec transit cum pane à ma-
nu ad os, & ab ore ad stomachum: nam etiam antea erat
in ore & in stomacho, priusquam panis eò veniret. Et
explicatur exẽplo Dei. Deus vbique est, & quia vbique,
non mouetur cum rebus, in quibus est, nec per se, nec
per accidens: & ideò licet sit in pane, non tamen manդu-
catur cum pane, & licet sit in aëre, non tamen attrahitur
cum aëre intra pectus, neque eiicitur cùm respiramus.
Et confirmatur. Nam si corpus Domini, quia est in pane,
cum pane mãducatur, ergo quia in terra, est cũ terra cal-
catur: & quia est in ligno, cum ligno comburitur, & quia
est in saliua, cum saliua expuitur. At hæc & similia, falsa
esse constat. Quòd si Christi corpus re ipsa & ore cor-
porali non sumitur, sequitur aut esse inanem Cœnam
Domini, aut saltem spiritualiter sumi per energiam, &
per fidem, & solùm à piis, qui habent fidem, & hoc est
quod volunt Caluinistæ.

TERTIÒ, etiamsi posset sumi corpus Christi ore
corporali, cogentur nihilominus fateri, nullum esse fru-
ctum Cœnæ Domini, nisi energiam quandam, vt dicunt
Caluinistæ. Nam si Christi corpus est vbique, non ege-
mus Cœnæ Domini, vt Christi corpus habeamus, neque
opus est ad Ecclesiam ire, aut parare se ad Communio-
nem, aut institutionem audire, sed possumus domi no-
stræ in pane, & vino, & in quolibet cibo, immò & in aë-
re quem inspiramus, Christi corpus habere. Quorsum
igitur Cœna Domini? quid illa nobis prodest?

LVTHERVS hoc argumentum sibi ipse obiecit, in
lib. quòd verba Domini firmiter stent: ac respondit,
Christi corpus esse vbique, sed non posse vbique capi,
sed solùm in ea re, quam ipse ad hoc instituit. Et ponit
exemplum de radiis solaribus, qui licet vndique nos cir-
cundent & impleant, cùm in Sole consistimus, tamẽ non
possumus ex eis cistam implere, & nobiscum deferre.
Similia dicit in serm. de Eucharistia, vbi docet Christi
corpus esse vbique, sed non debere quæri, vel accipi ci-
tra verbum eius: verbum autem non dicit Christi cor-
pus debere quæri, vel accipi, nisi in pane Cœnæ Domini.
Nam etiam in laqueo (istis enim exemplis nouus Pro-
pheta mirificè delectatur) est, & tamen non debeo col-
lumẽ in laqueum inijcere, & longam literam facere, quia
verbum Dei hoc non dicit.

AT hæc omnia frustrà dicuntur. Nam aut vult Lu-
therus corpus Domini, quod vbique est, nõ vbique pos-
se vtiliter haberi, aut simpliciter non posse vbique habe-
ri. Hoc autem, quod posteriùs dixi, nulla ratione defendi
potest. Nam quod vbique est, impossibile est nõ vbique
haberi; implicat enim contradictionem, vt habeam pa-
nem, & non habeam in illo corpus Domini, si vbique est
corpus Domini. Neque exemplum de radiis solaribus ad
rem facit: radij enim illi non sunt vbique. Neque valet
quidquam illa ratio de verbo Dei. Nam aut verbum Dei
docet, Christi corpus esse vbique, vel non: si non id do-
cet, ergo temerè Lutherani docent Vbiquitatem: si verò
id docet, ergo non citra verbum, sed planè duce verbo
vbique Christum habemus, & sumimus. Sed verissimũ
est, Lutherum id intellexisse, quod primo loco posuimus,
nimirum non vbique, sed solùm in Cœna, Christi cor-
pus haberi vtiliter, & efficaciter: nam ita exponit Bren-
tius in libro de duabus naturis, & Ascensione Christi.
Dicit enim corpus Domini esse vbique personaliter, sed
in Cœna esse etiam definitiuè, id est, ex definitione, &
decreto Dei, qui modus essendi addit solùm efficaciam,
nam in Cœna Domini sumitur efficaciter, & nusquam
alibi. At quid est hoc aliud, nisi Caluinismum inducere,
dum oppugnare conaris? Nam hoc modo nihil habemus
in Cœna, quod non habeamus extra Cœnam, nisi effica-
ciam quandam: & proinde vi Cœnæ non sumi corpus,
sed energiam eius, quæ est Caluini sententia.

QVARTÒ, dogma est à Lutheranis omnibus rece-
ptum, corpus Domini nõ esse in Eucharistia extra vsum,
id est, non esse nisi dum sumitur: & ea de caussa non ser-
uant species consecratas, neque deferunt ad ægrotos. At
Vbiquitas destruit istud dogma: si enim corpus Domini
vbique est, erit etiam ante vsum in pane.

RIDICVLA autem responsio Smidelini est in libro
aduersus Albertum Sperlingum, vbi dicit: *Quod aiũt Lu-
therani, corpus Domini non esse in Eucharistia extra vsum,
non intelligi de præsentia, sed de distributione, quia nimirum
non distribuitur extra vsum.* At vel Smidelinus loquitur
de quocunque vsu in genere, vel de vsu Cœnæ Domi-
ni, id est, de ritu illo, quo vtimur in consecratione, & dis-
tributione Eucharistiæ. Si de quocunque vsu, idem est
dicere non distribui extra vsum, & nõ distribui, nisi cùm
distribuitur: quod est certum, sed nunquam fuit in con-
trouersia. Si de vsu, & ritu Cœnæ Domini, falsum est nõ
distribui corpus Domini extra illum vsum. Nam quid-
quid porrigimus, seu distribuimus in quocunque loco, in
eo distribuimus corpus Domini, si corpus Domini ita
est vbique, vt tamen distribui possit. Nam (vt suprà de-
monstraui) quod est vbique, non potest distribui, cum
necessariò sit immobile.

QVINTÒ, accedat confessio ipsorum Vbiquistarum,
qui etsi valde vrgeant Vbiquitatem, tamen satis apertè
indicant, se coactos inopia rationum ad eam confugisse.
Nam Brentius in libro qui inscribitur, Recognitio Bren-
tij, apertè fatetur, non posse Lutheranos euadere, quin
cogantur admittere cõsecrationem Papistarum, nisi po-
natur ista Vbiquitas. Itaque videmus, Vbiquitatem non
per se placere, sed solùm quia non habent quod dicant,
quando ab eis petitur, vnde fiat, vt corpus Domini sit in
Eucharistia, si reiicitur consecratio.

ILLYRICVS autem in libro de mystica, Sacramen-
tali, & externa præsentia corporis Domini in Cœna, dicit
oportere admittere Christi præsentiam in Ecclesia, etiam
hîc in terris secundum humanam naturam, quia alioqui
Ecclesia careret capite, & cogeretur admittere eius Vi-
carium, id est, Papam. Quare Vbiquitas ista, nõ ideò pla-
cuit Illyrico, quia sit in se valde speciosa, sed quia vide-
tur conferre aliquid contra Papam.

KEMNITIVS quoque in 2. parte Exam. cap. 4. sess.
13. & liber Concordiæ in præfat. monent, fundamentum
præsentiæ corporis Domini in Eucharistia non esse po-
nendum in Vbiquitate, sed in verbis Domini: *Hoc est cor-
pus meum;* & tamen postea, cùm ad rem venitur, quia
nõ possunt reddere vllam rationem illius præsentiæ, cùm
reiecerint consecrationem, ad Vbiquitatem confugiunt,
eámque totis viribus tuentur. Sed de his satis.

CAPVT XVIII.

Explicatur sententia Ecclesiæ.

ERRORIBVS confutatis, explicanda & confir-
manda est veritas. Ecclesiæ igitur sententia est,
rationem proximam, & propriam, cur sit in Eu-
charistia verum Domini corpus, non esse assumptionem
panis ad personam Verbi, neque Vbiquitatem, neque
simplicem, & quasi localem vnionem panis cum corpo-
re, neque mutationem partialem panis in corpus, sed to-
talem conuersionem substantiæ panis & vini in corpus
& sanguinem Domini. Et quamuis in hoc Theologi cõ-
ueniant ob Conciliorum, & Ecclesiæ auctoritatem, ta-
men in modo explicandi nonnihil discrepant. Sequar
autem in hoc mysterio explicando communiorem &
tutiorem viam sancti Thomæ, atque aliorum grauiorum
Theologorum.

Igitur tria sunt obseruanda. Primum est, ad veram cõ-
uersionem quatuor conditiones requiri. Prima, vt ali-
quid desinat esse: nõ enim est intelligibile, vt vnum con-
uertatur in aliud, nisi id quod conuertitur, desinat esse,
quod antea erat. Hinc Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei,
cap. 18. docet, non fuisse veras conuersiones illas, quas
Gentiles iactabant factas à suis Magis, vel Diis, vt Arca-
dum in lupos, sociorum Diomedis in aues, sociorum
Vlyssis in varias bestias, Iphigeniæ in ceruam, & alias si-
miles. nam cùm Iphigenia inuenta esset alibi viua, post
conuersionem in ceruam, intelligi potuit non eam verè
conuersam fuisse, sed Dæmonis arte subitò inde abductã,
& in eius locum ceruam substitutam.

SI obiicias, in conuersione vxoris Loth in statuam
salis, nulla pars substantiæ illius fœminæ periit, sed tan-
tùm translata est anima in alium locum, & in materia
eius introducta est forma salis: & tamẽ ea verissima con-
uersio fuit. Respondeo; Conuersio non requirit vt desi-
nat esse, nisi id, quod conuertitur. Quare si id quod cõ-
uertitur, sit aliquod compositum, satis est si desinat esse
ipsum compositum; etiamsi fortè pars aliqua, vel etiam
omnes, post dissolutionem compositi maneant. Ita igitur
vera conuersio fuit vxoris Loth, quia illud compositum,
id est, illud corpus carneum, & illud animal rationale,
verè desiit esse: quomodo etiam Philosophi verè dicũt,
conuerti aquam in aërem, licet materia remaneat; quia
quod conuertitur est aqua, non materia, & verè post cõ-
uersionem non remanet aliquid, quod sit aqua, vel quod
fuerit aqua. At si id quod conuertitur, non solùm sit
compositum, sed etiam partes eius, tunc etiam partes
debent simpliciter desinere esse; & hoc fit in Eucha-
ristia. Nam ideò Concilium Tridentinum dixit, conuer-
sionem fieri totius substantiæ panis, id est, tam formæ,
quàm materiæ.

SECVNDA conditio est, vt aliquid succedat in lo-
cum eius, quod desinit esse, alioqui non esset conuersio,
sed corruptio, vel annihilatio, si terminus illius actionis
esset non esse rei. Atque hoc significamus cùm dici-
mus, vnum conuerti in alterum, siue quod fuit vnum,
nunc esse alterum: indicamus enim his sententiis vnum
alteri succedisse.

HINC intelligimus inanem, & superuacaneam fuisse
Caietani subtilitatẽ, in comment. sancti Thomæ 3. part.
quæst. 75. artic. 4. vbi concedit quidem nullam partem
substantiæ panis remanere post consecrationem, & ta-
men docet remanere id quod fuit panis, nimirum vt ve-
rè dici possit; Quod fuit panis, nunc est corpus Christi.
Sed non erat opus ista speculatione: verè enim dici po-
test; Quod fuit panis, est corpus Christi; licet nihil om-
nino maneat, quod priùs fuerit panis. Nam illæ senten-
tiæ ex communi modo loquendi, significant solum id
quod conuertitur, non desinere in nihil, sed in aliquid,
quod ei succedit. Hoc enim modo sine vllo mysterio, di-
cunt de naturalibus mutationibus Philosophi, Quod
fuit lignum, nunc est ignis, & quod fuit aqua, nunc est
aër: & tamen nihil manet, quod priùs fuerit lignum, vel
aqua; materia enim quæ manet, nunquam fuit lignum,
vel aqua.

TERTIA conditio est, vt sit connexio quædam, &
dependentia inter desitionem vnius, & successionem al-
terius, ita vt vnum desinat, vt alterum succedat, & vi de-
sitionis fiat successio. Nam si ista non essent connexa,
non esset vna actio, quæ dici posset conuersio, sed essent
duæ actiones per accidẽs se concomitantes, quarum vna
annihilatio, altera creatio diceretur. Vt exempli gratia;
Si Deus annihilasset vxorem Loth, & deinde vbi illa fue-
rat, creasset statuam salis, nulla esset ibi conuersio. At cõ-
uersio fuit, quia illa ipsa actio, per quam desiit esse vxor
Loth, introduxit in eius locum statuam salis.

ATQVE hinc intelligi potest, cur panis in Eucha-
ristia reuera non annihilatur, licet nihil eius remaneat post
consecrationem, quia nimirum actio per quam panis de-
sinit esse, non terminatur ad nihil, sed ad aliquid, nimi-
rum ad corpus Domini, annihilatio autem est actio, quæ
terminatur ad nihil. Id quod etiam cernimus in naturali
transmutatione. Nam cùm aqua vertitur in aërem, nihil
prorsus remanet formæ aquæ, & tamen ea forma non
annihilatur; quia actio, qua illa destruitur, non termina-
tur ad non esse illius formæ, sed ad esse formæ aëris: nam
ab eodem agente, eadem actione, & iisdem dispositioni-
bus, vna pellitur, & alia introducitur, immò ideò vna pel-
litur, vt alia introducatur. Quod enim quidam dicunt,
non annihilari formam aquæ, quia remanet in potentia
materiæ, inane est. Si quidem in potentia materiæ manet
quidem forma aquæ in vniuersum, sed non illa singularis
forma, quę tunc corrũpitur, cùm generatur aër: illa enim
nusquam manet, nisi in potentia Dei obiectiua. Sed hoc
nõ impedit annihilationẽ, alioqui nihil annihilari posset.

QVARTA cõditio est, vt tam terminus à quo, quàm
terminus ad quem, sit verè positiuus. In hoc enim distin-
guitur perfecta conuersio, non solùm à creatione, & an-
nihilatione, sed etiam à naturali conuersione, licet ex vno
fiat aliud, vt ex aqua aër, & proinde sit aliquando vter-
que terminus positiuus: tamen quia non introducitur
forma aëris in materia aquæ, nisi priùs ea disposita sit per
certas qualitates; inde est quod præcedit priuatio formæ
aëris in materia aquæ, ipsam introductionem formæ aë-
ris: tunc enim materia dicitur priuata, cùm habet dispo-
sitionem ad formam. Itaque terminus à quo in tali con-
uersione, nõ tam est aqua, quàm priuatio aëris, & proin-
de terminus à quo non est positiuus, sed priuatiuus pro-
priè loquendo. At in conuersionibus supernaturalibus,
qualis fuit vxoris Loth in statuam salis, & aquæ in vinum
in Cana Galilææ, & virgæ in draconem tempore Mosis,
vterque terminus propriè positiuus erat. Nõ enim Deus
disposuit materiam vxoris Loth, ad formam salis recipi-
endam, aut aquæ materiam ad formam vini, aut virgæ
ad formam draconis, sed in momento effecit, vt vnum
desineret in ordine ad alterius successionem: atque ita
non fuit facta statua illa, aut vinum, aut draco ex materia
habente priuationem, sed ex materia habente formam
contrariam.

EX quo intelligimus conuersionem panis in corpus
Domini esse perfectissimam conuersionem, & distingui
ab omnibus aliis mutationibus, sed similiorem tamẽ esse
conuersionibus supernaturalibus iam dictis, quàm vllis
aliis: solùm enim in duobus ab his distinguitur. Primò,
quod in illis conuersionibus probabile est, materiam pri-
mam mansisse sub vtroque termino, in hac autem cer-
tum est non manere. Secundò, quod in illis accidentia,
aut omnia, aut aliqua mutata sunt cum forma substantia
li, in hac autem omnia accidentia remanent, quæ priùs
erant, sola substantia mutata. Hæc igitur dicta sint de
conditionibus, & natura conuersionis.

SECVNDÒ notandum est, Ad veram conuersionem non requiri, vt id, in quod aliquid conuertitur, de nouo producatur, sed satis esse si vnum alteri succedat (vt diximus) siue id tunc producatur, siue aliunde adducatur, siue alio modo id fiat. Tribus enim modis fieri potest conuersio. Nam si terminus ad quem non existat, vi conuersionis, necessariò producetur, & inde vocatur à quibusdam ea conuersio productiua, qualis fuit conuersio aquæ in vinum in Cana Galilææ, & aliæ permultæ. Si verò terminus ad quem existat, sed non in eo loco, vbi est terminus à quo, tunc vi conuersionis adducetur ad eum locum, & inde vocatur ea conuersio adductiua: talis ferè est cõuersio cibi in hominem per nutritionem; nam anima non producitur, sed tantùm per nutritionem fit. vt incipiat esse in ea materia: vbi antea erat forma cibi. Si denique terminus ad quem existat, & in ipso loco eodem, vbi est terminus à quo, vt verbi gratia, si duo corpora æqualia se penetrent, & vnum diuina virtute totaliter vertatur in aliud, tunc vi conuersionis non producetur, neque adducetur terminus ad quem, sed solùm conseruabitur, & inde dicitur ea conuersio conseruatiua: nam cùm nõ possint naturaliter duo corpora simul esse, si Deus vnum interimeret, vt alterum naturaliter ibi seruaret, diceretur vnum in alterum conuerti, ex eo quod vnum desineret esse, vt alterum permaneret in esse.

EX his colligimus cõuersionem panis in corpus Domini non esse productiuam, nec conseruatiuam, sed adductiuam. Nam corpus Domini præexistit ante conuersionem, sed non sub speciebus panis: conuersio igitur non facit, vt corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed vt incipiat esse sub speciebus panis. Porrò adductiuam vocamus istam conuersionem, non quia corpus Christi per hanc adductionem deserat suum locum in cœlo, vel quia per motum localem huc de cœlo adducatur, sed solùm quia per eam fit, vt corpus Christi, quod antea solùm erat in cœlo, iam etiam sit sub speciebus panis, & non solùm sub illis sit per simplicem præsentiam, siue coëxistentiam, sed etiam per vnionem quandam, qualis erat inter substantiam panis, & accidentia panis, excepta tamen inhærentia: de qua re plura infrà dicemus.

SED obiiciet aliquis, Si per conuersionem istam non producitur corpus Christi, sed tantùm fit præsens; ergo terminus ad quem, non est substantia, sed accidens: ergo conuersio ista non substantialis, sed accidentalis est.

RESPONDEO Primò, in conuersione attenditur præcipuè terminus à quo, sicut in corruptione, & annihilatione: id enim conuertitur, quod desinit esse. Cùm ergo panis substantialiter mutetur, hæc conuersio substantialis, non accidentalis dicenda est. Secundò etiam terminus ad quem, est substãtia. Non enim per conuersionem istam fit præsentia (relationes enim non fiunt, sed consequũtur) sed fit, vt corpus Christi succedat pani: proinde substantia in substantiam transit, & substantia substantiæ succedit; non enim panis conuertitur in præsentiam corporis Domini, sed in ipsum corpus Domini.

TERTIÒ notandum est. Subiectum in quo recipitur actio diuina huius conuersionis, partim esse panem, partim corpus Christi. Nam illa actio, vt conuersio, in pane recipitur: panis enim est, qui conuertitur, proinde panis solus mutatur substantialiter. At illa eadem actio, vt adductiua corporis Christi, in ipso Christi corpore recipitur: illud enim est, quod adducitur, id est, acquirit esse sub speciebus panis, quod antea non habebat.

QVOD autem S. Thomas, & alij dicũt, corpus Christi incipere esse in Sacramento, non per mutationem sui, sed per mutationem panis in ipsum, verum est, sed intelligi debet de mutatione deperditiua, non autem de omni mutatione. Nam verè corpus Christi quod est in cœlo, non mutat, nec substantiam, nec vlla accidentia, nec ipsum etiam locum, tamen acquirit aliquid quod non habebat, nimirum esse Sacramentale, quod sine aliqua mutatione intelligi nequit. Nam si absque conuersione vlla in ipsum, idem corpus Domini in cœlo manens, poneretur à Deo etiam in terra, quod fieri posse nos suprà docuimus, immò & factum esse probauimus ex apparitionibus Domini post ascensionem: certè negari non posset, quin actio Dei, qua illud corpus in terra poneretur, in ipso corpore, tanquam in subiecto reciperetur, & proinde ipsum corpus aliquo modo mutaretur. Eodem igitur modo, cùm per conuersionem panis, idem corpus in sacra hostia ponitur, actio illa in corpore Domini recipitur, non quidem vt conuersio, sed vt adductio est. Præterea corpus Domini per illam conuersionem acquirit nouam, & realem relationem præsentiæ, ad species panis, & ad altare: requiritur igitur aliquod fundamentum illius relationis, quod sanè aliud fingi nõ potest præter mutationem aliquam. Denique conuersio, quatenus panem destruit, non tam est actio, quàm negatio actionis: Deus enim destruit panem, dum desinit eum conseruare. At per negationem nihil positiuè, & realiter fieri potest; ergo positio corporis Domini sub illis speciebus, quæ est quid positiuum, non fit ab illa conuersione, vt ea est in pane, sed vt est, & recipitur in corpore Christi.

DICES; Si panis destruitur per negationem actionis, & corpus Domini ponitur in Eucharistia per actionem positiuam; ergo transubstantiatio non est vna actio, sed continet duo quædam, nimirum negationem actionis, & actionem. Respondeo; Transubstantiatio est vna actio, quia est quædam voluntas, seu volitio Dei, qua ipse vult non conseruare panem, vt in eius locum ponatur corpus Domini.

CAPVT XIX.

Probatur ex verbo Dei transubstantiatio.

NVNC tandem confirmanda est sententia Catholicæ Ecclesiæ, quæ docet, panem conuerti in corpus Domini, & eam conuersionem esse propriam rationem præsentiæ corporis Domini in Eucharistia: ex quo simul confutabitur prima sententia Berengarianorum, quam etiam Lutherani sequuntur, de simplici coniunctione panis cum corpore Domini in hoc Sacramento.

PRIMVM autem argumentum ducitur ex illis Domini verbis: *Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum*, Matth. 26. Hæc enim verba necessariò inferunt, aut veram mutationem panis, vt volunt Catholici, aut mutationem metaphoricam, vt volunt Caluinistæ, nullo autem modo sententiam Lutheranorum admittunt: nam Dominus accepit in manibus panem, eúmque benedixit, & dedit discipulis, & de eo ait: *Hoc est corpus meum.* Itaque panem accepit, panem benedixit, panem dedit, & de pane dixit: *Hoc est corpus meum.* Vel igitur benedicendo mutauit in corpus reipsa verè & propriè, vel mutauit impropriè & figuratè, addendo significationem, quam non habebat; vel nullo modo mutauit. Si mutauit reipsa, & verè & propriè, ergo panem mutatum dedit, & de pane mutato verissimè dixit: *Hoc est corpus meum*, id est, quod sub specie panis continetur, non est ampliùs panis, sed corpus, & hoc est quod dicunt Catholici. Si verò quis dicat, panem mutatum esse figuratè, tamen datus erit Apostolis panis, qui figuratè erit corpus Domini, & illa verba: *Hoc est corpus meum*, hunc sensum habebunt, Hic panis est figura corporis mei. Hæc autem est sententia Sacramentariorum, quam & nos, & Lutherani communi consensu reiicimus. Si quis denique dicat nullam fieri mutationem, is cogetur dicere, panem non mutatum datum esse Apostolis, & de illo esse dictum; *Hoc est corpus meum*, id est, Hic panis verus ac triticeus, verè & propriè est corpus meum. Atqui hoc nullo modo admitti potest, siue agamus de reipsa, siue de propositione:

sitione: nec enim vllo modo fieri potest, vt vna res non mutetur, & tamen fiat alia, esset enim ipsa, & non esset ipsa. In propositione autem affirmatiua, necesse est, vt pro eodem supponant subiectum, & prædicatum: alioqui esset falsa prædicatio. Non igitur potest fieri, vt vera sit propositio, in qua subiectum supponit pro pane, prædicatum autem pro corpore Christi: panis enim & corpus Domini res diuersissimæ sunt.

AD hoc argumentum respondit Lutherus in libro de Babyl. captiuit. cap. de Eucharistia, non oportere Aristotelem iudicem facere rerum tam sublimium. Deinde addit, si propter istam regulam Philosophicam, oportet panem transubstantiari, oportebit etiam propter eandem transaccidentari, alioqui dicemus, Hoc album, & hoc rotundum est corpus Christi. Denique ponit exemplum, in quo apparet posse prædicari diuersum de diuerso sine transubstantiatione: dicimus enim in Christo, Hic homo est Deus, & Hic Deus est homo, & tamen nulla fit transubstantiatio hominis in Deum, vel contrà. Ex his ita concludit: *Ego sanè, si non possum consequi, quomodo panis sit corpus Christi, captiuabo tamẽ intellectum meum in obsequiũ Christi, & verbis eius simpliciter inhærens, credo firmiter, non modò corpus Christi esse in pane, sed panem esse corpus Christi.*

SED hæc nullo negotio refelluntur. Nam quod ad Primum attinet, si Aristotelem iudicem vocaremus in quæstione Dialectica, seu Philosophica, qualis est hæc de natura enunciationis affirmatiuæ, non deberet Lutherus id tantopere ægrè ferre. Sed non hîc opus habemus Aristotele, cùm sensus communis sufficiat. Nam si liceat affirmare disparata de disparatis, licebit eodem iure affirmare de nihilo aliquid, de aliquo nihil, de luce tenebras, de tenebris lucem, de Christo Belial, & de Belial Christum: neq; fides nostra ad id nos obligat, vt ea defendamus, quæ euidenter implicant contradictionem. Adde, quòd nusquam Dominus disertis verbis dixit; Hic panis est corpus meum, vt opus sit in ea re ita captiuare intellectum, vt non obstante euidentia contradictionis, cogamur credere, panem triticeum esse corpus Christi.

QVOD verò Lutherus Secũdò loco adfert de transaccidentatione, leuissimum est. Non enim admittimus illas propositiones, Hoc album, vel hoc rotundũ est corpus Christi, neque cogimur eas admittere, licet fateamur panis accidentia in Eucharistia remanere. Nam illud: *Hoc est corpus meum*, non significat, Hoc album est corpus meum: pronomen enim, *Hoc*, non supponit pro accidente, sed pro substantia. Itaque non cogimur dicere, Hoc album est corpus meum, sed nec possumus admittere. Nam hoc album, ante consecrationem supponit pro pane, post consecrationem non supponit pro pane, quia panis ibi nõ est, nec pro corpore Christi, quia corpus Christi non est subiectum illorum accidentium, sed supponit pro quantitate remanente, quæ est subiectum accidentium reliquorum: porrò quantitas illa alba, & rotunda non est corpus Christi, vt patet.

Vide de ista quæstione, An hoc albũ sit corpus Christi, miras fraudes VVicleſi apud Thomam VValdensem, tomo secundo, cap. 52. Ille enim iubebat vno verbo responderi, an hoc album, & rotundum (demonstrata sacra hostia) sit corpus Christi. Si enim concederetur, inferebat, Ergo corpus Christi est album, & rotũdum, &c. Si negaretur, turbabantur simplices fideles, qui putabant negari veritatem corporis Domini in Eucharistia. Sed respondendum fuit; Hoc album non est corpus Christi, sed est quantitas quædam rotundæ figuræ, & albi coloris; tamen sub hoc albo & rotundo, verè & realiter corpus Christi latet.

DENIQVE illud exemplum de Incarnatione nõ est ad rem. Nam in Christo propter vnionem hypostaticam veriſſimæ sunt illæ propositiones: Hic Deus est homo, &, hic homo est Deus; quia in vtraque tam subiectũ, quàm prædicatum, pro eadem persona supponit. At in ista propositione, Hic panis est corpus Domini, pro diuersis supponunt subiectum, & prædicatum, vt suprà dictum est.

PORRÒ Martinus Kemnitius in 2 parte Exam. sess. 13. cap. 4. ad idem nostrum argumentum respondere conatur. Ac Primum respondet, panem in Eucharistia mutari, quia vt dicit Irenæus, ex pane communi fit Eucharistia, duabus rebus constans, vna terrena, altera cœlesti. Atque hoc dicit sufficere, vt rectè & verè dicamus, Panis est corpus Christi, licet panis non conuertatur in corpus, sed simul cum illo maneat.

DEINDE paulò infrà repetitis Lutheri magis de Philosophia Aristotelis, dicit secundum morem Scripturæ sanctæ illa inuicem prædicari, quæ diuina ordinatione peculiari modo vniuntur, licet in eiusmodi propositiones non quadret regula Aristotelis. Ad veritatem autem harum propositionum dicit requiri tantùm, vt significetur vnio, & præsentia vnius rei cum altera.

EXEMPLA verò hæc adfert. Primùm de Christo, in quo rectè dicimus; Hic homo est Deus; tametsi ad regulas prædicabilium non congruat ea propositio. Vbi tamen monet, se non ponere vnionem personalem inter panem, & corpus Christi, sed tantùm vti similitudine Incarnationis, vt ea vsi sunt nonnulli veterum in eadẽ causa. Secundum exemplum Ioan. 20. Dominus insufflauit, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, vbi ipsum corporis flatum Spiritum sanctum vocauit, vt significaret cum eo flatu dari Spiritum sanctum. Tertium exemplũ Matt. 3. Columba vocatur Spiritus sanctus, cùm dicitur Ioannes Spiritum vidisse, qui tamen non viderat, nisi columbam. Quartum exemplum dicit esse posse illas visibiles species, in quibus Angeli, vel Deus, olim ostendebantur; nemo enim ausus fuit articulum inde facere, quòd species illæ fuerint accidentia sine subiecto. Quintum exẽplum; Progrediente arca dicebat Moses: *Exurgat Dominus*, nec tamen opus fuit transubstantiari lignum, vel aurum arcæ. Sextum exemplum in vulgari loquutione. Nam de dolio & vino, dicimus, Hoc est vinum; de marsupio & pecuniis dicimus, Hæ sunt pecuniæ; de fasciis & infante dicimus, Hic est infans veteri mei. His exemplis iactat Kemnitius gladio Spiritus se feliciter dissoluisse, vel præcidisse telam nostri argumenti.

SED profectò nos non egemus gladio, vt telam solutionis eius destruamus: est enim ea telæ aranearum similima, quæ leui flatu dissipari queat, nam multa dicit, sed nihil ad rem. Ad illud igitur de mutatione ex pane communi in Eucharistiam duabus rebus constantem, dico illam mutationem secundum veram Irenæi sententiam (vt nos libro secundo, capite sexto, ostẽdimus) substantialem mutationem esse panis in carnem Christi, manentibus accidentibus, & proinde rem terrenam esse accidentia panis sensibilia, rem cœlestem, carnem Christi gloriosam: & hoc modo verè prædicari corpus Christi de pane Eucharistiæ, quia panis ille non est panis cõmunis, id est, triticeus, sed panis cœlestis. At secundũ Lutheranos, qui per rem terrenam exponunt panem, per rem cœlestem intelligunt corpus Christi, nulla est ibi vera mutatio panis, sed sola adiunctio corporis Domini ad panem, quæ non est satis, vt possit verè dici, Panis est corpus Christi: alioqui etiam verè dicere possemus in homine, Anima est corpus, & in Christo, Humanitas est Diuinitas, & in ferro ignito (quod est exemplum Lutheri loco suprà citato ad illustrandam coniunctionem panis cum corpore Christi in Eucharistia) Ferrũ est ignis, vel ignis est ferrum, quæ tamen nemo concederet.

AD illud quod subiungit Kemnitius de more, & vsu Scripturæ, dico falsum esse in Scripturis vllas tales propositiones inueniri, quales ipse fingit. Ac in Primò quidem exemplo bis peccat Kemnitius, Primò, quia dicit,

illam propositionem, Hic homo est Deus, non esse veram secundum regulas Aristotelis: in quo satis ostendit, se non legisse, vel quod est credibilius, non intellexisse regulas Aristotelis. Posita enim assumptione humanæ naturæ ad personam Verbi, illa propositio verissima est secundum omnes regulas Philosophiæ, cùm pro eodem supposito supponant, tam *hic homo*, quàm *hic Deus*. Nisi fortè Kemnitius non agnoscat in Christo veram, & hypostaticam vnionem duarum naturarum, quòd sanè insinuat, cùm ait eiusmodi propositiones tantùm significare vnionem, & præsentiam vnius rei cum altera. Sed si hoc velit, apertè se Nestorianis fauere significat: illi enim volebant inter hominem & Deum in Christo, esse tantùm vnionem, & præsentiam quandam mutuam.

SECVNDÒ, quia dicit inter panem, & corpus Domini non esse personalem vnionem, & tamen contendit, ita esse veram istam, Hic panis est corpus Christi, vt est illa, Hic homo est Deus. Nam aut vult non esse etiam personalem vnionem inter Deum & hominem in Christo, quod est apertè Nestorianum, aut certè nescit quid loquatur, cùm similitudinem ponat, & interim tollat fundamentum similitudinis. Tota enim ratio, cur illa sit vera, Hic homo est Deus, est vnitas personalis. Cùm igitur hæc vnitas ponatur in Christo, & non ponatur in Sacramento Eucharistiæ, nullo modo fieri potest, vt sint æquè veræ, illa, Hic homo est Deus, & illa, Hic panis est corpus Christi.

SECVNDVM exemplum non est ad rem. Non enim Dominus dixit, Hæc insufflatio est Spiritus sanctus, sed insufflando dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* vbi solùm ostendit, se signo exteriori repræsentare id, quod interna, & inuisibili operatione faciebat. Vnde illa verba: *Accipite Spiritum sanctum*, non faciunt hunc sensum, Accipite hanc insufflationem, quæ est Spiritus sanctus, sed hunc, Accipite in hac insufflatione, seu per hanc insufflationem, vt per signum, & causſam instrumentalem, donum Spiritus sancti.

TERTIVM exemplum simile est superiori. Nusquam enim expressè legimus, Columba est Spiritus sanctus, sed solùm legimus, visum à Ioanne Spiritum sanctum descendêtem sicut columbam: nam omnes Euangelistæ Matth. c.3. Marc. c.1. Luc. c.3. Ioan. c.1. addiderunt particulam similitudinis, vel tanquam, vel sicut, vel quasi. Ex quo intelligimus, columbam signum duntaxat Spiritus sancti fuisse, & Spiritum sanctum in columba, vel in signo visum.

QVARTVM exemplum, est merum parergum. Nec enim disputamus nunc, an accidentia panis manêat sine subiecto, sed an sit vera propositio in proprio sensu, Hic panis est corpus Christi: nusquam autem inueniet Kemnitius hãc propositionem in totis Bibliis, Corpus ab Angelo assumptum, est ipse Angelus.

QVINTVM exemplum simile est secundo. Cùm enim eleuabatur arca, dicebat Moses: *Exurgat Dominus*, non quòd arcam appellaret Dominum, sed quia simul cum arca Dominus procedebat cum filiis Israël, & viam demonstrabat.

SEXTVM exemplum indicat sapientiam Kemnitij. Nam antea dixerat cum Luthero, eiusmodi propositiones non conuenire cum regulis Philosophiæ, & esse Scripturarum proprias, & oportere intellectum captiuare, si eæ credendæ sint; nunc autem vult esse adeò vulgares, tritas & faciles, vt in communi sermone quotidie vsurpẽtur. Istud nimirum est sapere. Sed nec in istis vulgaribus exemplis aliquid simile nostræ propositioni inuenire potuit. Nam etsi dolium vino plenum, & marsupium plenum pecuniis, & infantem fasciis circumligatum, simpliciter vinum, pecunias, & infantem nominamus: tamẽ nemo diceret, Dolium est vinum, marsupium est pecunia, fascia est infantulus; vt ipsi verè dici volunt, Panis est corpus Christi.

SED licet aduersarij euidentissimè conuincãtur ex eo quod volunt illud pronomen, *Hoc*, significare Hic panis; posset tamen aliquis dicere, in Eucharistia manere quidem panem cum corpore Domini, sed illa verba: *Hoc est corpus meum*, dicta esse solùm de corpore Domini, ita vt pronomen, *Hoc*, supponat in confuso pro eo, quod continetur sub speciebus (vt nos suprà diximus) & tamen virtute prædicati determinetur ad corpus Domini, & nulla mentio fiat substantiæ panis, licet ibi maneat. Nam abstrahentium non est mendacium: & exempla esse possunt illa, quæ attulit Kemnitius. Nam de dolio vini, rectè dicimus, Hoc est vinum; cùm tamen sint ibi duę substantiæ, vna vini, altera dolij: & similiter de marsupio, & pecuniis dici potest, Hæ sunt pecuniæ.

RESPONDEO; Absolutè ex verbis Domini, colligi transubstantiationem. Nam in propositionibus de re cõtinente & contenta pronomen, *Hoc*, potest quidem demonstrare alterutrum, id est, tam rem continentẽ, quàm rem contentam: rectè enim dicimus de dolio vini, Hoc est dolium, & etiam, Hoc est vinum. At cùm demonstratur res contenta, demonstratur vna res tantùm, & excluduntur omnes aliæ, quæ ibi contineri possent, & proinde ex modo communi loquendi, falsa est demonstratio si plura contineantur. Verbi gratia, si quis de dolio, vbi sit vinum & oleum, dicat, Hoc est vinum; fraudator censetur: Illud enim, (Hoc est vinum) ex modo communi loquendi significat, In hoc dolio nihil est, nisi vinum. Pari ratione, si quis de marsupio pleno partim auro, partim argento, dicat, Hoc est aurum, vel de sacco pleno partim tritico, partim arena, diceret, Accipe & vtere, hoc enim est triticum; deceptor iure haberetur. Eodem igitur modo illa verba; *Hoc est corpus meum*, ex modo communi loquendi, quidquid sit de Metaphysicis subtilitatibus, significant sub illis speciebus non fuisse aliud, quàm corpus Domini: si enim fuisset etiam panis, debuisset Dominus dicere, Hic, id est, in hoc pane est corpus meum, aut certè, hoc nõ tãtùm est panis, sed etiá corpus meum.

SED dicet aliquis; Totus panis est res continens respectu corporis Domini; ergo, &c. sicut de dolio vini dicimus, Hoc est vinum; licet dolium sit substantia, & sicut de Angelo apparente in forma humana, dici posset, Hic est Angelus Raphaël, licet illa forma corporalis esset etiam substantia.

RESPONDEO, In Eucharistia sola accidẽtia locum habent rei continentis, substantia autem panis, aut ibi non est (vt Catholici credunt) aut si ibi est, vt volunt Lutherani, est res contenta simul cum corpore Christi, & proinde falsa est propositio, Hoc est corpus, si ibi sint duæ substantiæ. Quod autem sola accidentia sint res continens ex eo patet, quòd corpus Christi non est in pane, vt in vase, aut in loco, sed est vt substantia sub accidentibus. Nam inde est, quod ex natura rei, posita consecratione, ad motum illorum accidentium mouetur corpus Christi, & ad illorum eleuationem eleuatur, ad illorum depressionem deprimitur, & ad illorum corruptionem desinit ibi esse corpus Christi, quomodo desineret substantia panis, si ibi fuisset. Quod non videmus in exemplis allatis de vino, & Angelo, quia illa non manent vt substantiæ sub accidentibus, sed vt res in vase, vel in loco: non enim ad morum corporis assumpti, mouetur Angelus necessariò, & ex natura rei, sed posset non moueri, & quando mouetur, voluntariè mouetur, immò ipse est, qui mouet illud corpus, & quando dissoluitur illud corpus, non necessariò Angelus desinit esse in eo loco, sed potest manere, si velit.

ADDE, quòd licet in verbis Domini esset aliqua obscuritas, vel ambiguitas, ea tamen sublata est, per multa Concilia Catholicæ Ecclesiæ, & Patrum consensum.

CAPVT XX.

Transubstantiatio probatur testimoniis Patrum.

IAM testimoniis veterum Patrum res eadem est demonstranda, id quod necessariò faciendum est: siquidem aduersarij iactant, transubstantiationem, non fuisse cognitam ante annum Domini, M. CC. id est, vsque ad Concilium Lateranense sub Innocentio III.

LVTHERVS in lib. de captiuit. Babyl. c.1. non semel affirmat, transubstantiationem esse inuentum sancti Thomæ, & opinionem Thomistarum, & ibidem indicat eam opinionem probatam fuisse à Papa, in c. firmiter, quod caput depromptum est ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. vbi Lutherus turpiter labitur in historia: siquidem sanctus Thomas, nondum natus erat, cùm ederetur cap. firmiter, & Concilium illud celebraretur; Constat enim Concilium celebratum anno M. CC. XV. sanctum verò Thomam natum postea anno M.CC.XXIV. Petrus Martyr in libro contra Stephanum Gardinerum obiecto 128. Innocentiũ III. cum Concilio Lateranensi facit auctorem primum transubstantiationis, tum quoad nomen, tum etiam quoad rem Io. Caluinus li. 4. Inst. c. 17. §. 15. eodem respexit, cùm ait, tempore sancti Bernardi nondum innotuisse orbi transubstantiationem. Idem quoque significat Martinus Kemnitius in 2. parte Exam. Concil. Trident. sess. 13. c. 4. vbi dicit, tempore Petri Lombardi nihil certi de hac re fuisse in Ecclesia.

IGITVR ad hoc mendacium refellendum, adducenda erunt testimonia Patrum ab Apostolorum tempore, vsque ad tempora Innocentij III. siue ad annum Domini M.CC. Prima ætate post Apostolos ab anno Domini C. ad CC. floruerunt Iustinus, & Irenæus. Iustinus in Apologia 2. prope extrema, dicit, eum cibum ex quo carnes nostræ aluntur, id est, panem prece verbi Dei sanctificatum, esse carnem Domini. Irenæus lib. 4. cap. 34. *Quomodo*, inquit, *constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui, &c.* Vterque igitur vult hanc propositionem esse veram, Panis consecratus est corpus Domini. Atqui hæc vera esse non potest, sine mutatione panis in corpus Domini: neque enim panis manens panis, esse potest corpus Domini, vt suprà ostendimus; igitur mutatio fit, & eo modo panis mutatus, verè est corpus Domini.

AB anno CC. ad CCC. floruerunt Tertullianus & & Cyprianus. Tertullianus lib. 4. in Marcionem: *Acceptum panem*, inquit, *corpus suum facit, dicendo: Hoc est corpus meum.* At quomodo potuit panis fieri corpus sine sui mutatione? Cyprianus in sermone de Cœna Domini: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro.* Hic planè vides, panem mutari quoad naturam seu substantiam, & tamen effigiem, id est, accidentia remanere: & hoc est, quod vocamus transubstantiationem.

AB anno CCC. ad CD. floruerunt, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, & Gaudentius. Cyrillus catechesi 4. mystagogica: *Aquam*, inquit, *aliquando mutauit in vinũ, & non erit dignus, cui credamus, quod vinũ in sanguinem transmutarit?* En realẽ mutationẽ Paulo infrà: *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis.* En accidentia panis, quæ remanẽt. Et infrà: *Hoc sciẽs, & pro certissimo habens panẽ hunc, qui videtur à nobis, non esse panẽ, etiamsi gustus panem esse sentiat.* En absentiam substãtiæ panis, manente colore, & sapore, & proinde integram transubstantiationem.

AMBROSIVS libro de iis, qui initiantur mysteriis, c. 9. *Quantis vtimur exemplis, vt probemus, non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit? maioréque vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur?* Ecce non manet panis, quem natura formauit, & tamen accidentia manent, vt experimento constat; ergo substantia mutata est, accidentibus non mutatis.

GREGORIVS Nyssenus in orat. magna catechetica, c. 37. *Reſtè Dei Verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari.* Et infrà: *Hæc autem tribuit virtute benedictionis in illud (corpus Domini) verũ quæ videntur (panis, & vini) naturam mutans.* Et hîc vides naturam panis mutari, manente specie exteriore: nam ideò dicit mutari naturam rerum, quæ videntur.

GAVDENTIVS tractatu 2. de Exodo: *Ipse naturarũ creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia & potest, & promisit, efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit.*

AB anno CD. ad D. floruerunt, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, & Eusebius Emissenus Ioannes Chrysostomus hom. 83. in Matth. *Non sunt humanæ virtutis opera proposita: nos ministrorum locum tenemus, qui verò sanctificat ea, & immutat, ipse est,* & homilia de Eucharistia in Encæniis: *Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in successum vadunt? absit: ne sic cogites. Sicut enim, si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia.* Hic etiam videmus totam substantiam mysteriorum, id est, panis consecrati, consumi ab adueniente substantia corporis Domini, vt ceram ab igne: & tamen manere exteriorem speciem panis, vt sensus ipsi testantur.

AVGVSTINVS in sermone, quem citat Beda in c. 10. prioris ad Cor. *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi.* Aduerte, non dixisse Augustinum, Panis est corpus Christi, vt Lutherani loqui solent, sed, *Fit corpus Christi.* Quæ verba mutationem significant panis in corpus, vt quidem Zwingliani vtcunque respondere possent, mutatione significationis ex pane fieri corpus: at Lutherani quid respondere possint, nescio. Nam ipsi volunt realiter corpus Domini adesse in Cœna: Augustinus autem dicit, panem fieri corpus, proinde fateri debent ex Augustini sententia, panem reipsa conuerti in corpus. Itẽ serm. 28. de verbis Dom. *Dixi vobis quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam nõ panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica ait, Panem nostrum? panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem: non iste panis, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Thomas Vvaldensis tom. 2. c. 83. citat alium locum ex li. Augustini de corpore Domini, quem dicit se transcripsisse ex antiquissimo libro, antiqua valde manu descripto: *Nec credendum est,* inquit, *quòd substantia panis, vel vini remaneat, sed panis in corpus Christi, & vinum in sanguinem vertitur, solummodò qualitatibus remanentibus.* Suspicor eum librum non Augustini, sed Alcuini esse: nobis tamen satis est antiqui auctoris fuisse.

CYRILLVS Alexandrinus in epist. ad Calosyrium: *Ne horreremus carnem & sanguinem appositæ sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen inueniatur in nobis.*

EVSEBIVS Emissenus, seu quicunque fuit auctor serm. de corpore Dom. *Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini, post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid mirum est autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere?*

AB anno D. ad D C. floruit S. Remigius Remensis, qui in capit. 10. prioris ad Corinth. sic loquitur: *Caro, quam Verbum Dei Patris assumpsit in vtero virginali, in vnitate suæ personæ, & panis, qui consecratur in altari,*

vnum corpus Christi sunt: sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus.

POST annum Domini DC. Gregorius Papa I. teste Paulo Diacono in eius vita, ita coram populo loquutus est: *Præscius conditor nostræ infirmitatis, ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, panem & vinum aqua mistum manente propria specie, in carnem & sanguinem suum spiritus sui sanctificatione conuertit.*

POST annum Domini DCC. Beda in serm. de Epiphania: *Panis, & vini creatura in Sacramentum carnis & sanguinis eius, ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur.* Nota, per Sacramentum intelligi ipsum corpus sub specie panis existens: nam alioqui non opus esset ineffabili Spiritus sanctificatione, si sola significatione panis mutaretur. Præterea idem Beda in lib. de mysteriis Missæ, quem citat Thom. Valden. tomo 2. c. 82. *Ibi*, inquit, *forma panis videtur, vbi substantia panis non est, nec est ibi panis alius, quàm panis, qui de cœlo descendit.*

IOAN. Damascenus in 4. lib. de fide c. 14. *Panis, vinúmque & aqua per innocationem & aduentum Spiritus sancti, supernaturaliter transmutatur in corpus, & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem.*

POST annum Domini DCCC. multi scripserunt. Theophylactus in cap. 6. Ioannis: *Transformatur arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem S. Spiritus in carnem Domini.*

STRABVS auctor Glossæ ordinariæ in Glossa cap. 11. prioris ad Cor. *Nos*, inquit, *incerta relinquentes, quod ex auctoritatibus certum est, profitemur, scilicet substantiam panis & vini, in substantiam corporis & sanguinis Dominici conuerti: modum verò conuersionis nos ignorare non erubescimus fateri. Quæ autem remanent de priori substantia accidentia, scilicet color, sapor, forma, pondus, nec ipsum corpus Christi afficiunt, nec in eo fundantur.*

ALCVINVS, qui floruit circa annũ Domini DCCC. in lib. de diuinis officiis, c. de Missa, exponens illa verba Canonis: *Ratam, rationabilem*, &c. *Panis*, inquit, *per se irrationabilis est, sed orat Sacerdos, vt ab omnipotente Deo consecratus, rationabilis fiat transeundo in corpus Filij sui.* Et infrà: *Consulens Deus infirmitati nostræ, qui non solemus carnes crudas manducare, & sanguinem bibere, facit vt in pristina remaneant forma duo illa munera, & est in veritate corpus Christi & sanguis.*

REMIGIVS Antisiodorensis in Psal. 21. *Panis & vinum à Christiana veritate dicuntur, non quòd naturam panis & vini post consecrationem in se retineant, nisi quantum ad speciem & saporem & odorem: illi namq; qui carnem in vtero Virginis assumptã Verbo suo personaliter & ineffabiliter vnire potuit, qui etiam mortalia corpora nostra imperij sui potentia facit immortalia, panis & vini materiam in sui corporis & sanguinis naturam transferre possibile est.*

AMALARIVS Treuirensis li. 3. de Eccl. officiis, c. 24. *Hic credimus naturam simplicẽ panis & vini mixti verti in naturam rationabilem, scilicet corporis & sanguinis Christi.*

PASCHASIVS Corbeiensis in libro de corpore & sanguine Domini, cap. 1. *Licet figura panis & vini hic sit, omninò nihil aliud, quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt.* Si nihil aliud, non igitur substantia panis & vini.

SED omittenda non est elegantissima & acutissima responsio Kemnitij ad hunc locum. Nam in fine disputationis de transubstantiatione, in 2. part. Exam. Concil. Trident. sess. 13. ca. 4. volens exemplo quodam ostendere, quid sit respondendum ad loca Patrum, obiecit sibi hunc locum tanquam Ambrosij (cùm tamen non Ambrosij, sed Paschasij sit) ac respondet nihil aliud credendum esse in Eucharistia, quàm carnem & sanguinem Domini, non quòd panis ibi non sit, sed quia panis non creditur, sed videtur: corpus autem Domini sola fide apprehenditur. At si id voluit dicere Paschasius, ergo ante consecrationem panis non videbatur, sed credebatur: ipse enim dicit, post consecrationem non credi, nisi corpus. Et cur, obsecro, idem auctor præmisit Deum omnia posse conuertere & mutare pro arbitrio?

POST annum Domini CM. floruit S. Fulbertus Carnotensis, qui in epistola ad Adeodatũ: *Dubitari*, inquit, *nefas est, vt ad cuius nutum cuncta subitò ex nihilo subsliterunt, si pari potentia in spiritualibus Sacramentis terrena materies naturam & meritum generis sui transcendens, in Christi substantiam commutetur, cùm ipse dicat, Hoc est corpus meum: & paulò pòst, Hic est sanguis meus. Si Deum omnia posse credis, & hoc consequitur vt credas: nec humanis disputationibus discernere curiosiùs insistas, si creaturas quas de nihilo potuit creare, has ipsas multò magis valeat in excelsioris naturæ dignitatem conuertere, & in sui corporis substantiam transfundere.*

ATQVE hactenus de Patribus, qui floruerunt primis mille annis, antequam hæresis Berengarij oriretur: nunc subiiciemus eadem breuitate eorum testimonia, qui scripserũt duobus posterioribus sæculis, qui omnes vt manifestã hæresim refellunt, remanentiam panis & vini in Eucharistia. Igitur ab anno M. ad MC. hi scripserunt. Lantfrancus in li. de corpore & sanguine Domini: *Ecclesia Christi*, inquit, *panem in carnem, vinum cõuerti credit in sanguinem.* Et infrà: *Confitetur Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, panem & vinum ad sacrandum proponi in altari, sed inter sacrandum incomprehensibiliter, & ineffabiliter in substantiam carnis & sanguinis commutari.*

ADELMANNVS in epist. ad Berengarium: *Qui dixit in principio: Fiat lux, & facta est lux de nihilo: non potuit dicendo de pane: Hoc est corpus meum, ita fieri efficere? Et qui tacita virtute aquam conuertit in vinum: non efficaciùs poterat (si quid tamẽ efficacius de Deo dici debet) sonãte voce, liter eadem virtute, vinũ ipsum in sanguinẽ suum transferre?*

HVGO Lingonensis in epist. ad Berengarium: *Sicut non capis, quomodo Verbum caro factum est: sic non potes iterum capere, quomodo panis iste mutetur in carnem, & vinum in sanguinem transformetur, nisi te docuerit omnipotentiæ fides.*

GVITMVNDVS Auersanus lib. 3. contra Berengarium: *Nunc*, inquit, *contra illos habenda est ratio, qui Ecclesiæ rationibus expugnati, iam quidem negare nequeunt, substantiam corporis Christi cibo inesse Dominico, panem tamen & vinum per verba Saluatoris in carnem eius, & sanguinem verti nequaquã credentes, sed Christum pani & vino commiscentes, tanquam subtiliori ratione hæresim alteram condiderunt.* Videsne hæresim appellari eam sententiam, quam nunc Lutherani defendunt? & tamen nondum notus erat Innocentius III.

ANSELMVS Cantuariensis in lib. de corpore Domini apud Ioannem Garetium (nec enim librum ipsum Anselmi adhuc videre potui) *Contra omnem sacularis Philosophiæ rationem, & intellectum mutata panis substantia in aliam substantiam ad quoddam mysterij obsequium quædam accidentia, quæ illi inhærebant, sic transiluit non mutata, vt corpus Domini (licet adsit albedo) non faciat album, nec rotunditas rotundum.*

AB anno Domini M. C. ad M. CC. sequentes auctores floruerunt. Algerus libro 1. de corpore Dom. ca. 7. sic in titulo posuit: *Quòd remanentibus qualitatibus suis substantia panis & vini in verum corpus Christi mutetur.* Et ibidem, & cap. 8. fusè docet, cur Deus noluerit substantiã panis manere, & cur voluerit accidentia manere. Petrus Cluniacensis in lib. de sacrificio, & transubstantiatione contra Henricum, & Petrum Bruis: *Hoc sacrum, & salutare Sacramentum aliud esse videtur, & aliud est, per virtutem Verbi diuini substantia (vt iam sæpè dictum est) mutata, specie reseruata.* Vbi etiam fusè docet, omninò esse credendum, per consecrationem mutari

substantiam panis, & accidentia remanere, exemplis plurimis in medium adductis, quibus probat id non esse impossibile. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. part. 8. cap. 7. *Videtur*, inquit, *species panis & vini, & substantia panis & vini non creditur: creditur autem substantia corporis, & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur.* Et c. 9. *Per verba sanctificationis vera panis, & vera vini substantia, in verum corpus, & sanguinem Christi conuertitur: sola specie panis & vini remanente, & substantia in substantiam transeunte. Conuersio autem ipsa non secundum vnionem.* Nota contra Lutheranos: *Sed secundum transitionem credenda est.* Petrus Lombardus lib. 4. sent. dist. 11. lit. D. *Post consecrationem*, inquit, *non est substantia panis, vel vini licet species remaneant.* Euthymius Zigabenus in c. 26. Matt. *Panem*, inquit, *& vinum ineffabiliter transmutat in ipsum corpus, & sanguinem suum.*

HABEMVS triginta duos probatissimos testes, quorum postremi quinque tempore S. Bernardi, omnes autem ante Innocentium III. floruerunt. Ex quibus colligimus, primò, verissimum esse, quod ait Concilium Trident. sess. 13. c. 4. Ecclesiæ Catholicæ semper fuisse persuasum, ita transmutari panem in corpus Domini, vt substantia panis recedente, sola maneret Christi caro sub accidentibus panis. Secundò, mendacia esse impudentissima tum Lutheri, tum Lutheranorum, qui hanc mutationem excogitatam esse volunt, vel ab Innocentio III. vel à sancto Thoma. Tertiò, mentiri Caluinum, cùm li. 4. Inst. ca. 17. §. 14. de hac transubstantiatione sic loquitur: *Vetustatis patrocinio, quod euidẽti Dei Verbo sæpe opponere audent, in confirmando isto dogmate destitui palam est. Nec enim ita pridem excogitatum fuit, ignoratum quidem non melioribus illis sæculis modò, quibus purior adhuc vigebat religionis doctrina, sed cùm iam admodum inquinata esset illa puritas. Nemo est veterum, qui sacra Cœnæ symbola non fateatur distertis verbis panem, & vinum esse, et si (vt dictum est) variis epithetis illa interdum insigniunt ad commendandam mysterij dignitatem.* Hæc ille: cui satis fuit dixisse: nam probare quod dicebat, & vel vnum ex Patribus testem adducere, indignum erat grauitate tanti hæresiarchæ.

CAPVT XXI.

Probatur idem ex definitione, & consensu Ecclesiæ ab annis quingentis.

NVNC probanda est eadem veritas ex definitione sub anathemate, & consensu totius Ecclesiæ saltem ab annis quingentis. Quæ probatio duabus de caussis adhibenda est. Primò, quia aduersarij, etsi fateãtur à tempore Innocentij III. inuectam esse opinionem transubstantiationis in Ecclesiam, tamẽ Kemnitius loco citato contendit, non fuisse definitam sub anathemate, nisi hoc nostro sæculo à Concilio Triden. idque probat, quia Græci in Concilio Florentino noluerunt huic dogmati assentiri, & Latini cum eis, non obstante ea discordia, reconciliati sunt. Petrus etiam Martyr in lib. contra Gardin. obiecto 84. dicit, Græcos semper à transubstantiatione abhorruisse, & ex eodem Concilio Florentino id probat. Nos igitur Deo volente, facillimè demonstrabimus in sex Conciliis ante hoc nostrum sæculum fuisse sub anathemate definitam veritatem transubstantiationis, quorum duo ante annos quingentos celebrata sunt. Ex quo sequitur, saltem ab annis quingentis, id est, à tempore hæresis Berengarianæ dogma transubstantiationis sub anathemate stabilitum, & ipsos etiam Græcos cum Latinis in hac re semper mirificè consensisse.

SECVNDÒ, adhibenda est hæc probatio, quia hoc fundamento posito, duæ rationes colligi poterũt, cur de hac veritate dubitari non debeat. Primùm enim fieri nequit, vt Ecclesia vniuersa tot sæculis in grauissimo errore versata sit. Deinde hoc ipso tempore, quo hæc veritas tanquam certissimum dogma, atque adeò vt fidei articulus colebatur, floruerunt in Ecclesia plurimi sanctissimi viri, vitæ innocentia, miraculis, aliisq; diuinis donis clarissimi, quos nulla ratio admittit, vt & Deo amicissimi fuerint, & simul in fide grauiter errauerint.

PRIMVM igitur generale Concilium Romanũ, sub Nicolao II. quod celebratum est circa annum Domini M.LX. Berẽgarium abiurasse coẽgit illis verbis: *Ego Berengarius anathematizo eam hæresim, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodò Sacramentum, & non verum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse.* Hæc abiuratio, & anathematizatio apertissimè significat rem à Concilio definitam sub anathemate fuisse: nec enim coguntur vlli abiurare, & anathematizare sententias dubias, sed eas tantùm, quæ dãnantur ab Ecclesia, tanquã hæreses exploratæ. Quod autẽ Concilii hoc generale, cùm iussit credi panem post consecrationem esse corpus Dñi, intellexerit nõ esse corpus, manendo panem, sed desinendo esse panẽ per mutationẽ in corpus, ac proinde definierit trãsubstantiari panẽ in corpus, testantur tres optimi viri, qui illis temporibus vixerunt, Lantfrancus, Guitmundus, Anselmus, quorũ vnus ipsi Concilio interfuit, & fortasse etiã duo interfuerunt.

LANTFRANCVS igitur, qui Cõcilio interfuit, in li. de corp. Dom. sic alloquitur Berengariũ: *Nicolaus Papa comperiens te docere, panem vinúmq; altaris post consecrationem sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere, concessa tibi respondendi licentia, cùm non auderes pro tuæ partis defensione aliquid respõdere, pietate motus ad preces tuas præcepit tradi Scripturam tibi. Eius principiũ est, Ego Berengarius, &* c. Itaq; voluit Concilium (vt Lantfrancus affirmat) illa confessione destruere hæresim, quæ asserit, panem non mutatum in Sacramento remanere.

GVITMVNDVS, qui eidem Concilio videtur interfuisse, sic de eodẽ Concilio loquitur lib. 3. de corp. Dom. *Panem & vinum altaris Domini in corpus & sanguinem Christi substantialiter conuerti, non sicut delirat Berengarius, corporis & sanguinis Domini figuras tantùm esse, & vmbras, aut intra se latentem Christum tegere, vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Et ibidem vtitur hoc argumento; Si quod vniuersa Ecclesia tenet, Apostolicum censendum est, etiamsi nullis sit munitũ Conciliis: quantò magis illud Apostolicum censendum erit, quod vniuersa Ecclesia tenet, & Conciliis roboratum est?

DENIQVE S. Anselmus, qui etiam eodem tempore vixit, in epist. de corp. Domini, sic ait: *Panis substantiam post Domini corporis consecrationem in altari superesse semper abhorruit pietas Christiana, nupérq; damnauit in Berengario Turonensi, eiúsque sequacibus.* Vides igitur ab Ecclesia apertè definitum ipso tempore Berengarij, id est, ante annos quingentos, non remanere substantiam panis in Eucharistia, ac proinde definitam transubstantiationem, vt Catholicam veritatem.

SECVNDVM Concilium fuit Romanum, sub Gregorio VII. celebratum anno Domini M.LXXIX. mense Februario, vt refert Thomas Valdensis, tomo de Sacram. cap. 43. in quo alia fidei professio clarior edita est propter fraudes varias, quibus Berengariani ptiorem illam professionem editam sub Nicolao II. deprauare solebant. Sic igitur habet posterior fidei confessio: *Ego Berengarius, corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter conuerti in veram, ac propriam, & viuificatricem carnem, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, &* c. Nihil igitur noui, si de re ipsa agatur, statuit Concilium Lateranense, & multò minùs Tridentinum.

TERTIVM est Concilium generale Lateranense, sub Innocentio III. celebratum anno Domini M.

CC. XV. in quo non negant aduersarij hoc nostrum dogma, etiam sub nomine transubstantiationis confirmatum: sed negant aliqui eorum, vt Kemnitius, & quidam alij, definitum sub anathemate, atque vt decretum de fide, à quo non liceat dissentire sine periculo hæreseos. At hoc nullo negotio demonstrari potest. Nam initium cap. 1. eius Concilij sic incipit: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur.* Ac deinde subnectitur integra confessio fidei de Trinitate, de creatione mundi, de Incarnatione Verbi, de Ecclesia, & Sacramentis, & deinde c. 3. de prædicta confessione sic loquitur idem Concilium: *Excommunicamus, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se, aduersus hanc sanctam, Orthodoxam, Catholicam fidem, quam superiùs exposuimus.* Ecce igitur anathema, quod Kemnitius requirebat. Quid quod Lutherus ipse in lib. de captiuit. Babyl. c. 1. agnoscit in cap. Firmiter, quod ex hoc Concilio sumptum est, transubstantiationem, vt articulum fidei definitam? Quæ cùm ita sint, Kemnitij mendacium, & temeritas non modò cum ipso nostro Concilio, sed etiam cum suo Prophe-
ta, & Apostolo pugnat.

QVARTVM Concilium est Romanum generale, celebratum anno Domini M.CCCC.XIII. in quo damnati sunt tanquam hæretici articuli Ioan. Vvicleſi, quorum primus est: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis manet in Sacramento altaris.* Secundum est: *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.* Huius Concilij meminit, & decretum ipsum recitat Ioan. Cochlæus lib. 1. hist. Hussitarum.

QVINTVM Concilium est Constantiense generale, celebratum anno Domini M.CCCC.XIIII. in cuius sess. 8. confirmatur sententia Romani Concilij, & rursus nominatim, & sub anathemate damnantur articuli Ioann. Vvicleſi, & damnatio ipsa in fine Concilij iterum approbatur à Martino V. vero, ac legitimo summo Pontifice.

SEXTVM denique Concilium est Florentinum generale, in cuius sessione vlt. celebrata anno Domini M. CCCC. XXXIX. consentiente vniuerso Concilio Latinorum, & Græcorum, data est instructio Armenis de fide, & Sacramentis: in ea instructione sic habemus de Eucharistia: *Substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur.* Ex his ergo euidenter apparet, quàm apertè & impudèter Kemnitius mentiatur.

QVOD autem Petrus Martyr, & idem Kemnitius obiiciunt de Græcis, aliud est mendacium, & impostura planè digna iis hominibus, qui auctorem illum sequuntur, qui pater mẽdacij ab ipsa veritate nominatur. Nam vt ex ipsius Concilij actis cognosci potest, nunquam fuit quæstio inter Latinos, & Græcos, an panis verè, & substantialiter mutaretur in corpus Domini, sed quæstio fuit, & adhuc est de verbis, quibus fit illa ineffabilis mutatio. Latini enim sentiebant, vt etiam semper sentient, solis Christi verbis fieri illam mutationem; Græci contrà sentire videbantur, non solis Christi verbis, sed quibusdam aliis precibus ab hominibus compositis mutationem illam fieri. Hanc autem solam fuisse quæstionem patet, tum ex ipso Concilio prope finem, tum ex auctoribus Græcis, qui de hac ipsa quæstione illo tempore scripserunt, qui sunt Bessarion Card. Nicænus, Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesius.

QVOD autem Græci nunquam abhorruerint à transubstantiatione (vt Pseudomartyr audacter mentitur) colligitur primò ex antiquis auctoribus suprà citatis, Cyrillo Hierosolymit. Greg. Nysseno, Ioan. Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, Ioan. Damasceno, Theophylacto, & Euthymio.

SECVNDÒ, ex auctoribus recentioribus, Nicolao Methonensi, Samona Gazensi, Nicolao Cabasila, Marco Ephesio, & Bessarione, quorum opuscula extant nuper impressa, qui omnes apertissimè confitentur mutationem istam, de qua loquimur.

TERTIÒ, ex Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. suprà citatò: siquidem interfuerunt Græcorum etiam Patriarchæ, & c. 4. eius Concilij indicat Innocentius eo tempore Græcos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ rediisse.

QVARTÒ, ex Concilio Florentino. Nam in instructione Armenorum disertis verbis ponitur hæc mutatio substantiæ panis in corpus Christi. Consensisse autem in eam instructionem etiam Græcos, patet ex initio, & fine illius instructionis; initiò enim dicitur facta sacro approbante Concilio, & in fine dicitur data in publica Synodali sessione.

QVINTÒ, patet ex eo, quòd cùm Græci tempore Leonis IX. & deinceps multa obiecerint Latinis, ob quę ab illis dissentire se dicerent: nunquam tamen hoc obiecerunt de mutatione panis in corpus Christi, quam ab Ecclesia Latina doceri, vt dogma fidei, ignorare non poterant.

SEXTÒ, denique patet ex censura Orientalium ad Augustanam Confessionem: diuina enim prouidentia factum est, vt Lutherani ad suam ipsorum sempiternam confusionem, iudices facerent controuersiarum, quas nobiscum habent, inimicos nostros. Iraq; miserunt Augustanam confessionem ad Patriarcham Constantinopolitanum, qui censuram remisit pro approbatione, & cùm in aliis articulis eos reprehendit, tum potissimum in art. 10. qui est de cœna Domini. Sic enim habetur in ea censura, c. 10. *Multa in hac parte de vobis* (Lutheranis confessionistis) *referuntur, quæ nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesia igitur sanctæ illud iudicium est. In sacra Cœna post consecrationem, & benedictionem, panem in illud ipsum corpus Iesu Christi, vinum autem in illum sanguinem virtute Spiritus sancti transire, ac immutari.* Et paulò infrà dicunt, corpus Christi non descendere de cœlo, vt in Eucharistia præsens adsit, sed fieri præsens per transmutationem, & transitionem panis in corpus. Et paulò pòst dicunt; Sub speciebus panis, verum corpus Domini contineri. Desinat igitur Pseudomartyr dicere, Græcos semper à transubstantiatione abhorruisse: desinat etiam Kemnitius mentiri, Græcos in Concilio Florentino admittere noluisse mutationem istam panis in corpus Domini. Ecce enim inimici nostri sunt iudices: ipsi sunt, qui & Caluinistas reprehendunt, quòd solum signum corporis Domini in Eucharistia agnoscant, & simul confessionistas arguunt, quòd verum corpus Domini, sed sine panis mutatione in eodem Sacramento confiteantur.

CAPVT XXII.

Probatur eadem veritas ex conuenientia rationis.

NVNC vltimò probanda est eadem veritas ex congruentia secundum rationem. Nam posito quòd Deus voluerit, corpus Christi, verè ac realiter communicari fidelibus manducandum, vt Lutherani (cum quibus nunc disputamus) concedunt: ratio profectò indicat omninò conueniens fuisse, vt non solùm in pane & vino, qui est cibus & potus communissimus & optimus, id fieret, sed etiam vt substantia panis recederet, & accidentia remanerent.

AC primùm congruum fuisse, vt substãtia panis abesset, probatur his rationibus. Prima ratio est, quia corpus Domini, vt suprà diximus, manet sub accidẽtibus panis, non vt in vase, aut in loco, sed planè ad eũ modum, quo substantia panis maner sub accidentibus suis, excepta informatione: nam ideò ex natura rei mouetur ad motum accidentium, & desinit esse Sacramentaliter ad accidentium illorum desitionem. Quòd si cum corpore Domini maneret substantia panis, tunc duæ substantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia, & ab iisdem accidentibus, tanquam externis signis demonstrarentur. Et quia substant a panis informaretur illis accidentibus,

non autem corpus Christi; primarius ordo ad illa accidentia esset substantiæ panis, secundarius autem corporis Christi, & consequenter ipsa accidentia per se primò demonstrarent, & significarent panem, secundariò autem corpus Christi, quod sanè absurdum esset. Nam si quis peteret, quid sit quod est in altari, oporteret respondere; Est panis triticeus, & etiam corpus Christi: & si quis quæreret, quid significant illa accidentia, respondendum esset, substantiam panis illic esse, & simul corpus Christi: & si alius interrogaret; Quid frangit Sacerdos, & communicantibus tanta religione distribuit? diceremus, panem triticeum, & simul corpus Christi. Profectò igitur multò conuenientius fuit vt solum Christi corpus ad illa accidentia ordinem haberet, & illa soli Christi corpori deseruirent.

SECVNDA ratio est ob venerationem Sacramenti. Nam si vnà cum corpore Domini substantia panis sub iisdem accidentibus contineretur, periculum esset, ne simpliciores adorarent panem: illi enim non distinguunt, sed simpliciter adorant, quod sub illis speciebus continetur.

TERTIA ratio est ob dignitatem, quia non videtur rationi consentaneum, vt simul maneant cibus ventris, & cibus mentis, panis terrenus, & panis cœlestis.

QVARTA ratio est, quia si panis substantia adesset, non posset corpus Domini sumi, quin solueretur ieiunium: ex quo sequeretur, vt nemo posset eodem die sæpius communicare, siquidem ex decreto Apostolorum, teste Augustino in epist. 118. c. 6. non nisi à ieiunis corpus Domini ritè sumi potest. Et tamen constat ante M. annos fuisse in Ecclesia morem, vt Sacerdotes ter sacra celebrarent in die Natalis Domini, vt patet ex Gregorio, hom. 8. in Euangelia, & præterea extra eum diem certis de caussis permittunt canones, vt vnus presbyter sæpius eodem die sacrum faciat, & corpus Domini sumat.

IAM verò congruum fuisse, immò etiam necessarium, vt panis accidentia maneant, multis rationibus probari potest, quæ notandæ sunt, quoniam & Lutherus, & Petrus Martyr, & Kemnitius, & alij mirantur, cur sicut dicimus, panem transubstantiari, non etiam dicamus transaccidentari.

PRIMA igitur ratio est, quia si etiam accidentia abessent, nullum esset in Eucharistia signum sensibile: proinde nullum esset Sacramentum. Secunda, quia non posset vllo modo vera esse Domini sententia: *Hoc est corpus meum*, si ita mutaretur totum in totum, vt nihil in vtroque termino commune remaneret. Tertia, quia hoc modo maius est meritum fidei. Quarta, quia horror esset, humanam carnem in propria specie manducare.

QVAM rationem oppugnandam sumpsit Petrus Martyr in libro contra Gardinerum multis in locis, sed maximè parte 3. Primò, quoniam etsi Christi caro velatur speciebus panis, tamen non propterea aſſatur, sed adhuc remanet cruda, ac per hoc non tollitur horror. Secundò, quia maior est horror mentis, quàm oculorum: horret enim qui scit se occidendum, etiamsi oculis non videat gladiũ. Et certè magis horreret quis, si deberet comedere artocreã, quã sciret ex carne humana confectam, etiamsi non videret, nisi panaceũ illud tegmen, quàm si iuberetur comedere verum panem, sed ad humani corporis similitudinem cõformatum. Tertiò, quia Deus non solet parcere sensibus, quando aliquid nobis vtile est: vnde proponit fidelibus suis calicem passionis, & mortis, horroris plenum. Sed hæc facilè solui possunt.

AD primum respondeo, per illas species panis Christi, carnem non assari, neque vllo modo coqui, tamen magis tolli horrorem, quàm si assaretur. Nã causſa horroris in carne humana comedenda, est læsio ipsius carnis: horret enim naturaliter homo vesci & nutriri carne humana, quia horret lacerare, & destruere carnem suæ speciei. At si quis posset amicum suum totum & integrum sine vlla eius læsione intra pectus suum recipere, libentissimè faceret. Nam ex vehementi amore hoc desiderari, testãtur amplexus arctissimi eorum, qui se valde diligunt: & in hoc modo comedendi magis horret animus assam carnem, quàm crudam, & viuam recipere: siquidem nouit sine læsione assari non posse. Iam igitur, quia in specie panis sumitur Christus integer, & viuus, & sine vlla eius læsione, & nostra summa cum vtilitate, inde fit, vt animus non horreat.

AD secundum dico, maiorem esse horrorem mentis, quàm sensuum, sed per species panis, & doctrinam fidei, tolli vtrumque horrorem in Eucharistia sumenda.

AD tertium dico, Deum non parcere sensibus, quando agitur de sola pœna: parcere autem, quando horror sensuum cum scelere coniungeretur: scelus autem esset, Christi carnem in propria specie sumere, quia deberet necessariò lacerari, & destrui. Deinde in hoc Sacramento Deus consolari suos cupiebat, non affligere: vnde debuit in hac re tollere horrorem, etiamsi in aliis rebus aliquando non tollat.

ADDE, quòd hæc ratio sumpta ab horrore, non est solius S. Thomæ, & Scholasticorũ, sed multorum veterum Patrum, Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. & lib. 6. c. 1. Cyrilli in epist. ad Calosyrium; Gregorij apud Paulũm Diaconum in eius vita: Damasceni lib. 4. c. 14. Theophylacti in c. 6. Ioan. & Augustini apud Gratianum, de consecr. dist. 2. can. Vtrum.

CAPVT XXIII.

Refelluntur Kemnitij obiectiones.

VPEREST, vt ad ea respondeamus, quæ aduersarij contra transubstãtiationem obiiciunt. Ac primum soluam argumenta Kemnitij: ipse enim omnia collegit, quæ Lutherus in lib. de captiuitate Babylonica, c. 1. & Caluinus in libr. 4. Instit. c. 17. §. 13. 14. & 15. contra transubstantiationem scripserunt. Deinde soluam argumenta Petri Martyris, qui multa noua addidit ad superiora.

IGITVR Kemnitius Lutherum & Caluinum sequutus, primo loco proponit argumentum à nomine transubstantiationis. Sed obiiciunt Lutherus, Caluinus, Petrus Martyr, Kemnitius, & alij, quòd nomen peregrinum & barbarum transubstantiationis, Concilium hoc inuenerit, quod signum est nouæ, peregrinæ, & barbaræ sententiæ.

RESPONDEO primò, stultum esse, cùm de re constet, litigare de nomine: de re autem ita constat, vt non possit magis constare. Nam Patres, vt suprà vidimus, dixerunt panem substantialiter conuerti in carnem Christi, manentibus tamen accidentibus panis: & Hugo dixit, substantiam in substantiam ire, & Guitmundus, Algerus, Petrus Cluniacensis ante hoc Concilium ex professo disputarunt, mutari substantiam panis, accidentibus non mutatis, quæ actio non potest vno verbo significari, nisi dicamus transubstantiari.

SECVNDÒ, licuit Concilio Nicæno in ipso symbolo ponere nomen ὁμοούσιος, & Cõcilio Ephesino nomen θεοτόκος, maiori igitur ratione licuit Concilio Lateranẽsi, in confessione fidei nomen transubstantiationis ponere. Nam in Concilio Nicæno CCC. XVIII. Episcopi fuerunt, in Ephesino CC. at in Lateranensi Episcopi suprà CCCC. & Patres in vniuersum plusquam M. Deinde ante Nicænum, & Ephesinum Concilium pauca testimonia veterum extabant de reipsa: at ante Lateranensę innumerabilia. Neque obstat, quòd nomen ὁμοούσιος, non fuerit primò inuentum in Concilio Nicæno, vt nos ostendimus in 2. libro de Christo, cap. 1. nam satis est, quod in eodem Concilio fuerit publicè ab Ecclesia receptum, & stabilitum, vt Augustinus affirmat li. 3. contra Maximinum, c. 14. Præterea, ante Nicænum Concilium

non extabat vnum aliquod nomen æquiualens nomini ὁμοούσιος: at ante Concilium Lateranense extabant multa nomina æquiualentia nomini transubstantiationis. Nam Patres passim vocant conuersionem, & transmutationem: & Theophylactus in c.14. Marci vocat transelementationem, quæ certè vox nihil minùs significat, quàm transubstantiatio: nam transelementatio significat mutationem totius rei vsque ad prima elementa, id est, vsque ad ipsam materiam, quæ ab Aristotele elementum vocatur. Denique, si mutatio solius formæ rectè dicitur à Græcis μεταμόρφωσις, & à Latinis transformatio, & mutatio externæ figuræ, dicitur transfiguratio etiam in Euangelio, cur mutatio substantiæ non poterit rectè dici transubstantiatio?

DEINDE proponit argumentum negatiuum hoc modo: *Verissimum est illud axioma, nihil pro articulo fidei Ecclesiæ proponendum esse, quod non ex manifestis, certis, & firmis Scripturæ testimoniis apertè ostendi, & probari potest. Sed transubstantiatio ab Andradio* (vno videlicet ex Catholicis Doctoribus) *collocatur inter illas res, quæ nullis Scripturæ sacræ testimoniis apertè definitæ & explicatæ sunt. Scotus item, Cameracensis, & alij disertè fatentur, nec verbis Scripturæ, nec symbolis fidei, nec veterum sententiis cogi nos ad dogma transubstantiationis.*

RESPONDEO ad singulas partes argumenti. Axioma Kemnitij falsissimum est: Nam si nihil pro articulo fidei proponẽdum est, quod non ex manifestis Scripturis probari possit, certè pro articulo fidei proponi non poterit, quòd libri Euangelistarum, & epistolæ Pauli sint Scripturæ diuinæ: id enim ex nulla Scriptura, sed ex traditione sola probari potest. Remoto autem ab articulis fidei, quòd libri illi sint Scripturæ diuinæ, simul concident omnes alij articuli, qui ex Scripturis illis probantur: axioma igitur Kemnitij vniuersam fidem destruit.

QVOD autem ex Andradio, & Scoto, atque Cameracensi Kemnitius refert, mala fide, vt ei solenne est, refert. Nam Andradius in libro de Cœna Domini, non dicit absolutè transubstantiationem in his rebus numerari, quæ ex Scripturis probari nequeunt, sed ex hypothesi loquitur, ac dicit: *Etiamsi transubstantiatio ex manifestis Scripturis, vt tu*, inquit, *arbitraris, probari non posset, tamen furor esset, in iis rebus, quæ ex certis locis Scripturarum, nec probari, nec refelli possent, velle suo iudicio potiùs, quàm toti Ecclesiæ credere.* Itaque Kemnitius ex hypothetica Andradij sententia, absolutam fecit, vt calumniandi occasionem haberet: qua ratione posset etiam dicere, Christum esse mendacem, idque probare ex ipsius Christi testimonio, qui dixit, Io.8. *Si dixero, quia non noui eum, ero similis vobis mendax.*

VBI etiam obiter notanda est alia impostura Kemnitij contra eundem Andradium. Sic enim Kemnitius loquitur loco citato: *Andradius meus texit tale argumentum: Scriptura affirmat nõ esse apud Deum impossibile omne verbum: ergo credenda est transubstantiatio, etsi naturæ vires ac modum superet*: ac deinde argumentum ineptum facilè eludit. Sed nunquam Andradio venit in mentem, vt tale argumentum faceret: nec enim ex omnipotentia probat transubstantiationem fieri, sed non esse impossibilem. Legatur locus Andradij, & per se mendacium cadet.

NON dissimili arte in Scoto & Cameracensi Kemnitius ludit: Scotus enim in 4. dist. 11. q. 3. quem sequitur Cameracensis, tria dicit. Primò, potuisse Deum efficere, vt in Sacramento verè adesset corpus Christi cum pane; & si hoc fecisset, mysterium futurum fuisse facilius, & minus miraculorum in se continens. Quod quidem aliqui negant, alij concedunt: sed res ad fidem non pertinet, neque de eo est nobis cum hæreticis controuersia.

SECVNDÒ dicit, non extare locum vllum Scripturæ tam expressum, vt sine Ecclesiæ declaratione euidenter cogat transubstantiationem admittere. Atque id non est omninò improbabile. Nam etiamsi Scriptura, quàm nos suprà adduximus, videatur nobis tam clara, vt possit cogere hominem non proteruum: tamen an ita sit, meritò dubitari potest, cùm homines doctissimi & acutissimi, qualis inprimis Scotus fuit, contrarium sentiant.

TERTIÒ addit, quia Ecclesia Catholica in generali Concilio Scripturam declarauit, ex Scriptura sic declarata manifestè probari transubstantiationem. Non enim potest non esse verus Scripturæ sensus, quem is tradit, qui Scripturam condidit: idem autem Spiritus sanctus est, qui & Scripturam dictauit Apostolis & Prophetis, & qui eam per Ecclesiam declarauit. Vtinam modum istum loquendi Scoti Kemnitius, & cæteri Lutherani imitarentur, nulla enim controuersia remaneret.

VNVM tamen addit Scotus, quòd minimè probandum est, ante Lateranense Concilium non fuisse dogma fidei transubstantiationem: id enim ille dixit, quia non legerat Concilium Romanum sub Gregorio VII. neque consensum illum Patrum, quem nos suprà adduximus.

AD argumentum igitur Kemnitij respondeo, dogma transubstantiationis ad fidem Catholicam pertinere, quia colligitur ex Scriptura diuina, secundum applicationem communem Patrum, & iuxta declarationem Ecclesiæ in Conciliis generalibus.

TERTIVM argumentum sumit Kemnitius ex illis Scripturis, quæ Eucharistiam panem appellant: siquidem ante benedictionem vocatur panis, Mat. 26. *Accepit panẽ.* & de ipso quod accepit, ait: *Hoc est corpus meum.* Et ne dubium esse posset, an particula demonstratiua denotaret id, quod acceperat Dominus, Lucas & Paulus id expresserunt in altera specie, siquidem dicunt, *Accepit poculum, benedixit, dedit illis, & ait, Hoc poculum, &c.* ergo simplex historia cogit, vt dicamus panem esse corpus Domini, & poculum vini esse poculum sanguinis. At quomodo potest panis esse corpus, si nullus sit ibi panis? & vinum esse sanguis, si nullum sit ibi vinũ? Deinde post benedictionem in ipso vsu Paulus Eucharistiam 1. Cor. 10. & 11. quinquies panem appellat: *Panis quem frangimus. De vno pane participamus. Quoties manducabitis panem hunc. Qui manducauerit hunc panem indignè. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Ergo verus panis est in Eucharistia, non autem spectrum panis, id est, accidentia sine substantia: *Hæc argumenta*, inquit Kemnitius, *sunt perspicua, firma, & valdè vrgentia.*

RESPONDEO, quòd pronomen, *Hoc*, non demonstret panem materialem, satis apertè demonstrauimus in 1. lib. cap. 10. & 11. neque opus est illa repetere, quia quod pronomen, *Hoc*, demonstret panem materialem, vtile est Caluinistis, contra quos tunc disseruimus, Lutheranis autem non modò nihil prodest, sed vehementer obest. Quare valde miror Lutheri, Kemnitij, & aliorũ imprudentiam, qui tantopere vrgent, panem demonstrari pronomine illo: quantò enim fortiùs id probant, tantò seipsos fortiùs ligant, & impediunt. Nam (vt suprà deduxi) si Dominus ait: Hic panis est corpus meum, necessariò sequitur, vt aut falsa sit Domini sententia, si nimirum propriè panis materialis dicatur esse corpus Domini, quod apertè implicat contradictionem: aut panis sit corpus non propriè, sed figuratè, quod volunt Caluinistæ: aut denique panis non manens panis, sed benedictione mutatus sit in corpus Domini, quæ est sententia Ecclesiæ Catholicæ, & verissima.

AD illas ergo argutias: *Si panis est corpus Domini, ergo panis manet*, Respondeo, falsum esse, panem esse corpus Domini, nisi addas, aut certè subintelligas, mutatum.

tum. Panis enim mutatus verè est corpus Domini: sed tunc non sequitur, debere manere panem, nam panis mutatus non est, sed fuit panis. Simile est, si dicas: Homo occisus est cadauer: neque enim inde colligi potest, ergo homo manet, sed potiùs colligitur non manere, quia homo occisus non est homo.

QVOD attinet ad alteram partem argumenti denomine panis post benedictionem, respondi etiam libr. 1. cap. vlt. siquidem ea loca à Caluinistis obiiciebantur: nũc breuiter respondeo, apud Paulum panẽ vocari post consecrationem, non spectrum, nec accidentia sine subiecto, sed verum cibum supersubstantialem, qui panis dicitur, vel quia ex pane factus est, vel quia figuram externam panis retinet, vel quia habet effectus, & proprietates panis, vel quia more Hebraico omnis cibus dicitur panis: siquidem Manna vocatur panis in Scriptura frequentissimè, Exod. 16. Sap. 16. Psal. 77. & Ioan. 6.

SED solutio ista Kemnitio non satisfacit: dicit enim esse valde absurdum in Scripturis ita ludere, vt in eodem capitulo modò panis accipiatur propriè, modò metaphoricè. Cùm ergo 1. Cor. 11. panis omnium consensu accipiatur propriè pro pane triticeo, quando Paulus ait: *Accepit panem, & gratias agens, &c.* oportet etiam paulò infrà propriè accipere, quando idem ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, &c.*

RESPONDEO, non est ita absurdum, vt Kemnitius putat, in eodem cap. variè accipere aliquam vocem, quãdo analogia aliqua, & similitudo inter eas res inuenitur. Nam Exod. 7. Virga Aaron vocatur virga, antequam verteretur in colubrum, rursum in eodem cap. vocatur virga, cùm esset coluber, non virga: *Deuorauit*, inquit Scriptura, *virga Aaron virgas Magorum.*

AT instat Kemnitius, nam Exod. 7. apertè declarata est conuersio virgarum in colubros: ea autem declaratione facta, non est absurdum idem nomen tribui rei ante & post conuersionem. Paulus verò non declarauit transubstantiationem, 1. Cor. 11. quare sine fundamento asseritur, panis nomen accipi variis modis apud Paulum.

RESPONDEO, aliud exemplum ex ipso Paulo adduci potest, vbi nulla notatur conuersio, & tamen idem nomen variè accipitur, 1. Cor. 10. cùm dicitur: *Panis quem frangimus*, de pane triticeo Paulus loquitur secundum Kemnitium: & de pane cœlesti, id est, de corpore Christi naturali secundum Catholicos, & tamen ibidem Paulus ait: *Vnus panis multi sumus*, vbi non de pane triticeo, nec de corpore Christi naturali, sed de Ecclesia loquitur. Adde, quòd Apostolus 1. Corinth. 11. satis apertè declarauit variam panis significationem, ex mutatione facta in pane. Nam ante consecrationem absolutè nominauit panem, dicens: *Accepit panem*, post cõsecrationem autem, semper addidit pronomen, quo indicaretur sermonem esse de pane consecrato, & mutato, ait enim: *Quotiescunque manducabitis panem hunc*, id est, panem sic benedictum, & consecratum, & proinde mutatum in aliam substantiam. Adde, quòd de pane non mutato falsum esset, quod Paulus dicit: *Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, &, reus erit corporis, & sanguinis Domini.*

QVARTVM argumentum Kemnitius sumit à ratione Sacramenti. Nam secundum Scripturas Eucharistia Sacramentum est, sicut Baptismus. At si desit substantia panis, tollitur ratio Sacramenti, ergo non est Scripturis conformis ista transubstantiatio. Assumptio probatur. Primò, in Sacramento requiritur, vt sint duæ res, materia, & forma, res terrena, & cœlestis: verbum enim accedẽs ad elementum, non annihilat elemẽtum, sed facit Sacramentum. At transubstantiatio tollit materiam, & rem terrenam, & annihilat elementum.

SECVNDÒ, sacramenta sunt instituta ad confirmãdam fidem rerum inuisibilium per signa visibilia: ideò enim abluimur in Baptismo, vt credamus nos ita verè, & certò interiùs lauari per gratiã, vt exterius lauamur per aquam, & eodem modo panem mãducamus in Eucharistia, vt credamus nos ita verè, & certò accipere corpus Domini, vt accipimus panem externum. Sed si ille non est panis, sed spectrum panis, & ludificamur, ac decipimur in symbolo externo: quomodo fides rerum cœlestium confirmabitur?

TERTIÒ, debet esse analogia inter Sacramenta, & rem cuius Sacramenta sunt, iuxta Augustinum in epistola 23. Duplex autem analogia est in Sacramento Eucharistiæ, Vna, quòd sicut panis materialis alit, & sustentat corpus animale, ita corpus Christi est cibus nutriens, & sustentans nouum, & internum hominem. Altera, quòd sicut panis triticeus est quædam substãtia ex multis granis coacta, ita vnum corpus efficiuntur, qui de vno illo pane Eucharistiæ participant. Quæ significationes omnes intercidunt, si substantia panis tollitur.

RESPONDEO; Substantiam panis non pertinet vllo modo ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, sed sola accidentia externa, vt suprà ostendimus lib. 2. cap. 9. Sacramentum enim est signum sensibile, cui per accidens est, vt habeat substantiam annexam, vel non habeat.

AD Primam probationem dico, rem terrenam in Eucharistia esse species illas sensibiles, quæ terrenis sensibus percipiuntur, materiam autem, ex qua Sacramentũ conficitur, dico esse verum panem triticeum; qui in Sacramento iam confecto remanet quatenus opus est, id est, remanet quantum ad id, quo Sacramentum, id est, signũ sensibile est. Porrò verbum ad elementum accidẽs, non annihilat elementum, sed tamen mutat eo modo, quo opus est, vt fiat hoc magnum, & mirabile Sacramẽtum. Quòd autem nulla sit in hac mutatione annihilatio, & suprà breuiter docuimus, & infrà iterum docebimus in solutione argumentorum Petri Martyris.

AD secundam probationẽ dico, ad fidem confirmandam rerum inuisibilium, satis esse si externum signum verè percipiatur, etiamsi nõ sequatur effectus eius signi, vt est res naturalis. Explico: in Baptismo aspergimur aqua, ad significandam internam lotionem animæ, & tamen non est opus, vt reipsa sordes corporis aqua illa purgentur, sed satis est si leuiter ab illa aqua contingamur. Non enim aspergimur vt lauemus corpus, sed solùm gratia significationis; & ideò satis est, si ita ab aqua attingamur, vt est signum internæ ablutionis. Sic igitur in Eucharistia, quia non sumimus cibum corporalem, vt caro inde nutriatur, & pinguescat, sed solùm gratia significandæ internæ refectionis, ideò satis est, si verè corporali ore sumamus panem, quatenus significare potest. Significat autem panis ratione accidentium, quæ sola sunt signa sensibilia: itaque satis est, si panis sumatur, quoad accidentia. Neque est hîc vlla ludificatio, quia norunt fideles, se non sumere panem illum, nisi caussa signi; signũ autem verissimũ, & verissimè sumunt. Adde, quòd etiam aduersarij id fateri coguntur. Nam si fortè detur alicui ab ipsis tam exigua particula panis consecrati, vt non sufficiat ad hominem alendum corporaliter, vel detur magna quidem portio, sed homo qui recipit, & virium debilitate, & graui morbo nutriri nequeat: non propterea negabunt verum Sacramentũ ab illo fuisse acceptum: non igitur est opus vt cibus ille nutriat, sed tantùm vt sit nutritionis signum. Adde vltimò, quòd etiam species Sacramenti nutrirent, si in magna copia sumerentur: sicut enim diuino miraculo manent sine subiecto, ita etiam nutriunt, vt Theologi docent.

AD tertiam probationem, analogiam inter panem, & Christum non requirere, vt panis verè nutriat, & ex multis granis constet, sed satis esse, si naturaliter repræsentet eam rem, quæ verè nutrit, & ex multis granis constat. Nam Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ ob

analogiam inter columbam, & Spiritum sanctum, & tamen non fuit opus, vt illa columba esset vera columba, quoad substantiam, sed satis fuit, vt speciem exteriorem columbæ haberet. Et serpens æneus Christum repræsentauit ob analogiam inter serpentem, & Christum, & tamen non fuit ille verus serpens, quoad substantiam.

VLTIMÒ ex Patribus multa collegit Kemnitius cõtra transubstantiationem, sed ea omnia explicata sunt à nobis in 2. lib. nam illa eadẽ adferebantur etiã à Caluinistis cõtra veritatẽ corporis Domini in Eucharistia. Vide quæ diximus de testimoniis Irenæi, Ambrosij, Theodoreti, Gelasij, & Hesychij. Horum enim duntaxat testimonia adducit, & cùm nihil noui adferat, frustrà in eorum confutatione immoraremur.

CAPVT XXIV.

Refelluntur obiectiones Petri Martyris.

ETRVS Martyr in lib. contra Stephanum Gardinerum multa argumenta, vel proponit, vel ab aliis antea proposita confirmat contra transubstantiationem: sed ex iis multa, quæ ex verbo Dei, vel ex Patribus sumuntur, suprà à nobis refutata sunt. Nunc iis omissis, reliqua persequemur.

PRIMVM argumentum habetur obiectione 13. cui argumento ad marginem libri hoc elogium adscripsit: *Nota vtile argumentum.* Sic igitur argumentatur: *Sicut Dominus Ioan. 6. de se dixit, Ego sum panis, ita Matt. 26. de pane dixit, Hoc est corpus meum. Sed cùm ait, Ego sum panis, non se mutauit in panem: ergo cùm ait, Hoc est corpus meum, non mutauit panem in corpus suum.*

RESPONDEO, Non sunt omnino similes illæ duæ sententiæ. Nam cùm Dominus ait, *Ego sum panis*, non loquebatur de pane triticeo, sed de pane cœlesti; nunquam enim dixit absolutè: *Ego sum panis*, sed, *Ego sum panis viuus*, aut *panis vitæ*, aut aliquid huiusmodi. Quare non fuit opus vlla mutatione, vt illæ sententiæ veræ essent, cùm pro eodem Christo supponerent, tam pronomen, *ego*, quàm nomen *panis*. At cùm idem Dominus ait: *Hoc est corpus meum*, ex aduersariorum sententia, illud, *Hoc*, demonstrabat panem triticeum, ex sentẽtia autem Catholicorum demonstrabat id, quod continebatur sub triticei panis speciebus. Itaque ex sententia aduersariorum, sensus erat, Hic panis triticeus est corpus meum, quæ sententia nõ potest esse vera, nisi panis mutetur in corpus Domini, vt suprà ostendimus. Ex sententia etiam Catholicorum non potest esse verum illud Domini pronunciatum, nisi fiat mutatio panis in corpus, nõ enim ante mutationem, id quod sub speciebus illis continetur, est corpus Domini, sed panis triticei substantia. Quare in illo vtili argumento maior propositio est falsa, si illud, *sicut*, dicat similitudinem propositionum: si autem ita accipiatur illud, *sicut*, vt solùm significet eiusdem Christi esse vtramque sententiam, tunc maior propositio est vera, sed consequentia est mala, quia in alio sensu Dominus vnum dixit, & in alio sensu aliud.

SECVNDVM argumentum in obiectione 14. *Transubstantiatio aperit fenestram Marcioni, Valetino, Eutycheti, aliisque hæreticis, qui Christi corpus phantasticum esse dicebant. nam si substantia corporis eius inuisibiliter volitat per innumera loca, & modò hic incipit esse, modò illic, quis non suspicetur esse phantasma?*

TERTIVM argumentum est ibidem: *Non potest panis totaliter desinere esse, quin annihiletur. At quod annihilatur, non potest conuerti, vel transire in aliam substantiã, & proinde nec transubstantiari, nisi vocabulis abuti velimus, ergo est impossibilis transubstantiatio, qualis à Catholicis ponitur.* Probat primam propositionem: nam panis erat aliquid, & iam est nihil; ergo est annihilatum. Quòd autem sit nihil, probat, quia nusquam est, nullus est, nulla pars eius remanet. Nec potest responderi non annihilari quia succedit ei res nobilior: nam quando cibus in stomacho, vertitur in carnem humanam, succedit ei res nobilior, & tamen dicitur simpliciter corrumpi. Probat autem Secundam propositionem, quia conuerti, vel transire vnum in aliud, significat, si propriè loquendum sit, vnum & idem manere sub vtroque termino, alioqui non transit, sed resilit, vel recedit vnum ab alio, si vno veniente alterum cedit. Et quia hoc argumentum videtur Petro Martyri insolubile, ita loquitur nobiscum: *Si ageretis cum beluis, non deberetis audere tam ἀσύνετα, & monstrosa loqui. Grata sit Deo, qui tam manifestè perdit sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium reiicit. Ipse nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Hoc quoque tempore ad nostram institutionem non dedignatur comprehendere sapientes in astutia ipsorum.* Hæc ille.

CALVINVS quoque lib. 4. Institut. cap. 17. §. 14. cõtendit, Catholicos non ponere veram conuersionem, sed annihilationem panis. Quod idem asserit Kemnitius loco notato: & ante eos Ioannes VViclefus apud Thomã VValdensem, tomo 2. cap. 68. vbi etiam deducebat, Christum esse Deum malum Manichæorũ, si vera sit trãsubstantiatio, quia annihilabit res bonas à Deo creatas.

RESPONDEO, Argumentum de phantasmate Marcionistarum, verum phantasma mihi esse videtur: habet enim faciem quandam argumenti, sed verum argumentum non est, cùm nihil concludat pro aduersario. Nam phantasmata, seu phantastica corpora; quale esse putabant Christi corpus Marcionistæ, Manichæi, Eutychiani, videntur esse vera corpora, si externis oculis considerentur, & tamen reipsa non sunt vera. At corpus Christi in Eucharistia ex Catholicorum sententia nõ videtur oculis externis esse verum corpus, & tamen reipsa est. Itaque habet corpus Christi in Eucharistia contrarias conditiones iis, quæ conueniunt corpori phantastico. Quare argumentum aduersarij concludit contrarium eius, quod ipse volebat.

AD Alterum ex iis, quæ suprà diximus cap. 18. pater solutio: sed ne Martyr nimium glorietur, respondebo ad singulas partes argumenti ipsius. Nego igitur panem annihilari, atque assero verissimè conuerti. Ad illam probationem: *Panis aliquid erat, & nunc nihil est, nullus est, nusquam est, &c.* Respondeo, non propterea esse annihilatũ. Nam etiamsi panis nihil sit, tamen id in quod ipse conuersus est, non est nihil, nec nullum, nec nusquam. Non enim dicitur annihilari quod manet nihil in se, sed quod terminatur in nihil, ita vt terminus actionis, qua ipsum desinit esse, nihil sit: alioqui aqua, quæ à Domino versa est in vinum, annihilata fuisset; nam post conuersionem nihil fuit, nulla fuit, & nusquam fuit. Neque obstat quòd fortè materia manserit, nam materia nõ est aqua: & præterea saltem forma substantialis aquæ, & multa eius accidẽtia annihilata fuissent, quia nihil omnino eorũ mãsit.

AD exemplum de cibo, qui in stomacho corrumpi dicitur, etiamsi succedat ei res alia nobilior, Respondeo propriè loquendo, cùm succedit res nobilior, tota illa actio generatio dicitur, non corruptio, sicut è contrario, cùm succedit res ignobilior, corruptio dicitur, non generatio. Quia tamẽ reuera vbicũque est generatio vnius, ibi est corruptio alterius, admitto cibum verè corrumpi, vt caro humana generetur, & eodem modo admitto panem per consecrationem interire, vt ei succedat corpus Christi: sed aliud est corrumpi, & interire, aliud annihilari. Corrumpitur enim, siue interit, quidquid desinit esse; at non annihilatur, nisi quod ita desinit esse, vt nihil ei succedat, ita vt eius desitio terminetur ad nihil. Itaque cibus corrumpitur quidem, quia desinit esse, sed non annihilatur, quia non desinit in nihil, sed in carnem humanam.

QVANTVM autem ad Alteram propositionem argumenti Petri Martyris, Respondeo, aliud esse transire de vno ad aliud, aliud transire vnum in aliud. Cùm enim dicimus transiuisse aliquid de vno ad aliud, tunc significamus permanentiam eiusdem rei in vtroque termino, & hoc modo quando vnum sic cedit alteri venienti, vt migret ad aliud, dicitur resilire, seu recedere, & transire ab illo, cui cedit, nõ autem in illud transire. At verò, cùm dicimus, vnum transire in aliud, tunc non significamus permanẽtiam eiusdem rei in vtroque termino, sed significamus desitionem vnius rei, & inchoationem alterius. Sic dicimus vsitatissimè noctem conuerti, seu transire in diem per ortum solis, & diem in noctem per solis occasum; ligna in ignem per cõbustionem; cibum in hominem per nutritionem; & elementa in inuicem per mutuum conflictum; atque hoc modo dicimus panem conuerti, seu transire in corpus Christi, non autem aliquid tertium de pane transire ad corpus Christi. Hinc igitur patet, quàm inepta, & frigida fuerit Pseudomartyris gloriatio.

QVARTVM argumentum habetur obiectione 59. vbi ex confessione Berengarij, quæ habetur can. Ego Berengarius, de consecrat. dist. 2. argumentum sumit. Num in ea confessione, quæ à Concilio Romano approbata fuit, habetur, panem & vinum, quę in altari ponũtur, post consecrationem esse non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini, & sensualiter, & in veritate sacerdotum manibus tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri. Ex qua confessione apertè colligitur, panem verum esse in Eucharistia, & eum sensualiter tractari, frãgi, atteri; neque enim ista de Christi carne dici possunt sine ingenti blasphemia.

IDEM argumentum antea fecerat Ioan. VViclefus apud Thomam VValdensem, tom. 2. c. 42. & 43. obiiciebat enim VViclefus, Ecclesiam tempore Innocentij III. defecisse ab Ecclesia, quæ fuit tempore Nicolai II. quòd illa negauerit substantiam panis manere in Eucharistia, cuius contrarium posuerat ista in abiuratione Berengarij. Caluinus etiam lib. 4. Instit. c. 17. §. 12. & alij tum Lutherani, tum Caluinistæ istam confessionem Berengarij aut contra nos obiiciunt, aut eam vt monstrosam irridենt. Et denique primus omniũ Berẽgarius (teste Lantfranco in libro de corpore Domini) post illam abiurationem periurus cœpit obiicere fidelibus, ex illa confessione colligi posse verum panem esse in Eucharistia: *Sicut enim qui dicit, Christus est lapis angularis, Christum non tollit, sed ponit: ita etiam (dicebat ipse) qui ait, Panis est corpus Christi, panem non tollit, sed ponit.*

RESPONDEO, confessio illa Romani Concilij, quòd ad verba attinet, tota desumpta est ex antiquis S. Patribus, & ideò non potest reiici, vel irrideri, quin simul veteres S. Patres reiiciantur, & irrideantur. Quod autem attinet ad rem ipsam, nihil continet falsum, aut contrarium fidei, quam & antea & postea Catholica Christi Ecclesia tenuit.

QVATVOR sunt partes eius confessionis. Prima est, panem post consecrationem esse Sacramentum: & hoc nullus negat aduersariorũ, & habetur expressè apud Augustinum lib. 20. contra Faustũ, cap. 13. vbi dicit, panẽ & calicem certa consecratione fieri mysticum, alioqui esse alimentum refectionis, non Sacramentum religionis.

SECVNDA pars est, eundem panem post consecrationem esse verum, & naturale Christi corpus: quod intelligitur de pane mutato substantialiter virtute consecrationis, vt sup. cap. 21. probauimus ex Lãtfranco, Guitmũdo, & Anselmo. Itaque panis consecratus, quoad species externas, est Sacramentũ; quoad internã substãtiam, est verum, & naturale Christi corpus. Et hoc non solùm est verum, quoad sensum, sed etiam conforme sententiis Patrum suprà citatis, cap. 20. ac præsertim S. Augustini in homil. ad infantes apud Bedam in comment. 1. Cor. 10. vbi dicit: *Panis est corpus, & vinum est sanguis.*

AD argumentum autem Berengarij, VViclefi, Petri Martyris, & aliorum, qui dicunt, Si post consecrationem panis est corpus Domini; ergo post consecrationem manet panis: respondit optimè Lantfrancus, omnino manere panem post consecrationem, sed panem cœlestem, non triticeum; panis enim post consecrationem est panis mutatus substantialiter in carnem Domini, vt sæpe diximus.

TERTIA pars est, corpus Domini sensualiter manibus tractari, frangi, & atteri dentibus; qui modus loquẽdi inuenitur apertissimè in Patribus. Chrysostomus homil. 83. in Matt. *Ipsum*, inquit, *vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* Et homil. 45. in Io. *Non se tantùm videri permittit desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi.* Et homilia 24. in priorem ad Corinthios: *Quod in cruce passum non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet.* Hæc ille. Itaque Chrysostomus asserit, corpus Domini in Eucharistia, videri, tangi, frangi, & dentes in illud infigi; qualia etiam leguntur apud Cyrillum lib. 12. in Ioan, cap. 58. & alios Patres. Sensus autem horum verborum est, Christi corpus videri, tangi, frangi, & teri mediantibus speciebus panis, quæ solæ formaliter videntur, tanguntur, franguntur, terũtur. Quomodo Luc, 8. dicebat Dominus: *Quis me tetigit?* Et rursus: *Tetigit me aliquis.* Et tamen nemo ipsum, siue eius corpus, immediatè tetigerat, sed solùm mediãte fimbria vestis: & nos vsitatè dicimus: Pluuia me totum madefecit, & humectauit; etiamsi fortè solum pallium aspersum fuerit aqua. Denique in Scripturis frequentissimè dicebantur Angeli videri, & tangi, cùm in corporibus assumptis viderentur, & tangerentur.

QVARTA pars est, contactum istum sensualem carnis Christi non esse tantùm in Sacramẽto, id est, in symbolo, sed etiam in rei veritate; quæ particula addita est ob fraudes hæreticorum. Nam duobus modis potest Christi caro sensualiter videri, & tangi, mediantibus speciebus panis. Vno modo mediantibus speciebus, vt signis quibusdam; quomodo qui imaginem Christi depictam, vel sculptam videt, & tangit; dicere potest, se sensualiter vidisse & tetigisse Christum mediante illo signo: & hoc modo tantùm Christum videri & tangi in Eucharistia, negat confessio illa Romani Concilij. Altero modo mediantibus illis speciebus, vt reipsa tegentibus præsentem Christi carnem, & hoc vult illa confessio, & ad hoc faciunt exempla allata de tactu Christi mediante veste, & de tactu Angelorum mediante corpore assumpto; atque hunc modum loquendi habet etiam Chrysostomus homil. 83. in Matthæum, vbi sic ait: *O, quot modò dicunt, Vellem speciem eius, & formam videre.* Et subdit: *Ipsum igitur vides, ipsum tangis, &c.* Vbi opponit præsentiam Christi in Eucharistia, præsentiæ eius in imagine, & forma ad viuũ expressa; quod certè non faceret, si in Eucharistia non haberemus Christum, nisi in signo.

QVINTVM argumentum habetur obiectione 63. 64. 121. 122. 123. 129. Sẽsus falli nõ possunt circa sensibilẽ substantiam: at illi iudicant in Eucharistia esse panem. Item Patres probant, Christum fuisse verum hominem, contra Marcionem, Manichæum, & similes hæreticos, quia mãducabat, bibebat, dormiebat, fatigabatur, eodem modo probare possumus in Eucharistia esse verum panem, quia ibi est color, sapor, odor, figura veri panis. Vel si hic sensus falluntur, & licet nobis dicere, Non est panis, licet videatur omnibus sensibus, cur non licebit Marcionitis dicere, Christus non fuit homo, licet omnibus sensibus videretur esse homo? ergo ista transubstantiatio præiudicat fidei, & fauet hæreticis, &c. Hæc est summa illarum obiectionum. Similia habet etiam Ioannes VViclefus apud Thomam VValdensem, tomo 2. cap. 45. & 46. vbi argumentatur, in Eucharistia esse verum panem, quia ita iudicant mures.

POTEST addi argumentum paulò gratius ex Scoto, qui & proponit, & soluit. Est autem huiusmodi: *In Sacramento veritatis nihil decet esse falsum. At si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus: accidentia enim externa, sunt naturalia signa internæ substantiæ, vnde etiam per ea à posteriori indagatur à Philosophis substantia.*

RESPONDEO ad Primum, Illa sententia Philosophorum, sensuum non falli circa suum obiectum, vera est, sed eget multis limitationibus, quæ notandæ sunt, vt videamus, quàm debile fundamentum habeant aduersarij. Primò, vera est de obiecto per se, id est, de accidentibus, non de substantia, quæ est obiectum sensuum per accidens. Videmus enim circa substantias etiam sensibiles, homines falli frequentissimè, cùm ex solâ apprehensione sensuum iudicant, vt patet in glacie, quæ videtur crystallum, in aurichalco, quod non discernitur ab auro, & sic de aliis: & hoc sufficeret ad argumentum soluendum. Fatemur enim sensus nõ falli in accidentibus panis, quæ sunt obiecta per se, sed in substantia tantùm, quæ est obiectum per accidẽs. Allatum est anno M.D.LXXXV. à quibusdam ex Syria, fragmen ligni conuersum in lapidem, manentibus accidentibus quibusdam ligni, vt figura, colore, asperitate, &c. quod quidem ita verum lignum videbatur iudicio oculorum, vt sanè qui rem non nosset, iuraturus fuisset illud esse lignum, cùm tamen non lignum, sed verissimus lapis esset.

SECVNDÒ, vera est ea sentẽtia de obiecto proprio, non de obiecto communi. Vnde videmus homines passim decipi in iudicanda magnitudine stellarum, in figura baculi in aqua existẽtis, in motu & quiete cum nauigamus: putamus enim littora recedere, & nauim quiescere.

TERTIÒ, vera est de obiecto proprio, si sint organũ & medium bene disposita: nam alioqui etiam circa proprium obiectũ falli possumus; sæpe enim per viridia perspicilia colorem album putamus esse viridem, & gustus infectus dulcia iudicat esse amara.

QVARTÒ, vera est de obiecto proprio in generali; nam in particulari videtur posse contingere error, etiam organo & medio rectè dispositis. Vera est (inquam) de obiecto in genere, quia sensus videndi nõ errat vnquam in eo, quod apprehendit colorem, vel lumen: nullo enim modo fieri potest, vt apprehendat saporem, & odorem, aut aliquid aliud, excepto colore, & lumine. Quomodo etiam intellectus non errat in eo, quòd apprehendit ens in genere: at in particulari videtur posse contingere error, nimirum, vt apprehendat vnum pro alio. Nam in iride iudicant oculi verissimos esse colores, qui tamen non sunt, nisi lumen reflexum. Cùm igitur hæc ita sint, meritò Patres reprehendũt eos, qui ex apprehensione sensuum de hoc Sacramento, & aliis rebus fidei iudicare volunt. Vide Cyrillum catechesi quarta mystagogica. Chrysostomum homilia 83. in Matthæum, & Augustinum serm. 33. de verbis Domini.

AD Secundum respondeo contra Marcionem, Manichæum, & similes probari à Patribus, Christi corpus verum, & solidum, non autem phantasticum fuisse experimento sensuum: idque rectissimè propter duas causas, quarum vtraque deest argumento aduersariorum circa panem Eucharistiæ. Prima causa est, quia disputabatur cum illis hæreticis de obiecto proprio sensuum, id est, de soliditate corporis; phantasma enim tangi nequit. Vnde etiam Dominus Lucæ 4. probauit se non esse spiritum seu phantasma, sed corpus solidum, ex tactu: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Nos autem cum Lutheranis disputamus de substantia panis, quæ non est obiectum sensuum, nec proprium, nec commune, nisi per accidens, & in quo sæpe erratur.

SECVNDA causa est, quia Scriptura nusquam dicit, Christum non habere verum corpus, immò contrarium affirmat, & similiter Ecclesia in Conciliis idem semper docuit. Posito autem hoc fundamento fidei ex verbo Dei per Ecclesiam explicato, rectè adhibentur omnia argumenta alia, quæ idem confirmare possunt; licet alioqui non possint certitudinem fidei Catholicæ efficere. At in causa Lutheranorum, verbum Dei per Ecclesiam Catholicam in multis Conciliis declaratum affirmat, in Eucharistia non esse panem: proinde argumenta ex experimento sensuum, quæ (vt ostendi) in se fallacia sunt, in hac re fallacissima iudicanda sunt.

AD argumentum Scoti, dico nihil esse falsi in signo sensibili Eucharistiæ; quia accidentia illa significant naturaliter sub illa specie latere substantiam panis, & ideò, nisi præter cursum, ordinémque naturæ Deus aliquid faciat, per illa accidentia venitur in cognitionem substantiæ. In Eucharistia autem non naturaliter, sed supra ordinem naturæ fit, vt sub illis accidentibus desit substantia panis. Itaque in ipsis signis nulla est falsitas, cùm id solùm significent, naturaliter sub illa specie latere substantiam panis. Quòd si imaginatio hominum fallitur in hac re, id nascitur ex ipsorum vitio: nam vel sunt fideles, vel infideles. Si fideles, non falluntur, quia sciunt testimonio Dei & Ecclesiæ, ibi esse accidentia sine substantia. Si infideles, falluntur, vel quia credere nolunt Deo, & Ecclesiæ, vel si fortè non audierunt quidquam de hoc mysterio, falluntur simpliciter ex ignorantia mysterij, non ex falsitate, quæ sit in re. Et hoc nullum est absurdum: nam hoc modo fallebantur etiam sancti viri, Abraham, Loth, Tobias, Manue, Gedeõ, & alij, qui Angelos in specie humana sibi apparentes, veros homines esse credebant, & vt homines tractabant: & duo discipuli fallebantur, qui Dominum peregrinum aliquem esse existimabant; & Magdalena, quæ eundem hortulanum esse putabat.

ARGVMENTVM Sextum est apud eundem obiectione 66.67.68.69.70.71.72.73. *Panis Eucharistiæ mutationes varias recipit, quæ nullo modo fieri possunt sine substantia panis, quæ sit subiectum illarum mutationum, ergo substantia panis, & non sola accidentia in Eucharistia reperiuntur. Antecedens probatur, quia panis Eucharistiæ potest alterari, vt calefieri, immò etiam veneno infici: constat enim Victorem III. Papam, & Henricum VII. Imperatorem veneno periisse, quod in Eucharistia positum fuerat. Item pani: Eucharistiæ aliquando corrumpitur, & inde aliud generatur: nam ex eo homines nutriri constat, & vermes inde procreari, & illum etiam posse comburi, & vinum Eucharistiæ verti aliquando in acetum.*

RESPONDEO, Tractantur hæc omnia accuratè à Scholasticis: sed quod attinet ad argumenta aduersariorum, facilè solui possunt. Nam vel mutatio in pane Eucharistiæ est sola alteratio, vel est corruptio. Si sola alteratio, vt calefactio, condensatio, &c. tum non requiritur materia, seu substantia: nam accidentia omnia pro subiecto habent quantitatem, quæ in Sacramento manet. Vnde hostia consecrata dicitur alba, sapida, rotunda, parua, &c. hæc enim omnia denominant quantitatem, alioqui non posset fieri ista denominatio: non enim accidentia de se ipsis dicuntur in concreto, sed solùm de subiecto, excepta quantitate, quæ & dicitur quantitas, & quanta. Et sicut fieri potest, vt maneant qualitates in quantitate separata à materia, sic etiam potest fieri, vt introducantur nouæ qualitates in eandem quantitatem à materia separatam. Si verò sit corruptio specierum, vt in mutatione humana, combustione, &c. tum requiritur quidem materia, sed ea substituitur à Deo in illo ipso instãti, quo desinunt esse illæ species, & in quo aliud generatur, & hoc sine miraculo. Sicut enim cùm disposita est materia corporis humani sufficienter, Deus animam creat, & infundit: & h c non dicitur miraculum, quia hoc exigit ordo rerum à Deo institutus: ita etiam quando per alterationem specierum panis eò venitur, vt

vt adsint dispositiones requisitæ ad aliquam formam introducẽdam, exigente ordine rerum, Deus materiam substituit, & in illo ipso instanti ab agente naturali, mediantibus dispositionibus præmissis, introducitur forma substantialis. Atquæ hæc est simplicissima, & tutissima explicatio huius rei, sic enim omnia cohærent. Nam nec dicimus, fieri generationem, & corruptionem sine materia, nec multiplicamus miracula, nec dicimus ab agente naturali fieri materiam, aut certè nihil ab eo fieri, sed totum à solo Deo; & simul ostendimus nihil materiæ mundo deperire ex tot panum consecratione.

SED obiicit Petrus Martyr obiectione 67. argumẽtum suo iudicio insolubile, re autem vera prorsus ineptum, & indignum vel mediocri Philosopho: *Nam si disponuntur*, inquit ipse, *illæ species ad materiam recipiẽdam, vel id fit manente Christi corpore in Eucharistia, vel post eius abscessum. Manente Christi corpore id fieri nequit, quia nunquam simul esse debent materia panis, & corpus Christi: essent autem simul si dispositio fieret manente Christi corpore: nam simul est vltima dispositio, & introductio eius, ad quod fiebat dispositio. Abscedente autẽ corpore Christi species pereunt, nec vsquam sunt, vt omnes Theologi docent, qui volunt corpus Christi manere, donec species manent. At quod perit, non potest disponi, igitur fictitia est illa dispositio.*

RESPONDEO, Dispositiones nõ fiunt ad materiam recipiendam; vt imperitè Martyr dicit, sed ad formam: sed quia forma introduci non posset, nisi adesset materia, ideò (vt dixi) materiam Deus substituit. Porrò dispositiones illæ inchoantur manente Christi Corpore; vltima autem dispositio, cum qua simul, & materia substituitur à Deo, & forma ab agente naturali introducitur, fit in illo instanti, quod est primum non esse corporis Domini in Eucharistia, & primum esse rei genitæ.

SED, inquit Martyr, *tunc species non sunt.* Respondeo; Non sunt in sua natura, sed sunt tamen in natura aliarum qualitatum introductarum: neque est hoc nouum, aut singulare, sed commune, & ordinarium in omni generatione, & corruptione.

AD illud autem de veneno in Eucharistia propinato, Respondeo, quidquid sit de veritate historiarum (neque enim desunt, qui eas historias falsas esse contendãt) vel venenum consistebat in sola qualitate aspersa vino Eucharistiæ, vel in substãtia aliqua admista illi vino ante vel post consecrationem. Si in sola qualitate, tum nullum sequitur absurdum, si dicamus in ipsa specie consecrata posse manere, vel introduci istam qualitatem, vt possunt aliæ, quæ se compatiuntur cum accidentibus panis, & vini. Si verò sit aliqua substantia venenata, vt aliquis liquor, in illo corpus Domini non erit, licet in eodem calice sit ille liquor cum vino consecrato; nihil enim verti potest in corpus, & sanguinem Domini, nisi quod ipse Dominus instituit, id est, panis & vinum.

ARGVMENTVM Septimum est in obiectione 106. *De accidentium ratione, & essentia est, vt inhæreant in subiecto. Sed in pane Eucharistiæ accidentia panis inueniuntur, ergo & subiectum eorum, quod est substantia.* Probat maiorem propositionem. Primò, quia accidẽtis esse est inesse, vt colligitur ex libro 5. Metaphys. tex. 35. Vnde accidens non tam dicitur ens, quàm entis, id est, aliquid entis, siue aliquid in ente existens.

SECVNDÒ, Aristoteles Platonem reprehẽdit, quod posuerit Ideas à materia separatas. Quod si formæ substantiales, quales Ideæ sunt, à materia separari nequeũt, quantò minùs poterunt separari formæ accidentales?

TERTIÒ, sicut accidenti conuenit inhærere in alio, ita substantiæ non inhærere. Sed nullo modo fieri potest, vt substantia inhæreat in alio; ergo neque, vt accidentia, non inhæreant.

QVARTÒ, ista accidentia vel sunt in se, vel in alio. Si in se, ergo subsistunt per se, & proinde substantiæ sunt, non accidentia. Si in alio, ergo inhærent, ergo non manent sine subiecto.

QVINTÒ, Augustinus in epistola 57. ad Dardanum: *Tolle*, inquit, *ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit, vbi sint, & ideò necesse est, vt non sint.* Alium locum huic similem adferebat Ioannes VVielefus ex lib. 2. Soliloquiorum, cap. 12. vbi sic loquitur Augustinus: *Cui fieri posse videatur, vt id, quod in subiecto est, maneat ipso intereunte subiecto?*

RESPONDEO, falsum esse, ad accidentis essentiam pertinere inhærentiam in subiecto: id enim negant non solùm veteres Patres, & omnes Theologi, ac Philosophi Christiani, sed etiam multi ex Ethnicis. Ex Patribus Basilius, non solùm credidit, accidens sine subiecto esse posse, sed etiã reipsa fuisse initio creationis rerum. Nam hom. 2. de opere sex dierum, & clariùs homil. 6. docet lucem solis creatam fuisse prima die, & mansisse absque sede, & vehiculo tribus diebus, & tandẽ die quarta creatum fuisse corpus solare, & in eo, vt in subiecto positam fuisse lucem illam, quæ fuerat prima die creata. Et ne quis dicat, per lucem non intelligi à Basilio veram, & solam qualitatem, sed substantiam aliquam lucidam, ipse se clarissimè explicat. Dicit enim, aliud esse albedinem, aliud esse corpus, quod per eam fit album; & eodem modo aliud esse lucem, aliud corpus lucidum: & quamuis nos separare non possimus vnum ab alio, nisi sola cogitatione, tamen posse à Deo reipsa separari, quæ nos mente, & cogitatione separamus. Nec potest etiam dici Basilium fortè confundere lucem cum lumine, & solùm velle dicere primis illis tribus diebus fuisse lumen in mundo sine sole, ita tamen, vt non defuerit subiectum (lumen enim in aëre, & aqua, vt in subiecto erat) sed defuerit causa secunda efficiens, id est, corpus lucidum, à quo illuminatio illa fieret. Hoc, inquam, dici non potest. Nam hom. 2. distinguit Basilius lucem primigeniam, quam postea in corpore solari collocatam dicit, à lumine quod per aquam, & aërem diffundebatur: ait enim, lucem illam per emissionem radiorum, & rursus per eorundem contractionem effeciſſe diem, & noctem, dum enim lux illa emitteret radios, omnia corpora diaphana illustrabantur, dum radios contraheret, eadem corpora obscurabantur. Similia habet Ioannes Damascenus Basilium sequutus lib. 2. de fide Orthodoxa, cap. 7.

PORRÒ Thomas VValdensis, tomo 2. ca. 76. profert multa testimonia veterum Philosophorum, qui docebãt posse accidentia existere sine subiecto. Aristoteles autem id quidem non concedit, quia non potest naturaliter fieri; tamen apertè docet non esse inhærentiam de essentia accidentis; quod nobis hoc loco sufficit ad refutandam Petri Martyris vanitatem. Nam Aristoteles lib. 3. de anima, tex. 9. dicit: *Aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse.* Quod si ipsum esse, id est, existentia accidentis, distinguitur ab eius essentia, certè multò magis inhærentia distinguetur, quæ est modus quidam existẽtiæ. Rursus lib. 4. Phys. tex. 58. quærit Aristoteles, an spatium censendum esset vacuum, vbi solus esset color, aut sonus: quæ sanè quæstio inanis esset omnino, si inhærentia esset de essentia, qui enim diceret colorem, necessariò includeret etiam subiectum, & proinde corpus.

AD Primam igitur probationem dico, illam sententiam, Accidentis esse est in esse, &, Accidens non ens, sed entis: nihil significari aliud, nisi accidentis naturam esse imperfectam, & habere ordinem quendam ad substantiam, ob cuius gratiam existit.

SCIENDVM enim est, accidentia habere propriam essentiam, vt patet: nam accidentia habent sua genera, & species distinctas planè à substantiæ generibus, & speciebus, sunt enim diuersa prædicamenta. Rursum negari non potest, quin habeant accidẽtia propriam existentiam distinctam ab existentia subiecti, seu substantiæ, vt

patet, quia terminant actiones reales: nam alteratio propriè qualitatem producit, & augmentatio quantitatem: tamen habent accidētia triplicem ordinem ad subſtantiam. Primus eſt eſſentialis, quia, vt dixi, ſunt entia eſſentialiter imperfecta, & ideò eſſentialiter reſpiciunt ſubſtantiam. Hic autem ordo non eſt relatio propriè dicta, ſed eſt ipſa natura imperfecta, & ratione huius dicitur eſſe non tam ens, quam entis, & eius eſſe dicitur ineſſe, quia ordinatur ad inhærendum in ſubiecto. Secundus ordo eſt quædam potentia, ſeu aptitudo ad inhærēdum: & hic ordo non eſt de eſſentia, ſed eſt proprietas quædam accidentis, quæ oritur ex natura illa imperfecta, vt diximus. Tertius ordo eſt actualis inhærentia, qui eſt quaſi actus quidam, & officium accidentis, & proinde quid poſterius ipſo accidente. Non enim accidens, verbi gratia, candor talis eſt, quia facit parietem candidum, ſed contrà, ideò facit parietem candidum, quia ipſe in ſe eſt candor. Nulla igitur repugnantia admittitur, ſi diuina potentia ſepararetur accidens ab eo, quod nec eſt de eſſentia eius, & à quo ipſum non pendet, cùm ſit prius.

A

B

Ad ſecundam probationem dico, meritò reprehendi ab Ariſtotele eos, qui ponebant formas ſubſtantiales ſeparatas: illi enim exiſtimabāt, hanc eſſe naturam rerum, vt formæ ſeparatæ ſint. Sed hæc reprehenſio ad nos non pertinet, qui fatemur naturaliter non ſolùm non exiſtere, ſed etiam non poſſe exiſtere formas ſeparatas.

Ad Tertiam reſpondeo, fallaciam latere in argumento: nam cùm dicit Petrus Martyr; Sicut accidenti conuenit inhærere, ita ſubſtantiæ non inhærere: comparat actū accidentis, non cum actu ſubſtantiæ, vt debuit, ſi rectè comparare voluit, ſed cum negatione actus accidentis. At ſi rectè comparaſſet hoc modo; Sicut accidenti conuenit inhærere, ita ſubſtantiæ conuenit ſubſiſtere: vel negatiuè; Sicut accidenti conuenit non ſubſiſtere, ita ſubſtantiæ non inhærere: vidiſſet argumentum ſuum nihil valere, immò pro nobis eſſe. Nam ſicut ſubſtantiæ conuenit naturaliter ſubſiſtere, & tamen ſupernaturaliter poteſt ſeparari à ſua ſubſiſtentia, vt patet in myſterio Incarnationis, vbi natura humana eſt ſubſtantia, & tamen non ſubſiſtit, id eſt, non per ſe exiſtit, ſed à Verbo ſuſtentatur: ita accidenti conuenit naturaliter inhærere, & tamē fieri poteſt diuinitus, vt non inhæreat. Sic etiam, ſicut ſubſtantia nullo modo poteſt inhærere, ita accidens nullo modo poteſt ſubſiſtere per ſe: nam in Sacramento licet non ſint accidentia in ſubiecto, tamen non per ſe ſubſiſtunt more ſubſtantiæ, ſed à Deo ſuſtentantur modo ſupernaturali. Ratio autem cur non poſſit ſubſtantia inhærere, vel accidēs per ſe exiſtere, in promptu eſt: quia nō poteſt effectus formalis ſeparari à cauſſa ſua, à qua intrinſecè pendet, licet è contrario poſſit cauſſa ſeparari ab effectu, quia prius non pendet à poſteriori. Porrò inhærere, eſt effectus formalis accidentis, ſicut ſubſiſtere, ſubſtantiæ; inde ergo non poteſt vllo modo illa res inhærere, quæ non eſt accidens, neque illa ſubſiſtere, quæ non eſt ſubſtantia.

C

Ad Quartum, quod erat eiuſmodi; *Accidentia iſta, vel ſunt in ſe, vel in alio. Si in ſe, ergo ſubſiſtunt: ſi in alio, ergo inhærent.* Reſpondeo, eſſe in ſe, & nō ſubſiſtere, quia ſunt in ſe negatiuè, non poſitiuè. Nam ideò dicuntur eſſe in ſe, quia non ſunt in aliquo ſuppoſito, & tamen reuera nō ſubſiſtunt per actum poſitiuum, qualis manat ex naturis ſubſtantialibus; ſic etiā dicō eſſe in alio, & non inhærere, quia ſunt in alio, vt in cōſeruante nō vt in ſubiecto.

Ad Quintam probationē ex Auguſtino, Reſpondeo, eum loqui de eo, quod poteſt fieri naturaliter.

Argvmentvm Octauum habetur in obiectione 125. & 126. *Tranſubſtātiatio, vel fit ante verba cōſecrationis, vel poſt, vel ſimul. Si ante, ergo non fit virtute verborum illorum: ſi poſt; ergo verba illa ſunt falſa, Hoc eſt corpus meum: ſi ſimul; ergo tranſubſtantiatio fit ſucceſſiuè, non aucem in inſtanti, vt omnes Theologi docent.*

D

Respondeo, ſit ſimul: & ad argumentum in contrarium, dico fieri non toto tempore quo durat pronunciatio, ſed in vltimo inſtanti terminatiuo illius prolationis. Etſi enim non detur vltima pars illius motus, quo proferuntur verba, neque etiam temporis ei reſpondentis, datur tamen vltimum mutatum eſſe terminatiuum illius motus, & vltimum inſtans terminatiuum illius temporis.

Qvod autem Petrus Martyr obiicit, ſequi ex hac ſolutione totam vim conſecrationis cōſiſtere in illo vltimo (vm) quod videtur eſſe ridiculum, leue eſt. Nam illud (vm) non operatur virtute ſua ſola, quippe quod per ſe nihil ſignificat, ſed virtute totius ſententiæ, quæ tunc habet eſſe completum, cùm finitur tota prolatio.

Sed poſſet aliquis obiicere, Sicut corpus Domini incipit eſſe in Sacramento in inſtanti, ſic etiam panis deſinit eſſe in inſtanti: non enim corrumpitur paulatim per diſpoſitiones præuias, ſed per ſimplicem actionem diuinam deſinit eſſe. At ea, quæ deſinunt in inſtanti, deſinūt per vltimum ſui eſſe, ſicut ea quæ incipiunt in inſtanti, incipiunt per primum ſui eſſe: ergo dandum eſt inſtans affirmatiuum tam deſitionis panis, quàm ſucceſſionis corporis Domini. Rurſus, aut eſt idem inſtās deſitionis, & ſucceſſionis, aut diuerſum. Si idem, ergo ſimul erunt ſub illis ſpeciebus, panis, & corpus Domini: ſi diuerſum, ergo in tempore intermedio (nec enim dantur duo inſtantia immediata) erunt ſpecies illæ ſine ſubſtantia panis, & ſine corpore Domini.

Respondeo, Licet panis deſinat in inſtanti, tamen illud inſtans non poteſt aſſignari, vel notari, niſi negatiuè, ita vt ſit primum non eſſe panis, non autem vltimum eſſe panis. Cuius ratio eſt, quia panis deſinit ad deſitionem verborum, in quorū virtute fit illa conuerſio: verba autem non habent vltimum eſſe, ſed primum non eſſe. Itaque illud inſtans terminatiuum prolationis verborum, eſt primum non eſſe verborum, & conſequenter ſubſtantia panis: & ſimul eſt primum eſſe corporis Domini ſub illis ſpeciebus. Quod idem cernimus in naturali tranſmutatione. Nam ſubſtantia quæ corrumpitur, in inſtanti deſinit eſſe: non enim ſunt gradus in ſubſtantia, ſicut in qualitatibus, & tamen, quia deſinit ad deſitionem diſpoſitionum, non habet vltimum eſſe, ſed primum non eſſe: diſpoſitiones enim per motum ſucceſſiuum deſinunt.

Argvmentvm Nonum habetur obiectione 108. & ſequētibus vſque ad 116. *Poſita trāſubſtantiatione, ſequitur ex pane fieri corpus Chriſti: at hoc multis nominibus eſt abſurdum, igitur tranſubſtantiatio admittenda non eſt. Probatur aſſumptio. Primò, ſi ex pane fit Corpus Chriſti, ergo generatur corpus Chriſti: mutatio enim ad ſubſtantiā nulla eſt, niſi generatio. At abſurdum eſt quotidie Chriſtum generari. Secundò, in Euchariſtia eſt Chriſtus Deus & homo, ergo, ſi quod eſt in Euchariſtia, fit à ſacerdote per conſecrationem, ergo Deus & homo fit à ſacerdote. Tertiò, corpus Chriſti, quod fuit in cruce, & in vtero matris, non fuit factū ex pane, ſed ex carne Virginis. At quod eſt in Euchariſtia, fit ex pane, ergo corpus Domini quod eſt in Euchariſtia, non eſt illud, quod fuit in cruce, & in vtero Matris.* Hoc argumentū ſæpius ac ſæpius repetit, & in varias formas ſyllogiſmorū redigit, vt nullus cauillis relinqui poſſit locus.

Respondeo, Non eſt vllum abſurdū ex pane fieri corpus Chriſti: ita enim loquitur Ambr. lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. Gaudentius tract. 2. in Exod. & alij Patres.

Ad Primam probationem miror imperitiam, vel audaciam Petri Martyris, qui toties inculcat, corpus Chriſti neceſſariò dicendum eſſe generari, ſi conuerſio iſta terminatur ad ſubſtantiam. Nam etiamſi generatio rectè diſtinguatur à Philoſophis ab alteratione, augmentatione, & latione, quia generatio terminatur ad ſubſtantiam,

ſtantiam, alteratio ad qualitatem, augmentatio ad quantitatem, & latio ad vbi, ſiue ad locum: tamen quis Chriſtianorum ignorat generationem diſtingui à creatione, licet vtraque ſit ad ſubſtantiam? & rurſus, conuerſiones miraculo factas aquæ in vinum, & vxoris Loth in ſtatuam ſalis, terminatas fuiſſe ad ſubſtantiam, & tamen non eſſe propriè generationes? Dico igitur tranſubſtantiationem terminari ad ſubſtantiam, & tamen non eſſe generationem, ſed conuerſionem ſupernaturalem, per quam (vt ſuprà oſtendi) corpus Chriſti non producitur, ſed ſuccedit ſubſtantiæ panis.

A

Ad ſecundum nego, Chriſti corpus, vel ipſum Chriſtum Deum, & hominem abſolutè à ſacerdotibus fieri. Aliud enim eſt Chriſti corpus ex pane conficere, quod ſacerdotes faciunt, aliud abſolutè Chriſti corpus efficere: ex pane enim Chriſti corpus efficere, non eſt ipſum producere, ſed in ipſum præexiſtens panis ſubſtantiam commutare. Quanquam ſi de modo loquendi agatur, non dubitauit Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum, & in altera ad Euagrium dicere, ſacerdotes Chriſti corpus ſacro ore conficere.

Ad tertiam dico, corpus Chriſti ex pane fieri, non tanquam ex materia, quomodo factum eſt ex carne ſanctæ Virginis, & quomodo ex ligno fit ſedes, ex auro & argento vaſa precioſa: ſed tanquam ex termino à quo, quomodo ex nihilo factum eſt cœlum, ex die fit nox, & etiam ex aqua, factum eſt vinum. Neque enim aqua manſit, vt materia vini, licet manſerit materia prima, quæ aqua dici non poteſt. Porrò iſta varia effectio, non mutat rei naturam. Nam ſi quis à Deo ex nihilo produceretur, non eſſet diuerſæ naturę ab aliis hominibus, qui ex materia præexiſtente fiunt, neq; vinum factum ex aqua in Cana Galilææ fuit diuerſæ naturę à vino, quod fit ex vuis. Quāuis autē nunquam mutetur ſpecies, tamen nouum indiuiduum producitur diſtinctum ab omnibus aliis, quando conuerſio eſt productiua: in præſenti autē negotio cōuerſio non eſt productiua, vt ſuprà oſtēdimus. Panis enim cōuertitur in ipſū corpus Chriſti præexiſtens: & ideò corpus ex carne Virginis factum, & ex pane factum, non ſunt diuerſa, ſed vnum & idē omnino.

B

Ad argumentū autem Petri Martyris comprehenſum ſyllogiſmo expoſitorio, in quo ille tantopere confidit, reſpondeo in forma. Argumentum hoc eſt: *Hoc corpus (demonſtrando corpus crucifixum) non eſt factum ex pane. Hoc corpus (demonſtrando corpus Domini in Euchariſtia) eſt factū ex pane, ergo hoc non eſt illud.* Reſpondeo: Si per *factum ex pane*, intelligatur productū, conceſſa propoſitione, negatur aſſumptio: non enim corpus Dñi in Euchariſtia producitur, ſed ſolùm ſuccedit pani. Si verò per *factum ex pane*, intelligatur ſucceſſiſſe pani in ipſum conuerſo, & mutato, tunc aſſumptione conceſſa, negatur propoſitio. Nā verè corpus illud quod fuit crucifixum, factum fuit ex pane: illud enim eſt, in quod panis per conſecrationem conuerſus fuit à Chriſto, ipſo dicente: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Atque hactenus de tranſubſtantiatione.

LIBER QVARTVS, DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit propriè Sacramentum Euchariſtiæ, & num extra vſum ſit verè corpus Domini ſub ſpecie conſecrati panis.

Actenvs de veritate corporis Domini in Euchariſtia diſſeruimus, quod erat fundamentum controuerſiarum omnium de Sacramento Euchariſtiæ. Nunc de Sacramento ipſo diſſeremus, atq; eas controuerſias explicabimus, quæ de ipſa natura Sacramenti, deq; eius cauſſis, & partibus, id eſt, de materia, forma, fine, & efficiente, & denique de vſu eius exiſtunt.

A

Prima igitur quæſtio eſt, quid ſit propriè Sacramentum Euchariſtiæ, conſecratione panis, & vini, an res ipſa conſecrata, an potiùs ſumptio, & māducatio: ex qua quæſtione pendet alia quæſtio: Num corpus Domini ſit in Euchariſtia ſolùm, dum ſumitur, an verò permaneat in ea, dum ſeruantur ſpecies illæ conſecratæ. Nam cùm Domini corpus non ſit in ſpecie panis, niſi quatenus illæ ad Sacramentum pertinent, ſi fortè ſola ſumptio Sacramentum ſit, non erit corpus Domini in illis ſpeciebus, quando ſeruantur in pyxide, vel quando deferuntur ad ægrotos, &c. ex qua quæſtione rurſus pendent aliquo modo aliæ controuerſiæ de adoratione Euchariſtiæ, & de ſacrificio, vt notum eſt. Hoc autem ordine præſentem controuerſiam explicabo. Primò, referam aduerſariorum ſententiam. Secundò, eam refutabo, & reſpondebo ad eorum obiectiones. Tertiò, explicabo ſententiam Catholicorum.

B

Qvod ad primum attinet, Lutherani, & Caluiniſtæ, aliíque huius temporis hæretici in ea ſunt opinione, vt exiſtiment, Sacramentum Euchariſtiæ non eſſe rem permanentem, ſed actionem tranſeuntem: cùm è contrario Catholici omnes ſentiant Sacramentum Euchariſtiæ propriè rem permanentem eſſe, nimirum hoſtiam conſecratam. Auctor primus ſententiæ aduerſariorum Martinus Bucerus fuit: nam (vt ſcribit Ioannes Cochlæus li. 3. Miſcellaneorum tract. 8.) anno Domini M.D.XXXVI. 23. die Maij, perſuaſit Luthero Bucerus, corpus Domini non eſſe in Euchariſtia, niſi dum ſumitur, & proinde ipſam ſumptionem, propriè Sacramentum eſſe. Excogitauit hanc ſententiam Bucerus, vt per eam conciliaret inter ſe Lutheranos, & Zvvinglianos: videbatur enim temperamentum quoddam, & quaſi medium quid inter extremas illorum ſententias. Sed quamuis concordia non ſucceſſerit, tamen hanc ſententiam libenter arripuerunt, tum Lutherani, tum Zvvingliani, quòd viderent per eam deſtrui adorationem Euchariſtiæ, & alia nonnulla quæ in vſu erant apud Catholicos. Itaque Philippus Melanchthon ex Lutheranis eam tuetur in locis communibus, loco de cœna Domini. Ioannes Brentius in Confeſſi. Vvirtemberg. cap. de Euchariſtia. Matthias Illyricus in Apologia pro Confeſſi. Antuerpienſi, c. de Cœna Domini. & Martinus Kemnitius, qui verboſiſſimè de hac re tractat. in 2. parte Examinis, Tridentini Concilij, ſeſſi. 13. c. 3. & c. 6. Ex Zvvinglianis, Ioannes Caluinus lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 37. & 39. & Petrus Martyr in libro contra Gardinerum, obiecto 88. & 132. & alibi.

Sed obſeruandum eſt, non eodem modo vſum iſtū Sacramenti explicari. Nam Caluinus, & Martyr, &

Illyricus contendunt, tunc solùm panem & vinum esse Sacramentum, dum comeditur, & bibitur, sicut aqua Baptismi tunc solùm est Sacramentum, cùm abluit: vnde negant manere Sacramentum, si deferatur ad ægrotos. At Kemnitius, vt eludat testimonia Patrum, docet in tota actione Cœnæ Domini sacramentum, & corpus Domini manere, id est, dũ panis benedicitur, frangitur, distribuitur, & etiam dum ex ipsa Cœna immediatè defertur ad ægrotos, vel ad absentes, vt illum comedant, non vt seruent. Quidam etiam eò vsq; progessi sunt, vt dicerent toto triduo posse seruari Eucharistiam propter ægrotos, & toto illo spatio temporis esse Sacramentum, & in ea reipsa manere corpus Domini, vt ex Lindano refert Claudius Sanctes, repetitione 4. de Eucharistia, c. 12. extremo. Sed profectò qui concedunt triduum, mirum est, cur non etiam quatriduum, & octiduum, & eadem ratione integrum mensem, vel annum concedant.

A

Porrò fundamenta aduersariorum tria sunt. Primum institutio Domini, qui ait: *Accipite, edite.* Secũdũ, similitudo Baptismi, & aliorum Sacramentorum, quæ omnia in actione consistunt. Tertium, testimonia quædam veterum, qui iubebant reliquias cœnæ Domini, vel comburi, vel dari puerulis edendas, ne quid superesset.

CAPVT II.

Probatur ex verbis institutionis Dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ esse rem permanentem, & in eo corpus Domini permanenter existere.

Iam verò Catholici omnes conueniunt, panem ritè consecratum, siue corpus Domini sub specie panis contentum, verè & propriè esse Sacramentum, siue sumatur, siue seruetur in pyxide. Id quod expressè habetur in Concilio Trid. sess. 13. cap. 3. & 6. & can. 4. & 7.

Esse autem hoc verissimum, probatur primò ex verbis Domini in institutione Sacramenti prolatis. Verba Domini (*Hoc est corpus, Hic est sanguis*) priùs dicta sunt, quàm fieret actio manducandi, & bibẽdi, ergo ante illam actionem fuit corpus Domini præsens in cœna, & proinde etiam Sacramẽtum Eucharistiæ & confectum. Consequentia probatur dupliciter. Primò, quia iuxta Augustinum tractatu 80. in 10. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Sed ante actionem comedendi, & bibendi, verbum ad elementum accessit, ergo ante actionem comedendi, & bibendi factum est Sacramentum. Secundò, verba Domini mox atque prolata fuerunt, vera fuerunt: sed prolata sunt ante illam actionem manducandi, & bibendi, ergo ante illam vera fuerunt, ergo fuit verè corpus Domini, & proinde Sacramentum, ante illam actionem.

Ad hoc argumentum Illyricus, Caluinus, & Kemnitius respondent. Illyricus negat antecedens: dicit enim Dominum locutum esse de pane in actu existente, id est, dum comedebatur. Et posset id confirmari ex verbis Domini: nam Euangelistæ dicunt, panem datum discipulis, & postea dictum esse: *Hoc est corpus meum.* nam Mat. 26. sic legimus: *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Itaque videmus simul concurrisse prolationem verborũ Domini, & actionem manducandi: nam sicut post panis distributionem immediatè sequuta est prolatio verborum, ita etiam post eandem distributionem immediatè sequuta est manducatio.

B

Respondeo, Non oportet attendere in hac re, quæ verba Euãgelistæ priùs posuerint, & quæ posteriùs: illi enim certis de caussis sibi notis aliquando mutant ordinem verborum. Nam Marcus c. 14. sic ait de Calice: *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus noui Testamenti.* Vbi si attendamus ordinem verborum Euangelistæ, colligemus verba illa (*Hic est sanguis*) dicta esse post actionem bibendi, quod nemo admittit: quia tunc nihil demonstraret pronomen (*Hic*) & verba essent falsa, vel oporteret post actionem bibendi remansisse partem aliquam vini consecrati, & de ea dictum esse: *Hic est sanguis*, quod apertè pugnaret cum sententia aduersariorum. Oportet igitur colligere ex verborum sensu, & significatione, non ex ordine, quo sunt scripta, quid priùs, & quid posteriùs in sacra cœna factum sit.

C

Porrò sensus verborũ cogit, vt dicamus priùs fuisse à Dño prolata illa verba: *Hoc est corpus*, &, *Hic est sanguis*, quàm dederit discipulis cibũ illum, & potum. Nã illa verba: *Hoc est corpus*, continent rationẽ, cur debuerit comedi ille cibus, & similiter illa verba: *Hic est sanguis*, continent rationem, cur debuerit bibi ille potus. Vnde Mat. 26. ponitur particula caussalis, cùm dicitur: *Hic est enim sanguis, &c.* Priùs autẽ debuit ratio illa à Dño explicari, & etiã percipi ab audientibus, quàm eis daretur panis ille comedendus, nimirum vt scirent, quid acciperent. Præterea si inuitantur ad bibendũ, quia est sanguis, ergo priùs fuit sanguis, quàm illi biberẽt. Ad hæc Lucas c. 22. & Paulus 1. Cor. 11. scribunt: *Hic est calix nouũ testamentũ in sanguine meo.* Ergo in calice fuit sanguis, & non solùm in ore sumentium: & sanè priùs in calice, quàm in ore sumentium: nã ex calice ad os peruenit, non contrà. Adde verba Pauli 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Domini est? & calix cui benedicimus, nónne cõmunicatio sanguinis Domini est?* Hic enim apertè Paulus indicat, panẽ priùs consecrari, & mutari in corpus Domini, quàm frangatur, & distribuatur: dicit enim id, quod frangitur, non esse futurum, sed iam esse corpus Domini. Vnde Chrysostomus in commentario eius loci: *Qui est*, inquit, *in calice? quod ex latere Christi fluxit.* Huc etiam pertinent illa cap. 11. *Non dijudicans corpus Domini.* vbi dum arguit Corinthios, quod non discernerent corpus Domini ab aliis cibis, qui in mensa ponebantur, significat potuisse discerni, & proinde ibi fuisse ante manducationem. Deniq; in omnibus Liturgiis etiam antiquissimis, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, & in nostra Latina, quæ sancti Petri, & Clementis esse censetur, verba Dominica: *Hoc est corpus, Hic est sanguis*, multò antè pronunciantur, quàm panis sanctificatus distribuatur, & manducetur.

D

Alia solutio (si tamen alia) est Ioannis Caluini lib. 4. Inst. c. 17. §. 37. vbi non disputat, quid Dominus priùs pronunciauerit, sed contendit verba Domini: *Hoc est corpus meum*, non antè impleri, & verificari, quàm ipsa manducatio reipsa exerceatur. Id verò probat, quia Dominus simul coniunxit præceptum, & promissionem: præceptum enim fuit: *Accipite, & comedite*: promissio autem, *Hoc est corpus meum.* Non debet autem promissio impleri, nisi præceptum impleatur. Itaq; accipientibus, & manducantibus, iuxta Domini mandatum, panis ille fit corpus Christi: sed extra illum vsum non fit, quia non est annexa promissio, nisi tali mandato. Illustrat rem totam Caluinus similitudine: *Mandatum*, inquit, *dedit Deus, cùm diceret, Inuoca me: promissionem addidit: Exaudiam te. Si quis inuocato Petro, aut Paulo, hac promissione glorietur, nónne omnes clamabunt eum perperam facere?*

Hæc Caluini solutio non magno negotio refutari potest. Nã inprimis, si verba illa, *Hoc est corpus*, promissionem continerent, certè per verbum futuri tẽporis expressa fuissent: vt factum videmus in similibus promissionibus: sic enim de Baptismo legimus Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et in exemplo Caluini: *Inuocame, & exaudiam te.* Hoc autem loco non dixit Christus, Hoc erit, sed, *Hoc est corpus meum.*

Deinde, si ista verba promissionem præcepto annexam continerent, impletio eius promissionis non comitaretur, sed sequeretur actionem manducationis: proinde non haberent fideles Sacramentum, & ipsum corpus Domini, dum manducarent, sed solùm posteaquam manducassent; itaq; ita non manducarent corpus Domini, ne in Sacramento quidem, quod est absurdissimum, & ipsis etiam Caluinistis repugnans. Id autem sequi probatur, quia id videmus in omnibus similibus promissionibus, semper enim actio præcedit, quæ imperata fuit, & tandem sequitur impletio promissionis. Et ratio etiã reddi potest huius ordinis, quia impletio promissionis est effectus actionis imperatæ, & semper caussa est prior suo effectu, saltem natura. Itaque sicut prior est Baptismus, quàm remissio peccatorum, & prior est inuocatio, quàm exauditio: ita prior erit manducatio, quàm præsentia corporis Domini, siue in re, siue in Sacramento. Quod autem hoc sit absurdum, etiã ex Caluini sententia, probatur. Nam cùm tractatur de Communione impiorum, de quibus Apostolus ait 1. Cor. 11. *Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat.* Caluinus dicit, hoc interesse inter pios, & impios: quòd pij, dum sumunt ore corporali Sacramentum, simul sumunt ore fidei ipsum verum Domini corpus: impij autem sic sumunt ore corporali Sacramentum, vt non sumant ore fidei corpus Dñi. Vide Caluinum li. 4. Inst. c. 17. §. 34. Omnes igitur, qui cõmunicant, Sacramentum manducant ore corporali: at quomodo manducant, si non priùs incipit esse Sacramentum, quàm absoluta sit manducatio?

Tertiò, Scriptura & Patres, corpus Domini non solùm in ore fidelium, sed etiam in altari, & vasis sacris agnoscunt, ergo verba illa extra manducationem verificantur, & non in sola manducatione Sacramentum consistit. Antecedens probatur ex illis Paulilocis: *Panis quem frangimus*, &, *Calix benedictionis*, &, *Hic calix nouum Testamentum est*, &, *Non dijudicans corpus Domini.* 1. Corint. 10. 11. Concilium Nicænum dicit, in sacra mensa agnum Dei situm esse: quem Canonem Nicæni Concilij esse fatetur Caluinus lib. 4. Instit. c. 17. §. 6. Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum, vocat altare sedem corporis Christi, & calices, Christi sanguinis portatores. Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinthios, dicit enndem Christum nunc in altari consistere, qui aliquando in præsepi à Magis fuit adoratus. Cyprianus in sermone de lapsis dicit, corpus Domini fuisse in arca. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quinta mystagogica, iubet accipi dextera manu. Augustinus concione prima & secunda, in Psalm. 33. dicit, Christum portasse in manibus corpus suum, quando de eo, quod in manibus habebat, dixit: *Hoc est corpus meum.* Siue autem portauerit corpus suum verum, & naturale, vt nos credimus, siue in Sacramento tantùm, vt Caluinistæ volunt, nihil interest ad id, quod nunc tractamus: semper enim concludimus, Sacramentum ante manducationem confectum fuisse, & proinde falsum esse, quod ait Caluinus, verba illa: *Hoc est corpus meum*, non adimpleri, nisi dum panis manducatur. Et quia eiusmodi testimonia passim occurrunt, non modò in Patribus, sed etiam in ipsis hæreticorum scriptis, manifestè colligimus Caluini sententiam improbabilissimam esse, & cum ipso suo auctore pugnantem.

Restat Kemnitij responsio. Is animaduertens, non posse vllo modo defendi, quod maiores sui responderant, in sola sumptione Sacramentum consistere: alia via sibi ingrediendum esse censuit. Itaque docuit, quod Lutherani dicunt, Sacramentum hoc in solo vsu consistere, non debere restringi ad solum vsum manducationis, sed omnem vsum, siue omnem actionem, quę exerceatur in cœna: in cœna autem quinque actiones fuisse, acceptionem panis in manibus, benedictionem, fractionem, distributionem, manducationem, & de his omnibus intelligi posse illud: *Hoc est corpus meum*, vt sit sensus: Hoc quod accepi, quod benedixi, quod fregi, quod distribui, quod manducatis, est corpus meum. Ex quo deducit Sacramentum Eucharistiæ, & ipsum corpus Domini fuisse ante manducationem in sacra mensa, tamen non fuisse ante omnem actionem cœnæ, nec superesse post omnem actionem cœnæ, & eo modo in sola actione consistere.

At hæc responsio est omnium absurdissima. Nam aut vult Kemnitius in istis quinque actionibus simul sumptis consistere hoc Sacramentũ, aut in singulis seorsim. Si in omnibus simul sumptis, tunc redit opinio Caluini, & Illyrici: nam non erit perfectum, & integrũ Sacramentum, nisi peracta manducatione, atq; ita falsum erit, quod dicit Kemnitius, ante manducationem esse corpus Domini in mensa. Si in singulis seorsim, ergo quinq; erunt Sacramẽta Eucharistiæ, eáq; diuersissima.

Præterea, vel ita est in singulis, vt sit formaliter quælibet illarum actionum, aut vt tantùm coëxistat singulis. Non potest esse formaliter quælibet illarum actionum, quòd sic probo. Actio accipiendi, quæ est omnium prima, non potest esse formaliter Sacramentum Eucharistiæ, nã quod est formaliter acceptio, nõ existit, nisi dum accipitur. At hoc Sacramentũ existit post acceptionem, dum frangitur, distribuitur, manducatur, ergo, &c. Rursus, actio manducandi, quæ est vltima, nõ potest esse formaliter hoc Sacramentum, quia tunc non existeret, nisi dum manducatur: existit autem ante manducationem, dum accipitur, frangitur, &c. Denique, actiones intermediæ, benedictio, fractio, distributio, non possunt esse formaliter hoc Sacramentum, quia tunc non existeret, nisi dũ illæ actiones fiunt. Atqui existit ante illas, & post illas, ergo non est aliqua illarum, sed tãtùm coëxistit illis, ergo est res permanens: nam quod est aliquid, & non est actio transiens, necessariò est res permanens.

Tertiò probo, Sacramentum hoc necessariò esse rem permanẽtem ex doctrina Kemnitij, ac per hoc probo doctrinam ipsius ipsiusmet destruere. Sacramentum Eucharistiæ, & præsentia corporis Domini durant toto tempore quo fit sacra cœna. Sed inter vnã actionem, & aliam, sæpe intercedit, aut certè intercedere potest tempus (quis enim prohiber quò minus minister post fractionem panis aliquantulùm quiescat, antequam illum distribuere incipiat? vel qui Sacramentum de manu ministri accepit, aliquandiu retineat, antequam manducare aggrediatur?) Quæro igitur, vtrum illo tempore interiecto inter duas actiones, Sacramentum, & corpus Domini perseuerent, an non. Dici non potest non perseuerare, nam tunc non in toto tempore cœnæ Sacramentum, & corpus Domini adessent, quod est contra aduersarium: & præterea oporteret Christi corpus tempore cœnæ sæpius accedere, & recedere, quod est omninò ridiculum. Quis enim credat Christi corpus adesse, dum panis accipitur in manibus, & statim euanescere, deinde iterum adesse, dum panis frangitur, & finita fractione euanescere: tum iterum redire, dum distribuitur panis, & rursus continuò abire? Ergo necesse est confiteri Sacramentum, & corpus Dñi præsens adesse tẽpore illo interiecto inter duas actiones, & proinde rem esse permanentem: quòd enim manet omni actione cessante, non potest dici res transiens, sed manẽs.

Quartò, ex posito fundamento in argumento superiori, probo, etiam post omnem actionẽ cœnæ, Sacramentum, & corpus Domini perseuerare in ea parte Sacramenti, quæ non fuerit à communicantibus consumpta. Nam perseuerat Sacramentum, & corpus Domini in eo tempore, quod est interiectum inter distributionem, & manducationẽ, si quis velit (vt diximus) aliquantulum hærere, & quiescere ante manducationem, ergo perseueraret etiam, si quis differret manducationẽ illam in alterum diem, vel mensem. Si enim perseuerare potest per quadrantem horæ, cur non per integrã horam?

& si per horam, cur non per diem? & si per dié, cur non per mensem? & si per mensem, cur non per annum? & tandem semper dum dú species illæ non consumuntur?

Ex his soluitur argumentum primarium aduersariorum, quod ex scriptura peritú huiusmodi est. *Sacramẽta pendent à diuina institutione, ita vt Sacramenta non sint, si non seruetur in illis conficiendis ritus, & institutio Domini. At Dominus iussit panem benedici, frangi, distribui, manducari, non autem iussit seruari in pyxide, gestari in supplicatione, exhiberi adorandum in Ecclesia, ergo non est Sacramentum, cùm seruatur in pyxide, gestatur, adoratur, sed solùm cùm benedicitur, frangitur, distribuitur, manducatur.*

RESPONDEO dupliciter, Primò, negando consequentiam, quia asseruatio in pyxide, gestatio, & adoratio, non repugnant vllo modo diuinæ institutioni. Dñs enim iussit panem benedici, & manducari, sed non iussit continuò post benedictionem mãducari, præsertim totum, & ab omnibus: vnde non repugnat institutioni dilatio manducationis, modò ad eũ finem benedictio, seu consecratio ordinetur. Atque hoc facit Ecclesia: semper enim consecrat Eucharistiã in ordine ad manducationem, sed conseruat aliquam partem Sacramenti, non vt manducetur, sed vt tẽpore opportuno manducetur, nimirum, vt deferatur ad ægrotos, quandocunque necesse fuerit. Oportet enim ob varios, & maximè repentinos casus Eucharistiam semper esse paratã: eo autẽ tempore, quo conseruatur, nihil impedit, quò minùs possit vel gestari, vel ostendi ad deuotionẽ populi excitandam.

SECVNDÒ dico, si quis legitimus Sacerdos existens Eucharistiam cõsecraret, iis seruatis, quæ ad Sacramenti essentiam requiruntur, non tamen in ordine ad manducationem, sed ad quemuis alium finem, is quidem malè faceret, tamen verum Sacramentum conficeret, & perseueraret Sacramentum illud, quandiu species illæ panis perseuerarent. Ratio est, quia institutio Domini non complectitur solùm essentiam Sacramenti huius, sed etiam Sacramenti vsum: benedictio enim, seu consecratio ad Sacramentũ faciendum pertinet; distributio, & manducatio ad vsum. Porrò res non pendet, quoad esse suũ, ab vsu. Sicut ergo, si quis faciat sedem, cuius sedendo vsus est, & tamẽ nemo vnquam ibi sedeat, non propterea desinet esse sedes, immò etiam si quis faciat sedem, non vt ibi sedeatur, sed vt in spectaculo exhibeatur, adhuc erit verissima sedes: sic etiam sacrosanctum Sacramentum non desinit esse Sacramentum, licet nemo illo vtatur ad id, ad quod est institutum.

CAPVT III.

Probatur ex dissimilitudine Baptismi, & Eucharistiæ, Eucharistiam rem esse permanentem.

NVNC iam expendemus alterum aduersariorum fundamentum, & sicut ipsi ex similitudine Sacramentorum probare nituntur, Eucharistiã in solo vsu consistere: ita nos ex dissimilitudine contrarium ostendemus. Sit igitur hæc ratio. In Baptismo non est aliqua res permanens, sed sola actio, quæ dicatur, & sit Baptismus: in Eucharistia è contrario, non est aliqua actio, sed sola res permanens, quæ dicatur, & sit Eucharistia, siue corpus Domini, siue Sacramentum corporis Domini; ergo Sacramenta ista dissimilia sunt, & vnum in actione, alterum in re permanente consistit.

PROBATVR antecedens. Ac primum de Baptismo, notum est aquam, quæ est res permanens, non dici Baptismum, nec Sacramentum Baptismi, sed ablutionem, quæ est actio, dici & Baptismum, & Sacramentum Baptismi. Beatus Paulus Baptismum vocat lauacrum aquæ in verbo vitæ, Ephes. 5. & lauacrum regenerationis Tit. 3. Si autem de ipsa agatur, certum est, aquam, vt est res permanens, non esse Sacramentum Baptismi; nam Sacramenta, vt Augustinus dicit lib. 20. contra Faustum, c. 13. non nascuntur, sed fiunt per mysticam precem, aqua autem non fit per mysticam precẽ, sed olim à Deo creata fuit. Neque obstat quod in Ecclesia benedici solet, nam illa benedictio non est de essentia Sacramenti: possent enim in aqua fluminis, aut maris sine vlla præcedente benedictione aquę, homines verè baptizari. Et similiter certum est, Sacramenti definitionem optimè conuenire ablutioni: illa enim est signum & causa instrumentalis inuisibilis gratiæ, & à Deo per ministrum efficitur. Et denique verba, quibus efficitur Baptismus, non diriguntur ad aquam, sed ad hominem, qui Baptismum recipit. Dicimus enim: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vnde baptizare non est aquam consecrare, sed hominem abluere.

ATQVE hinc apparet ineptissimè ratiocinari Kemnitium in 3. parte Exam. Tridentini Concilij, sess. 13. c. 3. cùm ait: Si quis verba institutionis Baptismi pronunciet super aquam, & nemo adsit qui baptizetur, nullum fieri Sacramentum. Nam verba Baptismi: *Ego te baptizo, &c.* non possunt nisi à stulto aliquo pronunciari super aquam, cùm non ad aquam, sed ad hominem referantur. At alia ratio est de verbis Eucharistiæ, vt mox dicemus. Itaque de Baptismo nullum est dubium, quin propriè in actione consistat.

AT in Eucharistia omnia aliter se habent. Nam inprimis, si agamus de modo loquẽdi, nemo vnquam vocauit Eucharistiam, vel corpus Domini fractionem, vel consecrationem, vel distributionem, vel manducationem, vel aliam actionem, sed rem permanentem, id est, panem sanctificatum. Sic Iustinus in Apolog. 2. *Hic cibus*, inquit, *à nobis Eucharistia appellatur.* Irenæus libr. 4. cap. 34. dicit, panem communem post acceptam benedictionem non esse ampliùs panem communem, sed Eucharistiam constantem ex re terrena, & cœlesti. Sic Tertullianus in lib. de resurrect. carnis: *Caro*, inquit, *corpore & sanguine Domini vescitur.* vbi corpus Domini non appellatur actio vescendi, sed cibus ipse quo vescimur. Sic Augustinus lib. 20. contra Faustum, c. 13. panem consecratum appellat Sacramentum religionis. Optatus li. 2. queritur de furore Donatistarum, qui Eucharistiam canibus dederunt: & victor Vticensis li. 1. hist. c. 3. narrat Arianos Eucharistiam in terram abiecisse, & pedibus conculcasse. At quomodo potuerunt ista fieri, si Eucharistia non est res permanens? Item Iustin. Ambr. Euseb. Emissenus, Theodoretus, Gelasius, & alij passim conferunt Eucharistiam cum Verbo incarnato, quia sicut in Christo duæ sunt naturæ, ita in hoc Sacramẽto duæ sunt naturæ, nimirum corpus Christi, & accidentia panis. Denique Patres passim dicunt, Eucharistiam, seu corpus Domini offerri, confici, portari, manducari, quæ nullo modo conueniunt actioni, sed rei permanenti.

QVOD autem ad rem attinet, Sacramentum Eucharistiæ non consistere in actione, sed in re permanente, probatur. Ac primùm, quòd non in actione consistat, patet; quia nulla est actio, cui conueniat tota ratio Sacramenti. Præcipua actio per aduersarios est manducatio: at hæc nullo modo potest esse Sacramentum. Nam ita est actio solius suscipientis, non Dei, aut ministri; nec enim Deus, aut minister manducat, sed suscipiens manducat. At Sacramenta non sunt actiones suscipientis, alioqui essent opera nostra: vnde in Baptismo Sacramentum est ablutio, vt à Deo per ministrum datur. Præterea verba Sacramentalia, sine quibus Sacramentum non fit, non dicuntur à manducante, neque ad manducantem, sed à ministro super panem; illa enim verba: *Hoc est corpus*, ad panem pertinent, non ad manducantem. Et hinc est, quod non dicitur Eucharistiæ Sacramentum facere, qui manducat, sed potiùs illud consumere: & tamen reuera dici posset Sacramentum facere, si in illa actione consisteret; sicut dicitur baptizare, qui abluit. Idem probari potest de actione frangendi,

& distribuendi panem sanctificatum. Illæ enim actiones non sunt Sacramenta; nam non significant gratiam inuisibilem: nec dicitur Sacramentum facere, qui frangit, aut distribuit. Restat sola consecratio, quam aduersarij præter cæteras negligunt: sed nec est ipsa propriè Sacramentum Eucharistiæ. Nam consecratio non est signum, neque causa proxima inuisibilis gratiæ quæ duo requiruntur ad rationem Sacramenti nouæ legis: Consecratio enim, vt verba ipsa sonant, solùm significat & efficit corpus Domini ex pane, proinde Sacramentum efficit, non est ipsa Sacramentum.

QVOD autem rei permanenti, id est, pani consecrato cõueniat tota definitio Sacramenti, perspicuum est. Namille panis est signum sensibile, & causa internæ atque inuisibilis nutritionis spiritualis. Præterea fit à Deo per ministrum, idque ritu, & cæremonia à Deo instituta. Denique elementum & verbum concurrunt ad hoc Sacramentum, vt ad omnia alia. Neq; obstat, quod non maneat in hoc sacramento iam confecto elementum, id est, panis triticeus, neq; verbum. Nam elementum, & verbum requiruntur ad sacramenti effectionem, & ideò in his sacramentis, quæ in actione consistunt, & quorum idem est fieri & esse, elementum & verbum sunt principia, tum effectionis, tum essentiæ ipsius Sacramenti. At in hoc sacramento, in quo aliud est fieri, aliud esse, principia illa concurrunt propriè ad sacramenti effectionem: in ipsa autem re effecta manẽt, sed alio modo. Nam elementum manet, quoad externas species, & verbum manet, quoad virtutem: sicut etiam in mistione elementorum manent elementa, sed alterata, & secundum multos manent solùm, quoad virtutes, non quoad substantiam.

Ex his soluitur argumentum secundum aduersariorum, quod huiusmodi est: *Sacramentum Baptismi in actione consistit, ergo & Sacramentum Eucharistiæ. Probatur antecedens: nam Sacramenta nouæ legis eiusdem generis sunt. Et præterea, si Sacramentum Baptismi in actione consistit, quia Dominus dixit, Baptizate omnes gentes,* Matth. vlt. *quanto magis Eucharistia in actione consistet, cùm Dominus in eius institutione non vno verbo, vt in Baptismo, sed multis actionem declarauerit, dicens: Accipite, manducate, bibite, hoc facite, &c.*

RESPONDEO, Sacramenta nouæ legis sunt eiusdẽ generis, sed non eiusdem speciei: & quamuis eiusdem speciei essent, adhuc posset vnum in actione, alterum in re permanente consistere; ista enim differẽtia materialis est, & ad rationem formalem Sacramenti non pertinet. Verba autem Scripturæ citata, vsum Sacramenti continent, non essentiam, nisi per accidens, quando vsus ab essentia non distinguitur, vt in Baptismo.

CAPVT IIII.

Probatur eadem veritas testimoniis Patrum.

VLTIMO loco probanda est eadem veritas testimoniis Patrum: semper enim in Ecclesia ista fides viguit. Ac primùm ipso tempore Apostolorum, Clemens Romanus lib. 8. constitut. c. 13. in alia editione, cap. 10. iubet peracta Communione, quod supereſt de corpore Domini, reponi à Diaconis cum debita reuerentia in pastophorio. Quid autem sit pastophorium, explicat Hieronymus in comm. c. 22. Isaiæ, vbi dicit, pastophorium significare tabernaculum, seu thalamum, vbi templi Præpositus habitat. Hinc igitur Apostoli vas illud, in quo Sacramentum asseruandum recondebatur, pastophorion dixerunt, quod in eo Sacramento verè Christus sit, qui est verus templi Præpositus. Opera autem Clementis, etsi non ab omnibus recipiantur, tamen Kemnitius repudiare non potest, quippe qui (vt infrà videbimus) vtitur eiusdem Clementis testimonio contra Catholicos.

POST annũ Domini C. primo sæculo post Apostolos Iustinus in Apologia 2. prope finẽ, scribit post sacrã peracta in Ecclesia, dari consueuisse Eucharistiam Diaconis deferendã ad absentes fratres, qui aliqua de causa impediti fuerant, ne interessent celebrationi mysteriorum. Quo loco dubitari non potest, quin Diaconi non antè discederent ex conuentu Ecclesiæ, quàm tota actio finiretur: ex quo apertissimè sequitur, post ipsam actionem totam, fuisse in Eucharistia verum Sacramentum, ac verum Christi corpus. Nam alioqui quorsum ille labor deferendi Eucharistiam ad absentes?

EODEM sæculo Irenæus in epistola ad Victorem Papam, quam refert Eusebius li. 5. hist. c. 24. testatur morẽ fuisse illius temporis, vt Papa Eucharistiam mitteret in signum pacis, & communionis ad alios Episcopos. At quid, quæso, mittebat, si Eucharistia non est, nisi dum manducatur, vel dum peragitur sacra Cœna?

POST annum Domini CC. Tertullianus in 2. lib. ad Vxorem, testatur consueuisse suo tempore deferre Christianos Eucharistiam ad suas domos, vt ibi eam opportuno tempore sumerent: *Non sciet*, inquit, *maritus, quid in occulto ante omnem cibum sumas.*

EODEM sæculo Cyprianus in serm. de lapsis: *Mulier quædam*, inquit, *cùm arcam suam, in qua sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est.* At quid, obsecro, in illa arca includi potuit, si Eucharistia (de ea enim loquitur) extra actionem Cœnæ, neq; corpus Domini est, neque Sacramentum?

EODEM sæculo Dionysius Alexandrinus in epistola ad Fabium, quam refert idem Eusebius lib. 6. histo. c. 36. scribit, Serapionem quendam in extremis agentem misisse puerum ad presbyterum, vt ad se veniret cum Sacramento Eucharistiæ, sed presbyterum fortè tunc ægrotantem non potuisse per se accedere, sed misisse per eundem puerum particulam Eucharistiæ. Ex quo loco apertissimè patet, morem fuisse asseruandi Eucharistiam propter ægrotos: neque enim presbyter ille tunc sacram Cœnam celebrauit, quippe qui ægrotabat, & fortè hora intempestiua erat.

EODEM sæculo S. Tharsicius Martyr (vt scribitur in vita S. Stephani I. Papæ, & apud Bedam in Martyrologio die 15. Augusti) cùm Eucharistiam deferret, & paganis quærentibus, quid illud esset, noluisset aperire, ab illis continuò necatus est, & tamen diuino miraculo ita Sacramentum disparuit, vt nunquam sacrilegi illi inuenire illud potuerint.

POST annum Domini CCC. extat insigne testimonium Concilij I. Nicæni, can. 14. aliàs 18. aliàs 20. vbi iubet Synodus, vt in absentia presbyterorum, Diaconi Eucharistiam porrigant. Ex quo euidenter colligitur, Eucharistiam seruari solitã in Ecclesia, vt distribui posset quouis tempore, etiam quando Cœna non celebratur. Nam loqui Concilium de tempore, quo sacra Cœna non celebratur, perspicuum est, quia Cœna sine presbyteris celebrari non potest: Diaconis enim non est data auctoritas offerendi, vt in eodem canone legimus. Est autem hîc obseruandum, istam partem canonis non haberi in omnibus editionibus, tamẽ haberi expresè apud Ruffinum, lib. 10. hist. c. 6. Canones autem, quos Ruffinus descripsit, esse ipsos veros, & authenticos Nicæni Concilij canones, testatur etiam S. Cyrillus in epistol. ad Concilium Carthaginense, quæ extat in tomo 1. Conciliorum in actis Concilij Africani: quod est obseruandum propter Kemnitium, qui in dubium reuocare istum canonem contendit.

IN eodem Nicæno extat can. 13. & quidem in omnibus editionibus, in quo Patres iubent, vt secundum antiquam regulam in mortis articulo nemini denegetur sacra Communio: qui canon sæpe postea renouatus fuit in Conciliis posterioribus. Certum autẽ est ægrotos in articulo mortis existẽtes ad Ecclesiam venire nõ potuisse:

certum est etiam non potuisse celebrari in cubiculis singulorum ægrotantium totam actionem Cœnæ, & præsertim secundum opinionem aduersariorum, qui damnant Missas priuatas: ergo necesse est, vt Eucharistia seruaretur consecrata pro ægrotis, vel certè extra actionem publicæ Cœnæ, quam solam pro vera Cœna agnoscunt aduersarij, Eucharistia ægrotis præberetur.

EODEM sæculo Basilius in epist. ad Cæsariam Patritiam, testatur, Anachoretas qui non poterant commodè sæpius Ecclesias frequentare, consuevisse Eucharistiam secum in eremum deferre: quæ epistola, licet non habeatur in omnibus exemplaribus, tamen passim citatur etiam ab ipso Kemnitio.

EODEM sæculo Gregorius Nazianzenus in orat. in Gorgoniam testatur, sanctam illam fœminam nocturno tempore in Ecclesia ad altare procubuisse, & partem Eucharistiæ, quam fortè seruauerat de more illius temporis, in conspectu habuisse. Quod etiam testimonium clarissimum est, neque enim tunc sancta Cœna celebrabatur, cùm & nocturnum tempus esset, & ipsa sola in templum ad adorandum se recepisset.

EODEM sæculo Ambrosius in orat. de obitu Satyri fratris sui, c. 7. scribit, eum in orario inuolutam Eucharistiæ particulam suspendisse ad collum suum in periculo naufragij, & eo auxilio fretum se deiecisse in mare, ac liberum ad littus euasisse.

DE hoc exemplo multa garrit Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, obiecto 88. Primò dicit, hanc esse fabulam ab Ambrosio, non tam vt Episcopo, aut Theologo, quàm vt Rhetore narratam. Sed refellitur mendacium istud ab ipso Ambrosio, qui eam historiam narrat, vt inde religionem Satyri demonstret, & vt rem verissimam, & multis notam refert.

SECVNDÒ, reprehendit Ambrosium, ac dicit, eum excusari non posse, quod factum illud Satyri laudauerit. Sed ad Ambrosij defensionem satis est, illum esse Ambrosium, istum esse infelicem apostatam.

TERTIÒ dicit, inde refutari huius temporis superstitiones. Nunc enim Eucharistia sub clauibus asseruatur, nec sine pompa, & luminibus producitur; tunc omnibus etiam Catechumenis, qualis erat Satyrus, permittebatur. At nunc sub clauibus seruatur propter abusus, qui paulatim exorti sunt: tunc autem, cùm simpliciores essent Christiani, necdum cœpissent ad magias abuti Sacramentis, facilius permittebantur, nec tamen etiam tunc licebat Catechumenis Eucharistiam sumere, aut etiam videre. Vnde ibidem Ambrosius dicit, Satyrum non fuisse ausum Eucharistiam videre, & multò minùs percipere, sed ne omni præsidio careret, iussisse sibi à fidelibus, qui in eadem naui erant, & Eucharistiam secum habebant, particulam inuolutam orario sibi tradi. Quod autem creuerit honor externus sanctissimi Sacramenti præsertim deuotione interna decrescente, nemini displicere potest, nisi hostibus Christi, & religionis.

QVARTÒ dicit, crimen idololatriæ Satyrum commisisse, dum spem in Eucharistia posuit; & tamen ibidem continuò addit, fortasse Deum ornare voluisse reliquias illas Eucharistiæ miraculo, vt quondam ossa Helisei, & pallium Heliæ. At quomodo ista cohærent, vt Deus miraculo ornauerit Eucharistiam in gratiam idololatriæ? Num Deo fortasse placet idololatria, vt etiam miraculis confirmare voluerit?

QVINTÒ dicit, Satyrum fortè aliunde suffuratum illam particulam Eucharistiæ. At Ambrosius dicit, eum accepisse à Christianis, qui erant in naui.

SEXTÒ dicit, illas reliquias non fuisse Sacramentum, sed tantùm reliquias quasdam panis, quæ extra vsum Cœnæ Sacramenta dici non possunt. At Ambrosius diserris verbis vocat Sacramentum: *Quos*, inquit, *initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum popposcit.*

POST annum CD. S. Ioannes Chrysostomus in epist. priore ad Innocentium Papam, quæ exstat tum inter opera ejusdem Chrysostomi, tom. 5. tum apud Nicephorum li. 13. c. 19. scribit, milites quosdam ad vesperam magni Sabbathi Sanctuarium ingressos tantum excitasse tumultum, vt etiam sacratissimus Domini sanguis, qui in Sanctuario erat, in eorum vestes effunderetur. Quod autem id gestum non fuerit, dum sacra Cœna celebraretur, sed extra illam actionem, patet ex eodem loco: ibi enim Chrysostomus dicit, hoc factum esse, cùm mulieres iam præpararentur ad Baptismum. Itaque tum imminebat Baptismus, qui in Sabbatho Paschali celebrari solet: constat autem mysterium Eucharistiæ semper celebrari post Baptismum, non ante, vel simul cum Baptismo, nimirum, vt Neophyti tunc primùm sancto illi mysterio interfint, & Eucharistiam percipiant. Quare sanguis ille Dominicus, qui in Sanctuario erat, non tunc consecrabatur, aut distribuebatur, sed aliquo alio die consecratus fuerat.

EODEM sæculo S. Hieronymus in epist. ad Rusticum laudat S. Exuperium Tholosæ Episcopum, quòd ob inopiam voluntariam cogeretur Christi corpus in canistro portare.

EODEM sæculo sanctus Cyrillus in epistol. ad Calosyrium, insanire dicit eos, qui asserunt, Eucharistiam, si in alterum diem seruetur, vim suam amittere: vbi apertissimè errorem istum nostrorum aduersariorum reprehendit.

POST annum Domini D. S. Benedictus, vt in eius vita scribit S. Gregorius, lib. 2. dialogorum, cap. 24. cùm defunctus quidam Monachus sepeliri nequiret, missit aliquos, qui Eucharistiã super pectus mortui ponerent, & eo facto sepeliri potuit. Et sanè delatio Eucharistiæ cùm supra mortui pectus ponceretur, non fuit vlla actio Cœnæ Dominicæ; neque S. Benedictus Eucharistiam tunc consecrauit, quippe qui Sacerdos non erat, sed habebat in Ecclesia sua asseruatam, de more totius Ecclesiæ. Vbi etiam notandum est mendacium Petri Martyris in libr. contra Gardinerum, obiectione 38. quo in loco, vt hoc exemplum odiosum faciat, scribit iussu Benedicti, Eucharistiam in os mortui fuisse iniectam: *Benedictus*, inquit Pseudomartyr, *iussit Eucharistiam in os inferi defunctæ mulierculæ*, quod est apertũ mendacium. Nam hæc sunt verba sancti Benedicti referente S. Gregorio: *Ite, & hoc Dominicum corpus supra pectus eius cum magna reuerentia ponite.* Neque credendum est, relictum Dominicum corpus in sepulchro cum homine mortuo, sed tantum positum suprà pectus eius, dum collocaretur in tumulo, ac deinde continuò ablatum. Nisi fortè loquatur Petrus Martyr de eo; quod scribit Gregorius, cap. superiore de duabus sanctimonialibus: sed in eo etiam mentiretur iste miserrimus Pseudomartyr; non enim Benedictus iussit inseri Eucharistiam in os earum defunctarum mulierum, sed pro illis Domino immolari.

EODEM sæculo Monachi quidam S. Gregorij à Constantinopoli Romam nauigantes, in naui secum Eucharistiam deferebant, vt in periculo naufragij non sine Communione discederent. Refert Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij, lib. 2. cap. 33.

POST annum Domini DC. in Synodo, quæ dicitur Quinisexta, can. 52. statuunt Patres illi, vt in Quadragesima solùm die Sabbathi, & die Dominico consecratio fieret, aliis diebus communicarent ex præsanctificatis. Itaque seruabant Eucharistiam consecratam, vt minimùm sex diebus, id est, à die Dominico vsque ad sequentem feriam sextam.

ATQVE hæc ex Patribus satis esse possunt: nam

rem

tempora posteriora ab aduersarijs planè contemnuntur. Ee præterea exstant multa decreta Conciliorum de hac re, vt Turonensis, Vvormatiensis, Aurelianensis; quæ vide apud Burchardum, lib. 5. decreti, & Iuonem parte 2. decreti, & Gratianum de consecratione distinct. 2.

CAPVT V.

Diluuntur responsiones aduersariorum ad testimonia Patrum.

AD hæc, & huiusmodi testimonia Ioan. Caluinus vno verbo respondens, lib. 4. Instit. cap. 17. § 39. *Sed enim*, inquit, *qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum. Fateor. Verùm in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est, quàm ipsam veritatem sequi.* Hæc ille. Sed non fuit vnquam quæstio, vtrùm sine sit sequi veritatem, an falsitatem, sed quæstio est à qua parte stet veritas: & sanè nisi planè desipimus, tutius est in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur, veterem Ecclesiæ consuetudinem, & doctrinam, quàm nouas adinuentiones sequi.

Petrus Martyr à Caluino in hac parte non dissentit, nisi quòd impudentiùs, & nominatim nunc Ambrosium; nunc Nazianzenum, nunc Bernardum, nunc Damascenum, nunc alios reprehendit.

VNVS est Martinus Kemnitius, qui sic omnia confundit, vt nescias, vtrum Patres sequi, an ab eis dissentire constituerit. Duæ tamen colliguntur ex eius verbosissima disputatione responsiones. Prima est, illa testimonia simpliciter admittenda, quæ habẽt ab ipsa actione Cœnæ missam fuisse Eucharistiam ad absentes, vel ad ægrotos, vt eam continuò sumerent; existimat enim toto illo tempore perseuerare actionem, siue vsum Cœnæ.

HIC autem multis modis deficit responsio Kemnitij. Primò, quia hæc responsio non potest aptari manifestè, nisi vnico testimonio S. Iustini; reliqua enim asseruationem indicant Eucharistiæ, non delationem ab ipsa Cœnæ actione.

SECVNDÒ, quia si verum est, quod toties Kemnitius repetit, non esse Sacramentum, nisi dum fit, quod Christus expresè fecit, aut fieri iussit, quomodo erit Sacramentum in illa delatione ad absentes? neque enim Christus detulit ad absentes, aut deferri iussit.

TERTIÒ, superuacanea est ista delatio, secundum principia Lutheranorum; ergo à Kemnitio non fuit admittenda. Nam (vt rectè Caluinus colligit ex communi Lutheranorum doctrina, quam etiam agnoscit, & recipit Kemnitius in fine disputationis in 6. cap. sess. 13. Concil. Trid.) vel qui deferebant Eucharistiam ad absentes, aut ægrotos, in domibus eorum erant recitaturi institutionem, & Cœnæ ritum repetituri, aut non. Si recitaturi institutionem, ac Cœnæ ritum repetituri erant, quid opus erat tam longè panem asportare? nónne ex illa ipsa domo panem accipere potuissent? Et præterea si illa delatio intra actionem Cœnæ concluditur, & ideò perseuerat in ea corpus Domini, vt ibidẽ Kemnitius docet, quid opus est noua consecratione? Si autem nõ erant institutionem repetituri, nihil vtilitatis absentibus illis attulissent: non enim symbola externa sine verbo quidquam prosunt, nec Sacramenta dici possunt, nisi adhibeantur ad confirmandum verbum.

ADDE quartò, certum esse illos, qui tempore Iustini deferebant Eucharistiam ad absentes, non consueuisse in domibus eorum ritum Cœnæ celebrare, & eo modo Eucharistiam consecrare; nam diaconi erant, non Sacerdotes, vt Iustinus clarissimis verbis testatur. Diaconis autem nunquam licuisse Eucharistiam consecrare, certissimum est, tum ex Concilio Nicæno suprà citato, & ex Hieronymo in epist. ad Euagrium, aliisque Patribus, tum ex perpetua Ecclesiæ praxi. Quare necesse est, vt Kemnitius, aut reiiciat testimonium Iustini, aut fateatur, non esse opus repetere consecrationem Eucharistiæ in domibus eorum, ad quos defertur, cuius tamen contrarium ipse affirmat loco notato.

ALTERA responsio Kemnitij complectitur alia testimonia Patrum, qui in hac re errasse videntur; quæ autem de ijs dicit, ad quatuor capita reuocari possũt omnia. Primùm igitur dicit, posse illis ignosci, quia simpliciter errauerunt, vt Cyprianus dicit, de ijs, qui ex ignorantia in calice Dominico solam aquam ponebant, lib. 2. epist. 3. Secundò dicit, non defuisse alios antiquos Patres, qui cõtrarium sentirent, & proinde non fuisse vniuersalem cõsuetudinem asseruandi Eucharistiam. Et citat Clementem, Origenem, Hesychium, Nicephorum, Concilium Matisconense II. Humbertum, & Gabrielem. Tertiò dicit, consuetudinem, quę alibi fuit asseruãdi Eucharistiam, fuisse abrogatam postea, quia nimirum aduertit tandem Ecclesia, pugnare cum institutione Christi illam asseruationem: citat autem pro hac abrogatione Concilium Toletanum, & Cæsaraugustanum. Denique quartò dicit, veteres, qui Eucharistiam asseruabant, sine superstitione id fecisse, quia asseruabant, vt manducaretur: nunc à Catholicis asseruari superstitiosè, quia non ad manducationem, sed ad pompam, & gestationem, & adorationem, & alios eiusmodi fines alienos à Christi institutione, asseruatur. Et hæc summa verbosissimæ & confusissimæ disputationis Kemnitianæ.

AD primam partem huius responsionis dico, valde dissimilem esse causſam illam, de qua Cyprianus loquitur, ab hac nostra. Nam Cyprianus loquitur de paucis quibusdam Sacerdotibus, qui ex simplicitate contrarium morem seruabant sacrificio celebrando ab eo, qui in tota seruatur Ecclesia: quocirca meritò illos reprehendit, & tamen ignosci vult corũ simplicitati. At doctrina, & consuetudo asseruandæ Eucharistiæ, non à paucis, nec pauco tempore seruata est, sed à Patribus omnium ætatum, & ab ipso Nicæno Concilio, & ab omni omnino Ecclesia. Quis autem ferat, vt post annos M. D. LXVI. vnus minister Brunsuicensis dicat se ignoscere Concilio Nicæno, plurimis Patribus, & toti Ecclesiæ Christi simpliciter erranti?

AD secundam, nego vlla esse testimonia contraria nostræ sententiæ. Clemẽs Romanus primo loco adducitur, qui in 2. Epistola iubet, vt tot ponantur in altari holocausta, quot populo sufficere posse vidẽtur: si quid autem supersit post Communionem, non seruetur in crastinum, sed à Clericis absumatur. Respõdeo; intelligi debere hunc locum exceptis his partibus, quæ seruandæ erant pro Communione infirmorum: nolebat enim nimis multũ Eucharistiæ cõseruari. Porrò ex ipso Clemẽte manifestè probo partem Eucharistiæ asseruari debuisse: nam in illa 2. epistola nõ procul ab initio, sic ait: *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorum, Presbytero, Diacono, & ministro, qui cum timore, & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inueniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria.* Hæc ille. At quæ custodia adhibenda esset, & quódnam periculum putredinis timeri potuisset, si nihil seruandum fuisset? Idem etiam Clemens lib. 8. Constit. cap. 13. aliàs 20. iubet peracta Communione, quod superest corporis Domini, à Diaconis in pastophorium inferri, vt suprà citauimus. Adde, quòd Iuo Carnotensis part. 2. Decreti, & Burchardus libr. 5. decreti inseruerunt decretum istud Clementis de consumendis reliquijs, in medio variorum decretorum, in quibus expresè iubetur Eucharistia asseruari pro ægrotis; quod certè nõ fecissent, si decretum istud aduersaretur asseruationi huius Sacramenti.

SECVNDO loco profertur Origenes, seu Cyrillus in cap. 7. Leuitici homil. vbi sic ait: *Dominus panem, quem di-*

scipulis dabat, non distulit, nec differri iussit in crastinum. Respondeo; Verum est Dominum non iussisse Eucharistiam à se consecratam differri in crastinum; sed non potest inde colligi, non debuisse vnquam postea Eucharistiam conseruari: multa enim Dominus per se non iussit, quæ postea per Apostolos iussit, etiam circa Sacramentum Eucharistiæ, vt Augustinus testatur in epist.118. Neque Origenes hoc agebat, vt probaret non posse Eucharistiam conseruari, sed cùm docere vellet, placere Deo sacrificium laudis recens, & nouum, ac spirituale, non autem vetus; vsus est exemplo Domini, qui in Eucharistiam à se consecratam, continuò manducari iussit, & illo etiam testimonio Euangelij, vbi Dominus prohibet portari panem in via, & altero testimonio ex libro Iosue, vbi Gabaonitæ reprehenduntur, quòd panes veteres attulissent, vt deciperent Israëlitas. Et sanè non vult Origenes ostendere, non licere nunc deferre panes in via, aut vti pane veteri; sed simpliciter vtitur illis exemplis, quatenus aliquo modo propositum ipsius adiuuant.

A

Tertiò loco profertur Hesychius lib.2. in Leuit. cap.8. vbi dicit, morem esse Ecclesiæ comburendi id, quod superest ex Sacramento Eucharistiæ. Sed ibidem est solutio. Nam Hesychius addit, non prohiberi asseruationem Sacramenti per vnum, vel duos, vel plures dies, sed comburi debere id, quod vel ob temporis diuturnitatem, vel alia de causa per manducationem consumi nequit: id quod expressè etiam cautum est in Concilio Aurelianensi, testibus Iuone & Burchardo locis suprà citatis: statuit enim Concilium, vt species corruptæ duntaxat comburerentur, non autem id quod per manducationem absumi potest, Vide Guitmundum lib.2. & Algerum lib.2. cap.9. qui docent, tunc solere absumi species Sacramentales signi, quando aliquid accidit, vnde horror sit eas manducare: ignis enim est elementorum omnium purissimum.

B

Quartò profertur Nicephorus lib.17. hist. cap.25. vbi refertur morem fuisse in Ecclesia Græca, vt reliquiæ Eucharistiæ darentur pueris innocentibus manducandæ: quod idem antea scripserant Euagrius lib.4. hist. cap.35. & Gregorius Turonicus lib.1. de gloria Martyrum, cap. 10. Sed & hic nulla est difficultas: loquuntur ij auctores de reliquijs, quæ nimirum superabundabant. Nam (vt suprà diximus) non debent nimis multæ particulæ Sacramenti conseruari, sed quot pro ægrotorum necessitatibus requiruntur. Quare non quotidie fiebat illa reliquiarum consumptio, sed solùm feria quarta, vel sexta, quando videlicet renouabatur Sacramentum in pyxide. Et eadem responsio adhibenda est ad Concilium 2. Matisconense, can.6. ibi enim statuitur, vt feria quarta, & sexta aduocentur innocentes paruuli, & indicto eis ieiunio, detur ipsis si quid ex Sacramenti particulis consumendum est.

C

Quintò profertur Humbertus in libro contra Nicetam, qui reprehendit morem Græcorum, qui in Quadragesima, vt suprà diximus, ex Concilio Trullano, vtuntur præsanctificatis quotidie, excepto Sabbatho, & Dominica. Verùm Humbertus non reprehendit Sacramenti asseruationem, sed quòd Græci sacrificium Missæ ex illis præsanctificatis celebrarent: sacrificium enim verè fieri nequit, nisi panis consecretur, & consummatur.

D

Sextò profertur Gabriel Biel, qui lect.36. in canonem Missæ sic ait: *Postquam corpus suum consecrauit, non sistebat in consecratione. Neque dedit discipulis, vt ipsum honorificè conseruarent, sed dedit in sui vsum, dicens: Accipite, & manducate.* Respondeo; Hoc verè est impudenter tractare scripta Catholicorum auctorum, & velle per fas & nefas hæreticos facere eos, qui sæpe hæresibus fortissimè restiterunt. Gabriel enim in isto ipso opere fortissimè defendit sacrificium, & adorationem Eucharistiæ, & transubstantiationem, & alia id genus: ad quæ refellenda aduersarij excogitarũt istam sententiã de præsentia Christi solùm in vsu Cœnæ. Præterea exstant tres sermones eiusdem Gabrielis habiti in festo corporis Domini, in quo agitur celebertima illa gestatio corporis Domini in publica supplicatione. In loco autem citato Gabriel disputat de primario fructu, & vsu Eucharistiæ, ac docet, multò ampliùs prodesse Eucharistiam, dum reipsa manducatur, quàm dum in pyxide conseruatur. Id quod verissimum est, & probatur à Gabriele ex verbis Domini, in quibus non fit mentio asseruationis honorificæ, sed solius manducationis: inde enim manifestè colligitur, primarium fructum non consistere in asseruatione, sed in manducatione.

Ad tertiam partem responsionis, nego fuisse vnquam in Ecclesia Catholica abrogatam cõsuetudinem asseruãdi Eucharistiam. Concilium autem Toletanum 1. canone 14. & Cæsaraugustanum canone 3. non prohibent asseruari in Ecclesia Eucharistiam, sed iubent fidelibus cõmunicantibus, vt in Ecclesia communicent, & nõ secum asportent venerabile Sacramentum, vt aliquando fiebat. Ratio autem huius prohibitionis redditur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap.20. ne videlicet abutantur aliqui tanto Sacramento ad veneficia, & alia huiusmodi scelere. Ex quo sequitur rohibitionem istam nihil facere contra sententiam nostram, sed eam potiùs mirificè confirmare. Nam si extra vsum Cœnæ non esset Sacramentum, neque corpus Domini, posset permitti cuicunque panis ille sanctificatus: neque enim periculum esset vllius sacrilegij, si extra vsum Cœnæ nihil esset, nisi merus panis. Concilia igitur quæ tam seuerè propter pericula sacrilegiorum prohibent Sacramenti asportationem, manifestè indicant, etiam extra vsum Cœnæ verissimum permanere, tum corpus Domini, tum etiam Sacramentum.

Ad quartam partem responsionis breuissimè respondeo, falsum esse, apud veteres nõ fuisse alium Sacramẽti vsum, quàm ad manducandum: id quod patet ex testimonijs suprà allatis. Nam Gorgonia soror Nazianzeni, ipso Nazianzeno teste in oratione de obitu Gorgoniæ, Sacramento Eucharistiæ vsa est ad impetrandam à Deo corporalem sanitatem, Christi corpus in Sacramento adorando, inuocando, oculis applicando. Satyrus Ambrosij frater, eodẽ teste Ambrosio in oratione de obitu Satyri, eodem Sacramento ad collum appenso, vsus est ad naufragium euitãdum. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quinta mystagogica, monet cõmunicantes, vt post Communionem digito tangant labia sanctificata contactu corporis, & sanguinis Domini, & deinde eodem digito sanctificent per cõtactum oculos, frontem, & alia membra. Augustinus libro 22. de ciuitate Dei, cap.8. scribit à suis Presbyteris oblatum fuisse Deo sacrificium Dominici corporis ad curandam domum quandam à dæmonum vexatione. Denique antiquissimus ille vsus mittendi Eucharistiam Episcopis peregrinis in signum pacis, & Communionis, cuius meminit Irenæus apud Eusebium lib.5. histor. cap. 24. apertè indicat, Eucharistiæ vsum non fuisse solam manducationem, nulla enim necessitas erat, quæ cogeret Episcopos illos, vel in itinere communicare Dominico corpori, vel mox atque in vrbem venissent.

Deinde falsum est etiam, quod Kemnitius dicit, apud nos non seruari Eucharistiam ad manducationem; sed ad alios fines alienos ab institutione: nam, vt suprà diximus, primarius finis seruandi Eucharistiam semper fuit, & est, manducatio: seruatur enim potissimùm ob viaticũ infirmorum. Interim autem dum non consumitur, nihil prohibet sumere ex eo alias vtilitates, vt Patres fecerunt.

Denique quidquid de hoc sit, tota ista quarta pars responsionis extra propositum adducta est. Nam ad quæstionem quam tractamus, vtrum extra vsum manducationis, Eucharistia sit Sacramentum, & corpus Domini, impertinens est, in quem vsum hoc Sactamentum conseruetur. Quidquid enim sit de isto vsu, euidenter probatur ex consensu veterum, Sacramentum permanere extra vsum Cœnæ, quandoquidem illud conseruabant.

CAPVT VI.

Explicatur quid propriè sit Sacramentum Eucharistiæ.

Errore Sectariorum confutato, nunc breuiter explicabimus, quid sit Sacramentum Eucharistiæ. Est autem obseruandum primò, Sacramẽtum tribus modis accipi posse. Primò, amplissimo vocabulo Sacramenti accepto pro omni signo rei sacræ. Secundò, paulò strictiùs pro signo rei sacræ sanctificantis animam. Tertiò, propriè & strictissimè pro signo non solùm significante, sed efficiente etiam animæ sanctitatem: quomodo vox Sacramenti non conuenit nisi Sacramentis nouæ legis propriè dictis.

Secvndò obseruandum est, in Sacramento Eucharistiæ multa considerari posse, nimirum consecrationem, sumptionem, species panis & vini, corpus & sanguinem Christi: & denique ipsam Eucharistiam considerari posse, vel vt Sacramentum religionis, vel vt alimentum spirituale, vel vt pignus amoris diuini, vel vt victimam, & sacrificium nouæ legis. His autem fundamentis positis, res tota paucis propositionibus explicabitur.

Prima propositio: *Consecratio Eucharistiæ Sacramentum dici potest primo modo, non autem secundo, vel tertio.* Nam signum est rei sacræ, nimirum corporis Domini, non tamen est signum, neque causa gratiæ sanctificantis animam.

Secvnda propositio: *Sumptio Eucharistiæ Sacramentum dici potest secundo modo, non autem tertio.* Nam significat quidem illa externa manducatio internam manducationem, & refectionem, sed non est causa internæ illius refectionis: causa enim internæ refectionis, siue gratiæ interiùs nos reficientis, non potest esse actio nostra, sed esse debet actio Dei per ministrum Ecclesiasticum. Itaque illa sumptio concurrit, vt conditio sine qua nõ applicaretur nobis, neque in nos ageret diuinum hoc alimentum; non autem vt causa propriè dicta.

Tertia propositio: *Solæ species panis, & vini, non habent integram Sacramenti rationem.* Probatur: nam species illæ significant quidem cibum spiritualem, sed non sunt ipsæ cibus spiritualis; & proinde non reficiunt, nec sustentant animam, atque adeò non sunt causa gratiæ. Dominus enim Ioan.6. non de speciebus, sed carne, & sanguine dixit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Deinde, Sacramentum Eucharistiæ excellit omnibus Sacramentis, & adoratur cultu latriæ, iuxta illud hymni Ecclesiastici: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.* Atqui species illæ neque excellunt alijs Sacramentis, immò sunt inferiores omnibus, cùm sint pura accidentia, neque adorari possunt. Denique, S. Patres ita loquuntur de hoc Sacramento, vt apertè indicẽt, se per hoc Sacramentum non intelligere solas species. Irenæus lib.4. cap.34. dicit, Eucharistiam constare ex re terrena & cœlesti. Augustinus lib.1. de peccatorum meritis, & remiss. cap.24. dicit, Sacramẽtum Eucharistiæ rectè lingua Punica dici vitam, quia est panis viuus, qui de cœlo descendit.

Quarta propositio: *Corpus Domini, & sanguis sine ordine ad species, non habet rationem Sacramenti.* Probatur: nam Sacramentum est signum externum, ac sensibile; non est autem eiusmodi corpus Domini, & sanguis sine ordine ad species.

Quinta propositio: *Etsi tam species panis & vini, quàm corpus & sanguis Domini ad essentiam Sacramẽti Eucharistiæ pertineant; ratio tamen Sacramenti magis conuenit speciebus, vt continent corpus, quàm corpori Christi, vt est sub speciebus.*

Hvivs conclusionis intelligendæ gratia, obseruandum est, hoc interesse inter Sacramenta cætera, & Eucharistiam, quòd alia constant ex elemento externo, & virtute diuina illi impressa, vt possint esse signa, & causæ. Eucharistia constat ex elemento, seu speciebus externis, & corpore, sanguine Domini, quæ sunt loco impressæ illius virtutis; & hinc apparet singularis huius Sacramẽti excellentia, quòd pro virtute eáque transeunte, quæ est cæteris, hîc est permanenter Christus ipse, qui est ipsa virtus, & potentia Dei. Hinc igitur habemus illa omnia esse de essentia; sed de modo loquendi dicimus Sacramentum Eucharistiæ debere potiùs dici species, vt continent Corpus Domini, quàm corpus, vt est sub speciebus. Nam ita loquitur Concilium Tridentinum, sess.13. cap.3. dicit enim hoc esse commune Eucharistiæ cum alijs Sacramentis, vt sit symbolum externum, & visibilis forma, inuisibilis gratiæ. At certè visibilem esse formam magis cõuenit speciebus, quàm corpori Christi. Deinde in alijs Sacramentis licet concurrant signum externum, & virtus operatiua, tamen nemo vnquam dixit, Sacramentum esse virtutem operatiuam, vt est in signo, sed è contrario signũ, vt est operatiuum; & ratio est, quia in definitione Sacramenti signum est tanquam genus, virtus operatiua, vt differentia: semper autem genus ponitur primo loco, deinde differentia: in instrumentis etiam naturalibus, nemo dicit gladium esse vim scindendi in ferro existentem, sed esse ferrum habens scindendi virtutem. Ità igitur Sacramentum Eucharistiæ sunt species corpus Domini cõtinentes, non corpus Domini sub speciebus, si propriè loqui velimus.

Sexta propositio: *Ratio sacrificij nec non pignoris, & alimenti diuini, magis conuenit corpori Domini, vt est sub speciebus, quàm speciebus vt continent corpus Domini.* Ratio perspicua est: nam quòd offertur Deo Patri, non sunt species panis, sed id, quod in cruce fuerat oblatum; & similiter pignus amoris, & alimentum non in significatione, sed in re ipsa consistunt.

CAPVT VII.

De materia Eucharistiæ, sitne azymo pane, an fermentato Sacramentum conficiendum.

Equitvr nunc, vt materiam Sacramenti huius explicemus: de qua satis constat inter nos, & aduersarios, panem triticeum, & vinum ex vite ad materiam assumendum esse, sed duæ restant controuersiæ. Vna circa panem, altera circa vinum.

Prior controuersia est, vtrum panis azymus, an fermentatus esse debeat: quæ sanè controuersia circa annum Domini M.LIII. est exorta, vt Leo Papa IX. testatur in epistola ad Michaëlem Episcopum Constantinopolitanum, cap.5. tunc enim primùm Græci reprehendere cœperunt Latinos, quòd azymum panem in Sacramento Eucharistiæ assumerent, vnde etiam azymitas nos vocare ausi sunt; in qua sententia ad hanc vsque diem perseuerãt. Siquidem in censura, quam nuper edidit Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha ad confessionem Lutheranorum, cap.10. quod est de Cœna Domini, affirmat Christum fermentatum panem consecrasse, nec posse in azymo hoc Sacramentum confici, quod azymus nõ sit verus panis, quódque azyma ad Iudaismi figuras pertineant.

Hæretici autem Lutherani, & Zvvingliani nõ disputant de necessitate fermenti (quippè res etiam longè graviores pro adiaphoris habent) tamen, & verbis & factis Græcorum consuetudinem Latinorum cõsuetudini anteponunt, atq; fermentatum panem aptiorem esse censent ad Sacramentum conficiendũ, quàm azymum. Nam

in primis Illyricus cum suis collegis centuria 11. cap. 8. describit schisma Græcorum,& Latinorum propter quæstionem de azymo,sed ita describit, vt satis apertè victoriam Græcis tribuat. Deinde Ioan. Caluinus lib. 4. Instit. c. 17. §. 43. tria dicit. Primò, non multũ referre, azymó ne, an fermentato vtamur. Secundò, addit ex historijs constare, vsque ad tempora Alexandri Papæ, totã Ecclesiam pane fermentato vsam. Tertiò, dicit Alexãdrum Papam instituisse, vt in azymo Sacramentum cõficeretur, idque eum fecisse, non alia ratione, nisi vt nouo illo spectaculo populum in admirationẽ traheret; vbi satis apertè vsum azymorum reprehendit. Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis Concilij Tridentini sessione 22. cap. 7. Caluino assentitur, perinde esse vti azymo, vel fermentato, sicut perinde est vti vino albo, vel rubro. Denique Caluinistæ, fermentato pane vtuntur Græcorum more, quod certè non facerent, nisi morem illum meliorem esse iudicarent.

A

Quia verò præcipuum fundamentum, tum Latinorum, tum Græcorum, est factum Christi (neque enim dubitari potest, quin illud sit melius, & faciendum, quod Christus fecit) ideò ista quæstio ab alia pendet, vtrum Dominus Sacramentum instituerit primo die azymorum, quando fermentum inueniri non poterat in omnibus finibus Israël, an verò ante eum diem. Si enim Dominus Sacramentum instituit in primo die azymorum, certum erit, azymo pane vsum fuisse in eiusmodi institutione. Nam Exod. 12. & 13. præcipitur sub pœna mortis, ne fermentatus panis inueniatur in domibus, aut in vllo alio loco filiorum Israël. Si alio tempore instituit, res non erit omnino certa.

S. Thomas in 4. dist. 11 q. 2. art. 2. q. 3. scribit, quocunque tempore Christus Sacramentum instituerit, semper posse contingere in azymo Sacramentum institutum fuisse. Nam ante Sacramenti institutionem Pascha manducauit, vt omnia Euangelia testantur; Pascha autem sine azymis manducari non poterat, vt patet ex cap. 12. Exodi.

Et quidem sanctus Thomas rectè iudicauit, ab immolatione Paschæ incipere vsum azymorum, sed tamen Græci nonnulli ex doctioribus contrà sentiunt, potuisse anteuerti immolationem Paschæ, licet vsus azymorum in reliquo victu non anteuerteretur. Itaque Euthymius in commentario cap. 26. Matthæi, & post eum Nicephorus libro 1. historiar. cap. 28. dicunt, Christum comedisse suum Pascha legale ante primum diem azymorum, & ideò manducasse quidẽ agnum Paschalem eo ritu, quem lex præscribebat, id est, cum azymis, & cæteris rebus necessarijs: tamen ea Cœna legali finita, dimissis azymis redijsse ad panem communem, quo vesci licebat, quia nondum aduenerant dies azymorum, & proinde in pane communi, id est, fermentato Sacramentum instituisse. Duo enim præcepta distincta de azymo inueniuntur. Vnum, vt agnus Paschalis cum azymis comedatur. Alterum, vt septem diebus sola azyma edantur in quouis conuiuio. Dominus igitur ex Græcorum sententia seruauit primum præceptum, quia ad illud obligabatur, cùm agnum manducate vellet: secundum non seruauit, quia nondum venerat tempus, quo illud obligare inciperet. Quare necessariò quæstio ista disputanda est de tempore, quo Christus Sacramentum instituit, vt nullũ omnino Græcis effugium relinquatur.

Sunt igitur de præsenti quæstione sententiæ quatuor. Prima est Græcorum, qui affirmant, Dominum mãcasse suum Pascha, & Sacramentum instituisse die 13. seu luna 13. mensis primi: sequenti autem die post Christi mortem ad occasum Solis, incœpisse tempus Paschale Iudæorum, & fermenti abiectionem. Ita docent Euthymius, & Nicephorus suprà citati.

Est enim obseruandum apud Hebræos, menses omnes numerari à nouilunio, & idem esse apud eos primam lunam, secundam lunam, &c. & primum diem mensis, secundum diem mensis, &c. Porrò secundum legem Exodi 12. die 14. primi mensis, id est, die 14. à nouilunio, post solis occasum, incipiebant dies azymorum, & durabant septem diebus, id est, vsque ad diem 21. inclusiuè. Qui omnes dies erant Paschales, & azymorum dies vocabantur, tamen primus & vltimus, id est, XV. & XXI. soli erant solennes, & festiui, ita vt non liceret in eis operas seruiles facere, vt patet Leuit. 23. Dicunt ergo Græci feria 5. in Cœna Domini fuisse diem XIII. mensis apud Hebræos; & proinde nondum incœpisse tempus azymorum: feria autem 6. in qua Dominus mortuus est, dicunt fuisse profanum, non festiuum: sed illo ipso die post occasum Solis cœpisse tempus azymorum, quia ille erat dies XIV. & postea die Sabbathi fuisse XV. diem, & solennissimum.

B

Secunda sententia est Ruperti in commentario Leuitici. cap. 23. & Matth. cap. 26. vbi docet Hebræos, ex quadam traditione Patrum suorum, nunquam solitos fuisse celebrare duos dies festos cõtinuos, & ideò quando festum azymorum occurrebat feria 6. ex illa traditione differri solitum in Sabbathum sequens, sic tamen, vt celebratio Paschæ nunquam mutaretur. Ex quo colligit eo anno quo Dominus mortuus est, die Iouis fuisse quidem XIV. lunam, contra Græcorum opinionem, & illo ipso die ad vesperam, tum Dominum, tum Hebræos comedisse suum Pascha: diem autem Veneris non fuisse festum azymorum, sed diem profanum, vt etiam Græci volunt; sed profanum fuisse, quia secundum prædictam traditionem dilatum fuerit illud festum in diem Sabbathi.

Hæc sententia Ruperti non solùm falsa mihi videtur, sed etiam non respondet ad potissimum Græcorum fundamentum. Nam si dies azymorum incipiebant die Sabbathi: ergo dies Iouis ad vesperam post agnum Paschalem manducatum cum pane azymo licebat ex sententia Græcorum redire ad fermentatum, & illo vti toto sequenti die: non ergo conuinci potest Sacramentum in azymo pane institutum secundum Ruperti sententiam, nisi priùs ostendatur cum immolatione agni quandocumque illa fieret, cœpisse vsum azymorum per septem dies continuandum.

C

Tertia sententia est Pauli Burgensis in additione ad Lyranum in commentario capitis 26. Matthæi, quem auctorem multi recentiores sequuntur. Et in ijs est Caluinus, qui in illud Matthæi 26. *Scitis quia post biduum, &c.* Ita hanc sententiam defendit, vt dicat nullo cauillo posse eludi eius argumenta. Hæc sententia non differt à sententia Ruperti, nisi in eo, quod Rupertus dicebat ex traditione maiorum differri festum azymorum aliquando in diem sequentem, celebrationem autem Paschæ nunquam mutari. Burgensis autem dicit vtrumque differri, & inde colligit eo anno, quo Dominus mortuus est, Hebræos mãducasse suum Pascha die Veneris ad vesperam, Christum autem die Iouis ad vesperam.

D

Caetervm hæc etiam sententia non probatur. Sciendum est enim mutationem illam dierum apud Hebræos ex traditione Patrum, quæ à multis annis viguit, & modò viget, non sic esse intelligendam, quasi dies XV. lunæ, seu mensis, aliquando occurrat die Veneris, & ipsi tunc transferant festum in diem 16. id est, in Sabbathum: id enim falsum est, & absurdissimum. Sed qui Kalendarijs præsunt apud Hebræos, ita accommodant nouilunia, præsertim initio anni, vt nunquam accidat diem primum, & consequenter diem 15. primi mensis esse feria 2. vel 4. vel 6. & hoc est quod ipsi לאברי פסח vulgò dicunt, id est, contingit, Pascha die 2. 4. & 6. Neque videtur mala ista consuetudo, neq; pugnat apertè cùm lege præcipiente festum azymorum celebrari die 15. mensis. Neq; enim lex loquitur de die 15. secũdum calculum astronomicum.

paucissimis notum, sed secundum computum communem & vulgarem Kalendariorum totius populi: secundum computum autem vulgarem communium Kalendariorum, semper illud seruatur, vt festum azymũ agatur die 15 mensis. Neque absimilis est apud nos consuetudo, qui pro termino Paschali habemus lunam 14. post Æquinoctium vernum, & tamen in Æquinoctio, & in ipsa luna 14. inueniendis, non obseruamus motum verum solis & lunæ, sed obseruamus dies in Kalendario notatos, qui non rarò nonnihil discrepant à vero motu: sed aliter fieri non potest, si certa aliqua regula tenenda est. Immò ante correctionem Kalendarij Gregorij XIII. iussu factam, distabat dies Æquinoctij in Kalendario positus ab Æquinoctio vero totis decem diebus, & nouilunia in Kalendario notata distabãt quinque diebus à veris nouilunijs, & tamen melius erat Kalendarium illud quamuis incorrectum sequi, quàm nullam habere communem regulam festorum inueniendorum. Ex quo sequitur, quòd si tempore Christi fuisset tale Kalẽdarium, quale modò Hebræi habent, non fuisset licitum, nec liberum vlli aliter festos dies celebrare, nec etiam prætextu errantis Kalendarij: alioqui debuisset quisque sibi suum Kalendarium fabricare, & suo modo numerare dies mensium, quod intolerabile fuisset, & apertè malum, & illicitum.

Quare posita hac sententia, necessariò dicendum esset Christum manducasse agnum Paschalem die 13. mensis. vt dicunt Græci, idque fecisse, non vt mutaret ordinem festorum, sed vt quoquo modo (licet extra tempus) manducaret agnum Paschalem, quia sequenti die erat moriturus, & nõ poterat cum cæteris agnum comedere: proinde non tenebatur ad vsum azymorum (nisi in comestione agni Paschalis) quia nondum venerant dies azymorum: & idcircò potuisse in fermentato Sacramentum instituere. Vides igitur ex hac sententia fundamentum Ecclesiæ Latinæ funditus tolli.

Quarta sententia est communis Theologorum in 4. distinct. 11. Christum Sacramentum instituisse illo ipso tempore. quo secundum legem, & secundum Hebræorum (qui tunc viuebant) consuetudinem abiiciebatur fermentũ ex toto Israële; ita vt nõ liceret vllo modo eo vti, qui erat dies mẽsis primi XIV. illo enim die ad vesperam inchoabantur dies azymorum, & sequens dies XV. erat dies solennis azymorum. Quæ sententia verissima est, & sola Græcos euidenter conuincit: quocirca breuiter probanda est, & simul omnes aliæ refellendæ.

CAPVT VIII.

Probatur Christum instituisse Sacramentum 14. die mensis secundum legem, & secundum morem Hebræorum.

Igitvr probatur ex textu omnium quatuor Euangelistarum. Matthæus cap. 26. sic ait: *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes; Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Marcus cap. 14. *Prima autem die azymorum, quando Pascha immolabant.* Lucæ cap. 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Hæc loca refellunt tres superiores sententias.

Ac primus Græcorum error manifestè refellitur. nusquam enim in tota Scriptura dies primus azymorum dicitur dies XIII. mensis, sed solùm XIV. vel XV. vt patet ex libr. Exod. cap. 12. & 13. & Leuit. cap. 23. ex Num. cap. 28.

Respondent Græci aliqui, referente S. Thoma in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. q. 3. tres Euangelistas erraſſe, & à Ioanne correctos fuisse. At hæc ingens blasphemia est. Et inde si Euangelistæ inter se non conuenirent, quod tamẽ fieri nequit, cur potiùs vni crederemus, quã tribus?

Euthymius, & alij modestiores, respondent, Euangelistas loqui de die azymorum, non qui iam aderat, sed qui proximus erat: id enim volunt significare illud Lucæ: *Venit dies azymorum*, id est, imminet, seu propinquat. Refellitur hæc falsa expositio, primò, quia si ita esset Christus præuaricatus esset legem, & potuisset iustè accusari: & certè Hebræi si hoc illi obiicere potuissent: non tantum laborassent in quærendis falsis testibus.

A

Respondet Euthymius, legem non prohibuisse anticipari, sed solùm postponi diem Paschæ. Sed qui præscribit, vt aliquid certo die fiat, simul præscribit, vt non fiat antè, neque pòst. Præscripsit autem lex, & sæpissimè repetiuit, vt die 14. ad vesperam fieret Pascha; non ergo licuit id facere die 13. alioqui etiam licuisset die 10. vel etiam 1. Adde, quòd lex permisit Pascha celebrari post vnum mensem, modò seruaretur idem dies XIV. vt patet ex cap. 9. Num. Anticipari posse diem, aut mensem Paschæ, nullo neque præcepto, neque exemplo probari potest.

B

Dicent fortasse quod ait Ioan. Hentenius in præfatione Euthymij, & alij sequũtur Burgensem, Christum egisse suum Pascha ita secretò, vt nemò sciuerit præter Apostolos, & patremfamilias; in cuius domo Pascha fiebat, atque ita non fuisse periculum, vt accusaretur. At nunquid Iudas proditor, qui Cœnæ interfuit, & mox à Cœna cucurrit ad principes Sacerdotum, non potuisset id Iudæis indicare? Verum igitur est, quod ait Chrysostomus homil. 85. in Matth, Christum vsque ad mortem seruasse legem Mosis, & Pascha suo tempore legitimè celebrasse. Neque iuuat Euthymium quod Lucas dixerit: *Venit dies.* Nam refellitur hæc falsa expositio ex Matthæo, & Marco, qui non dicunt, Venit dies azymorum; sed aiunt, primo die azymorum Apostolos Christo dixisse: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?*

C

Accedit, quòd omnes fermè Patres, & maximè Græci dicunt Christum 14. die Pascha celebrasse. Origenes tract. 35. in Matth. vbi apertè dicit, luna 14. Christum fuisse captum. Chrysostomus homil. 85. in Matthæum dicit Christum comedisse illo die, quem lex præcipiebat. Idem habet etiam Theophylactus, Theophilus Alexandrinus apud Bedam libro de ratione temporum, cap. 57. & 59. & Theodoretus q. 24. in Exodum, & ex Latinis Tertullianus lib. 4. contra Iudæos, Cyprianus in serm. de Cœna Domini, Ambrosius in epist. 83. Hieronymus in cap. 26. Matthæi. Augustinus in epist. 86. ad Casulanum, & Beda lib. de temporum ratione. cap. 61.

Praeter hoc argumentum ex tribus Euangelistis, & tot Patrum sententijs, habemus aliud argumẽtum ex Ioanne, quem Græci se profitentur sequi. Nam S. Ioannes affirmat diem passionis Christi, id est, sextam feriam fuisse illo anno solennem, ac festam, ex quo necessariò sequitur, vt die præcedente agnum comederint. Ioan. 13. *Ante diem festum, sciens Iesus quia venit hora, &c.* Hoc dixit Christus pridie passionis, ergo dies passionis, erat dies festus. Sed quia possent Græci tergiuersari, vt faciunt, ac dicere loqui eum de festo futuro die Sabbathi, non de festo immediatè consequente eam ipsam noctem feriæ quintæ, in qua Dominus loquebatur, additur ibidem, quòd cùm Iudæ Dominus dixisset, *Quod facis, fac citiùs*, ille exiuit continuò, cùm iam nox esset: & Apostoli putarunt, dictum illi esse, vt emeret quæ necessaria erant ad diem festum. At quomodo suspicari poterant tanta festinatione opus esse in parandis ad festum necessarijs, si adhuc supererat totus dies sequens ante festi solennitatem?

D

Praeterea Ioan. 18. Hebræi dicunt Pilato: *Nobis non licet interficere quenquam*, quod significat nõ licuisse id eis ob festũ, quod tunc agebatur, vt exponunt Chrysostomus hom. 82. in Ioannem. & hom. 86. in Matthæum. Cyrillus libr. 12. in Ioan. cap. 6. Augustinus tracta. 114. in Ioannem, Beda in cap. 18. Ioannis, & alij. Nam alioquin licuisse eis alio tempore blasphemos occidere, patet ex Actor. 7. vbi Stephanum in Concilio iudicatum publicè

lapidarunt:& Act.24.conqueruntur apud Felicem Præsidem Syriæ, quod volentibus Paulum secundum suam legem interficere, Tribunus Lysias violenter eum eripuerit de manibus ipsorum.

QVOD autem Iansenius dicit,& quidam alij,potuisse Hebræos occidere reos mortis secundum legem suam, sed non potuisse crucifigere,nimis improbabile est.Nam nec Hebræi soliciti erant præcipuè de cruce,sed de morte Christi in genere,vnde eundem aliquādo præcipitare, aliquando lapidare voluerunt; nec est vlla ratio, cur eis licuerit occidere,& tamen non licuerit crucifigere.

ADDE, quòd illa verba subiuncta (*vt sermo Iesu impleretur*) non quadrant nisi in nostram expositionem, nam Dominus prædixerat se à Gentilibus crucifigēdum: quæ verba,& mirabilis prophetia fuit, si Hebræis etiam occidere licebat. Nam si eis id non licebat, facile erat prædicere se non occidendum, nisi à Gentilibus, & illo supplicio,quod erat apud Gentiles frequentissimum.

DENIQVE Ioan.18.Pilatus ait:*Est autem consuetudo vobis,vt vnum dimittam vobis in Pascha:vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?* Hinc ergo apparet,tam tunc agi cœpisse dies Paschales: & clariùs Matth.27.vocatur idem dies solennis,& Marci 15.& Luc.23.vocatur apertè dies festus.

ACCEDVNT ad hæc testimonia Patrum,qui dicunt Christum occisum fuisse ipso die solenni Hebræorum. Vide Tertullianum in lib.contra Iudæos.Origenem homil.2.in num.Clementem Romanum lib.5.consti.cap. 14. aliàs 16. Epiphanium hær.70. Theophilum Alexandrinum in epist. ad Theodosium apud Bedam de ratione temporum, cap.57.Cyrillum Hierosolym.catech.13. Chrysost.hom.80.in Matt.Augustinum tract.10.in Ioannem. Socratem lib.5.hist.cap.21.Leonem serm.7.de Pascha te. Bedam in cap.18.Ioannis. Anselmum in cap.26. Matth.& Victorem Antiochenū nuper versum ex Græco in cap.14.Marci,vbi dicit Hebræos libenter diem festum,qui occurrebat illo anno feria 6. fuisse translaturos in alium diem,si per legem id eis licuisset.

IAM secunda opinio, quæ Ruperti erat, ex ijsdem Scripturæ testimonijs confutatur. Nam si die Iouis, in quo Dominus Sacramentum instituit, erat primus dies azymorum,vt Euangelistæ tres diserris verbis affirmant, necessariò sequitur,vt festum azymorum fuerit illo anno die Veneris,non die Sabbathi.

EST enim obseruandum aliter dies festos,aliter dies naturales apud Hebræos considerari. Nam dies festi incipiunt ab occasu solis,& desinunt in occasum solis, vt patet Leuit.23.proinde festus dies azymorum continetur nocte sequente diem 14.& die toto artificiali 15.Dies autem naturalis,& ordinarius incipit ab ortu solis,& desinit in ortu solis.proinde continet diem,& noctem artificialem,non autem noctem & diem artificialem. Id patet ex principio Geneseos:illud enim,*Factum est vespere,& manè dies primus*,vt exponunt Ambrosius, & Basilius, & alij in eum locum, significat ex die artificiali, qui terminatur in vesperam,& ex nocte sequente,quæ terminatur in manè,factum esse primum diem.Ex quo facilè conciliari possunt verba trium prædictorum Euangelistarum, qui vocant primum diem azymorum diem 14. mensis, cum verbis Mosis in Exodo, Leuitico, & Numeris,qui semper primum diem azymorum vocat diem 15. mensis. Nam cùm dies primus azymorum quatenus festiuus, vt diximus, contineatur posteriore parte diei 14. & priori parte diei 15.accipiendo dies modo ordinario,seu naturali,potest dies azymorum vt festiuus,per intellectionis figuram vocari tam XIIII.vt Euangelistæ faciunt, quàm XV.vt Moses facit.

Ex his autem refellitur opinio Ruperti. Nam si dies XIIII.vt Euangelistæ dicunt,erat primus azymorum,nimirum ex parte, necesse est, vt etiam XV.dies esset primus azymorum pro alia parte.Ergo non potuit transferri in diem 16.vt ipse vult:nisi forte velit (quod est absurdissimum) mediam partem solùm illius diei solennis translatam fuisse.

ADDE præterea, rationem cur debeat fieri illa translatio,quam Rupertus reddit,esse prorsus vanam. Affirmat enim ipse transferri diem primum azymorum in Sabbathum, quando occurrit feria 6.ne sint duo festa continua,nimirum primus azymorum,& Sabbathum:& non aduertit, in idem incommodum se incidere ex ista ipsa translatione.Nam dies septimus azymorum est eque solennis ac primus, vt patet Leuit.23. Si autem dies primus ponatur in Sabbatho,vt ipse vult,tunc septimus ponetur feria 6.atque ita erunt duo dies festi continui,septimus azymorum,& dies Sabbathi.

DENIQVE contra Ruperti sententiā pugnant omnia testimonia Scripturæ,& Patrum,qui dicunt,diem mortis Christi fuisse festum & solennem illo anno apud Hebræos.

RESTAT sententia Burgensis refellenda ex ijsdem Euangelij locis, & quidem facilè refellitur. Nam cùm dicunt Euangelistæ primo die azymorum Christum comedisse Pascha,vel loquuntur de primo die azymorum secundum ordinariam consuetudinem,& Kalēdaria Synagogæ,vel non. Si detur primum, tum refutata manet Burgensis opinio:nec enim verum erit,quod ipse ait,alio die Christum,alio die populum Hebræorum Pascha comedisse.Si autem detur secundum, repugnabit Marcus, qui ait:*Prima die azymorum, quando Pascha immolabant*, id enim significat Hebræos eo die Pascha immolare.

SED respondent qui Burgensem sequuntur, illud (*immolabant*) vel referendum esse ad morem legitimum,vt sensus sit,quando Pascha secundum legem immolari debebat, vel etiam ad aliquos paucos perfectiores,qui reipsa immolabant in die legitimo, non curantes Pharisæorum traditionem.

AT neutrum horum rectè dici potest. Primò quia etiamsi facta esset illa mutatio, debuissent omnes etiam optimi viri illam mutationem sequi.Nam vt suprà ostendi,non erat contra legem Dei, sed erat accommodatio quædam Kalendarij prudenter facta;vnde meritò vt schismatici, & vt inobedientes synagogæ puniri potuissent,qui secus fecissent.

SECVNDÒ, falsum est tempore Christi fuisse illam traditionem in vsu, vt nunquam festum azymorum celebraretur die 2.4. vel 6. est enim traditio illa multò recentior.Atque hoc est,quod decepit plurimos scriptores modernos, alioqui eruditissimos: crediderunt enim omnes Burgensi tanquam in sua arte perito: nam & ipse Rabbinus Hebræorum fuerat.Esse autē falsum,traditionem illam tempore Christi in vsu fuisse,probo.In primis Rabbi Abenezra in commentario Leuitici,cap.23.diserte verbis affirmat hanc traditionem non solùm non fuisse ab initio secundi templi, vt multi fabulantur, sed nec fuisse eo tēpore,quo fiebat Thalmud. Nam & in Misna, & in Thalmud,vt ipse dicit, inuenitur Pascha in ב״ר, id est, die 2.4.& 6.constat autem Thalmud confectū fuisse aliquot annorum centurijs post passionem Christi.

PRAETEREA sanctus Epiphanius, qui etiam Hebræus fuerat,& optimè nouerat linguā,& ritus Hebræorum,hæresi 30.Ebionitarum,& hæresi 31.Alogorum, dicit festum azymorum apud Hebræos incidere in quamlibet diem hebdomadæ,etiam in II.III.& IV.Neque dici potest,Epiphanium loqui de festo azymorum secundum legem,& non secundum consuetudinem,quæ erat tempore suo,aut tempore Christi.Nam loquitur de consuetudine, quæ erat tempore Christi: explicat enim illud Luc.6.*Factum est in Sabbatho secundo primo, & Apostoli ibant per sata,& vellebant spicas,&c.* ac dicit,Sabbathum secundo primum, non vocari septimam diem, quæ est Sabbathum naturale,sed festum azymorum,in quo duo dies erant solennes,& Sabbatha vocabantur, nimirum primus dies azymorum, qui dicitur Sabbathum primū, & VII. dies azymorum, qui dicitur Sabbathum secundum,seu secundo primum, quia est æqualis primo, vt apud nos dies octauus in festis quæ habēt octauam, quia est solennis sicut primus,vocari posset dies festus secundo primus. Dicit igitur Epiphanius, diem illum, in quo Apostoli vellebant spicas,non fuisse Sabbathum naturale, sed alium diem hebdomadæ, nimirum II.III.IV.aut quemuis alium, in quem fortè inciderat illo anno VII. dies azymorum.

PRÆTEREA est aliud argumentum omnino conuincēs,quod hoc syllogismo compreheudi potest.Ecclesiæ Asiaticæ initio nascentis fidei celebrabant Pascha eodem die, quo Hebræi sui temporis. Eædem Ecclesiæ celebrabant Pascha luna 14.primi mensis, quacunque die hebdomadæ luna illa incidisset; idque sine vllo dierum discrimine, vel exceptione, ergo etiā Hebræi illius temporis Pascha celebrabant quolibet hebdomadæ die sine vlla exceptione. Ergo festum azymorum incidere poterat in diem II.IIII.& VI.& proinde nondum cœperat eo tempore illa traditio Iudaica, neque adhuc fuerat auditum illud פסח ברולא. igitur tempore Christi nō fuit illa traditio. Propositio huius argumenti certissima est, habetur enim expresè in epistola Nicæni Concilij, quam refert Theodoretus lib.hist.1.cap.9. & in epistola Constantini ex eodem Concilio ad Ecclesias missa,quæ extat apud Eusebium libr.3. de vita Constantini. cap.17. Idem fatetur Polycrates apud Eusebium libro 5.historiæ cap.23.Tertullianus in libro de præscriptionibus hæret. Athanasius in epist. de Synodis Arimini, & Seleuciæ. Epiphanius hæresi 50.Tessarescedecaritarum,& 70.quæ est Audianorum. vbi sæpius repetit, Asianos illos celebrasse Pascha quando Iudæi celebrabant,ita vt non computarent ipsi dies,& menses,sed tantùm obseruarent tēpus,quo Iudæi sui temporis azyma incipiebant.Denique idem habet Augustinus libro de hæresibus, cap.29. Assumptio eiusdem argumenti non minùs est certa. Nam Eusebius lib.5.hist.cap.22. dicit Asianos Pascha celebrare solitos quolibet die hebdomadæ. Augustinus lib. de hæresibus,cap.29.addit,quolibet septem dierum. Philastrius in lib.de hæres.cap.de hæresi de festo Paschæ, adhuc expressiùs dicit eos Pascha celebrare solitos etiam die 2.vel 4.vel 6.quibus diebus non fuisset celebratum, si esset vera Burgensis opinio.

PRAETEREA est argumentum huic non dissimile. Epiphanius hær.70.Audianorum, Theophilus in epist. ad Theodosium apud Bedam de ratione temporum.cap. 57.Ambrosius in epist.83.ad Episcopos Æmiliæ,& Beda de ratione temporum, cap.59. ponunt aliud discrimen inter Pascha Christianorum, & Iudæorum, ac Iudaizantium,quod Pascha Christianorum non solùm non fit luna 14.si illa venerit extra Dominicam,sed neque si venerit in Dominica. Quando enim id accidit, vel luna 14. venerit in Dominica,tunc expectamus sequentem Dominicam,& Pascha celebramus luna 21. At Iudæi, & Iudaizantes in ipsa 14.luna celebrant etiam si esset Dominica; quare aliquando fiebat (vt notat Beda) vt per integram hebdomadam distarent Paschata,& Christiani eo die inciperent,quo Iudæi finiebant. Ex hac autem obseruatione manifestè sequitur,Pascha Iudæorum,tempore illorum Patrum aliquando incidisse in Dominicū diem,& diem festum azymorum in diem lunæ, ac per hoc nondum cœpisse traditionem illam Iudaicam, quæ cauit,ne die Lunæ,Mercurij, & Veneris festum azymorum celebrari liceret.

ADDE his omnia testimonia Scripturæ, & Patrum suprà citata, quibus probauimus in die passionis Domini fuisse Hebræis diem festum, ac solennem: inde enim necessariò sequitur, vt eodem die tum Christus, tum Hebræi Pascha celebrauerint.

CAPVT IX.

Soluuntur argumenta Græcorum,& aliorum,qui quocunque modo eis fauent.

RESTAT nunc,vt argumenta Græcorum,& eorum, qui eis fauent, breuiter diluamus. Argumenta ducunt primùm ex Scripturis.Deinde ex Patribus.Postremò ex ratione.

PRIMVM testimonium Scripturæ, Matth.26. *Dicebant autem:Non in die festo,ne forte tumultus fieret in populo.* Respondeo, Fuit illa quorundam sententia in eo Concilio,sed non obtinuit: præualuit enim eorum sententia,qui iudicarunt non esse negligendam occasionem Christum necandi quocunque tempore.

SECVNDVM testimonium Marci 15.Ioseph mercatus est sindonem, & Luc.23.mulieres parauerunt aromata.Ibidem Iudæi egerunt causam criminalem contra Christum,& eum comprehenderunt, examinarunt,&c. Quæ sanè in die festo licita non erant: nam Leuit.26. in festo azymorum prohibentur omnia opera seruilia. Respondeo;In festo prohibentur opera seruilia,sed nō opera pietatis,& charitatis, & maximè necessaria. Sepelire autem mortuos, opus charitatis est, non opus seruile: & proinde etiam aromata parare, & sindonem emere ad corpus sepeliendum, non potuit esse prohibitum, præsertim cum opus illud differri nō posset,imminente iam Sabbatho.In Sabbatho enim maior quies præcipiebatur, quàm in vllo alio festo. Vnde in Sabbatho neque ignis accendi poterat,neque cibi præparari:quæ licita erant in alijs festis,etiam in Paschate,vt patet cap.12.Exodi.Quod autem attinet ad Iudæos,qui causam criminalē egerunt, non erant illi tam delicatæ conscientiæ, vt putarent id fieri non posse: satis existimabant se detulisse honoris die festo,quòd non suis manibus Christum lapidarunt.

TERTIVM testimonium Ioan.13. *Ante diem festum Paschæ.* Respondeo, Loquitur de die artificiali, vt suprà diximus.Etsi enim in illa nocte,in qua Dominus loquebatur,festum Paschæ inciperet, tamen dies festus erat is, qui sequebatur eam noctem,non qui præcesserat:quemadmodum & nos solemus in vespera Sabbathi sancti dicere:Cras erit festum Paschæ, licet iam cœperit festum celebrari in officio Ecclesiastico.

QVARTVM testimoniū Ioan.18. *Ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Respondeo: Omissis alijs solutionibus, Pascha vocatur eo loco non agnus Paschalis, qui solùm 14. die ad vesperam immolabatur, sed victimæ Paschales, quæ ex ouibus,& bobus quotidie in diebus Paschæ immolabantur. Deut.16.*Immolabis Phase Domino Deo tuo de ouibus & bobus in loco quem elegerit Dominus.* 2.Paralip.35. *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora duo millia,& boues sexcentos.* Iosephus lib.3.antiq.cap.13. referens id quod habetur Num.28.de immolatione duorum vitulorum,arietis,& hirci,& septem agnorū, quæ fiebat singulis diebus Paschæ:dicit vitulos, arietem, & agnos holocausta fuisse,sed hircum fuisse sacrificium pro peccato, & ex eo quotidie parari solitum epulum Sacerdotibus. Illa igitur victima Paschalis, quæ edenda à Sacerdotibus erat,est illud Pascha,de quo loquitur S.Ioannes, cùm ait: *Ipsi,nimirum Pontifices,non introierunt,vt nō contaminarentur,sed vt manducarent Pascha.* Nam nō licuisse Sacerdotibus,nisi purificatis, edere sacrificia, patet Leuit.22.

QVINTVM testimonium Ioan.19.*Erat autē Parasceue Paschæ hora quasi sexta.* Respondeo: Parasceue non erat apud Hebræos,nisi propter Sabbathū:siquidem ante Sabbathū necessaria erat Parasceue, id est, præparatio ciborum,quia in Sabbatho cibi parari non poterāt. Quare Ioan.19.sic legimus: *Propter Parasceuen Iudæorum,vt non remanerēt in cruce corpora Sabbatho:erat enim magnus*

dies ille Sabbathi. Vt vides, Parasceuen fuisse non ad Pascha, sed ad Sabbathū, quod illo anno celebrius erat, & magnū Sabbathum dicebatur, quia incidebat intra hebdomadam Paschalem, quæ tota solennis erat, licet primus & vltimus dies solenniores essent. Hinc etiam Marcus cap. 15. ita illud idem expressit, *Erat Parasceue quod est ante Sabbathum*, & Lucas cap. 23. inquit, *Erat autem Parasceue, & Sabbathum illucescebat.* Illud igitur Parasceue Paschæ non significat Parasceuen ad Pascha, sed Parasceuen in Pascha re occurrentem: quomodo si nos diceremus, Erat feria VI. Paschæ,

VLTIMÒ, proferebant olim Græci teste Anselmo illud Amos 4. *Sacrificate de fermentato laudē*, vel vt vertit Aquila: *Sacrificate de fermentato Eucharistiā*, Respondeo, Testimonium hoc, testimonium est imperitiæ, vel impudentiæ Græcorum. Nam Propheta illa dicit irridendo, & reprehendendo Hebræos, qui pro Deo idola colebant, & pro azymis fermentum offerebant. Sic enim præcedit: *Venite ad Bethel, & impiè agite: ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem, &c.* Vide Hieronymum, & Rupertum in hunc locum Prophetæ. Atque hæc sunt quæ ex Scripturis proferre solent.

IAM ex Patribus nonnulli proferuntur, quorum testimonia breuiter explicanda sunt. Primò. S. Irenæus lib. 4. cap. 23. dicit, Mosem Deut. 16. prædixisse Christi passionem, quoad locum, cùm ait, immolandum esse agnum Paschalem in loco, quem elegerit Dominus, id est, in Hierusalem, quoad diem, cùm nominauit diem Paschæ, & quoad horam, cùm dixit ad vesperam esse immolandum. Ex his nonnulli colligunt, Christum occisum esse secundum Irenæi sententiā luna 14. quādo agnus immolari solebat, & proinde cœnā Domini celebratā luna 13.

RESPONDEO, Quæ dicit Irenæus verissima sunt, sed nihil faciunt pro aduersarijs: nam Christus occisus est in Hierusalem: item in die Paschæ, quamuis luna 15. non 14. Nam (vt suprà diximus) primus dies Paschæ incipiebat in vespera diei 14. & durabat vsque ad vesperam diei 15. Denique occisus est ad vesperam, quia obiit hora nona, quæ est hora vespertina. Adde, quòd Irenæus per vesperam, nō tam intellexit vesperam diei, quàm vesperam mundi: dicit enim per vesperam significasse Mosem temporum extremitatem, ad quem modum exposuerunt illud, *Ad vesperam*, etiam Cyprianus lib. 2. epist. 3. & Ambrosius epist. 83.

SECVNDÒ obiicitur Tertullianus, qui in libro cōtra Iudæos sic ait: *Hoc enim & Moses initio primi mensis nouorum facturos vos prophetauit, cùm omne vulgus filiorum Israël ad vesperam agnum esset immolaturum.* Vbi loquitur de Christi passione, ac dicit, prædictum fuisse, vt Christus occideretur illo tempore, quo agnus immolabatur: constat autem agnum immolari solitum luna 14. ad vesperam.

RESPONDEO: Significat Tertullianus illa ipsa die, qua agnus immolabatur, Christum immolandum, & hoc impletum est. nam (vt suprà diximus) dies prima Paschæ extendebatur vsque ad vesperam feriæ 6. Non autem significat eadem hora præcisè fuisse immolandum Christum, qua agnus immolabatur; id enim fieri non poterat. Nam agnus immolabatur post occasum solis, & Christus immolandus erat in meridie. Et præterea si die Veneris ad vesperam fuisset agnus immolandus, vt aduersarij dicunt, tunc non fuisset Christus occisus in Pascha: nam ipse occisus fuit ante occasum solis; Pascha autē incipiebat post occasum solis. Denique occisionem Christi nō peractam, nisi die 15. apertissimè ibidem Tertullianus docet, cùm ait, fuisse diem illum Hebræis festinum: & de illo exponit verba Amos 8. *Occidet sol in meridie, & conuertam diem festum vestrum in luctum, &c.*

TERTIÒ obiicitur Epiphanius, qui hæresi 70. sic ait: *Oportebat Christum in decima quarta die immolari secundum legem.* Quòd si dies passionis Christi fuit 14. certè sequitur (vt Græci volunt) diem Cœnæ Domini fuisse 13.

RESPONDEO, Loquitur Epiphanius de immolatione Christi non in se, sed in typo, & figura, ac si clariùs dixisset, oportuisse agnum, qui figura Christi erat, immolari luna 14. ad vesperam. Nam idcirco addidit, *secundum legem*, reprehendit enim eo loco Epiphanius Quartadecimanos iudaizantes, ac dicit, eos multum detrimenti accipere ex eo, quod celebrant Pascha 14. die cum Iudæis, & nō potiùs die Dominico cum Christianis, & rationem reddit, quia immolatio Christi typica nimirum, quæ fiebat secundum legem die 14. significabat Synagogam lumen suum amissuram Christo veniente. Nam dies 14. est vltima incrementi ipsius lunæ: peracta autem die 14. incipit lunæ lumen deficere, nimirum in die 15. Itaque Iudæi cùm agnum immolabant luna 14. ad vesperam, obscurationem suam prophetabāt: cuius obscurationis participes fiunt quotquot eos in Paschæ celebratione imitari malunt, quàm Ecclesiam Christi. Hæc est eo loco sententia Epiphanij, cuius auctoris apertissima testimonia pro nobis suprà retulimus.

QVARTÒ obiiciunt Chrysostomum homil. 82. in Ioannem, vbi duo dicit. Primum est, Christum comedisse suum Pascha pridie, quàm illud comederint Iudæi. Alterum, Christum præuenisse vnum diem in Cœna manducanda, vt reseruaret mortem suam Parasceuæ, quando etiam olim fuit Pascha. Ex quibus colligitur secundum Chrysostomum diem Parasceues, in quo Dominus necatus fuit, fuisse lunam 14. in qua Pascha secundum legem celebrari debuit. Similia omnino scribit Theophylactus in cap. 18. Ioannes.

RESPONDEO: Hic locus Chrysostomi, & Theophylacti explicandus est per alium eorūdem auctorum. Nam Chrysostomus homil. 85. in Matth. & Theophylactus in cap. 26. Matth. scribunt Principes Sacerdotum tota nocte occupatos fuisse in negotio mortis Christi procurandæ, & ideò non potuisse cum cæteris debito tempore Pascha manducare, nimirum in nocte feriæ 5. sed distulisse cœnam illam agni Paschalis in sequentem diem. Vbi etiam addunt ij auctores, in hac re prævaricatos esse legem Dei Principes illos Sacerdotum, quòd Pascha non egerint tempore debito: & hoc modo exponunt locum illum: *Ipsi non introierunt, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, Ioan. 18. Hinc ergo intelligendum est in testimonio nobis obiecto, cū Chrysostomus, & Theophylactus dicunt, Christum comedisse Pascha pridie, quàm illud ipsi comederint, nō significare, Pridie, quàm populus Iudæorum, sed solùm pridie, quàm Sacerdotes illi, qui in nece Christi tota nocte occupati fuerant. Itaq; Dominus manducauit illa nocte, qua omnes alij communiter manducabant.

DENIQVE quòd Chrysostomus & Theophyl. addunt, Christum præuenisse vnum diem, vt seruaret mortem suā in Parasceuen, quando etiā olim Pascha fuerat, duobus modis exponi potest. Primum, vt illud, (*Quando etiam olim Pascha fuerat*) non referatur ad Parasceuen, sed ad præcedentē diem, vt sensus sit, Christus præuenit vno die Principes Iudæorum in Pascha edendo, vt cædē suam seruaret in Parasceuen. Ipse enim Pascha manducauit pridie Parasceues, id est, luna 14. quando etiam olim Pascha fuit: & secundum hanc expositionem nulla remanet difficultas.

SECVNDÒ dici potest illud (*quando etiam olim*) referri ad Parasceuen: sed Chrysostomum non loqui de Pascha, vt Pascha significat immolationem agni, vt falsò Græci existimant, sed vt significat festum Paschæ. Quare hic est eorum verborum sensus: Christus in māducando agno Paschali præuenit vno die Principes illos sacerdotum, & proinde manducauit die Iouis, qui fuit 13. lunæ, vt seruaret mortē suā in ipsum Paschæ festū, id est,

in diem

in diem 14. lunæ, quando etiam olim Pascha, id est, Paschæ festum erat. Quòd autem hic sit verus sensus, & non velit Chrysostomus dicere, feria illa 6. fuisse diem 14. & tempus legitimum immolationis agni Paschalis, ex duobus manifestè colligitur. Primùm, quia si ita esset, Pontifices illi non fuissent prævaricati legem, dum distulerunt māducationem agni in feriam sextam. At Chrysostomus disertis verbis prævaricatos illos fuisse docet. Deinde, quia idem Chrysostomus homil. 86. & 87. in Matthæum affirmat, ipsum diem occisionis Christi fuisse festiuum, & solennem Hebræis.

QVARTÒ obiicitur Augustinus, & cum eo venerabilis Beda. Nam Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 13. refert quosdam dixisse, Pascha Iudæorum eo anno, quo Christus mortuus est, incœpisse in sequenti Sabbatho: & ideò sextam illam feriam dictam esse Parasceuen Paschæ. Sed cùm id Augustinus non approbet, sed simpliciter referat, non est multùm de ea re laborandum. Approbat quidem Augustinus, quòd illi idem dixerant, præparationem ad Christi immolationem cœpisse ab hora nona noctis; & proinde horam tertiam diei fuisse horam sextam Parasceues, Paschæ Christianorum: id est, Christi mortis: & hoc idē repetit tract. 117. in Ioannem, & idem habet Beda in cap. 19. Ioannis. Priorem autem illam sententiam de Pascha Iudæorum inchoante die Sabbathi, nusquam approbat Augustinus, vel Beda, vel alius bonus actor ex veteribus.

RVRSVS obiici solet, quod dicunt, Augustinus tractatu 120. in Ioannem, & Beda in cap. 19. Ioan. accelerata fuisse Domini sepultura propter Parasceuen Iudæorum, quia illa nocte cœnam puram, comesturi erant. Sed nulla hîc difficultas est: non enim cœna pura significat agni Paschalis manducationem, sed cœnam quandam solennem, quam Iudæi sumunt in vespera feriæ sextæ, ad initium videlicet Sabbathi. Vnde ab ea Cœna, ipsa etiam feria sexta dicebatur ab eis Cœna pura, vt patet ex Irenæo libr. 1. cap. 10. & libr. 5. cap. 23. & ex Beda in cap. 23. Lucæ.

SEXTÒ obiici potest Anselmus, qui in cap. 26. Matthæi, dicit, se certa ratione comperisse Christum luna 14. esse occisum, & luna 13. præter ordinem diuinæ legis celebrasse suum Pascha. Sed dubium esse non potest, quin totus iste locus ab aliquo Græcorum fautore fuerit insertus in lib. S. Anselmi, & quidem parùm prudenter. Nam Anselmus apertissimè contrarium docet in comment. cap. 26. in illa verba: *Prima autem die azymorum*, vbi dicit, Christum 14. die comedisse agnum, & 15. die fuisse crucifixum.

SEPTIMÒ obiiciebant Græci cap. 11. VI. Synodi, in quo cauetur, ne clerici, aut laici comedant azyma Iudæorum. Respondeo, Prohibetur eo canone commercium cum Iudæis, præcipuè circa ritus religionis. Itaque noluerunt Patres; ne Christiani celebrarent cum Hebræis dies azymorum, aut alios eiusmodi ritus.

OCTAVÒ obiiciunt Ioan. Hentenius præfatione in Euthymium, & Cornelius Iansenius in commentario Matthæi, cap. 26. testimonium hæretici cuiusdam antiqui, qui Hebraicè scripsit librū סדר עולם Seder olam, in quo asseritur, traditionem illam Hebræorum, ne festum Paschæ celebretur feria 2. 4. aut 6. initium habuisse statim à templo reparato post reditum à captiuitate Babylonica: ex quo sequitur, Christi tempore iam vsu receptā fuisse illam traditionem.

RESPONDEO, in lib. Seder olam, tā maiore, quàm minore, quem nuper Latinū fecit Gilbertus Genebrardus, non inuenitur ea traditio. Deinde etiamsi ibi inueniretur, cùm auctor ille vix ante quingentos annos scripserit, & multa alia falsa tradiderit, nihil mirum esset, si etiam in hoc mentitus esset. Certè falsum esse, Christi tempore eam traditionem in vsu fuisse, suprà euidentissimè demonstrauimus etiā testimonio Rabbi Abenezræ.

VLTIMÒ obiicit Caluinus loco citato testimonia historiarum, quæ dicunt, ab Alexandro Papa institutum esse, vt ex pane azymo Eucharistia conficeretur, cùm ante Alexandrum omnis Ecclesia fermentato vti consueuisset. Itaque mos Græcorū fuit in primitiua Ecclesia, & Apostolicus censendus, ac meritò retinendus videtur.

RESPONDEO, Rectè fecit Caluinus, quòd nullius historici nomen adscripsit: nullus enim id tradit, quod ipse dicit; nec verisimile est vllo modo. Nam loqui non potest Caluinus de Alexandro II. aut III. aut alijs posterioribus: isti enim fuerunt omnes post Leonem IX. qui acerrimè defendit sententiam Latinæ Ecclesiæ de Eucharistia in azymis conficienda. Loquitur igitur de Alexandro I. qui sedit circa annū Domini C.X. Ac vt omittam, à nemine scriptum esse, quòd hic Alexander azyma instituerit, non est probabile primis illis annis, in quibus Ecclesiæ in plurimis iudaizabant, & factū Domini adeò recens erat, vt aliqua Ecclesia fermentato vti maluerit, quàm azymis. Adde, quòd Leo IX. in epistol. ad Michaëlem, cap. 5. dicit, Romanam Ecclesiam à Petro, non ab Alexandro, vt Caluinus mentitur, didicisse qualiter diuina mysteria celebrari debeant. & per mille, & XX. annos à passione Domini retinuisse eundem morem: & cap. 24. dicit, sanctos Martyres primitiuę Ecclesiæ nostris azymis saginatos. Atque hæc de testimonijs.

RESTANT argumenta ex ratione. Et quidem Græci triplici ratione potissimùm vtebantur, quæ sunt apud Anselmum in libro de azymo, & verbo fissimè referuntur à Centuriatoribus Magdeburgensibus, ex libris Michaëlis Episcopi Constantinopolitani. & Nicetæ Cent. 11. cap. 8. & apud Euthymium in cap. 26. Matthæi, & nuper etiam repetitæ sunt ab Hieremia Episcopo Constantinopolitano in censura ad confessionem Augustanam. cap. 10.

PRIMA ratio est eiusmodi: *Dominus cùm Eucharistiā instituit, panem accepit. At azymum non est panis. Panis enim Græcè dicitur ἄρτος, à verbo αἴρω quod est, attollo: non autem attollitur farina, seu conspersio, nisi per fermentum.*

RESPONDEO, Hoc argumentum, vel nihil probat, vel pro nobis facit contra Græcos: nam in Scriptura nomen panis commune est ad azymum, & fermentatum. Et quia de fermētato nemo dubitat, probatur de azymo ex illo Lucæ vlt. *Accepit panem, benedixit, &c.* Et infrà: *Quomodo cognouerunt illum in fractione panis.* Illum enim fuisse panem azymum, certum est, quia id factum est, quod Lucas narrat, tertia die azymorum, vel secūda die secundum Græcos, quibus diebus nō inueniebatur apud Hebræos nisi azymus panis. Præterea Leuit. 7. dicuntur panes cum fermento, & panes absque fermento. Deniq; Theodoretus, Græcus auctor in cap. 10. Danielis, notat inscitiæ eos qui panem azymum, panem vocari posse negant.

HOC ergo fundamento posito, colligimus Matt. 26. illa verba: *Accepit panem, benedixit, &c.* de azymo exponi posse, cùm nomen sit commune: & præterea non solùm posse, sed etiam oportere, cùm iam ostenderimus id factum primo die azymorum. Vel igitur panis azymus differt specie à fermentato, vel nō. Si differt, vt Græci volūt, ergo non potest Eucharistia confici in fermentato: non enim cōfici potest in alia specie, quā in ea, quā Dominus instituit. Si nō differt, vt verè Latini affirmāt, ergo potest confici, tum in azymo, tum in fermentato: in azymo quidem, quia Dominus sic fecit, in fermentato autem, quia non differt specie ab azymo. Itaque vides argumentum, si quid valet, contra Græcos valere. Sed reuera nihil valet, cùm non differat essentialiter azymus, & fermentatus.

PORRÒ illa Etymologia vocis ἄρτος ab eleuando, aut ab accidentali conditione sumpta est, vt in alijs multis

fractum

factum videmus: aut non dicitur ἄρτος, quia eleuetur per fermentum, sed potiùs quia eleuet naturam humanã nutriendo,& augendo corpora nostra,qui effectus communis est pani azymo cum fermentato.

SED hinc nascitur argumentum Caluini loco suprà notato. Nam si accidentaria differentia est inter azymum, & fermentatum,qualis est etiam inter vinum album, & rubrum, non oporteret in Sacramento Eucharistiæ maiori cura quærere panem azymum, quàm quærimus vinum album,sed esset omnibus permittendum, vt liberè vterentur quonis pane,vt liberè vtuntur quonis vino.

RESPONDEO, Multum interest inter differentiam azymi & fermentati, & differentiam albi & rubri vini.

Nam inprimis constat Dominum vsum esse azymo: non autem constat vtrum vino albo,an rubro vsus sit; & ideircò constanter retinemus azymum propter Domini exemplum,de vino nõ simus soliciti, quia non habemus simile exemplum. Deinde differentia azymi, & fermentati Deus sæpe vsus est ad varia mysteria significanda, vt patet ex toto Leuitico,vbi ferè semper præscribuntur panes azymi, ob significationem puritatis, & synceritatis; nusquam autem Deus vsus est differentia vini albi, aut rubri ad aliquid significandum: Ideò Ecclesia ob significationem retinet azymum, vinum autem indifferenter adhibet seu album sit,seu rubrum.

SECVNDA ratio Græcorũ est, quia azyma sunt propria Iudæorum,ergo consecrare Eucharistiam in azymo pane,est iudaizare.

RESPONDEO; Non est iudaizare, vti ijsdem rebus,quibus vtebãtur iudæi,sed vti eodem ritu,& ad eundem finem. Itaque vti azymis cum agno Paschali, & ad significandam Christi puritatem, & synceritatem futuram,& ipsius passionem,& mortem, est planè iudaizare, & illicitum: at vti azymis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, & ad significandam Christi puritatem & synceritatem,quæ fuit,& est,nõ est iudaizare, sed implere Iudaismi figuras. Alioqui non deberemus vti aqua in Baptismo, quia illa vtebantur etiam Iudæi in suis purificationibus: & denique Christus ipse nos iudaizare docuisset,si hoc esset iudaizare. Adde,quòd Iudæi in rebus sacris non tantùm vtebantur azymis, sed etiam fermentato, vt patet Leuitici 7. vbi iubentur offerri panes absque fermentato,& paulò pòst in alio sacrificio iubentur offerri cum fermento,& Leuitici 23. iubetur Phase fieri cum azymis, & ibidem præcipitur in festo hebdomadarum, id est,festo Pentecostes,sacrificium ex simila fermentata. Quare si vti azymis non licet, ne iudaizemus, eadem de caussa nec fermento vti licebit.

TERTIA ratio: *Immolatio agni Paschalis figura fuit passionis Christi. Sed agnus immolabatur die 14. ergo & Dominus pati debuit die 14, ergo Cœnam instituit die 13.*

RESPONDEO, Agnus paschalis, vt suprà diximus, cùm explicaremus figuras Eucharistiæ, figura fuit Christi, vt in Sacramento nobis apponendus erat manducandus, & ideò illa immolatio potiùs significabat immolationem Christi mysticã, quæ fit in sacrificio Missæ, quàm immolationem cruentam, quæ in cruce peracta est: nam ideò ritus agni Paschalis potiùs tradit modum manducandi, quàm immolandi. Quia tamen agni immolatio erat etiam figura passionis Domini, debuit eodem die passio peragi, quo agnus immolabatur. Et sic factum est: nam illa vespera diei 14. in qua agnus immolabatur, ad diem sequentem pertinebat, vt dies ille festiuus erat. Itaque institutio Eucharistiæ, quæ principaliter figurata fuerat per agnum Paschalem, peracta est eodem die, & eadem hora, qua agnus secundum legem immolabatur: Christi autem passio, quæ minùs principaliter per eãdem immolationem figurata fuerat, eodem die, licet non eadem hora, peracta fuit.

QVARTA ratio addi posset, non parum difficilis. Nam Secundum legem dies Pentecostes celebrabatur die quinquagesimo à 2. die azymorum, vt patet Leuitici 23. Sed eo anno, quo Dominus mortuus est, dies Pẽtecostes fuit in Dominica die, vt ex traditione Ecclesiæ patet, ergo etiam secũdus dies azymorum fuit in Dominica die. Nam si numerarentur dies quinquaginta à secundo azymorum inclusiuè, vt lex præcipit, necessariò fiet, vt in eodem die hebdomadæ occurrat Pentecoste, in quo occurrit dies secundus azymorum. At si dies Dominica fuit secundus azymorum, ergo dies Sabbathi fuit primus azymorum. Ergo dies passionis fuit ante diem azymorum,& multò magis dies Cœnæ Domini, atque ita vera esse videtur Græcorum sententia.

RESPONDEO: De hoc argumento fusè tractaui in tertio lib. de Ecclesia triumphante, propè extremo. Sũma responsionis est: dies Pentecostes numerandos esse à primo die profano post festum primæ diei azymorum: & ideò si secũdus dies azymorum sit profanus, vt plerumque accidit, ab eo numerari debere dies Pentecostes. Si autem fortè sit dies festus, vt si occurrat in Sabbatho dies secundus azymorum, tunc à tertio die azymorum numerandos esse dies Pentecostes. Quia igitur eo anno, quo Dominus mortuus est, secundus dies azymorum fuit Sabbathum, propterea illo anno à tertio die azymorum, qui fuit die Dominico, qui apud Iudæos profanus est, numerari cœperunt dies pentecostes; & inde factum est, vt in diem Dominicum incideret illo anno Pentecoste.

ATQVE hæc de tota ista disputatione dicta sint, in qua negare non possum, quin multùm me iuuerit egregium opus Doctoris Marcelli Francolini de horis canonicis, in quo fusissimè quæstionem istam pertractat, cap. 51. & sequentibus. Illud autem omninò miratus sum, quemadmodum in eandem solutionem inciderimus, circa difficultatem de tempore Pentecostes: nam neque ego librum eius videram, cùm scriberem de Festis in tertio libro de Ecclesia triumphante, neque ipse scripta mea viderat, cùm librum suum conscriberet, vt idem mihi postea confirmauit.

CAPVT X.

De vino temperando aqua in sacro calice.

ALTERA controuersia de materia Eucharistiæ est de mistione vini, & aquæ. Ac primum referendæ erunt sententiæ aliorum, seu potiùs errores. Deinde confirmanda veritas. Ac demum confutanda argumenta,& mendacia aduersariorum.

QVOD ad primum attinet, non defuerunt olim, qui prætextu sobrietatis solam aquam in calice offerendam dicerent: vt Ebionitæ apud Epiphanium, hæresi 30. & Tatiani apud eundem, hæresi 46. Aquarij apud Augustinum libro de hæresibus, cap. 64. Sed ea opinio continuò à Patribus explosa fuit, quòd satis constaret, Dominum non aquam solam, sed vinum etiam in sacro calice ponendam esse docuisse. Vide Cyprianum lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium, & Chrysostomum homil. 83. in Matth. qui ex instituto disputant contra eam sententiam.

VBI etiam non est omittenda impudentissima calumnia Magdeburgensium, qui Cent. 3. cap. 6. & 7. affirmant, errorem istum de sola aqua in calice offerenda, ab Episcopis Romanis excogitatam esse, & à Cypriano refutatum in epistola ad Cornelium Romanum Pontificem, quod quidem sine vllo fundamento ex sola mentiendi libidine Centuriatores affirmant. Nam epistola Cypriani non est ad Cornelium, vt ipsi mentiuntur, sed ad Concilium, nec in ea vlla mentio fit Episcoporum Romanorum.

NON defuerunt rursus, qui solùm vinum offerendum censerent: ij fuerunt Armeni, vt Patres Trullani

Concilij affirmant, can. 32. Caussam autem, cur Armeni in eam sententiam descenderint, refert Nicephorus lib. 18. histor. cap. 53. vbi scribit Armenos non miscere aquam vino in sacrificio, ne significare videantur vnionem duarum naturarum in Christo, quam ipsi non credunt. Eiusdem erroris accusantur Græci à Guidone Carmelita in catalogo hæreticorum, & ab Innocentio III. libro 4. de officio Missæ, cap. 32. Sed contrarium tamen colligimus ex ipsorum scriptis, tum veterum, tum recentiorum, vt infrà ostendemus. Quare credibile est, Innocentium, & fortasse etiã Guidonem per Græcos intellexisse quosuis Orientales, non autem eos, qui propriè Græci dicuntur.

Lutherani, & Caluinistæ Armenos imitãtur: nam absque aqua vino vtuntur: Lutherus in primo scripto contra Regem Angliæ, anno M.D.XXII. edito, fatuos & stolidos vocat eos, qui peccatum esse putant sine aqua celebrare; & ibidem sic addit: *Meo sensu melius, & tutius foret, aquam non miscere vino, cùm sit merum figmentum humanum, & sinistram, immò pessimam habeat significationem.* Et in formula Missæ, seu communionis pro Ecclesia Vvittembergensi anno M.D.XXIII. edita. *Nondum constitui*, inquit, *mecum, miscendã ne esset aqua vino: quamquam huc inclino, vt merum vinum paretur absque aquæ mixtura.* Martinus Kemnitius in 2. parte Exami. Concilij Tridentini, sess. 22. cap. 7. & can. 9. docet rem esse omninò indifferentem, aquæ mixtionem in calice: & multis conatur ostẽdere non esse certum, quid Dominus fecerit, id est, an vino aquam admiscuerit, & præterea non esse id necessarium, nec posse præcipi ab Ecclesia: & tandem addit Ecclesias Lutheranorum reipsa, & factis ostendere voluisse hãc libertatem. Tilmanus Heshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit. 17. tres errores Pontificijs adscribit. Vnum, quòd dicant aquam miscendam vino in calice. Alterum, quòd doceant sine peccato mortali non posse omitti aquam. Tertium, quòd velint Apostolicam esse traditionem, misceri debere aquam vino.

Caluinistæ longiùs progrediuntur. Nam Petrus Richerus Caluinista (referente Nicolao Villagagnonio libro 1. contra articulos quosdam Caluinianos, cap. 73.) affirmat esse hæreticos, blasphemos, sacrilegos, falsarios qui vino Cœniæ aquam admiscent; quod ad puritatem Euangelij adiiciant sua commenta: & à Caluino se hæc omnia didicisse fatetur. Quare non est mirum, si Caluinus, nec in Institutione, nec in Catechismo, nec in formula Sacramentorum ministrandorum illam aquæ mentionem facit in mysterio Cœnæ Domini.

PORRÒ Ecclesia Catholica semper credidit ita necessarium esse aqua vinum misceri in calice, vt non possit id sine graui peccato omitti. Vtrum autem sine aqua Sacramentum consistere possit, non est adeò certum: communis tamen opinio in partem affirmatiuam propẽdet. Quare falsò Kemnitius Catholicis in commune tribuit, quòd asserant, aquam in Eucharistia esse de necessitate Sacramenti, cùm pauciss imi id affirment. Probatur Ecclesiæ sententia: Primùm ex facto Christi: Dominus vinum aqua mixtum consecrauit, igitur & nos ita facere debemus.

ANTECEDENS huius argumenti Kemnitius fatetur esse probabile, sed non certum, & ideò incertam cõclusionem ex eo colligi contendit. Deinde etiamsi certum esset antecedens, infirmam esse vult cõsequutionem. Nam Dominus si aquam admiscuit, id fecit pro more illius regionis: in Oriente enim vinum est fortius, quàm in his partibus, & ideò ordinariè solet in illis locis aqua temperari. At si in hac regione nostra, vel in partibus frigidioribus Dominus fuisset, cùm Sacramentum institueret, pro more patriæ aquam non miscuisset.

CÆTERVM multùm in vtroque errat Kemnitius. Antecedens enim illud nõ minùs certum est, quàm quòd Dominus vinum consecrauerit, non sicerum, aut aquam solam: quod sanè nemo negat esse certissimum. Nam ex Euangelio, & ex Paulo expressè non habetur, nisi calicem sanguinis Apostolis propinatum: vini nulla mentio est, cùm agitur de calice Eucharistico. Legantur omnia loca Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 6. 1. Corinth. 10. & 11. non inuenietur mẽtio vini, nisi in illis verbis: *Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis, donec illud bibam nouum in regno Dei*, quæ habentur in tribus locis citatis Euangeliorum. Sed ea verba, vt libro 1. cap. 11. fusè docuimus, non pertinent ad calicem Eucharistiæ, sed ad calicem qui datus fuit post agni Paschalis manducationẽ, vt ex Luca manifestè colligitur. Neque obstat, quòd aliqui Patres ea verba de calice Eucharistiæ exposuerint: nam alij, qui magis ex professo rem tractarunt, contrarium docuerunt, vt tunc ostendimus, non possumus autem ex patrum sententijs aliquid certi colligere, quando inter se non conueniunt. Atque id potissimùm locum habet in sententia Kemnitij, qui (vt suprà vidimus in cõtrouersia de transubstantiatione) non vult argumenta efficacia posse duci à Scripturis, quæ varijs modis exponuntur. Quid ergo in calice fuerit ante consecrationem, an vinum purum, an vinum aqua mistum, an sicera, an aqua sola, ex sola Scriptura expressè non habetur, sed necessariò recurrendum est ad traditionem eorum, qui ab Apostolis, & eorum discipulis hæc mysteria didicerunt. Traditio autem habet, fuisse vinum aqua mistum, ergo ita certò credendum est, aut nihil certi de materia calicis habemus.

SANCTVS Iacobus in sua Liturgia (cuius Liturgiæ mentionem facit Concilium Trullanum canone 32. ante annos nongentos) ita habet: *Similiter postquam cœnauit, accipiens calicem, & permiscens ex aqua, & vino, & benedicens dedit, &c.* Sanctus Clemens lib. 8. constit. Apostol. cap. 17. refert Dominum in cœna vinum aqua miscuisse, antequam illud consecraret. Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 57. *Dominus*, inquit, *temperamentum calicis sui sanguinem confirmauit.* Sanctus Cyprianus lib. 2. epist. 3. *Admonitos*, inquit, *nos scias, vt in calice Domini offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis prior fecit vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.* Sanctus Basilius in sua Liturgia dicit Christum acceptũ calicem miscuisse: & postea dixisse: *Hic est calix, &c.* Theodoretus Dialog. 1. ait Christum suum sanguinem fecisse id, quod in calice commistum erat. Eusebius Emissenus in serm. 5. de Pascha te, qui est de corpore Domini, dicit Christum ipsum exemplo suo nos docuisse, vt calicem ex vino aqua misto consecraremus. Denique Concilium III. Carthaginense, can. 24. (in quo etiam Augustinus interfuit) sic ait: *Vt in sacramento corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mistum.* Hæc testimonia certum argumentum faciunt, tum quia grauissimorum, & antiquissimorum auctorum sunt, tum quia nullus Patrum contrarium scripsit.

QVOD autem Kemnitius ait de cõsuetudine Orientalium, non multùm facit ad rem. Nam si illa esset potissima caussa, cur Dominus calicem miscuisset, certè Patres variorum locorum nunquam tanto consensu, & absolutè dixissent, miscendam vino aquam in calice.

HABEMVS autem testimonia Patrum omnium regionum. Ac primùm ex Syria habemus testimonia citata sancti Iacobi & Theodoreti: vterque enim in Syria Episcopus fuit. Et præterea ex recentioribus idem docet Samona Episcopus Gazæ in disputatione cum Achmet Saraceno, quæ exstat in 4. tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum.

Ex Italia habemus Iustinum Martyrem: is enim Romæ Scripsit Apologias suas, & de Romanæ Ecclesiæ

consuetudine loquitur in secunda Apologia prope finem, cùm dicit offerri poculum vino & aqua temperatum. Habemus item Alexandrũ I. in epistola prima, vbi omninò iubet, vt nec vinum solùm, nec sola aqua, sed vtrumque simul offeratur. Habemus quoque Iulium I. apud Gratianum de consecratione, distinctione secunda. Habemus præterea Ambrosium, qui in ea parte Italiæ scripsit, vbi certè vina non sunt adeò fortia, & tamen libro 4. de Sacramentis, cap. 4, & lib. 5. cap. 1. vinum & aquam in calice ponenda esse affirmat.

Ex Africa habemus loca citata S. Cypriani, & Concilij Carthaginensis: potest addi testimonium Augustini tract. 120. in Ioannem.

Ex Gallia habemus sanctum Irenæum Episcopum Lugdunensem, qui lib. 5. cap. 1. *Quando*, inquit, *mistus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Domini.* Eusebius quoque Emissenus, cuius locum ante citauimus, in Gallia scripsit: fuit enim is auctor, vt aliàs diximus, Abbas Monasterij Lirinensis. Adde etiam Bernardum epistola. 69.

Ex Hispania habemus S. Isidorum lib. 1. de officijs diuinis, cap. 18, vbi satis copiosè de hac re agit.

Ex Lusitania habemus Concilium Bracarẽse III. can. 1. vbi idem habetur.

Ex Anglia habemus Bedam in comment. c. 14. Matæi, in illa verba: *Hic est calix sanguinis mei.* Item Anselmum Episcopum Cantuariensem in cap. 26. Matthæi, vbi ipsa Bedæ verba transcripsit.

Ex Germania habemus Amalarium Treuirensem lib. 3. de officijs Ecclesiasticis, cap. 19. Rabanum libro 1. de Institutione Clericorum, cap. 31, Item Triburiense Concilium ante annos DCC. in media Germania celebratũ, nimirum propè Maguntiam, can. 19. asserit à Papa Alexandro I. traditum, quod & ipse à Patribus suis, id est, ab Apostolis acceperat, vt in calice vinum & aqua misceretur, & postea Concilium ita subiungit: *Cuius rei veritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus ne vllus sine commistione vini, & aquæ mysteria sacra perficiat.*

Denique ex Græcia habemus præter Basilium suprà citatum testimonium Gregorij Nysseni in sermone Catechetico, cap. 37. Ioannis Chrysostomi in sua Liturgia. Item Procli Episcopi Constantinopolitani, qui paulò iunior Chrysostomo fuit, in tractatu de traditione diuinæ Liturgiæ. Item Synodi Trullanæ, can. 32. & in capitulis Græcarum Synodorum à Martino Bracarensi collectis, cap. 55. & præterea sancti Ioannis Damasceni libro 4. de fide, cap. 14. Theophylacti in cap. 19. Ioannis, vbi reprehendit Armenos hunc morem non seruantes: & sancti Germani Episcopi Constantinopolitani in theorica rerum Ecclesiasticarum. Floruit autem sanctus Germanus eodem tempore, quo Damascenus circa annum Domini DCC. Præterea exstant testimonia etiam recentiorum Græcorum, vt Nicolai Methonensis Episcopi in libro siue oratione de Eucharistiæ, Nicolai Cabasilæ, in libro de sacrificio altaris, cap. 8. Marci Ephesij in libro de verbis consecrationis, Nicephori libro 18. hist. cap. 53. Ex quibus testimonijs apparet, falsò imponi Græcis hunc errorem, quòd solo vino vtantur in sacrificio altaris.

Adde, quòd Concilium Florentinum, in quo Græci, & Latini aderant, in instructione Armenorum, iubet Armenis, vt deinceps in calice vinum aqua temperent, quoniam omnes aliæ Ecclesiæ Latinorum & Græcorum ita semper fecerunt.

Denique refelli potest Kemnitij vanitas ex rationibus, quas Patres reddunt huius mistionis vini, & aquæ: nullus enim somniauit vnquam, nedum protulit, causam illam, quòd in Oriente vina sint fortia. Rationes igitur, quas Patres adferunt, sex sunt. Prima & potissima, quia Dominus ita fecit. Hanc reddunt plurimi Patres, & Concilia recentiora, Florentinum & Tridentinum.

Secunda ratio est, quia de latere Domini exiuit sanguis, & aqua, Ioannis 19. Nos enim in calice repræsentamus Christi sanguinem, vt effusum, sicut in pane consecrato repræsentamus Christi corpus, vt mortuum. Quare Chrysostomus homilia 24. in priorem ad Corinthios: *Quid est*, inquit, *in calice? quod ex latere fluxit.* Et Augustinus libro 3. de Trinitate, capite 11. dicit, de latere Domini percusso, illum fluxisse liquorem, qui est in calice. Quibus verbis significatur in calice esse verum Domini sanguinem, quoad substantiam, & esse eo modo, quo ex latere fluxit, id est, effusum, quoad repræsentationem. Quia igitur in calice repræsentamus id, quod ex latere fluxit; & quod ex latere fluxit, fuit sanguis, & aqua; ideò non solo vino, sed etiam aqua rem illam repræsentamus. Atque hanc rationem attingunt Alexander Papa, Ambrosius, Chrysostomus, Eusebius, Germanus, Rabanus, & alij.

Tertia ratio est, quia mysterio Eucharistiæ significatur vnio Christi cum Ecclesia: id autem apprimè fit, cùm admiscetur aqua vino. Vinum enim Christum, aquæ populos significant: vt etiam idem significatur ex admistione farinæ cum aqua in pane conficiendo. Hanc rationem habent Cyprianus, Iulius Papa, Eusebius, Isidorus, Rabanus, & Concilia Bracarense & Triburiense citata. Quare ea ratio, licet à Lutheranis rideatur, magnos auctores, & plurimos habet.

Quarta ratio est, quia calix Eucharistiæ non solùm figuratus fuit in Testamento veteri per vinum, quo vtebantur Hebræi in varijs sacrificijs, & in vino, quod cum pane protulit Melchisedech, Genes. 14. sed etiam in aqua, quæ fluxit ex petra, vt B. Paulus docet 1. Corinth. 10. Atque hanc rationem attingunt Ambrosius & Eusebius locis notatis.

Quinta ratio est, quia Eucharistia est cibus, ac potus spiritualis, & proinde dari debuit sub specie cibi & potus corporalis. Porrò corporalis potus maximè conueniens naturæ humanæ, est vinum aqua admistum, vt docet Gregorius Nyssenus in oratione Catechetica apud Euthymium, tit. 21. Panoplix: & ante eum Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi, cap. 2.

Sexta ratio esse potest, quam ponit Nicephorus lib. 18. cap. 53. ad significandam duarum naturarum in Christo coniunctionem.

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

Superest nunc, vt ad nugas Lutheri, & Kemnitij respondeamus. Prima obiectio Lutheri, & Kemnitij loco citato est huiusmodi: *Vini cum aqua permistio pessimam habet significationem. nam Isa. 1. dicitur, Vinum tuum mistum est aqua: quod significat teste Hieronymo in eum locum, Scripturæ, & verbi Dei sinceritatem corruptam fuisse à Pharisæis per admistionem humanarum traditionum.*

Respondeo; In Scripturis vna, & eadem res alio, & alio modo considerata, nunc bonam, nunc malam habet significationem. Leo propter fortitudinẽ Christum significat, Gen. 49. *Catulus Leonis Iuda*, & Apoca. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda.* Idem Leo propter crudelitatem diabolum significat, Psal. 90. *Conculcabis Leonem, & draconem.* 1. Pet. 5. *Tanquam Leo circuit quærens, quem deuoret.* Sic igitur mistio vini cum aqua, si sumatur similitudo ab ijs, qui vinum vendunt, significat fraudem, & corruptionem: decipitur enim qui pro vino mero emit vinũ mistũ aqua. Et de hac re agitur Isa. 1. vbi Hieronymus legit: *Caupones tui miscent vino aquam.* Si autem sumatur similitudo ab ijs, qui bibunt, habet optimam significationem illa mistionem sobrietatem, & temperantiam significat. Vnde Prouerb 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Quoniã igitur in calice vinum miscetur aqua, non ad vendẽdum, sed ad bibendum, optimè fit, & optimam habet significationem.

Secundum argumentũ Lutheri & Kemnitij est cõtra rationẽ illam de sanguine, & aqua, quæ profluxerunt ex latere Christi. *Ea ratio non probat, miscendam aquam in calice. Et tamen adducitur à Catholicis, tanquam vnum ex præcipuis fundamentis: igitur non solidè probant Catholici suam sententiam.* Propositionem probant aduersarij. Primò, quia non fuit aqua illa mista cum sanguine, sed seorsim per se fluxit: nam alioqui quomodo diceret potuisset: non ergo pertinet ad istam mistionem aquæ cum vino. Secundò, illa effusio sanguinis & aquæ significabat duo Sacramenta diuersa, nimirum Baptismum, & Eucharistiam, vt Augustinus tract. 120. in Ioannem, & alij Patres dicunt: non igitur illa aqua ad Eucharistiam pertinet. Tertiò, ex figuris, & mysticis sensibus non sumitur solidum argumentum.

Respondeo; Primaria ratio, & verum, & solidum fundamentum nostræ sententiæ est Christi exemplum, & Ecclesiæ vniuersæ consuetudo: reliquæ rationes adferũtur ad confirmandum, & declarandum id, quod iam credidimus esse faciendum. Sed tamen argumenta aduersariorum nihil concludunt.

Ad primum dico; Licet sanguis & aqua impermista fuerint dum fluerẽt, tamen si in vas aliquod recepta fuissent, non nisi permista in illo vase existerent. Nos autem repræsentamus in calice id totum, quod ex latere fluxit, non autem modum, quo fluxit: & ideò vinum aqua mistum in calice ponimus.

Ad secundum; Aliud est repræsentari, & significari, aliud repræsentare, & significare: hæc enim sunt diuersa, nec se inuicem impediunt. Nos igitur non dicimus, sanguinem & aquam significasse mistionem vini & aquæ in calice; sed è contrario significari, & repræsentari per hanc mistionem calicis, quidquid tandem significauerit illa effusio sanguinis, & aquę. Quare Augustinus, & Theophylactus, qui dicunt, sanguinem & aquam significare duo Sacramenta, iidem affirmant, inde colligi, miscendam esse aquam in calice Eucharistiæ.

Ad tertium dico; Nullam hîc esse figuram, aut mysticum sensum: nam (vt diximus) non attendimus, quid illa significauerint; sed ea nos repræsentamus, quæ reuera facta sunt.

Tertium argumentum eorundem, est contra aliã rationem nostram de vnione Ecclesiæ cum Christo. Nã primò, non commemoramus in Eucharistia vnionem Christi cum Ecclesia, sed passionem Christi tantummodò: ergo fruſtrà quæritur illa significatio. Secundò, non vnimur Christo, nisi post sanguinis eius effusionem, illa enim effusio causa fuit nostræ vnionis: non ergo rectè ante effusionem, immò ante consecrationem sanguinis Domini miscetur aqua vino ad significandam vnionem. Tertiò, solus Christi sanguis nos redemit sine permistione cum nostro: non igitur in calice, in quo Christi passio, & nostra redẽptio repræsentatur, oporteret aquã miscere, ne videamur velle cõiungere nostra opera cum Christi laboribus, quasi illi non suffecissent. Et hoc loco more suo Kemnitius calumniatur Ecclesiam Catholicam, quasi hoc præcipuè intendat in illa mistione aquæ, vt non solus Christus, sed etiam populus Deo Patri sistatur, cùm sacrificium offertur.

Respondeo; Fruſtrà conantur aduersarij eam rationem concutere, quam tot sancti Patres plurimi fecerunt. Ad primam probationem dico, falsum esse non cõmemorari in Sacramento Eucharistiæ vnionem Ecclesię cum Christo: nam Paulus apertè dicit, 1. ad Cor. 10. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus.* Itaque principaliter quidem commemoratur in eo Sacramento Christi passio: sed commemoratur etiam secundariò effectus illius passionis, qui fuit, vt omnes vnum corpus cum Christo efficeremur.

Ad secundam, non ponitur aqua in calice ante consecrationem, vt tunc significet vnionem populi cũ Christo, sed vt significet suo tempore, nimirum facta consecratione. Nam testimonio & consensu aduersariorum, & maximè Lutheri in serm. de Eucharistia, & Kemnitij in secunda parte Examinis Concilij Tridentini, sessione decima tertia, capite quarto, panis consecratus factus est ex multis granis, vt inde significetur vnio fidelium, qui de illo vno pane participant: & tamen panis fit ex multis granis ante consecrationem; & non significat illam vnionem nisi post consecrationem.

Ad tertiam: signa ad placitum, interpretanda sunt iuxta mentem imponentis. Aqua igitur, quæ in calice ponitur, varia significat in variis actionibus. Nam quatenus offertur cum vino ante consecrationem, non significat populum, sed repræsentat aquam illam, quæ ex latere Domini fluxit cum sanguine: quatenus autem aqua vnitur cum vino, & illi incorporatur, significat vnionem populi cum Christo, quæ consecuta est ipsius passionem.

Adde, quòd oblatio præcipua, quæ fit in Missa, non est vini, neque aquæ, neque reipsa, neque in signo (illa enim oblatio panis, & vini cum aqua, quæ fit ante consecrationem, non est propriè sacrificium Missæ, sed tantùm oblatio rei consecrandæ, & proinde præparatio sacrificij) sed est oblatio veri corporis, & veri sanguinis Domini. Id enim offertur, quod reipsa est in calice, nõ autẽ quidquid est ibi significatiuè: reipsa autem non est in calice populus, sed solus Christi sanguis, nõ tamen à corpore separatus, & anima, & diuinitate. Licet igitur aqua significet populum, non tamen offertur, vel ipsa, vel populus Deo Patri in redemptionem nostram, sed sola Christi passio. At vt intelligant aduersarij, se hinc causa reiicere aquam ex Sacramento; cogitent eandem rationem esse de pane misto ex aquã, & farina, quæ est de calice misto ex aqua, & vino. Nam Cyprianus, cuius est ista ratio libro secundo, epistola tertia dicit, idem significari per farinam, & aquam in pane, quod per vinum & aquam in calice. Si igitur aquam reiiciunt ex calice, ne populus cũ Christo offerri Deo Patri videatur: reiiciat etiam aquam ex pane, ne idem incommodum consequatur. Vel si apud eos nulla fit oblatio, nullum sacrificium, sed sola communio corporis, & sanguinis Domini, non timeant illud incommodum significationis, quod nullum est; vbi nulla oblatio est.

Præter hæc argumenta Kemnitius sex obiectiones alias profert contra Concilium Tridentinum in materia mistionis aquæ cum vino, quæ non tam Concilium premunt, quàm ipsum Kemnitium. Primò, accusat Concilium, quòd tam acriter pugnet pro aqua in calice, cùm interim totum calicem contra Dei mandatum populo abstulerit. Sed de hac re infrà disputandum erit: interea id solum obseruamus, defuisse aduersario, quod de re proposita diceret, & idcirco ad alia digressionem fecisse.

Secundò, accusat Concilium, quod falsò insimulet Lutheranos, quasi asserant, mistionem aquæ pugnare cum Christi institutione. At Concilium non nominat Lutheranos, sed generatim damnat eos, qui id asserunt: non defuisse autem qui id assererent, suprà ostendi ex Nicolao Villagagnonio.

Tertiò, accusat Concilium, quod propter rem indifferentem, qualis est mistio aquæ cum vino, anathematizet eos, qui contrarium sentiunt. At Concilium non anathematizat (vt patet ex canone nono) nisi eos, qui negant eam mistionem fieri debere tanquam pugnantem cum institutione Christi, non est autem res indifferens, sed dogma necessarium, & ad fidem pertinens, quòd

Ecclesia nihil doceat pugnans cum Christi institutione. Deinde, licet ponere aquam in calice, ex se fortasse sit res indifferens, quia sine illa Sacramentum constare posset; tamen posteaquam expresè imperatum est, vel à Deo immediatè, vel per Concilia & Ecclesiam, vt id fiat, non est res indifferens, sed necessaria.

QVARTÒ, accusat Concilium, & totam Ecclesiam, quod istam mistionem aquæ faciant cum opinione falsa, quasi id esset necessarium & præceptum, & sit res libera. At iam diximus, non esse liberum, quod per Ecclesiam expresè præcipitur, Deus enim non reliquit liberum obedire, vel non obedire Ecclesiæ, sed planè iussit, cùm ait Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.*

QVINTÒ, accusat Ecclesiam, quòd existimet non posse esse calicem Domini, nisi aqua addatur, & hanc vocat falsam opinionem necessariò taxandam. At opinio illa, quod attinet ad modum loquendi, sancti Cypriani est libro secundo, epistola tertia. Quod ad rem attinet, non est Ecclesiæ Catholicæ, fortasse etiam nec sancti Cypriani: nam, vt suprà diximus, maior pars Theologorum docet, non esse aquam de necessitate Sacramenti.

VLTIMÒ, accusat Ecclesiam, quòd tribuat mistioni aquæ cum vino id, quod erat tribuendum Communioni, nimirum vnire fideles cum Christo. At Kemnitius nimis crassus fuit, si intelligere non potuit vnionem populi cum Christo fieri per mistionem aquæ cum vino, non reipsa, sed solùm quoad significationem. Sed de his hactenus.

CAPVT XII.

Quibus verbis fiat consecratio Eucharistiæ.

PE forma, quæ est altera caussa Sacramenti Eucharistiæ, quinque sunt controuersiæ, sed ex iis, aliis in locis explicatæ sunt quatuor. Prima controuersia est, vtrũ aliqua verba necessariò requirãtur ad Eucharistiam conficiendam. Secũda, vtrum ea verba debeant esse consecratoria, an concionalia, id est, vtrum dici debeant ad populum instruendum, an potiùs ad materiam consecrandam. Tertia, vtrum certa quædam, & determinata verba esse debeant. Ac tres istæ satis accuratè explicatæ sunt in libro de Sacramentis in genere, cap. 19. 20. & 21. Quarta est, quænam sint illa verba, siue vtrum illa sola verba *Hoc est enim corpus meum, Hic est enim calix, &c.* pertineant ad formam in Sacramento Eucharistiæ. Atque ista sola quæstio hoc loco explicanda est: ex cuius explicatione manebunt etiam aliæ tres explicatæ, vt notum est. Si enim illa sola verba constituant formam Sacramenti, certè sequitur, verba aliqua requiri, quod petebatur in prima quæstione, & verba illa esse consecratoria, non concionalia, quod secunda quæstio postulabat, & verba esse certa, & determinata, de quo erat quæstio tertia. Quinta quæstio esse posset de sensu illorum verborum: sed de hac re fusissimè egimus in primo libro de Eucharistia, vbi singulas voces diligenter excussimus.

EST igitur quæstio hoc loco tractanda, vtrum illa verba: *Hoc est enim corpus meum, &, Hic est enim calix sanguinis, &c.* ad formam Sacramenti huius pertineant. Et quidem Ecclesia Catholica magno consensu docet, illa sola verba ad formam pertinere. Ita enim habemus in Concilio Florentino in instructione Armenorum, & in Catechismo Concilij Tridentini; & idem docent Theologi cum Magistro sententiarum libro quarto, distinctione octaua; & Iureconsulti apud Gratianum distinctione secunda, de consecratione; & super caput, Cùm Marthæ, extrà, de celebratione Missarum. Etsi enim Theologi disputent, nec inter se omninò conueniant, vtrum singulæ voces, quæ habentur in forma consecrationis calicis in Latinis Missalibus, sint de essentia formæ, tamen omnes

A conueniunt, omnes illas voces esse de integritate formæ, ita vt sine peccato nulla earum omitti possit, & consensus in hac re sufficit, vt habeamus aliquid certi in consecratione, & confectione tanti Sacramenti.

HABEMVS autem contra hanc veritatem magnum numerum aduersariorum. Græci recentiores contendũt, non solis istis verbis, sed quibusdam aliis precibus confici Sacramentum. Ita ex professo docent, Marcus episcopus Ephesinus in libro de verbis consecrationis, & Nicolaus Cabasila in explicatione Liturgiæ, capite vicesimo nono & trigesimo, vbi conatur Latinos conuincere ex ipsa etiam Latina Liturgia, qua nos omnes vtimur. Eandem sententiam breuiter indicat Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in Censura ad Augustanam Confessionem, cap. 10.

B HÆRETICI huius temporis nihil adhuc certi statuere potuerunt, cùm inter se valde dissentiant, & in hoc solo conueniant, vt non integrè admittant Ecclesiæ Catholicæ sententiam: referam igitur breuiter opiniones. Prima eorum est, qui verba omninò reiiciunt ab huius Sacramenti confectione: quam sententiam referunt Kẽnitius in secunda parte Examinis Concilij Tridentini, sessione decima tertia, cap. 1. & Ioachimus Vvestphalus in libro qui inscribitur. Recta fides de Cœna. Videtur ea sententia Martinum Bucerum habere auctorem: is enim in caput vicesimum sextum Matthæi, apertè scribit, non esse necessarium, vt recitentur verba, quòd nulla Scriptura id doceat: Dominus enim iussit panem frangere, & manducare, sed non iussit dici super panem: *Hoc est corpus meum.*

C SECVNDA sententia est aliorum, qui verba quidem recitari volunt, sed per modum concionis, seu lectionis ad instruendam fidem, non ad elementum consecrandũ. Ita Caluinus docet libro quarto Institutionum, capite decimo septimo, paragrapho trigesimo nono; Dominus enim non alloquebatur panem, sed Apostolos, cùm ait: *Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum, &c.* Quocirca in formula Sacramentorum ministrandorum præscribit Caluinus lectionem ex capite vndecimo, prioris ad Corinthios, & concionem ministri, & paucas quasdam præfatiunculas. Hanc sententiam Lutherani passim reiiciunt, ac præsertim Kemnitius loco notato, licet eam ex Luthero hausisse Sacramentarij videantur. Lutherus enim in libro de captiuitate Babylonica, capite de Baptismo, apertè scripsit, parùm referre, quibus verbis Sacramentum conficiatur, modò adsit fides accipientis: Sacramenta enim consistere in promissione, quæ non accipitur nisi fide.

D TERTIA est aliorum sententia, qui, quoad modum loquendi, proximè accedunt ad veritatem, tamen reipsa parùm dissentiunt à Caluino, & multùm dissentiunt ab Ecclesia. Hi dicunt, verba certa requiri ad consecrationẽ, quæ non historicè tantùm, siue ad instruendum, sed etiam ad consecrandum adhibeantur. Hæc est Kemnitij sententia loco citato, quæ in quatuor, vt ipse eam exponit, differt à sententia Catholicorum. Primò existimat ipse, ad essentiam formæ pertinere omnia verba, quæ Dominus in institutione loquutus est, nimirum: *Accipite, & mãducate, &c.* & inde Catholicos reprehendit, quòd formam consecrationis valde mutilauerint. In quo tamen, vel fallitur, vel mentitur; nos enim in Missa etiam illa verba dicimus: *Accipite, & manducate, &c.* licet ea distinguamus à verbis, quæ sunt de essentia formæ. Quare non mutilamus verba Domini, sed tantùm indicamus, quæ in eis verbis ad essentiam formæ pertineant.

SECVNDÒ dicit, sola Christi verba debere pronunciari: ex quo arguit Catholicos, quòd quædam addiderint, vt ex canone Missæ perspicuum est. Sed in hoc etiam fallitur, aut mentitur. Nam verba omnia quæ dicimus, Christi sunt, licet non ex eodem loco habeantur, vt infrà

ostendemus: & præterea verba illa, quæ addũtur, vt, *enim*, in forma consecrationis corporis, &, *mysterium fidei*, in forma consecrationis sanguinis, non puramus ad essentiam formæ pertinere.

TERTIÒ affirmat, verba consecrationis pronunciari quidem à ministro, sed non pendere vllo modo à personæ ipsius qualitate, vt consecratione, vel intentione. Et hinc distinguit suam sententiam à sententia Catholicorum, quod nimirum ipse dicat, consecrationem fieri à Deo per os ministri; Catholici autem existiment, consecrationem esse opus hominis, & ideò considerent an sacerdos sit consecratus, & an intentionem habeat, &c. Sed in hoc tertio valde Kemnitius apertè fallitur. Catholici enim non negant, consecrationem esse opus Dei per ministrum, sed dicunt Deum non vti ministerio humano in hac re, quomodo vteretur ministerio picæ, aut asinæ Balaam, sed vti ministerio hominis, vt homo est, quomodo vtuntur Principes ministerio legatorum, aut iudicum, & proinde nõ posse quemlibet esse ministrum, sed eum solùm, qui à Deo ad hoc ordinatus est. De qua re disputauimus fusè in libris de Sacramentis in genere.

QVARTÒ dicit, verba Sacramentalia non debere recitari merè historicè, vt nimirum Caluinistæ faciunt, nec etiam ita vt magicum quid sonare videantur, vt videlicet Catholici faciunt, sed ita vt Deo operante efficacia sint ad faciendum, vt panis fit, & dicatur corpus Christi, & vinum fit, & dicatur sanguis, quod ex natura sua illis non conueniebat. Est autem hoc loco diligenter notandum, verba Kemnitij aliud sonare, aliud significare. Nam dedita opera obscurè loquitur, quia facilè non poterat à Caluinismo recedere, quin in sententiam Catholicorum veniret, neque contrà, à sententia Catholica recedere, quin in Caluinismum laberetur. Reuera autem in Caluinismum labitur, licet in modo loquendi ab eo alienissimus videatur.

CVM igitur dicit, ac sæpius repetit, per verba Sacramentalia panem fieri corpus, & vinum fieri sanguinem, non idem affirmat quod similibus verbis Catholici solent. Nam nos Catholici dicimus verba Sacramentalia ex diuina institutione esse vera instrumenta consecrationis, ita vt vim habeant tanquam instrumenta Dei, cõuertendi panem in corpus Domini, & vinum in sanguinem Domini: & hoc illi impiè & blasphemè magiam, & incãtationem vocant: ipse autem vult verba esse efficacia, vt instrumenta Dei, non ad faciendam conuersionem panis in carnem, sed ad significandam præsentiam corporis Christi cum pane. Nam quòd hoc solum tribuat verbis Sacramentalibus, perspicuum est primò, quia ipsi nõ credunt mutari panem in corpus Domini, ergo non tribuũt verbis efficaciam veram mutandi panem in corpus Domini. Secundò, sentiunt ipsi (vt suprà ostendimus) corpus Christi esse vbique, ergo verba non faciunt, vt corpus Christi incipiat esse præsens. Tertiò, Ioan. Brentius, à quo in hac re non dissentit Kemnitius, apertè docet, verba cõsecrationis non facere, sed annunciare solùm præsentiam corporis Christi. Nam in libro contra Henricum Bullingerum, qui inscribitur Recognitio, illo argumento probat oportere Lutheranos credere Vbiquitatem corporis Domini, quia alioqui non possent probare præsentiam corporis Domini, nisi per efficaciam consecrationis Papisticę, atque ita cogerentur fateri, verba Domini non solùm annunciare præsentiam corporis Domini, sed etiam facere. Quartò, si Kemnitius veram efficaciam mutandi substantiam panis tribueret verbis Sacramentalibus, sine dubio non obiiceret nobis magicam incantationem, nisi etiam sibi eã communẽ esse vellet. Quintò denique, ipse ibidem Kemnitius cùm explicat quomodo per verba illa panis fiat corpus Christi, nihil aliud dicit, nisi nos certos reddi per ea verba, distribui in Cœna Domini verum corpus, & sanguinem Christi: ergo ex eius sententia per

A verba panis fit corpus, quia significatur, & annunciatur præsentia corporis Domini, vt alij clariùs dixerunt.

HINC habemus, Kemnitium verbis quidem admittere verba Domini esse consecratoria, reipsa autem non agnoscere vllam veram cõsecrationem, sed solam instructionem fidei; quę sententia refutata est in libris de Sacramentis in genere. Nos igitur hoc loco probare conabimur, contra Græcos, & alios siue schismaticos, siue hæreticos, verba Domini: *Hoc est enim corpus meum, & Hic est enim calix sanguinis, &c.* & necessariò requiri, & sola sufficere ad Sacramentum Eucharistiæ cõficiendum: proinde reliqua, quæ in Liturgiæ actione pronunciantur, siue sint lectiones, siue preces, vtiliter quidẽ adhiberi ad præparandos animos ad tam magnum mysterium, non tamẽ in eis vim vllam inesse ad Sacramentum conficiendum.

CAPVT XIII.

B *Solis Domini verbis fieri consecrationem.*

PRIMVM igitur id probatur exemplo Domini, & Apostolorum. Nam vt Euãgelistæ referunt Matt. c. 26. Marcus 14. & Lucas 22. & Paulus 1. Cor. 11. Dominus cùm Sacramentũ hoc instituit, & primus confecit, non solùm non iussit legi epistolam ad Corinthios, quæ nondum exstabat, sed nec vllam aliam lectionẽ, neque vllam habuit concionem. Pari ratione Apostoli antequã scriberentur Euangelia & epistolæ, nihil legebant, nisi fortè Psalmos, vel, vt sanctus Gregorius scribit lib. 7. epist. 63. solam orationem Dominicam ad consecrationẽ addebant. Neque beatus Paulus 1. Cor. 11. iuber, vt illud caput aut aliud eiusmodi deinceps legatur. Præterea Dominus verba illa: *Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis*, non historicè recitauit, sed significatiuè, vt notum est. Caluinistæ igitur, qui illa verba historicè recitant, & tanquam ad essentiam Sacramenti, lectionem & concionem adhibent, non sequuntur Domini institutionem, sed capitis sui somnia, & figmenta.

C EX eodem Domini exemplo, & Græci refelli possunt. Dominus enim nec dici iussit illas preces: *Fiat hic panis corpus Christi, & hoc vinum sanguis Christi*; sine quibus non existimant ipsi Sacramentum ritè confici posse. Nã si ea Dominus dixisset, aut dici iussisset, id haberemus in Scriptura, vel in traditione. In Scriptura non habemus, solùm enim Euangelistæ referunt, Dominum egisse gratias Patri, & panem benedixisse, ac dixisse: *Accipite, mãducate, Hoc est corpus meum, &c.* quibus verbis Dominus gratias egerit, non cõstat. Nec possunt Græci illa sua verba: *Fiat hic panis corpus Christi tui, &c.* includere in illis verbis Euangelij: *Gratias agens.* non enim ista verba sunt gratiarum actionis, sed petitionis cuiusdam. Benedictio autem, aut illis verbis facta est: *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*: vt Catechismus Romanus, & Theologi communiùs docent, aut certè in Euangelio non habetur, quibus verbis Dominus benedixerit: nullus etiam veterum tradidit Dominum vsum fuisse illis verbis: *Fiat hic panis corpus Christi, &c.* Ergo neque ex Scriptura, neq; ex traditione probari potest, Græcos id facere quod Dominus fecit, aut fieri iussit.

D NEQVE obstat, quòd in Liturgia sancti Iacobi, & aliorum Patrum habeantur illa verba: *Fiat hic panis corpus Christi tui.* Nam non omnia, quæ in Liturgia habentur, deprompta sunt ex Domini exemplo, aut præcepto: constat enim multa esse addita ab aliis. Itaque probare deberent Græci aliquo testimonio, quod tamen non possunt, verba illa ex Domini verbis aut factis manasse.

IAM verò ex eodem loco probemus, formam Latinę Catholicæ Ecclesiæ ex Christi exemplo, & præcepto rectissimè defendi. Ac primùm, quod Dominus dixerit ea verba, quę nos dicimus, dum Eucharistiam consecramus,

Euangelistæ,& Paulus Apostolus, disertis verbis testantur.Sed probandum est,quod Dominus illis verbis consecrauerit, & quòd iusserit ea à nobis dici, & tandem, quòd illis verbis à nobis prolatis continuò fiat consecratio.

QVOD attinet ad Christi exemplum,sententia communis non solùm Theologorum recentiorum, sed etiam veterũ Patrum est, Christum consecrasse illis verbis:*Hoc est enim corpus meum, Hic est sanguis meus.* Ita enim docent Tertullianus,Cyprianus,Chrysostomus,Ambrosius, & alij; quæ Patrum testimonia paulò infrà adferemus. Præterea sunt vrgentissimæ rationes.Nam si Dominus alio modo consecrasset,alio nos consecrare vellet,non dixisset:*Hoc facite.* Deinde sacerdos in persona Christi cõsecrat,& ideò non dicit.Hoc est corpus Christi,sed : *Hoc est corpus meum.*& nihil est aliud nostra cõsecratio,quàm repetitio illius primæ,quæ à Christo facta est, vt Chrysostomus scribit homilia octuagesima tertia in Matthæũ. At quomodo in persona Christi id facimus, & quomodo ista est illius primæ repetitio, si Christus sola voluntate, nos verbis consecramus ? Denique conueniunt omnes, Dominum instituisse Sacramentum Eucharistiæ, cùm ipse primus Eucharistiam cõsecrauit: ergo oportuit eum non solùm consecrare, sed etiam consecrare ritu Sacramentali, & illo ipso ritu, quo deinceps nos vti debebamus. At consecrare sola voluntate, non est consecrare ritu Sacramentali,sed est miraculo quodam extraordinario effectum producere Sacramentalis consecrationis, sine Sacramentali consecratione , quemadmodum cùm idem Dominus,Magdalenam absoluit sola potestate,non censetur Sacramentum instituisse, quia id non fecit ritu Sacramentali.

QVOD illa verba ex Domini præcepto à nobis dici debeant, quidquid dicat Bucerus, paret ex illis verbis: *Hoc facite*, illud enim iubet, vt totam actionem Christi imitemur.Christus autem non benedixit,& fregit panem sine vlla prolatione verborum,sed dicendo : *Hoc est corpus meum.*Neque obstat,quod non dixerit, pronunciate hæc verba:satis enim est, quòd iusserit nos imitari ipsius actionem,præsertim cùm accedat vniuersæ Ecclesię perpetua cõsuetudo, quæ nunquam ista verba frequentasset in actione Missæ,nisi intellexisset hoc esse à Domino præceptum. Et est simile de Baptismo. Nam nusquam dixit Dominus,Baptizate dicentes,Ego te baptizo in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti,& tamen non solùm Ecclesia , sed etiam Lutherani , & Caluinistæ vtuntur istis verbis in Baptismo , ac sentiunt ita Dominum præcepisse.

QVOD autem post illa verba recitata, statim adsit corpus Domini, & sanguis, & proinde vt illorum fiat consecratio, probatur:quia alioqui verba essent falsa , si differretur præsentia corporis Domini,vsque ad aliorum verborum recitationem, vt Græci volunt;non enim Dominus dixit,Hoc erit,sed,*Hoc est corpus meum.* Vnde etiam suprà in disputatione de transubstantiatione ostendimus , illa verba Domini non posse defendi vt vera , nisi per illa fiat transmutatio panis & vini , in corpus & sanguinem Domini. Idem patet ex consuetudine Ecclesiæ, quæ est, vt mox prolatis illis verbis Domini, Eucharistia demonstretur populo,& adoretur:quod certè nullo modo fieri deberet,si nondum esset facta consecratio. Adde vltimò,morem esse Græcorum , vt Bessarion Cardinalis Græcus refert,in libro de verbis consecrationis,vt verba Domini,*Hoc est corpus meum,*&,*Hic est sanguis*, *&c.* alta voce proferantur,& populus ad vtraque respondeat, *Amen.* Et rursus,vt verbis illis prolatis continuò à Diacono demõstrentur populo oblata:qui duo ritus apertè declarant,etiam apud Græcos consecrari panem,& vinum per solà verba Dominica,licet contrariũ sentiant aliqui ipsorũ Doctores.Nam, *Amen*, est particula confirmantis : quomodo autem Græci populum docent,vt respondeat *Amẽ* ad illa verba:*Hoc est corpus meum* ; si non verè est corpus Domini,sed merus panis,dum dicitur,*Amen*:& cur,quæso , Diaconus ostendit oblata post illa verba immediatè, si reuera nondum facta est transmutatio ?

SECVNDÒ, probatur hæc veritas ex traditione Ecclesiæ,& Patrum.Ac primùm contra Lutheranos,& Caluinistas,quòd verba consecrationis Eucharistiæ dicantur ad panem benedicendum,& mutandum, non ad populũ instruẽdum, perspicuum est ex omnibus Liturgiis etiam antiquissimis, vt Clementis , Iacobi, Basilij, Chrysostomi,Ambrosij,& Romana,quæ sancti Petri esse censetur, & omnibus omninò,quæ vsquam extant. Nam in omnibus verba Domini:*Hoc est corpus meum*,&,*Hic est sanguis*, recitantur seorsim,& non solùm in lectione epistolæ ad Corinthios, vt Caluinistæ faciunt:& recitantur certo ritu,& admistis precibus antè,& pòst,vt planè appareat fieri Sacramentum , non concionem. Quare ritus Cœnæ Caluinistarum non solùm est nouus, sed planè inauditus in antiqua Ecclesia.

DEINDE, sancti Patres dicunt corpus Domini fieri mystica prece,aut inuocatione diuini nominis, aut solenni benedictione,aut gratiarum actione, aut certa consecratione;quæ omnia euidenter ostendunt,verba illa non dici ad instruendum populum , sed ad panem ipsum sacrandum.Iustinus Apologia 2.dicit, prece fieri Eucharistiam.Augustinus lib.3.de Trinit.c.4. dicit, mystica prece.Idem Cyprianus lib.1.epist.vlt.Cyrillus catechesi 3.& 4.mystagogica,& Eusebius Emissenus ser. 5. de Paschate dicunt inuocatione summi nominis fieri Eucharistiã. Cyrillus Alexandrinus libro vndecimo in Ioan. cap.24. & alij passim, dicunt benedictione fieri:immò ipse Apostolus 1. Corinth.10. *Calix benedictionis,cui benedicimus.* Irenæus lib.4.cap.57.*Quomodo*, inquit, *constabit eis, cum panem,in quo gratiæ actæ sunt,esse corpus Domini suũ &c.* vbi vides gratiarum actione fieri corpus Domini. Denique Augustinus lib.20. contra Faustum , cap. 13. *Panis noster*,inquit,*& calix certa consecratione mysticus fit nobis,non nascitur:& quod non ita fit,alimentum est refectionis , non Sacramentum religionis.* Quare si ab Augustino quis quæreret , quid de Cœna Caluini sentiret , responderet,alimentum esse refectionis,non Sacramentum religionis.

ATQVE hæc pauca contra Lutheranos sufficiant. nunc cõtra Græcos adferamus testimonia Patrum Græcorum,& Latinorum. Iustinus in 2. Apologia prope finẽ dicit, panem fieri corpus Domini per preces verbi Dei. Quæ sint autem illæ preces,ipse paulò pòst exponit, cum dicit,haberi in Euangeliis,& esse illa verba , quæ Dominus dixit:*Hoc est corpus meum , Hic est sanguis meus.* Irenæus lib.5.c.1.dicit,mixtum calicem,& panem percipere verbum Dei,& tunc fieri Eucharistiam. Non est autem aliud verbum Dei in consecratione Eucharistiæ, nisi:*Hoc est corpus*,*&c.*nam illa verba,quæ Græci addunt, nõ sunt verba Dei,sed preces ab hominibus excogitatæ.

TERTVLLIANVS lib.4. in Marcionẽ disertis verbis ait,Christum acceptum panem corpus suum fecisse, dicendo:*Hoc est corpus meum.* Cyprianus non minùs perspicuè in sermone de Cœna Domini, & Christum his verbis cõsecrasse,& nos iisdẽ consecrare debere affirmat: *Hoc est*,inquit,*corpus meũ.Manducauerant, & biberant de eodem pane,secundum formam visibilem:sed ante verba illa, cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat,& vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo à Domino dictum est,Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea,& hic est sanguis meus:quotiescunque his verbis,& hac fide actum est,panis iste substantialis,& calix benedictione solenni sacratus,ad totius hominis vitam,salutémque proficit,simul medicamentũ,& holocaustũ ad sanandas infirmitates,& purgandas iniquitates existẽs.* Hæc ille.

GREGORIVS Nyssenus in oratione Catechetica apud Euthymium in panoplia titulo 21.*Panis*, inquit, *statim per verbum in corpus mutatur , vt dictum est à verbo, Hoc est corpus meum.* Et suprà dixerat,panem verbo Dei sanctificatum,mutari in corpus Domini : non est autem verbum Dei,oratio illa Græcorum. Ambrosius lib.4.de Sacramentis,c.4.*Cùm*,inquit,*venitur,vt conficiatur venerabile Sacramentum,iam non suis sermonibus sacerdos , sed vtitur sermonibus Christi.* Et c.5. explicat quæ sint verba Domini,quibus hoc Sacramentum conficitur, & recitat illa:*Hoc est corpus meum,&c.* & in lib.de initiandis mysteriis,c.9.*Ipse clamat Dominus Iesus,Hoc est corpus meum, ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur,post consecrationem,corpus Christi est.*

CHRYSOSTOMVS hom.2.in 2.ad Timoth.*Quemadmodum*, inquit, *verba quæ loquutus est Christus,eadem sunt,quæ sacerdotes nunc quoque pronunciant,ita & oblatio eadem est:eadem quoque Baptismi ratio est.* Hæc ille. Vbi illud est obseruandum Chrysostomum probare voluisse , nihil minus habere Eucharistiam quæ conficitur à malo sacerdote, ab ea,quæ conficitur à bono, etiamsi ille sit B. Petrus,aut Christus ipse.Id autem probat, quia semper Eucharistia efficitur virtute eorundem Christi verborum:certum autem est Christum non dixisse verba illa,quibus Græci vtuntur:*Fiat hic panis corpus Christi tui,&c.* Quare ex sententia Chrysostomi falsa est Græcorum recentiorum sententia. Idem Chrysostomus in serm.de proditione Iudæ,tomo 3.operum ipsius.*Hoc est*, ait,*corpus meum.Hoc verbo proposita consecrantur.Et sicut illa vox,quę dixit,Crescite,& multiplicamini,& replete terram,semel quidem dicta est,sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura:ita & vox illa semel dicta est,sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernam diem & vsque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.*

AD hunc locum respondere conati sunt Nicolaus Cabasilas, & post eum Marcus Ephesinus. Dicunt autem sententiam Chrysostomi esse, verbo Domini consecrari panem, sed cooperante prece sacerdotis : sicut etiam illis verbis.*Crescite,& multiplicamini*,producuntur animantia sed non sine cooperatione naturalium causarum.

HANC solutionem multis verbis refellit Bessarion in suo libro de verbis consecrationis. Summa est, discrimẽ inter illa verba:*Crescite,& multiplicamini*:& ista : *Hoc est corpus meum*,ex ipso Chrysostomo sumi debere. Ipse enim dicit,illa verba:*Crescite,& multiplicamini*,esse efficacia operante natura , quia nimirum Deus per illa verba nihil immediatè produxit,sed tantùm tribuit naturæ fœcunditatem, & instituit, vt quandocunque tales causæ existerent,talis etiam sequeretur effectus : quare non est mirum.Ista autem verba : *Hoc est corpus meum* , non dicit Chrysostomus,esse efficacia operante humana prece,sed simpliciter dicit,Christum per illa operari. Sicut enim in prima Cœnæ Institutione,Christus per illa verba sua sine vllius humanæ precis cooperatione corpus suum ex pane fecit:ita etiam nunc per illa eadem verba idem opus facit.Sed de Chrysostomo hactenus.

AVGVSTINVS serm.28. de verbis Domini : *Dixi vobis,quod ante verba Christi,quod offertur in altari, panis dicitur:vbi verba Christi deprompta fuerint, iam non panis dicitur,sed corpus appellatur.* Et apud Gratianum de consecratione dist.2.canone Vtrum,dicit Augustinus eãdem esse Eucharistiam à bono,& malo consecratam, quia nõ merito precantis,sed verbo efficitur Creatoris. Eusebius Emissenus serm.5.de Paschate: *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis,& sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit,ita dicens:Accipite, & edite,hoc est corpus meum:& sanctificatione repetita , Accipite,& bibite,Hic est sanguis meus.* Hesychius lib. 6.in Leuit.c.12.Per eius virtutem,& prolatum ab eo verbũ,quę videntur,tam sanctificata sunt,quàm cũctum carnis sensum excedunt.Ioannes Damascenus lib.4.ca.14. de fide: *Dixit*,inquit, *Dominus, Hoc est corpus meum,&,hoc facite in meam commemorationem : & omnipotenti eius præcepto efficitur donec veniat.* Paschasius lib.de corpore Domini, cap 12.*Virtute Spiritus sancti per verbum Christi,fit sanguis Domini.*

DENIQVE idem habent Alcuinus in lib. de diuinis officiis,cap.de Missa;Amalarius lib.3.de officiis Ecclesiasticis,cap.24.Adelmannus in epist.ad Berengarium,& omnes Latini scriptores posteriores.

ATQVE hæc quidem sunt testimonia contra Græcos,quibus addi possunt rationes. Prima est huiusmodi. Eadem ratio est Baptismi, & Eucharistiæ,vt Chrysostomus docet in 2.hom,in 2.epist.ad Timoth.& Augustinus apud Gratianum dist.2.de cõsecrat.can.Vtrum. At in Baptismo id,quod Sacramentum facit, non sunt humanæ preces quæ præcedunt, vel sequuntur infusionem aquæ, sed illa verba Domini:*Baptizo te,in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti*, siue vt Græci dicunt:*Baptizetur talis,in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti*,quæ dicuntur dum infunditur aqua,vt omnes fatentur,& inde manifestè colligitur,quia si quis solis illis verbis baptizetur: *Ego te baptizo*,*&c.* nulla adiuncta prece , censetur ab omnibus baptizatus, nec vel ab ipsis Græcis rebapizaretur.Ergo in Eucharistia id,quod Sacramentum facit,non sunt preces humanæ,sed verbum Domini: *Hoc est corpus meum,hic est sanguis* , *&c.* alioqui vnum Sacramentum verbo Domini conficeretur,aliud autem verbis hominũ.

SECVNDA ratio est.Sacramenti confectio debet esse certissima, siue à bono,siue à malo ministro fiat; ergo nõ debet pendere ab humana prece , nisi constet de pacto absoluto,& promissione facta eiusmodi precibus à Deo. Nam sine eiusmodi pacto preces humanæ non necessariò sunt impetratoriæ, præsertim si à malo ministro fiant: non autem constat tale aliquod pactum factum esse à Deo de exaudienda oratione illa Græcorum.

NEQVE valet responsio Cabasilæ , qui dicit,Sacramẽtalium precum effectum esse certissimum, quia Deus promisit se exauditurum , & ponit exemplum de extrema vnctione,quæ est Sacramentum,& tamen eius forma sunt preces sacerdotis. Hoc, inquam, non valet,nam in extrema Vnctione habemus promissionẽ Dei expressam in sacris literis Iacobi vlt. & eodem modo sentiendum est de aliis formis Sacramentorum,siue habeant formam precum,siue non,modò constet ex verbo Dei,aut ex testimonio Ecclesiæ, talia verba esse formam Sacramenti. Græci autem non possunt extendere ex verbo Dei,neque vllo testimonio Ecclesiæ, illas suas preces esse formam Sacramenti,aut illis annexam esse diuinam promissionẽ. Et confirmatur ex doctrina S.Augustini.Nam lib.6.contra Donatistas,c.25.cùm obiecissent quidam,precibus hæreticorum non posse aquam sanctificari , & ideò Baptismum ab hæreticis datum non esse ratum : respondit Augustinus , quidquid sit de precibus illis , quæ simul cum verbis Euangelicis in Baptismo dici solent,Deum adesse verbis Euangelicis,quibus iusserit Baptismum dari,& ideò si illa verba rectè pronuncientur, Baptismum ratum esse: etiamsi preces adiunctæ non solùm ab hæretico dicãtur, sed etiam fortasse hæreticæ sint , quia nimirum promissio diuina alligata est verbis Euangelicis , non humanis precibus.

TERTIA ratio est. Quia fatentur Græci , Christum consecrasse Eucharistiam verbis illis:*Hoc est corpus meum*, sine aliis precibus:id enim præter antiquos , quorum testimonia citauimus,ipe etiam Cabasilas fatetur in explicatione Liturgiæ, c.30. & Latini etiam ferè omnes. Tametsi enim Innocentius III.lib.4.de mysteriis Missæ,ca. 6.opinatus sit Christum nullis verbis consecrasse : id tamen communiter refelli solet,& ipse idem Innocentius in epistolis decretalibus cap. Cùm Marthæ, de celebra-

tione Missarum, admittit, Dominum consecrasse illis verbis, quæ in Euangelio habetur. At profectò videtur euidenter sequi, etiam nos solis illis verbis consecrare, nam Dominus ait: *Hoc facite*, nimirum quod ego feci.

QVARTA ratio. Omnium consensu, sacerdos consecrat in persona Christi, siue quod idem est, Christus consecrat per os sacerdotis: vt sæpe Chrysostomus dicit, & habetur etiam in Concilio Florentino in instructione Armenorum. At illa sola verba: *Hoc est corpus meum, &c.* dicuntur à Christo per os sacerdotis: illa enim alia: *Fac panem istum preciosum corpus Christi tui*, non dicuntur in persona Christi, sed planè in persona ministri, vt minister est à Christo distinctus, vt patet. Consecratio igitur non fit aliis verbis, quàm illis, quæ à Christo initiò prolata sunt.

QVINTA ratio. Si esset vera Græcorum sententia, simul fierent corpus & sanguis Domini; nam ipsi vna oratione vtramque speciem consecrant: At Dominus seorsim, & diuersis verbis consecrauit, primò corpus, deinde sanguinem, vt ex Euangeliis apertissimè constat.

CAPVT XIV.

Soluuntur obiectiones Græcorum & Lutheranorum contra formam consecrationis Eucharistiæ.

NVNC ad argumenta ipsorum veniamus. Ac primùm Græci argumentum petunt ex Liturgia S. Clementis, quæ habetur lib. 8. constitut. Apostol. c. 12. aliàs 17. S. Iacobi, S. Basilij, & S. Chrysostomi, in qua post verba Domini recitata: *Accipite, manducate, Hoc est corpus meum, &c.* habetur illa oratio: *Fac Domine panem istum corpus Christi tui, &c.* non enim panem appellarẽt sancti isti Patres, neque peterent mutari in corpus Domini, si id iam esset factum per verba Domini antea recitata.

RESPONDEO, tres solutiones dari possunt ad hæc loca. Prima est, fortasse mutatum esse ordinem istarum Liturgiarum, & hanc orationem: *Fac panem istum, &c.* debere collocari ante verba Domini, non post ea. Ita sensisse aliquos testatur Bessarion in suo libro de verbis consecrationis: & coniectura non leuis esse potest huius mutationis, quòd in Liturgia Romana habeatur similis oratio ante verba Domini. Sic enim nos dicimus: *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris, vt nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui pridie quàm pateretur, &c.* quo ordine ista omnia recitat etiam Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, c. 5. Non est autem verisimile, Ambrosium & Basilium, qui coætanei fuerunt, tam diuerso ordine Liturgiam celebrare consueuisse.

SECVNDA solutio est, quam attingit Bessarion loco citato, oratione illa Græcorum non peti, vt verba sonare videntur, mutationem panis in corpus Domini, quippe quæ iam facta est, sed peti cõfirmationem, & stabilitatem rei iam factæ, non quòd sacerdos timeat, ne euanescat munus iam consecratum, sed vt ostendat desiderium suũ, & amorem erga præsentiam Dominici corporis. Similis loquutio est Marc. 5. vbi mulieri, quæ sanata iam fuerat per contactum fimbriæ Domini, Christus ait: *Fides tua te saluam fecit, vade in pace, & esto sana à plaga tua.* Vbi illud: *Esto sana*, non significat, Volo vt saneris, iam enim sana erat: sed idem est, ac si dixisset, Placet quod sanata sis: ratum habeo, quod factum est. Similis loquutio est Luc. 7. vbi primùm dicitur de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, & postea tamen Dominus eidem dicit: *Remittuntur tibi peccata tua*, quasi tunc primùm dimitterentur, cùm tamen antea iam remissa fuissent.

TERTIA solutio, eáque omnium solidissima est, per

A ea verba non peti absolutè, vt panis fiat corpus Domini, sed vt nobis fiat, id est, vt panis ille consecratus, qui reuera iam est in se corpus Domini, fiat per effectum nutritionis spiritualis etiam nobis corpus Domini: *Qui enim indignè manducant*, vt Paulus ait 1. Corinth. 11. *iudicium sibi manducant*. Hanc esse veram intelligentiam illarum precũ, probari potest multis modis. Primò, quia in Liturgia Clementis, & Basilij, non dicitur: *Fac panem istum corpus Christi*, sed *Ostende panem istum corpus Christi, &c.* Neque dubium est, quin Iacobi, & Chrysostomi Liturgiæ, quæ habet (*Fac*) idem significare voluerint: porrò (*Ostende panem esse corpus Domini*) significat, Ostende per effectum salutarem in mentibus nostris, istum panem sanctificatũ, non esse panem vulgarem, sed cœlestem.

B SECVNDÒ idem patet ex similibus precibus, sed clarioribus, quę habentur in Liturgia Latina. Nam ante consecrationem (vt suprà notauimus) dicit: *Fiat nobis corpus, & sanguis*: non autem fiat simpliciter, & post consecrationem iterum petimus idem per illa verba: *Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum, &c.* vbi id solùm petimus, vt sacrificium nobis sit vtile.

TERTIÒ denique idem patet ex confessione multorum Græcorum, qui in vltima sess. Concilij Florentini interrogati à summo Pontifice Eugenio, cur post consecrationem Eucharistiæ dicerent illas preces, quibus videtur peti consecratio, respondérunt se nihil dubitare, quin consecratio fieret per verba Christi, illas autẽ preces addi, vt peteretur à Deo nobis vtilitas ex tanto sacrificio, eo modo, quo Latini idem petunt per illam orationem: *Iube hæc perferri*.

DVAE aliæ solutiones ad idem argumentum sunt apud Bessarionem, sed eæ minùs solidæ esse videntur.

C SECVNDVM argumentum sumunt ex testimonio S. Dionysij Areopagitę, qui in lib. de Ecclesiastica hierarchia, c. 3. post illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, ponit consecrationem Eucharistiæ. At verba Domini: *Hoc est corpus meum*, dicuntur ante illa: *Hoc facite in meam commemorationem*, ergo ex Dionysij testimonio, cõsecratio non fit per verba Domini: *Hoc est corpus meum*.

RESPONDEO: Dionysius non explicat quibus verbis fiat consecratio, neque quid ante illa verba: *Hoc facite*, dictum fuerit, neque etiam quid post illa: quare incertum est, quid sibi Dionysius velit. Probabile autem est, in Liturgia, qua vtebatur Dionysius, bis fuisse illa verba: *Hoc facite*, semel in oratione quadam, qua se excusat Sacerdos, quòd audeat tantum munus aggredi, quia Dominus ipse id iusserit, dicens: *Hoc facite*, & huius orationis meminit eo loco Dionysius, & rursus postea in loco proprio peracta consecratione, vt in omnibus Liturgiis habentur.

TERTIVM argumentum sumunt ex Ioanne Damasceno, qui lib. 4. cap. 14. dicit, Basilium in Liturgia vocare panem Eucharistiæ, antitypa corporis Domini ante consecrationem, non autem post cõsecrationem: & idem habet Epiphanius ille, qui in VII. Synodo, actione 6. tomo 3. disputat pro Catholicis contra Iconomachos. Apud Basilium autem habetur illa vox ἀνάτυπα post verba Domini: *Hoc est corpus meum*, non autem post illam orationem, qua Græci recentiores existimant fieri consecrationem; ergo existimarunt Damascenus, & Epiphanius, consecrationem non fieri per verba Domini, sed per illam orationem, quæ post verba Domini recitatur.

RESPONDEO, aliqui suspicantur rempore Damasceni, & Epiphanij, Liturgiam Græcam aliam ordinem habuisse, quàm modò habeat: & illa verba, vbi panis Eucharistiæ vocatur antitypon corporis Domini, & rogatur Deus, vt illum efficiat corpus Domini, fuisse posita ante recitationem illorum verborum Domini: *Hoc est corpus meum, &c.* & ideò rectè dixisse Damascenum, & Epiphanium, panem vocari à Basilio antitypon ante consecratio-

nem,

nem, non postea. Sed hæc solutio non videtur habere locum. Nam S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui fuit Damasceni, & Epiphanij æqualis, in theoria rerum Ecclesiastic. exponens Liturgiam, quæ suo tempore erat in vsu, apertè indicat habuisse eam Liturgiam illum ipsum ordinem, quem modò habet: quare si mutatio facta est, vt suprà diximus improbabile non esse, certè facta est ante tempora Damasceni.

ALIA igitur solutio dari potest, iuxta ea, quæ diximus in 2. solutione ad primum argumẽtum Græcorum. Nam quemadmodum diximus verba illa: *Fac panem istum corpus Christi tui*, sonare quidem mutationem panis in corpus tanquam futuram: tamen reuera non significare nisi confirmationẽ rei factæ, vt ibi explicuimus; sic etiam dicendum est, vocem (antitypa) ex sententia Damasceni, & Epiphanij vsurpatam esse à Basilio eo loco, quia loquebatur de pane, ac si nondum consecratus esset, licet reuera esset consecratus, & non esset amplius antitypum, sed ipsa veritas. Quòd igitur Damascenus, & Epiphanius dicunt, antitypa vocari ante consecrationem, referendum est ad modum loquendi, non ad ipsam realem consecrationem: nam etiamsi tunc facta esset consecratio, tamen quoad modum loquendi significabatur, vt futura.

QVARTVM argumentum est Nicolai Cabasilæ, qui contendit ex nostra Missa probari posse, consecrationem fieri post verba Domini. Dicit enim illa verba: *Iube hæc per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, &c.* significare, panem transferri per manus Christi, qui est magni consilij Angelus, in sublime altare, id est, vt sit corpus Domini, &c.

RESPONDEMVS, hanc esse depravationem, non expositionem canonis nostri: nullus enim vnquam ita exposuit, sed omnes intelligunt, orari illis precibus, vt sacrificium, quod visibiliter offertur manibus Sacerdotis, offeratur in cœlo inuisibiliter per manus Christi, & sit Deo acceptum ministerium, & deuotio nostra.

QVINTVM argumentum est, Patres passim scribunt Eucharistiam precibus, & inuocatione Dei consecrari, vt patet ex testimoniis citatis contra Lutheranos. Sed illa verba: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis*, non habent formam precum, neque inuocationis; ergo non consecratur illis verbis Eucharistia, sed prece consequente, vt Græci volunt.

RESPONDEO, duplici de caussa Patres consecrationem vocant preces, vel inuocationes, vel etiam gratiarum actionem, aut benedictionem. Vna caussa est, quia per consecrationem interdum accipiunt totam Liturgiã, vel certè totam actionem, quam nos canonem vocamus: & quia in ea actione sunt preces, gratiarum actiones, benedictiones, inuocationes, &c. ideò Patres nunc ab vna parte, nunc ab alia totam actionem denominant. Quando autem indicare volunt, quorum verborum virtute fiat consecratio, tunc separant verba Domini Euangelica ab aliis verbis precum, & inuocationum, quæ adhibentur in Missa, vt patet ex Ambros. lib. 4. de Sacramentis, c. 4. & ex Augustino lib. 6. contra Donatistas, cap. 25. & alibi. Altera caussa est, quia ipsa etiam verba Domini: *Hoc est corpus meum*, vt omnium aliorum Sacramentorum formæ, vt proferuntur à Sacerdote cum intentione Sacramentum faciendi, continent implicitè inuocationem diuinæ virtutis, quæ est caussa primaria effectus Sactamentalis: intendit enim Sacerdos per illa verba vt instrumenta Dei, consecrationem efficere.

SEXTVM argumentum pro Græcis, Possunt verba duobus modis dici, aut narratiuè ac recitatiuè, aut significatiuè. Vt exempli caussa, cùm ex Euangelio recitamus, dixisse Iudæos de Christo: *Hic blasphemat*, illa verba (hic blasphemat) à Iudæis dicebantur significatiuè, id enim significare volebant, Christum esse blasphemum: à nobis autem non dicuntur significatiuè, sed tantùm narratiuè:

A non enim significare volumus, Christum esse blasphemũ, sed Iudæos hoc dixisse. Hac distinctione posita, est hoc argumentum. Verba illa: *Hoc est corpus meum*, vel dicuntur à Sacerdotibus recitatiuè, vel significatiuè. Sed neutro modo possunt esse forma Sacramenti; igitur non sunt ista verba forma Sacramenti. Probatur assumptio. Nam si verba ista dicerentur recitatiuè, Primò, sequeretur per illud: *Hoc*, demonstrari panem qui fuit in manibus Christi, non istum, qui est in manibus Sacerdotis, ac proinde non consecraretur panis, qui consecrandus proponitur in altari. Secundò, sequeretur posse cõsecrari quidquam his verbis. Nam verba consecrant, dum faciunt, quod significant; ista autem nihil significant, cùm dicantur materialiter tantùm, & non significatiuè. Si autem dicerentur significatiuè, Primò illud. *Hoc est corpus meum*, demonstraret corpus Sacerdotis, nõ Christi: ac diceret oporteret; Hoc est corpus Christi. Secundò, omnia verba præcedentia clamant nõ dici significatiuè, sed recitatiuè, cùm legamus: *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus, &c.* Et infrà: *Benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens; Accipite, &c.*

RESPONDEO, verba illa dici vtroque modo, & recitatiuè, & significatiuè, in cuius rei gratiam notanda sunt tria. Primum est, in actione Liturgiæ, Sacerdotem aliquando agere personam suam, aliquãdo personam Christi. Nam quando confitetur peccata sua, quando orat, quando laudat Christum, agit sine dubio personam suã, non Christi: quando dicit, *Hoc est corpus meum*, agit personam Christi. Quare vestes illæ sacræ partim significant Christi passionem, cuius personam Sacerdos agit, partim etiam virtutes Sacerdoti necessarias.

C SECVNDVM est, in hac actione longè aliter Sacerdotem agere personam Christi, quàm in aliis Sacramentis. Nam in aliis agit quidem, vt Christi minister, tamen loquitur in persona sua, vt cùm dicit; Ego te baptizo, ego te absoluo: quomodo etiam in persona sua propria loquitur, cùm sententiam dicit pro Tribunali. At in consecratione Eucharistiæ Sacerdos non solùm agit, vt minister Christi, sed induit omninò Christi personam, & loquitur, ac si ipse esset Christus: quomodo Exod. 3. Angelus dicit: *Ego sum Deus Patris tui*. Et aliquando legati Regum referentes personam Principum suorum, admittunt honores, qui Regibus ipsis debentur.

TERTIVM est, Sacerdotem in actione Liturgiæ, vsque ad illa verba: *Qui pridie quàm pateretur*, agere personam suã, non Christi, vt patet; quia eoúsque orat, vel laudat: ab illis autẽ verbis, vsq; ad finẽ consecrationis, agere personã suam & Christi, & ideò recitatiuè simul, & significatiuè verba pronunciare; inrendit enim recitare, quid Christus egerit, & dixerit, & simul omnia imitari in persona Christi, ac si Christus per ipsius ministerium iterũ omnia faceret, & diceret, sicut reuera inuisibiliter ita fit. Et hinc est, quod cùm dicit: *Accipit panem*, ipse simul accipit panẽ, & cùm ait: *Eleuatis oculis in cœlum*, & ipse eleuat oculos in cœlum, & cùm ait: *Benedixit*, & ipse benedicit, & cùm ait: *Hoc est corpus meũ*, intendit, quod sicut Christus de pane illo, quem olim accepit, dixit: *Hoc est corpus meũ*, & dicendo fecit, vt esset; ita etiã de pane isto, qui nũc accipitur, idẽ Christus per os Sacerdotis dicat: *Hoc est corpus meũ*, & dicendo efficiat. Quare longè alia ratione dicuntur ista verba in Canone Missæ, quàm recitentur ab eodem Sacerdote in epistola beati Pauli in festo corporis Domini, vel in Euangelio in die Palmarum: in Canone enim dicuntur significatiuè; aliàs autem solùm narratiuè, & historicè. Atque hinc soluuntur omnia argumenta: nam priora probabant non dici solùm significatiuè.

SEPTIMVM argumentum est Caluini, loco suprà citato. Dominus cùm ait: *Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum*, non alloquebatur panẽ, sed Apostolos, ergo verba illa non referuntur ad panem consecrandum, sed

ad fidem instruendam. Addit, virtute verborum trãsmutari panem, speciem esse Magicæ incantationis.

SED ad hoc vltimum sæpe iam respondimus. Et sanè intolerabilis blasphemia est vocare Magiam id, quod Christi verbis ex ipsius Christi instituto fieri dicimus: & si hæc Magia esset, multò magis Magia dici deberet, cùm Dominus luto & sputo cæcum sanauit. Sed his omissis, ad primum respondeo, verba Domini dicta esse ad Apostolos, sed de pane, & super panem, & proinde circa panem efficacia fuisse, non circa Apostolos. Simile est Luc. 7. Dominus dixit ad Simonem de Magdalena: *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hæc verba dicuntur ad Simonem, & tamen efficacia fuerunt circa Magdalenam, quæ tunc liberata est à peccatis. Et Ioã. 8. cùm Dominus ait Regulo: *Vade, filius tuus viuit*, verba dicuntur ad Regulum, sed in filium eius, non in ipsum Regulum efficacia fuerunt.

OCTAVVM argumentum Buceri. Nusquam scriptũ est, debere Sacerdotes dicere: *Hoc est corpus meum*, ergo sufficit panem benedicere, & frangere.

RESPONDEO, iam suprà ostendimus, Dominum præcepisse, vt illa verba dicerentur, cùm ait: *Hoc facite.*

NONVM argumentum Kemnitij, & aliorum Lutheranorum. Oportet nihil addere, vel detrahere verbis Domini. At Catholici multa addunt, & detrahunt: nam addiderunt ad verba calicis multa: item detraxerunt: *Accipite, & manducate.* Et: *Quod pro vobis tradetur.*

RESPONDEO, ac dico duo. Primò, verba, quæ simpliciter necessaria sunt ad consecrationẽ, esse illa tantùm: *Hoc est corpus meum.* Et: *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*, reliqua omnia, etsi dici debeant iuxta Canonem ab Ecclesia institutum, & sine peccato omitti non possint, tamen non esse ita necessaria, vt sine illis cõsecratio non possit fieri. Probatur hoc dupliciter. Primò, quia hæc pauca verba sufficienter exprimunt effectum consecrationis. Neque est opus, vt exprimant actionem ministri, vt in aliis Sacramentis fit: nam alia Sacramenta in actione consistunt, hoc autem in re permanente. Secundò, quia hæc habentur in omnibus Liturgiis, & apud Matthæum, Marcum, Lucam, & Paulum, reliqua autem variantur. Nò est autem dubitandum, quin forma Sacramenti huius sufficienter expressa sit à quolibet Euangelista: alioqui enim sequeretur nõ habuisse veram Eucharistiam eos, qui non habuerunt nisi vnum Euangelium.

QVÒD si quis dicat, Euangelistas non voluisse tradere integras formas Sacramentorum, sed solùm historiam breuem passionis Domini, formas autem haberi ex traditione: vrgebimus argumentum ex Liturgiis. Certum enim est in Liturgiis poni integras formas, & simul certũ est verum Sacramentum habuisse eos, qui vtebantur Liturgia, S. Clementis, S. Iacobi, S. Basilij, S. Ambrosij, S. Chrysostomi, & tamen istæ omnes Liturgiæ variant, & nulla est, quæ habeat illa omnia verba, quæ habentur in nostra Romana Liturgia. Nam illa verba: *Noui, & æterni Testamenti.* Et: *Mysterium fidei*, in nulla inueniuntur, præterquam in nostra. Hinc ergo Kemnitio respondemus, si quid additum, aut detractum est in forma Sacramenti, id non pertinere ad essentiam eiusmodi formæ.

SECVNDÒ respondeo, non sine ratione, & exemplo detractum esse, vel additum quidquid in nostra forma additum est, vel detractum. Quod si ostendo, Primò, calumniantur detracta esse illa: *Accipite, & manducate.* Respondeo, illa non esse detracta, nam pronunciantur à nobis: separari autem à partibus formæ essentialis, quia illa verba significant præceptum datum de vsu Sacramenti, non autem pertinent ad panem sanctificandum, quare etiam si absolutè omitterentur, tamen Sacramentum fieret. Simile est in illis verbis, Luc. 7. *Dico tibi, remittuntur ei peccata multa*: in quibus verbis, illud (*Dico tibi*) non facit quidquam ad effectum remissionis peccatorum. Sic etiã Ioan. 8. *Vade, filius tuus viuit*, illud (*Vade*) nihil operabatur in sanitate pueri illius. Adde, quòd Luc. 22. omittuntur illa verba: *Accipite, & manducate.* Et 1. Cor. 11. omittuntur illa: *Accipite, & bibite.* quare etiam si apud nos omninò omitterentur, reprehendi minimè possemus.

SECVNDÒ, calumniantur detracta illa verba ex cõsecratione panis: *Quod pro vobis traditur*, vel, *frangitur.* Respondeo, illa verba non haberi apud Matthæum, & Marcum: nec apud Iustinum Apolog. 2. Cyrillum Catechesi 4. mystag. Eusebium Emissenum hom. 5. de Pascha te, cùm tamen ij omnes referant formam consecrationis. Et sicut hos auctores reprehendere non possumus, ita nec nostram Missam reprehendere vllus deberet: præsertim cùm antiquior sit Liturgia nostra, si à S. Petro prodiit, vt S. Thomas docet, 3. part. q. 78. artic. 2. ad 4. & ante eum, Leo IX. epist. ad Michaëlem, c. 5. quàm Euangelium Lucæ, & epistola Pauli, qui addiderunt illa verba: *Quod pro vobis frangitur.*

TERTIÒ, addita calumniantur illa: *Eleuatis oculis in cœlum ad te Deum, &c.* quæ non habentur in vllo Euangelio, nec apud Paulum. Respondeo, illa verba haberi in Liturgia S. Iacobi, & S. Clementis lib. 8. constitut. c. 17. & apud Ambrosium lib. 4. de Sacramentis, c. 5. omnes enim legunt: *Suspexit in cœlum.* Et præterea, vt argumentatur Innocẽtius III. cap. Cùm Matthæ. de celebrat. Missarum, semper Dominus consueuerat oculos in cœlum tollere, cùm Patri gratias ageret, vt patet Matt. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 11. Quare dubiũ esse non potest, quin etiam in hac vltima gratiarum actione oculos in cœlum leuauerit.

QVARTÒ, calumniantur particulam (*enim*) additam ad formam consecrationis panis, & similiter ea verba: *Ex eo omnes*, cùm dicitur: *Manducate ex eo omnes.* non enim illa habentur in Scripturis. Respondeo, illas omnes particulas haberi in forma calicis, Matt. 26. *Bibite*, inquit, *ex eo omnes, Hic est enim sanguis, &c.* Ex quo intelligimus illas particulas subintelligi in consecratione panis: eadem enim ratio est vtriusque formæ. Quid autem absurdi est, si exprimatur perspicuè id, quod alioqui subintelligendũ esset? Vnde Ambros. etiam lib. 4. de Sacramentis, c. 5. illa omnia exprimit, vt in nostra Liturgia exprimuntur.

QVINTÒ, calumniantur addita illa in forma consecrationis calicis: *Noui, & æterni Testamenti.* Et: *Mysterium fidei*, nam in Euangelio nõ habetur, nisi (*noui Testamenti.*) Respondeo, istas particulas à S. Petro ex traditione haberi, proinde reprehendi non posse: præterea verissimas esse, & ex Scripturis colligi. Nam Testamentum Christi æternum esse ad distinctionem Testamenti veteris, quod fuit temporale, patet ex illo Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*, &. ex Paulo ex professo hoc probante in epist. ad Hebræos, c. 7. Item mysterium fidei rectè vocari calicem sanguinis Domini, dubium esse non potest, cùm nulla in re alia magis, & frequentiùs exercenda sit fides reclamãtibus omnibus sensibus, quàm in hac.

CAPVT XV.

Mendacia Kemnitij de forma Sacramenti Eucharistiæ.

PRÆTER obiectiones notanda sunt etiã aliquot mendacia Kemnitij in hac disputatione de forma consecrationis Eucharistiæ in 2. part. Exam. Tridենt. Concil. sess. 13. cap. 1.

PRIMVM est pagina 336. & 337. Catholicos multùm inter se disputare, quæ sint verba, quibus Eucharistia cõsecranda est: & Concilium Tridentinum noluisse determinare, quæ sint illa verba, cùm à multis id ab eo petitum esset. Sed mendacia esse ista crassissima, patet ex omnibus Missalibus, vbi literis magnis, & sæpe rubeis adscribuntur verba consecrationis, vt nemo illa ignorare possit. Nec vllus id à Concilio petiit, neque Concilium id tractauit, quia sciebat rem esse notissimam, & iam antea sufficienter explicatam in Concilio Florentino.

Non

Non ignoro Scotum in 4. sentent. dist. 8. q. 2. artic. 2. quæstionem mouisse, an solis illis verbis: *Hoc est corpus meum*, consecratio perficiatur. Sed idem Scotus affirmat, illa sola ad formæ essentiam pertinere: neque negat omnia, & sola illa recitanda esse in mysterio Eucharistiæ, quæ in Missalibus præscribuntur.

SECVNDVM est eadem pag. 336. vbi dicit, quosdam Theologos docuisse quatuor tantùm verba esse de substantia formæ in consecratione panis, nimirum illa: *Hoc est corpus meum*, sed S. Thomam existimasse alia quædam esse necessaria. At mentitur in caput suum: nam S. Thom. 3. par. q. 78. art. 2. de forma consecrationis panis in nulla re dissentit ab aliis.

TERTIVM est pag. 337. vbi dicit, Colonienses in suo Antididagmate, & Lindanum publicè scribere, panem & vinum per sola Christi verba non consecrari, nisi addantur reliquæ preces Canonis Papistici. Hoc etiam esse mẽdacium patet ex ipsis auctoribus. Nam in Antididagmate, tit. An sine prece canonica Ecclesiæ consecretur Sacramentum: & in Panoplia Lindani, lib. 4. c. 41. solùm docetur eos non verè consecrare, qui verba Domini solùm recitant in lectione epistolæ ad Corinthios, quod est verissimum, neque à Kemnitio negari solet.

QVARTVM est ibidem, vbi dicit, apud Catholicos dubitari, an ad consecrationem Eucharistiæ sit necessariũ altare sacrum, sacræ vestes, sacer minister, & reliqua Papalis Missæ panoplia. Sed Catholici nunquam de his rebus dubitarunt. Omnes enim docent, ad essentiam consecrationis non requiri, nisi materiam, formam, & ministrum: reliqua adhibenda quidem esse, neque sine peccato omitti posse; tamen ad essentiam non pertinere.

QVINTVM est pag. 339. vbi Canonem Missæ ex corrupto, & integro, immò ex multis corruptis consarcinatã mẽtitur. Sed debuisset, vel vnum verbulum notare, quod corruptionem aliquam redoleret.

SEXTVM est pag. 340. vbi dicit, Lindanum Basilio tribuere, Eucharistiæ consecrationẽ fieri verbis, non scriptis. At Lindanus hoc non dicit, vt ex loco notato patet: sed solùm ait veteres Patres non fuisse contentos verbis consecrationis, quando sacra faciebant, sed addidisse alia non scripta. Id quod verè extat apud Basilium libro de Spiritu sancto, cap. 27.

SEPTIMVM est pag. 346. vbi dicit, Catholicos existimare per sola verba institutionis non posse fieri consecrationem, nisi adhibeantur ea, quæ addita sunt in Canone Missæ. Sed & hoc merum mendacium est Catholici enim requirũt quidem vniuersum Canonem, vt ritè, & sine peccato consecratio fiat, fatentur tamen veram esse consecrationem, quæ solis verbis institutionis fieret.

OCTAVVM pag. 347. vbi dicit, Proclum quendam fingere, Apostolos intra diem Ascensionis & Pentecostes composuisse Canonem, vt esset forma consecrationis. At sanctus Proclus vnus est ex antiquis, & Orthodoxis Patribus; quippe qui paulò pòst Chrysostomum, Episcopus fuit Constantinopolitanus. Eius extat libellus de traditione diuinæ Liturgiæ, in quo non dicit Apostolos Canonem composuisse ante diem Pentecostes, vt Kemnitius mẽtitur, quod nec vllo modo verisimile est: sed dicit eos post Ascensionem Domini, antequam diuiderentur in varias regiones, totos se ad orationem colligere solitos, & maximè ad sacrificium celebrandum, semper in memoria habentes illud: *Hoc est corpus meum.*

VLTIMVM est ibidem, vbi dicit, Catholicos tribuere consecrationem non solùm recitationi verborum, sed variis sacrificuli gestibus, expansioni manuum, eleuationi, inclinationi cruricis, conuersioni corporis, libri transpositioni. Sed hæ sunt meræ nugæ: nemo enim Catholicorum in his ponit essentiam consecrationis, etsi cæremonias ipsa meritò omnes venerantur.

CAPVT XVI.

De ministro Sacramenti Eucharistiæ.

EXPLICATIS caussis intrinsecis, Sacramẽti huius materia videlicet, & forma: sequitur vt de extrinsecis, efficiente, & fine siue effectu disputemus. Ac de efficiente quidem primaria caussa, nulla controuersia est: constat enim Christum esse, qui & Sacramentum hoc instituit, & primus confecit, & nunc etiam per ministros suos quotidie conficit. De caussa secundaria, id est, de ministro, multa disputata sunt in lib. de Sacramentis in genere, vt, an requiratur fides in ministro, an bonitas, an intentio, & alia id genus, quæ sunt communia ministris omnium Sacramentorum: tractatum quoque fuit, an ministri Sacramẽtorum quilibet Christiani sint, an solùm ij, qui certo ritu ad hoc ministeriũ consecrati sunt. Quare hoc loco id solum tractandum est in particulari, num ad Eucharistiæ consecrationem, requiratur certa ministrorum ordinatio, an verò non requiratur.

ET quidem Ioan. Vviclefus in dubium hoc reuocauit teste Thoma Vvaldensi, tomo 2. de Sacramentis, cap. 7 & 28. Videbatur illi valde mirum, si posset malus Sacerdos consecrare Eucharistiam, & id non posset laicus bonus: non tamen omninò rem definire voluit.

AT Lutherus audacior apertissimè rem definiuit: siquidem Lutheri sententia manifestissima est, quemlibet Christianum ex Baptismo potestatem habere Eucharistiã consecrandi, licet officium assumere nemo debeat, nisi legitimè vocatus, excepto casu necessitatis. Id habet Lutherus in lib. de Babyl. captiuit. cap. de Ordine; in lib. de instituendis ministris ad Senatum Pragensem; in lib. de Missa abroganda; in lib. de notis Ecclesiæ, & alibi. Quare Lutherus ordinationem ministrorum solùm necessariã putat ob disciplinam, & ordinem Ecclesiæ; esset enim nimia confusio, si quilibet Sacramenta conficere vellet: nõ autem, quòd Sacramentum non esset verum, si ab aliquo non ordinato conficeretur. Immò in lib. de Missa priuata, & vnctione Sacerdotum, edito anno M. XXXIV. eò vsque progressus est, vt diceret, Sacramentum verum futurum, etiam si à Diabolo conficeretur.

AB hac sententia Sacramentarij apertè recesserunt. Etsi enim initiò Zvvinglius Lutherum sequeretur, vt patet ex lib. de vera, & falsa relig. cap. de aliis Sacramentis; Caluinus tamen non solùm Eucharistiam, sed etiam baptismum irritum esse docet, si ab alio, quàm à publico ministro conficiatur, vt patet ex lib. 4. Instit. ca. 1. §. 22. & cap. 3. §. 10. & c. 15. §. 22. & in antidoto Concilij, sess. 7. can. 10. & idem habet Henricus Bullingerus decade 5. serm. 8. & 9. Quare nihil hoc loco cum Sacramentariis negotij nobis erit.

PORRÒ Martinus Kemnitius, & alij recentiores Lutherani timidè Lutherum sequuntur: nam etsi idem sentiunt, quod ipse sensit, tamen istam quæstionem vt plurimùm dissimulare solent. Nam ab vna parte vident argumenta Catholicorum euidẽtissima, quæ sine summa impudentia negari nequeũt; ab altera parte non possunt ad Catholicos accedere, quin deserãt non solùm suum Prophetam Lutherum, sed etiam duo principia doctrinę Lutheranæ ab omnibus receptissima: ob quæ valde mirandum est, Sacramentarios dissentire in hac re à Lutheranis.

PRINCIPIA communia hæc sunt. Primum, Sacramenta non operari nisi excitando fidem; ex quo principio (in quo omnes omninò conueniunt) euidenter sequitur Sacramentum non pendere ab vlla ministri qualitate. Verba enim Sacramentalia & signa fidem excitare possunt, à quocunque exhibeantur: idem enim verba significant, & significando mouent animum audientis, siue dicantur ab ordinato, siue à non ordinato; immò siue

ab ho

ab homine,siue à dæmone,siue etiã à psittaco vel coruo. Vnde Kemnitius in secunda parte Examinis Cõcilij. sess. 13.cap.1.in fine,Catholicos reprehendit, quòd Eucharistiæ consecrationem pendere velint non à sola verborum recitatione, sed etiam à consecratione, siue ordinatione personæ recitantis.

SECVNDVM principium est,per ordinationem ministrorum non imprimi vllum characterem, neque dari vllam nouam spiritualem potestatẽ, sed solùm vsum seu officium. Vnde tam apud Lutheranos quàm apud Caluinistas potest vnus & idem hodie esse minister, cras non minister,siue hodie clericus, cras laicus:dimisso enim officio nulla est inter eos clericorum à laicis distinctio. Ex hoc etiam principio manifestè sequitur,nõ requiri vllam electionem, vel ordinationem ministrorum, vt verum Sacramentum Eucharistiæ conficiatur;sed tantùm vt ordo,& disciplina seruetur. Quare Lutherani omnes,nisi doctrinam suam destruere ipsi velint, coguntur Lutheri sententiam sequi de potestate consecrandæ Eucharistiæ omnibus Christianis communi.

AT Catholica Christi Ecclesia longè aliam ab Apostolis doctrinam accepit, & in hanc vsque diem seruat: semper enim in Ecclesia pro indubitato habitum est,ita necessarium esse Ordinationem sacerdotalem ad Eucharistiam conficiendam, vt sine ea nullo modo confici possit.

HÆC autem veritas probatur,Primùm ex verbo Dei. Nam illud Christi,*Hoc facite*,Luc.22.nõ est dictum,nisi Apostolis,qui eo mãdato ordinati sunt primi sacerdotes noui Testamenti.Id autem probatur hoc modo: Illud, *Hoc facite*,nõ significat solùm Mãducate,& bibite,quod conuenit omnibus Christianis, sed significat Consecrate,sumite,& aliis distribuite,vt me facere vidistis.Ista autẽ tria non possunt conuenire omnibus;ergo illud mandatum non est datum omnibus, sed solùm quibusdam, qui ideò dicuntur Sacerdotes, ergo cæteri nullo modo possunt Eucharistiam consecrare,& si id tentauerint, nihil facient. Nam Sacramenta conficiuntur in persona Christi:quare cui Christus id non commisit, is nihil facere potest.

PROBATVR maior propositio.Primò,ex ipso textu Lucæ.Lucas enim,qui solus inter Euangelistas habet illa verba:*Hoc facite*,non dixerat antea, Accipite,manducate,&c.sed solùm dixerat:*Accepit panem,benedixit,& dedit,dicens; Hoc est corpus meum*. Ergo non retulit Lucas illud:*Hoc facite*,ad actionem solam manducandi,cùm eius ne meminerit quidem;sed retulit ad actionem benedicẽdi,& distribuẽdi,quas expresserat, & simul ad actionem manducandi,quia Dominus etiam manducauit, vt est communis sententia,licet in Euangelio non exprimatur.Secundò,quia nulla est ratio,cur illud:*Hoc facite*, nõ debeat referri ad omnia,quę Dominus fecit.Tertiò,quia nisi ad omnia referretur, non haberemus mandatum diuinum in Verbo Dei expressum de consecranda Eucharistia:& proinde non posset ab aduersariis cõsecrari. Ipsi enim contendunt,non debere fieri, nisi id, quod est expressè in diuinis literis mandatum. Denique aduersarij fatentur,illud:*Hoc facite*,referri ad omnes tres actiones, quas Christus fecit, videlicet benedicendi, distribuendi, & sumendi.Lutherus ita docet in lib.de instituendis ministris;ad Pragenses, Confessio Augustana ad.de missa. Caluinus lib.4.Instit.cap.15.§.20. & Kemnitius in 2.par. Exam.pag.534. initio disputationis de Communione sub vtraque specie.

DICET aliquis; Videtur beatus Paulus 1.Cor.11.restringere illud:*Hoc facite*,ad actionem manducandi, & bibendi;ait enim:*Hoc facite,quotiescunque bibetis, in meã commemorationem*,ac si dicat,quotiescunque biberis, bibite in memoriam passionis meæ.Respondeo,nõ restringit Apostolus,sed exemplùm ponit in actione vna;quod etiam facere potuisset de aliis duabus: quare vera sunt verba Pauli, sed non pugnant cum verbis Lucæ magis vniuersalibus.

PROBATVR nunc minor propositio.Primò,si illud mandatũ daretur omnibus, tenerentur omnes consecrare,& distribuere:id autem non solùm esset absurdissimũ, sed etiam est contra consuetudinem omnium tum Catholicorum,tum hæreticorum.Secundò,quia ita semper intellexit hoc mandatum vniuersa Ecclesia, vt ex testimoniis,quæ iam adferemus,perspicuum erit.Neque obstat,quod S.Thomas 3.parte, quæst.18.art.11. colligit ex hoc loco esse de iure diuino, vt omnes aliquando sumãt Eucharistiam; vbi videtur intellexisse illud: *Hoc facite*, dictum esse omnibus. Nam sanctus Thomas non vult colligi immediatè,sed mediatè.Quia enim Dominus iubet Apostolis,vt consecrent,sumant,& distribuant; consequenter iubet aliis, vt accipiant de manu Sacerdotum distribuentium.Quibus enim tenerentur Sacerdotes distribuere, si nulli tenerentur accipere? Simile est illud, Ioan.vlt.*Pasce oues meas*, vbi mandatur Petro,vt pascat gregem, & consequenter mandatur gregi, vt pastori obediat. Quare idem S.Thomas 3.parte quæst.82.artic. 1.docet, per illud: *Hoc facite*, institutos fuisse à Domino Sacerdotes.

PROBATVR igitur secundò eadem veritas ex traditione,& consensu totius Ecclesię. Ac primùm habemus quatuor generalia Concilia,Nicænum I.can. 14. Lateranense sub Innocentio III.cap.1.Florentinum in Instruct. Armenorum,& Tridentinum sess.22.cap.1.& sess.23. capite 1.& 4.

PRAETEREA sanctos Patres.Nam Dionysius Areopagita cap.5.Eccles.hierarchiæ par.1.*Nec ipse*, inquit, *Sacerdos erit,nisi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus*. Ignatius in epistola ad Trallianos, dicit,esse infidelì deteriorem eum, qui audet aliquid facere circa altaris ministerium,nisi fuerit Episcopus,aut Presbyter.Clemẽs lib.2.Apostolic.constitut.c.31. *Omnis laicus sine Sacerdote aliquid attentans,frustrà facit*. Et loquitur apertè de sacrificij oblatione.Et lib.8.c.vltimo dicit,Christum solis Apostolis dixisse:*Hoc facite*. Et deinde per Apostolos ad alios presbyteros hanc potestatem deriuatam esse. Iustinus in Apologia 2.prope finem, dicit solis Apostolis dictum esse:*Hoc facite*. Tertullianus in lib.de præscriptionibus irridet Marcionistas, quòd apud eos aliqui hodie sint clerici,cras laici, & quòd laicis sacerdotalia munia committantur. Quæ sententia apertissimè etiam Lutheranos nostros confutat: nam apud eos ministri qui sunt, volente Magistratu fiunt laici, immò semper sunt laici. Neque enim veras habent ordinationes, sed solùm iniungitur eis officium prædicandi, & Sacramenta ministrandi sine vera ordinatione:& hoc est (vt Tertullianus dicit)laicis sacerdotalia munia committere.

CYPRIANVS lib.1.epist.2.& 9.& lib.3.epist.25.non solùm docet, non posse Eucharistiam conficere nisi Sacerdotes:sed etiam inde colligit,non esse apud hæreticos veram Eucharistiam, cùm non sit apud eos verum Sacerdotium. Athanasius in 2. Apologia contra Arianos refert epistolam Synodi Alexandrinæ, in qua Patres probant quendam Hischiram Arianum non potuisse sacro calice vti,nec sacra celebrare, quòd non esset ordinatus à vero Episcopo. Basilius lib. 2. de Baptismo, cap. 8. ex professo docet, esse quidem omnes Christianos Sacerdotes,largo quodam modo, quia omnes offerre debent spirituales hostias operum bonorum: at propriè non esse nisi eos, qui ad hoc ordinati sunt, &c.Epiphanius hæres. 79. Collyridianorum, docet, solos Apostolos à Christo ordinatos ministros Eucharistiæ;& deinde ab Apostolis alios Episcopos, & Presbyteros: cæteris autem laicis, & maximè fœminis, adeò hoc non licuisse vnquam, vt ne ipsi quidem B.Virgini

fuerit concessum.Chrysostomus non rarò scribit,ob hanc vnam eximiam potestatem cõsecrandæ Eucharistiæ,Angelos à sacerdotibus superari. Vide librum 3. & 6.de sacerdotio,& hom.51.& 83.in Matthæum, & homiliam 60. ad populum Antiochenum.Hieronymus frequenter hoc asserit,non posse nisi Episcopos,& Presbyteros Eucharistiam conficere.In libro contra Luciferianos docet, Hilarium quendam,quia solùm Diaconus erat,non potuisse Eucharistiam consecrare,neque clericos ordinare: & in epist.1.ad Heliodorum,& 85.ad Fuagrium,illo potissimo argumento Diaconorum quorundam superbiam comprimit, & Presbyteris longè inferiores esse demonstrat, quòd non habeant potestatem consecrandi Eucharistiam,quam Presbyteri habent.

DE Ambrosio scribit Theodoretus lib. 5. historiæ,c. 17.dixisse eum Theodosio: *Purpura Imperatores facit,nõ sacerdotes*.& in libro de dignitate sacerdotali,c.2.anteponit idem Ambrosius sacerdotalem potestatem Regiæ. Quod etiam facit Nazianzenus in oratione ad populum timore perculsum,& Chrysostomus hom.4.in c.6.Isaiæ. Quod etiam reipsa docuit sanctus Martinus cùm in conuiuio Imperatoris anteposuit presbyterum suum Imperatori,vt in eius vita scribit Sulpitius. At si sacerdotalis potestas communis esset omnibus Christianis, vt aduersarij dicũt,cùm Regia non sit omnibus communis,multò inferiores essent Regibus sacerdotes.Vide etiam Paulinum epist. 4 ad Amandum,Hesychium lib.2.in Leuiticum,c.8. Denique Augustinum lib 20. de ciuitate Dei, cap.10.vbi distinguit sacerdotes spirituales,'& impropriè dictos,ab Episcopis,& Presbyteris,qui propriè dicuntur sacerdotes.

HIS accedit,quòd nullum proferri potest exemplum antiquitatis,quo probetur in aliquo casu Diaconum,aut laicum consecrasse Eucharistiam,sicut exempla nõ pauca proferuntur,quibus ostenditur in certis casibus Diaconos,immò & laicos baptizasse.Constat enim ex cap.8. Actor.Philippum Diaconum baptizasse:ex Ruffino lib. 1.historiæ,cap.14.constat ratum fuisse Baptismum,quem Athanasius laicus, & puer contulerat.At de Eucharistia nullum tale exemplum proferri potest: sed cõtrà in summis etiam necessitatibus constat Catholicos caruisse potiùs Eucharistia, quàm vt eam non sacerdos conficere auderet.Scribit Theodoretus lib.4.historiæ, cap.12.cùm Valẽs Imperator Arianus omnes sacerdotes passim è suis sedibus exturbaret, zelo Dei motum Eusebium Episcopum Samosatenum militari habitu peragrasse illa omnia loca,& clàm ordinasse in variis locis Presbyteros,& Diaconos,vt populi Sacramentis non carerent. Augustinus in epistola 180.ad Honoratũ,scribit tempore belli nõ debere deseri plebes à clericis,etiamsi periculũ vitæ imminet:ne desint,qui Sacramẽta ministrẽt, sine quibus non euitatur mors æterna.Scribit quoque Epiphanius in epistola ad Ioãnem Hierosolymitanum, se necessitate compulsum ordinasse presbyterum quendam in Monasterio S.Hieronymi, quòd duo presbyteri, qui in eo monasterio erant,ob nimiam humilitatem Eucharistiam conficere non auderent. Ex quibus exemplis manifestè colligitur,falsum esse quòd Lutherus docet, posse in certis casibus quoscunque homines consecrare Eucharistiam.

HIS adde antiquissimos Ecclesiæ ritus. Nam primò imperabatur omnibus altaris ministris perpetua continẽtia,idque ex Apostolorum doctrina,vt habet Concilium II.Carthaginense,can.2.

SECVNDÒ prohibebantur laici tangere,vel seruare sacra vasa, vbi conficitur Eucharistia:vt præter alia testimonia,patet ex epistola Synodi Alexandrinæ in Apologia secunda Athanasij contra Arianos, vbi probant calicem quendam non fuisse sacrum,quia seruabatur in domo laici hominis.Et Nazianzenus in oratione contra Arianos,& de seipso, mysterij vasa populo ad tangendum prohibita esse dicit.

CAPVT XVII.

De effectu Eucharistiæ,& de præparatione ad Communionem:sententiæ hæreticorum.

QVAESTIO de effectu Eucharistiæ adeò coniuncta est cum quæstione de præparatione ad Communionem,præsertim ex sententia aduersariorũ, vt nullo modo separari queant.Nos igitur primùm fideliter referemus quid aduersarij de vtraq; quæstione sentiant. Deinde explicabimus,& probabimus veritatem. Tertiò soluemus eorum obiectiones. Quartò addemus aliquid de præparatione minùs principali.

QVOD igitur ad primum attinet,Lutherus nouorum paradoxorum in perniciem multorum millium animarũ seminator,tria docuit. Primò, effectum primarium Sacramenti Eucharistiæ esse remissionem mortalium peccatorum. Secundò,non requiri ad dignam præparationẽ Communionis, vt quis non sit sibi conscius peccati mortalis, immò quò plurium,& maiorum sibi conscius est, eò esse aptiorem ad Eucharistiam.Tertiò,ad præparationem Eucharistiæ non requiri,vt quis per confessionem, & pœnitẽtiam à peccatis iustificetur,sed satis esse fidem, qua certò credat sibi in eo Sacramento omnia peccata esse remittenda.

HANC esse Lutheri sententiam patet ex multis eius testimoniis.In cõcione de digna præparatione ad Sacramentũ Eucharistiæ,habita anno M.D.XVIII. *Optima*,inquit,*dispositio est, non nisi ea, qua prissimè es dispositus,& è contrario,tunc pessimè es dispositus quando optimè es dispositus*.Et probat quia Christus etiã in hoc Sacramento non venit vocare iustos,sed peccatores:& ibidem suadet pœnitentiam non agere ante Cõmunionem,sed postea. Ibidem dicit esse pernicioſum errorem,si quis accedat nixus ea fiducia,quòd sit confessus, & quòd non sit sibi conscius peccati,& quòd orationes,& alia præmiserit.Hos enim omnes dicit, in iudicium accipere corpus Domini, quia his præparationibus nõ fiunt puri,sed magis polluũtur;fiunt autem puri per fidem,quàm dicit esse solam,& summam dispositionem. Similia habet in concione de Confessione & Eucharistia,habita anno M.D.XX. vbi dicit,illum esse aptissimum ad Communionẽ,qui in fœda crimina prolapsus est,quæ malè afficiunt animum. In lib.de captiuit.Babyl.c.de Eucharistia,edito anno M.D. XX. *Concludimus*,inquit,*ex omnibus his,quibũsnam Missa parata sit,& qui dignè communicent,nẽpe soli illi qui tristes, afflictas,perturbatas,confusas,& eroneas, habent conscientias.Nã verbum diuinæ promissionis huius Sacramenti,cùm exhibeat remissionem peccatorum,securè accedit,quicunque peccatorum suorum vexatur,siue morsu siue titillatione*.

EST autem hic obiter notandum,intra paucas lineas apertissimam contradictionem inueniri in verbis Lutheri:nam paulò infrà,id est, in vltimis verbis illius capitis, sic habet:*Fides sola est pax conscientiæ:infidelitas sola,turbatio conscientiæ*.Hæc ille.& tamen ibidem in medio sententiarum allegatarum, hortatur Christianos,vt cum fide indubitata accedant: Quæ sanè nullo modo cohærẽt. Nam si illi soli dignè accedunt, qui habent turbatam cõscientiam,& sola infidelitas turbatio conscientię est;ergo soli illi dignè accedunt,qui carent fide;qui enim fidẽ habent,pacatam(vt ipse dicit)conscientiam habẽt,non perturbatam. Viderit ergo ipse quomodo & cum fide, & cum infidelitate, cum pacata,& cum turbata conscientia accedendum sit.

IN libro de abroganda Missa, edito anno XXI. docet,furorem esse,præparatoriis confessionibus & orationibus se mundos reddere ante Communionem,cùm nõ debeant accedere,nisi qui egent remissione peccatorum.

In tractatu de Communione populi, edito anno M.D. XXIII. docet, non debere admitti ad Communionẽ, nisi eos, qui dicunt se accedere, quia vexantur conscientia peccati mortalis. Quo testimonio Lutherus B. Virginem, & omnes Apostolos post acceptum Spiritum sanctum excommunicauit: neque enim isti dicere poterant, se vexari conscientia peccati mortalis. In serm. de Eucharistia, habito anno M. D. XXVI. dicit, illum esse apertissimum ad communicandum qui antè, & retrò est peccatis contaminatissimus: & sine peccatis mortalibus nullum debere accedere. Denique similia habet in libro contra articulos Louanienses, edito anno M. D. XLV. paulò ante vitæ ipsius finem. Atque hæc de Lutheri sententia.

MARTINVS Kemnitius in secunda parte Examinis, sess. 13. c. 2. & 7. addit, & propugnat pro viribus primum Lutheri pronunciatum, effectum primarium Eucharistiæ esse remissionem peccatorum mortalium. Alia duo non solùm non apertè affirmat, sed potiùs contrarium, saltem quoad modum loquendi, docet. Vult enim requiri ad dignam præparationem Eucharistiæ pœnitẽtiam, & propositum non peccandi: & addit etiam apud suos in more positum esse, vt priùs examinentur, & absoluantur, qui accessuri sunt ad Communionem. Quod haberur quoq; in Confessione Augustana, cap. de Confessione, & cap. de Missa, vbi dicunt, neminem se admittere ad Communionem, nisi antea discussum, & absolutum.

SED (vt mox videbimus) doctrina ista Kemnitij ipsa secũ pugnat: nec enim vllo modo ista cohærere possunt, vt Eucharistia accipiatur ad remissionem mortaliũ peccatorum, & tamen nemo accedere permittatur, nisi priùs à peccatis fuerit absolutus.

ADDIT Kemnitius, se non negare alios esse etiam effectus Eucharistiæ, vt quod animam nutriat, roboret, & omnia Christi bona illi communicet: & inde queritur de Concilio Tridentino, quod can. 5. damnet Lutheranos, quasi sentiant, nullum esse alium effectum Communionis, nisi remissionem peccatorum.

SED immeritò Kemnitius conqueritur. Nam Concilium canone quinto neque Lutheranos nominat; & subdistinctione loquitur. Hæc enim sunt verba Concilij: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit.* Cùm igitur Kemnitius solã priorem partem huius canonis contra se esse fateatur, accipiat quod suum est, & reliquum dimittat aliis.

MVLTA præterea pro more suo mendacia admiscet Kemnitius, quæ longum esset referre. Vnũ tantùm quàm breuissimè annotabo, quod est in Examine c. 2. pag. 359. vbi dicit Catholicos ita diuidere gratiã iustificationis inter Missæ sacrificium, & sumptionẽ Eucharistiæ, vt Missæ sacrificio tribuãt ex opere operato remissionem peccatorum mortalium sine vllo negotio vel periculo peccatoris, cui fit illa remissio: sumptioni Eucharistiæ tribuãt solùm remissionem venialium, & eam non sine magno periculo sumentis, qui nisi purus accesserit, in iudicium sumet. Atque hinc fieri dicit, vt homines apud Catholicos retrahantur à Communione, & alliciantur ad emendas Missas.

SED hoc impudentissimum est mendacium. Nullus enim Catholicorum vnquam scripsit, sacrificium Missæ ex opere operato remittere peccata mortalia sine vllo negotio peccatoris, nec vllus in Ecclesia est vsus petẽdi, nedum emendi Missas pro remissione peccatorum. Immò multò amplius tribuimus sumptioni Eucharistiæ, quam dicimus ex opere operato conferre gratiam gratũ facientem; quàm sacrificio Missæ, vt pro peccatore aliquo offertur, quod solum docemus impetrare peccatori aliquod speciale auxilium, quo is paulatim ad mentem redeat, & non sine vllo negotio, vt Kemnitius mentitur, sed per veram contritionem, confessionem, & satisfactionem ad remissionem peccatorum tandem perueniat.

IOANNES Caluinus lib. 4. Instit. c. 18. §. 40. 41 & 42. multa dicit, quæ videntur inter se omnino pugnare, & ob quæ non eodem modo ab omnibus accipitur Caluini sententia. Nam §. 40. sic ait: *Cibus hic spiritualis, si in animam inciderit malitia, nequitiáque pollutam, maiore illam ruina præcipitat.* Hæc ille. Vbi videtur negare, quod Lutherani dicunt, per Eucharistiam remitti peccata mortalia, & requirere cum Catholicis, vt homo antè per pœnitentiam iustificetur, quàm ad Sacramẽtum accedat. Præterea §. 42. dicit requiri fidem, & charitatem ad dignam sumptionem Eucharistiæ, & reprehendit quosdam, quòd requirant fidem, & charitatem nimis perfectam, & absoluram, cui nihil addi potest: quos dicit errare non in re, sed in modo. Itaque in his duobus locis videtur Caluinus cum Catholicis sentire. Quos autem reprehendit Caluinus, quòd requirãt perfectissimam fidem, & charitatem, ij non sunt Catholici, sed Anabaptistæ. Nam de Anabaptistis refert Augustinus Marloratus in expositione, quã ex variis scriptoribus collegit in cap. 11. prioris ad Corinthios, eos ante Communionem protestari, se habere tantam charitatem, quantam habuit Christus in cruce pendens.

PORRÒ idem Caluinus, §. 41. apertè Catholicos reprehendit, quòd requirant ad dignam præparationem, vt homo sit in statu gratiæ: & in statu gratiæ esse desinant, purum ac purgatum esse ab omni peccato. Et §. 42. apertissimè testatur, Eucharistiam remittere peccata mortalia, & nisi peccata adsint, frustrà sumi, vt Lutherus dicebat: *Meminerimus*, inquit, *has sacras epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem; quæ sanis, iustis, & diuitibus, si qui reperiri possent, nullum adferrent operæ precium.* Et infrà: *Cùm in vitam detur, intelligimus nos sine ipso in nobis planè mortuos esse.* Hæc ille.

QVAE duo Caluini pronunciata secundum veram Theologiam inter se manifestè pugnant. Nam animam non esse pollutam nequitia, & habere fidem, charitatem, quæ in primo pronunciato Caluinus requirit, hominem sine dubio iustum, viuum, & sanum constituunt: & tamẽ in secundo pronunciato requirit idem Caluinus, vt homo non sit iustus, sed peccator; non sanus, sed ægrotus; non viuus, sed mortuus; & alioqui nihil ei prodesse dicit Eucharistiam. Sed quamuis hæc inter se pugnent secundum principia veræ Theologiæ, tamen secundum principia ipsius aliquo modo cohærent. Nam cùm dicit, animam non debere esse pollutam, sed fide & charitate præditam, significat, vt ipse se exponit, non debere habere propositum peccandi, seu perseuerandi in peccato, sed desiderium potiùs bene viuendi, & fiduciam remissionis. Quare simul erit homo immundus, & mortuus, quia reuera peccata mortalia habet; & erit tamen non immundus, quia non habet affectum, nec propositum permanendi in illis.

IAM verò Catholica Ecclesia in Concilio Tridentino, sess. 13. ca. 2. & 7. & can. 5. & 11. duo docet. Primò, effectum Eucharistiæ præcipuum non esse remissionem peccatorum mortalium, sed nutritionem animæ, & præseruationem à peccatis, & alia quæ sequuntur ex augmento gratiæ, & charitatis, quam secum adfert hoc Sacramentum. Secundò docet, præparationem ad Eucharistiam nõ esse solam fidem, sed veram pœnitentiam, & confessionem peccatorum, si quis post Baptismum in peccata mortalia lapsus sit.

ET quia de aliis effectibus Eucharistiæ conueniunt nobiscum aduersarij, vt Kemnitius fatetur, tota quæstio ad hunc vnum articulum reuocatur; Vtrum Sacramentum Eucharistiæ exhibeat remissionem peccatorũ mortalium, quorum homo conscientiam habet: siue, (& est idem) Vtrum ad dignè communicandum requiratur, vt

homo

homo non habeat conscientiam peccati mortalis. Catholici enim omnes docent, Eucharistiam non remittere eiusmodi peccata, quorum homo conscientiam habet, & ideò requiri vt antea purgentur: Hærerici autem contrarium sentiunt, nec possunt aliter sentire, si sequi velint principia suæ doctrinæ. Nam illi non agnoscunt aliam iustificationem, quàm remissionem peccatorum: non enim volunt infundi gratiam, quæ hominem reipsa iustum coram Deo, vel iustiorem efficiat. Volunt autem Sacramenta omnia esse instrumenta iustificationis; quare coguntur dicere, Sacramenta omnia remittere peccata, eúmque esse proprium illorum effectum.

CAPVT XVIII.

Indignè sumere Eucharistiam omnes illos, qui accedunt cum conscientia peccati mortalis.

ESSE autem verissimam Ecclesiæ Catholicæ sententiam, probatur Primò ex cap. 6. Ioannis. Nam in eo capite etiamsi negent aduersarij, tractari de Sacramento Eucharistiæ, quod ad symbola attinet, tamen concedunt agi de spirituali manducatione, & etiam de fructu, seu effectu Eucharistiæ. Dicunt enim in eo capite tractari in genere de manducatione corporis Domini, quæ & in Sacramento, & extra Sacramentum fieri potest: sed postea Matth. 26. Dominum addidisse symbola. In hoc igitur capite nusquã docetur, Eucharistiam institutam esse ad peccata remittenda, sed tantùm ad vitam spiritualem conseruandam, & augendam, vt patet ex cap. 6. Ioãnis, vbi nusquam dicitur; Qui manducat hunc panem, resurget à peccatis, vel viuere incipiet; sed dicitur: *Non esuriet, nõ morietur, viuet in æternum, in me manet, & ego in eo*, & similia. Quare aduersarij si verum fateri velint, id quod docent, non ideò docent, quia in verbo Dei habeatur, sed quia necessariò sequitur ex doctrina Lutheri.

SECVNDÒ probatur ex illis verbis eiusdem capitis: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ex quo loco discimus propriam rationẽ huius Sacramenti esse, vt sit cibus spiritualis. Quod etiam apertè clamat tum externa species panis, & vini; tum actio per quam nobis applicatur, quæ est manducatio, & potatio. At absurdissimum est, cibum & potũ dare mortuis, cùm inde non magis nutriri possint, quàm si lapides essent.

QVARE inepte argumentatur Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 42. vbi probat Eucharistiam nullum adferre emolumentum sanis, & iustis, quia est cibus quidam, & sine cibo homines tabescunt, & deficiunt. Nam quòd sine cibo homines tabescant, non id efficit, vt cibus non debeat dari nisi ægrotis, sed vt debeat dari sanis, ne ægrotent: sanis enim periculum imminet ægrotandi, & tabescendi, alioqui homines corporaliter sani, non deberent corporaliter manducare. Denique etiamsi cibus nõ daretur nisi ægrotis, tamen nunquam probabit Caluinus, debere dari mortuis: non igitur dari debet illis, qui sciuntur mortui esse Deo.

TERTIÒ probatur ex figuris, & similitudinibus diuinæ Scripturæ. Nam in primis agnus Paschalis, qui erat figura euidentissima Sacramenti huius, non poterat edi, nisi ab hominibus purificatis, & mundis: & potiùs permittebat Deus, vt aliqui differrent in alterum mensem manducationem agni Paschalis, quàm vt non purificati manducarent, Numer. 9. & 2. Paralipom. 30. Deinde panes propositionis, qui etiam erant figura Eucharistiæ, non nisi à mundis edi poterant, vt patet 1. Reg. 21. Denique quicunque aliqua immunditia pollutus edebat de carne sacrificiorum, peribat anima eius de populo suo, Leuit. 22.

DEINDE in Testamento nouo Ioan. 13. Dominus lauat pedes discipulorum, antequam eis Sacramentum edendum porrigat, & Matth. 22. seueriss imè punitur, qui ad conuiuium Regium sine veste nuptiali intrare præsumpsit. Denique Luc. 15. Filius prodigus, priùs patri reconciliatus; & vestimẽtis, & annulo ornatur, & tum demùm ad vitulum saginatum edendum admittitur.

QVARTÒ probatur ex cap. 10. prioris ad Corinthios, vbi dicitur: *Vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus.* Hinc enim intelligimus, hoc Sacramentum non prodesse nisi membris vnitis cũ capite, & aliis membris, & de eodem spiritu viuentibus, vt declarat Augustinus tractat. 26. in Ioannem, & hoc idẽ testatur externum symbolum panis & vini, quæ fiunt ex multis granis, vel viuis in vnam rem coëuntibus. At qui sunt in peccato mortali, ij non sunt membra viua Christi, & Ecclesiæ, neque viuunt de spiritu Christi, ergo nihil eis Sacramentum prodest, immò nocet potiùs, quia mentiuntur eo signo, se esse id, quod non sunt.

QVINTÒ probatur ex verbis S. Pauli 1. Cor. 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* Hunc locum aduersarij mirè depraua t, omnia enim referunt ad probationem, num fidem habeamus.

PETRVS Martyr in commentar. illius loci, facit tres gradus indignè accedentium. Primum eorum; qui planè sunt ἄθεοι, & nihil credunt. Secundum eorum, qui habent fidem historicam, sed nihil curant de pœnitentia, & proposito emendandæ vitæ: atque hos, omnes, quia carent vera fide iustificante, in iudicium æternæ mortis sumere Sacramentum. Tertium eorum, qui sunt ornati vera fide, & tamen remissiùs, & negligentiùs viuunt, & hos dicit vtiliter accipere, non in iudicium. & damnationem æternam, sed tantùm in iudicium temporalis castigationis, de quibus idem Apostolus dicit: *Dum iudicamur autem à Domino, corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Pari ratione Kemnitius, & alij, omnia exponunt de fide, seu fiducia erga promissiones.

SED longè aberrant à scopo beati Pauli. Siquidem Apostolus non reprehendit Corinthios, quòd nihil crederent, aut quòd tantùm historicam fidem haberẽt, aut quòd non satis fiderẽt promissis Dei, aut denique quòd non haberent propositum vitæ mutãdæ: nihil enim horum in toto illo capite inueniri poterit. Sed reprehendit Corinthios, quòd quidã ex eis ditiores adferrẽt in Ecclesiam sumptuosam cœnam, quam sumerent post Cõmunionem mysteriorum, & eam seorsum ab aliis, maximè pauperibus, absumerent: in quo multis modis peccabant. Nam & Christi corpus iniuria afficiebant, dum cũ illo miscerent alios cibos, vt notat Augustinus epist. 118. cap. 3. & proximũ offendebant, & Ecclesiam ipsam scandalizabant, dum ipsi lautè conuiuarẽtur, pauperibus videntibus, & esurientibus: & denique peccabãt intemperantiæ & crapulæ vitio. Id patet ex verbis Apostoli, qui hæc sola vitia reprehendit: *Alius*, inquit, *esurit, alius ebrius est*, &, *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Et in fine concludit: *Itaque fratres mei, cùm conuenitis, inuicem exspectate, si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium decidatis.* Cùm ergo B. Paulus solùm peccata quædam circa mores reprehenderit, in Corinthis, cùm addit: *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*: nihil aliud ponere censendus est, nisi vt quisque videat, an habeat conscientiam eiusmodi, vel aliorum peccatorum: qui enim cum conscientia peccati accedit, iudicium sibi manducat, & bibit.

DEINDE probatur hoc idem ex traditione, & consensu Patrum. Ac primum in Græcis Liturgiis clamat Diaconus: *Sancta sanctis*, quibus verbis non arcentur soli Catechumeni, vt perperam exponit Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 506. sess. 13. cap. 7. sed omnes peccatores, vt rectè exponit Chrysostomus homil. 61. ad populum Antiochenũ, Iustinus in Apolog. 2. prope finem: Porrò, inquit, *alimentum hoc apud nos appellatur Eucha-*

ristia, quòd nulli alij participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita vt Christus tradidit, viuenti. Cyprianus lib.3.epist.14. reprehendens quosdam, qui admittebant ad Eucharistiam peccatores nondum absolutos: *Nondum*, inquit, *pœnitentia acta, nondum exomologesi, nondum manu eis ab Episcopo, & clero imposita, Eucharistia illis datur, cùm scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Similia habet in epist. 15.& 16.& in toto libro de lapsis, vbi & verbis, & exemplis ostendit, quàm perniciosum sit ad Eucharistiam accedere cùm conscientia peccati lethalis. Basilius exprofesso de hac re agit lib.2.de Baptismo, cap.3. cuius capituli titulus est: *An tutum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento carnis, & spiritus, edat corpus Domini.* Ambrosius lib.6.in Lucam, cap.37. exponens cap.9. *Vbique*, inquit, *mysterij ordo seruatur, vt priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur: posthæc alimonia mensæ cœlestis exuberet.* Et lib.7. cap. 66. in comment. cap.15. Lucæ exponens parabolam de filio prodigo, affirmat non debere vllum ad Eucharistiam accedere, nisi signaculum iustitiæ custodierit, vel receperit. Deinde etiam facto idem probauit, cùm Theodosium Imperatorem nón admisit post cędem quandam factam Thessalonicæ, ad Communionem, nisi publica pœnitentia peracta, & peccato planè purgato. Cuius rei meminit ipse in epistol.28.ad Theodosium, vbi hortatur illum ad pœnitentiam, & in oratione de obitu eius, vbi eius pœnitentiam laudat. Scribit etiam totam historiam Theodoretus lib.5.cap.17.& Sozomenus lib.7.ca.24. & Paulinus in vita B. Ambrosij.

A

B

Hieronymvs in commen.cap.1. ad Titum ex figura panis propositionis, probat summam puritatem requiri in his, qui ad Eucharistiam accedunt. Chrysostomus nihil sæpius repetit, quàm puros, & purgatos esse debere, qui ad Eucharistiam accedunt, idque multis & argumentis, & exemplis probat, homil.30. in Genesim, homil.83. in Matthæum, homil.45. in Ioannem, homilia 24.in priorē ad Corinthios, homil.3.in epistola ad Ephesios, in quo vltimo loco fusissimè vndique desumptis argumentis probat purissimam animam esse debere, quæ ad Sacramentum hoc accedat: *Cum tali*, inquit, *puritate accede semper, sine hac ne præsumas vnquam. Regem vtique non audeas osculari, siquidē os tuum olet graviter: & Regem cœlorum impudens oscularis, anima tua vitiis olente, &c.* Augustinus tract.26. in Ioan: *Innocentiam*, inquit, *ad altare portate.*

C

Denique vide Leonem serm.2. de Resurrectione, Cyrillum lib.4.in Ioānem, cap.17. Hesychium lib.7. in Leuiticum, cap.16. Gregorium lib.2.cap.1.in lib.1.Regum, & Bernardum in sermon.de cœna Domini.

D

Postremò accedant etiam rationes. Prima ratio Sacramentum Eucharistiæ diuersum est à Sacramēto Baptismi, & à Sacramentis cæteris; ergo finem proximum, siue effectū proprium habere debet diuersum à fine, & effectu aliorum Sacramentorū. Sed alia Sacramenta habent pro fine, seu effectu remissionem peccatorum; igitur Eucharistia aliū finem, seu effectum proprium habere debet, quàm remissionem peccatorum.

Et quidem apud Lutheranos illos, qui tria Sacramenta admittunt, Baptismum, Eucharistiam, & Absolutionem, argumentū nostrum euidenter concludit. Nam baptismus habet pro fine proximo remissionem originalis peccati, & aliorum, quæ cum illo adiuncta inueniuntur, vnde regeneratio propriè vocatur, & ablutio. Absolutio habet pro fine proximo remissionem peccatorum commissorum post Baptismū: quare Eucharistia, si Sacramentum est, & ab illis duobus diuersum, alium finem debet habere, quàm remissionē peccatorū. Apud Caluinistas autem, & alios Lutheranos, qui non agnoscunt nisi duo Sacramenta, idem argumentū paulò aliter fieri potest. Nam ipsi loco Sacramenti Absolutionis Baptismū substituunt; dicunt enim Baptismum sufficere ad peccata delenda vsque ad finem vitæ: per memoriam enim Baptismi semel accepti, omnia peccata deleri putant. Quod si ita est, quorsum opus fuit Sacramentum Eucharistiæ instituere ad peccata delenda?

Secvnda ratio sumitur ex consuetudine Ecclesiæ antiquissima, Eucharistiam dandi Neophytis immediatè post Baptismum, vt patet tum ex Ambrosio, in libro de iis, qui initiantur mysteriis, & ex catechesibus mystagogicis Cyrilli Hierosolymitani; tum ex ipso vsu Ecclesiæ, qui adhuc viget. Si enim per Baptismum homines ita abluuntur ab omnibus peccatis, vt sancti, & immaculati dici possint, iuxta illud Apostoli 1.Cor.6. *Abluti estis, iustificati estis, sanctificati estis*, certè Eucharistia immediatè superueniens post Baptismum, nō inuenit peccata, quæ tollat: non igitur est effectus eius primarius remittere peccata.

Tertia ratio. Semper in Ecclesia consuetudo fuit arcendi à Communione Catechumenos, energumenos, & pœnitentes, id est, eos, qui pœnitentiam agunt, sed nondum absoluti, & reconciliati sunt. Id patet; tum ex Chrysostomo, homil.60.& 61. ad populum, tum ex vsu Ecclesiæ, tum ex antiquis Conciliis, vt Ancyrano can.4. 5.6.& 7. Nicæno 1.canon.11.& 12. Elibertino in singulis ferè canonibus, & aliis multis: pleni enim sunt tomi Cōciliorum eiusmodi decretis. At si Eucharistia nihil est aliud nisi pharmacū ægrotorum, & solatiū peccatorum, (vt Caluinus dicit) & si eius effectus primarius est (vt Lutherus, & Kemnitius volunt) remittere peccata, quare Catechumeni, & pœnitentes isto pharmaco fraudātur? quare non datur eis dum ægrotant, sed solùm, quando per Baptismum, vel reconciliationem sanati sunt?

Nec respondere possunt Catechumenos, & pœnitentes non esse idoneos ad Communionē, quòd careant fide, vel proposito mutandæ vitæ, vel etiam pœnitentia, quæ sola aduersarij requirūt. Nam multi Catechumeni, & multi pœnitentes ista omnia habent: & non admittūtur ad Communionem, nisi priùs per Baptismum Catechumeni, & pœnitentes per Absolutionem à peccatis soluantur. Effectus igitur Eucharistiæ nō est tollere peccata mortalia, & vera præparatio ad Eucharistiam, est à peccatis planè absolutum, & purgatum esse.

Qvarta ratio sumitur ex doctrina, & consuetudine aduersariorum. Nam omnes fatentur ante Communionem requiri fidem, & aliqui eorū requirūt etiam pœnitentiam, & aliqui quoque Absolutionem, vt suprà ostendimus. At fides etiam sola iustificat, apud Lutheranos, & multò magis pœnitentia cū fide, & maximè omnium, Absolutio cum fide, & pœnitentia, quia tunc annunciatur remissio peccatorum ex verbo Dei, & fide apprehenditur. Quid igitur faciet Eucharistia? certè peccata inuenit sublata, & purgata.

Ad hoc argumentum respōdere conatur Kemnitius, sed quò magis se expedire nititur, eò se magis impedit, & inuoluit. Tres solutiones adhibet. Prima est in Examine, cap.2.pag.361. vbi dicit, remissionem peccatorū non esse in anima, sicut colorem in subiecto; ita vt hæreat immobiliter, & ideò opus esse perpetuo, & quotidiano exercitio fidei, immò nullum esse momentum, quo non oporteat per fidem apprehendere Christum, & remissionem peccatorum, si eam retinere volumus. Quare licet per fidem, & pœnitentiam acquiratur remissio peccatorum, tamen per fidem in vsu Sacramenti acquiri etiam remissionem peccatorum.

Hæc solutio ineptissima est. Nam vel vult Kemnitius remissionem peccatorum, non durare nisi quamdiu actus fidei durat: vel vult aliquantulum quidem permanere, & hærere, sed illo diu. Si dicat primum, vt reuera indicāt eius verba, nihil vnquam dictum fuit absurdius. Nam tunc sequeretur, eos, qui desinunt actu credere, sine vlla sua culpa iterum recidere in omnia sua peccata, & qui dormiunt, semper esse peccatores, & qui moriūtur sine vsu rationis, quod plerisque contingit, non posse vllo modo saluari. Deinde, esto, ita sit, quid opus est Eucharistia? nónne facilius actū fidei repetito retinebitur remissio peccatorum? Si verò dicat hærere aliquandiu, sed non longo tempore remissionem peccatorum, tunc argumentum nostrum manet in suo robore. Nam poterit contingere, vt post actum fidei, & acceptam per eum iustificationem, continuò sumatur Eucharistia, permanente adhuc remissione peccatorum accepta, non igitur tunc Eucharistia peccata remittet.

Secvnda solutio habetur ibidem, dicit enim Kemnitius in tentationibus sæpe angi mentem, ac dubitare, an sibi peccata remittantur; & quia promissio verbi Dei loquitur in genere, non in particulari, isti aut illi, ideò additur Sacramentum Eucharistiæ, quæ in particulari applicat promissionem, & eo modo fidem iustificantem excitat.

Hæc solutio peior est, quàm superior. Nam imprimis si quid valeret, solùm probaret Eucharistiam remittere peccata iis, qui ex sola promissione verbi Dei non potuerunt fidem concipere: aliis autem qui fidem ex promissione verbi Dei concipiunt, nihil prodesse. Deinde, si Eucharistia non requiritur, nisi ad applicandam in particulari promissionem, planè superuacanea est. Nam applicatio illa fit ante Cōmunionem per absolutionem, quam Kemnitius dicit laudabiliter seruari in sua Ecclesia: & præterea potest fieri faciliùs per memoriam Baptismi. Denique, aut fidem habent homines ante Communionem, vel non habent. Si habent, ergo sunt iustificati à peccatis omnibus: si non habent, ergo indignè accedunt, quia sine præparatione necessaria accedunt. Quare quidquid dicatur, Eucharistia aut peccata non inuenit, quæ remittat; aut si inuenit, ea non tollit, sed auget, cùm indignè sumatur.

Tertia solutio habetur in Examine, cap.7. pagina 499. dicit enim Eucharistiam dari in testificationem, & obsignationem remissionis peccatorum, vt certiores efficiamur gratiæ iam acceptæ.

Sed hæc solutio est testificatio victoriæ Catholicorum. Nam si Eucharistia solùm obsignat remissionem peccatorum iam acceptam, ergo non illam exhibet, sed præsupponit, ergo non licet cum peccati conscientia ad Sacramentum accedere.

CAPVT XIX.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

Nvnc argumenta aduersariorum dissoluenda sunt. Ac primum Lutherus illo argumento vtitur, quòd Christus dixerit: *Nō veni vocare iustos, sed peccatores*: & quòd dum hîc in terris viueret, sese tangendum omnibus exhibuerit, etiam peccatoribus.

Respondeo, Christus cùm primùm ad se vocat, peccatores vocat: nulli enim sine ipso iusti esse possunt. At quos ad se vocauit, & per fidem, & pœnitentiam, ac Baptismum iustificauit, & regeneranit, ac filios suos, seu potiùs membra sua fecit, tum demùm illos cibo corporis sui alit. Itaque cùm Dominus dicit se peccatores vocare, loquitur de prima vocatione ad fidem, & pœnitētiam, non de inuitatione ad Eucharistiam. Quod autem idem Dominus se rangi passus fuerit à peccatoribus, dū hîc viueret, id faciebat, quia versabatur cum hominibus more humano, loquēdo, audiendo, tractando, & ea cōuersatio vtilis peccatoribus esse poterat. At in Eucharistia Dominus non ita existit, vt videatur, loquatur, & doceat more humano, sed existit per modum cibi, & cibi vtilis solùm mētibus benè dispositis: quare peccatoribus

A

nullum commodum adferret. Adde, quòd si argumentum hoc aliquid concluderet, efficeret etiam danda esse Eucharistiam ethnicis, & hæreticis, & pueris; nam Dominus etiam cum talibus versabatur, & ab eis tangi se permittebat.

Aliud argumentum proponit Caluinus lib.4.Institut.cap.17.§.41.& 42. Si ab omni peccato purgatum esse oportet, qui accessurus est ad communionem Eucharistiæ, quotquot in terris vnquam fuerunt, aut sunt homines, ab hoc Sacramento arcebuntur. Respondeo, Non sequitur.

Probat ille hoc modo; Nam si hoc agitur, vt nostram à nobis dignitatem petamus, actum de nobis est. Respondeo; Non hoc agitur, vt à nobis dignitas nostra peratur, sed à gratia Dei per Iesum Christū Dominum nostrum: ipse enim reliquit in Ecclesia potestatē reconciliandi peccatores per veram pœnitentiam.

B

Sed contrà obiicit Caluinus; Etiamsi quis contritione, confessione, & satisfactione peccata sua expiare conetur, tamen nunquam certus erit, se esse sine peccato: ergo si non nisi puri, & purgati accedere possunt, nemo audere debet accedere.

Respondeo, Non requirit Deus, vt qui accedit ad Sacramentum, certus sit se non habere peccata, sed solùm vt faciat, quod Apostolus iubet 1. Corinth. 11. nimirū, vt probet seipsum, & faciat, quod in se est, vt peccatum purgetur. Illi enim dignè accedunt, qui moraliter faciunt, quod in se est; non quidem dignitate æqualitatis, vel etiam meriti, quasi mereantur tantùm donum, vt Kemnitius mentitur nos dicere, cùm potiùs fateamur in ipso accessu ad Communionem nostram indignitatem, dicentes cum pio illo Centurione: *Domine non sum dignus, &c.* sed dignitate illa, quam Deus à nostra imbecillitate exigit, quæ potiùs est non indignitas, quàm dignitas. Illi autem indignè accedunt, non qui habent peccata, sed qui habent effectum vel conscientiam peccati nondum expiati. Quare B. Thomas 3.part.quæst. 79.art.3.docet eum, qui fortè habet peccatum mortale, sed non habet affectum, neque conscientiam, quia post diligens examen non ei occurrit, & si occurreret, sine dubio daret operam, vt per Sacramentum expiaretur: & dolorem habet omnium peccatorum suorum, licet non sit is dolor perfecta cōtritio; eum, inquam, dicit S. Thomas non indigne, nec inutiliter accedere, immò planè vtiliter. Quia etsi hoc Sacramentum non sit institutum ad peccata mortalia remittenda, tamen gratiam confert gratum facientem, & consequenter deler etiam peccata mortalia, si quæ inueniat in eo, qui non indignè accedit: gratia enim cū peccato simul manere nullo modo pōt.

C

Tertivm argumentum Kemnitij est in Examine 2.cap. Filius Dei Eucharistiam vocat Testamentum nouum, Luc.22. Sed in nouo Testamento includitur pactū de remissione peccatorum, vt patet ex Hieremia, cap.31. Et confirmatur argumentum, quia in ipsa institutione Sacramenti fit aperta mentio remissionis peccatorum, dum dicitur: *Hic est sanguis, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

D

Respondeo, Testamentum nouum accipitur variis modis. Primò pro voluntate testatoris, & hoc modo Eucharistia non dicitur Testamētum. Secundò pro hæreditate, seu bonis à testatore legatis, & hoc etiam modo Eucharistia non est Testamētum. Tertiò pro instrumento publico, quod simul sit, & signum voluntatis testatoris, & causa instrumentalis applicandæ hæreditatis: & hoc modo fatemur Sacramēta, & maximè Eucharistiam dici posse Testamentum nouum. Et quidem si Eucharistia dicatur Testamētum nouum, quia est signū voluntatis testatoris, nulla est difficultas. Nam Eucharistia, quia est signum, & repræsentatio mortis Christi, est etiam signum volūtatis testatoris, & omnium bonorum

nobis promissorum, atque adeò etiam remissionis peccatorum. Neque vllus nostrũ negat in Eucharistia contineri remissionem peccatorum, quatenus per eam repræsentatur effusio sanguinis Domini, per quam omnia peccata remittuntur. Et hinc soluitur confirmatio argumenti Kemnitiani. Nam illa verba, quæ dicuntur in institutione: *Qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, non significant, bibi sanguinem in remissionem peccatorum, sed effusum fuisse in remissionem peccatorum, & hoc per Eucharistiam repræsentari. Si autem dicatur Eucharistia Testamentum, vt caussa instrumentalis applicandæ hæreditatis, tum respondemus esse quidem Eucharistiam etiam hoc modo Testamentum, sed applicari per eam hæreditatem alio modo, quàm per alia Sacramenta, & ideò applicari per Christi merita, & gratiam Dei, quæ est hæreditas, non propriè ad peccata remittenda sed ad animam nutriendam, & præseruandam à peccatis. Id quod patet ex ipsa ratione Sacramentorũ. Nam in Baptismo applicantur Christi merita per modum lauacri, ad abluendas maculas: in Sacramento Pœnitentię applicantur per modum emplastri, vel pharmaci ad curanda vulnera: in Eucharistia autem applicantur per modum cibi, & potus ad reficiendum, & nutriendum, & præseruandum à morbis.

Posset etiam dici, Eucharistiam applicare hæreditatem etiam quantum ad remissionem peccatorum, sed tum solùm, cùm ea est necessaria, nimirum, cùm ij qui non indignè accedunt, habent aliqua peccata mortalia, quorum tamen conscientiam non habent.

Qvartvm argumentum eiusdẽ Kemnitij: ibidem; In omnibus Liturgiis habentur preces, quibus oratur Deus, vt faciat Sacramentum nobis esse in remissionem peccatorum.

Respondeo, Multis de caussis oratur, vt Sacramenti perceptio sit in remissionem peccatorum. Primò, quia prodest ad delenda peccata mortalia, quorum non habemus conscientiam, vt suprà diximus. Secundò, quia prodest ad tollendam pœnam, quæ remanet luenda etiam post culpam dimissam: vnde etiam pro peccatis defunctorum oramus in Missa. Tertiò, quia prodest ad delẽda peccata venialia, & quotidiana, quæ charitatem, & vitam animæ non extinguunt.

Sed contra hoc, est argumentum Quintum eiusdem Kemnitij in Examine tum 2. cap. tum etiam 7. Si Eucharistia delet peccata venialia, cur non etiam mortalia delere potest? num est tam exigua virtus sanguinis Domini in hoc Sacramento, vt delere non possit peccata, nisi venialia? Deinde si potest homo accedere cum peccato veniali ad Sacramentũ, cur non etiã cũ mortali?

Respondeo, Non negamus tantam esse virtutem sanctissimæ Eucharistiæ, vt peccata mortalia delere possit: nam cùm gratiam conferat, eo ipso peccata delere potest, quæcunque inuenerit, quæ cum gratia pugnent, & aliquando etiam id facit. Sed dicimus ex propria ratione Sacramenti, non ordinari ad peccata mortalia tollenda, sed ad vitam spiritualem conseruandam: quia cibus est, non lauacrum, vel emplastrum: & ex eadem ratione conuenit ei peccata venialia tollere. Nam peccata venialia debilitant quodammodò spiritum, & languorẽ quendam animi, ac lassitudinem inducunt: cibus autem id proprium habet, vt vires reficiat, & lætitiam, atque alacritatẽ adferat. Quare B. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. dicit Sacramentum hoc dici panem quotidianũ, quia medicina est contra peccata quotidiana. Ex eadẽ ratione intelligimus, cur liceat accedere cum peccatis venialibus, & non cum mortalibus, quia nimirum homines debiles comedere solent, mortui non solent: & peccata mortalia occidunt animã, venialia nõ occidunt, licet, vt dixi, aliquo modo debilitent. Quare B. Augustinus tract. 26. in Ioan. *Innocentiam*, inquit, *ad altare portate, peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera.*

Dicet aliquis, Si mortuis cibus non prodest, vt ratio euidenter docet, non igitur Eucharistia, quæ cibus quidã est, proderit iis, qui sunt in peccato mortali, licet conscientiam eius non habeant. Non enim magis prodest cibus iis, qui mortui esse nesciuntur, si verè mortui sunt, quàm iis, qui & sunt, & sciuntur esse mortui.

Respondeo, Eucharistia eiusmodi cibus est, vt nõ solùm nutriat viuentes, sed etiam vim habeat mortuos excitandi, vt ex eo patet, quòd gratiam gratum faciẽtem confert, vt sæpe diximus. Nec tamen ideò ad eam accedere debent, qui habent conscientiam peccati mortalis, quia tales indignè accedunt, & accedendo peccant, & proinde non prodest, sed etiam nocet: indignè autem accedunt, quia contra ordinem à Deo præscriptum accedunt. Deus enim instituit hoc Sacramentum per modum cibi, vt non nisi à viuentibus, & amicis, & filiis sumeretur: & pro remissione peccatorum mortalium alia remedia instituit.

CAPVT XX.

Proponitur quæstio, & sententia aduersariorum de Communione sub vna, vel vtraque specie.

Explicatis iis, quæ ad naturam, & causſas Sacramenti huius pertinebant: sequitur nunc, vt de vsu disputemus. Vsus autem primarius est ipsa communicatio, seu participatio Eucharistiæ: de qua vna est controuersia principalis: Vtrum videlicet necessariò participanda sit Eucharistia sub vtraque specie, an satis sit sub altera. Est autem hæc quæstio diligenter explicanda, quia hæretici nihil sæpius, nec aliquid magis inuidiosum obiiciunt, cùm apud suos Romanam Ecclesiam accusant, quàm quòd contra expressum Dei mandatum priuauerit populum vsu calicis.

Erunt partes sex huius controuersiæ. In prima referemus hæreticorum sententias, & qui de hoc argumento fusè scripserint. In secunda tractabimus, vtrum totus Christus sit in quauis duarum specierum: nam hæc est prima radix, cur necessaria videri possit vtraque species. In tertia tractabimus, an tota ratio sacramẽti in vna specie reperiatur. In quarta, an omnis fructus, qui ex vtraque specie habetur, haberi possit etiam ex altera tantùm. In quinta tractabimus, vtrum diuino præcepto aliquo præcipiatur sumptio vtriusque speciei. In sexta tractabimus, vtrum Ecclesia iustis de caussis prohibuerit laicis vsum calicis.

Qvantvm ad primum. Controuersia de Communione sub vtraque specie, exorta est Pragæ in Bohemia circa annum Domini M. CD. XII. auctoribus duobus Germanis; Petro Dresdẽsi, & Iacobello Misnensi. Nam vt scribit Æneas Syluius in historia Bohemorũ, cap. 35. Petrus ille Dresdẽsis cùm incidisset in illa verba Domini: *Nisi manducaueritis carnẽ Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Ioan. 6. miratus est cur contra tam apertum præceptum Domini, laici omnes fraudarentur vsu calicis. Itaque monuit Iacobellum, qui tum Pragæ concionator erat, atque illum impulit, vt pro concione populum instrueret, non posse eos saluari, nisi de calice Domini biberẽt. Placuit vehementer hic articulus omnibus hæreticis, vt Æneas testatur, quod se inuenisse tandem aliquando viderent expressum locum Euangelij contra vsum, & doctrinam Romanæ Ecclesiæ.

Svccesservnt deinde hoc nostro sæculo hæretici Lutherani, qui licet non existimẽt Ioan. 6. tractari de Sacramento Eucharistiæ, & ideò nec magnificiant fundamentum Husitarum pro Communione vtriusque speciei: tamen in sententia cum illis ferè conueniunt, & aliunde argumenta non pauca coacerunt.

Ac primùm Lutherus varia scripsit de hoc articulo, vt patet ex Septicipite Ioãnis Cochlæi, cap. 23. & ex tabula

bula Gasparis Querhameri, vbi notantur 36. contradictiones de hoc vno articulo; sed tres sunt præcipuæ eius mutationes, ex quibus apparet quomodo sẽper in peius proficeret. Nam initio suæ Apostasiæ scripsit declarationem quandam in sermonem de Eucharistia à se habitũ: vbi sic loquitur: *Non dixi*, inquit, *nèque consului, nec est intentio mea, vt vnus, aut aliquot Episcopi propria auctoritate incipiant alicui vtramque speciem porrigere, nisi ita instituerentur, ac præciperetur in aliquo generali Concilio.* Deinde paulò pòst in assert. artic. 16. ita mutat illam sententiam: *Consultum mihi videtur nunc, vt non modò per Concilium, sed per quamque diœcesim quilibet Episcopus etiã inuito Papa, Christũ sequutus in Euangelio, rursum vtramque speciem laicis daret.* Sed postremò in formula Missæ ita scripsit: *Si quod Concilium statueret, aut permitteret vtramque speciem, nos nequaquam vtraque vti vellemus, sed in despectum Concilij, eiúsque statuti aut vna, aut neutra, & minimè vtraque vti vellemus, maledicturi vniuersos, qui ex potestate, aut statuto Concilij vtraque vterentur.*

Similem progressum facit, quod attinet ad ipsos communicãtes laicos. Nam in sermone citato de Eucharistia apertè dicit, non esse necesse dari vtramque speciem laicis. Postea tamen in libro de captiuit. Babyl. cap. 1. fusè probat, iure diuino compelli sacerdotes, vt dent laicis vtramque speciem, si ipsi eam velint; tamen addit liberum esse laicis vnam, vel vtramque, vel etiam neutram sumere. Sed in Assert. art. 16. dicit eos, qui non possunt impetrare vtramque speciem, si omittant saltem eam desiderare, impios esse, & Christum ab eis negari: & in libro de Saxonica visitatione, damnat planè Communionem sub vna specie.

Ioannes Brentius in Apologia pro Confessione Vvittembergensi in 2. parte secundæ pericopes, prolixè disputat pro vsu necessario vtriusque speciei: & idem facit Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ: sed fusissimè omniũ, quos viderim, Martinus Kemnitius in 2. parte Concilij Tridentini, sess. 21. & Hermannus Hamelmannus in lib. de Cõmunione sub vtraque specie: & ex Sacramentariis Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 47. 48. 49. & 50. & in Antidoto articul. Parisiensium, art. 7.

Ex Catholicis multi copiosè, & doctè scripserunt: & in iis Ruardus Tapper in explicatione articuli 15. Louanienſium, Albertus Pighius in controuersiis Ratisponensibus controuersia 7. Ioannes Eckius in homiliis de Sacramentis. Cardinalis Hosius in Dialogo de Communione sub vtraque specie. Ioannes Roffensis in refutatione artic. 16. Lutheri. Aeneas Syluius in epist. 130. Thomas Caietanus in 3. parte S. Thomæ, quæst. 80. Dominicus à Soto in 4. sentent. dist. 12. quæst. vnica, artic. 12. Cẽsura Colonienſium contra errores Monhemij, artic. 27. cui adiungi debet, qui eam censuram contra Kemnitiũ eloquentissimè propugnauit. Dieghus Payua in lib. 7. qui est de Cœna Domini. Ioannes à Louanio in lib. de Communione sub vtraque specie, vbi præcipuè refellit librum cuiusdam Consultoris, qui sine nomine auctoris librum edidit de hac re, sed postea cognitum est, auctorem illum fuisse Gregorium Cassandrum. Iodocus Tiletanus in Apologia pro Concil. Tridentino. Scripserunt etiam nuper Claudius Sanctes in vltima tepetitione de Eucharistia: & Vvilhelmus Alanus lib. 1. de Eucharistia, cap. 39. & sequentibus, vsque ad finem libri.

CAPVT XXI.

Totum esse Christum sub vtraque specie.

Vt igitur ad primam quæstionem veniamus, Sacramentarij apertè rident concomitantiam corporis Domini cum sanguine in calice, & concomitãtiam sanguinis cum corpore in pane, seu panis specie. Vide Caluinum lib. 4. Instit. cap. 17. §. 18, 35. & 47. vbi oppugnat istam concomitantiam: & Petrum Martyrem in libro de Cœna Domini contra Gardinerum in defensione obiecti 36. Neque mirum est, si Sacramentarij concomitantiam non admittant, cùm corpus, & sanguinem tantùm in signo, non autem reipsa in Sacramento Eucharistiæ esse velint: signum enim corporis sine vlla Christi iniuria, vel læsione solum corpus significat, & signum sanguinis solum sanguinem.

Lvtherus variè admodum de hac re loquitur. Nam in Assertione art. 16, fatetur apertè totũ Christum accipi sub qualibet specie: in informatione autẽ ad quẽdam amicum de Communione sub vtraque, ridet concomitantiam. In lib. ad Vvaldenses de Eucharistia, dissimulat quæstionem tanquam minùs necessariam, dicit enim quosdam se torquere inanibus quæstionibus, quomodo anima Christi, & diuinitas sit in Sacramento.

Lvtherani autem tripliciter sunt diuisi. Quidam cum Sacramentariis audacter concomitantiam negant, cùm tamen verum corpus, & sanguinem in Eucharistia adesse contendant. In iis est Tilmannus Heshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit. 17. errore 4. & 18. numerat enim inter errores, quòd totum Christum sub vtraque specie contineri dicamus. Hermannus quoque Hamelmãnus in lib. de Communione sub vtraque specie, dicit concomitantiam esse Diabolicum inuentum. Illyricus in lib. contra Sacramentarios, part. 2. argumento 15. & par. 3. in solutione tertiæ obiectionis, apertè negat totum Christum esse sub qualibet specie.

Alii contrà, cùm Catholicis fatentur totum planè Christum sumi sub qualibet specie, vt Ioannes Brentius in Confessione Vvittembergensi art. de Eucharistia, & Kemnitius in fine disputationis de vtraque specie; & idem coguntur docere omnes, qui defendunt Vbiquitatem. Si enim Christus totus vbique est, certè totus in pane, & totus in calice erit.

Alii denique prudentiores quæstionem istam dissimulant, vt sæpius Lutherus fecit, & in iis est Philippus Melanchthon in Apologia, artic. 10. Confessionis Augustanæ. Nam cùm Catholici petiissent explicari, an totum Christum sub qualibet specie Confessio Augustana ponat, Philippus nihil ad hoc expressè, & in forma respõdere voluit; sed in fine tantùm illius Apologiæ dixit, se loqui de corpore viuo.

Cætervm veritas est, eáque necessariò credenda, totum planè Christum in specie panis, & totum in specie vini contineri: ita enim expressè definiunt tria generalia Concilia, Constantiense sess. 13, Florentinum in instruct. Armenorum, & Tridẽtinum sess. 13. cap. 3. & sess. 21. cap. 3. Ac non esse istam veritatem inuentum Scholasticorum, vt hæretici mentiuntur, probatur primò ex verbo Dei. Secundò ex consensu Patrum.

Sed antequam fundamenta solida proferamus, breuiter refellenda est opinio quorundam. Sunt enim qui existimant, ex illis verbis Cœnæ Domini: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, colligi, sub specie panis esse integrum Christum. Dicunt enim voce corporis, eo loco significari corpus viuum, & proinde corpus cum anima, & sanguine. Significari autẽ corpus viuum probant, quia Dominus loquitur de corpore, quod habebat, cùm illa diceret: tũc autem viuum corpus habebat, non mortuum. Et præterea, quia loquitur de corpore, quod tradẽdum erat, nimirum ad mortem, ergo de corpure morituro, & proinde tunc viuo loquebatur.

Sed hæc sententia repugnat Concilio Tridentino; sess. 13. cap. 3. vbi Concilium docet, vi verborum non esse in specie panis, nisi corpus, animam autem, & diuinitatem, & sanguinem, per concomitantiam. At si in verbis Domini, vox (corpus) significaret corpus viuum, vi verborum esset ibi corpus cũ anima, & sanguine. Deinde repugnat mysterio Eucharistiæ. Eucharistia enim est repræsentatio mortis Domini, & proinde sub specie panis repræsentatur corpus à sanguine separatum, & sub

specie vini sanguis separatus à corpore: ergo quod est sub specie panis, vi Sacramentalium verborum, non est nisi corpus.

NEQVE argumenta illa concludunt. Nam etiamsi Dominus viuus esset, cùm dicebat: *Hoc est corpus meum*, & proinde loqueretur de corpore, quod tunc viuum erat, tamen per vocē *(corpus)* non significabat nisi corpus, id est, illam partē naturæ humanæ, quæ cum anima componit hominē, illa enim pars, corpus Domini erat, & quando viuebat, & quando mortua erat.

HAC ergo opinione dimissa, solida fundamenta ex verbo Dei sunt tria. Primum est apud Ioannem in epist. 1. cap. 4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Nam etsi loquebatur Ioannes contra hæresim Ebionis, qui soluebat Iesum quià negabat esse Deū, & hominē: tamen sententia generalis est, & omnes illos damnat, qui quoquo modo soluunt hypostaticam vnionē Dei, & hominis, vel naturalem animæ, & carnis. Quare S. Patres ex hoc testimonio varios hæreticos confutare solent, vt patet ex Irenæo lib. 3. cap. 18. Augustino tract. 6. in epist. Ioānis, & Leone epist. 10. Qui autē concomitantiā negāt, apertissimè soluūt Iesum, cùm ponant alicubi corpus sine anima, & sanguine, & deitate.

ALTERVM fundamētum Ioan. 6. habetur. Nam illud caput ad Sacramentum Eucharistiæ pertinere, probatum est in 1. lib. de Eucharistia. Dominus igitur Ioā. 6. *Qui manducat me*, inquit, *viuet propter me.* At non manducatur Dominus, nisi in specie panis, ergo in specie panis, nō est solum corpus, sed totus Christus, neque enim de solo corpore diceret: *Qui manducat me.* Ibidem: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Et infrà: *Hic est panis, qui de cœlo descendit.*

TERTIVM fundamentum pendet ex tribus principiis fidei, quæ euidenter habentur in verbo Dei. Primū est, corpus Domini vere, & realiter esse in Eucharistia, propter illud testimonium Matthæi 26. *Hoc est corpus meum.* De quo principio conuenimus cū Lutheranis.

SECVNDVM est, Christum post resurrectionē viuere, nec vllo modo ampliùs moriturū, iuxta illud Roma. 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Ex hoc secundo principio manifestè colligitur, in specie panis non esse corpus Christi sine anima, & sanguine. Nam si exanimum, & exangue esset, morituum esset: at Christus iam non moritur. Neque multū refert, vtrum possit Deus de potentia absoluta efficere, vt solum corpus Christi sine anima in specie panis existat, & proinde simul in cœlo sit viuus, in terra sit mortuus: nam nō disputamus, quid Deus absolutè posset facere si vellet, sed quid sit facturus, & quid reipsa faciat. Ille autē non facit, nec est facturus in æternum, vt Christi corpus alicubi reperiatur mortuum: id quod scimus, quia reuelauit Spiritus eius per manum Pauli loco notato.

TERTIVM principium est, Christū esse vnam personam diuinam in duabus naturis subsistentem, iuxta illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Ex hoc autem principio manifestè colligitur, corpus Christi, vbicunque sit, non habere aliam, quàm diuinam subsistentiam Christi: & quia subsistentia idem est re cum diuina essentia, nec vllo modo ab ea separari potest, inde efficitur, vt vbi est corpus Christi, ibi sit etiam diuinitas Christi. Habemus igitur ex principiis fidei & ex verbo Dei manifestè probari, in specie panis cū corpore Christi esse etiā animam & sanguinem, & diuinitatem, & similiter in calice.

ACCEDAT nunc Patrū cōsensus. Sanctus Andreas (vt in vita eius scribunt presbyteri Achaiæ, quā authenticam esse in 2. lib. probauimus) apertè dicit, in altari agnum immaculatum offerri, & immolari, & à populo manducari, & tamen viuum, & integrū permanere. Origenes in diuersa loca Euangelij, homilia 6. meminit eius ritus, quo dicimus cōmunicaturi: *Domine non sum dignus.* Cyprianus li 4. epist. 6. dicit eos, qui corpus Domini sumunt, in ipso Dominū suum amplecti. Nicæna Synodus in canone citato in 2. lib. quē canonē omnes etiam hæretici admittunt, dicunt in sacra mēsa situm esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi. Neque responderi potest ipsum agnum esse in altari, sed partim in pane, partim in vino. Nam qui ita sentiuut, non ponunt reuera integrum agnū; non enim ponunt animam, sed corpus tantùm, & sanguinem: corpus autem, & sanguis sine anima non efficiunt agnum Dei, id est, Christum.

HILARIVS lib. 8. de Trinitate scribit, & sæpius repetit, per māducationem Eucharistiæ, vt ipse Filius Dei in nobis sit. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica dicit, nos esse Christiferos, quando communicamus, quia Christū ipsum in nobis habemus. 5. mystagogica dicit sub specie panis summū Regem sumi, & ideò maxima reuerentia sumendum, & cauendum ne in terram cadat. Ambrosius lib. de initiandis mysteriis, cap. 9. dicit Christū in Sacramento illo esse, quia ibi corpus est Christi: colligit enim rectè totū esse Christū, vbi pars est vna, à qua cæterę diuelli nequeunt. Basilius in Liturgia alloquitur Christum in Eucharistia latentem: *Qui supra*, inquit, *cum Patre sedes, & hic inuisibiliter nobiscum es.* Hieronymus in epistol. ad Hedibiā, quæst. 2. *Ipse*, inquit, *conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.* Et in Apologia pro libris in Iouinianum, reprehendens illos, qui post actum coniugalem non audebant in Ecclesia sumere Eucharistiam, & tamen domi sumebant: *An*, inquit, *alius in publico, alius in domo Christus est?* Ioannes Chrysostomus hom. 83. in Matthæum: *Ipsum*, inquit, *vides ipsum tangis, ipsum comedis.* Et homil. 24. in prioré ad Corinth. *Non regium puerum*, inquit, *sed ipsum vnigenitum Dei Filium accipis, &c.* & lib. 6. de sacerdotio dicit, in illa hora cōmunem omnium Dominum manibus tractari. Augustinus lib. 3. de Trinitate, cap. 10. dicit, infantes, cùm sacram hostiam vident, nescire quomodo facta sit illa species, tamen rectè credere Dominū in illa specie oculis apparuisse mortalium. & tractat. 11. in Ioānem de Catechumenis, quia non communicant, dicit eos credere in Iesum, sed Iesum non se credere ipsis. & in Psal. 3. dicit, Christum seipsum portasse manibus suis, quando dicebat: *Hoc est corpus meum.* Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioā. cap. 13. docet, per sacram Eucharistiam Christum in nobis manere, & habitare non solùm per affectum, sed etiam reipsa.

DENIQVE communis est Christianorum sensus, vt in Eucharistia sub specie panis se accipere credant non aliquod cadauer, sed ipsum viuum atque integrum Christum. Apud hæreticos autem, qui concomitantiam negant, non solùm sumitur cadauer ipsorum opinione, sed etiam ipsi eorum ministri quoties Cœnam faciunt, toties Christum reipsa occidunt, vel certè occidere se credunt: quæ sanè absurdissima sunt.

ACCEDIT etiam ratio Scholasticorum. Nam quandocunque aliqua sunt, & manent inter se coniuncta, nisi nouum miraculum fiat, non potest vnum alicubi esse, vbi non sit etiam alterum, manente illa coniunctione. Sed corpus Domini, anima, sanguis, & diuinitas inter se coniuncta sunt, nec potest iam solui illa coniunctio; ergo vbi est corpus, ibi sunt reliqua, & similiter vbi est sanguis, ibi sunt reliqua.

DICES, Ista ratio non videtur solida: nam inde probaretur, vbicunque est diuinitas, ibi etiam esse Christi corpus, & sanguinem; quæ est hæresis Vbiquistarū. Respondeo; Regula illa debet intelligi sano modo. Quæ enim adæquatè vniuntur, ita vt vnum non pateat latiùs, quàm alterum, in iis regula est simpliciter vera. Si verò vnum latiùs pateat, tunc Vbicunque est minus, ibi est etiam maius, non è contrario. Vt causa exempli, quia

gemma & annulus, sol & cœlum, anima & oculus non adæquatè vniuntur, inde est, quod vbicunq; est gemma, ibi est annulus, & vbi est sol, ibi est cœlum solis, vbi est oculus, ibi est anima, non contrà. Quoniam igitur diuinitas longè superat humanitatem, vbicunque est humanitas Christi, ibi est cum ea etiam diuinitas, non autem vbicunque est diuinitas, ibi est humanitas.

ACCEDANT miracula à Deo ostensa: nā vt credamus in specie panis esse corpus cum sanguine, nō semel ex fractione panis, copiosus sanguis manauit. Exempla extant in commentario Surij anni M. D. X. & M. D. LVI. Item apud Vincentium in speculo historiali lib. 30. cap. 24. & apud Alexandrum Alensem 4. parte q. 53. memb. 1. & in noua editione q. 11. m. 2. art. 4. §. 3.

ADDE, quòd argumenta hæreticorum leuissima sunt. Caluinus lib. 4. Inst. c. 17. §. 18. *Quod obtendunt*, inquit, *per concomitantiam in corpore esse sanguinem, & in sanguine vicissim corpus, nimis sanè friuolum est, cùm symbola, quibus includuntur, ita distincta sint.*

RESPONDEO, Nimis sanè friuola consequētia est, Symbola sunt distincta, ergo & res ipsæ sunt disiunctæ atque ab inuicem separatæ. Solùm enim sequitur diuersa esse, quæ symbolis illis significantur, duobus enim signis duo significata respōdent: non tamē sequitur res illas significatas à se inuicem distare, & vnā esse sine alia.

IDEM Caluinus §. 35. *Primùm*, inquit, *si sua illa, quam obtendunt, concomitantia ipsis negatur, quid facient? quis sanus, & sobrius Christi corpus Christum esse sibi persuadeat?*

RESPONDEO, Si negetur concomitantia, negandæ erunt Scripturæ, & principia fidei certissima, & Patrum omnium consensus. Neque sumus tam stulti, vt dicamus per concomitantiam fieri, vt corpus Christi sit Christus, sed vt corpus Christi nusquam sit absque anima, & sanguine suo, & ideò vbi corpus Christi est, ibi totum Christum esse.

IDEM deniq; §. 47. *Dominus panem ostendens corpus suum esse dicit, calicem dum ostendit, sanguinem vocat. humanæ rationis audacia cōtrà reclamat, panem esse sanguinē, vinum esse corpus, ac si Dominus nulla caussa corpus suum à sanguine, & verbis, & signis distinxisset: & vnquam fando auditum esset, corpus Christi, aut sanguinem Deum, & hominem appellari. Sanè si designare se totum voluisset, dicere poterat, Ego sum: non autem, Hoc est corpus meum.*

RESPONDEO, Nemo nostrum dicit, panem esse sanguinem, & vinū esse corpus, sed sub specie panis esse corpus cum suo sanguine, & sub specie vini esse sanguinem in corpore. Porrò Dominus non sine caussa distinxit verbis & signis corpus & sanguinem, quia ita oportebat passionem, & mortem eius repræsentari. Sed non ideò corpus, & sanguis reipsa ab inuicem diuulsa sunt, quia verbis, & signis distincta sunt: alioqui non posset pingi in vna tabella caput alicuius, & in alia pedes, nisi reipsa caput à pedibus diuelleretur. Etsi autē fando non est auditum, corpus Domini esse Deum, & hominem, quod neque nos dicimus: tamen qui sub specie illa panis latet, esse Deum & hominem, omnes Patres dicūt, quos suprà citauimus. Deniq; non dixit Dominus, Ego sum, sed, *Hoc est corpus*, quiá id solum exprimere voluit, quod eo signo repræsentatur. Nam alioqui Ioan. 6. satis apertè dixit: *Qui manducat me, viuet propter me.*

HERMANNVS Hamelmannus, præter Caluini argumenta, quæ ipse etiam repetit, argumentatur ex illis rythmis sancti Thomæ: *Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.* Nullum autem datur dogma, quod in panem transit corpus, & sanguis. Et rursus profert illud: *Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub vtraque specie.* Si enim sub vtraque totus, non ergo sub altera tantùm.

RESPONDEO, Hæc sunt testimonia verbi Dei, quę se habere iactant contra dogmata Catholicæ Ecclesiæ: nisi enim sanctus Thomas rythmum illum scripsisset, non haberet Hermannus vllum argumentum, quo reprobaret inuentum diabolicum (vt ipse vocat) concomitantiæ. Sed nimis stupidus est, si existimat rythmum sancti Thomæ pugnare cum doctrina eiusdem, & omnium Catholicorum. Dico igitur, nullum esse dogma, quod corpus & sanguis in panem transeant: neque etiam rythmus habet, In panem transit corpus, sed: *In corpus transit panis.* Verè enim (vt sanctus Thomas dicit) panis in carnem, & vinum in sanguinem transit: non panis in carnem, & sanguinem, neque vinum in sanguinem, & carnem: tamen quod non est sub specie panis ex vi conuersionis, est ex vi concomitantiæ naturalis, & quod non est sub specie vini ex vi conuersionis, est ex vi similiter concomitantiæ.

QVOD autem negatur Hermannus, totum Christum esse sub vtraque specie, non autem sub altera tantùm, ex mera vel imperitia, vel impudentia nascitur. Dum enim sanctus Thomas dicit, totum Christum esse sub vtraq;, intelligit sub vtraque disiunctim, & seorsum: nam alioqui non poneret particulam aduersatiuam (tamen) sed coniunctiuam (et). Et præterea caro & sanguis non faciunt Christum totum, nisi addantur anima & diuinitas: non ergo significat sanctus Thomas (vt Hermannus somniat) totum Christum esse in Eucharistia, quia in pane est caro, & sanguis in vino.

HABEMVS ergo principale fundamentum eorum, qui Communionem vtriusque speciei necessariam esse iudicant, prorsus inutile, & planè putridum esse. Vnde Concilium Constantiense sess. 13. & Basileense sess. 30. cùm definiunt alteram speciem satis esse, hoc argumento vtuntur, quia totus Christus in altera, sicut in vtraque sumitur. Nunc ad alterum fundamentum de ratione Sacramenti accedamus.

CAPVT XXII.

Totam Sacramenti rationem in vna specie inueniri.

VAERITVR igitur Secundò, num in vna specie tota Sacramēti ratio inueniatur. Hinc enim valde in Catholicos hæretici inuehūtur, quod Sacramentum Domini mutilent, & sic mūtilatum, & imperfectum laicis porrigant. Nam vel panis & calix sunt duo Sacramenta, vel vnum. Si duo, ergo populum integro Sacramento fraudant, qui calicem ei negant. Si vnum, ergo dimidiatum Sacramentum laicis datur. Et confirmatur argumentum. Nam Eucharistia est conuiuium spirituale: ad conuiuium autem non sufficit cibus, sed requiritur etiam potus, quare populum parùm ciuiliter tractant, qui ad sacras epulas eum inuitant, & solum cibum sine potu illi tribuunt.

VT quæstio ista facilè, & perspicuè explicetur, reuocandum est ad memoriam, Eucharistiam tribus modis considerari posse. Primò, vt sacrificium. Secundò, vt pignus diuini amoris. Tertiò, vt Sacramentum. De singulis breuiter explicabimus, vtrum in vna tantùm specie saluari possint, tametsi præcipua nostra quæstio de Sacramento sit.

SIT igitur Prima propositio: *Eucharistia, vt est pignus amoris, potest optimè in quauis specie conseruari.* Nam Eucharistia est pignus, quatenus significat, & exhibet Christum præsentem: id autē quælibet species facit. Vnde etiam Ecclesia Catholica vnā tantùm speciē exhibet spectandam, extra sacrificium, & in processione circūfert.

SECVNDA propositio: *In vna specie non habetur perfectè, & integrè sacrificij ratio, sed vtraq; necessaria est.* Nā Eucharistia, vt sacrificium, significat Christi passionem: est enim quædam imitatio sacrificij in cruce peracti. Sola autem species panis non repræsentat exactè Christum vt mortuum, nisi ab altera parte conspiciatur sanguis, vt effusus. Et similiter sola species vini non

repræsentat sufficienter Christum, vt immolatum, non enim solus sanguis est victima. Præterea in sacrificio Missæ debet esse reipsa, quod fuit in typo in sacrificio Melchisedech, cùm sit Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psal.109. Melchisedech autem obtulit panem & vinum, Gen.14. Denique sacrificium propriè ordinatur ad remissionem peccatorum, vnde dicitur propitiatorium: sine sanguinis autem effusione, non fit remissio, Heb.9. Necesse igitur fuit, vt perspicuè repræsentaretur sanguinis effusio.

IDEM colligitur ex Ecclesiæ consuetudine, quæ nunquam passa in vllo casu est sacrificium offerri sine vtraque specie, si vtraque species haberi possit. Nam in Concilio Tolet. VII. can. 2. statuitur, vt si Sacerdos post inchoatum sacrificium, id est, post consecratam vnam speciem (vt communiter exponitur illud decretum) adeò ægrotare incipiat, vt prosequi nequeat, alius Sacerdos succedat, & perficiat sacrificium. Et S. Thomas 3. par. q.83. art.6. addit, si Sacerdos post cõsecratam vnam speciem, recordetur se non esse ieiunum, aut esse in peccato mortali, aut excommunicatum, aut alio vinculo impeditum, doleat corde cum proposito faciendi postea, quod debet, & nullo modo imperfectum sacrificium relinquat. Itaque duarum specierum necessitas, quod non aduertunt aduersarij, potissimùm ad sacrificium pertinet,

TERTIA propositio: *In qualibet specie inuenitur tota essentia ac ratio Sacramenti: ita vt hostia consecrata, vt conseruatur in templis, & vt à laicis sumitur, sine specie vini, absolutè, verè, & propriè dici debeat Sacramẽtum Eucharistiæ, non Sacramentum mutilatum, aut dimidiatum.* Quæ sententia habetur expressè in Concilio Trident. sess.21.c.3. vbi definitur, sub vna specie non solùm totum Christum sumi, sed etiam verum Sacramentum.

PROBATVR iam hæc sententia. Nam in quolibet Sacramento requiritur significatio, & causalitas: est enim Sacramentũ signum, & causa gratiæ. Hæc autem reperiuntur in qualibet specie, id est, tam in specie panis, quàm in specie vini seorsim sumptis. Siquidem significatio Eucharistiæ, vt Sacramentum, duplex est, iuxta duplicem eius effectum. Prior est significatio internæ refectionis. Posterior est significatio vnionis fidelium inter se, & cum Christo. De priore dicitur Io. *6. Caro mea verè est cibus, &c.* De posteriore 1.Cor.10. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus*.

VTRAQVE autem significatio in qualibet specie reperitur. Nam in specie panis significatur sufficienter refectio animæ, etiamsi non adderetur species vini, & similiter in specie vini, etiãsi non adderetur species panis. Nam etiamsi species panis non significet refectionẽ spiritualem, nisi per modum cibi, & species vini non significet eandem refectionem, nisi per modum potus: tamen vt aliquid dici possit absolutè, & verè Sacramentum, satis est, si significet refectionem aliquam spiritualem, & eandem reuera efficiat. Quocirca duo illa signa, species videlicet panis, & species vini, non tam essentiales, quàm integrales partes huius Sacramenti esse videntur: ex quo sequitur, vt Eucharistia sub vna specie sit verum, & integrum Sacramentum essentialiter, licet etiam pars Sacramẽti dici possit, si partes materiales symboli externi considerẽtur. Dixi autem, (ex parte symboli externi) nã ex parte rei significatæ, id est, ex parte refectionis spiritualis, nihil deest vlli speciei: siquidẽ in spirituali refectione non distinguuntur cibus, & potus, sed vna, & eadẽ res, & nutrit, quod est cibi officiũ, & refrigerat, sue irrigat, & inebriat mentẽ, quod est officiũ potus. Itaq; in diuinis literis iustitia, & sapientia, & similia dicuntur esuriri, & sitiri vt cibus, & potus. Mat.5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Vides eandem iustitiã, & cibum esse, & potum. Et Eccl. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Et Cyprianus sermone de Cœna Domini disertis verbis dicit ad eandem rationem pertinere cibum, & potum spiritualem: & similia docet Augustinus in illud Psal.103. *Panis cor hominis confirmet.* Quare Ioan.6. licet dicat Dñs: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, tamen ibidem ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, & qui manducat viuet propter me.*

IAM quod attinet ad aliam significationem, manifestum est in specie panis etiam sola, optimè significari vnionem fidelium cum Christo, & inter se. Nam panis, quatenus constat ex multis granis in vnum redactis, significat vnionem fidelium, quatenus constat ex farina & aqua, significat vnionem Christi cũ Ecclesia, vt Cyprianus restatur lib.2. epistol.3. ad Cæcilium. Quocirca beatus Paulus, cùm dixisset: *Vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus*, non putauit esse addendum. Et de vno calice bibimus; quia nimirum intelligebat ex sola panis specie sufficienter significari hanc vnionem. Idem dici potest de specie vini. Vinum enim, quòd ex multis vuis confluat, vnionem fidelium inter se designat, quòd autem in sacro calice aqua vino admisceatur, eodem Cypriano teste, vnionem Christi cum Ecclesia repræsentat. Quod ergo ad hanc significationem attinet, nihil desiderari potest in qualibet specie ad verum, & integrum Sacramentum.

IAM verò quantum ad caussalitatẽ, seu efficientiam, eadem reperitur in qualibet specie Sacramenti huius: nam tota efficientia nascitur ex ipso Christo, qui sub illis speciebus continetur, vt suprà diximus, cùm de natura Sacramenti Eucharistiæ disputaremus. Christus autem idem, & totus est tam sub specie panis, quàm sub specie vini, vt capite superiore demonstratum est; quare eadem efficientia est in specie panis, quæ in specie vini, & eadem in singulis, quæ in vtrisque simul sumptis.

HVC accedit, quòd quælibet species habet propriam materiam, propriam formam, & quod est amplius, propria quadam actione, & consecratione conficitur, nec vllo modo, vt Sacramentum sit, vna species pendet ab alia. Nam Dominus priùs sub specie panis Sacramentum confecit, & manducandum dedit, ac deinde manducatione absoluta, sub specie vini Sacramentum confecit, & bibendum tradidit. Et Ecclesia Catholica, non sine caussa post speciem panis consecratam, Sacramentum populo adorandum exhibet, antequam sub specie vini consecrare aggrediatur.

ACCEDIT etiam communis fidelium consensus: nemo enim hostiam consecratam videns, dicit esse partem Sacramenti, aut Sacramentum mutilum, sed Sacramentum simpliciter omnes appellant.

ACCEDVNT deniq; typi, & figuræ Testamenti veteris. Quæ enim figuræ erant Eucharistiæ, vt Sacramentũ est, in sola specie manducabili consistebãt, vel in sola specie potus, vt patet de pane propositionis, de Agno Paschali, & de Manna quę sine potu data sunt: & in aqua de petra scaturiente, quæ sine cibo aliquo mystico data est. Nam etiãsi Apostolus coniungat, 1.Cor.10. cibũ spiritualem, id est, Manna, & potũ spiritualem, id est, aquam de petra: tamen illæ duæ figuræ sunt distinctæ, & diuersis réporibus datæ. Mãna enim datum est in deserto Syn. Exod. 16. & postea aqua in Raphidim, Exod.17. Quare Dñs Ioan. 6. vbi comparat Manna cum Sacramento Eucharistiæ, nullam mentionem facit aquæ, & ibidem Dominus in signum eiusdem rei multiplicauit panes insigni miraculo, vinum, vel aquam non multiplicauit.

QVARTA propositio: *Duæ species Sacramenti cùm simul sumuntur, non sunt duo Sacramenta, sed vnum.* Nota duas species Sacraméti duob⁹ modis posse sumi. Primò, simul vt iã sumuntur à Sacerdotibus, in Missa. Secũdò, non simul, sed réporibus diuersis, vt si quis hodie solam

spe

speciem panis sumeret, alio die solam speciem vini. Et si quidem sumantur secundo modo, id est, temporibus diuersis, tum sine dubio sunt duo Sacramenta numero distincta. Nam quælibet per se est integrum Sacramentum, vt superiore propositione ostendimus, & sunt ibi duæ diuersæ refectiones, non secus, ac si quis sub specie panis duobus diuersis temporibus communicaret. At si sumantur simul, vt Sacerdotes faciunt, tunc non sunt duo Sacramenta, sed vnum, quia ad vnam refectionem ordinantur, & vnam rem significant, & vnum effectum producunt. Simile quid cernimus in conuiuiis corporalibus, si quis enim tria, vel quatuor, vel plura fercula eodem tempore ponat in mensa, illa omnia vnum conuiuium facient: si verò duo tantùm ponantur hodie, & cras reliqua, iam erunt duo conuiuia. Similiter in Baptismo, si quis eodẽ tempore ter mergatur, vnus erit Baptismus: si autem diuersis temporibus, tria essent Baptismata. Et in Sacramento altaris, si quis vno tempore sumat duas, vel plures particulas, vnum Sacramentum accipit, si autem diuersis temporibus, plura Sacramenta erunt. Licet enim quælibet particula integrum Sacramentum contineat, tamen cùm adiungitur alteri, non multiplicantur Sacramenta, sed solùm augetur, quod est materiale in symbolo.

EX his ad argumentũ aduersariorum initiò factum respondemus, populo dari integrũ Sacramentũ, non mutilum, vel dimidiatum, siquidem in qualibet specie seorsim inuenitur veri atque integri Sacramenti ratio.

DICES, si est integrum quod accipit laicus, ergo sunt duo integra Sacramenta, quæ accipiuntur à Sacerdote. Respondeo, negatur consequentia. Nam duæ species simul sumptæ non faciunt duo Sacramenta, sicut nec duæ particulæ consecratæ simul iunctæ, vel duo calices sanguinis in eodem altari existentes: nec tres mersiones sunt tria Baptismata.

AD confirmationem respondeo, populo datur cibus spiritualis, qui est integra, & totalis refectio, & virtualiter continet cibũ & potum, vt suprà ostendimus. Neq; obstat, quod à Sacerdotibus in ipso sacrificio distinctè sumatur Eucharistia per modum cibi, & per modũ potus: id enim fit potissimùm ob sacrificij, non ob Sacramenti integritatem. Neq; inde aliquid populus perdit; nã idipsum, quod sumit Sacerdos sub duplici symbolo, sumit populus sub vno: quemadmodum si vni alicui darentur in vna schedula 100. aurei à mercatore accipiendi, alteri darẽtur totidem aurei, sed in schedulis duabus.

CAPVT XXIII.

Non maiorem vtilitatem sumi ex Communione sub vtraque specie, quàm sub vna.

EQVITVR Quæstio Tertia de fructu, qui ex Communione percipitur. Nam postquã totum Christum, & integrum Sacramentum in vna specie sumi demõstrauimus, id vnum superest, vt videamus vtrum aliquis fructus iis depereat, qui sub altera tantùm specie Eucharistiam sumũt. Et quoniam de fructu Sacramentorum longè aliter disputant hæretici nostri temporis, atque Catholici faciant, iuxta vtrorumque sententiam de Eucharistiæ fructu disseremus.

AC vt à sententia hæreticorum incipiamus statuo hanc propositionem Primam. *Eius fructus, quem Lutherani omnes in Sacramentis quærunt, non minùs percipiunt, qui sub vna specie communicant, quàm qui sub duabus.* Probatur. Nam fructus quẽ Lutherani in Sacramentis quærunt, est excitatio fidei, vel confirmatio: dicunt enim Sacramenta non aliter prodesse, quàm significatione sua, tanquã visibili verbo repræsentando promissiones Dei. Quam eorum sentẽtiam copiosè declarauimus, & confutauimus in lib.2. de Sacramentis in genere, in disputatione de effectu Sacramentorũ. Iste autem fructus meliùs obtinetur videndo Eucharistiã in mensa, quàm eam manducando. Nam dum manducatur, continuò perit significatio, at dum cernitur, & attentè cogitatur, semper repræsentat, & significat promissiones Dei, etiamsi per integrum annum quis eam cernere vellet. Præterea significatio meliùs apprehenditur per oculos, quàm per gustandi sensum, cùm sit ille longè spiritualior, & aptior ad intelligentiam adiuuandam. Nihil ergo fructus perit communicantibus sub vna, quia licet vnam tantùm ore sumant, tamen oculis vtramque sumunt non minùs, quàm Sacerdotes; & possunt, si volunt, ex illo aspectu significationem percipere.

SIT iam Secunda propositio de fructu Sacramenti secundum Catholicos: *Ex qualibet specie percipitur tantum eius fructus quem Catholici in Sacramento quærunt, quantum necessarium est ad salutem.* Habetur hæc propositio in Concilio Tridentino, sess.21 ca.3. vbi Concilium directè damnat hæreticorum sententiam de necessitate vtriusque speciei. Nam fructus quem Catholici in Sacramento quærũt, est gratia Dei animæ infusa, per quam conseruatur vita animæ, vt per ciborum nutritionem conseruantur corpora: sed quælibet species confert gratiam, vt suprà demonstrauimus, cùm sit verum Sacramentum, & quilibet gradus gratiæ sufficit ad implenda mandata, immò ad pellenda etiam omnia peccata. Et confirmatur ex Ioan. 6. vbi Dominus pollicetur vitam sumenti vnam speciem: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

TERTIA propositio: *Licet plus gratiæ & fructus ex vtraque specie, quàm ex vna tantùm caperetur, non propterea opus esset, vel expediret vt omnes vtramq; speciem sumerent.* Probatur. Nam ex duobus malis semper est eligendum minus malum: est autem minus malum, vt homines aliqui careant aliquo bono non necessario, quàm vt Sacramentum Dei euidenti periculo irreuerentiæ exponatur. Exponeretur autem euidenti periculo, si communiter populo daretur Eucharistia sub specie vini, moraliter enim fieri non posset, quin sæpius effunderetur sanguis Domini. Et confirmatur hæc ratio ab exemplis similibus. Certè Sacerdotium gratiam confert, nec tamen expedit omnibus fieri Sacerdotes. Paruulis Eucharistia gratiam conferret, & tamen quia ea non indigent necessariò, nec sine irreuerentia eis dari posset, non eis datur, neque à Catholicis, neque ab hæreticis.

PRAETEREA plus gratiæ recipi potest ex frequẽti Communione sub vna specie, quàm ex rara sub vtraque: non igitur est necessaria Communio sub vtraque, cùm facili negotio compensari possit damnum, si quod sit. Nam si communicant iam singulis mensibus sub vtraq;, communicent decimo quinto, aut octauo quoque die sub vna, & sine dubio multò ampliùs lucrabuntur.

DENIQVE, posita veritate secundæ Conclusionis, quæ certissima est, magis lucratur qui (vt Ecclesiæ obediat) communicat sub vna, quàm qui sub duabus sine illo ingenti obedientiæ fructu.

SIT Vltima propositio: *Nihil spirituale fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex vna.* Hęc propositio non est adeò certa, vt superior: de hac enim variè sentiunt Theologi, neque Concilium eam apertè definire videtur. Est tamen nostra sententia, atque assertio communis, & probabilissima, adeò vt simpliciter asseri, & ex pulpito in concione ad populum proponi possit. Nam In primis Concilium Tridentinum licet non apertissimè hoc definierit, tamen satis indicat, sess.21.can.3. cùm dicit, sub vna specie sumi integrum Christum omnium gratiarum fontem: significat enim his verbis sub vna specie sumi omnem gratiam, quæ ex Eucharistia sumi potest. In Concilio etiam Basilien si ea conditione concessus fuit calix Bohemis, vt Ruardus testatur, vt crederent non plus fructus sumi ex duabus speciebus, quàm ex vna.

PRAE

PRAETEREA, est hæc sententia communis Theologorum, tum veterum, vt sancti Thomæ, opusc. 58, c. 29. in fine. & 3. part. quæst. 80. art. vltimo. Sancti Bonauenturæ, & Richardi in 4. distin. 11. tum etiam recentiorum, vt Gabrielis lect. 84. in canonem Missæ, Ioan. Roffensis, Caietani, Dominici à Soto, Ruardi, Ioan. à Louanio, & aliorum.

VNVS est ex veteribus, qui contrarium sensit, Alexander Alensis in 4. parte summæ, quæstione 53. membro. 1. Ex receptioribus autem Gaspar Cassalius in secundo libro de Cœna, & Calice, cap. 25. rem in dubium reuocat. Et quamuis Ruardus videatur interdum in contrariam sententiam propendere, id facit, vt aliquo modo conciliet Alexandrum cum sententia communi: alioqui enim plurimis in locis apertissimè docet, nihil omninò plus vtilitatis recipi ex duabus speciebus, quàm ex vna, quæ loca diligenter notauit Ioannes à Louanio.

PROBATVR igitur propositio nostra. Si sumptio vtriusque speciei plus gratiæ, aut fructus spiritualis conferret, quàm sumptio vnius, id necessariò oriretur, vel ex symbolo continente, vel ex re contenta. Ex symbolo id nasci non potest, quia symbolum non operatur, nisi per virtutem sibi impressam, in Eucharistia autem loco virtutis impressæ est ipse Christus, siue corpus eius, & sanguis: non igitur ex symbolo oritur maior gratia.

DICES, Licet symbolum operetur per virtutem impressam, tamen id operatur, quod significat, ergo quando symbolum cumulatiùs, & pleniùs significat, effectum etiam pleniorem, & maiorem operatur. At duæ species cumulatiùs, & pleniùs significant, quàm vna.

RESPONDEO, Symbolum efficit quod significat, sed id non efficit per significationẽ, sed per vim operatiuam: significatio enim non operatur nisi in mente, excitando affectum aliquem, dum apprehenditur. Id ergo symbolum, quod significat cumulatiùs, & pleniùs, si significet pleniùs, id est, aliquid pleniùs, & meliùs; tunc sine dubio operatur etiam effectum pleniorem, quia virtus operatiua proportionatur significationi. Si autem significet pleniùs, id est, distinctiùs, & clariùs, rem eádem non efficit meliorem, vel maiorem effectũ: alioqui moneta meliùs impressa plus valeret, quam alia, & literæ, quibus diplomata continentur, quo accuratiùs scriptæ essent, eo maioris essent auctoritatis. Et vt exemplis propriis vtamur, Baptismus trina mersione collatus magis iustificaret; & hostia sacra cũ imagine crucifixi impressa in exteriore superficie magis reficeret. Talis autem significatio est duarum specierum, quia nimirum exactiùs, & clariùs significat Christum esse alimentum animorum, non tamen aliquid significat, quod ab altera specie, licet paulò obscuriùs non significetur.

OMISSO igitur symbolo ad rem contentam veniamus. Si ex re contenta maior illa gratia oritur, id fit, vel quia res contentæ in vtraque specie sunt reuera duæ, & diuersæ, & quælibet operatur aliquid in animam suscipientis, & hoc dici non potest, cùm vnus & idem Christus in vtraque specie sit: vel quia vna res quidem, & eadem in vtraque specie continetur, sed ea bis sumitur, cùm sumitur vtraq; species, semel autem tantùm sumitur, cùm vna species sumitur. At neque hoc dici potest. Nam non augetur gratia vel fructus, quãdo bis sumitur eodem tempore, quia sumitur per modum vnius refectionis, alioqui, qui duas très ue particulas sumeret, vnã post alteram, in eadẽ participatione mysterij maiorem gratiam acciperet, quàm qui vnam tantùm: nam in singulis particulis Christus est. Et pari ratione cùm Sacerdos nõ vno haustu, sed duobus, aut tribus sumit sanguinem Dñi, plus gratiæ acciperet, quàm qui vno haustu totũ ebibit, quę sanè absurdissima sunt omniũ consensu.

SED argumenta quædam, quæ contrà obiiciuntur, dissoluenda sunt. Primò, Caluinus obiicit lib. 4. Institut. cap. 17. §. 47. fraudari populum magna fidei confirmatione: nam multò clariùs nobis significant duæ species, quàm vna, Christum esse cibum, & potum animarum nostrarum.

RESPONDEO, iam suprà docui fructum ex vtraq; specie à populo capi posse, etiamsi vtraque species non manducetur: nam videndo symbola meliùs percipit homo eorum significationem, quàm comedẽdo. Præterea sententia ista Caluini, & Lutheranorum, quod Sacramentorum fructus consistat in confirmanda fide, absurdissima est, & proinde argumentum, quo probare volunt vtriusque speciei necessitatem, falso nititur fundamento. Nam si fructus Sacramentorum in eo consisteret, vt apprehensa significatione moueretur animus, homines rudes nihil ferè vtilitatis ex Sacramentis perciperent, infantes autem ex Baptismo nihil omninò lucrarentur, denique quo quis esset ingeniosior, eò maiorem fructum perciperet, atque ita Sacramentorum effectus magis penderet ex natura, quàm ex gratia. Sed de hac re satis multa diximus in libro de Sacramentis in genere.

SECVNDÒ obiicit Georgius Cassander apud Ioannem à Louanio (nam librum ipsum Georgij non vidi) Sancti Patres tribuunt peculiarem effectum sanguini Domini, qui ex calice sumitur. Sic enim Ambrosius loquitur lib. 5. de Sacramentis, c. 3. *Quotiescunque bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris spiritu.* Et Cyprianus lib. 1. epist. 2. *Quomodo docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?*

RESPONDEO, sancti Patres non tribuunt peculiarem effectum sanguini Domini, vt distinguitur contra corpus eiusdẽ Domini, sed simpliciter tribuunt effectum quendam sanguini Domini, quia verè illi conuenit, sed non negant eundem conuenire etiam corpori Dñi, quemadmodum sæpe multa tribuuntur Deo Patri, vel Filio, & tamen non negantur ea de Spiritu sancto, licet non exprimatur tunc Spiritus sanctus. Hoc autẽ esse verum patet, quia iidem auctores in aliis locis eosdẽ effectus tribuũt corpori Dñi. Ambrosius enim, qui li. 5. c. 3. tribuit sanguini remissionem peccatorum, idem lib. 4. c. 5. sic ait. *Qui mãducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum.* Et Cyprianus in illa epistola, vbi dicit, Martyres futuros confirmari, atque armari debere potu sanguinis Domini, ibidem dicit muniri debere protectione corporis Domini. Ipse quoq; Apostolus cùm de fructu passionis Domini loquitur, nunc tribuit omnia corpori, nunc sanguini, vt patet Col. 1. *Pacificans*, inquit, *per sanguinem crucis eius.* Et infrà: *Reconciliauit in corpore carnis eius per mortem.* Adde quòd Patres non tribuunt illum effectum speciebus vini, sed ipsi Dominico sanguini: sanguinem autem accipiunt, qui sub vna specie communicant, licet vini speciem non accipiant.

TERTIÒ, obiicit idem argumenta quædam Ruardi, qui ea proposuit, non vt probaret sententiam aduersariorum, sed vt rei difficultatem ostenderet. Sit igitur hoc argumentum Tertium: Alius est effectus cibi, alius potus; cibus enim famem sedat, potus sitim extinguit. Sed Eucharistia sub specie panis est cibus, sub specie vini est potus: igitur Eucharistia sub vtraque specie plures effectus producit, quàm sub vna.

RESPONDEO, alius est effectus cibi, qui solùm est cibus, & alius potus, qui solùm est potus. At non alius effectus est cibi, & potus, quando vterque continet vtrũque, qualis est in rebus corporalibus lac, quo infantes nutriuntur: est enim ille potus cibalis, qui & sitim, & famẽ sedat: & panis vino, vel aqua maceratus, qui est cibus quidẽ, sed potum continens. Talis igitur est cibus, & potus animarum, vt suprà demonstrauimus: vna enim,

& eadem res, siue detur sub specie panis, siue sub specie vini, siue vtriusq;, & famem, & sitim animæ sedat. Nec vlla differentia cerni potest, nisi in symbolis externis, quibus per quandam similitudinem effectus, & proprietates alimenti spiritualis explicantur.

QVARTVM argumentum. Eucharistia sub specie panis Sacramentum est, ergo gratiam confert. Vel igitur superaddita sumptio calicis gratiam auget, vel non auget. Si primũ, ergo maior fructus capitur ex duplici specie, quàm ex vna. Si secundum, ergo verũ Sacramentũ non confert gratiã, ergo fruſtrà sumitur à Sacerdotibus.

RESPONDEO, idem argumentum fieri posset de duabus particulis consecrati panis, & de duobus haustibus vini cõsecrati, vt suprà diximus: ex quo perspicuum est hoc argumentum de duplici specie non concludere. Dico igitur sumptionem Eucharistiæ sub specie panis gratiam conferre, sed eam gratiam in sumptionẽ vtriusque speciei, vt in vnam caussam esse referendam, quandoquidem ad vnam refectionem vtraque species confert. Quocirca Eucharistia sub specie vini, quæ paulò pòst sumitur, non nouam aliquam gratiam tribuit, nisi fortè maiori aliquo ardore spiritus percipiatur.

POSSET etiam dici, Eucharistiam sub specie panis non conferre gratiam, nisi tota sumptione Eucharistiæ absoluta. Et quia cùm sumitur vtraque species, nõ censetur absoluta sumptio, nisi cùm sumpta est vtraq; species; ideò Eucharistiã sub specie panis conferre quidem gratiam, sed non ante sumptionem alterius speciei. Tũc autem vtramque simul gratiam conferre, sed eandem quam sola contulisset vna species, si sola sumpta fuisset, sicut etiam in Baptismo, cùm adhibetur trina mersio, non datur gratia, nisi vbi omnes tres absoluuntur, cùm tamen post primam detur, cùm adhibetur vna sola.

NEQVE ideò fruſtrà, aut inutiliter sumitur à Sacerdotibus vtraq; species: non enim est inutile id quod aliquid facit, licet etiam sine eo id fieri potuisset. Id quod manifestè patet in miraculis Domini. Dñs enim aliquando sola voluntate operabatur miracula, vt cùm aquam in vinum conuertit; aliquando voluntate, & verbo, vt cùm Lazarum excitauit, aliquando voluntate, verbo, & contactu, vt cùm excitauit puellam mortuam: aliquãdo voluntate, verbo, contactu, & alio instrumẽto, vt sputo, vt cùm cæcũ illuminauit, & alibi surdum, & mutum curauit. In his omnibus nihil erat inutile, & superfluũ, quia omnia operabantur, & tamen non erant omnia necessaria, neque maiorem effectum producebant omnia simul, quàm vnum, aut duo tantùm. Non enim meliùs reuixit puella, quàm Lazarus, etiamsi illam, & voce appellauit, & manu apprehendit, Lazarum autem solùm vocauit. Præterea Sacerdotes, non solùm non inutiliter sumunt vtramque speciem, quia vtraque species, vt dixi, operatur, sed etiam quia ea sumptio, licet non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ex parte Sacramenti. Nam quia Sacramentum sub duplici specie institutum est, vtraque species necessariò ab aliquibus sumenda est: sed non necessariò ab omnibus. Sed maximè omnium, vt suprà diximus, necessaria est vtriusque speciei sumptio ob sacrificij perfectionem.

QVINTVM argumentum est. Eucharistia sub specie vini instrumentũ est conferendæ gratiæ, distinctum ab Eucharistia sub specie panis; ergo diuersam, ac distinctam gratiam operatur. Consequentia notissima est. Nam idem Deus per diuersa Sacramenta diuersam gratiam confert; quia vtitur instrumentis diuersis. Antecedens probatur, nam in Eucharistia sub specie panis instrumentum conferendæ gratiæ est solum corpus Domini, non autẽ sanguis, aut anima: in Eucharistia autem sub specie vini instrumẽtum est solùm sanguis Domini, non autem corpus, aut anima. Id quod si fortè negetur, ita probabitur: In specie panis solum corpus Domini est vi consecrationis, reliqua per concomitantiam, & planè per accidens, quod ad Sacramentũ pertinet, ergo solum corpus Dñi est instrumentum conferendę gratiæ in Eucharistia sub specie panis. Illud enim solum est instrumentum, quod per se ad Sacramentum pertinet, anima autem, & sanguis, licet non per accidens, sed per se conueniant humano corpori viuenti, tamen corpori, vt est in specie panis, non nisi per accidens. Nam si in triduo mortis Dñi Eucharistiam Apostolus aliquis consecrasset, ea certè solum corpus sine anima, & sanguine habuisset, & tamen eiusdem virtutis fuisset, atq; modò est.

RESPONDEO, corpus, & sanguinem Domini etiã præcisè sumpta non esse duo instrumenta formaliter, sed vnum. Instrumẽta enim formaliter differunt per diuersam virtutem operatiuam: eadem enim virtus operatiua est tam in corpore, quàm in sanguine, sicut eadem erat in verbis, & in tactu, vel etiam in luto, & sputo, cùm Dñs illuminabat cæcos. Et ideò idem effectus sequebatur ex verbis solis: & ex verbis, & tactu: & ex verbis, tactu, & luto. Esse autem eandem virtutem in corpore & sanguine, ex eo patet, quòd Scriptura tribuit vtriq; eosdem effectus, Col. 1. & alibi, & vtrumque omnem suam vim habet ex coniunctione ad diuinitatẽ. Corpus enim ideò operatur, quia est corpus Filij Dei, & sanguis ideò operatur, quia est sanguis Filij Dei. Falsum enim est, quod in argumẽto assumitur, diuinitatem per accidens esse in Sacramento. Nam etiamsi panis non conuertitur in diuinitatem, sed in solum corpus, & ideò diuinitas est ibi per concomitantiam, tamen conuertitur in corpus non quodcunque, sed Filij Dei: dixit enim Dominus, *Hoc est corpus meum.* Quare vi verborum est in specie panis corpus non quodlibet, sed Filij Dei, & proinde corpus subsistens diuina Verbi subsistentia, & consequenter vnitum diuinitati. Per accidens igitur fortasse est anima & sanguis sub specie panis, sed non diuinitas, neq; diuina hypostasis. Vnde Cyrillus li. 4. in Ioannem, c. 13. dicit, corpus Christi (de Eucharistia loquens) viuificare, quia non est corpus cuiusuis hominis, sed vitæ auctoris, & in quo habitat diuinitatis plenitudo.

CAPVT XXIV.

Non pugnare cum diuinis literis, seu cum Christi mandato Communionem sub vna specie, probatur variis rationibus.

QVARTA iam sequitur quæstio, Vtrum diuino mandato præcipiatur omnibus Communio sub vtraque specie. Iam enim ostendimus ex natura rei nullam esse talem obligationem, idcircò quærendum superest, vtrum saltem præcepto diuino positiuo eiusmodi obligatio in Ecclesia sit. Quamuis autem Lutherus permissionem potiùs diuinam, quàm legem cogentem in pluribus locis agnoscat, vt suprà citauimus: tamen Ioan. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 47. *Edictum*, inquit, *æterni Dei est, vt omnes bibant.* Et Kemnitius initio disputationis de vtraque specie, omninò contendit mandato Domini teneri omnes ad vtramque speciem sumendam.

PORRÒ in hac quæstione aduersariorum est probare, nostrũ respondere: nos enim negamus, illi asserunt. probare autem illi incumbit, qui affirmat, non ei qui negat. Vt tamen accuratior, ac plenior disputatio sit. Primùm adferemus varias rationes, quibus omnino credibile fiat, nullum præceptum à Christo datum de vtraque sumenda specie. Deinde respondebimus ad omnia argumenta, quæ illi proferunt.

QVOD igitur ad Primum attinet. Prima ratio sumitur ex figuris. Pleræque figuræ Eucharistiæ manducationem sub vna specie significant. Non est igitur vllo modo probabile, Christum imperaturum fuisse manducationem vtriusq; speciei: figuratum enim figuræ respõdere debet. Vnde Euangelistæ passim, cùm describunt

acta Christi, addunt, *(vt Scriptura impleretur)* Io.19. notat S. Ioannes ideò Deum non permisisse, vt frangerentur crura Domino crucifixo, quia præcesserat illa figura Agni Paschalis, cuius ossa confringi non poterant. Et Apostolus 1. Corint. 10. *Omnia*, inquit, *contingebant illis in figura.*

PRIMA figura fuit ligni vitæ in medio paradisi, Genes. 2. & 3. quod Sacramenti Eucharistiæ figuram fuisse docet Paschasius libro de corp. Domini, capit. 7. Constat autem nullum fuisse potum illi arbori adiunctum. Secunda fuit Agni Paschalis, Exod. 12. quæ notissima est.

NEQVE obstat Kemnitij responsio, qui vult vtriusque speciei figuram præcessisse in Agno Paschali, quia & caro manducabatur, & sanguis in postibus aspergebatur: aspersionem autem sanguinis potum calicis significasse, probat ex Gregorio homilia 22. Hæc, inquam, responsio non valet. Nam Gregorius ponit duas explicationes. Vnam minùs probabilem & particularem, quòd per sanguinem in postibus aspersum significetur potus sanguinis Domini. Nec tamen dicit potum sanguinis sub specie vini, de quo nos agimus, sed potum sanguinis absolutè, vt pro Eucharistia accipitur: non enim distinguit eo loco Gregorius duas species. Deinde ponit alteram communem, quòd per sanguinem in postibus significetur signum crucis in fronte, vt exponit etiam Augustinus lib. 12. contra Faustum, c. 30. Hieronym. in cap. 66. Isaiæ. Cyprianus in tractatu contra Demetrianum; & Isidorus in capit. 12. Exod. Et hæc sine dubio est vera: sanguis enim ille non potest referri ad potum, cùm nec biberetur, nec daretur hominibus, & priùs linirentur ex eo postes, quàm agnus manducaretur.

TERTIA figura est Manna, Exod. 16. Quarta, panes propositionis, Exod. 25. in quibus nullus admiscebatur potus. Quinta denique erat participatio sacrificiorum. Nam etiamsi in sacrificiis esset caro, & sanguis, & etiam libamina multa, vt patet ex eodem cap. 25. Exodi, tamen sola caro manducabatur, sanguis & libamina effundebantur Deo. Vnde 1. Cor. 10. inquit Apostolus: *Qui manducant hostias, participes sunt altaris*, neque addidit quidquam de potu, quia non consueuerant Hebræi habere vinum libaminum.

DICES, ex ista figura colligitur non debere Sacerdotes bibere calicem Domini in altari, quandoquidem nec Sacerdotes Testamenti veteris bibebant libamina Deo oblata, sed solùm victimas comedebant.

RESPONDEO, quòd Sacerdotes nunc faciunt, dum manducant, & bibunt sub specie panis & vini, corpus & sanguinem Domini, non respondet manducationi victimarum, sed consumptioni per ignem. Est enim Eucharistia aliquo modo holocaustum, aliquo modo hostia pacifica, aliquo modo hostia pro peccato. Et quia in holocausto omnia consumebantur, & victimæ, & libamina, ideò etiam nunc à Sacerdote, cuius est consumere holocaustum; omnia sumuntur. A populo autem, qui solùm participat de sacrificio, satis est manducari carnes agni immaculati.

DICES Secundò, etiamsi in istis figuris commendetur Communio sub specie cibi tantùm, sunt tamen alię, in quibus commendatur sub vtraque. Vt Gen. 14. vbi Melchisedech, obtulit panem, & vinum, & vtrumque dedit sumendum Abrahæ, & iis, qui eum sequebantur, & 1. Corint. 10. vbi dicuntur Hebræi manducasse cibum spiritualem, & bibisse potum spiritualem: quem locum Kemnitius magni facit.

RESPONDEO, non contendimus nos pro necessitate vnius speciei, sicut aduersarij pro necessitate duarum, & ideò contra nos non est, si aliquæ figuræ pro duabus speciebus inueniantur, sed planè contra aduersarios facit, si inueniantur aliquæ, vt reuera inueniuntur plurimæ, pro vna specie. Deinde non constat, an Melchisedech dederit panem, & vinum comedêdum Abrahæ, an solùm Deo obtulerit, Scriptura enim id apertè non dicit. Quod enim Deo obtulerit, patet ex sequentibus verbis: *(Erat enim Sacerdos Dei altissimi.)* quod autem dederit manducandum, ex nullo verbo colligitur. De potu autem spirituali, id est, de aqua ex petra iam suprà diximus, figuram illam fuere vni speciei. Aqua enim cùm data est populo in signum spiritualis potus, sola data est, sine vllius cibi spiritualis adiunctione: quomodo etiam sanguis & aqua, quæ ex latere Domini fluxerunt, duo Sacramenta significant, Baptismum, & Eucharistiam, teste Augustino, & Theophylacto in c. 19. Io. vbi sub vna tantùm specie Eucharistia designatur, vt intelligamus vnam sufficere.

SECVNDA ratio sumitur ex doctrina, & exemplo Christi. Dominus enim cùm Ioan. 6. de fructu Eucharistiæ loquitur, non semel, sed quater vnam speciem sufficere docet ad salutem: *Qui manducat me, viuet propter me. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Non ergo fieri potest, vt idem Dominus mandauerit vtramque speciem sumendam, tanquam necessariam ad salutem. Esse autem hoc caput Io de Sacramento intelligendum, suprà ostendimus in prima controuersia de Eucharistia.

RVRSVS exemplo suo Dominus idem comprobauit. Primum Ioann. 6. vbi multiplicauit panes, & inde saturauit turbam remanentibus duodecim cophinis: nec vllum potum multiplicauit, neque dedit. Deinde Lucæ capit. 24. cùm in Emaus in cœna cum duobus discipulis, accepit panem, benedixit, fregit, dedit eis, &c.

DE hoc loco duæ sunt Catholicorum sententiæ. Prima est Ioan. à Louanio, & aliorum, qui contendunt Sacramentum Eucharistiæ datum fuisse à Christo duobus discipulis, & adducunt in hanc sententiam Augustinum libr. 3. de consensu Euang. c. 25. Auctorem operis imperfecti Matt. hom. 17. Bedam, & Theophylactum in eum locum Lucæ. Hieronymum in Epitaphio Paulæ, & Hesychium lib. 2. in Leuiticum, c. 9.

ALIA sententia est Cornelij Iansenij in expositione huius loci, qui docet, panem à Domino benedictum in Emaus, non fuisse quidem Eucharistiam, sed fuisse tamen figuram Eucharistiæ, & voluisse Dominum hoc exemplo demonstrare fructum, & vtilitatem Eucharistiæ in vna specie: quare ex hoc loco non minùs probari vsum vnius speciei, quàm ex multiplicatione panum, Io. 6. Id autem probat, tum ex Augustino, Beda, & Theophylacto locis citatis, qui hoc tantùm docere videri possunt, nempe fuisse in illa panis benedictione mysterium quoddam, quo significaretur vtilitas Eucharistiæ, quomodo etiam loquitur Innocentius III. lib. 6. de myst. Missæ, c. 7. & 9. tum etiam ex ipso textu, nam fuisse hic aliquod mysterium, patet partim ex benedictione, quam non legitur Dominus adhibuisse, nisi ad aliquid mirabile operandum, partim ex effectu, nam per illum panem illuminati sunt.

QVAMCVNQVE autem sententiam ex his duabus amplectamur, ostendit hoc exemplum Christi, eam esse vtilitatem Eucharistiæ in vna specie, vt minimè sit existimandum, fuisse imperatum omnibus illius vsum in specie vtraque.

SED occurrit hoc loco Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, in articulo de vtraque specie, vbi fatetur hoc exemplum ad Eucharistiam pertinere, sed dicit, nō colligi ex eo vsum vnius speciei, quoniam in fractione panis per figuram intellectionis

significatur totum Sacramentum cum vtraque specie. At facilè id refelli potest: historia enim Euangelica ita coniungit distributionem panis benedicti cum Domini recessu, vt nullum relinquat locum benedicendo, vel distribuendo calici. Sic enim loquitur: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum.*

INSTAT Kemnitius, & probat ex Augustino tractatu 2. in epist. Ioannis, Christum dedisse duobus discipulis vtramque speciem. Sic enim Augustinus loquitur: *Et verè, qui non sibi iudicium manducat, & bibit, in fractione panis Christum agnoscit.* At argumentum est nimis longè petitum. Non enim Augustinus dicit, Christum dedisse vtramque speciem, sed dicit, in fractione panis Christum agnosci, vt illis discipulis contigit in Emaus; sed addit hunc fructum eos tantùm consequi, qui non indignè sumunt, & allegat verba Pauli, seu alludit ad illa, vbi legimus, 1. Corinth. 11. eos, qui indignè manducant, & bibunt, iudicium sibi mâducare, & bibere, quod verissimum est, siue vna species, siue vtraque sumatur indignè.

DENIQVE addit Kemnitius, Christum non addidisse: *Hoc facite*, cùm panem benedictum in Emaus dedit, ergo non tenemur eum in hoc imitari, si vnam tantùm speciem dedit. Sed neque nos dicimus teneri, sed tâtùm probamus hoc exemplo licere, & vtile esse communicare sub vna.

TERTIA ratio sumitur ex doctrina, & vsu Apostolorum. Nam actor. 2. ita describitur communicatio Eucharistiæ: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quo loco negari non potest, quin agatur de Eucharistia, tum quòd coniungatur fractio panis cum doctrina, & oratione, tum etiam quòd vituperatio potiùs quàm laus fuisset de fidelibus commemorare, perseuerantes eos fuisse in prandiis, & cœnis corporalibus. Denique id fatetur Lutherus in sermone de Eucharistia, & Caluinus libro 4. Institut. capite 17. §. 35.

NEQVE Kemnitius negat ita hunc locum à veteribus explicatum; sed respondet per fractionem panis intelligi etiam calicem, per figuram videlicet intellectionis, qua ex parte significamus totum. Id verò probat, quia Apostoli alioqui sub vna specie cōsecrassent, quod ne Catholici quidem admitterent. At hæc eius ratio nihil concludit. Non enim Lucas describit, quid Apostoli, sed quid populi facerent, dum dicit, eos perseuerantes fuisse in doctrina Apostolorum, & cōmunicatione fractionis panis, & orationē. Apostoli igitur in vtraque specie Eucharistiam consecrabant, sed populis in vna specie ministrabant.

QVOD etiam ex eo cōfirmatur, quia plurimi in Hierusalem Christiani erant, quin in illis initiis seruabant legalia Moysis, Apostolis permittentibus, vt patet ex cap. 21. Actorum; & ex iis nonnulli vsque ad certum tempus Nazaræi erant, non bibentes vinum, nec radentes capita, vsque ad finem dierum voti sui. Hos autē neque credibile est contra votum suum bibisse de calice Domini, neque probabile est abstinuisse omninò à Communione, cùm Lucas dicat, omnes perseuerantes fuisse, in doctrina, & communicatione fractionis panis. Quare probabilissima coniectura est, ideò Lucam solùm meminisse fractionis panis, quòd ab ea sola specie nulli abstinerent. Vnde etiam beatus Paulus 1. Corinth. 10. non sine caussa de calice dicit: *Calix benedictionis, cui benedicimus*; de pane autem: *Panis quem frangimus.* Calix enim semper benedicebatur, sed non semper distribuebatur. Vnde etiam paulò infrà dicit: *Vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus.*

ET miranda est sanè Kemnitij sapientia, qui cùm vbique vulgatam editionem contemnat, hoc loco eam diligenter defendit. Scribit enim in sua disputatione pag. 600. in vulgata editione, quam Tridentinum Cōcilium nullo prætextu reiici posse decreuit, haberi 1. Corinth. 10. *Vnus panis; & vnum corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Sed Concilium Tridentinum non statuit recipiendam esse quamlibet lectionem vulgatæ editionis, sed eam, quam constet esse lectionē vulgatæ editionis, alioqui non iussisset idem Concilium vulgatam editionem quàm emendatissimè imprimi. Porrò illud *(& ex vno calice)* nō habetur in Bibliis correctioribus vulgatæ editionis, sed solùm in paucis quibusdam minùs emendatis, in Græcis autem nullis habetur.

QVARTA ratio sumitur ex testimonio veteris Ecclesiæ, quæ cùm vera Ecclesia fuerit, sine dubio contra expressum Christi mandatum nihil egisset. Tribus autē modis vetus Ecclesia testatur Communionem sub vna specie esse licitam. Primò, quia nunquam eā reprehendit, aut damnauit, cùm tamen non ignoraret eam saltem apud aliquos in vsu fuisse. Nā (vt alia interim omittam) Manichæi nunquam communicabant, nisi sub specie panis, vt Leo I. testatur serm. 4. de Quadragesima: arbitrabātur enim illi vinum esse fel draconis. Et præterea negabant Christi veram mortem: & ideò nec vinum, nec sub specie vini sanguinem Domini vnquam sumebant. Et tamen nec Epiphanius, nec Augustinus, nec alij, qui de erroribus Manichæorum scripserunt, notarunt errorem illum, quòd contra Domini mādatum sub vna tantùm specie Eucharistiam sumerent.

DEINDE, testimonium Ecclesiæ veteris haberi potest, ex duobus illustribus exemplis hæreticarum fraudum. Scribit Sozomenus lib. 8. histor. cap. 5. & Nicephorus lib. 13. cap. 7. Fœminam quandam hæreticam Macedonianam, cùm vellet tegere suam hæresim, & se Catholicam simulare, accepisse in manibus, Chrysostomo sacris operante, panem Eucharistiæ, táquam paulò post illum manducaturam, sed etiam dedisse illum ancillæ, & ab ea sumpsisse panem profanum, quem ex domo adferri iusserat, vt illum palàm comederet loco Eucharistiæ: sed eum panem continuò in lapidem esse conuersum. Ex hoc facto intelligimus, morem fuisse, vt acciperent, qui vellent, Eucharistiam sub vna tantùm specie. Nam si omnes cōacti fuissent bibere de calice Domini, mulier illa nullo modo simulare potuisset: non enim pro calice Domini aliquid aliud sumere potuisset; siquidem calix non dabatur in manus, sed manu Diaconi admouebatur ori communicantium.

ALTERVM exemplum est apud Leonem serm. 4. de Quadragesima, vbi S. Leo dicit, Manichæos, vt hæresim suam tegerent, panem Eucharistiæ sumere solitos esse cum Catholicis, non tamen calicem bibere. Si autē Romæ non fuisset libera Communio sub vtraque specie, sed omnes semper sumere debuissent sub vtraque, non potuissent vllo modo Manichæi latere, qui sanguinem Domini nunquam sumebant. Vnde sanctus Leo nō iubet obseruari eos, qui aliquando sumebant, aliquando non sumebant, sed qui nunquā omninò sumebant sanguinem: illud enim eo tempore pro signo Manichæismi haberi potuit. Tertiò, ex variis ritibus, ex quibus apertè colligitur vsus vnius speciei: non enim vetus Ecclesia, quæ aduersariorum testimonio vera Ecclesia erat, cōtra Dei mandatum tam apertè pugnasset. Sunt autem hi ritus, asseruatio Sacramenti, communicatio domestica, communicatio infantium, communicatio ægrotorum, communio laica, communicatio ex præsanctificatis.

AC primùm asseruari solitum Sacramentum Eucharistiæ fuisse, suprà probauimus multis Patrum & Conciliorum testimoniis. Quòd autem solùm sub vna specie asseruarent, & proinde sub vna specie sumerent, patet, quia aliquando ad longissimum tempus asseruabāt. Meminit enim Sophronius in Prato spirituali, cap. 79.

aliquando per annum integrum seruatum fuisse; immò Græci vsque ad hunc diem seruât per integrum annum. Non autem posset vinum in parua quantitate tam diu conseruari, quin aceſceret, & corrumperetur. Præterea qui meminerunt asseruationis, vt Cyprianus in sermo. de lapsis, & Ambrosius in orat. de obitu Satyri, & Sophronius iam citatus, solius speciei panis meminerunt, quem inuolutam orario, vel linteo dicunt.

KEMNITIVS contra hunc ritú obiicit, quod Gregorius Nazianzenus dicat, Gorgoniam reseruasse symbola corporis, & sanguinis; & quòd Ambrosius dum de Satyro loquitur, meminerit hauſtionis, & fusionis in viscera, quæ ad potum potiùs, quàm ad cibum pertinent.

SED facilè est ista refellere. Nam Gregorius sub disiunctione loquitur, ac dicit, Gorgoniam recondidisse quidpiam signorum corporis, aut sanguinis Domini; & loqui eum de specie panis, non vini, satis colligitur ex communi vsu illius temporis. Quod autem de Ambrosio Kemnitius dicit, est omninò ridiculũ. Nam Ambrosius loquitur de hauſtu, & transfusione ad viscera illius speciei, quam inuolutã in orario Satyrus habebat. Quis autem ambigat, quid illud fuerit? Neque vox, hauriendi, vel transfundendi, ita ad potum pertinet, vt non etiam ad cibum referri possit, quando aliquid integrum sumitur. Ambrosius autem eo modo loquendi vtitur, quia loquebatur de re signata, potiùs quàm de signo: res autem signata integra hauritur.

SECVNDVS ritus erat Ecclesiæ antiquæ, vt Eucharistiam domum deferrent, & ibi tempore opportuno sumerent, quod certissimum est ex Tertulliano libro 2. ad vxorem, Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum non procul ab initio, Cypriano serm. de lapsis, Basilio in epist. ad Cæsariam Patritiam, Hieronymo in Apologia pro libris in Iouinianum, & ex aliis. Domi autem sub vna tantùm specie Christianos communicare solitos perspicuũ est, tum ex eo, quòd sola species panis dabatur in manus fidelium. sanguis autem dabatur ex calice bibendus, vt Cyrillus demonstrat Catechesi 5. mystagogica, tum etiã quia non erãt in domibus laicorum vlli calices sacri, seu vasa, quibus contineri posset sanguis Domini, vt clarissimè patet ex Apologia secunda Athanasij cõtra Arianos.

HOC loco fatetur Kemnitius in domibus priuatis vsum fuisse vnius tantùm speciei: sed dicit, illos eosdem qui domi sumebant sub specie panis, in Ecclesia priùs sumpsisse sub specie vini, & proinde sub vtraque specie per interualla temporum. Deinde addit se non disputare de eo, quod fiebat in priuatis domibus, sed de eo, quod fiebat in publica Cœnæ administratione.

SED hæc solutio cum ipso suo auctore pugnat. Nã si in Ecclesia in publica Cœnæ administratione sumebant panis speciem, sed eam seruabant deferendã in domum, & alio tempore manducandam, solam autem speciem vini, quam deferre non poterant, in Ecclesia bibebant: ergo in Ecclesia non communicabant, nisi sub vna specie, nimirũ vini. Non enim communicare est sumere in manibus Eucharistiam, sed manducare & bibere.

EST præterea aduertendum, hauſtum sanguinis in Ecclesia, & manducationem corporis Domini in priuatis ædibus, non potuisse haberi pro vna Communione, sed necessariò fatendum esse fuisse diuersas Communiones, & vtramque sub altera tantùm specie, neutram sub vtraque. Nam diuersis diebus sumebantur illæ species, non autem eodem die: ideò enim domum deferebant, vt possent sequentibus diebus communicare, etiamsi templum non adirent. Vnde Hieronymus in Apologia pro libris contra Iouinianum scribit, illis diebus consueuisse quosdam domi corpus Domini sumere, qui ob actũ coniugalem patratũ non audebãt ingredi Ecclesiã.

NEQVE obstat, quòd illa consuetudo deferendæ Eucharistiæ in priuatas ædes, fuerit postea abrogata: abrogata enim fuit ob irreuerentiam, qua tantùm Sacramentum afficiebatur, non autem quòd Communio sub vna specie non sit licita.

TERTIVS ritus erat, communicatio infantium. Cõmunicabant enim veteres aliquãdo infantes, sed sub vna tantùm specie, nimirum instillando in os eorum aliquid sanguinis Domini, vt patet tum ex Cypriano in sermone de lapsis, tum ex manifesta ratione, quia non possunt infantes cibum aliquem solidum sumere.

QVARTVS erat, communicatio ægrotorum, quæ vt plurimùm fiebat sub vna tantùm specie. Scribit Eusebius lib. 6. histo. cap. 36. ex epistola Dionysij Alexandrini, presbyterum dedisse puero particulam Eucharistiæ deferendam Serapioni seni ægroto, ac iussisse, vt eam priùs madefaceret, quàm seni porrigeret. Cùm enim seruarent longo tempore Eucharistiam pro ægrotis, necessariò fiebat, vt dureſceret species illa panis, ita vt non facilè deglutiri posset, præsertim à valde debilitatis. Paulinus in vita sancti Ambrosij scribit, eũ paulò ante mortem ab Honorato Episcopo Vercellensi, sub vna specie Eucharistiã accepisse: dicit enim, corpore Domini sumpto, vbi illud deglutiuerat, continuò animam Deo reddidisse. Amphilochius in vita S. Basilij scribit, eũ in morte Eucharistiam accepisse in sola specie panis, quam longo tempore asseruauerat. Denique Amalarius de officiis Ecclesiast. lib. 3. cap. 35. & Micrologus de rebus Ecclesiast. cap. 17. testantur, ex antiqua cõsuetudine in Missa tres partes hostiæ consecratæ fieri solere; vt vna cum sanguine miſceretur, altera sumeretur à Sacerdote ante sanguinis sumptionẽ, tertia seruaretur pro ægrotis, quæ viaticum morientium dicebatur.

QVINTVS ritus erat, vsus Communionis laicæ, quæ in pœnam grauis alicuius delicti olim dabatur clericis, ablata eis Communione clericali. Est autem huius Cõmunionis laicæ crebra mentio in decretis antiquissimorum Pontificum, & Cõciliorum. Vide Felicem III. qui sedit ante annos mille & centum, epist. 1. cap. 2. & Syricium Papam, Felice III. antiquiorem annis circiter centum, in epist. 1. cap. 11. Concilium præterea Elibertinum ante Syricij tempora celebratum, can. 76. & Sardicense, cap. 2. & Agathense, cap. 2. 5. & 50.

SED hoc argumentum rident Philippus & Kemnitius, ac mirantur inscitiam, vel impudentiam Papistarum. Philippus in Apologia Confess. Augusta. dicit, Communionem laicam dictam esse Communionem laicorum, non quòd esset sub vna specie tantùm, sed quòd esset eorum, qui non consecrabant: & hanc fuisse pœnam olim Sacerdotibus infligi solitam, vt priuati ministerio consecrandi Eucharistiam, contenti essent sola manducatione.

AT si res ita se haberet, vt Philippus dicit, hæc pœna non fuisset inflicta Diaconis, aliisque inferioribus Clericis, ad quorum ministerium nunquam spectauit Eucharistiam consecrare, sed solùm Presbyteris, & Episcopis. Decreta autem suprà citata ferè omnia de Diaconis loquuntur, & aliis Clericis inferioribus: Falsa est igitur Philippi interpretatio.

KEMNITIVS loco suprà notato pag. 667. & 668. dicit, Communionẽ laicam fuisse, quam sumebant Clerici inter laicos, id est, in loco templi inferiore, & post Clericos: ita vt Communio laica distinguatur à Clericali solùm tempore, & loco, quòd videlicet Clerici priùs, laici posteriùs: Clerici intra sacrarium, laici extra eum locum communicarent.

SED neque hæc est vera expositio. Nam Felix Papa III. loco citato, iubet ob delicta quædam. Clericis non dari, nisi in morte, Communionem laicam. Et Cõcilium Sardicense, cap. 2. ne in morte quidem laicam Communionem dari permittit ob crimina quædam grauiora. In morte autem cùm detur Communio soli ægroto, idque in priuato cubiculo, nulla distinctio notari potest loci aut temporis inter Clericos, & laicos. Laica igitur Communio dicitur ea, quæ laicis permittebatur tangenda, & etiam deferenda si vellent. Sola autem species panis dabatur in manus: ex calice autem bibebant, qui volebant, in Ecclesia, sed non licebat laicis calicem tangere, nedum secum deferre. Vide Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 5. mystago, extrema, vbi describit modum cõmunicandi. Eadem Communio dicitur etiam peregrina in Concilio Agathensi, cano. 2. & 5. ex eo forsasse, quòd olim mitteretur peregrinis aduentantibus in signũ communionis, & pacis. Pœna igitur inflicta Clericis, erat, quòd communicãtibus aliis clericis sub vtraque specie, ipsi prohiberẽtur à calice Domini, & cogerentur vnam tantùm speciem sumere.

SEXTVS ritus erat, Communio præsanctificatorum, cuius vsus apud Græcos erat in tota Quadragesima, excepto die Dominico, & Sabbatho: in Latina Ecclesia iste vsus fuit, & adhuc manet feria VI. hebdomadæ sanctæ. Nam eo die non fit consecratio, & ipse etiam Sacerdos in publica actione communicat sub vna specie. Huius consuetudinis, quod ad Græcos attinet, meminit Laodicenum Concilium can. 49. & Concilium Trullanũ can. 52. Quod attinet ad Latinos, meminit Innocentius I. in epist. 1. cap. 4. liber Sacramẽtorum S. Gregorij in officio Paraſceues. Ordo Romanus antiquus in officio eiusdem diei, Rabanus lib. 2. de Instit. Cleric. cap. 37. & Micrologus in lib. de Ecclesiasticis obseruationibus, cap 19.

QVOD in Paraſceue Cõmunio fiat solùm sub specie panis, patet ex ordine Romano citato; ibi enim non solùm habetur, in Paraſceue non confici Sacramenta, sed etiam communicari Sacerdotem, & populum sub specie panis tãtùm absque sanguine Domini: sanguinem etiã totum consumi iubet feria V. & solùm corpus Domini conseruari pro Communione sequentis diei, quo Sacramenta non conficiuntur. Ex quo intelligimus in publico etiam cœtu Ecclesiæ vsum fuisse vnius speciei, idque ab annis plus mille.

QVINTA ratio sumi potest ex consensu, & testimonio Ecclesiæ posterioris. Nã constat ab annis plus octingentis fuisse vsum in quibusdam Ecclesiis Communionis sub vna specie, etiam in publico cœtu fidelium, & extra diem Paraſceues. Et simul constat Græcos nunquã hoc Latinis obiecisse tanquam errorem, cùm tamen alia multa obiecerint, in quibus à nobis dissidebant. Ex quo intelligimus totam Ecclesiam tum Latinam, tum Græcam hunc vsum vt licitum approbasse.

FVISSE autem hunc vsum longo tempore in Ecclesiis quibusdam, testantur Concilia, Constantiense, sess. 13. & Basileense, sess. 30.

DEINDE S. Thomas qui floruit ante annos CCC. 3. p. q. 80. art. 12. dicit eas Ecclesias rectè facere, quæ non communicant populum nisi sub vna specie.

S. Bernardus qui ante annos CD. vixit, in Monasterio suo sub vna specie Cõmunionem præbebat, vt apertè colligitur ex lib. 1. cap. 11. vitæ ipsius. Scribit enim Gulielmus Abbas S. Bernardi æqualis, in celebri quadã solennitate sancto Bernardo Eucharistiam ministrãte, accessisse inter alios Monachum quendam, quem ob certam culpam, idem sanctus vir accedere prohibuerat: verùm, quia res occulta erat, datam illi etiam Eucharistiã, sed diuino miraculo non potuisse Monachum illum Eucharistiam deglutire. Finitis autẽ solennibus accessisse Monachum ad Abbatem, & aperto ore ostendisse, quid patereturr: & tum demum confessum, & absolutum, Sacramenta Domini liberrimè ad viscera traiecisse. Ex hoc exemplo manifestè apparet, solam speciem panis à sancto Bernardo dari solitam: nam speciem vini tam diu in ore seruare ille non potuisset.

CARDINALIS Hosius in Dialogo de vtraque specie, ex historiis & monumentis Polonicæ Ecclesiæ scribit, non posse colligi, fuisse vnquam in Polonia vsum vtriusque speciei in Communione populari: & inde suspicatur non sine causſa Ecclesiam illam ab ipsa prima sua fundatione, id est, ab annis plus minùs quingẽtis, recepisse vsum vnius speciei.

BEDA, qui ante annos DCCC. floruit, non obscurè indicat in Anglia ab initio prædicationis discipulorum sancti Gregorij Papæ cœpisse vsum publicũ vnius speciei. Sic enim scribit lib. 2, histor. cap. 5. de Regis cuiusdã Christiani defuncti paganis filiis: *Cùm*, inquit, *viderent Pontificem celebratis Missarum solẽnibus Eucharistiam populo dare, dicebant, Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro dabas, & populo adhuc in Ecclesia dare nõ desistis?* Hæc illi, qui cùm sæpius id repeterent, nunquam tamen vllam vini mentionem fecerunt.

ORDO Romanus, qui vt minimùm ante annos octingentos editus fuit, cùm ab Alcuino Caroli Magni præceptore, qui anno DCCC. florebat, citetur, apertissimè indicat in Romana Ecclesia publicũ vsum fuisse vnius tantùm speciei. Nam in capite de ordine celebrãdi Missam, significat, in paruo calice sanguinem Domini consecrari solitum: deinde pro Communione populi ex eo paruo calice effundi modicum sanguinis Domini in magnum calicem vino & aqua plenum, atque ex eo magno calice consueuisse populum bibere post corpus Domini sumptum. Et quia calix vnus, quantumuis magnus, non sufficere poterat tantæ multitudini, verisimile est (quamuis ibi id non legatur) sæpius eundem calicem vino fuisse repletum. Portò calix ille magnus, dicebatur calix sanguinis, quia cõsecratus erat contactu sanguinis Domini, non quòd reuera esset corpus Domini; nõ enim ex contactu illo mutari potuit vinum in sanguinem.

EST autem coniectura valde magna, etiam in aliis Ecclesiis, vbi dicebatur populus de calice bibere, non alium morem fuisse, quàm Romæ. Nam intelligi planè non potest, quo pacto in Ecclesiis valde numerosis potuerit dari Communio toti populo ex calice veri sanguinis Domini. Neque enim vnquam fuit vsus consecrandi simul multos calices, vt patet ex epistola Gregorij III. ad Bonifacium Episcopum Moguntinum, vbi reprehendit quosdam, qui contra morem ecclesiæ plures calices in altari simul habebant. Neque fuit vsus vnquam consecrandi vinum in altari in calice aliquo vastissimo, qui tantum vini caperet, quantum populo vniuerso sufficiat. Debuit enim calix non adeò magnus esse, vt posset à Sacerdote, eleuari, & à Diacono huc, & illuc deferri. Neque inueniuntur vlli calices tam magni, cùm tamẽ multi in multis Ecclesiis antiquissimi inuenianturr; ergo necesse fuit, vt idẽ calix sæpius repleretur inter ipsam Cœnæ actionem, vt modò facimus in distribuendo vino ad ablutionem. Certum autem est non potuisse in eadem actione repeti sæpius consecrationem: vinum igitur, nõ sanguis Domini populis dabatur. Aduersarij quidem nõ laborant in hac re. Cùm enim existiment nullam requiri consecrationem, sed hoc ipso corporis, & sanguinis Domini symbola esse panem & vinum, quòd in mensa ponuntur, & distribuuntur: facilè possunt sæpius pocula replere, & hoc ipso Sacramenta iuxta suum errorem conficere, sed veritas Catholica longè aliter se habet, vt ostendimus.

SEXTA ratio sumi potest, ab incommodis, quæ sequerentur ex necessitate vtriusque speciei: ex quo colligitur Christum sapientissimum omnium legislatorum nunquam fuisse eiusmodi præceptum positurum.

PRIMVM incommodum est, impossibilitas implendi legem istam in iis locis, vbi sit populus valde numerosus, & vnus tantùm sacerdos, vt sæpe accidit in frequentissimis pagis: de qua re paulò antè diximus.

SECVNDVM incommodum est, inseuerentia san-

ctissimi Sacramenti. Semper enim Ecclesia diligentissimè cauit, ne mica aliqua consecrati panis in terram caderet, vt suprà probauimus ex Tertulliano, Origine, Cyrillo Hierosolymitano, Augustino, & aliis: maior est autem irreuerétia in effusione sanguinis, qui rursus colligi nequit, quàm in casu panis, qui iterum colligi potest. Quare Ioannes Chrysostomus in epist.1.ad Innocentiũ, inter maxima mala numerat, quod ex quodam militari tumultu intra Ecclesiam facto, sanguis Domini in militum vestimenta effunderetur. Fieri autem non potest, vt sanguis Domini ministretur tantis populorum turbis, quantę in Paschate ad Communionem accedunt, quin sæpius effundatur, præsertim cùm multi sint senes, debiles, rustici, qui vix ad bibendum de manu alterius accommodare se norunt. In deportatione etiam ad ægrotos, facillimum esset, vt vel effunderetur, vel ex illa agitatione turbidum, & ineptum ad bibendum fieret: quod non rarò accidisse testantur exempla, quæ referuntur ab Aenea Syluio in Dialogo de Communione sub vtraque specie, & in Actis inter legatos Basileenses, & legatos Bohemorum in Egra oppido Germaniæ, vbi communi consensu conuenerant.

A

Neque ad hoc incommodum satisfaciunt aduersarij, cùm dicunt, Christum ista omnia præuidisse, & tamen non propterea deterritum ab institutione Eucharistiæ sub duplici specie, & Ecclesiam veterem ista eadé expertam esse, & tamen, iis non obstantibus, ministrasse Communionem sub vtraque specie. Nam Christus instituit quidem sub duplici specie, sed nõ iussit dari omnibus sub duplici. Ecclesia autem verus ministrabat sub duplici specie, quando Christiani erant pauci, & præterea non omnes accipiebant vtramque speciem, vt suprà ostendimus. Crescẽte autem multitudine, magis & magis apparuit incommodum, & sic paulatim desiit vsus sub vtraque, vt paulò pòst dicemus.

B

Tertium incommodum est, quòd multi abhorrent à vino, & vel natura abstemij sunt, vel educatione, vt in calidis regionibus. Assuefiunt enim pueri, & puellæ etiam nubiles aquæ potui, vnde multi postea etiam in matura ætate non possunt absque nausea vinum gustare. Quid ergo isti facturi sunt? abstinebunt à Communione perpetuò? at id non licet per diuinas leges.

C

Ioannes Brentius hoc incommodo adductus in Apologia pro Confessione Vvittembergensi in 2. parte secundæ pericopes, admittit abstemios posse sub vna specie communicare, nõ obstante iure diuino vtramque speciem præcipiente. At vbi legit ipse à diuino mandato generaliter posito excipi debere abstemios? vel si Ecclesia Brentij ius habet interpretandi ius diuinum, ac declarandi in eo mandato non comprehendi abstemios, cur Ecclesia Catholica ius non habebit interpretandi idem ius diuinum, ac declarandi in eo non comprehendi nisi sacerdotes sacrificantes?

D

Quartum incommodum est, penuria vini. Siquidem in multis regionibus vinum non crescit, & quod aliunde adfertur, partim summo precio emitur, partim nõ diu cõseruatur: ex quo oporteret plurimos, aut nunquam, aut rarissimè cõmunicare, si non posset fieri Cõmunio sub vna specie. Certè in Iaponia, adeò nulla est copia vini, vt vix ad sacra faciẽda commodè haberi possit. Et scribit Volaterranus lib.7. Geographiæ, ab Innocentio VIII. concessum Noruegiis, vt sine vino sacrificarent; quod vinum in Noruegia non crescat, & aliunde importatum continuò acescat. Quod quidem Pontifex ille concessit, si tamen concessit, vel quòd eius sententiæ esset, non esse de iure diuino, vt sacrificium in vtraque specie necessariò confici debeat; quæ sententia suos habet patronos, vt Gabrielem lect.84. in Canonem Missæ, & Ioannem Maiorem in 4. dist.13. quæst.3. & alios quosdam: vel quòd iudicauerit, ius diuinum ita interpretandum esse, vt excipiatur casus necessitatis. Etsi enim sacrificium est imperfectum sine vtraque specie, tamen præstat imperfectum habere, quàm nullum; præsertim cùm duæ illæ species, partes sacrificij sint integrantes potiùs, quàm essentiales.

Deniqve hoc incommodum ipsis etiam aduersariis adeò visum est magnum, vt Philippus Melanchthon in libro de vsu integri Sacramenti, scripserit Ruthenos ob vini inopiam rectè facturos, si pro vino vterentur τῷ ὑδρομέλιτι, id est, aqua mellita, seu medone. Sed quis dedit Philippo auctoritatem mutandi Sacramentorum materiam?

Quantò sapientiùs Ecclesia Catholica non mutat Sacramentorum materias, sed incommodo illi mederur, vnam speciem tantùm populis ministrando: quod quidem Deo placere signis, & prodigiis aliquando demonstratum est. Scribit Alexãder Alensis in 4.par. summæ Theologicæ, quæst.11. memb.2. art. 4. §.3. in noua editione, quosdam Monachos aliquãdo, apud quos vsus erat vnius speciei, cœpisse vtramque speciem postulare: sed interim accidisse, vt cùm sacerdos inter sacrorum solennia hostiam frangeret, totum patenæ concauum sanguine ex ipsa hostia profluente repleretur. Quo significare voluit Deus, fruſtrà illos tumultuari pro calice sanguinis, cùm omnia haberent in specie illa panis, quam de more solebant accipere.

CAPVT XXV.

Soluuntur obiectiones ex Scriptura petitæ.

Restat nunc, vt ad argumenta aduersariorum respõdeamus, quæ illi partim ex Scripturis, partim ex Patribus, partim ex ratione desumunt. Primus Scripturæ locus est Ioan.6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quem locum soli Bohemi obiiciũt: Lutherani enim, & Caluinistæ non existimant Ioannis 6. de Sacramento Eucharistiæ tractari.

Tres solutiones à Catholicis datæ sunt. Prima est communis, quam etiam in 1. libro attigi, dum locũ Ioannis exponerem: vim huius præceptiin re, quæ sumitur, non in modo sumendi consistere. Continent enim verba illa: *Nisi manducaueritis*, non simplex præceptum, sed medium, seu remedium conseruandæ vitæ per Baptismum acceptæ, & consequenter præceptum, quia tenemur conseruare vitam. Vnde non obligant ista verba Catechumenos, quia nõdum vitam per Baptismum acceperunt, quam conseruare debeant, neque infantes baptizatos, quia non egent conseruatione vitæ, cùm eam non possint amittere sine vsu rationis. Porrò remedium conseruandæ vitæ non consistit in speciebus panis, & vini, neque in modo manducandi, & bibendi, sed in sumptione corporis, & sanguinis Domini: quocunque enim modo illa sumantur, modò verè sumantur, sumentem nutriunt, & reficiũt. Caro enim Domini verè est cibus, & sanguis verè est potus: ad solam igitur sumptionem illa verba obligant, non ad modum sumendi. Sumuntur autem verè tam corpus, quàm sanguis sub qualibet specie; igitur præcepto satisfaciunt, qui sub vna specie Sacramentũ percipiũt. Accedit, quòd ipse Dominus quod dixerat: *Nisi manducaueritis, & biberitis*, declarauit cùm diceret: *Qui manducat me, viuet propter me.* Idem enim est manducare carnem Christi, & bibere sanguinem eius, & totum Christum sumere: totum autem manducando sumimus, vt ipse fatetur.

Quòd si aduersarij omnino conuincerent, quod tamẽ non faciunt, vim præcepti consistere in modo mãducandi & bibendi, & planè sub præcepti obligationem cadere sumptionem sub tali, vel tali specie, adhuc nihil obtinerent, tunc enim adhibenda esset secunda solutio, quæ eiusmodi est: In Scripturis sæpenumero coniũctio, &, accipitur pro disiunctiua: vt Actorum 3. *Argentum*

& aurum non est mihi. Est enim sensus; Argentum, vel aurum non est mihi; siue, neque argentum, neque aurum est mihi: non enim aliter rectè S. Petrus docuisset, se pecuniariam eleemosynam facere non potuisse. Ioan. 15. *Si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Sensus est, Si neque venissem, neque loquutus fuissem: subintelligitur enim negatio præcedens, more Hebraicæ linguæ, quam aliquando interpretes imitantur. Hebræi enim vt plurimùm simplicem coniunctionem ponunt, cùm tamen subintelligant negationẽ præcedentem, vt Psalm.1. in Hebræo est: *Non surgunt impij in iudicio, & peccatores in Concilio iustorum.* Sed quia subintelligitur negatio, ideò rectè Latini verterunt: *Non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.* Cæterùm, vt dixi, interpretes non rarò imitantur phrasim Hebraicam: & hoc modo verba Domini Hebraicè, vel Syriacè à Domino pronunciata, Ioannes quidem Græcè scripsit, sed phrasim Hebraicam seruare potuit, vt hic sit sensus: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & nisi biberitis eius sanguinem*, id est, si neque mãducaueritis, neque biberitis, &c. vel, si non manducaueritis, aut non biberitis. Esse autem hoc modo ista verba intelligenda, probatur ex verbis sequentibus. Nam Dominus paulò pòst addit: *Qui manducat me, viuet propter me.* Et rursus ibidem: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternũ.* Quæ sanè falsa essent, si coniũctiuè, & nõ disiunctiuè intelligerentur illa verba: *Nisi manducaueritis, &c.*

A

Sed etiamsi aduersarij has duas solutiones confutare possent, quod hactenus non fecerunt, & omnino conuincerent, verba Domini intelligẽda esse de modo mãducandi, & bibendi, & coniunctim, non disiunctim: adhuc haberemus præsidiũ Tertiæ solutionis. Multa enim præcepta sunt in Scripturis, quę dantur vniuersæ Ecclesiæ, sed implenda per aliquos, non per singulos; quod obseruandum esse monet B. Augustinus in explicatione Scripturarum, lib.3. doctrinæ Christianæ, cap. 17. Tale est illud: *Crescite, & multiplicamini*, id enim dicitur humano generi, sic tamen, vt satis sit, si per aliquos species humana propagetur, & nõ cogantur omnes liberis procreandis operam dare. In hunc igitur modum possunt hæc verba explicari: *Nisi manducaueritis, &c.* id est, nisi sint in Ecclesia aliqui, qui hoc Sacramentum sub vtraque specie sumant, non habebitis vitam in vobis. Si enim nulli tales sint, consequenter nulli erunt, qui Sacramẽtum conficiant, nulli qui ministrent: atque ita peribit totus fructus saluberrimi Sacramenti. Sed de hoc loco satis dictum est.

B

Secvndvs locus, qui est planè Achilles, Lutheri, Buceri, Philippi, Caluini, Kemnitij, Hamelmanni, & omnium aliorũ, sunt illa verba Matth.26. *Bibite ex hoc omnes*, id enim edictum esse dicit Caluinus, æterni Dei, quo omnes coguntur ad vtramque speciem Sacramenti percipiendam.

C

Respondeo, Hæc verba dicuntur solis Apostolis, qui tum ad mensam cum Christo sedebant. Id probo hac ratione; Particula, *omnes*, nõ semper in Scriptura accipitur vniuersalissimè pro omnib. hominibus, sed sæpe pro omnibus certi alicuius generis. Alioqui illud Pauli: *Omnes quærũt quæ sua sunt*, includeret etiã sanctissimos quoque, & illud: *Omnes peccauerunt.* Christum quoque comprehenderet; & illud: *Clamauerunt omnes, Crucifige eum*, & similia, in Apostolos Domini conueniret.

D

Videndvm igitur est, an illud: *Bibite ex eo omnes*, vniuersalissimè capiatur, an pro aliquo certo genere. Et quidem vniuersalissimè, id est, pro omnibus hominibus capi non potest: nam sequeretur debere Sacramentum dari Turcis, Iudæis, Ethnicis; & illi enim homines sunt. Oportet igitur pro certo genere hominum illud accipere: quæro igitur quod sit illud hominum genus. Si dixerint omnes viros, excludentur fœminæ: si omnes fideles includentur infantes, quos tamen etiam aduersarij excludunt. Dicent, esse omnes fideles adultos. Sed in primis gratis hoc dicent; nec enim id facilè probare poterunt. Deinde includentur abstemij, quos tamen etiã ipsi plerumque excipere solent. Denique repugnat Marcus apertissimè, qui sic ait cap.14. *Et biberunt ex eo omnes*: ista enim verba respondent illis: *Bibite ex eo omnes.* Quare eodem modo accipitur, *omnes*, apud Matth. & apud Marcum. Apud Marcum autem non intelliguntur per, *omnes*, omnes fideles adulti: nec enim verum esset: *Biberunt ex eo omnes*, ergo nec apud Matthæũ intelligi possunt omnes fideles adulti. Quod si fortè dicant apud Marcum per, *omnes*, intelligi omnes fideles adultos, quia in Apostolis biberunt omnes: colligemus iam non obligari fideles ad calicẽ Domini bibendũ, quia mandatũ iã impleuerunt; iam enim biberunt, vt eis fuerat imperatũ.

Restat igitur, vt mandatũ solis Apostolis datum fuerit. Id quod potest etiã confirmari ex circunstantiis totius illius loci Euãgelistæ Matthæi. Omnes enim clamant, hæc verba solis Apostolis dicta esse, *Cœnantibus*, inquit, *eis.* Quid est, *eis*, nisi Apostolis? Sequitur: *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.* Quibus discipulis dedit, nonne illis qui cum illo cœnabant? Sequitur: *Et ait, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Certè illis dixit: *Accipite, & comedite*, quibus dedit comedendum; dedit autem Apostolis solis, vt iam ostendimus, Sequitur: *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis.* Quibus illis? iisdem, quibus dederat panẽ, id est, solis Apostolis. Sequitur: *Dicens, bibite ex hoc omnes.* Quibus hoc dixit, nisi illis, quibus dedit calicem? nam dedit dicens. Dedit autem solis Apostolis, ergo solis Apostolis dixit. Sequitur: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti, tunc dicit illis: Omnes vos scandalum patiemini in me, &c.* Qui dixerunt hymnum cum Christo? qui exierunt in montem Oliueti? qui erant omnes illi scandalum passuri in illa nocte? nonne soli Apostoli? Clarissimè igitur patet, verba illa ad solos Apostolos pertinere.

Sed videamus nũc quid adferant aduersarij, vt probent illa dici ad omnes fideles. Lutherus in lib.de capti. Babyl.cap.de Eucharistia, tribus argumẽtis probat, illud *Bibite ex hoc omnes*, non ad solos Apostolos dictum esse.

Primvm est, quia non sine mysterio Dominus non dixit, Manducate ex hoc omnes, sicut dixit: *Bibite ex hoc omnes*, nimirum prouidebat futuros, qui dicerent, panem omnibus datum, calicẽ non item. Idem argumẽtum habet Caluinus in antidoto articulorũ Parisiensium, art.7.

Respondeo, Negamus Christũ non dixisse: *Manducate ex hoc omnes.* Tametsi enim id Euangelistæ non scripserint, Ecclesia tamẽ ex Apostolica traditione edocta, in sacro Canone Missæ disertis verbis ponit, Christũ dixisse: *Mãducate ex hoc omnes.* Quam partẽ Canonis refert etiã S. Ambrosius lib.4. de Sacram. cap.5. & post eũ Paschasius in lib.de corpore Christi, cap.15. Sed quid si etiam certò constaret, à Christo dictũ non fuisse: *Mãducate ex hoc omnes*, vt ab eo dictũ fuisse cõstat: *Bibite ex hoc omnes*, quid inde aduersarij nostri lucrarentur? omnino nihil: causa enim eius diuersitatis esset in prõptu. Dominus enim panẽ fregit, & vnicuique partem suã dedit, non autem dedit panem integrũ, quem inter se diuiderent, ideò non fuisset necesse dicere: *Manducate ex hoc omnes*, vt intelligeret primus, non totũ sibi exhauriẽdum, sed tantũ relinquendum, quod omnibus sufficeret.

Secvndvm argumentum. Iisdem dictũ est, *Manducate*, quibus dictum est, *Bibite.* Vel igitur totũm Sacramentum datum est solis presbyteris, vel simul etiam laicis. Si laicis etiam, ergo omnibus dictum est: *Manducate, & bibite.* Si solis presbyteris, ergo nõ licet laicis dare vllam partem Sacramenti, nec eis dictum erit, *Manducate*, non enim temerè dandum est, cui Christus prima institutione non dedit. De hac ratione ita gloriatur

Lutherus: *Ego*, inquit, *fateor ista me ratione mihi inuita superasse, vt legisse, nec audiuisse, nec inuenisse, quid cõtrà dicã.*

RESPONDEO, Christus prima illa institutione, Apostolis solis dedit totum Sacramentum, vt antè probatũ est. Nec tamen valet illa Lutheri consequentia: Christus non dedit laicis, ergo non potest dari à nobis. Nam etsi non dedit, non tamen prohibuit dari: & alibi iussit etiam dari, cùm ait: *Hoc facite*, de quo loco postea dicemus.

TERTIVM argumentum. Christus dixit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Hîc clarissimè vides, sanguinem dari omnibus, pro quorũ peccatis fusus est. Quis autem audeat dicere pro laicis non esse fusum? ergo omnibus datur, & omnibus dicitur: *Bibite.* De hoc argumento sic Lutherus triumphat: *Hoc*, inquit, *maximè omnium vrget, penitúsque pro me concludit.*

RESPONDEO, Argumentum hoc verè concludit, non pro Luthero, sed contra ipsum. Nam si sanguis Domini dandus esset omnibus, pro quibus fusus est, dándus esset omnibus omnino hominibus, etiã Turcis, Iudæis, Ethnicis, & quibuscunque impiis. Sanguis enim ille pro omnibus fusus est, vt Scripturæ passim tradunt, Colos. 1. 1. Corinth. 15. 1. Ioan. 2. & alibi. Philippus in Cõfessione Augustana, in articulo de vtraque specie, probat illud: *Bibite ex hoc omnes*, dictum esse non solùm Apostolis, sed etiam aliis, quia Ecclesia Corinthiorum à Paulo, qui à Domino edoctus fuerat, instituta vtraque specie vtebatur.

RESPONDEO, Argumentum est nimis infirmum. Ecclesia enim Corinthiorum vtebatur vtraque specie, quia Paulus, vel Domini exemplo, vel aliunde ostendit, & tradidit, licitam esse Communionem sub vtraque specie. Sed nec Paulus citauit illud mandatum: *Bibite ex hoc omnes*, nec vllo verbo docuit, esse necessariam omnibus Communionem sub vtraque specie.

IOANNES Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 48. 49. & 50. antequam solutionem nostram refellat, ita præfatur: *Alterum*, inquit, *effugium est, solos Apostolos in huius Cœnæ participationem à Christo admissos, quos iam in sacrificiorum ordinem allegerat, & cooptauerat. Velim tamen mihi ad quinque postulata respondeant, quibus elabi non poterunt, quin facilè cum suis mendaciis reuincantur.* Hæc ille. Sed nec postulata illa quinque aliquid momenti habẽt ad refellendum id quod asserimus.

PRIMVM postulatum est: *Quo oraculo reuelata sit nobis ista solutio?* Respondeo, Oraculo Spiritus sancti per Scripturam Matthæi, & Marci, vt suprà ostendimus.

SECVNDVM: *Cur meliore illo sæculo ab Apostolis ad mille vsque annos postea sine exceptione omnes fiebãt vtriusque symboli participes? Ignorabãt ne vetus Ecclesia, quos Christus conuinæas ad cœnam suam admisisset?* Respondeo; Falsissimum est, quod Caluinus assumit: iam enim ostẽdimus in communione domestica, & ægrotorum, & laica clericorum, & in ipso etiam publico cœtu in templis sub vna specie fuisse cõmunicatum in antiquissima Ecclesia. Deinde si esset verũ quod ipse assumit, nõ propterea sequeretur verba illa, *Bibite ex hoc omnes*, dicta esse aliis, quàm Apostolis. Nã Ecclesia vti potuit vtraque specie, quia Dominus id nõ prohibuit, etiãsi non iusserit.

TERTIVM postulatum: *Cur de pane simpliciter dixit, vt ederent: de calice, vt omnes biberent?* Quartum, Si Dominus solis Apostolis, vt sacerdotibus Sacramẽtum dedit, quo iure datur nunc, vel ex parte, laicis? Ad hæc responsum est paulò antè: sunt enim hæc Lutheri argumenta, primum & secundum.

VLTIMVM postulatum: *An mẽtiebatur Paulus, cùm dicebat Corinthiis se accepisse à Domino, quod illis tradiderat? Nam postea traditionem declarat, vt omnes promiscuè vtroque symbolo communicarent.* Respondeo, Apostolus nequaquam mentiebatur: sed planè mentitur Caluinus, dum ei tribuit, quod ipse non dicit. Non enim Paulus ita declarat traditionem Domini, vt dicat debere omnes diuino mandato sub vtraque specie communicare. Sed de loco Pauli infrà plura dicemus; & iam aliquid diximus in solutione argumenti Philippi.

MARTINVS Kemnitius loco citato in Examine, pag. 635. addit hoc argumentum, quod more suo verbosissimè persequitur. Christus dixit: *Accipite, edite, bibite*, sed priora duo Synodus Tridentina vult ad laicos etiã pertinere, ergo & tertium illud, *Bibite*, ad laicos pertinet: nulla enim assignari potest caussa diuersitatis.

RESPONDEO, Remoueantur mendacia, & argumentum per se corruet. Nusquam enim synodus Tridẽtina scriptum reliquit, illa verba: *Accipite, edite*, ad laicos pertinere, illud autem, *Bibite*, non pertinere. Concilium id solum docet, non teneri eos, qui Sacramentum non conficiunt, siue laici sint, siue sacerdotes, iure diuino ad vtramque speciem, cur autem qui conficiunt, ad vtramque speciem teneantur, ratio est, quia sacrificium integrum esse, & integrè consumi debet.

HERMANNVS Hamelmannus in lib. de vtraque specie, part. 2. duo argumenta profert, præter. argumenta Lutheri. Primum est, Si solis Apostolis dictum esset: *Bibite ex hoc omnes*, ergo soli Episcopi cõmunicare deberent sub vtraque, illi enim soli Apostolis succedunt. Respondeo, Etiã sacerdotes succedunt Apostolis, quatenus ad illos etiam pertinet præceptum conficiendæ Eucharistiæ, quod datum fuit Apostolis per illa verba: *Hoc facite in meam cõmemorationem.* Quare Sacerdotes etiam, propter perfectionem Sacramenti, tenentur sumere vtramque speciem, cùm conficiunt Eucharistiam.

SECVNDVM argumentum Hamelmanni. Dominus ait Marc. 13. *Quod vobis dico, omnibus dico*, ergo illud. *Bibite ex hoc*, dictum Apostolis, omnibus dictum esse censendum est. Respondeo, Marcus non absolutè, & simpliciter posuit: *Quod vobis dico, omnibus dico*, sed addidit, *Vigilate.* Id ergo omnibus dictum est, vt vigilemus, & ad iudicium præparemur, de quo in eo loco Dominus cõcionatus fuerat, & multa omnibus vtilia dixerat. Alioqui si omnia quæ dicta sunt Apostolis, ad omnes pertinerent, oporteret omnes ire per mundum vniuersum, & prædicare Euangelium omni creaturæ, & alia id genus, quæ nemo sanæ mentis concederet. Atque hæc de primario aduersariorum fundamento.

TERTIVM testimonium Scripturæ est illud Lucæ: *Hoc facite*, iubet enim Dominus, vt faciant, quod ipse fecit: Ipse autem tria fecit, consecrauit, sumpsit, & distribuit omnibus præsentibus vtramque speciem: debent igitur Apostoli, & qui eis succedunt non tantùm consecrare, & sumere, sed etiam omnibus præsentibus dare speciem vtramque. Et confirmatur argumentum ex illa particula: *Similiter & calicem.* Nã ista particula (vt Kemnitius diligenter obseruari iubet pag. 533. & 535. (significat eandẽ esse rationẽ panis, & calicis: & sicut Dominus accepit, & dedit panẽ, & dixit: *Hoc facite*, ita quoque similiter accepisse, & dedisse calicem, & dixisse: *Hoc facite.*

RESPONDEO, Mirabilis est prouidẽtia Dei in sanctis literis: nam vt non haberent hæretici iustam excusationem, sustulit eis omnem tergiuersandi occasionem. Nam Lucas illud: *Hoc facite*, posuit post datum Sacramentum sub specie panis, post datum autem calicem illud non repetiuit, vt intelligeremus iussisse Dominum, vt sub specie panis omnibus distribueretur Sacramentum, sub specie autem vini non item.

NEC quidquam momenti habet illud, *similiter*, quod tantopere Kemnitius vrget: nam non refert illud, *similiter*, nisi acceptionem: est enim sensus, Similiter postquam cœnauit, accepit calicem. Quod autem non referat omnia, quæ Christus fecit circa panem, vt vellet Kemnitius, patet, quia Christus panem non solùm accepit, & benedixit, & dedit, sed etiam fregit, & fractum

diuisit

diuisit inter accumbentes: calicem autem non fregit, nec diuisit ipse discumbentibus, sed dedit integrum, vt vnus alteri porrigeret. Præterea Paulus 1. Cor. 11. cùm habeat eandem particulam, *similiter*, non tamen habet, *dedit*, sed solùm, *accepit.* Non igitur illud, *similiter*, referri potest ad verbum, *dedit.* Quod autem non referat illud mandatum, *Hoc facite*, perspicuum est ex ipso cõtextu, sic enim legimus: *Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens, Hic calix, &c.* Vbi debet subintelligi verbum, cum quo benè cohæreat ille accusatiuus *calicem*, tale autem verbum non est, *Hoc facite.* Quæ enim esset hæc oratio, Similiter & calicem hoc facite? Sententia ergo illa est, quam diximus: *Similiter & calicem accepit dicens, &c.*

QVARTVM testimoniũ Scripturæ est in verbis illis B. Pauli 1. Cor. 11. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.* Traditio Apostolica sine dubio omnes obligat: tradidit autem Paulus omnibus vtramque speciem esse sumendam. Et præterea Paulus tam post speciem panis, quàm post speciem vini repetit Domini mandatum: *Hoc facite.* Et deniq; postea adiungit: *De pane illo edat, & de calice bibat.* In hoc argumento mirè sibi placent aduersarij. Lutherus in lib. de captiuit. Babyl. c. de Eucharistia: *Vltimo*, inquit, *stat inuictus Paulus, omnium obstruens ora, &c.* Et infrà: *Nõ dicit*, inquit, *permisi vobis.* Et infrà: *Tradidisse est præcepisse.* Et in lib. cõtra Anglię Regẽ: *Hoc argumentũ*, inquit, *dixit assertori Sacramẽtorũ, Noli me tãgere.*

RESPONDEO, In vltimis verbis nulla est difficultas, illud enim: *De pane illo edat, &c.* sequitur post ea verba: *Probet seipsum homo, & sic de pane illo, &c.* Quibus verbis non iubet Apostolus, vt fideles edant panem, vel calicem bibant absolutè, sed modum præscribit, quo vti debent, si edere & bibere velint vtiliter.

PORRÒ illa verba: *Ego tradidi vobis*, in nullo auctore significarunt vnquam, Ego præcepi, seu imperaui. Et Deinde, quàm esset pulchra illa verborum Pauli connexio, si ita efferretur: Ego tradidi vobis, id est, mandaui, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur? Et illud 1. Corin. 15. *Tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est*, quàm pulchrè hoc modo interpretaremur, Præcepi vobis, quòd Christus mortuus est? Adde, quod Kemnitius in 2. parte Examinis, pagin. 541. non est veritus Prophetæ Germanico Luthero in faciem resistere. Scripsit enim illud *tradidi*, non significare Præcepi, cuius tamen contrarium, vt suprà citauimus, Lutherus dixerat.

SED tamen alio modo ex eodem verbo Kemnitius argumentatur, & vt ipse dicit, pulcherrimum conficit argumentum. Paulus enim cùm ait, *tradidi*: non præcipit: non enim ausus fuit in vsu Sacramentorum aliquid præcipere, sed tradit Christi præceptum. Et ne putemus eum tradere præceptum solis presbyteris, qui erant Corinthi, in principio epistolæ dicit se scribere omnibus qui erant Corinthi, immò etiam omnibus aliis Christianis. Nam addidit: *Cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi.*

SED hæc omnia falsa, friuola, & ineptissima sunt. Nam in primis falsum est, Paulum tradidisse præceptum Christi de vtraque specie sumenda. Quid enim tradiderit explicat, cùm ait: *Quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c.* vbi videmus tradi historiam de institutione Sacramenti, non autem præceptum de vtraque specie sumenda.

DEINDE falsum est, Paulum nihil fuisse ausum præcipere circa vsum tanti Sacramenti: illud enim, *Probet seipsum homo*, præceptum Pauli est, nec enim in Euangelio legitur. Et illa: *Cùm conuenitis, inuicem exspectate, &, Qui esurit, domi manducet*, eiusdem Apostoli sunt, qui etiam plura se ordinaturum asserit, cùm ait: *Cætera cùm venero, disponam.* Quare Augustinus epist. 118. Apostolorum præceptum esse dicit, vt hoc Sacramentum à ieiunis sumatur.

POSTREMÒ falsum est, epistolã ad Corinthios scriptam esse ad omnes fideles, ita vt omnia, quæ ibi habentur, ad omnes pertineant. Num enim ad omnes pertinet: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes? & Alius dicit: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ?* Porrò illud in inscriptione: *Cum omnibus qui inuocant nomen Domini*, non significat scribi epistolam ad omnes, sed significat scribi ad Corinthios, quibus Apostolus precatur pacem & gratiam cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi. Nec tamen negamus, quin epistola illa aliquo modo ad omnes pertineat, doctrina enim, quæ ibi traditur, communis est omnibus: sed non ideò omnia, quæ ibi dicuntur, ad omnes pertinent, ac si ad omnes scripta essent.

IAM verò illud, *Hoc facite*, quod in hac epistola bis ponitur, nihil causſæ nostræ officit. Nam post panis consecrationem absolutè ponitur: *Hoc facite in meam commemorationem*, post calicem autem idem repetitur, sed cum conditione: *Hoc*, inquit, *facite quotiescunque bibetis.* Et certè nõ sine causſa Spiritus sanctus modũ loquendi mutauit. Non significant igitur hæc verba posteriora, vt calix debeat dari, vel sumi necessariò, sed modũ præscribunt, vt si id fiat, fiat in memoriam Dominicæ passionis.

QVAERITVR à Doctoribus, quid propriè demonstret illud, *Hoc*, cùm Dominus ait: *Hoc facite*, an demonstret id quod Dominus egit, id est, consecrationem, & distributionem, an quod egerunt discipuli, id est, manducationem, & bibitionem, an vtrumque simul. Sed ad rem nostram id non refert, quando constet illud præceptum non dari absolutè, nisi de vna specie.

VIDETVR tamen sententia Ioannis à Louanio valde probabilis, qui docet, verba Domini apud Lucam, ad omnia referri, id est, ad id, quod fecit Christus, & id, quod egerunt Apostoli, vt sensus sit: id quod nunc agimus, ego dum consecro, & porrigo, & vos dum accipitis, & comeditis, frequentate deinceps vsque ad mundi consummationem. Profert enim prædictus auctor veteres Patres, qui illa verba modò referũt ad Christi actionem, vt Cyprianum epist. 3. lib. 2. & Damascenum lib. 4. de fide, cap. 14. modò ad actionem discipulorum, vt Basilium lib. regularum moralium, reg. 21. & Cyrillum Alexandrinum libr. 12. in Ioan. c. 58. Paulum autem idem auctor docet referre potissimùm illa verba ad actionem discipulorum, id quod ex verbis sequentibus colligitur: *Quotiescunque enim*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Et præterea idem planum fieri potest ex instituto, & proposito B. Pauli. Nam Apostolus eo loco emendabat errorem Corinthiorum, Corinthij autem non errabant in consecratione, sed in sumptione, quia non debita cum reuerentia sumebant: quare accommodat ea verba ad suum vsum, ac docet, Christum præcepisse, vt actio cœnę celebraretur in memoriam passionis, & ideò attentè, & reuerenter sumenda esse tanta mysteria.

CAPVT XXVI.

Refelluntur obiectiones ex Patribus.

MVLTA loca ex patribus aduersarij citant, quæ duabus de causſis parum, aut nihil eis prodesse possunt. Primò, quia iisdem Patribus (vt Ioannes à Louanio rectè monuit) in rebus grauioribus nihil credunt. Maior pars eorum Patrum apertissimè docet transubstantiationem panis in carnem vi consecrationis, quam tamen aduersarij magno consensu reiiciunt, & cùm citantur à nobis Patres, ipsi ad solum verbum Dei prouocant. Patribus omnibus contemptis. Secundò, quia reuera Patres benè intellecti nihil eorum habent, quæ ipsi illis tribuunt. Nec tamen mirandum esset, si aliquis eorum obscuriùs loqueretur, cùm tempore ipsorum non fuerit ista quæstio introducta, sitné vtraque species necessariò sumenda.

PERCVRRAMVS Patres, quos illi citant, ordine temporum, quo floruerunt. Ignatius in epist. ad Philadelphienses: *Vnus est*, inquit, *panis omnibus confractus, unus poculum omnibus distributum.*

RESPONDEO Primùm, In Latinis codicibus, non habetur vnus calix omnibus distributus, sed vnus calix totius Ecclesiæ. Est enim cõmunis calix, quia pro omnibus offertur Deo. Neque multum fidendum est Græcis codicibus, quos Kemnitius magni facit; multi sunt enim in eis errores, vt quiuis facilè animaduerteret qui conferret eos codices Græcos, qui nunc exstant, cùm testimoniis Ignatij, quæ citantur ab Athanasio in epist. ad Epictetum, & à Theodoreto in Dialogis contra Eutychianos. Adde, quòd ipsi Magdeburgenses, Cent. 2. c. 4. art. de Eucharistia, citant hunc locũ Ignatij, vt nos habemus.

SECVNDÒ respondeo: Ignatiũ in illis verbis, etiã vt à Kemnitio citantur, facere vim in vnitate calicis, non in vniuersalitate bibentium. Docet enim vnum esse calicem, nõ autem debere, vel etiam solere ab omnibus sumi, vt hic sit sensus: Cùm in Ecclesia aliqui sumunt Eucharistiam sub specie panis, omnes illi vnum panem sumunt, non multos, & cùm aliqui sumunt sub specie vini, vnus calix omnibus illis distribuitur, non multi. Vnde ibidem ait; *Vna est caro, vnus est sanguis, vnus panis, vnum poculum, vnus Christus, vnum Baptisma, vna Ecclesia, &c.*

TERTIÒ denique addere possumus, ad summum quantumuis exprimantur ista verba, nihil aliud ex eis elici posse, nisi fuisse vsum illo tempore, cùm pauci erant Christiani, vt omnibus daretur potus calicis. Sed hoc exemplum est, non præceptum.

SECVNDO loco Iustinum proferunt: *Iustinus*, inquit Kemnitius, *vetustissimus scriptor, cùm describsisset Communionem sub vtraque specie, mox subiungit, Apostoli in Euangeliis, ita sibi Christum præcepisse, tradiderunt.*

RESPONDEO, illa verba Iustini, vbi commemoratur Christi præceptum, non pertinent ad Communionem, sed ad consecrationem. Nam etiamsi de Communione aliquid dixerat Iustinus antea, tamen immediatè ante illa verba, quæ aduersarij citant, Iustinus declarat, quid sit, & quomodo fiat Eucharistia, ac dicit, panẽ per verbum Dei prolatum in consecratione, fieri Eucharistiam, & non esse amplius communem panem, sed ipsius Iesu carnem, & sanguinem: tum ne videatur rem tam miram ex capite suo finxisse, subiungit: *Apostoli enim in commentariis suis, quæ Euangelia dicuntur, ita præcepisse sibi Iesum tradiderunt.* Quibus verbis significat Apostolos tradidisse, sibi à Domino præceptum, vt verbo Dei consecrarent panem, & ea consecratione ex pane facerent corpus ipsius. Idem patet ex sequentibus verbis: Iustinus enim addere curauit verba illa Euangelij, quibus Domini præceptum continetur, atque ait: *Eum enim panem accepto, cùm gratias egisset, dixisse, Hoc facite in meam recordationem: hoc est corpus meum, & similiter accepto calice dixisse, Hic est sanguis meus.* vbi nulla fit mentio Communionis, sed solius Institutionis.

TERTIVS est Clemens Alexandrinus, qui lib. 2. Pædagog. c. 2. ait: *Bibere sanguinem Iesu, est participem esse incorruptionis diuinæ.* Hinc verò colligunt aduersarij, non posse participare incorruptionẽ, qui non bibit sanguinẽ.

RESPONDEO Primùm, Non sequitur illa negatiua ex affirmatiua. Non enim quia potus sanguinis dat incorruptionem, ideò non habet incorruptionem, qui non bibit sanguinem, potest enim aliunde, nimirum ex corpore Domini, haberi eadem illa incorruptio, iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Nam etiam in rebus corporalibus argumentum non valeret, Vinum nutrit, ergo qui vinum non bibunt, nutriri non possunt. Non valet, quia non solùm vinum, sed multa etiam alia nutriunt.

SECVNDÒ, Sanguis Domini non dat incorruptionem, quia bibendo sumitur, sed quia sumitur. Vis enim in ipso sanguine est, non in modo bibendi: sanguinem autem verè sumunt, qui sub vna specie communicant, vt suprà diximus.

EADEM solutio valet ad locũ Tertulliani, qui Quartus numerari potest. Ex libro de resurrectione citat Caluinus illud: *Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo sagmetur.* Sed præter communem solutionem, non est pretereundum Tertullianũ dixisse, nos sanguine vesci, non bibere sanguinem, vescimur autem sanguine, cùm eum sumimus per modum cibi specie panis.

QVINTÒ proferunt Origenem homil. 16. in Num. *Populus Christianus in vsu habet sanguinem bibere.*

RESPONDEO Primò, Habet in vsu, non in præcepto. Secundò, Vt eũ vsum habeat populus Christianus, non necesse est, vt singuli de populo bibant, sed satis est, si in Ecclesia aliqui sint, qui id faciant. multa enim sunt in vsu populi Christiani, quæ tamen non à singulis fiũt.

SEXTVS est S. Cyprianus, ex quo tria loca producunt. Primus est in epist. 2. li. 1. vbi dicit, sanguinem Dñi dandum esse fidelibus, vt roborentur ad martyrium. Sed ad hunc locum respondimus suprà cap. 21.

VRGENT porrò illa verba eiusdem epistolæ: *Quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure Communicationis admittimus?* Hinc enim colligi videtur, ius habere laicos ad sanguinem Domini petendum, ac proinde iustè non posse eis denegari.

RESPONDEO, Hoc loco confirmatur potiùs, quàm infirmatur sententia nostra. Cyprianus enim loquitur in epistola de lapsis, quibus ab Episcopis ablatum erat ius Communionis: ac hortatur Cornelium Papam, vt lapsis imminente noua persequutione restituatur ius communicandi, si nimirum ad pœnitentiam redierint, ne inermes ad prælium pro fide inueniantur. Ius ergo laicorum ad communicandũ à sacerdotibus datur, & à sacerdotibus tollitur: & sicut possunt Prælati ob crimina tollere ius communicandi, ita possunt ob alias iustas caussas disponere, & ordinare de modo communicandi, sub vna specie, vel altera. Præterea si tempore Cypriani habuissent laici ius petendi calicem, certè habuissent ex consuetudine illius temporis: ergo cùm sit hoc tẽpore contraria consuetudo introducta, & lex præterea in generalibus Conciliis promulgata, non habent ampliùs ius illud laici, nisi fortè probare possint, quod hactenus non fecerunt, expresso Dei mandato se ius illud habere.

SECVNDVS locus est in lib. 2. epist. 3. vbi sic loquitur Cyprianus: *Quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando non hoc faciunt, quod Christus fecit, & docuit.* Hinc colligũt Christum docuisse, vt calix plebi ministraretur. Et auget difficultatem Kemnitius: nam si illi reprehenduntur, qui loco vini aquam ministrabant, cùm tamen & calicem, & verba retinerent, quantò magis reprehendendi sunt, qui totum calicem sustulerunt?

RESPONDEO, Non agit eo loco Cyprianus, oporteát ne calicem populo præbere, an non: sed tantùm, vt si ministretur, ex vino misto, non ex aqua sola constet, & hoc dicit Dominum docuisse, vt calix Eucharistiæ ex vino misto, non ex aqua sola constet.

QVOD autem Kemnitius addit, omnino absurdissimum est, nimirum grauius, & reprehensibilius esse non dare plebi calicem, quàm dare in sola aqua cõsecratum. Nam qui dant in sola aqua consecratum, corrumpunt Sacramentum Christi, quia mutant materiam, & populum decipiunt, cui pro sanguine Domini meram aquam tribuunt, quę grauissima sacrilegia esse, non dubium est: denique pugnant cum Domini præcepto, quod semper vrget Cyprianus, quia Dominus iussit fieri, quod ipse fecit, dum ait: *Hoc facite*, ipse autem calicem vini misti

conse

consecrauit, non calicem aquæ. At præbere populo Eucharistiam sub vna specie, nullum sacrilegium, nullam fraudem, nullius præcepti præuaricationem continet.

ET sanè mirum est, aduersarios tantopere vrgere testimonium huius epistolæ, cùm in disputatione de sacrificio, & de miscenda aqua vino in calice, hanc epistolam contemnant: & argumenta, quæ in ea habentur pro mistione aquæ, refutare non vereantur.

TERTIVS locus est in serm. de cœna Domini, vbi sic loquitur auctor: *Lex esum sanguinis prohibet, Euangelium præcipit, vt bibatur.*

RESPONDEO Primùm, non dicit auctor sermonis (nec enim Cyprianus est, sed aliquis posterior) Euangelium præcipere, vt bibatur sanguis ab omnibus, sed tantùm vt bibatur. Hoc enim ipso, quod Dominus instituit Sacramentum hoc sub specie cibi & potus, iussit manducari, & bibi, sed ad hoc satis est, si ab aliquibus bibatur, vt in Ecclesia fit.

DEINDE Cyprianus non facit vim in bibendo, sed in sumendo sanguinẽ: promiscuè enim loquitur de esu, vel potu sanguinis. Nam in loco citato: *Lex*, inquit, *prohibet esum sanguinis, Euangelium præcipit, vt bibatur.* Vbi cùm opponat tanquam contraria, bibere sanguinem, & non edere sanguinem, apertè significat se pro eodem accipere esum & potum. Et in eodem sermone idem auctor paulò pòst dicit: *Potus, & esus ad eandem pertinent rationem.* Accipiunt autem Catholici laici verè sanguinem Domini cum corpore sub specie panis: id quod iste auctor non solùm faretur, sed etiam dicit propter eam caussam in sola specie panis esse cibum & potum. Sic enim ait initio sermonis: *Manducauerant & biberant de eodem pane secundum formam visibilem, &c.*

SEPTIMÒ proferunt Ambrosium ex lib. de initiandis mysteriis, cap. 9. *Illis aqua fluxit è petra, tibi sanguis è Christo.* Item citat Caluinus verba Ambrosij ad Theodosium teste Theodoreto li. 5. hist. c. 18. *Qua audacia poculum sanguinis pretiosi ore tuo participabis?* Sed hæc nihil ad rem faciunt. Fatemur enim datam aliquãdo vtramq; speciem laicis, sed negamus id iure diuino mandatum.

OCTAVÒ profert Caluinus Hieronymum in cap. 2. Malach. *Sacerdotes, qui Eucharistiam conficiunt, & sanguinem Domini populo distribuunt.* Respondeo, Nihil noui audimus.

NONÒ proferunt Chrysostomum hom. 18. in 2. ad Corint. *Est autem*, inquit, *vbi nihil differt sacerdos à subdito, vt quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim vt illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat, partem verò populus: verùm omnibus vnum corpus proponitur, & poculum vnum.* Respondeo, Vim facit in re, quæ sumitur, non in speciebus, vel in modo sumendi, alioqui falsum esse discrimen, quod ipse ponit inter nouam & veterem legem. Nam si agatur de speciebus, etiam nunc partem sumit sacerdos, partem populus: nemo enim sumit integrum panem. Hoc igitur est discrimen inter veteris & noui Testamenti sacrificium, quòd illud diuidebatur per partes, nec poterat ab vno sumi totum: & inde fiebat, vt alij maiorem partem, alij minorem haberent, & sacerdotum ordinariè erat pars potissima. At hoc nostrum totum, & integrum datur singulis: nec plus habet sacerdos, quàm laicus, licet symbola sint maiora vel plura in Communione sacerdotum. Fuisse autem Chrysostomi ætate, & in ipsa Chrysostomi Ecclesia liberum communicare sub vna specie, manifestè patet ex eo exemplo, quod suprà citauimus ex Sozomeno, & Nicephoro.

DECIMO loco proferũt Augustinum. Ac Primùm citant illud lib. quæstionum in Leuiticum, q. 57. *Ad bibendum sanguinem, omnes exhortantur qui volunt habere vitam.* Respondeo, Augustinus eodem modo loquitur de potu sanguinis, quo suprà diximus loquutum esse Cyprianum, seu quisquis fuit auctor in sermone de cœna Domini: non enim vim facit in modo bibendi, sed in ipsa sumptione sanguinis, qui idem efficit, siue sumatur per modum cibi, siue per modum potus. Nã idem Augustinus ibidẽ, sicut antea Cyprianus, opponit vt cõtraria, non comedere sanguinem, & bibere sanguinẽ: *A cuius*, inquit, *sacrificij sanguine in alimentum sumendo non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum exhortantur omnes, &c.*

SECVNDÒ proferunt ex eodem Augustino illa verba in sermone de Sacramentis apud Bedam in 10. cap. prioris ad Cor. *Simul hoc sumimus, simul bibimus, quia simul viuimus.* Respondeo, Nulla concluditur hinc necessitas sumendi sanguinis Domini per modum potus. Nã etiamsi sanguis Domini sub specie vini sit signum, & caussa vitæ spiritualis, & ideò rectè dicatur: *Simul bibimus, quia simul viuimus*, tamen non sequitur negatiua, Non simul bibimus, ergo nõ simul viuimus. Nam possumus simul viuere comedendo: est enim cibus Eucharistiæ eodem modo signum, & caussa vitæ, quo est calix.

TERTIÒ proferunt illud: *Nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne iure communicatur.* Quam sententiam ex Augustino citat Algerus lib. 2. cap. 8. Respondeo. Ea sententia non Augustini, sed Paschasij est, libro de corpore Domini, cap. 19. neque nobis vlla ratione aduersatur. Non enim Paschasius loquitur de speciebus Sacramenti, sed de re contenta, ac docet non posse sumi carnem exanguem, neque sanguinem, nisi cum suo corpore: & illum non iure communicare, qui sentit vnum accipi sine altero. Eodem sensu dixit idem Paschasius, cap. 17. *Non rectè caro Christi sine diuinitate sumitur, nèc diuinitas sine carne præstatur.*

VNDECIMÒ proferunt Gelasium, cuius ea verba recitantur à Gratiano, cano. Comperimus, de consecrat. distinct. 2. *Comperimus quod quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius & eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.*

RESPONDEO, Duplex ad hunc locum dari solet solutio. Vna est, quòd loquatur Gelasius de solis sacerdotibus sacrificantibus, qui nullo modo debent vnam speciem sine altera sumere, cùm ipsorum sit, holocaustũ consumere. Hæc solutio ex eo probabilis redditur, quòd Gratianus, qui ex epistola Gelasij, quæ modò fortasse nõ exstat, capitulũ illud desumpsit, hunc ei præfixit titulum: *Corpus Christi sine eius sanguine sacerdos nõ debet accipere.*

ALTERA solutio est, Gelasium reprehendere illos duntaxat, qui ex errore Manichæorum à calice abstinebant, quales erant tum ipsi Manichæi, tum Priscillianistæ. Isti enim ideò à calice abstinebant, tum quia abhorrebant à vino, tum quia existimabant Christum non habuisse verum sanguinem. Quare Gelasius non damnat eos, qui iusta de caussa à calice se abstinent, sed qui ex superstitione, vt verba ipsius indicant: *Quoniam*, inquit, *nescio qua superstitione docentur obstringi.* Isti enim magno sacrilegio Sacramentum diuidebant, quia soluebant Iesum opinione sua, & ideò rectè iubebantur aut integra Sacramenta, & quidem sub vtraque specie sumere in signum correcti erroris, aut simpliciter à Sacramento arceri. Vnde (vt suprà diximus) S. Leo serm. 4. de Quadragesima, ad Manichæos detegendos iubebat obseruari, non eos, qui modò sub vna, modò sub vtraque specie communicabant, sed eos tantùm, qui nunquam sub vtraque communicabant. Illud enim eo tempore signum erat Manichæismi: errore autem illo sublato, ordinariè omnes sub vna communicabant, vt ex ordine Romano suprà ostendimus.

DVODECIMÒ proferunt Gregorium Papam, qui lib. 4. Dialog. cap. 58. dicit Christi sanguinem iam non

in ma

in manus infidelium,sed in ore fidelium fundi: & hom. 22.in Euangel. dicit ore corporis, & ore cordis Christi sanguinem hauriendum esse.

DECIMOTERTIÒ proferunt Bedam,qui similia verba habet in homilia festi Epiphaniæ. Respondeo, Sancti isti Patres sumi dicunt Christi sanguinem ore corporis, quod nos non negamus esse faciendum: bibi autem debere ore corporis,aut sub specie vini sumi, ipsi non dicunt.

DECIMOQVARTÒ proferunt Haymonem, qui in c.10.1.ad Cor.exponens illud: *Calix benedictionis, cui benedicimus,nónne communicatio sanguinis Domini est?* dicit eum calicem vocari participationé,seu communionem, quia omnes ex illo vno participant.Respõdeo,Loquitur iste auctor, vt suprà loqui diximus Ignatium, & Chrysostomum de vnitate calicis:significat enim eos,qui sanguinem Domini sumunt,ex vno calice sumere.

DECIMOQVINTÒ proferunt Theophylactũ, qui sic ait in c.11.prioris ad Cor.*Tremendus hic calix cunctis, pari conditione est traditus.*Respondeo, Loquitur Theophylactus de eo tẽpore,quo scripta est epistola ad Cor. Edisserit enim Pauli sententiam, atq; id loquitur, quod Paulus in summa & breuissimè dixerat. Paulus arguebat diuites,qui in cœnis illis,quæ tunc fiebant in Ecclesia, non dignabantur communicare epulas suas lautiores cum pauperibus. Hos ergo arguit, quasi Pauli nomine Theophylactus,& inter alia hoc argumentum adducit,non debere eos abhorrere à pauperibus, quando calicem suum Christus ex æquo omnibus dederit, id est, tam pauperibus, quàm diuitibus. Hæc autem sententia etiamsi tunc maximè locum habuit, cùm Communio sub vtraque specie erat omnibus libera: tamen etiam nunc locum habet.Nam & nunc pari conditione calix iste cunctis,id est,tam diuitibus,quàm pauperibus conuenit:sumunt enim ex calice cuncti sacerdotes,siue diuites sint,siue pauperes,laici non sumunt,siue diuites, siue pauperes sint.

DECIMOSEXTÒ proferunt Paschasium,qui in lib. de corpore Christi, c.15. sic exponit illud: *Bibite ex hoc omnes, id est,*inquit,*tã ministri,quàm reliqui credentes.*Respondeo,tria sunt hic breuiter obseruanda. Primum est, locum istum videri omnino corruptum,& pro illa voce, *Bibite*,debere esse,Edite,vt Ioannes à Louanio non sine caussa suspicatur. Nam hæc verba præcedunt:*Hic solus est,qui fregit hunc panem,& per manus ministrorũ distribuit credẽtibus,dicens,Accipite,& bibite ex hoc omnes,&c.*

SECVNDÒ obseruãdum est,non exponere Paschasium verba Domini,vt sunt apud Matthæum: *Bibite ex hoc omnes,*sed vt videntur dici à Christo,dum in Ecclesia distribuitur Sacramentum. Nam ipse ait Christum hoc dicere,cùm per manus ministrorum Sacramentum distribuit credentibus:verba autem illa Domini Matth. 26.dicta sunt, cùm Dominus per se, non per ministros, Sacramentum distribueret.Et præterea verba illa,vt dicta sunt in prima institutione Sacramenti, nullo modo admittunt illam explicationem, bibite omnes, tam ministri,quàm reliqui credentes:nulli enim tunc erant ministri à credentibus distincti in mensa Domini.

TERTIÒ obseruandum est,verba Paschasij vt iam se habent, nostræ sententiæ plurimùm fauere: significant enim bibendum esse Domini sanguinem, sed in specie panis,non in specie vini,quomodo etiam Cyprianus serm. de cœna Domini dixit, panem manducari & bibi. Vnde Thomas Vvaldensis,tom.2.de Sacramentis, c.93.ex hoc loco Paschasij colligit sanguinem bibi posse sub specie panis.

DECIMOSEPTIMÒ proferunt Bernardum, qui serm.3.in ramis palmarum,dicit alimoniam corporis,& sanguinis Domini in prima cœna Domini exhibitam, ac deinceps frequentari mandatam.

RESPONDEO, Sub specie panis integra alimonia est corporis,& sanguinis Domini, vt suprà ostendimus: quare Dominus iussit frequentari istam alimoniam,sed non præcepit,an sub vna, vel sub vtraque specie id fieri deberet.

DECIMOOCTAVÒ proferunt Concilium Turonicum,quòd Burchardo referente lib.5.cap.9.decreuit, dandam esse ægrotis Eucharistiam intinctam sanguine Domini,vt presbyter verè possit dicere:*Corpus, & sanguis Domini nostri Iesu Christi.*

RESPONDEO,Locus hic nihil iuuat aduersarios:nã panẽ intinctũ comedere præsertim exsiccatũ, & in pyxide diu retentum, vt in eo Concilio habetur, non est bibere,ipsi autem potum requirunt. Deinde decretum illud emendatum fuit:damnatur enim illa intinctio panis in Concilio Bracarensi III. can.1.& rectè. Nam intinctio vel fit vt habeatur sanguis Domini, vel vt habeatur per modum potus.Si vt habeatur, frustrà intingitur panis, quia in specie panis non deest sanguis cum corpore.Si vt habeatur in specie potus,frustrà etiam intingitur, quia (vt dixi) non bibitur ille panis sic intinctus,sed solùm editur.

DECIMONONÒ proferunt Concilium III.Bracarense,citatũ can.1.sed vt plurimùm nomine Iulij Papæ, quomodo citatur istud decretum etiam à Burchardo lib.5.c.1.à Gratiano dist.2.de consec. ca. Cùm omne:& à Micrologo de obseruationibus Ecclesiasticis, cap. 9. Proferũt igitur testimonium huius decreti,vbi habetur non esse dandũ populo panem intinctum in sanguine, quia Dominus legitur dedisse vtramque speciem seorsim,id est,primò speciem panis,posteà speciem vini.

RESPONDEO,Concilium prohibet quidem rectè illam intinctionem ex eo,quòd Dominus nõ intinctum panem dedit, nec poterat probari illa intinctio vllo testimonio,vel exemplo Scripturarum, non tamen Concilium addit, debere dari vtramq; speciem. Præterea si hoc etiam Concilium diceret, responderemus Concilium loqui de eo tempore, quo libera erat Communio sub vtraque specie:tunc enim iis,qui vtramque speciem cupiebant, Concilium iubet dari vtramque speciem, non autem panem intinctum.

VICESIMÒ proferunt impudentissima tria mendacia sub nomine trium generalium Conciliorum Lutherus in disputatione contra Concilium Constantiense, dicit Concilium in hæc verba loquutum in suo decreto: *Licet Christus instituerit, vt omnes communicent sub vtraque, tamen hoc non obstante, nos volumus, vt omnes communicent sub vna.* Ex quibus verbis habemus Concilium agnouisse,& docuisse veritatem,quòd sit de iure diuino Communio sub vtraque:licet idem Concilium contrarium statuerit. Vnde Lutherus ibidem dicit,Concilium damnasse Christi doctrinam,& ipsum Christum pro Hæresiarcha habuisse. Sed est mendacium intolerabile: nam nihil eiusmodi habet Concilium, immò è contrario definit,non esse de iure diuino,sumere vtrãque speciem. Verba autem vnde Lutherus mendacium fabricauit,sunt ista in sess.13. *Licet Christus instituerit, & dederit Sacramentum post cœnam sub vtraq; specie discipulis, hoc non obstante obseruanda est Ecclesiæ consuetudo, vt non sumatur nisi à ieiunis.* Vbi Concilium non loquitur de vtraque specie,cùm ait:*Hoc non obstante*, sed tantùm de tempore communicandi. Neque dicit seruandum Ecclesiæ morem, non obstante Christi præcepto, sed non obstante Christi exemplo:ille enim dedit post cœnam ex peculiari caussa,quæ modò non habet locum.

QVAMVIS autem hoc mendacium iamdudum in Luthero à Catholicis detectum, & confutatum fuerit: tamen discipuli eius semper illud vrgent, vt apertissimè indicent,se ex electione, & ex pura malitia mentiri velle. Idem enim mendacium non ante multos annos repe

repetiuit Illyricus in Apologia pro Confessione Antuerpiensi,cap.14.vbi expressè dicit, Concilium agnouisse Christum instituisse,vt daretur Sacramentum sub vtraque.Kemnitius in 2.parte Examinis, pag.570.temperat nonnihil hoc mendacium, tamen ipse quoque mentitur, illud *non obstante*, quam vocat sceleratam clausulam, referri ad Communionem sub vtraque specie.

SECVNDÒ idem Lutherus in lib.de captiui. Babyl. cap.de Eucharistia,dicit Concilium Basileense declarasse, licere Bohemis vtramque speciem sumere contra id, quod antè statuerat Concilium Constantiense. Sed hæc est mera impostura. Concilium enim Basileense idem docet sessio.30.quod Constantiense sess.13. Neque vsquam declarauit licere Bohemis Communionem sub vtraque sine Ecclesiæ dispensatione, sed concessit eam facultatem (teste Ænea Syluio in historia Bohemica,c.52.)cum ea conditione,vt crederent Communionem sub vna esse licitam, & proinde non esse contra ius diuinum.

TERTIÒ incredibili impudẽtia Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis, c. 14. dicit Concilium Trident. conuictum fulgore verbi Dei, tandem agnouisse suum errorem, & permisisse Communionem sub vtraque.Sed legantur sessi.21.& 22.Concilij,& mendacium euanescet.

CAPVT XXVII.

Refelluntur obiectiones ex ratione.

OBIICIENT testimonia Scripturæ, & Patrum, obiiciunt aduersarij aliquot rationes ex Scripturis depromptas, quas breuiter diluemus. Prima ratio à figura. Hebræi omnes in deserto biberunt aquam de petra,dicente Paulo 1. Cor.10. *Et omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Ergo in deserto huius vitæ debent omnes bibere sanguinem Domini: illa enim in figura contigerunt illis.

RESPONDEO, Non biberunt illi aquam de petra simul cum cibo spirituali, vt suprà ostendimus, sed diuerso loco,& tempore:quare tam cibus ille, quàm potus signum fuit Eucharistiæ sub vna specie sumendæ.

SECVNDA ratio ab institutione. Christus instituit cœnam sub duplici specie:ergo sub duplici sumenda est, alioqui non erit cœna Domini,sed pars eius.

RESPONDEO, Si propriè, & secundum Euangelium loqui velimus, cœna Domini non constat nisi ex vna specie. Nam Luc. 22.sic legimus: *Cœnantibus illis, accepit* IESVS *panem,&c.*Et postmodùm multis interiectis:*Similiter & calicem postquam cœnauit.* Et 1. Cor. 11.*Similiter & calicem postquam cœnauit.*Itaque in cœna non dedit nisi Eucharistiam,sub specie panis, quæ propriè respondet cœnæ Iudaicæ, & agno Paschali: post cœnam autem dedit calicem.Vnde etiam Cyprianus in sermo.5.de lapsis dicit, calicem offerri solere præsentibus post expleta solennia,id est,finita iam Missa.Deinde etiamsi cœna Domini vtraque specie constaret: tamen quia quælibet species continet rem vtriusque speciei,tam esset integra cœna ex vna specie,quàm ex duabus,sola enim differentia esset in vasis, quibus inferuntur cibi. Pertinent tamen duæ species ad sacrificij perfectionem,vt sæpe diximus,sed non est necesse,vt sacrificium, quoad omnia signa, sumatur ab omnibus: satis enim est,si pro omnibus offeratur.

TERTIA ratio ab exemplo Domini, & Apostolorum.Dominus calicem omnibus præsentibus dedit:Apostoli quoque omnibus dabant. Vnde 1.Corin.10.*Non potestis bibere calicem Domini,& calicem dæmoniorum.*Et 1.Cor.12.*Omnes in vno Spiritu potati sumus.*

RESPONDEO, Exempla probant rem non esse illicitam iure diuino, non autem esse præceptam, vel necessariam, alioqui teneremur sumere Eucharistiam post alios cibos, & noctu, & post lotionem pedum: hæc enim omnia Dominus fecit. Locus autem ille: *Omnes in vno Spiritu potati sumus,*perperam adducitur, & sæpissimè inculcatur à Kemnitio:non enim ibi agitur de potu sanguinis Domini,sed de potu Spiritus,quem haurimus in Baptismo.

QVARTA ratio à Testamento. Christus proximus morti,Testamentum condidit,& eo legauit omnibus filiis suis corpus,& sanguinem suum, vt patet Luc. 22. & 1.Cor.11.Ergo Testamentum corrumpunt, & iniustè filios Dei fraudant paterna hæreditate, qui laicis negant sanguinem Domini.

RESPONDEO,Hæreditas nobis relicta, non est panis, neque vinum, sed corpus, & sanguis Domini, quæ duo dantur tam sub vna, quàm sub duplici specie: hoc solùm interest,quòd qui bibunt ex calice,accipiunt hæreditatem in duabus tabulis: qui non bibun ,accipiunt illud idem in vna tabula. Sed hæc differentia nullius momenti est, quod attinet ad participandam hæreditatem.

QVINTA ratio à fine huius Sacramenti.Finis est Sacramenti huius, vt commemoremus Christi mortem. Sed non significatur Christi mors integrè per vnam speciem:ergo debent vtramq; sumere,qui volunt Christi mortem per hoc Sacramentum commemorare. Tenentur autem omnes mortem Dñi commemorare,dum Sacramentum hoc percipiunt, teste Paulo 1.Cor.11.ergo tenentur omnes vtramque speciem sumere.

RESPONDEO, Dupliciter commemoratur in Sacramento Christi mors. Vno modo per repræsentationem,& significationem. Altero modo per memoriam, & narrationem. Aliter enim commemoratur aliqua victoria in cõmœdia, vbi omnia repræsentantur ad viuum, alio modo cùm quis victoriæ recordatur, & aliis narrat, & inde lætatur. Priore modo commemoratio mortis Domini, non fit manducando & bibendo, sed consecrando & offerendo Deo Eucharistiam: imitatio enim mortis Dñi est illa separatio corporis à sanguine in signis sensibilibus. Vnde Gregorius li.4. Dialog.c.58.& alij Patres passim in immolatione constituunt repræsentationem mortis Dominicæ: atq; ad hanc repræsentationem perfectè exprimendam fatemur requiri vtrãque speciem. Posteriore modo commemoratio fieri potest manducando & bibendo:qui enim participant de hoc sacrificio, recordari debent cum gratiarum actione mortis Domini,quæ in eo sacrificio repræsentatur. Sed ad hoc non requiritur vt vtraque species sumatur. Qui enim vnam speciem sumit, iam didicit ex consecratione, & oblatione per eam repræsentari corpus vt mortuum,atque ita illam vnam sumendo, in memoriam reuocare potest, & debet Christi mortem. Quare paulus 1. Cor. 11. de vtraque specie seorsim dixit:*Hoc facite in meam commemorationem.*

SEXTA ratio à fructu.Dicit enim Kemnitius dulcissimam cõsolationem sumi ex calice,qua necesse est priuari eos,qui sub vna tantùm specie communicant. Respondeo,Non dubium est,quin in potu optimi vini valde dulciter palatum & gula oblectentur: sed Catholici non quærunt in Sacramentis istam corporalem palati & gulæ consolationem.Si dicant se loqui de calice, vt,inuisibili & insensibili modo sanguinem Dñi continet,nos respondemus eundem sanguinem totum in specie panis contineri,& ideò non priuari laicos dulcissima consolatione spiritus,quæ ex Domini sanguine percipitur.

SEPTIMA ratio à simili. Si potest laicis tolli pars Eucharistiæ,ergo & pars Baptismi,vel Pœnitentiæ. Respondeo, Si agatur de partibus essentialibus,nulla pars

Sacra

Sacramenti vllius tolli potest: non est autem pars essentialis species vini, sed materialis, & integralis tantùm Eucharistiæ. Si agatur de integralibus, planè tolli potest pars aliqua, etiam in aliis Sacramentis. Nam Baptismus olim fiebat per immersionem, hunc plerumq; per aspersionem, & certè multò minùs abluit aspersio, quàm immersio, immò trina mersione aliquando vtebantur fideles, aliquando vna duntaxat.

Octava ratio. Si potest tolli calix, ergo & panis, & ita poterunt laici priuari penitus Sacramento. Respondeo: Potest tolli panis, si detur calix: vtrumque autem simul tolli nequit, quia tenemur Sacramentum Eucharistiæ percipere.

Nona ratio à maiori. Datur laicis remissio peccatorum, ergo non potest eis negari signum illius remissionis: signum autem calix est. Respondeo, Argumentum contrario modo valeret. Datur signum remissionis, ergo remissio negari non potest, quia alioqui signum esset falsum. At remissio cùr non potest sine signo dari? Præterea signum remissionis propriè non est calix, sed Baptismus, & Absolutio: calix enim signum est precij, quo peccata remissa sunt; & spiritualis potus, quo animæ nostræ reficiuntur.

Decima ratio, item à maiori. Datur laicis sanguis Domini, ergo negari non debet symbolum eius sanguinis, quod est longè vilius. Respondeo: Si habent ipsum Domini sanguinem, cur tantopere litigant pro signo? certè qui pecunias per schedulam promissas iam accepit, non multùm laborat de schedula. Deinde negatur symbolum, quia tutiùs datur res illa preciosissima sub vno, quàm sub duobus symbolis. Et hæc de ratiunculis Lutheri, & sectatorum eius: ex quibus manifestè colligitur nihil eos habere iustæ caussæ, cur tantopere de Ecclesia querantur ob calicis ablationem.

CAPVT XXVIII.

Ecclesiam iustis de caussis præcepisse Communionem sub vna specie.

EQVITVR iam illa quæstio, Vtrum iustè Ecclesia præscripserit modum communicandi sub vna tantùm specie: quæ sanè quæstio, si vera sint quæ hactenus diximus, facili negotio explicari potest. Demonstrabimus autem Ecclesiam rectè id fecisse, si breuiter probauerimus Ecclesiam potuisse id facere, & iustissimas caussas habuisse, cur id faceret.

Ac Primùm quidem illud ita demonstratur. Ecclesia potest ordinare, & præscribere ea, quæ ad substantiam Sacramentorum non pertinent, nec sunt iure diuino ordinata. Sed, ritus communicandi sub vna vel sub duabus speciebus eiusmodi est: potest igitur ab Ecclesia ordinari, & præscribi. Propositio certissima est, nam cùm à Deo nulla regula data sit, aut nulla erit regula, nullus ordo, aut is ab Ecclesia statui debet. Præterea patet exemplis. Nam aliquando Ecclesia iussit baptizari homines sub trina mersione, quando caussa id requirebat, vt patet ex canone quadragesimo nono Apostolorum, & Tertulliano libro de corona militis: & tamen eadem Ecclesia, postulante certa caussa contrarium ritum, contrarium statuit, nimirum, vt tantùm vna mersione daretur Baptisma, vt patet ex Concilio IV. Toletano, capite quinto. Denique id expresè docet Augustinus in epist. 118. & probat ex illo 1. Corinth. 11. *Cætera cùm venero, disponam.* Assumptio autem probatur. Nam non esse iure diuino mandatam Communionem sub vtraque, tota disputatione superiore probatum est: non pertinere autem ad Sacramenti substantiam, patet, quia vsus rei nunquam est de essentia rei permanentis, cùm sit reipsa posterior. Communio autem est vsus Sacramenti, & Sacramenti, vt suprà probauimus, quod est res permanens, non actio transiens, non igitur est de essentia eius.

Iam verò habuisse Ecclesiam legitimas caussas id præscribendi, probatur. Nam Primò mouit Ecclesiam consuetudo iam recepta, & approbata consensu gentium, & populorum: non enim Concilium Constantiense primum instituit istum vsum, sed prohibuit tolli, & abrogari.

Secvndò mouit Ecclesiam ad hunc vsum stabiliendum, & lege firmandum, quòd videret ab hæreticis & ex errore oppugnari. Nam primus, qui cœpit oppugnare vsum receptum Communionis sub vna specie, fuit Petrus Dresdensis, vt initiò docuimus ex Aenea Syluio: ille autem infectus erat lepra Vvaldensium, & proinde erat Sacramentarius, vel ipso teste Luthero, qui librum de Eucharistia ad Vvaldenses scripsit. Sacramentarij autem non credunt concomitantiam sanguinis Domini cum corpore in specie panis, vnde etiam ij Lutheranorum maximè vrgent vtramque speciem, qui cum Sacramentariis rident concomitantiam, vt Illyricus, Hamelmannus, & Heshusius. Cæteri autem Lutherani qui concomitantiam non negant, ex alio pernicioso errore petunt vtramque speciem, quia nimirum existimant iure diuino esse præceptam, & propterea totam Ecclesiam à longo tempore in hac re turpiter erraſſe, quod nullo modo fieri potest. Cùm igitur Ecclesia certa fide teneret in qualibet specie totum esse Christum, & vsum eiusdem Ecclesię non posse esse erroneum, meritò ob huius grauissimi erroris detestationem non permisit abrogari consuetudinem vnius speciei.

Tertiò mouit Ecclesiam vniformitas, & concordia populi Christiani in Sacramento hoc percipiendo, quod est Sacramentum pacis, & vnitatis. Nam si in vna specie detur Communio, in toto orbe terrarum poterit esse idem vsus, vt modò videmus in Ecclesia Catholica toto orbe dispersa: at si libera esset Communio, vel sub vtraque specie imperaretur, non posset vllo modo seruari vniformitas. Nam qui vinum non ferunt, vt abstemij, & qui vinum comparare non possunt, nisi difficulter, cogerentur aut nunquam, aut rarissimè communicare, aut vnam speciem, vel inuiti accipere, cùm interim alij sub vtraq; frequentissimè communicarent, quæ certè magna inæqualitas esset. Ex quo etiam nonnulli rectè colligunt, quòd si Dominus voluisset Communionem sub vtraque esse necessariam omnibus, non instituisset Sacramentum in pane, & vino, sed in pane, & aqua, vt esset materia facilis, & in promptu in qualibet regione. Nam alioqui possent Boreales prouinciæ, & aliæ, vbi vinum non inuenitur, existimare, se Christo curæ non fuisse, aut non ita, vt alias prouincias, quando Sacramentum instituit.

Qvartò mouit, & quidem vehementer, irreuerentia, & profanationes tanti Sacramenti, quæ vix euitari possent in tanta fidelium multitudine, si omnibus daretur vtraque species, vt suprà demonstrauimus.

CAPVT XXIX.

De veneratione huius Sacramenti.

POstrema controuersia restat de veneratione sanctissimi Sacramenti, quæ quidem breuissimè disputabitur, quòd magna ex parte dependeat ab his, quæ iam dicta sunt.

Qvod igitur ad adorationem attinet, Sacramentarij omnes negant, Sacramentum adorandum, & idololatriam appellant eiusmodi adorationem, vt patet ex Caluino lib. 4. Institut. cap. 17. §. 35. & alibi. Neque id mirum videri debet, cùm ipsi non credant Christum

reipsa esse præsentem, & panem Eucharistiæ reipsa nihil esse, nisi panem ex furno. Quare Clebitius in lib. de victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici 3. parte, arg. 9. docet, ex Lutheranorum sententia, qui agnoscunt in Eucharistia verum Christi corpus, necessariò sequi adorationem esse concedendam. Et Ministri Tigurini in Apologia, edita anno M.D.XLV. contra vltimam Lutheri cõfessionẽ, apertè fatẽtur, se cũ Catholicis fideliter adoraturos Sacramentũ, si crederent ibi esse verum Dñi corpus.

Porrò Lutherani distinguunt de adoratione; vel enim sit adoratio in vsu Cœnæ Domini, vel extra eum, vt cùm defertur Eucharistia honoris gratia per plateas cum facibus, & bymnis. Et quidem extra vsum, omnes ferè clamant idololatriam esse illam adorationem. Vnde Lutherus in lib. ad Vvaldenses vehementer agit contra processionem, quæ fit in festo corporis Domini.

De adoratione autem in vsu, non eodem modo loquuntur omnes. Nam alij simpliciter damnant eam adorationem, etiamsi credant ibi esse corpus Domini verè, vt Lutherus in lib. de Eucharistia ad Vvaldenses, Philippus in iudicio suo de Cœna Domini, quod edidit anno M.D.LIX. quando iam Sacramentarius magna ex parte factus erat. Item Illyricus in confessione Antuerpiensi, & Apologia eiusdem confessionis, cap. 14.

Alii tamen in vsu Cœnæ contendunt Christi corpus esse adorandum, vt idem Lutherus in formula Missæ, & in lib. de verbis: *Hoc est corpus meum*, & alibi. Bucerus in actis colloquij Ratisponensis, Ioan. Brentius in Apologia pro confessione Vvirtembergensi pericope 2. Kemnitius in 2. parte Exam. Tridentini Concilij, sess. 13. cap. 5. vbi tamen more suo insigne mendacium admisceat, nullum esse, qui dubitet an Christi corpus in Cœna sit adorandum, nisi qui cum Sacramentarijs aut neget, aut dubitet in Cœna verè Christum esse præsentem. Sed hoc mendacium redarguit abundè Illyricus cum alijs, qui cum Sacramentarios acerrimè oppugnent, negant tamen Christum in Eucharistia esse adorandum.

Tametsi autem posteriores isti auctores concedant Christum in Eucharistia esse adorandum: vt tamen à Catholicis, saltem in modo loquendi dissentiant, negãt Sacramentum Eucharistiæ esse adorandum, & eo nomine Catholicos reprehendunt, quasi ἀρτολατρέιαν doceant, quia Sacramentum ipsum absolutè dicimus adorãdum. Vide Kemnitium, & Brentium, loco citato, & Tilmannum Heshusium in libro de erroribus Pontificiorum, tit. 17. errore 21. & 22.

Sed hæc mera calumnia est. Catholici enim cùm negent panem in Sacramento remanere, quomodo possent asserere ἀρτολατρέιαν, id est, panis adorationem? Neque vllus Catholicus est, qui doceat ipsa symbola externa per se, & propriè esse adoranda cultu latriæ, sed solùm veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis conuenit, cultu autem latriæ dicimus per se, & propriè Christum esse adorandum, & eam adorationem ad symbola etiam panis, & vini pertinere, quatenus apprehenduntur vt quid vnum cum ipso Christo, quem continent. Quemadmodum, qui Christum in terris vestitum adorabant, nõ ipsum solùm, sed etiam vestes quodammodò adorabant, neque enim iubebant eum vestibus nudari, antequam adorarent, aut animo, & cogitatione separabant à vestibus, cùm adorarent: sed simpliciter Christum, vt tunc se habebat, adorabant; tametsi ratio adorandi non erant vestes, immò nec ipsa humanitas, sed sola diuinitas.

De modo autem loquendi, fatemur Sacramentum ipsum dici adorandum, vt Concilium Tridentinum loquitur: sed hoc exponitur dupliciter. Qui enim sentiunt Sacramentum Eucharistiæ formaliter esse corpus Christi, vt est sub illis speciebus, concedunt etiam formaliter Sacramẽtum dici adorandum, qui autem docent Sacramentum Eucharistiæ formaliter esse species panis, & vini, vt Christum continent, illi docent consequenter Sacramentum Eucharistiæ materialiter adorandum. Sed quidquid sit de modo loquẽdi, status quæstionis non est, nisi an Christus in Eucharistia sit adorandus cultu latriæ.

His præmissis, probatur Christum in Euchatistia esse adorandum hoc argumento. Deo verò debetur adoratio latriæ, Deut. 6. & Matth. 14. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Christus autem vt est in Eucharistia, siue in vsu, siue extra, est Deus verus, vt omnes fatentur; igitur adorandus est cultu latriæ.

Ad hoc argumentum respondent, Lutherus, Illyricus, & Caluinus. Primò, negando consequentiam; quia Christus adorandus quidem est, sed vbi ipse iubet se adorari, siue vbi est vt adoretur, nimirum in cœlo. In Eucharistia autem non est vt adoretur, sed vt manducetur; non enim ait, Accipite, & adorate: Sed *Accipite, & mãducate.*

Secvndò respondent, Christum quidẽ esse adorandum, sed non esse in Eucharistia Christum, sed corpus Christi, nec esse idem corpus Christi, & Christum.

Sed ista friuola sunt. Nam in primis adoratio Dei non est alligata certo loco, vt patet Ioan. 4. sed vbique Christus adorari potest & debet, quando cum eo tractare debemus: non enim conuenit illi adoratio, quia in cœlo est, vel in alio loco, sed quia est Deus. Præterea non erat Christus quondam in præsepi, vt adoraretur, sed vt membra eius ibi requiescerent, & tamen Magi illum in præsepi adorarunt. Matth. 2. sic etiã cùm ambularet in terris, non ambulabat, vt adoraretur, sed vt doceret, & tamen passim adorabatur, vt Matth. 8. 9. 14. 15. 20. Ioan. 9. & alibi. Et quando hîc in terris Principes aliquò proficiscuntur, non eunt ad eum finem, vt ab occurrentibus salutentur, & tamen nemo illis occurrit, quin se eis prosternat, ac reuerenter salutet. Quare aduersarij plurìs faciunt Principem terrenum, immò quemlibet amicum suum, quàm Christum, cùm solùm Christum sine vllo honore excipiant, nec dignẽtur ei assurgere, nisi expresè id eis præcipiatur. Adde, quòd licet non sit primaria ratio institutionis Sacramenti, vt Christus ibi adoretur, tamen etiam ista ratio quædam fuit, vt haberemus Christum magis præsentem, & vt præsentem honoraremus: vnde Eusebius Emissenus homil. 5. de Paschate, dicit institutum esse Sacramentum hoc, vt coleretur Christus iugiter per mysterium.

Altera solutio planè est impia, & Nestoriana. Nam etiamsi non esset nisi corpus Christi in Eucharistia, tamen adhuc adorari deberet ab ijs, qui recipiunt mysterium Incarnationis: illud enim corpus vnium esset diuinitati hypostaticè, etiamsi ab anima & sanguine diuulsum esset, vt fuit, quando iacuit in sepulchro. Adde, quòd satis probauimus suprà totum Christum esse sub quauis Eucharistiæ specie.

Secvndò, probatur adoratio ex traditione Patrum: & quoniam loca plurima in secundo libro adducta, & expensa sunt, hîc satis erit loca ipsa annotare. Vide Dionysium de Ecclesiastica hierarchia, cap. 3. part. 3. Clementem libro 2. constit. Apostol. cap. 61. Origenem homilia 5. in diuersa loca Euangelij. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica, Ambrosium libro 3. de Spiritu sancto, cap. 11. Eusebium Emissenum homilia 5. de Paschate; Theodoretum in 2. Dialogo; Nazianzenum in oratione de sancta Gorgonia. Sed duos pro omnibus audiamus. Sanctus Ioan. Chrysostomus homilia 61. ad populum Antiochenum: *Si pura sunt vestimenta*, inquit, *adora & communica.* Vide eundem homilia 83. in Matth. homilia 24. in 1. ad Corinth. homilia 3. in epist. ad Ephes. & in homilia de Encænijs, & in altera de S. Philogenio. Augustinus in Psal. 98. *Nemo*, inquit, *illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit.* Vide eũdem epist. 118. cap. 3. epist. 120. cap. 28. in Psal 21. Concione prima.

CAPVT XXX.

Soluuntur obiectiones.

VPEREST vt obiectiones aduersariorum dissoluamus. Primò, Lutherus in libro ad Vvaldenses obiicit, in Sacramentis præcipuè ad verba Sacramentalia attendere oportere, & inde colligit, non debere homines occupari circa adorationem, ne videlicet adorationi intenti obliuiscantur verborum.

RESPONDEO: Nititur hoc argumentum fundamento illo putrido, quòd Sacramenta sint instituta ad instruendum animum, & excitandam fidem, quod millies iam refutatum est. Deinde adoratio ex verbis oritur: inde enim mouemur ad adorandum, quia audimus illud est corpus Domini. Vnde vnum iunatur ex altero, tantum abest, vt vnum alterum impediat.

SECVNDÒ, obiicit idem. Adoratio ex fide procedere debet; fides autem nititur verbo Dei. Sed verbum Dei non dicit, Christum in Eucharistia esse adorandum.

Respondeo; Verbũ Dei satis monet, & præcipit, Christum adorari debere in Eucharistia, cùm docet illũ verè esse Deũ, & esse in Eucharistia: & alibi iubet Deũ adorari.

TERTIÒ, obiicit Caluinus: Apostoli cùm primùm communicarent, non legimur prostrati in terram adorasse Sacramentum.

RESPONDEO; Apostoli nõ debuerunt maiorem honorẽ exhibere Christo in specie panis latenti, quàm in forma humana visibiliter præsentino autẽ poterãt semper prostrati cum Christo agere, & præsertim in Cœna, quando recũbere cũ eo illis necesse erat. Itaq; certis vicibus illũ proni adorabant, aliàs autẽ mente, & animo venerabantur agnoscentes verũ Dei Filium. Reliqua Caluini argumẽta ex Nicæna Synodo, & ex illa præfatione: *Sursũ corda*, & ex alijs quibusdã locis, suprà soluta sunt in 2. lib.

Quartò, argumentantur alij. Si ideò Sacramentũ Eucharistiæ adorandũ est, quia ibi Christus est: igitur omnis creatura adoranda erit, quia in omni creatura Deus est.

RESPONDEO; Longè aliter est Christus in Eucharistia, & in alijs rebus Deus. Nam in Eucharistia vnũ tantùm suppositum est, idque diuinum; cætera omnia ad illud pertinent, & cum illo vnum quid faciunt, licet non eodem modo: ideò rectè totum illud simul adoratur, vt antè diximus de Christo vestito. At in alijs rebus Deus quidem est, sed non est vnum suppositum cum illis; neq; dici possunt vnũ quid, Deus, & creatura, in qua est Deus.

QVINTÒ; Ista adoratio posita est manifesto periculo idololatriæ; fieri enim potest, vt impius Sacerdos fingat se consecrare, nec tamen reipsa consecret: igitur omittenda est.

RESPONDEO, Si argumentum valeret, omittenda esset non solùm adoratio, sed etiam Communio. Nam Communio posita est periculo accipiendi merum panem pro corpore Christi. Sed nullum est periculum idololatriæ in eo, qui simpliciter, & bona fide Sacramentum adorat: adoratio enim ex intentione potissimùm pendet. Quare sicut is, qui panem non consecratum iniuria afficeret, putans consecratum esse, grauissimè peccasset in Christum: sic etiam contrà, qui panem eundem adorat, quòd certò credat non esse panem, sed Christum is propriè, & formaliter Christum adorat, non panem.

SEXTÒ, Honorius III. instituit, vt Sacramentũ adoraretur; & paulò pòst Vrbanum IIII. addidit festũ diem, & solennem processionem: ergo totus iste ritus nouus est, & ãb humano ingenio excogitatus.

RESPONDEO, Honorius, vt ex cap. Sanè, de celebratione Missarum, intelligi potest, non instituit primus Sacramenti huius adorationem, sed monuit solũ, vt præsides Ecclesiæ operam darent, ne tantum Sacramentum debito honore fraudaretur. Vrbanus autem IIII. instituit quidem primus festum corporis Domini, & solennem illam processionem, & eius decretum confirmauit Clemens V. cum vniuerso Concilio Viennensi, vt habetur in Clementina vnica, de reliq. & vener. Sancto. sed ea institutio nullo modo reprehendi potest. Nam aut reprehendenda esset, quia noua, & sine Dei mandato, vel quia sine iusta caussa introducta. Nouitas non potest reprehendi: omnia enim festa aliquando fuerunt noua, nec vlla inueniuntur in Testamento nouo ab ipso Christo instituta, vel imperata. Extant etiam exẽpla legis veteris. Nam festum sortiũ à Mardochæo & Ester sine vllo Dei mandato institutum fuit, & ab omni Synagoga receptum, vt patet Ester 9. Festum item victoriæ Iudith, institutũ fuit ab Hebræis sine vllo Dei præcepto, Iud. 16. Denique festum Encæniorum, institutorum à Machabæis, 1. Mach. 4. ipse etiam Dominus celebrare de more Iudæorum voluit, Ioan. 10. vt intelligeremus licere Ecclesiæ noua festa introducere.

FVISSE autem optimas rationes eius festi introducendi, patet ex Clementina suprà citata, sed duæ videntur præcipuæ. Prima est, vt populus Christianus Deo gratias ageret, ob tantum & tam singulare beneficium nobis impensum; quæ ratio est omnium festorum, tum in veteri Testamento, tum in nouo institutorum. Quare nisi quis neget, in hoc Sacramento singulare beneficium à Deo nobis præstitum, aut certè non puret, Deo pro beneficijs gratias esse agendas, non video qua ratione possit hoc festum reprehendere.

ALTERA caussa est, vt populus instruatur circa mysteria fidei nostræ, & eorum assiduè recordetur, ac præsertim, quando ea mysteria ab hæreticis oppugnantur: facilius enim rudiores discunt, & retinent mysteria Incarnationis Domini, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & similia, ex celebratione festorum, quæ singulis annis recurrunt, quàm ex libris, vel concionibus. Pari ratione melius discunt rudiores in Eucharistiæ Sacramento verè esse Christum præsentem, & proinde falsam esse hæreticorum doctrinam, ex publica adoratione totius Ecclesiæ, & honore illo eximio, qui huic Sacramento exhibetur, quàm ex multis concionibus. Quare si hoc festũ nondum institutum esset, expediret planè, vt hoc tempore institueretur, tum vt fideles instruerẽtur, tum etiam vt reipsa hæresim confutarent, & fidem veram facto protestarentur.

SEPTIMÒ, obiicit Kemnitius argumentum (vt ipse putat) insolubile. contra processionem, & circumgestationem venerabilis Sacramenti. Nam 1. Reg. 4. legimus, filios Israël bona quidem intentione, sed ablq; Dei mandato, adduxisse arcam Dei in castra, existimãtes per eam arcæ circumgestationem se victoriam de hostibus relaturos. Sed contrà accidit; nam & exercitus fusus est, & Sacerdotes occisi, qui arcam adduxerant, & ipsa arca ab hostibus capta fuit.

RESPONDEO, Caussa tot malorum non fuit arcæ adductio ad castra, sed peccata præterita Israëlitarum, & præcipuè Sacerdotum Ophni, & Phinees filiorum Heli, vt Deus ipse testatur, 1. Reg. 2. & 3. Nam alioqui arca erat in castris, quando insignem victoriam retulit Saul 1. Reg. 14. & rursùs erat in castris, quando Ioab superauit filios Ammon, 2. Reg. 11. Et cùm Israëlitæ, Num. 14. ab Amalecitis victi sunt, Scriptura monendum putauit, non fuisse tum arcam Dei cum illis, qui præliabantur.

DENIQVE placuisse Deo, honorem arcæ impẽsum in solenni processone, & circũgestatione, siue ipse id mãdasset, siue non, perspicuũ est ex varijs Scripturæ diuinæ testimonijs. Iosue 6. solennis circumgestatio arcæ septem diebus celebrata, effecit, vt Hiericho sine sanguine Hebræorũ caperetur; & illa quidẽ processio à Deo mandata fuit. Sed 2. Reg. 6. & 7. & 3. Reg. c. 8. solẽnissimæ, & Deo gratissimæ legũntur processiones, cũ arca Dñi deferretur de loco in locũ, quas tamẽ Dñs minimè fieri iusserat. Atq; hæc de tota cõtrouersia pro instituta breuitate sufficiant.

LIBER QVINTVS,

DE EVCHARISTIA.

QVI EST PRIMVS DE SACRIFICIO MISSÆ.

DE Sacrosancto, ac diuinissimo sacrificio Missæ, aduersus huius temporis hæreticos disputaturus, commodum esse duxi in tot controuersias disputationem vniuersam partiri, quot sunt de sacrificio eodem Canones in Concilio Tridentino. Prima igitur controuersia erit, sitne Missa sacrificium verè, ac propriè dictum. Secunda, quale sacrificium sit, propitiatorium ne, an solùm laudis, & gratiarum actionis. Tertia, quibus prosit, viuentibus tantùm, an etiam mortuis. Quarta, liceát ne in Sanctorum honorem, & memoriam Missas celebrare. Quinta, de modo, ac ritu celebrandi, an licitæ sint Missæ priuatæ. Sexta, an Missa lingua vulgari celebranda sit. Septima, an quæ leguntur in Missa, debeant omnia alta voce legi. Octaua, de cæremonijs Missæ, quæ in actione, aut rebus consistunt. Nona, de veritate, & antiquitate eorum omnium, quæ leguntur in Missa.

Sed ante has omnes quæstiones duo quædã præmittenda sunt. Vnum, de vocabulo Missæ. Alterũ, de voce, natura, definitione, & partitione sacrificij. His enim explicatis, intelligetur status principalis quæstionis, sitne Missa verum sacrificium: quem statum aduersarij, & Kemnitius maximè, dedita opera perperam explicant. Auctores, qui de sacrificio tractant, habes in fine capitis quinti.

CAPVT PRIMVM.

De voce, Missa.

VT igitur à vocibus incipiamus, de nomine Missæ, quatuor dicenda sunt: quæ sit eius antiquitas, quæ etymologia, quæ significationes, & quo sensu accipiatur à Catholicis, cùm dicunt Missam esse sacrificium.

Antiquissimam, & vsitatissimam in Ecclesia Latina esse hanc vocem, dubitari non potest. Extat enim apud Ambrosium lib. 5. epist. 33. *Ego*, inquit, *mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum, vt subueniret.* Extat apud Augustinum serm. 91. de tempore: *In lectione*, inquit, *quæ nobis ad Missas legenda est, audituri sumus, &c.* Extat idem vocabulum apud Victorem Vticensem, lib. 2. histor. de persecutione Vvandalica: apud Cassianum, lib. 3. de canonico diuinarum orationum & Psalmorum ordine: apud Leonem epist. 81. ad Dioscorum. & 88. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ: apud Felicem IV. in epi. 1. apud S. Benedictum in regula cap. 17. apud Gregorium I. lib. 1. epist. 12. & lib. 4. epist. 10. & alibi passim. Denique in antiquissimis Concilijs, vt in Romano, sub Syluestro I. in Carthaginensi II. can. 3. in Carthaginensi IV. can. 84. Herdensi can. 4. Valentino can. 1. Agathensi can. 47. Aurelianensi I. can. 28. quæ omnia testimonia ante annos circiter mille, & eo amplius conscripta sunt.

QVOD verò attinet ad etymologiam, Lutherani solita impudentia deducunt à voce Hebraica מעזרים quæ habetur Danielis 11. vbi de Antichristo legimus: *Deum autem Mahuzim colet in loco suo.* Itaque volunt aduersarij, atque inprimis Kemnitius in 2. parte Examin. Concilij Tridentini, in ipso principio disputationis de sacrificio Missæ, Missam esse Deum, seu arcem, & robur Antichristi Romani, id est, Papæ: idq; probant, quia diuina prouitia factum videtur, vt Missa in voce congrueret cum Deo illo Antichristi.

SED nos ex hoc ipso loco Danielis, probamus Deũ Mahuzim nihil habere commune cum Missa, & esse potiùs idolum aliquod, si in diuinis literis ludere liceat, Lutheranorum. Nam in eodem cap. legimus, Regem illum, qui colit Deum Mahuzim, esse Regem Aquilonis, & cõtra eum in prælium venturum Regem Austri, & nominatim Romanos contra eundem illum Regem pugnaturos: nam voces illas Hebraicas צירים & בהתים testatur S. Hieronymus in commentario, ab Hebræis exponi, Romanos, & Italos. Quod si Australes, & nominatim Romani pugnant cum Rege, qui colit Deum Mahuzim, certè Deus Mahuzim non est Deus Romanorum, neque est Missa, nisi velint iam Missam à Romanis oppugnari, ab aquilonaribus defendi.

PRÆTEREA Rex ille, qui colit Deum Mahuzim, vt in eodem capite legimus, non colit vllos alios Deos, neque Deos patrum suorum, sed contra vniuersa Numina consurgit. Primò Romanos aduersarij asserunt colere Deos innumerabiles, & plurima idola, nimirum omnes Sanctos, & Sanctas, & eorum reliquias atque imagines. Ipsi autem aduersarij nostri contra imagines, reliquias, & ipsos etiam Sanctos apertè consurgunt; deberent igitur, si consequenter loqui vellent, ingenuè cõfiteri, suum esse Deum Mahuzim, non autem Papistarum.

Adhæc, si Deus Mahuzim est Deus ab Antichristo fabricatus, & erectus, & Antichristus natus est post annum Domini DC. vt communiter Lutherani docent, quomodo potest Deus ille Mahuzim esse Missa, quæ longè est antiquior, vt iam ostendimus ex Ambrosio, Augustino, aliisque Patribus verustioribus?

DENIQVE Deum Mahuzim non palàm, sed clàm Antichristus colet. Sic enim conciliantur verba eiusdem Prophetæ, qui inter se pugnare videntur, cùm dicat ab Antichristo omnes Deos contemnendos, vt solus ipse, vt Apostolus declarat ad Thessalonicenses, habeatur Deus; & tamen in eodem cap. mox adiungat: *Deum Mahuzim venerabitur in loco suo.* Nam hæc verba ideò non pugnant inter se, quia Antichristus palàm Deos omnes oppugnabit, sed clàm in arce quadã munitissima (id enim significat propriè Mahuzim) diabolum pro Deo colet, cuius artibus ad illam potentiam deueniet, vt Deus credatur, & signa, & prodigia mendacia patrabit. Quare si Deus Mahuzim solùm in abditissimo loco, atq; occulto

colẽdus est,quis nõ videt,quàm longè à veritate aberret, qui de Missa Danielem interpretantur,cùm Missa in toto orbe terrarum, publicè, in medijs templis, spectantibus populis celebretur?

His ergo nugis omissis, veniam ad sententias Catholicorum. Plurimi conantur ostendere nomen Missa esse Hebraicum,& oblationem voluntariam significare; habetur enim Deuter.16.vox משה in ea significatione. Nec solùm Catholici,sed etiam Philippus Melanchthon in Apologia Confess. Augustanæ in disputatione de vocabulo Missæ agnoscit etymologiam hanc, & significationem, atque eam ad suum propositum detorquere conatur.

Sed non videtur Apostolis in vsu fuisse hoc vocabulum Hebraicum, multóq; probabilior est eorum sententia,qui docent Missam, vocem esse Latinam, & à Latinis primùm vsurpatam in celebratione mysterij Eucharistiæ. Nam si vox ista Hebraica in vsu Apostolis fuisset, certè retinuissent eam etiam Græci, & Syri, atque aliæ nationes,vt retinuerunt alias similes voces,vt Amen, Alleluia, Sabaoth, Osanna, Satan, Sabbathum, Pascha. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos deuenerunt; cùm ipsi etiá Apostoli, & primi Ecclesiæ Doctores Græcè scripserint. Porrò apud Græcos, nulla est mentio huius vocis Missa, sed pro eo λειτουργίαν dicunt. Est autem λειτουργία munus, seu ministerium publicum; & quamuis à Patribus Græcis vix aliter accipiatur, quàm pro ministerio sacrificij Eucharistiæ offerendi: tamen vox ipsa ex se latiùs patet. Nam & Demosthenes in oratione contra Leptinem, frequentissimè hanc vocem vsurpat pro publico munere; & ipse etiá Apostolus Philip.2. Epaphroditum vocat τὸν λειτουργὸν necessitatis suæ. Adde, quòd Syri,vt Maronitæ, qui Chaldaica lingua celebrant diuinum sacrificium,non habent Missæ vocabulum, sed pro eo dicunt ܩܘܪܫܐ, id est,sanctum,seu sacrum. Et tamẽ si Hebraica vox,apud vllos conseruari debuit, apud eos maximè, qui semper ea lingua,licet nonnihil corrupta,vsi sunt. Adde,quòd viri docti linguæ Hebraicæ, vt Origenes, Epiphanius, Iustinus, Hieronymus, hac voce nũquá vruntur, quod meritò admirandum videri posset, si ea vox esset Hebraica. Adde vltimò, quòd si vox illa esset Hebraica,nó Missa, sed Missah dicendum esset:quo modo tamen nemo scribit,aut loquitur.

Qvi Latinam vocem esse volunt,non eodem modo omne exponunt:alij enim Missam dici volũt, quod oblatio,& preces ad Deum mittantur. Ita Hugo de S. Victore lib.2. de Sacramentis, part.8. cap. vlt. Alij minùs probabiliter, quod Angelus à Deo mittatur, qui sacrificio assistat,& illud ad Deum deferat, vt Magister in 4. dist.13.& S.Tho.3.part.q.83.art.4.

Alij, & ij vt plurimùm hæretici, dictam esse volunt Missam apud veteres à mittendis, & conferendis in medium muneribus, quasi symbolis quibusdam, vnde fieret sacra Cœna, & epulum daretur pauperibus, vnde etiam volunt idem fuisse Missam, & quam Græci dicũt ἀγάπην, Ita Ioan. Caluinus breuiter lib.4.Institu.cap.18. §.18.& Petrus Martyr in cap.5.prioris ad Corinth.& fusiùs, Philippus Melanchthon in Apologia Confess. Augusta.in disputatione de vocabulis Missæ. Quæ expositio nullum habet ab antiquitate testimonium,& falsa est omninò, quatenus confundit Missam cum ἀγάπῃ. Erat enim ἀγάπη conuiuium Christianorum ob refrigerium pauperum potissimùm, excogitatum, vt ex Tertulliani Apologetico,cap.39.& Augustino lib.20.contra Faustũ, cap.24.colligi potest, sobrium quidem, & temperatum, sed tamen humanum, & politicum. Per Missam autem Ambrosius, Augustinus, Leo,& cæteri omnes,quos citauimus,semper accipiunt actionem sacram, & mysticam, & in qua præcipua pars religionis nostræ consisteret.

Probabilissima est eorum sententia, qui Missam dici A volunt à missione,seu dimissione populi,vt idé sit Missa, quod missio, sicut idem sunt apud veteres collecta, & collectio,& Græcè συλλογὴ, & σύλλεξις, & peccati remissa, & remissio: remissam enim passim vsurpat Cyprianus lib.3.epi.8.lib.de bono patientiæ,in epi.ad Iubaianũ, & alibi.Hæc sentẽtia est Isidori lib.6,originum. Rabani lib.1.cap.32.de Instit.Clericorum: & Alcuini libro de officijs Ecclesiasticis,cap. de celebratione Missæ. Hugo etiam loco notato, & alij recentiores hãc etymologiam admittunt.

Qvamvis autem à missione Missa dicatur,non tamen eam solam significat,sed traductum est inde vocabulum ad alia significanda. Sunt igitur quinque Missæ acceptiones apud scriptores Ecclesiasticos.

Primò accipitur simpliciter pro missione: ita accipitur in Concilio Carthaginensi IV.can.84. *Episcopus nullum prohibeat vsque ad Missam Catechumenorum, neque hæreticum, neque Iudæum, neque Gentilem Ecclesiam ingredi,& audire verbum Dei.* Quo loco Missa non potest accipi pro sacrificio,seu Cœna sacra: nam illa non erat Catechumenorum, sed fidelium tantùm. Neque potest accipi pro Euangelio, & Lectionibus, quæ recitabantur præsentibus Catechumenis:nam Concilium volebat ea ab infidelibus etiam audiri. Quare non potest Missa eo loco accipi,nisi pro missione Catechumenorum.Eodem modo accipitur ea vox in Concilio Ilerdensi, can.4.vbi prohibentur incestuosi permanere in Ecclesia,nisi vsque ad Missam Catechumenorum. Sic Augustinus in eodem sensu sermone 237.de tempore(qui absque dubio est Augustini) *Ecce*, inquit, *post sermonem fit Missa Catechumenis,manebunt fideles,&c.* Eodem modo accipitur Missa apud Cassianum,lib.3.de canonico orationum, & Psalmorum modo,cap.7.& in titulo cap.15.vbi Missam orationis,vocat dimissionem finita oratione. Et lib.3.cap.7. vbi vocat Missam congregationis,dimissionem congregationis,& cap.8.vocat Missam vigiliarum, dimissionem post vigilias. Quomodo etiam accipiuntur Missæ, quæ iubentur fieri à sancto Benedicto in Regula,cap.17.post singulos nocturnos.Denique hoc modo accipitur in nostra Liturgia,cùm dicitur à Diacono:*Ite Missa est*:vt enim rectè exponit Alcuinus loco citato,sensus est; Iam dimissio est congregationis, abire omnibus licet.

Secvndò, accipitur Missa pro diuino officio lectionum,precum,& aliorum id genus, quod celebratur in Ecclesia ante dimissionem Catechumenorum.Et sanè illa verba Concilij antiquissimi Valentini,cap.1. *Hoc esse censuimus obseruandum,vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationem in Missa Catechumenorum in ordine lectionum pòst legantur,&c.* non possunt intelligi de dimissione Catechumenorum, sed de officio diuino cui ipsi intererant.

Tertiò, accipitur pro illa parte Liturgiæ, quæ est D ab Offertorio vsque ad finem,quæ propriè dicitur Missa fidelium, teste Alcuino,loco notato. Ita accipitur Missa ab Ambrosio,libro 5.epi.33.*Ego mansi in munere,Missam facere cœpi,orare in oblatione,&c.*

Qvartò, accipitur pro tota celebratione diuini officij,in quo Eucharistia consecrabatur,vt comprehendit simul Missam Catechumenorum,& fidelium. Ita accipitur in locis citatis,Leonis,Gregorij,Felicis IV.& Cõciliorum Agathensis,& Aurelianensis: & hæc est cõmunissima acceptio apud omnes posteriores auctores.

Qvintò, accipitur pro ipsis collectis,seu precibus, quæ dicuntur in Liturgia: ita accipitur in Cõcilio Mileuitano,can.12.

Sed quarta significatio est, in qua accipitur nomen Missæ,cùm quærimus;Vtrum Missa sit sacrificiũ:est enim sensus quæstionis:Vtrum actio illa sacra, in qua cõficitur Eucharistia,multis præcedẽtibus,& sequẽtibus precibus & cæremonijs, sit sacrificium. Nec intelligimus quæ-

stionem

stionem esse,an singuli illi ritus sint de essentia sacrificij, A sed solùm,an inter illos ritus sit aliquis,qui propriè sacrificium dici debeat,ad quem reliqui omnes referantur.

Ex quo refellitur impostura Kemnitij.Nam in 2.parte Exam.Triden.Concilij,pag.717. proponit explicandum; Quid illud sit in Missa, quod Pontificij propriè intelligunt sacrificium,ac dicit illud clarissimè explicari à Ioan. Eckio, lib.1.de sacrificio Missæ, cap.10. & tandem citatis quibusdã verbis Eckij, ita cõcludit,pag.719. *Sacrificium igitur Missæ,de quo Pontificij dimicant, in eo consistit,quòd sacrificulus certis ornamentis,& instrumentis,super panem & vinũ Eucharistiæ varijs vtitur gestibus,motibus,& actibus:vt sæpius geniculari,inclinari, strictis manibus modò distendere,modò reducere brachia, subinde se conuertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere in altum,esse pronum,consistere vno in loco,nunc in dexteram,nunc in lævam altaris partem commigrare,&c.*

Sed hæc est mira fraus noui istius Euangelistæ.Nam B Ioannes Eckius vir doctissimus,& qui semper de Luthero,& eius sectatoribus triumphauit,dicit quidem in Missa repræsentari Christi passionem varijs actibus,gestibus, ornamentis,ritibus,&c.Sed non ait in illa repræsentatione,& illis gestibus consistere essentiam sacrificij,de quo disputamus, vt Kemnitius impudenter mentitur, sed docet, sacrificium propriè cõsistere in oblatione corporis & sanguinis Domini,quæ à Sacerdote fit Deo. Nam in fine illius capitis decimi à Kemnitio citati, facit quadrimembrem diuisionem. Est enim quædam actio sacrificium,& non repræsentatio sacrificij:quædam repræsentatio,& non sacrificium.Et hæc duplex est: nam alia est simplex repræsentatio,qualis esse solet cùm aliquid cernitur pictum,aut ex libro historia recitatur: alia est repræsentatio ad viuũ per varias actiones, vt cùm prælium, vel triumphus in scena ab actoribus repræsentatur, vbi & personæ,& vestes,& arma,& ipsæ actiones cernuntur, & verba audiuntur.Quædam denique sacrificium,& repræsentatio sacrificij.

Ad primum membrum pertinet mors Christi vera in cruce:illa enim fuit sacrificium, & non repræsentatio alicuius sacrificij.Ad secundum membrum pertinet mãducatio Eucharistiæ.Qui enim id faciunt simpliciter,cõmemorant Christi passionem; sed nec sacrificium propriè offerunt,nec etiam sacrificium crucis ad viuum repræsentant. Ad tertium membrum pertinet officium diuinum,quod in Ecclesia agitur in die Parasceues; in illo enim repræsentatur accuratè passio Christi varijs gestibus,motibus, verbis,vestibus,instrumentis,&c. sed non est in toto eo officio vlla actio, quæ sit propriè sacrificiũ. Ad quartum membrum pertinet Missa, in qua & repræsentatur varijs gestibus,& actionibus sacrificium crucis, & simul offertur Deo verum & proprium sacrificium corporis Domini.

Hæc est Eckij doctrina, & omnium Catholicorum, ex qua perspicuè constat,sacrificium non consistere propriè in illis varijs gestibus,& motibus: nã alioqui in die Parasceues verum sacrificium offerretur, cùm in officio eius diei plurimi eiusmodi gestus, & motus fiant, quod tamen Eckius disertis verbis negat.

Adde, quòd Eckius cùm probare vult sacrificium Missæ, in toto illo opere omnia sua argumenta dirigit ad probandum,in Missa fieri oblationem Deo:nõ autem ad probandum,fieri debere varios gestus,& motus.Non igitur ille per sacrificium intellexit gestus, & motus, vt Kemnitius calumniatur,sed oblationem corporis,& sanguinis Domini.Hæc de primo.

CAPVT II.

De sacrificij definitione.

Explicvimvs vocabulum Missæ: nunc explicanda est vox sacrificium, vt planè intelligatur status controuersiæ;An Missa sit sacrificium. C

Porrò in voce Sacrificium, non est quærenda etymologia, aut vulgaris aliqua significatio, quæ notissima sunt: sed quid propriè sit sacrificium, siue quæ sit eius natura, & definitio:in hac enim re non pauci falluntur.

Ac primùm Philippus Melanchthon in Apologia Confessio,in articulo de Missa,ita sacrificium definit:*Sacrificium est cæremonia,vel opus, quod nos Deo reddimus,vt eum honore afficiamus.* Deinde diuidit sacrificium in duas species,in sacrificium videlicet propitiatorium,& sacrificium εὐχαριστικὸν. Propitiatorium esse dicit, quod est satisfactio pro peccatis,& Deũ placat: εὐχαριστικὸν esse vult, quod non reconciliat hominem Deo, sed est gratiarum actio, quæ à reconciliatis pro acceptis beneficijs exhibetur Deo:quo genere contineri dicit fidem, prædicationẽ Euangelij, orationes, castigationes carnis, & breuiter omnia bona,vnde laus Deo consurgit.Atque ex his fundamentis colligit Missam posse dici sacrificium hoc modo posteriore, quia sumptio Eucharistiæ fieri potest ad laudem Dei, sicut cætera opera bona,non tamen esse sacrificium prioris generis.

Ab hac Philippi sententia non procul abesse videtur opinio Doctoris cuiusdã moderni, hominis alioqui valde eruditi,& pij,qui in libro de sacrificio capite 5.docet, sacrificium propriè dictum esse omne opus bonum,quod fit,vt sancta societate inhæreamus Deo, siue ex se sit opus virtutis,siue non,ita vt non minùs propriè sit sacrificiũ castigatio corporis propter Deum assumpta, quàm sacrificium Eucharistiæ. Diuidit autem eadem opinio sacrificia propriè dicta in duas species, in sacrificia videlicet typica,& non typica.Typica vocat,quæ fiant ad aliud significãdum, qualia erant sacrificia omnia veteris legis, & qualia sunt omnia Sacramẽta nouæ legis. Non typica, vocat opera virtutum, quæ tametsi nihil significent, tamen Deo gratissima sunt.

Hæc sententia falsa est,ac multis, & perspicuis argumentis refutari potest. Primùm, Scriptura sacra opponit opera multarum virtutum sacrificijs,vt cùm ait Oseæ 6. *Misericordiam volo,non sacrificium.* Et 1.Reg.15. *Melior est obedientia,quàm victimæ.* Et Psal.50. *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus,cor contritum,& humiliatũ Deus non despicies.* At si omnia opera virtutum essent sacrificia propriè dicta,certè etiam obedientiæ, misericordiæ, pœnitentiæ opera essent propriæ sacrificia: non igitur veræ essent illæ sententiæ Scripturarum supra citatæ.Quomodo enim vult Deus misericordiam,& non sacrificium, si ipsa misericordia est verum, ac propriè dictum sacrificium:aut quomodo melior est obedientia,quàm victimæ,si ipsa obedientia verè,ac propriè victima est:quemadmodum autem non vult Deus sacrificium,& holocausta,sed cor contritum & humiliatum,si hoc ipsum est verissimum sacrificium?

Secvndvm argumentum.In omni sacrificio propriè dicto requiritur res aliqua sensibilis, quæ offeratur nec in sola actione sacrificium consistere potest. At si sacrificium esset qualibet cæremonia, vel opus ad honorem Dei factum,nihil obstaret quò minùs in sola actione sacrificium consisteret,& qui voce psallit,aut genua flectit,aut aliquid eiusmodi facit,is propriè sacrificare diceretur:non igitur sacrificium est quælibet cæremonia, vel opus ad honorem Dei factum.Probatur maior propositio.Gen.22.Isaac ait patri:*Ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti?* Hebr.8.*Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur:vnde necesse est & hunc habere aliquid,quod offerat.* Vbi Apostolus colligit ex ratione cõmuni sacrificiorũ,non potuisse Christum verè dici Pontificem,nisi habuisset victimam,quam offerret.

Tertivm argumentum. Negari non potest, quin sacrificare sit actus proprius,& elicitus religionis,vt præter Doctores Scholasticos docet S. Augustinus libr.20. D

contra Faustum, cap.21. Non potest autem idem actus esse proprius, & elicitus diuersarũ virtutum: igitur opera propria misericordiæ, temperantiæ, aliarúmq; virtutum non possunt propriè sacrificia dici, sed, solùm per quandã participationem. Quamuis enim vnus, & idem actus non possit esse proprius, & elicitus diuersarũ virtutũ, potest tamen ab vna elici, & ab alia imperari, & eo modo ad vnam propriè pertinere, ad alteram participatiuè. Quemadmodũ sobrio cibũ sumere, est actus elicitus tẽperantiæ; tamen si imperetur à fortitudine, vt homo sit magis aptus ad pugnandũ, participabit fortitudiné; si à iustitia, vt nimirum habeat vnde debitum reddat pecuniarium, participabit iustitiam. Sic igitur opera quarumlibet virtutum, possunt imperari à religione, & participatiuè sacrificia dici, nõ tamen absolutè & propriè, cùm à religione non eliciantur. Atque hinc est, quòd in diuinis literis opera virtutum non vocãtur absolutè sacrificia, sed cum addito, vt sacrificiũ laudis, hostiæ spirituales, vituli labiorum, & de cæteris ad eũdem modum: illa verò, quæ sunt propriè sacrificia, simpliciter & absolutè talia nominantur, vt in locis allegatis in primo argumento: *Misericordiam volo, non sacrificium, &c.*

A

Qvartvm argumẽtum. In Ecclesia Christi, vnum est tantum verum ac proprium sacrificium, non igitur sunt propriè sacrificia omnia Sacramẽta, vel omnia bona opera, quæ fiunt ad colendum Deum. Antecedens est S. Augustini, & omnium sanctorum scriptorum. Lib.8. de ciuit. Dei, cap. vlt. probare volens Augustinus nõ esse sacrificiũ epulas illas, quæ ponebantur à quibusdã super sepulchra Martyrum, sic ait: *Ea non esse sacrificia Martyrum nouit, qui nouit vnum, quòd Deo offertur, sacrificium Christianorum.* Idem quoq; lib.3. de Baptismo, cõtra Donatistas, cap. vlt. & lib.1. contra aduersl. legis, & Prophetarum, cap.20 dicit omnibus sactificijs veterum, succesisse vnicum & singulare Eucharistiæ sacrificiũ verissimum, & singulare: & lib.1. contra Cresconium, cap.25. vnicum appellat S. Leo serm.8. de passione Domini: *Nunc*, inquit, *carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis tui implet oblatio.* Sanctus etiam Ioan. Chrysostomus in Psalm.95. *Magnus*, inquit, *erat & sine modo numerus sacrificiorum in lege, quæ omnia noua superueniens gratia vno complectitur sacrificio, vnam & veram statuens hostiam.*

B

Qvintvm argumentum. Sacrificium, & Sacerdotium relatiua sunt, ita vt sacrificio propriè dicto sacerdotium propriè dictum, & sacrificio impropriè dicto sacerdotium impropriè dictũ respondeat. At non sunt omnes, qui operantur bona opara ad honorem Dei, Sacerdotes propriè dicti: non igitur sunt omninò talia opera sacrificia propriè dicta.

Maior propositio certissima est. Nam Sacerdotis, vt talis est, proprium munus est offerre sacrificiũ, vt Apostolus docet, Heb.5. & Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone vltra mediũ, vbi dicit, Deum nõ accipere sacrificium, nisi à Sacerdotibus. Augustinus quoq; semper coniungit hæc duo tanquam inseparabilia, sacrificium, & Sacerdotem. Vide epist.49. q.3. lib.8. ciuit. cap. vlt. & lib. 22. cap.10. Idem etiam docent ipsa vocabula. Latinè enim pro eodem accipiuntur Sacerdos, & sacrificus. Græcè à θύειν, quod est sacrificare, fit θυσία, sacrificium, & θύτης Sacerdos, & ab ἱερεύειν sacrificare, ἱερεῖον sacrificiũ, & ἱερεὺς Sacerdos. Deniq; non alia de caussa Lutherani nõ agnoscũt in Ecclesia verũ & propriè dictum sacerdotium, nisi quòd non agnoscant verũ & propriè dictum sacrificium.

C

Probatvr nunc assumptio. Nam in Testamento veteri notissimum est non fuisse Sacerdotes propriè dictos, nisi filios, & nepotes, atque alios posteros Aaronis, vt Regi Oziæ sacerdotium vsurpare voleti dictum legimus ab Azaria Pontifice, 2. Paralip.26. & tamen omnes filij Israël bona opera facere debebant. In Ecclesia verò Christi, velint nolint Lutherani, nunquam dicti, vel habiti sunt Sacerdotes propriè, nisi Episcopi & Presbyteri. Hos autem hoc nomine appellant, Dionysius Areopagita libro de Ecclesiast. hierar. cap.1.3. & 5. Iustinus in Dialogo cũ Tryphone vltra medium. Tertullia, lib. de præscr. vltra medium, & de velandis virginibus vltra medium. Cyprianus lib.1. epi.4. & omnes posteriores passim. Ipse etiam Apostolus Hebr.5. de Sacerdotio loquens: *Nemo*, inquit, *assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, tãquam Aaron*: & hoc vsqueadeò verum est, vt ipsum etiam Christum dicat ibidem Paulus non sibi per se sacerdotium assumpsisse, sed à Patre illud accepisse. Denique (vt multa præteream) Concilium Nicænum cap.14. & Tridentinum, quod à Catholicis reiici non potest, sess.23. can.1. & 7. apertè docent, in Ecclesia non omnes, sed certos quosdam Sacerdotes esse. Quare id necessariò sequitur, vt aut cæteri fideles benè operari non debeant, quod est absurdissimum; aut nõ sint propriè Sacerdotes omnes, qui benè operantur, quod est verissimum.

D

Sextvm argumentum. Altare & sacrificium relatiua sunt. non est autem altare propriè dictum propter omne opus bonũ, nec propter omnes cæremonias, quibus Deum colimus; non igitur est sacrificium propriè dictum omnis eiusmodi cæremonia, seu opus bonum. Propositio maior perspicua est. Nam in primis & Hebraicè, & Græcè ab eadem radice deducitur sacrificium, & altare. A זבח sacrificauit, fit זבח sacrificium, & מזבח altare, & à verbo θύειν sacrificare, fit θυσία sacrificium, & θυσιαστήριον altare. Latini à forma, & ritu nomen deducere maluerunt. Dixerunt enim altare quasi altum, & aram, quasi ansam, vt Varro interpretatur, quia Sacerdos aram tenere consueuerat, dum sacrificium offerret. Vnde est illud Poëtæ.

Talibus orantem dictis, aràsque tenentem.

Deinde Genes.8. vbi primum altare erectum legimus, sacrificij caussa erectum fuisse legimus: & in omni gente, & religione semper altaria ad sacrificia erigebantur. Et sicut sacrificium soli Deo vero ritè potest offerri, ita etiam altare soli Deo vero ritè potest erigi, vt S. Augustinus docet lib.10. contra Faustum, cap.21. Porrò assumptio huius argumenti nulla probatione eget. Quis enim non videt plurima bona opera, multáque cæremonias sine vlla ara fieri ad honorem Dei posse?

Non igitur verum est, quod Melanchthon scripsit, omnem cæremoniam, seu opus, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus, esse sacrificium. Quare Ioan. Caluinus libr.4. Instit. cap.18. §.13. sine nomine auctoris, eam definitionem apertè reprehendit his verbis: *Qui sacrificij vocabulũ ad omnes cæremonias, & religiosas actiones extendunt, qua ratione id faciant non video.*

Vnvm est argumentum in contrarium, ac præsertim Catholici illius Doctoris: testimoniũ videlicet S. Augustini, qui lib.10. ciuit. cap.6. sic definit sacrificium: *Sacrificium*, inquit, *verum, est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem, quo beati esse possimus.*

Sed facilis est responsio. Nam S. Augustinus non definit sacrificium in genere, nec sacrificium propriè dictũ, sed solùm sacrificium, quod præcipuè est internum, & opponitur sacrificijs legalibus, & merè externis. Et vocat sacrificium verum ratione dignitatis, & ratione effectus, non ratione formæ, & essentiæ sacrificij propriè dicti. Nõ enim vult dicere sacrificia interna, esse magis propriè dicta sacrificia quàm externa, cùm oppositum sit verum, sed esse præstantiora, & Deo gratiora, & faciliùs Deum placare. Similis sententia est, Ioan.15. *Ego sum vitis vera.* Nec enim Dominus eo loco significare volebat se magis propriè esse vitem, quod attinet ad formam & essentiam vitis, quàm sit illa, quæ plantatur in vineis: sed solùm esse vitem nobiliorem, & effectus excellentiores producere, vt Euthymius in commentario huius loci rectè exponit.

Expendamus nunc Caluini definitionem; reprehendit enim alios, sed nec ipse meliorem definitionem attulit. Sic autem loquitur loco citato: *Nos perpetuo Scripturæ vsu sacrificium appellari scimus, quòd Græci nunc θυσίαν, nũc προσφορὰν, nunc τελετὴν, dicunt: quod generaliter acceptum complectitur quidquid omninò Deo offertur.* Hæc ille: vbi apertè docet, idem esse sacrificium quod oblationem Deo factam. Ac deinde partitur sacrificium in duas species, ad eum modũ, quo Philippus fecit, nisi quòd sacrificium non propitiatorium, contendit vocari posse non solùm εὐχαριστικὸν, vt Melanchthon vocabat, sed etiam λατρευτικὸν, & σεβαστικὸν, id est, sacrificium cultus & venerationis.

Sed omissa partitione, de qua non magna controuersia est, definitio certè à Caluino allata admitti non potest. Nam licet secundum Scripturæ vsum, omne sacrificium oblatio quædam sit, non tamen omnis oblatio est sacrificium. Sacrificium enim præter oblationem requirit mutationem, & consumptionẽ rei, quæ offertur, quam non requirit simplex oblatio.

Id verò probatur Primùm ex nomine sacrificij. Nam Hebraicè זבח dicitur à זבח quod est mactare: & Græcè θυσία, vel dicitur à θύειν, id est, mactare: vnde est illud Matth.22. ταῦροι, καὶ σιτιστὰ τεθυμμένα, tauri, & altilia occisa; vel dicitur à nomine θυμίασις, id est, exhalatio, vt Porphyrius contendit apud Eusebium lib.1. præpar. Euang. cap.6. Vult enim sacrificia dicta esse ab exhalatione, & fumo, qui ex combustione sacrificij ascendit. Vnde etiam Chrysostomus, & Theophylactus in cap.10. epist. ad Hebræos notant differentiam esse inter θυσίαν, & προσφορὰν, id est, sacrificium & oblationem, quòd θυσία, dicatur de rebus illis, quæ occiduntur, vel aliter consumuntur. Quò etiam pertinet, vox τελετὴ, dicitur enim ea vox à verbo τελέω, quod est consumo. Ex quibus colligitur, non rectè Caluinum confudisse illa nomina, προσφορὰν, quæ significat simplicem oblationem, θυσίαν ac τελετὴν, quæ addunt consumptionem supra oblationem.

Secvndò, probatur ex vsu Scripturarum. Nam in Scripturis multa dicuntur Deo offerri, quæ nec secundum vsum Scripturæ diuinæ, nec iuxta communem loquendi modum dici possunt sacrificari. Exod.25. & 35. offerenda Deo dicuntur, aurum, argentum, æs, ligna, lapides precioſi, byssus, coccus, pili caprarum, & similia, quæ non nisi absurdissimè sacrificari dici possent. Numeri 8. Aaron offert Leuitas in munus Domino à filijs Israël, & tamen nec Scriptura dicit, homines illos sacrificatos fuisse, nec dici potest, nisi valde impropriè, cùm homines illi non sint occisi, sed solùm ad ministerium deputati. Contrà verò Isaac verè, & propriè sacrificandus dicebatur à Patre, quando occidendus, & cremandus Domino ducebatur, Genes.22. Et omnia omninò, quæ in Scriptura dicuntur sacrificia, necessariò destruenda erant; si viuentia, per occisionem: si inanima solida, vt similia, & sal, & thus, per combustionem: si liquida, vt sanguis, vinum, & aqua, per effusionem, Leuit.1.2.

Neqve his repugnat exemplum Melchisedechi, qui erat Sacerdos Dei altissimi, & obtulit panem, & vinum; nec tamen legitur illam oblationem consumpsisse, Genes.14. Nam Scriptura non explicat modum illius sacrificij; sed ex alijs locis colligimus eum more solito sacrificasse, ita vt panem illum, & vinum ad honorem Dei consumpserit. Constat igitur sacrificium non esse quidquid offertur Deo, vt Caluinus dicit, nisi aliquid aliud addatur.

Deniqve Tertiò, accedant argumenta ducta à sacerdotio, & ab altari, quæ paulò antè fecimus aduersus Melãchthonem. Nam oblatio generatim sumpta, nec sacerdotium, nec altare requirit: verè enim ac propriè obtulit Deo vidua illa Euangelica duo æra minuta, cùm nec Sacerdos ipsa esset, nec altare vllum haberet.

Venio nunc ad Martinum Kemnitium: is initio disputationis de sacrificio Missæ in 2. parte Examinis Tridentini Concilij, pagina 712. & sequentibus, primo loco adfert acceptiones huius vocis, Sacrificium, quas in genere tres esse dicit. Primò enim, accipi vult pro sacrificio externo, & cæremoniali, quale dicit fuisse in solo Testamento veteri; & in hoc genere numerat holocausta, hostias pacificas, hostias pro peccato, & denique sacrificium professionis, vt decimas, & primitias. Secundò, accipi dicit pro morte Christi, quæ dicitur sacrificium crucis. Tertiò, pro sacrificio interiore, inuisibili, & spirituali fidelium; atq; ad hoc genus reducit prædicationem Euangelij, orationes, eleemosynas, laudes Dei, mortificationem, & similia opera bona. Addit paulò infrà, pagina 717. Quartò, acceptionem pro sacrificio cõmemorativo, id est, pro ea re, quæ fit in memoriam sacrificij crucis, quamuis fateatur non haberi in Scripturis hanc acceptionem. Ex his concludit ob tam varias acceptiones sacrificij, bene definitum esse sacrificium in genere à S. Augustino lib.10. ciuit. cap.5. & 6. *Omne opus bonum, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo, &c.*

Sed in hac doctrina Kemnitij plurima sunt errata. Primùm, non rectè numerantur decimæ, & primitiæ cum sacrificijs veteris legis propriè dictis: nusquam enim in Scriptura dicuntur sacrificia, eiusmodi decimæ & primitiæ, nec eis nomen, aut ratio sacrificij conuenit, vt suprà ostendimus. Adde, quòd sacrificium sòli Deo offerre potest, vt omnes fatentur: decimæ autem immediatè Sacerdotibus offerebantur & offeruntur, non Deo.

Deinde, quòd Kemnitius dicit, sacrificia externa, & cæremonialia fuisse solùm in lege veteri, & iam omninò desiisse, pugnat cum eo, quod idem Kemnitius dicit, omne opus bonum factum ad Dei honorem esse etiam hoc tempore sacrificium. Nam certè Baptismi, & Eucharistiæ sacramenta cõficere, dare, sumere, sunt opera bona, facta ad Dei honorem, & tamẽ sunt externa, & cæremonialia. Immò idem Kemnitius paulò infrà multis modis probat Eucharistiæ consecrationem, & sumptionem dici posse sacrificium: quam tamen externam, & cæremonialem esse nemo negare potest.

Tertiò, mirum est, cur admittat Kemnitius quartam sacrificij acceptionem, cùm eam fateatur non posse colligi ex diuinis literis, sed videtur eã admittere, vt possit eludere loca Patrum, in quibus Missa dicitur sacrificium. Cæterùm ea acceptio planè arbitraria, & conficta est: nam nec Scriptura, nec Patres sacrificium appellant, id quod est solùm figura, vel commemoratio sacrificij.

Deniqve, falsò concludit Kemnitius ab Augustino definiri sacrificium in genere, libr.10. ciuit. cap.6. Tantum enim abest, vt Augustinus definire voluerit eo loco sacrificium in genere, vt potiùs expressè excluserit à sua definitione omnia sacrificia veteris legis, quæ in mactatione ouium, & boum sita erant, quæ propriissimè sacrificij nomen, & rationem retinent. Quare Kemnitius, neque diuidendo, neque definiendo id assequi potuit, quod cupiebat, vt quid sit proprium sacrificium explicaret.

His ergo reiectis, vera definitio sacrificij propriè dicti in genere hæc esse potest: *Sacrificium est oblatio externa, facta soli Deo, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionẽ diuinæ maiestatis à legitimo ministro res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico cõsecratur, & trãsmutatur.* Hęc definitio paulò lõgior esse debuit, vt omnes conditiones sacrificij propriè dicti complecteretur.

Primò igitur dicimus, esse oblationem, vt genus sacrificij indicaremus: hoc enim loco sacrificium accipimus pro actione sacrificandi, non pro ipsa victima,

quæ sacrificatur,tametsi ipsa etiam sacrificium dici solet. Sacrificium igitur pro actione acceptū, species est oblationis:id enim est sacrificium, quod propriè & per se ad actionem Sacerdotis pertinet.Porrò Sacerdotis propriū munus est offerre, Hebr.5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, &c.* Apud sacros, & Ecclesiasticos scriptores pro eodem accipitur offerre,& sacrificare,Genes.4.vbi primùm fit mentio sacrificij,dicitur Abel obtulisse de primogenitis gregis sui:& Genes.8. Noë obtulit holocausta, & eodem modo Scriptura passim loquitur. Tertullianus inter patres in libro de velandis virginibus, & in libro de exhortatione castitatis, dicit tria esse munera Sacerdotum nouæ legis, tingere,offerre,docere,id est,baptizare,sacrificare,concionari.Denique idem indicat nomen,quo passim vtuntur Græci, cùm de sacrificio loquuntur,nimirum προσφορὰ, id est,oblatio,quod etiam Caluinus notauit,vt suprà vidimus.

A

Secvndò dicimus, externam oblationem esse sacrificium. Duplex enim oblatio, & largo modo, duplex sacrificiū distingui potest,vt S. Augustinus distinguit lib. 10.ciuit.cap.5. inuisibile, siue internum, & visibile; siue externum. Inuisibile est pia voluntas, quæ diuinæ Maiestati se & sua omnia offert: visibile est autem testificatio quædam externa interni affectus.Quare ibidem Augustinus definiens visibile sacrificium,inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum esse dicit. Quamuis autem inuisibilis oblatio sit nobilior, & melior visibili; & placeat Deo inuisibilis sine visibili,visibilis sine inuisibili Deo non placeat: tamen nomen, & ratio sacrificij propriè non conuenit inuisibili oblationi,sed solùm visibili,& externæ,vt nos in definitione posuimus. Oblatio enim inuisibilis, semper est occulta, & priuata, nomine autem sacrificij propriè omnes intelligunt publicum, & manifestum honorem Deo exhibitum à communi, & publico ministro. Itaque necessariò requiritur ad sacrificium propriè dictum,vt sit oblatio externa.

B

Tertiò, diximus, in definitione: *Facta soli Deo*: Nam oblatio externa potest fieri etiam homini, vel homini & Deo, vt cùm dantur eleemosynæ pauperibus propter Deum;illæ enim offeruntur hominibus,& simul etiam Deo,dicente Christo:*Quod vni ex minimis istis fecistis,mihi fecistis*,Matth.25. Sed non sunt sacrificia eiusmodi oblationes, sacrificium enim propriè pertinet ad cultum latriæ,qui soli Deo exhiberi potest. Vt enim est interior quidam cultus,quem soli Deo exhibemus,cùm eum agnoscimus primum & summum bonum, causſam efficientem,& finalem omnium rerum,& vt tali cor nostrum illi demississimè prosternimus: sic etiam debuit esse externum aliquod signum quo protestaremur cultum istum soli Deo debitum. Tale autem signum non est,nisi sacrificium: nam omnis alia externa reuerentia,quam exhibemus Deo,siue caput nudando,siue genua flectendo, siue corpus totum prosternendo, siue etiam supplicando,& inuocando, solet etiam hominibus aliquando exhiberi. Vnde Exodi 22.legimus:*Qui sacrificat Dijs occidetur, præterquam Domino soli.* Neque id solùm Scriptura docet,sed etiam ipsum naturali lumine omnes Gentes agnouerunt:*Quis verò*, inquit sanctus Augustinus lib.10. ciuit.cap.4.*sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et lib.1.contra aduers.leg.& prophet.cap.18. *Dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi Deo vero deberi sciret. Nam obsequia cætera, quæ diuinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbiæ fastu homines arrogare: rarissimi autem commemorantur, qui sibi vt sacrificaretur, cum regia potestate possent, ausi fuerint imperare. Quicunque tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerūt.*

C

Qvartò diximus:*Ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem diuinæ Maiestatis.* Quoniam hic est finis generalis omnium sacrificiorum:sunt enim quasi tributa,quæ Deo redduntur in recognitionem supremi dominij ipsius,& nostræ subiectionis.Et hæc est etiam ratio, vnde laudem habet,& est opus virtutis actio sacrificandi. Nam ex se opera indifferentia sunt occidere, & cremare animalia,& similia;sed cùm ista fiunt ad significandum,omnia à Deo procedere,& in ipsius honorem consumenda esse; iam sunt opera religionis, & proinde bona,& laudabilia.

D

Qvintò diximus:*A legitimo ministro.* Non enim est cuiusque offerre sacrificium, sed publici, & certi hominis,qui communi nomine id peragat. In lege quidem naturæ,Sacerdotes erant,vel capita familiarum, vt Noë, Abraham,vel ij,quibus Deus id inspirabat.In lege autem scripta,soli filij Aaró. In lege gratiæ, soli Episcopi & Presbyteri ritè ordinati,vt omnia Concilia,& omnes Patres, & omnium Ecclesiarum consuetudo docet. Atque hinc excludūtur à ratione sacrificij propriè dicti multæ oblationes priuatorum hominum, factæ soli Deo, vt cùm fideles candelas accendunt, & consumunt in templo ad honorem Dei.

Sextò diximus: *Res aliqua sensibilis, & permanens*, vt nimirum excludantur à ratione sacrificij propriè dicti, actiones transeuntes,in honorem Dei factæ,quales sunt psalmodiæ,preces,genu flectiones,& alia quæ fiunt à Sacerdotibus actu externo ad honorem Dei, & tamen sacrificia propriè non dicuntur.

Septimò diximus: *Ritu mystico consecratur.* Nam debet res illa, quæ Deo offertur, ex profana fieri sacra, & Deo dicata:id enim significat sacrificare,sacrum facere,vt S.Thomas rectè monet in 2.2.q.85.art.3.Ista autem consecratio,& dedicatio semper fiebat in lege veteri certo ritu,& cæremonia mysterium continente, vt in positione manuum super victimam, vel eleuatione oblationis in altum. Et hoc distinguitur sacrificium à simplici oblatione,quæ non requirit ex se vllam eiusmodi mysticam consecrationem.

Octavò diximus: *Et transmutatur.* Quia ad verū sacrificium requiritur,vt id quod offertur Deo in sacrificium,planè destruatur,id est,ita mutetur,vt desinat esse id quod antè erat: & in hoc maximè differt à simplici oblatione,quæ interdum ritu mystico eleuabatur coram Deo,sed non destruebatur,nisi quando verè sacrificabatur. De qua conditione plura diximus;paulò superiùs in refutatione definitionis Ioannis Caluini. Ratio autem huius rei duplex esse videtur. Vna ob significationē mortis Christi. Deus enim, qui primus sine dubio inspirauit Abeli,& alijs sanctis viris vsum sacrificiorum,voluit per ea sacrificia sacrificium omnium sacrificiorum præstantissimum adumbrari:illud autem morte,& destructione rei oblatæ constabat. Altera ratio est, quia sacrificium est summa protestatio subiectionis nostræ ad Deum,& summus cultus externus:qui exhiberi possit. Summa autem ista protestatio requirit, vt non solùm vsus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia: & ideò non solùm vsus, sed substantia consumatur.

CAPVT III.

Mortem Christi sacrificium esse propriè dictum.

Sed vna occurrit dubitatio circa sacrificij definitionem.Nam sacrificium crucis,id est,Christi passio & mors, verissimum,ac perfectissimum sacrificium fuit,vt Augustinus docet lib.1.cōtra aduers. leg.& propher.cap.18.& tamen non videtur ei conuenire definitio assignata.Nam (vt alia omittam) ratio sacrificij à nobis descripta requirit, vt non sit actio alicuius virtutis,nisi religionis:mors autem Christi actio fuit charitatis,patientiæ,fortitudinis,humilitatis, obedientiæ, vt Apostolus prædicat Rom.5.Phil.2.Heb.12.& alibi.

Respondeo; Sacrificium Crucis propriè actum religionis fuisse. Christus enim præcipuè in mortem se

religionis fuisse. Christus enim præcipuè in mortem se obtulit,vt esset oblatio,& sacrificium Deo pro expiatione peccatorum totius mundi, vt sacri Scriptores passim docēt,ac præcipuè Apostolus Ephe.5.&Heb.7.8.9.&10. tamen nihil repugnat quò minùs actus proprius religionis posit etiam participare multas alias virtutes: sicut è contrario actus omnium aliarum virtutum, vt suprà diximus, religionis rationem participant, & sacrificia suo quodam modo nominantur. Sicut enim si quis obediētiam superiori præstet ob Dei honorem, illa obedientia sacrificium erit: sic etiam si quis veram hostiam Deo offerat, quia id ei superior imperauerit,actio illa,obediētia dici poterit. Et quēadmodū eleemosyna pauperi propter Dei honorem data,sacrificium quoddam est;sic etiam sacrificium pro peccatore Deo oblatum, misericordia est.

A

Dicet aliquis; Si res ita se habet, poterunt etiam Martyrum passiones verè, & propriè sacrificia dici, licet ad charitatem, & fortitudinem potissimùm pertinere videantur.

Respondeo, Martyrum passiones sacrificia dici possunt largo modo, vt omnia alia bona opera; non autem propriè,& in rigore, vt Christi passio: differt enim passio Christi à passionibus Martyrum quatuor modis, ratione videlicet personæ,actus,formæ,& finis.

Ratione personæ,quia Christus verè, & propriè erat Sacerdos,Psal.109.*Tu es Sacerdos in æternum.* & Sacerdos magnus, vt ait Apostolus Hebr.10. immò planè summus,& maximus, qui posset hostiam quamlibet ritè offerre,& ideò etiam corpus suum.Sancti autem Martyres,vel Sacerdotes non erant,vel certè nō tales, qui possent eligere victimam pro arbitrio,sed tenebantur offerre victimam lege præscriptam.

Ratione actus,quia Christus propriè seipsum sacrificauit,cùm in eius potestate fuerit mori,& non mori. Isa.53.*Oblatus est,quia ipse voluit.* Ioan.10.*Ego pono animā meam;nemo tollit eam à me, sed ego pono eam.* Ioan.17. *Et pro eis ego sanctifico meipsum*; id est, sacrificium offero meipsum, vt exponunt Ioānes Chrysostomus homil.81. in Ioan.& Cyrillus lib.11.in Ioan.cap.25. Martyres autē nec poterant mori,quando volebant,nec etiam impedire passionem suam & mortem,quando volebant.

B

Ratione formæ, quia Christus verè mystico ritu sacrificatus est;non enim casu, sed ex electione ipsius factū est,vt in die festo Paschæ,& in altari Crucis, & manibus extensis,& extra portam vrbis Hierosolymæ pateretur,vt S.Leo notat in epist.83. ad Monachos Palæstinos.Et Ioannes Euangelista scribit,cap.13.*Sciēs Iesus, quia venit hora eius.* Et Paulus Hebr.13.*Quorum animalium infertur sanguis pro peccato, horum corpora cremantur extra castra: ita & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* In mortibus Martyrum nihil eiusmodi reperimus.

C

Ratione finis,quia ille fuit proximus, & principalis finis mortis Christi, placare Deum generi humano, qui est finis veri sacrificij.Colossi.1.*Purificans per sanguinem crucis, &c.*& idem clamant omnes Scripturæ.Quare omnia sacrificia legis veteris, figuræ erant, ac typi huius verissimi,& summè propitiatorij sacrificij,vt Augustinus testatur libro 1. contra aduers.leg. & prophet.cap.18. & alibi. Finis autem proprius mortis Martyrum, non erat Deum placare, sed testimonium veritati præbere; & ex genere suo mors Martyris actus est fortitudinis,quia magis eligit vitam perdere,quàm fidem negare. Quare B. Leo epist.83.suprà citata:*Quare*,inquit,*in conspectu Domini multorum Sanctorum preciosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accipere iusti, non dedere coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ,nō dona iustitiæ;singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit.* Ac de definitione hactenus.

D

CAPVT IV.

De partitione sacrificij.

Nvnc de partitione pauca dicenda sunt.Sacrificium igitur propriè dictum, duobus modis diuidi solet, ratione materiæ,& ratione formæ, & finis. Ratione materiæ diuiditur in tria genera,in victimas,seu hostias,immolationes,libamenta. Victimæ, seu hostiæ dicuntur sacrificia ex animantibus, videlicet ouibus, capris, bobus, columbis,passeribus, & turturibus: nec enim vlla alia animantia sacrificari poterant. Et quamuis hæc nomina generalia sint, tamen apud Latinos deriuata sunt ab ijs sacrificijs, quæ offerebantur post victoriam de hostibus reportatam.Victima enim à victoria,& hostia ab hostibus dicta est,iuxta illud Ouidij lib.1.Fastorum.

Victima quæ cecidit dextra victrice vocatur,
Hostibus à victis hostia nomen habet.

Immolationes dicuntur sacrificia ex rebus inanimis, sed solidis,vt ex farina, pane, sale, thure: dicebantur autem immolationes à mola, siue à molendo. Quamuis deinde vocabulum immolandi ad omne genus sacrificij deriuatum sit:nam & in Scripturis sanctis,& in profanis auctoribus sacrificare, & immolare pro eodem accipiuntur. Libamenta dicuntur sacrificia rerum liquidarum,vt vini, & aquæ.

Ratione formæ & finis diuiditur in tria genera in holocausta,hostias pro peccato,hostias pacificas. Holocausta offerebantur propriè in reuerētiam diuinæ Maiestatis,& ideò tota cremabātur, vt resoluta in vaporem tota sursum ascenderent, in signum quòd quidquid habemus,Dei est. Hostiæ pro peccato,dicebantur eæ quæ offerebantur pro expiatione peccati; & hæ partim cremabātur,partim à Sacerdotibus in ipso atrio sancto manducabantur. Erant autem multa genera hostiarum pro peccato,nam & variabantur pro varietate peccati,& pro varietate personarum. Aliud enim offerebatur pro periuro,aliud pro alijs peccatis; & similiter aliud pro Pontifice,aliud pro Rege,aliud pro Synagoga,aliud pro priuatis hominibus. Hostiæ pacificæ partim cremabantur, partim manducabantur à Sacerdotibus,partim ab ijs,qui donauerant.Erant autem duæ species pacificorum; quædam enim offerebantur pro beneficio accepto: quædam pro beneficio accipiendo, quæ hoc solùm differebant à superioribus, quòd istæ poterant etiam in crastino manducari,ille autem debebant consumi ipso die sacrificij.

A

B

C

Ex quo rectè colligit sanctus Thomas 1.2.q.102.art.3. vbi de tota hac materia egregiè disputat, præstantissimū sacrificium fuisse holocaustum, secundum locum dignitatis obtinuisse sacrificium pro peccato,tertium sacrificiū pacificum pro beneficio accepto, postremum sacrificiū pacificum pro beneficio accipiendo. Maximè enim obligamur Deo honorem deferre ob ipsius infinitam maiestatem, deinde secundò ob offensam in ipsum commissam,tertiò ob acceptum iam beneficium,postremò propter sperata beneficia.

D

Colligit secundò tribus illis generibus sacrificiorum significari tres fidelium status. Nam holocaustū significat statum perfectorum,qui totos se Dei obsequio dedicant. Sacrificium pacificum; statum proficientium, qui Deo gratias agunt pro accepta iustificatione peccatorum,& petunt perseuerantiam in bono:& ideò eius sacrificij fiunt tres partes, vna crematur Deo,altera manducatur à Sacerdote,tertia ab offerente:quia perseuerantia in bono acquiritur gratia Dei, ministerio Sacerdotū, & merito etiam proprio operum bonorum. Denique sacrificium pro peccato,significat statum incipientium,seu pœnitentium, qui quærunt à Deo veniam peccatorum. Et quia iustificatio à peccatis non potest acquiri proprijs meritis,sed sola Dei gratia per ministerium Sacerdotum: idcircò eius sacrificij vna pars Deo offertur, altera Sacerdoti,nulla ipsi offerenti cedit.

CAPVT V.

Explicatur status controuersiæ, & sententiæ referuntur Catholicorum, & hæreticorum.

EXPLICATIS vocibus Missæ, & sacrificij, sequitur vt ipsa quæstio explicetur, Vtrum Missa sit sacrificium. Porrò quæstio principalis cum hæreticis huius temporis, non est de sacrificio spirituali, aut improprio. Fatentur enim, Philippus in Apologia Cõfessionis Augustanæ, & Martinus Kenitius in Examine Tridentini Concilij, & Brentius in Cõfessione Vvittembergensi, & alij, Missam siue sacrã Cœnã multis modis sacrificiũ dici posse: sed de sacrificio externo visibili, verè, ac propriè dicto; ac potissimùm de ipso genere sacrificij propriè dicti, id est, de oblatione visibili Deo facta ministerio Sacerdotum.

ITAQVE status cõtrouersiæ hic erit, Vtrum in Missa, siue in actione Cœnæ Dominí, si ritè celebretur Eucharistia Deo offerri debeat. Hinc esse vnum statum quæstionis, facilè probari potest ex testimonijs aduersariorum, & nostris. Ac primùm formulæ ab ipsis editæ, Cœnæ Domini celebrandæ, satis apertè indicant quid in nostra Missa illis displiceat.

FORMVLA Missæ pro Ecclesia Vvittembergensi à Luthero edita anno M.D.XXIII. admittit primò, Introitum cum Psalmo, Secundò, Kyrie eleeson, cum hymno Angelico, *Gloria in excelsis Deo.* Tertiò, Collectam seu orationem cum lectione sequente. Quartò, Graduale cũm Alleluia. Quintò, Prosas, seu Sequentias quasdam paucas, vt de Spiritu sancto, & de Natali Domini. Sextò, Euãgelium. Septimò, Symbolum. Deinde ita subiungit. Octauo: *Sequitur tota illa abominatio, cui seruire coactum est quidquid in Missa præcessit: vnde & Offertorium vocatur, & abhinc omnia ferè sonant, ac olent oblationes.* Et infrà: *Proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationem sonãt cum vniuerso Canone, retineamus, quæ pura & sancta sunt.* Hæc ille, qui deinde breuissimè præscribit consecrationem Eucharistiæ prolatis verbis Domini, & Communionem.

Formula Caluini Sacramentorum ministrandorum pro Ecclesia Geneuensi, & omnes alię, quas videre potui, diligentissimè cauent, ne vlla fiat mentio oblationis.

PRAETEREA Lutherus in omnibus libris, quos multos de hac ipsa quæstione scripsit, id vnum agit, vt doceat in actione Cœnæ, seu Missa nihil nos Deo offerre præter orationes, sed contrà potiùs offerri nobis à Deo Sacramentum Eucharistiæ in testimonium promissionis. Anno M.D.XX. libellum edidit de captiu. Babylon. vbi cap. de Eucharistia prope finem capitis, hoc fusè tractat. Anno M.D.XXI. edidit librum de abroganda Missa priuata, vbi illud idem fusiùs, & furiosiùs agit. Anno M.D.XXII. librum edidit contra Regem Angliæ, in quo idem repetit. Anno M.D.XXIII. edidit librum contra Canonem Missę. Anno M.D.XXVII. in librum de verbis Cœnæ contra Zvvinglianos, idem habet. Similiter in confessione sua, quam edidit anno M.D.XXVIII. supra omnes abominationes dicit se habere Missam, & nihil magis dolere, quàm quòd per annos quindecim Missas celebrauit more Catholicorũ. Anno M.D.XXXIV. librũ edidit de Missa priuata, & vnctione Sacerdotũ: in quo non erubuit confiteri se à Diabolo edoctum, & persuasum, Missam esse summam abominationem, idq; nõ per somnum, & quietem, sed palàm dum vigilaret.

IDIPSVM docent omnes huius temporis hærerici. Nam & Philippus Melanchthon in locis, tit. de sacrificio. & Ioannes Brentius in Confessione Vvittembergensi, cap. de Eucharistia, & Matthias Illyricus in Apologia pro Confessione Antuerpiensi, cap. 15. & Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis Concilij Tridentini. & Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 1. & 2. & sequentibus, & Petrus Martyr in Commentario, cap. 4. & 10. prioris ad Corinthios, & Theodorus Beza in sua Confessione, cap. 7. §. 3. & alij, negant Eucharistiã Deo offerri posse, aut debere.

E contrario verò Catholici scriptores, qui hoc nostro sæculo de sacrificio Missæ scripserunt, omnes in eo potissimùm laborant, vt ostendant, in Missa offerri Deo verè, ac propriè corpus, ac sanguinem Domini, sub specie visibili panis & vini. Vide Ioannes Eckium in tribus libris de Sacrificio Missæ: Iodocum Clitoueum, in propugnaculo Ecclesiæ lib. 1. Gasparum Schazgerum, tract. de Missa: Ioannem Fabrum libro 2. 4. & 5. de Missa, & Eucharistia; Ioannem Roffensem in libro de visibili Sacerdotio; Caietanum tract. de sacrificio Missæ, qui est tractatus decimus tomi tertij; Martinum Perusium in lib. de traditionibus parte 3. cõsideratione 4. Ioannem Driedonem lib. 4. de Scripturis & dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 5. parte 4. Ambrosium Catharinum in libro de veritate incruenti sacrificij noui & æterni Testamẽti; Dominicum à Soto in 4. sentent. dist. 13. q. 2. Iodocum Tiletanum in Apologia pro Concilio Tridentino contra Kemnitium; Ruardum Tapperum in explicatione articuli 16. Louanienſium, Albertum Pighium lib. 2. Hierarch. Eccl. cap. 5. & controuersia 5. & 6. Antonium Democharem in lib. quatuor de sacrificio Missæ; Alphonsum de Castro in lib. 10. contra hæreses, verbo Missa; Gasparum Casalium in libris tribus de sacrificio Missæ. Hosiũ Cardinalẽ in Confessione Polonica, cap. 41. Vvilhelmum Lindanum lib. 4. Panopliæ, cap. 37. & sequent. Melchiorem Canum lib. 12. de locis Theologicis, cap. 13. Vvilhelmum Alanum lib. 2. de Eucharistia; Gregorium de Valentia in tractatu & Apologia de sacrificio Missæ.

EX his colligimus, Philippum, & Kemnitium perperam exposuisse statum huius quæstionis. Philippus enim tum in locis titulo de sacrificio, tum in Apologia Confessionis Augustanæ, cap. de Missa, quia nec bene definit, nec benè diuidit sacrificium, totam controuersiam in eo ponit, vtrum in Missa offeratur sacrificiũ propitiatorium. Sed alia est controuersia prior, vtrum verè, ac propriè sacrificium offeratur: possunt enim verissima sacrificia esse, quæ tamen non sint propitiatoria, vt suprà ostendimus.

KEMNITIVS autem nõ modò imperitè, sed etiam inuerecundè, & impudenter in secunda parte Exãminis, pagina 739. 744. 761. 766. & 777. asserit, statum quæstionis esse, vtrum illa representatio per varios gestus, & vestes, quæ in Missa Catholicorum cernitur, sit sacrificium à Christo institutum. Et in postremo loco à nobis notato dicere audet, Panopliam illam verborum, rituum, gestuum, actuum, ornamentorum, vestium, quæ postea accesit ad simplicem Christi institutionem, esse ipsos neruos, & substantiam Missæ, Pontificiæ: cùm tamen nullus Catholicorum id vnquam scripserit, omnes enim summo consensu docent, ista omnia quę accesserunt ad Christi institutionem, esse accidentaria ornamenta. Quod autem ille obiicit ex libro Eckij, iam suprà in 1. cap. refutatum est.

CAPVT VI.

In Missa verum sacrificium offerri, probatur ex primo testimonio Scripturæ, & ex Sacerdotio Melchisedech.

NVNC tandem ad argumenta pro veritate veniendum est. Ac primùm adferemus testimonia Scripturarum. Tum veterum Patrum. Postremò rationes. Ac ex diuinis literis primum locum obtinebunt, figuræ Testamenti veteris. Secundum, vaticinia Prophetarum. Tertium, testimonia ex Euangelio. Quartum, ex actis Apostolorum. Quintum, ex epistolis B. Pauli.

PRIMVM igitur testimonium Scripturæ sit illud Genes. 14. *Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinũ: erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Hunc locum ad Christum ita referunt Dauid Psalm. 109. & Paulus Hebr. 7. vt non dicant Melchisedechum figuram tantùm Christi gessisse, quod etiam de Aarone dici potuisset, sed Christum Sacerdotem fuisse secundum ordinem Melchisedech, & nõ secundum ordinem Aaronis, vt apertè scribit Paulus.

PORRÒ differentiæ duæ sunt inter duo illa Sacerdotia, ex quibus duo argumenta peti possunt. Prima & potissima differentia posita est in extrema specie sacrificij. Nam etamsi omnia sacrificia veterum conuenirebant in re significata, cùm eundem Christum crucifixum significarent: tamen in signis diuersa erant. Sacrificia enim Aaronica cruenta erant, & sub specie animantiũ occisorũ, Christi mortem representabant: Melchisedechi sacrificium incruẽtum fuit, & sub specie panis & vini eiusdem Christi corpus, & sanguinem figurauit. Quare si Christus Sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, & non Aaronis, sacrificium instituere debuit incruentum, & sub specie panis & vini, vt Ecclesia Catholica rectè canit in vesperis festi corporis Domini: *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit.* Quòd si ex vi sacerdotij secundùm ordinem Melchisedech non certò colligeretur, vt certò colligitur, Christum sacrificare debuisse hostiam in specie panis & vini; id tamen colligeretur ex vi typi, & figuræ. Fuit enim Melchisedech in illa cæremonia panis & vini, figura manifestissima, cõsensu Patrum, quem paulò pòst adferemus, Christi Sacramentum Eucharistiæ instituentis in pane & vino. Sed Melchisedech panem & vinum obtulit, vt Sacerdos Dei altissimi, ac proinde verè sacrificauit; igitur & Christus in institutione Eucharistiæ, vt Sacerdos egit, & verè sacrificauit, alioqui non exactè figuram illam impleuisset.

EST etiam alia differentia inter Sacerdotium Melchisedechi, & Aaronis; quod illud fuit vnius tantùm hominis, qui nec successit alteri, & cui non successit alter; istud autem fuit multorum, qui per mortem sibi inuicem succedebant. Quam differentiam Apostolus persequitur Hebr. 7. vbi dicit Melchisedechum fuisse sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem: & illa omnia ad Christum applicans, dicit eum esse Sacerdotem in æternum, qui nimirum nulli successerit, & cui nullus debeat succedere, cùm semper viuat, & cùm iurauerit Deus, sacerdotium, ipsius non esse mutandum, aut transferendum in aliud, vt sacerdotio Leuitico contigit. Id enim Paulus probat ex illis verbis Psalm. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, &c.* Quòd si Sacerdotium Christi durat vsq; ad mundi cõsummationem (id enim Scriptura æternum vocat) certè, & sacrificij ritus durare debet; nisi fortè ociosum habet Christus sacerdotium. At sacrificium crucis semel tantùm peractum est, nec repeti ampliùs potest, cùm Christus mori iam nequeat: ergo aliud sacrificium esse oportet, quod iugiter offeratur; nec enim Sacerdos dici potest, qui nullum habet sacrificium quod offerat. Admittere igitur necesse est in Ecclesia veram sacrificandi actionem, quæ Christo summo Sacerdoti per ministros suos tribuatur: qualis certè actio nulla erit, si Missæ sacrificium auferatur è medio.

PRAETEREA ante Christi incarnationem, quia Christus reipsa nondum erat Sacerdos (sacerdotium enim Christo conuenit, vt minor ex Patre, & proinde vt homo est, non vt Deus est, vt Augustinus etiam notat, in Psal. 109. in illud: *Tu es Sacerdos in æternum.*) nõ poterat per se sacrificium offerre: tamen vt etiam eo tempore Sacerdos dici posset, & esset, ipse vnus ab initio mundi, vsque ad finem summus Sacerdos; eo modo quo poterat, sacrificium offerebat, nimirum per typos, & figuras. Vt enim omnia sacrificia vetera figuræ erant sacrificij crucis, & in omnibus illis victimis ipse immaculatus agnus typicè mactabatur; vnde in Apocalypsi cap. 13. dicitur agnus occisus ab origine mundi: sic omnes illi Sacerdotes, typi quidam Christi erant, & in omnibus sacrificantibus ipse sacrificabat. Quòd si propter sacerdotij aternitatem, Christus etiam ante Incarnationem eo modo, quo poterat, sacerdotio fungebatur, quantò magis post Incarnationem, quando reipsa à Patre Sacerdos appellatus est, & Sacerdos sine successore, non debet vsque ad mundi consummationem ab officio sacrificandi cessare? quorsum enim sacerdotium illius manet, si nunquam deinceps sacrificare debet?

AD hæc argumenta aduersarij respondere conantur. Siquidem Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 2. & Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 747. & alij in expositione, quam vocant, Ecclesiasticam, in Genesim, & Petrus Martyr in cap. 5. 1. ad Corinthios, admittunt Melchisedech Sacerdotem fuisse, & Christi typum gessisse, sed negant panem & vinum ab eo in sacrificium Deo fuisse oblata. Et inde colligunt, sacerdotium Christi non consistere in oblatione panis & vini, & tamen esse secundum ordinẽ Melchisedech: æternitatem quoque eiusdem sacerdotij Christi, non in eò positam esse, quòd vsque ad mundi consummationem in Ecclesia sacrificium in specie panis & vini Domino offeratur.

QVAM solutionem vt accuratè refellamus nos, Primò expendemus textum Geneseos. Secundò adducemus consensum Patrum, qui disertè scribunt Melchisedech obtulisse Deo panem & vinum, & in eo ponunt æternitatem sacerdotij Christi, & similitudinem ad sacerdotium Melchisedech, quod in Ecclesia sacrificium offeratur in specie panis & vini. Tertiò refellemus quæ ipsi contrà obiiciunt.

QVOD ad primum attinet, hæc sunt verba Scripturæ in editione vulgata: *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, &c.* Genes. 14. Hic primùm queritur Kemnitius in vulgata editione legi: *Melchisedech obtulit panem & vinum*, & addit editionem Hebræam, Caldæam, & Græcam non habere verbum sacrificatorium, *obtulit*, sed verbum quod simpliciter significat educere, vel depromere, nimirum, *protulit*, quomodo etiam legisse Cyprianum. At nos verius querimur de Kemnitio, quòd tã apertè de nostra editione mentiatur. Nec enim in vlla editione Latina legi vnquam, *obtulit*, sed constanter video omnes habere *proferens*. Quod tamen verbum licet ex se nihil aliud significet, nisi proferre, seu adducere, tamen pro loci exigentia sæpe vsurpatur pro adductione hostiæ ad immolationem, vt Iud. 6. vbi bis habetur idẽ verbum הוציא quod hoc loco in Genesi cernimus, apertè significat adductionem hostiæ. Quod idem videmus in verbo הביא quod propriè adducere significat, & tamen passim in Scriptura restringitur ad sacrificium, vt idem sit quod offerre, vt patet Genes. 4. vbi describitur sacrificium Cain & Abel.

Sequitur in sententia citata: *Panem & vinum.* Hic Caluinus, & Kemnitius contendunt, panem & vinũ prolata fuisse in refectionem Abrahæ, & sociorum eius, qui fatigati, reuertebantur ex prælio. At nos non negamus data illa in cibum Abrahæ, & socijs, sed dicimus priùs fuisse Deo oblata, & consecrata, & tum data hominibus, vt de sacrificio participarent. Nam in primis nulla erat causa cur corporalem refectionem præberet Melchisedech Abrahæ. Nam vt Scriptura ibidem habet, rediit Abraham ex prælio cum ingenti præda, in qua etiam erant ea, quæ ad cibum pertinent, vt illic dicitur: immò in fine capitis additur, milites Abrahæ cibum sumpsisse, antequam eis occurreret Melchisedech. Quid igitur opus erat pane & vino ijs, qui spolijs abundabant, & paulò antè comederant, & biberant? Præterea

cùm

cùm Scriptura eo in locis describat nobis Sacerdotium Melchisedech, vt distinctum ab Aaronico, & vt simillimum Sacerdotio Christi, debuit profectò alicubi tradere quale fuerit sacrificium Melchisedech. Siquidem ad sacrificium ordinatur sacerdotium, & sacrificio ignorato necesse est etiam sacerdotium ignorari. Nusquam autem fit mentio sacrificij, quod obtulerit Melchisedech, nisi hoc loco: oportet igitur per panem, & vinum, non profanos cibos, sed sanctificatos, & Deo priùs oblatos intelligere. Denique id probatur efficacissimè ex verbis sequentibus; subiungit enim Scriptura: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Quæ ratio ab ipso Spiritu sancto reddita, cur Melchisedech panem & vinum protulerit, omnino cogit, vt intelligamus panem & vinum prolata fuisse ad sacrificium.

A

SED occurrit Kemnitius, & rursus editionem Latinam accusat, quòd posuerit particulam caussalem pro coniunctiua; non enim in Hebræo est בי caussalis, sed ו coniunctiua. Quare sic ipse vertit, Caluinum sequutus: *Erat autem Sacerdos Dei altissimi, & benedixit ei, &c.* Et sic distinguit actiones ipsius Melchisedech Regis & Sacerdotis, vt adductio panis & vini ad munificentiam Regis pertineat, benedictio autem ad sacerdotiũ. At frustrà Kemnitius vulgatam editionem lacerat. Licet enim ad verbum non sit in Hebræo: *Erat enim Sacerdos*, sed; Et erat Sacerdos: tamen illa particula cõiunctiua apud Hebræos frequentissimè locum obtinet caussalis, & verti debet per *enim*, si sententia eleganter Latina phrasi exprimenda sit, quod S. Hieronymus facere solet. Exempla sunt ad manus, Genes. 20. *Et morieris propter mulierem, quã tulisti, habet enim virũ.* In Hebræo erat רחיא בעלת בעל *& ipsa habet virum.* Genes. 30. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Dominus.* In Hebræo est copulatiua: *Experimento didici, & benedixit mihi Dominus.* Isa. 64. *Tu iratus es, & peccauimus*; id est, Tu iratus es, quia peccauimus; vbi apertissimè ponitur ו pro בי copulatiua pro caussali.

B

DEINDE perturbant aduersarij totam distinctionem orationis, vt ad suam sententiam verba Scripturæ accommodent; quod si liceret, possemus totam Scripturam perperam interpretari. Nam in Hebræo codice, post illa verba: *Et erat Sacerdos Dei altissimi*, inuenitur accentus, quem Hebræi vocant soph pasuch, qui indicat ibi terminari periodum. Quare non potest illud: *Et erat Sacerdos*, coniungi cum sequentibus, *& benedixit*, sed debet superioribus illis annecti: *Protulit panem & vinum.* Eandem quoque distinctionem inuenimus in Chaldæo, & Græco, & Latino textu. Posita autem hac vera, & communi interpretatione, & distinctione orationis, etiamsi nulla adesset caussalis particula, per se clamaret oratio, panem & vinum prolata fuisse ad sacrificium. Quorsum enim cum illis verbis, *Protulit panem & vinum*, coniungerentur illa, *Et erat Sacerdos Dei*, nisi vt intelligeremus panem & vinum à Melchisedech Sacerdote prolatum, vt offerretur Deo?

C

PRAETEREA non rectè aduersarij dicunt, Melchisedech, vt Sacerdotium benedixisse Abrahæ, & proinde malè ita interpretantur Scripturam, cùm sic reddũt: *Erat Sacerdos, & benedixit ei*, vel (vt habet Caluinus) *Cùm Sacerdos esset Dei, benedixit Abrahæ.* Nam etiam Abraham Sacerdos erat, vt patet ex plurimis sacrificijs, quæ obtulit: non igitur Melchisedech vt Sacerdos erat, benedixit Abrahæ, sed quia maior Sacerdos erat benedixit Abrahæ, vel quia absolutè maior erat, cùm & Rex, & Sacerdos esset. Non enim est solius Sacerdotis benedicere, sed omnis maioris. Nam Salomon Rex, qui Sacerdos non erat, benedicit populo. 3. Reg. 8. & idem fecit Dauid 2. Reg. 6. & antea idem fecerat Iosue cap. 8. & 22. cùm nec ipse Sacerdos esset, sed princeps politicus. Et Iacob Gen. 48. precatur Angelum, vt benedicat filijs Ioseph. Quare B. Paulus Hebr. 6. ex eo, quod Melchisedech benedixit Abrahæ, non colligit, vt secundum Caluinum, & Kemnitium debuisset, Melchisedech Sacerdotem fuisse, sed Abrahamo maiorem fuisse: minor enim, vt ipse ibidem dicit, sine controuersia à meliore benedicitur.

D

ACCEDAT nunc, vt ad secundum veniamus, consensus veterum Patrum, qui certè vel solus sufficere deberet, vt confunderet nouorum istorum interpretum temeritatem. Ac primùm tota Ecclesia in Canone Missæ id testatur, cùm ait: *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificiũ, immaculatã hostiam.* Cuius partis Canonis meminit expressè Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 6. ex quo perspicuum est, esse antiquissimam, & publicam totius Ecclesiæ istã sententiam.

SED præterea adducemus testimonia singulorum Patrum, Græcorum, & Latinorum ordine temporis. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum, non procul à fine: *Melchisedech*, inquit, *Rex Salem Sacerdos Dei altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ.* Obserua hoc loco, panem non profanum in refectionem ventris, vt aduersarij volunt, sed sanctificatum datum esse à Melchisedech. Ad hæc vides panem & vinũ dari à Melchisedech, vt Sacerdote Dei altissimi, proinde oblatum antea fuisse Deo, & eo modo sanctificatum. Denique panem & vinum Sacerdotis Melchisedech typum esse Eucharistiæ: ex quo sequitur, sacerdotium Christi ideò vocari secundum ordinem Melchisedech, quia in specie panis & vini consistit.

S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium, postquam illa verba Psalmi citauerat: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Ita subiungit: *Qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem?* Hîc perspicuè vides, Melchisedech obtulisse Deo panem & vinum in sacrificium, & propter huius sacrificij imitationem, sacerdotium Christi, & Christianorum, vocari secundum ordinem Melchisedech. Idem Cyprianus, vel quicunq; fuit auctor, in serm. de Cœna Domini, non procul ab initio. *Significata*, inquit, *olim à tempore Melchisedech prodeunt Sacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, summus Sacerdos panem profert & vinum, Hoc est, inquit, corpus meum.* Et infrà idem auctor æternitatem sacerdotij Christi ponit in eo, quòd iugiter sacrificium Eucharistiæ offertur: *Perpes*, inquit, *est hoc sacrificium, & semper permanẽs holocaustum.* Et superiùs dixerat interituram esse religionem, si corpus Domini in Eucharistia manducando consumeretur, quia nulla superesset victima, sine qua religio esse non potest.

Eusebius Cæsariensis in 5. lib. Demonstrat. Euangel. cap. 3. *Et sanè*, inquit, *oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur: quemadmodũ Saluator noster Iesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu, ea quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui Sacerdos gentium erat, nusquã videtur sacrificijs corporalibus functus, vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit: ita sanè primus ipse Saluator, ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt Sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeuntes, vino ac pane corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria repræsentant, quæ sanè mysteria Melchisedech tantò antè Spiritu diuino cognouerat,*

& rerum futurarum imaginibus vsus fuerat. Et hic vides Melchisedech in sacrificio, solo pane & vino vsum: & tũ Christum, tum eius Ministros toto orbe terrarum in specie panis & vini sacrificium offerre, & hoc modo perpetuali, (vt sic loquar) sacerdotium Christi, secundum ordinem Melchisedech.

S. AMBROSIVS lib. 5. de Sacramentis, c. 1. *Cognouimus*, inquit, *Sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium S. Melchisedech.* Et infrà: *Diximus quòd in altari constituatur calix & panis, in calice mittitur vinum: & quid aliud? aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? quid sibi vult admistio aquæ?* Vide similia lib. 4. de Sacramentis, c. 3. & 6. & de initiandis mysteriis, c. 8. Idem, seu quicunque fuit auctor, in c. 5. ad Hebræos, exponens illud: *Tu es Sacerdos in æternum, &c.* Constat, inquit, *pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron: sed manere Melchisedech institutum, quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur.*

A

SEPIPHANIVS hæresi 55. quæ est Melchisedechianorum, docet sacerdotium Aaronicum translatum esse per Christum ad sacerdotium Melchisedech: *Quod sanè*, inquit, *nunc viget in Ecclesia à Christo, & hucusque, dum nõ amplius semen secundum successionem eligitur, sed forma iuxta virtutem quæritur.*

S. HIERONYMVS in epistola ad Marcellam, vt migret Bethleem: *Recurre*, inquit, *ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem huius principem inuenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris sanguine & corpore dedicauit.* Et in epistola ad Euangelium de Melchisedech, scribit ex sententia antiquissimorum Patrum, Irenæi, Hippolyti, Eusebij tum Cæsarienſis, tum Emisseni, Apollinarij, & Eusthatij, ordinem Melchisedech in eo consistere, quòd ipse non immolauerit cruentas victimas, sed panem, & vino simplici, puróque sacrificio Christi dedicauerit Sacramentum. Idem in quæstionibus in Genesim, explicans c. 14. *Mysterium*, inquit, *nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane, & vino, id est corpore, & sanguine Domini Iesu.* Idem in commentario Matth. 22. in fine dicit, Melchisedechum pro Abrahamo obtulisse panem, & vinum: & c. 26. dicit Melchisedechum sacerdotẽ Dei summi, panem & vinum offerendo præfiguraſſe mysterium Eucharistiæ.

B

S. IOANNES Chrysostomus homil. 35. in Genes. *Videns typum*, inquit, *cogita, oro, & veritatem.* Et homil. 36. *postquam*, inquit, *& Melchisedech Rex Salem panem, & vinum attulit (erat enim Sacerdos Dei altissimi) ab illo Abraham accepit oblata.*

S. AVGVST. epist. 95. ad Innocentium Papam, quam scribit nomine suo, & aliorũ multorũ Episcoporum: *Melchisedech*, inquit, *prolato Sacramento mensæ Dominicæ, nouit æternum eius sacerdotium figurare.* Hîc apertissimis, & pauci sensis verbis Augustinus docet, oblationem Melchisedech figuram fuisse Eucharistiæ, & in Eucharistia offerenda consistere æternitatem sacerdotij Christi. Et lib. 16. de ciuit. Dei, c. 22. loquens de oblatione Melchisedech: *Ibi*, inquit, *primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo, toto orbe terrarum, &c.* Et lib. 17. c. 17. & lib. 18. c. 35. & in Psalm. 109. clarissimè dicit, sacerdotium Christi perpetuum secundum ordinem Melchisedech esse, id quod nunc in Ecclesia viget in oblatione, quæ ad altare fit. Quod idem fusiùs persequitur in lib. 1. contra aduers. leg. & prophet. cap. 20. vbi inter alia sic loquitur: *Ibi quippe, & hoc dictum est: Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius: vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe*

C

terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum est increpatio: & quod Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit, mutauit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron. Denique sermone 11. de sanctis, qui est quartus de Innocentibus, tractans de reliquiis Martyrum, quæ sub altaribus requiescunt: *Quid reverentius*, inquit, *quid honorabilius dici potest, quàm sub illa arca requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est sacerdos, sicut scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech?*

THEODORETVS in commentario Psalm. 109. *Inuenimus*, inquit, *Melchisedech sacerdotem, & Regem esse, & afferentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem & vinum.* Et infrà: *Sacerdos nunc est Christus, non ipse aliquid offerens, sed vocatur caput eorum, qui offerunt, quandoquidem corpus suum Ecclesiam vocat.* Et suprà iam dixerat, Christum exorsum esse sacerdotium secundum ordinem Melchisedech in cœna nouissima, quando panem & vinum consecrauit. Vide eundem quæst. 63. in Genesim.

D

S. LEO I. sermone 2. de anniuersario assumptionis suę ad Pontificatum: *Tu es*, inquit, *sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedech, hoc est, non secũdum ordinem Aaron cuius sacerdotium per propaginem sui seminis currens temporalis ministerij fuit, & cum veteris Testamenti lege cessauit: sed secundum ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Denique cùm huius diuini sacerdotij Sacramentum etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro, & sanguis creauit, eligitur, sed cessante priuilegio Patrum, & familiarũ ordine prætermisso eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparauit.*

EVSEBIVS Emissenus, seu quicunque fuit auctor, serm. de Paschate: *Melchisedech*, inquit, *oblatione panis, & vini hoc (nimirum quod in Eucharistia celebratur) Christi sacrificium figurauit.* Et antea dixerat, perpetuam esse futuram in Ecclesia hanc oblationem.

ARNOBIVS in Psal. 109. *Christus*, inquit, *per mysterium panis & vini factus est sacerdos in æternum.*

EVCHERIVS lib. 2. c. 18. in Gen. *Melchisedech*, inquit, *sacerdos Dei summi, panem & vinum in sacrificium offerẽs.* Et infrà: *Sine aliqua sacerdotali genealogia, Christus homo extitit hominibus, vtpotè non ex tribu Leui, sed ex tribu Iuda, ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit: vtique propter mysterium Sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, vt non secundum Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis & vini, id est, corporis & sanguinis eius Sacramentum in sacrificium offeramus.*

PRIMASIVS in cõmentario c. 5. epistolæ ad Hebræos: *Quare secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron, dicatur existere sacerdos, diuersa caussæ existunt: & prima quidem est, quia Melchisedech secundum legalia mandata non fuit sacerdos, sed secundum cuiusdam singularis sacerdotij dignitatem, panem offerens Deo, non brutorum animalium sanguinẽ: in cuius ordine sacerdotij Christus factus est sacerdos, non temporalis, sed æternus: nec offerens victimas legales, sed instar illius panem & vinum, carnem videlicet & sanguinem suum.* Et infrà: *Vnde patet sacrificium pecudum periisse, quod fuit ordinis Aaron: & illud manere potiùs, quod fuit ordinis Melchisedech, quia Christus corroborauit, & Ecclesiam tenere docuit.*

CASSIODORVS in Psal. 109. *Quem ordinem*, inquit, *Melchisedech per mysticam similitudinem institissimus Rex instituit, quando Domino panis, & vini fructus obulit. Cõstat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt ordinis Aarõ: & Melchisedech manere potiùs institutum, quod toto orbe in Sacramentorum erogatione celebratur.*

REMIGIVS Antisiodorensis, & Euthymius Zigabenus in eundem Psal. 109. non dissimilia scribunt.

IOANNES Damascenus lib. 4. de fide, cap. 14. *Mensa*

illa(Melchisedech)mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum & sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram, & imaginem præseferebat.

OECVMENIVS in comment. ca.5. epistolæ ad Hebræos: *Melchisedech*, inquit, *fuit primus, qui hostiam sine sanguine, panem, inquam, & vinum obtulit.* Et infrà: *Non ad ipsum* inquit, *tantùm, quæ à Deo semel facta est, hostiam & oblationem dixit, in æternum: sed ad nostri temporis sacerdotes inspiciens, per quos Christus, & sacrificat, & sacrificatur, quique eis in mystico illo conuiuio, ac cœna sacerdotij huius tradidit formulam.*

THEOPHYLACTVS in c.5. ad Hebræos, explicans illud: *Tu es sacerdos in æternum, &c. Apertissimè*, inquit, *de Christo dictum id esse constat. Hic enim & solus Melchisedech, in morem illius pane & vino sacrificabat.* Et infrà: *In æternum dixit, quia quotidie offertur, in perpetuum offertur per Dei ministros oblatio, Christum Dominum, & Pontificem habens, & sacrificium, qui seipsum nostri ob gratiam sanctificat, frangit, & tribuit.*

ANSELMVS in c.5. ad Hebræos: *Tu es sacerdos*, inquit, *id est, sacra dans per te, & per tuos: in æternum, id est, quamdiu durabit hoc sæculum, quia non transibit sacerdotium Christi, vt aliud succedat, sicut transiuit Leuiticum.*

AD hæc testimonia, quæ mirum est si non sufficiant ad nouorum istorum hominum audaciam comprimendam, accedant etiam testimonia veterũ Hebræorum, quæ recitantur in Bereschit Rabba. Nã inter alia habẽtur hæc verba R. Samuel in c.14. Genes. *Actus sacerdotij tradidit: erat enim ipse sacrificans panem, & vinum Deo sancto, & benedicto.* Ibidem R. Phinees in c.28. Num. *Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini nõ cessabit. sic dictum est Genes.14. & Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Melchisedech enim, id est, Rex Messias excipiet à cessatione sacrificiorum sacrificium panis & vini, sicut dicitur Psalm.110. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

SVPEREST, vt videamus quid aduersarij cõtra nostrum argumentum, & pro sua solutione obiiciant. Primò igitur Caluinus lib.4. Institutionum, c.18.§.2. obiicit sic: *Perperam trahunt ad panem, & vinum illa verba: Et erat sacerdos Dei altissimi, quæ Paulus ad benedictionem refert. Nam Heb.7. colligit eius præstantiam, quia minor benedicitur à maiore.*

RESPONDEO, Falsum est illa verba: *Et erat sacerdos Dei altissimi*, à Paulo ad benedictionem referri: illa enim verba Paulus ne citat quidem, sed solùm breuiter, & verbis suis scribit, Melchisedech Regem Salem sacerdotem Dei summi occurrisse Abrahæ reuertẽti à cæde Regum, eíque benedixisse; quæ verissima sunt, sed non inde sequitur, illa verba: *Et erat sacerdos Dei altissimi*, in textu Mosis coniungenda esse cum sequentibus: *Et benedixit*, & non potiùs cum præcedentibus: *Protulit panem, & vinum.* Quod autem Apostolus subiicit, minorem à maiore benedici, non probat Melchisedech sacerdotem Dei fuisse, sed sacerdotem Abrahamo maiorem, vt nos suprà deduximus.

SECVNDÒ Caluinus ibidem obiicit hoc modo: *Quod si oblatio Melchisedech sacrificij Missalis figura esset, an Apostolus, obsecro, qui minima quæque excutit, rem adeò seriam, & grauem fuisset oblitus?*

RESPONDEO, Caussa cur Apostolus non meminerit sacrificij panis & vini, primaria notissima est: quia videlicet id ad propositum eius non faciebat. Volebat enim Apostolus ex Melchisedech ostendere Christi excellentiam supra Leuiticos sacerdotes: Hebræi enim ad quos ipse scribit, valde se offerebant ad sacerdotium Aaronicum. Itaque beatus Paulus adducit in medium, quod Melchisedech, secundum cuius ordinem Christus Pontifex erat, benedixerit Abrahæ, & in eo Aaroni, & proinde maior fuerit Aarone. Item quòd decimas acceperit ab Abrahamo, & in eo ab Aarone, qui tunc in lumbis Abrahæ erat, & per hoc maior fuerit Aarone: summus enim Pontifex ab inferioribus sacerdotibus decimas accipit. Denique quod Melchisedech fuerit quodammodo æternus, cùm nec ortus, nec interitus eius in Scripturis describatur: quæ omnia ad excellentiam Christi pertinent, & ideò commemoranda fuerunt. Quod autem obtulerit panem & vinum, non perspicuè ad excellentiam facit, neque Melchisedech, neque ipsius Christi, & idcirco non mirum, si fuerit omissum.

ACCEDIT præterea quòd Apostolus dedita opera omisit oblationem panis & vini, ne cogeretur explicare mysterium Eucharistiæ, quod alius erat, quàm vt ab illis capi tunc posset. Sic enim ipse Paulus dicit, cap.5. *De quo (Melchisedech) grandis nobis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Et sanè cum Apostolus omnia planè exposuerit, quæ de Melchisedech dicuntur in Genesi, excepta oblatione panis & vini, non videtur posse negari, quin per sermonem ininterpretabilem, cui non erant idonei Hebræi, intelligi debeat mysterium Eucharistiæ.

ADDE, quòd veteres Græci, vt Hieronymus refert in epist. ad Euagrium, dicebant Paulum omisisse quoddam Sacramentum Melchisedech, & hoc vocasse sermonem ininterpretabilem, quia scribebat Iudeis infidelibus: constat autem Sacramentum, quòd non poterat infidelibus prodi, vix aliud fuisse quàm Eucharistiæ.

NEQVE his repugnat quod Chrysostomus, & Theophylactus in argumento huius epistolæ volunt, eam scriptam esse Iudæis fidelibus. Nam scripta fuit vtrisque, vel certè ita scripta fuit fidelibus, vt ab illis communicari deberet etiam cum infidelibus: nam idcirco in magna parte epistolæ multùm Apostolus laborat, vt probet Christum esse Filium Dei, & vnicum ob eis terræ doctorem.

KEMNITIVS loco citato pag.750, postquam ex textu Hebræo perperam efficere conatus est, Melchisedech non obtulisse Deo sacrificium panis & vini, quę suprà refutata sunt, addit, etiáſi constaret Melchisedech obtulisse Deo sacrificium prędictum, tamen non posse inde effici, Christum obtulisse simile sacrificium. Id quod probat duplici argumento.

PRIMVM est huiusmodi, quod erit ordine argumentorum tertium: *Ex figuris non sunt fabricanda dogmata, nisi in Scripturis eæ figuræ clarè explicentur. Porrò Dauid explicat quidem Melchisedech fuisse Christi figuram, cùm dicit Psal.110. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, sed non explicat in quo consistat illa similitudo inter Melchisedech, & Christum: Apostolus autem Heb.5. & 7. explicat in quo consistat, & multa dicit, sed non attingit oblationem panis & vini. Non igitur affirmandum est Melchisedech typum Christi gessisse, cùm panem & vinum in sacrificium obtulit Deo.*

RESPONDEO; Ex figuris dogmata fabricari possunt, quando ex Scripturis iuxta communem Patrum consensum intellectis colligitur explicatio. Non enim necesse est, vt semper Scriptura apertissimè loquatur, sed satis est, si ita loquatur, vt communem Patrum interpretationem sequuti, sententiam eius assequamur: alioqui paucissima, ac ferè nulla essent dogmata certa in Ecclesia. Iam verò Scriptura in Psalm.109. vel secundum Hebr.110. testatur Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quod idẽ sæpius repetit Apostolus ad Hebræos: in quo autem consistat iste ordo Melchisedech, Scriptura apertè non explicat. Paulus enim, vt diximus, non tractat quis fuerit ordo Melchisedech, sed solùm ostendit excellentiam Christi supra Aaronem. Sed licet Scriptura non apertè dicat in quo consistat ordo Melchisedech, & figura sacerdotij Christi, tamen ita insinuat & indicat, vt Patres omnes summo consensu in eandem expositionem inciderint, vt suprà ostendimus.

Et præ

ET præterea ratio manifestè docet, eam esse veram expositionem. Nam si Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech; ergo debet in sacerdotio conuenire cum Melchisedech, hoc est in eo, quod est proprium sacerdotij Melchisedech: nihil autem est proprium illius sacerdotij, nisi forma talis sacrificij. Nam quòd Melchisedech benedixerit, & quòd decimas acceperit, non est proprium illius sacerdotij, sed commune etiam cum sacerdotio Leuitico. Quòd Melchisedech non fuerit vnctus oleo sensibili, nec successerit alteri, nec ei alius successerit, non est proprium Melchisedech, sed commune cum Abel, & cum aliis nonnullis. Denique, quòd non scribatur eius genealogia, & inde fit typus æternitatis sacerdotij Christi, præterquam quòd est quid extrinsecum ad sacerdotium, non est proprium Melchisedech, sed commune cum Iob, Helia, & aliis, qui & sacerdotes erant, & non describitur eorum genealogia, vt Epiphanius ostendit hæres. 55. At panem, & vinum offerre est proprium Melchisedech, & ad sacerdotium maximè pertinet, cùm sit proprius eius actus. Nulla igitur dubitatio remanet de explicatione huius figuræ; quanquam apud prudentes Christianos etiam sine hac ratiocinatione sufficere debuisset tot Patrum auctoritas, cùm nullus contrà proferri possit, qui id neget.

QVARTVM argumentum, quod est secundum Kemnitij contra hanc ipsam solutionem pugnat. Sic igitur ille loquitur: *Typus sacerdotij Melchisedech consistit in his, quæ non communia habet cum sacerdotio Aaronico, sed in quibus discernuntur Melchisedech, & Aaron. Sed sacrificium panis, & vini quotidianum fuit in sacerdotio Aaronico, Exod.29. Num.28.*

RESPONDEO primùm, In sacerdotio Aaronico erat quidem sacrificium panis & vini, sed vt pars quædam, & quasi condimentum alterius sacrificij; non autem vt sacrificium principale: nam in iisdem locis Scripturæ iubẽtur offerri agni, aut vituli, & simul cum eis simila, & libamentum. At Melchisedech, panem & vinum per se in sacrificium obtulit. Deinde panes, qui offerebantur in sacrificio Aaronico cum animalibus, vt diximus, semper conspergebantur oleo, & vt plurimùm inde fiebant lagana. At sacrificium Melchisedech erat simplex panis. Denique posset etiam dici, differentiam inter sacerdotia illa hanc fuisse, quòd Aaron offerebat sacrificia omnium generum, id est, tam cruenta, quàm incruenta. At Melchisedech vtebatur solo incruento, puro, ac simplici sacrificio, vt ex Hieronymo, Eusebio, & omnibus Patribus suprà citatis docuimus.

SED contra hanc solutionem est quintum argumentum. Nam si Melchisedech sacerdotium hoc differt ab Aaronico, quòd in illo nihil cruenti sacrificabatur: sequitur Christũ non posse dici sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, siquidem præcipuum Christi sacrificium cruentum fuit, nimirum sacrificium crucis.

RESPONDEO, Sacrificium crucis, si per se consideretur, non est secundum ordinem Aaron, nec secundum ordinem Melchisedech. Quod non sit secundum ordinem Aaron, certissimum fidelibus esse debet: nam Christus non erat sacerdos secundum ordinem Aaron, vt Apostolus apertè docet ad Hebræos, 7. & patet etiam manifestissimè, quia non erat de tribu Leui, sed de tribu Iuda. Quomodo ergo sacerdos non secundum ordinem Aaron, sacrificiũ Aaronicum obtulisset? Deinde sacrificium crucis est sacrificium omnium perfectissimum, & ipso etiam sacrificio Missæ præstantius, quatenus distinguuntur. At quis ferat, vt dicatur sacrificium Aaronicum præstantius omnibus sacrificiis, & ipsa etiam Missa, quæ est secundum ordinem Melchisedech? Præterea Apostolus ad Hebræos, 7. disertis verbis docet, sacrificium Aaronicum imperfectum fuisse, nec potuisse consummare sanctificatos. At crucis sacrificium perfectissimum fuit, & consummauit in perpetuum sanctificatos, vt ibidem dicitur: nõ igitur sacrificium crucis ad ordinem Aaronis pertinere potest. Denique sacrificium Aaronicum duas conditiones necessariò requirit: alteram vt sit cruentum, alteram vt sit typicum, seu repræsentatiuum. Sacrificium autem crucis, etsi cruentum fuit, tamen non fuit typicum: nec enim opus fuit typis, vbi ipsa veritas aderat.

EX qua ratione colligitur etiam non fuisse sacrificium crucis, si per se consideretur, secundum ordinem Melchisedech. Nam sacrificium Melchisedechi fuit typicum, sed incruentum: vnde cõueniebat cum Aaronico, in eo, quod vtrumque erat typicum; immò eiusdem rei typus, seu figura, id est, passionis Christi, sed differebant in specie typorũ, quòd typus Aaronicus erat cruentus, vt in forma animalium, Melchisedechi autẽ erat incruentus, & in forma panis. Ex quo sequitur, ratione sacrificij crucis, Christum non esse sacerdotem, nec secundum ordinem Melchisech, nec secundum ordinem Aaron, quia non obtulit se in cruce sub forma panis, nec sub forma agni, aut vituli, sed sub ipsa sua humana forma. Ex quo rursum sequitur, Christum non posse dici sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, vt tamen in Scripturis passim dicitur, nisi sacrificium instituerit, vel obtulerit sub forma panis: quemadmodum non potest dici sacerdos secundum ordinem Aaron, quia non instituit sacrificium suiipsius sub forma vituli, aut agni, aut alicuius typi cruenti secundum ritum Aaronicum. Nam agnum Paschalem, vt dicemus, non obtulit secundum ritum Aaronicum, neque ipse instituit, sed potiùs abrogauit.

DICES, Si Christus obtulit sacrificium cruentum, etiamsi non obtulerit illud iuxta ordinem Melchisedech, tamen ipsum obtulisse tale sacrificium impedit, quòd minus possit Christus appellari sacerdos secũdum ordinem Melchisedech, cùm proprium sit huius ordinis non habere sacrificium vllum cruentum.

RESPONDEO, Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non quomodocunque sed in æternum, id est, respectu eius sacrificij, quod in æternum duraturum, id est, perpetuò frequentandum erat, abrogatis sacrificiis legalibus; & quod erat futurum propriũ sacrificium Christianæ religionis. Et quia Christus non instituit, neque obtulit sacrificium perpetuò celebrandum, & proprium religionis suæ, nisi incruentum, ideò verè ac propriè est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Vbi tamen illud est obseruandum, quòd licet Christus non fuerit sacerdos secundũ ordinem Melchisedech ratione sacrificij crucis, sed solùm ratione sacrificij Eucharistiæ: tamen sacrificium crucis dici potest secundum ordinem Melchisedech, ratione ipsius sacerdotis Christi, à quo offerebatur: ipse enim absolutè sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech. Quare Apostolus ad Hebræos 5. etiam in ipsa cruce Christum sacerdotem vocat secundum ordinem Melchisedech.

SEXTVM argumentum sumit Matthias Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis, c.15. à dissimilitudine sacrificij Melchisedech, & nostræ Missæ. Melchisedech enim, si quid obtulit, panem & vinum obtulit. At in Eucharistia non manet panis & vinum, sed sola accidentia, vt Catholici ipsi docent.

RESPONDEO, Sacrificium Missæ est verè secundum ordinem Melchisedech, tum quia est incruentum; id enim erat proprium sacrificij Melchisedech, tum etiam quia Missa Christum repræsentat in specie panis & vini, vt etiam illum repræsentabat sacrificium Melchisedech, atque ita in symbolo exteriore planè conueniunt. Quòd autem substantia interior sit diuersa, non refert, quia, vt ostendimus suprà, significatio seu repræsentatio in accidentibus, non in substantia est. Addo, quòd

necessariò substantia sacrificij Missæ, debuit esse diuersa à sacrificio Melchisedech, cùm illud præstantius, ac diuinius esse debuerit, in quo ipsa veritas cum symbolo, quàm illud, in quo solum symbolum continetur.

SEPTIMVM argumentum sumunt ex Patribus. Nam Petrus Martyr in c. 5. 1. ad Cor. probat Melchisedech nõ obtulisse Deo panem, & vinum, quia R. Salomon in ca. 14. Genes. & Ambrosius in libris de Sacramentis, & Augustinus in quæstionibus veteris ac noui Testamenti, dicunt à Melchisedecho panem & vinum datum esse Abrahamo. In eandem sententiam citat Kemnitius loco citato Iosephum, & Chrysostomum.

SED hæc loca nihil omnino efficiunt. Nam inprimis R. Salomon non modò Hebræus est, & nullo modo cõferendus cum tot sanctis Patribus, quos citauimus, sed etiam apertissimus hostis Christianæ religionis. Præterea ipse ibidem indicat, vt etiam Petrus Martyr fatetur, oblationem illam Melchisedech significasse futurum aliquando, vt in Hierusalem offerretur sacrificium panis, & vini. At quomodo sacrificium futurum significare poterat oblatio illa, si erat tantùm profanum conuiuiũ, & nõ potiùs conuiuiũ sacrum, ex participatione nimirum rei Deo priùs oblatæ? Itaque R. Salomon, licet dicat panem, & vinum prolatum à Melchisedech in refectionem Abrahæ & sociorum fuisse, non tamen negat, immò subindicat priùs Deo fuisse oblatum. Quod apertissimè docent Rabini antiquiores, vt iam ostendimus.

SANCTVS Ambrosius est noster, vt suprà demõstratum est, & ideò fortasse Petrus Martyr, vt est in huiusmodi rebus cautus, certũ librũ & caput noluit annotare.

LOCVS ex Augustino citatus, neque Augustini est, neque pro aduersariis facit, sed pro nobis. Auctor enim illarum quæstionum multos habet errores, qui ab Augustino refelluntur, & inprimis in illa ipsa quæst. 109. quã pro se Martyr adducit, contẽdit ille auctor Melchisedechũ esse Spiritum sanctũ, quem errorem ex professo refellit Hieronymus in epi. ad Euagrium de Melchisedech. Quòd autem ille auctor, quicunque fuerit, de oblatione Melchisedech scribit, pro nobis facit contra aduersarios: dicit enim Melchisedechũ obtulisse Abrahamo Eucharistiam corporis & sanguinis Domini. Ex quo intelligimus, illi auctori non fuisse commune, & profanum conuiuium, quod exhibuit Melchisedech Abrahæ, sed sacrũ typum Eucharistiæ, quod nunc aduersarij pertinaciter negant.

PORRÒ Iosephus quem citat Kemnitius, scribit panem illum datum Abrahæ, quod non negamus, sed non negat priùs Deo fuisse oblatum, quod nos affirmamus.

DENIQVE Chrysostomus noster est, vt suprà est demonstratum.

OCTAVVM argumẽtum oppugnat alteram partem nostræ rationis, ductam ab æternitate sacerdotij secundũ ordinem Melchisedech. Est autem argumentum tale: Vt Christus sit sacerdos in æternum, non necesse habet quotidie per Ministros offerre; non igitur ratio illa concludit. Antecedens probat Kemnitius in 2. p. Examinis, pag. 742. vbi demonstrat ex Apostolo Heb. 7. & 9. negatiuè, & affirmatiuè, vt ipse loquitur, quemadmodum sit Christus, aut non sit sacerdos in æternum. Ac primùm dicit non esse sacerdotem in æternum, quia sæpius offerat seipsum; id enim expressè Paulus non semel repetit. Deinde addit ob quinque caussas dici Christum sacerdotem in æternum. Prima est, quia viuat in æternũ. Secũda, quia virtus vnicæ oblationis eius in sempiternum duret, & efficax sit. Tertia, quia semper in cœlo intercedat pro nobis. Quarta, quia per ipsum vt sacerdotem, habeamus accessum ad Patrem. Quinta, quia in perpetuum saluare possit, & saluet qui per ipsum ad Deum accedunt.

RESPONDEO; Quod attinet ad partem huius argumenti negatiuam, cùm Paulus dicit non fuisse opus, vt

A Christus sæpius se offerret; apertissimè loquitur de cruẽta oblatione, quæ sufficientissima, immò infiniti precij, & valoris fuit: cæteræ oblationes repetebantur, & repetuntur, quia finiti sunt valoris. Quod autem ad æternum sacerdotium Christi necesse sit, vt sæpius offerat per se, vel per suos ministros, non quidem cruentè, sed aliquo alio modo, idem Paulus docet Hebr. 8. vt sanctus Thomas in commentario præclarè exponit. Cùm enim Apostolus dixisset, Christum esse Pontificem, & ministrum sancto rum, & tabernaculi, quod fixit Deus, & non homo, id est esse Pontificẽ Ecclesiæ, non Synagogæ, subiungit: *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur, vnde necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat.* Vbi vides Paulum per necessariam consequentiam colligere, debere Christum, si verè est Pontifex, habere aliquid quod offerat, & consequenter debere offerre, quia omnis Pontifex constituitur ad offerendum. Quare secundum Pauli sententiam, Christus non est Pontifex in æternum, nisi assiduè aliquid offerat, nec satis est, quòd semel cruentè obtulerit seipsum. Subiungit postea idem Apostolus, declarans victimam, quam nunc assiduè Christus offert, nõ esse aliquid terrenum, vt oues, & boues, sed aliquid cœleste, nimirum sacratissimam Eucharistiam: *Si ergo*, inquit, *esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium.* Quorum verborum hæc est sententia: Si hostia immolanda esset super terram, id est, si esset aliquid terrenum, & mortale, vt oues, & boues, &c. Christus non esset sacerdos, quia non esset vlla necessitas noui sacerdotij, cùm satis multi sine ipso secundum legem eiusmodi munera terrena assiduè offerant. Deinde pergit Paulus, ac ostendit, Christum esse Pontificem melioris Testamenti, quàm antiquum fuerit, ex quo sequitur offerri nunc meliores hostias, quàm antiquæ illæ fuerint.

B

C ATQVE hinc etiam perspici poterit, quinque illas causssas, quas attulit Kemnitius, non sufficienter ostendere, cur Christus dicatur sacerdos in æternum. Prima illa, quia viuit in æternum; non est sufficiens. Nam requritur quidem vita æterna, in eo, qui debet sacerdotium æternum habere, sed non sufficit: alioqui omnes Leuitici sacerdotes post resurrectionem dicerentur sacerdotes in æternum, quia habuerunt sacerdotium, & viuent in æternum. Requiritur igitur, vt viuens fungatur sacerdotio in æternum. Quemadmodum non potest aliquis rectè dici fuisse Rex per 30. annos, si nec regnauerit, nec regnare potuerit, nisi per vnum diem. Id quod maximè locum habet in sententia aduersariorum, qui existimant sacerdotium seu ministerium Ecclesiasticum, esse merum officium. Denique id apertissimè beatus Paulus requirit, vt ostendimus, cùm ait, oportere Christum, si est Pontifex, habere aliquid quod offerat. Paulus autem Heb. 7. vbi ponit istam causssam Kemnitij, cùm ait: *Christus autem, eò quòd maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium*: non probat ideò solum Christum esse æternum sacerdotem, quia manet in æternum; sed probat ex eo, quòd manet in æternum, posse illum perpetuò fungi sacerdotio, nec esse opus, vt quis illi succedat, sicut in sacerdotio Leuitico opus erat continua successione, quia nullus eorum poterat perpetuò ministrare, cùm morte prohiberentur permanere.

D

SECVNDA causssa, quòd virtus oblationis crucis perpetua sit, non etiam est sufficiens. Illa enim ostendit, effectum sacrificij crucis esse perpetuum, & proinde impropriè ipsum etiam sacrificium posse dici perpetuum. Propriè tamen non dicitur sacrificium æternum, quod semel factum est, nec dicitur æternum sacerdotium, cùm non iugiter sacrificatur: alioqui sacerdotium, & sacrificium Noë, æterna dici possent, quia (vt colligitur ex cap. 8. Genes.) effectus sacrificij oblati à Noë post diluuium

semper

semper manet, & manebit: impetrauit enim, ne iterum diluuium aquæ rediret super terram. Pari ratione Christi natiuitas ex matre, passio & mors, dici possent æterna, & Christus dici posset semper nasci, pati, & mori, quia effectus horum omnium semper manet.

TERTIA ratio, quòd Christus in cœlo semper intercedat pro nobis, aut non probat illum esse sacerdotem, aut probat illum nunc per ministros offerre. Nam si volunt aduersarij Christum intercedere per solam orationem, nõ habent inde illum esse propriè sacerdotem: nam quilibet homo, quantumuis laicus, potest pro alio per orationem intercedere. Si verò contendant illum intercedere, vt sacerdotem, id est, mediante oblatione victimæ, tum necesse est Christum semper offerre; & proinde Eucharistiam esse sacrificium, quod à Christo per ministerium humanum Deo iugiter offeratur.

DICENT, Christum offerre seipsum in cœlo, dum passionem suam assiduè Patri repræsentat, & per eam nos reconciliat. Hoc enim videtur sentire Caluinus lib. 4. Institutionum, c. 18. §. 2. vbi dicit, non esse ampliùs in terris vllum sacerdotium, cùm sit translatum in cœlum, Christo ibi in æternum sacerdote existente.

RESPONDEO; Aut volunt oblationem, quæ fit in cœlo, esse verũ ac propriè dictum sacrificium, aut solùm impropriè, & figuratè. Si primum, plurima sequẽtur contra aduersarios, & aliqua eorum etiam contra veritatem. Primò, religionem ac legem Christianam non esse ampliùs in terris, sed translatam esse in cœlum: nam translato sacerdotio, necesse est vt etiam legis trãslatio fiat, Heb. 7. Secundò, in cœlo non esse nudam veritatem, sed vmbras etiam, & figuras, ac cæremonias: nam omnia sacrificia propriè dicta, debent esse repræsentatiua sacrificij crucis, & cæremoniæ quædam religionis. Tertiò, oportebit aduersarios cõcedere, repeti sæpius oblationem Christi, quod illi nullo modo concedere volunt. Si secũdum, tum necesse erit confiteri Christi verum sacrificium in terris offerri, quod nos contendimus, aut certè Christum non esse verè, ac propriè sacerdotem, quod est absurdissimum, & contra manifestas Scripturas. Id autem sequi, perspicuum est, quia nõ potest esse verè, ac propriè sacerdos, qui sacrificium verũ ac proprium offerre non potest.

A

B

QVARTA Kemnitij ratio similis est superiori: perinde enim est Christum sacerdotem pro nobis intercedere, quæ erat tertia ratio, & nos per sacerdotem Christum aditum habere ad Patrem, quæ erat quarta.

QVINTA ratio, quòd saluare in perpetuum possit, probat eum Saluatorem esse, non autem sacerdotem. Neque hæc ratio dissimilis est secundæ ac tertiæ, proinde eodem modo refellitur. Quare non probauit Kemnitius Christum dici posse æternum Sacerdotem sine oblatione victimæ per Ecclesiæ Ministros.

CAPVT VII.

Probatur sacrificium Missæ ex figura Agni Paschalis.

ALTERVM testimonium pro sacrificio Missæ sumitur ex lib. Exod. c. 12. & similibus locis, vbi agitur de Agno Paschali. Est autem hoc argumẽtum: Celebratio Agni Paschalis figura erat expressa celebrationis Eucharistiæ. Sed illa immolatio quædam erat victimæ Deo oblatæ; ergo celebratio Eucharistiæ immolatio victimæ Deo oblatæ esse debet, vt figura figurato respondeat. Quia verò aliqui, vt Kemnitius, negant propositionem, aliqui assumptionem: vtraque probanda erit, ac deinde argumenta Kemnitij diluenda, quibus hanc rationem infirmare conatur.

C

QVOD igitur celebratio Agni Paschalis fuerit figura celebrationis Eucharistiæ probatur, Primò ex Scripturis, 1. Cor. 5. *Etenim Pascha nostrũ immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Ex hoc loco certò constituere possumus, Agnum Paschalem, quẽ & Pascha dicitur in Euangelio, figuram immolationis Christi fuisse: quando autem fuerit impleta, non ita certò ex hoc solo loco constitui potest.

DICENT enim aduersarij, Apostolum loqui de immolatione in cruce facta, & de manducatione spirituali, quæ fit per fidem. Sed nos ex Euangelio probabimus figuram illam propriè impletam fuisse in institutione & celebratione Eucharistiæ. Nam in primis ex Euangelio cõstat, Apostolos ante Christi passionem manducasse carnẽ Christi ic nouissima cœna, & proinde manducasse verum Agnum Paschalem, ad cuius epulas nos hortatur Apostolus, cùm ait: *Itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Sed epulum sequitur immolationem: priùs enim agnus immolatur, postea comeditur; non è cõtrario, priùs comeditur, & postea immolatur. Debuit ergo præcedere immolatio Christi illam manducationem cœnæ; quam fecerunt Apostoli ante passionem Domini; non ergo sola passio est immolatio, de qua loquitur Paulus, sed etiam consecratio, & oblatio Eucharistiæ est immolatio per Agni Paschalis immolationem figurata.

PRÆTEREA, vt ex eodem Euangelio constat, Dominus post cæremoniam Agni Paschalis continuò subiunxit celebrationem Eucharistiæ; neque distulit in aliud tempus, aut locum, vt apertè ostenderet se noua ista cæremonia finem imponere cæremoniæ veteri.

DEINDE, si consideremus circunstantias vtriusque celebrationis, videbimus nullam figuram à Christo manifestiùs impletam, quàm istam. Agnus Paschalis 14. die primi mensis ad vesperam immolari debuit Exodi 12. & fuit hæc circunstantia summè necessaria, vt ex multis locis Scripturæ probari posset: Eucharistiam Christus instituit hoc ipso tempore, vt notum est. Secundò, agnus immolabatur in memoriam transitus Domini, & liberationis populi de Ægypto: & Eucharistia celebratur in memoriã transitus Domini per passionem ex hoc mũdo ad Patrẽ, & nostræ liberationis de potestate Satanæ, quæ per ipsam Christi mortem facta est. Tertiò, agnus immolabatur, vt mãducaretur, & esset quasi viaticũ peregrinorum; nam ideò manducabatur à Iudeis, habitum peregrinorum præ se ferentibus cum baculis, & calceis, &c. Et Eucharistia quid est aliud, nisi refectio, & viaticum peregrinantium ad veram ac cœlestẽ patriam? Quartò, agnus non poterat manducari, nisi à circuncisis, & mundis, & in Hierusalem, ita Eucharistia non potest sumi, nisi à baptizatis, & mundis, & intra Ecclesiam Catholicã existẽtibus.

D

AD hæc, si non impleuit Christus eam figuram in institutione Eucharistiæ, dicant aduersarij, quãdo eam impleuerit: nam cùm, teste Paulo, figura fuerit, debuit necessariò impleri.

DICENT fortasse impletam eam figuram à Christo, vel quando ipse manducauit Agnum Paschalem, vel cerè quando fuit crucifixus: nec enim aliud occurrit, quod verisimiliter dici possit.

AT illud primum, nulla ratione defenditur. Cùm enim Dominus Agnum Paschalem manducauit, legẽ obseruauit, quod semper faciebat dum in terris viueret, non figuram impleuit. Siquidem implere figuram, non est illud ipsum, quod lex præscribit agere, sed aliquid aliud ei substituere excellentius, ad quod significandum figura illa præcesserit, quemadmodum figuram Circuncisionis non impleuit cùm Circuncisionem accepit, sed cùm Baptismum ei substituit. Vnde à Paulo Coloss. 2. Baptismus vocatur Circuncisio Christi non manu facta.

ILLVD autem Alterum de passione Domini, est quidem aliquid, sed non eiusmodi, vt sufficiat. Nam immolatio Agni Paschalis potest quidem dici figura passionis Christi. Nam si agnus ille figura est Eucharistiæ, & Eucharistia est repræsentatio passionis, quis neget etiam agnum illum, fuisse figuram & repræsentationẽ passionis?

Quare Ioan.19. videmus Euangelistam reddere causſam cur nō fuerunt Christi crura in passione confracta, quia ſcriptum eſt de Agno Paſchali: *Os non comminuetis ex eo*, tamen magis immediatè, & principaliter cæremonia Agni Paſchalis figura fuit Euchariſtiæ, quàm passionis, vt patet ex circunſtantiis paulò antè explicatis. Passio enim non incidit in diem 14. nec in veſperam, ſed in meridiem diei 15. Neque fuit Chriſtus crucifixus in memoriam trāſitus alicuius, aut liberationis. Neque crucifigebatur vt manducaretur, nec fuit vllus tunc, qui eum ſic immolatum manducauerit. Neque in domo, aut Hieruſalem, ſed extra portam in aperto campo immolatus fuit. Denique non ſolùm baptizati & mundi, ſed etiam alij poſſunt ac debent Chriſtum, vt in cruce immolatum, fide manducare: fides enim præcedit, & Baptiſmum, & iuſtificationem.

PROBATVR nunc ex Patrum communi conſenſu, Agnum Paſchalem Euchariſtiæ figuram fuiſſe. Tertullianus lib. 4. in Marcionem non procul à fine, exponit de Euchariſtia illud Luc. 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum. Profeſſus*, inquit, *ſe concupiſcentia concupiuiſſe edere Paſcha vt ſuum (indignum enim, vt quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem, corpus ſuum fecit, &c.* Et paulò antè dixerat, Chriſtum non concupiuiſſe veruecinam Iudæorum, cùm ait ſe deſideraſſe edere Paſcha. Quare Tertullianus per Paſcha intelligit Euchariſtiam, non Agnum Paſchalem: non autem per Paſcha Euchariſtiam intelligeret, niſi Euchariſtiam eſſe crederet per Agnum illum Paſchalem figuratam.

CYPRIANVS lib. de vnit. Eccleſ. probat non poſſe extra Eccleſiam manducari vtiliter Euchariſtiā, quia ſcriptum eſt de Agno Paſchali: *In domo vna comedetur.* Et ſerm. de cœna Domini: *Cœna*, inquit, *diſpoſita inter Sacramentales epulas obuiauerunt ſibi inſtituta antiqua, & noua: & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, incōſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis.*

AMBROSIVS in c.1. Lucæ: *Quando*, inquit, *ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur, etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

GREGOR. Nazianz. orat. 2. de Paſcha, exponens cæremonias Agni Paſchalis, dicit imperaſſe Deum, vt ad veſperam agnus immolaretur, quia Chriſtus ad veſperam Sacramentum corporis ſui diſcipulis tradidit.

GAVDENTIVS tract. 2. in Exodum, totam celebrationem agni de Euchariſtia exponit: *In vmbra*, inquit, *illius legalis Paſchæ, non vnus agnus occidebatur, ſed plures. Singuli enim occidebantur per domos, nam ſufficere vnus non poterat vniuerſis.* Et infrà: *Idem per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis & vini reſcit immolatus, viuificat creditus, conſecrantes ſanctificat conſecratus, hæc agni caro, hic ſanguis eſt.*

HIERON. in c. 26. Matth. *Poſtquam*, inquit, *typicum Paſchæ fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat: aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur Sacramentum.*

IOAN. Chryſoſtomus hom. de proditione Iudæ, tomo 3. *In ipſa menſa*, inquit, *vtrumque Paſcha, & typi, & veritatis celebratum eſt.* Et infrà: *Fuit quidem aliquando Paſcha Iudaicum, ſed exemptum, & euacuatum eſt paſchæ ſpiritalis aduentu. quod Chriſtus tradidit. Nam cùm manducarent, & biberent, accepit panem, & fregit & dixit, Hoc eſt corpus meum, &c.* Et hom. 83. in Matt. de inſtitutione Sacramenti loquens: *Veritatem*, inquit, *figuræ adiūxit.* Et paulò pòſt: *Si figura à ſeruitute liberauit, multò magis veritas orbem terrarum vindicabit.*

AVGVSTINVS lib. 2. contra literas Petil. c. 37. *Aliud*, inquit, *eſt Paſcha quod illi de oue celebrant, aliud quod nos in corpore, & ſanguine Domini accipimus.*

LEO ſer. 7. de paſſione Domini, de Paſcha loquens: *Vt ergo*, inquit, *vmbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines*

A *ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo tollitur Sacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur.* Et infrà de Sacramenti inſtitutione loquens: *Vetus*, inquit, *Teſtamentum conſummabat, & nouum Paſcha condebat. Diſcumbentibus enim ſecum diſcipulis, &c.*

HESYCHIVS lib. 2. in Leuiticum, c. 8. *Prius*, inquit, *figuratam ouem cum Apoſtolis cœnans Dominus, poſtea ſuis obtulit ſacrificium.* Vide etiam lib. 6. ca. 23. Procopius Gazæus in c. 12. Exodi, idem habet.

GREGORIVS hom. 22. in Euangelia, totam cæremoniam Agni Paſchalis exponit accommodatè ad Euchariſtiam: *Quid*, inquit, *ſit ſanguis agni non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis, &c.*

B BEDA in c. 22. Lucæ, & ex illo Anſelmus in c. 26. Matt. *Finitis*, inquit, *veteris Phaſe ſolēnibus, quæ in cōmemoratione antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebantur, tranſit ad nouum, quod in ſuæ redemptionis memoriam Eccleſiam frequentare volebat, vt ſcilicet pro carne agni, ac ſanguine, ſui corporis, ſanguiniſque Sacramentum inſtitueret.*

RVPERTVS lib. 2. in Exodum, ca. 6. *Tandem*, inquit, *quartadecima die ad veſperam, vbi illum veteris Paſchæ Agnum comedit cum diſcipulis ſuis, tunc ipſe noui ſacrificij agnus continuò capiendus, & ducendus ad immolādum, iam in anguſtia paſſionis agonizans, priùs propriis manibus Deo patri ſemetipſum immolauit, accipiēs panem, & vinum, & mira atque ineffabili ſanctificationis potentia, transferens hæc in corporis ſui & ſanguinis Sacramentum.*

Ex his igitur propoſitio noſtri argumenti ſatis confirmata videtur. Aſſumptio verò, celebrationem Agni Paſchalis, ſacrificium quoddam fuiſſe, minori adhuc negotio comprobabitur. Nā legimus Exod 12. *Immolate Phaſe.* Et infrà *Victima tranſitus Domini eſt.* Numeri 9. *Ecce*, inquit, *quidam immundi ſuper anima hominis, qui non poterant facere Phaſe, in die illo accedentes ad Moyſem, & Aaron dixerunt, Immundi ſumus ſuper anima hominis, quare fraudamur, vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore ſuo inter filios Iſraël?* Et infrà: *Si quis mundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen fecit Phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia ſacrificium Domino non obtulit tempore ſuo.* Ex his habemus Agnum Paſchalem verè, & propriè ſacrificium fuiſſe, cùm & victima, & ſacrificium in Scripturis abſolutè dicatur; & præterea offerri Domino per immolationem, quod eſt veri ſacrificij proprium, debuerit.

ADDE, quòd eodem modo loquitur Euangeliū, Marc. 14. *Et primo die azymorū, quando Paſcha immolabant.*

DENIQVE, quid clarius verbis Pauli primæ Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus?* neque enim negabunt Chriſti paſſionem verum ſacrificium fuiſſe. Cur autem Paulus ſacrificium Chriſti Paſchæ immolationem appellaret, ſi non fuiſſet verum ſacrificium Agni Paſchalis immolatio? Neque obſtat, quod non offerebatur à ſolis Sacerdotibus, ſed à multis nō Sacerdotibus. Nam hoc ſacrificium fuit inſtitutum, antequam familia Aaron determinaretur ad ſacerdotium, & ideò quantum ad hoc ſacrificium, manſit antiquum priuilegium, vt omnes patres familias ſacerdotio fungerentur. Vide Philonem lib. 1. de vita Moyſis.

SED iam videamus, quid Kemnitius contra hoc noſtrum argumentum obiiciat in 2. parte Examinis, pag. 758. & 759. Primò, obiicit teſtimonium Auguſtini, lib. de vnitate Eccleſiæ, contra literas Petiliani, c. 16. *Nō ea colligant & commemorent, quæ obſcurè, ambiguè, vel figuratè dicta ſunt, quæ quiſque ſicut voluerit, interpretetur ſecundū ſenſum ſuū: talia enim rectè intelligi, exponique non poſſunt, niſi priùs ea, quæ apertiſſimè poſita ſunt, firma fide teneantur. Sed aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec vnde conuincamini, quod de alia re dictum ſit, & vos aliud ad veſtrum ſenſum detorquere conemini.* Et c. 19. *Hæc myſtica ſunt,*

operta

operta ſunt, figurata ſunt, aliquid manifeſtum, quod interprete non egeat flagitamus. Item: *Quod ſi ambiguè poſita & pro nobis, & pro vobis poſſunt interpretari, nihil vtique adiuuant cauſſam veſtram, ſed planè talia malam cauſſam, vel moras faciendo ſuſtentant.*

A

RESPONDEO; Teſtimonia Scripturæ figurata, quia poſſunt variis modis exponi, non faciunt fidem, niſi ex alio loco Scripturæ certò conſtet, quemadmodum ſunt accipienda. Scriptura autem tribus modis ſolet figuram aliquam explicare. Primò, quando immediatè, & in particulari exponit propriis verbis, quod figuratè dictum erat. Hinc ex parabolis Domini de piſcibus bonis & malis in iiſdem rebus; & de ouibus & hœdis in eodem ouili, & aliis ſimilibus, Catholici conuicerunt Donatiſtas negantes, in Eccleſia eſſe bonos & malos: quia Dominus ipſe parabolas explicuit, applicans eas ad Eccleſiam, Matthæi 13. & 25. De qua re vide Auguſtinum in breuiculo collationis tertiæ diei. Secūdò, quando Scriptura immediatè figuram non explicat, tamen approbat Eccleſię explicationem, dum ei apertiſſimis verbis teſtimonium perhibet, quòd ſit columna, & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium, cap. 33. & alibi paſsim tradit hanc formam argumentandi. Tertiò, quando Scriptura docet, in verbis quibuſdam figuram in Chriſto, vel à Chriſto implendam contineri: & deinde manifeſta ratione colligimus, quo tempore, & loco fuerit implera, licet Scriptura id non explicauerit. Nam cùm conſtat aliquam eſſe figuram, ſimul conſtat impleri debuiſſe: proinde ſi poſsimus ratiocinando concludere, aut tali tempore, & loco fuiſſe impletam, aut abſolutè non fuiſſe impletam, firmiſsimè quod volumus demonſtramus.

NOSTRVM igitur argumentum ex figura Agni Paſchalis, & eiuſdem figuræ explicatio, habet teſtimonium à Scriptura ſecūdo, & tertio modo. Nam in primis protulimus conſenſum veterum Patrum Græcorum & Latinorum, qui eſt conſenſus eius Eccleſiæ, quam & nos, & aduerſarij veram Eccleſiā eſſe, & proinde iuxta Apoſtolū columnam, & firmamentum veritatis eſſe non dubitamus. Deinde, Scriptura teſtatur illā eſſe figuram in Chriſto implendam, vt ex eodem Paulo oſtendimus, 1. Cor. 5. Et nos ex manifeſtis circunſtantiis euidenti ratione concluſimus, aut nunquam, aut in nouiſsima cœna in inſtitutione Sacramenti fuiſſe impleram.

B

PORRÒ Auguſtinus in locis à Kemnitio citatis, loquitur de figuris illis, quarum explicatio nullum habet à Scriptura teſtimonium; & ideò ſemper adiungit eſſe obſcuras, opertas, interprete indigentes, & quæ poſsint pro arbitrio in varios ſenſus detorqueri. Non enim ſimpliciter reiicit argumentum ex figuris, ſed ex figuris obſcuris, & nondum explicatis, vel in alio Scripturæ loco, vel ab Eccleſia. Nam alioqui in ipſo lib. eodem de vnitate Eccleſiæ, c. 13. probat Auguſtinus Eccleſiam conſtare ex bonis & malis, ex parabolis zizaniorum, & bonorum ac malorum piſcium, & ſimilibus figuratis loquutionibus. Solum igitur reiicit argumentum ab illis figuris, quarum eſt incerta interpretatio; quale illud erat ex Canticis: *Vbi cubas in meridie*, quod ſemper Donatiſtæ iactabant, vt probarent in ſola Africa eſſe Eccleſiam; quibus Auguſtinus rectè obiicit illud Pſal. 47. *Latera Aquilonis ciuitas Regni magni*, & ſimilia æquè obſcura.

C

ADDE, quòd Auguſtinus in eo libro, ideò petit à Donatiſtis teſtimonia Scripturę apertiſsima, nec libenter admittit obſcura, quia habebat ipſe pro ſe apertiſsima teſtimonia. Nam agebatur de loco Eccleſiæ, an eſſet Africa ſola, an totus orbis terrarum. Et ſunt plurima teſtimonia, quæ ſine vlla obſcuritate docent, Eccleſiam in toto orbe terrarum eſſe futuram; meritò Auguſtinus requirit ab aduerſario ſimilia teſtimonia: non enim debent aperta & propria, obſcuris & figuratis cedere. At in aliis quæſtionibus obſcurioribus, qualis fuit eo tempore quæſtio de Baptiſmo, Auguſtinus nō prouocat ad aperta Scripturæ teſtimonia, ſed ad Eccleſiæ auctoritatem, quæ non poteſt errare in Scriptura explicanda, vt patet ex loco citato cōtra Creſconium. Quare ſi Kemnitius putat, cauſſam ſuam ſimilem eſſe cauſſæ Auguſtini, proferat apertum teſtimonium Scripturæ, quod non egeat interprete, vbi legamus Euchariſtię celebrationem non eſſe ſacrificium, & tum iure poterit cum Auguſtino reiicere argumenta ex figuris.

SECVNDÒ, Kēnitius obiicit ex figura Agni Paſchalis multa, ſequi abſurda, ſi ea ad Euchariſtiam applicanda ſit. Nam in primis non reſpondebit figura figurato, cùm immolatio Agni Paſchalis cruēta fuerit; Euchariſtia ſit incruenta. Deinde Agnus Paſchalis non à Sacerdotibus, vt Euchariſtia, ſed à multitudine immolabatur. Et Denique ſacrificium Agni Paſchalis non erat propitiatorium pro peccato, vt nos Euchariſtiam eſſe dicimus, ſed in memoriam fiebat liberationis de Ægypto.

D

RESPONDEO, Euchariſtia non à ſolo Agno Paſchali, ſed etiam à ſacrificio Melchiſedech, & à Manna, & ab aliis rebus in Teſtamento veteri figurata fuit: ideò non omnia, quæ in Agno Paſchali fiebant, ad figuram Euchariſtiæ pertinent, ſed illa tantùm, quæ non pugnant cum impletione aliarum figurarum. Itaque ex figura Agni Paſchalis habemus in Euchariſtia veram carnem, & ſanguinem Chriſti agni immaculati: ſed modo incruento, & in ſpecie panis, & vini, vt locum habeat alia figura ſacrificij Melchiſedech in pane & vino oblati. Atque ita oblatio & manducatio agni, ad figuram Euchariſtiæ pertinet, modus cruentæ mactationis, ad hanc figuram non pertinet, quia pugnaret cum figura ſacrificij Melchiſedech, ſicut è contrario forma ſeu ſpecies externa panis & vini in ſacrificio Melchiſedech, ad figuram Euchariſtiæ pertinet: ſubſtantia panis, & vini interior ad hanc figuram non pertinet, quia pugnaret cum figura Agni Paſchalis, quæ veram carnis ſubſtantiam requirit in figurato, ne ſit figuratum ſua figura vilius. Quod autem modus ille cruentæ mactationis non impediat, quò minus Agnus Paſchalis figura fuerit Euchariſtiæ, patet ex Auguſtino lib. 17. ciuit. c. 20. & lib. 1. contra aduerſ. leg. & prophet. c. 18. & Leone ſer. 8. de paſſione Domini, qui omnia ſacrificia veteris legis, quantumuis cruenta, figuras fuiſſe docet ſacrificij Euchariſtiæ.

IAM verò, quod attinet ad alterum abſurdū, nulla eſt difficultas. Nam quòd in Scriptura dicitur, Agnum Paſchalem debuiſſe à tota multitudine filiorum Iſraël immolari, nō ſic intelligitur, quaſi debuerint ſinguli de populo agnum immolare: ſed quod debuerit in ſingulis domibus, ac familiis immolari, patrefamilias propriè & per ſe immolante, reliquis per illum immolātibus, & voluntatē, ac participatione in ſacrificium conſentientibus. Quod etiam in Eccleſia circa Euchariſtiam obſeruatur: preſbyteri enim, qui in Chriſti familia patres ſunt, propriè ac per ſe immolāt, populus autem per illos immolat, & ſimul voluntate, & participatione in ſacrificiū cōſentit.

DENIQVE tertium abſurdum, quod Kemnitius proferebat, nullius ponderis eſt. Nam Euchariſtiæ ſacrificiū, vt diximus, non ſolo Agno Paſchali, ſed multis aliis typis adumbratum fuit. Et quidem Agnus Paſchalis typus Euchariſtiæ fuit, non vt ſacrificium propitiatorium, ſed vt commemorativum liberationis, & vt propriè Euchariſticum: ſacrificia autem, quæ plurima in lege pro peccato fiebant, eiuſdem Euchariſtiæ, vt ſacrificij propitiatorij, typi ac figuræ fuerunt.

TERTIÒ obiicit Kemnitius, Agnum Paſchalem figuram geſsiſſe paſsionis Dominicę, id quod operosè probare niītur ex Scripturis, & ex ipſo etiam Eccleſiaſtico teſtimonio, ex præfatione Miſſæ deprompto.

SED argumentum iam antè ſolutum eſt. Agnus enim

Paschalis vtriusque rei typus fuit, & passionis, & Eucharistiæ; immò non potuit Eucharistiæ typus esse, quin etiã passionis esset, cùm Eucharistia repræsentatio, & commemoratio passionis sit. Neque id proprium est Agni Paschalis, sed commune omnibus sacrificiis legis veteris, vt simul & passionis Dominicæ, & Eucharistiæ figuræ fuerint.

CAPVT VIII.

Probatur sacrificium Missæ ex figuris variorum sacrificiorum Testamenti veteris.

TERTIVM argumentum sumitur ex c.24. Exodi, vbi describitur dedicatio, ac celebratio Testamenti veteris. Nam postdatam legem in mõte Syna, pepigit Deus fœdus cum Hebræis, ac promisit eis multa bona, & ipsi vicissim obedientiam mandatorũ promiserunt Deo. Sanctum autem fuit hoc fœdus solenni sacrificio, & sanguinis aspersione, illis verbis: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus*, vt Apostolus recitat, Heb.9. allegans verba Moysis, Exod.24. Hanc figuram impletam esse in vltima cœna, in institutione Sacramenti Eucharistię, nos probauimus suprà in 1. libro de Eucharistia: nec videtur vllo modo negari posse. Nam in primis expresè Lucas cap.22. & Paulus 1.Cor.11. dicunt: *Hic calix nouum Testamentum est in sanguine meo.* Matth. cap.26. & Marcus cap.14. dicunt: *Hic est sanguis meus noui Testamenti.*

DEINDE Patres veteres apertè docent, Christum in vltima cœna condidisse Testamentum nouum. Tertullianus lib.4. in Marcionem: *In calicis mentione*, inquit, *Testamentũ constituit sanguine suo obsignatum.* Idem expresè docent Chrysostomus, & Theophylactus in loca allegata Matthæi, & Pauli: necnon Ambrosius in Paulum, & Beda in Marcum, & Lucam locis citatis.

PRAETEREA id Lutherani negare non possunt, cùm eorum præcipuum argumentum contra sacrificiũ Missæ hoc sit: *Missa est Testamentum Christi; non igitur est sacrificium.* Hoc argumentum præ omnibus vrget Lutherus in lib. de captiuit. Babyl. c.1. & in lib. de abroganda Missa, & alibi. Vrget idem argumentum Kemnitius in 2.p. Exam. pag.753. & 802. vrgent etiam alij communiter. Quid momenti hoc argumentum habeat, postea videbimus: interim accipimus, quod dant, Missam esse Testamentum Christi; inde enim manifestè sequitur, Christum in vltima cœna condidisse suum Testamentum, & proinde impleſse figuram Testamenti veteris.

ACCEDIT postremò, quòd si Testamentum Christi in cœna factum non fuisset, certè factum fuisset in cruce, vt quidam suspicari videntur. At omnes conditiones Testamenti in cœnam quadrant, nullæ in crucem. Primùm qui testatur, viuere debet vsque ad completum, & obsignatum Testamentum. Christus in cœna semper vixit, in cruce mortuus est. Quare rectè beatus Paulus Heb.9. nõ ait Christi morte Testamentum nouum factum fuisse, sed confirmatum: non enim testamentum valet, dum viuit, qui testatus est. Deinde qui testatur, sui iuris esse debet. Christus in cœna sui iuris erat; in cruce non modò captus, & vinctus, sed etiam damnatus, & iam patibulo affixus erat. Tertiò qui testatur, semper aliquid mandat hæredibus. Christus in cœna: *Hoc est*, inquit, *præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et rursum: *Hoc facite.* In cruce nihil mandasse legitur. Quartò qui testatur, aliquid promittit, seu relinquit, idque nominatim exprimere solet, vt etiam personas, quibus relinquit. In cœna Dominus expresit remissionem peccatorum, quæ est promissio propria Testamenti noui, Hierem.31. & expresit etiam hæredes, cùm ait: *Pro vobis, & pro multis.* In cruce nihil eiusmodi, excepta promissione soli latroni facta. Quintò qui testatur, testes adhibet, & sicut Moyses, non testes quoscunque, sed ipsum populum conuocauit cùm Testamentum vetus nomine Dei sanciebat: sic etiam Christus testes, & non quoscunque, sed ipsam Ecclesiam conuocare debuit; id fecit in cœna, aderant enim omnes Apostoli, qui Patriarchæ fuerũt, & veri Patres totius Christiani populi. Ad crucem nec aderant, nec facilè conuocari potuissent. Sextò qui testatur, solet disertis verbis explicare Testamentum se facere. In cruce Testamentum Christus ne nominauit quidem: at in cœna expresit nomen Testamenti, & quidem illis ferè verbis, quibus olim Moyses; vt enim ille dixerat: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus*; ita ipse dixit: *Hic est sanguis meus noui Testamenti.* Septimò qui testatur, instrumẽtum publicum conficit, quod perpetuò vim habeat applicandæ hæreditatis. Id instrumentum Christus in cœna confecit, dum Sacramentum instituit; in cruce nihil omnino eiusmodi. Maneat igitur ratum & certum, in cœna Testamentum nouum conditum, & proinde figuram Testamenti veteris impletam.

HOC fundamento posito, ita argumentamur; Sanguis Testamenti veteris apud Moysem, erat sanguis victimæ iam immolatæ, & verè, ac propriè sacrificatæ, vt patet Exod.24. ergo sanguis Testamenti noui apud Christum, est sanguis victimæ immolatæ, & verè, ac propriè sacrificatæ. Est autem sanguis ille sanguis Christi, vt ipse dicit: *Hic est sanguis meus*; ergo ipse fuit victima in cœna immolata, & sacrificata.

NEQVE responderi potest, sanguinem Christi in cœna fuisse sanguinem victimæ futuræ in cruce. Nã in Exodo priùs immolata est victima, deinde sanguis aspersus in populum illis verbis: *Hic est sanguis, &c.* ergo etiam Christus priùs debuit se ipse victimam facere, & immolare; deinde de sanguine dicere: *Hic est sanguis, &c.* Præterea, nulla ratio patitur, vt priùs sanguis victimæ hauriatur, deinde victima immoletur, cùm è contrario ex immolatione sanguis sequatur. Denique, cùm in figura Testamẽti veteris, Exod.24. tria inueniantur, Primò, promulgatio legis coram populo: Secundò, immolatio victimæ fœderalis, seu pacificæ: Tertiò, aspersio sanguinis, & manducatio victimæ: & Christus impleuerit primum, cùm ait: *Hoc est præceptum meum, &c.* Et tertium, cùm ait: *Comedite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus*: quis credat prætermissum fuisse secundum, nimirum victimæ immolationem? Ad hoc argumentum nullam legi, vel Kemnitij, vel aliorum confutationem.

HVC referri possunt omnia illa Scripturæ diuinæ loca, vbi describuntur varia sacrificia veteris legis propriè dicta. Illa enim omnia fuerunt typi, ac figuræ sacrificij Eucharistiæ, ex quo sequitur, vt etiam Eucharistia verum sacrificium esse debeat.

RESPONDET ad hoc argumentum Kemnitius in secunda par. Exam. pag.771. sacrificia veteris Testamenti fuisse quidem figuras implendas in nouo Testamẽto, sed impletas esse in vnico sacrificio crucis; & nunc etiam impleri in sacrificiis spiritualibus operum bonorum.

SED nos contrà probamus, figuras fuisse sacrificia illa non solùm crucis, & operum bonorum, sed etiam Eucharistiæ, dupliciter. Primò ex Patribus. Tertullianus in lib. contra Iudæos, c.1. apertè dicit, sacrificium Abel figuram fuisse sacrificij Eucharistiæ. Iustinus in Tryphone: *Similæ*, inquit, *oblatio, figura fuit Eucharistiæ.* Chrysostomus in Psal.95. *Omnia veterum sacrificia noua superuenientis gratia vno complectitur sacrificio.* Augustinus lib.17. ciuit. c.20. *Mensa quam Sacerdos noui Testamenti exhibet, de corpore ac sanguine suo est, id est enim sacrificium, quod successit omnibus sacrificiis, quæ immolabantur in vmbra futuri. Propter quod etiam agnoscimus vocem illam in Psalmo 39. eiusdem Mediatoris, Corpus autem aptasti mihi, quia pro illis omnibus sacrificiis, & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Leo serm.8. de passione Domini: *Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis*

tui im

plet oblatio: & sicut vnũ est pro omni victima sacrificium, ita nunc vnum de omni gente fit regnum. Vide etiam Hesychium in Leuiticum lib.5. Isidorum lib.1. de officiis, c.17. & Damascenum lib.4. de fide, c.14. Ex quibus testimoniis Patrum refellitur mendacium Kemnitij, pag.778. vbi sic ait: *Ignota est veteribus illa disputatio, quod abrogatione Leuiticorum sacrificiorum, præter sacrificium Christi in cruce, aliud successisset cæremoniale sacrificium in nouo Testamento.*

SECVNDÒ probatur, quia sacrificium crucis non fuit impletiuum figuratum illarũ, nisi quoad ipsam mactationem, & paucas alias cæremonias: Multæ autem aliæ cæremoniæ sacrificiorum, quę sine dubio figurales erant, vt quòd in tabernaculo offerrentur, quòd coram multitudine populi fidelis, quòd manus imponerentur super victimam, quòd victima immolata continuò manducaretur, & aliæ similes, in cruce impleri non potuerunt: quare aut in Eucharistia implẽtur, aut simpliciter non implẽtur.

CAPVT IX.

Probatur sacrificium Missæ ex vaticiniis Prophetarum.

QVARTVM argumentum principale sumi potest ex vaticiniis Prophetarum. Nam vt rectè ait Augustinus epist.49. q.3. *Nostrum sacrificium non solùm Euangelicis, sed etiam Propheticis libris demonstratum est.* Sex testimonia Prophetarum adduci solent, sed postremum est præcipuum, & ideò cætera breuiter solùm attingemus, vt in postremo diutius liceat immorari.

PRIMVM testimonium habetur lib.1. Regum, cap.2. prope finem, vbi quidam Propheta innominatus prædicit Heli Sacerdoti, futurum aliquando tempus, vt cesset sacerdotium ipsius, & patrum suorum, & surgat nouus Sacerdos, qui ambulet corã Christo Dei, omnibus diebus. Quem locum exponunt de sacerdotio, & sacrificio Christianorum, quod successit Aaronico, & manebit vsque ad mundi consummationem, Cyprianus lib.1. contra Iudæos, c.17. Augustinus lib.17. ciuit. c.5. Eusebius lib.4. demonstrat. Euangel. ca.26. Gregorius, Beda, & Eucherius in comment. eius loci.

SED contra obiici posset, videri impletum illud vaticinium in Samuele, vel in Sadoc. Nam Samuel successit Heli; & deinde Salomon eiecit Abiathar, qui descendebat de familia Heli, & constituit pro eo Sadoc, & addit Scriptura lib.3. Regum, c.1. id factum esse, vt impleretur verbum Domini contra Heli in Silo.

RESPONDET ad hanc obiectionem Augustinus loco citato, vaticinium illud impletum fuisse in Samuele, vel Sadoc, quatenus illi gerebãt figuram Christianorum Sacerdotum. Itaque electio Heli, erat figura electionis sacerdotij Aaronici, & assumptio Samuelis, & Sadoc, fuit figura assumptionis sacerdotij Christiani: id quod probat Augustinus ex eo, quòd Scriptura, cùm dicit, eiiciendum Heli cum patribus suis, apertè loquitur de Aarone; siquidem nominat eum, qui primus in exitu de Ægypto constitutus est à Deo Sacerdos.

SECVNDVM testimoniũ sumitur ex c.9. Prouer. *Sapientia ædificauit sibi domum, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam suam.* De hoc loco ita Cyprianus lib.2. epist.3. *Per Salomonem Spiritus sanctus typũ Dominici sacrificij præmonstrat, immolatæ hostiæ, & panis & vini, sed & altaris, & Apostolorum faciens mentionem.* Vide etiam Augustinum lib.17. ciuit. cap.20. vbi totum hunc locum de Eucharistia exponit.

TERTIVM testimonium sumitur ex illo Isaiæ ca.19. *Cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & muneribus.* Eusebius lib.1. demonstrat. Euangel. c.6. & Hieronymus in commentario ex hoc loco probãt, legem esse translatam, quandoquidem sacerdotium est translatum, cùm apud Ægyptios, id est, apud Gentiles sacrificia Deo vero offerantur. Neque valet responsio Caluini, lib.4. Instit. c.18. §.4. Isaiam loqui de sacrificiis spiritualibus, quæ à Christianis omnibus offeruntur. Nam in eodem loco fit mentio altaris Domini in loco visibili constituti: *In die illa*, inquit, *erit altare Domini in medio Ægypti.* Ad sacrificia autem spiritualia nullum altare visibile necessarium est.

QVARTVM testimonium habetur Isaiæ 66. *Et assumam ex eis Sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus.* Cui simile est illud Hierem.33. *Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronum domus Israël: & de Sacerdotibus, & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocausta, &c.* Hæc loca Hieronymus in Isaiam, & Theodoretus in Hieremiam, exponunt de Sacerdotibus Christi, qui perpetuò permanebũt vsque ad mundi consummationem. Nec possunt aliter exponi, cùm apertissimè vterque Propheta loquatur de conuersione Gentium, & ædificatione Ecclesiæ.

KEMNITIVS in 2.p. Exam. pag.753. agnoscit ista loca debere exponi de noui Testamenti Sacerdotibus: neque aliud respondet, nisi ista vaticinia partim impleta esse in Christo, qui fuit verus Sacerdos, & successit Sacerdotibus testamẽti veteris; partim impleri in omnibus Christianis, qui sunt spirituales Sacerdotes. At neutra expositio facit ad rem. Non enim de solo Christo possunt intelligi ea vaticinia, cùm disertè in numero multitudinis ponant Sacerdotes, & Leuitas: neque de omnibus Christianis intelligi possunt; cùm vterque Propheta distinguat Sacerdotes futuros à reliquo populo.

DICET aliquis: Loquuntur vaticinia de ministris Testamenti noui, qui successerunt ministris Testamenti veteris in ministerio doctrinæ, & Sacramentorum, licet nõ successerint in ministerio sacrificandi. At si ita esset, cur vocarentur Sacerdotes? cur Hieremias diceret, illos holocausta oblaturos? Succedere igitur debent veteribus illis veri Sacerdotes, qui sacrificia verè & propriè offerãt.

QVINTVM testimonium est Danielis 8. & 12. vbi dicitur Antichristus ablaturus iuge sacrificium: quem locũ de sacrificio Missæ exponit Hippolytus Martyr in lib. de Antichristo. Nec obstat, quod Daniel loqui videatur de Antiocho: loquitur enim de Antiocho, vt figuram gerebat Antichristi, vt patet ex collatione huius loci, cum Apocalypsi cap.13.

RESPONDET Kemnitius, pag.733. locum intelligi ad literam de Antiocho, & per allegoriam tantùm de Antichristo: ex allegoriis autem non duci solida argumenta. Sed ex hac allegoria solidissimum argumentum sumi potest. Nam explicata est ab Ioanne in Apocalypsi, c.13. & à Paulo, 2.Thessal.2. immò ipse etiam Daniel eam explicat, cùm dicit, Regem istũ, qui auferet iuge sacrificiũ, contra omnes Deos pugnaturum, & contra ipsum Deum patrum suorum. Nõ enim ista de Antiocho intelligi possunt, quem constat palàm coluisse Deos patrum suorum, vt Hieronymus in commentario ostẽdit; sed in Antichristum optimè conueniunt, de quo Paulus scribit 2.Thess. 2. quòd extollet se super omne quod dicitur Deus.

RESPONDET secundò Kemnitius, posse intelligi locum istũ Danielis de sacrificio spirituali, id est, de prædicatione verbi, & Sacramentorũ administratione; immò conatur probare, ablatum esse iuge sacrificium ab Antichristo, quia Papa Romanus, vt ipse dicit, sustulit puritatem verbi, & Sacramentorũ. At ista omnia vanissima sunt. Nam inprimis aliud est tollere, aliud corrumpere. Antichristus non corrumpet, sed simpliciter auferet iuge sacrificium saltem ex publicis templis; vnde, vt ibidem additur, manebit locus sacrificij desolatus. Deinde, in Scriptura nusquam appellatur sacrificiũ absolutè, & præsertim in numero singulari, nisi id, quod est verè ac propriè sacrificium. Denique, iuge sacrificium apud Hebræos, nõ

erant

erãt sacrificia spiritualia,sed sacrificium propriè dictum, id est,duo agni,qui offerebantur quotidie in holocaustũ, vnus manè,alter vesperi,vt patet Exodi 29. & Num. 28. Quare Daniel cùm vocet sacrificium iuge, loquitur de vero ac proprio sacrificio,cuius typus fuit iuge illud sacrificium Hebræorum.

CAPVT X.

Probatur idem ex Malachia.

SED insigne testimonium pro sacrificio Missæ habetur Malachiæ 1.in illis verbis: *Non est mihi voluntas in vobis,dicit Dominus exercituũ,& munus non suscipiam de manu vestra:ab ortu enim solis,vsque ad occasum,magnum est nomen meum in gentibus,& in omni loco sacrificatur,& offertur nomini meo oblatio munda,quia magnum est nomen meum in gentibus,dicit Dominus exercituũ.*

Hoc testimonium non potest intelligi de sacrificio crucis, quia illud non offertur in omni loco, sed semel tantùm vno in loco oblatum fuit,nec de sacrificio aliquo Iudaico, quia Propheta dicit à gentibus offerendum, & apertè illud opponit sacrificiis Hebræorum.Neque etiam de sacrificiis Gentilium piorum,qui erant in mundo ante Christi aduentum, vt Melchisedech, Iob, & similium. Hi enim viri sancti inter Gentiles paucissimi erant,ac præsertim temporibus Prophetarũ,quando idolatria mundum planè repleuerat, ita vt Dauid diceret: *Notus in Iudæa Deus,in Israël magnum nomen eius,* Psalm. 75.Malachias autem contrario modo vaticinatur:*Magnũ est nomen meum in gentibus,& ab ortu solis vsque ad occasum,&c.*Nec denique potest locus hic Malachiæ intelligi,vt quidam suspicati sunt,de sacrificiis Gentilium idolatrarum:non enim illa oblatio munda vllo modo dici posset,nec Deo vero offerebatur, sed Diis alienis: *Quæ enim gentes immolant,*inquit Apostolus,1.Cor.10.*Dæmoniis immolant,& non Deo.*

QVARE nullo modo admittenda est expositio Benedicti Ariæ Montani in hunc locum:nam non tantùm repugnat omnium Patrum,quos paulò pòst citabimus,sententiis, sed etiam ipsi Apostolo, & apertissimæ veritati. Quorsum enim tot millia Martyrum sanguinem profundere maluerunt,quàm communicare in sacrificiis Gentilium,si illa erant sacrificia munda,& Deo grata?

*At,*inquit ille,*cognouerunt Gentiles magnum quendam Deum ex motibus cælorum,& illi sacrificabant.* Respondeo;Cognouerunt quidem illi Deum,sed non sicut Deũ glorificarunt,& creaturę potiùs,quàm creatori seruierũt, vt Apostolus dicit,Rom.1.Itaque vel magno illi Deo nõ sacrificabant,vel paucissimi,& rarissimi id fecerunt.Malachias autem loquitur de sacrificiis, quæ in omni loco offeruntur, qualia apud Gentiles non nisi idolis, & dæmonibus offerebantur. Restat igitur quod nobiscum fatentur etiam aduersarij, vt Malachias vaticinetur de sacrificio Ecclesiæ Christianæ, quod & successit Iudaicis sacrificiis,& Deo placet,ac mundum est, & in toto orbe terrarum à Gentibus ad Deum verum conuersis iugiter offertur.Neque obstat,quòd Malachias loquitur in præsenti,non in futuro; id enim Prophetæ faciunt, quia res futuras ita certò norunt Deo eis indicante,ac si præsentes intuerentur.

TOTA controuersia circa hunc locum est, an Malachias loquatur de sacrificio propriè dicto,quale in Ecclesia,aut est Eucharistiã,aut nullum omninò est;an verò de sacrificio impropriè dicto,quales sunt orationes, laudes, bona opera,patientia in persecutionibus,& similia. Nam Philippus in Apologia Confess.& Caluinus lib. 4. Instit. c.18.§.4.Kemnitius in 2.par.Exam.pag. 760.& alij contendunt,Malachiam loqui de sacrificiis spiritualibus, ac impropriè dictis.

ADDVCIT autem Kemnitius tria argumenta pro sua opinione,quæ facilè solui possunt.Primum est:*Malachias non dicit, sacrificulum debere mimicis gestibus, ritibus,& actibus in pane,& vino repræsentare passionem Christi,& illam actionem esse sacrificium Deo gratum pro viuis, & mortuis,&c.*Respondeo,Hoc non argumentum, sed impostura est.Neque enim de gestibus,& ritibus, sed de substantia rei,id est,de oblatione sacrificij propriè dicti nostra quæstio est:ac satis probamus,quod volumus,cùm ostendimus ex Prophetæ testimonio, esse in Ecclesia sacrificium propriè dictum.

SECVNDVM argumentum:*Malachias in genere prædicit futurum in Ecclesia sacrificium mundum, non autem explicat,quale sacrificium. In Testamento autem nouo inuenimus sacrificia fidelium esse sacrificia spiritualia,*1.Petri 2. Rom.12.Heb.12.Philip.2.*ergo loquitur Propheta de sacrificio spirituali.*Respondeo, Si in nouo Testamento legeremus,nulla esse sacrificia fidelium,nisi spiritualia, argumentum Kemnitij rectè concluderet. At nusquam id legimus.Non autem licet concludere ex eo, quòd sunt in Ecclesia quædam sacrificia spiritualia; nulla esse propriè dicta,vel Prophetam loqui de spiritualibus.Alioqui quoniam in Testamento veteri, multa erant etiam sacrificia spiritualia, liceret eodem modo concludere, non fuisse in Testamento veteri sacrificia propriè dicta:& cùm Malachias ait, *Non accipiam munus de manu vestra,* intelligeremus eum loqui de sacrificio spirituali, non de propriè dicto,quod apertè falsum est.

TERTIVM argumentum sumit ex Patribus, quod postea discutiendum est.

Catholici contra his argumentis probant verba huius Prophetæ intelligenda esse de sacrificiis propriè dictis. Primò,ex voce, qua vtitur Propheta,nam vocat absolutè מנחה minhha, vbi duo consideranda sunt. Primò, Scripturam non solere nomen sacrificij absolutè ponere, cùm loquitur de sacrificio impropriè dicto,sed cum adiuncto aliquo, vt sacrificium laudis, sacrificium iustitiæ, hostiam vociferationis,&c.hoc autem loco absolutè ponitur oblatio munda. Deinde ipsa vox Hebraica מנחה significat propriè certum genus sacrificij externi, quod ex similа,oleo,& thure conficiebatur,vt patet Leuit.2.& 6.& alibi passim.

AD hoc primum argumentum respondent Caluinus &Kemnitius.Caluinus dicit,Prophetam vti vocabulo sacrificij, quoniam mos est Prophetarum cùm de conuersione Gentium vaticinantur,cultum spiritualem externo legis ritu designare.Sic enim pro conuersione ad Dominum,ascensum in Hierusalem,pro Dei adoratione, munerum omne genus oblationem pro ampliore eius notitia,qua in regno Christi fideles donandi erant,somnia,& visiones ponunt.

RESPONDEO,Negari nõ potest,quin sæpissimè in Scripturis Testamenti veteris,describantur res futuræ,per typos,& ritus externos legis,vt cùm per Hierusalem intelligitur allegoricè Ecclesia,per Leuitas clerici, per sacrificia ouium & boum,sacrificium Eucharistiæ,tamen id fieri solet,cùm describuntur res nouæ, & futuræ, quæ non erant eo tempore in vsu: ideò enim describuntur per figuras,seu per voces tunc cognitas,quia non potuissent aliter intelligi. Ea verò,quæ sunt cõmunia omnibus temporibus,& locis,& quæ non minùs tunc in vsu erant,quã modò sint,nulla causa est, cur per figuras significari deberent.Porrò sacrificia spiritualia,orationes,hymni,eleemosynæ,& similia,communia sunt omni loco,& tempori,& passim occurrunt in Scripturis,tum veteris,tum noui Testamenti. Quare per vocem illam מנחה non debet intelligi sacrificium spirituale,quod non erat nouum, nec futurum,nec vllo modo inusitatum,vel incognitum; sed verum aliquod sacrificium in Ecclesia celebrandum, & tunc incognitum;quale reuera est Eucharistia.Non enim ita erraſſe intelligimus Prophetam, vt existimemus oportere nunc offerri minhha propriè dictum,id est, si-

milam conspersam oleo, & thuri admistam:sed intelligimus Prophetam per vocem tunc cognitã descripsisse sacrificiũ nouum,& verum,per illud,antiquum adũbratũ.

FALSVM est etiam,quod Caluinus dicit,pro adoratione Dei futura in Ecclesia, poni in Scripturis oblationes munerum omnis generis. Nam in illis oblationibus debet respondere aliquid verè futurum,& nouum;adoratio autem semper fuit in vsu.

IAM verò Kemnitius alia via ingreditur,scribit enim istam ipsam vocem מנחה accipi in Scripturis pro sacrificio spirituali(legimus enim in Psal.141.*Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*)& nomen oblationis haberi, Rom.15. & Philipp. 2. pro conuersione Gentium.

RESPONDEO,Dauid propriissimè sacrificiũ vespertinum vsurpauit pro vero,atque externo sacrificio,quod secundum legem quotidie offerebatur ad vesperam,Leuit.6.Neque enim dicere voluit, eleuationem manuum suarum in oratione,esse sacrificium vespertinum, eleuatio enim manuum omni tempore fieri potest, sed orat Deum vt gratam habeat orationem suam, sicut habere solet gratum sacrificium vespertinum.Sic enim ait:*Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum,*id est,dirigatur oratio sicut incensum,& eleuatio manuũ sit velut quoddam sacrificium vespertinum.Quod etiam clariùs posuit Daniel cùm ait,c.3.*In animo contrito,& in spiritu humilitatis suscipiamur,sicut in holocausto arietum,& taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium.* Loca autem illa, Rom.15.& Philipp.2.ad rem non faciunt. Nam in vtroque loco ponitur nomen sacrificij,& oblationis cum adiuncto,non autem absolutè:vocat enim oblationem Gẽtium, vel fidei. Manet igitur nostrum argumentum primum,ex nomine oblationis depromptum.

SECVNDVM argumentum sumitur ex illa voce, *Munda:* opponit enim Propheta oblationem Ecclesiæ mundam, oblationibus immundis Sacerdotum Iudæorum. Quod argumentum duobus modis concludi potest.Primò,ex opinione aduersariorum,opera bona,quæ à nobis procedunt,omnia sunt immunda, cùm sint peccata,& quidem mortalia natura sua.Per oblationem igitur quam Spiritus sanctus mundam appellat,non debent intelligi opera nostra,id est,sacrificia impropriè dicta,sed sacrificium à Deo institutum, quod ab ipso Deo, non à nobis vim suam habet.

RESPONDET Kemnitius,opera nostra,esse quidem immunda,vt pannum menstruatæ,tamen in Scripturis aliquando vocari munda,& Deo accepta,1.Petri 2. *Offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum,*& fideles dicuntur eleuare puras manus,1.Tim.2.& omnia dicuntur munda mundis,Tit.1.

SED quærerem libenter à Kemnitio, quomodo in Scripturis dicantur munda,& acceptabilia ista opera.Nã vel sunt verè,ac propriè munda, & tunc ruit eorum opinio de operum nostrorum bonitate:vel non sunt verè & propriè munda,sed dicuntur talia,vel ob imputationem Dei, vel quacunque alia de causa, & tunc si Malachias loquitur de sacrificio spirituali, oportebit illa verba: *Offertur nomini meo oblatio munda,* sic exponere, Offertur nomini meo oblatio verè immunda, sed quam ego mundam esse reputo. Quæ expositio absurdissima est,nam sententia Malachiæ indicat oblationem istam Deo placere,quia est munda;non autem esse mundam,quia Deus eam reputet talem.

SECVNDÒ, Propheta opponit sacrificium ita mundum ex se,& generaliter,vt non possit malitia ministrorum fieri immundum,ei sacrificio,quod facilè pollui potest,& quod non est semper mundum. Id patet, nam de sacrificio Iudaico dicit;*Offertis panem pollutum.* Et:*Si offeratis cæcum, & claudum, nonne malum est? &c.* vbi ostendit sacrificia illa potuisse pollui.Neque credibile est ita generaliter fuisse reiecta ratione pollutionis tantùm ex parte offerentium,quia eadem ratione & nostrum reiici posset. Et præterea multi Hebræorum bene offerebant: quare si ista esset causa reiectionis, reiecisset Deus in particulari ista,vel illa,non ita in genere omnia. Itaque reiecta sunt generaliter omnia, quia causa erat generalis,cùm omnia pollutioni obnoxia essent.

QVOD verò illis opponat sacrificium mundum generaliter,& non obnoxium pollutioni, patet, quia dicit: *In omni loco offertur oblatio munda.* Nam si esset mũdum ratione offerentium, non in omni loco offerri mundum diceretur, cùm in plurimis locis mali ministri, quod est in se,sacrificium polluant:sed dicitur in omni loco offerri mundum, quia tale est in se, nec potest reuera pollui ex malitia ministrorum.Et præterea,si causa repudiationis illorum sacrificiorum est, obnoxia fuisse pollutioni, certè opponi debet illis oblatio non obnoxia pollutioni. At sacrificia spiritualia, cùm ab opere nostro pendeant, obnoxia sunt pollutioni,& reipsa sæpe polluuntur,nõminùs nũc à Christianis,quàm olim polluerentur à Iudeis, ergo loquitur Propheta de sacrificio Eucharistiæ, quod vnum,& solum est verè mundum,& quod nullius ministri malitia pollui potest, cùm præcipuus Sacerdos sit Christus,& ipse idem sit sacrificium.

TERTIVM argumentum sumitur ex illis verbis:*Non accipiam mũus de manibus vestris,&c.*Hinc enim colligitur,oblationem Ecclesiæ non solum esse mundam, sed etiam nouam, & quæ antea non fuerit: nam oblatio ista munda,succedit oblationibus Iudæorum,quæ occasione pollutionis reprobantur. Non autem succederet, si vnà cum illis in vsu fuisset:debet igitur esse noua oblatio. Et præterea distinguitur à Propheta sacrificium Gentilium, à sacrificio Iudæorum,proinde loquitur de sacrificio nouo,& quod Iudæis in vsu non fuerit. Constat autem sacrificia spiritualia precum,psalmorum,& similium rerũ, omnia fuisse apud Iudæos, ergo non loquitur de sacrificio spirituali Malachias, sed de sacrificio propriè dicto, quale nullum est in Ecclesia,si Eucharistia non est sacrificium propriè dictum.

QVARTVM argumentum sumitur ex antithesi contemptus,& gloriæ Dei, quæ describitur hoc loco à Propheta. Dicit enim S.Malachias,per Hebræos sacerdotes contemptum ac despectum fuisse nomen Dei: sed per oblationem Gentilium glorificatum. Hebraici autem Sacerdotes Deum offendebant in publico, & visibili sacrificio:ergo gloria Dei apud Gentes nasci debuit etiam ex publico, & visibili sacrificio. Alioqui maior fuisset cõtemptus illatus nomini Dei in sacrificiis Hebræorum, quàm gloria in sacrificio Gentium:ille enim fuisset contemptus interior,& exterior,& priuatus,& publicus;hęc autem gloria esset solùm priuata, & magna ex parte interior.

QVINTVM argumentum sumitur ex antithesi Sacerdorum. Opponit enim Malachias non omni populo, sed Sacerdotibus tantùm veteris legis,non omnes Christianos,sed certos homines,qui propriè Sacerdotibus illis succedunt: ergo non loquitur de sacrificio spirituali, quod ab omnibus Christianis offerri solet, sed de sacrificio propriè dicto,quod à solis veris Sacerdotibus offerri potest. Et quidem quòd loquatur de Sacerdotibus tãtùm, non de omni populo patet ex illis verbis: *Ad vos ô Sacerdotes,qui despicitis nomen meum,&c.*quod autem illis opponat solos Sacerdotes, non autem omnem populum; patet ex eodem Propheta. Nam postquam dixerat c.1.*Offertur nomini meo oblatio munda,&c.* exponit c.3.à quibus offerenda sit ista munda oblatio:*Purgabit,*inquit, *filios Leui,& colabit eos,quasi aurum,& quasi argẽtum,& erunt offerentes Domino sacrificiũ in iustitia,&c.*vbi per filios Leui non possunt intelligi Leuitæ Testamẽti veteris,

quia loquitur Propheta apertissimè de sacrificio Ecclesiæ Christianæ: & Sacerdotes Leuiticos iam reprobauerat. Et denique initio capitis legimus: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quæ verba exponit ipse Dominus de Ioan. Baptista Mat. 11. & inde cogimur totum hûc locum intelligere de aduentu Domini, & tempore Testamenti noui. Nec possunt intelligi per filios Leui omnes Christiani, quia filij Leui vna tantùm pars erat in populo Dei, nõ totus populus, quare respondet eis pars quædam populi Christiani, non totus populus. Et confirmatur ex ca. 66. Isaiæ, vbi, vt paulò antè ostendimus, distinguuntur Sacerdotes à populo Christiano, cùm dicitur: *Assumam ex eis Sacerdotes.* Non igitur omnes Christiani sunt propriè Sacerdotes, sed certi quidam ex eis assumpti, ac proinde sacrificium propriè dictum esse debet, quod ab illis tantùm & non ab omnibus offeratur.

DENIQVE accedat consensus veterum Patrum, qui locum hunc Malachiæ de sacrificio Eucharistiæ semper intellexerunt, non de operibus bonis, quæ ab omnibus fieri possunt. Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, disertis verbis (Kemnitio etiam teste) hunc locum exponit de sacrificio Eucharistiæ, quod in specie panis, & vini toto orbe terrarũ Deo offertur: *De nostris*, inquit, *Gentium, quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, iam tum loquutus Malachias, prædixit nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare.*

KEMNITIVS nititur hunc locum deprauare, ex eo quòd Iustinus ibidem addit, Eucharistiam fieri in memoriã passionis Christi, & in gratiarum actionem Deo, qui mundum pro nobis condidit, & nos à peccatis liberauit. Hinc enim ipse colligit, sacrificium, de quo Malachias secundum Iustinum loquitur, esse sacrificium spirituale, id est, memoriam passionis Domini, & gratiarum actionem Deo pro beneficio creationis, & redemptionis.

SED frustrà laborat. Nam Iustinus illis verbis explicat causſam finalẽ sacrificij à Malachia prædicti, non ipsũ sacrificium. Sacrificium enim esse dicit oblationem Eucharistiæ ex pane, & vino confectæ: causſam autem sacrificij esse dicit memoriam passionis Domini, & actionem gratiarum. Et sanè si liceret hoc modo cauillari, probare possemus, nulla vnquam fuisse, ne apud Iudæos quidem, sacrificia propriè dicta: Omnia enim fiebant in repræsentationem passionis Domini, & gratiarum actionem, aut similem aliquam causſam.

IRENÆVS lib. 4. c. 32. *Eum*, inquit, *qui est ex creatura panem accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum, & calicem similiter, qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouã docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens offert Deo in vniuerso mundo ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum: de quo & in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit, Non est mihi voluntas in vobis, &c.* Similia habet c. 33. & 34.

HVNC etiam locum Kemnitius ad suam sententiam detorquere conatus est, sed vsque adeò debiliter, vt vix vlla responsione sit opus. Dicit enim Irenæum loqui de oblatione eleemosynarum, quæ inter actionem Cœnæ Domini fieri solebat: atque has eleemosynas sacrificium appellasse, quod Deo offerri dici possit, id quod propter Deum pauperibus offertur, iuxta illud: *Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo.* Et illud: *Esurijui, & dedistis mihi manducare*, quæ duo loca Irenæus allegat cap. 34.

SED non aduertit Kemnitius Irenæum à simili ducere argumentum. Nam cùm vellet ostendere, sacrificium Deo exhiberi, non quod ipse indigeat, sed quia nobis vtile est, gratitudinem erga illum ostendere: adfert in exẽplum eleemosynã, quæ Deo fieri dicitur, cùm tamen non sit vtilis Deo, sed nobis. Quòd autem Irenæus intelligat Malachiam de sacrificio propriè dicto, non de eleemosynis, patet ex illis verbis, quæ habentur in fine capitis 32. *Manifestè*, inquit, *significans, Malachias per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in Gentibus.* Et ex illis, quæ habentur c. 34. *Et genus oblationum reprobatum est: oblationes enim & illic, oblationes autem & hic, sacrificia in populo, sacrificia & in Ecclesia.* Vbi Irenæus dicit, sacrificium nostrum succedere illi, quod cessauit apud Hebræos: & Deum non reprobasse sacrificia absolutè, sed genus quoddam sacrificiorũ, nimirum Iudaicorũ. Porrò apud Iudæos non cessarunt eleemosynæ, & orationes, & alia impropriè dicta sacrificia: sed cessarunt veræ, ac propriè dictæ immolationes, quæ non nisi in Hierusalem fieri poterant, ergo loquitur Irenæus de sacrificio propriè dicto, & tale vult esse sacrificium Eucharistiæ. Denique illa verba c. 32. *Noui Testamẽti nouam docuit oblationẽ*, nónne clarissimè, quod volumus, ostendunt: non enim eleemosyna est noua oblatio, nec propria Testamenti noui, cùm etiam apud Iudæos sit, & fuerit in vsu.

TERTVLLIANVS lib. 3. contra Marcionem, declarans sacrificium à Malachia prædictum: *In omni loco*, inquit, *offertur sacrificium nomini meo, & sacrificium purum, gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni, quæ omnia cùm in te quoque reprehendantur, & signaculum frontium, & Ecclesiarum Sacramenta, & mundicies sacrificiorum, &c.*

HVNC locum ad se rapit Kemnitius, ob illas voces: *Gloriæ relatio, laus, & hymni.* Sed Tertullianus describit breuiter, & more suo, paulò obscuriùs, totum ritum sacrificij Missæ: siquidem in eo sacrificio, & ante, & post cõsecrationem, & oblationem sacrificij, laudatur Deus, & oratur, & hymni canuntur, vt notum est. Vocat autem Tertullianus benedictionem, ipsam consecrationem Eucharistiæ; vnde mox subiungit: *Ecclesiarum Sacramenta, & mundiciem sacrificiorum.* Denique alludit Tertullianus ad ipsam primam huius sacrificij oblationem. Dominus enim in vltima cœna primò gratias egit, deinde benedixit, & tandem hymnum cecinit: nam hymno dicto exiit in montem oliuarum, vt in Euangelio legimus. Quę omnia totidem ferè verbis Tertullianus expressit, cum ait: *Gloriæ relatio, benedictio, laus, & hymni.*

PROFERT Kemnitius duo alia loca ex Tertulliano. Vnum ex lib. contra Iudæos, vbi dicit de sacrificiis spiritualibus loquutum esse Malachiam, non de terrenis. Alterũ ex lib. 4. contra Marcionem, vbi legimus simplicem orationem de conscientia pura esse sacrificium, de quo loquitur Malachias.

SED facile est respondere. Tertullianus enim non vocat Eucharistiam sacrificium spirituale, quia non sit verè, ac propriè dictum sacrificium: sed rum, quia à Spiritu sancto est, non ab humano, & carnali sensu excogitatum, tum etiam quia non cõstat victima terrena, sed cœlesti, nec carnali modo per gladium & ignem, & sanguinis effusionem, sed modo spirituali per verborum benedictionem, & consecrationem sacrificatur. Neque id durum vlli videbitur, qui cogitet ab eodem Tertulliano in eodem loco, sacrificium Abelis vocari spirituale respectu sacrificij Cain, quia nimirum Abel spiritu sancto duce sacrificauerit, Cain autem non tam spiritum, quàm sensum carnis suæ in sua oblatione ducẽ habuerit. Quod si sacrificium Abel, licet spirituale dicatur, non desinit esse verum, immò etiam cruentum sacrificium, quantò magis Eucharistia poterit spirituale sacrificium appellari, & tamen veri sacrificij nomen, & rationem retinere? Adde, quòd ibidem Tertullianus dicit, sacrificium Abel fuisse figuram Eucharistiæ: ex quo sequitur sic ab eo appellari Eucharistiam sacrificium spirituale, quomodo sacrificium Abel.

IN altero loco Tertullianus nò exponit testimonium Malachiæ per orationem, vbi nominat sacrificium, sed vbi nominat incensum. Nam in Hebræa, & Græca editione sic legimus: *Incensum offertur nomini meo, & sacrificium mundum.* Vbi vocem illam *incensum* Tertullianus interpretatur orationem, quod etiam ante eum fecit Irenæus loco citato, & post eum Hieronymus in comment. Malachię, sed posteriorem vocem, sacrificium, communiter exponunt de Eucharistia.

CYPRIANVS lib. 1. contra Iudæos, cap. 16. ponit in titulo capitis, quòd sacrificiũ vetus euacuetur, & nouum celebretur: ac deinde citat hunc locum Malachiæ. Non est autem nouum sacrificium, nisi sacrificium Eucharistiæ: illa enim spiritualia, quæ hæretici commemorant, semper fuerunt.

EVSEBIVS Cæsariensis lib. 1. demonstrat. Euangel. cap. vlt. citato loco Malachiæ, sic ait: *Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum, & odorem adferens, & sacrosanctum sacrificium, sacrificamus nouo more, secundum nouum Testamentum, hostiam mundam.* His verbis apertissimè describitur sacrificium Eucharistiæ, hoc enim solum est proprium testamenti noui, & nouo more offertur, & est Deo plenum, & sacrosanctum: orationum, & eleemosynarũ sacrificia, nec sunt propria Testamenti noui, nec nouo more offeruntur, nec sunt Deo plena, &c.

KEMNITIVS citat ex eodem Eusebio lib. 1. demonstrat. Euang. cap. 6. aliud testimonium. Scribit enim Eusebius Malachiæ sacrificium significare, quòd Gentes in toto mundo orationis incensum, & sacrificium mũdum, non per cruores, sed per pias actiones essent oblaturæ.

AT non videtur intellexisse Eusebium Kemnitius: illa enim verba Græca Eusebij, Τὸ δ' ἀχῶν θυμίαμα, non significant orationis incensum, quasi ipsa oratio sit incensum, seu sacrificium, de quo loquitur Malachias, sed incensum, seu sacrificium quod per orationem, id est, per verba consecrationis perficitur. Solent enim Patres cõsecrationis verba, orationes, seu mysticas preces appellare. Deinde etiamsi per incensum intelligere deberemus orationem: tamen sequentia verba ad Eucharistiam pertinent, ipsa enim est sacrificium mundum, quod non per cruorem, sed per pias, & religiosas actiones, id est, per mysticas consecrationes offertur. Itaque Eusebius in vtroque loco per sacrificium à Malachia prædictum intelligit Eucharistiam.

IOAN. Chrysostomus in comment. Psal. 95. posteaquam verba Malachiæ citauerat, subiungit: *Vide quàm luculenter, atque dilucidè mysticã interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiama autem purum vocat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur.* Ex quo loco exponi potest alius eiusdem Chrysostomi ex homil. 2. contra Iudæos, quem citat Kemnitius, vbi verba Malachiæ intelligit de cultu spirituali, qui carnali cultui Iudæorum successit. Vocat enim cultum spiritualem sacrificium Eucharistiæ, quia, vt suprà diximus, non carnali modo per gladium, & sanguinis effusionem, sed per Spiritum sanctum, & per verba consecrationis efficitur. Vnde ibidẽ Chrysostomus scribit, nostrũ vocari sacrificiũ mundum, quia adeò excellenter est mũdum, vt comparatione eius omnia alia videantur immunda. Quod encomium certè non quadrat in opera nostra, quæ sunt sacrificia impropriè dicta, sed in Eucharistiam optimè conuenit.

HIERONYMVS in comment. Malachiæ, licet per incensum intelligat orationem (quem locum frustrà vrget Kemnitius) tamen per sacrificium intelligit Eucharistiæ oblationem; dicit enim offerri Deo hostiam mundam in cæremoniis Christianorum.

AVGVSTINVS lib. 1. contra aduers. legis, & propher. cap. 20. tractans hunc locum Malachiæ: *Ecclesia*, inquit, *per successiones Apostolorũ immolat in corpore Christi sacrificium laudis.* Vbi quòd loquatur de vero sacrificio, quod à solis sacerdotibus propriè dictis offerri potest, patet ex illis verbis: *Per successiones Apostolorum.* Illi enim soli rectè immolant sacrificium corporis Christi, qui legitimè Apostolis succedũt, qui primi à Christo Sacerdotes instituti fuerũt. Quare friuolũ est, quod Kemnitius ad hunc locum respondet, ideò non esse contra se, vel pro nobis, quòd Augustinus non meminerit mimicæ repræsentationis. Nam, vt sæpe diximus, non de illa repræsentatione, sed de oblatione Eucharistiæ Deo facta cõtrouersia est. Quod etiã Kemnitius addit, ab Augustino per incẽsum intelligi orationes, iam suprà declaratũ est.

IDEM Augustinus de sacrificio corporis Domini in Eucharistia loquens, lib. 18. ciuit. cap. 35. *Hoc sacrificium*, inquit, *per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech cùm in omni loco à solis ortu vsque ad occasum Deo iam videant offerri, sacrificium Iudæorum, de quibus dictum est, Non est mihi voluntas in vobis, iam cessare, negare non possunt, aut aliũ Christum expectant.* Vide eundem lib. 19. ciuita. cap. 23. In oratione contra Iudæos, cap. 9. & in Psal. 106. in illa verba: *Posuit desertum in stagna aquarum.*

THEODORETVS in comment. Malachiæ disertis verbis dicit, secundum Malachiæ prædictionem, nunc immolari agnum immaculatum, loco victimarum irrationalium, quæ erant in lege Iudæorum.

DAMASCENVS lib. 4. de fide, cap. 14. *Hoc*, inquit, *illud est purum & incruentum sacrificium, quod à solis ortu vsque ad occasum Dominus oblatum iri per prophetam prædixit.* Denique Rupertus in commentario apertissimè de sacrificio Eucharistiæ vaticinium exponit.

CAPVT XI.

Idem probatur ex cap. 4. Ioannis.

ARGVMENTVM quintum duci potest ex cap. 4. Euangelij secundum Ioannem, vbi Dominus ipse vaticinium Malachiæ, de quo saris iam diximus, explicare videtur, cùm sic ait: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et paulò pòst: *Venit hora, & nunc est, quãdo veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Hoc enim loco per adorationem non intelligitur quæuis adoratio, sed solennis, & publica, per sacrificium propriè dictum. Id verò tribus argumentis comprobabimus, si primùm breuiter ostenderimus, in Scripturis non esse inusitatum, vt per adorationem intelligatur sacrificium.

Genesis 22. Abraham instructus gladio, & igne ad sacrificandum, dixit famulis suis: *Expectate hîc cum asino, ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Hoc loco, *adorare*, sacrificare significat nam alioqui vbique adorare potuisset, si tãtùm per adorationem incuruatio quædã intelligeretur, sed iusserat ei Dominus, vt in mõte sacrificaret, & eò proficiscebatur, vt diximus, ád sacrificandum gladio, atque igne instructus. Ioan. 12. *Erant quidam Gentiles, qui ascenderãt, vt adorarent in die festo,* Actorũ 8. Eunuchus Æthiops venerat adorare in Hierusalem. In his, & similibus locis (adoratio) sacrificiũ significat; ideò enim ex longinquis regionibus homines in Hierusalem veniebãt, quia non poterant in alio loco Deo vero sacrificia ritè offerri: adoratio autem simplex, vt etiam preces, vbique fieri poterant.

HIS ergo præmissis. Primum argumẽtum, quo probamus illa verba Domini, *Veri adoratores adorabunt in spiritu, & veritate*, intelligenda esse de sacrificio, ducitur à principali scopo totius illius loci. Quæstionem propo. fuerat Samaritana Domino de schismate Iudæorum, & Samaritanorum: *Domine*, inquit, *video, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Ista quæstio necessariò de adoratione per sacrificium intelligenda est. Nam (vt ex Iosepho intelligi potest, lib. 11. antiq. cap. 8.) schisma Iudæorum & Samaritanorum exortum est

ex eo,quod Samaritani templum ædificarunt in monte Garizim,& ibi sacrificandum esse contendebant:Iudæi autem contrà docebant,in solo templo Hierosolymitano legitimè sacrificari posse. Hanc igitur quæstionem, quæ tunc multos vexabat, Samaritana Christo,vt Propheræ proposuit.

PRÆTEREA ipsa verba Samaritanæ cogunt,vt per adorationem intelligamus sacrificium:nam loquitur de adoratione alligata certo loco,& quæ alibi non ritè fiat: *Vos*,inquit,*dicitis, quia Hierosolymis est locus,vbi adorare oportet*,ac si dixisset,Vos Iudæi reprehenditis nos, quòd extra Hierusalem adoremus iuxta ritum Patrum nostrorum,neque alibi, quam in Hierusalem licitam esse adorationem asseritis. At certè nunquam fuit apud Iudæos adoratio alligata certo loco,nisi ratione sacrificij:loquitur igitur Samaritana de adoratione per sacrificium. Quòd si hoc ita se habet, necesse est, vt etiam Domini responsio de adoratione per sacrificium intelligatur: alioqui Dominus non satisfecisset quæstioni propositæ. Ergo cùm Dominus ait: *Mulier crede mihi, quia veniet hora,quando neque in mõte hoc,neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*:sensus erit; Veniet tempus, quando non erit alligata adoratio per sacrificium,neque huic monti,neque Hierosolymis, sed in omni loco offeretur Domino sacrificium. Et hoc est quod prædixit Malachias: *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.*

Verba autem sequentia:*Veri adoratores adorabũt Patrem in spiritu & veritate*,hunc sensum faciũt;Veri adoratores,id est, qui verum Deum legitimè colent, nimirum Christiani,adorabunt Patrem.id est, Deo sacrificabunt: in spiritu & veritate, id est,sacrificio spirituali, & vero,non carnali:& typico, vt Iudæi faciebant. Opponitur enim spiritus carni, & veritas figuræ: erant enim sacrificia Iudaica carnalia,quia in mactatione carnis,& sanguinis effusione consistebant,& simul typi,& vmbræ erant futurorum. At Eucharistia sacrificium est spirituale,quia (vt sæpe diximus) per Spiritum sanctum,& verba consecrationis efficitur, & simul est verum ac impletiuum veterum figuratum. Nam etsi est etiam typicum respectu sacrificij crucis, tamen respectu sacrificiorum Iudaicorum,non typicum,sed verum dicendum est. Ita exponunt has particulas: *In spiritu, & veritate*, Chrysostomus,Cyrillus,Euthymius in hunc locum,Possent tamen etiam ita distingui illæ voces,vt Theophylactus,& sanctus Thomas in commentario distinguunt, vt spiritualis cultus, opponatur cultui carnali Iudæorum:verus autem opponatur cultui falso Samaritanorum,qui reuera non legitimè, & per hoc non verè Deum colebant sacrificiis suis.

SECVNDVM argumentum ducitur ab illis verbis: *Venit hora,& nũc est*. Hæc enim verba manifestè significant Dominum loqui de adoratione noua, quæ antea non erat,& quæ initium haberet à Christo. At adoratio simplex,& omnia sacrificia impropriè dicta, vt hymni, preces,eleemosynæ,semper in vsu fuerunt, tum in lege, tum etiam ante legem: non ergo Dominus loquitur de adoratione simplici, sed de adoratione per sacrificium, & per sacrificium non impropriè dictum, & commune omni ætati,sed per sacrificium propriè dictum, & proprium Testamento nouo,& Ecclesiæ Christianorum.

TERTIVM argumentum sumitur ex eo, quòd sine dubio loquitur Dominus de adoratione externa, publica & solenni,non de interna, & priuata. Nam & quæstio Samaritanæ id postulat,& præterea Dominus apertissimè loquitur de adoratione apud Christianos, quæ succederet illi,quæ apud Iudæos non fiebat legitimè, nisi in templo Hierosolymitano;illa autem erat externa,publica, & solennis. Atqui adoratio simplex, & sacrificia impropriè dicta, possunt omnia priuatim fieri, & sæpe sola mẽte:nõ ergo loquitur Dominus de ista adoratione, neque de istis sacrificiis,sed de vero,externo, & publico sacrificio Ecclesiæ,quod aut nullũ est,aut Eucharistia est.

ADDE,quòd Theodoretus, & Rupertus in commentario Malachiæ hunc locum Ioannis,volunt omnino similẽ esse vaticinio Malachiæ suprà explicato,quod etiam ante eos asseruit Eusebius lib.1. de demonstrat. Euangel.cap.6. Quare si locus Malachiæ de sacrificio propriè dicto intelligitur,vt satis iam demonstrauimus, certè etiam locus hic Ioannis de sacrificio propriè dicto intelligendus erit.

CAPVT XII.

Probatur sacrificium Missæ ex verbis institutionis.

EXTVM argumentum principale sumitur ab institutione,& prima celebratione huius mysterij,quæ habetur Matthæi 26.Marc.14. Lucæ 22. & 1.Corinth.11.Est autem argumentũ huiusmodi:Christus in vltima Cœna seipse sub specie panis & vini Deo Patri obtulit, & idipsum iussit fieri ab Apostolis, & eorum successoribus vsque ad mundi consummationem. Sed hoc est sacrificium verè,ac propriè dictum obtulisse,& offerendum instituisse;ergo celebratio Eucharistię est sacrificium propriè dictum. Assumptio argumẽti extra controuersiam est,sed propositionem aduersarij pertinacissimè negant.Antequam autem progrediamur ad eam comprobandam,operæ pretium erit, impostura aduersariorum breuiter refutare.

IOANNES Caluinus in antidoto articulorum Parisiensium, fingit Catholicos ita probare propositionem nostri argumenti:*Christus dixit,Hoc facite. Sed facere,est sacrificare,iuxta illud Virgilij,Cùm faciam vitula:ergo Dominus iussit sacrificare.*\Deinde argumento à se conficto, respondet,Dominum,cùm ait,*Hoc facite*,nõ esse loquutum Latinè, vt locum habeat acceptio illa Virgiliana, sed Syriacè,siue Hebraicè, vbi nõ habet locum illa subtilitas Grammaticalis: proinde argumentum nihil concludere.Martinus etiã Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 746.Catholicos ridet, quòd vtantur illo argumento ex vocabulo faciendi,quòd apud Virgilium accipiatur pro eo,quod est sacrificare.

SED errant in duobus aduersarij.Primùm,quòd nõ bona fide referant argumenta Catholicorum; non enim Catholici tam ineptè argumentantur. Deinde, falsum est,quod assumunt,in lingua Syriaca,vel Hebraica,verbum (facere) non posse accipi pro sacrificare:nihil enim sæpius occurrit in Scriptura, quàm illud verbum in ea significatione. Leui.15.v.15. loquens Moses de duobus turturibus in sacrificium offerendis:*Faciet*, inquit, *vnum pro peccato, & alterum in holocaustum*, vbi etiam in Hebræo est verbum עשה, quod propriè significat facere, חביחן ועשה אתם 3.Reg.18. v.23. dicit Helias Prophetis Baal:*Dentur nobis duo boues,& illi eligant sibi bouẽ vnum,& in frusta cædentes ponant super ligna,ignem autem nõ supponant,& ego faciã bouem alterum* ואני אעשה את-הפר האחר Oseæ 2.ver.8. *Ego dedi ei frumentum, vinum,& oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* עשו לבעל. Vide similia Leuit.9.14. 23.24.Nume.6.8.14.28.3.Reg.8.Ezech.46.& alibi.

SED his omissis, probabimus propositionem nostri argumenti, quod videlicet Dominus in cœna obtulerit Deo,& iusserit offerri corpus suum in specie panis,& vini. Et quidem,quod si ipse obtulit,iusserit etiam offerri, certum est ex illis verbis Luc.22.*Hoc facite in meam commemorationẽ*,illud enim,*Hoc*,demonstrat,vt suprà ostendimus,id quod Dominus fecit in cœna.

QVOD autem Dominus in cœna obtulerit corpus suum Patri in Eucharistia,& non solùm Apostolis manducandum porrexerit,in quo tota est difficultas, vt etiã Kemnitius & alij fatentur, probatur primò ex dictis in 1,2. & 3.argumento principali.Non enim fuit verè sacerdos secundum ordinem Melchisedech, neque impleuit

figuram agni Paschalis , neque fuit verè sanguis cœnæ. sanguis Testamenti noui,nisi in cœna se obtulerit in sacrificium,vt satis fusè demonstratum est.

PRÆTER illa argumenta,habemus alia tria. Primũ Christus dixit:*Hoc est corpus meum,quod pro vobis datur*, Lucæ 22.vel vt habet Paulus 1.Corinth.11.*Quod pro vobis frangitur*. Item : *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo,qui pro vobis effunditur* , Lucæ 22. & addit Matthæus,cap.26.*In remissionem peccatorum*. Illa verba temporis præsentis,*datur*, *frangitur*, *funditur*, non significant dari, vel effundi Apostolis ad manducandum, & bibendum, sed dari, & effundi Deo in sacrificium, nam non ait Dominus;Vobis datur,frangitur,effunditur, sed pro vobis. Et præterea non dabatur,aut effundebatur cibus ille & potus tunc nisi Apostolis præsentibus, & tamen Dominus ait etiam : *Pro multis effunditur*,Matthæi 26.sensus igitur est;Pro vobis,& pro multis datur,& libatur Deo in sacrificiũ propitiatorium, in remissionem videlicet peccatorum.

AD hoc argumentum non potest responderi , nisi id quod respondet Kemnitius in secunda parte Examinis. pagina 716.illa verba:*traditur*, *frangitur*,*effunditur*,referri ad crucem,vt sensus sit, Hoc est corpus meum , quod paulò pòst dabitur ad mortem , & hic est sanguis , qui paulò pòst in cruce fundẽdus est:quod enim paulò pòst futurum est, non inusitatè dicitur iam fieri. Et probat Kemnitius debere accipi hoc loco præsens pro futuro, his argumentis. Primò, quia in Canone Missæ legimus; *Effundetur*.Secũdò,quia si in ipsa actione Missæ sanguis effunderetur , non esset Missa incruentum sacrificium. Tertiò,Scriptura tradit Christi sanguinem fusum esse in cruce. Quartò,in Scriptura sæpe accipitur præsens, vel etiam præteritum pro futuro,vt in illis verbis:*Ego ponam animam meam. Puer natus est nobis. Agnus occisus est ab origine mundi*. Addit etiam Quintò , quòd si ista verba, *Quod pro vobis datur*,essent substantialia verba sacrificij Missæ, magnum scelus impingeretur Canoni Missæ, quòd illa verba prætermiserit.

SED ista Kemnitij argumenta parùm valent. Ad Primum,non solùm Canon Missæ,sed etiam vulgata editio Scripturæ Lucæ 22.& Cyprianus lib.2.epist.3. legunt in futuro : *Effundetur*. Sed istæ lectiones non pugnant inter se, immò vna inducit alteram:nam ex eo quòd Dominus in præsenti dixit.*funditur*,id est,offertur,ac libatur Deo in repræsentationem effusionis futuræ in cruce, sequitur effusionem in cruce fuisse futuram ; & simul etiam sequitur , deinceps vsque ad mundi consummationem fundendum sanguinem Christi, id est, offerendum,& libandum Deo in sacrificio Missæ, quod omnibus veteribus sacrificiis successit.Itaque omnes sunt veræ lectiones,siue dicamus; funditur,id est,nunc in cœna,siue Fundetur, id est, in cruce, siue Fundetur, id est, deinceps in sacrificio per Ecclesiam frequentando. Sed nulla negari debet, & præsertim prima, cùm Euangelistæ & Paulus scripserint in præsenti,*datur*, *effunditur*,& non oporteat negare proprium,& simplicem literæ sensum sine vrgentissima ratione.

AD Secundum , non effunditur in cœna sanguis in propria specie , sed in specie vini: dicitur enim sanguis in cœna fundi , dum in specie liquida in calice collectus offertur Deo , ac deinde in eadem specie funditur in ora sumentium. Sed hæc effusio non facit sacrificium cruentum , cùm sanguis reipsa de corpore non egrediatur.

AD tertium , Scriptura verissimè tradit Christi sanguinem fusum esse in cruce,sed non negat fusum etiam fuisse in cœna.immò id apertissimè docet:neque ista, vt diximus inter se pugnant.

AD Quartum , fateor in Scriptura sæpe accipi præsens,aut præteritum pro futuro , sed sæpius præsens pro præsenti , quàm pro futuro accipiendum nemo , credo, inficiabitur.Probandum igitur esset Kemnitio hoc loco, *Datur*,& *funditur*, accipi pro futuro,non pro præsenti: vt interim omittam , quàm ineptum sit illud exemplum à Kemnitio adductum:*Agnus occisus est ab origine mundi*. Si enim,vt ipse iubet , exponas præteritum pro futuro, hic erit sensus, Agnus occidetur ab origine mundi, qui sensus quam repugnantiam includat,nemo non videt.

AD Quintum illa verba : *Quod pro vobis datur*, non sunt verba substantialia sacrificij , quasi necessariò requiratur eorum pronũciatio ,vt sacrificium perficiatur: sunt tamen eiusmodi, vt manifestè indicent sacrificium à Christo in cœna fuisse oblatum.

NON igitur probauit Kemnitius quod volebat:nos verò contrà probamus,illa verba, *datur*, & *funditur*, debere referri ad actionem cœnæ,& in præsenti accipienda esse. Primò , quia id requirit propria & simplex eius loci sententia.

SECVNDÒ,quia Paulus 1.Corinth.11.dixit:*Quod pro vobis frangitur* , frangi autem non conuenit Christi corpori,nisi in specie panis. Quare S. Ioãnes Chrysostomus homil.24.in priorem ad Corinthios,scribit Christum in Sacramento pati fractionem,quam in cruce pati noluit. Et quamuis vtcunque possit fractio etiam ad passionem Christi in propria specie accommodari,propter confractionem cutis,& neruorum,ac venarum,&c.tamen vix dubium esse potest,quin Apostolus respexerit ad species panis,cùm ait, *frangitur*. Scriptura enim propriè vti solet hac voce cùm loquitur de pane,vt *Frange esurienti panem tuum*.Isaiæ 58. *Panis quem frangimus*. 1. Corinth.10. *Frangebant circa domos panem*. Actorum 2. Nec tamen possumus de solo pane intelligere illa verba:*Hoc est corpus meum , quod pro vobis frangitur*. non enim panis pro nobis frãgitur,sed nobis. Oportet igitur intelligere verba illa de vero corpore , sed sub specie panis , vt sensus sit, Hoc est corpus meum,quod nunc pro vobis in specie panis frangitur,id est,datur,& immolatur Deo.

TERTIÒ,quia Lucas cap.22.cùm ait:*Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo,qui pro vobis funditur*, illud , *funditur* , non coniunxit cum voce , *sanguine*, sed cum voce,*calix*,vt ex Græco textu apparet,vbi habetur τοῦτο τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον. At certè si Lucas dicere voluisset , sanguinem fundendum in cruce tantummodò, dixisset,Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui nimirum sanguis, funditur:nunc autem dixit, Hic est calix , qui funditur. Itaque indicauit sanguinem fundi,vt erat in calice,& proinde fundi in cœna.

SECVNDVM argumentum principale ad probandã propositionem suprà dictam,quòd Christus in cœna se obtulerit in sacrificium, sumitur ex vera præsentia corporis,& sanguinis Christi in cœna,quam Lutherani cõcedunt, & Caluinistæ concederent, nisi cum apertissimis Scripturæ verbis pugnare vellent.Nam Christi corpus & sanguis in cœna sumuntur,vt caro,& sanguis victimæ pro nobis oblatæ , ergo necessariò in ipsa cœna priùs immolantur,& offeruntur Deo,quàm à nobis sumantur.

SVMI autem Christi corpus,& sanguinem , vt participationem victimæ , Lutherani non negant : etsi negarent,facillimè probaretur. Nam in primis ideò in cœna seorsim consecratur corpus,& seorsim sanguis,vt intelligamus, præsentiam corporis & sanguinis in cœna esse ad modum occisi , & mortui corporis. Deinde corpus & sanguis sunt in cœna , vt cibus & potus. At caro & sanguis , non sunt apta ad cibum , nisi priùs animal moriatur : Christus autem non moritur , nisi per immolationem.Et hoc est argumentum Gregorij Nysseni in prima oratione de Resurrectione,vbi colligit in cœna Christum immolari,quia non possemus aliter carne eius vesci. Hinc etiam Augustinus libro 9. confess.cap.13. dicit

matrem suam omnibus diebus seruisse altari, vnde sciret dispensari victimam sanctam.

KEMNITIVS in 2. parte Examinis, pag. 772. & 773. egregiè se ad hoc argumentum respondisse putat. Dicit enim non sufficere præsentiam veram, & realem corporis Christi ad sacrificium: nam etiam in vtero matris, & postea in præsepi, fuit vera, & realis præsentia corporis Christi, vbi tamen nullum fuit sacrificium. Itaque vult quatuor conditiones requiri ad verum sacrificiū. Primò, substantiam rei, quæ immolatur. Secundò, certam offerendi actionem à Deo præscriptam. Tertiò, certam personam à Deo deputatā ad offerendū. Quartò, vt fiat ea intentione, & ad eum finē, qui in verbo Dei præscriptus est. Ex his autē conditionibus primam dūtaxat haberi dicit in celebratione cœnę, reliquas omnino deesse.

RESPONDEO primùm quòd Christi corpus in vtero matris, vel in præsepi verè, ac realiter fuerit præsens, & tamen non fuerit sacrificium, ad rem nihil facit. Nam non erat in vtero, vel in præsepi, vt victima, sed vt viuēs infantulus: in cœna autem esse, vt victimam, ipsi fatētur. Sic enim scribit ipse Kemnitius, vt alios interim omittam, pag. 717, *Ibi (in cœna) dispēsatur, & sumitur victima, quæ pro peccatis nostris semel in cruce oblata est.* Hæc ille. Sic igitur nos argumentum instruimus: Christi corpus, vt in cœna reipsa adest, victima quędam est: ergo aliqua præcedente immolatione victima factum est. Quæro, quæ fuerit illa immolatio? dices; Immolatio crucis. At cùm primùm Apostoli participarunt istam victimam, nondum Christus in cruce fuerat immolatus. Præterea neque nunc victima, quæ est in altari, potest dici facta per immolationem crucis: nam illa immolatio semel tātùm facta est, & victima per eam facta, paulò pòst desiit esse victima. Christi enim corpus post resurrectionem dum apparebat discipulis, & dum in cœlum ascēdebat, victima dici non poterat; & multò minùs nunc, vt in cœlis viuit ac regnat, victima dici potest. Cùm igitur victima per immolationem crucis facta, desierit esse victima, debet alia immolatione id fieri. Sed immolatio crucis non potest repeti; alia igitur noua requiritur immolatio. Quare aut immolatio, quæ victimā ponit in altari, seu in sacra cœna, est ipsa actio, celebratióque mysterij Eucharistię: aut non est in sacra cœna vlla victima.

QVOD verò attinet ad illas tres conditiones sacrificij, quas in Eucharistię desiderari Kemnitius putat, nos facilè possumus eas demonstrare. Nam in primis certæ personæ deputatæ ad sacrificium, sunt Apostoli, & qui eis succedunt, illis enim solis Dominus dixit: *Hoc facite.* Intentio, & finis in verbo Dei præscriptus, habetur ibidem in illis verbis: *in meam commemorationem.* Nam vt finis erat sacrificiorum præcedentium, Christum repręsentare sacrificium crucis, vt futurum: sic finis est sacrificij Eucharistiæ commemorare, & repræsentare sacrificium crucis, vt præteritum. Et sicut vetera illa sacrificia non amittebant suam, & veram, & propriam sacrificij rationem ex eo, quòd essent repræsentatiua, ita etiā sacrificium Eucharistiæ, non amittit suam, & veram, ac propriam sacrificij rationem, quia simul est alterius sacrificij commemoratiuum.

RESTAT vna conditio demonstranda, nimirū actio offerendi, quam quidē certò scimus adesse, etiamsi fortè eam non facilè possemus distinguere, & separare ab aliis actionibus, quæ simul fiunt. Nam ex prima conditione, quam Kemnitius admittit, necessariò infertur secunda, quam ipse negat. Vbi enim est victima, ibi necessariò præcedere debet immolatio, & proinde oblatio, cùm victima non fiat, nisi per immolationem, sed satis manifesta est actio immolationis, & oblationis in Eucharistia, nimirum ipsa consecratio. Neque enim petere debent aduersarij, vt ostendamus vbi Dominus dixerit: Ego offero, vel sacrificio: aut vbi iusserit, Offerte, vel sacrificate: sed satis est, si actio ipsa offerendi, & immolandi ostēdatur. Nam in Testamento veteri nusquam legimus dixisse sacerdotes: Ego offero, vel sacrifico: sed hoc ipso, quod Dei honorem, & ad significādam Christi mortem, animalia cæsa super altare ponebant, offerre Deo, & sacrificare censebantur. Quemadmodum etiam Dominus in cruce non legitur dixisse, Ego me offero, & sacrifico: & tamen quis dubitet spontaneam illam ascensionem crucis, veram oblationem fuisse? Ad eundem igitur modum illa actio, qua Christi corpus ad Dei honorem super mensam ponitur, vt consumatur, idque fit ad repræsentandam eiusdem Christi passionem, oblatio, & immolatio dicenda est. Illa autem actio consecratio est: nam per consecrationem fit, vt Christi corpus verè, & visibiliter adsit super mensam, & adsit aptè ad repræsentandam passionem, & mortem eiusdem.

TERTIVM argumentum principale ad eandē probandam propositionem, sumitur ex Patribus, qui apertè dicunt, Christum in cœna seipsum Deo Patri sub specie panis, & vini obtulisse.

IRENAEVS lib. 4. cap. 32. *Noui Testamenti nouam docuit oblationem.* Cyprianus lib. 2. epist. 3. *Quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idē quod Melchisedech obtulerat, panem scilicet, & vinum, hoc est, suum corpus, & sanguinem.* Ambrosius in Psalm. 38. in illa verba: *In imagine pertransit homo: Vidimus*, inquit, *Principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur, vt possumus, Sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium. Nam etsi infirmi merito, tamē honorabiles sacrificio: quia etsi nūc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: immò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* Gregorius Nyssenus oratione 1. de resurrectione: *Pro ineffabili, arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit, sacrificij modo, sua dispositione præoccupat impetum violētum, ac sese oblationem, ac victimam offert pro nobis sacerdos simul, & agnus Dei. Quando hoc accidit? cùm suum corpus ad comedēdum, & sanguinem ad bibendum familiaribus præbuit.* Ioānes Chrysostomus homilia 24. in priorem ad Corinthios: *Pro brutorum*, inquit, *cæde seipsum offerendum præcepit.* Et homil. 2. in posteriorem ad Timotheum, prope finem: *Sacra ipsa oblatio, siue illā Petrus, siue Paulus, siue alius cuiuslibet meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modo quoque conficiunt: nihil habet ista, quàm illa minùs. Cur id? quia nō hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè sacrauerat.* Augustinus in Psalm. 33. concione 2. *Ipse de corpore, & sanguine suo, sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech.* Vide etiam librum 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 19. lib. 20. contra Faustum, cap. 21. epistola 5. ad Marcellinum, lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 20. & lib. 83. quæst. 61. Leo sermon. 7. de Passione Domini: *Vt vmbræ cederent corpori, &c.* Hesychius lib. 2. in Leuiticum, cap. 8. *Priùs figuratam ouem cum Apostolis cœnans Dominus, postea suum obtulit sacrificium.* Rupertus lib. 2. in Exodum, cap. 6. *In angustia passionis agonizans, priùs propriis manibus Deo Patri semetipsum immolat, accipiens panem, &c.*

CAPVT XIII.

Probatur sacrificium Missæ ex cap. 13. Actorum.

SEPTIMVM argumentum sumitur ex illis verbis, quæ sanctus Lucas in Actis ponit, vbi refert ordinationem Pauli, & Barnabæ: *Ministrantibus*, inquit, *illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus; Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*, Actorum 13. Ministerium enim illud Domino exhibitum, non videtur aliud esse potuisse, quàm sacrificium,

ficium, & sacrificium Missæ: aut enim hoc sacrificium est in Ecclesia, aut nullum.

SIGNIFICARI autem illa voce: *Ministrantibus*, sacrificium, probatur Primò ex voce Græca λειτουργούντων. Nam in primis etiam aduersarij confitentur, & potissimùm Apologia Confessionis Augustanæ in articulo de Missa, vocem tllam λειτουργέω, non significare quodcúque ministerium, sed publicum. Itaque hoc loco non significat aliquid priuatum, & internum, sed publicū, & proinde externum. Neque significare potest ministerium verbi, aut Sacramentorum: quia ista publica quidem sunt, sed non exhibentur Deo. Non enim cōcionamur Deo, neque Sacramenta Domino dispensamus, sed populo. Hic autem dicitur: *Ministrantibus illis Domino.*

DICES; Qui concionantur, aut Sacramenta populo præbent, Domino ministrare dici possunt, quia ad eius honorem id faciunt. At si ista esset causa, cur Lucas scripserit: *Ministrantibus Domino*, non addidisset, *& ieiunantibus*; nam etiam ieiunare, est eo modo Domino ministrare. Qui enim benè ieiunant, ad honorem Dei ieiunant; iuxta illud Roman. 14. *Qui manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat.*

PRAETEREA verbum illud λειτουργέω, licet possit accommodari ad sacra, & profana ministeria, tamen cùm accommodatur ad sacra, & absolutè ponitur in Scripturis, vbique accipitur pro ministerio sacrificij, vt patet ex cap. 1. Lucæ, & epistola ad Hebræos, cap. 2. 8. 9. & 10. Quare hoc loco Erasmus, qui apud aduersarios in precio esse solet, vertere ausus est: *Sacrificantibus illis Domino*; & hinc etiam factum est, vt Græci Missæ celebrationem λειτουργίαν appellent.

CAPVT XIV.

Probatur sacrificium Missæ ex cap. 10. prioris ad Corinthios.

ARGVMENTVM Postremum ex his quæ petūtur à Scripturis, est apud Apostolum 1. Corinth. 10. *Fugite*, inquit, *ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor: vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus qui de vno pane participamus. Videte Israël secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid, aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Hæc ille.

EX his verbis tria argumenta colliguntur. Vnum ex comparatione mensæ Domini, cum mensa Gentilium, & Iudæorum. Apertissimè enim comparat Apostolus mensam Domini, vnde sumimus Eucharistiam, cum altari Gentilium, vbi immolabatur idolis, & cum altari Hebræorum, vbi immolabantur sacrificia carnalia Deo vero. Inde autem sequitur mensam Domini esse etiam quoddam altare, & proinde Eucharistiam esse sacrificium: nunquam enim altare propriè dictum erigitur, nisi ad sacrificia propriè dicta. Existimant quidem aliqui, vt Haymo, & alij nonnulli graues auctores non improbabiliter mensam Domini expresè vocari altare, Hebr. 13. in illis verbis: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt:* tamen quia non desunt ex Catholicis, qui eo loco per altare intelligant crucē, aut ipsum Christū, non vrgeo eum locum.

ALTERVM argumentum sumitur ex comparatione Eucharistiæ, cum sacrificiis Gentilium, & Hebræorum, Apostolus enim apertissimè dicit, ita nos fideles sumere de mensa Domini corpus, & sanguinem Domini, vt sumunt Iudæi hostias, & Gentiles idolothyta ex suis altaribus seu mensis. Quæ comparatio inepta sit necesse est, & perperam ab Apostolo adducta, si Eucharistia non est sacrificiū Deo immolatum, sicut cibi illi Iudæorum, & Gentilium sunt sacrificia Deo, vel idolis immolata.

TERTIVM argumentum sumitur ex comparatione societatis, quam habemus cum Deo per manducationē Eucharistiæ, cum societate quam habebant Gentiles cū idolis per manducationem idolothytorum. Paulus enim docet eos, qui manducant idolothyta ita coniungi cum idolis, vt censeantur veri idololatræ: ideò namque initio dixit, *Fugite ab idolorum cultura.* Vtitur igitur hoc argumento; Qui manducat idolothyta, fit particeps altaris idolorum; ergo cōsentit in sacrificium idolorum, immò fit socius immolantium idolis. Ergo est idololatra; sacrificium enim est proprius actus latriæ. Quare si apta est Pauli comparatio, oportebit etiam circa Eucharistiam ita argumentari, Qui manducat Eucharistiam, fit particeps altaris Domini, ergo consentit in oblationem Eucharistiæ Deo factam, immò fit socius eam offerentium; ergo Deum hac oblatione cultu latriæ honorat.

AD hæc argumenta respondet Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 767. Ac Primum more suo impudenter admodū, & scurriliter in re tam sacra se gerit: *Ex Ethnicorum*, inquit, *sacrificiis, quæ dæmoniis offeruntur, deploratæ Missæ suæ subsidium accersere non verentur: non dissimili ratione, sicut ille apud Virgilium inquit:*

Vos mihi manes
Este boni, quoniam Superis auersa voluntas.

Hæc ille: nec animaduērtit impius hæreticus, se hoc modo Apostolū ipsum irridere, illīque insultare. Si enim nos à Diis Manibus censemur subsidium petere, quia probamus sacrificium Missæ ex comparatione Eucharistiæ ad sacrificia Gentilium: multò magis Paulus censebitur à Diis Manibus auxilium petiisse qui probauit non esse manducanda idolothyta ex eadem comparatione Eucharistiæ ad sacrificia idolorum. Sed facessant impiæ nugæ, vel blasphemiæ potiùs: non enim à Diis Manibus, sed à verbis diuinæ Scripturæ & à comparatione in eadem Scriptura posita, subsidium flagitamus.

DEINDE Kemnitius seriò respondet, ac duo dicit. Primò, mensam Gentilium, cum qua Apostolus comparat mensam Domini, non esse altare idolorum, sed mensam communem, in qua conuiuari solebant. Id probat, quia non erat consuetudo Gentilium, vt ad aras discumberēt, sed vt de reliquiis immolatorum domi suæ conuiuium instruerent, & ad illud amicos suos inuitarent. Loquitur autem B. Paulus de mensa, in qua comedebantur idolothyta; ergo non loquitur de altari, sed de communi mensa. Præterea nō erat quæstio B. Pauli, an liceret Christianis apud aras Gentilium interesse ipsorum sacrificiis, & sacrificare dæmoniis, id enim Christianis notissimum erat, sed an liceret ire ad conuiuia Gentilium, vbi edenda apponebantur idolothyta.

HAEC Prima solutio Kemnitij parùm valet. Nam In primis falsum est non consueuisse Gentiles ad aras idolorū discumbere. Quid ènim, quæso, est, quod ait Apostolus 1. Cor. 8. *Si quis viderit eum, qui habet scientiam recumbentem in idolio?* quid enim est idolium nisi locus vbi est idolum? Neque obstat quod idem Paulus dicit 1. Cor. 10. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, si quis dixerit, Hoc immolatum est, nolite manducare, &c.* Nam vtrumque est verum, solebāt quippe Gentiles, & ad aras idolorū discumbere, & etiam de reliquiis immolatorū domi suæ conuiuiū instruere. Quare malè proponit Kemnitius quæstionē Apostoli. Nā etsi non erat quæstio, an liceret idolis sacrificare: tamē nec erat quæstio, an liceret in cōuiuiis Gentiliū interesse, sed an liceret vesci idolothytis, & præsertim in idolio: & Paulus negat licere, quia hoc est socium fieri dæmoniorum, & interpretatiuè sacrificare dæmonibus.

DEINDE etiamsi non consueuissent Gētiles ad aras idolorum discumbere, vt falsò dicit Kemnitius, tamen mensa dæmoniorum, cui comparatur mensa Domini, adhuc altare ipsum, non mensam communem significaret. Apostolus enim vbi mensam dæmoniorum nominat, non loquitur de mensa, vbi comedebatur, sed de mensa, vbi immolabatur, & vnde cibi immolati ad mensam cōmunem deferebantur, vt manifestè patet ex collatione cum altari Iudæorum. *Videte*, inquit, *Israël secūdum carnem, nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris?*

DEINDE idem colligitur ex eo, quòd Apostolus vocat mensam Gentilium mensam dæmoniorum: vocat enim eam mensam dæmoniorum, quia sacra erat dæmoniis. Non enim vocaret mensam dæmoniorum, mensam communem Gentilium, ad quàm permittebat etiā fidelibus accedere. Præterea nō compararet mensæ Domini, si loqueretur de mensa communi & profana, nisi velit Kemnitius mensam Domini esse mensam communem & profanam.

AD hæc Apostolus cùm dehortatur à mensa dæmoniorum, dicit causam esse, vt fugiant cultum idolorum: ergo loquitur de mensa, in qua immolabatur idolis, ex qua qui sumebant cibum, censebantur idololatræ. B

DENIQVE idem Paulus in eodem capite dicit, licitum esse ire ad mensas Gentilium, & ibi māducare idolothyta, si quis ignoret cibos illos esse immolatitios, & simul dicit: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*: ergo nisi secum ipse pugnet Apostolus, nō potest per mensam dæmoniorū intelligere mensam Gentilū, vbi solùm materialiter comeduntur idolothyta. Quod autem Kemnitius dicit, Apostolum scribere, liberum quidē esse, tamen nō conuenire, vt fideles simul mensæ Domini, & mensæ dæmoniorū participes fiant, absurdissimū, & falsissimum est. Non enim Apostolus dicit liberum esse, sed absolutè dicit: *Non potestis mensæ Domini, & mensæ dæmoniorū participes esse.* Et quid absurdius dici potest, quàm vt liberū sit fidelibus mēsæ dæmoniorum participare, & dæmoniorum socios fieri? C

ADDE Vltimò, quòd etiamsi non possemus conuincere per mēsam dæmoniorum intelligi altare idolorum, tamen argumentum nostrum esset solidum ex comparatione mensæ Domini cum altari Iudæorum, quod Apostolus expresè nominat.

SED Kemnitius nō fuit tam hebes, quin viderit hoc modo refelli posse solutionem suam, ideò ad finem addidit Secundam solutionem, ac dicit, eos qui sumūt Eucharistiam, participare de sacrificio peracto in cruce, sicut ij, qui manducabant idolothyta, participant de sacrificio peracto in altari idolorum.

AT neque hac via euadere poterit. Nam Apostolus non comparat mensam dæmoniorum cum cruce, sed cū mensa Eucharistiæ, proinde vult esse mensam Eucharistiæ verum altare ad sacrificandum erectum, & in hoc sita est comparatio, quòd sicut Gentiles manducabant immolata in altari, ita nos māducamus id quod immolatur in mensa Eucharistiæ. Deinde, vt suprà diximus, sacrificium ex immolatione factum in cruce fuit aliquādo, & postea desiit esse, nec potest rursum fieri nisi per nouam immolationem. Atque hactenus de testimoniis Scripturarum. D

CAPVT XV.

Probatur sacrificium Missæ ex traditione Patrum, ac primùm ex vocibus sacrificij, oblationis, immolationis, &c.

HACTENVS ex diuinis literis testimonia pro sacrificio Missæ deprompsimus: nunc ad Secūdum locum accedimus, videlicet ad testimonia veterū Patrum. Rectè enim Kemnitius dicit pagina 775. bonas mentes plurimum moueri consensu, & testimonio antiquitatis, eius potissimùm, quæ fuit puriorib⁹, optimis, & florentissimis Ecclesiæ temporibus. Sed quia nimis longum esset singula testimonia seorsim excutere, vt fecimus in disputatione de veritate corporis Domini in Eucharistia: reducemus omnia ad aliquot capita, & simul refellemus responsiones aduersariorum. A

PRIMVM igitur caput, siue argumentum sumi potest ex nominibus sacrificij, hostiæ, victimæ, & ex verbis, offerre, immolare, sacrificare, quibus Patres dicuntur cùm de celebratione Cœnæ Domini verba faciunt: passim enim tum Græci, tum Latini, non solùm dicunt Eucharistiam esse sacrificium, seu oblationem, sed dicunt, offerri Deo, immolari, & sacrificari. Neque opus est loca notari vbi eiusmodi voces habeantur: aduersarij enim fatentur eas apud Patres esse frequentissimas: *Negari non potest*, inquit, Kemnitius pag. 782. *veteres quando loquuntur de celebratione cœnæ Dominicæ, vsurpare vocabula, sacrificij, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ, item vti verbis, offerre, sacrificare, immolare.* Hæc ille.

HIC igitur modus loquendi satis indicat quid Patres senserint: si enim existimarent Eucharistiam solùm esse Sacramentum, non etiam sacrificium, vt aduersarij sentiunt, nulla esset causa cur aliter loquerentur de Eucharistia, quàm de Baptismo. Nusquam autem Patres Baptismum vocant sacrificium, hostiam, victimam; nec dicunt baptizare esse sacrificare, vel immolare. Præterea quæ causa esset cur Patres de Sacramento Eucharistiæ aliter loquerētur, quàm aduersarij nostri loquātur? quomodo enim credibile erit veteres Patres in modo loquendi nobiscū, in sententia cum aduersariis conuenisse? B

SED videamus quid illi respondeant. Lutherus in libro de captiuit. Babylon. cap. 1. timidè dicit, Patres fortasse vocare sacrificium, non ipsam Eucharistiā, sed orationes, quæ in Missa dicuntur. Quia verò videbat istam solutionē non esse sufficiētem, cùm Patres passim ipsam Eucharistiam sacrificium vocent, & offerri dicant Deo à sacerdotibus, vt paulò pòst ostēdemus, audacter valedicit Patribus: *Si nihil habetur*, inquit, *quod dicatur, tutius est omnia negare, quàm Missam sacrificium esse concedere.* Et in libro de abroganda Missa, initiò ita scribit: *Profiteor inprimis aduersus eos qui clamaturi sunt, quòd contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Et infrà apertè dicit, se non curare quid Patres de Missa dixerint, sed quid debuerint dicere. Similia habet in libro contra Regem Angliæ: *Vltimò*, inquit, *dicta Patrum inducit Rex pro Missario sacrificio, & ridet meam stultitiā, quòd solus velim sapere præ omnibus. Hoc est, quod dixi, Thomisticos asinos habere nihil quod producant nisi multitudinem hominum, & vsum antiquum.* Et paulò infrà dicit, se nihil curare si mille Augustini, & mille Cypriani contra se stent. Denique in libro de Missa priuata: *Hic non moramur*, inquit, *si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres: quia vt dixi hominum dicta, aut facta, nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeóque Apostolos: verbo Christi iudicamus Ecclesiam, Apostolos, adeóque ipsos Angelos.* C

IOAN. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 10. respondet initiò Sacramentum Eucharistiæ à Patribus vocari sacrificium, quia est memoriale sacrificij crucis. Quam solutionem fusiùs persequitur Kemnitius, & ideò paulò infrà cum Kemnitij solutionibus eam refellimus: præsertim cùm Caluinus non multùm videatur in hac solutione confidere. Nam paulò pòst §. 11. non solùm fatetur veteres vsos esse vocabulis, quæ sacrificium significant, sed etiam agnoscit eos in modo actionis ad sacrificij rationem accessisse, & apertissimè eos reprehendit, quamuis ineptè sensum eorum excusare nitatur: *Quia veteres quoque*, inquit, *video aliò hanc memoriam detorsisse, quàm institutioni Domini conueniebat (quòd nescio quam repetitæ, aut saltem renouatæ immolationis faciem eorum Cœna præ se ferebat) nihil tutius piis pectoribus fuerit, quàm in pura, simpli* D

simplici q; Dei ordinatione acquiescere, cuius etiā ideò vocatur cœna, quoniā sola hic eius auctoritas vigere debet. Et §. 12, *Et certè si cogitamus Domini, nō hominū cœnam esse, non est cur vlla hominum auctoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos ab illa vel latum vnguem dimoueri.* Hæc ille. A

ITAQVE Lutherus, & Caluinus non sunt homines bonæ mentis, iudice Kēnitio, cùm non moueantur consensu, & testimonio veteris ac veræ, & florentissimæ Christi Ecclesiæ. Ipse autem Kemnitius, vt se bonā mentem habere lectoribus persuadeat, quatuor quædam dicit de testimoniis Patrum. Primùm, pag. 776. & sequentibus multa nugatur de statu quæstionis, scribit enim nō posse probari ex Patribus histrionicā illam repræsentationem, quam Pontificij Missam vocant, esse sacrificium. Sed iam suprà respondimus, starū quæstionis non esse de cæremoniis, & ritibus Missæ, de his enim postea loco proprio disserēmus, sed de substantia sacrificij. Quare non tenemur hoc loco probare ex Patribus ritus Missæ, sed solùm Eucharistiā offerri Deo, & non solùm distribui populo: id enim est de quo nunc disputamus.

SECVNDÒ, pag. 780. & sequentibus, disserit de vocibus Missæ, & sacrificij: ac tradit sex rationes explicandi loca Patrum, qui videntur asserere Missam esse sacrificium. Prima est, quòd loquantur de eleemosyna, quæ fiebat in Missa. Offerebat enim populus panem, & vinum, ex quo pars quædam consecrabatur in Eucharistiā, pars cedebat in vsum pauperum, eleemosyna autem est genus quoddam sacrificij. Secunda, quòd loquantur de precibus, quæ fiebant in celebratione Cœnæ: sunt enim & preces sacrificia quædā. Tertia, quòd loquantur de gratiarum actione, ad quam excitantur homines in celebratione Cœnæ, ex consideratione beneficiorum Dei: nam & gratias agere ad laudis sacrificium pertinet. Quarta, quòd loquantur de prædicatione, & annunciatione mortis Domini, quæ adiungi solebat celebrationi Cœnæ: nam Paulus Rom. 15. ministerium Euangelij sacrificium vocat. Quinta, quòd loquantur de variis exercitiis pietatis quæ occurrunt in Cœna Domini, vt fidei, pœnitentiæ, spei, dilectionis: istæ enim dicuntur à B. Petro spirituales hostiæ. Sexta, quòd loquantur de oblatione fidelium, qui in actione Cœnæ se ipsi Deo vouent, & consecrant, hoc est, corpus & animam suam. Paulus enim Roman. 12. vocat hostiam Deo placentem, exhibitionem corporis ad obsequium eius. B

SED istæ omnes rationes nihil ad rem faciunt. Patres enim cùm de oblatione Eucharistiæ loquuntur, apertè dicunt, solis sacerdotibus licitum esse id sacrificium offerre Deo: eleemosynæ autem, preces, laudes, & cætera quæ Kemnitius laboriosè coaceruauit, à toto populo offeruntur. Tertullianus in libro de velandis virginibus: *Non permittitur*, inquit, *mulieri in Ecclesia loqui, nec docere, nec tingere, nec offerre.* Idem in lib. de exhortatione castitatis, dicit officiū sacerdotis esse docere, tingere, offerre. Epiphanius similiter hæresi 79. multis verbis contendit, non licere mulieribus offerre sacrificia, & ideò Christum ne ipsi quidem Matri suæ permisisse, vt sacrificaret, sed solis Apostolis, quos sacerdotes ordinauerat. Concilium Nicænum can. 14. & Hieronymus in epistola ad Euagrium, & alia Concilia, & Patres, passim docent, non habere Diaconos potestatem offerendi sacrificium, sed id munus sacerdotum esse. At quis vnquam negauit licere Diaconis, immò etiam laicis, & mulieribus offerre eleemosynas, orationes, & alia sacrificia spiritualia, & impropriè dicta? C

PRAETEREA Patres disertis verbis dicunt sacrificium, quod in Ecclesia offertur à sacerdotibus, esse ipsum Domini corpus, & sanguinem, proinde solutiones illæ Kemnitij omnes sunt vanæ: nisi, fortè velit inaudito aliquo tropo, per corpus Domini intelligere eleemosynas, preces, &c. D

S. ANDREAS Apostolus, vt scribunt Presbyteri, & Diaconi Achaiæ in eius passione, dixit Ægeæ proconsuli: *Ego immaculatum agnum in altari offero, cuius carnes, posteaquam omnis populus credentium māducauerit, agnus, qui immolatus est, integer perseuerat, & viuus.* Hippolytus Martyr in oratione de Antichristo, inducit Christum ita loquentem ad sacerdotes: *Venite Pontifices, & Sacerdotes qui pretiosum corpus, & sanguinem meum quotidiè immolastis.* Ambrosius in Psal. 38. *Et si nunc Christus non videatur offerre, ipse tamen offertur in terris, cùm corpus eius offertur.* Et in cap. 1. Lucæ: *Cùm sacrificamus*, inquit, *Christus adest, Christus immolatur.* Gregorius Nyssenus in orat. de resurrect. *Dominus*, inquit, *præoccupans impetum Iudæorum, seipsum victimam offert, idem simul sacerdos, & agnus. Sed dices mihi, quando hoc accidit? tum cùm suum corpus ad comedendum, & sanguinem ad bibendum familiaribus dedit.* Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinth. *Pro victimarum, & pecorum cæde seipsum offerendum præcepit.* Et homil. 17. in epist. ad Hebr. *In multis locis offertur, non plures Christi, sed vnus vbique Christus, hic & illic plenus existens, vnum corpus, non multa corpora.* Quod idem scribit auctor Commentariorum, quæ tribuuntur Ambrosio, in c. 10. ad Hebr. & post eos Primasius in eundem locum. Augustinus li. 2. q. Euang. q. 3. reddens rationem, cur Dominus iusserit leproso, vt sacrificium pro sua emundatione offerret secundum ritum Mosis: *Quia*, inquit, *nondum institutum erat hoc sacrificium, sanctum sanctorum, quod corpus eius est.* Idē li. 4. de Trin. c. 14. *Quid gratius offerri, aut suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri?* Similia habent Cyrillus lib. de adoratione in spiritu, & veritate. Leo sermone octauo de passione. Fulgentius libro 2. ad Monimum, cap. 2. & alij Patres passim. Et ipsum Nicænum Concilium in eo canone, quem Caluinus, & alij omnes recipiunt, apertè dicit in sacra mensa situm esse agnum Dei incruentè immolatum. A

QVOD cùm non ignoraret Kemnitius, addidit Tertium dictum pag. 788. & sequentibus. *Sed excipiunt*, inquit, *non illa tantùm pietatis exercitia, sed ipsam actionem Cœnæ Dominicæ, & quidem ipsum corpus, & sanguinem in Cœna à veteribus vocari sacrificium, oblationem, hostiam, victimam, Ego verò non nego hoc, &c.* Deinde ponit tres modos explicandi loca Patrum, quæ ipsam Cœnæ actionem, vel Christi corpus, sacrificium vocant: quos modos singillatim refellemus, omisso tertio, quòd is ad ea loca Patrum solùm pertineat, qui dicunt sacrificium altaris esse propitiatorium, quæ est altera controuersia suo loco inferiùs explicanda. B

IGITVR Primus modus est, vt sacrificium appellent actionem Cœnæ, quia consecratio, & dispensatio Eucharistiæ est quædam sacra actio, quæ à Dionysio vocatur Græcè ἱερουργία; Latini enim sacrificare dixerunt, quod Græci dicunt ἱερουργεῖν. Id verò probat. Nam Paulus ad Rom. 15. describit per vocabula sacrificij, & oblationis ministerium Euangelij, quia est quædam sacra actio. Et Augustinus epist. 59. ad Paulinum, vocat sancti altaris oblationem, quæ offertur Deo quando id, quod in mensa Domini est, benedicitur, sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, & præparatur. Et Cyprianus libro 2. epistola 3. vbi in principio totius epistolæ argumentum ponit de calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, subinde ingeminat vocabula sacrificij, & oblationis, & quòd Christus sumpsit calicem non sola aqua, sed vino, & aqua mixtum, illúmque benedixit, & distribuit discipulis. Hoc Cyprianus ita effert: *Christus obtulit Deo Patri non aquam solam, sed vinum aqua mixtum in calice.* Non enim ista oblatio videtur posse esse ea, quam Catholici docent: nam corpus & sanguinem, non vinum & aquam Catholici Deo offerri dicunt. Vocat igitur Cyprianus oblationem C

Deo factam, ipsam consecrationem panis & vini, quem-admodum Actor. 13. Lucas dixit, Apostolos ministrasse Domino, cùm, interprete Chrysostomo, loqueretur de prædicatione Euangelij. Vnde etiam Augustinus epist. 23. dicit Christum immolari nobis, & in Psal. 79. dicit, immolari fidelibus; vbi immolationem vocat ipsam consecrationem factam in vsum fidelium. Deniq; Cyrillus in epistola ad Nestorium, vocat incruentum sacrificium, seu latriam, quando id, quod confectum est, nominamus corpus, & sanguinem Christi: quando accedimus ad mysticas benedictiones, & sanctificamur, participes effecti corporis, & sanguinis omnium redemptoris Christi. Hæc Kemnitius.

A Ad hunc primum modum respondeo, Kemnitium multa dicendo nihil dicere, sed tantùm mentibus simplicium rem inuoluendo nebulas offundere. Nam si ideò solùm diceretur sacrificium actio Cœnæ, quia est quædam sacra actio, cur eodem modo non diceretur sacrificium, actio Baptismi, cùm & illa sit sacra actio, & eiusdem generis cum actione Cœnæ, cum vtraque sit tantùm Sacramentum, secundum aduersarios?

B Deinde esto, quæuis sacra actio possit vocari sacrificium, ob vocabulorum similitudinem, quia sacrificium sonat sacrum facere: tamen non quælibet sacra actio potest dici oblatio, vt notum est. Non enim quicunque sacram actionem facit, continuò aliquid offert alteri. At Patres disertè dicunt in Cœna offerri Deo sacrificium corporis Domini: nõ igitur possunt verba Patrum exponi de sola consecratione panis ordinata ad communicationem fidelium, cùm illa non possit dici oblatio.

C Præterea etsi vocabulum sacrificij esset ambiguum, & posset accipi pro quauis sacra actione, tamen quando tribuitur ea vox rei permanenti, id est, cùm vocatur sacrificium non ipsa actio sacrificandi, sed res quę illa actione sacrificatur, tunc certè non potest exponi nomen sacrificij pro sacra actione. At Patres ipsum corpus Christi, quod offertur, sacrificium vocant: nam determinatè dicunt in sacra Cœna offerri Deo sacrificium corporis Christi. Non igitur potest exponi sententia Patrum de sacra actione consecrandi, & dispensandi Eucharistiam: neque enim illa actio est, aut dici potest vllo modo corpus Christi.

Adde Vltimò, quòd Kemnitius non bene probauit quod assumpsit, & in quo totum robur suæ solutionis constituit, nimirum idem esse Latinis sacrificium, & sacrificare, quod Græcis ἱερουργία; & ἱερουργεῖν. Nam licet etymologia sacrificij sumatur à sacra actione, cùm sit sacrificare, sacrum facere: tamen non quælibet sacra actio est sacrificium, sed ea sola, qua Deo res aliqua offertur cum certo quodam solenni ritu, & reali illius rei consumptione, vt suprà ostendimus. Quare Latini eruditi interpretes Græcorum librorum, non reddunt per vocabulum sacrificij nisi Græcam vocem θυσίαν, quæ propriè significat sacrificium, aut certè vocem ἱερουργίαν, aut aliam similem ambiguam, & generalem, quando ex circunstantiis vident eo loco positam esse pro vero sacrificio. Id quod facilè potest intelligi ex testimoniis à Kémitio allatis. Nam apud Dionysium, vocem ἱερουργίαν reddunt interpretes sacrum ministerium, non autem sacrificium: & quod Dionysius crediderit in Missa offerri Deo verum sacrificium, patet ex illis verbis, cap. 3. parte 3. de Ecclesiastica hierarchia: *Pontifex excusat se, quòd hostiam salutarem, quæ supra seipsum est, liret.* Apud Paulum Rom. 15. vocem ἱερουργοῦντα vertit interpres non sacrificantem, vt debuisset secundum Kemnitium, sed sanctificantem: vocem autem προσφορὰν vertit rectissimè oblationem, nomen sacrificij in toto eo capite non legitur.

D Porrò Augustinus altaris oblationem apertissimè vocat corpus Domini, quod in altari, vt verum, ac prium sacrificium Deo offertur. Neque obstant verba à Kemnitio citata. Nam Augustinus non dicit, vt ille pessima fide citat, oblationẽ Deo fieri, cùm quod est in mensa, ad distribuendum comminuitur: sed posteaquam dixerat, id quod est in mensa benedici, & comminui, &c. multis interpositis dicit, voueri Deo id omne quod ei offertur, maximè autẽ sancti altaris oblationem. Itaque Kemnitius cõiunxit ista cum superioribus, ac si vnã sententiam facerent, cùm ad diuersas sententias pertineant.

Iam verò Cyprianus cùm in argumento epistolæ ponit de calice sanctificando, & plebi ministrando: per sanctificationem non intelligit simpliçem consecrationem, consecrationem videlicet solùm ordinatã ad Communionem, sed intelligit consecrationem ordinatam ad sacrificium: nam ipse frequenter dicit offerri Deo sacrificium illud. Vnde meritò Cyprianus ingeminat vocem sacrificij, & victimæ. Quod autem ponderat Kemnitius Cyprianum dixisse, oblatum à Christo panẽ & vinum, non corpus & sanguinem: nihil facit aduersus sententiam nostram. Loquitur enim Cyprianus de oblatione panis & vini, quæ sacrificium præcedit, & quæ necessariò requirit subsequens sacrificium: offertur enim panis & vinum, vt etiam nunc in Missa fieri videmus, tanquam materia sacrificij futuri à Deo benedicenda.

De loco Actorum suprà disseruimus, atque ostendimus probabiliorem esse illorum sententiam, qui per illa verba: *Ministrantibus illis Domino*, intelligunt sacrificium Missæ. Sed etiamsi admitteretur alia sententia, vt probabilis, quòd loquatur Lucas de ministerio concionandi: nihil inde lucraretur Kemnitius. Nam verba Lucæ sunt generalia, neq; explicatè continent certum aliquod ministerium: non enim dixit Lucas, Offerentibus illis Domino sacrificium corporis Christi: sed in genere: *Ministrantibus illis Domino*. Quamuis autem nõ ineptè possit, qui concionatur, dici, ministrare Domino, & eodem modo possit qui Eucharistiæ, vel Baptismi Sacramentum dispensat, dici ministrare Domino: non tamen potest nisi valde durè, inusitatè, & ineptè dici is qui baptizat, offerre Domino aquam, vel is qui Eucharistiam dispensat, offerre corpus Christi Deo. Cùm igitur Patres passim dicant, in sacra Cœna offerri Deo corpus, & sanguinem Christi in sacrificium: non possunt eorum verba ita depraui, vt Kemnitius vellet.

Ad loca Augustini, vbi dicitur Christus immolari nobis, vel populis, facilè responderi potest. Illud enim *nobis*, vel *populis*, significat in nostram vtilitatem sacrificium Deo offerri: nam etiam sacrificium crucis, quod est verissimum sacrificium Deo oblatum, potest dici factum nobis, quia pro nobis oblatũ est. Immò Augustinus in posteriore loco, loquitur de sacrificio crucis, dicit enim tunc nobis Christum immolari, quando incipimus participare fructum mortis eius: perinde enim nobis est, ac si tunc primùm Christus in cruce oblatus fuisset.

Denique Cyrillus nihil habet contra sententiam nostram. Vocat enim incruentam latriam consecrationem, & Communionem Eucharistiæ, quatenus per illas actiones offerimus Deo sacrificium, & deinde illud cõsummamus, vel inde participamus: non enim appellaret latriã, nisi primarius finis illius actionis, esset Deum immediatè colere cultu illi soli debito; quod fit solùm per sacrificium propriè dictum. Hinc est enim quod neque Cyrillus, neque alij Patres, qui vocant Missam incruentam latriam, bunquã vocant incruentam latriam Baptismi celebrationem, quia nimirum Baptismus immediatè refertur ad nostram sanctificationem, non ad cultum Deo soli debitum reddendũ. Atq; hæc de primo modo.

Alter modus exponendi dicta Patrum est, vt intelligamus Cœnam Dni vocari à Patribus sacrificium, oblationem, immolationem, quia est commemoratio quædam, & repræsentatio veri sacrificij, nimirũ mortis

Chri

Christi. Et eodem modo Christus dicitur in Cœna immolari, non quod reuera in se propriè immoletur, sed quòd immoletur in Sacramento, id est, in imagine, & similitudine. Quam solutionem, vt suprà indicauimus, accepit Kemnitius à Caluino, eámque probat ex Patribus, qui sæpe dicunt, Christum semel tantùm verè fuisse immolatum: & Eucharistiam esse repræsentationem illius immolationis: Hoc enim habet Augustinus in sententiis Prosperi, de fide ad Petrum, c. 18. contra Faustum lib. 20. cap. 18. in epist. 23. & in 120. & in Psal. 79. Ambrosius, Chrysostomus, & Theophylactus in cap. 10. epistolæ ad Hebræos.

Denique Longobardus lib. 4. distin. 12. quærit, si quod gerit sacerdos, dicatur propriè sacrificium, vel immolatio, & respondet id quod offertur, & consecratur à sacerdote, vocari sacrificium, & oblationem, quia memoria est, & repræsentatio veri sacrificij, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Vbi notat Kemnitius, Concilium Tridentinum sess. 22. can. 1. dixisse anathema huic sententiæ Longobardi ex Patribus confirmatæ. Nam Longobardus ex Patribus docet, sacrificium Missæ dici sacrificium, quia est memoria sacrificij crucis, non quod in se sit propriè sacrificium, Concilium autem ait: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, anathema sit.*

A Ad hunc Secundum modum respondeo, verissimum esse quod Patres dicunt, Christum semel tantùm immolatum fuisse, & illius immolationis memoriam, & similitudinem esse actionem sacræ Cœnæ: nam loquuntur de immolatione in propria specie, siue de cruẽta immolatione, quæ semel tantùm verè, & propriè facta est: nunc autem propriè, sed per repræsentationem agitur. Sed hoc non impedit quò minus Patres existimauerint in Missa offerri verum, & proprium sacrificium.

Porrò Longobardus, cùm quærit, an quod sacerdos gerit, sit dicendum sacrificium, & immolatio, accipit nomen sacrificij & immolationis, pro occisione, ac si apertiùs quæsuisset, an quod gerit sacerdos sit dicenda Christi occisio: respondet autem rectissimè, Christum semel tantùm verè immolatum, id est, occisum fuisse, nunc autem non propriè immolari, id est, occidi, sed solùm in Sacramento, & repræsentatione. An autem sit quod sacerdos gerit, sacrificiũ propriè dictũ, sed incruẽtum, Longobardus nõ quærit, sed præsupponit, vt omnibus notum, ex ipsa celebratione quotidiana sacrificij. Ad quem modum etiam sanctus Thomas, & alij Scholastici non fuerunt soliciti de eo, quod nunc est in controuersia, sed solùm qua ratione sacrificium Missæ possit dici Christi immolatio, id est, occisio, & ideò ferè respondere solent, dici immolationem, quia est repræsentatio immolationis, vel quia habet effectum similem cùm ipsa vera, & reali Christi occisione. Quare Concilium Tridentinum nihil contrarium docuit Longobardi, aut Scholasticorum doctrinæ.

B Quòd autem Patres senserint, sacrificium Missæ, non esse solùm commemoratiuum, sed etiam verum, & proprium, Probatur Primò, quia Augustinus in locis à Kemnitio citatis de fide ad Petrum, c. 18. & libr. 20. contra Faustum, c. 18. sicut dicit actionem Cœnæ esse commemorationem sacrificij crucis iam peracti, ita dicit sacrificia veteris Testamenti fuisse commemorationem sacrificij crucis postea futuri: & tamen negari non potest, quin sacrificia illa vetera fuerint in se verè, & propriè dicta sacrificia.

C Secundò, si Patres putassent sacrificium Eucharistię non esse sacrificium, nisi repręsentatiuum, nunquam dixissent in numero multitudinis, offerri Deo victimas, & sacrificia in altari, vt loquitur passim Cyprianus lib. 1. epist. 2. lib. 2. epist. 3. lib. 3. epistola 2. 6. 25. in sermone de eleemosyna, & in alio de oratione Dominica, sed solùm

D in singulari, sacrificium. Vnum enim tantum est, quod repræsentatur: & ideò nomen eius non potest nisi in singulari efferri. Nam hæc de caussa Caluinistæ nunquam dicunt multos panes consecratos, esse multa corpora Christi, quia vnum corpus repræsentant: & nos de imaginibus dicimus quidem nos habere, aut vidisse multas imagines Cæsaris, sed non dicimus, nisi ineptè, multos Cæsares.

Tertiò, Baptismus est Sacramentum repræsentatiuum mortis Christi, vt Apostolus docet Rom. 6. Dum enim immergimur in aqua, Christo commorimur, & cùm de aqua emerginus, cum Christo resurgimus: & tamen nulli veterum Baptismum sacrificium Deo oblatum vnquam appellauerunt. Non igitur ista sola repræsentatio caussa esse potuit cur actio Cœnæ Domini sacrificium appelletur.

B Quartò, si celebratio Eucharistiæ non esset oblatio noua realis, & vera Deo facta, sed solùm imago quędam, ac repræsentatio oblationis in cruce peractæ, non possemus verè Deo dicere, Offero tibi hoc munus, seu, Accipe Domine hoc sacrificium. Qui enim dicit alicui, Offero tibi, seu Accipe, teipsa tunc aliquid porrigit, & non solùm repræsentat oblationem, nisi fortè irridere velit eum, quem honorare se simulat. Quare aduersarij nostri, cùm hoc probè intelligant, abstinent omnino in suæ Cœnæ celebratione ab eiusmodi vocibus, & eas in nobis maximè reprehendũt. At veteres Patres frequentissimè ita loquuntur, ac præsertim Augustinus lib. 8. ciuit. cap. vlt. *Quis*, inquit, *audiuit aliquando fidelium, sacerdotem stantem ad altare, dicere in precibus, Offero tibi Petre, aut Cypriane &c.* Adde, quòd Patres non solùm dicunt, se offerre, sed etiam dicunt, per hanc oblationem commemorari oblationem crucis, vbi duas distinguunt oblationes, vnam repræsentantem, & vnam repræsentatam, incruentam vnam, alteram cruentam. Augustinus lib. 20. contra Faustum, cap. 18. *Christiani*, inquit, *iam peracti sacrificij memoriam celebrant sacrosanctæ oblatione, & participationem corporis Christi.* Vbi illud etiam est obiter obseruandum, quòd sicut participatio corporis Domini non desinit esse vera, & realis participatio, licet sit commemoratiua, ita etiam oblatio, quę simul sit cum illa participatione, non desinit esse vera, & realis oblatio, licet sit alterius oblationis commemoratiua.

C Quintò, Patres ad nomen sacrificij sæpe addunt epitheta, quæ soli vero sacrificio conueniunt: & quæ ineptè dicerentur de sola repræsentatione. Cyprianus lib. 2. epist. 3. vocat plenum, ac verum sacrificium. Chrysostomus hom. 60. ad populum, & omnes Græci passim vocant sacrificium terribile, & plenum horroris. Augustinus lib. 10. ciuit. c. 20. vocat summum, & verissimum sacrificium, lib. de spiritu & litera, cap. 11. appellat verissimum, & singulare sacrificium, Euseb. lib. 1. demonstrat. Euang. cap. vlt. vocat sacrificium Deo plenum.

Denique vltimò accedit quòd Patres apertissimè dicunt per hoc sacrificium, quod nunc ab Ecclesia toto orbe terrarum offertur Deo, exhiberi eidem Deo cultum latriæ illi soli debitum, vt patet ex loco Augustini iam citato, vbi inde probat, nos non habere Sanctos pro Diis, quia nemo ad altare dicit, Offero tibi Petre, aut Cypriane: & ex Cyrillo, aliisque Græcis, qui, ipso etiam teste Kemnitio, vocant hoc sacrificium incruentam latriam. At si non esset hoc sacrificium nisi repræsentatio, & memoria sacrificij crucis, non esset cultus latriæ: non enim commemorare sacrificium alterius, sed verè, & propriè sacrificare, est cultus latriæ. Ita igitur confutatur secundus modus à Kemnitio excogitatus.

Vltimvm Kemnitij pronunciatum de testimoniis Patrum, habetur pagina 798. & 799. Nam post omnes datas solutiones, cùm animaduerteret non posse reuera lectoribus satisfieri, ipse quoq; cũ Magistris suis

Luthe

Luthero, & Caluino, Patribus valedicit, oblitus eius, quod antea scripserat, bonas mentes semper plurimi fecisse consensum antiquitatis: *Neque*, inquit, *veterum qualescunque sententia, sed Scriptura canonica regula est, & norma fidei, & iudicis in hac controuersia.* Et paulò infrà, næuos appellat testimonia Patrum: tandem reddit tres causas, cur malit ipse cum suis Eucharistiam vocare Sacramentum, & non sacrificium, licet Patres omnes appellauerint sacrificium. Prima est, quia Scriptura diuina Cœnam Domini nusquam vocat sacrificium. Secunda, quia ista appellatio sacrificij, non parum obscurat veram doctrinam, & vsum Cœnæ Dominicæ. Tertia, quia ex illa catechesi appellationis sacrificij, non dextrè interpretata, extructum est theatricum Pontificiæ Missæ sacrificium. Hæc ille.

ISTAE verò caussæ continent in primis maximâ Patrum reprehensionem: significant enim Patres non esse loquutos secundum morē Scripturæ, & obscurasse veram doctrinam, & vsum Cœnæ Domini, & sua licentia, & improprietate loquendi, maxima incommoda Ecclesiæ attulisse. At quis id credat de illis doctissimis hominibus, qui floruerunt puriotibus, vt Kemnitius loquitur, optimis, & florentissimis Ecclesiæ temporibus?

DEINDE prima caussa ineptissima est, vt nihil de secunda & tertia, quæ meras calumnias continent, dicamus. Nam si displicet nomē sacrificij, quia Scriptura eo non vtitur, cur non eadem ratione displicet nomen Sacramenti? neq; enim, credo, locum ostendent in diuinis literis vbi Cœna Domini Sacramentum nominetur. Quid est ergo quod Kemnitius loquitur, cùm ait: *Hæc consideratio de næuis quorundam veterum ostendit, quare malimus Cœnā Dominicam Sacramentū potiùs, quàm sacrificium appellari? Primò enim Scriptura, quæ omnium rectissimas, & commodissimas appellationes potest rebus ipsis tribuere, nullibi Cœnam Dominicam vocat sacrificium?*

ADDE, quòd Scriptura disertis verbis Cœnam Domini vocat sacrificium apud Isaiam, & Malachiam, vt suprà ostendimus: Apud Paulum autem tam apertè confert Cœnam Domini cum sacrificiis Hebræorum, & Gentilium, vt planè sit cæcus, qui non videt eam ex Pauli sententia sacrificium esse.

CAPVT XVI.

Probatur sacrificium propriè dictum ex ritu altarium.

ALTERVM caput, vnde cognosci potest sententia veterum Patrum, sumitur ex ritu altarium erigendorum ad huius sacrificij celebrationem. Nam altaria non consueuisse erigi nisi ad sacrificia propriè dicta, aduersarij non negant: nam ideò Caluinus li.4.Inst.c.18.§.12. ita loquitur de differentia Sacramenti Eucharistiæ, & sacrificij propriè dicti: *Mensam*, inquit, *nobis dedit, in qua epulemur, non altare super quod offeratur victima.* Et Perrus Martyr in libro contra Gardinerum, part.3. in responsione ad obiectum 16.pagin.710. scribit, nullum esse debere altare in Ecclesia. Et denique non alia caussa est, cur hoc tempore aduersarij altaria vbique demoliantur, & pro altaribus mensas conuiuiales substituant, nisi quòd intelligant altaria signa esse euidentissima sacrificij propriè dicti. Adde quæ suprà diximus, c. 2. vbi ex Scriptura, & Patribus, & ex ipso vocabulo Hebræo, Græco, & Latino id ipsum ostendimus. Quare si veteres Patres ad Eucharistiam celebrandam altaria semper habuisse demonstrare poterimus, demonstratum simul erit, Eucharistiam ex eorum sententia sacrificium esse vere ac propriè dictum.

AC primùm in Canonibus Apostolorum 3. & 4. aperta est mentio altaris ad Eucharistiam offerendā erecti. Dionysius quoque c.3. Ecclesiasticæ hierarchiæ, altaris meminit. Tertullianus in libr. de Pœnitentia, inter alia signa humilitatis pœnitētium, numerat, presbyteris aduolui, aris Dei aggeniculari. Cyprianus lib.1. epist.9. iubet, vt non offeratur sacrificium pro quodam Christiano defuncto, qui reliquerat presbyterum rerū temporalium procuratorem, & causſam reddit, quia non est dignus vt pro illo sacrificetur, qui sacerdotem Dei ab altari abstraxit. Eusebius lib.1. demonstrat. Euangel. c.6. multa dicit de altari Ecclesiæ. Optatus Mileuitanus libr. 6. contra Parmenianum: *Quid est*, inquit, *tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere?* Et ibidem altare esse dicit sedē corporis Christi. Ambrosius lib.5. epist.33. *Certatim*, inquit, *milites nunciare, & irruentes in altaria osculo pacem significare.* S. Antonius, vt in eius vita scribit Athanasius, cùm præuidit futuram hæresim Arianam, videre sibi visus est, feroces quosdam mulos calcibus euertētes Christi altaria. Gregorius Nazianzenus oratione in Gorgoniam, scribit eam ad altare procubuisse, & inuocasse illum, qui super altare coli solet. Gregorius Nyssenus in lib. de Baptismo dicit, altare esse lapidem natura sua, sed consecratione fieri sanctum, &c. Chrysostomus homil.53. ad populum: *Si quis*, inquit, *vellet hoc altare subruere, nonne illum lapidibus obrueretis?* Et homil. 20. in posteriorem ad Corinthios: *Tu*, inquit, *altare honoras quod accipit corpus Christi.* Hieron. in lib. contra Vigilantium. Augustl.lib.8.ciuit. cap.vlt. & libr.22.cap.8. & alij Patres, & etiam antiqua Concilia, frequentissimè altarium meminerunt.

SED fortè obiiciet aliquis Minutium Felicem, qui in Dialogo, qui inscribitur, Octauius, inducit Cæciliū ethnicum ita loquentem cum Octauio Christiano: *Cur nullas aras habent (Christiani) nulla templa, nulla simulachra?*

SED facilis est solutio, nam Christiani illis temporibus duplici de causſa diligētissimè cauebant, ne vlli ethnici interessent sacris nostris. Primùm, quia non erant idonei ad tanta mysteria intuenda. Deinde, ob metum persequutorum, propter quā causſam etiam frequenter in cryptis, & cauernis, vel certè in priuatis domibus furtim rem diuinam facere cogebantur: quare vulgò existimabantur Christiani planè athei, quod nullis Diis palàm sacrificare cernerentur. Cæterùm non solùm tempore Minutij Felicis, sed etiā multò antè habuisse Christianos altaria, perspicuum est ex locis citatis Tertulliani, Dionysij, & Clementis, qui sunt omnes Minutio antiquiores, & ex Cypriano, qui fuit æqualis Minutij.

CAPVT XVII.

Idem probatur ex nomine Sacerdotis.

TERTIVM caput sumitur ex vocabulo, Sacerdos. Fatentur enim Caluinus, & Martyr loco suprà notato, sacerdotes propriè ordinari ad sacrificium, & ideò contendunt non dedisse Christum Ecclesiæ sacerdotes, sed ministros tantùm verbi, & Sacramentorum.

PORRÒ veteres Patres adeò frequenter hac voce vtuntur, vt coactus sit Kemnitius confiteri in secunda parte Examinis, pag.1140. vbi de Sacramēto Ordinis disputat, inualuisse apud veteres vsum, vocandi ministros Ecclesiæ sacerdotes; & eorum ministeriū sacerdotium, licet in Scriptura Testamēti noui, eiusmodi vocabulum in hac significatione nō inueniatur: quod quidem verissimum est. Nam non solùm Augustinus lib.20. de ciuit. Dei, cap.10. & Chrysostomus in libris sex de sacerdotio, quos Kēnitius citat, & omnes posteriores passim vtuntur hac voce, sed etiam his antiquiores, vt Gaudentius tract.2. de Exodo: *Dominus*, inquit, *discipulis fidelibus mādat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, vt indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerēt, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari.* Ité Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos prope finem. Ambrosius in Psal.38. Euseb. lib.5. demonstrat. Euang. cap.3. Cyprianus in singulis fermè epistolis. Tertullianus de præscriptione, & de veladis virginibus.

Dionysius capit.3. & 5. Ecclesiasticæ hierarchiæ, & alij omnes hac voce vtuntur. Et quod amplius est, ipsum S. Ioannem Apostolum sacerdotio functum, & laminam Pontificalem gestasse scribit Polycrates apud Eusebium lib.5. hist. cap.23.

NEQVE obstat, quòd in nouo Testamēto ministri Ecclesiastici non dicantur sacerdotes, causſa enim in promptu est. Quia enim tempore Apostolorum adhuc vigebat sacerdotium Iudaicum, & sacrificia cruenta offerebantur in templo Hierosolymitano, Apostoli (Dño inspirante) noti vtebantur nominibus sacerdotij, sacrificij, templi, altaris, & similiū rerum, vt faciliùs distinguerent Christiana sacra à Iudaicis, & ne putarentur, si iisdem vterentur vocibus, eosdem illos ritus innouare, aut confirmare. Sed paulò pòst euerso templo Hierosolymitano, & cessantibus omnino sacrificiis Hebræorum, liberè cœperūt antiquissimi Patres vti nominibus, templi, altaris, sacerdotis, & sacrificij, vt res ipsa postulabat.

QVARE manifestè fallitur, vel potiùs mentitur Caluinus libr.4. Instit. can.18.§.10. cùm dicit, honorem sacerdotij sic vni Christo veteres vendicasse, vt Antichristi vocem fore affirmet Augustinus libro 2. contra Parmenianum, cap.8. si quis Episcopum inter Deum, & hominem intercessorem faciat. Nam Augustinus contra Parmenianum non loquitur de sacerdote, sed de mediatore, & non de quocunque mediatore, sed mediatore per modum redemptionis, quæ soli Christo propria est. Nam per modum deprecationis multos esse intercessores, & mediatores, passim fatentur Patres. Nam sic appellat sanctos Martyres Basilius in orat. in 40. Martyres, & Hieronymus in epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali, appellat Episcopos sequestres, id est, mediatores inter Deum & populum, per oblationem sacrificij altaris: quod etiam est apud Chrysostomum in 6. lib. de sacerdotio. Nec solùm intercessores, sed nominatim sacerdotes Augustinus vocat Episcopos, & presbyteros lib.20. ciuit. cap.10. *Episcopi*, inquit, *& presbyteri propriè dicuntur sacerdotes.*

NEQVE valet responsio Kemnitij loco notato, vbi fatetur nomen sacerdotij esse apud veteres, sed non vult accipi pro ministerio sacrificandi, sed pro ministerio verbi, & Sacramentorū: istud enim solum ministerium tribui contendit in Scriptura noui Testamenti illis hominibus, qui à Patribus sacerdotes appellari consueuerunt. Hęc, inquam, solutio non est sufficiens, Nam inprimis sequeretur omnes Patres Græcos, & Latinos vel ignorasse vim huius vocis, vel de industria illa abuti voluisse. Nam vt ait Apostolus ad Heb.5. *Omnis Pontifex constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia.* Et c.8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur.* Et inde probat idem Apostolus, Christum non esse sacerdotem, si nihil habeat quod offerat. Quis ergo credat, doctissimos Patres nomen sacerdotis tribuisse iis, qui solùm docent populos, & iis Sacramēta ministrant, sed Deo nullū offerunt sacrificium? Præterea docere, & Sacramenta ministrare, non solùm conuenit Episcopis, & presbyteris, sed etiam Diaconis, & tamen Diaconi à veteribus non dicuntur sacerdotes, vt patet ex Aug. loco citato li.20. ciuit. c.10. vbi dicit Episcopos, & presbyteros propriè sacerdotes nominari: & ex Concilio IIII. Carthag. can.4. vbi apertè dicitur, Diaconos non ad sacerdotium, sed ad ministerium ordinari.

DICES, Diaconi non poterant omnia Sacramenta ministrare, & ideò fortasse non dicebantur sacerdotes. At nec presbyteri omnia Sacramenta ministrare poterant, vt patet de Sacramento Ordinis, & Confirmationis, & tñ sacerdotes dicebātur. Illa igitur sola vera causſa est, quam reddit Concilium Nicænum ca.14. quia videlicet Diaconi non habent potestatem sacrificia offerendi, sed solùm in sacrificio sacerdotibus ministrandi.

CAPVT XVIII.

Probatur sacrificium ex Liturgiis.

VARTVM caput sumitur ex ritu celebrandi. Nam inprimis ex omnibus antiquis Liturgiis, quæ extant, Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, & ex libr.5. & 6. de Sacramentis Ambrosij, & ex Catechesi quarta & quinta mystagogica Cyrilli Hierosolymitani, qui magnam partem Liturgię exponunt, clarissimè patet, veteres Patres eo ritu celebrasse mysteriū Eucharistiæ, vt nihil dubitauerint, eam esse verissimum sacrificium: plena sunt enim nominum oblationis, sacrificij, victimæ, signorum, benedictionum, eleuationum, aliorúmq; eiusmodi rituum. Quare Lutherus (vt suprà notauimus) in libro de formula Missæ, totum Canonem abstulit, quod non putaret eo incolumi existente, posse defendi, Missam non esse sacrificium. Canon autem, verbis non multùm mutatis, totus fermè inuenitur in Liturgiis, & in libris Ambrosij, & Cyrilli iam citatis: illa certè inuenturus omnia, quæ Lutherum offendebant, nimirum nomina oblationis, & sacrificij.

CALVINVS lib.4. Inst. c.18.§.11. excusari dicit non posse veteres, quin in actionis modo peccauerint: *Imitati sunt enim*, inquit, *propiùs Iudaicum sacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Christus, aut Euangelij ratio ferebat.* Scilicet meliùs nouit Caluinus, qui heri natus est, quid ordinauerit Christus, quàm Iacobus frater Domini, qui Cœnæ Domini cum ipso Christo interfuit, aut Clemens, qui ab Apostolo Petro didicit, aut Basilius, Cyrillus, Ambrosius, Chrysostomus, qui mille, & ducentis annis Caluinum præcesserunt.

CAPVT XIX.

Idem probatur ex iis, pro quibus sacrificium Missæ offertur.

VLTIMVM caput, vnde Patrū sententiam adeò perspicuè cognoscimus, vt nullus pateat aduersariis exitus, nisi Patres omnino reiciant, sumitur ex iis, pro quibus sacrificium veteres offerebāt. Nam si Eucharistia nihil esset aliud, nisi Sacramentum, certè non prodesset nisi sumenti, & manducanti, quemadmodum Baptismus non aliis prodest, quàm iis, qui baptizantur. Quod quidem aduersarij non negant: immò Philippus, Caluinus, Kemnitius, & alij totam controuersiam inter nos, & ipsos esse dicunt, An Eucharistia non solùm debeat distribui manducantibus, sed etiam offerri pro salute aliorum, tum viuentium, tum mortuorum: id enim posterius ad verissimum sacrificium pertinere non dubitant.

IAM verò Patres nō solùm in Liturgiis citatis, offerūt Eucharistiam pro peccatis viuorū, & defunctorum, pro pace, pro incolumitate, pro omnibus deniq; necessitatibus, tum spiritualibus, tum temporalibus: sed etiam in aliis libris passim docent, id fieri debere, quæ testimonia infrà suo loco adducenda erunt, cùm ad eam quæstionem venerimus, sitne hoc sacrificium propitiatorium. Interim autem vnus aut alter ex Patribus sufficient.

IOAN. Chrysostomus hom. 79. ad populum Antiochenum: *Altari*, inquit, *assistens sacerdos, pro terrarum orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro gubernantibus Ecclesiam iubetur Deo offerre.* Et hom.72. in Matthæū, addit offerri etiam pro infirmis, pro sanis, pro terræ fructibus. Hom. 21. in Acta, & li.6. de sacerdotio, & alibi addit etiam pro mortuis. Augustinus lib.22. de ciuitate Dei, c.8. scribit à suis presbyteris oblatum sacrificium Eucharistiæ pro domo liberanda à dæmonum vexatione. Et lib.9. Confessionum c.12. scribit, sacrificium pro matre sua defuncta oblatum. Et ne putemus meram esse cæremoniam pro defunctis offerre, ipse idem in Enchiridio, c.110. scribit, hostiam hanc pro non valde malis propitiationem esse. Sed de iis satis. Si quis autem velit testimoniorum farraginem, legat Ioannem Garetium.

CAPVT XX.

Probatur sacrificium Missæ ex coniunctione legis, & sacrificij.

RENIO nunc ad argumenta, quæ ex ipsa ratione Scripturarum, & Patrum lectione instructa peti possunt. Prima ratio desumitur ex coniunctione, quæ est inter religionem, seu legem, & sacrificium, & hoc syllogismo concludi potest. Tanta coniunctio est inter legem, seu religionem, & sacrificium externum, ac propriè dictum, vt omninò necesse sit, aut legem, & religionem verè & propriè in Christi Ecclesia non reperiri, aut sacrificium quoque externum, & propriè dictum in Christi Ecclesia reperiri. Nullum autem est, si Missam tollas: est igitur Missa sacrificium externum, & propriè dictum.

PROPOSITIO prima probatur. Primò ex eo, quòd omnis religio, seu vera, seu falsa, omni loco & tempore, semper ad cultum Dei sacrificia adhibuit. Hinc enim colligitur id prodire ex lumine, & instinctu naturæ, & esse primum quoddam principium à Deo nobis ingenitum. Falsissimum enim est, quod dicit Kemnitius, vt hoc argumentum eludat in secúda parte Examinis, pag. 743. hunc esse instinctũ naturæ corruptæ, quæ est fons, & radix omnium superstitionum. Nam etsi natura corrupta reuera fons est, ac fuit idololatriæ, & aliarum omnium superstitionum: tamen cùm omnes Gentes in vno aliquo principio conueniunt, id sine dubio non ex corruptione naturæ, sed ex bono naturæ, id est, ex eo lumine prodit, quod Deus illi inseruit: quæ enim ex corruptione prodeunt, non sunt eadem apud omnes. Itaq; Deum esse, colendum esse, inuocandum esse, illi sacrificia deferenda, & similia, quæ in genere apud omnes sunt, & semper fuerunt eadem, ex bono naturæ sunt. At Deos esse multos, colenda idola, sacrificandos homines, & alia quæ multipliciter variantur, ex corruptione sunt. Præterea id quod ex corrupta natura prodit, non est commune bonis & malis, nec à Deo probatur. At sacrificandum esse, multi optimi, & sanctissimi viri censuerunt, vt Noë, Abraham, Iob, Melchisedech, & Deus ipse sacrificia approbauit, & iussit etiam fieri: non igitur ex corruptione naturæ oritur sacrificandi instinctus.

PROBATVR secundò eadẽ propositio. Sacrificium cum ipsa religione natum est, & cum illa extinguitur, est igitur inter ea coniunctio quædam planè necessaria. Antecedens patet. Nam primi homines, qui Deum coluerunt, filij Adami fuerunt Cain, & Abel, illi autem sacrificia obtulisse leguntur Gen. 4. Deinde mundo per diluuium abolito, cùm iterum renouaretur religio, simul renouata sunt sacrificia per Noë Gen. 8. & deinde cum ob varias persequutiones, religio vera in periculum adduceretur, nihil Prophetæ magis lamentabantur, quàm sacrificiorum cessationẽ. 3. Reg. 19. inquit Helias: *Dereliquerunt pactum tuum filij Israël, altaria tua destruerunt, & Prophetas occiderunt.* 1. Paralip. 15. inquit Azarias: *Transibunt multi dies in Israël absq; Deo vero, & absque Sacerdote, Doctore, & absque Lege.* Daniel. 3. inquiunt tres S. Pueri: *Non est in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum apud te, vt possimus inuenire misericordiam tuam.* Et Dan. 12. dicitur Antichristus ablaturus iuge sacrificium, nimirum, vt religionem penitus tollat. Denique Apostolus Hebr. 7. dicit, populum sub sacerdotio Leuitico accepisse legem, & deinde addit translato sacerdotio necesse esse, vt & legis translatio fiat.

PROBATVR tertiò. Sacrificium propriè dictum est cultus proprius Dei, id est, qui soli illi omnium consensu debetur: nam alia omnia genera honoris sunt aliquo modo communia cum creaturis, vt supra probatum est, ergo nulla esse potest religio sine sacrificio propriè dicto. Nam religio ad colendum Deum instituitur: non autem colit Deum, sed potiùs ignominia illum afficit, qui cultum illi soli debitum, ei non adhibet. Certè inter homines si quis Regi non tribueret titulum honoris, qui solis conuenit Regibus, Maiestatem videlicet, etiamsi conseruaret omnes inferiores titulos, non modò Regem non honorare, sed etiam contumelia afficere iudicaretur.

PROBATVR nunc assumptio primi syllogismi, sublato videlicet sacrificio Missæ, nullum restare in Ecclesia Christi sacrificium propriè dictum. Nam si vllum assignari posset, id esset sacrificium crucis: id enim vnum aduersarij assignant, atque id esse volunt vnicum, & verum Christianæ religionis sacrificium. Sed nos probabimus, sacrificium crucis, quamuis verissimum sacrificium fuerit, non esse eiusmodi, quale requiritur ad legem, seu religionem constituendam, & conseruandam, qualem in terris, vsque ad mundi consummationem Christus esse voluit: & ideò si nullum aliud habeamus, planè sequi, vt nullam habeamus religionem.

PROBATVR igitur primò quia sacrificium crucis, non est proprium Christianæ religionis, sed commune omnibus veris religionibus, quæ ab initio mundi fuerunt. Nam, & in lege naturæ, & in lege scripta, omnia sacrificia in hoc vnum respiciebant, & hoc vnum profitebantur, & quotquot iusti fuerunt ab initio mundi, ob huius sacrificij participationem iusti fuerunt: non igitur distinguitur Christiana religio ab antiquis, per sacrificium crucis.

SECVNDÒ, sacrificium crucis semel peractum est, ac deinde desiit esse, neque mansit postea nisi per effectum, & virtutem, vt notum est, immò nunquam fuit tempore Christianæ religionis: ea enim post Christi mortem propriè cœpit. At sacrificium proprium religionis debet ipsam perpetuò comitari, vt suprà probatum est.

TERTIÒ, religio quæuis sacrificium externum, ac visibile requirit, ad quod homines illius religionis peragendum conueniant, & quod ab ipsis frequentari possit. At nihil huiusmodi in sacrificio crucis reperitur. Est enim respectu Christianorum, inuisibile, cùm sola fide non oculis cernatur, vnde nec ad illud conueniri potest à populis, nec etiam si cerneretur, à populo, vel sacerdotibus Christianis frequentari posset, non enim fas esset vt Christum Christiani toties interficerent.

QVARTÒ, sacrificium Christianæ religionis debet esse ritus quidam à Deo Christianis præceptus, pertinens ad illum cultum, qui latria dicitur, vt rectè Augustinus affirmat lib. 20. contra Faustum, cap. 21. At Christi occisio, quæ dicitur sacrificium crucis, neque ritus dici potest, cùm fuerit ipsa veritas, quam omnes ritus adumbrabant, & multò minùs ritus Christianis præceptus dici potest, nisi quis velit nobis à Deo imperatum summum scelus, Christi videlicet interfectionem & mortem. Et denique minimè omnium cultus latriæ dici potest, cùm potiùs Christum occidere summum sacrilegium dici debeat.

ACCEDANT testimonia Patrum, quos suprà citauimus in explicanda definitione sacrificij, qui dicunt sacrificium Eucharistiæ esse vnicum & singulare sacrificium Christianorum.

ACCEDAT denique testimonium Cypriani in serm. de cœna Domini, vbi dicit, si Eucharistia manducando consumeretur, fore vt nullum nobis remaneret sacrificium, & per hoc tota religio interiret.

DICES, Cur ergo B. Paulus Hebr. 7. cùm dicit, translato sacerdotio debere etiam transferri legem, non dicit translatum esse sacerdotium Leuiticum ab Aarone, & successoribus in S. Petrum, & successores, sed solùm in Christũ: Respondeo, Apostolus non dicit translatum esse

esse Leuiticum sacerdotium ab Aarone in Christum, sed translatum esse sacerdotium Leuiticum, in sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quod sacerdotium æternum esse, & in Ecclesia perpetuò vigere debet. Vnde cum postea nominat Christum sacerdotem secúdum ordinem Melchisedech, non ipsum considerat, vt præcisè obtulit sacrificium crucis: nam hoc modo Christus non succedit Aaroni, sed vt per ministros suos perpetuò sacrificat seipsum in Eucharistia: hoc enim solo modo, vt suprà ostẽdimus, perpetuũ habet sacerdotium.

CAPVT XXI.

Probatur sacrificium Missæ, ex comparatione legis Christianæ ad Mosaicam.

ALTERA ratio principalis ducitur à collatione Ecclesiæ, Synagogæ, siue legis nouæ, & veteris; populi Christiani, & Iudaici. Est autem hæc ratio: In populo Iudaico fuerunt sacrificia propriè dicta, ergo & in populo Christiano esse debent.

PROBATVR consequentia, nam antecedens extra controuersiam est. Primò, Christus non omnino sustulit ea, quæ Deus in veteri lege instituerat, nec enim contrarius erat Patri suo, aut sibiipsi, sed aut perfecit, aut mutauit in meliora; vt patet in præceptis, & Sacramentis. Nam præcepta non sustulit, sed explicuit, Matth. 5. & consilia addidit, quæ ad præceptorum perfectam obseruationem conducunt. Pari ratione Sacramenta Circuncisionis, Agni Paschalis, & similia non sustulit, sed mutauit in alia verè, & propriè dicta Sacramenta, sed vt Augustinus dicit epist. 118. pauciora, faciliora, & præstantiora: ergo eodem modo sacrificia non debuit omnino tollere de medio, sed mutare.

SECVNDÒ, sacrificium est summus cultus, qui Deo tribui possit. Nam sine controuersia res verbis præstãt; & inter res, sacræ profanis; & inter sacras, publicæ priuatis; & inter publicas eæ, quarum ipsa substantia in Dei honorem consumitur, quàm eæ, quarum solus vsus. Tale autem est sacrificium propriè dictum, vt notum est. Quare si hoc genus cultus fuisset in veteri lege, & non in noua; fuisset Deus in veteri lege longè maiori honore affectus, quàm in noua: & proinde Christus Patris sui, non gloriam, vt dicebat, sed ignominiam procurasset.

TERTIÒ, causæ cur populus Hebræorum sacrificia externa & propriè dicta habuerit, omnes inueniuntur etiam in populo Christiano. Habuerunt illi sacrificia externa, & visibilia, quia & ipsi populus erant externus, & visibilis, nempe non ex solo spiritu, sed carne, & spiritu constans. At populus etiam Christianus externus, & visibilis est, & carne ac spiritu constat. Habuerunt illi sacrificia, vt Christi mortem, quæ est vnicũ precium, & vnica salus nostra, sæpe repræsentarent, & commemorarẽt, cùm eam præsentem intueri non possent. At nos etiam Christi mortem præsentem intueri nequimus; ergo egemus sacrificio, quo sacrificium illud crucis iugiter commemoremus. Habuerũt illi sacrificia, quibus Deum colerent honore summo, & soli illi debito. At nos etiam debemus Deum colere honore summo, & soli illi debito. Habuerunt denique illi sacrificia, vt Deum placarent, vel ab eo beneficia impetrarent, vel pro impetratis gratias agerent. At iisdem de causis, & nos sacrificiis indigemus; immò quò nos plura Deo beneficia accipimus, eò magis ad sacrificandum obligamur. Quare rectè Petrus Cluniacensis scribit, hæreticos qui sacrificiũ de Ecclesia tollere cupiunt, id tentare Diabolo suggerente, vt gens illa Deo præter cæteras sit ingrata, quæ præter cæteras pluribus, & maioribus à Deo beneficiis ornata est.

QVARTÒ, reipsa Christiani retinent omnia alia genera honoris, & cultus, quibus Hebræi Deum colebant, nimirum adorationem, inuocationem, votorum nuncupationem, hymnos, psalmos, cantica, dies festos, iciunia, eleemosynas, & similia. Quis igitur libi persuadere possit solum illud genus honoris, quod est propriũ Dei, nobis à Christo prohibitum esse, cùm omnia alia sint ab eo permissa? præsertim cùm Christus nihil ardẽtiùs procurauerit, quàm Dei gloriam, & honorem?

NEQVE satisfaciunt, qui dicunt, cultum internum esse nobiliorem externo: Christianos autem internum cultum Deo præstare. Nam etsi internus cultus nobilior externo sit, tamen vtrique præstat internus cum externo coniunctus, siue internus cultus cum externa illius protestatione. Est autem signum & protestatio summi interni cultus, ipsum sacrificium, vt Augustinus sæpe docet lib. 10. ciuit. Vnde tres pueri Daniel. 3. *In animo*, inquiunt, *contrito, & in spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, & taurorũ, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie.* Optant enim sancti pueri in captiuitate positi, vt internus eorum affectus sic Deo placeat, quemadmodum placeret si eum ostendere, & protestari possent, externo signo sacrificiorum.

QVINTÒ, sacrificia non sunt primùm in lege Mosis instituta, sed ex lege naturæ ortum habent, vt patet ex sacrificiis Abel, Noë, Melchisedech, Iob, & aliorum: ergo etiamsi Christus abrogare voluisset omnia instituta legis Mosaicæ, non tamen sacrificia omnino abrogare debuisset.

CAPVT XXII.

Probatur idem ex differentia Sacramenti, & sacrificij.

TERTIA ratio ex differentia, quæ est inter Sacramentum & sacrificium, sumi potest. Nam commune est omnibus Sacramentis, vt ab alio dentur, ab alio accipiantur: neque vllus sibi ipse Sacramentum administret. Ita videmus in Baptismo, aliisque Sacramentis accidere, nemo enim se ipse baptizare finitur, etiãsi extrema adsit necessitas. Pari ratione nemo se ipse confirmat, nemo se absoluit, nemo se sacris Ordinibus initiat, nemo se inungit. Eodẽ igitur modo si Eucharistia solummodò Sacramentum esset, nemo sibi eam ministrare posset, cuius tamen contrarium semper fuit in vsu quod attinet ad eos, qui Eucharistiam consecrant.

DEINDE, Sacramenta omnia in actione consistunt, non in re aliqua permanente, vt patet de Baptismo, & cæteris Sacramentis, non enim aqua cõsecrata, sed ablutio est Sacramentum Baptismi. Sola Eucharistia non in actione, sed in re permanente consistit, vt suprà probatum est, cuius differentiæ vix alia ratio reddi potest, nisi quia Eucharistia non solùm Sacramentum, sed etiam sacrificium esse debuit.

DENIQVE, nullum aliud Sacramentum continet reipsa corpus Christi, sed solùm sunt signa visibilia, cõtinentia virtualiter gratiam sanctificationis: neque aliud requiritur ad rationem Sacramẽti, cùm Sacramenta nihil sint aliud, nisi instrumẽta sanctificationis. Quare etiã Eucharistia potuisset verè, & propriè Sacramentũ esse, etiamsi Christi corpus reipsa non contineret. Quæ igitur causa est cur debuerit necessariò Eucharistia Christi corpus reipsa cõtinere, nisi vt posset verè, & propriè Deo Patri à nobis offerri, & proinde sacrificium esse verè, ac propriè dictum? Et sanè mirum est, cur Lutherani concedant, corpus Christi verè, & realiter præsens esse in Sacramento Eucharistiæ, & simul admittant victimã esse omnium, quæ vnquam fuerunt, præstantissimam, & tamen pertinacissimè negent, posse, aut debere offerri Deo, quasi non sit omnino exploratum & certum, debere Deo offerri id, quod habemus optimum.

CAPVT XXIII.

Probatur idem ex consensu Ecclesiæ.

POSTREMA ratio, eáque meo quidem iudicio, efficacissima apud illos omnes, qui non nimium sibi placent, quóque superbiæ fumus non omnino excæcauit, sumitur ex cõsensu, & testimonio totius

Christianæ Ecclesiæ, Græcæ, Latinæ, Barbaræ; quæ ab annis mille floruit. Nam aduersarij fatentur Missam Pōtificiam vt nunc est, sacrificium esse. Id habent expressè, Lutherus in primo scriptō contra Regem Angliæ. Caluinus lib.4.Instit.cap.18.§.1.& Kemnitius pag.774. & alij. Missa aut, vt nūc est, tempore sancti Gregorij Papæ I. absoluta est, vt Kemnitius fatetur pag. 826. & 827. vbi de Canone Missæ disputat: & constat à tempore S. Gregorij nihil ad Canonem Missæ additum esse. Porrò Gregorius ante annos circiter mille floruit; ergo testimonio aduersariorum, Missa pro sacrificio haberi cœpit in Ecclesia, ab annis vt minimùm mille.

A

Fvisse autem hanc sententiam receptam non in sola Vrbe Roma, sed in toto orbe terrarum, fatentur etiá aduersarij: nam ideò Lutherus in libro de captiuit. Babyl. cap.1. *Missa*, inquit, *creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. Accedūt his dicta sanctorum Patrum, tot exempla, tantúsque vsus per orbem constanter obseruatus.* Et infrà: *Nec moueat*, inquit, *quod totus orbis contrariū & sensum & vsum habet.* Et in principio libri de abroganda Missa, seu potiùs in epistola dedicatoria eius libri: *Magnū est*, inquit, *certè tot seculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui, tantorúmque auctoritati reluctari.* Et paulò infrà apertè dicit se esse solum contra orbem terrarum; sic enim sibi ipse obiicit: *Tu solus sapis? tót ne errant vniuersi? tanta secula ignorauerunt?* Sic etiam Ioan. Caluinus lib.4.Instit.cap.18.§.1. *Pestilentissimo*, inquit, *errore Satan totum penè orbem obcæcauit, vt crederet Missam sacrificiū, & oblationem esse ad impetrādam remissionem peccatorum.* Et paulò infrà: *Congredi me lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanus Antichristus, & eius Prophetæ totum orbem imbuerunt.* Et infrà §.18. dicit, hanc sententiā, quod Missa sit sacrificium, inebriasse omnes Reges terræ, & populos à summo vsque ad nouissimum.

B

Et quamuis aduersarij id non dicerent, res tamē certissima esset. Constat enim apud Latinos semper fuisse eandem Missam, ex iis, qui diuersis temporibus illam exposuerunt, Isidoro, Amalario, Vvalfrido, Ruperto, Hugone, Innocentio III. Bonauentura, & aliis: & similiter apud Græcos id clarissimè constat, ex Maximo Monacho, Germano Constantinopolitano, Simeone Thessalonicensi, & Nicolao Cabasila; & nunc demùm ex censura Oriētalium ad Confessionem Augustanam, cap.13.

C

Ex hoc igitur principio certissimo, & ab aduersariis concesso, nempe Missam habitam esse pro sacrificio ab annis vt minimum mille, in toto orbe terrarum, sequitur necessariò, si non est verum quod nos docemus, Primò Ecclesiam totam periisse, & Christum spōsam suam, & hæreditatem amisisse: non enim Ecclesiæ Christi esse potuit, quę palàm idololatriæ tot sæculis seruiuit. Secundò sequitur falsa esse vaticinia Prophetarum Oseæ 2. & aliorum qui prædixerunt post Christi aduentū idololatriam cessaturam. Tertiò falsam Christi promissionem Matth.16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* & Angeli Luc.1. *Regni eius non erit finis.* Quartò falsam Apostoli sententiam 1.Timoth.3. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis. Quintò Sanctos omnes, qui plurimi his postremis sæculis vita, & miraculis floruerunt, idololatras, impios, & sacrilegos fuisse. Sextò Deum qui tam multa futura, & minùs necessaria illis reuelauit, hoc tamen mysterium summè necessarium nulli omnino, quamuis sanctissimo viro, ante Lutherū reuelāsse. Quòd si hæc absurdissima sunt, & nullo modo credibilia, certè sequitur, vt verum sit quod nos cū Ecclesia Catholica docemus: quod sanè etiam aduersarij intelligerent, si non omnino in reprobum sensum dati essent. Istam enim consequentiam nulla ratione negare possunt. Orbis terræ ab annis mille credidit Missam esse sacrificium, ergo vel Missa est sacrificium, vel ab annis mille desiit Christi fides esse in terris; periit Ecclesia, rediit idololatria, vana fuerunt Prophetarum & Christi ipsius oracula.

D

CAPVT XXIV.

Soluuntur obiectiones Lutheri.

Nvnc demùm soluendæ sunt aduersariorum obiectiones, Lutheri, Caluini, Kemnitij; nam reliqui vix aliquid noui adferunt. Primùm igitur Lutherus in libro de captiuit. Babylon. & in libro de abroganda Missa, duo argumenta proponit, eáque confidenter opponit omnibus omnium Sanctorum testimoniis, & totius orbis terræ, atque omnium sæculorum cōsensui. Primum argumentum sumitur à verbis. Secundum ab exemplo Christi.

Primvm eiusmodi est: Cœna Domini est Sacramētum, ac Testamentum Christi; sic enim ipse ait: *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*; ergo sacrificium esse non potest. Nam sacrificij ratio cum ratione Sacramenti, & Testamenti omnino pugnat. Sacrificium enim est aliquid, quod nos Deo offerimus: at Sacramentum datur nobis à Deo, & similiter Testamentum continet promissionem hæreditatis nobis factam. Præterea Sacramenti, & Testamenti promissio fide accipitur; sacrificiū contrà ex fide procedit. Sacramētum, & Testamentum ad nos à Deo descendunt, sacrificium à nobis ad Deum ascendit. Item sicut nō possunt idem esse oratio, & quod oratione accipitur, ita non possunt esse idem Testamentum, & sacrificium. Denique sicut ridiculum est dicere per Testamentum dari aliquid testatori ab hærede, cùm è contrario detur aliquid hæredi à testatore: sic etiam ridiculum videri debet, si quis dicat per Eucharistiæ Sacramētum nos Deo aliquid offerre, cùm ipse potiùs nobis aliquid promittat, & donet. Hoc argumentū per multas paginas versat Lutherus, ac fundamentum esse dicit totius doctrinæ suæ in hac materia: ac propter huius rei ignorantiam, pronunciat idololatras esse omnes Sacerdotes, & Episcopos, cum omnibus suis maioribus.

Respondeo, tribus modis peccat argumentum Lutheri. Primò, quia assumit, sacrificium esse opus, quod nos Deo exhibemus, & illud opponit, vt nostram actionem actioni Christi. At nos non hoc dicimus, sed asserimus tam Sacramentum, seu Testamentum, quàm sacrificium esse Christi opus, & actionē: idem enim Christus, qui nobis seipsum per Eucharistiam præbet in cibū, idem seipsum per Eucharistiam Patri obtulit, & quotidie per Ministros suos se offert in sacrificium. Immò inter alia bona, quæ nobis Christus moriens Testamento suo reliquit, vnū fuit corpus ipsius, & sanguis, quò vteremur, tum vt illa Deo offerremus, tum vt inde animæ nostræ reficerentur. Neque dissimile est quod agunt homines pij, dum Testamenta sua condunt: primùm enim aliquid donant Deo in vsum Ecclesiarum, aut pauperum, deinde hæreditatem filiis relinquunt.

Sed etiamsi hoc sacrificium esset omnino opus nostrum, adhuc argumentum Lutheri non concluderet: nam peccat Secundò, quòd confundit promissionē cū signaculo promissionis. Siquidem in Sacramēto, & Testamento Christi, distinguenda sunt in doctrina Lutheri, promissio, quæ consistit in verbis: *Accipite, manducate, &c.* & signaculum, quod est ipsum corpus Domini, & sanguis sub specie panis, & vini: ex his duobus promissio non est sacrificium. Et hoc probat, si quid probat, argumentum Lutheri. Aliud enim est, promitti nobis aliquid à Deo, aliud, nos Deo aliquid offerre. At signaculū promissionis, nulla est ratio cur sacrificium esse non possit: cur enim non possit Deus victimam sibi oblatam, instituto & mādato suo, assumere in signaculum promissionis? immò reipsa in lege veteri sic Deus fecit. Nam testamentum vetus Exod. 24. obsignauit sanguine victimæ, tunc sibi immolatę, dicente Mose: *Hic est sanguis Testamenti, quod misit ad vos Deus.* Sic etiam omnia sacrificia

legis veteris, & vera sacrificia erant, & tamen signacula erant promissionis Christi vēturi, & morituri. Quid igitur mirum, si sanguis Domini in altari existens, per consecrationem simul sanguis sit victimæ Deo oblatæ, & signaculum promissionis diuinæ?

Tertiò peccat argumentum Lutheri, quòd nō distinguat rationes formales Sacramenti, seu Testamenti, & sacrificij. Ita enim argumentum procedit, ac si nos diceremus, sacrificium, qua sacrificium est, esse Sacramentum, vel Testamentum, & contrà; vel dare, idē esse quod accipere, petere, idē quod promittere. At non ita fumus hebetes, aut rudes, vt ista dicamus: sed quod dicimus, hoc est, Eucharistiam Sacramentum esse, quatenus est signum externum & visibile inuisibilis gratiæ, & refectionis, quæ nobis confertur, dum Eucharistiam rité sumimus: eandem esse Testamentum, quatenus est instrumentum publicum, & authenticum diuinæ voluntatis, & promissionis: eandem esse victimam & sacrificium, quatenus Deo offertur. Neque repugnat, vnum & idem accipi, & dari, neque valet quidquam illa consequentia: Accipimus à Deo Eucharistiam, ergo non possumus eādem illi offerre. Nam nihil omnino habemus quod Deo offeramus, nisi quod ab eo accepimus, iuxta illud Dauidis in lib.1.Paral. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

A

Secvndvm Lutheri argumentum sumitur ab exēplo Christi, qui in vltima cœna legitur in mensa fedisse, & Sacramentum discipulis distribuisse, non autem illud Patri obtulisse.

B

Respondeo, Christi exemplum nobis maximè fauet. Nam etiamsi Euangelistæ non expresè dixerint, Christum se patri in cœna obtulisse, tamen neque expresè dixerunt non se obtulisse. Et præterea nos ex loci illius circunstantiis, & figuris, & vaticiniis Prophetarū, ex testimonio expresso antiquissimorū Patrum scimus, Christum se Patri in cœna in sacrificium obtulisse, & hoc ipsum fieri mandasse, cùm ait: *Hoc facite.* Neque est id nouum in mysteriis fidei. Nam nullus Euāgelista scribit, in vltima cœna Christum immolasse agnum Paschalem, & eūdem comedisse accinctis renibus, & cum baculis in manu, immò neque expresè scribunt Euangelistæ, illum comedisse agnum Paschalem: & tamen nemo dubitat ista omnia facta esse, cùm esset Dominus obseruantissimus legis, & Pascha parari iussisset. Neque dicūt expresè Euangelistæ, Christum in calice, quem sanguinis sui calicem appellauit, posuisse vinum, nam illa verba: *Non bibam ex hoc genimine vitis*, suprà ostendimus dicta esse de calice, quem bibendum dedit Dominus post agni Paschalis manducationem, non de calice Eucharistiæ: & tamen quis hoc tempore inficiaretur, in illo calice fuisse vinū? id enim omnes scriptores tradunt. Quare si Lutherūs ab exemplo Christi probare cupit, Missam non esse sacrificium, certum aliquod testimonium adferat, vbi legamus, Christum non se obtulisse in cœna: nām illa argumenta negatiua, Non habetur expresse in Scriptura, ergo nō est factum, iam ipsis etiam pueris ridicula sunt.

C

Præter hæc argumenta, habet idem Lutherus insignem impostūram in principio libri de abrogāda Missa priuata, vbi dicit, Papam ingressurum in epistolas decretales, pro fundamento citare illa verba Pauli: *Translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat*: & inde deducere post Christi ascēsionem translatum fuisse sacerdotium à Christo in Petrum, deinde à Petro in Papam, & à Papa in suos successores. Quam Lutheri impostūrā, iterum repetit Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis, cap. de Missa, vbi etiam addit Papam loqui de sacerdotio secundum ordinem Melchisedech.

D

Sed hic tria sunt mendacia. Primum, quòd Papa ista dicat ingressurus in decretales epistolas, & pro fundamento iaciat. Nam ille Canon: *Translato sacerdotio*, non habetur in 1.titulo, sed in 2.nec in principio illius tituli, nam duo alij canones præcedunt.

Secvndvm mendacium est, quòd Papa ista dicat. Nam in toto illo canone, non est nomen Christi, nec Petri, nec Papæ, sed ponuntur ipsa verba Pauli cum quadam annotatiuncula S. Augustini, quæ solùm continet, legem & sacerdotium esse omnino connexa.

Tertivm mendacium est, quòd in eo canone agatur de sacerdotio Christi, vel Melchisedech. Nam expresè agitur de sacerdotio Leuitico, vt glossa bis notat. Itaque mera sunt Lutheri somnia, translatum esse sacerdotium à Christo in Petrum, vel à Petro in Papam.

CAPVT XXV.

Soluuntur argumenta Ioannis Caluini.

Ioannes Caluinus lib.4.Institut. cap.18.§.1. quinque argumēta proponit, cùm dicit se verbo Dei clarissimè demonstraturum, sacrificium Missæ insigni contumelia Christum afficere: crucem eius sepelire, & opprimere, mortem eius in obliuionem tradere: fructū, qui ex ea nobis proueniebat, tollere: Sacramentum, quo mortis memoria relicta erat, eneruare, & dissipare: quæ omnia argumenta exequitur in sequentibus sectionibus.

Primvm igitur tale est argumentum. Christus est sacerdos in æternum: ergo nulli substitui debent Christo successores, aut vicarij. Ergo nulli sunt modò sacerdotes in terris, proinde nec sacrificia: nam in veteri lege ideò multiplicabantur sacerdotes, quia morte prohibētur permanere, vt Apostolus dicit ad Hebr. cap.7. Neque responderi potest, eos qui nunc ordinantur sacerdotes, non succedere Christo, sed eius suffraganeos esse. Nam Apostolus loco citato non concedit vllorum sacerdotum multiplicationem, nisi propter mortem præcedentium. Christus autem semper viuit, & sacerdos manet, ergo solus fungitur sacerdotio: vel si multi sunt in terris sacerdotes, Christo sacerdotium abrogatur.

Respondeo, Nullus Catholicorum affirmat, sacerdotes, qui sunt in Ecclesia, Christo succedere: quare non erat opus, vt id Caluinus refelleret: nam quod Lutherus, & Illyricus mentiuntur, id haberi in epistolis decretalibus, paulò antè refutatum est.

Qvod autem attinet ad vicarios, & suffraganeos, vel potiùs ministros Christi in sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, falsum est horum multiplicationem repugnare vnitati, & æternitati sacerdotij Christi. Nam Christus non solùm est sacerdos, sed etiam est vnicus, & æternus Magister noster, vt ipse dicit Matth.23. Immò etiam ad sacerdotium pertinet docere, vt idem Caluinus fatetur eodem lib.4.Instit.cap.1.§.5. & tamen quia Christus non docet nunc per se humano more, & visibiliter, vt hominum natura requirit, non repugnat vnitati, & æternitati magisterij ipsius, vt sint multi homines, qui dicantur Doctores, & Magistri, & in hac re vicarij, suffraganei, & ministri Christi, vt patet ex Paulo, qui 1.Timoth.2. & 2.Timoth.1. vocat se Doctorē, & Magistrum. & 1.Corinth.3. vocat se & alios nonnullos, Dei coadiutores, & ministros. & 2.Corinth.5. dicit: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante, per nos. Itaque obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* quibus verbis se, & legatum, & vicarium Christi facit. Idem dici potest de officio pascendi, & Sacramenta ministrandi. Christus enim est pastor omnium ouium, & ipse est, qui baptizat, & Sacramenta cætera cōfert, omnium consensu, & tamen quis vnquam negauit, debere esse in Ecclesia multos pastores, & Sacramentorum ministros, qui loco Christi, & vt ministri Christi visibiliter ista faciant? Nónne ipsi etiam aduersarij pastores, & doctores, & ministri dici volunt, & quotidie docent, & baptizant, & tamen non putant se derogare vnitati Magisterij, & Pa

storatus Christi? Eodem igitur modo, quia Christus non sacrificat nunc per se visibiliter, & humano more in terris: non repugnat vnitati, & æternitati sacerdotij eius, vt habeat in terris sacerdotes ministros, & vicarios, per quos id faciat. Immò vt suprà demonstrauimus, non potest Christus alia ratione verè dici sacerdos in æternum, nisi per ministros sacrificet, quandoquidem certum est, eum per se propriè non sacrificare.

AD locum autem Apostoli, qui videtur absolutè excludere multiplicationem sacerdotum in Testamento nouo, in promptu est responsio. Apostolus enim excludit absolutè multiplicationem sacerdotum in eadem dignitate, & potestate, non autem sacerdotum inferiorum, & qui respectu Christi, ministri sint, & dicantur. Nam in lege veteri ob mortem Aaronis, successit illi in eadem dignitate, & potestate Eleazarus, Eleazaro Phinees, & sic de aliis, & si nunquam Aaron mortuus esset, nullus ei successisset, tamen viuente etiam Aarone multi alij erant inferiores sacerdotes. Sic igitur Christo nemo succedit in eadem dignitate & potestate, quia nunquam moritur: tamen ipso viuente, multi inferiores ordinantur, qui sint eius vicarij, & administri. Quod etiã videmus in regno temporali, vbi Regi, quamdiu viuit, nunquam succeditur, licet is multos habere soleat vel Proreges, vel ministros, per quos in variis prouinciis ius dicat.

SECVNDVM Caluini argumentum tale est. Non potest erigi altare, quin euertatur crux Christi, nec potest offerri sacrificium Missæ, sine iniuria sacrificij crucis. Nam sacrificium crucis habet vim infinitã, & æternam, ergo nõ egemus alio sacrificio; ergo multiplicare tot sacrificia Missæ nihil est aliud, quàm negare virtutem, & sufficientiam sacrificij crucis. Neque valet effugium eorum, qui dicunt Missæ sacrificium idem esse cum sacrificio crucis. Nam si sacrificium crucis verè habet infinitam, & æternam vim, non solùm non egemus alio sacrificio, sed neque alia repetitione eiusdem sacrificij. Neque illud aliorum effugium valet, qui dicũt, repetitionẽ huius sacrificij ad id necessariam esse, vt applicetur singulis vis primæ oblationis sacrificij crucis. Nam ad hanc applicationem satis esse possunt media à Christo instituta, prædicatio scilicet Verbi, & sacræ Cœnæ administratio. Et confirmantur hæc omnia ex Apostolo Hebr. 9. & 10. vbi legimus Christum semel apparuisse per immolationem suam: item voluntate Dei nos sanctificatos esse per oblationem corporis Iesu Christi semel: item Christum vna oblatione consummasse in perpetuũ sanctificatos: denique acquisita semel remissione peccatorum, nullam ampliùs restare oblationem. Accedit vltimò Christi vox, Ioannis 19. *Consummatum est*; quibus verbis testatur Dominus, vno suo sacrificio perfectum esse, & completum, quidquid in salutem nostram erat.

RESPONDEO, Quod Apostolus ait Roman. 3. de lege & fide: *Nunquid legem destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus*, idem nos de cruce, & Missa dicere possumus, Nunquid crucem euertimus per Missam? absit: sed crucem statuimus. Quomodo enim Missa crucem euerteret, quæ nihil fermè est aliud, nisi continua commemoratio crucis? Sed ad argumentum. Fatemur sacrificium crucis vim infinitam, & sempiternam habere ad sanctificandum, atque inde sequi concedimus, non esse opus alio sacrificio crucis, aut eiusdem sacrificij crucis repetitione; id est, non esse opus, vt alius Christus moriatur pro nobis, aut vt idem Christus sæpius moriatur. Negamus autem inde sequi, non posse sine crucis Christi iniuria multiplicari sacrificia repræsentantia sacrificium crucis, & eius fructum nobis applicantia. Nam si ita esset, non solùm tollerentur Missæ de medio, sed etiam efficeremus, omnia sacrificia Testamenti veteris fuisse peracta in iniuriam crucis Christi. Nam sacrificiũ crucis non solùm vim habuit sanctificandi futuros homines, sed etiam præteritos: inde enim dicitur, agnus occisus ab origine mundi, Apocalyp. 13. Illa igitur Caluini consequentia: Sacrificium crucis est perfectissimum; ergo non potest erigi altare, quin euertatur crux Christi, si quid valet contra altare Ecclesiæ, valebit etiam cõtra altare Synagogæ: negemus igitur cum Manichæis, vt Caluino pareamus, Testamentum vetus, quod tot altaria erexerit in contumeliam crucis.

ILLVD autem, quod Caluinus addebat, fructum crucis satis applicari per prædicationem Verbi, & administrationem Cœnæ Domini: proinde non esse opus sacrificio Missæ: nihil concludit. Nam In primis eodem argumento probarem, superuacaneam esse Cœnam Domini, quia fructus crucis satis applicatur per Baptismum, immò, & Baptismum superuacaneum esse, quòd sola prædicatione Verbi possit excitari fides, per quam applicatur fructus crucis. Placuit igitur Deo varia media instituere, quibus faciliùs, suauiùs, plenius, fructũ crucis consequeremur, atque vnum ex his, nos sacrificiũ Missæ esse contendimus: neque aduersarij contrarium adhuc ostendere potuerunt. Deinde etiamsi ad applicandum fructum crucis, nõ esset sacrificium Missæ necessarium, nec vtile, non tamen sequeretur esse in iniuriam crucis, quod Caluino probandum erat; immò nec sequeretur non esse necessarium. Nam adhuc necessarium esset ad religionem constituendam, quæ sine externo sacrificio esse non potest; ad Deum cultu supremo, & illi soli debito honorandum; ad sacrificium crucis commemorandum, & ad alios fines, de quibus suprà diximus.

AD loca ex Paulo adducta facillimè respondetur. Nam verba illa capitis 9. *Neque vt sæpius se offerat, &c.* apertissimè omnium expositorum consensu de cruenta oblatione accipienda sunt, nam mox idem Paulus subiungit: *Alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.* Sensus igitur est, Christus non intrauit in cœlum per primam sui oblationem, id est, per mortem suam, vt deinde exeat, & se offerendo, & moriẽdo iterum intret, & hoc sæpius repetat, quemadmodum Pontifex Leuiticus per victimam intrabat sanctuarium, & exibat, & rursus iterum per aliam victimam intrabat, & exibat: alioqui oportuisset Christum ab origine mundi pro singulis generationibus se offerre, ac mortem pati, sed vnica oblatione, id est, vnica morte peccata totius mundi purgauit, & cœli aditum omnibus hominibus aperuit. Videmus igitur Apostolum non excludere quamlibet iterationẽ oblationis Christi, sed eam solam, quæ mortem ipsius requirit.

Illa quoque verba capitis 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.* Et illa: *Vna oblatione cõsummauit in sempiternum sanctificatos*: similiter de cruenta oblatione intelligenda sunt. Sensus enim est; Per vnam Christi mortem sanctificati sumus, immò etiã consummati sumus, adepti videlicet non solùm remissionẽ peccatorum, sed etiam ornamenta iustitiæ, & ipsam beatitudinem; & hoc in sempiternum, id est, pro omni ætate, & generatione, vt iam non egeamus alio Christo, qui morte sua nos redimat, vel vt idem Christus pro nobis, vel pro aliis sæpius moriatur.

ILLVD autem ex eodem capite: *Vbi est remissio peccatorum, iam non est oblatio pro peccato*, quod aduersarij maximè vrgent, si quid probaret, tantùm probaret, non esse locum post sacrificium crucis, vlli sacrificio propitiatorio, non autem vlli sacrificio absolutè: nam multa sunt sacrificia verè, & propriè dicta, quæ non sunt propitiatoria. Quare parum fideliter Caluinus ex Paulo citauit, nullam ampliùs restare oblationem, cùm Paulus disertis verbis dixerit, nullam esse oblationem pro peccato.

SED neque admittimus ex hoc loco posse colligi, Missam non esse sacrificium propitiatorium, seu oblationem pro peccato. Nam duo requiruntur ad remissionem peccatorum. Vnum, vt inueniatur precium liberationis, seu satisfactio iusta, & debita diuinæ iustitiæ. Alterum, vt pretium in particulari applicetur hominibus. Quod attinet ad Primum, sacrificiũ crucis remisit omnia peccata, præterita, præsentia, & futura, siquidem pretium acquisiuit sufficientissimũ pro peccatis totius mũdi: & ideò illo sacrificio peracto, & peccatis remissis, non restat vlla similis oblatio pro peccato, id est, pro acquirendo pretio ad remissionem peccatorum. Et hoc solum est, quod Apostolus eo loco scribit. Quãtum ad Secundum, nondum facta est remissio peccatorum omnium: nam adhuc sunt, & erunt vsque ad mundi consummationem, quibus applicandum sit pretium liberationis, & remittenda peccata, & ideò remanet hostia pro peccato, nimirum sacrificium Missæ.

DICES; Videtur Apostolus, cùm ait, *Iam non est oblatio pro peccato*, respicere ad sacrificia Iudaica', quæ pro peccato dicebantur, ac docere illa sacrificia esse omnia abrogata, cùm iam peracta sit remissio peccatorum: nõ ergo solùm excludit Paulus nouam oblationem, qua acquiratur pretium, sed omnes alias oblationes pro peccato, etiamsi tantùm repræsentatiuæ, & applicatiuæ sint sacrificij crucis.

RESPONDEO, Non cogimur dicere, Apostolum respexisse ad sacrificia Iudaica: sententia enim eius hoc tantùm postulat, vt acquisito pretio remissionis peccatorum, non requiratur oblatio acquisitiua illius pretij. Potest tamen concedi Paulum respexisse ad illa sacrificia vetera legis, non vt erant repræsentatiua, & aliquo modo applicatiua sacrificij crucis, sed vt erant figuræ, & promissiones futuri sacrificij: peracto enim sacrificio crucis, & pretio acquisito, frustrà adhiberentur figuræ promittentes id, quod iam habemus. Quòd autem non excludat Paulus sacrificia repræsentantia, & applicantia sacrificium crucis, manifestissimè patet ex eo, quòd alioqui excluderet etiam Baptismum, & Cœnam Domini, quæ sunt etiam Sacramenta repræsentantia, & applicantia fructum crucis, immò & verbum, & fidem, & orationem, & omnia media, seu instrumenta, quibus applicatur fructus crucis. Nam sic argumentari possemus; Per crucem sunt remissa omnia peccata; ergo frustrà sunt omnia instrumenta iustificationis.

DENIQVE illud, *Consummatum est*, perperam à Caluino adducitur. Nõ enim significat, vt ipse somniat, vnica oblatione crucis consummata, & cõpleta omnia, quæ in salutem nostram erãt, quasi superuacanea fuerint cætera, doctrina, Sacramenta, exempla, & omnes labores ante crucem obiti: sed significat, vt Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Theophylactus, & alij exponunt, cõsummatas fuisse pœnas, & afflictiones, quas in carne passurus erat, vel, quod in idẽ recidit, consummata fuisse Prophetarum oracula, quæ passionem eius ptædixerant.

TERTIVM argumentũ Caluini sumitur ex eo, quòd sacrificium Missæ vnam Christi mortem obliteret, & ex hominum memoria excutiat. Nam Testaméti confirmatio à morte testatoris pendet: ergo & Testamenti Christi cõfirmatio à morte Christi pendet. Sed Missa est nouum Testamẽtum, immò quot sunt Missæ, tot sunt Testamenta: ergo vt rata sint, oportet Christum toties mori, quoties dicitur Missa: erga vnica illa Christi mors, aut non creditur, aut pro nihilo ducitur. Præterea hostiã quæ offertur, occidi & mactari necesse est: ergo si Christus singulis Missis sacrificatur, eũ singulis momẽtis mille in locis crudeliter interfici oportet. Neque valet si respondeant, sacrificium Missæ esse ἀνάμνησιν: nã non pendet ex arbitrio hominum, vt sacrificij naturam mutent, & Apostolus ait: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.*

RESPONDEO, Si Catholici dicerent, in sacrificio Missæ verè Christum mori, Caluini argumẽtum aliquid

virium habere videretur: sed cùm dicant omnes, Christum non mori nisi in Sacramento, seu signo repræsentante vnicam illam mortem, quam aliquando obiit, tantum abest, vt Missa obliteret Christi mortem, vt potiùs efficiat, ne vnquã obliteretur. Sed inquit Caluinus: *Etsi dicant Papistæ, se Christum nec velle, nec posse interficere, tamen id sequi ex eorum dogmate, argumenta nostra probant.* Videamus igitur an ita sit.

PRIMVM argumentum ex nomine Testamenti, nihil probat. Nam Missa non est noua Testamenti Christi institutio, sed est repetitio illius eiusdem, quod Christus aliquando fecit, & sua morte confirmauit. Quemadmodum inter homines, cùm testamẽtum morte confirmatum sæpius in iudicio exhibetur, & recitatur, aut etiam describitur ad applicandam huic aut illi hæreditatem, non est opus vt testator iterum moriatur, sed satis est, si constet testatorem esse mortuum, nec ante mortem reuocasse, aut immutasse suum testamentum.

SED contrà probare nititur Caluinus, singulas Missas esse Testamenta noua, id est, diuersa ab illo Testamento quod Christus initiò fecit, & morte sua confirmauit: *Singulæ Missæ*, inquit, *nouam peccatorum remissionem, nouam iustitiæ acquisitionem promittunt, ergo tot sunt noua ac diuersa Testamenta, quot Missæ.*

RESPONDEO, Remissio peccatorum, & iustitiæ acquisitio, quam Missa promittit, respectu eius cui promittitur, noua dici potest, quippe qui eam antea non habebat: sed respectu sacrificij crucis, de quo Caluinus loqui debet, non est noua, sed est illa ipsa, quæ per sacrificium crucis parta est: nam, vt sæpe diximus, sacrificium Missæ applicat fructum sacrificij crucis. Atque in hoc est totus error aduersariorum, quod sibi falsò persuaserint, nos tribuere Missæ vim remittendi peccata sine vllo ordine ad sacrificium crucis.

AD aliud argumentum ex occisione hostiæ, quæ offertur, Respondeo, Sacrificium Missæ esse verissimum sacrificium, & tamen non exigere veram hostiæ occisionem. Solùm enim occisio requiritur in oblatione rei viuentis, & quæ in forma rei viuentis offertur, vt cùm offeruntur agni, vituli, aues, & similia, quorum destructio in morte consistit. At cùm forma sacrificij est rei inanimæ, vt panis, vini, thuris, & similium, non potest requiri occisio, sed solùm consumptio rei illi conueniens. In Missa igitur offertur quidem Christus, qui est res viuens, & offertur in forma rei viuentis, quantum ad repræsentationem. vbi solùm requiritur mors repræsentata, non autem mors reipsa: sed vt est sacrificium reale, & propriè dictum, offertur in forma panis & vini, iuxta ordinem Melchisedech, & proinde in forma rei inanimæ. Vnde in Canone, vbi habentur verba oblationis potissimæ post consecrationem, dicimus: *Offerimus panem vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* Quare consumptio huius sacrificij, non debet esse occisio, sed manducatio.

AD illud, *Sine sanguinis effusione non fit remissio*, Respondeo, Apostolum loqui de sacrificiis legis veteris, in qua nullum erat sacrificium pro peccato sine sanguinis effusione. Sic enim ait Hebr. 9. *Omnia penè in sanguine mundantur secundum legem, & sine sanguinis effusione non fit remissio.*

PRÆTEREA potest etiam absolutè, & generatim accipi Pauli sententia, non quòd quotiescunque fit remissio, tum sanguinem fundi oporteat, sed quòd remissio nunquam fiat, nisi in virtute effusionis sanguinis, siue ea nunc fiat, siue facta, siue futura sit.

DENIQVE in sacrificio Missæ rectissimè potest dici sanguis Christi effundi, vt ipse Dominus loquitur, cùm ait: *Hic est sanguis meus, qui pro multis funditur*, siue consideremus mysticam sanguinis effusionem, siue realem effusionem, id est, libationem, seu oblationem sanguinis Domini. Vt enim vsitatè secundum Scripturas dicitur

panis frãgi,cùm distribuitur, etiamsi integri panes dentur:sic etiam vinum fundi dici potest, cùm distribuitur, licet plenæ amphoræ donentur;& eodem modo corpus sub specie panis frangitur,& sanguis sub specie vini funditur,dum offertur & donatur Deo in sacrificium.

QVARTVM Caluini argumẽtum ducitur à fructu mortis Christi,quem Missa nobis præripit, dum ne eum agnoscamus & cogitemus, facit. Quis enim cogitet, se morte Christi redemptum esse, vbi nouam in Missa redemptionem viderit? Quis peccata sibi remissa cõfidat, vbi nouam remissionem viderit?

RESPONDEO, Argumentum non est dissimile superioribus:nititur enim falso illo fundamẽto, quòd Missa Catholicorum sententia, vim habeat expiandi peccata sine crucis sacrificio. Si enim hoc diceremus,rectissimè Caluinus colligeret, Missam nobis præripere fructũ mortis Christi:sed quia id nulli Catholici docent,aërem verberat Caluinus.

SED contrà instat ille:*Neque cuadet*, inquit, *qui dixerit , non alia cauſſa nos peccatorum remiſſionem in Miſſa obtinere, niſi quia morte Chriſti iam acquiſita eſt. Non enim aliud adſert, quàm ſi iactet , nos calege à Chriſto redemptos eſſe,vt nos ipſi redimeremus:vt nihil iam paſſioni Chriſti relinquatur,niſi, vt ſit exemplum redemptionis, quo diſcamus noſtri eſſe redemptores.*

RESPONDEO,Mira est huius hominis cæcitas, vel malitia,qui nondum potuit, aut certè noluit Catholicorum sententiam intelligere.Nam in primis Missa non est opus nostrum, sed Christi:ipse enim est verus sacerdos, qui per Ministros sacrificium offert, & per illud purgat, & remittit peccata. Quare etiãsi Missa haberet vim per se absque sacrificio crucis, non ideò tamen nos ipsi redimeremus,sed Christus nos redimeret.Deinde non ita comparamus,vt perperã facit Caluinus,passionẽ Christi cum sacrificio Missæ,vt dicamus ex passione Christi sumi tantùm exemplum redemptionis.Dicimus enim passione Christi totum pretium redemptionis acquisitum, & propterea nos omnes ea morte redemptos , quod attinet ad sufficientiam pretij pro omnibus persoluti : per sacrificium autem Missæ applicari pretium illud , vt etiã applicatur per Sacramenta, quamuis alio,& alio modo, vt suo loco infrà dicemus.Sicut igitur qui baptizat,non dicitur exemplum tantùm sumere redemptionis à passione Christi, nec proprie redimere,sed applicare duntaxat pretium per passionem acquisitum : sic etiam de sacrificio Missæ cogitari debet.

QVINTVM argumẽtum iam est solutum:nihil enim adfert,præter id, quod Lutherus dicebat, non posse idẽ accipi,& donari. Hæc sunt argumenta ex libro Institutionum. Alia duo addit in Antidoto art.6.Parisiẽsis,quæ breuissimè solui possunt.

PRIMVM est hoc:*Inſtitutio Chriſti ſic habet:Accipite,& manducate,non autem:Offerte,ergo ſacrificium non ex inſtituto Chriſti eſt, ſed palàm cum eo pugnat.*Respondeo; Nusquam legimus Christum dixisse;Non offerte : quod si legeremur , tum verè pugnaret cum instituto Christi sacrificium Missæ. Quòd si illud vrgeat Caluinus,quòd non dixerit Christus,Offerte, iam suprà responsum est, tum nihil colligi ex pura negatione, tum satis Christum apertè iussisse offerri,cùm ait:*Hoc facite.*

ALTERVM argumentum est: *Nemo vſurpare debet honorem ſacerdotij, niſi à Deo vocatus,teſte Apoſtolo. Nemo autem præter Chriſtum vocatus legitur.* Respondeo, Cùm Apostolos Christus ad honorem sacerdotij vocauerit illis verbis:*Hoc facite*, nemo potest dicere eos non esse à Deo vocatos,nisi qui Christum neget esse Deum. Qui autem Apostolis legitima ordinatione succedunt, non minùs à Deo vocari censendi sunt , quàm olim à Deo iudicarentur vocari,qui Aaroni per carnalem propagationem substituebantur.

CAPVT XXVI.

Soluuntur obiectiones Kemnitij.

MARTINVS Kẽnitius in 2.par. Exam.pag.805. & seq. proponit argumenta sua sub hoc titulo: *Argumenta oſtendentia abominationẽ Miſſæ Pontificiæ.* Sunt autem argumenta sex.

PRIMVM tale est:*Inſtituere cultum extra verbum , & ſine verbo Dei,vanum eſt,immò idololatria eſt,cum ſcriptum ſit,Fruſtrà colunt me mandatis, & doctrinis hominum. Sed theatrica repræſentatio per verba,ritus,geſtus, ſicut in Pontificia Miſſa fit, nullum habet verbi teſtimonium , immò nec exemplum Chriſti,aut Apoſtolorum.Fatentur enim Pontificij ſcriptores,Apoſtolos ſola Dominica oratione vſos in celebratione Cœnæ , & notant qui Romani Pontifices , & quo tẽpore ſingulos actus,& ſcenas myſtici dramatis inuenerint, ergo,&c.* Respondeo:De propositione huius argumẽti,sæpe iam in aliis disputationibus disseruimus. Hoc autẽ loco,etiamsi ea propositio verissima esset, nihil tamen argumẽtũ concluderet:nam in assumptione etiam vitium est. Non enim,vt sæpe diximus, quæstio nostra est de cæremoniis Missæ,sed de substantia sacrificij : illã autem à Christo institutam , suprà demonstrauimus testimoniis Scripturæ,& Patrum,& totius Ecclesiæ.

SECVNDVM argumentum Kemnitij: *Sacramenta extra vſum à Chriſto inſtitutum in aliam actionem toto genere diuerſam transferre,ingens eſt piaculum:Chriſtus autem Sacramenti,& non ſacrificij actionem in verbis inſtitutionis præſcripſit:contumelia igitur cœnæ Dominicæ eſt, Miſſa Põtificia.* Respondeo, Assumptio argumenti probanda fuerat:nam eam falsam esse, suprà plurimis & clarissimis argumentis demonstrauimus.

TERTIVM argumentum. *Adminiſtrationem Cœnæ Chriſtus Moriturus teſtamenti forma inſtituit. Magnum autem ſi celus eſt,vel hominis teſtamento, quando ratum & cõfirmatum eſt, aliquid ſuperordinare. Manifeſtum igitur eſt, quid ſit Pontificia Miſſa,quæ Teſtamẽto Filij Dei aliquid ſuperordinat.* Respondeo, Vltima particula, probanda erat. Quod enim Missa aliquid superordinet Testamento Filij Dei,falsum est,cùm nihil sit aliud Missa,nisi frequentatio eius rei,quam Christus moriturus frequentari mãdauit.Sed facilè est aduersariis, verba profundere,etiam cùm nihil habent,vnde sua probare queant.

QVARTVM argumentum:*Miſſa Pontificia,pugnat cũ ſacrificio crucis,&c.* Quintum:*Miſſa pugnat cum vnico ſacerdotio Chriſti,&c.* Sextum:*Miſſa obſcurat cœnã Domini, & alia media à Chriſto inſtituta , ad applicandum fructum paſſionis Chriſti.* Respondeo, Hæc omnia sumpta sunt ex institutione Caluini,& à nobis paulò antè soluta.

CAPVT XXVII.

Soluitur vltima obiectio , & explicatur in qua parte Miſſæ propriè conſiſtat eſſentia ſacrificij.

POSTREMO loco soluenda est obiectio quædam , quam partim hæretici faciunt ad Missam oppugnandam:partim etiam Catholici ad rem meliùs explicandam. Si Missa sacrificium esset propriè dictum,certè in aliqua eius parte inueniretur ratio sacrificij propriè dicti,& suprà definitione explicati : nullam autem eiusmodi partem esse,sic ostenditur.Post Missam Catechumenorum,in qua certum est non consistere sacrificij rationem , quinque partes inueniuntur. Prima oblatio panis,& vini. Secunda consecratio , & transmutatio panis in corpus,& vini in sanguinẽ Domini. Tertia oblatio corporis , & sanguinis per expressa verba. Quarta fractio,& commistio Sacramẽti. Quinta distributio,& consumptio eiusdem.In oblatione panis, & vini sacrificium Missæ non consistere,extra cõtrouersiam est : non enim res terrenæ esse possunt illud vnicum sacrificium,quod in Ecclesia vigere pro omnibus veteribus sacrificiis Patres affirmant.

In consecratione', quæ est secunda pars,non apparet

vlla

vlla oblatio, quæ tamen de intrinseca ratione sacrificij est.Præterea non fit in consecratione vlla sensibilis immutatio rei,quæ offertur:quæ mutatio ad rationem externi sacrificij omninò pertinere videtur.

OBLATIO corporis, & sanguinis, tertia videlicet pars,quæ sequitur ad cõsecrationem,ad essentiam Missæ pertinere non potest,proinde neque in ea ratio sacrificij constitui debet.Nam Dominus Christus, quem sacrificij huius auctorem habemus, post consecrationem continuò Sacramentum distribuit, ac manducari præcepit. Sic enim ait:*Accipite, & manducate,hoc eſt corpus meum.*Nullum igitur fuit tempus,in quo Dominus consecratum panem Deo offerre,potuerit.Deinde,si verum est,quod S.Gregorius scribit lib.7.epist.63.solummodò orationem Dominicam Apostolos addidisse ad verba consecrationis, certè nec ipsi faciebant illam oblationem, quam nos post consecrationem facimus:non igitur illa oblatio ad essentiam sacrificij pertinet.

PORRÒ fractio,quæ quarta pars est,sine dubio non habet Dominum auctorem. Dominus enim fregit quidem panem,sed fregit vel ante consecrationem,vt multi volunt,vel statim à consecratione,vt distribuereet eum discipulis.At nostra fractio fit post cõsecrationem multis aliis actionibus interiectis, & non fit ad distribuendum,sed ad certum mysterium significandum.

DENIQVE manducatio,seu consumptio non videtur propriè sacrificium,cùm non fiat à solo Sacerdote. Et quamuis ad essentiam sacrificij pertineret,non potest tamen in ea sola tota essentia sacrificij constitui:nam sine oblatione,& dedicatione præcedente,sacrificium esse non potest.Atque hæc est ratio cur apud Catholicos feria sexta maioris hebdomadæ non censeatur sacrificium Missæ propriè celebrari, licet vera hostia adsit & frangatur,& consumatur:quia videlicet consecratio, & oblatio deest.

RESPONDEO,Vtrem totam facilè & breuiter explicemus,duo aperienda sunt.Primùm, quid sit propriè sacrificium Missæ, accipiendo sacrificium pro re, quæ sacrificatur.Deinde, quid sit propriè sacrificium Missæ, accipiendo sacrificium pro actione sacrificandi.Vtrumque autem ex sequentibus sententiis, seu propositionibus patebit.

PRIMA propositio:*Negari non debet,panem & vinum aliquo modo in Miſſa offerri, & proinde pertinere ad rem, quæ ſacrificatur.*Hæc patet Primùm ex ipsa Liturgia. Nã cùm ante consecrationem dicimus:*Suſcipe ſancte Pater hanc immaculatam hoſtiam*, certè pronomen *Hanc*, demonstrat ad sensum id,quod tunc manibus tenemus:id autem panis est. Et similes sunt in Liturgia non paucæ sententiæ,quæ panem offerri apertissimè demonstrant.

DEINDE veteres Patres passim idem tradunt. Irenæus lib.4.c.31.dicit,Ecclesiam offerre Deo sacrificium ex creaturis,id est,ex pane,& vino. Cyprianus libr.2.epistol.3.dicit,Christum obtulisse Patri calicem vino & aqua mistum.& in serm. de eleemosyna, reprehendens diuites fœminas,quæ non adferebãt panem consecrandum:*Locuples*,inquit,*& dies in Dominicum ſine ſacrificio venis,& panem de ſacrificio,quod pauper obtulit,ſumis*,vbi per sacrificium, panem intelligit, qui per Sacerdotes Deo sacrificandus erat.Sanctus Gregorius lib.2.Dialog. c.23. de S. Benedicto loquens:*Manu ſua*,inquit,*oblationem dedit,dicens:Ite,& hanc oblationem pro eis offerri Domino facite,& vlterius excommunicatæ non erunt.Quædum oblatio pro eis fuiſſet immolata,&c.*Et lib.4.c.55.*Omnipotenti Deo*,inquit,*pro me offer hunc panem.* Similes sententiæ passim inueniuntur.

SECVNDA propositio:*Corpus,& ſanguis Domini ſunt id ſacrificium, quod in Miſſa propriè offertur, & ſacrificatur.*Hæc certissima est,& probata plurimis testimoniis.

TERTIA propositio:*Panis,& corpus Domini,vinum, & ſanguis Domini,non ſunt duo ſacrificia,ſed vnum.* Non enim offerimus Deo panem simpliciter,sed panem consecrandum, & transmutandum in corpus Domini:neq; offerimus corpus Domini absolutè, tunc enim aut cruentum fieri deberet sacrificium, aut reuera sacrificium nullum esset, sed offerimus corpus Domini in specie panis, & ex pane confectum. Itaque sicut apud Hebræos offerebatur ouis viua , & offerebatur etiam mortua:& licet specie differant viuum, & mortuum, si natura physicè spectetur,tamen vnum erat sacrificium, non duo sacrificia , nam ouis viua offerebatur consecranda per mortem Deo, & deinde per ignem absumenda.Sic etiam,licet panis, & corpus Domini res sint diuersissimæ, si eorum natura consideretur : vnum tamen sacrificium faciunt, quòd est panis in corpus Domini transmutatus, siue corpus Domini in specie panis Deo oblatum. Atque hinc est,quod in Missa non offertur panis, vt sacrificium perfectum, sed vt sacrificium inchoatum,& perficiendum,vt patet ex illis verbis: *Benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum.* Et in secretis aliquoties legimus:*Sacrandum tibi mũus offerimus.*Vnde rectissimè Irenæus lib. 4.c.32.dixit:*Calicem, ſanguinem ſuum confeſſus eſt,& noui teſtamenti,nouam docuit oblationem.* Vbi oblatio noui Testamenti propriè vocatur vinum in sanguinem Domini commutatum.

HVC faciunt omnia loca Patrum, qui docent, vnicum esse Ecclesiæ sacrificium, quod succeſſit toti multitudini veterum sacrificiorum, Leonis sermo. 8.de passione Domini.Ioan.Chrysostomi in Psal.95.& Augustini lib.de spiritu,& litera,ca.11.libr.3.contra Donatistas, de Baptismo,cap.vlt lib.1.contra aduersarios leg & prophet.cap.20.lib.1.contra Cresconium,cap.25.& libro 8. ciuit.cap.vltimo.

HINC patet, improbabilem esse sententiam Gasparis Cassalij,lib.1.de sacrificio, capit.20.qui affirmat duo esse sacrificia Eucharistiæ, vnum panis & vini, alterum corporis & sanguinis Domini.

QVARTA propositio : *Oblatio panis & vini conſecrationem præcedens , ad integritatem & plenitudinem ſacrificij pertinet, non tamen ad eſſentiam.* Quod ad essentiam non pertineat, extra controuersiam esse videtur. Nam oblatio vocalis, vt suprà ostendimus, non est ad sacrificium necessaria:satis enim Deo se demonstrat aliquid offerre,qui reipsa offert.Et quamuis oblatio aliqua ad essentiam sacrificij necessariò requiratur, non tamen necesse est,vt ea immolationem præcedat:ipsa enim immolatio,oblatio esse potest.Quòd autẽ ad integritatem quandam pertineat,inde patet,quòd in omnibus Liturgiis, quantumuis antiquis, seu Græcis, seu Latinis, pars actionis est oblatio rerum consecrandarum.Et quamuis Dominus non iisdem verbis panem cõsecrandum obtulerit,quo nos modo offerimus,tamen obtulisse aliquo modo,apertè scribit Cyprianus,li.2.epist.3.& colligitur ex illa cæremonia eleuandi oculos in cœlum, & gratias agendi,quam Dominum consecrationi præmisisse, partim Euangelistæ,partim antiquissimæ Liturgiæ testãtur.

QVINTA propositio : *Oblatio quæ ſequitur conſecrationem, ad integritatem ſacrificij ſimiliter pertinet,non ad eſſentiam.*Quod non ad essentiam probatur, tum ex eo, quòd Dominus eam oblationem non adhibuit : immò nec Apostoli in principio,vt ex Gregorio demõstratum est,tum ex eo, quòd verba huius oblationis non dicuntur in persona Christi, sed in persona ipsius Ministri, & Ecclesiæ, vt patet ex illis verbis : *Vnde & memores nos ſeruitui,&c.*Sacrificium autem in persona Christi,principaliter offertur.Itaq; ista oblatio consecrationẽ subsequens,est quędã testificatio,qđ tota Ecclesia consentiat in oblationẽ à Christo factam,& simul cum illo offerat. Quod autẽ ad integritatẽ pertineat, patet ex antiquissimis Liturgiis,q̃ sine dubio ab Apostolis originẽ ducunt.

Nam etsi Apostoli initio solam orationem Dominicam addidisse dicantur, tamen postea iidem ordinauerunt ritum celebrandi, & multa alia addiderunt, vt ex Liturgia Iacobi, & Clementis intelligi potest.

SEXTA propositio: *Fractio Sacramenti ad essentiam non pertinet, sed solùm ad integritatem.* Quod non ad essentiam, perspicuum est ex ipso vsu Ecclesiæ. Nam si fortè, dum cum ipso Sacramento signum crucis exprimitur super calicem, panis consecratus in calicem decidat, non solet frangi, sed relinquitur ita integrum, vsque ad sumptionem: nec tamen sacrificium irritum, aut essentialiter immutari creditur. Adde, quòd hac cæremonia Dominus non videtur esse vsus, vt initiò diximus. Pertinere autem ad integritatem, perspicuum est ex omnibus Liturgiis Græcis, & Latinis.

SEPTIMA propositio: *Sacramenti consumptio, vt à populo fit, non est pars sacrificij, vt autem fit à Sacerdote sacrificante, pars est essentialis, sed non tota essentia.* Quod attinet ad populi sumptionem, res certissima est: qui enim edunt victimas, participes sunt altaris, vt Apostolus ait, 1. Corin. 10. & Hebr. 13. Non est autem idem, sacrificium offerre, & de altari participare. Consumptio autem, quæ fit à Sacerdote sacrificante, non tam est comestio victimæ, quàm consummatio sacrificij, & propriè combustioni holocausti respondere censetur. Itaque adeò necessaria semper iudicata est ab Ecclesia, vt si fortè Sacerdos ante consumptionem moriatur, vel alio modo à consumptione impediatur, oporteat alium Sacerdotem illi succedere, & sacrificium consummare, vt patet ex Conc. Tolet. 12. can. 5. & ex regulis libri Missalis.

QVOD autem sit pars essentialis, inde probatur, quia in tota actione Missæ, vt mox ostendemus, nulla est alia realis destructio victimæ præter istam: requiri autem realem destructionem, suprà probatum est, cùm definitionem constitueremus. Vnde Abraham Patriarcha, licet filium iam colligasset, & super aram constituisset, & manum ad mactandũ sustulisset, quiatamen defuit realis occisio, non dicitur eum, nisi voluntate sacrificasse. Neque obstat, quod ista consumptio non videatur fieri in persona Christi, qui tamen est primarius sacerdos. Nam Christus quidem non se ipse manducat, neque immediatè consumit Sacramentum: tamen ipse dici potest consumere, quia ad consumendum tradit. Quemadmodum etiam in sacrificio crucis, Christus verè se ipse sacrificauit, quia occidendum obtulit, licet non se ipse occiderit manibus suis, sed manibus aliorum. Nam etiam in Testamento veteri de ratione holocausti erat combustio, quæ tamen immediatè non à Sacerdote, sed ab igne fiebat: sed verè dicebatur Sacerdos cremare victimam, quando ignem illi subiiciebat.

OCTAVA propositio: *Consecratio Eucharistiæ ad essentiam sacrificij pertinet.* Hæc sententia ita generatim proposita, multos habet auctores. Nam ex Græcis eam apertè docet Nicolaus Cabasilas in explicatione sacræ Liturgiæ, c. 32. & ex Latinis Ruardus in defensione art. 16. Louanienſium, Iodocus Tiletanus in responsione ad Apologiam Illyrici, c. 15. Gaspar Casalius li. 1. de sacrificio, c. 20. Alanus lib. 2. de sacrificio, cap. 15. & alij, sed non omnes eodem modo illam exponunt.

ALIQVI existimant ideò in consecratione consistere sacrificij essentiam, quia per consecrationem fit vera, realisque mutatio panis in corpus Christi: sacrificiũ autem verum requirit eiusmodi veram, & realem mutationem, qua res desinat esse ad Dei honorem.

SED hæc sententia habet contra se non leuia argumenta. Nam inprimis, si ea vera fit, sequetur propriè solum panẽ triticeum sacrificari. Id enim propriè sacrificari dicitur, quod realiter mutatur, ita vt desinat esse: at solus panis ita mutatur. Id autẽ absurdissimum esse, nemo negare potest, quia si ita esset, haberet Ecclesia sacrificium inanimum, & vilius multò, quàm habuerint olim Hebræi. Deinde mutatio, quæ ponitur quasi forma sacrificij sensibilis, & externi, debet esse externa, & sensibilis. At mutatio panis in corpus Christi, est omninò interna, & nullo sensu, sed fide sola perceptibilis. Tertiò, non esset idem sacrificium Ecclesiæ, & sacrificiũ crucis, quoad rem oblatam: nec esset verum, quod Patres dicunt, in sacrificio Missæ idem esse sacrificiũ, & Sacerdotem: neque illud, quod Chrysostomus, Ambrosius, Primasius, & alij notant in cap. 10. epistolæ ad Hebræos, sacrificia Hebræorum fuisse multa, quia hodie vnum agnum, eras alium offerebant: nostrum autem esse vnum, quia semper eundem offerimus Christum, nam & nos, si de pane agamus, non semper eundem offerimus.

ALII volunt ideò in consecratione sacrificij essentiam consistere, quòd per eam verè. licet mysticè, & incruentè, immoletur Christus. Nam cùm vi verborum: *Hoc est corpus meum*, solum Christi corpus sine anima & sanguine incipiat esse in altari, & vi aliorum verborum: *Hic est sanguis*, incipiat sanguis solus, & seorsim à corpore esse in altari: & vbi est verum corpus à sanguine separatum, ibi sit vera quædam immolatio: certè sequitur, vi totius consecrationis, verà immolari Christum: & tamen incruenta est immolatio, quia naturalis concomitantia impedit, quò minus verè sanguis, aut anima à corpore separentur.

HAEC sententia non videtur ita satisfacere, vt omninò animus conquiescat. Nam inprimis verum & reale sacrificium, veram mortem, aut destructionem rei immolatæ desiderat: consecratio autem, non veram & realem mortem, sed mysticam tantùm efficit. Neque satis respondere videntur, qui dicunt consecrationem ex se veram mortem adferre, sed per naturalem concomitantiam fieri, ne mors reuera sequatur. Nam si naturalis concomitantia impedit mortem, hoc ipso impedit sacrificium. Certè, si tempore veteris Testamenti Sacerdos immolaturus ouem, ictum adhiberet, qui ex se mactare posset, sed aliquo impedimento intercedente ouis non mactaretur, non diceretur peracta reipsa mactatio, sed voluntate sola.

PRAETEREA, si per consecrationem vera, & realis immolatio fieret, ea tamen non fieret in altari, sed in cœlo. Nam immolatio ibi fieri dicitur, vbi animal viuum occiditur, siue vbi diuisio fit corporis ab anima, & sanguine: porrò diuisio corporis Christi ab anima, & sanguine, si qua fit per verba Sacramentalia, non fit in altari, sed in cœlo. Ibi enim fieri debet diuisio, vbi præexistit res ante diuisionem: Christus autem ante diuisionem istam, in cœlo, non in altari præexistit. Itaque secundum hanc sententiam immolatio non fit in altari, sed tantùm partes rei immolatæ post immolationem in altari collocantur. At quis concederet immolationem, quæ est sacrificium Christianæ religionis, non in terra, sed in cœlo tantummodò celebrari?

DENIQVE vel in Missa fit vera, & realis Christi mactatio, & occisio, vel non fit. Si non fit, non est verum, & reale sacrificium, Missa: sacrificium enim verum & reale, veram & realem occisionem exigit, quando in occisione ponitur essentia sacrificij. Si autem fit, ergo verum erit dicere, à Sacerdotibus Christianis verè & realiter Christum occidi: at hoc sacrilegium, non sacrificium esse videtur.

HIS igitur omissis, ita rem explicandam arbitror. In consecratione Eucharistiæ tria fiunt, in quibus sacrificij veri & realis ratio consistit. Primùm, res profana fit sacra: panis enim res alioqui terrena, & communis, per consecrationem vertitur in corpus Christi, rem videlicet omnium sacratissimam.

DICES, Ex hoc sequi videtur, vt panis solus propriè sacrificetur: quod esse absurdũ suprà diximus. Nam quod fit sacrum ex profano, id propriè sacrificatur: si ergo panis fit sacer ex profano, panis propriè sacrificabitur.

RESPONDEO, Quod ita fit sacrum ex profano, vt maneat, id sine dubio propriè sacrificatur: atque ideò apud Hebræos ouis sacrabatur, & eadem ouis sacrificabatur, quia manebat eadem etiam post mortem, saltem quoad partem materialem, & ouis tam viua, quàm mortua dicebatur. At panis non manet dum sacratur, sed in aliud vertitur: & ideò non panis, sed id quod ex pane factum est, propriè sacrificatur.

SECVNDÒ, in consecratione res illa sacra ex profana effecta, Deo offertur, dum in altari Dei collocatur. Nam, vt suprà diximus, victimam in altari ponere, est reipsa illam Deo offerre, & quia vi consecrationis fit, vt corpus Christi, & sanguis incipiat reipsa esse super altare, mediante manu Sacerdotis, ideò verbis consecrationis vera & solennis oblatio celebratur. Neque his repugnat, quòd aliquando sine altari celebratum est sacrificium. Nam non disputamus hîc de altari lapideo, sed id omne vocamus altare, vbi recipitur victima per verba consecrationis effecta. Neque obstat, quòd videatur esse oblatio rei inuisibilis, cùm tamen externa, & sensibilis victima requiratur in externo, & propriè dicto sacrificio. Nam corpus Christi non est victima in sacrificio Missæ absolutè, sed vt est in specie panis: in specie autem panis planè visibile est.

TERTIÒ, per consecrationem, res quæ offertur, ad veram, realem, & externam mutationem, & destructionem ordinatur, quod erat necessarium ad rationem sacrificij. Nam per consecrationem, corpus Christi accipit formam cibi: cibus autem ad comestionem, & per hoc ad mutationem, & destructionem ordinatur. Neque obstat, quòd corpus Christi nullam in se læsionem patiatur, neque esse suum naturale amittat, cùm manducatur Eucharistia: nam amittit esse Sacramentale, & proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse cibus sensibilis.

HAEC mihi S. Thomæ sententia esse videtur, qui in 2. 2. q. 85. art. 3. cùm doceret ad sacrificij rationem pertinere, vt circa rem oblatam aliquid fieret, vt cùm animalia occidebantur, & cremabantur ad Dei honorem, non addidit, id quod fit in sacrificio Missæ, consistere in consuersione panis in corpus Domini, sed in fractione, benedictione, & manducatione panis.

HAEC explicatione præmissa, probatur nostra propositio octaua, & postrema. Primò, quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi: nihil autem facit Sacerdos tam perspicuè in persona Christi, quàm consecrationem, in qua dicit: *Hoc est corpus meum, &c.*

SECVNDÒ, quia Christus ipse aut consecrando, & consumendo sacrificauit, aut nullo modo sacrificauit: nam vt ostendimus, non est alia Christi actio, quæ sacrificium dici possit, neq; ante, neq; post consecrationem.

TERTIÒ, quia Apostoli initiò, si nihil addebant ad verba consecrationis præter Dominicam orationem, necesse est, vt consecrando sacrificarent: neque enim oratio Dominica sacrificium dici potest.

QVARTÒ, quia in consecratione consistit repræsentatio sacrificij crucis, vt S. Thomas docet, 3. part. q. 80. art. 12. ad 3. At simul esse debent sacrificium reale, & sacrificium repræsentatiuum: siquidem ipsum reale est alterius repræsentatiuum.

QVINTÒ, quia hæc est sententia veterum Patrum. Nam Irenæus lib. 4. ca. 32. dicit, Christum tunc docuisse oblationem noui Testamenti, quam Ecclesia per orbem terræ frequentat, cùm ait: *Hoc est corpus meum.* Cyprianus in sermone de cœna Domini, dicit, cùm verbis consecrationis panis benedicitur, tunc Eucharistiam fieri medicamentum simul, & holocaustum. Chrysostomus homil. de proditione Iudæ, dicit verba Domini: *Hoc est corpus meum*, vsque ad mundi consummationem præstare sacrificio firmitatem. Gregorius li. 4. Dialogorum, cap. 58. cùm ait in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Angelorum choros adesse, cœlum aperiri, ima summis coniungi, vnum ex visibilibus, & inuisibilibus fieri: apertè docet immolationem consecratione perfici. Illa enim est hora, qua ad Sacerdotis vocem Christus verè in altari esse incipit sub specie panis: nam id est ima summis coniungi, terrena cœlestibus sociari, & vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri, neque dubium est, quin ob Christi præsentiam, Angeli de cœlo in terram veniant. Atque hæc de prima controuersia dicta sint.

LIBER SEXTVS,

DE EVCHARISTIA.

QVI EST SECVNDVS DE SACRIFICIO MISSÆ.

CAPVT PRIMVM.

Ponitur controuersia, An Missa sit propitiatorium sacrificium.

EXPEDITA primaria controuersia, sequuntur aliæ, multò quidé & breuiores, & faciliores, sed tamen in quibus minùs, quàm in prima, cũ aduersariis conuenimus. Est igitur secunda controuersia, Quale sacrificium Missa sit, Eucharisticum tantùm, & honorarium, an etiam propitiatorium, & impetratorium. Nam vt in principio libri superioris explicatum est, tria sunt genera sacrificiorum, seu potiùs quatuor, cùm postremum ex tribus in duo genera diuidatur. Vnum est, quod in Scriptura dicitur holocaustum, quod etiam λατρευτικὸν, & honorarium dici potest, cuius finis est solus Dei cultus, atque honor. Alterum dicitur in Scriptura, sacrificium pro peccato, quod etiam propitiatorium appellatur: cuius finis est præter Dei cultum, propitiatio irati Dei, & peccatorum remissio. Tertium in Scriptura nominatur pacificum, & hoc est duplex: alterum Eucharisticum, id est, oblatum ad agendas gratias pro beneficio accepto, alterum quod communi vocabulo impetratorium dici potest, cuius finis est impetratio beneficij.

ADVERSARII facilè concedunt Missam esse sacrificium εὐχαριστικὸν, & λατρευτικὸν, non quidem quòd velint esse sacrificium propriè dictum, sed impropriè, & largo modo, vt suprà demonstratum est. Nam ipsa Eucharistiæ distributio & manducatio, ad honorem Dei fit, & in

gratiarum actionem pro beneficio accepto passionis Christi: ista enim conuenire possent Eucharistiæ, etiamsi non esset aliud, nisi Sacramentum. At esse propitiatorium, & impetratorium, præsertim aliis, quàm ipsis sumentibus, nulla ratione admittunt, nec possunt admittere, nisi fateantur Eucharistiam non solùm esse Sacramentum, sed etiam sacrificium propriè dictum: non enim Sacramenta prosunt aliis, quàm sumentibus. Vide Lutherum in lib. de captiu. Babyl. c. 1. Apologiam Confess. Augustanæ, in artic. de Missa. Confess. Vvirtembergensem, cap. 16. quod est de Eucharistia. Caluinum lib. 4. Instit. cap. 18. §. 13. 14. 15. & 16. & Kemnitium in 2. parte Examin. Trid. Concil. sess. 22. cap. de Missa.

CONTRARIVM docet, ac docuit semper Catholica Christi Ecclesia, & Synodus Tridentina, vt rem totam penitus declararet, sess. 22. can. 2. apertè docuit, sacrificium Missæ non solùm propitiatorium esse pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solùm pro culpis leuibus, sed etiam pro grauibus, atque adeò mortalibus: id enim significat, cùm ait: *Crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit.* Præterea non solùm impetratorium esse spiritualium beneficiorum, sed etiam temporalium, & idcirco offerri posse pro peccatis, pro pœnis, & pro quibuscunque aliis necessitatibus. Quam sententiam, vt ordine defendamus, & explicemus, probabimus primùm, sacrificiũ Missæ propitiatoriũ esse. Secundò, esse impetratoriũ. Tertiò, ostendemus vtrunq; illi cõuenire ex opere operato, & breuiter explicabimus, quæ sit propria efficientia sacrificij. Quartò, soluemus obiectiones hæreticorũ.

CAPVT II.

Probatur sacrificium Missæ propitiatorium esse.

DIGVR sacrificium Missæ propitiatorium esse probatur. Primum, testimoniis veteris Testamenti. Scriptura enim Testamenti veteris apertè docet, fuisse in lege naturæ, & Moysis sacrificia propitiatoria. Nam Iob c. 1. legimus sanctum Iob, qui in lege naturæ viuebat, quotidie pro peccatis filiorum suorum sacrificasse Deo: & Iob vltimo, Deum ipsum iussisse, vt amici Iob sacrificarent pro peccato suo. Leuit. 4. 5. & 6. describuntur varia sacrificia pro peccato.

HAEC, & similia testimonia dupliciter probant, sacrificium Missæ esse propitiatorium. Primò, quia illa sacrificia erant typi ac figuræ huius nostri sacrificij, vt suprà probatum est.

SECVNDÒ, quia si sacrificium crucis, quod est singulariter propitiatorium, non impedit, quò minus illa vetera facrint suo modo propitiatoria, nec impedire debet, quò minùs sacrificium Ecclesiæ sit propitiatorium. Nam sacrificium crucis vim habuit ab initio mundi, & habebit vsque ad mundi consummationem, ac propterea si impediret sacrificium nostrum, quò minus esset propitiatorium, impediret etiam illa, & contrà, si illa non impediuit, nec nostrum impedire debet.

TERTIÒ, quia sacrificium nostrum est verè, ac propriè dictum sacrificium, non minùs quàm vetera, vt libro superiore demonstratum est: est etiam commemoratiuum passionis Domini, vt illa, immò expressiùs quàm illa; denique continet hostiam Deo gratiorem, quàm illa continerent: quæ igitur causa esse potest, cur illa propitiatoria dici possent, hoc non possit?

RESPONDET Caluinus lib. 4. Inst. c. 18. §. 13. illa vetera dicta esse sacrificia propitiatoria, non quòd verè expiarent peccata, Deumue placarent, sed quòd adumbrarent, ac significarent futurum aliquando sacrificium crucis, quo peccata verè purgarentur.

AT etiamsi sacrificia vetera nihil aliud, quàm typi & vmbræ fuissent, adhuc solutio Caluini non satisfaceret: nam non solius sacrificij crucis, sed etiã sacrificij Eucharistiæ typi & vmbræ erãt. Vnde Augustinus q. 57. in Leuiticum: *Illis*, inquit, *sacrificiis vnum hoc sacrificiũ significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum, à cuius sacrificij sanguine in alimentum sumẽdo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur.* Deinde, si illa sacrificia tantùm significabant futuram purgationem, non etiam aliquo modo purgabant: falsa erunt verba Scripturæ, Leuit. 4. quæ sæpe repetuntur: *Offerat sacrificium, & orabit Sacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei.* Et similiter falsum esset, quod legimus Iob vltimo, Dominum placari voluisse iram suam sacrificiis. Illa igitur sacrificia non expiabant peccata quoad culpam coram Deo, quasi iustificarent, & homines verè Dei amicos efficerent ex opere operato, rectè enim Apostolus dicit, Hebr. 10. impossibile esse sanguine hircorum, & vitulorum auferri peccata: sed tamen expiabant maculas legales, & etiam Deum propitiabant, quoad pœnas temporales, & etiam quoad culpas ex offerentium fide, cuius fidei protestationes erant sacrificia illa.

SECVNDVM argumentum sumitur à verbis institutionis. Nam illa verba: *Hic est sanguis, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum*, apertissimè docent, Christum obtulisse in cœna sacrificium pro peccatis Apostolorum. Idem autem est sacrificium nostrum cum illo, quod in cœna oblatum fuit: iussit enim Dominus Apostolis, vt idem posteà frequentarent.

PRAETEREA, sacrificium Missæ est sacrificium applicans promissiones Testamenti noui: nã ideò Luc. 22. Testamentum nouum appellatur, vt suprà expositum est. At inter promissiones noui Testamenti vna est de remissione peccatorum, vt patet Hier. 32. & Heb. 8.

DENIQVE fatẽtur Lutherani, vel potiùs cõtendunt, Eucharistiam institutam esse ad peccati remissionem: quare necesse est, vt peccata remittat, vel vt sacrificium, vel vt Sacramentum. Et quidem vt Sacramentum, non est propriè instituta ad peccati remissionem, sed ad vitæ spiritualis conseruationem. Nam, vt Sacramentum, non prodest nisi sumenti: sumens autem probare se antea iubetur, nec potest cum conscientia peccati accedere, nisi iudicium sibi manducare velit, & bibere, 1. Corin. 11. Sequitur igitur vt ad remissionem peccati instituta sit Eucharistia, vt sacrificium est. Et sanè aduersarij non intelligunt: quid loquantur, cùm Eucharistiam ad peccati remissionem institutam volunt, & tamen Sacramentum tantùm, non etiam sacrificium illam esse contendunt.

TERTIVM argumentum sumitur ex Apostolo, qui Heb. 5. sic ait: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccato.* vbi videmus præcipuum munus Sacerdotis cuiuslibet esse offerre pro peccato. Si ergo, vt in superiore libro demonstratum est, habemus in Ecclesia sacerdotium, & sacrificium: necesse est, vt ad peccata purganda illa habeamus. Præterea sicut Apostolus dicit, Heb. 10, *Vbi est horum remissio, iam non est oblatio pro peccato*: ita nos è contrario dicere possumus, Vbi nondum facta est remissio, adhuc relinquitur hostia pro peccato: At remissio perfecta nondum facta est, sed quotidie fit, & fiet vsque ad mundi consummationem, ergo manet adhuc, & manebit vsque ad mundi consummationem hostia pro peccato.

SECVNDÒ probatur testimoniis antiquorum Patrum. Iacobus in Liturgia: *Offerimus*, inquit, *tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi.* Iustinus in Dialogo cum Tryphone dicit sacrificiũ vaccæ, quod offerebatur pro elephantiacis, fuisse figuram Eucharistiæ, quæ offertur pro expiatione peccatorum. Origenes homil. 13. in Leuiticum cùm adduxisset verba Domini, quibus iubemur mysterium Eucharistiæ conficere in memoriam eius: *Ista est*, inquit, *commemoratio sola, quæ propitium facit Deum hominibus.* Athanasius in serm. de defunctis, quem Damascenus citat in serm. eiusdẽ argumẽti: *Incruẽtæ*, inquit, *hostiæ oblatio propitiatio est.*

Basilius in Liturgia non procul ab initio: *Dignos*, inquit, *efficito nos, qui puro corde stemus coram te, tibique ministremus, & offeramus sacrificium hoc reuerendum ad abolenda delicta nostra, & propiaculo populi tui, &c.* Cyrillus Catechesi 5. mystagogica, vocat Eucharistiam hostiam propitiationis, & posteà dicit: *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Chrysost. li. 6. de sacerdotio: *Sacerdos*, inquit, *pro vniuerso orbe terrarum legatus intercedit, deprecatórq; est apud Deum, vt hominum omnium non viuentium modò, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat.* Idem in Liturgia: *Idoneos*, inquit, *nos redde ad inferenda tibi dona, & sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantis.* Idem hom. 3. in epist. ad Ephes. sæpe vocat sacrificium Eucharistiæ, hostiam salutarem. Denique Damascenus lib. 4. c. 14. dicit hoc sacrificio sordes peccatorum purgari.

EX Latinis Cyprianus in serm. de cœna Domini, dicit, Eucharistiam esse holocaustum ad purgandas iniquitates. Ambrosius lib. 1. de officiis, c. 48. de Eucharistia loquens: *Offert*, inquit, *Christus seipsum quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat.* Et in exhortatione ad virgines in vltimis verbis vocat sacrificium, quod in altari offertur, hostiam salutarem, per quam peccatum mundi huius aboletur. Hieronymus in comment. c. 1. epist. ad Titum: *Si laicis*, inquit, *imperatur, vt propter orationem abstineant se ab vxorum coitu: quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* Vide eundem in epistol. ad Damasum de filio prodigo. Et in epistol. ad Fabiolam de veste sacerdotali. Augustinus q. 57. in Leuiticum: *In multis*, inquit, *sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, vnum hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit remisso peccatorum.* Et li. 20. ciuit. c. 25. scribit, sacrificium pro peccato offerri in Ecclesia vsque ad diem Iudicij, sed non vlteriùs, quia post eum diem non erunt, quibus peccata remitti possint, & lib. 1. contra Cresconium, c. 25. vocat sacrificium Eucharistiæ, vnicum sacrificium pro salute nostra. Sermon. 11. de Sanctis, qui est IIII. de Innocentibus, de altari loquens: *Ibi*, inquit, *pro peccatoribus Christi sanguis effunditur.* Gregor. lib. 4. Dialog. c. 58. *Hæc victima singulariter ab æterno interitu animam saluat.* Vide etiam homil. 37. Beda lib. 4. histor. gentis suæ, cap. 22. *Sacrificium*, inquit, *hoc salutare ad redemptionem valet animæ & corporis sempiternam.*

ACCEDAT Concilium Bracarense III. quod ante Bedæ tempora celebratum fuisse constat, can. 1. sic legimus: *Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur?*

ACCEDANT denique omnia testimonia in sequenti controuersia adducenda, quibus probabimus sacrificium Eucharistiæ esse propitiatorium defunctis. Nam qui asserunt, hoc sacrificium propitiatorium esse defunctis, necessariò asserunt esse propitiatorium: quod nunc tantùm demonstrandum suscepimus. Hæc de testimoniis Patrum.

CAPVT III.

Probatur idem sacrificium esse etiam impetratorium.

AM verò non solùm propitiatorium sacrificium esse, ac pro peccatorum remissione offerri posse corpus Dominicum, sed etiam esse impetratorium omnis generis beneficiorum, ac pro iis etiam ritè offerri, facilè probari potest testimoniis Scripturæ, & Patrum.

PRIMÒ, in Testamento veteri erant hostiæ non solùm pro delicto, sed etiam pacificæ, tum pro actione gratiarum, tum etiam votiuæ pro beneficio aliquo impetrando, vt patet Leuitic. 7. & alibi passim: & Dauid. 2. Reg. vlt. obtulit pacifica pro peste auertenda, & impetrauit. Onias obtulit hostiam salutarem pro vita temporali Heliodori, quam etiam impetrauit, 2. Machab. 3 & Heb. 1. Esdr. 6. immolabant hostias pro vita Regis Darij, & filiorum eius. Quare, si verũ est, quod scribunt Chrysostomus in Psal. 95. Aug. li. 1. contra aduers. legis, & prophet. ca. 20. & Leo sermo. 8. de passione Domini, omnes differentias hostiarum veterum vna Eucharistiæ oblatione contineri: necesse est, vt Eucharistia offerri possit, etiam pro impetrandis eiusmodi beneficiis.

SECVNDÒ, quod scribit Apostolus, 1. Timot. 2. faciendas in Ecclesia obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, exponunt sancti Patres de publicis precibus, quę fiunt in Missa: & volunt Apostolum hoc præcepisse, vt sacrificium etiam offerretur pro temporali pace, & tranquillitate Ecclesiæ. Vide Augustinum in epistol. 59. ad Paulinum, & commentaria Chrysostomi, Theophylacti, & Oecumenij in hunc locum, & Ambrosium libr. 6. de Sacramentis, cap. vltimo.

TERTIÒ, Liturgiæ omnes, Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, non semel inter offerendum, orandum præcipiunt pro pace, pro copia fructuum, & pro aliis id genus temporalibus beneficiis.

QVARTÒ, sancti Patres idem passim testantur. Tertullianus in lib. ad Scapulam. *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris.* Et in lib. de Corona militis scribit, oblationem pro natalitiis fieri solitam. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica: *Postquam confectum est*, inquit, *illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, & in summa pro omnibus, qui egent auxilio.* Chrysostomus hom. 18. & 21. in Acta Apostolorum, & alibi sæpe docet, offerri sacrificium pro fructibus terræ, próq; aliis necessitatibus. Augustinus lib. 22. ciuit. c. 8. meminit sacrificij Eucharistiæ oblati ad purgandam domum à Dæmonum vexatione. Prosper in lib. de prædictionibus Dei, c. 6. dimidij temporis, scribit suo tempore sacrificium Missæ oblatum pro dæmoniaca, & rursus ea curata, iterũ oblatum in gratiarum actionem. Gregorius hom. 37. in Euangelia, & Beda 4. lib. hist. Angliæ, c. 22. scribunt diuersis temporibus idem miraculum contigisse, vt cùm sacrificium Missæ offerretur pro homine captiuo in alia regione posito, & ignorante quid pro se fieret, eius vincula diuinitus soluerentur ipsa hora sacrificij.

QVINTÒ & vltimò, ratio ipsa hoc docet: nam si oblatio Eucharistiæ pro peccatis dimittẽdis valet, certè etiam pro aliis necessitatibus, quæ ex peccato ortæ sunt, valere debet. Et si Deus hoc sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quanto faciliùs ob idem sacrificium adducetur, vt amicis, & reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis vtile fuerit?

CAPVT IV.

Explicatur efficientia propria sacrificij Missæ.

SEQVITVR nunc, vt explicemus, num sacrificium Missæ ex opere operato vim habeat, & simul, vt promisimus, quæ sit propria efficiẽtia sacrificij. Sunt autem tria præmittenda, vt hoc rectè intelligatur. Primum est, sacrificium Missæ à tribus offerri, à Christo, ab Ecclesia, à Ministro, sed non eodem modo. Christus enim offert, vt primarius Sacerdos, & offert per Sacerdotem hominem, vt per suum proprium Ministrum. Ecclesia non offert, vt Sacerdos per Ministrum, sed vt populus per Sacerdotem. Itaque Christus per inferiorẽ offert, Ecclesia per superiorem: Sacerdos enim quatenus talis, maior est reliquo populo, quippe qui, vt mediator quidã, pro populo apud Deum intercedit, nec est propriè in ea re Minister Ecclesiæ, sed Christi

principalis mediatoris. Ex quo etiam sequitur, vt Ecclesia non propriè sacrificet exercendo actum sacerdotalem, sed tantùm offerat Sacerdoti rem sacrificandam, aut curet fieri sacrificium, aut certè consentiat in sacrificium, & voluntate ac desiderio offerat, cùm Sacerdos offert.

VBI est etiam obseruandum, totam quidem Ecclesiam offerre omnia sacrificia, quæ à Sacerdotibus omnibus offeruntur, sed non eodem modo. Nam aliqui solùm habitualiter offerunt, qui nimirum absunt, neque de sacrificio cogitant, sed tamen habitualiter cupiunt offerri: aliqui offerunt actu, qui nimirum interssunt sacro, & actuali desiderio offerunt: aliqui præterea offerunt etiam caussaliter, quia caussa sunt, vt sacrificium fiat, siue hortando, siue rogando, siue iubendo. Denique Minister ipse offert, vt sacerdos verus, sed ministerialis.

SECVNDÒ, reuocandum est ad memoriam, quod sæpe dictum est in disputatione de Sacramentis in genere: illud habere vim ex opere operantis, quod vim habet ex bonitate, vel deuotione eius, qui operatur: ita vt opus multùm, aut parùm, aut nihil valeat, prout magna, parua, aut nulla est bonitas, & deuotio operantis: qualis est valor precum, & meritorum nostrorum. Illud autem habere vim ex opere operato, quod ex se valet, modò fiat, sicut lex præscribit, quidquid sit de bonitate, vel malitia operantis Ministri, ita vt opus semper idem valeat, nec fiat melius ex Ministri bonitate, neque peius ex Ministri iniquitate. Talem esse valorem Baptismi, ne aduersarij quidem hoc tempore negant, licet à vocabulo operis operati abhorreant: idem enim est Baptismus, & idem efficit, siue à bono, siue à malo Ministro conferatur. Quare controuersia est. Vtrum sacrificium vim habeat ex ipso opere, qualem habent Sacramenta, aut ex bonitate Ministri, qualem habent nostræ preces.

TERTIÒ, considerandũ est, valorẽ ex opere operato, posse duobus modis in aliquo opere inueniri. Vno modo, si opus illud sit instrumentum quoddam efficienter, & immediatè producens effectum, quasi per modum naturæ, & hoc modo Sacramenta vim habent ex opere operato, quia actio Sacramentalis est instrumentũ Dei, quod efficienter, & immediatè iustificat, nisi ponatur obex; nec pendet virtus huius instrumenti à bonitate Ministri, sed à sola Dei institutione. Alio modo, si opus quidem quod fit, non sit instrumentum efficienter, & immediatè producens effectum, sed tamen infallibiliter, & independenter à bonitate Ministri, moueat Deum ad effectum producendum. Exemplum esse posset in rebus humanis, si quis ignotus, vel etiam inuisus Principi aliquid ab eo peteret nomine alterius, qui Princeps, nihil negare posset: ista enim huius hominis supplicatio infallibiliter impetrat, & tamen non habet vim ex opere operantis, id est, ex bona qualitate supplicantis, cùm sit ipse ignotus, vel inuisus Principi.

HIS notatis, ponam aliquot propositiones, quibus res tota aperiatur. Prima propositio: *Sacrificium Missæ non habet vim solùm, aut potissimùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.* Dicimus *solùm*, quia negari non potest, sacrificium habere vim etiam aliquam ex bonitate, & deuotione Ministri sacrificantis. Si enim cætera opera virtutum Deo placent, quatenus ab amico aliquo suo, & ex charitate, & deuotione procedunt, cur non placeat eadem ratione opus istud religionis præstantissimum? Sed negamus, hinc tantùm, aut hinc potissimùm vim habere sacrificium Missæ, atque asserimus vim habere præcipuè ex opere operato.

QVAE sententia communis apud Theologos est, cùm vnus tantùm, aut alter inueniatur, qui dissentiat: & est etiam Concilij Tridentini, sessione 22. capit. secundo. Vbi cùm docet Concilium per sacrificium hoc remittere peccata, reddit caussam, quia eadem est hostia, & idem offerens, qui fuit in cruce, siue Minister sit bonus, siue malus. Quæ ratio sine dubio est etiam omnium Patrum, immò & Scripturarum, ex quibus suprà probatum est Christum esse, qui (vt Sacerdos primarius, & sempiternus) nunc offert seipsum per manus omnium Ministrorum: quare non pendet effectus principalis huius sacrificij ex bonitate Ministri immediati.

SECVNDA propositio: *Sacrificiũ Missæ nõ habet vim ex opere operato ad modum Sacramentorum.* Explico propositionem. Non operatur sacrificium sufficienter, & immediatè, neque est propriè instrumentum Dei ad iustificandum. Id quod docet Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. 2. vbi dicit, per hoc sacrificium peccata etiam ingentia dimitti, quia Deus hoc sacrificio placatus, gratiam & donum pœnitentiæ concedit. Non igitur sacrificium immediatè iustificat, vt Baptismus & Absolutio faciunt, sed donum pœnitentiæ impetrat, per quod homo peccator ad Sacramentum accedere velit, & per illud iustificetur. Quod idem antea docuerat S. Thom. in 4. sent. distin. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4. vbi dicit, sacrificium iustificare eos, pro quibus offertur, non vt caussam proximam, sed donum contritionis impetrando.

QVAE sententia S. Thomæ, & Concilij. Primò probatur, quia si sacrificium immediatè iustificaret, requireret necessariò præuiam dispositionem in eo, pro quo sacrificium offerretur. Quod si verum esset, non liceret sacrificium offerre pro iis, quos scimus in peccato libenter manere, nec pro obduratis, & impœnitentibus, quorum tamen contrarium certissimum est: peccarent etiam, qui pro se sacrificium offerri peterent, nisi simul se ad gratiam recipiendam præpararent, quod falsum esse, nemo dubitat.

SECVNDÒ probatur ex sacrificio crucis. Non enim maiorem vim habere potest sacrificium Missæ, quàm sacrificium crucis, cùm sacrificium Missæ vim suam habeat à sacrificio crucis, sacrificium autem crucis nõ efficienter, & immediatè iustificauit, sed tantùm impetratoriè & meritoriè, alioqui omnes homines continuò iusti effecti essent, cùm Dominus pro omnibus hominibus se Deo in sacrificium obtulerit. Præterea, quod non est in re, non potest efficienter operari. Sacrificium crucis modò non est in re, sed solùm in mente Dei, proinde non operatur efficienter. Vt igitur sacrificium crucis non iustificauit immediatè peccatores, sed placauit Deum, & impetrauit, vt per debita media peccatores ad salutem perducerentur: sic etiam sacrificium Missæ non iustificat homines immediatè, sed impetrat, vt ex merito sacrificij crucis detur hominibus gratia, & donum pœnitentiæ.

TERTIÒ probatur, quia ad peccatum immediatè tollendum, instituta sunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, illud pro infidelibus, hoc pro fidelibus, siue illud pro originali, hoc pro actuali diluendo: non igitur credibile est ad eundem prorsus effectum institutum esse aliud medium, siue aliam caussam à Deo, qui omnia facit in numero, pondere, & mensura.

TERTIA propositio: *Sacrificium Missæ vim habet per modum impetrationis: & eius propria efficientia est impetrare.* Probatur Primò, quia hæc est efficientia sacrificij in genere, & proinde huius etiam sacrificij: sacrificium enim propriè orantis, & supplicantis est, & ad orationem iuuandam adhibetur. Vt enim pulchrè explicat Gregorius Nyssenus in secunda oratione in orationem Dominicam, προσευχὴ, id est, oratio, dicitur ab εὐχὴ, id est, votum, quia solent præmitti vota, id est, promissiones, & oblationes ante orationem, vt oratio facilius impetret, vnde est illud Virgilij:

Aeneas cessas in vota precesque.

Quare sicut oratio, licet possit esse meritoria, quatenus

fit ab homine iusto, & ex caritate, & simul etiam satisfactoria, quatenus est opus laboriosum; tamen ex se, & ex proprio officio impetratoria est: sic etiam sacrificium, quod est quædam oratio, vt sic dicam, realis, non verbalis, propriè impetratorium est.

SECVNDÒ probatur, quia sacrificium Missæ præcipuam vim habet, vt à Christo summo Sacerdote offertur. Christus autem nunc, nec mereri, nec satisfacere potest, sed solùm impetrare: igitur impetratio propria est huius sacrificij vis, & efficientia.

ATQVE hinc tria sequuntur, quæ ad rem hanc illustrandam non parùm faciunt. Primùm est, discrimen esse inter sacrificium Missæ, & sacrificium crucis, quatenus à Christo vtrumque oblatum est. Nam sacrificium crucis fuit meritorium, satisfactorium, & imperatorium verè, & propriè, quia Christus tunc mortalis erat, & mereri, ac satisfacere poterat sacrificium Missæ, vt dixi, propriè solùm est impetratorium, quia Christus nunc immortalis nec mereri, nec satisfacere potest. Cùm autem dicitur propitiatorium, vel satisfactorium, id est, intelligendum ratione rei quæ impetratur. Dicitur enim propitiatorium, quia impetrat remissionem culpæ: satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnæ: meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirẽdi. Quãquam non negauerim, dici etiam satisfactorium, quòd ex Christi institutione per sacrificium hoc applicetur eiusdem Christi passio ad pœnas tollendas, seu viuentium, seu mortuorum, quæ post culpam remissam aliquando remanent, vel in hac vita, vel in purgatorio luendæ.

SECVNDVM est, ad sacrificium Missæ, licet non sit necessaria bonitas ministri offerentis, tamen alicuius offerentis bonitatem necessariò requiri. Sacrificium enim, cùm ad impetrationem tendat, & simile sit orationi, sine dubio non potest placere, nec impetrare, nisi offerens placeat: vnde dicitur, Genes. 4. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* Neque obstat, quòd in sacrificio Missæ res ipsa, quæ offertur, ex se Deo gratissima est. Nam non res illa, sed rei illius oblatio propriè sacrificium est; sacrificium enim est actio, non res permanens. Porrò licet res ipsa placeat ex se, tamen oblatio rei non placet, nisi offerens placeat, ac præsertim Deo, cuius sunt omnia, & qui nulla re indiget. Vnde in Euangelio plus placuit Deo oblatio duorum minutorum à sancta vidua facta, quàm oblationes multorum aureorum nummorum ab hypocritis, & superbis factæ: quamuis cæteris paribus gratior sit oblatio rei præstantioris, & proinde gratissima oblatio corporis Domini, rei videlicet omniũ præstantissimæ.

TERTIVM est, sacrificium Missæ: vt à Christo offertur, vim habere ex opere operantis, sed ineffabiliter; quia placet ex bonitate efferentis Christi, quæ semper est eadem, & nec minui, nec crescere potest. Vt autem offertur ab homine, vim habere ex opere operato; quia placet Deo, etiam si homo, qui offert, Deo non placeat. Itaque quod est opus operãtis respectu Christi, est opus operatum respectu Ministri. Absolutè tamẽ cùm dicitur Missa vim aliquam habere ex opere operantis, semper intelligitur de valore, quem habet ex bonitate Ministri, quia ipse est, qui propriè operatur: Christus enim non operatur nisi per Ministrum.

QVARTA propositio: *Valor sacrificij Missæ finitus est.* Hæc est communis sententia Theologorum, & probatur apertissimè ex vsu Ecclesiæ. Nam si Missæ valor infinitus esset, frustrà mulæ Missæ, præsertim ad rem eandem impetrandam offerrentur. Si enim vna infiniti valoris est, certè ad omnia impetranda sufficiet; quorsum igitur aliæ? Et confirmatur ex sacrificio crucis, quod non alia de caussa vnum tantùm fuit, neque vnquam repetitur, nisi quia illud vnum infiniti valoris fuit, & precium acquisiuit pro omnibus peccatis præteritis, & futuris remittendis.

SED licet res ipsa certa sit, caussa tamen nõ est adeò certa: mirum enim videtur, cur valor sacrificij huius sit finitus, cùm idem sit hoc sacrificium cum sacrificio crucis; & cùm ipsa hostia, & offerens Christus, infinito modo sint Deo grata. Videntur mihi, saluo meliore iudicio, tres esse caussæ huius rei. Prima sumitur ex parte hostiæ, quæ offertur. Nã in sacrificio crucis destruebatur ad honorem Dei, ipsum esse naturale Christi in forma humana, in sacrificio Missæ destruitur tantùm esse Sacramentale: nobilius autem est, & magis preciosum, esse Christi naturale, quàm Sacramentale. Cæterùm hæc ratio solùm demonstrat maioris valoris fuisse sacrificium crucis, quàm sacrificium Missæ, sed non reddit caussam, cur hoc sit finitum, & illud fuerit infinitum. Non enim est infinita distantia inter esse Christi naturale, & Sacramentale: neque infiniti valoris fuit sacrificium crucis, quia in eo destruebatur esse naturale humanitatis Christi; sed quia eam destructionem spontè patiebatur, & in sacrificium offerebat Filius Dei, qui verè est infinitè Deo gratus, cùm & ipse sit verus Deus.

SECVNDA igitur ratio efficacior est, quæ sumitur ex parte offerentis. Nam in sacrificio crucis, offerens est ipsa persona Filij Dei per se; at in sacrificio Missæ offerens est Filius Dei per ministrum. Multum autẽ interest inter actionem Filij Dei per se, & per Ministrum: illa enim est actio immediatè producta à diuino supposito, ista ab humano. Quare licet multò sit gratior actio Ministri, quatenus fit in persona Christi, quàm si fieret in persona propria: tamen sine comparatione est gratior illa, quæ fit immediatè ab ipso Christo. Quemadmodum inter homines, multò plus valet apud Principem aliquem postulatio Legati nomine sui Principis, quàm nomine proprio: tamen multò adhuc magis valeret postulatio ipsius Principis, si ipsemet ore suo aliquid peteret.

TERTIA ratio sumitur ex ipsa Christi voluntate. Nam etiamsi posset Christus per vnam oblationem sacrificij incruenti, per se, siue per Ministrum oblati, quælibet à Deo, & pro quibuscunque impetrare, tamen noluit petere, nec impetrare, nisi vt pro singulis oblationibus applicaretur certa mensura fructus passionis suæ, siue ad peccatorum remissionem, siue ad alia beneficia, quibus in hac vita indigemus. Cur autem id voluerit, non est nostrum curiosiùs inquirere. Videtur tamen id voluisse, tum vt hoc modo frequentaretur hoc sanctum sacrificium, sine quo religio consistere non potest; tum etiam, quia id requirebat ordo diuinæ prouidentiæ. Quæ est etiam caussa, cur Christus assiduè interpellet pro nobis in cœlo, cùm tamen videatur vnita interpellatione potuisse omnia statim impetrare; & similiter cur pretiũ infinitum, quod in cruce acquisiuit, quo totus mundus continuò saluari potuisset, non nisi quibusdam, & in certa mensura applicari voluerit: horum enim omnium caussa est, quia voluit Christus omnia fieri secundum ordinem diuinæ prouidentiæ.

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

NVNC obiectiones diluendæ sunt, quæ ab aduersarijs contra efficaciam sacrificij propitiatorij, & impetratorij fieri solent. Ac primùm argumenta hæreticorum præcipua, iam soluta sunt in libro superiore: illi enim omnia confundunt.

VNVM supereſt Lutheri argumentum ex libro de captiuitate Babylonica: *Baptismus vnius non prodest alteri, nec potest vnus pro alio baptizari: ergo nec sumptio Eucharistiæ potest ab vno pro alio fieri. Non igitur Missa est sacrificium propitiatorium, quia si ita esset, Missa & Communio vnius alteri prodesset.*

RESPONDEO; Multùm interest inter Sacramenti

susceptionem, & sacrificij oblationem. Susceptio enim Sacramenti ad sanctificandum suscipientem ordinatur, & ideò non sanctificat, nisi susciptentem: at oblatio sacrificij ordinatur ad impetrandum beneficia ijs omnibus, pro quibus offertur. Quare sacrificium, vt suprà diximus, simile est orationi, quod attinet ad efficientiã: oratio enim non solùm prodest oranti, sed etiam ijs, pro quibus oratur. Ex his colligimus, manducationem Eucharistiæ, quæ sit à Sacerdote, vt est Sacramenti susceptio, soli sumenti prodesse: vt autẽ est sacrificij consummatio, prodesse illis omnibus, pro quibus oblatum est sacrificium.

SECVNDÒ obiiciunt alij, atque inter eos Kẽnitius in 2. parte Exam. pag. 405. & 861. *Si Missæ sacrificium propitiatorium esset, ac peccata remitteret: vtile esset non accedere ad Sacramenta pro remissione peccatorum percipienda. Nam remissio peccatorum per vnam Missam ab alio dictam sine vllo labore & periculo haberetur: per Sacramenta autem non nisi cum labore & periculo haberi potest.*

RESPONDEO; Si Missa immediatè peccata remitteret, argumentum aliquid concluderet: at non hoc docemus, sed tantùm per Missæ sacrificium impetrari donũ pœnitentiæ, quo homines peccatores moueantur ad Sacramenta desideranda, & quærenda, in quibus iustificentur, vt suprà diximus.

TERTIÒ, posset aliquis contra solutionem datam ab experimento argumentum ducere. Nam sæpe dicuntur Missæ pro peccatoribus, qui tamen non recipiunt donum pœnitentiæ: non igitur Missa præsertim ex opere operato, confert donum pœnitentiæ. Et idem argumentũ fieri potest contra vim huius sacrificij ad cætera beneficia obtinenda: non enim semper obtinentur ea, pro quibus Missæ sacrificium offertur.

RESPONDEO; Missæ sacrificium cùm pro peccatoribus offertur, infallibiliter impetrat nouum, ac certum auxilium diuinum, quo peccatores ad pœnitentiam perducantur; sed illud auxilium variè operatur, pro varia hominum dispositione. Nam si hic, pro quo Missa offertur, dispositus est ad contritionem, efficietur in illo vi noui auxilij contritio, quæ propriè dum pœnitentiæ est: & hoc est, quod dicunt, Concilium Tridentinum, & sanctus Thomas suprà citati; si verò non sit dispositus, efficietur in illo homine noua quædam dispositio, sed quæ sine suo fructu trahitur, si ille ex arbitrij libertate vocationem Dei reiiciat. Itaque non est mirum, si peccatores non semper conuertantur, pro quibus Missæ sacrificium offertur, cùm tamen sine dubio semper iuuentur. Adde, quòd non est necessarium, vt effectus sacrificij continuò existat: sed solùm vt Deus auxilium & gratiam det, quãdo ipsi opportunum videbitur. Nam etiã sacrificiũ crucis non continuò habuit suum effectum: & oratio S. Stephani, Pauli conuersionem impetrauit, sed futuram tempore à Deo determinato.

QVOD autem attinet ad temporalia beneficia, multæ possunt esse causæ, cur non continuò obtineantur, licet infallibilis sit efficacia sacrificij. Nam vel ea Deus non largitur, quia non esse vtilia ad salutem æternam intelligit, vel differt, vt opportuniore tempore illa cõcedat, vel denique indigni sunt pro quibus sacrificium offertur, vt temporalia illa beneficia accipiant, & contrà dignissimi, qui seuerissmè castigentur. Nam etiamsi sacrificium offeratur ad Deum placandum etiam indignis, tamen aliquando maiora sunt hominum demerita, quàm vt Deus vno vel altero sacrificio placari possit: siquidem, vt diximus, finitus ac limitatus est Missæ valor.

CAPVT VI.

Sacrificium Missæ omnibus viuentibus prodest.

ERTIA sequitur quæstio, pro quibus sacrificium Missæ offerri debeat, aut possit. Sunt autem sex hominum genera, de quibus dubitari potte videtur. Alij enim adhuc viuunt, alij mortui sunt: qui viuunt, aut sunt membra corporis viua, aut mortua, aut nullo modo, id est, aut sunt iusti, aut peccatores, sed fideles, aut denique impij, & infideles: eorum qui mortui sunt, alij in purgatorio, alij in cœlo iam degunt, alij etiam apud inferos æternis supplicijs addicti sunt.

ET de ijs quidem, qui viuunt intra Ecclesiam, & de ijs, qui sunt in gehenna, id est, de primis & vltimis, nulla controuersia est. Nam pro ijs omnibus, qui sunt intra Ecclesiam, siue iusti, siue peccatores sint, Catholici omnes docent, sacrificium offerri posse, immò etiam reipsa quotidie offerri: dicimus enim in Canone, pro omnibus Orthodoxis, & Catholicæ, atq; Apostolicæ fidei cultoribus nos offerre. Hæretici autem nihil habent peculiare, quod de hac re dicant.

PRO ijs autem qui sunt in gehenna, certum est, sacrificium offerri non posse: neque id vlli aut hæretici, aut Catholici negant; nam damnatorum ad gehennam, & culpæ, & pœnæ sunt irremissibiles. Quare Augustinus ex professo docet, lib. 1. de origine animæ, cap. 9. & 11. sacrificium offerri non posse pro defunctis paruulis sine Baptismo. & in Enchiridio, cap. 109. & 110. dicit, nihil prodesse damnatis sacrificium, si pro eis offeratur. Sed de hac re plura diximus in 2. libro de purgatorio, cap. vlt.

DE ijs qui viuunt, & extra Ecclesiam sunt, facilè res explicari potest. Nam in primis constat eis saltem indirectè sacrificium prodesse, & pro eis etiam indirectè offerri posse. Dum enim offerimus sacrificium pro Ecclesia Catholica propaganda, vnienda, purganda, quod certum est licere, simul indirectè offertur pro conuersione infidelium, & hæreticorum. Præterea in libris nostris Missalibus exstat Missa propria ad tollẽdum schisma, vbi licet pro Ecclesiæ pace sacrificium offeratur, tamen implicitè offertur pro schismatis, vt videlicet conuertatur. Denique in oblatione calicis, dum pro totius mundi salute orare iubemur, certè aliquo modo pro infidelibus etiam oramus.

DEINDE certum est, etiam ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiæ, licere offerre pro eiusmodi hominibus. Nam sacrificium crucis pro omnibus fuit oblatum: cur igitur non possit etiam Missa pro omnibus offerri? Deinde, in antiqua Ecclesia offerebatur pro Principibus, & Regibus, qui tamen erant omnes infideles: quod enim Apostolus ait, 1. Timoth. 2. *Volo igitur fieri orationes, &c.* communiter à Patribus exponitur de orationibus, quæ fiunt in sacrificio. Et Chrysostomus expresse homil. 6. in hanc epistolam, dicit pro rege gentili esse offerendum. Et Tertullianus in lib. ad Scapulam: *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris.* Et in lege veteri, vt suprà ostendimus, sacrificabatur pro vita Regis Darij, & filiorum. 1. Esdræ 6. & in 2. libro Machabæor. cap. 3. pro salute Heliodori gentilis. Præterea Clemens libro 8. Constitu. cap. 18. docet, Apostolos obtulisse sacrificium Eucharistiæ pro Regibus sui temporis, necnon pro Catechumenis, & pro reductione eorum, qui versabantur in errore. Et in Liturgia Iacobi fit expressa oratio pro extirpatione hæresum. Chrysostomus, & Basilius in Liturgia similiter orant pro toto orbe terrarum, & nominatim pro errantibus, vt reuocentur ab errore. Chrysostomus præterea lib. 6. de Sacerdotio, dicit Sacerdotem sacrificantem orare pro peccatis omnium hominum, vt illis Deus propitius fiat: & in homil. de Adam, & Eua dicit, Sacerdotes publicè orare pro infidelibus, hæreticis, Iudæis, Catechumenis, &c. In Ordine Romano, vbi describitur scrutinium tertiũ, quod agitur Feria 4. post IV. Dominicam Quadragesimæ, instituitur Missa propria pro Catechumenis, & infra actionem in illis verbis: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, &c.* expresse additur eam offerri pro Catechumenis. Non igitur dubitari potest, quin absolutè liceat sacrificium offerre pro ijs, qui sunt extra Ecclesiam.

NEQVE his repugnat, quod ait Augustinus lib. 1. de

orig. animæ, cap. 9. *Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro iis, qui sunt membra Christi?* Nam vt rectè respondit ad hanc obiectionem S. Thomas in 4. dist. 12. q. 2. artic. 2. q. 2. ad 4. id intelligi debet de ijs, qui sunt membra Christi, actu vel potentia: tunc enim offertur etiam pro membris Christi, quando offerrur pro aliquibus, vt fiant membra Christi. Adde, quòd Augustinus non loquitur eo loco, nisi de defunctis: & quia defuncti aut sunt membra Christi actu, aut nullo modo, ideò absolutè dicere potuit, non posse offerri pro defunctis; nisi sint membra Christi.

SED quamuis hæc ita se habeant, prohibuit tamen Ecclesia cap. A nobis. de sent. excomm. publicè orare pro excommunicatis, & consequenter pro hæreticis, qui sunt omnes excommunicati: proinde etiam prohibuit, sacrificium pro eis directè, & expresse offerri; sacrificium enim semper est publicum.

SED quæret aliquis, vtrum vbi Rex infidelis est, vt in Græcia, vbi Turca dominatur, & in India, in Iapone, apud Sinas, vbi Ethnici regnant, liceat Sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro Rege: Respondeo, existimo licere, modò Rex ille non sit excommunicatus, vt sunt Reges hæretici; sed paganus, siue Ethnicus. Nam hæc traditio, immò & constitutio Apostolica est, vt paulò antè ostendimus; neque exstat, quod sciam, vlla Ecclesiæ manifesta prohibitio.

RVRSVS aliquis peter, vtrum liceat hoc tempore sacrificium offerre pro hæreticorum, siue infidelium aliorum conuetsione: ratio dubitandi est, quia tota Liturgia Latinæ Ecclesiæ, quæ nunc est in vsu, refertur ad fideles, vt patet ex precibus oblationis, tum extra, tum intra Canonem. Respondeo; Existimo id licere, modò nihil addatur ad Missam, sed solùm per intentionem Sacerdotis applicetur sacrificium conuersioni infidelium, siue hæreticorum; id enim multi faciunt viri pij, & docti, quos reprehendere non possumus, neq; extat expressa Ecclesiæ prohibitio. Tutissimum tamen est, quod alij faciunt, qui intentionem suam ita moderantur, vt directè intendant, offerre pro augmento, vnitate, & pace illius Ecclesiæ, quæ inter hæreticos, vel ethnicos conuersatur: qui enim ita offerunt, eundem habent effectum, quem superiores. Non enim potest augeri, & vniri, ac pacificari Ecclesia in illis locis; nisi conuertantur infideles, aut hæretici: & simul horum intentio conformior est Ecclesiatico ritui, quàm superiorum.

CAPVT VII.

Sacrificium Missæ pro defunctis in purgatorio degentibus, vtile offertur.

E mortuis duæ sunt cum hæreticis huius temporis controuersiæ. Vna de ijs, qui sunt in purgatorio. Altera de beatis.

QVOD attinet ad priorem, hæretici omnes in superiore controuersia nominati, & ijsdem in locis, maximè detestãtur sacrificia pro defunctis; nec tamen habent nisi leuissimum argumentum, quòd videlicet Christus dixerit: *Accipite & manducate*, cùm de vsu Eucharistiæ loqueretur; mortui autem neque accipere, neque edere valeant. Hoc enim argumentum, & Caluinus in Antidoto articulorum Parisiensium, & Kemnitius in 2. part. Exam. Concilij Tridentini in vlt. argum. & alij passim obiiciũt; quod tamen nihil concludit. Nam quòd mortui non mãducẽt, probat eos nõ posse participare de carnibus sacrificij, non autem probat nõ posse eos participare fructum sacrificij: siquidem Iob, pro absentibus filijs, & Iudæi pro Rege Babylonis similiter absente, non inutiliter sacrificabant. Et Dominus cùm ait: *Accipite & manducate*, loquebatur ijs, quibus Sacramentum porrigebat, non autẽ ijs omnibus, pro quibus sacrificium offerebat; nam ibidẽ habemus, sanguinẽ Domini oblatũ pro illis & pro multis.

NOS igitur certissimam veritatem cõfirmare aggrediamur. Primò ex testamenti veteris consuetudine, & ex ipsa Scripturę auctoritate. Nam in 2. lib. Machab. c. 12. Iudas Machabæus iussit offerri sacrificiũ pro peccatis mortuorum: & Scriptura hoc factum laudans, apertè dicit *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur.*

SCIO quid aduersarij respondere soleãt, librum non esse Canonicum, sed hæc est antiqua cantilena, & à nobis duobus in locis refutata, libr. 1. de verbo Dei, & lib. 1. de purgatorio. Sed esto, non esset liber Canonicus; quis tamen negauerit historicum esse antiquissimum, & bonæ fidei, non minùs quàm Iosephum, aut Sallustium? Quod igitur narrat, de facto Iudæ, & Hebræorum consuetudine in sacrificijs pro mortuis offerendis, nulla causa est, cur putetur non esse verum; nam si idem Iosephus narraret, aut quiuis alius bonæ fidei auctor, nemo non crederet. Habemus igitur, vt nimirùm, illam fuisse Ecclesiæ antiquæ cõsuetudinem; quam bonam, & laudabilẽ fuisse vel ex eo probatur, quod neque à Christo, neq; ab Apostolis, neque ab vllo Cõcilio, vllisue doctoribus, nisi Ecclesiæ hostibus, fuerit reprehensa. Adde, quòd Augustinus, quem sanè tutiùs sequimur, quàm Caluinũ, libro de cura pro mortuis, cap. 1. & libr. de origine animæ, cap. 11. ex hoc loco probat, defunctis prodesse sacrificia pro eis oblata.

SECVNDVM argumentum sumimus ex consuetudine Ecclesiæ Catholicæ vniuersæ. Nam vt scribit Epiphanius in compendiaria doctrina, & Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. vlt. & serm. 34. de verbis Apostoli; Ecclesia vniuersa in sacrificio Missæ pro defunctis orat. Id quod etiam patet ex omnibus Liturgijs, Iacobi, Clemẽtis, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, & cæteris. Ac denique patet ex Concilijs omnium prouinciarũ, in quibus fit mẽtio sacrificij pro defunctis, tanquã recepti & vsitati. Vide pro Africa Concilium III. Carthaginense, cap. 29. & IV. cap. 79. pro Hispania Bracarense I. cap. 34. & 39. pro Gallia Cabilonense, vt habet can. Visum est, de consecr. dist. 1. pro Germania, Vormatiense cap. 10. pro Italia Cõcilium VI. sub Symmacho, pro Græcia, cap. 69. capitulorum ex Græcis Synodis collectorum à Martino Bracarensi Episcopo. Ex quo refellitur mẽdacium Kemnitij; Kemnitius enim in 3. parte Exam. Tridentini Concilij in tractatu de pugatorio, scribit consuetudinem sacrificandi pro mortuis, fuisse quidem alicubi, sed non in tota Ecclesia.

TERTIVM argumentũ sumitur ab Apostolica traditione. Nam constat hunc ritum sacrificandi pro peccatis mortuorũ, ab Apostolis ad nos manasse: id enim apertè docet Rabanus lib. 2. de Instit. Cleric. cap. 44. & ante eum Isidorus lib. 1. de officijs diuinis, cap. 18. & ante Isidorum Chrysostomus homil. 69. ad populum Antiochenum: *Non temerè*, inquit, *hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, multam vtilitatem.* Idem habet homil. 3. in epist. ad Philip. Idem docent Gregorius Nyssenus, & alij, quos citat Damascenus in oratione pro defunctis. Idem apertè colligunt ex Liturgia Iacobi, qui Apostolus fuit, & Clementis, qui ea scripsit, quæ ab ore Apostolorum accepit.

DENIQVE idẽ probatur ex regula S. Augustini lib. 4. de Baptismo, cap. 24. quæ est, vt id certissimè credatur ex Apostolica traditione descẽdere, quod in omni Ecclesia seruatur, nec in aliquo Concilio institutũ, sed semper seruatum, & retẽtum est. Talem autem esse hunc ritum, negari non potest. Nam in omni Ecclesia seruari, iam suprà ostẽdimus, in nullo autem Concilio institutum, sed semper seruatum fuisse, patet ex testimonijs antiquissimis Patrum eorum, qui omnia Concilia præcesserunt, vbi fit mentio de sacrificijs pro defunctis. Primum enim Conciliũ, in quo mentio huius rei habetur, est Carthaginẽse III. quod celebratum est circa annũ Domini CD. XVII.

At sacrificij pro defunctis meminit Eusebius Cæsariensis lib.4.de vita Constantini, qui fuit centum annis antiquior Concilio Carthaginensi: meminit etiam Tertullianus in libro de corona militum,qui fuit ducentis annis eo Concilio antiquior;meminit denique Clemens lib.8. constit.cap.19, qui trecentis annisidem Concilium præcessit.

A

Ad hoc argumentum multùm laborat, vt respõdeat Kemnitius loco citato,ac primùm fatetur Chrysostomũ dicere,hunc ritum ab Apostolis esse institutum. Deinde falsam esse Chrysostomi sententiam conatur ostendere. Primò,quia in nulla diuina Scriptura reperitur ista Apostolica constitutio. Secundò,quia Hieronymus, & Gregorius dicunt solam orationem Dominicam adhibuisse Apostolos ad consecrationem. Tertiò,quia Tertullianus de corona militis, scribit hunc ritum ex consuetudine fluxisse.

At nos etiamsi solùm Chrysostomum haberemus, mallemus illi,quàm Kemnitio credere:plus enim multò valet illius auctoritas, quàm omnia huius argumenta. Nam quòd dicit in Scripturis id non reperiri,quis negat? Neque enim nos ad Scripturam,sed ad traditionem non scriptam Apostolorum,referimus hanc eorum constitutionem: & ad eiusmodi traditiones certò inuestigandas, valet regula S. Augustini.

B

Quod ex Hieronymo,& Gregorio allegatur, partim est verum,partim falsum,& totum impertinens: verum est Gregorium id dicere, sed falsum quòd à Hieronymo idem dicatur. Hieronymus lib.3. contra Pelagianos, dicit Christum Apostolos docuisse, vt in sacrificio Eucharistiæ recitarent orationem Dominicam, sed non dicit eam solam. Est autem totum impertinens,tum quia poterant Apostoli primo tempore solam orationem Dominicam adhibere post cõsecrationem, deinde alio tempore addere alias preces; tum etiam quia sine vlla certa prece poterant offerre sacrificium pro defunctis: ad hoc enim sola interior mentis intentio abundè sufficit.

Quod denique addit Kemnitius de Tertulliano,ex eodem auctore refellitur. Tertullianus enim non dicit hunc ritum sacrificandi pro mortuis ex cõsuetudine primùm fluxisse, sed ex consuetudine retentum, & confirmatum,quod ex Apostolica traditione descenderat: *Traditio*, inquit, *est auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* Adde, quòd Tertullianus non loquitur de sacrificio pro defunctis absolutè,sed de sacrificio annuo. Quare potuit fieri, vt illud annuum ex aliquorum consuetudine manarit,sed hoc ipsum est argumentum, iam tunc vsu receptum, vt pro defunctis sacrificaretur. Et quamuis non apertè dicat Tertullianus,traditionem hãc esse apostolicam,tamen neque id negat:& ex regula Augustini colligitur necessariò esse Apostolicam.

C

Quartum argumentum sumitur ab hæresi Aërij, quæ publicè in Ecclesia damnata fuit. Aërius enim docebat,non esse pro mortuis sacrificium offerendum; quam hæresim cùm Ecclesia antiqua,quæ etiam aduersariorum testimonio vera Ecclesia erat, damnauit, simul omnes Lutheranos,& Caluinistas damnauit.

D

Pupugit hoc argumentum valde Philippum, & ideò in Apologia confessionis Augustanæ in disputatione de vocabulis Missæ prope extrema, mendacij medicamentum vulneri adhibendum curauit: *Falsò*, inquit, *citãt aduersarij contra nos damnationem Aërij, quem dicunt propter ea damnatum esse, quòd negauerit in Missa oblationem fieri pro viuis,& mortuis.* Et infrà: *Epiphanius testatur Aërium sensisse,quòd orationes pro mortuis sint inutiles: id reprehendit;neque nos Aërio patrocinamur.* Hæc ille:vbi duo insignia mendacia sunt.

Vnum quod Lutherani non patrocinentur Aërio neganti orationes pro mortuis esse vtiles. Nam quis,queso,Lutheranorum non oppugnat purgatorium? quis non irridet orationem pro mortuis?

Alterum,quòd Aërius negauerit orationes,non autem oblationes pro defunctis; quod mẽdacium differtis verbis Epiphanij, Augustini, & Damasceni, trium sanctissimorum testium confutabitur. Epiphanius hæresi 75. subobscurè indicat Aërium negasse cõmemorationem mortuorum inter sacra mysteria, sed in alio libro qui inscribitur Anacephalæosis, id est, recapitulatio omnium hæresum, sic ait: *Aërius multa contra Ecclesiam docuit, fide quidem existens Arianus perfectissimus,verùm amplius docet,non oportere offerre pro ijs, qui obdormierunt.* Augustinus libro de hæresibus, cap.53. dicit Aërium propria dogmata addidisse,& inter ea primo loco numerat, orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. Damascenus in lib.de centum hæresibus: *Negat*,inquit, *Aërius quidquam esse pro mortuis offerendum.*

Quintum argumentum sumitur à probatissimorum Patrum testimonijs,Græcorum,& Latinorum. Tertullianus in lib.de corona militum: *Oblationes*,inquit,*pro defunctis,pro natalitijs annua die facimus.* Similia habet in libro de Monogamia, & in exhortatione castitatis, & in 2.libro ad vxorem.

Cyprianus lib.1.epist.9. *Episcopi*, inquit, *antecessores nostri,religiosè considerantes, & salubriter prouidentes censuerunt,ne quis frater excedens,ad tutelam vel curam clericum nominaret,ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec pro dormitione eius sacrificium celebraretur.*

Eusebius Cæsariensis libr.4.de vita Constantini,cap 71.ex versione Christophorsoni, scribit Constantinum consequutum quod optauerat, vt sepeliretur in Basilica Apostolorum,& iam frui communione orationum, quæ ibi funduntur,& mystici sacrificij.

Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. mystagogica: *Maximum*, inquit, *esse credimus animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius,& tremendi,quod in altari positum est, sacrificij.*

Ambrosius lib.2.epist.8.ad Faustinum de obitu sororis: *Itaque*,inquit,*non tam deplorandam,quàm prosequendã orationibus reor,nec mœstificandã lachrymis tuis,sed oblationibus animã eius Domino commendandam.* Vide orationes de obitu Theodosij,Valentiniani,& Satyri,in quibus omnibus se pro animabus eorũ sacrificaturũ pollicetur.

Ephrem in testamento suo, quod testatur in 1. tomo Surij, rogauit, sacrificium altaris pro anima sua offerri. Epiphanius in compendiaria doctrina, ponit inter dogmata Ecclesiæ,orare pro defunctis,& pro eisdem perficere diuinum cultum, & mysteriorum dispensationem. Chrysostomus iam supra citatus est, cuius sunt apertissima testimonia homil.69.ad populum,& homil.3.in epistolam ad Philippenses.

Avgvstinvs in singulis ferè tomis operum suorum huius ritus meminit, tomo 1.lib.9. Confess.cap.12. & 14.tom.2.epist.64.ad Aurelium,tomo 3.in Enchiridio, cap.110.tomo.4.lib.de cura pro mortuis,cap.8.tomo 5. lib.20.de ciuit.Dei.cap.9. tomo 6.lib.de sancta Virginitate,cap.45.tomo 7.lib.de origine animæ primo, cap.9. & 11.tomo 9.tractat.84. in Ioan.tomo 10.serm.17. & 34. de verbis Apostoli.

Possidius in vita B.Augustini scribit pro eius morte sacrificium Deo fuisse oblatum. Vide Gregorium lib.4. Dialog.cap.55.& Theophylactũ in cap.12.Lucæ,& Damascenum in oratione pro defũctis,& Bedam lib.4.hist. cap.22.& lib.5.cap.13.

Ex his testimonijs cognosci potest, quàm sint leuia, & inepta quæ aduersarij ad Patrum testimonia respondere solent. Aliqui enim contendunt nos non habere nisi testimonia Gregorij,& recentiorum, ad probandum sacrificium pro defunctis: ita Melanchthon in Apologia Confess.Augustanæ,in art.de Missa.

Alij concedunt nos habere testimonia etiam Augustini,& Epiphanij, sed non antiquiora:ita Kemnitius in 3. par.Exam.loco citato. At nos citamus plurimos Patres, non solùm Gregorio,sed etiam Augustino,& Epiphanio antiquiores,vt Ambrosium, Ephrem, Nyssenum, Cyrillum, Eusebium, Cyprianum, Tertullianum.

Alii contendunt Patres loqui de sacrificio precum, aut eleemosynarum, non de sacrificio corporis Domini, cùm dicunt offerre sacrificium pro defunctis:ita exponit loca Tertulliani & Cypriani Kemnitius loco citato, & loca Augustini Gregorius Maior in refutatione profanationis Cœnæ. At falluntur apertissimè. Nam Cyprianus lib.1.epist.9.citata,dicit sacrificium celebrari pro defunctis in altari, Augustinus autem distinguit tria, quæ offeruntur pro defunctis,& omnia dicit prodesse, eleemosynas,preces, & sacrificia, vt in Enchirid.cap.110. & serm. 14.de verbis Apostoli,& libro de cura pro mortuis,c.18. Item dicit offerri pro mortuis sacrificium precij nostri, lib.9.Confess.cap.12.& sacrificium corporis & sanguinis Domini,lib.1.de orig.animæ, cap.9.& 11. & sacrificium mediatoris.q.2.ad Dulcitium; & sacrificium altaris,libr. de cura pro mortuis,cap.18.

Sed Kemnitius occurrit, ac dicit, in celebratione quidem Eucharistiæ cõsueuisse commemorari mortuos, sed non in eum finem, vt oblatio Eucharistiæ esset propitiatio pro peccatis mortuorum; verùm vt eo tempore adhiberetur confessio,& testificatio illius articuli: *Communione Sanctorum*, vt nimirum profiteamur ad corpus Christi,& Ecclesiæ pertinere tum viuentes, tũ mortuos.

At hoc est merum figmentũ. Nam Cyrillus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus,& alij citati, clarè dicunt,multùm prodesse animabus defunctorum ad refrigerium,sacrificium Eucharistiæ:& Augustinus in Enchirid.cap.110. vtitur voce propitiationis, cùm ait: *Pro non valde malis,propitiatio est.* Et denique idem Augustinus, vbicunque agit de hac re,semper distinguit sanctos præcipuè Martyres,ab alijs fidelibus defunctis,ac dicit vtrosque in sacrificio altaris commemorari,sed Sanctos vt ipsi pro nobis orent. Alios autem vt nos pro illis oremus. At si solùm ea commemoratio, testificatio esset communionis,& societatis, eodem modo omnes commemorarentur. Vide loca Augustini tracta.84.in Ioann.lib.de sancta Virginitate,cap.45,& serm.17.de verbis Apostoli.

CAPVT VIII.

Sacrificium Missæ rectè celebrari pro Sanctis.

EX ijs,pro quibus sacrificium offerri potest, soli superfunt Sancti, qui iam in cœlo cum Christo regnant. Et quoniam aduersarij, & Kemnitius maximè, mira fraude statum quæstionis inuoluunt, & nobis affingunt,quæ nunquam somniauimus. Primò explicanda erit diligenter Ecclesiæ sententia; & aperiendus status quæstionis. Deinde probanda veritas. Vltimò respondendum ad obiectiones.

Quod ad primum attinet, Ecclesiæ sententia his tribus capitibus continetur. Primò,Sacrificia nõ prosunt Sanctis ad culpæ vel pœnæ remissionem, nec ad gratiæ vel gloriæ essentialis augmentum. Hoc certum est apud Catholicos, neque de eo contentio est vlla cum hæreticis. Quare S. Augustinus tract.84.in Ioan.& serm.17.de verbis Apostoli, & alibi, monet in sacrificio memoriam fieri Sanctorum,sed non orari pro illis. Et idcircò cùm in nostra Liturgia petimus,vt oblatio Sanctis prosit ad gloriam,non tam oramus pro Sanctis,quàm pro nobis: petimus enim à Deo gratiam ita sanctè, piè, deuotè, rectè sacrificium offerendi,vt meritò Sancti inde gaudere possint,& gloria illis coram hominibus accedat. Et similiter cùm Cyprianus, Cyrillus, Epiphanius, Augustinus, & Chrysostomus, quos infrà citabimus in probatione primæ propositionis, dicunt sacrificium offerri pro Apostolis,& Martyribus;non intelligunt offerri pro eorum salute,sed pro eorum honore.

Secvndò; Sacrificium non offertur Sanctis, & proinde neque templa, neque altaria eriguntur Sanctis, licet in eorum memoriam ista omnia fieri possint, vt mox dicemus. Hoc habetur expressè in Concilio Tridẽtino,sess.22.cap.3.& apud Augustinum lib.8. de ciuitate Dei,cap.27.vbi sic legimus: *Nos Martyribus non constituimus templa,Sacerdotia,sacra,& sacrificia.* Quæ verba citat Kemnitius,pag.818. & subiungit impudenti mendacio: *Atqui hoc in Papatu, & factum est, & adhuc defenditur.* Sed poterat eodem modo in Augustinum mentiri,ac dicere: Atqui hoc tempore Augustini fiebat, & ab ipso defendebatur. Nam in quo sensu Augustinus negat altaria, templa,& sacrificia Sanctis, & nos pariter negamus; & tamen in alio sensu cum eodem Augustino,templa,altaria,& sacrificia Sanctis attribuimus. Negat Augustinus, & nos cum illo,sacrificia offerri Sanctis,& proinde templa,& altaria erigi,vt in ijs sacrificetur Sanctis: at concedit,& nos cum eo pariter concedimus,sacrificia offerri in memoriam Sanctorum,& proinde templa,& altaria erigi in Sanctorum memoriam; vnde etiam templa,& altaria,in quibus soli Deo sacrificatur, passim ab Augustino dicuntur memoriæ Sanctorum.

Probantur hæc omnia ex ipsius Augustini verbis. Nã loco citato à Kemnitio lib.8.de ciuit.Dei,cap.27. ita Augustinus explicat quod dixerat,Sanctis non constitui templa,& sacrificia: *Quis audiuit aliquando fidelium,stantem sacerdotem ad altare dicere in precibus,Offero tibi sacrificium Petre,vel Paule,vel Cypriane,cùm apud memoriam eorum Deo offeratur.* Et lib.20.cõtra Faustum,cap.21. *Nulli Martyrum*,inquit,*quamuis in memorias Martyrum, constituimus altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorũ corporum assistens altari,aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule,aut Cyprianes Sed quod offertur,Deo offertur,qui Martyres coronauit,apud memorias eorum,quos coronauit.* Porrò tempora dedicari Sanctis in eo sensu, quem diximus,patet ex eodem Augustino lib.1.de ciuit. Dei,cap.1. *Testatur*,inquit,*hoc Martyrum loca,& Apostolorum Basilicæ.*& lib.de cura pro mortuis, cap.1. meminit Basilicæ S.Felicis. Vide testimonia plurima variorum Patrum de templis Sanctorum in nostro lib.3.de Sanctis,cap.4.

Tertiò; Sacrificium Missæ non est per se institutum tanquam ad finem proprium,& præcipuum,ad Sanctos honorandos,vel inuocandos. Hoc asserimus contra calumnias Kẽnitij, qui pag.810.dicit Catholicos docere, Cœnam Dominicam institutam esse, vt in eius celebratione implorentur Sancti,&c. Nos enim fatemur,sacrificium Missæ per se institutum ad Deum colendum:& verum sacrificium futurum,etiam si nulla in eo fieret Sanctorũ memoria. Quare solùm secundariò,& consequenter existimamus ad sacrificium pertinere Sanctorũ cultũ, & inuocationem: nam ex eo quòd aguntur Deo gratiæ in sacrificio pro victorijs Sanctorum, consequitur honor Sanctorum:& quia eos hoc modo honoramus,cõsequitur etiam vicissim,vt ipsi sint nostri memores in cœlo, & pro nobis orent. Atque id vel ex ipsa nostra Liturgia intelligi potest: Nam in ea nusquam directè Sancti inuocantur,nisi bis,aut ter in aliquo versiculo,& in confessione,quæ præmittitur ante Missæ introitũ: alioqui ipsa oblatio expresè dirigitur ad solum Deum, similiter collectæ tam publicæ,quàm secretæ;& omnes Canonis orationes diriguntur ad Deum,nullæ ad Sanctos. At si Missa esset institutra per se ad cultum, & inuocationem Sanctorum, certè directè Sancti inuocarentur in ipso Canone,vt inuocantur in Litanijs.

Non igitur est status quæstionis,quẽ proponit Kẽnitius,An Cœna Domini sit instituta ad cultum,& inuocationem Sanctorũ, sed an repugnet institutioni Cœnæ Domini,vt in eius celebratione fiat memoriam Sanctorum, & consequenter honorentur & inuocentur Sancti,siue directè,siue indirectè. Et quidẽ Catholici omnes

affirmant vtrumq; , id est, non solùm nõ repugnare institutioni, vtin sacrificio nominentur Sancti cum honore, sed nec etiam vt inuocentur. Quæ duo tum ex Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 3. tum ex ipsa Liturgia manifesta sunt. At Kemnitius illud primũ admittit consuetũ fuisse in antiqua Ecclesia, & vtrumq; tolerari posse: secundũ autem vult ad manifestam profanationẽ Cœnæ Domini pertinere, & aduersa fronte pugnare cum institutione Dominica, idq; non tam aperrè quàm palpabiliter. Quare nos vtrumque breuiter confirmabimus.

Quod igitur ad secũdũ attinet, statuo has propositiones.

PRIMA: *Non repugnat institutioni Cœnæ Domini, vt in ea nominentur, & honorentur Sancti.* Probatur primò ex Apostolo 1. Timoth. 2. vbi iubet fieri orationes, & gratiarum actiones in sacrificio Missæ (nam de hoc sacrificio locũ illũ exponũt veteres, vt suprà ostendi) pro omnibus, & maximè pro Regibus: vult igitur Apostolus in Missa non solùm supplicari Deo pro accipiendis beneficijs, sed etiam agi gratias pro acceptis. Est autẽ beneficiũ singulare, quod fratribus nostris Deus eam gratiam contulerit, vt mundum & Satanam superauerint, & post eam victoriam gloria & honore eos coronauerit: quare licitum erit, vel potiùs dignum & iustum, vt sacrificium offeramus ad agendas Deo gratias pro victoria & triumphis Sanctorum, & per hoc etiam Sanctos ipsos in sacrificio cum honore, & exultatione nominemus.

SECVNDÒ probatur testimonio omnium Liturgiarum, Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, & aliorũ, nam in omnibus nominantur Sancti, idque non semel.

TERTIÒ probatur ex Patribus. Nam Cyprianus lib. 3. epist. 6. petit annotari, & ad se scribi diem mortis Martyrum singulorum, vt possit nominatim in die anniuersario passionis eorum, pro eis sacrificium facere. Epiphanius hæres. 75. & Cyrillus catechesi 5. mystagogica apertè scribunt, in sacrificio nominari Apostolos & Martyres. Chrysostomus homil. 21. in Acta, non solùm nominari dicit, sed affirmat ingentem esse honorem Sanctis, quòd nominentur Domino præsente, dum horrendum illud sacrificium peragitur. Augustinus in lib. de sancta Virginitate, cap. 45. & alibi frequenter dicit, Sanctos nominari in sacrificio, & præcipuè lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 10. *Ad quod sacrificium*, inquit, *suo loco & ordine nominantur.*

QVARTÒ probatur ex vtilitate huius instituti: prodest enim primum ad protestandam cõmunionem Sanctorum. Nam sacrificium corporis Christi veri, nomine totius corporis mystici offertur, & offerri debet: proinde sicut nominantur viuẽtes Pontifices, Reges, & multi alij, ita etiam mortui nominari debẽt, siue in purgatorio sint, siue in cœlo, omnes enim ad idem corpus pertinent. Accedit quod vt Augustinus scribit lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 6. & lib. 22. cap. 10. in sacrificio altaris significatur sacrificium generale, quo vniuersum corpus Christi mysticũ, id est, tota redempta ciuitas offertur Deo per Christum Sacerdotem magnum: & quia ad compagem huius corporis pertinent etiam Sancti, qui sunt in cœlo, ideò etiam illi suo ordine in sacrificio altaris nominandi sunt.

ALIA vtilitas est, excitatio sanctæ æmulationis: quam vtilitatem attingit S. Augustinus lib. 8. de ciuit. Dei, cap. 27. Nam reddens rationem, cur in memoriam, & apud memorias Sanctorum dicantur sacra, sic ait: *Vt ea celebritate, & Deo vero de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem inuocato in auxilium ex eorum memoriæ reuocatione adhortemur.*

SECVNDA propositio: *Non repugnat institutioni Cœnæ Domini, vt in ea inuocẽtur Sancti, eo modo, quo ab Ecclesia Catholica inuocari solent.* Explicoribus modis Sancti in sacrificio Missæ inuocari possunt. Vno modo per ipsam oblationem, ita vt eis oblatio offeratur, ipsa enim oblatio tacita quædam, sed efficacissima est inuocatio, & hoc

A

modo non inuocat Sanctos Ecclesia in Missa, nec inuocare posset sine peccato idololatriæ, vt diximus.

SECVNDÒ modo per precem ad eos directam, vt cùm dicimus: *Sancte Petre, ora pro me,* & hoc modo non inuocantur Sancti in Missa, vt suprà diximus, nisi obiter, in versiculis post lectionem, idque solùm in vna, vel altera Missa: qui tamen modus nihil habet absurdi. Nam si licet à viuentibus petere, vt nos iuuent orationibus suis, dum tam sublimi fungimur ministerio, vnde etiam dicimus in Liturgia: *Orate fratres,* cur non liceat idem à Sãctis petere? Sed nõ est opus nunc de ista re disputare, quia nec aduersarij istos articulos oppugnant, qui canuntur in Missa Catechumenorum, quæ non est propriè sacrificium: in Missa autem fidelium, quæ incipit ab oblatione, nunquam ita directè Sancti inuocantur,

B

TERTIÒ modo per preces ad Deũ directas, vt cùm à Deo petimus, vt intercedentibus Sanctis nos iuuet, & hoc modo in Missa tum in Canone, tum extrà inuocantur Sancti: atque hoc est quod reprehendunt aduersarij, & ideò hoc solum probandum est.

Probatur primò ex Patribus. Cyrillus catechesi 5. mystagogica, explicans ritum sacrificij Missæ: *Cùm hoc sacrificium,* inquit, *offerimus, mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus, suscipiat preces nostras.* Basilius in Liturgia post consecrationem, memoriam faciens Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, sanctæ Dei genetricis, & omnium Sanctorum: *Vt,* inquit, *assiduas preces pro nobis tibi offerant, eóque memoriam illorum celebramus, vt quando nobis ipsi parum fidimus, memoria, & legatione illorum protecti, per eos audeamus ad te accedere, atque tremendo hoc, & sacro munere defungi.* Chrysostomus in Liturgia: *Honorabilium,* inquit, *incorporaliũ, supercœlestium, S. Ioannis præcursoris & Baptistæ, sanctorũ gloriosorum Apostolorum, Sancti huius, cuius memoriam agimus, & omnium Sanctorum tuorum, quorũ supplicationibus, respice nos Deus.* Et infrà: *Stabili,* inquit, *nostros gressus precibus & supplicationibus Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum.* Augustinus tracta. 84. in Ioan. *Ideo quippe,* inquit, *ad ipsam mensam non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt orent ipsi pro nobis.* Idem habet serm. 17. de verbis Apostoli.

C

SECVNDÒ probatur ratione. Nam Sancti sine vllo dubio pro nobis in cœlo orare possunt, & orant, ergo bonum est à Deo petere, tum vt Sanctos pro nobis orare faciat, tum vt illos pro nobis orantes exaudiat, quæ duo in Missa petuntur. Consequẽtia apertissima & certissima est. Nam si vnum ex medijs nostræ salutis est, Sanctorum oratio, cur non liceat à Deo petere, vt per hoc medium nos adiuuet? Et si licet petere, vt per bonos Doctores & Pastores in terris nos dirigat, doceat, tueatur, cur non licet etiam petere, vt idem faciat per Angelorum & Sanctorum suffragia? Et si licet Deum rogare, vt excitet eos qui hîc viuunt, ad orandum pro nobis, eósque exaudiat, cur non idem licet in Sanctis?

D

ANTECEDENS autem huius argumenti fusè probatum est à nobis in 1. lib. de Sanctis, nec aduersarij multùm de hac re contendunt. Nam etiam pertinacissimè negant inuocandos esse à nobis Sanctos, quia non credunt illos audire posse nostras preces, tamen illos in genere solicitos esse pro Ecclesia, & orare posse, atq; etiam reipsa orare fatentur, Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ, articulo de inuocatione Sanctorum, Brentius in Confessione Vvirtembergensi, cap. de inuocatione Sanctorum. Kemnitius in 3. parte Examinis Concilij Tridentini, Caluinus quoque lib. 3. Institut. cap. 20. §. 21. & 24. non repugnat huic sententiæ, tametsi ægrè ad eam admittendam adduci se patiatur. Et sanè id negari

non

non potest, nisi negetur in primis Scriptura, quæ 2. Machab. vlt. testatur Hieremiam, & Oniam defunctos orasse pro populo, & Apocalyp. 5. describuntur viginti quatuor seniores in cœlo offerre incensum, quo Ioannes ipse exponit significari orationes Sanctorum: nisi etiam negetur vnitas corporis Ecclesiæ, vel communio Sanctorum, quam in symbolo Apostolico confitemur. Si enim vnum corpus sumus, & alij aliorum membra, certè inuicem soliciti esse debemus: ea enim est membrorum natura, vt Apostolus docet 1. Cor. 12. Denique Augustinus quæst. 108. in Exod. dicit Martyrũ orationibus propitiari Deum peccatis populi sui. & quæst. 149. dicit, Sanctorum meritis nos releuari posse apud Deum, quando mala nostra merita nos grauant.

A

RESTAT, vt Kemnitij obiectionibus respondeamus. Primò sic argumentatur pag. 810. *Christus dicit, Hoc facite non in Sanctorum, sed in mei commemorationem. Et præterea ideò corpus & sanguinem suum nobis tradit in Cœna, vt adituri thronum gratiæ, misericordiam consequamur per meritа vnicæ oblationis Christi: ergo profanatur Cœna Domini cùm à Deo petitur, vt per merita & preces Sanctorum, in omnibus diuinæ protectionis muniamur auxilio.*

RESPONDEO, Christus nusquam dixit, Hoc facite in Sanctorum, sed in mei commemorationem; neq; dixit: Hoc facite in mei solius commemorationem: quare non potest rectè colligi; Ergo repugnat institutioni Cœnæ, sanctorum commemoratio. Præterea etiamsi Dominus dixisset; Hoc facite in mei solius commemorationem, adhuc nihil aduersarij obtinerent: loquitur enim Dominus non de qualibet commemoratione, sed de ea, qua per mysterium Cœnæ repræsentatur ipsius passio, & mors; quo genere commemorationis non solet, nec potest Ecclesia Sanctorum memoriam in Missa facere: non enim Eucharistia est symbolum passionis Sãctorum, sed Christi solius. Alia igitur est memoria Sanctorum, quàm in sacrificio celebramus: nimirum enim Sanctos nominamus, vt pro eorum victoria Deo sacrificium gratiarum actionis offeramus, vt suprà diximus.

AD aliam partem argumenti respondemus, aliter per Christi intercessionem, & merita, & aliter per Sãctorum merita, & preces nos à Deo misericordiam expectare, ac petere. Nam per Christi merita immediatè à Deo misericordiam petimus: ipse enim solus est immediatus intercessor noster apud Deum. Per Sanctorum autem merita, & preces à Deo misericordiam petimus, eodem Christo mediante: nam & ipsi cùm pro nobis orant, per Christum orant. Itaq; sicut nostra oratio pro nobis ad Deum, non est superuacanea, nec iniuriam Christo facit, licet ipse sit apud Deum aduocatus noster, quia nos per illum pro nobis Deum oramus: ita Sanctorum preces pro nobis non sunt vel superuacaneæ, vel in Christi iniuriam, licet Christus sit noster aduocatus, quia ipsi per Christũ petunt. Et sicut Sancti pro nobis Deum orare possunt, non obstante Christi intercessione, ita & nos possumus ab eis petere, vt pro nobis orent, & à Deo petere, vt illos ad orandum impellat, & orantes exaudiat, non obstante Christi intercessione.

B

SECVNDA obiectio ex Augustino, qui lib. 22. ciuit. cap 10. dicit, in administratione Cœnæ Dominicæ à Sacerdote Sanctos quidem nominari, nullo modo à Sacerdote inuocari.

RESPONDEO, Verba Augustini Kemnitius si citasset, fraudem suam etiam nobis tacentibus, omnibus patefecisset. Hæc autem sunt illius verba: *Vni Deo, & Martyrum & nostro, sacrificium immolamus: : ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco, & ordine nominantur: non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, inuocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamuis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum.*

C

VIDES hîc primò, Augustinum non dicere: *In administratione Cœnæ Domini,* sed *in sacrificio quod immolamus,* & bis, rérue repetere, sacerdotem sacrificare Deo sacrificium, non Cœnam administrare. Secundò vides, Augustinum apertissimè dicere, sacrificium fieri in memoriam Sanctorum, & Sanctos in eo nominari: quod non solùm est contra horum sectariorum nouitates, qui in sua Cœna nullam Sãctorum mentionem faciunt, sed est, expressè contra Kemnitium, qui paulò antè disputabat, Christum dixisse, Hoc facite, non in sanctorum commemorationem. Tertiò vides, Augustinum, cùm is negat sanctos inuocari, loqui de inuocatione per sacrificium, id est, de oblatione, quæ, vt suprà diximus, est efficacissima inuocatio: nam formaliter loquitur, cùm ait: *Non tamen à sacerdote, qui sacrificat, inuocatur.* vt patet ex verbis sequẽtibus: *Deo quippe, non ipsis sacrificat, quia Dei sacerdos est, non ipsorum.*

D

QVOD autem Augustinus non neget, posse ac debere Sanctos inuocari in Missa, eo modo, quo facit Ecclesia Catholica, patet ex tract. 84. in Ioannem à nobis suprà citato, vbi dicit, Sanctos ad mensam Domini commemorari, non vt nos pro eis oremus, sed vt ipsi orent pro nobis. Ex his apparet, quam inaniter propter locum Augustini Kemnitius exultauerit, & quam immeritò & procaciter Synodum Tridentinam, Thaidem Babylonicam appellauerit.

TERTIA obiectio ex historia antiquitatis, colligit autem Kemnitius hoc modo progressum antiquitatis. Primò dicit, in primitiua Ecclesia morem fuisse, vt annua memoria Martyrum solẽniter celebraretur in ipsis locis, vbi corpora Martyrum sepulta erant: idque probat ex epistola Ecclesiæ Smyrnensis apud Eusebium lib. 4. hist. cap. 15. Secundò dicit, progressu temporis id accessisse, vt corpora Sanctorum sub ipsis mensis ponerẽtur: & probat ex Ambrosio. lib. 10. epist. 85. Tertiò dicit, in orationibus Ecclesiæ factam fuisse memoriam Martyrum, quia Ecclesia orabat, vt aliquando consors fieret in vita æterna ipsorum Martyrum: id quod ex epistola suprà citata Smyrnensium probat. Atque hæc tria dicit esse secundum vsum purioris Ecclesiæ, & Scripturæ consentanea. Quartò dicit, tempore Augustini ortas esse opiniones peregrinas, & vitiosas de singularibus Martyrum pro pro suis cultoribus intercessionibus, de meritis & operationibus Martyrum. Quintò dicit, Augustinum has opiniones in medio reliquisse, tanquam nec veteres, nec certas: id quod probat ex libro 22. ciuit. cap. 10. & de cura pro mortuis capite 16. Sextò dicit, Augustinum paulatim cœpisse aliquid tribuere his opinionibus, sed Hieronymum, Basilium, Nazianzenum audaciores fuisse in hac quæstione. Septimò dicit, postremis temporibus, fabricatum esse articulum fidei de patrocinijs, & meritis sanctorum, & quod horribilius est, ipsam actionem Cœnæ Domini, eò detorqueri cœptam.

Ex hac longa narratione Kemnitius simplicioribus persuadere nititur, rem esse nouam, & à Papistis confictam, de inuocatione sanctorum in sacrificio Missæ. At si quis paulò attentiùs rem expendat, ex hac ipsa disputatione Kemnitius, & eius sodales apertissimè refelluntur. Nam prima illa tria capita, quæ fatetur aduersarius fuisse in puriore Ecclesia, & esse consentanea Scripturæ, contra nos nihil faciunt, cùm non contineant aliquid contrarium nostræ doctrinæ: at contra aduersarios maximè faciunt, cùm sint omninò contraria scriptis, & factis ipsorum. Ipsi enim nec celebrant sanctorum memoriam apud sanctorum reliquias, nec Martyrum corpora sub sacra mensa reponunt, sed eiiciunt potiùs, nec denique in precibus, & mysterio Eucharistiæ vllam sanctorum mentionẽ faciunt: quare testimonio Kemnitij, concludimus, Kemnitium, & eius sodales recessisse ab vsu primitiuæ purioris Ecclesiæ, sacris literis consentaneo.

QVARTVM caput falsum est, & ex sexto refelli potest. Nam si Basilius, Nazianzenus, & Hieronymus sequuntur eas opiniones de intercessionibus, & meritis Sanctorum, vt habet caput sextum: non igitur cœperunt illæ opiniones Augustini ætate, vt habet cap. quartum: nam ætas Augustini posterior est Basilij, & Nazianzeni ætate Adde, quòd sententia Ecclesiæ de inuocatione Sãctorum, non cœpit etiam Basilij ætate, sed longè antiquior est. Nam Eusebius Basilio antiquior lib. 13. præpar. Euangel. cap. 7. *Vota*, inquit, *Sanctis facimus quorum intercessione apud Deum non parum iuuari nos profitemur.* Et Irenæus Eusebio antiquior lib. 5. contra hæreses: *Vt virginis Euæ*, inquit, *virgo Maria fieret aduocata.*

QVINTVM caput continet manifestum mẽdacium, & impostura. Nam Augustinus in locis à Kemnitio citatis, non reliquit in medio tanquam rem incertam, an Sancti nos iuuent, sintque nostri intercessores, & aduocati; & vt tales, à nobis inuocandi, sed solùm quomodo nos iuuent, quando miracula apud eorum sepulchra fiũt. Ambigit enim Augustinus, an id fiat opera Angelorum, an per ipsos Martyrum spiritus, an alio modo, atque hoc in medio relicto, asserit rem esse indubitatã, quod à Sanctis iuuentur, qui illos inuocãt. Nam lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 8. probat hoc ipsum innumerabilibus fermè exemplis, quæ certissima esse affirmat.

SEXTVM caput non eget alia refutatione, nescio enim quis non videat, quantum præiudicium causſæ suæ Kemnitius fecerit, cùm tam apertè reprehendere ausus est quatuor illos Ecclesiæ Græcæ & Latinæ columnas, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, & Augustinum.

SEPTIMVM caput falsissimum esse patet ex testimonijs à nobis citatis, Cyrilli, Basilij, Chrysostomi, & Augustini, qui apertissimè scribunt, in sacrificio altaris peti à Deo Sanctorum intercessiones. Quanto enim mẽdacio postremis temporibus fabricatum fuisse fingitur, quod ante annos M.CC. in vsu Eccclesię Catholicæ fuit?

CAPVT IX.

De Missis priuatis.

EQVITVR controuersia de Missa priuata, de qua post Lutherum scripserunt Brentius in Cõfessione Vvirtembergensi, cap. de Eucharistia, & Kemnitius in secunda parte Examinis, pag. 858. & sequentibus, & Philippus tum in Confess. August. tum in Apologia in art. de Missa. Quam controuersiam ita tractabimus, vt primùm doceamus sex modis posse Missam dici priuatam, & omnibus modis esse licitam. Deinde obiectiones aduersariorum refellamus.

IGITVR primò dici potest Missa priuata ratione loci: quæ enim celebrantur in priuato aliquo oratorio, seu sacello, dici possunt priuatæ, si comparentur ad eas, quæ celebrantur in publico templo. Ac de his non est magna controuersia: nam etiamsi aduersarij eas Missas odiosè traducant, & angulares per contumeliam vocent, tamen habemus de his exempla manifestissima antiquitatis. Nam in primis Dominus primam Missam instituit, ac celebrauit in priuata domo: & Apostoli initiò frangebant circa domos panem. Actorum 2. ac deinde sancti Pontifices tempore persequutionis, non in domibus tantùm priuatis, sed etiam in cryptis, & foraminibus terræ sacra faciebant: immò sanctus Lucianus in carcere sacrificauit, & suo ipsius pectore pro altari vsus est, cùm faceret onustus cateuis, nec erigere seipsum posset. Refert id Nicephorus lib. 8. hist. cap. 31.

NEC solùm ob persequutiones, sed etiam alijs de caussis aliquando veteres in priuatis locis sacrificia offerebant. Gregorium Nazianzenum in exigua cellula extructo oratorio sacra fecisse ibidem, Sozomenus testatur libro 7. histor. cap. 5. quem locum Kemnitius etiam citat. Sanctus Ambrosius, teste Paulino in vita ipsius, in domo clarissimæ cuiusdam fœminæ ab ea rogatus, sacrificium obtulit. Sanctus Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. testatur quendam è suis Presbyteris in domo rustica sacrificium corporis, & sanguinis Domini obtulisse. Theodoretus in hist. religiosa, cap. 20. scribit, se in cellula Maris anachoretæ sacra mysteria celebrasse. Gregorius homil. 37. in Euangelia, scribit Casium Narniensem Episcopum, virum sanctissimum, aliquãdo in Episcopij oratorio Missam celebrasse, quòd videlicet ad Ecclesiam morbo impeditus descendere non valeret, & lib. 5. epist. 43. ad Ioannem Syracusanum Episcopum, iubet vt non prohibeat in domo Venantij patritij Missas celebrari. S. Ioannes Eleemosynarius, vt in eius vita scribit Leontius, cùm populum de Ecclesia egredi videret, quo tempore sacra celebrabat, ad illos cõuertus ait: *Ego, filij, propter vos ad Ecclesiam descendo, nam mihi ipse in Episcopio Missas facere poteram.* Denique (vt alia exempla prætermittam) Ioannes Damascenus in historia de Barlaam, & Iosaphat, scribit beatum Barlaam Presbyterum fuisse, & in sua cellula, solo præsente Iosaphat, Missæ sacrificium offerre solitum.

SECVNDÒ Missa priuata dici potest à tempore, vt publica sit, quæ festis diebus, priuata, quæ profestis celebratur. Et quamquam aduersarij non nisi rarò admodum, ac ferè solùm in Dominicis, aut maioribus festis sacram Cœnam faciunt; tamen non apertè reprehendunt vsum Missæ quotidianæ: & certè nullo modo reprehendi potest. Nam in primis, ideò inge sacrificium appellatur, Daniel. 12. quia iugiter, & quotidie celebrari deberet.

DEINDE negari non potest, quin olim singulis diebus in multis locis Missæ celebrarentur. Nam Caesius singulis diebus Missam celebrabat, teste Gregorio loco citato, homil. 37. Augustinus epistola 23. dicit Christum semel in cruce immolatum, omni die in Sacramento populis immolari. Chrysostomus homil. 3. in epistolam ad Ephes. scribit quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam. Hieronymus in cap. 1. ad Titum dicit, Sacerdotes quotidie pro peccatis populi, ac suis sacrificare. Hippolytus Martyr in orat. de Antichristo, scribit Christum in die iudicij dicturum: *Vente Pontifices, qui pretiosum corpus meum quotidie immolastis.* Denique S. Andreas, vt in eius historia legimus, singulis diebus agnum immaculatum sacrificabat. Sed neque de hac re iam aduersarij multum laborant.

TERTIÒ dici potest Missa priuata à fine, quia nimirum pro aliquo particulari homine, vel negotio celebretur, vt pro hoc vel illo defuncto; pro illa, vel illa necessitate. Et quidem si Missa aliqua vni soli applicaretur, excludendo omnes alios homines, tum vere priuata dici posset: sed talis nulla est, aut fuit vnquam in Ecclesia. Nam omnis Missa offertur à Ministro publico, & publico nomine pro tota Ecclesia, tum quæ in terris, tum quæ in cœlis, vel in purgatorio est: nam horum omnium in qualibet Missa mentio habetur. Si autem Missa applicetur vni peculiariter, sic tamen vt non excludantur cæteri, tum priuata Missa dici poterit, & erit, si comparetur ad alias, quæ nulli particulari applicantur.

NEQVE dubium est, eiusmodi Missas priuatas fuisse in vsu antiquæ Ecclesiæ, & licitas esse. Nam in Testamento veteri sacrificia fiebant plurima pro particularibus. Leuit. 4. & 5. præscribuntur sacrificia pro Sacerdote, pro principe, pro quolibet priuato, pro synagoga. Iob 1. habemus sacrificium pro filijs Iob, & Iob 42. sacrificium pro amicis Iob. 2. Machab. 3. pro Heliodoro.

IN testamento nouo Missæ in natalitijs Sanctorum, quas suprà defendimus, omnes erant priuatæ hoc tertio modo: & habemus insigne exemplum, præter ea quæ suprà allata sunt, apud Bedam lib. 4. hist. cap. 14. vbi sancti Apostoli, Petrus & Paulus, cuidam apparentes, iusserunt Missas celebrari in die sancti Oſvvaldi Regis, in memoriam

memoriam eiusdem S. Oſvvaldi, & visionem illam fuisse verisimam manifestè patuit ex mirabili euẽtu rerum, quas ijdem Apostoli futuras prædixerant. Pari ratione Missæ pro defunctis, vt plurimùm particulares erant, & priuatæ: sic enim scribit Augustinus de obitu matris suæ lib. 9. Confes. cap. 12. *Cùm offerretur pro ea sacrificium precijnostri iam iuxta sepulchrum posito cadauere, &c.* Denique sacrificium illud à Presbytero eiusdem Augustini oblatum pro liberatione domus à dæmonum vexatione, lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8. & alia id genus, sine dubio priuata erant, nec reprehendi possunt, nisi tota antiquitas reprehendatur.

QVARTÒ Missa priuata dici potest à paucitate eorum qui intersunt: vt dicatur publica, quæ fit coram populo, qualis est Missa quæ dici solet Parochialis, vel Conuentualis, quæ non celebratur, nisi populus adsit: priuata autem, ad quam non expectatur populus, sed pro arbitrio Sacerdotis habetur, siue multi adsint, siue pauci. Has Missas ita priuatas aduersarij non rarò reprehendere solent. Certè Philippus in Apologia Confess. accersit hinc inde argumenta, vt probet, non debere fieri nisi vnam Missam, nimirum eam cui populus interfit: tamen alij ex aduersarijs non volunt de hac re contendere. Nam Brentius in Confess. Vvirteberg. cap. de Eucharistia, contentus est, vt Missa celebretur si duo vt minimùm adsint, vnus qui cõsecret & ministret Sacramentum, & alter cui porrigatur. Et hoc ipsum probant testimonia allata pro Missis priuatis ratione loci; & de his Missis priuatis loquitur S. Gregorius lib. 4. epist. 43. ad Castorium, vbi prohibet in Monasterio fieri Missas publicas, ne, vt ipse dicit in secessibus seruorum Dei fiant contentus populares. Ex quo loco colligitur Missas publicas vocari, quibus interest populi multitudo; priuatas autem, quæ sine conuentu populi intra Monasteria, vel alibi celebrantur.

QVARE fallitur apertissimè Melanchthon in Apologia Confes. cùm dicit, ante Gregorij tempora nullam fieri mentionem priuatarum Missarum. Nam si apud Gregorium priuatæ Missæ censentur, quæ celebrantur absque populi conuentu, vt ex hoc loco perspicuum est, Missa priuata erat, quæ dicta est à presbytero Augustini in domo rustica, ipso teste lib. 22. ciuit. cap. 8. & ab Ambrosio in domo cuiusdam matronæ Romæ, teste Paulino, & à Theodoreto, in cellula S. Maris, & à Luciano in carcere; immò ab Apostolis, cùm circa domos frangebãt panem, vt suprà citauimus: Et ab ipso Christo, qui non conuocauit populum, sed tãtùm primarios discipulos duodecim.

QVINTÒ Missæ priuatæ dici possunt, quæ dicuntur in eodem templo, eodem die, præter vnã. Nam vna tantùm solet esse Missa publica, & solennis, quæ dicitur in summo altari; cæteræ quæ dicuntur in minoribus altaribus eodem die, priuatæ dici possunt, licet multi interdum adsint auditores: Et quidem hanc multiplicationem Missarum valde oderunt, ac reprehendunt omnes aduersarij. Sed nos probamus licitam esse, Primùm ex Testamẽto veteri, in quo plurima efferebantur sacrificia eodem die & loco.

SECVNDÒ muti erant in eadem Ecclesia Sacerdotes: nam tempore S. Cornelij Papæ Romæ erant quadraginta Presbyteri, vt ipse scribit ad Fabium, teste Eusebio lib. 6. hist. cap. 33. ac deinceps semper magis creuit Sacerdotũ multitudo. Multi autem quotidie celebrabãt: ergò vel omes alij cessabant à sacrificio offerendo, vel multi eodem die, & loco sacra faciebant. Fuisse autem, qui quotidie sacrificium offerrent, dubitari non potest; id enim perspicuum est ex testimonijs suprà citatis, vbi egimus de Missa priuata ex parte temporis.

TERTIÒ idem probat testimonium suprà allatum ex Beda, lib. 4. hist. cap. 14. ibi enim Apostoli præcipiunt in die S. Oſvvaldi celebrari Missas per omnia Monasterij oratoria. Simile est quod scribit Eusebius lib. 4. cap. 45. de vita Constantini, Episcopos inuitatos ad templi dedicationem, incruentis sacrificijs Deo oblatis, diem festum celebrasse.

QVARTÒ idem probat antiquissima consuetudo, quæ est in Ecclesia, vt in die natalis Domini singuli Sacerdotes Missæ sacrificium ter offerant, cuius ritus meminit Gregorius in homil. de natali Domini, & ante eũ Telesphorus in epistola decretali. Quod si potest vnus Sacerdos vno in loco ter sacrificium eodem die offerre, cur non poterunt multi singula offerre sacrificia?

QVINTÒ idẽ probat altarium multitudo in eadem Ecclesia. Ambrosius epist. 33. *Irruere in altaria, &c.* loquitur de vna Basilica. Gregorius lib. 5. epist. 50. ad Palladiũ, scribit in vna Ecclesia tredecim altaria fuisse. & Guliel-mus Abbas in vita S. Bernardi li. 1. c. 12. in Ecclesia monasterij S. Bernardi fuisse tria altaria, vnũ in memoriam B. Virginis, alterum S. Laurẽtij, tertiũ S. Benedicti. Vide etiã Petrum Damianũ in initio vitæ S. Romualdi. Quorsum autẽm tot altaria, si semel tantùm in die sacrificium offerri poterat in vna Ecclesia?

DENIQVE Prosper in libro de prædictionibus dimidij temporis, cap. 6. scribit, bis intra paucas horas vno in loco sacrificium oblatum. Leo epist. 81. ad Dioscorum, monet vt Alexandriæ seruetur Romanus ritus de iterando sacrificio eodem die.

VLTIMÒ priuata Missa dici posset, in qua solus Sacerdos communicat: & hæc est Missa priuata, de qua potissimùm aduersarij altercantur, & quam nullo modo admittunt. Sed eam licitam esse, probatur: Primò oratione Concilij Tridentini, sess. 22. cap. 6. quæ talis est. Missæ, in quibus solus Sacerdos communicat, etiamsi priuatæ dici possent, ratione communicãtium Sacramentaliter, tamen absolutè non priuatæ, sed publicæ & communes sunt; ergo non debent vt priuatæ reiici, & damnari. Antecedens probatur à Concilio dupliciter. Primò, quia in eiusmodi Missis sæpe multi communicant spiritualiter, proinde fructus est publicus, & communis: & per hoc etiam Missa est ex hac parte publica, & communis. Secundò, quia Sacerdos publicus est Minister, & pro tota Ecclesia sacrificium offert.

HANC totam rationem refellere conatus est Kẽnitius pag. 868. & sequentibus: sed non tam rationem Concilij refutauit, quàm se mendacem, & ineptum demonstrauit. Primò, miratur cur Cõcilium audeat vocare has Missas communes, & negare esse priuatas, cùm per multas annorum centurias sint à Catholicis appellatæ priuatæ, & cùm apud Gregorium in regiſtro crebra sit mẽtio priuatæ Missæ; & cùm Glossa in Canonem, Et hoc attendendum, de consecr. dist. 1. eas priuatas appeller.

ATQVI hoc totum est mendacium: nam apud Gregorium nusquam exstat vocabulum Missæ priuatæ. Exstat quidem semel vocabulum Missæ publicæ lib. 4. epist. 43. sed vt suprà diximus, non vocat publicas Gregorius, in quibus communicatur, sed in quibus adest populi multitudo: & ijs opponit Missas, in quibus nõ adest populus, siue in ijs communicent aliqui, siue nulli. Eodem modo accipitur vocabulum Missæ publicæ, & peculiaris, seu priuatæ in Canone, & in glossa citata.

SECVNDÒ, Kemnitius oppugnat argumentũ Concilij ductum à spirituali Communione: & quia non poterat negare spiritualem Communionem, affingit nouo mendacio ipsi Concilio, quod affirmauerit per spiritualem Communionem satisfieri institutioni, & præcepto Christi de sumenda Eucharistia.

SED nihil eiusmodi in Concilio reperitur: immò sess. 13. 9. Concilium docet teneri fideles adultos saltem semel in anno ad Communionem Sacramentalem, nimirum, vt eo modo satisfaciant Christi institutioni, & præcepto.

TERTIÒ, oppugnat alterum argumentum Concilij,

sumptum ex eo quòd Sacerdos est publicus Minister, ac dicit argumentum non valere, quoniam Minister verbi, est etiam publicus minister, & tamen non potest concionari nisi populo præsente, & qui baptizat est publicus Minister, & tamen non potest baptizare nisi aliquis adsit baptizandus.

A

Sed hæ sunt meræ ineptiæ. Aliter enim est Sacerdos Minister publicus sacrificando, aliter concionando & Sacramenta ministrando. Nam sacrificando dirigit actionem suam ad Deum pro populo; concionãdo & Sacramenta ministrando, dirigit actionem suam ad populum propter Deum.

Et hinc nascitur alia ratio ex natura sacrificij. Nam si aduersarij concederent Missam non solùm esse Sacramentum, sed etiam sacrificium, forasse in hac re facilè conuenirent: siquidem ad sacrificium, vt sacrificium est, nihil refert, si multi, vel pauci, vel nulli interfint aut communicent, cùm sacrificium offeratur Deo pro populo: potest enim Sacerdos pro populo offerre, etiamsi populus nec adsit, nec communicet. Et confirmatur ex lege veteri; cùm enim sacrificia offerebãtur pro peccato, nihil inde manducabat is, pro quo offerebatur, vt patet Leuit. 6. & 7. & tamen illi proderat. Et confirmatur rursus à simili: nam sacrificiũ simile est orationi, vt suprà diximus, immò est quædam realis, & efficacissima oratio. Porrò orationem prodesse ei, pro quo fit, etiamsi ille non adsit, nec sciat quid agatur, certum & explorarum est.

B

Tertiò probatur ex consuetudine veterum. Nam etiamsi nusquam expressè legamus veteribus oblatum sacrificium sine Communione alicuius, vel aliquorum, præter ipsum Sacerdotem: tamen id possumus ex coniecturis facilè colligere. Prima coniectura ex Concilio Nannetẽsi, cap. 30. quod citatur ab Iuone in decreto part. 3. cap. 70. vbi iubentur Presbyteri nõ celebrare soli Missam, nisi habeant saltem vnum secum, qui respondeat. Ex quo intelligimus quosdam planè solos celebrare solitos Missæ sacrificium, & proinde sine communicantibus. Item ex Cõcilio Toletano XII. can. 5. vbi grauiter reprehenduntur quidam Sacerdotes, qui sacrificium offerentes non communicabant: *Quale erit*, inquit Concilium, *illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse dignoscitur?* Quæ verba satis apertè indicant, in eiusmodi sacrificio nullum omninò fuisse, qui communicaret, & tamen Concilium non requirit, nisi vt Sacerdos ipse communicet: proinde admittit tanquam rata, & vt apparet, vsitata sacrificia, in quibus solus cõmunicat Sacerdos. Est autem hoc Concilium ante annos circiter CM. celebratum.

C

Secvnda coniectura. Quidam initiabantur sacris absque vlla certa procuratione animarum, qui proinde non poterant vlli Sacramentum administrare, & tamen sine dubio Missas celebrabant. Exemplum habemus in S. Paulino Nolano, qui Presbyter ordinatus fuit, vt ipse scribit epist. 6. ad Seuerum, in sacerdotium Domini, sed nulli certæ Ecclesiæ alligatus.

Tertia coniectura. Plurimi Sacerdotes quotidie celebrabant, vt suprà ostendimus, & tamen populus in multis locis raro admodum communicabat, vt vel ex illa querimonia Chrysostomi cognosci potest, quæ habetur homilia 3. in epist. ad Ephes. *Frustrà*, inquit, *habetur quotidiana oblatio, cùm nemo sit, qui simul participet.* Et homil. 17. in epist. ad Hebr. scribit, plurimos tantùm semel in anno ad Sacramenti Communionem accessisse. Ambrosius etiam lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. dicit, Græcos post annum communicare solere.

D

Qvarta coniectura. Multa sacra fiebant pro caussa ita particulari, vt non fit vllo modo verisimile, ministratam fuisse Communionem in eiusmodi sacris: vt exẽpli caussã, cùm scribit Augustinus lib. 9. Confess. can. 12. oblatum sacrificium pro matre sua, cadauere iuxta sepulchrum constituto, & cum scribit lib. 22. ciuit. cap. 8. vnum è suis Præsbyteris sacrificium obtulisse in domo rustica, ad eandem domum à malignorum spirituum vexatione liberandam. Sed aduersariorum argumenta soluamus.

CAPVT X.

Soluuntur argumenta contra Missas priuatas.

Prima obiectio Kemnitij in 2. part. Examin. pag. 862. (nam quæ ipse fabulatur de origine Missæ priuatæ, quia nullo argumento probauit, omitto) sumitur ex illis verbis Luc. 22. *Hoc facite in meã cõmemorationem.* Iubet enim Christus, vt faciamus quod ipse fecit: ipse autem non solùm consecrauit, sed etiam dedit Sacramentum ijs, qui aderant manducandum, quare consecrare, & non distribuere, est ipsam Cœnam Domini profanare.

Respondeo, Iussit Dominus fieri quod ipse fecit, sed pro loco, tempore, personis: ea enim est vis affirmatiuorum præceptorum. Et sine dubio non iussit Sacramentum dispensari inuitis, aut indignis. Quare si fortè nulli sint, qui velint, aut possint communicare: non tenemur Sacramentum ministrare, nec tamen ideò prohibemur à celebratione cessare.

Dices, Si licet diuidere actiones, quas Dominus exemplo suo coniunxit, & Sacramentum aliquando cõsecrare, & nemini ministrare: licebit etiam consecrare, vel ministrare, & non sumere. Respondeo; Non est eadem ratio omnium illarum actionum. Nam consecratio & cõsummatio, de essentia sacrificij sunt, ideò nullo modo possunt omitti: at dispensatio, nec est de essentia, nec de integritate, sed solùm affirmatiuo Domini præcepto necessaria, & ideò facienda quidem est, sed pro loco & tempore, vt diximus.

Secvnda obiectio. Apostolorum Synaxis describitur Act. 2. per fractionẽ panis, ergo distributio, & dispensatio Sacramenti fuit in vsu primitiuæ Ecclesiæ in celebratione Cœnæ Domini.

Respondeo; Nihil verius dici potest: sed non inde sequitur non posse vnquam sacrificium sine dispensatione offerri. Nam & apud nos in templis omnibus celebratur Synaxis cum dispensatione Sacramẽti, & tamen non ideò damnantur sacra, quæ in priuatis oratorijs, vel sacellis, sine tali dispensatione celebrantur.

Tertia obiectio. B. Paulus 1. Cor. 10. describens ritum Cœnæ Domini, apertè scribit, corpus Domini cõmunicari, & distribui fidelibus, & fideles participes esse mensæ Domini, non spectando vnum manducantem, sed manducando.

Respondeo, Apostolus eo loco non describit ritum Cœnæ Domini, vt declaret quid sit ipsa celebratio huius mysterij, vel in quo præcipuè consistat, sed tantùm vt ostendat, eos qui Eucharistiam sumunt, participes esse mensæ Domini, & socios Christi fieri: quemadmodum fiunt socij dæmoniorum, & participes sunt altaris idolorum, qui scienter manducant idolothyta. Ex quo nõ sequitur, Missam sine Communione populi esse licitam, vel eos, qui Missæ interfunt, & non communicant, nihil vtilitatis capere. Nam ista affirmans propositio verissima est, & ex Paulo colligitur, Qui reipsa Eucharistiam manducat, cum Christo coniungitur: ista autem negans falsa est, nec habetur in Paulo, Qui non sumit reipsa Eucharistiam, sed solo voto ac desiderio, nullo modo cum Christo iungitur, aut frustrà interest sacrificio.

Qvarta obiectio. Apostolus 1. Cor. 11. opponit inter se Dominicam Cœnam, & priuatam Cœnam; & quidẽ ita, vt confirmet, vbi priuata Cœna agitur, ibi nõ posse Dñicam Cœnã celebrari. Definit autẽ priuatã Cœnã, vbi quis priuatim, quod Cœnæ Dñicæ est, mãducat, & præoccupat nõ simul participantibus alijs: & dicit nõ dissimile esse, ac si instrueretur talis cœna, vbi vn⁹ saturaretur, alter verò cogeretur esurire: *Hic certè locus tãquã fulmẽ*, inquit Kẽnitius, *prosternit priuatas Pontificiorũ Missas, in quibus solus*

solus Sacerdos celebrans sacramẽtaliter communicat: & clarissima est Chrysostomi sententia in illum Pauli locũ: Quod Dominicum est, priuatum fecerunt; Cœna enim Domini debet esse communis, &c.

Respondeo; Primùm cùm Paulus opponit Cœnam Domini cœnæ priuatæ, non loquitur de Eucharistia, sed de conuiuio, quod in Ecclesia olim in pauperum refrigerium fieri solebat: quod conuiuium vocat Cœnam Domini, vt Chrysostomus interpretatur, quia fiebat ad repræsentandam Cœnam Domini vltimam cum discipulis; & etiam quia fiebat in loco sacro, & denique quia cõiungebatur cum Eucharistiæ communicatione. Quod autem per Cœnam Domini intelligatur cõuiuium illud, perspicuũ est ex illis verbis: *Vnus esurit, alius autem ebrius est.* Non enim in communicatione Eucharistiæ poterat esuries, aut ebrietas inueniri, cùm illa sit cibus mẽtis, non ventris. Deinde idem patet, ex proposito Pauli. Vult enim ipse (Chrysostomo, & omnibus alijs exponentibus) Corinthios reprehendere, quòd non ampliùs conuiuia illa faciant, sicut oportet, sed diuites seorsim & lautè conuiuentur, pauperes autem etiam seorsim, & vix ad satietatem reficiantur: hunc autem abusum reprehendit illis verbis: *Iam non est Dominicam Cœnam manducare; vnusquisque enim suam Cœnam præsumit, &c.* Hoc est; vestra ista conuiuia, vt nunc celebrantur, non repræsentant ampliùs Cœnam Dominicam: Dominus enim simul cum discipulis in eadem mensa accubuit, etiamsi ipse Dominus, illi serui essent; vos autem fratres vestros, quòd pauperes sint, à mensa vestra excluditis, &c. Quæ omnia ad conuiuia illa pertinent, non ad Eucharistiam: nam quod attinet ad Eucharistiam, omnes æquè sobriè, & æquè lautè epulabantur, cùm omnibus daretur corpus Dominicũ in modica specie panis. Itaque totum argumẽtum Kẽnitij in æquiuocatione laborat.

A

Secvndò, etiamsi B. Paulus de Eucharistia loqueretur, cùm cœnam cõmunem priuatæ opponit, vt Theodoretus, & aliqui alij veterum probabiliter docent: nihil inde colligi posset pro aduersarijs. Paulus enim reprehendit cœnam priuatam, à qua excluduntur alij, non ad quam non coguntur. Porrò Missæ nostræ non excludunt communicantes; immò vt Concilium Tridentinum affirmat sess. 22. can. 6. optat Ecclesia, vt in singulis Missis, qui adstant, communicent; sed si nulli sunt qui communicare velint, nulla culpa est Sacerdotis, nec potest reprehendi, quasi solus participare velit Cœnã Dominicã.

B

Qvinta obiectio. In veteri Ecclesia semper in actione Cœnæ Domini fiebat distributio Sacramenti, vt patet ex descriptione omnium Liturgiarum, quæ apud Patres exstant.

Respondeo; Contrarium colligitur ex tam multis exemplis, quæ nos suprà attulimus. Porrò in liturgijs fit mentio distributionis: quia vt diximus, semper fieri potest, ac debet Sacramenti distributio in Missa, eorum Sacerdotum, qui curam animarum ex officio gerũt, si sint aliqui parati ad cõmunicandum. Sed non ideò cessandũ est à Sacrificio, si nulli sint, qui cõmunicare velint.

C

Sexta obiectio. Commentum, quòd celebratio Cœnæ Dominicæ prosit illis, qui non communicant, sed tantùm intersunt, & audiunt, & cum deuotione spectant quod Sacerdos agit: non tantùm ignotum est antiquitati, sed seriò, & grauiter à veteribus reprehenditur. Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Ephes. *Frustrà*, inquit, *habetur oblatio quotidiana, cùm nemo sit, qui simul participet.* Et infrà: *Quisquis mysteriorum consors non est, impudens, & improbus adstat.* Et rursum: *Si quis*, inquit, *ad conuiuium vocatus, manus quidem lauerit, & accubuerit, & tamen nihil ciborum gustauerit, nonne infert contumeliam conuiuatori à quo fuerat vocatus? annon satius fuerit, eũ qui talis est, prorsus non comparuisse? Audis*, subiungit Kemnitius, *non verba, sed fulmina contra Pontificiam persuasionem de spectaculo priuatarum Missarum.*

D

Respondeo; Veteribus non fuisse incognitum vsum assistendi Missæ sacrificio, & tamen in ijs non communicandi Sacramentaliter, perspicuum est ex Concilio Agathensi ante M. annos celebrato. Nam can. 18. iubentur omnes laici saltem ter in anno communicare, in Natali, Pascha, & Pentecoste: & tamen can. 47. iubentur ijdẽ laicis singulis diebus Dominis Missæ interesse, idq; vsque ad Sacerdotis benedictionem, quæ datur in fine Missæ. Præterea non dubitasse veteres, Missam prodesse adstantibus, licet non communicarent, certissimum est ex ijs, quæ suprà diximus de Missis pro defunctis, & pro qualibet necessitate. Si enim Missa prodest defunctis, vt omnes Patres vno ore fatentur, necnon viuentibus, absentibus, ægrotis, iter facientibus, immò etiã infidelibus, & hæreticis, quantò magis proderit fidelibus præsentibus, & simul voto ac desiderio offerentibus?

Ad locum Chrysostomi dico, illa verba: *Frustrà fit oblatio quotidiana*, non significare absolutè oblationem frustrà fieri, sed frustrà quatenus ordinatur ad Communionem. Nam cùm celebratio Missæ partim ordinetur ad sacrificium Deo offerendum, partim ad populum sacro illo pane reficiendum: cùm nulli sunt, qui communicẽt, frustrà fit, quatenus ordinatur ad posteriorem finem, sed non fit frustrà quatenus ordinatur ad finem priorem. Itaque Chrysostomus, etiamsi dicat frustrà fieri, non tamen propterea omittebat quotidie sacrificare: quod certè fecisset, si absolutè frustrà fieri existimasset.

Ad illud autem quod Chrysostomus dicit, melius esse non interesse sacrificio, quàm interesse, & non communicare, dico Chrysostomum, vt quædam alia, per excessum ita esse loquutum, cùm solùm hortari cuperet homines ad frequenter, & dignè communicãdum. Nam quia videbat excusare se homines à Communione, quòd se indignos, & imparatos dicerent, ipse animaduertens negligentiam & desidiam, totius illius damni causssam esse, vehementer illos arguit, ac dicit, indignos etiam esse, qui simul cum cæteris orẽt, immò dignos, qui ab Ecclesia eiiciantur tempore sacrificij, quomodo eiiciuntur pœnitentes, & Catechumeni; & meliùs futuros si non venirẽt; & alia id genus, quæ certum est, dicta esse amplificandi gratia. Simile est, quod ait Apostolus 1. Corinth. 6. *Cõtemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum.* Non enim reuera iubet B. Paulus, vt contemptibiles iudices constituantur: sed ita loquitur, quia cuperet in Ecclesia nullas esse lites, aut tam sapientes, & bonos esse omnes Christianos, vt etiam minimi sufficerent ad diiudicandas temporales controuersias.

Porrò Chrysostomum non fuisse in ea sententia, vt putaret nihil prodesse sacrificium ijs, qui adsunt, & nõ communicant, dubitari non potest; tum ex tam multis locis suprà citatis, vbi scribit sacrificium prodesse defunctis, & viuentibus absentibus; tum etiam ex homil. 3. de incomprehensibili natura Dei: vbi grauiter reprehendit auditores suos, quòd finita concione recederent, & sacrificio non interessent. Vbi nihil de Communione dicit, cùm tamen sciret plurimos non communicare nisi rarissimè; sed tantùm hortatur vt maneant, & simul orent, ac spectent Christum, qui in mysterijs se ostendit.

Septima obiectio. In veteri Ecclesia prohibitas fuisse Missas priuatas, in quibus solus Sacerdos cõmunicat, testatur Chrysost. homil. 18. in 2. ad Cor. vbi scribit, in celebratione Eucharistiæ non fieri, sicut fiebat in Testamento veteri, vbi solus Sacerdos quædam comedebat.

Respondeo; Chrysostomus eo loco, in eo⁹ solùm ponit discrimen inter sacrificia Testamenti veteris & noui, quòd in illis, aut solus Sacerdos edebat victimas, aut ipse maiorem partem, populus minorem obtinebat ex immolatis: in his autem toram victimam Sacerdos, & totam populus edit, idem videlicet, & integrum Christi

corpus & sanguinem. Sed nihil hoc facit contra Missas priuatas: quòd enim nunc sæpe Sacerdos solus victimam edat, non est culpa Sacerdotum, aut natura sacrificij, sed populi negligentia.

OCTAVA obiectio. Canon Decimus Apostolorum iubet excommunicari eos, qui non permanent in Ecclesia, vsquedum Missa peragitur, & non accipiunt sanctam Communionem: atque hic canon renouatur in Concilio Antiocheno, cap. 2. & exstat etiam decretum Anacleti in epi. 1. & apud Gratianum, can. Peracta, de consecr. dist. 2. *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim, & Apostoli statuerunt, & S. Romana tenet Ecclesia.* Ergo prohibitæ tunc erant Missæ priuatæ.

RESPONDEO; Primùm isti canones iubent, vt fideles communicent in Missa; sed non prohibent Sacerdoti sacrificare, nisi populus non adsit, aut communicare nolit. Deinde eanon Apostolorum ita explicatur in Concilio Antiocheno, vt intelligamus non damnari eos, qui absolutè non communicant, sed eos, qui certa de caussa, nimirum ob aliquam superstitionem, aut prauam opinionem auersantur sacram Communionem. Decretum autem Anacleti, si epistola eius consulatur, & non solùm fragmentum, quod est apud Gratianum, solos obligat clericos Episcopo in diebus solennibus sacrificanti solenniter ministrantes: quocirca si die aliquo non solenni, aut fine aliorum clericorum solenni ministerio quis sacrificet, non cogitur ex hoc decreto Communionem dare. Denique certum est, decreta ista, quæ sine dubio non diuini, sed humani iuris erant, si ad populum pertinebant, progressu temporis abrogata fuisse; constat enim tempore Ambrosij, & Chrysostomi, vt suprà citauimus, Græcos non nisi post annum communicare solitos esse.

NONA obiectio: Humbertus contrà Nicetam scribit, imperfectam esse Missam, in qua non simul fit consecratio, fractio, seu distributio, & communicatio: & Vvalfridus in lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. 22. similiter docet illam esse legitimam Missam, in qua adsunt Sacerdos, respondens, offerentes, & communicantes. Ad idem citatur duo decreta, vnum Soteris Papæ apud Gratianum, can. Hoc quoque. de consecrat. dist. 1. alterum Concilij Nannetensis apud Iuonem, part. 3. decreti, cap. 70.

RESPONDEO; Si Missa præcisè accipiatur pro sacrificio, perfectam, & legitimam esse constat, etiam sine communicantibus, modò sacrificium à Sacerdote consummetur: quia tamen, vt diximus, Missæ celebratio non solùm ad sacrificium Deo offerendum, sed etiam ad populum nutriendum spirituali pabulo ordinatur; propterea ex hac parte negari non potest, quin sit magis perfecta, & legitima Missa, vbi communicantes adsunt, quàm vbi desunt, & hoc solum volunt auctores citati. Potrò decreta illa Papæ Soteris, & Concilij Nannetensis ad rem non pertinent: non enim iubent, vt adsint qui communicent; sed tantùm vt adsint, qui Sacerdoti respondeant. Vbi obiter notandum est mendacium Kemnitij: scribit enim Kemnitius, Concilium illud ridiculum iudicasse, muris, & parietibus à Sacerdote insusurrari, quæ ad populum pertinent. At Concilium non meminit populi, sed iubet, vt saltem vnus adsit, qui respondeat in Missa, ne videatur Sacerdos parietibus dicere: *Dominus vobiscum*: &, *Orate fratres.*

DECIMA obiectio. Ludibria sunt, quòd in Missa, in qua nulli communicant, dicat Sacerdos: *Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus.* &, *Sacramenta, quæ sumpsimus.* Item, quòd hostia frangatur. fractio enim ad distribuendum ordinatur, vt Augustinus docet in epist. 59. ad Paulinum.

RESPONDEO; Illa verba dicuntur in numero multitudinis, tum propter præsentes communicantes, si qui adsint: tum etiam propter eos, qui alibi communicant: cùm enim vnum corpus simus, non solùm præsentes, sed etiam absentes pro omnibus oramus. Simile est in oratione Dominica, quam quisque potest etiam solus in suo cubiculo recitare: & tamen ita composita est, ac si dicenda esset solùm à multitudine congregata.

QVOD attinet ad fractionem, ea non solùm ad distribuendum, sed etiam ad significandum ordinatur: nam in Missa Chrysostomi fit confractio in quatuor partes in modum crucis, & vna ex illis particulis in calicem immittitur cum certa verborum recitatione, vt etiam Latini faciunt. Quare Kemnitius cùm cæremoniam fractionis ludibrium appellat, & apertè irridet, antiquam, & veram Ecclesiam, Græcam, & Latinam irridet: Atque hactenus de obiectionibus Kemnitij.

VNDECIMA obiectio, est Ioan. Brentij in Confes. Vvirtembergensi, cap. de Eucharistia: vbi præterea, quæ illi sunt communia cum Kemnitio, facit hoc argumentum: *Christus instituit Cœnam suam, non vt esset priuata actio sacrificuli, sed communio totius Ecclesiæ: non igitur licitæ sunt priuatæ illæ Missæ, in quibus Sacerdos sibi soli legit verba Cœnæ, & Eucharistiam consecrat.*

RESPONDEO; Missa Catholicorum nunquam est priuata actio Sacerdotis, sed semper est communis toti Ecclesiæ, quia à communi ministro pro communi omnium vtilitate offertur: proinde semper est in Missa communio Ecclesiæ, si per communionem intelligas fructum communem sacrificij. Quòd si per communionem intelligas Eucharistiæ manducationem: fatemur Christum instituisse Cœnam, vt esset simul & sacrificium, & communio, sed non iussisse vt illa duo nunquam separarentur, quasi non possit Deo sacrificium offerri, quando nulli adsunt, qui communicare velint.

DVODECIMA obiectio, est Philippi in Apologia Confess. Augustanæ in articulo de Missa, vbi producit epistolam quandam S. Francisci ad omnes fratres suos, in qua iubet vnam tantùm Missam vno in loco celebrari, etiamsi plures adsint Sacerdotes.

RESPONDET Ioannes Eckius in Enchiridio, epistolam illam non agnosci à fratribus Ordinis Minorum, pro vera S. Francisci epistola. Addit præterea, auctorem illius epistolæ loqui solùm de feria V. in Cœna Domini, non de alijs diebus; & sanè si epistola illa de quouis die loqueretur, falsum apertissimè contineret. Scribit enim auctor epistolæ, secundum vsum Romanæ Ecclesiæ vnicam Missam dũtaxat vno in loco celebrari. At Honorius Papa III. qui sedit Romæ tempore sancti Francisci. cap. Cùm creatura, de celebratione Missarum, iubet nõ omitti anniuersaria sacra pro defunctis, ob festum, vel feriam occurrentem, sed vtraque sacra eodem die celebrari.

VLTIMA obiectio est aliorum, quam recitat Eckius ex Basilio in Psal. 115. prope finem, vbi dicit: *Non in latebris delitescẽs sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium.* Et infrà dicit, vnum esse altare Ecclesiæ. Et confirmatur ex Hieronymo in cap. 3. Amos, vbi dicit vnum esse altare in Ecclesia.

RESPONDET rectè Eckius, Basilium per sacrificiũ occultum intelligere sacrificium schismaticorum, qui se ab Ecclesia segregant, & in suis conuenticulis sacrificia offerre præsumunt: & ideò etiam vnum altare agnoscere, id est, vnum sacerdotium, vnum ritum, &c. Nam subiungit ibidem Basilius: *Audite qui Ecclesiam relinquitis, & in publicis domibus versati, miseras facitis corporis precioſi ſciſſuras.* Et infrà: *Tu aram erigis ex aduerso altaris sibi à Patribus constituti.* Quemadmodum etiam Augustinus, Optatus, Cyprianus, & alij passim schismaticos describunt, cùm dicunt, quosdam erigere altare contra altare. Hieronymus quoque distinguit vnum altare Ecclesiæ à multis altaribus hæreticorum, quia, vt ipse dicit, tot habẽt altaria, quot schismata. Alioqui multa fuisse in Ecclesia altaria materialia, suprà ostendimus ex Ambrosio, Gregorio,

gorio, & aliis: vnde Tertullianus in libro de pœnitentia, ponit inter alias pœnitentium cæremonias, axis Dei adgeniculari.

CAPVT XI.

De genere linguæ.

SEQVITVR controuersia de genere linguæ, an scilicet necessarium sit Missam vulgari lingua recitari: id enim contendunt aduersarij, & maximè Kemnitius in secunda parte Examinis, pag. 883. & sequentibus. Sed istam quæstionem maximæ ex parte tractauimus partim li. 2. de verbo Dei, extremo, partim lib. 2. de Sacramentis in genere, extremo. Nam tria quædam ad Missam pertinent. Primò, lectio Scripturarum, & publica oratio. Secundò, Sacramenti Eucharistiæ consecratio, & dispensatio. Tertiò, sacrificij oblatio. De lectione, & oratione disseruimus in libro de verbo Dei, loco citato: De Sacramenti consecratione, & dispensatione tractatum est in libris de Sacramentis in genere, vt iam diximus: solùm igitur superest disputatio de ipsa sacrificij oblatione.

SED ea facillima est: nam in primis sacrificij oblatio magis in re, quàm in verbis consistit. Nam vt suprà diximus, illa actio, qua corpus Domini super altare ponitur ad Dei honorem, vera, ac realis oblatio est, etiamsi verbis non dicatur, Offero, vel offerimus. Porrò illa actio verba quidem aliqua necessariò requirit, nimirum verba consecrationis: sed illa verba non diriguntur ad instruendos auditores, sed ad elementum consecrandum, vt notũ est. Elementum autem nullam linguam intelligit, quare impertinens est ad realem oblationem, vtrum Missa dicatur lingua vulgari, vel non vulgari.

SECVNDÒ, licet oblatio ipsa necessariò verbis exprimenda esset, vt iam reipsa in Missa exprimitur, tamen adhuc impertinens esset, qua lingua id fieret, siquidem oblationis verba diriguntur ad Deum, non ad populũ: Deus autem omnes linguas intelligit.

TERTIÒ, verba oblationis submissa voce pronuncianda sunt, vt in sequenti capite demonstrabimus: non igitur necesse est, vt ea lingua recitentur, quam intelligit populus. Quid enim prodest nosse, quid verba significẽt, si sonum vocis exaudire non valeas?

QVARTÒ, sacrificium non offertur ad populum instruendum, si de primario, & proprio fine agatur, sed ad Deum colendum, & ad impetranda populo beneficia: non igitur id requiritur, vt populus intelligat id, quod dicitur, sed satis est si Deus intelligat.

QVINTÒ, si lingua vulgari sacrificium offerendum esset, duo gratissima incommoda sequerẽtur. Vnũ, quòd oporteret frequenter mutare verba sacrificij, cùm vocabula, quæ vno tempore sunt vulgaria, non diu pòst desinant esse vulgaria. Alterum, quòd tolleretur communicatio Ecclesiarũ: nec enim posset sacerdos Italus in Gallia, neque Gallus in Italia; neq; Italus, aut Gallus in Germania, neque Germanus in Italia, aut Gallia sacrificium offerre; quod idem de Hispania, Anglia, Polonia, aliúsque regionibus intelligendum est.

SEXTÒ, accedit antiquissima Ecclesiæ consuetudo. Nã in toto Oriente non inueniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Græcæ aut Chaldaicæ; in toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ sunt nisi Latinæ; & tamẽ à multis iam seculis desierunt omnes istæ linguæ esse vulgares: immò Germanis, Francis, Anglis, Polonis, nunquam fuit lingua Latina vulgaris. Rectè igitur Concilium Tridentinum sessione vicesima secunda, canone vltimo, statuit, Missam non esse lingua vulgari celebrandam. Argumenta, quæ aduersarij contrà obiiciunt, sunt à nobis omnia refutata in duobus locis paulò antè notatis. Quare non putaui operæ precium esse illa repetere, præsertim cùm non pugnent contra sacrificij actionem.

CAPVT XII.

Non esse omnia necessariò in Missa alta voce pronuncianda.

ALIA quæstio est superiori non multùm absimilis, de modo vocis. Accusant enim aduersarij Ecclesiam Latinam, quòd pleraque in Missa submissa voce pronunciari iubeat: de qua re exstat canon nonus in sess. 22. Concilij Tridentini. Vbi illud initiò est obseruandum, non esse quæstionem, an sit per se illicitum totam Missam alta voce celebrare; nec enim ignoramus modum vocis non pertinere ad substantiam sacrificij, & posse ista omnia ad arbitrium Ecclesiæ immutari. Tota igitur quæstio in eo sita est: vtrum consuetudo Latinæ Ecclesiæ quædam submissa voce pronunciandi, repugnet Christi institutioni, ac proinde sit mala, & necessariò corrigenda.

ET quidem Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 890. contendit contra Christi institutionem esse, vt quædam submissa voce legantur in Missa: Concilium autem contrà definit. Concilij verò sententiam verissimam esse hæ rationes ostendunt. Primò, vtile est ad reuerentiam tanti mysterij, vt non omnia alta voce dicantur: nam vt S. Basilius rectè docet lib. de Spiritu sancto c. 27. multùm confert ad dignitatem, & reuerentiam conseruandam mysteriorum, vt non assuescant homines eadem sæpius audire, vel potiùs, vt non offerantur ad aures vulgi. Qualia enim mysteria sunt, quæ ad omnium aures perferuntur?

SECVNDÒ, habemus exemplum antiquæ Liturgiæ, tum Græcæ, tum Latinæ. Liturgiæ Basilij, & Chrysostomi, quod etiam Kemnitius notauit, quædam præscribunt dicenda sub silentio, & concludenda alta voce: quod idẽ nos seruamus, cùm secretas orationes concludimus, vocem attollendo in illis verbis: *Per omnia sæcula sæculorũ.* Neque valet Kemnitij responsio, qui illud ita interpretatur, ac si Liturgiæ illæ præscriberent, quædam pronunciari moderata voce, sic tamen vt ab omnibus audiantur, concludi autem cum clamore, & cantu. Nam in Liturgia Chrysostomi, vbi legimus: *Sacerdos orat secretò*, vox Græca μυστικῶς, non significat voce moderata, sed planè secretò: nec enim dicuntur mysteria, quæ moderata voce publicantur, sed quæ omnino celantur. Et præterea ibidem monetur sacerdos illas preces secretò recitare, dum Diaconus alta voce canit Litaniam, vel dum cantores alia quædam concinunt: proinde non potest populus iis attendere, quę dicit sacerdos, atque ideò verè & propriè secreta sunt.

DE Latina autem Liturgia habemus testimonium Innocentij I. in epistola prima ad Episcopum Eugubinum, c. 1. vbi interrogatur de tempore, quo in mysterio Missæ pax danda est, apertè indicat, præcipuam partem Missæ esse secretam; nec audet aperire quæ sint illa, quæ recitãtur antequam pax detur. At si totus populus illa omnia audire consueuisset, certè nihil fuisset secretum, nihil arcanum, & facilè potuissent literis committi, quæ erant vulgò omnibus nota.

TERTIÒ habemus exempla sacrificiorum veteris legis. Nam (vt omittam quod in sacrificiis plerúmque sola mente orabant, sine vllis verbis) Leuitici 16. describitur solenne sacrificium incensi, ac iubetur solus sacerdos intra velum ingredi, & sacrificare, atque orare pro se, & populo, omnibus aliis foris exspectantibus, & non modò non audientibus, sed nec videntibus sacerdotem: quo etiam ritu sacrificasse Zachariam patrem præcursoris, legimus Lucæ 1.

QVARTÒ Christus ipse in sacrificio crucis, quod exẽplar fuit omnium sacrificiorum, in silentio oblationem peregit, nec trium horarum spatio loquutus est audientibus circumstantibus, nisi septem breuissimas sententias: quot sunt etiam sententiæ, quæ in Canone nostræ Liturgiæ alta voce pronunciantur.

SED videamus quid pro sua sententia Kemnitius adferat. Primò obiicit Christi institutionem, qui in sua Cœna iussit sui memoriam fieri, non per silentium, sed, vt Paulus explicat, per annunciationem. Et posset argumentum confirmari Christi ipsius exemplo, qui verba consecrationis alta voce pronunciauit, vt omnes qui aderant audire potuerint.

RESPONDEO; Christi memoria & annunciatio nō tam verbis, quàm reipsa fieri debet; sic enim scribit Augustinus lib. vicesimo contra Faustum, cap. decimo octauo: *Christiani*, inquit, *iam perfecti sacrificij memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis Christi, &c.* Neque posset alio modo impleri quod Paulus præcipit, vt omnes annuncient mortem Domini: qualis enim confusio fieret, si omnis populus in Ecclesia mortem Domini verbis annunciare deberet?

QVOD attinet ad Christi exemplum, sciendum est, Christum non solùm ea verba pronunciasse vt consecraret, sed etiam vt Apostolos doceret ritum consecrandi: quocirca oportuit eum ita loqui, vt ab Apostolis audiretur. Quod etiam hoc tempore Episcopi seruant, cùm inter Missarum solennia ordinant sacerdotes; sic enim pronunciant verba consecrationis, vt omnes illi noui sacerdotes audire possint. Alia autem ratio est eorum, qui ad populum Missas celebrant.

SECVNDA obiectio. Christus non ita Sacramenta instituit, vt actio quidem esset visibilis, & priuata, verbū verò, quæ est præcipua pars Sacramentorum, occultetur, & sepeliatur.

RESPONDEO; Alia ratio Sacramenti, alia sacrificij est: nunc enim de sacrificio propriè agimus. Sacrificium autem non in verbis, sed in oblatione rei consistit: verba verò in sacrificio Missæ requiruntur, non vt sint ipsa sacrificium, vel pars sacrificij, sed solùm vt victimæ præsentiam nobis exhibeant. Verbis enim consecrationis, vt suprà ostendimus, id efficitur, vt corpus Christi verè adsit in altari: quare sacrificium erit verè externum, & sensibile, etiamsi verba, quibus id efficitur, sentiri non possint. Adde, quòd in Sacramentis quoque, ad quorum essentiā verba potissimùm pertinent, non est necesse, vt verba ab iis percipiantur, qui Sacramenta suscipiunt, modò percipiantur ab iis, qui ea ministrant: alioqui Baptismus infantibus, amētibus, surdis collatus, irritus esset, quod ne Kēnitius quidem admitteret. Ad argumentum igitur respōdemus, Christum non quidem instituisse, vt verba occultentur, & sepeliantur, sed neque instituisse ita pronunciari, vt ab omnibus qui adsunt, audiantur; sed solùm instituisse, vt reipsa adhibeantur: libertate relicta Ecclesiæ, vt modum recitandi constituat. Id quod non solùm Catholici docent, sed etiam Kemnitij præceptor & propheta Lutherus in lib. de formula Missæ, vbi liberum permittit, vt verba Cœnæ, alta vel submissa voce pronuncientur.

TERTIA obiectio. Apostolus 1. Corin. 14. disertè distinguit hæc duo: In Ecclesia loqui, de iis scilicet, quæ ad publicum ministerium pertinent; & priuatim sibi ipsi, & Deo loqui.

RESPONDEO; In Ecclesia loqui beato Paulo est exhortari, & instruere Ecclesiam; sibi & Deo loqui, est orare, vel laudare Deum: *In Ecclesia*, inquit, *volo quinque verba in sensu meo loqui, vt & alios instruam.* Et rursus: *Si non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, & Deo.* Itaque distinguit concionem ab oratione. Ad neutrū autem propriè pertinet sacrificium: sacrificare enim non est loqui, sed facere; vel si quo modo loqui est, non est in Ecclesia, vel Ecclesiæ loqui, sed Deo. Qui enim sacrificiū Deo offert, cum Deo agit, non cum hominibus, licet non priuatim, sed publicè agat, quia non pro se tantùm, sed pro Ecclesia vniuersa agit.

QVARTA obiectio. In antiqua Ecclesia dimissis iis, qui non poterant interesse mysteriis, alta voce pronunciabantur preces, gratiarum actiones, & ipsa etiam verba consecrationis. Quod quidem de verbis consecrationis, tradit Bessarion Cardinalis in lib. de verbis Cœnæ, & idē patet ex ritu antiquo respondendi, *Amen*, ad verba consecrationis: cuius ritus meminerunt, Dionysius Alexādrinus apud Eusebium lib. 7. histor. c. 9. & Augustinus in libro ad Orosium q. 49. Idem patet ex Chrysostomo homilia decima octaua in posteriorem ad Corinthios, vbi legimus preces, & gratiarum actiones in celebratione Eucharistiæ populo cum sacerdote fuisse cōmunes. Denique idem colligitur ex Nouella constitutione 123. Iustiniani. vbi seuerè præcipitur sacerdotibus, vt quæ in oblationis celebratione recitanda sunt, alta voce pronuncient, vt populus exaudire possit.

RESPONDEO; Verba consecrationis in Ecclesia Orientali alta voce recitari consueuisse, non negamus, cùm id apertissimè constet ex Liturgia Chrysostomi. Neque nos reprehendimus: non enim contendimus necessariò ea verba submissa voce recitanda esse, sed liberum esse Ecclesiæ statuere de eo ritu, & proinde neque Græcorū, neque Latinorum ritum reprehēdi posse, aut debere. Sed quanquam verba consecrationis apud Græcos alta voce offerrentur, tamen alia quædam submissa voce, ac planè secretò pronunciata apud eos fuisse, ex eadem Chrysostomi Liturgia euidenter ostendimus. Ad testimonium Bessarionis, & Dionysij Alexandrini, nihil opus est respondere.

AD locum Augustini Respondeo; Nec librum illum esse Augustini, vt eruditi fatentur, nec ad rem facere: non enim loquitur ille auctor de consecratione, sed de dispēsatione Sacramenti; id enim solum dicit, eos, *Amen*, respondere solitos, qui accipiunt sanguinem Domini, dicente videlicet sacerdote: *Sanguis Domini nostri Iesu Christi.* Cuius ritus meminit etiam Ambrosius lib. quarto, de Sacramentis, cap. 5.

AD locum Chrysostomi respondeo, Chrysostomum id potissimùm velle, vt populus non ocietur in templo, sed orat pro iis rebus, pro quibus & sacerdos, orat: id quod potest fieri, etiamsi tum sacerdos, tum populus in silentio oret. Immò Cyprianus in tractatu de oratione Dominica, scribit tempore sacrificij imitandam esse Annam marrem Samuelis, quæ ita orabat, vt labia mouerentur, sed vox penitus non audiretur 1. Reg. 1. & eam typum Ecclesiæ gessisse dicit, dum in silentio orabat. In nostra quoque Liturgia tunc dicitur populo: *Orate fratres*, cùm secretò est orandum. Adde, quòd Chrysostomus nō dicit omnes preces esse communes populo cum sacerdote: quare etiamsi loqueretur de communione earūdem omnino precum, nihil aduersarij obtinerent. Nam in Liturgia Chrysostomi apertè distinguuntur, quæ ab omnibus, & quæ à solo sacerdote, & quidem secretò dicenda sunt.

AD Nouellam Iustiniani responderi posset in primis, non ad Imperatorem pertinere de ritu sacrificandi leges ferre: proinde non multùm referre quid ille sanxerit. Sed illud etiam respondemus, non esse legem illam sententiæ nostræ contrariam: solùm enim ille iubet, vt quæ in Ecclesiis Orientalibus alta voce dici solebant, ab omnibus alta voce dicerentur. Erant enim quidam, vt ex illa ipsa Nouella colligitur, qui submissa voce pronunciabāt ea quæ ex recepta consuetudine alta voce pronunciāda erant, vt eo modo ignorantiam suam tegerent: qui quidem iure reprehenduntur, tum quòd contra morem Ecclesiæ facerent, tum quòd ex imperitia legendi id facerent.

VLTIMA obiectio. Fatentur Pontificij, vsum istum nō esse antiquum. Scribunt enim Honorius, & Belet, olim alta voce verba consecrationis pronunciari consueuisse: sed postea imperatum fuisse, vt sub silentio dicerentur, hac de causa. Cùm verba illa ab omnibus audirentur, à multis etiam laicis memoria tenebantur: inde factum est, vt quidem pastores in agro super panem, & vinum ea verba pronunciauerint. Continuò autem panis in corpus & vinum in sanguinem conuersa sunt; & pastores illi diuinitus percussi interierunt. Ex qua historia colligitur, vsum recitandi verba consecrationis sub silentio, non esse antiquum, & ex opinione superstitiosa natum, quasi verba illa magica essent.

RESPONDEO; Miraculum, cuius in hoc argumento mentio fit, verè accidit, sed aliter, & antiquiore tempore, quàm a Kemnitio narretur. Scribit enim Sophronius in Prato spirituali, ca. 196. suo tempore hoc miraculum accidisse: Floruit autem Sophronius ante tempora VII. Synodi, & Ioannis Damasceni; nam citatur eius liber, id est, Pratum spirituale à VII. Synodo, actione 4. & 1. Damasceno in 3. oratione de cultu imaginum. Proinde contigit hoc miraculum ante annos plus minus CM. quod etiam breuiter commemoratur ab Alcuino in lib. de diuinis officiis, cap. de celebratione Missæ: Floruit autem Alcuinus ante annos DCCC. Porrò miraculum illud non conuertit panem in carnem, nec pastores illos interfecit, vt Kemnitius ex obscuris, ac recentioribus auctoribus colligit; sed igne de cœlo demisso, panem, & vinum, & lapidem, super quem illa sita erant, absumpsit, & pastores illos obstupefecit, vt ad lōgum tempus vix loqui possent. Neque scribit Sophronius istā esse caussam, cur verba illa secretò nunc dicantur: quanquam si ista esset caussa, non video quid contrà obiici posset. Certè vsus iste antiquissimus esset, etiamsi non antè cœpisset, quàm post miraculum illud diuinitus mundo ostensum.

CAPVT XIII.

De cæremoniis Missæ quid hæretici sentiant.

DE cæremoniis in genere disputatum est in 2. lib. extremo de Sacramentis: nunc ea solùm tractāda sunt, quæ propriè ad Missæ cæremonias pertinent. Duo potissimùm hoc loco explicanda sunt. Primò aperiendum erit, quid aduersarij sentiant de cæremoniis Missæ, & quid in controuersia sit. Secundò probanda erit veritas, & simul refellendæ obiectiones.

SCRIBVNT autem de cæremoniis, & patribus Missæ multi auctores. Primus videtur fuisse Gelasius, cuius librum de Missarum solennibus coarctauit Gregorius I. vt scribit Ioannes Diaconus lib. 2. vitæ Gregorij, c. 17. & ipse eiusdem libri meminit lib. 7. epist. 63. Secundus fuit Isidorus post annum Domini DC. cuius libri duo exstāt de diuinis officiis. Tertius fuit auctor Ordinis Romani, qui floruisse videtur post annum Domini DCC. Quartus fuit Alcuinus eodem sæculo, cuius exstat liber de officiis Ecclesiasticis. Quintus Amalarius eodem sæculo, cuius etiam libri exstant eiusdem tituli. Sextus fuit Rabanus Maurus post annum Domini DCCC. Septimus eodem sæculo Vvalfridus Strabo. Octauus post annum fortasse CM. Solitarius in lib. de gemma animæ. Nonus Micrologus post annum M. Decimus Rupertus Tuitiēsis post annum MC. Vndecimus Hugo de S. Victore eodem sæculo. Duodecimus Innocentius III. post annum MCC. Decimus tertius Bonauentura, eodem sæculo. Decimus quartus Gulielmus Durandus post annū MCCD. Decimus quintus Thomas Vvaldēsis post annum MCD. Decimus sextus Conradus Brunus post annum MD. quo sæculo scripsit etiam Rapsodiam Georgius Cassander, & nonnulla beatus Rhenanus in annotationibus ad librum Tertulliani de corona militis: qui tamen auctor cautè legendus est; superior autem, etiamsi hæreticus fuerit, nihil tamen de suo addidisse videtur. Feruntur etiam multa collegisse de Liturgia Ioan. Garetius, & Iacobus Pamelius: sed eorum libros nondum videre potui.

HIS præmissis, ad illa, quæ proposuimus, accedamus. Quod ad primum attinet, Caluinistæ omnes ferè cæremonias Missæ execrantur, & abrogandas censent. Nam nec illis vtuntur in sua Cœnæ Domini administratione: & Caluinus generatim eas reprehendit in lib. 4. Institut. ca. 17. §. 43. vbi admittit antiquissimas esse, immò scribit non longè ab ætate Apostolorum cœpisse: sed eas rubiginem Cœnæ Domini appellat, & ait natas esse ex procacitate humanæ confidentiæ, quæ se continere non potest, quin in Dei mysteriis ludat, & lasciuiat.

AT Lutherus, & Lutherani non omnino cæremonias reiiciunt. Nam, & in suis Ecclesiis aliquas seruant, & Philippus in Apologia Confess. art. de Missa, in principio, dicit apud suos seruari in Missa cæremonias cōsuetas: quod est verum de quibusdam, non de omnibus.

PORRÒ Lutherus in lib. de captiuit. Babyl. c. de Eucharistia, tria de cæremoniis scribit. Primò, Missam eò esse magis Christianam, quò est simplicior, & similior Missæ Christi, in qua nulla fuit vestium, gestuum, cantuum, aliarúmque cæremoniarum pompa: quibus verbis obliquè cæremonias reprehendit.

SECVNDÒ addit, non esse propterea calumniandā vniuersam Ecclesiam, quæ multis aliis ritibus, & cæremoniis Missam ornauit, & ampliauit: & in lib. de formula Missæ, præmittit lumina, & incensum, & aliqua alia eiusmodi. Sed hoc dictum secundum non valde cohæret cum primo. Nam si pompa cæremoniarum faceret Missam minùs Christianam, vt habet primum dictum, meritò Ecclesia, quæ pompam illam inuexit, reprehendi posset, ac deberet, cuius contrarium asserit hoc secundum dictum.

TERTIÒ dicit, cæremonias sine fide, esse irritabula impietatis potiùs, quàm officia pietatis. Quòd si Lutherus de fide Catholica loqueretur, qua credimus in Eucharistia verè esse præsens corpus Domini, & verè in sacrificium Deo offerri pro peccatis viuorum, & mortuorum, non malè dixisset, cæremonias sine fide esse irritabula impietatis: sed quia loquitur de fide quadam speciali, qua vult nos certò credere remissa esse peccata, ideò dictum illud eius iure damnatur in Concilio Tridentino, sess. 22. can. vlt. Cæremoniæ enim deuotioni, & reuerentiæ excitandæ seruiunt, etiam in iis, qui non certò credunt sibi remissa esse peccata, sed de hac fide alibi disserendum est.

IAM verò Kemnitius in 2. parte Exam. pagina 832. ponit quadrimembrem partitionem cæremoniarum Missę. Quasdam enim esse dicit, quæ habeant mandatum diuinum, & exempla Scripturæ, & quæ substantiales sint, vt accipere panem, benedicere, māducare, mortem Domini nunciare. Quasdam, quæ licet non habeant expressum mandatum, neque omnino necessariæ sint, tamen pias, & bonas esse, si ad ædificationem vsurpentur, vt psalmos, lectiones, preces, confessionem fidei per symboli recitationem. Quasdam per se superstitiosas, & impias, vt oblationem pro viuis, & mortuis, inuocationem Sanctorum, & satisfactionem pro animabus Purgatorij, Missam priuatam, consecrationem salis, benedictionem aquæ. Alias denique adiaphoras, vt vestes, vasa, ornamenta cætera, quæ verbo Dei non repugnant. Ex his docet eas, quæ sunt primi generis, omnino seruandas; quæ sunt tertij, omnino abrogandas; quæ sunt secundi, & quarti, retinendas esse, sed cum libertate, ac vt minimè necessarias.

NOSCUM Kemnitio in primo genere conuenimus, in tertio ab illo dissentimus; in secundo & quarto partim conuenimus, partim dissentimus. Sed non sunt ista omnia huius loci: nam non disputamus hoc loco de quibusuis cæremoniis, sed solùm de illis, quæ sunt extra essentiam sacrificij, de quibus Concilium Tridentinum loquitur, quare non disputamus de primo genere. Deinde disputamus de cæremoniis propriè dictis, non de

omnibus partibus, vel caussis, vel effectis Missæ; porrò psalmi, lectiones, preces, non sunt propriè cæremoniæ, & per hoc non agimus de secundo genere. Pari ratione oblatio pro viuis, & mortuis, inuocatio Sanctorum, satisfactio, Missa priuata, & similia, non sunt cæremoniæ, neque de illis nunc disputamus. Solùm ergo de quarto genere nunc quæstio est, adiuncta aqua benedicta, quam in tertio genere Kemnitius posuerat.

PORRÒ de isto quarto genere, in tribus dissidemus à Kemnitio, & cæteris Lutheranis. Primò, quòd illi paucissimas; nos plures cæremonias in Missa adhibemus. Secundò, quòd illi nullo modo admittunt cæremonias esse necessarias, vel posse imperari ab Ecclesia: nos etsi fateamur non esse ex se necessarias, tamen iudicamus imperari posse, & hoc præcepto posito, non posse sine peccato omitti. Tertiò, quòd illi nullam vim tribuunt vlli cæremoniæ, & irrident consecrationes aquæ, salis, thuris, cereorum, &c. nos quibusdam cæremoniis vim quandam tribuimus ex consecratione, & precibus Ecclesiæ. Sed de his duabus postremis quæstionibus satis multa diximus in 2. lib. de Sacramentis in genere, & in aliis locis: idcirco solùm hoc loco ostendendum erit, non solùm paucas illas cæremonias, quas Lutherani admittunt, sed omnes alias, quibus Ecclesia Catholica in Missa vtitur, esse antiquas & pias.

SED antequam ad cæremonias nostras veniamus, refellenda sunt mẽdacia, quibus planè scatet Kemnitij disputatio. Primò, pag. 853 dicit, Concilium Tridentinum, sess. 22. c. 5. sine distinctione omnes cæremonias approbare, siue piæ, siue superstitiosæ sint. At Cõcilium nõ loquitur nisi de his cæremoniis, quas Ecclesia instituit, vt ex ipso textu Concilij patet, & quæ ad quartum genus à Kẽnitio positum, pertinent: quas idem Kemnitius fatetur non esse superstitiosas.

SECVNDÒ ibidem dicit, à Concilio definiri, omnes cæremonias quæ in Missa adhibeantur, esse ex traditione Apostolica: & probat ipse hoc esse falsum, quia Dominus in vltima cœna, eas non adhibuit, neque earum meminit Paulus, cùm describit Synaxim Apostolicam 1. Corin. 11. At Concilium non dicit omnes, sed multas esse ex Apostolica traditione: & probatio Kemnitij ineptissima est. Nam traditio Apostolica cœpit post ascensionem Domini, & ideò non mirum si vltima cœna Domini eæ cæremoniæ non fuerint adhibitæ: quia videlicet nondum eas Apostoli instituerant. Porrò Paulus 1. Cor. 11. non refert totam Synaxim Apostolicam, sed solùm narrat quid à Domino acceperit.

TERTIÒ dicit, Pontificios veterum cæremonias cumulasse multis admistis occisis, & superstitiosis ritibus. At hoc falsissimum esse, patet ex Liturgia Græcorum, & ex Ambrosiana, quas non instituerunt Pontificij, & tamẽ plures cæremonias habent, quàm nostra Romana, quam Kemnitius Pontificiam vocat.

QVARTÒ dicit, apud Catholicos ita necessariam existimari cæremoniarum obseruantiã, vt pronuncient mortaliter peccare, qui aliquid in illis neglexerint. At hoc etiam mendaciam est: non enim apud nos quælibet negligentia peccatum est mortale, sed contemptus, aut notabilis negligentia in rebus grauibus.

QVINTÒ dicit, Pontificios vix credere rectè celebrari Cœnam Domini, si non adhibeatur totus ille cæremoniarum apparatus. At si per illud, *rectè*, intelligat rectitudinem essentialem, vt videtur intelligere, mẽdacium est apertissimum: constanter enim Catholici docent, totam essentiam huius sacrificij à Christo institutam, & proinde sine his cæremoniis, quas postea Ecclesia addidit, nemo dubitat sacrificium celebratum esse verum, & ratum. Si autem Kemnitius per illud, *rectè*, intelligat rectitudinem accidentariam, nihil dicit: nam quis dubitet non rectè fieri id, in quo faciendo aliqua omittuntur, quæ omitti enda non erant?

SEXTÒ dicit, cæremoniis illis, & ritibus per se absolutis, tribui à Catholicis peculiaria merita. At hoc impudentissimum est mendacium: Catholici enim sine fide, & charitate nulla merita agnoscunt, neque vllus nisi planè insipiens diceret, attollere manus, vel curuare genua, & alia id genus, esse per se & absolutè meritoria.

CAPVT XIV.

Cæremonias, quæ Missam præcedunt, esse antiquas, & pias.

NVNC vt faciliùs Missæ cæremonias defendamus ad quædam capita omnes reuocabimus. Quædã enim sumuntur à persona, quædam à loco, aliæ à tempore, & hæ in rebus consistunt, & prærequiruntur ad sacrificium. Aliæ consistunt in actione, & adhibentur inter sacrificandum, partim erga Deum, partim erga populum, partim erga ipsum sacrificium. Ex parte personæ requiruntur vestes sacræ, ex parte loci requiruntur templa, altaria, vasa sacra, vt calix, discus, corporalia, item lumina. Ex parte temporis requiritur, vt fiat præcipuè Dominicis diebus, vt ante meridiem, vt ante omnem cibum. De his igitur singulis breuissimè dicamus.

De vestibus sacris.

AC primùm de vestibus sacris, habemus exemplum Testamenti veteris, in quo sacerdos sacrificium oblaturus, certis vestibus à Deo præscriptis induebatur: fuisse autem eas vestes, typos, ac figuras vestium sacrarum, quibus nunc induuntur sacerdotes Christiani, ostendunt auctores quos iam citabo, qui sigillatim demonstrant, quæ ex nostris vestibus cui ex Iudaicis respondeant.

HABEMVS deinde vsum Ecclesiæ antiquissimum: nam omnia indumenta, quibus nũc vtimur in Missa, enumerant, & significationes eorum explicant, multi antiqui scriptores, vt Innocẽtius III. lib. 1. de mysteriis Missæ. Rupertus lib. 1. de diuinis officiis. Bonauentura in lib. de explicatione Missæ. Vvalfridus Strabo in lib. de rebus Ecclesiasticis, c. 24. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 4. Amalarius lib. 2. de officiis Ecclesiasticis. Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum, & Alcuinus in lib. de officiis Ecclesiasticis, cap. de vestibus sacris. Floruerunt autem hi auctores, alij ante annos CCC. vt Innocentius, & Bonauentura: alij ante annos CD. vt Rupertus, & Hugo: alij ante annos DCC. vt Vvalfridus, & Rabanus, denique Amalarius, & Alcuinus ante annos DCCC.

PRAETER hos auctores, qui omnia indumenta ordine enumerant, nec dicunt suo tẽpore incœpisse sed quod à maioribus acceperant, tradunt: nõ desunt alij antiquiores, qui breuiter aliquid attingant de eiusmodi vestibus. Nam Iulianus Pomerius, qui ante annos C M. floruit, in vita S. Hildefonsi, quæ extat apud Surium tomo primo, scribit ab ipsa sanctissima Virgine de cœlo allatam vestẽ sacerdotalem, ac sancto Hildefonso donatam, qua vteretur in Missa.

GREGORIVS Papa ante annos circiter M. misit in Britanniam ad nouam illam Ecclesiam præter sacra vasa, & reliquias Sanctorum, ac altarium ornamenta, etiam vestimenta sacerdotalia, & clericalia, vt scribit Ioannes Diaconus lib. 2. vitæ B. Gregorij, capit. 37. & Beda lib. 1. hist. cap. 29.

HIERONYMVS lib. 1. contra Pelagianos, vltra medium, scribit; Episcopos & Presbyteros, & omnẽ clerum in sacrificij administratione candidis vestibus vti. Quod idem habet Chrysostomus hom. 83. in Mat. qui etiam initio Liturgiæ describit orationes, quę dicuntur, dum sacerdos induit sacras vestes. Idem etiam Hieronymus in epi. ad Heliodorum de obitu Nepotiani, scribit sibi à Nepotiano Presbytero moriente, relictam fuisse tunicam, qua vtebatur in ministerio Christi: floruit autem vterque ante annos M.C.

CONCILIVM Carthaginense IV. tempore Augustini celebratum, prohibet can. 41. ne Diaconi viantur Alba, nisi in sacro ministerio.

AVCTOR quæstionum veteris, ac noui Testamenti, quæ habentur tomo 4. operum Augustini q. 46. scribit Diaconos vti solere Dalmaticis: vixit autem hic auctor ante Augustinum, vt patet ex quæst. 44.

SYLVESTER ante annos M.CC. vt in eius vita refert Damasus, constituit vt Diaconi in Ecclesia Dalmaticis vterentur, & palla linostina læuam cooperirent.

DENIQVE huc referri potest, quod scribit Polycrates ante annos M.CD. apud Eusebium lib. 5. histor. c. 24. ipsum etiam S. Ioannem sacerdotale petalon gestasse.

ACCEDIT etiam manifesta ratio. Nam vt Reges, ac Magistratus in publicis actionibus non vulgari vtuntur vestitu, sed alio augustiore, & certis insignibus, quo & reuerentia ipsis concilietur, & simul imperium ipsorum, & potestas repræsentetur: sic etiam omnino cõueniebat, vt in hac publica totius Ecclesiæ actione, sacerdos sacro, ac peculiari habitu vteretur, tum ad reuerentiam mysterij, tum ad ipsam Christi passionem repræsentandam idoneo.

De templis & aris.

IAM verò de templis & aris, multa disputauimus in lib. 3. de Ecclesia triumphante, c. 1. & sequentibus: & plena sunt scripta veterum, tum Patrum, tum Conciliorum, vbi fit mentio templi, & altaris; & nos lib. superiore c. 14. non pauca testimonia adduximus. Et quia aduersarij non tam reiiciunt templa, & altaria, quàm mysticas consecrationes cùm templi, tum altaris, vide antiquissima testimonia eiusmodi consecrationis in Concilio V. Carthaginensi, can. 6. & Agathensi, can. 14. & in scriptis Patrum, Eusebij lib. 4. de vita Constantini: Athanasij in Apologia ad Constantinum: Basilij in Psal. 114. Gregorij Nysseni in lib. de Baptismo: Ambrosij lib. 1. epist. 5. ad Felicem: Gaudentij in tract. de dedicatione: Augustini serm. 251. & sequentibus de tempore: Gelasij I. in epist. 1. & Felicis IV. in epist. decretali de Ecclesiarum, & altarium consecratione, qui Pontifex atauus. S. Gregorij fuit, & non modò Ecclesias, & altaria consecrari debere confirmat, sed etiam, quod est huius loci proprium, testatur antiquis Canonibus prohibitum, ne sacra Missarum solennia alibi quàm in locis Deo sacratis, magna necessitate excepta, vllus celebrare præsumat.

De vasis sacris.

DE sacris autem vasis multa extant antiquissima testimonia. Damasus in vita S. Vrbani Papæ & Martyris, meminit argenteorum vasorum, quæ iam tum erant in Ecclesia ad vsum Sacramentorum. Sedit autem Vrbanus circa annum Domini CC. XXX. Prudentius in hymno de S. Laurentio, meminit aureorum vasorum, quæ erant tempore S. Laurẽtij, id est, circa annum Domini CC. LX. *Libent vt auro Antistites.* Tempore autem Syluestri circa annum Domini CCC. plurimos fuisse aureos, & argenteos calices, patinas, candelabra, thuribula, testis est idem Damasus. Athanasius in 2. Apologia contra Arianos, multa scribit de mystico poculo, quod ab eo confractum calumniabantur Ariani: ex quo loco constat calices Eucharistiæ sacros fuisse, & non nisi ab initiatis tangi, nec sine sacrilegio pollui potuisse. Gregorius Nazianzenus in oratione de seipso contra Arianos, scribit ab Arianis direpta sacra vasa, laicis ad tangendum prohibita: & ideò comparat eos Nabuzardano, & Balthasari, quorum alter sacra vasa templi Hierosolymitani abstulit, aliter profanauit. Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum, queritur de Donatistis, quòd sacra, & preciosa vasa Ecclesiæ, in quibus Christi sanguis continetur, diripuerint, conflauerint, & vendiderint: similiter pallas, & velamina. Ambrosius lib. 2. de officiis, cap. 28. multa scribit de sacris Ecclesiæ vasis, atque ea aurea, & consecrata fuisse demõstrat. Augustinus in Psal. 113. *Et nos*, inquit, *pleraque instrumenta, & vasa ex auro, & argento habemus in vsum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur.* Denique Chrysostomus hom. 4. in Matt. & fusius in lib. de S. Babyla contra Gentiles, scribit Iulianum Iuliani Imperatoris auunculum, & alium quendam, qui Quæstoris officio fungebatur, sacra Ecclesiæ vasa diripuisse, ac profanasse, sed continuò vltricem manum Domini sensisse, ita vt Iulianus vermibus corrosus interierit: Quæstor autem subitò medius crepuerit. Similia exempla refert Gregorius Turonensis de gloria Martyrum c. 85. quæ satis ostendunt, cæremoniam istam sacrorum vasorum antiquissimam, & Deo gratam esse.

SED Caluinus in præfatione Institutionis obiicit duo loca Patrum. Vnus est Ambrosij lib. 2. de officiis, c. 28. vbi sic legimus: *Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur.* Alter est Acacij, quem refert Socrates lib. 7. hist. cap. 21. sic aliquando loquutum, cùm accusaretur, quòd sacra vasa propter pauperes vendidisset: *Deus noster, neque discis, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit.*

RESPONDEO, Vterque locus nobis fauet, nam in vtroque loco legimus Ecclesiam abundasse vasis preciosis, & sacris: & ea debuisse diligenter conseruari, nisi vrgeret summa pauperum necessitas. In tali autem necessitate volunt sancti illi Patres licere sacra vasa conflare, & vendere, & rationem reddunt, quia vasa illa preciosa non sunt absolutè necessaria ad Sacramenta ministranda. Et hoc est, quod ait Ambrosius: *Aurum Sacramenta non quærunt*, id est, non necessariò exigunt; & quod subdidit: *Nec auro placent*, non significat, in auro displicent, vel, nullo modo placent magis in auro, quàm in vitro: sed, non ideò principaliter placent, quia ministrantur in auro. Nam si displicerent in auro, vel non magis placerent in auro, vel non magis placerent, quàm in alia materia, Ambrosius ea non seruasset vsque ad illam necessitatem, sed nunquam eis vsus fuisset.

VERBA Acacij eundem sensum habent: significant enim vasa aurea nullam Deo adferre vtiliratem, sed esse in Ecclesia ad honorem Dei, & vtilitatem nostrã, & ideò quando se offert occasio, quo possint nobis vtiliora esse si vendantur, vendi debent, quia id etiam Deo gratius erit, qui misericordiam potiùs vult, quàm sacrificium. Vide quæ diximus in 3. libro de Ecclesia triumphante, cap. 6.

De cereis.

DE cereis autem quibus in Missa vtimur, ac præsertim dum legimus Euangelium, non desunt antiqua testimonia. Athanasius in epistola ad omnes Orthodoxos non procul ab initio, scribit inter alia sacrilegia Aaronicũ vnum fuisse, quod cereos Ecclesiæ idolis adolerent. Hieronymus in lib. contra Vigilantium, scribit in Ecclesia Catholica sole rutilante accẽdi cereos, dum legitur Euangelium, ad signum lætitiæ demõstrandum. Chrysostomus in Liturgia scribit, sacerdotem procedente ad altare, ministro præcedente cum lumine. Ordo etiam Romanus meminit cereorum, quæ & ad Euangelium, & ad oblationem corporis Domini accenduntur. Concilium IV. Carthaginense, can. 6. docet, Acolurho in sua ordinatione tradi ab Achidiacono cereum, vt sciat ad suum ministerium pertinere lumina accẽdere in Ecclesia. Quo autem tempore lumina ab Acoluthis accendẽda essent, explicat Isidorus lib. 7. Etymolog. c. 12. vbi scribit, cùm Euangelium legitur, & cùm Christi corpus offertur, debere Acoluthos accendere cereum in Ecclesia. Denique Micrologus c. 11. asserit, Missam nunquam sine lumine celebrari, etiamsi in meridie celebretur.

De die celebrandi.

PORRÒ quod attinet ad tempus sacrificij celebrandi, Catholici sentiunt die Dominico præcipuè id faciẽdum;

neque hæretici repugnant. Habemus inprimis testimonium Scripturæ, Actor.20. *Vna Sabbathi cùm cœuenissemus ad frangendum panem.* Nam per vnam Sabbathi, dies Dominica intelligitur, vt Chrysostomus, & Beda exponunt: & perspicuũ est ex aliis similibus locis. Quod enim scribitur 1.Cor.16. *Per vnam Sabbathi vnusquisque apud se reponat, &c.* omnes interpretes Græci, & Latini exponunt de die Dominica, in qua Christiani conuenire solebant in Ecclesiam. Marci vlt. dicitur Christus vna Sabbathi resurrexisse: quo loco per vnam Sabbathi intelligi diem Dominicam, nemo vnquam negauit. Dicitur autem dies Dominica vna Sabbathi, quia est prima dies hebdomadę: phrasi enim Hebraica vnum accipitur pro primo, & Sabbathum pro hebdomada.

DEINDE Iustinus Martyr in 2. Apologia extrema, aperte scribit, die solis, id est, die Dominica Christianos solitos fuisse ad sacrificium Eucharistiæ conuenire. Augustinus in epi.118. scribit in quibusdam locis, sacrificium omni die offerri solere, alibi solùm die Dominica, & Sabbatho; alibi die solùm Dominico. Ex quo intelligimus nullos vnquam dubitasse, quin dies Dominica aptissima esset ad hoc sacrificium celebrandum.

De hora celebrandi, & de ieiunio necessario ad sacrificium celebrandum.

DE hora diei conuenit apud Catholicos, sacrificium celebrandum esse horis antemeridianis, & ante omnem cibum; & quidem veteres faciebant ab hora 3. vsque ad 9. quia eo tempore ad horam nonam protrahebatur ieiunium: aliquando etiam sub vesperam celebrabant, vt feria V. in Cœna Domini, & in Sabbatho sancto; aliquando media nocte, vt in Natali Domini. Vide Vvalfridũ, cap. 23. Nunc, excepta Missa, quæ adhuc media nocte canitur in Natali Domini, ordinariè ab hora prima siue ab aurora, vsque ad sextam, id est, ad meridiem sacra celebrantur, & ieiunia de more protrahuntur.

LVTHERANI, & Caluinistæ ista planè contemnunt: scribit enim Lutherus in libro contra Regem Angliæ, edito anno M.D.XXI. esse articulum Papæ, tantùm manè, & ante omnem cibum esse communicandum, & addit: *Nos autem istos merè fatuos, & stolidos appellamus, & communionem liberam habemus, siue per diem, siue per noctem, siue manè, siue vesperi. Apud nos non peccat, qui modestè ederit, & biberit ante Communionem.* Et in libro de formula Missæ, liberum permittit ieiunium ante Communionem, & solùm necessariò requirit, vt sobriè accedatur, id est, vt ipse exponit, ne quis crapula ructuet, aut distento ventre pigrescat. Similia habet in libro de abroganda Missa priuata: vbi tamen falsò Catholicis affingit, quòd doceant eum indignum esse Communione, qui guttulam vnam aquæ imprudens forbuerit. Neque enim tam rigidè Catholici ieiunium hoc exponunt: immò in casu necessitatis permittunt etiã post cibum Communionem sumere, vt quando ægrotus aliquis de vita periclitatur, & nondum viaticum accepit, & periculum est in mora, tunc etiam quacunque hora dari solet Communio. & extra hunc casum qui inter abluendum aliquas aquæ guttas traiecerit ad stomachum, non censetur soluisse ieiunium, nec prohibetur à sacro faciendo, vel Communione sumenda, de qua re vide S. Thomam 3.p.q.80.art.8.

QVOD autem nostra consuetudo sine dubio antiquissima, & Apostolica sit, & necessariò seruãda, excepto casu necessitatis: facilè demonstrari potest. Tertullianus in 2.lib.ad vxorem: *Non sciet*, inquit, *maritus quid ante omnem cibum sumas, &c.* & loquitur omnium consensu de Eucharistia. Cyprianus lib.2.epist.3. propè extrema, obiicit sibi argumentum, quod postea fecit Lutherus, nimirũ ab exemplo Christi, qui post cœnam sacrificium obtulit, & respondet, Christum certa de caussa obtulisse ad vesperam, & post cœnam, quia sic prædictum fuerat à Prophetis, nos tamen manè offerre debere, quia resurrectionem Domini celebramus: & ibidem tanquam rem valde absurdam inferi: *Nunquid ergo post cœnam Dominicam celebrare debemus?* Ioannes Chrysostomus hom.27. in priorem ad Corinthios non procul à fine: *Tu*, inquit, *prius quam accipias, ieiunas, vt aliquo modo dignus communicatione videaris.* Idem Chrysostomus in epist.3. ad Cyriacum Episcopum scribit, se accusatum, quòd non ieiunis Communionem præbuerit, ac iurat id se non fecisse: *Si id feci*, inquit, *abiiciat me Christus à regno suo.*

AVGVSTINVS in epist.118.cap.6. proponit idem argumentum, quod suprà à Cypriano solutum diximus: *Et liquidè*, inquit, *apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus, & sanguinem Christi, non eos accepisse ieiunos: nunquid tamen propterea calumniandum est vniuerse Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi: nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia Dominus post cibos dedit, propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Saluator quo vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat: & ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locũ.* Ex hoc testimonio habemus multa. Primò, Dominum nihil de hac præcepisse. Secundò, Apostolos Spiritu sancto inspiratos instituisse, vt à ieiunis Eucharistia sumeretur. Tertiò, id seruari in toto orbe terrarum ab omni Christi Ecclesia. Quartò, rationem huius rei fuisse ob honorem tanti Sacramenti: quam cãdem rationem attingunt etiam posteriores auctores, vt Isidorus lib.1.de officiis diuinis, cap.18. & Amalarius lib.3.de offic. Ecclesiast. ca.34. & Vvalfridus Strabo, lib.de rebus Ecclesiast. cap 19.

SED Lutherus, vt erat omnium hominum impudentissimus, tanti Doctoris testimonium irridet in libro de abroganda Missa, p.2. his verbis: *Indignum est, inquiunt, vt in os Christiani aliud intret, priusquam corpus Domini intrauerit. O, festiua ratio! fortè nec nebulam, nec aërem priùs intrare licet os Christiani, quàm corpus Domini intrauerit, vt sacerdotibus respiratione, & vita interdicatur, vsque post Missam, & Communionem.* Hæc ille.

HORRENDA sanè, & planè Diabolica audacia, toti Ecclesiæ insultare non solida aliqua ratione, sed deprauato loco Augustini. Non enim Augustinus ait, indignum esse, vt aliud priùs intret in os Christiani, quàm corpus Christi: sed vt alius cibus priùs intret, quàm sacratissimus cibus carnis Dominicæ. Non igitur prohibemur aërem inspirare, vt nugatur Lutherus, sed cibum aliquem sumere.

PRAETER hæc Patrum testimonia, habemus etiam decreta Conciliorum antiquorum in variis mundi partibus celebratorum. Concilium III. Carthaginense in Africa celebratum ante annos M.C. can.29. ita decreuit: *Vt Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur.* Idem repetitur can. 48. & rursus in Concilio Africano can. 8. Concilium Matisconense II. in Gallia celebratum ante annos M. canone 6. renouat canonem Concilij Carthaginensis, & addit pœnam depositionis à propria dignitate. Ibidem etiam statuit, vt reliquiæ corporis Domini dentur pueris manducandæ, indicto eis ieiunio: quem vsum fuisse olim in Græcia testatur Euagrius lib.4. historiæ, ca.35. Concilium Bracarense I. celebratum in Lusitania ante annos C M. can.16. statuit, vt etiam feria V. in cœna Domini, Missæ à ieiunis celebrentur. Concilium Toletanum VII. celebratum in Hispania ante annos item CM. can.2. pœnam excommunicationis statuit in eos, qui

post

post sumptum cibum quamlibet exiguum, Missam facere audeant. Concilium Constantiense in Germania celebratum annis centum ante Lutheri hæresim exortam sess.13. damnat errorem, siue abusum quorundã, qui Sacramentum altaris post cibum sumptum celebrare audebant.

HVC demùm accedat horribilis vindicta, quam Deus exercuit in presbyterum quendam, qui in die Natalis Domini Missas celebrare præsumpsit non ieiunus: de qua re vide Gregorium Turonicum, cap. 86. libri de gloria Martyrum.

SED argumenta Lutheri videamus. Primò obiicit exemplum Christi, qui post cœnam Sacramẽtum instituit, & ministrauit. Sed hoc est iam solutum à Cypriano, & Augustino, quibus addere possumus, Christum non post quamlibet cœnam, sed post cœnam agni Paschalis Eucharistiam instituisse, & ministrasse, vt indicaret vnam cœnam alterius vmbram, & figuram fuisse; nobis autem iam non licet cœnam illam Iudaicam præmittere, cùm sit abrogata, quemadmodum etiam Christus post circuncisionem acceptam suscepit Baptismum, nec tamen Christiani iam debent circuncisionem accipere antequam baptizentur.

SECVNDÒ obiicit testimonium Apostoli 1.Corin.11. *Si quis esurit, domi manducet.* vbi videtur Apostolus permittere, vt qui ieiunium ferre non valent, aut non volũt, post cibum domi sumptum ad Ecclesiam communicaturi accedant.

RESPONDEO, duobus modis hic locus exponi solet. Primò, vt sensus sit; Si quis non potest tamdiu ieiunus in Ecclesia permanere, priùs domi suæ cibum sumat, & sic ad Ecclesiam veniat: ita exponit Anselmus, qui tamen addit, eum qui cibo sumpto ad Ecclesiam venit, non debere Eucharistiam sumere. Secundò, vt sensus sit; Si quis in Ecclesia constitutus, famem tolerare non potest, egrediatur, & domum redeat, atque ibi manducet, non in Ecclesia. Quæ tamen non dicuntur ab Apostolo, vt ita fiat, sed vt confundantur eiusmodi homines, gulæ addicti, quam qui indigni sacra Communione, ab Ecclesia expellantur, & ad suas domos amandentur: ita exponunt Chrysostomus, & Theophylactus, & alij, quæ expositio videtur omnino verior, sed neutra pro Luthero facit.

TERTIÒ obiicit, moderato cibo sumpto, hominem esse aptiorem ad communionem, quàm ieiunum, quia post cibum sumptum caput solet esse purgatius, os mundius, halitus incorruptior, &c. Respondeo; Magis nos mouere debet Apostolica traditio, & totius Ecclesiæ cõsuetudo, quàm ista Lutheri Philosophia. Falsum præterea Lutherus assumit, nam etiamsi ad opera corporis cibus prosit, non tamen ad opera spiritus. Ac præcipuè ad orationem multùm conferre ieiunium, ex Scriptura diuina perspicuum est, quæ vbique ferè coniungit orationem cum ieiunio. Tobiæ 12. *Bona est oratio cum ieiunio.* Iudith 4. *In ieiuniis, & orationibus.* Lucæ 2. *Ieiuniis, & orationibus seruiens Deo.* Matth.17. *Hoc genus non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio.*

VLTIMÒ obiicit, Christum id liberum reliquisse, proinde liberum esse. Respondeo, Multa Christus per se non præcepit, quæ tamen libera esse noluit, siquidem ea per Apostolos, aut eorum successores præcepit, & de illis dixit Luc.10. *Qui vos audit, me audit.*

CAPVT XV.

De cæremoniis, quæ fiunt in Missa, & in actione consistunt.

NVNC de cæremoniis illis breuiter est dicendum, quæ in ipsa Missæ celebratione adhibentur, quæ ad quinque capita reuocari possunt. Aliæ enim ad Deum referuntur, vt eleuatio manuum, eleuatio oculorum, adoratio per inclinationem corporis totius, aut per genuum curuationem. Aliæ ad sacrificium, vt eleuatio, ostensio, fractio, commixtio. Aliæ ad sacerdotem celebrantem, vt tunsio pectoris, & lotio manuum. Aliæ ad populum, vt salutatio, & dimissio. Aliæ ad ea, quæ leguntur in Missa, vt cantus, & instrumenta Musica. Præter has quædam aliæ sunt communes multis rebus, vt signum crucis, aspersio aquæ, thurificatio, osculum.

PRIMA igitur cæremonia erga Deum, id est, eleuatio manuum, exemplum habet in diuinis literis. Nam Exod. 17. Moses eleuatis manibus orans impetrauit. Item 3.Reg. 8. Salomon oraturus expandit manus in cœlum. Dauid Psal.141. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Apostolus 1. Timot. 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus.* Denique naturalis hæc cæremonia esse videtur, cùm etiam apud Ethnicos passim legantur, qui orabant, ad cœlum manus extendisse.

SECVNDA, quæ est eleuatio oculorum, Christo familiaris fuit: nam in plurimis locis oculos ad cœlum leuasse dicitur, vt patet Mat.14. Marc.6. & 7. Lucæ 9. Ioan. 6.11. & 17. & quamuis in actione Cœnæ non legatur expresè in Euangelio, oculos ad cœlum sustulisse: id tamen constanter asserunt eum fecisse, S. Iacobus in sua Liturgia, & S. Ambrosius lib.4. de Sacramentis, c.5. Tertullianus in Apologetico, c.30. scribit Christianos cœlum intuentes, manibus extensis, nudo capite orare solitos.

TERTIA, quæ est inclinatio corporis, aut genuum incuruatio, index est humilitatis, & reuerentiæ, & passim à Sanctis vsurpata. 2. Paral. Salomon flexis genibus orat. Luc. 22. Dominus ipse positis genibus orabat. Actor.21. Paulus positis genibus orauit cum omnibus, qui secum erant. Neque possunt hæ cæremoniæ erga Deum, vllo modo reprehendi: nam vt S. Cyprianus docet in serm. de orat. Dominica, placendum est diuinis oculis etiam habitu corporis. Non solùm autem inter sacrificandum sacerdos inclinat caput Deo, sed etiam cruci, aut imagini crucifixi, & ipsi etiam altari, & id sæpius: quam cæremoniam antiquissimã esse intelligi potest ex Liturgia Chrysostomi, vbi habentur hæc verba: *Sacerdos egreditur ex parvo ostio, & conuersus ad Christi imaginem, inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem, &c.*

PRIMA cæremonia erga sacrificium, est eleuatio hostiæ consecrandæ coram Deo, quæ fit in Offertorio; quæ cæremonia non potest reprehendi, si concedatur oblatio, quam libro superiore defendimus. Nam si licet offerre Deo sacrificium visibile, cur non liceat idipsum eleuare in signum oblationis? Habemus etiam in Scriptura exemplum, siquidem Leuit. 8.9.10. & alibi, sacerdos eleuat coram Deo id quod offertur. Denique habetur in antiquis Liturgiis.

SECVNDA, quæ est ostensio Sacramenti ad populum, antiquissima est: habetur enim inprimis in Liturgiis Basilij, & Chrysostomi, & apud Dionysium c.3. Eccles. hier. Et præterea meminit eius, vt Apostolicæ traditionis, S. Basilius in lib.de Spiritu sancto, c.27. *Verba*, inquit, *inuocationis, cùm ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?* Chrysostomus crebram facit mentionem illius ritus, qui apud Græcos erat, vt Eucharistia consecraretur ad altare velis obducta, ac deinde reductis velis populo ostenderetur. Hom.61. ad populum Antioch. *Cùm vela*, inquit, *videris retrahi, tunc supernè cælum aperiri cogita, &c.* Idem habet hom.36. in 1.Cor. & hom.3. in epist. ad Ephes.

TERTIA, quæ est fractio & commixtio, habetur expresè in Liturgia Iacobi, & in Liturgia Chrysostomi: quare ipsa quoque antiquissima est. Vnde Chrysostomus hom.24. in priorem ad Corint. scribit, Christum in altari confractionem pati, quam in cruce pati noluit.

ALIA est cæremonia erga sacrificium, mixtio aquæ, & vini, de qua nihil hîc dicimus, quia in 4. lib. de Eucharistia copiosè de ea tractauimus.

PRIMA cæremonia,quam erga seipsum sacerdos adhibet,est tunsio pectoris: ea enim vtitur in confessione, quæ fit ad initium Missæ,& ad illam precem:*Agnus Dei qui tollit peccata mundi,&c.* Et ad illa verba: *Domine non sum dignus.* Hæc autem cæremonia pœnitentiam indicat, & naturalis est,atque in Euangelio exemplum habet.Nã Lucæ 18.Publicanus orans percutiebat pectus suum, dicens:*Deus propitius esto mihi peccatori.*Et Lucæ 23.*Renertebantur percutientes pectora sua.*

SECVNDA est lotio manuum, paulò antè consecrationem, quæ habetur etiam in Liturgiis Græcorum:eiusdem cæremoniæ meminit Dionysius ca.3.Eccles.hier.& Clemens lib.8.constit.c.5.& Cyrillus catechesi 5.mysta *Vidisti*, inquit, *Diaconum aquam lauandis manibus porrigentem sacerdoti?* Et ibidem reddit causſam huius cæremoniæ,ac dicit,non adhiberi eam lotionem ad sordes corporis abluendas,cùm nemo in Ecclesiam sordidis manibus accedere audeat: sed ob symbolum puritatis animi, qua pollere debent,qui tantùm peragunt sacrificium.

PRIMA cæremonia erga populum, est salutatio per, *Dominus vobiscum*:de qua in sequenti capite differemus.

SECVNDA cæremonia est dimissio populi per *Ite Missa est*, de qua etiam infrà dicemus:nam istæ cæremoniæ in verbis consistunt,non in actione tantùm.

PRIMA cæremonia erga ea, quæ leguntur in Missa, est cantus:de qua non est hoc tempore magna cõtrouersia,nam ipsi etiam hæretici passim canunt.Et præterea habemus ipsius Domini exemplum.Nam Matt.26.legimus Dominum in vltima cœna,in qua prima Missæ institutio, & celebratio consistebat, hymnum ceciniſſe: illa enim verba:*Et hymno dicto*, Græcè ὑμνήσαντες, propriè cantum significant.Nam vt Augustinus docet,in titulum Psal.72. vsque adeò de ratione hymni est cantus,vt nisi cantetur, hymnus dici non possit.Vnde etiam Conci. Toletanum IV.c.12.de hymnis canendis in sacro officio,dicit nos exemplum Domini habere:ex quo falsum esse colligimus, quod scribit Lutherus in lib.de captiuit.Babylo.c.1.Missam Domini sine cantu celebratam esse. In disputatione de horis Canonicis, tomo 3.de hac re copiosiùs disseremus.

SECVNDA cæremonia,sunt instrumenta Musica,quę in Ecclesia adhiberi cœpta sunt in sacro officio tempore Vitaliani Papæ,circa annum Domini DC.LX.vt ex Pontificali refert Platina,vel vt manult Aimoinus lib. 4. de gestis Francorum,cap.114. post annum Domini DCCC. XX.tempore Ludouici Pij. Licita autem esse,& vtilia eiusmodi instrumenta,si sobriè & grauiter eis vramur,negari certè non potest, cùm & habeamus exemplum Testamenti veteris & experiamur deuotionem per ea excitari,& tædium minui,quod ex longitudine, & grauitate officiorum alioqui oriretur.

NEQVE valet responsio Petri Martyris ad exemplũ Testamenti veteris. Scribit Petrus Martyr,in c.14.prioris ad Corint.instrumenta Musica pertinere ad Iudaicas cæremonias, neque nobis magis conuenire,quàm Circuncisionem,& neomenias.Sed fallitur apertissimè.Siquidẽ Iudaicæ cæremoniæ duplices erant. Quædam ipsorum propriæ,quæ videlicet ad aliquid futurum significandum erant institutæ,vt Circuncisio,& similes:& hæ nobis verè non conueniunt. Aliæ erant communes ipsis cum aliis Gentibus,eæ scilicet, quæ naturali ratione niruntur, non autem significatione rerum futurarum, vt genua flectere,pectus tundere,&c.Et hæ nobis etiam conueniunt,atque ad hoc genus pertinent Musica instrumenta,quippe quæ in Dei laudibus adhibentur,propter infirmos, quorum non pauci in Ecclesia numerantur: iuuant enim, vt dixi,tum ad excitandam pietatem, tum ad fastidium, ac tædium minuendum.

EX cæremoniis communibus.Prima est,asperſio aquæ benedictæ. Nam in Dominicis diebus ante initium solennis Missę,Sacerdos aquam benedicit,ac deinde aspergit se,& Ministros,& altare,& populum:quæ aspersio est quædam expiatio, & præparatio ad futurum sacrificium. De aqua benedicta fusè tractauimus in 3.lib.de Ecclesia triũphante,c.7.Hic solùm annotasse sufficiet aquæ benedictionem à S. Basilio inter Apostolicas traditiones numerari,lib.de Spiritu sancto,ca.27.& Dominicis diebus ad Missam adhiberi solitam aquæ aspersionem,colligi ex Micrologo in lib.de obseruationibus Ecclesiasticis,cap.46.

SECVNDA cæremonia communis, est thurificatio: nam thus adoletur in Missa,tum ad altare,tum ad Euangelium,tum ad Sacerdotem,tum etiam ad clerũ, & populum;& quidem hæc cæremonia antiquissima est.Nam can.4.Apostolorum dicitur thymiama,seu incensum offerendum ad altare,cùm sacra celebratur oblatio.Dionysius,c.3.Ecclesiasticæ hierarchiæ, describens ritum celebrandi sacrificij,meminit etiam thuris.In Liturgiis Iacobi,& Chrysostomi,mẽtio fit benedictionis thuris,& thurificationis ad altare.Præterea Damasus in Pontificali in vita Soteris & Syluestri Pontificum, inter alia sacra vasa Ecclesiæ numerat thuribula, seu thymiamateria: quare falsum est,quod Platina in vita Sixti I.& Polydorus Virgilius in lib. de inuentoribus rerum scribunt, Leonem III. qui sedit anno DCCC. fuisse primum, qui thus in Missa adhibuit.Quod autem Arnobius scribit,lib.7.contra Gentes,religionem thuris nouellam esse,intelligi debet de cõsuetudine Gentilium:nam apud populum Dei, antiquissima consuetudo est, thuris adhibendi in sacrificio diuino, vt patet ex lib. Exod. 25. 30. & sequentibus. Porrò Christiani thuris religionem non à Gentilibus,sed ab Hebræis acceperunt.

CAVSSA verò cur thuris odor, ac fumus in sacrificio adhibeatur, vt colligitur ex precibus Liturgiæ tum Græcæ,tum Latinæ, est, tum vt significetur bonus odor Euangelij,& eorum qui Euangelium prædicare debent, tum ob similitudinem, quam habet incensum cum oratione,vnde dicitur in Psal.141.*Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*Et Apocalyp.9. incensum Deo oblatum interpretatur Ioãnes esse orationes Sãctorum: tum etiam ad gloriam Dei repræsentandam, Deus enim in nebula se ostendere solebat in Testamento veteri:tum denique ad tetrum odorem, si quis ex multitudine hominum in Ecclesia existeret,abstergendum.

TERTIA cæremonia communis, est osculum:osculatur enim Sacerdos frequenter ipsum altare, deinde librum Euãgelij,tum Ministrum suum,& per eum in vniuersum clerum,& populum pacem diffundit.Quæ cæremonia habetur in Liturgiis omnibus, tum Græcis, tum Latinis;& eiusdem meminit Iustinus in fine 2.Apologiæ. Tertullianus lib.de oratione,cap.vltimo.Cyrillus Catechesi 5.mystagogica,& Chrysostomus hom.77. in Ioannem.Duplex autem ratio est huius osculi:nam altare, & librum in signum reuerentiæ osculamur, fratres autem in signum charitatis,& pacis.

QVARTA cæremonia est,signum crucis:quæ omniũ communissima & antiquissima est.Nam signo crucis seipsum Sacerdos consignat,item librum,altare,res offerẽdas,& oblatas,ac denique populum,dum ei benedicit.

NOTAT autem Micrologus,lib.de obseruationibus Ecclesiasticis,c.14.signum crucis aut semel, aut ter, aut quinquies exprimi solere super oblationem, non bis aut quater:quia semel exprimitur ad essentiæ diuinæ vnitatem,ter ad personarum Trinitatem, quinquies ad quinque plagas Domini repræsentandas.

ESSE autem antiquissimam cæremoniam,perspicuum est. Primò, ex Liturgiis sancti Iacobi, & aliorum, quæ plenæ sunt eiusmodi consignationibus. Secundò, ex Chrysostomo, homil. 55. in Matthæum, & Augustino tract.118. in Ioannem, qui dicunt omnia Sacramenta, &

ipsum diuinum sacrificium signo crucis perfici. Tertiò, ex Tertulliano in lib.de Corona militis. Cyrillo Catechesi 4.& 13.& Hieron.in epist.ad Eustochium de custodia Virginitatis,qui docẽt, in omni negotio signum crucis adhibendum. Quod si in omni negotio, cur non in actione tremendi sacrificij?

CAPVT XVI.

De iis,quæ recitantur in Missa Catechumenorum.

RESTAT postrema controuersia de veritate Canonis,& aliorum,quæ in Missa recitantur.Vbi illud est obseruandum, Missam in quatuor partes diuidi solere. Prima est,ab initio vsque ad Offertorium, quæ dici solet Missa Catechumenorum.Secunda,ab Offertorio vsque ad Consecrationem,quæ dicitur à Græcis ἀναφορὰ, à Latinis nonnullis Canon minor. Tertia,à consecratione vsque ad communionem, quæ dicitur canon maior,Quarta,à communione vsque ad finem.

De Psalmo:Iudica,& Confessione.

PRIMVM igitur ante Missæ initium pronunciatur Psalmus 42.*iudica me Deus*,& fit generalis confessio. Et quidem Psalmum reprehendere nemo potest,neque etiam confessionem,quatenus fit Deo,& proximis astantibus:sed quatenus fit Sanctis,aduersarij eam non probãt, quòd existiment Sanctos eam audire non posse,cùm tam procul absint.Sed Ecclesia Catholica nihil dubitat, Sanctos cognoscere,vt orationes,ita etiam confessiones nostras, tum ex ritu inuocationis Sanctorum, qui semper fuit in vsu apud veros Christianos, vt fusè docuimus in 1.lib.de Ecclesia triumphante:tum ex miraculis, quæ omnibus sæculis facta sunt ad Sanctorum inuocationem, quorum multa refert Augustinus,lib.22.ciuitat.c.8. Nos igitur confitemur Deo,Sanctis,& Ecclesiæ præsenti,quia omnes offendimus,cùm peccamus, vt ille etiam dicebat, Lucæ decimo quinto.*Peccaui in cœlum & coram te.*

VSVM autem confessionis antiquum esse ante Introitum Missæ,patet tum ex Micrologo,c.1.vbi apertè dicit, præmitti solere confessionem, tum etiam ex Liturgia S. Iacobi,quæ à confessione incipit.

De Introitu.

SEQVITVR Introitus,qui constat ex Antiphona,& Psalmo,cum *Gloria Patri*.Dicitur Introitus, quia canitur à Choro in Introitu Sacerdotis ad altare,vt vult Micrologus,c.1.vel vt Conradus Brunus,lib.2.c.1.& alij volũt, quia est Introitus, id est,initium Missæ. Conuenit ferè inter auctores,vsum Introitus introductum esse à Cælestino I.Pontifice:sic enim scribit Vvalfridus,capite vigesimo secundo.Micrologus,c.1.& alij passim.Sed non est hoc ita simpliciter accipiendum.Nam inprimis non instituit ipse vsum canendi vnum versiculum, vt nunc facimus, sed vt Psalmi Dauidis 150. antiphonatim canerentur per ordinem ante sacrificium: vt in eius vita scribit Anastasius Bibliothecarius. Sed postea vitandæ prolixitatis causſa,selecti sunt versiculi aliqui,qui ad excitãdam deuotionem viderentur aptiores:& Psalmi integri relicti sunt horis canonicis. Deinde,Cælestinus non fuit absolutè primus, qui Psalmos ad sacrificium adhibuit, sed fortè primus fuit,qui Romæ id obseruari voluit.Nam alioqui Dionysius Areopagita,c.3.Ecclesiasticę hierarchię, meminit Psalmorum,qui ad initium Missæ canebantur: & sanctus Basilius in sua Liturgia circa initiũ iubet tres, aut quatuor versiculos Psalmi decantari. Sed etiamsi à Cælestino hæc institutio ortum habuisset,reprehendi nõ posset, cùm Introitus ferè semper ex diuina Scriptura sumatur, & ab vniuersa Ecclesia iste vsus ab annis ampliùs mille retentus sit.

De Gloria Patri,&c.

VERSICVLVS,*Gloria Patri,& Filio,& Spiritui sancto*, &c.qui additur ad Introitum,putatur à nõnullis à S. Hieronymo compositus,rogatu Damasi Papæ;in qua opinione est Alcuinus,in lib.de officiis diuinis: sed verius est,quod scribit Vvalfridus in lib.de obseruationibus Ecclesiasticis, cap.25.compositum eum versiculum fuisse à Nicæno Cõcilio. Nam ante Hieronymi,& Damasi rempus fuisse vsum in Ecclesia, canendi eum versiculum ad finem Psalmorum, patet ex Theodoreto, lib.2. hist.c.24. & Sozomeno,lib.3.c.19.qui scribunt Antiochiæ temporibus Constantij Imperatoris Catholicos, & Arianos in Psalmorum fine discerni solitos,quòd illi canerent:*Gloria Patri,& Filio,& Spiritui sancto*:isti autem *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* Basilius etiam de hoc versiculo *Gloria Patri,&c.* disputat lib.de Spiritu sancto,c. 28.Testatur quoque Concilium Vasense, quod ante annos M.C.celebratum est, can.5. non solùm Romæ, sed etiam in toto Oriente,& per Africam,post *Gloria Patri, & Filio,& Spiritui sancto*, subiungi solitum:*Sicut erat in principio,&c.* Porrò epistolæ duæ, quæ circumferuntur de hac re, Damasi ad Hieronymum, & Hieronymi ad Damasum,suppositicię,& ineptissimę sunt,&ideò ad tomum 4.meritò relegatæ.

De Kyrie eleeson.

SEQVITVR inuocatio, Kyrie eleeson,quam Græci Liturgiam vocant,à verbo Greco λειτουργέω,quod est,supplicare. Esse autem antiquissimam hanc Missæ partem, patet ex Liturgiis,Iacobi,Basilij,& Chrysostomi. Disserit etiam de hac supplicatione Basilius in epist. 63. quam scribit ad Neocæsarienses.Apud Latinos etiam antiquissima consuetudo est, eandem Litaniam Græcis vocibus canendi.Nam sanctus Gregorius,lib.7.epist.63. cùm accusaretur,quod Kyrie eleeson, & alia nonnulla ex Græcorum cæremoniis in Latinam Ecclesiam inuexisset:respondit se cæremonias antiquas Ecclesiæ Romanæ conseruare, vel renouare, non autem à Græcis accipere; id quod etiam ex eo probat, quòd apud Græcos dicatur Kyrie eleeson à populo, apud Latinos à Sacerdote; & quòd Græci non interponant Christe eleeson, vt Latini faciunt,sed simpliciter dicant;Kyrie eleeson.Esse autem verissimum, quod sanctus Gregorius dicit, non à se introductam in Latinam Ecclesiam,hanc supplicandi formam, intelligi potest ex Concilio Vasensi, quod annis centum, & quinquaginta ante Gregorij ætatem celebratum est.Nam in eo Concilio,can.3.iubentur Sacerdotes in Galliis ad Missam dicere Kyrie eleeson,& ratio redditur, quòd in sede Apostolica, & per omnem Italiam supplicatio illa ad Missas diceretur. Sanctus etiam Augustinus in altercatione cum Pascentio,quæ habetur inter epistolas numero 178. dicit ab omnibus Christianis Græcis, Latinis, Barbaris, supplicari Deo vt misereatur, lingua Græca.

De Gloria in excelsis.

DE *Gloria in excelsis Deo*,qui Angelicus hymnus nominatur, tradunt ferè omnes, institutionem esse sancti Telesphori Papæ, vt is hymnus ad Missas dicatur. Ita Vvalfridus,c.22.de obseruationibus Ecclesiasticis, & omnes alij. Et quidem quod attinet ad prima verba,ea in Euangelio habentur, Lucæ 2. & recitantur etiam in antiquissima sancti Iacobi Liturgia: sed quis adiecerit cætera,non est vsque adeò certum.Innocentius III. lib. 2. de mysteriis Missæ, c.20. scribit eam additionem à nonnullis tribui Telesphoro,sed à pluribus tamen tribui Hilario Pictauiensi:sed quicunque tandem auctor fuerit,nihil omninò offensionis habet, vnde etiam Luthero placuit,vt patet ex eius lib.de formula Missæ.

De Dominus vobiscum.

SEQVITVR salutatio:*Dominus vobiscũ*,qua cæremonia vtimur,quotiescũque populũ excitamus,vel ad orãdum,vel ad audiendum:vnde præmittitur ante *Oremus*, & ante Euangelium,& Præfationem, & alia huiusmodi.

Itaque est quædam religiosa excitatio, seu inuitatio, & seruit loco aduerbij vocandi, quomodo religiosi olim, Augustino teste in Psal.132.cùm alium vocarent, dicere solebant: *Deo gratias*, quod etiam nunc à multis seruatur: quomodo etiam sancta Paula ad virgines conuocandas vrebatur illa voce, *Alleluia*, vt in eius vita scribit sanctus Hieronymus: & nunc in Monasteriis virginum dici solet, *Aue Maria*. Porrò hæc salutatio *Dominus vobiscum*, sumpta est ex more Hebræorum, qui salutantes dicebant, Dominus tecum, aut vobiscũ, vt patet Iudicum 6. Ruth. 2.2. Paral.27.& Luc.1.

Scribit de hac salutatione integrum librum Petrus Damianus, qui inscribitur, De Dominus vobiscum, vbi probat debere dici etiam ab iis, qui recitant soli Horas Canonicas: vbi etiam monet in Missa ab Episcopis dici debere: *Pax vobis*, loco Dominus vobiscũ, quia Dominus, Mat.10. docuit Apostolos, quibus Episcopi succedũt, vt pacem annunciarent cùm ingrederentur aliquem locum. Et quamuis Concilium Bracarense I. can.21. iubeat omnes tum Episcopos, tum Presbyteros, in Missa eodem modo populum salutare; tamen seruanda est in eiusmodi Ecclesiarum consuetudo.

Esse autem antiquissimam cæremoniam in Missa, vt Sacerdos populum salutet, perspicuum est, non solùm ex Concilio citato, quod ante annos CM. celebratum est, sed etiam ex vetustissimis Liturgiis, Iacobi, Basilij, Chrysostomi, & aliorum, in quibus passim legimus, aut *Pax vobis*, aut *Dominus vobiscum*, & ad vtrumque respondetur: *Et cum spiritu tuo*.

De Collecta.

Post salutationem dicitur Collecta, de qua tria dicẽda sunt. Primò, de nomine. Secundò, de antiquitate. Tertiò, de forma. De nomine multi multa non admodũ probabilia scripserũt: duæ sunt veriores opiniones. Vna, quòd Collecta dicatur, quia pauciss imis verbis colligit quidquid pro toto populo à Deo postulandum est. Ita docet Strabo, c.22. & Micrologus, c.3. Altera opinio, quæ fortasse verior est, vult preces illas dici Collectas, per intellectionis figuram ab ipsa Missæ celebratione, quæ ab antiquis dicebatur Collecta, quia ad eam populus colligebatur: fuisse enim ab antiquis Missæ celebrationem appellatam Collectam, patet ex illis verbis S. Augustini in breuiculo collationis, collatione tertij diei: *Confitebantur se Collectam, & Dominicum egisse*. Extant apud Surium in fine primi tomi acta Martyrum quorundam, & videntur esse illa, quæ Augustinus citat, in quibus frequentissimè legimus, Collectã facere, seu celebrare, proco, quòd est Missam celebrare. Hinc etiam Tertullianus in lib.de fuga in persecutione, extremo: *Quomodo colligemus*, inquit, *quomodo Dominica solennia celebrabimus?* Hinc igitur oratio, quæ dicitur in Missa, Collecta dicta esse videtur, quia est finis: immò etiam principium, & medium totius illius actionis, quæ Collecta dicebatur. Orationes enim dicuntur eodem numero & ordine initio Missæ, in medio, & in fine: qua etiam ratione aliquando eædem Collectæ, dicuntur Missæ, quia sunt pars quædam, eáque potissima Missæ. Hæc de nomine.

Porrò antiquitas inde cognosci potest, quòd vsus semper fuit in Ecclesia, vt nunquam Christiani congregarentur, quin finis esset oratio, vt patet ex Iustino Apologia 2. extrema, & Tertulliano in Apologetico, c.39. immò & Apostolo hoc præcipiente 1.Tim.2. Collectæ autem nostri Missalis, quæ sanè pulcherrimæ sunt, ab antiquis Pontificibus compositæ, & à S. Gregorio in vnum congregatæ creduntur, vt Vvalfridus Strabo significat, cap.22.

Quod ad formam attinet, præscribitur in Concilio III. Carthaginensi, capit. 23. vt oratio, quæ in Missa dicitur, dirigatur ad Patrem, nec tamen inde sequitur, Filium, & Spiritum sanctum non esse inuocandos, vel in Missa non inuocari: nam vt Tertullianus in lib.de oratione rectè docet, propter essentiæ vnitatem, semper in Patre intelligitur Filius & Spiritus sanctus. Idem videmus in oblatione sacrificij, quæ propriè ad Patrem dirigitur, vt patet ex illo initio Canonis: *Te igitur, clementissime Pater, per* Iesvm Christvm, & tamen sacrificium toti Trinitati offertur, vt probat S. Fulgentius lib.2. ad Monimum, c.2.3 4.& 5. immò ex conclusione Collectæ apertè colligitur, cum Patre simul inuocari Filium, & Spiritũ sanctum: dum enim dicimus Filium, & Spiritum sanctum cum Patre viuere & regnare per omnia sæcula sæculorum; simul indicamus nos cum Patre Filium & Spiritum sanctum inuocare.

Cvr autem Collectæ ordinariè dirigantur ad Patrem, non ad Trinitatem, duæ sunt causæ. Vna, quia Dominus ita docuit nos orare, Matt.6. *Pater noster qui es in cœlis*, & Ioã.16. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo*. Altera, quia debet semper oratio concludi per Christum, cùm sit ille aduocatus noster, per quem omnia petimus. Incommodum autem fuisset dirigere orationem ad Trinitatem, & concludere: *Per Filium tuum, &c.* videremur enim eo modo facere Christvm Filium Trinitatis: quod si omissa voce Filij, diceremus: *Per Christũ Dominũ nostrum*, videremur diuidere Christi personas: nam vnã includeremus in Trinitate, quam inuocamus, alterã excluderemus, per quam inuocamus. Tolluntur autem omnia incómoda, cùm diriguntur ad vnã personam: & quia persona Patris est prima, & ab illa cæteræ originem ducunt, visum est optimũ, vt quando ad vnã personam dirigendę erant, ad Patrem dirigerentur. Sunt tamen quædã Collectę, quę diriguntur ad Filium, & concludũtur: *Qui viuis regnas, &c.* Sed eæ paucæ sunt, & fortasse non tam antiquæ, quàm aliæ. Fortasse etiam dedita opera voluit Ecclesia aliquas collectas dirigi ad Filium, ne homines crederent, non posse disertis verbis inuocari nisi Patrem.

Finita oratione, respondetur, Amen, quod significat, verè, seu fideliter: à verbo Hebræo יָצַב, quod in Niphil significat credere, & in Niphal, stabilem esse. Græci vertere solent, γένοιτο, fiat: optat enim qui id respondet, verè, & fideliter ita fieri, vt in oratione postulatur. Esse autem vsum antiquissimum respondendi, *Amen*, patet ex Apostolo 1.Cor.14. *Qui supplet locum idiotæ, quomodo respondebit, Amen?* Idem patet ex Iustino in 2. Apologia extrema. Hieronymo in Prologo, lib.2. in epist. ad Galatas: & Augustino in epist.107. ad Vitalem.

De Epistola.

Post collectam sequitur lectio ex Propheta, vel Apostolo: quem morem antiquissimum esse, patet ex Iustino Apologia 2. citata, vbi dicit, in Synaxi lectiones ex Prophetis, & Apostolis legi consueuisse. Idem patet ex Tertulliano in Apologetico, c.39. ex Dionysio, c.3. de Ecclesiastica hierarch. Videtur autem hic mos ab Hebræis acceptus, apud quos per omne Sabbathum, adhuc hodie leguntur in Synagogis lectiones ex Prophetis. Vide Luc.4. Actor.13.15.17.& 18.

De Graduali, Alleluia, Tractu, Prosa.

Lectione finita, leguntur aliquot versiculi, qui vt plurimùm ex Scripturis sumuntur. Et quidem in Græcorum Ecclesia, antiquissima consuetudo est aliquid interserendi inter Epistolam, & Euangelium, vt patet ex Liturgia Chrysostomi: apud Latinos non videtur vsq; adeò antiqua vniuersalis consuetudo. Nam in Concilio Toletano IV. celebrato ante annos CM. can. 11. prohibentur Laudes post Epistolam, tamen postea Romana consuetudo interserendi Gradualia, & alia eiusmodi, paulatim omnibus placuit, & vbique recepta, & approbata fuit, vt scribit Vvalfridus, cap.22.

Svnt autem quatuor genera horum versiculorum: nam alij dicuntur Responsorium, seu Graduale, alij Alleluia, alij Tractus, alij Sequẽtia, seu Prosa. Responsorium dicitur, quia vno incipiente alij respondent, vt scribit Rabanus lib.2. de Institut. Clericorum, cap.51.

Cvr autem Graduale dicatur, non eodem modo ab omnibus traditur: vera ratio esse videtur, quã tradit beatus Rhenanus in annotationibus ad librum Tertulliani de Corona militis, quòd scilicet dicatur Graduale, quia canebatur dum Diaconus gradus ascenderet ad Euangelium decantandum. Ex quo etiam intelligi potest, cur eiusmodi versiculi decantentur, nimirum ne ociosè trãsigeretur tempus illud, quod necessariò interponendum erat inter Epistolam, & Euangelium, dum se Diaconus ad illud cantandum præparabat. Fuisse autem morem Ecclesiæ, vt Euangelium ex loco altiore caneretur, quod etiam nunc in multis locis obseruatur, perspicuum est ex illis verbis Ordinis Romani: *Cùm ascendit Diaconus ad legendum Euangelium, solus ascendit vltimum gradum*. Et Cypriano lib.2.ep.5. vbi de Aurelio Confessore, quem ad legendum in Ecclesia Euangelium ordinauerat, dicit eum ad pulpitum post cataſtam venire. Denique in antiquis Ecclesiis vbique inueniuntur lapidea pulpita in vsum Euangelij legendi instituta: quæ à Micrologo c.9.& ab aliis dicuntur Ambones, Græco vocabulo; nam ab ἀναβαίνω, ascendo, fit ἄμβων, quod in Concilio Laodiceno, ca. 15. Latinus interpres vertit, pulpitum.

Porrò Alleluia, quod significat, Laudate Dominũ, canitur post Graduale, teste Vvalfrido, c.22. & eius loco in diebus ieiuniorum dici solet Tractus, qui sunt alij versiculi ex Scripturis desumpti: dicuntur autem hi versiculi Tractus, quia grauiter, & tractim cani debent in signum mœstitiæ, vt placet Durando. Denique in festis solennissimis, vt in Paschate, & Pentecoste addi solet Sequentia, seu Prosa, qui sunt versus quidam rhythmici.

Nihil horum à Luthero reprehenditur, nisi quod non dicamus semper Alleluia: quocirca statuit ipse in formula Missæ; vt etiam in Quadragesima, & in ipsa Hebdomada sancta decantetur Alleluia. Sed recedit in hac re omninò temere ab vsu antiquitatis. Nam in primis Cõcilio Toletano IV. can.10. expresè cauetur, ne in Quadragesima cantetur Alleluia. Augustinus in epist.119. c.15. dicit, vsum fuisse celeberrimum, vt solùm à Paschate, vsque ad Pentecosten quotidie, & in Dominicis diebus caneretur Alleluia, in signum lætitiæ, ob Christi resurrectionem. Et sanctus Gregorius aliquando reprehensus fuit, quod extra tempus Pentecostes ad Missas cani iuberet Alleluia; nimirum in omnibus festis; exceptis iis, quæ incidunt inter Septuagesimam, & Pascha; quibus ipse respondet, vsum ipsum non à se incipere, sed introductum tempore Damasi, auctore S. Hieronymo. Vide lib.7. epi. 63. ad Ioan. Syracusanum Episcopum. Esse autem canticum lætitiæ Alleluia, & meritò intermitti in diebus pœnitentiæ, & luctus, patet ex Scriptura diuina. Nam Tobię 13. vbi describitur gloria cœlestis Hierusalem, inter alia legimus: *Et per vicos eius Alleluia cantabitur*. Et Apocalypsis 19. describitur lætitia Sanctorum, quæ erit in cœlo post diem Iudicij: *Et audiui*, inquit, *quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium, Alleluia, gaudeamus, & exultemus, &c.*

Vnvm hîc addi potest ex Ruperto, lib. 1. de diuinis officiis, cap.34. Graduale, esse versiculos ad pœnitentiam pertinentes: & ideò tempore Paschali omitti, & eius loco duplicari Alleluia, quia totum illud tempus remissionis, & lætitiæ est: sicut è contrario à Septuagesima vsque ad Pascha omitti Alleluia, & duplicari ea, quæ ad luctum, & pœnitentiam pertinent.

Sequitvr deinde lectio Euangelica, quam antiquissimam esse constat, non solùm ex omnibus Liturgiis, sed etiam ex Concilio Laodiceno, cap.16. Carthaginense IV. can.84. & Valentino, can.2. item ex Patribus, Chrysostomo, homil.6. de pœnitentia, & hom.3. in posteriorem ad Thessalonicenses, Augustino præfatione in epist. Ioannis, vbi meminit certarum lectionum ex Euangelio, quæ pro festorum diuersitate legebantur, Hieronymo in epist. ad Sabinianum Diaconum, ac demùm ex epistola decretali Anastasij Papæ I. vbi iubentur omnes stantes Euangelium audire, ob reuerentiam Domini loquentis. Quam cæremoniam non ipse primus instituit, vt multi putant, sed confirmauit, & obseruari mandauit, etiam in his locis, vbi non seruabatur. Clemens enim lib. 2. constitut. cap. 57. aliàs 61. dicit Apostolos hoc præcepisse, vt omnes cùm clerici, tum laici assurgant, cùm legitur Euangelium.

Porrò cæremoniæ petendæ benedictionis ante Euãgelium, & excitatio populi, per illa verba: *Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum*; & responsio: *Gloria tibi Domine*, habentur etiam in Missa S. Ioannis Chrysostomi; & apud Amalarium lib.de officio Missæ, cap.18.& Alcuinum in lib.de officiis diuinis.

De Symbolo.

Symbolvm rectè post Euangelium pronunciatur, quia fides ex auditu verbi Dei sequitur. Vsus autẽ Symbolum Constantinopolitanum in Missa canendi, apud Orientales antiquior est, quàm apud Occidentales: nam in Missa Chrysostomi expresè habentur, & idem ex Cõcilio III. Toletano colligitur, quod tamen Concilium ante annos circiter M. celebratum est; in eo enim Concilio can.2. statuitur, vt iuxta morem Orientalium Symbolum dicatur ad Missam singulis Dominicis diebus. Scribit etiam Vvalfridus Strabo, capit.22. apud Germanos, & Gallos, vsum Symboli ad Missas recitandi, tempore Caroli Magni potissimùm inualuisse, occasione Felicis Vrgelitani Episcopi, qui eo tempore hæreseos dãnatus fuerat.

CAPVT XVII.

De Offertorio, & Præfatione.

De Offertorio.

Ffertorivm ordine sequitur, quod ex Scripturis perpetuò sumitur, & inde nomen accepit, quòd canaretur dum populus offerebat, vt Vvalfridus tradit, c.22. & Micrologus cap.10. Quinque autem illæ orationes, *Suscipe sancte Pater: Offerimus tibi Domine: Veni sanctificator: in spiritu humilitatis*: &, *Suscipe sancta Trinitas*; neque antiquæ admodum sunt, neque in Romana Ecclesia ante quingentos annos legebantur, scribit enim Micrologus c.11. illas preces: *Veni sanctificator*, &, *Suscipe sancta Trinitas*, iuxta ordinem Gallicanum recitari, sed in Ordine Romano nullas orationes esse institutas inter Offertorium, & Secretas. Vnde etiam Vvalfridus, Amalarius, Rupertus, Alcuinus, immò etiam Innocentius III. & alij veteres, non meminerunt illarum orationum, sed transeunt ab Offertorio ad Secretas: Quia tamen nihil continent, quod offendat, paulatim ab omnibus receptæ sunt.

Sed obiectiunculæ quædam soluendæ sunt, quas Georgius Maior in preces illas euomuit. Primò obiicit, cur dicatur calix salutaris, in quo nihil est nisi vinum. Respondeo; Non vocamus calicem salutarem, sed calicem salutaris: est autem calix ille vini, calix salutaris, id est, Christi, quia Christus Saluator eum calicem offerẽdum, & consecrandum instituit. Præterea possemus etiam rectè vocare calicem salutarem, calicem illum vini, tum quia salutem est allaturus post consecrationem, tum quia ipsum etiam vinum significando, & repræsentando, salutem adfert, quomodo verba Dei dicuntur salutaria, quia saluant significando & fidem excitando.

Secvndò obiicit, cur Sacerdos oret pro calice, & non potiùs pro se: Respondeo; Nõ orat Sacerdos pro calice, sed pro se & vniuerso mundo, cùm petit, vt oblatio illa ascendat ad Deum cum odore suauitatis; nam statim addit: *Pro nostra, & totius mũdi salute*. Et etiamsi hoc non exprimeretur, per se posset intelligi: nam oblationem

acceptari à Deo, non est vtile oblationi, sed nobis.

TERTIÒ obiicit, cur in illa oratione: *In spiritu humilitatis*, petat Sacerdos, vt oblatio placeat, postquam illam obtulit: id enim signum est, eum dubitare an placeat, & proinde peccasse offerendo sine fide. Respondeo; Non dubitat Sacerdos, quin placeat Deo sacrificium Missę ex se, siue ex Christi instituto, & ideò certissima fide offert sacrificium Deo gratissimum, sed dubitat de propria dispositione, & idcirco petit sibi spiritum humilitatis, & contritionis, vt sacrificium inchoatum ita peragat, vt etiá ex parte sua Deo placeat: neque peccat offerēdo sine certa fide propriæ dignitatis, quia non tenetur habere istam certitudinem, sed solùm tenetur non habere conscientiam peccati, dicente Paulo, 1. Cor. 11. *Probet seipsum homo, &c.*

QVARTÒ obiicit, cur dicatur in illa oratione: *Veni sanctificator, &c.* sacrificium præparari cùm iam antè sit oblatum. Respondeo; Illa prior oblatio, præparatio fuit ad posteriorem oblationem, in qua propriè sacrificium consistit, proinde rectè dicitur præparatum sacrificium, quando materia sacranda Deo, per quandam oblationem est dedicata.

De Præfatione.

OFFERTORIO finito, & materia sacrificio præparata, lotísque manibus, & oblatione Deo commendata per secretas Collectas, dicitur Præfatio, quæ quidem hoc nomine appellatur, quia est præparatio, & excitatio populi ad illam actionem, in qua propriè sacrificium consistit. Ac primum illa verba: *Per omnia sæcula sæculorum*, pertinent ad superiores orationes silentio recitatas, sed dicitur alta voce ista conclusio, vt populus respondere possit, *Amen*; & ea voce confirmet superiores orationes: ita scribit Micrologus, cap. 7.

DEINDE incipit Præfatio per illud: *Dominus vobiscum*, & vsque ad ea verba: *Verè dignum & iustum est.* habetur in antiquissimis auctoribus Græcis, & Latinis. Nā vt omittam Liturgias, in quarum nulla deest hæc Præfatio, meminerunt horum verborum Clemens lib. 8. constit. c. 16. Cyprianus in serm. 6. de orat. Dominica. Cyrillus Hierosolymitan. catechesi 5. mystagogica, Chrysostomus passim, vt hom. de Eucharistia: *Quid facis ô homo, non promisisti Sacerdoti, qui dixit; Sursum corda, & dixisti; Habemus ad Dominum?* Vide etiam homil. 4. de natura Dei. & Augustinus non minùs frequenter, vt in epi. 57. ad Dardanum, & 120. ad Honoratum, & 156. ad Probā, lib. de spiritu, & litera, c. 11. lib. 2. de bono perseuerantiæ, c. 13.

Reliqua verba, vsque ad illum versum: *Sanctus, Sanctus, &c.* non sunt eadem in Græcis, & Latinis Liturgiis: tamen quæ in nostra, id est, Romanæ Ecclesiæ Liturgia habentur, certum est antiquissima esse. Nam ante annos M. Pelagius II. Papa interrogatus ab Episcopis Germaniæ, & Galliæ, quænam essent, & quot authenticæ Præfationes, respondit esse nouem. Primam, de Natali Domini. Secūdam, de Epiphania. Tertiam, de Quadragesima. Quartam, de Cruce. Quintam, de Pascha. Sextam, de Ascensione. Septimam, de Pentecoste. Octauam, de Trinitate. Nonam, de Apostolis. Vide epistolā Pelagij, & Gratianum can. Inuenimus, de consecra. dist. 1. Decimam, Præfationem, quæ est de S. Maria, addidit Vrbanus II. in Concilio Placentino, circa annum Domini M. LXXX. teste Gratiano, can. Sanctorum, dist. 70.

Sanctus, Sanctus, &c.

FINITA Præfatione dicitur canticum: *Sanctus, Sanctus, &c.* quod quidem partim desumptum est ex hymno Angelorum, quem Isaias cap. 6. audiuisse se narrat; partim ex cantico Hebræorum, quem Christo cecinerunt, cùm in die Palmarum intraret in Hierusalem, Matth. 21. & habetur in antiquis Liturgiis, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi: & de eo exstat peculiaris canon in Concilio Vasensi, can. 4. aliàs, can. 6.

CAPVT XVIII.

De nomine Canonis.

NVNC ad sacrum Canonem à morsibus impiorū Lutheranorum defendēdum aggredimur: quem quidem vt summa veneratione semper Catholici retinuerunt, ita incredibili furore haretici huius temporis lacerant.

LVTHERVS in lib. de abroganda Missa, vt se ex malitia, non ex ignorantia peccare ostenderet, ita loquitur: *Et quanquam habeam, quod pro sano sensu Canonis dicere possim, vt aliàs feci, tamen nunc non dignabor eum tali honore.* & ibidem multa scommata, & iocos planè impios, & blasphemos iacit in sacrum illud mysterium. Sed longè adhuc furiosiùs agit in lib. de abominatione Canonis, vbi ita rem amplificat, vt velit homines audito nomine canonis signare se cruce, & fugere, ac si illis Diabolus occurrisset.

MARTINVS Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 825. & sequētibus, de canone disputat, ac quatuor sunt, quæ præcipuè reprehendit. Primò, quòd ritum illum celebrandę Missæ Canonem esse velimus, id est, regulā fixā, & stabilem: vellet enim ipse, liberum esse debere vti his, aut illis precibus. Secūdò, quòd auctorem Canonis, Tridentinū Conciliū faciat partim Christū, partim Apostolos, partim antiquos Romanos Pōtifices: ipse autē probat auctorem fuisse quendam Scholasticum, teste S. Gregorio. Tertiò, quòd antiquum esse affirmemus: *Fumi*, inquit, *& nugæ sunt, quod de antiquitate Canonis fabulantur.* Quartò, quòd nullum errorem in toto Canone inueniri pronunciemus: enumerat autem ipse errores septemdecim.

SCRIPSIT etiam multa contra Canonem Missæ Georgius Maior, Zvvinglius, Illyricus, & alij. Nos igitur primò, de nomine canonis. Tum de auctore. Deinde, de antiquitate. Postremò, de veritate eiusdem, & singulārum eius partium disseremus.

QVOD ad primum attinet; exstat hoc nomen in hac significatione apud S. Gregorium, lib. 7. epist. 63. vbi rationem reddit, cur post canonem recitari voluerit orationem Dominicam. Apud Ambrosium, seu quicunque fuit auctor, in comment. 2. cap. epistolæ prioris ad Timotheum, vocatur regula Ecclesiastica, qua omnes Sacerdotes vtuntur. Apud Optarum Mileuitanum Ambrosij æqualem lib. 2. contra Parmenianum, vocatur Legitimū: *Nam quis dubitat*, inquit, *vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio præterire non posse? Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quæ vna est, &c.* vbi Legitimum vocat statū, & certum ordinem precum, quibus in consecranda Eucharistia vtimur, in cuius ordinis initio offerre nos dicimus, pro Ecclesia. Isidorus, lib. 1. de officiis diuinis, ca. 15. vocat Ordinem precum, quo oblata Deo sacrificia cōsecrantur. Vvalfridus, c. 22. vocat tum Actionem, tum Canonem, quibus duabus vocibus omnes posteriores vtuntur: dicitur autem Actio illa pars Missæ, quia in ea celebratur actio sacrificij; cętera enim verba sūt potiùs, quàm actiones. Porrò hęc nomina, Canon, Regula, Legitimum, Ordo, satis apertè indicant, apud veteres ordinem celebrandi non fuisse arbitrarium, vt Kemnitius vellet, sed ab Ecclesia ita præscriptum, vt qui secus facerent, planè prævaricari legem iudicarentur.

SED obiicit Kemnitius, pag. 835. duo argumenta. Vnū ex Concilio Africano, can. 70. & Mileuitano, can. 12. vbi præscribitur, vt in Missa non dicantur preces, nisi quæ priùs sint cum prudentioribus viris collatæ, aut à Synodo approbatæ, ne fortè aliquid contra fidem contineant: hinc enim colligitur, nō fuisse antiquo tempore præscriptum certum Canonem orationum, qui omnes obligaret, sed permissum fuisse, vt quisque componeret preces, modò eæ analogæ essent fidei. Alterum argumentum sumit ex diuersitate Liturgiarum, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, Gregorij, Isidori.

SED hæc argumenta nihil concludunt. Nam inprimis Canones consiliorum citatorum non loquuntur de canone Missæ, sed de collectis, quæ semper fuerūt multiplices, & variæ. De canone enim missæ iam audiuimus Optatum Episcopum Mileuitanum dicētem, legitimum esse, & prætermitti non posse.

NEQVE negamus verba canonis diuersa fuisse, & etiam hodie esse apud Græcos, & apud quasdam Latinorū Ecclesias; neque cogit Romana Ecclesia, vt Kemnitius mentitur, pagina 836. vt omnes Canonem Missæ Romanæ tanquam necessarium omninò ad Eucharistiā consecrandā seruent: nam & in ipsa Vrbe Roma, & alibi per Italiam, videmus Romano Pontifice consentiente, à Græcis retineri Liturgiā Basilij, vel Chrysostomi, & Mediolani Ambrosianam, & Toleri in Hispania, quā dicunt, Morabam. Sed quod asserimus, est, ordinē sacrificij celebrandi rectissimè canonem nominari, quod debeat esse certus, & ab iis præscriptus, qui legitimè in Ecclesia præsident, non autem in arbitrio cuiusuis positus. Quocirca meritò reprehēdimus Lutherum, & Caluinum, & similes, qui propria auctoritate, cùm reuera priuati homines essent, ausi sunt mutare ordinem à summis Pontificibus institutum, & in Ecclesiis Germaniæ, & Galliæ ab annis, vt minimùm DCCC. conseruatum.

CAPVT XIX.

De auctore Canonis.

IAM verò, quòd attinet ad auctorē, nō est vnius auctoris totus canon Missæ Romanæ, sed vt cōcilium Tridentinum rectè docet, sess. 22. cap. 4. partim constat verbis Domini, partim Apostolica traditione, partim sanctorum Pontificum institutione.

PRIMVS quidem, qui formam aliquā sacrificij celebrandi, adiunctis nimirū ad verba Domini certis precibus & ritibus, Romanæ Ecclesiæ dedit, S. Petrus fuit, vt Isidorus testatur, lib. 1. de officiis, cap. 15. sed postea tamen diuersi Pontifices preces diuersas addiderunt, vsque ad Gregorium I. qui fuit vltimus eorum, qui ad canonem aliquid adiunxerunt, vt ex Vvalfrido colligi potest, libro de obseruationibus Ecclesiasticis, cap 22.

VBI illud etiam est Obseruandum, quod licet quædam Liturgia dicatur Basilij, alia Chrysostomi, alia Ambrosij, alia Gelasij, seu Gregorij, nostra videlicet Romana, alia Isidori: non tamen isti auctores Liturgiam de integro composuerunt, sed solùm eam, quæ suo tempore erat in vsu, ad meliorem formam redegerunt, vel detrahendo, si quid irrepserat minùs conueniens, vel addendo aliquid pro temporum varietate, vel denique ob tædium vitandum, aliquid inde subtrahendo, sic tamen, vt substantiales partes Liturgiæ ab Apostolis institutæ, integræ permanerent. Nam sanctus Gregorius Gelasianū codicem coarctauit, vt scribit Ioannes Diaconus, libro 2. vitæ Gregorij, capite 17. & ipse epistol. 73. libri 7. asserit, se restituisse in Missa antiquas consuetudines, & sustulisse quædam, quæ postea irrepserant: itaque fuit auctor non institutionis, sed reformationis Liturgiæ. Gregorius item Septimus, iterum emendauit officium Ecclesiasticum, sed (vt ipse testatur, canone, In die, de consecrat. distinct. 5.) non nouum instituit, sed antiquum reduxit: quod nostris diebus fecit etiā Pius V. tum in Breuiario, tum in Missali restituendo, vnde dicitur Missale Pij V. seu Missale nouum, cùm tamen non sit absolutè nouum, sed antiqui emendatio, & restitutio.

Sed in his quæ diximus de auctore, Kemnitius Primò reprehendit, quòd habeamus canonem ab auctoribus multis compositum.

AT inanis est ista reprehensio. Nam etiam Symbolum Apostolicum est vna simplex fidei confessio, & tamen composita est à duodecim Apostolis, singulis sententiam suam adiicientibus, vt sanctus Leo scribit in epist. 13. ad Pulcheriam, & ante Leonem Ruffinus in explicatione Symboli, & Augustinus serm. 115. de tempore. Et deinde idem Symbolum auctum, siue explicatū fuit in Concilio Nicæno, & Constantinopolitano, vnde tandem prodiit Symbolum illud plenius, quod propriè Cōstantinopolitanum vocatur. Liber item Psalmorū multos auctores habet, si S. Hieronymo credimus, in epist. ad Sophronium, & in alia ad Cyprianum, cùm tamen vnicus liber censeatur. Denique, id est maximè admirandum, & commendandum, quòd Canon Missæ sit multorum auctorum, & tamen ita aptè partes omnes inter se iungantur, & cohæreant, vt vnius auctoris videatur.

SECVNDÒ obiicit Kemnitius sancti Gregorij testimonium libro 7. epistol. 63. vbi duo quędam scribit sententiæ nostræ, vt apparet, contraria. Vnum est, Apostolos ad solam Dominicam orationem Eucharistiam consecrare solitos; ex quo refelli videtur, id quod nos diximus, auctorem nostri Canonis fuisse beatum Petrum, & multa in Canone haberi ex Apostolica traditione. Alterum est, Canonem compositum à Scholastico quodam: Scholasticum autem esse nomen proprium alicuius hominis, probat Kemnitius ex eodem Gregorio libro 2. epistol. 54. & libro 9. epistol. 14. Quòd si Scholasticus auctor Canonis fuit, non igitur verum est, quod nos cum Tridentino Concilio diximus, Canonem partim à Christo, & Apostolis, partim à sanctis Pontificibus compositum fuisse: nullus enim Apostolus, aut Pontifex fuit, qui proprio nomine Scholasticus diceretur.

HOC argumentum penè totum accepit Kemnitius ex beato Rhenano in annotationibus ad librum Tertulliani de Corona militis: sed non erit difficile respōdere. Ac Primum non desunt, qui negent Apostolos vnquam ad solam Dominicam orationem Eucharistiæ mysteriū celebrasse, Videtur enim Gregorius id accepisse ex Hieronymo in lib. 3. contra Pelagianos: sed Hieronymus dicit, Apostolos Dominico præcepto ad celebrationē Eucharistiæ adhibuisse orationem Dominicam, non autem dicit, solam Dominicam orationem adhibuisse.

SED quidquid de hoc sit (non enim facilè repudiandum est, quod sanctus Gregorius scripsit, neque est verisimile, tantum virum non animaduertisse, quid Hieronymus antè scripserit) Respondeo, quòd non semel suprà docuimus, Apostolos initiò solam Dominicam orationem ad verba consecrationis in mysterio Eucharistiæ addere solitos: tamen postea eosdem Apostolos multa alia adiunxisse: nam certè orationem pro defunctis in sacrificio Missæ ex Apostolica traditione descendere, constāter docet S. Ioan. Chrysostomus, homil. 3. in epist. ad Philippenses, & alibi.

QVOD autem de Scholastico Gregorius scribit, contra sententiam nostram non pugnat. Nam inprimis non constat, Scholasticum eo loco esse nomen proprium: nō enim quia tempore Gregorij aliqui nomine proprio dicebantur Scholastici, ideò vbicunque inuenitur hoc nomen, ita accipiendum est, ac si alicui esset proprium; quin potiùs longè probabilius est, per Scholasticum eo loco intelligi virum insignem eruditione, & eloquentia. Sic Hieronymus libro de scriptoribus in Serapione, scribit Serapionem virum doctissimum ob ingenij elegātiam, Scholastici cognomen adeptum. Sanctus Gregorius, lib. 10. epistol. 2. vocat Matthæum Scholasticum virum clarissimum: & Gennadius in Catalogo scriptorum, vocat Prosperum sermone Scholasticum, id est, eloquentia, & eruditione præstantem: & Honorius in Catalogo scriptorum, vocat Alcuinū officio Scholasticum. In eodem sensu accipit Scholasticum in tractatu super Psalmum 44. S. Augustinus. Tales erāt presbyteri quidam doctissimi, qui præficiebātur olim Scholæ Christianæ, ad eos eruditendos, qui ex Iudæis, aut Gentibus ad Ecclesiam veniebant: quales fuerunt, Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alij. Denique adhuc hodie in qui-

buſdam Eccleſiis,& nomen,& dignitas Scholaſtici perſeuerat,licèt ipſa functio penè ceſſauerit.

IAM igitur ſi apud Gregorium accipiatur Scholaſtici nomen pro homine doctiſſimo in vniuerſum, admittere poſſumus,totum Canonẽ, exceptis verbis Domini,à Scholaſtico compoſitum,quia nimirum & S.Petrus,& cæteri ſancti Pontifices Scholaſtici dici poſſunt. Neque hoc eſt alienum à ſententia S.Gregorij:ille enim non loquitur de Scholaſtico per contemptum,ſed eum opponit Chriſto,vt hominẽ Deo,ac ſi diceret; Si oratio ab homine compoſita ſuper oblationem recitatur,quãtò magis recitari debet oratio compoſita ab ipſo Deo?

SI verò Gregorius per Scholaſticum intelligat certum aliquem hominem , qui ætate ipſius vixerit , vt aduerſarij contendunt, tum reſpõdere cogimur,S.Gregorium non loqui de Canone Miſſæ, aut certè non de toto Canone,cùm dicit,precẽ Scholaſtici recitari ſuper oblationem , ſed de aliqua alia prece extraordinaria , quales ſunt tres illæ, quæ dicuntur ante Communionem , poſt *Agnus Dei*:quæ, vt ſcribit Micrologus,cap.18. non ſunt de Canone , neque ex ordinario præſcribuntur ; ſed ex conſuetudine religioſorum recitantur.Id autem ita eſſe, certum eſt, quia orationes quæ ſunt in Canone , inueniuntur magna ex parte apud Ambroſium , vt paulò pòſt demonſtrabimus,& proinde non poteſt fieri,vt cõpoſitæ fuerint tempore Gregorij,qui ducẽtis annis Ambroſio poſterior fuit.

NEQVE hæc explicatio abhorret à verbis ſancti Gregorij : nam ille ſcribit ſe accuſatum fuiſſe,quòd iuſſiſſet orationem Dominicam recitari mox poſt Canonem;reſpondet id ſe feciſſe,quia indignum exiſtimabat, orationem à Scholaſtico compoſitam ſuper oblationem dici,& ipſam Chriſti orationem ſuper corpus eius non dici: quibus verbis indicat Gregorius ſe non agere de Canone, ſed de orationibus , quæ dicebantur poſt Canonem. Et quidem ante ipſius tempora poſt Canonem ante Communionem videtur in vſu fuiſſe , vt diceretur aliqua oratio à Scholaſtico cõpoſita : oratio autem Dominica , vel diceretur poſt Communionem , oblatione conſumpta,vel non diceretur. Sed Gregorius hunc ordinem mutauit,& voluit, vt oratio Dominica diceretur mox poſt Canonem , adhuc in altari corpore Domini præſente , oratio autem Scholaſtici ſequeretur. Ex his duabus ſententiis vtraque probabilis eſt,& neutra contra nos facit.

CAPVT XX.

De antiquitate Canonis.

VPEREST nunc,vt de antiquitate dicamus. Ac Primùm , tidenda videtur Kemnitij leuitas , qui pagina 828.nugas,& fumos eſſe dicit,quòd Cõcilium ſcripſerat , Canonem Miſſæ multis antè ſæculis inſtitutum, & tamen pagina 826. idem Kemnitius affirmarat Canonem abſolutum intra primus ſexcentos à Chriſto nato annos; & pag.827. ſcribit Canonis auctorem vixiſſe circa annum Domini D.X C. quod etiam repetit,pag.828.vbi vltimum auctorẽ Canonis facit Gregorium anno D.X C. Nam ſi Canon anno Domini D.X C. abſolutus eſt , quis non videt eum ante decem propemodum ſæcula inſtitutum,& proinde verum eſſe,quod ait Concilium;& Kemnitium ſibi ipſum eſſe cõtrarium in eadem pagina? Deinde quærendum eſſet ab iſtis, qui negãt,Canonem noſtrum eſſe antiquum,vt ipſi fui Canonis vetuſtatem oſtenderent : quale enim eſt,vt ij Canonem noſtrum tanquam nouitium contemnant,quem ante annos prope mille editum eſſe fatentur; cùm ipſi Canonem habeant , ſi tamen Canon dici meretur, hoc ipſo noſtro ſæculo editum?

SED his omiſſis,veram antiquitatem noſtri Canonis oſtendamus. Primùm igitur illud conſtat,Canonem noſtrum integrum , vt eum nunc in Miſſalibus habemus, fuiſſe in vſu Eccleſiæ ante annum Domini DCCC. Nam exſtat in Ordine Romano , non procul ab initio, quem ordinem citant Alcuinus, & Amalarius,qui tẽpore Caroli Magni vixerunt. Deinde Alcuinus in lib. de officiis Eccleſiaſticis,cap. de celebratione Miſſæ , totum Canonem verbatim exponit:ac deinceps ab omnibus aliis poſterioribus idem omninò Canon exponitur,vt ab Amalario,Hugone,Ruperto,Innocẽtio,& cæteris.Porrò Ordo Romanus non inſtituit Canonẽ,ſed refert,vt rẽ viſitatam,& celebrem in Eccleſia.Quare neceſſe eſt,Canonem eſſe adhuc antiquiorem,quàm ſit Ordo Romanus.

QVAMVIS autem nõ exſtet fortaſſe alius liber Ordine Romano antiquior, vbi totus Canon habeatur:tamen exſtant libri multò antiquiores, vbi habẽtur partes canonis,ex quibus coniectura fieri poteſt de reliquis.

AC primùm apud Ambroſium,lib.4.de Sacram.cap. 5.& 6.habetur verbis parùm mutatis illa pars Canonis: *Quam oblationẽ tu Deus in omnibus,quæſumus,benedictam, adſcriptam,ratam,&c.* Et illa : *Qui pridie quàm paterẽtur, &c.* Et illa:*Vnde & memores,&c.* Et illa:*Supra quæ propitio, &c.* quæ ſunt quatuor partes potiſſimæ totius Canonis:duæ enim proximè præcedunt , duæ proximè ſequuntur conſecrationem. Et quoniam S.Ambroſius nõ primus inſtituit has partes Canonis , ſed eas allegat ex antiquo ritu Eccleſiæ ad confirmandum id,quod eo loco tractabat de veritate corporis Domini in Euchariſtia:ſequitur neceſſariò,vt earũ inſtitutio Ambroſij ætatem præceſſerit,proinde ante M.CC.annos in vſu fuerit. Idem Ambroſ.lib.4. de Sacramentis,cap.4.apertè meminit primæ orationis Canonis,vbi oratur pro Eccleſia, & pro Rege, licet ipſa verba non ponat : eiuſdem etiam meminit Optatus,lib.2.contra Parmenianum,vbi dicit, Legitimũ eſſe,vt offeratur pro Eccleſia Catholica. Illius autem orationis,vbi nominantur, & inuocantur Sancti, & illius,vbi oratur pro defunctis, meminit Auguſtinus tract.84.in Ioannem; immò earum orationum mentionem faciunt plurimi Patres,quos ſuprà in propriis locis adduximus. Itaque totus Canon partim quoad ſententiam, partim etiam quoad verba , inuenitur in auctoribus,qui ante M.C.vel M.CC. annos floruerunt.

HIS accedunt aliquot coniecturæ inſignes ad probandam Canonis antiquitatẽ. Prima coniectura eſt,quia in toto Canone nulla fit mentio Confeſſorum, aut Virginum non Martyrum,ſed Martyrum tantùm,ſeu virorum, ſeu fœminarum : quod etiam notauit Auguſtinus, lib.de ſancta Virginitate,cap.45. Huius autem rei cauſſa nulla eſt alia,niſi quam reddit Innocentius,lib.3.cap.10. de myſteriis Miſſæ, quia videlicet eo tẽpore Canon cõpoſitus eſt , quo nondum cœperant publicè coli in Eccleſia ſancti Confeſſores. Siquidem certum eſt,Martyres cœpiſſe publicè inuocari , & eorum nominibus dies feſtos coli , & Baſilicas erigi, ab initio planè Eccleſiæ: Confeſſores autem multò ſeriùs hunc honorem in Eccleſia meruiſſe.Conſtat autem ex Concilio Moguntino, ſub Carolo Magno celebrato, can.36.feſta Cõfeſſorum iam in vſu fuiſſe anno DCCC. Siquidem in Catalogo feſtorum dierum ponuntur dies feſti ſancti Martini , & ſancti Remigij : igitur ante annum Domini , DCCC. Canonem compoſitum fuiſſe neceſſe eſt.

SECVNDA coniectura eſt , quia veteres diligenter annotarunt pauca quædam verba,quæ aliqui Pontifices ad Canonem addiderunt.In vita Leonis I.ſcribit auctor Pontificalis,addita fuiſſe à Leone illa verba ad Canonẽ: *Sanctum ſacrificium,immaculatam hoſtiam*; cuius rei , vt valde notabilis,meminerunt etiam Strabo,cap.22.& reliqui auctores,qui de Miſſa ſcribunt,Gregorium I.addidiſſe ad Canonem pauca illa verba: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas,&c.* non ſolùm annotarunt Strabo loco citato,& ſimiles auctores,ſed etiam Beda lib.2.hiſtor.Anglicanæ,capite 1.& Ioannes Diaconus,lib.2.vitæ B.Gregorij,

gorij,cap.17. Hoc autem eſt argumentum certiſſimum, canonem eſſe antiquiorem Leone,& Gregorio,& habitum ſemper in maxima veneratione : alioqui enim cur tam diligenter hiſtorici annotaſſent, vnum, vel alterum verbum à Leone,vel Gregorio additum , ſi Canon eſſet recens, & ab aliquo priuato homine, qui Scholaſticus diceretur,inſtitutus?

TERTIA cõiectura eſt,ipſa ignoratio auctoris præcipuarum partium Canonis. Nam orationes illæ, quarũ meminit Ambroſius: *Quam oblationem.* Et:*Vnde & memores*,& cæteræ, ſi fuiſſent ab aliquo Romano Pontifice compoſitæ , certè aliquis hiſtoricus id prodidiſſet : ſi enim non omiſerunt , quis aliquas particulas addiderit, quantò magis non omiſiſſent,qui vitas Pontificum ſcripſerunt,quis totum ferè Canonem compoſuerit? Relinquitur igitur,vt Canon ſit omni memoria antiquior , & ab Apoſtolis, vt multa alia, per manus traditionem ad nos deuenerit. Neque obſtat,quod in Canone ſit mentio Apoſtolorum,& Martyrum,qui primis trecentis annis floruerunt : nam ea nomina poſtea paulatim addita fuiſſe,dubium eſſe non poteſt.

QVARTA coniectura eſt VValfridi,cap.22.qui inde colligit Canonem eſſe antiquiſſimũ , quia dum enumerantur Apoſtoli,non ſeruatur ordo,qui eſt in Euangeliis per Hieronymũ emendatis:id enim argumento eſt, eam partem Canonis priùs fuiſſe compoſitam , quàm à Hieronymo Euangeliorum codices Latini ad vetera exemplaria Græca corrigerentur , ipſe enim Hieronymus in præfatione Euangeliorum ad Damaſum , teſtatur magnam fuiſſe in antiquis Latinis codicibus confuſionem,

CAPVT XXI.

De veritate primæ orationis Canonis.

NVNC demùm veritas canonis demonſtrãda eſt: quod facilè fiet,ſi ad ea reſpondeamus,quæ aduerſarij cõtra ſingulas preces Canonis obiiciũt.

PRIMA igitur oratio Canonis,quæ incipit:*Te igitur clementiſſimè Pater*, extenditur vſque ad illud:*Hanc igitur oblationem* , illud enim : *Memento Domine.* Et illud: *Communicantes,& memoriam venerantes*, nõ ſunt diuerſæ orationes,ſed partes ſunt primæ orationis, vt colligitur,tum ex concluſione : *Per eundem Dominum noſtrum*, quæ ponitur in fine harum omnium precum;tum etiam, quia illud : *Communicantes*,non haberet vllum ſenſum, niſi continuaretur cum præcedẽtibus verbis,Itaque prima oratio Canonis continet nomina eorum,pro quibus offertur,& in quorum honorem offertur ſacrificium,id eſt,mortalium, qui ſunt in Eccleſia militanti , & etiam Sanctorum,qui cum Chriſto regnant in cœlis. Ac Primùm nominatur Eccleſia. Secundò Papa. Tertiò Epiſcopus loci.Quartò,Rex in quibuſdam Eccleſiis. Quintò,omnes Orthodoxi in genere.Sextò,particulares perſonæ , ſed ſecretò. Septimò & vltimò , S.Apoſtoli, & Martyres.

VBI eſt Obſeruandum, orationem pro Eccleſia,haberi in omnibus Liturgiis, & vt ſuprà oſtendimus , nominatim id notatur ab Optato Mileuitano,lib.2. contra Parmenianum : ſic etiam pro Epiſcopo loci , habetur in Liturgiis omnibus.

PAPÆ nomen non habetur in antiquis Græcis Liturgiis,ſed in Liturgia Chryſoſtomi à Leone Tuſco Latinè reddita, inuenitur nomen Nicolai Papæ:ex quo intelligimus etiam Græcos poſterioribus temporibus illud addere ſolitos.Apud Latinos videtur eſſe antiquiſſima conſuetudo : nam non ſolùm Alcuinus ante annos DCCC. in lib. de officiis , cánonem explicans , meminit huius rei, & cauſſas reddit , cur poſt Eccleſiam ſubiungatur nomen Papæ ; ſed etiam Vaſenſe Concilium ante annos M. C. celebratum,can. 4. alias 6. conſtituit, vt in Gallicanis Eccleſiis nomen Papæ vrbis Romæ in omnibus Miſſis recitetur.

NOMEN Regis rectè etiam adiungitur in iis locis, quæ Regibus ſubſunt: nam & Innocentius III. & Bonauentura in explicatione Canonis agnoſcunt hanc vocem;& omnes antiquæ Liturgiæ id ſeruant, & ex Apoſtolo,1.Timoth.2. id colligunt Ambroſius lib. 4.de Sacramentis,cap.4.& Auguſtinus epiſto.59. ad Paulinum.

QVOD ſequitur:*Pro omnibus Orthodoxis*, Micrologus,cap.13.ſcribit,eſſe ſuperfluũ,& non haberi in emendatioribus libris ; tamen habetur apud Alcuinum loco notato,qui vixit CCC. annis ante Micrologum , & apud Innocentium III. & alios omnes;quocirca vſu ipſo auctoritatem obtinuit,nec debet omitti. Intelligimus autem hîc per omnes Orthodoxos,vt S.Bonauentura exponit,non omnes omninò fideles ; tunc enim verè eſſet ſuperflua hæc particula, cùm idem ſit offerre pro tota Eccleſia, & pro omnibus Orthodoxis : ſed omnes alios præter Papam, Epiſcopum propriũ, & Regẽ proprium, ac ſi diceremus; Offerimus primò pro omni Eccleſia in vniuerſum, deinde in particulari pro Papa, pro Epiſcopo,pro Rege, & pro omnibus aliis fidelibus, ſiue Principibus, ſiue priuatis.

ADVERSVS hanc primam orationem,Prima obiectio eſt Lutheri in lib.de abroganda Miſſa: *Quis non videat*,inquit,*Canonem eſſe compoſitum ab aliquo verboſo,& parùm ſpirituali? quid enim attinet verbis ita ſuperfluere; Hæc dona,hæc munera , hæc ſancta ſacrificia?* Similis obiectio eſt in libro contra abominationem Canonis,vbi reprehendit illud; *Omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultoribus* ; idem enim eſſe videtur pro Orthodoxis,& pro Catholicæ fidei cultoribus.

RESPONDEO,Satis apparet,Lutherum ſolùm calumniandi libidine hæc obiecíſſe; nam alioqui non poterat ignorare,ad affectum explicandum, multum facere repetitionẽ eiuſdem rei, præſertim vocibus diuerſis. Certè Liturgiæ Baſilij, & Chryſoſtomi plenæ ſunt eiuſmodi repetitionibus.Confeſſiones item Auguſtini, quæ ad effectum excitandum potiſſimùm diriguntur,paſſim inculcant eadem multis vocabulis. Cantica Scripturarum,& Pſalmi,vix aliquid ſemel pronunciant,quod non iterum aliis verbis repetant,Pſalm.92. *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt.* Pſalm. 115.*Ego ſeruus tuus,ego ſeruus tuus,& filius ancillæ tuæ.* immò Pſalmus ille 118. qui eſt omnium longiſſimus, idem ferè omnibus verſiculis repetit.Lucas cap. 8. cùm narraſſet Dominum prædixiſſe Apoſtolis mortem ſuã propinquare,ſubiungit:*Et ipſi nihil horũ intellexerunt,& erat verbum iſtud abſconditum ab eis : & non intelligebant quæ dicebantur.* Si Lutherum conſulamus,verboſum Lucã,& parũ ſpiritualẽ appellabit:at ipſe Spiritu ſancto dictante illa verba multiplicauit, vt intelligeremus , Apoſtolos eo tempore longiſſimè abfuiſſe ab ea cogitatione,vt exiſtimarent,Chriſtum moriturum. Apoſtolus etiã 2. Corinth.11.cùm ait:*Hebræi ſunt, & ego,Iſraëlitæ ſunt, & ego, ſemen Abrahæ ſunt,& ego*:certè idem ter repetit, nec tamen fruſtrà, quia repetitio illa magnã emphaſim habet.

SECVNDA obiectio eiuſdem Lutheri in eodem loco. Ante conſecrationem vocantur panis & vinum, ſacrificia ſancta, & illibata, quod videtur abſurdum, quia ſi ſancta ſunt, cur petitur in eadem oratione à Deo , vt illa benedicat? Si ſacrificia, ergo panem & vinum Deo ſacrificamus.

RESPONDEO, Panis, & vinum rectè dici poſſunt paulò ante conſecrationem, ſacrificia ſancta, & illibata. Sacrificia quidem,quia ſunt materia ſacrificij,& iam dedicata,& parata, vt ex iis fiat ſacrificium:nam & in lege veteri dicebantur paſſim ſacrificia oues adhuc viuentes, quando ſcilicet adducebantur, vt immolarentur , vnde eſt illud Cypriani in ſermon.de eleemoſyna:*Dines,& locuples in Dominicum ſine ſacrificio venis?* Dicuntur autem meritò ſancta,& illibata,quia iam dedicata,& cõſecrata

ad vsum diuinum per priorem oblationem sunt,& etiam quia pura, & sancta intentione offeruntur ab Ecclesia. Sed quamquam eo modo sancta sint, tamen sanctiora fieri debent per mutationem in corpus, & sanguinem Christi, & ideò rectè petimus, vt Deus illis benedicat, eáque sanctificet,nimirum vt sic fiant nobis corpus, & sanguis Christi,vt infrà in alia oratione petimus.)

TERTIA obiectio eiusdem ibidem, In Canone dicitur:*Quæ tibi offerimus in primis pro Ecclesia tua.* At illa sacrificia ex mero pane,& vino constant;ergo panē,& vinum Deo offerimus pro Ecclesia.Neque potest responderi,illud,*offerimus*, accipi pro futuro, & referendum ad hostiam consecratam,quasi sensus sit,Offerimus, id est, mox offeremus : nam repugnat huic solutioni demonstratiua particula:*Hæc dona,hæc munera, &c.* dicimus enim nos offerre illa dona,quæ ad sensum tūc ostēdūtur.

RESPONDEO, Mira est hæreticorum leuitas.Nam idem Lutherus qui in hoc libro de abominatione Canonis, tanquam rem valde absurdam ex Canone colligit,quòd videamur Deo panem offerre, non Christum: idem in libro de captiuitate Babylonica, cap. de Eucharistia, dicit Catholicos existimare,se Christum Patri offerre; & ibidem monet Sacerdotes, vt intētionem suam dirigant ad panem offerendum, non ad Eucharistiam: *Obseruent,* inquit,*se Sacerdotes hoc perdito,& periculosissimo seculo, qui sacrificant, vt verba Canonis maioris & minoris, cum Collectis, quæ nimis apertè sonant sacrificium, dirigant non ad Sacramentum, sed ad ipsum panem, & vinum consecrandum:nam panis,& vinum antea offeruntur ad benedicendum, sed postquam est benedictus & consecratus, iam non debet offerri.*

SED ad argumentum Respondeo, Panem rectè dici offerri pro Ecclesia, non quod ista oblatio sit propriè sacrificium propitiatorium,sed quia est dedicatio rei,ex qua faciēdum est sacrificium propitiatorium:sicut paulò antè dicebamus de nomine sacrificij, quod tribuitur panī,quia est materia sacrificij.Quare cùm dicimus,nos offerre panem Deo pro Ecclesia, sensus est, nos offerre Deo panem consecrandum,& ex quo per consecrationem verum sacrificium Deo immolandum est pro Ecclesia. Neque alienum est hoc à modo loquendi Scripturæ diuinæ,siquidem Leuit.4.5.6.& alibi,iubētur singuli quique de populo offerre agnum, vel aliquid eiusmodi in sacrificium pro peccato, & tamen non quilibet de populo propriè sacrificabat: id enim erat solius Sacerdotis munus , sed dicebantur illi offerre sacrificium pro peccato,quia offerebant materiam , ex qua sacrificium pro peccato faciendum erat.

QVARTA obiectio Lutheri ibidem, In prima oratione Canonis dicitur:*Quæ tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro redemptione animarum suarum.* Et ibidē de iisdem offerentibus dicitur:*Quorum tibi fides cognita est,& nota deuotio.* Si igitur isti fideles & deuoti sunt,certè redempti sunt:si redempti sunt,quorsum offerunt pro redemptione animarum suarum? nónne idem est, ac si diceretur , redemptos Christi sanguine non esse verè redemptos,sed indigere iterum redimi vno panis frustulo?

RESPONDEO,Quod attinet ad frustum panis,iam diximus panem non offerri,vt sit sacrificium propitiatorium,sed vt sit materia sacrificij propitiatorij.Quantum ad redemptionem fidelium & deuotorum,apud Lutheranos quidem nulli putantur esse fideles,& deuoti,quin simul iusti sint,proinde redempti,quoad animam : apud Catholicos tamen, qui fidē sine charitate esse posse sentiunt;non dubitantur esse multi fideles, & etiam deuoti imperfecta quadam deuotione , qui tamen nondum iustificati,& per hoc nec redempti sint,eo modo,quē mox explicabimus,quales sunt, qui pœnitentiam agere,incipiunt,& cupiunt quidem ad Deum conuerti,& pro hac re orant, & Missas deuotè exposcunt, licet nondum ad perfectam contritionem peruenerint. De his igitur verba canonis commodè accipi possunt.

SED præterea, vt Lutherani intelligant non esse absurdum,si redempti redemptione alia indigere dicantur, Animaduertendum est,in Scriptura quinque modis accipi redemptionem,& proinde posse eos, qui vno modo redempti sunt, opus habere, vt aliis modis redimantur.

PRIMA dicitur redemptio ab omni malo culpæ, & pœnæ,per solutionem pretij sufficientis : & hoc modo omnes omnino homines redempti sunt per Christi crucem,iuxta illud Apostoli 1.Timoth.2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

SECVNDA est redemptio à malo culpæ per applicationem illius pretij in cruce soluti:& hæc redemptio est ipsa iustificatio.Rom.3. *Iustificati gratis,per gratiā ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*, & hac redemptione plurimi egent , etiamsi prima redemptione redempti sint.

TERTIA redemptio est à debito pœnæ, quod sæpe manet dimissa culpa, iuxta illud Prouer.13. *Redēptio animæ viri, diuitiæ suæ:* diuitiæ enim cùm in pauperes expenduntur,à pœna liberant homines,& hac redemptione sæpe indigent illi etiam, qui primo & secundo modo redempti sunt.

QVARTA redemptio est à peccato futuro, dicitur enim Deus redimere eos, quos præseruat à peccato, in quod alioqui incidissēt Psal.33.*Redimet Dominus animas seruorum suorum, & non delinquent omnes,qui sperāt in eo.*

QVINTA redemptio est à corruptione, & ærumnis omnibus huius vitæ,quæ fiet tandem in vltima resurrectione.Luc.21.*Leuate capita vestra,quoniam appropinquat redemptio vestra.*& hac vltima,vt etiam superiore redēptione,omnes egēt,quamuis sanctissimi sint. Porrò prima redemptio non obtinetur per Missam,quia in cruce peracta est, tamen in Missa repræsentatur,& applicatur: ad reliquas omnes obtinēdas Missa non parum confert, & ideò nihil est mirum,si dicatur offerri pro redēptione fidelium,& deuotorum.

QVINTA obiectio est eiusdem Lutheri ibidem,qui reprehendit illud:*Communicantes,& memoriam venerantes.*Christus enim instituit Cœnam, vt esset Communio viuorum, auctor autem Canonis facit etiam mortuos communicantes.

RESPONDEO,illud:*Communicantes*,dupliciter exponitur à veteribus. Quidam,vt Alcuinus, Amalarius, & alij,referunt illud,ad Communionem cum Sanctis,vt sensus sit,Offerimus hoc sacrificium cōmunicantes memoriis Sanctorum,& eosdem Sanctos venerantes : vbi non fit mentio Communionis per manducationem Eucharistiæ,quæ non conuenit mortuis : sed Communionis per societatem & coniunctionem in corpore Christi mystico. Alij,inter quos est Micrologus,cap.12.& Hugo Victorinus lib.2.de officiis,cap.29.volunt illud,*Communicantes*,referri ad offerentes inter se , non cum Sanctis, vt sensus sit,Offerimus communicantes, id est,inter nos vniti & coniuncti, vt decet membra eiusdem corporis, & præterea memoriam Sanctorum venerantes.Id probat Micrologus optima ratione , nam in Natali, Epiphania, Pascha, Ascensione, & Pentecoste,post illud: *Communicantes* , additur , *& diem sacratissimum celebrantes, &c.*& paulò pòst, *sed & memoriam venerantes, &c.* vbi apertè videmus,illud *Communicantes*,non coniungi cum memoria Sanctorum, sed per se manere,& ad solos offerentes referendum esse.

SEXTA obiectio est Gregorij Maioris, qui ordinem reprehendit illorum verborum:*Vt accepta habeas,& benedicas hæc dona.* priùs enim debēt esse benedicta,quàm acceptentur à Deo.

SED facilis est solutio. Nam vt est oblatio duplex,vt suprà diximus,vna rei consecrandæ,altera rei cōsecratæ,

ita est acceptatio duplex,benedictio autem,& sanctificatio vnam earum oblationum , & acceptationum sequitur,alteram præcedit.Vnde sicut hoc loco,vbi agitur de prima acceptatione,postponitur benedictio:ita paulò pòst in illa oratione : *Quam oblationem tu Deus in omnibus, benedictam, adscriptam, ratam , acceptabilem facere digneris,*vbi agitur de posteriore acceptatione,præponitur benedictio.

SEPTIMA obiectio est Zvvinglij , qui non probat illud:*Memento Domine famulorum,&c. Videmur enim,* vt ipse ait,*metuere,ne Deus obliniosus sit:& ideò tanquam immemorem eum commonefacere velle.*

SED videtur ipse potiùs obliuioni mandasse Scripturarum loquutiones , aut certè si earum meminerat, Spiritum sanctum corrigere voluisse:quid enim in Scriptura frequentiùs occurrit,quàm Memento, vel recordare Domine ? Vide Exodum 32.v.13. Deuteronomium 9.v.27. Iudicum 16.v.28.4.Regum 20.v.3.2. Esdræ 5.v. 19. Psalm. 131. v.1. Lucæ 23.v.42. & alibi. Nec solùm in Scriptura passim legimus : *Memento Domine* , sed etiam, quod videtur mirabilius : *Ne obliuiscaris*,vel,*Quare obliuisceris*,vt Psalm.9.v.32. Psalm.12.v.2.Psalm.41.v. 50. & alibi,in Psalmis potissimùm:porrò dicitur Deus per metaphoram obliuisci,quando non iuuat,& contrà recordari,quando iuuare incipit.

OCTAVA obiectio est eiusdem Maioris, qui ponderat illa verba:*pro quibus tibi offerimus , vel qui tibi offerunt*,ac dicit,illam correctionē,*vel qui tibi offerunt*,apertè monstrare Canonem loqui de eleemosynis, quas populus offerebat ad altare pro pauperibus : proinde non rectè nunc ista detorqueri ad sacrificium Eucharistiæ.

HVC etiam pertinet Prima obiectio Kemnitij ex illis septemdecim, quas facit contra Canonem in secunda parte Examinis,pag.839.& sequētibus. Nam prima obiectio solùm id habet,olim verba canonis dirigi consueuisse ad benedicendas,& commendandas eleemosynas; nunc autem perperam trahi ad mimicam repræsentationem sacrificuli : & præterea non rectè offerri Deo panem pro Ecclesia. Cuius obiectionis pars prior desumpta est ex argumento Maioris,quod iam refellimus:pars posterior ex argumento Lutheri , quod paulò antè solutum est.

RESPONDEO, Non est illa correctio , sed disiunctiua sententia , propter duos ordines eorum , quos sacerdos Deo commendauerat : alij enim sunt absentes, pro quibus offertur, sed ipsi actu non offerunt, alij sunt præsentes, qui simul cum sacerdote offerunt astando, & consentiendo. Hic igitur est sensus eorum verborum; Memento Domine talium,& talium absentium,& omnium etiam circunstantium, atque præsentium,pro quibus omnibus offerimus , vel etiam qui simul nobiscum desiderio , & consensu offerunt. Non pertinere autem preces vllas Canonis ad commendandas eleemosynas, quod falsò assumunt Maior,& Kemnitius, ex toto contextu Canonis cognosci potest. Nam Inprimis hæc dona, quæ nominantur in Canone , dicuntur offerri Deo pro Ecclesia,pro Papa, pro Rege, pro omnibus Orthodoxis;at eleemosynæ non solent offerri, nisi pro iis, qui eas dederunt. Deinde de eadem oblatione, quæ nominata est in principio Canonis, quam isti volunt ad eleemosynas pertinere,subiungitur paulò infrà : *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, &c.* vbi apertè ostenditur eam oblationem esse propriè sacrificium , quippe quæ per ministerium sacerdotum Domino offertur:& paulò pòst de eadem dicitur:*Quam oblationem tu Deus in omnibus,quæsumus,benedictam,&c.vt nobis corpus,& sanguis fiat dilectissimi Filij tui,&c.* vbi manifestè videmus in toto Canone de illa oblatione mentionem fieri, quæ per consecrationem efficitur corpus,& sanguis Domini.Denique omnes expositores Liturgiæ, tum Græci, vt Germanus , & Cabasilas, tum Latini, vt Alcuinus, Amalarius, & cæteri totum Canonem explicant de Eucharistia.

NONA obiectio est Kemnitij , quam Secundo loco ipse ponit , ponderat enim ipse illud verbum : *Pro quibus tibi offerimus,vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis:* ac vult Canonem iuxta antiquum ritum agere hoc loco de sacrificio spirituali, quod consistit in laude Dei, & gratiarum actione pro redemptione acquisita in cruce. Deinde hoc fundamento posito, reprehendit Catholicos,tum quòd sacrificium laudis mutauerint in silentiarum murmur sacerdotis, tum quod sacrificiū laudis pro redemptione in cruce acquisita detorserint ad representationem sacrificuli pro impetranda & promerenda redemptione animarum.

RESPONDEO; Hæc obiectio, vt etiam superior,& aliquot sequentes,non sunt contra Canonem; sed contra intentionem sacerdotum,qui Canonem recitant : siquidem verba Canonis ipsemet dicit posse accipi de sacrificio laudis,vel de eleemosynis, &c. Proinde istæ obiectiones non multùm ad rem faciunt:siquidem propositum Kemnitio erat, demōstrare multos errores in ipso Canone inueniri, vt patet ex pag. 839. vbi sic loquitur: *Tanquam in tabella spectandum proponemus , quos errores, & quæ vitia Pontificius Canon contineat.* Hæc ibi. At vbi incœpit istos errores enumerare , non tam verba Canonis reprehendit , quàm sacerdotes , qui ea vel submissa voce recitant,vel detorquent ad repræsentationem.

DEINDE falsa sunt ea,quæ in argumento Kemnitius more suo assumit,& non probat.Primùm enim falsum est,per sacrificium laudis,cuius in Canone fit mentio, debere accipi sacrificium spirituale , quod in laude, & gratiarum actione consistit : significatur enim ea voce sacrificium veri corporis Domini , quod sacrificium laudis dicitur,quia per illud Deus magnopere laudatur, & gratiæ illi aguntur,pro summis eius in nos beneficiis: vnde etiam sacrificium Eucharisticum meritò nominatur. Id ita esse patet. Primùm ex ipso Canone ; nam de hoc sacrificio laudis paulò pòst loquens Ecclesia, à Deo petit,vt hanc oblationem benedicere dignetur , & efficere corpus dilectissimi Filij sui. Deinde idem patet ex Augustino , qui ipsam Eucharistiam non semel appellat sacrificium laudis,vt lib.1.contra aduers.leg. & propher. cap.20. vbi bis tērve sacrificium laudis vocat id , quod offerimus secundum ordinem Melchisedech , ex pane vinóque confectum. Quod si sacrificium laudis , non sunt laudes,quæ recitētur voce,sed est ipsa oblatio corporis Dominici;inane est,& falsum quod Kemnitius dicit,nos conuertisse sacrificium laudis in silentiariū murmur, non enim in voce, sed in actione hoc sacrificium consistit. Et falsum est etiam, quod vltimò addit , nos detorsisse sacrificium laudis ad mimicam repræsentationem:non enim rei præteritæ repræsentatio,sed vera, & realis oblatio præsentis corporis Dominici est sacrificium,quod nos propriè in Ecclesia immolamus.

DECIMA obiectio,& Kemnitij Tertia est contra illa verba Canonis : *Reddunt tibi vota sua æterno Deo viuo, & vero.* Dicit enim Kemnitius , olim in Ecclesia vsum fuisse, vt iuxta illa verba Psal.116. *Vota mea Domino reddam*,gratiæ agerentur Deo pro beneficiis,sed nunc sublato antiquo ritu, Canonem Missæ referre illa verba ad Missas votiuas,quæ data pecunia celebrari iubentur.

RESPONDEO , Ista omnia, calumniæ & mendacia sunt:non enim Canon per vota intelligit Missas votiuas, sed pia desideria,& oblationem astantis populi:dicuntur enim hæc verba in omnibus Missis etiam non votiuis, & ab iis,qui pecuniam nunquam accipiunt , vel acceperunt pro Missæ celebratione. Sed Kemnitius probare debuisset aliquo testimonio,quę tam audacter affirmat.

VNDECIMA obiectio , quæ est Kemnitij Quarta,

est contra illud: *Et memoriam venerantes*; obiicit enim Kemnitius, quòd olim in Ecclesia vsus fuerit prædicandi memorias Martyrũ, & certamina, ac victorias ipsorum: nunc autem Canon Missæ solùm præscribat memoriam per nominum recitationem, idque submissa voce.

SED & in hac obiectione, præter calumnias, & mendacia inuenimus nihil. Veteres enim non in Liturgia, sed in concionibus, & lectionibus Martyres prædicabant, quod & nos facimus, tum in concionibus ad populum, tum in lectionibus, quæ assiduè decantantur in Horis Canonicis: alioqui proferatur ex Liturgia Basilij, vel Chrysostomi, vel qualibet alia, iste vsus prædicandi res gestas Martyrum: certè nihil in eis nisi nomina inueniuntur, vt in nostra Liturgia cernimus.

DVODECIMA obiectio, quæ est Quinta Kemnitij, pugnat contra inuocationem, quæ annectitur memoriæ Sanctorum: sed nihil noui adfert præter ea, quæ suprà refutauimus, cùm ageremus de Missis in honorem Sanctorum, cap. 8.

CAPVT XXII.

De veritate secundæ orationis Canonis.

ALTERA oratio Canonis incipit in illis verbis: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, &c.* in qua continentur quatuor petitiones. Prima, vt oblationem nostram Deus placatus accipiat. Secunda, vt dies nostros in sua pace disponat. Tertia, vt ab æterna damnatione nos eruat. Quarta, vt in electorum grege nos numeret.

CONTRA hanc orationem, est Prima obiectio Lutheri: *Hic rursus*, inquit, *offert panem, & vinum, vt fideles liberentur ab æterna damnatione. Tantam efficaciam pani & vino tribuunt: nam ad hanc redemptionem nullius est momenti mors, & passio Filij Dei.*

RESPONDEO, Calumniæ sunt, nõ argumenta, quæ hîc à Luthero obiiciuntur: non enim sacerdos orat, vt per oblationem panis & vini liberemur ab æterna damnatione, sed orat Deum, vt ipsam oblationem panis, & vini accipiat vt materiam sacrificij futuri, & eam videlicet benedicat, & sanctificet. Deinde adiungit alias tres petitiones, suprà enumeratas, & non precatur eas impleri per oblationem panis & vini, sed per eundem Christum Dominum nostrum.

SECVNDA obiectio est Kemnitij, Sexta apud ipsum: *Vetus Ecclesia*, inquit, *obtulit Deo in celebratione Eucharistiæ, preces pro impetrandis per Christum beneficiis temporalibus, & æternis: ad hoc sacrificiũ precum commodè referri potuerunt hæc verba; Hanc oblationẽ placatus accipias, &c. Pontificius verò Canon hæc transfert ad mimicam sacrificuli repræsentationem panis nondũ consecrati, & orat vt Deus illam ita accipiat, vt propter illam dies nostros in sua pace disponat, & à damnatione nos eripiat.*

RESPONDEO, Quod vetus Ecclesia obtulerit Deo preces pro beneficiis per Christum impetrandis, verissimum est, & idem nostra Ecclesia in hac ipsa oratione Canonis facit. Mẽdacium enim est apertissimum Kemnitij & Lutheri, quod hîc petamus beneficia propter oblationem panis: ipsa enim oratio non est obscura, neque ambigua, neque aliud continet, nisi quatuor petitiones: *Per Christum Dominum nostrum.*

QVOD autem Kemnitius dicit, illud: *Hanc oblationem*, posse commodè referri ad sacrificium precum, & contra ipsum Kemnitium, & contra veritatem est. Contra ipsum Kemnitium, quia ipse in prima obiectione referebat ad eleemosynas illa verba primæ orationis: *hæc dona, hæc munera, &c.* At de eadem oblatione loquitur Canon in prima & in secunda oratione, vt patet ex illa particula (Igitur) *Hanc igitur oblationem, &c.* Quare si in prima oratione agebatur de eleemosynis, & in hac secunda agitur de eleemosyna; proinde Kénitius sibi ipse repugnat. Est autem id totum contra veritatem, quia de eadem oblatione agitur in prima, secunda, & tertia oratione Canonis. In tertia autem perspicuè ostenditur, per oblationem intelligi debere oblationẽ panis consecrandi, cùm expressè dicatur, vt fiat nobis corpus, & sanguis, &c. Non igitur ad eleemosynam, nec adorationem, sed ad Eucharistiæ sacrificium referendum est, quidquid dicitur in his orationibus.

CAPVT XXIII.

De veritate tertiæ orationis Canonis.

ORATIO Tertia Canonis incipit ab illis verbis: *Quam oblationem tu Deus in omnibus*; & continuatur vsque ad finem consecrationis.

PRIMA obiectio Lutheri est loco suprà notato, qui obiicit nos hîc orare pro Christo, & mediatores nos facere inter Christum, & Patrem, ac Deum rogare, vt benedicat, & sanctificet corpus, & sanguinem Christi.

AT Lutherus non videtur memor fuisse verborum Canonis, cùm hæc scriberet: non enim oramus pro Eucharistia consecrata, sed pro pane & vino consecrando, neque petimus, vt Deus benedicat, & sanctificet corpus, & sanguinem Christi, sed vt benedicat, & sanctificet panem & vinum, vt per eam benedictionem, & sanctificationem fiat corpus & sanguis Domini.

SECVNDA obiectio est eiusdem Lutheri ibidẽ contra illa verba: *Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris: Portenta*, inquit, *illa verborum neque ego intelligo, nec stolidus ille, qui scripsit.*

AT ista eadem verba habentur apud Ambrosiũ lib. 4. de Sacramentis, capit. 5. & exponuntur multis, & variis modis elegantissimè ab Alcuino, Amalario, Ruperto, Hugone, Innocentio, Bonauentura, & aliis. Literalis expositio, vt ex Alcuino, & Hugone atque Innocentio colligitur, hæc esse videtur. Petimus à Deo, vt ipse oblationem nostram consecrando, benedictam ex profana efficiat; eandem approbando, faciat adscriptam, id est, adscribat, & numeret inter dona, quæ ipsi probantur; confirmãdo ratam efficiat, id est, stabilem, & firmam, vt fructum certum & perpetuum ad nos referat: rationabilem quoque faciat, vt non solùm bona, sed etiam benè, rationabiliter, & prudenter offeramus, ac sit rationabile obsequium nostrum, iuxta Apostolum Rom. 12. Denique acceptabilem faciat, id est, ita vndique benè se habentem, non solùm ex parte doni, sed etiam ex parte Ministri offerentis, vt digna sit, quæ à Deo acceptetur. Vide plura apud auctores allegatos.

TERTIA obiectio est Kénitij, Septima apud ipsum. Scribit autem Kemnitius hanc orationem haberi quidẽ Apud Ambrosium lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. & apud Augustinum referente Gratiano, canone Verum, de consecrat. distin. 2. sed alium sensum habere ista verba apud Ambrosium, & Augustinum, alium autem apud Pontificios: apud illos enim referri ad sumptionem Sacramenti, apud nos ad repræsentationem.

SED in multis peccat Kemnitius. Primò, quòd non probat id, quod se probaturum suscepit. Volebat enim, vt suprà notauimus; demonstrare errores Canonis, quæ autem nunc adfert, non pugnant contra Canonem, sed contra sensum, in quo illum Pontificij accipiunt.

SECVNDÒ, perperam allegat Augustinum: nusquam enim illa exstant apud Augustinum; sed partim apud Ambrosiũ loco notato, partim apud Paschasium in lib. de corpore Christi, cap. 4. quamuis in hac re Gratianus quoque videatur fuisse deceptus.

TERTIÒ, fallitur apertè, cùm scribit, Augustinum illa verba: *Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, &c.* interpretari de sumptione Eucharistiæ, quasi, iuxta errorem Lutheranorum, in sola sumptione putauerit Augustinus panem fieri corpus Christi, per quod benedicimus, adscribimur in cœlo, &c. Nã August. vt dixi, nusquam habet aliquid eiusmodi: Ambrosius autem, ex quo

Paschasius, & Gratianus acceperunt, non de sumptione, sed de consecratione illa omnia exponit, vt patet legenti caput 5. lib. 4. de Sacramentis. Neque obstant illa verba eiusdem Ambrosij, quæ falsò Kemnitius Augustino tribuit: *Quia in Baptismo similitudinem mortis Christi accepimus, similitudinem quoque carnis, & sanguinis eius sumamus.* Nam illa dicuntur ab Ambrosio alio loco, nimirum cap. 4. lib. 4. & ad alium finem.

QVARTÒ, mentitur Kemnitius, nomen oblationis in ista oratione Canonis: *Quam oblationem tu Deus, &c.* à Pontificiis detorqueri ad actionem sacrificuli, cùm reuera de pane, & vino dicatur. Nullus enim tam fuit vnquam absurdus, vel stupidus, vt nõ videret nomen oblationis hoc loco ad panem & vinum, non ad actionem posse referri. siquidem à Deo petimus, vt hanc oblationem ita benedicat, vt ea fiat nobis corpus, & sanguis Christi. Quis enim vel per somnium diceret, actionem debere fieri corpus Christi? Sed benè facit Kemnitius, cùm ista mendacia de Catholicis fingit, quòd nullum citat, neque librum vllius nominatim indicat, ne videlicet mendacium statim deprehendatur.

CAPVT XXIV.

De veritate quartæ orationis Canonis.

QVARTA illa est, quæ proximè post consecrationem habetur in illis verbis: *Vnde & memores Domine, &c.* & extenditur vsque ad illud: *Memento etiam Domine.* nam ante (Memento) ponitur conclusio, *Per Christum Dominum nostrum.*

PRIMA obiectio contra hanc orationem, est Lutheri, qui iterum obiicit verbositatem, propter illam adiunctorum multiplicationem: *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam.*

SED similia verba habentur apud Ambrosium lib. 4. de Sacramentis, cap. 6. & eodem planè spiritu Apostolus scripsit Rom. 12. *Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium.*

SECVNDA obiectio eiusdem Lutheri, & omnium aliorum, qui calumniantur illa verba: *Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris*; dicunt enim nos hîc orare pro Christo, & reconciliare velle Filium Patri. Suspicantur etiam quidam illorum, hæc verba fuisse olim ante consecrationem, nunc autem ab indocto Canonis collectore posita esse post consecrationem.

SED facilis responsio est, nam inprimis habentur ista etiam apud Ambrosium post consecrationem libr. 4. de Sacramentis, cap. 6. Omnes item Græcæ Liturgiæ post verba consecrationis ponunt orationem pro donis pretiosis, & sanctificatis, quare non est nouus, sed antiquissimus ritus orandi pro oblatione iam consecrata. Neque hoc est orare pro Christi reconciliatione apud Patrem, sed pro nostra potiùs infirmitate: etsi enim oblatio consecrata ex parte rei, quæ offertur, & ex parte Christi principalis offerentis, semper Deo placeat, tamẽ ex parte Ministri, vel populi astantis, qui simul etiam offerunt, potest non placere. Id igitur est, quod petimus, vt Deus benignè respiciat hoc munus vt à nobis offertur. Simile quid cerni potest in sacrificiis veterum Hebræorum: illi enim suppliciter postulabant, vt clementer Deus ipsorũ sacrificia, ouium & boum aspiceret, nec tamen orabant propriè pro ouibus, & bobus, nec mediatores se constituebant inter oues, & Deũ, nec reconciliare pecora illa Deo volebant, sed pro se orabant, & obsequium suum in illis rebus offerendis Deo gratum esse cupiebant.

TERTIA obiectio Lutheri ibidem, vbi reprehendit illud: *Sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ.* Videmur enim non plus tribuere hoc loco efficaciæ ipsi Christo pro nobis immolato, quàm irrationali pecori.

RESPONDEO, Habentur ista quoque apud Ambrosium lib. 4. de Sacram. cap. 6. Porrò comparatio non fit inter sacrificium nostrum, & sacrificium Abelis, & Abrahæ absolutè, sed tantùm ratione fidei, & deuotionis offerentium. Id enim optamus, vt det nobis Deus tanta fide, & deuotione sacrificium offerre, quanta Abel, & Abraham obtulerunt: & proinde, vt ex parte Ministri offerentis non minùs placeat Deo sacrificium nostrum, quàm illorum placuit. Fieri autem comparationem inter sacrificium illorum, & nostrum ratione fidei, & deuotionis, non absolutè perspicuum est ex eo, quod sacrificia ouium, & boum absolutè, & per se nihil habent, vnde placere Deo, eúmque placare possint. Quare B. Paulus Heb. 11. non ait sacrificium Abelis absolutè placuisse, sed propter fidem: *Fide*, inquit, *plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit.* Et Gen. 4. Moses: *Respexit*, inquit, *Deus ad Abel, & ad munera eius.*

QVARTA obiectio Lutheri, contra id quod sequitur: *Et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech.* Hîc mendacij Canonem arguit Lutherus: *Mentiuntur*, inquit, *in eo, quod asserunt Melchisedech sacrificasse panem, & vinum.*

RESPONDEO, Non habet Canon Missæ, Melchisedech sacrificasse panem, & vinum, sed solùm sacrificium aliquod obtulisse: quod quidem qui mendacium esse dicit, mendacem facit Spiritum sanctum, qui per os Pauli Heb. 5. & 7. Melchisedech sacerdotem fuisse testatur, & per eundem Paulũ Heb. 5. & 8. docet, omnem sacerdotem aliquid habere debere, quod offerat. Adde, quòd Melchisedech panem, & vinum sacrificasse, satis à nobis libro superiori demonstratum est. Adde Vltimò, quòd hanc partem Canonis, vbi Melchisedech summus Sacerdos appellatur, non solùm agnoscit Ambrosius lib. 4. cap. 6. de Sacramentis, sed etiam auctor quæstionum noui ac veteris Testamenti apud Augustinum tomo 4. q. 109. Est autem auctor ille Ambrosij æqualis, vt ex iisdem quæstionibus manifestè colligitur.

QVINTA obiectio eiusdem contra illud: *Iube hæc perferri, per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum*, absurdũ enim videtur, vt sacerdos petat deferri in cœlum, quod ipse paulò pòst consumpturus est. Nec minùs videtur absurdũ, vt altare aliquod esse cogitetur in cœlo.

RESPONDEO, Non tam crassè hæc intelligenda sunt, vt existimemus in cœlo altare aliquod corporale, & sensibile erectum esse, atq; ad illud re ipsa, & corporaliter Sacramentũ corporis Domini manibus Angelorum oportere deferri: altare tamen aliquod, spirituale videlicet, in cœlo esse, vt etiã tabernaculum, thronum, incensum, tubas, coronas, palmas, & alia id genus, nemo negare potest, qui Scripturas negare noluerit. Siquidẽ Apoc. 6. 8. 9. & 14. sæpe legitur, altare aureũ in cœlo corã oculis Dei: Apoc. 4. leguntur in cœlo throni, tubæ, & coronæ. Apoc. 7. leguntur etiam palmæ in manibus Sanctorum: Apoc. 8. legitur thuribulum, & incensum: Apoc. 11. legitur tabernaculum, cuius etiam tabernaculi cœlestis meminit Christus, Luc. 16. & Paulus Hebr. 8. & 9. Eiusdem altaris in cœlo positi meminerunt Irenæus lib. 4. c. 34. & Augustinus in Psalm. 25. in illud: *Lauabo inter innocentes manus meas.* non igitur somnium Catholicorum, sed ipsa diuina Scriptura altare in cœlo constituit.

PORRÒ altare istud cœleste, vel Christum ipsum significat, per quem ad Deum orationes, & oblationes nostræ ascendunt: vel certè altare dicitur esse in cœlo, quia in cœlo recipiuntur sacrificia, quæ Deo vero immolantur in terris. Deferri autem sacrificia nostra ad Deum per manus Angeli, nihil est aliud, nisi Angelorum intercessione iuuari, & commendari Deo nostrum obsequium, & cultum, quem illi immolando exhibere desideramus. Neq; dissimile est, quod legimus Tobiæ 12. & Apoc. 8. orationes nostras ab Angelis deferri ad Deum; neque enim Angeli voces, & verba nostra corporalia sursum deferũt, sed vota, & desideria nostra intercessio-

ne sua Deo commendant. Itaque frustrà, & ineptè argumentatur Lutherus, non posse sacrificium deferri in cœlum, cùm rerum consummatur in terris.

SEXTA obiectio eiusdem contra illud: *Vt quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus*: reprehendit enim Lutherus, quòd sacerdos loquatur quasi de multis communicantibus, cùm solus ipse sit communicaturus.

RESPONDEO, Non loquitur absolutè de multis, nec de vno: sed orat, vt quotquot sumpserint, siue vnus, siue multi illi sint, vtiliter sumant. Sed de hac re suprà etiam aliquid diximus, cùm ageremus de Missa priuata.

SEPTIMA obiectio est Georgij Maioris, qui reprehendit illud: *Panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutaris perpetuæ*, quæ verba suspicatur adiecta ab aliquo indocto, & superstitioso, qui sibi persuaserat, Christum in Missa Deo Patri offerri. Id autem probat, quia cùm paulò antè in eadem prece dicatur: *Offerimus de tuis donis, ac datis*, quæ sine dubio ad eleemosynas, quæ à populo offeruntur, referenda sunt: non potuit nisi indoctus aliquis, sermonem de eleemosyna institutum, continuò transferre ad Christum.

RESPONDEO, Verba quæ adiecta ab aliquo indocto suspicatur Maior, habentur etiam apud Ambrosium lib. 4. de Sacram. c. 6. tanquam vsitata, & recepta in tota Ecclesia, & quædam similia habentur etiam in Liturgiis Græcis, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, & apud Clementem libr. 8. Constitutionum Apost. cap. 17. Neque malè cohærent ista cum illis: *De tuis donis, ac datis*, nã illa possunt referri ad panem, & vinum, ex quibus fit Eucharistia, vt sensus sit, Offerimus tibi hostiam puram, panem sanctum, & calicem salutis, quem ex creaturis tuis à te datis & donatis, ex pane scilicet, & vino per consecrationem habemus: sic exponit Innocentius lib. 5. cap. 3. de mysteriis Missæ. Possunt etiam referri omnia ad ipsam Eucharistiam, siue ad Christum, vt in Eucharistia existentem: rectissimè enim dicitur Christus, Dei datum, & donũ. Sic enim loquitur Isaias, c. 9. *Filius datus est nobis.* & ipse Christus Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* & ipsum Sacramentum, & sacrificium nónne verissimum est Dei donum, & datum?

OCTAVA obiectio est Kemnitij, qui fatetur illud: *Vnde & memores*, sumptũ esse ex veteribus: sed ait apud illos alta voce recitari consueuisse, cùm Cyrillus dicat fuisse annunciationem, & Dionysius vtatur verbo ὑμνεῖν: in Canone autem Pontificio cautum esse, vt submissa voce legatur.

RESPONDEO, Neque hæc obiectio vllum in verbis Canonis errorem, aut vitiũ inesse demonstrat, quod tamen solum aduersario propositum erat, neque aliquid solidi adfert. Nam illud: *Vnde & memores*, legitur post verba consecrationis secretò, non solùm apud Latinos, sed etiã apud Græcos: in Missa enim Basilij notatur secretò id esse dicendum, & ea oratione finita, voce alta pronunciandum, *tua ex tuis*. Quod itẽ de mutatione ista vocis in fine orationis, legimus in Missa Chrysostomi. Porrò Cyrillus catechesi 5. mystagogica, vbi Liturgiam explicat, non meminit huius orationis, neq; enim omnia exponit: quare viderit Kemnitius vbi legerit, quod ex Cyrillo citauit. Sed neque negamus, in Missa annunciari mortem Domini iuxta Apostolum 1. Cor. 11. sed vt suprà non semel diximus ex Augustino lib. 20. contra Faustum, c. 18. id non tam verbis, quàm oblatione, & participatione corporis Domini faciendum est. Dionysius verò de Ecclesiastica hierarchia, cap. 3. vbi ritum Liturgiæ describit, meminit quidem hymnorum, quibus laudantur Christi opera, sed eos ponit ante verba consecrationis, & etiam in fine, cùm aguntur gratiæ Deo post Communionẽ: proinde non loquitur Dionysius de ista oratione: *Vnde & memores*. Sed licet Kemnitio in Patribus ludere, & ex qualibet voce, quidlibet concludere.

NONA obiectio eiusdem Kemnitij: *Antiquitus*, inquit, *de oblatis à populo donis, & datis sumebatur, quod sanctificabatur verbo Christi, vt fieret Eucharistia corporis, & sanguinis Domini, & hæc sumptio, & sanctificatio dicebatur oblatio. Nunc cùm mos ille non seruetur, verba transferuntur ad repræsentationem sacrificuli.*

RESPONDEO, Et hoc quid facit contra verba Canonis, quæ aduersarius oppugnanda suscepit? & nónne mendacium est apertissimum, quòd verba transferantur à Catholicis ad repræsentationem sacrificuli? omnes enim Catholici verba illa: *Offerimus præclaræ Maiestati tuæ*, de quibus aduersarius loquitur, referunt ad ipsam hostiam puram, & sanctam, confectam per consecrationem ex Dei donis, & datis, vt verba ipsa Canonis sonant, non ad aliquam repræsentationem. Impertinens autem est, vtrum panis, & vinum, vnde fit Eucharistia, sint à populo data, an à sacerdote oblata: vndecunque enim venerint, Dei dona, & data rectissimè nominantur, & Eucharistiæ materia esse possunt.

DECIMA obiectio eiusdem. Reprehendit illa verba: *Supra quæ propitio, ac sereno vultu, &c.* vbi horrendam comparationem fieri dicit inter Christum, & bruta animalia, quæ ab antiquis immolabantur. Et addit, hanc orationem apud Basilium exstare ante consecrationem, vbi comparatio fit sacrificij Abelis, Noë, Abraham, & aliorum veterum, cum oblationibus panis, & vini, quæ à populo adferuntur: sed imperitia auctoris Canonis, positam esse post consecrationem, & inde esse factum, vt intolerabilem errorem contineat.

RESPONDEO, Quod attinet ad comparationem Christi cum brutis animalibus, iam antè solutum est argumẽtum in 3. obiectione Lutheri. Quod verò ad transpositionem pertinet, falsum est hanc orationem esse transpositam, constat enim ex Ambrosio lib. 4. de Sacramentis, c. 6. eam fuisse post consecrationem, etiam tempore Basilij. Ambrosius enim, qui eam legit post consecrationem, æqualis Basilij fuit. Neque obstat, quod apud Basilium alia quædam similis oratio habeatur ante consecrationem, nam in vtroque loco ea ratio rectè inferi potest. Vnde in nostro Missali habetur quædam similis oratio ante consecrationem, vt idem Kemnitius annotauit, in Collecta secreta Dominicæ septimæ post Pentecosten: & tamen rursus habetur post consecrationem in loco, de quo nunc agimus.

VNDECIMA obiectio eiusdem, est contra illa verba: *Iube hæc perferri, &c.* Nam In primis absurdissimum esse demonstrat Kemnitius, quod petamus Christi corpus nunc primùm in cœlum ab Angelis deferri, cùm Apostolus Hebr. 9. dicat Christum iam dudum in cœlum ingressum esse. Deinde affirmat, hæc verba debere ante consecrationem legi, & ad preces, & eleemosynas esse referendas. Id probat tum ex Irenæo, qui lib. 4. c. 34. dicit orationes, & eleemosynas deferri ad altare, quod est in cœlo, tum ex Augustino, can. Vtrum, de consecr. dist. 2. tum ex cap. 12. Tobiæ, & cap. 5. Apocalypsis, vbi preces dicuntur ab Angelis in cœlum deferri.

RESPONDEO, Fatemur, absurdissimè dici, Christi corpus nunc primùm in cœlum ab Angelis corporaliter oportere deferri: sed nemo Catholicorum ita sentit, aut loquitur. Solùm enim, vt paulò antè explicuimus, docemus oblationem corporis Christi ab Angelis in cœlum deferri, quatenus Angeli sua prece nostrum obsequium Deo commendant: quod idem Kemnitius de precibus, & eleemosynis dicere cogitur, quas ab Angelis in cœlũ deferri ex Tobia, Ioanne, & Irenæo paulò antè docebat. Neque enim dicturus est eleemosynas reipsa, & corporaliter in cœlum deferri: quid enim pauperibus eleemosynæ prodessent, si reipsa deferrentur in cœlum? aut quomodo deferri possunt in cœlũ, si à pauperibus consumantur? Non igitur est absurdũ, vel, vt ipse loquitur,

horrendum, sacrificium Eucharistiæ in cœlum ab Angelis deferri, si id spiritualiter, vt par est, intelligatur.

QVOD attinet ad Alteram partem obiectionis, falsum est hæc verba fuisse olim posita in Canone ante consecrationem. Nam, & Ambrosius ea legit post consecrationem, libr. 4. de Sacramentis, capit. 6. & ita etiam habent Liturgiæ Iacobi, Clementis libro 8. constitutionum, Basilij, & Chrysostomi, vt planè miranda sit audacia istorum nouatorum, qui ob leuissimas ratiunculas de iis rebus iudicant, quas omnino ignorãt. Locus enim Tobiæ, & Apocalypsis nihil faciunt aduersus sententiam nostram, sed eam potiùs explicant, & confirmant. Locus Irenæi deprauatè adducitur: nõ enim de eleemosyna, sed de Eucharistia loquitur Irenæus, vt suprà ostendimus lib. 1. de sacrificio, c. 8. & etiamsi de eleemosyna Irenæus loqueretur: quid inde Remnitius lucraretur? Num quia Irenæus de eleemosyna alicubi scribit, eam in cœleste altare deferri solitam, ideò oratio ista Canonis de eleemosyna intelligenda erit, cùm eam orationem Irenæus ne nominet quidem?

QVOD autem adducitur ex Augustino, vt suprà dixi, non est Augustini testimonium, sed rapsodia quędam fragmentorum ex Ambrosio, Paschasio, & aliis: in qua rapsodia non seruatur ordo Liturgiæ. Nam primò ille auctor meminit consecrationis, qua panis vertitur in carnem, & vinum transit in sanguinem: deinde allegat illa verba: *Iube hæc perferri, &c.* tum subiungit illa: *Hanc oblationem benedictam, ratam, &c.* Sicut igitur contendit Kemnitius, illud: *Iube hæc perferri*, fuisse olim ante cõsecrationem, quia ista verba ponuntur ab auctore illius Canonis ante illa: *Hanc oblationem benedictam, ratam, &c.* ita nos contrà demonstramus, fuisse post consecrationem, quia ponuntur post ipsam consecrationem ab eodem auctore: sed veritas est, non seruari ab illo auctore ordinem Liturgiæ.

SED illud hoc loco minimè prætereundum est, esse in isto testimonio duo quædam contra Kemnitium. Primò exponitur in hoc testimonio illud: *Iube hæc perferri*, de pane consecrato, vt nos existimamus, aut certè de consecrando, vt vult Kemnitius: ergo non de eleemosyna intelligi debet, vt idem Kemnitius contendit: proinde contra se hoc testimonium Kemnitius attulit. Secundò in hoc testimonio apertè legimus, virtute Spiritus sancti ex pane fieri carnem, & vinum transire in sanguinem, quod est contra omnes Lutheranos, qui negant transubstantiationem.

CAPVT XXV.

De veritate quintæ orationis Canonis.

QVINTA oratio illa est: *Memento etiam Domine, &c.* in qua fit memoria defunctorum.

PRIMA obiectio Lutheri est, qui hanc orationem secum ipsam pugnare, seque ipsam destruere affirmat. Nam hic oramus pro iis qui dormiunt in somno pacis, & qui in Christo requiescunt: & tamen eis precamur locum refrigerij, lucis, & pacis. Si dormiunt, ac requiescunt, quid illis refrigerium petimus? si pacem habent, cur pacem illis optamus?

RESPONDEO, Pacem illi quandam, & quietem habent, quia certi, ac securi sunt de præmio æternæ felicitatis, & quia liberi sunt à bello tentationum, & cõcupiscentiæ, & ab omni opere malo: sed nondum pacem, & quietem habent à tormentis, & à desiderio visionis diuinæ. Nec poterat aptiùs hæc oratio componi, vt solis iis conueniret, qui in purgatorio degunt. Nam qui sunt in gehenna, ij nullam pacem & quietem habent: qui sunt in regno, omnem pacem, & quietem possidẽt, soli sunt ij, qui in purgatorio exercẽtur, qui ita in somno pacis requiescunt, vt adhuc refrigerio, & pace indigeant.

SECVNDA obiectio, est Kemnitij Duodecima, qui audacter affirmat, olim solam memoriam defunctorum fieri solitam, ad imitationem scilicet, & in testimonium, quòd mortui apud Deum viuant, teste Dionysio: postea ad illam memoriam accessisse etiam preces pro defunctis: postremò sacrificium ipsum pro defunctis offerri cœptum, ita nimirum paulatim veterum institutа in superstitiones degenerasse.

RESPONDEO, Multa de hac re suprà diximus, cap. 7. vbi etiam ex Tertulliano antiquissimo auctore ostendimus vsum offerendi pro defunctis, vt non possit non esse mendacium, quòd hic scribit Kemnitius, institutа veterum paulatim degenerasse in abusum. Hoc loco solius Dionysij testimonium proferam, vt Kemnitius erubescat, si frontem habet. Dionysius igitur libro de Ecclesiastica hierarchia, cap. 7. parte 3. *Accedens*, inquit, *venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit, post quam precem, & ipse eum Præsul salutat, & suo deinceps ordine qui adstant omnes. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, cúmque in luce statuat, & regione viuorum, &c.*

CAPVT XXVI.

De sexta oratione Canonis.

SEXTA oratio, quæ & vltima est in Canone propriè dicto; incipit ab illis verbis: *Nobis quoque peccatoribus*, & extenditur vsque ad, *Per omnia sæcula sæculorum*, ante Dominicam orationem: concluditur enim totus Canon alta voce illis verbis: *Per omnia sæcula sæculorum*, vt populus totum confirmet, respondendo, *Amen*. Quare feria VI. maioris hebdomadæ, quia totus Canon, qui pertinet ad consecrationem, omittitur, nulla harum sex orationum legitur, nec dicitur, *Per omnia sæcula sæculorum*, sed immediatè post lotionem manuum, fit transitus ad orationem Dominicam.

IN hac oratione pro seipso orat sacerdos, ac de suis meritis diffisus, precatur sibi ex diuina misericordia partem, & societatem cũ sanctis Apostolis, & Martyribus. Vbi illud est annotandum, hic nominari, Primo loco Ioannem, Secundò Stephanum, Tertio Matthiã: de quibus multi dubitant cur solus Ioannes hîc repetatur ex iis, qui nominantur ante consecrationem, & cur Stephanus Diaconus præponatur Matthiæ Apostolo, & cur Matthias in priori ordine non fuerit nominatus. Et quidem Innocentius, & quidam alij, respondent Ioannem bis nominari, quia fuit Apostolus, & virgo, & ideò etiam coniungi cum Stephano, qui excellere visus est continentiæ dono, cùm viduis præpositus fuerit. Sed verior mihi videtur Vvalfridi sententia, c. 22. qui Ioannem, qui hoc loco nominatur, non Euangelistam, sed Baptistam esse dicit, qui Martyr etiam Domini fuit, & aliquo modo Apostolus, iuxta illud Ioan. 1. *Fuit homo missus à Deo.*

CVR autem Stephanus Matthiæ præponatur, vera ratio est, quia seruat hoc loco Ecclesia ordinem passionis, non dignitatis, priùs autem passus est Ioannes, quàm Stephanus, & priùs Stephanus, quàm Matthias.

CVR verò Matthias ante consecrationẽ in Canone cum aliis Apostolis non sit nominatus, existimo caussam esse duplicem, tum vt esset etiam aliquis Apostolus ex duodecim in hoc secundo ordine, ac verè dici posset, *Cum tuis Apostolis, & Martyribus*, tum etiam quia Matthias non fuit Apostolus ante passionem Domini, neque legitur in ordine Apostolorum in Euangeliis. Neque obstat, quòd Paulus quoque non fuerit Apostolus ante passionem Domini, neque in Euangelio nominetur, & tamen in priori ordine recenseatur: nam id est Pauli priuilegium, vt semper cum Petro coniungatur.

IAM contra hanc orationem, est obiectio Prima Lutheri, qui reprehẽdit sacerdotẽ, quòd non precetur hoc loco, se admitti ad cõsortiũ Christi, quasi eo nò indigeat, sed tantùm ad consortiũ Sanctorum: & rursus, quòd solùm petat partẽ cũ Sanctis, cùm Christus non partem,

sed totum thesaurum suum dare paratus sit.

RESPONDEO, Meræ calumniæ sunt. Nam consortium Sanctorum, est Christi consortium: id enim petimus, vt in regno Christi, consortium Sanctorum habeamus, non in regno diaboli cõsortium impiorum. Quod attinet ad vocem, *Partem*, ea desumpta est ex diuinis literis, quę per partem cum Sanctis, describunt omne bonum, & felicitatem. Col. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Et Ioan. 13. Dominus: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* quòd hanc partem orationis, quã Lutherus ita reprehendit, ac ridet, è contrario Kemnitius vehementer laudat, pag. 843. *In altera*, inquit, *commemoratione Sanctorum, in Canone verba sunt pulcherrima. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, &c. Hæc absq; dubio fuit formula veteris commemorationis Sanctorum.* Hęc ille. Vides igitur, Lector, quàm bene conueniat discipulo Lutheri cum magistro suo.

SECVNDA obiectio Lutheri contra illud: *Per quem hæc omnia semper bona creas.* Obiicit enim quòd Christum nos creare existimemus. Huc etiam pertinet obiectio Decimatertia Kemnitij, qui more suo contendit, hæc olim ante consecrationem dici consueuisse ad eleemosynas populi commendandas.

RESPONDEO, Hæc verba nusquam inueniuntur in Liturgiis, vel apud expositores, ante consecrationem posita: inueniuntur autem post consecrationem apud Alcuinum, & Amalarium lib. 3. de officiis Ecclesiasticis, cap. 26. & apud omnes posteriores, quocirca inanis est Kemnitij coniectura.

NIHIL autem absurdi hæc verba continent, sed potiùs aptissimè conueniunt in Canonis conclusionem: commemorant enim breuissimè omnia beneficia diuina circa hoc Sacramentum, inchoando à prima productione materiæ, vnde illud conficitur. Itaque dicimus à Deo per Christum hoc Sacramentum ratione materiæ, Primò creari, cùm panis videlicet creatur: Secundò sanctificari, cùm dedicatur per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum: Tertiò viuificari, cùm efficitur mysterium vitę, & in verum corpus Domini, & in ipsum Christum, qui est vita nostra, conuertitur per consecrationem: Quartò benedici, cùm omnis benedictionis effectum recipit, vt scilicet Sacramentali efficacia caput cum membris vniat: Quintò denique, nobis præstari, cùm ad sumendum, vt ex eo vitam hauriamus, datur. Ita Alcuinus totum hunc locum exponit, & post eum Hugo lib. 2. de officiis diuinis, cap. 36.

CAPVT XXVII.

De oratione Dominica, & sequentibus orationibus.

POST Canonem sequitur oratio Dominica, & quædam aliæ orationes, quibus ad Communionem præparamur, & hic incipit Quarta pars Missæ. Quamuis enim Innocentius, & alij recentiores, includant intra Canonem etiam orationem Dominicam, & aliqua alia; & tamen Gregorius lib. 7. epist. 63. & Strabo c. 22. scribunt, orationem Dominicam legi post Canonem. Porrò Dominica oratio habetur in omnibus Liturgiis, & præterea legendam esse ad Missam, perspicuum est ex Cyrillo catechesi 5. mystagogica, ex Ambrosio lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. ex Hieronymo lib. 3. contra Pelagianos, ex Augustino epist. 59. ad Paulinum, & ex Gregorio lib. 7. epist. 63. & ex Concilio IV. Toletano, can. 17. Post eam orationem, subiungitur oratio quędam, quæ incipit: *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, &c.* quam reprehendit Kemnitius obiectione 14. quia in ea fit mentio intercessionis Sanctorum: sed de hac re satis multa dicta sunt, cap. 8. Adde, quòd hæc oratio habetur apud Alcuinum, & alios veteres, proinde antiquissima est.

SEQVITVR deinde alia oratio dũ hostia frangitur, & commiscetur corpus Dñi cum sanguine: *Pax Domini, &c.* &, *Hæc cõmixtio, & consecratio.* Et quidem: *Pax Domini*, Luthero, & Kemnitio non displicet, displicet autem valde id quod sequitur: *Hæc cõmixtio, & consecratio, &c.*

AC primùm obiicit Lutherus, blasphemum esse quod hic dicitur de commixtione corporis Christi cum sanguine, cùm vnus sit Christus, & indiuisus.

RESPONDEO, Non intelligunt Catholici, corpus & sanguinem in propria specie commisceri; id enim sciunt fieri non posse, nisi Christus iterum vulneretur, sed in specie panis, & vini. Quemadmodum enim ratione specierum, dicitur videri, tangi, & frangi, ita etiam ratione earundem dici potest commisceri.

SECVNDÒ obiicit, absurdum esse vt dicatur cum ista mixtione fieri consecrationem, cùm iam antea per verba Domini facta sit consecratio.

RESPONDEO, Illud verbum, *Consecratio*, non habetur apud Amalarium lib. 3. c. 31. & apud Innocentium libro 5. sed solùm: *Fiat commixtio corporis, &c.* quocirca nonnulli superuacaneum esse credunt. At Ordo Romanus distinctè habet: *Commixtio, & consecratio.* & eodem modo legit Micrologus, capit. 18. & fuit auctor Ordinis Romani antiquior Amalario, & Micrologus Innocentio. Neque habet aliquid incommodi ea vox, si bene intelligatur; non enim petimus vt nunc fiat consecratio, sed vt consecratio antea facta, sit nobis ad vitam æternam salutaris. Posset etiam fortasse commodè respõderi, agi hoc loco de noua quadam consecratione, quæ ex commixtione nunc primùm exurgit. Nam in Liturgia Iacobi, vbi fit cæremonia commixtionis, leguntur hæc verba: *Vnitum est, & sanctificatum.* Porrò hæc consecratio nihil est aliud, nisi noua quædam significatio Sacramentalis: vt enim consecrari dicitur quod acquirit Sacramentalem significationem, ita etiam dicitur iterum consecrari, quod acquirit aliam significationem Sacramentalem. Significatur autem per illam cõmixtionem, resurrectio Domini, vt Amalarius lib. 3. cap. 31. & omnes alij scribunt: nam in resurrectione iterum caro Domini cùm sanguine suo coniuncta fuit. Itaque in illa commixtione, noua fit consecratio, dum species illæ, quæ diuisæ, Christi mortem repræsentabant, nunc inter se coniunctæ, resurrectionem Domini repræsentant.

TERTIÒ obiicit idem Lutherus, nõ rectè tribui isti commixtioni vim conferendæ æternæ vitæ: cùm enim commixtio illa opus nostrum sit, si eam vim habet salutis conferendæ, certè opere nostro salutẽ consequemur.

RESPONDEO, Nõ esse absurdum, si dicamur opere nostro ex diuinæ gratiæ auxilio procedente, salutem nostram adipisci. nam & Paulus habet: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini*, Phil. 2. &, *Ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. 10. Sed hoc loco tamen non dicimur propriè salutem acquirere per commixtionem & consecrationem, vt illa opera nostra sunt. Nã commixtio, & consecratio, dicuntur fieri in nostram salutem, non quòd ipsa actio commiscendi, & consecrandi nos saluet, sed quia res ipsæ cõmixtæ, & consecratæ dum à nobis deuotè suscipiuntur, multùm prosunt ad salutem, vnde hic dicimus: *Fiat sumentibus nobis in vitã æternam.*

QVARTÒ obiicit Kemnitius (& est eius obiectio Decimaquarta) Canonem Missæ, dũ istam commixtionem fieri iubet, non solùm non conuenire cum Scriptura, & Patribus, sed neq; cum antiquis Romanis Pontificibus: exstat enim prohibitio Iulij Papæ apud Gratianum, canone, Cum omne, de consecratione, dist. 2.

RESPONDEO, Iulius Papa non prohibet commixtionem quæ fit in Missa, sed eam, quam nonnulli faciebant, cùm populo Sacramentum Eucharistiæ porrigere volebant. Vnde Micrologus c. 18. describit commixtionem, quæ fit in Missa, vt antiquissimã, & legitimam. deinde cap. 19. reprehendit commixtionem illam, quam Iulius reprehendit. Concilium Toletanum IV. can. 17.

memi

meminit commixtionis, quæ fit in Missa, eámque probat: Concilium autem Bracarense III. canon. 1. prohibet commixtionem, quam Iulius prohibet. Non est autem verisimile in eadem Hispania, eodem ferè tempore, contraria decreta condita fuisse: Concilia enim illa eodem ferè tempore circa annum Domini DC. L. celebrata esse constat. Denique commixtio quæ fit in calice, habetur in omnibus Liturgiis Græcis, & in Ordine Romano, necnon apud Alcuinum, Amalarium, & omnes alios. Quis autem credat, aut Iulium damnasse vsum omnium Ecclesiarum, aut omnes Ecclesias, & Romanam inprimis, obtemperare Iulio noluisse?

SEQVITVR postea: *Agnus Dei, &c.* quod à Sergio Papa ante annos C. M. institutum referunt, Vvalfridus cap. 22. Micrologus cap. 18. & omnes alij. Neque aduersariis displicet.

TVM sequuntur tres orationes ante Communionem, quas (vt suprà notauimus ex Micrologo, capit. 18.) non præscripsit ordo antiquus Missæ, sed deuotio religiosorum inuexit. Earum primam reprehendit Lutherus, ob illa verba: *Non respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ.* Dicit enim his verbis, sacerdotes damnare seipsos, quòd affirment se sine fide indignè, instar canum, tractare hoc Sacramentum: & hinc factum esse, vt Papistæ sentiant, hoc sacrificium placere Deo ex opere operato, sine bono motu vtentis.

AT hic ter peccat Lutherus. Primùm enim non dicit sacerdos se non habere fidem, sed tantùm se habere peccata. Potest autem quis non solùm fidem, sed etiam charitatem habere, & tamen agnoscere se peccatorem: alioqui nemo iustus posset dicere in oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra.* Sacerdos igitur fatetur se peccatorem, & non habere tantam fidem, quantam hoc mysterium requireret: vnde etiam paulò pòst dicit: *Domine non sum dignus.* & Ideò mauult, vt Deus ad fidem Ecclesiæ, quàm ad suam propriã respiciat. Duplex enim dignitas circa hoc Sacramentum distinguitur. Vna, quam Sacramentum necessariò requirit, & hæc in eo consistit, vt quis non habeat conscientiam peccati mortalis: & qui ista carent, dicuntur indigni, 1. Cor. 11. & grauissimè peccant accedentes. Altera dignitas est, quam Sacramentum requireret, si non nostram imbecillitatem, sed eius excellentiam respiciamus: & hæc in eo posita est, vt solis radiis, & ipsis etiam Angelis puriores simus, & de hac loquuntur sacerdotes, cùm se indignos fatentur.

DEINDE falsum est, Catholicos existimare sacrificium hoc placere Deo, sine bono motu vtentis. Nam etiamsi ipse Minister offerens fortè sit malus, & careat bono motu, tamen Christus principalis offerens non caret bono motu: immò ideò hic oramus, vt Deus respiciat fidem, id est, bonum motum Ecclesiæ, quia existimamus sine bono motu alicuius offerentis sacrificium Deo minimè placiturum. Quod si fortè Lutherus agat de bono motu eius, pro quo sacrificium offertur, distinguendum est, de effectu sacrificij immediato, qui est, placare Deũ, & de mediato, qui est iustificare hominem. Nam si de priore agatur, non est absurdum, sacrificium prodesse sine bono motu eius, cui prodest. Quemadmodum enim orare possumus pro dormiente, & indeuoto, vel etiam impœnitente, ita etiam sacrificium offerre: & sicut oratio, ita & sacrificium illi prodesse poterit, licet ignoret quid agatur. At si de posteriore, falsum est, sacrificium prodesse sine bono motu eius, cùm ad hoc potissimùm sacrificium offeratur, vt Deus hoc sacrificio placatus, bonum illi motum, id est, conuersionem inspiret.

DENIQVE fallitur Lutherus, cùm opus operatum ex sententia Catholicorum, opponit bonum motui, quasi idem sit, sacrificium prodesse ex opere operato, & prodesse sine bono motu vtentis. Nam Catholici omnes docent, Sacramenta vim habere ex opere operato: & tamen requirunt bonum motum, id est, fidem, & pœnitentiam ex parte suscipientis.

SEQVITVR illa oratio: *Quod ore sumpsimus, &c.* Et illa: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi.* quas Lutherus etiam approbat in formula Missæ, Collectas autem solùm reprehendit, quòd in eis fiat mentio sacrificij. sed de hac re satis multa dicta sunt.

SEQVITVR: *Ite missa est*, qua etiam dimissione vtuntur Græci, sed per illa verba: *In pace Christi eamus*, & respõdetur: *In nomine Domini*, vt patet in Liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysostòmi. Porrò: *Ite Missa est*, vt Alcuinus rectè docet, nihil aliud significat, nisi, Ite, dimissio conceditur, de qua re initio primi disseruimus. Cur in quibusdam Missis, non dicatur, *Ite missa est*, sed, *Benedicamus Domino*, causam reddit Micrologus c. 64. Scribit enim, in Missis festiuis populum semper ad Missas conuenire, & ideò in fine publicè dimissionem denunciari: in diebus ferialibus non conuenire vt plurimùm, nisi Clericos, & Monachos, quibus non esse dicendum, *Ite*, sed potiùs inuitandos ad permanendum in Dei laudibus, cùm ipsorum officium sit, in precibus, & laudibus Domini occupari. Sunt tamen Missæ quædam solennes, & ad quas populus concurrit, & tamen in eis non dicitur, *Ite Missa est*, sed, *Benedicamus Domino*, vt in Dominicis aduentus, & Quadragesimæ. Sed hoc fit solùm ad significandam mœstitiam illius temporis: videtur enim nescio quid lugubre præ se ferre, quòd non publica denunciatur dimissio, sed vnusquisque per se discedit.

SEQVITVR postea: *Placeat sancta Trinitas.* Quam orationem arguit Lutherus, quòd dicat in ea rursus orari pro Christo: sed hoc solutum est suprà in 2. obiectione Lutheri contra 4. orationem Canonis.

EANDEM orationem damnat Kemnitius obiectione 16. vbi dicit, hîc proponi Deo repræsentationem Sacerdotis pro sacrificio propitiatorio. Sed Kemnitius semper hæret in eodem luto: non enim repræsentationem nostram, sed sacrificium corporis Domini, reipsa oblatum, Domino commendamus, vt illud benignus accipiat, & nobis propitiabile esse concedat.

SEQVITVR Benedictio: *Benedicat vos, &c.* quem vsum esse antiquissimum patet, tum ex Liturgiis Græcis, tum ex Concilio Agathensi, can. 47. vbi populis imperatur, vt diebus Dominicis Missæ celebrationi intersint, neque inde ante Sacerdotis benedictionem recedant. De hac benedictione vide Micrologum, cap. 21. vbi probat, non solis Episcopis, sed etiam Presbyteris licere post Missam populo benedicere, & ad epistolam Damasi de Chorepiscopis, & ad Canonem 44. Concilij Agathensis, vbi id Presbyteris interdictum esse videtur, respondet, ea decreta aut intelligenda esse de benedictione Presbyteri, Episcopo præsente, aut certè vsu tandem abrogata fuisse. Atque hæc de sacrificio, pro institutа breuitate dicta sint.

Finis Librorum de Sacramento Eucharistiæ. Ad honorem DEI.

QVAR

QVARTA CONTROVERSIA GENERALIS. DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

QVATVOR LIBRIS COMPREHENSA.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

Cap. I. Qui scripserint de Pœnitentia, tùm Catholici tùm Hæretici.
II. Deteguntur impostura, & mendacia quædam crassiora Lutheri.
III. Calumniæ & mendacia Melanchthonis.
IV. Calumniæ & mendacia Tilemanni Heshusij.
V. Calumniæ & mendacia Ioannis Caluini, & Theodori Bezæ.
VI. Calumniæ & mendacia Martini Kemnitij.
VII. De nomine Pœnitentiæ.
VIII. Proponitur controuersia prima.
An Pœnitentia sit Sacramentum propriè dictum.
IX. Explicantur sententiæ Aduersariorum de proposita quæstione.
X. Pœnitentiam Sacramentum esse propriè dictum.
XI. Soluuntur argumenta Caluini & Kemnitij.
XII. An Pœnitentiæ Sacramentum à Sacramento Baptismi diuersum sit.
XIII. Probatur veritas.
XIV. Soluuntur obiectiones.
XV. De partibus essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ.
XVI. Soluuntur obiectiones.
XVII. De partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ, Quæstio inter Catholicos.
XVIII. De partibus Pœnitentiæ, sententiæ variæ Hæreticorum.
XIX. Refelluntur sententiæ Hereticorum, & Catholica confirmatur.
XX. Respondetur ad argumenta Aduersariorum.
XXI. De tertia partitione Pœnitentiæ, in priuatam, publicam, & solennem.
XXII. De ritibus Pœnitentiæ solennis.

LIBER SECVNDVS.

Qui est de Contritione.

PRAEFATIO.

Cap. I. Proponitur doctrina Catholica.
II. Contritionem esse actionem bonam, & liberam, atque ad Euangelium pertinentem.
III. Contritionem sine speciali Dei auxilio haberi non posse.
IV. In Contritione includi odium, ac detestationem peccati præteriti.
V. Soluuntur obiectiones.
VI. In Contritione includi propositum rectè viuendi.
VII. Soluuntur obiectiones.
VIII. Contritionem ad iustificationem omninò necessariam esse.
IX. Soluuntur obiectiones.
X. De quantitate Contritionis.

XI. De quantitate Contritionis ex sententia Catholicorum.
XII. Contritionem caussam esse remissionis peccatorum.
XIII. Contritione perfecta cum voto Sacramenti suscipiendi, remitti peccata ante sacerdotis Absolutionem.
XIV. Soluuntur obiectiones.
XV. Nullum esse peccatum, quod per veram Pœnitentiam non deleatur.
XVI. Soluuntur obiectiones: ac de peccato in Spiritum sanctum breuiter disputatur.
XVII. Contritionem imperfectam, siue attritionem ex timore pœnæ ortam, bonam atque vtilem esse.
XVIII. Soluuntur obiectiones.

LIBER TERTIVS.

In quo de Confessione disseritur.

Cap. I. De erroribus circa Confessionis necessitatem.
II. Probatur Confessionis necessitas ex Euangelio.
III. Confirmatur eadem veritas ex figuris quæ confessionem Sacramentalem præcesserunt.
IV. Confirmatur eadem veritas ex aliis locis noui Testamenti.
V. Idem probatur ex testimoniis Conciliorum.
VI. Idem probatur ex traditione veterum Patrum, qui floruerunt ab anno Domini C. ad CC.
VII. Testimonia Patrum ab anno CC. ad CCC.
VIII. Testimonia Patrum ab anno CCC. ad CD.
IX. Testimonia Patrum ab anno CD. ad D.
X. Testimonia reliquorum Patrum, ab anno D. ad M. CC.
XI. Refelluntur solutiones Kemnitij ad loca Patrum.
XII. Confessionem esse Iuris diuini, confirmatur aliquot argumentis.
XIII. Soluitur argumentum primum Ioannis Caluini.
XIV. Soluitur argumentum secundum Caluini, vbi tractatur historia de facto Nectarij.
XV. Soluitur argumentum tertium Ioannis Caluini.
XVI. Argumentum quartum Caluini.
XVII. Diluitur argumentum quintum Caluini.
XVIII. Diluitur prima obiectio Martini Kemnitij.
XIX. Diluitur secunda obiectio Kemnitij.
XX. Diluitur tertia obiectio Kemnitij, & simul obiectiones Brentij.
XXI. Soluitur quarta obiectio Kemnitij.

LIBER QVARTVS.

In quo de Satisfactione agitur.

Cap. I. Status controuersiæ explicatur.
II. Quòd sæpè remissa culpa, maneat debitum luendæ pœnæ.
III. Reatum pœnæ temporalis, qui interdum remanet post amicitiam cum Deo reformatam, bonis operibus redimi posse.
IV. Opera laboriosa, quibus reatus pœnæ temporalis expiatur, sponte susci pi posse.
V. Opera quibus reatus peccati præteriti expietur, rectè à Sacerdotibus iniungi.
VI. Opera Satisfactoria esse Orationem, Ieiunium, & Eleemosynam.
VII. Posse hominem iustificatum verè Deo satisfacere pro reatu pœnæ temporalis.
VIII. Ex Scripturis probatur, Deo satisfieri posse pro pœna temporali, culpa dimissa.
IX. Ex traditione veteris Ecclesiæ probatur Satisfactio.
X. Refutantur responsiones Hæreticorum ad testimonia Patrum.
XI. Soluuntur argumenta quædam Lutheri contra sententiam Ecclesiæ de satisfactione.
XII. Soluuntur argumenta Philippi Melanchthonis ex Locis communibus.
XIII. Soluuntur argumenta Philippi ex Apologia Confessionis Augustanæ.
XIV. Soluuntur quædam argumenta Ioannis Caluini.
XV. Soluuntur alia Caluini argumenta.
XVI. Soluuntur alia Caluini argumenta.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

LIBER PRIMVS.

QVE Sacramento Pœnitentiæ quinque ſunt controuerſiæ principales, quas, prout Dominus, pro cuius ſolius gloria ſcribimus, dederit, explicabimus. Prima eſt de genere, an videlicet Pœnitentia ſit Sacramentum propriè dictum, & quæ ſint eius partes. Altera de Contritione, quæ prima pars eſt materialis Pœnitentiæ. Tertia de Confeſſione, quæ eſt pars ſecunda. Quarta de Satisfactione, quæ eſt pars tertia. Quinta de Abſolutione, quæ eſt pars formalis, vbi etiam de Caſuum reſeruatione, de Miniſtro, de Indulgentiis, de Clauibus agetur.

Sed antequam ad ipſas controuerſias accedamus, operæpretium eſſe duximus, tria quædam præmittere: Qui auctores de hoc argumento ſcripſerint, quibus impoſturis & mendaciis veritatem inuoluere nitantur aduerſarij, & quid nomine Pœnitentiæ cùm apud Latinos, tum apud Hebræos, & Græcos intelligatur.

CAPVT PRIMVM.

Qui ſcripſerint de Pœnitentia, tum Catholici tum Hæretici.

ITAQVE ex Catholicis multi de Pœnitentia egregia volumina reliquerunt. Ac vt à veteribus incipiamus, Primus de Pœnitentia librum integrum ſcripſit Tertullianus, quem tamẽ inter Catholicos non numeramus. Deinde, S. Cyprianus de eodem argumento ſcripſit tum in ſer. 5. de lapſis, tum in lib. ad Nouatianum. Tertiò, ſcripſit Pacianus epiſtolas tres contra Nouatianos, & Paræneſim ad Pœnitentiam: quæ omnia nunc habentur in primo tomo Biblioth. ſanctorum Patrum. Quartò, ſanctus Ephrem ſcripſit librum de Pœnitentia, & alterum de vera Pœnitentia. Quintò, S. Ambroſius ſcripſit libros duos de Pœnitẽtia aduerſus Nouatianos. Sextò, S. Ioãnes Chryſoſtomus ſcripſit homilias duodecim, de Pœnitentia. Septimò, S. Auguſtinus ſcripſit homilias duas, quæ ſunt 27. & 50. in lib. 50. homiliarum. quarum altera ſub titulo libri de vtilitate Pœnitentiæ; altera ſub titulo libri de Pœnitentiæ medicina, in tom. 9. etiam habẽtur. Octauò, Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum, de Pœnitentia proprium tractatum fecit. Nonò, Victor Cartennenſis inſigne volumen ſcripſit de Pœnitentia. Decimò, Hugo de S. Victore, lib. 2. de Sacramentis, par. 14. Vndecimò, Petrus Lombardus, & poſt eum Theologi Scholaſtici libro 4. ſentent. diſtinct. 14. & Gratianus, ac poſt eum Iureconſulti 33. quæſt. 3.

PROPRIE autem aduerſus Hæreticos recentiores hi Theologi ſcripſerunt. Thomas Vvaldenſis tomo 2. de Sacramentis, cap. 135. & ſeq. Ioannes Eckius in homiliis de Sacramentis, & in tribus libris de Pœnitentia. Ioãnes Roffenſis in refutatione articulorũ Lutheri. Albertus Pighius controuerſia nona. Petrus à Soto de inſtitutione ſacerdotum. Ruardus Tapperus in explicatione articulorum Louanienſium. Ioannes Gropperus in Enchiridio Concilij Colonienſis. Alphonſus à Caſtro in libris contra Hæreſes. Dieghus Payua lib. 8. Orthodoxarum explicationum. Iacobus Latomus in defenſione articuli 3. Louanienſium, & in lib. de Confeſſione ſecreta, & in altero contra Oecolampadium. Ioannes Antonius Delphinus lib. 2. de Eccleſia. Marianus Victorius hiſtoriam ſcripſit de Sacramento Confeſſionis. Hoſius Cardinalis in Confeſſione Polonica, cap. 44. & ſequentibus. Vvilhelmus Lindanus libro 4. Panopliæ, cap. 57. & ſequẽtibus. Pereſius Aiala in libro de traditionibus, par. 3. Andreas Vega lib. 13. in Concilium Tridentinum. Ioannes Cochlæus in diſcuſſione articulorum 11. & 13. Auguſtanæ Confeſſionis. Ioannes à Dauentria in refutatione eorundem articulorum. Ioannes Hoffmeiſterus in iudicio de iiſdem articulis. Alphonſus Vitueſius Philippica 9. 10. & 11. Ioannes Medina tractatu de Pœnitentia, Confeſſione, & Satisfactione. Melchior Canus in relectione de Pœnitentia. Chryſoſtomus Iauellus lib. de Philoſophia Chriſtiana, par. 5. tract. 5. Tilmannus in lib. de Sacramentis, cap. 4.

IAM verò ex Hæreticis noſtri temporis, ſcripſit primus Martinus Lutherus de Pœnitẽtia in lib. de captiuit. Babylon. cap. de Sacramento Pœnitentiæ, in aſſertionibus articulorum ſuorum, in diſputationibus contra Antinomos. Philippus Melanchthon in confeſſione Auguſtana, & eius Apologia, art. 11. & 12. in locis communibus, tit. de Pœnitentia, contritione, confeſſione, & Satisfactione: & in diſputatione quadam de Pœnitentia. Ioannes Oecolampadius in lib. de confeſſione. Ioannes Brẽtius in confeſſione Vvittembergenſi, & in eius Apologia, & in homiliis de Pœnitentia. Ioannes Caluinus lib. 3. Inſtitutio. cap. 4. & libro 4. cap. 19. Ioannes Vvigandus in lib. qui inſcribitur Methodus doctrinæ Eccleſiæ Magdeburgenſis, cap. 18. Petrus Palladius in Admonitione de Pœnitentia, & Iuſtificatione. Dauid Chytræus in ſua Cateheſi, loco 8. Martinus Kemnitius in 2. part. Examinis Tridentini Concilij ad 14. ſeſſionem. Theodorus Beza in ſua Confeſſione fidei, cap. 7.

CAPVT II.

Deteguntur impoſturæ, & mendacia quædam craſſiora Lutheri.

NVNC vt ad mendacia veniamus: Lutherus in libello quem inſcripſit, Aduerſus execrabilem Antichriſti bullam, de ſexto articulo diſputans, ſic ait: *Lege libros illorum Sophiſtarum de Pœnitentia, & videbis eos nec promiſſionis, nec fidei vllam mentionem facere. Has enim partes Pœnitentiæ viuas omittunt, & ſolis mortuis contritionibus homines exagitant.* Hæc ibi. Idem repetit his verbis, in lib. de captiuit. Babylon. cap. de Pœnitentia: *Non hoc contenta Babylonia noſtra, fidem quoque adeò extinxit, vt impudenti fronte eam negaret neceſſariam eſſe in Sacramento iſto, immò Antichriſtica impietate definiret hæreſim eſſe, ſi fidem neceſſariam quis eſſe aſſereret.*

HÆC impudentiſſima calumnia non ſolùm refutatur omnibus Catholicorum libris, qui primo loco fidem exigunt

exigunt in iuſtificatione adultorum: ſed etiam ex ipſomet Luthero ſecum in eadem pagina intra ſeptem lineas apertiſſimè pugnante. Sic enim ait libro ſuprà citato aduerſus execrabilem Antichriſti bullam, & in eadem ipſa pagina: *Hoc ea doctrina egi: pœnitentiam nullius eſſe momenti, niſi in fide, & charitate fieret, quod ipſimet docent quoque, niſi quòd nec quid fides, nec quid charitas ſit, aut ſciunt, aut docent.* Hæc ibi.

SECVNDÒ, idem Lutherus in eodem lib. de captiui. Babylon. cap. de Pœnitentia: *Principiò*, inquit, *Contritionem ſic docuerunt, vt eam fide promiſſionis priorem facerent, & longè viliorem, vt quæ non eſſet fidei opus, ſed meritum, immò non memorantur eam.* Et infrà: *His audaciores, & peiores finxerunt quandam attritionem, quæ virtute Clauiũ, quam ignorant, fieret Contritio: eam donãt impiis, & incredulis, vt ſic vniuerſa Contritio aboleretur. O iram Dei inſuſtentabilem! Hæccine in Eccleſia Chriſti docerí?* Hæc ille.

ATqui hæc omnia impoſturæ, & calumniæ ſunt. Nemo enim Catholicorum contritionem priorem eſſe fide, neque ipſam etiam attritionem niſi fide præcedente vllo modo haberi poſſe docuit: fidem autem ita certi ſumus donum eſſe Dei, vt neque contritione, quæ ex fide naſcitur, neque vllo alio opere, tanquam ex merito acquiri poſſe conſtanter doceamus. Neque Lutherus vllum notare potuit auctorem ex noſtris, id eſt, Catholicum, qui ea ſcripſerit, aduerſus quæ ipſe adeò tragicè vociferatur. Sed video vnde occaſionem acceperit calumniandi: fidem enim nouus iſte Apoſtolus lõgè aliter definit, quàm in epiſt. ad Hebræos B. Paulus definierit, & quàm acceperit hactenus Catholica Chriſti Eccleſia. Quia igitur inanem illam perſuaſionem, qua Lutherani iubent vnumquẽque firmiſſimè credere, ſibi à Deo remiſſa eſſe peccata, nos Catholici non agnoſcimus, ac ne fidei quidem Catholicæ nomine dignamur, Lutherus vt ſimplicibus imponat, nos fidem ſimpliciter à contritione ſeparare, atque adeò de medio tollere calumniatur. At nos non fidem Chriſti, ſed hæreſim Lutheri minimè neceſſariam ad contritionem eſſe contendimus.

TERTIÒ, idem Lutherus in 4. diſputatione aduerſus Antinomos propoſitione 3. docet, apud Catholicos pœnitentem oportere eſſe incertum de remiſſione peccatorum. Et in eadẽ diſputatione, propoſitione 9. affirmat Papiſtas cogere homines vt diffidant an Chriſtus pro illorum peccatis ſit mortuus. Et in ſerm. de Euchariſtia, quem habuit anno XXVI. dicit, ſummè erratum eſſe, quòd nemo hactenus rationem Abſolutionis habuerit, quòd videlicet non certò crediderint ſe abſolutos.

VBI eſt aliquid breuiter Obſeruandum, vt fundamentum harum calumniarum faciliùs detegatur. Cùm tria concurrant ad remiſſionem peccatorũ; Chriſti meritum, virtus Sacramenti, & propria diſpoſitio per ipſam pœnitentiam, quæ ſine actu fidei, aliarúmque virtutum haberi non poteſt: Catholici homines adeò non dubitant de Chriſti merito, & Sacramenti virtute, vt hæreticos cenſeant qui Chriſtum non pro omnibus mortuũ, aut eius mortem non ad omnia omnium hominum peccata delenda ſufficere, aut Sacramenti virtutem ineffi-cacem, incertámve eſſe diſputare auſi fuerint. De propria diſpoſitione, an ea ſit qualis requiritur, non immeritò ambigi poſſe docent. Quod quidem ipſi etiam Lutherani fateri coguntur: nam fidem, & pœnitentiem requiri non negant: poſſe autem falli hominem in ſua fide ac pœnitentia diſcernenda, concedunt. Sic enim Lutherus loquitur in ſerm. de Baptiſmo habito anno M. D. XXXV. *Vt Baptiſmus certus ſit in nobis, ideò non fundat eum Deus ſupra fidem noſtram, cùm illa poſſit incerta, & falſa eſſe, ſed ſupra verbum & inſtitutionem ſuam.* Et Ioãnes Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 10. de iis loquens, qui fidem ſe habere exiſtimant, cum tamen non habeant: *Tot vanitatis*, inquit, *receſſus habet, tot mẽdacij latebris ſa-*

tet cor humanum, tam fraudulenta hypocriſi obtectum eſt, vt ſeipſum ſæpe fallat. At verò qui talibus fidei ſimulachris gloriatur, intelligant diabolis nihilo ſe in hac parte præcellere. Hæc ille.

LVTHERVS igitur, vt etiam Lutherani paſſim, cùm intelligant Catholicos de conſequutione remiſſionis peccatorum interdum non ſine cauſſa dubitare ob indiſpoſitionem propriam; mira fraude, quod eſt vnius cauſſæ, ad aliam transferunt, & impudenter nobis affingunt, quòd de mortis Chriſti precio, aut de Sacramenti virtute, & efficacia dubitemus. Accedit, quòd Catholici non docent oportere pœnitẽtes (vt Lutherus mentitur) eſſe incertos de remiſſione peccatorum, quin potiùs hortantur, vt ita viuant, & ea diligentia, cóque ſtudio Sacramentum percipiant, vt certò confidere poſſint ſibi remiſſa eſſe peccata, & teſtimonio pacatæ conſcientiæ iucundiſſimè perfruantur.

SED duo ſunt quæ Catholici docent, & in quibus ab aduerſariis diſſidemus. Alterum, certitudinem quam de remiſſione peccatorum habere poſſumus, & plurimi fidelium poſt Sacramẽta percepta habent, non eſſe certitudinem fidei Catholicæ, ſed moralem & humanam, nec tam fidei, quàm fiduciæ. Alterum, eos, qui hac certitudine carent, & ob ſuam infirmitatẽ metuunt, ne fortè Sacramenti fructum non perceperint, non eſſe propterea inter infideles & impios numerãdos; neque ideò inutiliter Sacramenta percipere, quia timent ne fortè inutiliter Sacramenta percipiant.

ADVERSARII verò non minùs certò credere iubent eos, qui Sacramenta miniſtrant, ſibi remiſſa eſſe peccata, quàm Chriſtum Deum eſſe, & eadem de cauſſa qui de ſua iuſtificatione dubitant, impios & infideles iudicant: in quo apertiſſimè falluntur. Nam etiamſi ex verbo Dei certi ſimus, omnibus illis remitti peccata, qui, vt oportet, ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, dicente Domino: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. hunc tamen aut illum hominem, vt oportet, ad Sacramentum accedere, ex verbo Dei colligĩ poteſt, ſed ex humanis tantùm coniecturis, ac ſignis, proinde ad fidem Catholicam & diuinam, quæ verbo Dei nititur, id pertinere nullo modo poteſt.

QVARTÒ, idem Lutherus in libro de Miſſa priuata edito anno XXXIIII. ſcribit pleroſque Catholicorum horribili, & Satanica impudentia iam rurſus docere, Chriſtum tantùm ſatisfeciſſe pro peccato originali: pro actualibus autem nos ipſos ſatisfacere oportere, & ita ex Chriſtianis nos iam fieri Turcas & Ethnicos, conſputato Chriſto. Idem in præfatione commentariorũ in epiſt. ad Galat. anno XXXV. longiùs progreditur: dicit enim à Catholicis minoris Chriſtum æſtimari, quàm à Iudæis, cùm Iudæi Chriſtum habeant pro latrone meritò in cruce ſuſpenſo: Catholici autẽ (vt ipſe mentitur) Chriſtum habeant pro fabula, & tanquam aliquod fictum numen apud Gentiles.

MENDACIVM hoc tam eſt craſſum, & manifeſtum vt nulla refutatione indigeat. Catholici enim Satisfactionem non ad ipſa peccata actualia delenda referunt, niſi fortè per modum diſpoſitionis, ſed ad pœnas temporales, quas diuina ſapientia remanere voluit remiſſa culpa: porrò culpas ipſas actuales Catholici omnes per Sacramentum Pœnitentiæ, quod vim habet ex Chriſti ſanguine, purgari affirmant. Id quod neque Lutherus ipſe ignorare potuit: nam in diſputatione Philippi de partibus Pœnitentiæ, cui Lutherus epiſtolam laudatoriam præfixit, ita habet propoſitio 10. *Reſtè fatentur aduerſarij quòd Satisfactiones non mereantur remiſſionem culpæ*, & idem repetit Philippus in Apologia confeſſionis Auguſtanæ in art. de confeſſione, & Satisfactione. Adde, quòd non ſolùm Catholici docent, Chriſtum ſatisfeciſſe pro culpis omnibus, ſed etiã pro omnibus pœnis: cæterùm Chriſti

satisfactionem non eodem modo nobis applicari pro culpa originali,& pro actuali, neque eodem modo pro pœna æterna,& pro temporali, vt infrà suo loco explicabimus.

QVINTÒ, idem Lutherus in commentario epistolæ ad Galatas, in illa verba 2. capitis: *Si enim quæ destruxi, iterum ædifico, &c.* scribit catholicos in confessionis Sacramento nullam mentionem facere meriti Christi, sed inculcare tantùm humanas satisfactiones: id quod probat ex forma Absolutionis, qua vtuntur religiosiores Papistæ.

SED hoc mendacium non opinor Lutherū vigilando, sed dormiendo scripsisse: nam in ipsa forma Absolutionis, quam eo loco ponit,& quam etiam ex Luthero Tilmannus Heshusius recitat, in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, loco 9. num. 57. prima verba sunt hæc: *Meritum passionis Christi, & meritum beatæ Mariæ Virginis,& omnium Sanctorum,&c.*

SEXTÒ, idem Lutherus in capt. Babyl. cap. de Sacramento Pœnitētiæ, in ipso principio sic ait: *Primum huius Sacramenti,& capitale malum est, quòd Sacramētum ipsum in totum aboleuerunt, ne vestigio quidem eius relicto:*

AT si ita esset, vt Lutherus hoc loco dicit, certè non existimarent catholici ex Lutheri sententia, septem esse Sacramenta: non enim septem esse possunt, si vnum dematur. Idem autem Lutherus in ipso principio eiusdem libri de capti. Babyl. cùm dicit, neganda sibi esse septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda, satis apertè significat apud catholicos septem Sacramenta communiter numerari.

SEPTIMÒ, idem Lutherus in libro aduersus Papatum Romæ fundatum, quem edidit anno XLV. vno anno videlicet antequam de hac vita migraret, ita impudenter mentitur,& obscœnè, ac petulanter loquitur, vt mirum sit ab ipsis suis hominibus non pro scurra potiùs, quàm pro Euangelista habitum. Audacter scribit Papam dicere: *Nemo extra me, meas Claues,& Missas, potest opem ferre: Christus & fides hic nihil possunt conferre.* Item: *Christus est ebrius, stolidus, fatuus,& oblitus quantam potestatem ligandi cum Clauibus mihi tradiderit.* Item: *Qui non adorat ventris mei crepitus, peccatum mortale cōmittit,& dignus est inferno.* Ibidem seriò affirmat, Papam, & omnes qui illi adhærent, quos rudes,& stupidos, ac scelleratos asinos vocat, nihil omninò scire in sacris literis, nihil nosse de Deo, de Christo, de Baptismo, de Eucharistia, de Clauibus, de bonis operibus: & extra dubitationem esse dicit, nullum catholicorum scire vnum ex decem Præceptis, vel vnam petitionem orationis Dominicæ, vel aliquem articulum Symboli; immò neque ordinem Decalogi posse recensere, quæ apud suos Lutheranos etiam pueris quinque annorum notissima sint.

HÆC si refellere velim, iniuriam faciam vel ipsis Lutheranis, quasi eos tam hebetes,& tardos esse censeam, vt hęc tam splendida mendacia sibi persuaderi passi fuerint.

OCTAVÒ, idem Lutherus in articulis Smalchaldicis, quos anno M.D.XXXVII. collegit,& in conuentu suorum promulgauit, in 3. parte, tit. de falsa Pœnitentia Papistarum, præter alia multa mendacia, quibus titulus ille scatet, Catholicis imponit, quòd doceant eos qui rectè Pœnitentiam agunt, mereri remissionem peccatorū. Item addit, apud catholicos nullam fieri Christi, aut fidei mentionem, sed sperare vnumquemque se propriis operibus abolere omnia peccata coram Deo: item contritionem catholicorum, esse fictam & simulatam cogitationem peccatorum ex propriis viribus profectam sine fide,& sine cognitione Christi.

HÆC & similia, quæ eo loco sæpiùs repetuntur, & inculcantur, tantùm abest vt pro nostris agnoscamus, vt ea in Pelagianis Hæreticis prorsus damnemus. Sed, vt sæpe dixi, facilè est sine teste quidlibet asserere, & procliue, ac familiare Hæreticis mentiri.

CAPVT III.

Calumniæ,& mendacia Melanchthonis.

PHILIPPVS Melanchthon confessionis,& Apologiæ auctor,& cōfessionistarum quasi proprius parens, vt locum hunc de Pœnitētia præter cæteros diligenter muniret, variis imposturis, & calumniis fucandum censuit: ac primùm in ipsa confessione Augustana, articul. 12. mentitur, catholicos non docere remissionem peccatorum per fidem contingere, sed per nostram dilectionem,& opera;& satisfactiones esse necessarias ad redimendas pœnas æternas.

SED operæpretium erit audire, quàm variè hoc mēdacium in variis editionibus expresserint. Nam in ipsa confessione quam anno M.D.XXX. Imperatori Carolo exhibuerunt, ita legimus: *Reiciuntur & isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed iubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.* In editione autem Vvittembergēsi anni M.D.XXXI. ita mutarunt: *Reiciuntur & isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed docent remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem, & opera. Reiciuntur & isti, qui Canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas purgatorij.* In editione anni M.D.XL. ita posuerunt: *Damnant & illos, qui non docent remissionem peccatorū per fidem gratis propter Christum contingere: sed contendunt remissionem peccatorum contingere propter dignitatem Contritionis, Dilectionis, aut aliorum operum,& iubent dubitare conscientias in Pœnitentia, an consequantur remissionem peccatorum; & affirmant hanc dubitationem non esse peccatum,&c.* Eadem confessio in articulo de confessione, qui est inter eos de abusibus, in editione anni XXXI. *Antea*, inquit, *immodicè extollebantur satisfactiones, fidei verò,& meriti Christi, ac iustitiæ fidei nulla fiebat mentio.* Et in editione anni XL. *Nusquam*, inquit confessio, *quidquam certi docent, quomodo contingat remissio peccatorum: de fide prorsus est altissimum silentium, immò iubent perpetuò dubitare de remissione peccatorum.* Et infrà: *Docti*, inter catholicos scilicet, *fingunt per satisfactiones compensari æternam mortem: indocti putabant his operibus emi remissionem culpæ.*

IAM verò idem Philippus in Apologia ad art. 12. tot fraudes,& impostūras congessit, vt difficilè sit vel numerum inire: quarum tamen partem aliquam refutauimus in eo libello, quem inscripsimus Iudicium de libro concordiæ Lutheranorum. Sed vnum est mendacium tùm in confess. in artic. de confessione, editionis anni M.D.XL. tùm in Apologia ad articulum de Pœnitentia, quod nullo modo præterire possum. Gloriatur Philippus maximam huic loco à suis esse lucem allatam. In cōfessione sic loquitur: *Fuit obruta ingenti aceruo inutilium ac malarum opinionum simplex doctrina de Pœnitentia.* Et paulò pòst: *Ideò huic articulo maximè studuerunt nostri lumen adferre, quem quidem ita patefecerunt, atque illustrauerunt: vt etiam aduersarij saniores fateantur hac in re benè meritos esse de Ecclesia.* In Apologia verò hæc addit: *Omnes*, inquit, *boni viri omnium ordinum, ac Theologici ordinis etiam, haud dubiè fatentur, ante Lutheri scripta confusissimam fuisse doctrinam Pœnitentiæ. Extant libri Sententiariorum, vbi sunt infinitæ quæstiones, quas nulli Theologi vnquam satis explicare potuerunt: populus neque rei summam complecti potuit, nec videre quæ præcipue requirerentur in Pœnitentia, vbi quærenda esset pax conscientiæ. Prodeat nobis aliquis ex aduersariis, qui dicat quando fiat remissio peccatorum: Bone Deus, quantæ tenebræ sunt. Dubitant vtrum in Attritione, vel in Contritione fiat remissio peccatorum.* Et infrà: *Nos igitur vt explicaremus pias conscientias ex his labyrinthis Sophistarum, constituimus duas partes Pœnitentiæ, videlicet Contritionem,& Fidem,&c.*

AT nos contrà verissimè dicere possumus, ante Lutheri defectionem,& scripta illa contētiosa, planissimam fuisse doctrinam de Pœnitentia, si ea spectentur, quæ ad hoc Sacramentum cum fructu suscipiendum, & ministrandum pertinent, quæ sola à populo, & sacerdotibus communiter sciri necesse est. Sciebant enim,& fatebantur omnes, Pœnitentiam Sacramentum esse, neque de ea re vlla controuersia erat. Sciebant quo tempore necesse esset Pœnitentiam agere, atque ad hoc Sacramentum accedere. Sciebant quid esset agendum, vt Sacramentum hoc vtiliter perciperetur, nimirum dolendum esse de peccato præterito,& proposito concipiendum vitæ melioris; confitenda sacerdoti omnia peccata mortalia, quæ ad mentem post examen venirent: mulctam denique subeundam, quam sacerdos imposuisset. Sciebant per Absolutionem remitti peccata, Deo nimirum Christi merita per sacerdotum ministerium applicante: idque gratis, non ob meritum vel dignitatem contritionis, nedum Attritionis, vt mendacissimè Aduersarij nobis imponunt. Sciebant denique à quo Pœnitentiæ Sacramentum petere deberent, à proprio videlicet animarum suarum Pastore, vel certè ab eo, qui à communi Pastore totius Ecclesiæ ad id munus facultatem haberet. Hæc omnia,& nota erant omnibus, & extra controuersiam posita, & ad populi instructionem in Catechismis, aliisque communibus libris passim inueniebantur.

QVOD si prætereà quædam subtiliùs à Theologis disputabantur in scholis de Pœnitentiæ Sacramento, ea nihil populi fidem impediebant, quemadmodum nec disputationes de Trinitate, de Incarnatione, de peccato originis, aliisque fidei nostræ mysteriis impedimento sunt plebi, quo minùs simplicem Symboli fidem ex concionibus,& Catechismis haurire possint.

AT post Lutheri scripta & concertationes, ita confusa & obscurata sunt omnia, vt nihil certi iam habeant Lutherani de præcipuis capitibus doctrinæ de Pœnitentia, vt mirum non sit, disputationes subtiliores Scholasticorum apud eos cessasse, cùm in primis elementis,& iis, quæ ab ipso etiam populo cognosci debent, nondum conuenire potuerint. Contendunt enim adhuc, sitne vllum Pœnitentiæ Sacramentum, an sit retinenda priuata confessio, quæ peccata sint confitenda necessariò, quo tempore sit facienda confessio; cui sit facienda, & num etiam fœminæ, ac pueri possint absoluere; Fidēsne contritionem, an contritio Fidem præcedere debeat. Nam Lutherus in captiu. Babyl. cap. de Pœnitentia, tragicè vociferatur in eos, qui contritionem Fide priorem faciunt, quique eam impiis,& infidelibus tribuunt: *O iram*, inquit, *Dei insustentabilem. Hæccine in Ecclesia Christi docēri?* & tamen confessio Augustana art. 12. qui est de Pœnitentia,& in artic. de confessione, & Apologia ad art. 12. disertis verbis docent, contritionem præcedere, Fidem autem subsequi, ex quo sequitur, vt contritio nunquam nisi in impiis,& infidelibus reperiatur. Ita in re primaria pugnat confessio, quæ est Lutheranis loco noui cuiusdam Euangelij, cum ipso Luthero, qui est iisdem loco noui cuiusdam Euangelistæ. Sed his omissis, pergamus ad cætera.

IDEM Philippus in disputatione de Pœnitentia, propos. 7. sic ait: *Stultè, & impiè docuerunt Scholastici, peccata remitti per. Contritionem sine fide.* Et propos. 11. *Tota*, inquit, *doctrina de Poenitentia apud Scholasticos, plena est errorum,& impietatis, quia omittunt caput negotij, videlicet fidem, quia non docent hominem fide accipere remissionem peccatorum.* Idem in alia disput. contra art. Louanienses propos. 9. *Detrahunt*, inquit, *gloriæ Christi, quando dicunt remitti peccata propter nostra merita, non propter Christum.* Et propos. seq. *Hunc tertium errorem, quo deletur præcipuus articulus fidei, Credo remissionem peccatorum, impiè defendunt Louanienses in suo decreto.* Idem in Locis communibus vltimò editis, tit. confess. *Monachi, finxerunt enumerationem peccatorum in confessione esse cultum, & meritoriam remissionis.*

Hæc omnia mendacia sunt, neque alio testimonio probari possunt, nisi quia Luthero libuit ea confingere: quod enim ille dixit, pro vero habendum, & sæpiùs repetendum est, licet alioqui falsissimum sit.

DENIQVE in Locis communibus editis anno M.D.XXII. cùm primitias spiritus Lutherici se habere gloriaretur Philippus, mendacijs & imposturis contēptum addebat antiquissimi, & celeberrimi Concilij œcumenici Nicæni: sic enim scripsit in eo lib. tit. de humanis legibus: *In Synodo Nicæna constitutæ sunt quædam pœnitentiæ formæ: non pronuncio quo spiritu decreuerint Patres: at video bonam Euangelij partem, immò vim germanam Euangelij obscuratā esse ea traditione, nam inde primùm natæ sunt satisfactiones.* Et infrà: *Porrò nostrorum temporum Theologastri sequuti priscam traditionem Synodi Nicænæ, fecerunt ex satisfactionibus partem Pœnitētiæ, quo errore planè non est alius nocentior.* Hæc ille.

IN quibus verbis tria mihi animaduertenda esse videntur. Primò incredibilis audacia huius hominis, qui cùm eo tēpore iuuenis esset, & sacras literas vix attigisset, in scholis Grammaticorū tantū versari solitus, tamen iam spiritu hæretico ebriùs, pronunciare ausus sit, à Nicæna generali Synodo omnium antiquissima, & sanctissima, vim germanam Euangelij esse obscuratam.

SECVNDÒ, inscitia intolerabilis in eo, qui se censorem Nicænæ Synodi profitebatur: neque enim verum est, ex Concilio Nicæno primum natas esse satisfactiones, cùm Concilium Neocæsariense, & Ancyranū, quæ sunt Nicæno vetustiora, plena sint Canonibus pœnitentialibus: & sancti Cypriani sermo de lapsis, ac Tertulliani liber de Pœnitentia (vt alios nunc omittam) nihil ferè aliud sonent nisi satisfactiones. Floruisse autem sanctum Cyprianum annis circiter octoginta, & Tertullianum annis plus centum ante Synodum Nicænam, nemo inficiari potest.

TERTIÒ, admirabilis inconstantia. Nam cùm doctrinam nostram de Pœnitentia, quam oppugnant, passim nouam esse clamitent, & Papistarum commenta appellare soleant: hîc Philippus affirmare non dubitauit, Theologastros nostri temporis in eo quòd Satisfactionem partem Pœnitentiæ fecerunt, sequutos esse Patres Synodi Nicænæ. Quod si ita est, antiquissimam fateri oportet Catholicorum doctrinam: nouam autem, quæ illi repugnat, Lutheranorum.

CAPVT IV.

Calumniæ,& mendacia Tilemani Heshusij.

TILEMANVS Heshusius, qui se Episcopū Sambiensem scribit, cùm animaduerteret multis iam annis Catholicos protestari, mendacia plurima à Luthero, Philippo, cæterisque sectariis esse conficta, vt doctrinam Catholicam, quam solidis rationibus confutare non poterant, imposturis saltem odiosam facerent: consilium cœpit indicandi auctores eorum omnium errorum, qui nobis à Lutheranis obiiciuntur, vt auctoribus nostrarum sententiarum conspectis atque agnitis, desineremus aliquando Lutheranos tot mendaciorum, & calumniarum reos facere. Itaque librum scripsit de sexcentis erroribus, quos Romana Ecclesia contra Dei verbum furenter defendit: de quo libro in aliis locis non pauca diximus.

NVNC inspiciemus solum locum nonum, qui est de Pœnitentia. In eo loco errores tres & octoginta numerauit Heshusius, quos de Pœnitentia à Catholicis affirmari contendit. Sed in his non inueniuntur, qui à Luthero, & Philippo passim nobis obiiciebantur, vt quod fidem excludamus à Sacramento Pœnitentiæ, quòd gratiam propriis meritis acquiramus, & alia id genus:

non igitur indicauit auctores eorum errorum, quos nobis falsò, & per summam impudentiam imponi contendimus. Deinde in erroribus quos Tilemanus enumerat, multi sunt nobis communes cum Lutheranis, qui certè aut errores non erunt, aut Lutherani cum Papistis errabunt, vel etiam Papistæ dici poterunt: multi sunt item ad verbum deprompti ex libris veterum, ac sanctissimorum Patrum, qui ante mille annos floruerunt, qui debent similiter aut expungi ex catalogo illo errorum, aut certè efficietur, veteres illos, sanctissimosque Patres fuisse Papistas, & proinde Papistarum Ecclesiam, antiquam illam & veram esse Ecclesiam, quæ ante annos mille florebat. Sunt etiam non pauci, qui sententias adeò veras comprehendunt, vt necesse omninò fuerit, vel Heshusium non intellexisse Catholicorum sententiam, aut studiosè ineptire, ne dicam insanire voluisse. Sunt denique plurimi, qui manifestas calumnias, & mendacia continent. His autem omnibus de numero illo detractis, ad exiguum sanè reducetur cumulum ille ingens aceruus errorum.

EXEMPLA primi generis hæc esse possunt. Octauus error apud Heshusium est, quòd in Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 1. Catholici asserant, pœnitentiam ante Christi aduentum Sacramentum non fuisse, neque etiam post illius aduentum cuiquã esse ante Baptismum. In hac certè sententia nobiscum Lutherani conueniunt omnes: neque enim Lutherus, aut vllus vnquam Lutheranus docuit Pœnitentiam Sacramentum esse, cùm agitur ante Baptismum, aut in veteri Testaméto vllum fuisse Sacramentum proprie dictum Pœnitentiæ.

ERROR LIIII. ab Heshusio notatur, quòd idem Cõcilium Tridentinum, sess. 14. ca. 6. doceat etiam eos sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per Spiritus sancti virtutem in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere. Hæc sententia ita est communis Catholicis cum Lutheranis, vt in ipsa Confessione Augustana art. 8. damnentur Donatistæ & similes, qui negabant ministerium malorum in Sacramentis esse vtile, atque efficax: & ibidem apertè asseratur, Sacramenta propter Ordinationem, & mandatum Christi efficacia esse, etiamsi per malos exhibeantur. Vel igitur Heshusius errorem illum expungat, vel se vt Donatistam ab ipsa Augustana Confessione damnatum esse fateatur.

ERROR LXXIIII. ponitur ab Heshusio, quòd pro peccato originali non debeat fieri satisfactio: cuius erroris auctorem citat S. Thomam 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. At quis vnquam Lutheranus non idem sensit: qui Satisfactionem vniuersè de medio tollunt, an credibile est eos admissuros Satisfactionem ad expiandum originale peccatum?

IAM Secundi generis hæc erunt exempla. Primus error esse dicitur, quòd Pœnitentia sit præterita peccata plangere, & plãgenda non admittere. Quæ verba apud S. Gregorium leguntur homil. 34. in Euangelia, & citantur similia nomine S. Ambrosij à Gratiano, can. Ecce nunc. de Pœnit. 1. quare si iste error Papistarum est, vt Heshusius dicit, Gregorius, & Ambrosius Papistæ, atque adeò Lutheranorum aduersarij erunt.

TERTIVS, error apud Heshusium hic est: *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri.* At hæc ipsa verba S. Hieronymi sunt in epistola ad Pammachium & Oceanum, de erroribus Origenis, & similem sententiam idem auctor habet in epist. ad Demetriadem, & in altera ad Sabinianum, & in cap. 3. Isaiæ. Vides igitur Lector, quàm antiquum, ac nobilem Papistam nobis cõcedat Heshusius, quem sexcentis Lutheris optimo iure anteferre possimus.

ERROR XV. est, quòd Pœnitentiam esse dicamus Baptismum laboriosum, quódque in Tridentino Concilio, sess. 14. cap. 2. asserant Patres, ad vitæ nouitatem per Sacramentum Pœnitentiæ non sine magnis fletibus & laboribus peruenire. Atqui hæc sententia non vnius, aut alterius, sed omnium penè veterum scriptorum est, vt non possit hic error Papistarum dici, nisi omnes illi sanctissimi, atque antiquissimi Patres Papistæ concedantur fuisse. Nam qui ita comparant Pœnitentiam cum Baptismo, vt tabulã naufragij cum nauigio integro, satis apertè indicant, Pœnitentiam Baptismum esse laboriosum. Sed præter Hieronymum in eam sententiam scribunt S. Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Pacianus, Ambrosius, Theodoretus, Damascenus, & alij quorum testimonia cap. 12. infrà citantur.

ERROR XXVIII. est, dolorem ex Contritione susceptum adeò vehementem, acrem, & incensum esse oportere, vt doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferríque possit. Hanc verò sententiam non solùm Catechismus Romanus, quem Heshusius citat, sed etiam sanctissimus, & doctissimus Martyr Cyprianus habet: sic enim scribit in serm. de lapsis extremo: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, alto vulneri diligens & longa medicina non desit; Pœnitentia crimine minor non sit.*

ERROR XL. est quòd confessio à morte liberet, Paradisum aperiat, & spem salutis tribuat: cuius erroris auctorem facit Heshusius Petrum Lombardum lib. 4. Senten. dist. 17. At verba, quæ Lombardus loquitur, non ipse sibi finxit, sed ex Ambrosio citauit in sermone quodam de Quadragesima. Atque hæc de secundo errore.

TERTII generis exempla hæc esse poterunt. Quintum errorem esse dicit, quòd Pœnitentiæ Sacramentum consistat essentialiter in actu eius qui sanctificatur: quam sententiam Catholici sic intelligunt, vt velint Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quas partes materiales Sacramenti huius appellant, in actione pœnitentis consistere. Quod quidẽ verum esse, nemo sobrius negabit: cuius enim actio esse potest, dolere, cõfiteri, satisfacere, nisi eius qui dolet, confitetur, satisfacit? Sextum errorem esse dicit, quòd Pœnitentia secundum habitum debeat esse perpetua, secundum actum non item. Hanc verò sententiam quis neget, si eam intelligat? nec enim Pœnitentiam actu agere dum dormimus, possumus (vt varia negocia, quæ Pœnitentiæ actionem impediunt, nunc omittam) proinde perpetuò illam agere minimè possumus: habitu autem promptos, ac paratos ad Pœnitentiam agendam, si res postulet, esse nos debere, ac posse, quis vnquam inficiatus est?

XIII. Errorem esse dicit, quòd fides non sit pars Pœnitentiæ, sed eam antecedat. Et hanc sententiam, si per fidem intelligatur id quod Catholici intelligunt, firmus videlicet assensus ad ea omnia, quæ Deus verbo suo reuelare dignatus est; nec Lutherani, nec vlli omninò homines negare poterunt. Nisi enim quis Deum, peccatum, iudicium, & alia id genus esse certò credat, fieri non potest, vt ad Pœnitentiam adducatur: quare nisi fides præcedat, Pœnitentia nunquam subsequetur.

XIV. Errorem numerat, quòd duplex sit dolor in Contritione, vnus rationalis, alter sensualis, quódque prior necessariò ad Contritionem requiratur, posterior non item. Et hîc quæ dubitatio fingi potest? Negabit Tilemanus, hominem & mente, & carne dolorem posse concipere? at si id neget, angelum, vel beluam, non hominem dabit. Negabit dolorem illum qui mente concipitur, sine dolore sensibili atque externo esse posse? at quàm sæpe experimur ipsi in nobis, cùm rem aliquam grauissimè animo auersemur, ciúsque nos valde pœniteat; tamen lachrymam vnã nos ipsos à nobis impetrare non posse? quis verò Christianus ambigat, ad peccati detestationem, cor contritum & spiritum contribulatum, etiam sine corporalibus lachrymis posse sufficere?

XXV. Errorem facit, quòd perfectam Contritionem esse oportere dicamus, & tantum dolorem ex peccatis concipiendam, vt maior nequeat cogitari: cuius erroris auctorem facit Catechismum Romanum. Sed fallitur Heshusius: non enim sententiæ illius Catechismus Romanus, sed Spiritus sanctus est auctor, qui cùm & Mosis, & Christi ipsius ore tam sæpe testatus sit, Deum tota mente, toto corde, atque omnibus viribus, id est, summo, & syncerissimo amore diligendum esse, vt nihil ei vel anteponamus, vel adæquemus: certè simul etiam nos admonuisse censendus est, vt de peccatis in Deum admissis, toto corde, tota mente, atque omnibus viribus doleamus, neque ob'vllius boni creati iacturam maiori, aut æquali dolore afficiamur (amor enim doloris mensura est) nisi fortè Heshusio videatur maiorem esse dolorem ex pecuniæ amissione, quàm ex Dei offensione, concipiendum. Sed venio ad exempla Vltimi generis, id est, ad calumnias, & mendacia.

IN errore XII. notat ex Catechismo Romano haberi, quod vi, & efficientia Sacramenti Pœnitentiæ, quod consistit in actu externo hominis, sanguis Christi, nostra peccata abluat, hoc est, sanguis Christi accipiat vim suam ab actu hominis, quæ est horrenda blasphemia. At horrenda potiùs impudentia mentientis Heshusij, quàm vlla Catechismi blasphemia hoc loco reperietur. Id enim solùm Catechismus docet, vi Sacramẽti, vt diuini cuiusdã instrumẽti, Christi sanguinem ad nos deriuari, quo peccata purgentur: nõ autẽ (vt mẽtitur Heshusius) Christi sanguinem vim suam à Sacramentis accipere, id enim nullus vnquam neque scripsit, neque somniauit Catholicorum. Hæc autem sunt verba Catechismi, quæ citantur etiam ab Aduersario: *Cùm nemo salutem nisi per Christum, eiúsque passionis beneficium consequi possit, consentaneum, nobísque vtilíssimum fuit eiusmodi Sacramentum institui, cuius vi, & efficientia Christi sanguis ad nos defluens, peccata post Baptismum admissa elueret.* Quo loco non significat catechismus, vi & efficientia Sacramenti, Christi sanguinem peccata eluere: sed Christi sanguinem, qui solus peccata nostra eluere potest, vi & efficientia Sacramenti ad nos defluere. Ex quo non magis sequitur, Christi sanguinem à Sacramento vim eluendi peccata accipere, quàm sequatur, aquam vim humectandi à canali accipere, quia per canalem descendit: vel certè lucernam lucendi vim mutuari à candelabro, quia per candelabrum defertur ad aulam.

IN errore XIX. notat, ex Gratiano, & Longobardo, semel tantùm Pœnitentiam agi posse. Sed more suo impostorem agit. Nam Gratianus dist. 2. & 3 de Pœnitentia, & Longobardus lib. 4. Sent. dist. 14. proferunt varia Patrum testimonia, quæ in specie contraria esse videntur, cùm alia semel tantùm Pœnitentiam agi, alia sæpiùs iterari posse concedant: sed iidem auctores Patrum dicta conciliant, ac docent Pœnitentiam solennem non nisi semel, priuatam sæpiùs concedi solitam. Heshusius autem vt simplicibus imponat, quæ auctores illi pro vna parte quæstionis adducunt, ita citat, ac si ea sententia omnium Catholicorum esset.

IN errore XXIV. catechismum Romanum, & Tapperum reprehendit, quòd asserant, Contritionem non esse opus Spiritus sancti, sed actum voluntatis, vi liberi arbitrij elicitum. Hic verò audacissimum impostorem agit: vbi enim, quæso, in toto Catechismo, aut in omnibus Tapperi libris inuenietur illa negatio, non esse Contritionem opus Spiritus sancti? Dicunt quidem auctor Catechismi & Tapperus, Contritionem esse actum voluntatis, seu liberi arbitrij (quod solùm Heshusius citat, & verissimum est) sed actum esse solius liberi arbitrij. aut non esse simul Spiritus sancti donum, non dicũt. Et puerilis est illa Heshusij Dialectica, Contritio est actus voluntatis, non igitur est opus Spiritus sancti: quasi non possit idem opus à Deo simul, & à nostra voluntate fieri. S. Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorũ, cap. 3. differens de actibus credendi & amandi: *Vtrumque*, inquit, *nostrum est, propter arbitrium voluntatis, & vtrumque datum est, propter Spiritum fidei, & charitatis.*

IN errore LVII. cuius auctorem Heshusius inuenire non potuit, hæc verba habentur: *Docent absolutionem peccatorum non tantùm in nomine Iesu Christi debere fieri, sed & Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorũ, & nostrorum etiam operum: vnde est hæc communis, & blasphemiæ plena forma Absolutionis, qua in Monasteriis sunt vsi. (Meritum passionis Domini nostri Iesu Christi, & Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, meritum Ordinis, & grauamen Religionis, humilitas Confessionis, contritio cordis, bona opera, quæ fecisti & facies pro amore Domini nostri Iesu Christi, cedant tibi in remissionem peccatorum, in augmẽtum meriti & gratiæ, & in præmiũ vitæ æternæ, Amen.)*

HAEC ad verbum recitare volui, vt impudentia Hæreticorum, & mentiendi libido omnibus innotesceret: nam nec protulit, nec proferre potuit noster Heshusius vllum Catholicum auctorem, qui hæc verba pro forma Absolutionis agnosceret. Forma enim vera, qua Catholici omnes vtuntur, illa verba sunt: *Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* in qua forma nulla mentio fit B. Virginis Mariæ, aut Sanctorum cæterorum, sed solius Dei, cuius est proprium, per se aut per Ministros suos, peccata remittere. Hanc autem esse formam Absolutionis, partim ex Conciliis, Tridentino & Florentino, & omnibus auctoribus, qui de iis rebus tractant, partim ex ipsa Ecclesiæ consuetudine, omnes norunt. Porrò illa, quæ citat Heshusius, non forma Absolutionis, sed pia quædã precatio est, quam adhibere nonnulli solẽt post Absolutionem à peccatis datam. Neque absurdè precamur iuuari ad pœnæ, quę ex peccato relinquitur, remissionẽ, necnõ ad gratiæ incrementũ, & vitam æternã consequendam, meritis Christi, sanctissimæ Deiparæ, omniũ beatorum cum Christo regnantium, & nostris etiã propriis operibus ac laboribus, cùm omnia suo modo prodesse valeãt.

SED iam de Heshusio satis diximus: neque enim omnia excutere, sed quædam solùm exempli caussa in medium adducere propositum fuerat.

CAPVT V.

Calumniæ & mendacia Ioan. Caluini, & Theodori Bezæ.

NVNC de Caluini calumniis & mendaciis pauca quædam annotanda esse videntur. Primò igitur in 3. lib. Instit. cap. 4. §. 1. ad hunc modum Caluinus loquitur: *Sic sunt*, Catholici, *in externis exercitiis mordicus infixi, vt nihil aliud eximmensis voluminibus colligas, quàm Pœnitentiam esse disciplinam, & austeritatem, quæ partim domandæ carni, partim castigandis puniendísq; vitiis seruiat: de interiori mentis renouatione, quæ veram vitæ correctionem secum trahit, mirum silentium.* Hæc ille. Quæ sententia & iis repugnat, quæ continuò ab eodem auctore subiiciuntur, & apertum mendacium continet: sic enim ille in consequentibus loquitur: *De contritione quidem & attritione, multus apud eos sermo.* At si de Contritione, & attritione multus apud Catholicos sermo est, quomodo de interiori mẽtis renouatione mirum apud eosdem silentium est? ad Contritionem enim propriè pertinet celebris illa Pœnitẽtiæ definitio, quam iisdem Catholicis idẽ Caluinus attribuit: *Antè acta peccata deflere, & deflenda non committere.* Qui autem ita setiò peccata deflet, vt propositum certissimum concipiat animo, nunquam deinceps ad peccata redeundi, is profectò internam illam mentis renouationem acquirit, quæ veram vitæ correctionem secum trahit.

QVOD verò paulò infrà Caluinus subiicit, Catholicos leui cæremoniarum aspersione totam cordis

amaritudinem sanare, noua calumnia est, & ipsius etiam Caluini testimonio refelli potest, siquidem paulò antè dixerat, Pœnitentiam apud Catholicos nihil esse aliud, nisi disciplinam, & austeritatem, quæ vitiis puniendis & castigandis seruiat. Quòd si apud nos eiusmodi requiritur in pœnitentibus austeritas, & Satisfactionis gratiâ ieiunia, preces, eleemosynæ, peregrinationes, & alia id genus opera carni molesta, & laboriosa, & à sacerdotibus indicuntur: quomodo non mentitur, qui hoc ipsum agnoscit, & tamen scribit, omnem cordis amaritudinem leui cæremoniarum aspersione sanari?

SECVNDÒ, ibidem Caluinus Doctores Catholicos singularis cuiusdam inscitiæ arguere sibi videtur, quòd se torqueant, & impediant tribus quibusdam alioqui facillimis quæstionibus, An vnius peccati Pœnitentia Deo placeat, vbi in aliis durat obstinatio, An pœnæ diuinitùs inflictæ ad Satisfactionem valeant, An sæpiùs iterari possit pro mortalibus peccatis Pœnitentia. Sed ego nullum hactenus legi, qui his quæstionibus impeditus teneretur: omnes enim continuò respondent, non placere Deo Pœnitẽtiam vnius peccari, nec veram Pœnitentiam esse, vbi in aliis durat obstinatio, & pro certo axiomate habent verbum illud Augustini, seu quicunq; fuerit auctor, in libro de vera, & falsa pœnitentia, cap. 9. *Quædam impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam.* nec minùs consentiunt omnes, flagella à Deo immissa, ad Satisfactionem valere: idque contra Hæreticos negantes defendunt, vt videre est in Concilio Tridentino sess. 14. canon. 13. nemo denique Catholicorum est, qui dubitet Pœnitentiam priuatam (nam de solenni alia ratio est) toties iterari posse, quoties quis in peccatum lapsus fuerit.

TERTIÒ, ibidem Caluinus impudenter mentitur, cùm ait: *Turpiter & impiè definiunt, non nisi de venialibus peccatis quotidie agi Pœnitentiam.* Qui enim, quæso, hoc definiunt? cur nullus citatur huius decreti auctor? Scribunt quidem Catholici, venialia peccata quotidiana esse, & idcirco quotidianam quoque de eis Pœnitentiam esse agendam: neq; solùm recentiores, sed etiam S. Augustinus id verbis apertissimis docet in lib. 50. homiliarum, hom. postrema, c. 8. at non posse, & interdum etiam oportere de mortalibus peccatis toto vitæ tẽpore Pœnitentiam agi, nemo Catholicus definuit. Et contrà potiùs exstant multi veteres Canones, qui Pœnitentiã perpetuã pro certis criminibus imperant, & laudãtur apud nos ij vehementer, qui ad expiãda adolescentię suæ peccata, vel in Eremo, vel Monasteriis toto vitę suæ tempore durissimum vitæ genus complexi, Pœnitentiã agunt.

QVARTÒ, idem Caluinus in eodem capite, §. 2. scribit, exigere Catholicos à pœnitentibus Contritionem adeò iustam & perfectam, vt in trutina appendatur cum fiducia veniæ. & §. 3. id ipsum planiùs explicans, scribit catholicos velle, vt ea contritio meritum sit remissionis peccatorum, cùm tamen eam nemo habere possit: *Multum,* inquit, *interest, doceas ne emereri remissionem peccatorum iusta, & plena Contritione, qua nunquam defungi possit peccator, an eum instituas ad esuriendam, & sitiendam Dei misericordiam, &c.* Sed Catholici non docent, contritione nos emereri remissionem peccatorum, ac per hoc nec illud docent, debere in trutina appendi cum fiducia veniæ, doloris acerbitatem: audiunt enim Catholici omnes Synodum Tridentinam disertis verbis concionantem, nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, mereri gratiam iustificationis, & ideò gratis per Christum homines iustificari, sess. 6. cap. 8. Itaque Contritionem dispositionem esse volunt Catholici, non meritum remissionis peccatorum.

QVOD etiam Caluinus obiter dicit, nunquam posse hominem defungi iusta, ac plena Contritione, & neminem esse qui ex doctrina Catholica de Contritione vel non sit ad desperationem adactus, vel simulationem doloris Deo pro vero dolore non opposuerit, meræ calumniæ sunt. Nam etiamsi fidei certitudine sciri non posse Catholici doceant, perfectãm ne Contritionem habuerimus, an imperfectam: tamen perfectàm haberi posse, & à plurimis reipsa haberi docemus: neque vllum nonimus qui ex hac doctrina ad desperationem adactus sit, aut simulatum Deo dolorem pro vero dolore obtulerit. Sed frustrà contendimus, cùm aduersarius sola sua affirmatione contentus, nullos testes adhibeat.

QVINTÒ, in eodem cap. §. 16. 17. & 18. calumniatur doctrinam Catholicorum de enumeratione peccatorum in Confessione facienda: ac tandem addit, rem impossibilem ab illis præcipi: *Dicam,* inquit, *in summa, qualis tex illa fuerit. Simpliciter est impossibilis.* Sed calumniam hanc esse nemo negabit, qui libros Catholicorum, aut certè Concilium ipsum Tridentinum, sess. 14. cap. 5. legere voluerit. Neque enim omnia omninò peccata enumerari oportere lex nostra iubet, sed ea solùm, quæ post diligentiam in examine positam, menti occurrerint: diligentiam autem moralem intelligimus, qualem in negotiis grauioribus adhibere solemus.

QVID, quod hoc idem eodem in loco ipse idem Caluinus docet? nam Deo peccata confitenda esse dicit non solùm generatim, sed etiam singula: *Quid,* inquit, *ergò confitenda non sunt singula delicta? ergo nulla cõfessio Deo accepta, nisi duobus istis verbis conclusa, Peccator sum? immò verò danda potiùs opera, vt quantũ in nobis est, totum cor effundamus coram Deo: nec modò nos peccatores esse, sed quanta sit, & quàm varia peccatorũ labes, tota cogitatione recognoscamus: non modò nos immũdos, sed qualis, & quanta, quámque in multis partibus nostra immundicies: nõ modò nos debitores, sed quantis debitis grauati, & quot nominibus obstricti: non modò vulneratos, sed etiam quàm multis, & lethalibus plagis sauciy simus.* Ac ne quis ei obiiceret, id omninò fieri non posse vt singula peccata Deo confiteamur, adiungit: *Hac tamẽ recognitione, cùm se totum peccator coram Deo effuderit, serió ac syncerè cogitet plura adhuc restare, ac profundiores esse malorum suorum recessus, quàm quos penitus excutere possit: atq; adeò exclamet cũ Davide: Errores quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Hæc ille. Sicut igitur ipse non existimat legem esse impossibilem, qua iubemur singula peccata Deo confiteri, quia non tenemur id facere, nisi quantum in nobis est: ita non debet legem impossibilem iudicare, qua iubemur singula peccata sacerdotibus confiteri, quia non tenemur id facere nisi quantum recordari possumus, & de reliquis cum Propheta supplicare debemus ac dicere: *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me Domine.*

SEXTÒ, idem Caluinus in eodem capit. §. 25. rursus mentitur, nos docere, veniam peccatorum meritis acquiri: *In hanc summam,* inquit, *recidunt omnia: nos quidem à Dei clementia delictorum veniã impetrare, sed intercedente merito operum.* Et infrà §. 26. *Verùm,* inquit, *qua sunt peruersitate, & peccatorum remissionem, & reconciliationem fieri semel dicunt, cùm in gratiam Dei per Christum in Baptismo recipimur: post Baptismum resurgendum esse per satisfactiones.* Quid facias huic calũniatori, qui debita opera sentẽtiam Catholicorum perperam exponit, vt odiosam reddat? quòd enim Catholici dicunt, satisfaciendum esse pro pœnis temporalibus, quæ post reconciliationem cum Deo, & culpæ ac pœnæ æternæ gratuitam remissionẽ, aliquando restant, id ipse trahit ad meritum reconciliationis. Tantùm autem abest, vt Catholici sentiant, reconciliationem acquiri meritis satisfactionum, vt etiam doceant neminem posse Deo satisfacere, nisi reconciliatũ. Ac vt intelligas, lector, Caluinũ non ignorantia, sed malitia peccare, legas §. 29. & 30. eiusdem capitis: ibi enim fatetur, Catholicos nõ referre Satisfactionem ad reconciliationem, siue, quod est idem, ad culpæ

remis

remissionem, sed solùm ad expiandam pœnam, eámque temporalem: *Fingunt,* inquit, §. 29 *sibi distinctionem culpæ, & pœnæ: culpam remitti fateantur Dei misericordia, sed culpa remissa pœnam restare, quam persolui Dei iustitia postulat.* Et §. 30. *Scio,* inquit, *subtilius adhuc ipsos elabi, dum inter æternam pœnam, & temporales distinguunt.*

SEPTIMÒ, idem Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 16. cùm docuisset Catholicos multum laborare, & sudare, vt Sacramentum in Pœnitentia inuenire possint, indicat eis in Absolutione Sacerdotis multò speciosiùs, & faciliùs Sacramentum constitui potuisse, quàm in actione pœnitentis: & miratur cæcitatem Scholasticorum, qui hoc non aduerterint: *Sanè,* inquit, *hallucinati sunt plusquam pueriliter, & caci in sole fuerunt, qui cùm multa difficultate æstuarent, rem planam adeò, & cuiuis obuiam non perspexerunt.* Hæc ille: qui quidem impudentiùs mentiri non poterat, nisi fortè nullũ Scholasticum legerit. Nam ex Scholasticis Scotus, Ocham & Gabr. in 4. sent. dist. 14. Sacramentum Pœnitentiæ in sola Absolutione constituunt: cæteri omnes actus Pœnitentis, Confessionem, Contritionem, & Satisfactionem, partem Sacramenti huius esse volunt, sed non absque Absolutione, quam Sacramenti formam, ac per hoc primariam Sacramenti partem esse docent. Itaque quod nulli in mentem venisse Caluinus fingit, omnibus in mentem venit: & ipse planè hallucinatus est plus quàm pueriliter, & cæcus in sole fuit, si libros Scholasticorum legit, & rem planam adeò, & cuiuis obuiam non perspexit.

OCTAVÒ, idẽ Caluinus in Antidoto articulorum Parisiensium, art. 3. introducit catholicos ita loquentes: *Quantum verò pertinet ad Confessionem, notandum est, quòd materia sit de iure diuino, forma autem de iure positiuo.* Et paulo infrà dicit, formam superinductam ab Innocentio Pontifice, qui statuit confitendum esse proprio Sacerdoti. Denique fingit sententiam esse Lutheranorum, & catholicis contrariam: Nos reconciliari gratis per satisfactionem Christi. Sed hæ meræ sunt impostura: nam neq; vllus catholicus docuit formam confessionis esse de iure positiuo: neque formam Theologi vocant, confiteri proprio Sacerdoti, cùm forma sit, omnium consensu verbum Absolutionis: neque Innocentius instituit confitendum esse proprio Sacerdoti, sed explicuit, iure diuino non conuenire potestatem Sacramenti huius administrandi, nisi iis, qui iurisdictionem in alios habẽt, quales sunt proprij Sacerdotes. Sententia autem illa, Nos reconciliari gratis per Satisfactionem Christi, non modò nobis contraria non est, neque absurda catholicis vllis videtur, vt Caluino fingere placuit, sed anathema dicimus iis, qui illam negare voluerint: neque Caluinistæ proferent vnquam testimonia Doctorum Catholicorum, qui ea dicant, quæ nobis Caluinus imposuit.

SIMILIA mendacia habet etiam Theodorus Beza in sua confessione, cap. 7. art. 11. vbi de Pœnitentia Papistarum disserit. Primò, affirmat Catholicos non tam esse medicos, quàm carnifices crudelissimos animarũ, quòd in omnibus adultis requirant, vt necessaria ad salutem, Contritionem, Cõfessionem, & Satisfactionem, sed aut reipsa, si potest quis ea præstare, aut certè in voto, ac desiderio. Quæ autem crudelitas est, exigere desiderium confitendi, & mulctam impositam adimplendi?

SECVNDÒ, affirmat exigi à nobis, vt perfectè tria illa præstentur: quod esse videtur promptum iter ad desperationem. At non exigimus perfectè, nisi quatenus vires humanæ à Deo adiutæ se extendunt, neque enim requirimus Confessionem, nisi eorum peccatorum, quæ memoria tenentur, neq; mulctam imponimus, nisi quam vnusquisq; facilè ferre possit. Itaq; in tam prono itinere ad desperationem nullum vidimus vnquam desperasse.

TERTIÒ, affirmat in his tribus nos ponere remissionem peccatorum, insigni cũ Christi contumelia. At quæ contumelia Christo esse potest, si dicamus, meritum passionis eius veram esse, atq; vnicam peccatorum medicinam, eámque applicari per verbum Absolutionis iis, qui per contritionem & Cõfessionem, ac satisfaciendi propositum ad eam medicinam recipiẽdam ritè præparantur? Vel si hæc contumelia est, cur non erit etiam contumelia, si quis dixerit, Baptismum aquæ lauacrum esse regenerationis? vel, in eo lauacro positam esse remissionem peccatorum, quòd per id lauacrum applicetur nobis Christi meritum, quo peccata donantur?

QVARTÒ, affirmat doctrinã Catholicorũ de Contritione, blasphemam esse, quòd eam, partem esse velimus Satisfactionis pro nostris peccatis coram Deo, atq; ita transferamus ad homines, quod vnius Christi propriũ est. At non hoc docent Catholici: neque enim propriè satisfieri posse credunt pro culpis in Deum admissis, quasi contritio iustum precium sit, qua offensioni atque iræ diuinæ satisfiat: solùm enim iustificatos, atque amicos Dei per Christi meritum factos, docent, pro tẽporalibus pœnis posse ac debere satisfacere. Sed Aduersarij nostri non laborant vt Catholicam doctrinã intelligant, sed id solùm quærunt, vt quouis modo eã reprehendant, ac in inuidiam vocent. Sed de his hactenus.

CAPVT VI.

Calumniæ & mendacia Martini Kemnitij.

NVNC tandem ad calumnias, & mendacia Kemnitij veniamus. Primùm, vt se ac suos à Nouatianorum hæresi asserat, illorum sententiam perperam exponit: sic enim loquitur in 2. p. Exam. pag. 900. *Nequaquam sumus Nouatiani, qui semel iustificatis, si post Baptismum lapsi essent, omnem spem veniæ, & reconciliationis cum Deo vel prorsus negabant, vel in dubium reuocabant, etiamsi rursus conuerterentur, & Pœnitentiam agerent.* Sed non fuisse hanc Nouatianorum hæresim, multis argumentis probare possemus, si opus esset: verùm Kẽnitius hoc labore nos liberauit. Nã paulò infrà, p. 902. refert ex historia Tripartita, quæ fuerit Nouatianorum opinio, his verbis: *Meritò improbatur Acesij Nouatiani dictum, qui in Tripart lib. 1. cap. 13. ad Constantinum Imperatorem inquit: inuitandos quidem lapsos ad Pœnitentiam, spem verò remissionis non à Sacerdotibus, sed à Deo solummodò expectãdam, qui solus potestatem habeat remittendi peccata.* Hic vides non negasse Nouatianos spem veniæ, & reconciliationis cum Deo, vt suprà falsò scripsit Kemnitius, sed negãsse in sacerdotibus potestatem absoluendi, quippè quæ in solo Deo sit: quod etiam negant pertinacissimè Lutherani, vt infrà ostendemus.

SECVNDÒ, idem Kemnitius pag. 902. S. Ambrosij verba deprauat, vt ea ad sententiam suam accõmodet. *Ambrosius,* inquit, *Nouatianorum opinionem ita describit: Pœnitentibus post lapsum non simpliciter sanè præcidendam esse omnem spem veniæ, sed Sacerdotes nec posse nec debere illis, ministerio Euangelij remissionem peccatorum annunciare, vel Absolutionẽ impertiri: ne Dei (sicut simulabant) partes audaci temeritate sibi vsurparent.* Hæc ille. At nusquã in Ambrosio inuenitur modus ille loquẽdi, Lutheranorum proprius: *Ministerio Euangelij remissionẽ peccatorum annunciare.* Quod Ambrosius docet, vt ex lib. 1. de Pœnit. can. 2. colligitur, id est, negasse Nouatianos, potestatem remittendi peccata Sacerdotibus esse concessam: *Sed aiunt,* inquit, *se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent, &c.*

TERTIÒ p. 905. *Peccatorem,* inquit, Kemnitius, *post Baptismũ lapsum, quando quærit & ambit reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, Põtificij per Sacramentum suum Pœnitẽtiæ deducunt ad humana, seu propria opera, vt illa, accedente verbo Absolutionis, fiant & sint Sacramentum, hoc est, causa efficiens & conferens gratiam reconciliationis cum Deo, & remissionis peccatorum.* Hæc ille: vbi Primùm in ço errat, & secum ipse pugnat, quòd

Con

Contritionem & Confessionē vocat opera humana & propria, cùm potiùs dona sint Dei, vt ipse idem Kemnitius confitetur p. 955. vbi sic loquitur: *Est autem vera Contritio non opus liberi arbitrij, seu virium humanarum: sed Spiritus sanctus per verbum prædicatū, auditum, & cogitatum illā in nobis excitat, inchoat, operatur, & efficit.* Cùm igitur Contritio, & consequenter etiam Confessio, non sit nostrum tantùm opus, sed etiam Dei qui illam nobis inspirat, falsò Kemnitius paulò antè scripsit: Pontificios deducere peccatores ad opera humana, & propria.

DEINDE, Catholici etiamsi Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, ad partem materialem Sacramenti Pœnitentiæ pertinere velint: tamen causſam efficientem remissionis peccatorum vt instrumentum Dei, vel solam Absolutionem faciunt, vel actiones pœnitentis cum Absolutione coniunctas, non vt actiones humanæ sunt, sed vt instrumenta Dei, alioqui enim ipsa etiam Absolutio, & ablutio, & corporis Domini consecratio, ac distributio, actiones humanæ dici possent, cùm non minùs ab hominibus fiant, quàm ipsa peccatorum enumeratio. Nihil igitur est cur Kemnitius clamitet, nos causſam efficientem remissionis peccatorum in humano, ac proprio opere pœnitentis constituere, cùm in ipso verbo, per Sacerdotem nomine Dei pronunciato constituamus.

QVARTÒ. Pag. 911. demonstrare Kemnitius volens, cur Pœnitentia, quam prædicauit Ioan. Baptista, & post eum Christus, non sit apud Catholicos Sacramentum Pœnitentiæ, ita loquitur: *Quia in illa Pœnitentia gratis, sine operibus, fide propter Christum remittebantur peccata, quia etiam tam Baptista quàm Christus, fidē in filium Mediatorem, partem conuersionis necessariam ad consequēdam remissionem prædicarunt. Propter has causſas talis Pœnitentia Pontificiis non est Sacramentum: id quod diligenter expendatur.* Hęc ille. O miseros Lutheranos, quorum ignorantia sic abutitur Kemnitius, vt palpabilia mendacia non solùm eis impudenter obtrudat, sed etiā iubeat tanquam magna mysteria diligenter expendi. Scribit quidē Concilium Tridentinum sess. 14. c. 1. Sacramentum Pœnitentiæ institutū fuisse post Christi resurrectionē, & ea de causſa Sacramentalem Pœnitentiā, non fuisse Catholici docent Pœnitentiam illam, quā Baptista & Christus prædicabant. At causſas quas fingit Kēnitius, non modò nullus agnoscit Catholicus, sed planè oēs pro hæreticis haberemus, qui illis de causſis Pœnitentiā Sacramētum esse negarent. Tantùm enim abest, vt ideò Pœnitentiam aliquam pro Sacramento non habeamus, quia in ea gratis, sine operibus, fide propter Christū remittuntur peccata, vel quia fides in Christū pars conuersionis, & quidem necessaria ad remissionem obtinēdam prædicetur, vt contrà potiùs vbi ista absint, Sacramētum Pœnitentiæ aut nullum esse, aut inutiliter administrari dicamus.

QVINTÒ. Pag. 931. non minori audacia Kemnitius Tridentino Concilio imponit ea, quæ nunquam Patres eius Concilij cogitarūt: *Sed*, inquit, *aliud est, quod Tridentinum Concilium quærit, in Baptismo scilicet remissionem peccatorū gratis, sine nostris operibus, propter meritū Christi donari, & fide accipi: in lapsis verò post Baptismum, Pœnitentiam impetrare veniā, non fide, gratis & sine operibus, sed per & propter opera Pœnitentiæ.* Et pag. sequēti: *Idem est*, inquit, *quòd alibi dicunt, duplicem esse iustificationem, quarum prior sit gratis, fide, sine operibus, propter Christum: altera non gratis, sed per & propter opera fiat.* Hæc ille. Porrò, si ista mendacia non sunt, proferatur in medium vel vnus aliquis scriptor Catholicus: ne dicam Concilij Oecumenici, aut etiā particularis decretum, in quo habeatur, iustificationem in Sacramento Pœnitentiæ non donari gratis, per fidem sine operum merito, ob Christi deniq; passionem, & mortem? Neque enim quia requirimus Contritionem, & Confessionem, ac deinde etiam Satisfactionem, ideò non gratis, & per Christum, sed ex operibus propriis iustificamur: illa enim opera nō merita sunt iustificationis, sed dispositiones iustificandi: alioqui etiam iustificatio quę fit in Baptismo, non gratis, sed ex operibus fieret, quia Pœnitentia quædam requiritur ante Baptismum, dicente Apostolo Petro, act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.*

QVID, quòd idem Kemnitius antè confessus fuerat, Catholicos agnoscere, per meritum Christi fieri remissionem in Sacramento Pœnitentiæ: sic enim scripsit pag. 903. *Pontificij asseuerant, Pœnitentiam qua lapsi Deo reconciliantur, esse peculiare Sacramentum, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* Hæc ille cuius testimonium hoc loco prolatum, verū est, sed malè cohærens cum his, quæ nobis falsò passim imponit.

SEXTÒ. P. 935. auctorem primū Sacramenti Pœnitentiæ Kemnitius Petrum Lombardū facit, qui post annum Dñi M.C. floruit: *Quia*, inquit, *Lombardus primùm ex Pœnitentia Sacramētum fecerat, cœperunt postèà Scholastici quærere, quæ sit materia, & quæ forma, &c.* Hoc esse mēdacium nemo dubitabit, qui aliquid in veteribus legerit: passim enim coniungunt veteres Pœnitentiam seu reconciliationem cum Baptismo, aliisque Sacramentis propriè dictis. Quæ testimonia suo loco adducētur: nūc vnum S. Augustini testimonium nobis sufficiet: is enim in epist. 180. ad Honoratū: *An non cogitamus*, inquit, *cùm ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroq; sexu, atq; ab omni ætate cōcursus, altis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius Pœnitentiæ actionem, omnibus consolationē, & Sacramentorū confectionem, & erogationem? vbi si ministri desint, quantum existi putatur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exēūt, vel ligatis?*

SEPTIMÒ. Pag. 944. & 945. vix credi potest quanta impudentia Kemnitius tùm mentiatur, tùm Concilij Tridentini sententiam omninò peruertat. Negauerat Concilium partes Pœnitentiæ esse, terrores, & fidem: nam terrores & fides etiam in impœnitentibus esse possunt, cùm Iacobus dicat, dæmones crepere, & contremiscere, quos certum est Pœnitentiam nunquam acturos, de qua etiam re suo loco dicemus. At Kemnitius ex capite suo ita Concilij sententiam exponit: *Et errores quidem*, inquit, *à Deo voce Legis conscientiæ incussos, ideò nolunt esse partem Pœnitentiæ, quia Contritionem volunt esse dolorem voluntariè pro peccatis tanquam vindictam assumptum, qui hoc opere promereatur misericordiam Dei.* Sed mentitur in caput suum: non enim Concilium vsquam dixit, Contritionem esse opus meritorium remissionis peccatorum, sed contrà potiùs sess. 6. cap. 8. disertis verbis pronunciauit ideò gratis per Christum nos iustificari secundum Apostolum, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam Iustificationis gratiam promerentur.

ET quia Concilium sic negat fidem partem esse Pœnitentiæ, vt tamen ad Pœnitentiam fidem necessariam esse concedat, & Theologi fidē Pœnitentiæ fundamentum esse docent: explicat Kemnitius mentem Concilij, ac Theologorū his verbis: *Quando dicunt fidē esse fundamentum Pœnitētiæ, intelligunt talem persuasionem: si actiones illas Pœnitentia à Pōtificiis præscriptas quis susceperit, & præstiterit, quòd illis actionibus impetret veniā peccatorum, & reconcilietur Deo, & hoc est quod dicunt fidem esse fundamentum Pœnitentiæ.* At longè aliter mentem suam ipsum Concilium explicat: sic enim loquitur, sess. 6. c. 6. vbi exponit quem locū fides habeat in negocio iustificationis: *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitùs reuelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari*

impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: & dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, &c.

EX his habemus, fidem, quæ est fundamentum Pœnitentiæ, non esse (vt mentitur Kemnitius) persuasionem, quòd actionibus Pœnitentiæ impetremus veniam peccatorum, & reconciliationem, sed quòd vera sint Dei promissa, & illud in primis, iustificari impium per gratiam Dei per redemptionem, quæ est in Christo. Et simul habemus, non excludi fidem ac terrores à Pœnitentia, immò includi, non vt partes, sed vt causſas præcedentes Pœnitentiam: neque enim credere & terreri, est pœnitere, sed ex fide & terroribus Pœnitentia gignitur. Neque multum refert, quòd in loco iam citato Concilium explicat iustificationem, quæ in Baptismo acquiritur, non eam quæ in Sacramento Pœnitentiæ: nam idem est dispositionum & conuersionis progressus, licet Pœnitentiæ opera multò faciliora ad Baptismum, quàm ad reconciliationem exigantur.

OCTAVÒ. Pag. 945. incredibili malitia vel inscitia, ex can. 4. sess. 14. Concilij Tridentini Kemnitius colligit, totum Euangelium ex Pœnitentia à Catholicis tolli: *Quando*, inquit, *quartus Canon anathemate damnat eos, qui dicunt fidem conceptam ex Euangelio, vel Absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa esse peccata, necessariam partem esse Pœnitentiæ ad consequendam remissionem peccatorum, quid aliud facit, quàm quòd totum Euangelium ex Pœnitentia tollit, & ipsam vocem Euangelij propriam, sicut à Prophetis, Christo, & Apostolis tradita est, damnat?* Et pag. 946. *Quid reliquum erit Euangelio, si tollas inde Christum, fidem in Christum, & remissionem peccatorum, quæ fide per Christum accipitur? & tamen Tridentinum Concilium non veretur anathemate damnare, si quis dixerit, partem Pœnitentiæ esse fidem ex Euangelio conceptam, qua quis credit sibi per Christum remissa esse peccata.* Et pag. 947. *Ad perpetuam*, inquit, *rei memoriam notum sit veræ Ecclesiæ Dei, Concilium Tridentinum promittere Pœnitentiæ reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, sine fide, quæ quidem ex Euangelio concepta sit, & qua quis credat per Christum sibi peccata remissa.* Hæc ille: qui quidem tam pueriliter errat, vt me sanè pudeat hæc tam leuia refutare, & non parùm Kemnitij, quamuis aduersarij, misereat. Neque enim Concilium negat, fidem ex Euangelio conceptam ad Pœnitentiam esse necessariam: sed negat, tùm fidem partem esse Pœnitentiæ, cùm ea potiùs (vt suprà diximus) Pœnitentiam gignat, tum verò fidem, qua quis credit sibi remissa esse peccata, verum esse fidem ex Euangelio conceptam, cùm nihil nisi figmentum Lutheri iure dici possit. Euangelium enim remissionem peccatorum omnibus verè pœnitentibus promittit: sed vtrum hic aut ille veram Pœnitentiam habeat, Euangelium nusquam dicit, quare ex Euangelio fides illa concipi non potest, qua quis certò credat sibi remissa esse peccata. Sperare quidem possumus & debemus, vt Concilium docet, sess. 6. cap. 5. & sessio. 14. cap. 4. Deum nobis propitium fore: sed certò id credere, quo modo certò credimus articulos fidei, mera stultitia est.

NONÒ. Pag. 958. falsò tribuit S. Thomæ quòd scripserit, ad remissionem peccati requiri actum nostrum, qui sit meritorius, quia cadat sub libero arbitrio. Id enim neque vsquam S. Thomas scripsit, neque scribere potuit, nisi Theologiæ planè oblitus. Quis enim vel mediocris Theologus diceret, actum nostrum esse meritorium, quia cadat sub liberum arbitrium? quasi verò non possint multi actus sub liberum arbitrium cadere, nec tamen meritorij esse. Quid, quòd S. Thomas in q. vlt. artic. 5. disertis verbis docet, neminem posse mereri gratiam iustificationis, cuius contrarium Kemnitius illi imponit?

DECIMÒ. Similem omninò Kemnitius habet calumniam pag. 961. vbi sic ait: *Talis fides est Pontificiæ Pœnitentiæ, in nostra scilicet opera, non in Christum, talem misericordiam Dei volunt, non quæ sit gratuita, & gratis propter Christi meritum peccata remittat, sed quæ operibus nostris tribuat mercedem, reconciliationem scilicet cum Deo, & remissionem peccatorum.* Hæc ille. Sed tantum abest, vt hæc sit Catholicorum sententia, vt nullus sit Catholicorum, qui non totò corde anathema scribere paratus sit iis, qui ita sentiunt, vt nos sentire Kemnitius fingit.

VNDECIMÒ. Pag. 962. affirmat Scotum velle, dilectionem Dei super omnia ex naturalibus viribus haberi posse, eámque esse dispositionem sufficientem immediatam & vltimam ad infusionem gratiæ. Deinde pag. 963. addit: *Et hoc est dogma Scholasticorum, ad quod stabiliendum factum est hoc decretum.* Hic duo mendacia sunt. Vnum, Scholasticorum esse illud dogma: nam Scotum, quem solum Kemnitius citat, longè aliter sensisse, fusè demonstrat Andreas Vega in libro de Iustificat. q. 10. & deinde quidquid de Scoto sit, constat S. Thomam, & meliorem Scholæ partem, contrarium omninò docere. Alterum est mendacium iuculentius, Ad illud stabiliendum dogma, decretum Concilij Trid. esse formatum, quod habetur sess. 14. c. 4. & can. 5. Concilium enim in hoc ipso loco, Attritionem, quæ est imperfecta Contritio, donum esse Spiritus sancti docet: ex quo rectè colligitur, multò magis ipsam Contritionem perfectam, quæ dilectionem Dei super omnia includit, non ex solis naturæ viribus, sed Dei munere haberi. Et sess. 6. can. 3. his verbis sententiam istam damnat, quam ei Kemnitius affingere non veretur: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

DVODECIMÒ. Pag. 964. negat Kemnitius Lutherum docuisse id, quod in bulla Leonis X. damnatum legimus, Attritionem facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: sed tantùm Scholasticorum sententiam reprehendisse, quę detestationem peccatorum per liberum arbitrium solis naturæ viribus productam, facit dispositionem sufficientem ad gratiam. Atqui hæc est incredibilis audacia, cùm verba Lutheri non vno in loco posita, clarissima sint, neque vllam eiusmodi interpretationem admittant.

IN sermone de Pœnitentia, habito anno M.D.XVII. ex quo articuli illi deprompti sunt, quos Leo X. damnauit, ita Lutherus loquitur: *Contritio duplici via paratur. Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis (vt dicunt) recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia, quæ possunt tristitiam, ac dolorem excitare. Hæc autem tristitia facit hypocritam, immò magis peccatorem, quia solùm timore præcepti, & dolore id facit: & tales omnes indignè absoluuntur.* Hæc ibi, vbi non damnatur Contritio, siue Attritio (vt Kemnitius dicit) quia sit ex solo libero arbitrio, sed quia nascitur ex timore præcepti, non ex amore iustitiæ.

RVRSVS idem Lutherus in lib. contrà bullam Antichristi, posteaquam recitauit articul. 6 à Leone damnatum, vbi habentur ad verbum, quæ modò ex sermon. de Pœnitentia citauimus, ita subiungit: *Meus certè est articulus, & Christianissimus, quem mihi innumerabilibus*

Papis & Papistis non sinam extorqueri. Vtri, quæso, magis credendum, Lutheróne articulum suum agnoscenti, an Kemnitio impudenter mentienti, nunquam Lutherum ita sensisse?

In assertione quoque omnium articulorum suorum, iterum recitat eundem sextum articulum, & suum esse fatetur, & multis argumentis confirmare nititur.

Denique in Resolutionibus super propositiones Lipsiæ disputatas, apertissimè dicit hæresim esse Pelagianam, admittere, Pœnitentiam inchoari ante dilectionem iustitiæ: vbi prorsus tollit primam Partem Pœnitentiæ, quam Kemnitius, & Lutherani cæteri constituunt in illis terroribus fidem præcedentibus. Proinde nunc Luthero teste, Lutherani Pelagiani facti sunt: & ideò non mirum, si Kemnitius mauult impudenter Lutheri scripta negare, quàm Pelagianus haberi.

Decimoterti ò. Pag. 967. mirabili stratagemate Kemnitius Catholicis affingit, quæ sunt Lutheri propria. Reprehendit enim Scholasticos, quòd doceant, Contritionem, si non oriatur ex dilectione Dei, sed ex timore iræ & iudicij diuini, etiamsi accedat fides petens & statuens remitti nobis peccata propter Christum, tamen non esse salutarem, sed Iudæ Pœnitentiam. At hoc nunquam Scholastici docuerunt, sed Lutherum ita docentem Leo Pontifex, & Academiæ Catholicæ, & nuper Patres in Tridentino Concilio damnauerunt: Ita videlicet fideliter recitat sententias nostras Remnitius. Atque hæc de calumniis & mendaciis sufficiant.

CAPVT VII.

De nomine Pœnitentiæ.

Expeditis Hæreticorum mendaciis & calumniis, nunc ad nomen Pœnitentiæ veniamus. Aduersarij ab ipso Pœnitentiæ nomine fundamenta iacere incipiunt errorum suorum: & quia Pœnitentia à pœna dicta videtur, & pœna referri potest tùm ad dolorem de peccatis præteritis, quam nos contritionem vocamus, tùm ad eam mulctam, quæ indicitur pœnitentibus, quæque Satisfactio à Catholicis nominatur, propterea illi non libenter hac voce vtuntur, & pro ea in Scripturis ferè vbique substituunt Resipiscentiam.

Lavrentivs Valla, qui veluti præcursor quidam Lutheranæ factionis videtur fuisse, in Annotatione ad cap. 7. posterioris ad Corinth. scribit, elegantiores voces esse μετάνοιαν, & μεταμέλειαν Græcas, quàm Pœnitentiam, Latinam, quòd pœnitentia significet tristitiam commissi, illæ mentis emendationem: atque inde colligit, nihil agere eos, qui ex eo Pauli loco triplicem inducant Pœnitentiam, vnam quæ sit Contritio, alteram quæ sit Confessio, tertiam quæ sit Satisfactio, cùm apud Paulum duæ illæ voces μετάνοια & μεταμέλεια tantùm inueniantur.

Erasmvs, qui alter præcursor Lutheri dici potest, in Annotationibus noui Testamenti ad cap. 3. Matth. & alibi frequentissimè, mauult, resipiscere & resipiscentiam, quàm, pœnitere & pœnitentiam, esse vertendum, vbi legimus μετανοεῖν, & μετάνοιαν: *Nostrum vulgus*, inquit, *putat esse pœnitentiam agere, præscripta pœna quapiam, luere commissa: quòd apud Christianos, qui publicè peccâssent, ejecti è consortio propalam affligerentur, eáque satisfactio siue pœna, pœnitentia vocari cœpta. Qua quidem ex re non mediocris error Theologis quibusdam obrepsit, qui quòd Augustinus de pœnitentia, hoc est, publica satisfactione scripsit, ad animi dolorem, quam contritionem vocant, detorquent. Alioqui μετάνοια dicta est à μεταγνῶν, hoc est, à posterius intelligendo, vbi quis lapsus, re peracta tum demum animaduertit erratum suum.* Et infrà, non solùm vocem Græcam μετάνοιαν resipiscentiam sonare contendit, quòd multi alij fecerunt, & inter alios Lutherus, ipsum Erasmum auctorem citans in Resolutionibus: sed etiam, Pœnitentiam, quòd forte nullus est ausus, in resipiscentiam transformare conatur. Vult enim & hoc loco in capit. 3. Matth. & infrà in capit. 7. posterioris ad Corin. non à pœna, sed à ponè tenendo, pœnitentiam ductam, quasi nihil sit aliud pœnitere, nisi posterius consilium tenere, siue, vt ipse loquitur, intelligere post factum, vnde & Græcis dicta est Metanœa.

Theodorvs Beza annot. ad 3. cap. Matth. interpretationem eorum reprehendens, qui illud μετανοεῖτε non verterunt, Resipiscite, sed, pœnitentiam agite, ita loquitur: *Quàm interpretationem multas ob causas repudio, sed ob eam potissimùm, quòd multi imperiti occasionem ex hoc dicendi genere arripuerint falsarum opinionum de Satisfactione, quibus hodie agitatur Ecclesia.* Hæc ille. Scilicet imperiti, &, (vt Erasmus loquebatur) vulgus, deputandi sunt omnes, qui fidei simplicitatem cum sanctis Patribus, & vniuersa Ecclesia tenent. Sic, olim Berengarius (Lantfranco teste in lib. de corpore Christi) Catholicorum sententiam, vulgi sententiam appellabat.

Porrò distinguit Beza vocem μετανοεῖν à voce μεταμέλεσθαι; ac μετανοεῖν, quæ vox in Scripturis passim occurrit, propriè significare dicit, post factum sapere, eique respondere Latinam vocem, resipiscere, vnde est resipiscentia, & vocem Hebraicam שוּב conuerti, vnde est תשובה conuersio: quod idem obseruauit Ioan. Caluinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 5. Vocem autem μεταμέλεσθαι, propriè significare dicit, post rem aliquam factam solicitum esse, & anxium, atque huic voci, quæ nusquam ferè in Scripturis occurrit, cùm de conuersione peccatoris agitur, respondere vult Latinam vocem, pœnitere, vnde est Pœnitentia, & Hebraicam נחם pœnitere, seu consolari.

Martinvs Lutherus in epist. ad Vicarium sui Ordinis, quam scripsit anno M.D.XVIII. & extat in primo tomo operum eius, Vvittembergæ excusorum, dicit se studio eruditissimorum virorum tandem didicisse, vocem Pœnitentiæ non significare odium, vel dolorem de vita præterita, vt olim dicebatur, sed significare amorem iustitiæ, & nouæ vitæ, & hoc nomen nihil habere amarum, vel acerbum, sed omnia grata, & dulcissima. Similia indicat idem Lutherus in serm. de Pœnitentia, & in Resolutionibus suarum propositionum.

Sed in eo multùm errant doctores isti, Grammatici potiùs quàm Theologi, quòd vocum significationes ex etymologia potiùs ducunt, quàm ex communi Scripturæ, & bonorum auctorum vsu. Nam si non originem ac deriuationem, sed vsum spectemus harum vocum, videbimus non solùm נחם & μεταμέλεσθαι, sed etiam שוּב, μετανοεῖν, & ipsum præcipuè pœnitere, velit nolit Erasmus, externum dolorem, ac pœnam ex interna conuersione profectam significare, & idcircò Latinum interpretem meliùs voce Pœnitentiæ vsum esse, quàm fecisset, si voce Resipiscentiæ vti voluisset.

Percvrramvs singulas voces. Vbi legimus in lib. Iob. cap. vltim. *Ago Pœnitentiam in fauilla, & cinere*, נחמתי est in Hebræo. Ex quo intelligimus, verbum נחם non aliquid dulce, vt Lutherus somniat, sed amarum dolorem, & eum non solùm internum, sed etiam externam actionem comprehendere: id quod ne Beza quidem negare ausus est.

Apvd Ioëlem cap. 2. vbi habemus: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu*, vox שובו non potest ad solam animi mutationem referri, cùm tam perspicuè Dominus iubeat eos conuerti in ieiunio, fletu, & planctu: proinde conuersio, quam vox illa Hebraica significat, internam & externam simul actionem comprehendit.

Sed veniamus ad Græcam vocem μετάνοιαν, de qua potissimùm controuersia est. Matth. 11. & Luc. 10. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio & cinere Pœnitentium egissent.* Apud vtrúque Euangelistam est vox μετενόησαν, quam omninò absurdè Beza reddidit: *Resipuissent.* Quid enim est, in cilicio & cinere sedendo resipiscere? certè resipiscentia, si propriè accipiatur, saccum & cinerem præcedit: nemo enim saccum induit, & in cinere sedet, nisi antea resipuerit: Dominus autem actionem pœnalem significat, quæ tum assumitur & exercetur, dum quis mœstus & dolens in sacco & cinere sedet. Itaque μετενόησαν eo loco nihil aliud significare potest, nisi corde simul & corpore auersari peccata præterita, & vindictam de illis à semet repetere.

Similis locus est Matth. 12. & Luc. 11. vbi Dominus Niniuitas laudat, quòd egerint Pœnitentiam in prædicatione Ionæ, & vtitur eodem verbo μετανοεῖν: quæ fuerit autem pœnitentia Niniuitarum, scribitur Ionæ tertio: nimirum ieiunia, cilicia, preces ad Deum.

Ad hæc in posteriore ad Corinth. epist. cap. 12. extremo: *Metuo*, inquit Apostolus, *ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.* Hoc etiam loco verbum μετανοησάντων vertitur à Beza: *Resipuerunt*, omninò contra proprietatem Græci, Latinique sermonis. Nam nec Latinè dicitur, Resipiscere super peccatum; & Græcè illud ἐπὶ coniunctum Datiuo, vt hoc loco ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ πορνείᾳ caussam significare solet, ac pro eo poni quod est ob, vel propter. Si quis autem dicat, pœnitentiam esse agendam ob peccatum commissum, rectissimè dicet: est enim culpa caussa pœnæ, cùm ex culpa obligatio nascatur ad pœnam: at resipiscendum ob culpam, non nisi absurdè diceretur, non enim culpa resipiscentiæ caussa haberi potest, cùm non ex culpa, sed ex bona aliqua aspiratione resipiscentia oriatur.

Neqve solùm Scripturæ diuinæ vsus, sed etiam auctores tùm Græci, tùm Latini hanc vocem μετάνοια ac cipiunt non pro sola resipiscentia, sed etiam pro detestatione præteritæ culpæ, & vindicta, quam quis de se ob eam culpam expetit. Sic accipit S. Basilius in oratione de fame & siccitate, vbi μετάνοιαν appellat externam pœnitentiam Niniuitarum: & Poëta Latinus Ausonius in illo Epigrammate de occasione & pœnitentia, eodem modo accipit cùm ait:

Sum Dea, quæ facti non factique exigo pœnas:
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

Neque probabile est quod scribit Beza loco citato, Ausonium metri caussa posuisse Metanœam pro Metamelia. Voluit enim Ausonius proprium nomen eius simulacri, quod vulgò Pœnitentia dicebatur, exprimere; & quia Latinum non extabat apud Ciceronem, & alios antiquos probatos auctores: *Sum Dea*, inquit, *cui nomen nec Cicero ipse dedit*, Græcum subtituit pro Latino. Non est autem credibile, eum qui proprium nomen reddere volebat, alienum supposuisse, præsertim cùm facilè potuerit poëtica licentia dicere: *Nempe vt pœniteat, Metameliam vocor*, producendo primam syllabam vocis *Metamelia*, vt similem produxit Virgilius: *Italiam fato profugus, &c.* immò Græcis solenne est primam producere, cùm tres breues in aliqua voce occurrunt.

Lactantius lib. 6. cap. 24. scribit quidem Metanœam Latinè reddi posse Resipiscentiam: sed explicat, per Resipiscentiã non debere intelligi solam mentis mutationem: *Resipiscit autem*, inquit, *quem errati piget, & seipsum castigat dementiæ, & confirmat ad rectiùs viuendum.* Atque hęc de Græca voce.

Porrò vox Latina Pœnitentia non est quidem apud Ciceronem, vt neque etiam Resipiscentia, tamen verbum pœnitendi, vnde sine dubio Pœnitentia dicta est, apud Ciceronem non eam vim habet, quam credit Erasmus, sed quam vereres Grammatici, qui à pœna, non à ponè, pœnitere, & Pœnitentiam deriuarunt. In 4. Tusculana extrema: *Quomodo*, inquit Cicero, *si naturalis esset ira, aut alius alio magis iracundus esset, & finem haberet prius quàm esset vita, vlciscendi libido, aut quenquam pœniteret, quod feciſſet per iram? vt Alexandrum Regem videmus, qui cùm interemisset Clytum familiarem suum, vix à se manus abstinuit: tanta vis fuit pœnitendi.* Quo loco vox pœnitendi non significat solam agnitionem erroris, sed detestationem facti, cum desiderio puniendi.

Ouidius quoque in eadem significatione verbum, pœnitere, accipit lib. 1. de Ponto, cùm ait:

Pœnitet ô, si quid miserorum creditur vlli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cùmque sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estáne pati pœnam, quàm meruisse, minus.

Iam verò apud Ecclesiasticos auctores, nomen Pœnitentiæ non pro sola erroris agnitione, & mentis mutatione, sed etiam pro vindicta, quam de se sumit peccator, sæpenumerò vsurpari, superuacaneum erit ostendere: ita passim testimonia Patrum occurrunt. Certè Tertullianus cùm in lib. de Pœnitentia ait: *Confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus placatur*, non potest pœnitentiam pro resipiscentia accipere, cùm non ex confessione resipiscentia, sed confessio ex resipiscentia oriatur. Itaque Pœnitentiam, pœnam sponte assumptam ad peccatum, puniendum vocauit: quo sensu scripsit etiam S. Cyprianus in serm. 5. de lapsis: *Pœnitentia crimine minor non sit.* & S. Augustinus in epist. 108. ad Selucianum: *Est*, inquit, *Pœnitẽtia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte nobis debita nostra.*

Deniqve vnde vox, Pœnitentia, diphthongum haberet, quem habet vox pœna, si à ponè, vt vult Erasmus, & non à Pœna deriuaretur? Maneat igitur, omnes Pœnitentiæ voces, Hebraicã, Græcam, & Latinam, secũdum Scripturæ & bonorum auctorum vsum, non solam mentis mutationem, aut erroris agnitionem, sed etiam detestationem peccati, & vindictam sponte assumptam significare.

CAPVT VIII.

Proponitur Controuersia prima.

An Pœnitentia sit sacramentum propriè dictum.

Controversia prima, quæ est de genere, sitne videlicet Pœnitentia sacramentum propriè dictum, quatuor partes habebit. Primò enim explicandus erit quæstionis status, Deinde, adferendæ sententiæ aduersariorum. Tertiò asserenda & propugnãda veritas. Postremò obiectiones contrariæ diluendæ.

Vt igitur controuersiæ status aperiatur, illud initiò ponimus, non de quauis pœnitentia controuersiam esse: potest enim, vt ad præsentem disputationem pertinet, vera Pœnitentia vel in sola mentis conuersione, atque interna peccati detestatione consistere, vel etiam externis signis, mœrore, lachrymis, confessione, corporis afflictatione se prodere. Et quidem conuersio illa mentis ad Deum, etsi semper necessaria fuerit ad reconciliationem, & virtus quædam sit non exigua; tamen nisi signa externa adiuncta habeat, sacramentum dici non potest: neque de hac vlla controuersia est.

Posse autem, & vt plurimùm solere, veram Pœnitentiam signa externa adiuncta habere, ex sacris literis

paulò antè probatum est. Dominus enim Matthæi 11. in cinere & cilicio Pœnitentiam acturos fuisse dicit Tyrios, & Sidonios, si prædicatum eis fuisset: & Matth. 12. laudat idem Christus pœnitentiam Niniuitarum, quam externam fuisse restatur Ionas cap. 3.

Ipsi etiam aduersarij, licet satisfactiones reiiciant, tamen opera externa laboriosa in signum pœnitentiæ, non reiiciunt. Caluinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 15. *Quò seueriores*, inquit, *in nos sumus, eò debemus sperare magis propitium ad misericordiam Deum: & certè fieri non potest, quin anima iudicij horrore percussa, partes vltionis in exigenda de se pœna occupet.* Et Kemnitius in 2. par. Exam. in disputatione de satisfactione, pag. 1072. scribit, non reiici à suis opera laboriosa, vt fructus, & signa veræ pœnitentiæ.

De hac igitur pœnitentia, quæ signis externis proditur, quæstio est, an Sacramentũ dici debeat. Sed neque de omni eiusmodi pœnitentia cõtrouersia est: satis enim inter nos & aduersarios conuenit, Pœnitentiam Niniuitarum, & aliorum qui ante Christi aduentum vixerunt, Sacramentum nouæ legis, de quo nunc agimus, nequaquam esse potuisse. Sed neque Pœnitentiam eiusmodi, etiam post Christi aduentum & parsionem, Sacramentum facimus vel nos, vel aduersarij, si nulla sequatur absolutio. Absolutionis autem ritum aliquem ferè omnes agnoscunt, licet de vi & efficacia Absolutionis, de Ministro qui eam pronunciat, déque alijs multis rebus ad Absolutionem pertinentibus, multæ sint inter nos & aduersarios quæstiones.

Hic igitur status controuersiæ est: An Pœnitentia signis externis manifestata, accedente ad eam verbo Absolutionis, sit Sacramentum nouæ legis proprie dictum. Istum enim ritum reconciliandi lapsos post Baptismum, qui ex Pœnitentia signis externis prodita, & verbo Absolutionis constet, Catholici verum ac proprie dictum Sacramentum esse affirmant, hæretici negant.

Kemnitius more suo dum queritur à Catholicis controuersiæ statum confundi, ipse eum mira fraude confundit. Quia enim statu rectè constituto, videbat magnam Lutheranorum partem, & ipsum Cõfessionis Augustanæ auctorem à Catholicis non dissentire, ne ipse cum suis tam apertè pugnare videretur, statum quæstionis longè aliũ esse finxit, quàm reuera sit. Is igitur pag. 905. & 908. hunc esse contendit statum controuersiæ: Vtrum peccatores post Baptismum quærentes reconciliationem cum Deo, abducendi sint à fide odedientiæ, parsionis, & satisfactionis Christi, ad fiduciam actionis propriè Contritionis, Confessionis, & Satisfactionis: ita vt istæ actiones, accedente ad eas verbo Absolutionis, sint Sacramentum, & causa efficiens remissionis peccatorum.

At ista quæstio si inter nos esset, non esset certè illa quam Catholici proponunt, cùm quærunt: Sitne Pœnitentia Sacramentum propriè dictum: sed esset alia quæstio à priore dependens, nimirum: Quale sit Pœnitentiæ Sacrametum. Priùs enim componenda est controuersia, An pœnitentia Sacramentum sit: quam Kemnitius fraudulenter dissimulare conatur: deinde quærendum, Quale tandem Sacramentum sit.

Quid, quòd quæstio quam Kemnitius depingit, ac fingit, nulla ost omninò nou enim Catholici (vt etiam superiore capite breuiter ostendimus) vsquam disputãt, peccatores à fide obedientiæ, parsionis, & satisfactionis Christi abducendos esse ad fiduciam actionis propriæ: sed contrà omnes vno ore clamant: totam vim Sacramenti Pœnitentiæ, vt aliorum omnium Sacramentorum, à merito obedientiæ, parsionis, & satisfactionis Christi pendere, neque absque fide in Christum, vllum à peccatis absolui, vel reconciliari cùm Deo posse. Porrò vim Sacramentalem, quæ efficienter atque instrumentaliter concurrit ad remissionem peccatorum, propriè ac præcipuè in verbo, quod Sacerdos Dei nomine pronunciat, dum absoluit, constituunt; vt perspicuum est ex S. Thoma in 4. sent. dist. 18. q. 1. art. 3. actiones autem pœnitentis solùm concurrunt ad remissionem peccatorum efficiendam, quatenus vim Sacramentalem à verbo Absolutionis, à quo formantur, participant.

Neque his repugnat, quòd Pœnitentiam ipsam, quæ in actione peccatoris consistit, Sacramentum appellamus: nomen siquidem Sacramenti, materiæ aptiùs tribui solet, quàm formæ, licet forma aut sola, aut præcipuè vim efficiendi contineat. Sic Baptismus ablutionem, hoc est, materialem partem propriè significat: illa autem verba: *Ego te baptizo, &c.* non Sacramentum, sed formam Sacramenti nominare solemus. Sic panem consecratum, Sacramentum dicimus: illa autem verba; *Hoc est corpus meum*, Sacramentum non dicimus. Sic vnctionem confirmandorum, & vnctionem ægrotantium, Sacramentum vocamus potiùs, quàm verba quibus Sacramẽta illa perficiuntur. Sic denique Matrimonium, siue coniunctionem viri cum fœmina, non autem illa verba: *Ego te accipio in meam*, Sacramentum appellamus.

Hvc accedit, quòd si actiones pœnitentis, efficientes causæ diceretur remissionis peccatorum, non minùs propriè & principaliter quàm ipsa Absolutio: non tamen eæ causæ dicerentur, nisi vt instrumenta Dei, & ideò nihil omninò detraheretur de efficiẽtia Dei, & merito passionis Christi. Nam ipsa etiam Absolutio, & ablutio, & Eucharistiæ consecratio, actiones humanæ sunt: & tamen quia per eas actiones, vt per sua quædam instrumenta, Deus operatur, & Christi merita nobis applicat; nemo queritur abduci homines à merito Christi ad fiduciam actionis humanæ, quãdo ab homine baptizari, vel absolui, vel Eucharistiã ab homine consecratã sumere iubetur.

Verus igitur status quæstionis est, quem nos constituimus, Vtrum Pœnitentia signis externis declarata, cum verbo absolutionis, sit verè propriéque dictum nouæ legis Sacramentum.

CAPVT IX.

Explicantur sententiæ aduersariorum de proposita quæstione.

Pœnitentiam Sacramentum esse, primi negârunt Montanistæ, & Nouatiani: quãquam ij non Sacramenti solùm rationem, & nomen, sed etiam potestatẽ reconciliandi peccatores, & omnem omninò ritum Ecclesiasticum reconciliationis sustulerunt. Neque verò, vt nonnulli falsò existimant, Pœnitentiam, & spem veniæ à Deo obtinendæ, hæretici suprà nominati tollebant è medio, sed solùm ab Ecclesia solui ac reconciliari posse eos, qui post Baptismum fuerant lapsi, negabant.

De Montanistis S. Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Montani: *Illi*, inquit, *ad omne penè delictũ Ecclesiæ obserant fores: nos quotidie legimus: Malo Pœnitentiam peccatoris, quàm mortem.*

De Nouatianis refert Socrates lib. 4. histor. cap. 23. Nouatianum ipsum, quem ipse Nouatum vocat, ad Ecclesias omnes scripsisse: vt eos qui simulacris immolâssent, minimè ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad Pœnitentiam, remissionémq; permitterent Deo, qui potest & habet auctoritatem remittẽdi peccata. Idẽ ex Cypriano lib. 2. epist. 4. & ex Ambrosio lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2. colligitur. Monet autem Ambrosius, Nouatianos sui temporis nonnihil remisisse de rigore maiorum suorum: *Aiunt*, inquit, *se, exceptis grauioribus criminibus, relaxare veniam leuioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Nouatianus ait, qui nemini Pœnitentiam dandam putauit.* Et paulò post: *In eo igitur patrem vestrũ propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ soluenda à vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini.*

Quia verò auctorem huius hæresis post Montanum alij Nouatum, alij Nouatianum vocant: sciendum est, Nouatum Presbyterum Carthaginẽsem, primum fuisse, qui post Montanum hanc hæresim excitauit: ab illo enim seductum fuisse Nouatianum Romanum Presbyterum, qui cum Cornelio in schismate sedit, intelligi potest ex Paciano in epist. 3. ad Sympronianum, & ex Hieronymo in libro de viris illustribus, in Nouatiano. Quare idem Hieronymus in 2. lib. aduersus Iouinianum, & Augustinus lib. de Hæresibus, cap. 38. Nouatum auctorem hæresis faciunt: Græci hæc nomina confundunt, & vtrumque Nouatum vocant.

Hanc antiquissimam hæresim iam olim damnatam, iterum excitare conatus est Lutherus, & qui post eum surrexerunt falsi prophetæ, Zvvinglius, Caluinus, & cæteri. Nam etiamsi reconciliationem quandam lapsorum post Baptismum agnoscunt, in quo discrepare videntur à Nouatianis: tamen veram & iudiciariam potestatem peccata remittendi, non minùs Sacerdotibus negant Lutherani, quàm olim negarent Nouatiani.

Vervm autem & propriè dictum Sacramentum esse Pœnitentiam, primus negauit hoc nostro sæculo Lutherus, sed timidè, & inconstanter: nam in lib. de cap. Babyl. non procul ab initio: *Principio*, inquit, *neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda, Baptismus, Pœnitentia, Panis.* Sed in eodem libro extremo, Pœnitentiam ad Baptismum reuocat, & ex tribus duo facit: *Propriè*, inquit, *ea Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt: quo fit, vt si rigidè loqui volumus, tantùm duo sint in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus, & Panis, cùm in his solis, & institutum diuinitùs signum, & promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam pœnitentiæ Sacramẽtum, quod ego his duobus accensui, signo visibili & diuinitùs instituto caret, & aliud non esse dixi, quàm viam ac reditum ad Baptismum.* Hæc ille. Idem tamen Lutherus cùm alibi sæpe, tum in propositionibus aduersus Louanienses, quas edidit anno M.D.XLV. propositione 35. Pœnitentiam Sacramentum esse concessit.

Philippus Melanchthon in locis communibus editis anno M.D.XXII. apertè negauit hoc Sacramentum: sic enim loquitur in tit. de Pœnitentia: *Pœnitentiam non esse signum, nihil obscurum est: est enim Pœnitentia vetustatis nostræ mortificatio, & renouatio spiritus. Sacramẽtum eius, vel signum non aliud nisi Baptismus est: atque hic omnium rectissimè vocetur Sacramentum Pœnitentiæ.* Idem tamen Philippus Lutherum suum sequutus in libris postea editis, Pœnitentiam Sacramentum esse docuit, ac præsertim in Apologia Confessionis Augustanæ.

Et quoniam Matthias Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis, cap. 18. & Martinus Kemnitius, in 2. par. Exam. pag. 903. scribere non verentur, Apologiam Confessionis Augustanæ non agnoscere hoc Sacramentum nisi impropriè, & modo quodam, non autem simpliciter & propriè; verba ipsa Apologiæ adferenda sunt, vt duo isti Lutherani non solùm ab Ecclesia Catholica, sed etiam ab Apologia Confessionis Augustanæ, in cuius verba iurauerant, defecisse intelligantur. Sic igitur habet Apologia in cap. de numero & vsu Sacramentorum: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facilè est iudicare, quæ sint propriè Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti, non erunt hoc modo propriè dicta Sacramenta: non est enim auctoritatis humanæ, promittere gratiam. Quare signa sine mãdato Dei instituta, non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse rudes docent aut admonent aliquid. Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ: nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria noui Testamenti. Certò enim debent statuere corda, cùm baptizamur, cùm vescimur corpore Domini, cùm absoluimur, quòd verè ignoscat nobis Deus propter Christum.* Hæc ibi: vbi Apologia primò appellat Pœnitentiæ Sacramentum, propriè ac verè Sacramentum. Secundò, dicit habere ritum diuinitùs institutum, & gratiæ promissionem, cùm tamẽ Kemnitius ideò solùm neget esse propriè Sacramentum Pœnitentiam, quòd eam carere existimet ritu diuinitus instituto. Tertiò, cõiungit perpetuò cum Baptismo, & Cœna Domini, quæ sunt omnium consensu verè ac propriè Sacramenta. Quartò, separat ac distinguit à ritibus humanis, qui non sunt propriè Sacramenta. Poterãtne igitur Apologia clariùs asserere, Pœnitentiæ Sacramentum verè ac propriè Sacramentum esse?

Adde, quòd in locis communibus editis anno M.D.XLIII. in titulo de numero Sacramẽtorum idem Philippus sic loquitur: *Cùm autem vocabulum Sacramenti de cæremonijs intelligitur institutis in prædicatione Christi, numerentur hæc Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ sunt externi ritus, & sunt signa totius Euangelij, & quidem propriè sunt testimonia remissionis peccatorũ, seu reconciliationis, de qua præcipuè dicitur in definitione vsitata: Sacramentum est signum gratiæ, id est, reconciliationis gratuitæ, quæ propter Christum donatur, & in Euangelio prædicatur.* Satis igitur constat, Philippum & Lutherum reuocasse priorem illam sententiam, quam initiò docuerant.

Sed erroris ab istis introducti, ac posteà diserti, nec defuerunt qui patrocinium susciperent: ac primùm Zvvinglius in lib. de vera & falsa religione, cap. de Sacramentis, & Zvvingliani omnes, Pœnitẽtiam à numero Sacramentorum remouent. Ioan. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 15. & sequentibus, non negat solùm Pœnitentiæ Sacramentum, sed etiam multis argumentis nullũ eiusmodi sacramentum esse conatur ostendere: quod idem facit in Antidoto Concilij Trid. sess. 6. c. 15. Caluinum sequitur suus Beza in Confess. fidei, c. 7. art. 11. nec desunt multi ex his qui Lutherani dici volunt, & in verba Confessionis Augustanæ, & eius Apologiæ iurârunt, qui ad Sacramentarios in præsenti quæstione defecerint, vt Nicolaus Selneccerus in 2. patte suæ Pædagogiæ, vbi de numero Sacramentorum tractat: Ioannes Vvigandus in Methodo doctrinæ Ecclesiæ Magdeburgensis, c. 14. Matthias Illyricus in præfatione libri, qui inscribitur: *De sectis & dissidijs Pontificiorum.* Martinus Kemnitius in 2. part. Exam. Trid. Concilij, in prima disputatione de Pœnitentia: aliíque deniq; non pauci, quos nihil attinet recensere.

Aduersus hunc errorem edidit Synodus Tridentina canonem primum sess. 14. in hæc verba: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè ac propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

CAPVT X.

Pœnitentiam sacramentum esse propriè dictum.

Nvnc ad veritatem confirmandam accedamus. Ac primo quidem loco habemus verba Domini Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus verbis duo colliguntur, quæ ad omne Sacramentum propriè dictum constituendum, & requiruntur, & sufficiunt; ritus externus, siue symbolum diuinitùs institutum, & promissio gratiæ iustificantis, illi ritui siue symbolo annexa.

Nam cùm Dominus Apostolis potestatem concesserit remittendi peccata hominibus, dubitari non potest, quin signo aliquo externo eam potestatem exercere voluerit: neque enim homines, qui corporales sunt, peccata sibi remitti intelligerent, nisi voce aut signo aliquo externo ac sensibili remitterentur. Neque aduersarij id ne-

gant agnoscunt enim ex hoc testimonio diuinę Scripturę rectè colligi verbum Absolutionis etiam priuatæ, vt patet ex Kemnitio 2.par.Exam.pag.916.& 917.& ex Caluino lib.3.Instit.cap.4.§.12.& 14. Verbum autem signum corporale,& sensibile est. Neque solùm ritus externus absoluentis, sed etiam ritus externus pœnitentis ex eodem testimonio rectè colligitur:neque enim peccata remitti debent,nisi ijs,qui se peccata habere,eáque sibi displicere testantur. Nam vt ij absolui nequeunt, qui ligati non sunt,ita nec ij,qui solui nolunt: nolunt autem solui, qui non adferunt animum paratum,vt oportet,id est,qui sine fide ac pœnitentia accedunt. Quare ipsi etiam aduersarij absoluendos non putant eos, qui pœnitentiæ signa nulla ostendunt, quique absolutionem non petunt: *Priuata absolutio*, inquit Kemnitius pag.*916.contritis,& fide petentibus consolationem, remittit peccata.* Habemus igitur symbolum,seu ritum externum, eúmq; duplicem; signa pœnitentiæ,& verbum Absolutionis.

Promissionem verò gratiæ iustificantis nusquam Dominus apertiùs exposuit, quàm hoc loco: quid enim est peccatorum remissio,nisi iustificatio?

Hoc testimonium varijs modis hæretici deprauare conantur:sed duo sunt præcipua ipsorum effugia. Vnum est omnibus commune, loqui Dominum de remissione peccatorum,nó Iudiciaria,& ex potestate quadam quasi Prætoria, sed per Euangelij prædicationem: *Illis enim*, inquiunt, *Minister peccata remittit, in quibus prædicando fidem excitat,quæ remissio ipsa apprehenditur.*

Sed de hac expositione suo loco infrà disputabimus,vbi de potestate Clauium,siue de Absolutionis efficacia disseremus: neque enim hoc loco ad rem nostram multum facit ista deprauatio verbi Dei. Nam etiamsi solùm de remissione per annunciationem Euangelij Dominus loqueretur,adhuc aduersarij Sacramentum negare non possent: siquidem ipsi omnia Sacramenta nihil aliud esse volunt, nisi quandam Euangelij annunciationem ad excitandam fidem institutam. Quemadmodum igitur aquæ aspersio cum verbo: *Ego te baptizo*, Sacramentum est etiam apud aduersarios,licet illud:*Ego te baptizo*,referatur ad excitandā fidem,per annunciationem absolutionis nomine Dei factam:sic etiam signum pœnitentiæ,quod peccator ostendit,dum petit Absolutionem, cum verbo:*Ego te absolvo*,Sacramentum censendum est, licet ipsorum opinione,illud:*Ego te absoluo*,referatur ad excitandam fidem,per annunciationem absolutionis nomine Dei factam;debere autem Absolutionem in particulari applicari,Lutherani concedunt,vt suprà citauimus ex Kemnitio in 2 parte Examinis.pag.*916.*& ex Caluino lib.3.Instit.cap.4.§.14.

Alterum effugium est Caluini in Antidoto Concilij Tridentini, sess.6.cap.14. vbi posteaquam dixerat, Catholicos ex loco iam citato Euangelij colligere institutionem Sacramenti Pœnitentiæ;Respondet,verba illa Euangelij:*Quorum remiseritis peccata*,pertinere ad remissionem peccatorum,quæ tum efficitur, cùm per verbum prædicationis, inpij & infideles conuertuntur ad fidem, & per Baptismum ad Ecclesiam adiungũtur.*Quis*,inquit, *ignorat munus Apostolis illic fuisse iniunctum,quo erga extraneos fungerentur? ea legatio est, quæ per Euangelium defertur in Ecclesiam nondum cooptatis.* Idem etiam habet Kemnitius in 2.par.Exam.pag.915. vbi hãc expositionem probat ex cap.vlt. Lucæ, vbi Dominus iussit prædicari Pœnitẽtiam, & remissionem peccatorum in nomine suo per omnes Gentes: hæc enim loca cùm de re eadem tractent,se inuicem explicant.

Respondeo, duobus modis potest intelligi locus Euangelij,qui habetur Ioan.20. Vno modo, vt data sit Apostolis auctoritas peccata remittendi tum infidelibus,tum fidelibus.Altero modo,vt solum fidelibus.

Prior expositio est S.Cyrilli in eum locũ, & eam sequi videntur aduersarij. Nam Kemnitius loco citato, & etiam pag.920.apertè declarat,generalem esse promissionem Ioan.20. quæ tam ante Baptismum, quàm post Baptismum locum habeat.

Caluinus autem tametsi in Antidoto ita loquitur, vt videatur eam promissionem restringere ad solos infideles;tamen alibi se ipse explicat.Siquidem lib.3.instit.cap.4.§.12. dicit Ministris esse iniunctum, vt de remissione peccatorum certiores reddant fidelium conscientias, & probat ex hoc loco Ioannis,& paulò pòst §.14.ex hoc eodem loco colligit priuatam absolutionem, quæ datur in Ecclesia pœnitentibus: *Non vulgare*,inquit,*aut leue solatium est, habere illic præsentem Christi legatum,reconciliationis mandato præditum, à quo denunciari sibi Absolutionem audiat.Hic vtilitas Clauium meritò commendatur,cùm ritè,quo ordine & qua religione docet,ista peragitur legatio, similiter cùm is,qui se ab Ecclesia quodammodo abalienauerat,restituitur in fraternam veritatem,accepta venia.Quãtum beneficium est,quod sibi ab ijs ignosci intelligit, quibus dixit Christus:Quibuscunque remiseritis peccata in terris,remissa in cælo erunt?* Et lib.4.Instit.cap.1.§.21.disertis verbis affirmat, generalem esse promissionem, immò magis in fidelibus,quàm in infidelibus locum habere: *Non enim*, inquit,*cùm Apostolis mandatum dedit Christus,& potestatem contulit remittendi peccata, hoc tantùm voluit, vt eos soluerent à peccatis, qui ab impietate ad Christi fidem conuerterentur: sed magis vt hoc officio fungerentur perpetuò inter fideles.* Et probat ibidem Caluinus hoc ipsum ex Apostoli Pauli certissimo testimonio:nam 2.Cor.5. Apostolus ad fideles scribens, eósque exhortans ad reconciliationem cum Deo ob culpam post Baptismum admissas:*Deus*,inquit,*posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos:obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Neque dubitari potest,vt etiam Caluinus non dubitat,quin verbum reconciliationis tunc in Apostolis positum fuerit, cùm dictũ est eis à Christo:*Quorũ remiseritis peccata,&c.*

Posita hac expositione,satis facilè colligimus Sacramentum Pœnitentiæ.Nam,vt Cyrillus in hunc locum docet, Christus dedit quidem Apostolis potestatem peccata remittendi ac retinendi tùm infidelibus, tùm fidelibus: sed non eodem modo. Infidelibus enim remitti voluit per Baptismum, & retineri per exclusionem à Baptismo,si fortè indigni eo censeãtur;ac fidelibus remitti voluit per Baptismum, sed per alium ritum, nimirum per reconciliationem pœnitentium. Sicut igitur potestas remittendi infidelibus peccata, non sine Sacramento quodam exercetur,ita nec potestas remittendi fidelibus:proinde reconciliatio fidelium post Baptismum, Sacramentum quoddam est.

Neque hæc negare aduersarij possunt,cùm admittant,ex his verbis Domini colligi, priuatam Absolutionem à Domino institutam, qua post Baptismum reconciliẽtur.De qua re sic loquitur Kemnitius,pag.901. *Hoc etiam apud nos extra controuersiam est, Deum in Scriptura instituisse & ordinasse certa media, per quæ lapsis post Baptismum,si conuertantur,beneficium mortis Christi pulsat applicare, & obsignare ad reconciliationem, & remissionem peccatorum.*Hæc ille.Ea media nos contendimus verum Sacramentum continere, cùm sint corporalia, à Deo instituta, & promissionem habeant gratiæ iustificantis,vt ipsi concedunt.

Et hæc dixerim, si prior illa expositio admittatur: sed tamen videtur omninò Posterior expositio probabilior.Nam S.Ioannes nó solet ea repetere, quæ alij Euangelistæ scripserunt, nisi fortè cùm aliquid circa eandem historiam addendum iudicat. Iam de mandato Baptismi administrandi satis apertè scripserant Matthæus,& Marcus in vlt.cap. Euangelij: & iam etiam ante passionem suam Dominus dederat Apostolis baptizãdi potestatem,

vt idem Ioannes testatur cap.4. nulla igitur caussa erat, cur aut Dominus post resurrectionem suam hanc potestatem Apostolis daret, aut id scriberet Ioannes.

Præterea potestas Clauium datur hoc loco sanctis Apostolis,vt Catholici & Hæretici concedunt:potestas autem Clauium non est ad Baptismum necessaria. cùm non soli ministri Ecclesiastici,quibus claues dantur, sed etiam laici, immò etiam non Christiani Baptismum aliquando dare possint.

Ad hæc potestas Clauium sine dubio,Iudicialis quædam potestas est, vt alio loco probaturi sumus: non autem iudicant Christiani de infidelibus,sed de fidelibus tantùm.*Quid ad me*,inquit Apostolus 1.Corinth.*6.de his qui foris sunt,iudicare?* Igitur hoc loco potestas datur Ecclesiæ Præpositis,fidelibus tantùm baptizatis peccata remittendi,eósq; certo ritu post Baptismum reconciliandi.

Quare Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius,& alij in hunc locum:& rursus Chrysostomus in 3. lib.de Sacerdotio, Ambrosius in lib.1. de pœnitentia.c. 2.cùm hunc locum exponunt,nullam Baptismi mentionem faciunt.Pacianus in epist.3.ad Sympronianum, refellit Nouatianos,qui hoc loco volebant,datam Ecclesiæ potestatem soluendi catechumenos per Baptismum.

Neque vim vllam habet argumentum Kemnitij ex vlt.cap.Lucæ:falsò enim assumit Kemnitius, de re eadem loqui Ioannem,& Lucam.Nam longè aliud est,prædictum esse à Prophetis,prædicandam esse Pœnitentiam, & remissionem peccatorũ in Christi nomine per omnes Gentes,quod scribit Lucas:aliud, accepisse Apostolos à Domino Spiritum sanctum,& cum eo potestatem remittendi,ac retinendi peccata,quod scribit Ioannes. Neque dubium est,quin Lucas de ea Pœnitentia loquatur, quæ Baptismum præcedit,quę quę propriè Gentibus ad fidem adducendis cõuenit,de qua loquitur Petrus Act.2.cùm ait: *Pœnitentiã agite, & baptizetur vnusquisque vestrum:* cùm Ioannes aut generatim de omni Pœnitentia, aut solùm de ea quæ post Baptismum agitur,verba faciat. Denique iam diximus,Ioannis consuetudinem non esse,repetere quæ cæteri scripserunt.

Quod si posterior hæc expositio admittatur,euacuatum est planè obiectum aduersariorum.Habemus igitur ritum absoluendi,per verbum reconciliationis, vt Apostolus loquitur,externum ac sensibile,cùm promissione remissionis peccatorum in Euangelio fundatum, ipsis etiam aduersarijs testibus: ex quo quid ad Sacramenti propriè dicti rationem desit,omninò non video.

Sed vt clariùs omnia perspiciãtur,& aduersarij euidentiùs conuincantur,conferamus hunc ritum, quem ex Scriptura deducimus, cum definitionibus, quibus tùm Catholici, tùm Hæretici, Sacramenti naturam atque essentiam explicare solent. Catholici Sacramentum esse volunt sacræ rei signum: sic autem definitionem suam exponunt, vt per signum intelligant signum practicum, atque efficax, quod significando efficiat;per rem sacram, gratiam iustificationis, quæ tunc à Deo in animam infundatur,cùm signum illud extrinsecus adhibetur. Hæc definitio apertissimè quadrat in eum ritum, de quo agimus:nam & confessio pœnitentibus, & verbũ absoluentis, signa sunt gratiæ iustificantis. Quid enim Confessio significat,nisi animi renouationem? quid verò Absolutio nisi peccati ipsius,quo quasi vinculo peccator cõstrictus tenebatur,relaxationem? Esse autem hoc signum practicũm,atque efficax, ex eo intelligimus, quia falsum esse non potest quod veritas dixit: *Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis.*

Lutherus in lib.de captiui,Babylon.prope finem scribit,propriè Sacramenta vocari, quæ signis annexis promissa sunt. Apologia Confessionis Augustanæ, attic.de numero & vsu Sacramentorum, Sacramentum propriè dictum eodem modo definit: vult enim esse ritum, qui habet mandatum Dei,& cui addita est promissio gratiæ. Hanc definitionem in ritum Confessionis atque Absolutionis quadrare,certè negari non potest;nam vt de Confessione interim taceam;Absolutionem,etiam priuatam, habere mandatum Dei & promissionem gratiæ, omnes fatentur.Illud enim 2.Corinth.5.*Posuit in nobis verbum reconciliationis*,&,*Pro Christo legatione fungimur*, mandatum diuinum sonat.Illud autem,Ioan.20.*Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis*,apertissimam gratiæ promissionem continet. Et licet etiam mandatum expressum nullum extaret; tamen in ipsa promissione atque dubio tacitè contineretur: quorsum enim daret Christus Apostolis absoluendi potestatem, nisi etiam vt ea vterentur quando opus esset,iuberet?

Martinus Kemnitius communi hac definitione contentus non fuit.Itaque in 2.part.Exam. Tridentini Concilij pag.41. vt excluderet à ratione Sacramenti propriè dicti,omnia Sacramẽta Catholicorum,exceptis duobus, Baptismo & Eucharistia; definitionem longissimam fabricauit.Voluit enim octo conditiones requiri ad Sacramentum nouæ legis propriè dictum: quas omnes excusssimus in primo libro de Sacramentis in genere;nunc satis erit ostendere,eas omnes Sacramento Pœnitentiæ,inuito etiam Kemnitio,conuenire.

Prima conditio postulat,vt adsit externum ac sensibile symbolum.Damus in præsenti verbum externum ac sensibile:*Absoluo te*,seu,*Remitto tibi peccata*,ex illo testimonio Domini:*Quorum remiseritis peccata.* Secunda conditio exigit, vt symbolum illud habeat institutionem & mandatum Dei,non autem sit ab humano ingenio fabricatum. Id quoque iam demonstrauimus ex verbo Dei: *Quorum remiseritis peccata.* Tertia,vt mandatum, siue institutio sit in hoc Testamento. Et hoc extra controuersiam est,nisi quis Euangelium Ioannis,& epistolã Pauli ad Cor.ad nouum Testamẽtum pertinere nolit. Quarta, vt sit ritus perpetuus, non ad breue tempus institutus. Ritum autem Absolutionis semper in Ecclesia permansisse,ac permansurum,neq; aduersarij negãt;& ex Euangelio facilè probari potest. Cùm enim Dominus in Ecclesia potestatem remittendi peccata esse voluerit, neque tempus vllum definierit;id manifestè sequitur,vt tandiu ea potestas duratura sit, quandiu Ecclesia purgatione & remissione indigebit. Quinta, vt adsit etiam promissio gratiæ. Sexta,vt sit promissio gratiæ non cuiuslibet, sed quæ in iustificatione,ac reconciliatione consistat. Septima, vt promissio illa gratiæ signo externo adiuncta, & vestita sit. Quæ tres conditiones in allegato testimonio, *Quorum remiseritis peccata*,euidentissimè conspiciuntur. Octaua,vt promissio non tantùm in genere annuncietur,sed etiam in particulari singulis applicetur.Hãc verò conditionem in Absolutionis ritu inesse, nemo inficiari potest.Nam quemadmodum ex illis verbis:*Docete omnes Gentes,Baptizantes eos,&c.* colligimus in particulari singulis esse dicendum:*Ego te baptizo,&c.*sic etiam ex istis: *Quorum remiseritis peccata*, colligere debemus, in particulari singulis esse dicendum: Ego tibi remitto peccata; vel,quod est idem:*Ego te absoluo à peccatis.* Vides igitur nihil desiderari in ritu absolutionis, eorum quæ ad propriam & perfectam Sacramenti rationem Kemnitius requisiuit.

Sed fortè Caluini definitio in hunc ritum non quadrat:ita quidem ille docet in 4.lib.Instit.cap 19.§.15.vbi ad suam definitionem prouocat.Sed illa etiam (quamuis alioqui satis inepta, vt in primo libro de Sacramentis in genere,demonstrauimus) ad hunc ritum accommodari potest. Igitur ille libr.4.Instit.cap.14.§.1.Sacramentum definit:*Externum symbolum,quo benevolentiæ erga nos suæ, præmissiones conscientijs nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem:& nos vicissim pietatem erga eum nostram,tam coram eo & Angelis,quàm apud ho-*

mines testamur. Symbolum externum, & gratiæ promissionem, iam non semel in ritu Confessionis & Absolutionis ostendimus:illum autem finem,ad sustinendam fidem & pietatem testificandam; non minùs in ritu Absolutionis, quàm in ritu Baptismi locum habere video. Nam quemadmodum qui in Baptismo audit illa verba nomine Dei prolata,*Ego te baptizo*,erigit animũ ad spem, & in fide confirmatur,& roboratur: similiter facit, qui post Confessionem audit verba illa à Dei legato ad se propriè dirigi:*Ego te absoluo.* Et sicut qui ad Baptismum accedit,& in Christi familiam cooptari postulat,pietatem suam erga Deum apud homines testatur: ita etiam eandem testatur,qui signa Pœnitentiæ præ se ferens, & ad Absolutionem accurrens, cùm Deo reconciliari enixè flagitat.

Quæ cùm ita sint; aut Sacramentum Pœnitentiæ verè propriéque dictum Sacramentum erit, aut Baptismus Sacramentum verè ac propriè dictum non erit: vel certè confingant nouam aliquam definitionem, si ritum reconciliationis ita cupiunt à Sacramenti ratione excludere,vt ab eadem Baptismum non excludant.

Accedant præterea testimonia veterum,Duobus præcipuè modis intelligi potest,quæ fuerat de hac re Patrum sententia.Primùm enim non rarò,cùm vera Sacramenta enumerant,ij, Pœnitentiam adiungunt: sæpe etiam Pœnitentiam cum Baptismo conferunt,ac docent, in vtroq; Sacramento Deum esse,qui potissimùm operatur.

Tertullianus lib.de Pœnitentia: *Hæc*, inquit, *venena prouidens Deus,clausa ignoscentiæ ianua,& intinctionis sera obstructa,aliquid adhuc permisit patere:collocauit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Vbi Tertullianus duas ianuas esse docet ad remissionem peccatorum, Baptismum & Pœnitentiam: proinde tale aliquod remedium esse iudicat Pœnitentiam, quale est Baptismus, licet specie diuersum. Vide etiam eundem lib.1.contra Marcionem extremo.

S. Cyprianus vel quicunque fuit auctor (antiquum autem auctorem esse nemo negat)in sermone de ablutione pedum: *Post Baptismum*, inquit, *qui sui reuerentia non patitur iterari,aliud lauacrum procurasti,&c.*

S.Ambrosius lib.1.de Pœnitentia, cap.7. *Cur*,inquit, *Baptizaris,si per hominem peccata remitti non licet? In Baptismo enim vtique remissio peccatorum omnium est; neque interest vtrum per Pœnitentiam,an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes sibi vindicent:idem in vtroque mysterio est.* Et quia Nouatiani dicebant, posse hominem baptizare,quia in Baptismo Deus est,qui potissimum operatur; addit Ambrosius, *Quid in Pœnitentia, nónne nomen Dei operatur?* Vide etiam lib.2.cap.2.

S.Hieronymus in lib.1.contra Pelagianos: *Redimatur*, inquit,*sanguine Saluatoris,aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentia,quæ imitatur Baptismatis gratiam.* Et li.2.*Quod*, inquit, *scriptum est: Et sanguis Iesu emundat nos ab omni peccato;tam in confessione Baptismatis, quàm in clementia Pœnitudinis accipiendum est.* Et in epist.1.ad Heliodorum. *Absit vt de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos & nos Christiani sumus; qui claues regni cœlorum habentes,quodammodò ante diem iudicij iudicant.* vbi coniungit cum Baptismo & Eucharistia, pœnitentium absolutionem.

S.Augustinus epist.180.ad Honoratum:*An non cogitamus*,inquit,*cùm ad istorum periculorum peruenitur extrema,nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu,atque ab omni ætate concursus, alijs Baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam Pœnitentiæ ipsius actionem,omnibus consolationem, & Sacramentorũ confessionem,& erogationem.* Et paulò pòst:*Si ministri adsint*,inquit, *alij baptizãtur,alij reconciliãtur,nulli Dominici corporis cõmunione fraudãtur.* Et li.3.de Baptis.

A c.20. *Si ad hoc valet quod dictũ est in Euangelio,vt per peccatorẽ Sacramenta non celebrẽtur; quomodo exaudit homicidam deprecãtem vel super aquã Baptismi,vel super oleum, vel super Eucharistiam,vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* vbi per manus impositionem, Ordinationem,& Reconciliationem intelligit. Nam pœnitentium recõciliationem vocari ab Augustino, manus impositionem, multis testimonijs probari posset: sed in præsenti vnum aut alterum sufficiet. Lib.eod.5.de Baptismo,c.23. *Manus*, inquit, *ab hæresi redeunti propterea imponitur, ne extra omnem culpam fuisse videatur,&c.* Et in psal.146.explicans illud:*Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.Quæ sunt*,inquit, *ista alligamenta temporalia Sacramenta.*& exempla ponit Eucharistiæ,& manus impositionis,quæ per Præpositum peccatores reconciliantur. Idem Augustinus in lib.1.cap.vlt. de adulterinis coniugijs,& lib.2.cap.6.apertissimè confert Reconciliationem cum Baptismo.

B S.Ioannes Chrysostomus lib.3. de Sacerdotio, primò coniungit potestatem remittendi peccata cum potestate conficiendi Eucharistiam:deinde paulò pòst eandẽ confert cum Baptismo:*Neque enim*,inquit,*solùm,cùm nos regenerant,sed etiam postea,condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent.*

S. Cyrillus lib.12.in Ioannem, cap.56. duobus modis dicit remitti peccata à Sacerdotibus,vt Dei ministris,per Baptismum & Pœnitentiam.

Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum, cap.de Pœnitẽtia,dicit;sacrorum mysteriorum Baptismi, & Pœnitentiæ, figuras fuisse in Testamento veteri,ablutiones & sacrificia.Vbi non solùm coniungit Theodoretus Pœnitentiam cum Baptismo, sed etiam vtrumque,Mysterium (qua voce Sacramenta nominare solent) appellat.

C S.Leo epist.91.ad Theodoretum: *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei,ita lapsibus subuenit humanis,vt non solùm per Baptismi gratiam,sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ.*

Victor Vticensis libro 2.de persecut. Vvandalica, inducit populos his vocibus alloquentes Sacerdotes, qui in exilia mittebantur:*Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis nunus pœnitentiæ collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est:Quæcunque solueritis super terram,&c.*

Victor Cartennensis in libro de Pœnitentia, cap 20. apertè nominat Sacramentum:*Denique*, inquit,*Dominum audi in Euangelio,quibus iaculis feriat peccatorem,vt intelligas quanti faciat Pœnitentiæ Sacramẽtum.* Floruit autem Victor Cartennensis circa annum Domini CD.L.teste Tritemio,& Gennadio.

D Accedat vltimò testimonium Ecclesiæ Latinæ,& Græcæ,quæ ab annis D.floruit.His enim quingentis annis in tota Ecclesia Sacramentum Pœnitentiæ inter Sacramenta verè ac propriè dicta numeratum esse,nullo modo negari potest,neque aduersarij,vt arbitror,negãt.Satis enim id constat, tum ex Petro Lombardo, quem Theologi omnes posteriores sequuti sunt, lib.4.Sent.dist.14.tum ex decreto Lucij Papæ III. quod exstat cap. Ad abolendam, extra de hæreticis, & ex definitione generalium Conciliorum,Florentini & Tridentini,quibus Catholici omnes libenter parent;tum denique ex responsione Hieremiæ Archiepiscopi Constantinopolitani ad Germanos: nam capite 7. apertè docet Hieremias, Græcam Ecclesiam inter vera Sacramenta numerare Pœnitentiæ Sacramentum.

Hæc aurem testimonia non ideò profero,quòd ignorem ea nihili fieri ab aduersarijs: Sed vt omnes intelligant, aut totis quingentis annis Ecclesiam vniuersam in graui

grauissimo errore esse versatam, quod certè fieri non potest, cùm sit columna & firmamentum veritatis. 1.Timoth.3.aut verum esse, quod nos ab eadem Ecclesia de Pœnitentiæ Sacramento didicimus. Hanc autem Ecclesiam, quæ his quingentis annis peregrinata est in terris,veram Christi fuisse Ecclesiam,& cum antiquiore illa continuatam;vel vno hoc argumento satis conuincimus:Quia cùm nulla alia Ecclesia ab aduersarijs demonstretur,quæ totis his quingentis annis sine interruptione vbique terrarum sparsa fuerit; aut hæc nostra vera Ecclesia fuit, aut nulla omninò fuit: nullam verò fuisse, nunquam affirmabit, qui verba illa Christi vera esse crediderit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matth.16. Sed de his satis.nunc ipsorum obiecta diluamus.

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta Caluini & Kemnitij.

IOannes Caluinus libr.4.Institu.cap.19.§. 15.16.& 17. hæc argumenta proponit. Primò, obiicit difficultatem, quam Theologi Scholastici patiuntur in Sacramento reperiendo, cùm de Pœnitentia tractant. *Romanenses*, inquit, *Scholastici anxiè in reperiendo hîc Sacramento desudant:nec mirum videri debet, nodum enim in scirpo quærunt. Quod tamen optimum habent;rem implicatam,suspensam, incertam, opinionúmque varietate confusam ac turbatam relinquunt.*

Respondeo, aptè omninò exordium à mendacio ducit.Theologi enim summo consensu Pœnitentiam Sacramentum esse docent, neque vlla est inter eos de hac re opinionum varietas: in eo solùm nonnihil laborant, vt ostendant, in hoc Sacramento quid sit Sacramentum tantùm,quid res tantùm, quid res simul & Sacramentum.Hæc enim tria perspicuè cernuntur in Baptismo, & quibusdam alijs Sacramentis: in quibusdam autem non ita facilè distingui possunt,neque necesse est. Sed hæc nihil ad rem nostram faciunt,non enim cum hæreticis disputamus,ân hæc tria in sacramento Pœnitentię distincta inueniãtur;quæ propria scholarum quæstio est: sed an sacramentum Pœnitentiæ verè propriéque dictum sacramentũ sit; à qua disputatione Theologi scholastici facilè se,breuissimèque expediunt.

Secvndò, Caluinus obiicit definitionem sacramenti à se allatam: ex ea enim colligit, Pœnitentiam sacramentum non esse, cùm ei definitio sacramenti non conueniat:*Qui sacramenti*,inquit,*definitionem suprà à nobis positam memoria tenent, ad eam exigant id quod dicunt esse Sacramentum,& inuenient non esse cæremoniam externam à Domino institutam ad fidei nostræ confirmationem.*

Respondeo, iam superiore capite ostendi, non minùs Pœnitentiam cum Absolutione ritum externum esse,atque à Deo institutum, & fidem nostram confirmantem,quàm sit Baptismus. Sed licet fides ex eiusmodi ritibus confirmari possit:non est tamen is proprius & primarius finis sacramentorum, sed concionis, atque exhortationis;alioqui frustrà infantes,dormientes,amentes,sacramenta vlla perciperent.Sed de hac re satis multa in primo libro de sacramentis in genere,diximus.

Tertiò, obiicit testimonium S.Augustini ex sermone de Baptismo ad infantes,& ex lib.3.quæst.vet.Testam. qui Sacramenta visibilia esse debere scribit: *Quid tale*,inquit, *aut ipsi vident, aut alijs queunt ostendere in eo quod sacramentum Pœnitentiæ vocant?*

Respondeo, non desunt multa signa visibilia in sacramento Pœnitentiæ,siue Sacerdorem aspicias manus imponentem,siue pœnitentem, ad genua Sacerdotis abiectum,& lachrymas fundentem: sed quia ista plerumque conspiciuntur,vt tamen etiam absque ijs Sacramentum Pœnitentiæ esse possit,breuiter respondeo,visibile signum,idque à Deo institutum, esse tùm Confessionem,tùm Absolutionem. Augustinus enim visibile signũ vocat,quod sensu externo aliquo percipitur, etiamsi is non sit sensus videndi,sed audiendi:nam vt idem Augustinus lib.10. Confes.cap.35.ait, rectè discimus: *Vide quid sapiat,vide quid oleat,vide quid sonet, vide quàm durum sit.* Et certè in sacramentis visibile signum nõ opponit Augustinus ei rei, quæ non cernitur oculis; sed quæ sola mente, nullo autem corporali sensu apprehenditur; sic enim in serm.ad infantes,quem Caluinus ipse citauit: *Sacramentum ideò dicitur, quia aliud videtur, aliud intelligitur:quod videtur,speciem habet corporalem,quod intelligitur,fructum habet spiritualem.* vbi vides corporale opponi spirituali,& quod sensu percipitur,ei quod intelligentia apprehenditur. Verbum igitur corporale rectè signum visibile,id est,sensibile,atque externum dicitur.

B Qvartò obiicit, nullam exstare promissionem: *Quacunque*, inquit, *in parte Sacramentum posuerint, negoiure haberi pro Sacramento: primùm, quòd nulla Dei promissio singularis ad hanc rem exstet.*

Respondeo, nimia hæc impudentia, vel inconstantia est: exstare enim singularem promissionem Dei pro Absolutione priuata,.quam minister pœnitenti annuntiat (vt verbo vtar ipsius) ex pluribus Caluini locis superiore capite ostendimus.Et sanè quæ fingi potest clarior promissio,quàm illa sit: *Quorum remiseritis peccata, remittũtur eis,& quorum retinueritis,retenta sunt.* Ioã.20.

Qvintò obiicit, non esse cæremoniam in hoc Sacramento vllam à Domino institutam: *Deinde*, inquit, *quòd quæcunque hîc cæremonia proferatur,merum sit hominum inuentum:mendacium, & impostura fuit, quod de Sacramento Pœnitentiæ commenti sunt.*

C Respondeo, Absolutio non videtur Caluino cæremonia,quia id sibi persuasit, nõ referri verbum Absolutionis,nisi ad instituendam, & excitandam mentem pœnitentis,non secùs ac si pars quædam concionis esset: quod idem docet de verbo Baptismi, & cæterorum Sacramẽtorum. Sed hoc eius principium falsissimum esse, in primo libro de Sacramentis in genere,multis rationibus demonstrauimus. Si enim verbum Baptismi. *Ego te baptizo*,&c.ad mentem instruendam & excitandam potissimùm refertur,quorsum (vt paulò antè dicebamus) infantes, interdum etiam dormientes & amentes baptizarentur? Verba igitur Sacramentalia, & inter alia illud: *Ego te absoluo*,veræ cæremoniæ sunt,non conciones; siquidem actiones sunt externæ, ad significandam & efficiendam iustificationem, atque ad Deum eo ritu colendum à Christo institutæ. Et propterea non multùm refert,vtrum ab eo qui Sacramentum percipit, exaudiantur & intelligantur,an secus;& linguá ne patria,an Latina,vel Græca,aut Hebræa pronuncientur. Atque hactenus de argumentis Caluini.

D Martinvs Kemnitius in 2. parte Examinis Tridentini Concilij,pag.903.primò obiicit,deesse Pœnitentiæ Sacramento elementum externum:*Ex diuina*, inquit, *institutione non habet tale externum, & materiale elementum,quale est in Baptismo, & in Eucharistia, quod ad integram definitionem, & genuinam proprietatem Sacramenti pertinet.*

Respondeo, non malè Kemnitius ex Baptismo, & Eucharistia,quæ omnium consensu vera Sacramenta sunt,naturam ac proprietatem Sacramentorum in genere inuestiganda esse censet: sed in eo fallitur, quòd non rectè explicat,quo gradu similitudo requiratur inter elementum Baptismi atque Eucharistiæ, & Sacramẽtorum cæterorum.Fatemur enim, in omni Sacramento requiri elementum externum, simile illi, quod in Baptismo & Eucharistia adesse cernimus: sed quæstio est,quo gradu, siue quatenus simile requiratur.

Ac primum certum est,non requiri simile in specie: alioqui deberent omnia Sacramenta ex aqua constare, quia Baptismus ex aqua constat;& tum Eucharistia,quæ constat ex pane & vino,Sacramentum non esset.Eadem ratione certum est,non requiri similitudinem in genere proximo, alioqui Sacramẽta omnia ex simplici corpore, quale est aqua, id est, ex aëre, aut igne, vel terra, conficienda essent.Sed fortè similitudo requiritur in superiore aliquo genere;vt elementum cuiuscunq; Sacramenti, substantia quædam sit corporalis, quales substantias esse videmus aquam,panem & vinum,ex quibus Baptismi & Eucharistiæ Sacramenta constant.At neque hoc dici potest : nam Baptismi natura atque essentia propriè non in substantia , sed in actione consistit, Symbolum enim externum,cui annexa est gratia,& quod propriè Baptismus dicitur,non est aqua,sed ablutio cum sanctissimæ Trinitatis inuocatione : ablutio autem & inuocatio, non substantiæ, sed actiones sunt. Quare immeritò Catholicos Kemnitius reprehendit pag. 936. quòd elementum de prædicamento Substantiæ,transformarint in elementum de prædicamento Actionis. Nec tamen generatim affirmari potest, omne Sacramentum in actione consistere: nam Eucharistiæ Sacramentum propriè non est actio transiens,sed res permanens est:non enim actionem consecrandi,sed panem consecratum,& in corpus Dominicum commutatum,Eucharistiam vocamus.

Vera igitur ratio similitudinis inter externa symbola Baptismi, & Sacramentorum cæterorum, à fine sumenda est,ob quem Sacramenta instituta esse constat.Finem autem tùm Baptismi,tùm aliorum Sacramentorum, omnes admittũt esse , significare interná iustificationem; & eo modo hominem,qui corpore & spiritu constat, per sensibilia & corporalia symbola ad rerum intelligibilium & spiritualium cognitionem euehere : hinc enim signa symbola,& Sacramenta dicuntur.Nam vt S, Augustinus in epist.23.ad bonifacium loquitur;*Si Sacramenta similitudinem non gererent earum rerum,quarum sacramẽta sunt, Sacramenta nõ essent*.Quemadmodum igitur inBaptismo ablutio exterior per aquam exhibetur,vt ablutio interior per spiritum significetur: sic etiam in Eucharistia,panis & vinũ,seu potiùs panis viniq; species in cõspectu ponũtur, vt corpus & sanguis Domini, cibus ac potus animorum esse intelligantur;& ad eundem modum in Sacramentis cæteris id solùm necessariò Sacramenti natura postulat, vt externa signa ad spiritualem effectum aptè repræsentandum exhibeantur. Vtrum autem ea signa ad prædicamentum Substantiæ,an ad prædicamentum Accidẽtium, & vtrum oculis,an auribus percipiantur, nihil interest: neque Christus nos de prædicamentis solicitos esse voluit,neque faciliùs ipse per Substantiam quàm per Accidentia homines iustificat.

Quare in Sacramento pœnitentiæ,in quo pro symbolo externa confessionem pœnitentis,& absolutionem voce corporali à Sacerdote pronũtiatam habemus,vera & propria Sacramenti ratio minimè desideratur. Verba enim non solum signa externa,ac sensibilia, sed etiam in genere signorum præstantissima sunt, vt sanctus docet Augustinus lib.2.cap.3.de doctrina Christiana.

Quod verò idem Augustinus tract.80.in Ioan. distinguit elementum à verbo,cùm ait: *Accedit verbum ad elementum,& fit Sacramentum*, non debet ad omnia Sacramenta trahi: neque enim ille de Sacramentis generatim, sed de Baptismo tantùm loquebatur, vt ex illis verbis intelligimus:*Detrahe verbum,quid est aqua, nisi aqua?* Alioqui enim & verba loco elementi, seu rei, & res loco verborum esse posse,in lib.1. de Sacramentis in genere, demonstrauimus,

Secunda obiectio Kemnitij in eo consistit,vt probet,Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamẽtum in verbo Dei, neque in patribus: id verò,prolixè prosequitur,disputatione in quinque capita distributa:de quibus omnibus breuiter,atque ordine dicendum erit.

Primo igitur capite,quod habetur pag.908.probat Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamentum in Testamento veteri,idque ex testimonio Cõcilij Tridentini,sess.14.cap.1.& inde colligit, per annos circiter quater mille non fuisse Pœnitentiæ Sacramentum. Sed hæc inania sunt. Fatemur enim Sacramentum Pœnitentiæ à Christo institutum, vt etiam Baptismum, & Eucharistiã, & idcircò mirum non esse , si per multa annorum millia non fuerit.

Ne tamen nihil fecisse Kemnitius videatur, argumentum quoddam proponit, quod hoc syllogismo compræhendi potest.In Pœnitentia Testamẽti veteris fuit Contritio,Confessio,& quædam veluti Satisfactio, cum potestate remittendi peccata: Atqui ea pœnitentia non erat Sacramentum propriè dictum: Igitur nec pœnitentia, quam Catholici ex Cotritione , Confessione,& Satisfactione,cum potestate remittendi peccata,constare volũt, Sacramentum propriè dictum existimandum est.Propositionem probat Kemnitius: nam in Testamento veteri exstant exempla Contritionis,& Confessionis peccatorum:& Mariæ sorori Mosis,ac Dauidi,Deus post reconciliationem imposuit certas castigationes,ex quibus Catholici Sanctificationem probare solent. Exstat præterea exemplum Absolutionis,Nathan;siquidẽ Dauidem contritum,& confitentem peccatum suum,absoluit. Assumptionem probat ex Concilio Tridentino sess.14.cap.1. vbi patres docent, Pœnitentiam veterum, Sacramentum non fuisse.

Respondeo, propositio argumenti magna ex parte falsa est. Nam vt omittam cætera, non fuit in testamento veteri potestas remittendi peccata;neque Nathan aut vllus alius,vt Dei minister,peccatores absoluit:nondum enim auditum erat aliud,*Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis*. Audi S.Ioannem Chrysostomum lib, 3.de Sacerdotio: *Corporalem lepram purgare, seu verius dicam,haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum Sacerdotibus solis licebat.At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram , verùm animæ sordem, non dico purgatas probare , sed purgare prorsus concessum est*. Hæc ille.

Neque exemplum Prophetæ Nathan, quod exstat lib.2:Reg.cap.12.ad rem nostram facit, & omninò ineptè nó semel à Kemnitio inculcatur.Non enim Nathan dixit:Ego te absoluo,vel tibi peccata remitto ; sed solùm: *Dominus transtulit peccatum tuum à te*. quibus verbis significauit id,quod sibi vt Prophetæ,diuinitùs indicatum erat,non autem peccatum ipse remisit. Quod si quicunque narrat aliquid factum esse, idem potest dici rem illam fecisse;quid prohibet,quo minùs Euangelistæ Christum peperisse, interfecisse , & eundem à mortuis reuocasse,& in cœlum transtulisse,& Spiritum etiam sanctum misisse dicatur,quia hæc omnia facta esse literis prodiderunt?Non igitur dicimus,quod finxit Kemnitius,Nathan non absoluisse iudiciaria potestate,sed per ministerium, quasi apud nos Sacerdotes non per ministerium,sed regia ac suprema potestate absoluant: sed dicimus, in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdotes potestate iudiciaria, sed ministeriali , vt Christi ministros , non vt Reges ac Dominos,peccatores absoluere ; Nathan autem,nec Regia nec ministeriali potestate absoluisse , sed tantùm à Deo iam absolutum Prophetica virtute cognouisse, & renunciasse. Quamquam ne tum quidem aliquid obtineret Kemnitius, si Nathan iudiciaria ministeriali potestate Dauidem absoluisset; id enim factum esset semel extraordinaria quadam prouidentia Dei;singularia verò exempla legem non faciunt.

Sed instat Kemnitius ; *Apostolus Petrus Act.10.& Paulus Act.16.affirmãt se de Pœnitentia in Deũ,& de accipienda remissione peccatorum,non aliter docuisse quam Prophetas*. Atquid hoc ad propositum facit?num ideò Pœnitentia Testamenti veteris Sacramentum erit? aut noui non erit? Apostoli enim loquuntur de Pœnitentiæ virtute,& ea præsertim quæ ad infideles pertinet,qui conuerruntur ad fidem ; eam autem semper in vsu fuisse , & à Prophetis frequenter prædicatam,non negamus. Aliud autem est virtus Pœnitentiæ , quæ semper necessaria fuit: aliud verò Sacramentum Pœnitentiæ,quod à Christo institutum,in solo Testamento nouo locum habet.

Cur igitur,instat Kemnitius,*ab exemplis Testamẽti veteris,Sacramentum Pœnitẽtiæ confirmare nitimini,si Pœnitentia in Testamento veteri Sacramentum non erat*? Respondeo,non probamus ex Testamento veteri Pœnitentiæ Sacramentum , nisi fortè ex vaticinijs , & figuris : sed virtutem Pœnitentiæ , sine qua Sacramentum , aut esse, aut certè vtile esse non potest.Ex Pœnitentia enim Danidis,& aliorum veterum, probamus Contritionem non esse solos terrores, sed verum dolorẽ de peccatis præteritis , cum certò proposito vitæ melioris ; & rursum eodẽ exemplo dicimus,remissa culpa nõ semper pœnam quoque temporalem remitti:& alia id genus multa, de quibus infrà suo loco disputandum erit.

In secundo capite pag.910.probat Kemnitius,Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamentum in prædicatione Pœnitentiæ Christi,& Præcursoris eius:quod totum libenter concedimus,cùm doceamus, sacramentũ Pœnitentiæ post resurrectionem Domini institutum fuisse.Cæterùm hîc etiam ludere voluit Aduersarius,& ineptè,vt solet,ratiocinari.Sic igitur loquitur: *Baptista prædicauit pœnitentiam in remissionem peccatorum:summa etiã prædicationis Christi ita describitur: Pœnitentiam agite,& credite Euangelio.Docuit autem,& Baptista, & Christus de Contritione. Baptistæ auditores confessi sunt peccata sua, Matth.3. & Christus priuatam Absolutionem impertijt, Matth.9.& Luc.7. Quare igitur iuxta definitionem pœnitentiæ à Pontificijs traditam, pœnitentia illa à Christo & Baptista prædicata,non est Sacramentum? atqui Tridentinum Concilium sess.14.cap.1.negat eam esse Sacramentum*.

Ad hoc argumentum respondet ipse qui illud fecit, sed planè absurdè:vt nimirum ostendat non posse respõderi,nisi multis concessis, quæ nulla ratione concedenda essent. *Respondeo*, inquit, *quia Contritio & Confessio non habuit enumerationem singulorũ delictorum:Christus etiam absolutionem impertijt , non præmisso processu Iudiciali , & imposita mulcta , sed gratis , ijs , qui peccata agnoscebant, iram Dei timebant,& fide propter ipsum petebant & quærebant reconciliationem. Et summa*, inquit, *quia in illa pœnitentia gratis , sine operibus, fide propter Christum remittebant peccata,quia etiam tam Baptista quàm Christus, fidem in Filium Mediatorem , partem conuersionis necessariam ad consequendam remissionem prædicârunt:propter has causas, talis pœnitentia Pontificis non est sacramentum. Concedit itaque & fatetur Tridentinum Concilium;sacramẽtum Pœnitentiæ non habere fundamentum, testimonium, vel exemplum , sicut non in veteri testamento , ita nec in concionibus Baptistæ,& Christi ante Resurrectionem*.Hæc ille.

Ad argumentum initiò factum respondeo,Pœnitentiam,quam Christus & Baptista prædicarunt, ideò Sacramentum non fuisse, quia defuit pars Sacramenti potissima,nimirum verbum Absolutionis , confessioni peccatorum adiunctum.Nam Matth.3.legimus quidem auditores Baptistæ confiteri solitos peccata sua, cùm accederent ad Baptismum , sed Baptistam pronunciasse verbum Absolutionis,non legimus:Christũm autem,& paralytico,& fœminæ peccatrici peccata remisisse legimus , sed eos peccata confessos nequaquam legimus. Itaque nisi Kemnitius velit ex Confessione auditorum Ioannis , & ex paralytici ac peccatricis Absolutione , vnum Sacramentum facere;non habemus exẽplum Sacramenti Pœnitentiæ,in actis Baptistæ,& Christi ante resurrectionem.

Addè, quòd Christus , cùm paralyticum & peccatricem absoluit, non ritum instituit, quo reconciliarentur deinceps peccatores, neque Apostolis mãdauit, vt eo modo quo ipse fecerat, inspecta fide aliorum , alij nihil petenti, peccata remitterent: proinde non verbo Sacramentali , sed propria , ac singulari sua potestate peccata dimisit.

Porrò illa Kemnitij responsio ad idem argumentum,nihil valet:neque Catholici eiusmodi responsionem vnquam agnoscerent. Primùm enim falsum est, contritionem illorum ita interiorem fuisse,vt non fuerit etiam exterior:certè qui confitebantur peccata Matth.3.& quę lachrymis pedes Domini lauit,satis apertis signis contritionem suam prodebant. Confessionem autem illorum non fuisse singulorum delictorum;aut falsum,aut incertum est:*Confitentes peccata sua*,ait Matthæus,neque addit Generatim,vel Sigillatim.

Porrò Christum eis peccata remisisse, qui peccata cognoscebant,irã Dei timebant,& fide propter ipsum petebant & quærebant reconciliationem,nescio vbi Kemnitius legerit nam Matth.9.& Luc.7.quæ loca ipse citat,ista non legimus : Paralyticus Matth.9. nihil omninò per se petijt,per alios autem corporalem sanitatem, non reconciliationem quærebat: neque vlla fit eo loco mentio agnitionis peccati,vel timoris iræ Dei.Lucæ autem 7. detestatio quidem peccati agnoscitur,sed ea non tam ex timore iræ Dei,vt Kemnitius somniat , quàm ex amore Christi vehementissimo nascebatur:quæ etiam caussa esse potuit, cur mulctam nullam ei Dominus imposuerit. Nam & hoc tempore Theologi docent,tantam esse posse in pœnitente vim contritionis & amoris,vt nullus omninò pœnæ & culpæ reatus post reconciliationem supersit:*Cui*,inquit,*minus dimittitur, minùs diligit*, & *Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multùm*.

Mendacia autem illa,quòd ideò negemus,Pœnitentiã à Christo & Baptista prædicatam Sacramentum fuisse, quia in ea gratis, & propter Christum dabatur remissio: iam suprà notata & refutata sunt.

Denique conclusionem illam libenter admittimus,fateri Concilium Tridentinum,Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamentum , testimonium aut exemplum in concionibus Baptistæ, & in toto veteri Testamẽto. Sed si cui mirabile id videtur,is miretur etiam, cur in Testamento veteri , & in concionibus Baptistæ, fundamentum,testimonium,& exemplũ non habeamus Baptismi in nomine Patris, & Filij,& Spiritus sancti ; & Eucharistiæ, ex pane vinóque per consecrationis verba confectæ.

In tertio capite pag.911.& sequentibus, probat Kemnitius , Pœnitentiæ Sacramentum non fundari in illis Domini verbis : *Quorum remiseritis peccata*. Ioan.20.& rursus repetit argumenta sua de absolutione Dauidis per Nathan Prophetam , & de pœnitẽtia quam Christus & Baptista prædicauerunt.

Sed hæc omnia iam anteà refutata sunt : quia enim ex testimonio illo Dominico verè colligitur Pœnitentiæ Sacramentum , ideò de verbis illis egimus capite superiore,vbi argumenta nostra pro veritate adferebamus.

In quarto capite pag.921. probare conatur, ex Apostolorum doctrina & exemplis nihil adferri posse,ad Sacramentum Pœnitentiæ confirmandum : & quamuis id non multùm referat , cùm satis esse debeat Christi verbum;tamen ne Kemnitius glorietur, ad hunc locum nihil esse responsum, respõdeamus breuiter:*Paulus*,inquit Kemnitius, *Actor.26. recitans summam doctrinæ suæ de pœnitentia, affirmat se nihil docuisse extra ea,quæ Prophetæ loquuti sunt*.

At hîc duo sunt mendacia.Non enim Paulus Actor. 26. recitat summam doctrinæ suæ de Pœnitentia , sed

tantùm dicit se annunciasse hominibus, vt Pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna Pœnitentiæ opera facientes: hæc certè non est summa doctrinæ de Pœnitentia, sed cohortatio ad Pœnitentiam. Nec loquitur Paulus nisi de Pœnitentia, quæ Baptismum præcedit, quam nos fatemur Sacramentum non esse. Deinde quòd Paulus addit, se nihil esse loquutum extra ea, quæ Prophetæ prædixerunt futura, non refertur ad doctrinam de Pœnitentia, sed ad doctrinam de Christi aduentu, passione, & resurrectione: sic enim Apostolus ait: *Vsque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori, nihil extrà dicens, quàm ea, quæ Prophetæ loquuti sunt futura esse; & Moyses: si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus est populo & gentibus.*

Subiungit Kemnitius: *Petrus etiam Actor. 10. affirmat, se illam rationem consequendæ remissionis peccatorum tradere, quæ à Prophetis testimonium habet.* At nec Petrus tradit ritum pœnitentiæ, neque explicat quid ad eam necessariò requiratur; sed solùm scribit, Christo omnes Prophetas testimonium perhibere, remissionem peccatorum accipere in nomine eius omnes, qui credunt in eum: quæ verissima sunt, neque vllo modo cum sententia nostra pugnant.

Addit Kemnitius: *Apostoli nusquam leguntur exegisse enumerationem peccatorum ad remissionem necessariam: nec leguntur imposuisse mulctam, quibus peccata remittebant.* At nec leguntur alicui peccata remisisse. Proferat Kemnitius exempla, vbi Apostoli legantur in particulari alicui lapso post Baptismum Absolutionem impendisse, vel (vt ipsi malunt) annunciasse: & tum demũ iure à nobis quæreret, vt ostẽdamus, in ea reconciliatione Confessionem & mulctam adfuisse. Quis ambigit, multa Apostolos, & fecisse & docuisse, quæ scripta non sunt? alioqui facilè probabimus, non esse homines baptizandos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quia nusquam Apostoli hoc ritu baptizâsse legantur.

Proferetur fortasse exemplum Corinthij incestuosi. Sed Paulus non eum propriè absoluit, sed absolutionem à Corinthijs datam approbauit 2. Corinth. 2. Corinthios autem non sine mulcta imposita illum absoluisse, significat idem Apostolus 2. Cor. 7. vbi inter alia nominat vindictam, quam de peccato illius incestuosi exegerant.

Addit rursus Kemnitius: *Vanum etiam & falsum est, Apostolos aliam docuisse pœnitentiam, quod ad substantialia attinet, qua impij ante Baptismum ad Deum conuertuntur; & aliam diuersam, qua lapsi post Baptismum cum Deo in gratiam redeant: non enim aliam Legem, non aliud Euangelium, non alium Christum, nec aliam fidem lapsis post Baptismum proposuerunt.* Et vbi nam legisti mendax, apud Catholicos Pœnitẽtiam ante Baptismum, ab ea differre, quæ agitur post Baptismum, quòd aliam fidem, aliã Legem, aliud Euangelium, alium Christum requirat? hæc enim vestra sunt mendacia, non nostra dogmata. Lege, si placet, Tridentinum Concilium sess. 6. c. 6. & 7. vbi describitur iustificatio impij per Baptismum, & rursus c. 14. vbi describitur iustificatio per Pœnitentiæ Sacramẽtum: videbis in ijs locis, in vtraque iustificatione peccata remitti per Christi merita, præcedente fide, & Pœnitẽtia, ac Deo corda excitante, & adiuuante, vt seriò conuertantur, & Pœnitentiam, vt oportet, agant, ídq; totum ex eodem Euangelio deriuari.

Discrimen inter Pœnitentiam ante, & post Baptismũ, in eo ponimus; quòd posterior, materia Sacramenti est, & confessionem singulorum peccatorum, ac opera quædam laboriosa exigit: prior, nec est Sacramenti materia, neque distinctam illam, ac particularem peccatorum cõfessionem, neque laboriosa illa opera necessariò postulat. Quæ omnia accidentaria ipsi Pœnitentiæ sunt, non substantialia: accidit enim virtuti Pœnitentiæ, vt tali vel tali modo exteriùs prodeat, atque vt signa eius externa cum verbo Absolutionis, Sacramentum efficiant.

Vltimò addit Kemnitius: *Extant verò in scriptis Apostolorum, exempla conuersionis eorum, qui post Baptismum lapsi fuerant, vt Galatarum. Illos verò Paulus non ad aliam nouam, & diuersam rationem reconciliationis cum Deo deducit, sed vehementissimè contra persuasionem de iustificatione operum concionatur, &c.* Sed Galatarum ego apud Paulum conuersionem nusquam legi. Defecisse eos à fide semel accepta Paulus narrat, eósque ad viam veritatis iterum reuocare conatur: sed num illi redierint, & quo ritu reconciliati fuerint, nec Paulus, nec alius (quod sciã) vsquam retulit. Porrò cùm nondum illi conuersi essent ab errore, in quem dolo Pseudoapostolorum prolapsi fuerant; non opus erat vt Paulus eis pœnitentiæ modum præscriberet, sed vt ad conuersionem, & pœnitentiam simpliciter hortaretur; ac simul errorem ipsum quo tenebantur, refelleret, quod quidem Apostolus diligenter præstitit. Ad quem modum Catholici Doctores, cùm vos Lutheranos ad conuersionem hortantur, non antè ad confessionem singulorum peccatorum ad pedes Sacerdotis deponendam vos prouocant, quàm ad fidem Catholicam iterum profitendam, & Ecclesiam agnoscendam, disputando, atque errores vestros refellẽdo perduxerint. Quorsum enim ad Sacramentum pœnitentiæ inuitaremus, quos scimus Sacramentum ipsum nihili facere?

Qvis igitur fuerit Apostolorum tempore ritus, quæue ratio reconciliandi eos, qui post Baptismum lapsi fuerant, non potest ex epist. sola ad Galatas planè cognosci. Illustrius aliquando est exemplum Corinthij incestuosi 1. Cor. 6. & 2. Cor. 2. & 7. & quamuis nec de illius reconciliatione in particulari sit proditum, quo ritu ea peracta sit: tamen satis constat multò duriùs cum ea actum esse, quàm si ante Baptismum idem flagitium perpetrasset.

In quinto & vltimo capite probat Kemnitius, Sacramentum Pœnitentiæ nullum habere in antiquis Patribus fundamentum. Ac primum dicit extra omnem dubitationem esse, primam originem Sacramenti Pœnitentiæ, à Catholicis excogitati, ductam esse ex spectaculis publicæ pœnitentiæ, quam magna seueritate vetus Ecclesia in manifestis, & atrocibus criminibus seruabat. In illa enim requirebantur signa externa Contritionis, Exomologesis, seu Confessio criminum; & imponebantur certæ castigationes, tum exempli caussa propter alios, tum verò explorationis gratia, an seria esset Pœnitentia.

Addit, fuisse etiam antiquis in vsu priuatam Pœnitentiam; & Patres, vt Origenem, hortatos populum, vt etiam alia crimina, quamuis non notoria, nec ita magna, cõfiterentur. Idem autem cœpisse regulam & doctrinam generalem fieri, ad Pœnitentiam, qua lapsi in qualiacunque peccata post Baptismum Deo reconcilientur, pertinere præter cordis contritionem, & fidem amplectentem Christum, etiam oris cõfessionem Sacerdoti faciendam, & operis satisfactionem.

Deinde attexit, varias esse opiniones Catholicorum de necessitate Confessionis: idque probat ex Gratiano, & eius Glossa, ac Bonauentura; hi sunt enim omnes Patres, omnésque Historici, quos Kemnitius citat, quamuis Bonauenturæ locum præ festinatione non annotauerit.

Hîc ego primùm à Kemnitio quæro, vnde illam historiam de origine Pœnitentiæ hauserit: nullo enim teste hæc probata reliquit. Legerat, credo, tale aliquid in Caluino: id ei satis fuit, sed nobis non est satis, qui multa ipsius etiam Caluini mendacia deprehendimus. Deinde, quid hoc ad quæstionem, de qua agimus? Esto enim, prima lapsorum reconciliatio in publica Pœnitentia fuerit: cur ea Sacramentum esse non potuit? cur signa illa externa contritionis, & criminum confessio cum

verbo

verbo Absolutionis, Sacramentum non fuerunt? Deniq; esto, nõ sit cõfessio iuris diuini, vt ex Glossa quadã quam etiam Catholici reprehendunt, Kemnitius probare nititur. cur ipsa Absolutio Sacramentum non erit, cùm symbolum sit externum diuinitus institutum, & gratiæ ac iustificationis promissionem habeat; vt ipse etiam Kemnitius confitetur?

Sapientiùs igitur Kemnitius fecisset, si cum Apologia Confessionis Augustanæ, in cuius verba iurauerat, Pœnitentiæ Sacramentum verè ac propriè dictum, aduersus Caluinianos, non Catholicorum modò, sed etiam Lutheranorum iudicio ac censura, Hæreticos defendisset.

CAPVT XII.

An Pœnitentiæ Sacramentum à Sacramento Baptismi diuersum sit.

Hæretici, qui Sacramentum Pœnitentiæ de medio sustulerunt, ex hoc errore in alium prolapsi sunt: quia enim negandum esse non putabant, peccatores post Baptismum posse Deo reconciliari, neq; reconciliationem istam sine Sacramento aliquo fieri credebant, id eis in mentem venit, vt dicerent, Baptismum ipsum dici posse atque esse Pœnitentiæ Sacramentum. Itaque lapsos post Baptismum, reconciliari dixerunt per baptismum, memoria, non autem reipsa, repetitum.

Ex quo nouo dogmate, tria quædam aduersarij deduxerunt. Primò, non esse durius pactum, quod Deus cum peccatore fecit in reconciliatione post baptismum, quàm ante baptismum, sed esse æquè facile, vel potiùs prorsus idem: & inde grauissimè inuehuntur in eos, qui dicunt Pœnitentiam esse tabulam naufragij, quasi non liceat ad ipsam nauim Baptismi ampliùs redire. Secundò, non minùs integrè renouari hominem in reconciliatione post Baptismum, quàm ante Baptismum: & sicut in regeneratione, quæ fit in Baptismo, dimittuntur omnia peccata quoad culpam & pœnam; similiter fieri volunt in reconciliatione, quæ fit post Baptismum. Tertiò, non esse quærendum post Baptismum, symbolum externum diuinitùs institutum, quo Christi merita applicẽtur, cùm id sanctis commodè præstet baptismus, memoria (vt diximus) apprehensus & repetitus.

Primvs auctor huius erroris, vel etiam aliorum fermè omnium, qui hoc tempore inter Lutheranos versantur, Lutherus fuit: sic enim scribit in lib. de captiu. Babyl. de Baptismo. *Præbuit his opinionibus occasionem verbum periculosum D. Hieronymi, siue malè positum, siue malè intellectum, quo Pœnitentiam appellat secundam tabulam post naufragium, quasi Baptismus non sit pœnitentia. Hinc enim vbi in peccatum lapsi fuerint, de prima tabula seu naui desperantes, velut amissa secundæ tantùm incipiunt niti & fidere tabulæ, id est, pœnitentiæ.* Et in eodẽ libro propè extremo: *Pœnitentiæ Sacramentum*, inquit, *signo visibili, & diuinitùs instituto caret, & aliud non esse dixi, quàm viam ac reditũ ad Baptismum.* Hęc ille: in quibus verbis obiter obseruãda est mira Lutheri inconstantia. Nam in eiusdem libri principio diuersis verbis scripsit, tria esse Sacramenta, Baptismum, Pœnitentiam, & Panem; seu potiùs vnum Sacramentum, & tria signa Sacramentalia: quo loco signum Sacramentale apertissimè in Pœnitentię Sacramento posuit distinctum à signo Baptismi, & Eucharistiæ. Sed in fine libelli, opinione mutata, vel potiùs oblitus eorum quę paulò antè scripsit, æquè apertè negat signum Sacramẽtale in Pœnitentiæ Sacramento distinctum à signo Baptismi.

Philippus Melanchthon in locis editis anno XXI. tit. de Pœnitentia, Lutherus sequutus, scripsit signum pœnitentiæ esse Baptismum. Idem habet Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 4. vbi dicit à Baptismo pendere Clauium potestatem, & vim Baptismi ad omnia peccata totius vitæ se extendere, & ex huius rei ignoratione natum esse commentitium pœnitentiæ Sacramentum. Et cap. 19. §. 17. repræhendit Hieronymi dictum de tabula naufragij. *Sed dictum*, inquit, *est Hieronymi. Cuiuscunque sit, quin planè impium sit, excusari nequit, si ex eorum sensu exponitur: quasi verò per peccatum deleatur baptismus, & non potiùs in memoriam reuocandus sit peccatori, quoties de remissione peccatorum cogitat, vt illinc sese colligat, animúmque recipiat, & fidem confirmet, &c.* Et infrà: *Apertissimè itaque dixeris, si Baptismum vocaueris pœnitentiæ Sacramentum, cùm in confirmationem gratiæ, & fiduciæ sigillum, ijs datus sit, qui pœnitentiam meditantur.*

Martinus Kemnitius in 2. part. Exam. pag. 929. 930. 931. & 932. fatetur quidem aliud esse pœnitentiam, aliud Baptismus; & maiorem luctam conscientiæ esse in ijs, qui conuerti debent à peccato post Baptismum commisso, quàm in ijs, qui conuertuntur à peccato commisso ante Baptismum: tamen Lutherum & Caluinum sequutus, repræhendit similitudinem de tabula naufragij, & fœdus Baptismi vult esse perpetuum; ita vt vel in eo perseueremus, vel si fortè peccatum admiserimus, ad illud reuertamur. Repræhendit etiam Concilium Tridentinũ, quòd velit diuersam esse rationem reconciliationis in Baptismo ab ea, quæ est in pœnitentia, & hanc quidem multò difficiliorem ac duriorem esse quàm illam. Detorquet autem, impudentissimis mendacijs Concilij sententiam ad eam intelligentiam, de qua nunquam Patres Concilij cogitarunt, vel potiùs quam disertis verbis anathemate damnarunt, nimirum, quòd in Sacramento Pœnitentiæ non nitamur Christi satisfactione & merito, sed proprijs nostris operibus; de quibus mẽdacijs suprà diximus, quæ hoc loco dici potuissent.

Igitvr aduersus hunc nouum errorem Tridentinum Concilium sess. 14. can. 2. ita scripsit: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideò Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.* Quæ veritas tribus argumentis confirmanda est; testimonio Scripturæ, traditione & veterum, & ratione.

CAPVT XIII.

Probatur veritas.

Quod attinet ad primum: habemus in primis exempla, vel potiùs typos & figuras Testamenti veteris. Extra cõtrouersiam est, Circumcisionem datam Iudæis in figuram Sacramenti Baptismi, vnde etiã Baptismus ab Apostolo Coloss. 2. dicitur Circumcisio spiritualis, & non manu facta. Si quis autem diligẽter euoluat Scripturam veterem, nusquam inueniet, memoriam Circumcisionis præscribi tanquam remedium peccatorũ post Circumcisionẽ perpetratorum; sed sacrificia, expiationes, confessionem peccatorum, vt ex c. 4. 5. & 6. Leuitici colligi potest. Eodẽ igitur modo in Testamẽto nouo existimandum non est, Baptismi memoriam remediũ esse ad ea peccata purganda institutum, quæ post Baptismum committuntur, sed sacrificium noui Testamenti, & expiationem per Confessionem, & Absolutionem.

Habemus deinde testimonium Apostoli Ioannis in epistol. 1. cap. 1. vbi loquens idem Apostolus de remedio peccatorum, quæ baptizati indies committunt, non ait: Si Baptismum ad memoriam reuocauerimus, sed: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Habemus tertiò B. Pauli Apostoli testimonium, in epistol. ad Hebræos cap. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Hoc enim loco non negat Apostolus, posse lapsos post Baptismum Deo per Ecclesiam

reconcili

reconciliari, vt falsò Nouatianos sensisse, etiam aduersarij nostri concedunt. Quomodo enim Paulus negaret, lapsos post Baptismum reconciliari posse, qui Corinthium post Baptismum grauissimo scelere inquinatum, reconciliari permisit? Sed negat posse renouari per Baptismum: sic enim hunc locum intelligunt, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, & alij in commentario huius loci, & præterea Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 2. vbi copiosè hoc ostendit, Nouatianos refellens. Idem etiam apertissimè docet Augustinus in expositione epist. ad Romanos, inchoata, prope finem, vbi notat, eos qui post Baptismum labuntur, curari posse per Pœnitentiam, non autem renouari, quod est proprium Baptismi. Idem habet etiam auctor libri de vera & falsa Pœnitentia, cap. 3. qui liber habetur in 4. tomo operum S. Augustini.

DEINDE circunstantiæ loci vix patiuntur alitèr accipi verba Apostoli. Nam initio capitis monet Apostolus Hebræos, vt non respiciant iterum ad primordia Baptismi, & fidei, & eius pœnitentiæ, quæ Baptismum præcedit, estque veluti fundamentum ædificij spiritualis: *Quapropter*, inquit, *intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptismatum doctrina, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij extremi.* De quibus Pauli verbis loquens Augustinus lib. de fide & operibus, cap. 11. *Hæc*, inquit, *omnia pertinere ad initia Neophytorum, satis apertéque Scriptura testatur.* Reddit autem in sequentibus verbis Apostolus rationem, cur non oporteat respicere ad illa primordia, cum ait: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, &c.* ac si apertùs diceret: Quia non contingit nisi semel, ea renouatio, quæ habetur per Baptismũ. Describi verò Baptismum per illuminationem, dubitari non potest: inde enim omnes veteres, ac maximè Græci, baptizari illuminari dicunt, & Baptismum Sacramẽtum luminis appellant.

Cùm ergo ex Apostolo habeamus, impossibile esse iterum renouari per eam pœnitentiam, quæ cum Baptismo coniuncta est: necesse est omninò, aut negare cum Nouatianis reconciliationem, aut cum Catholicis admittere nouum Sacramentum à Baptismo distinctum, quo peccatorum remissio tribuatur. Neq; dicere possunt aduersarij, Paulum tantùm velle, non debere iterum repeti actionem Baptismi: non enim Paulus de cæremonia, sed de eius effectu, id est, de renouatione loquitur. Quare si Baptismi effectum iterum habere non possumus, certè alium ritũ, aliud Sacramentum quærere debemus.

ADDE, quòd cùm in Scriptura legamus exempla eorum, qui post Baptismum lapsi sunt, vt Simonis, Actorum 8. & Corinthij incestuosi 1. Corinth. 6. nusquam tamen leginus eos remissos fuisse ad memoriam Baptismi. Et mirum sanè esset, vnicum remedium in tota vita esse Baptismi memoriam, & tamen in Scriptura nullam fieri huius remedij mentionem.

ACCEDAT nunc traditio veterum Patrum, qui quidem summo consensu docent id, quod aduersarij in Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 2. reprehendunt, quòd videlicet non sine magnis fletibus & laboribus ad eam integritatem reconciliationis peruenire possint, qui post Baptismum pœnitentiam agunt, ad quam facili negotio per Baptismum antè peruenerant.

Tertullianus in libro de Pœnitentia, vocat Pœnitentiam tabulam post naufragium, & secundã ianuam, quæ pulsantibus patebit, obstructa per peccatum ianua indulgentiæ, & sera intinctionis. Item appellat post Baptismum secundam spem, & secunda subsidia: & ibidem ostendit, per multos labores peruenire ad remissionem post Baptismum, cùm antè Baptismum facillimus sit aditus ad indulgentiam.

A Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. hostor. cap. 17. aliàs 24. vocat Pœnitentiam Baptismum lachrymarum: atque ibidem significat, multis orationibus & ieiunijs opus esse ad remissionem, quæ fit post Baptismum.

Cyprianus in serm. 5. qui est de lapsis, nihil aliud agit, quàm post Baptismum, si quis labatur, in peccatum ei necesse esse multis lachrymis & ieiunijs culpam suam abluere: & lib. 3. epist. 15. & 16. grauiter reprehendit eos, qui absolutionem pœnitentibus dabant, antequam iustam Pœnitentiam egissent. Similia habet Ambrosius in lib. ad Virginem lapsam, cap. 8. vbi comparat Pœnitentiam tabulæ naufragij. Item Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina, vbi distinguit Baptismum aquæ, qui facilis est, à Baptismo laborioso, & lachrymarum, qui est eorum proprius, qui Pœnitentiam agunt post Baptismum. Eadẽ habent, & eadem similitudine naufragij vtuntur Pacianus epist. 1. ad Sympronianum, & Hieronymus in cap. 3. Isaiæ, & in epistol. ad Demetriadem, & in altera ad Sabinianum.

B Epiphanius hæresi 59. quæ est Catharorum, scribit, eos qui post baptismum in peccata labuntur, non posse amplius ad Baptismum confugere, sed aliud remedium esse quærendum, videlicet Pœnitentiam.

AVGVSTINVS in epist. 23. ad Bonifacium: *Si infans*, inquit, *post baptismum propria incipiat habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanantur.* Et lib. 2. de adulterinis coniugijs, cap. 16. *Si à Catechumene factum est homicidium, Baptismate abluitur, si à baptizato pœnitentia & reconciliatione sanatur.* Et homil. 50. ex lib. 50. homiliarum, distinguit tres Pœnitentiæ actiones: vnam quæ agitur ante Baptismum: alteram quotidianam atque perpetuam pro peccatis venialibus, pro quibus assiduè dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*: tertiam pro lethalibus peccatis, quæ post Baptismum committuntur, ac de tertia ista sic loquitur, cap. 9. *In hac pœnitentia maiorem in se quisque seueritatem exercere debet, vt à seipso iudicatus non iudicetur à Deo.*

C Chrysostomus libr. 3. de Sacerdotio, & Cyrillus lib. 12. in Ioannem, cap. 56. apertè distinguunt modum peccata remittendi per Baptismum, & per alia Sacramenta, quod certè non facerent, si Baptismo peccata omnia præterita & futura dimitterentur.

Theodoretus in Epitome diuinorũ decretorum, cap. de pœnitentia, scribit, vulnera quæ post Baptismum accipiuntur, curabilia quidem esse, sed non, vt olim, facili negotio per lauacrũ regenerationis, sed per multas lachrymas, & opera laboriosa.

DENIQVE Ioannes Damascenus, vt Recentiores omittam, lib. 4. de fide, cap. 10. repetit Nazianzeni sentẽtiam de distinctione baptismatis aquæ à baptismate laborioso, & lachrymarum. Verè igitur Sacramentum Pœnitentiæ Baptismus quidam est, sed Baptismus, vt Patres omnes testantur, laboris, & lachrymarum.

D Accedant postremò etiam rationes. Primùm, Nulla ratio patitur, vt eadem facilitate Deus ignoscat his, qui ignorantes, & qui scientes peccauerunt. Vera est enim Domini sententia: *Ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Lucæ 12. cui sententiæ congruit, quod de se Apostolus ait: *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci, in incredulitate.* 1. Timoth. 1. At si vera esset aduersariorum opinio, non eadem, sed, quod longè absurdius est, maiori facilitate ad veniam peruenirẽt, qui scienter post fidem, & Baptismum, quàm qui ignoranter in incredulitate peccassẽt: facilius enim est Baptismum olim acceptum ad memoriã reuocare, quàm reipsa iterum baptizari. Hoc autem est, quod aduersarij volunt, peccata ante Baptismum admissa, per Baptismum

reipsa

seipsa susceptum; contracta autem post baptismum per baptismum quidem, sed memoria & cogitatione repetitũ deleri. Quòd si hæc absurda sunt, vt reuera esse nemo sanæ mentis inficiari potest, illud efficitur, diuersum esse pactum baptismi à fœdere reconciliationis post baptismum, proinde diuersum etiam Sacramentum.

SECVNDÒ. Ritus baptismi & Pœnitentiæ diuersam habent materiã, & formam: diuersa igitur Sacramẽta existimanda sunt. Quod attinet ad materiam, infrà suo loco probandum erit, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse ipsius pœnitentis actiones; cùm baptismi materiam, aquæ aspersionem esse nemo neget. Baptismi formam admittunt omnes illis verbis Dominicis contineri: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ad eam reconciliationem, quæ fit post Baptismum, nemo dicit: *Ego te baptizo*, sed, *Ego te absoluo*, quam Absolutionem etiam priuatam agnoscunt, & ex verbo Dei rectè doceri fatentur Kemnitius & Caluinus, vt suprà ostendimus.

B SED ad hoc argumentum respondet Caluinus lib. 4. Instit. c. 15. §. 4. potestatẽ Clauium, quæ exercetur in Absolutione, non posse à baptismate separari: non enim potestatem Clauium exerceri sine prædicatione Euangelij, qua annunciamus impios mundari Christi sanguine. Signum autem ac testimonium lauacri illius, nõ esse aliud, nisi baptismum: ita signum vtriusque verbi, id est, tam illius, *te baptizo*, quàm huius, *te absoluo*, vnum atque idem, non aliud & aliud esse.

AT facilis est huius responsionis confutatio. Nã quidquid sit de signo materiali, certè verbum aliud esse in Baptismo, aliud in reconciliatione pœnitentium, Caluinus negare non potuit. Cùm autem verbum potissima Sacramenti pars sit, necessariò efficitur, vt Sacramenta diuersa sint, Baptismus, & pœnitentium reconciliatio; quę verbis diuersis constãt. Quid: quòd verba diuersa, diuersa etiam signa materialia exigunt. Nam signum materiale est quasi visibile verbum, & illud idem sensibus offerre debet, quod offert verbum: neque id aduersarij negãt. Porrò verbum, Baptizo, quod lauacrum sonat, rectè adiunctum habet ritum baptismi per aquam: idem enim oculis offert actio lauandi, quod auribus verbum baptizãdi: At verbo, Absoluo, quod à vinculis soluendis, non à sordibus abluendis ducitur, non congruit ritus ablutionis. Quare non potest esse signum externum reconciliationis pœnitentium baptismus, cùm eandem similitudinem continere, atque exprimere debeant, verbum & elementum. Et quamuis à virtute sanguinis Christi omnis nostra iustificatio pendeat, tamen idem Christi sanguis, & lauacrum, & precium, & poculum etiã dicitur: & propterea per varia signa effectus eius repræsentari, & virtus applicari potest, per baptismum vt lauacrum, per Absolutionem vt precium, per Eucharistiam vt poculum. Et sicut Eucharistia non censetur ab aduersariis idem Sacramẽtum cum baptismo, ita nec debet ritus Absolutionis cum baptismi ritu confundi, licet omnia ista signa, ac testimonia sint sanguinis Christi pro nobis effusi, cuius virtute lauamur, soluimur, potamur. Ex quo argumẽtum Caluini planè euacuatur. Fatemur enim Christi sanguine nos iustificari, siue cùm baptizamur, siue cùm reconciliamur, siue cùm potamur, sed per diuersa externa signa atque adeò Sacramenta, vim sanguinis illius ita nobis applicari, vt modò mundari, modò solui, modò potari dicamur.

TERTIÒ. Ministri diuersitas diuersa Sacramenta esse testatur. Constat enim Baptismum ratum esse, etiamsi à non Sacerdote tribuatur: nam Act. 8. Philippus Diaconus baptizauit. Act. 9. Ananias, qui ne Diaconus quidem erat, sed merè laicus, Apostolum Paulum baptizauit. Id enim contigit primo anno à passione Domini, quo tempore solùm erant septem Diaconi ab Apostolis ordinati, è quorum numero Ananias non erat. Et Ruffinus

A' lib. 10. hist. c. 14. scribit, baptismum verum ac ratum habitum esse, quem Athanasius laicus, & puer, aliis quibusdã pueris aliquando contulerat. At reconciliationem pœnitentium, ita propriam semper fuisse scimus Episcoporum, & Presbyterorum, vt si laicus id facere quauis necessitate præsumeret, irritam esse reconciliationem nemo ambigeret. De qua re suo loco differetur.

QVARTÒ. Si Baptismus Sacramentum Pœnitentiæ esset, ac per cogitationem & memoriam repetitus, obsignaret, vt aduersarij loquuntur, promissionem reconciliationis, quocunque tempore opus esset; illud efficeretur, non debere nisi adultos baptizari, vt ab Anabaptistis, quos Lutherani etiam & Caluiniani reprehendunt, fieri videmus. Nam alioqui incertissima erit iustificatio, quippè quæ ab hominum testimonio pẽdeat: neque enim qui infantes baptizantur, cùm postea adoleuerint, baptizatos se fuisse recordari possunt, sed coguntur alienis verbis, non suis oculis credere. Quo pacto igitur ista cohærent, vt Sacramenta percipi dicant, quò certi reddantur hominesB propriæ iustificationis: & tamen incertos eos esse cogant, an Sacramentum perceperint, cùm infantes baptizent?

QVINTÒ. Si Baptismus valet ad peccata, non solùm præterita, sed etiam futura delenda; quæro, quo tempore futura peccata deleat: an tunc, cùm primùm suscipitur, an postea, cùm ad memoriam reuocatur? Si enim cùm primùm suscipitur, omnia peccata etiam futura vsque ad finem vitæ deleat, incredibilis consequetur absurditas, vt videlicet peccata priùs deleantur quàm fiant, & homini baptizato nulla peccata etiam post Baptismum admissa, nocere queant, ac demùm vt omnes baptizati, ac proinde omnes tùm Catholici tum Hæretici, modò Baptismum susceperint, necessariò saluari debeant: verum enim esse Baptismum, & salutarem, quem infantes apud nos suscipiunt, Lutherani & Caluiniani non negant.

C QVODÒ si fortè dixerint, peccata post Baptismum cõmissa non esse, antequam fiant, deleta, sed tunc demum purgari, cùm per fidem & Pœnitẽtiam ad signum, & fœdus Baptismi animo & cogitatione reditur, duplex absurditas consequetur. Nam & incerta erit iustificatio, vt paulò antè dicebamus, cùm ab hominum testimonio pendeat: & eadem ratione tolletur Eucharistiæ frequentatio, cùm ita sufficere possit memoria spiritualis cibi aliquando gustati, quemadmodum memoria sufficit lauacri aliquando percepti. Vel si ridiculum est, ita memoriam cibi ad saturitatem prodesse, vt cibus ipse prodest: cur non sit etiam ridiculum, ita memoriam lauacri ad maculas eluendas conferre, vt lotio ipsa confert?

CAPVT XIV.

Soluuntur obiectiones.

D SED iam argumenta aduersariorum diluenda sunt. Et quoniã in lib. de baptismo, c. 18. soluimus argumenta Lutheri, Kemnitij & Caluini, quę ipsi attulerant in disputationibus de Baptismo: nũc ea solùm argumenta dissoluenda restant, quæ Caluinus addidit lib. 4. Instit. c. 19. §. 17. vbi de Sacramento Pœnitentię propriè disputat. Sic igitur ille argumentatur; baptismus per peccatum non deletur; igitur tota vita vtilis esse poterit, si ad memoriam reuocetur, quoties peccator de remissione cogitat: *Quasi verò*, inquit, *per peccata deleatur baptismus, & non potiùs in memoriam reuocandus sic peccatori, quoties de peccati remissione cogitat, vt illinc sese colligat, animúmque recipiat, & fidem confirmet, &c.*

RESPONDEO; Multa sunt in Baptismo: Primùm, actio ipsa ablutionis, quæ propriè cum verbo Sacramentum facit: atque hæc non permanet, sed dum efficitur, transit, vt notum est. Deinde, gratia regenerationis, & re-

nouationis,quæ per baptiſmum acquiritur,hæc verò manet in anima,donec per lethale peccatum eiiciatur. Qui enim poſt baptiſmum peccant,deſinunt eſſe Filij Dei, & hæredes Regni,atque ad membra Diaboli,& Gehennam pertinere incipiunt: id quod in Scripturis apertiſſimum eſt. Tertiò,character quidam ſpiritualis; & hic quidem ſemper manet, neq; per vllum peccatum aboleri poteſt, & ratione eius,Baptiſmus repeti nequit.Sed neque Caluinus characterem iſtum admittit, neque eſt character ſignum viſibile, atque externum, vt verbo adiunctum, propriè Sacramentum efficiat. Quare licet baptiſmus in ſuo quodam effectu ſemper maneat:non tamen eam vim habet, vt per modum ſigni viſibilis promiſſionem confirmare,atque,vt ipſi loquuntur,obſignare poſsit.

DICENT fortaſſe,ipſam baptiſmi actionem viſibilem atque externam ſemper manere,non quidem in ſe,ſed in mente & cogitatione hominis baptizati.At id non ſufficit vt Sacramentum baptiſmi manere dicatur:& ſi id ſufficeret, certè etiam Euchariſtiæ manducatio ſemel peracta, ſemper maneret,proinde fruſtrà repeteretur.

SECVNDÒ,Caluinus ibidem S.Hieronymi teſtimonium adducit:*Quòd*,inquit,*Hieronymus durè,& impropriè dixit,Pœnitentia reparari baptiſmum (à quo excidunt,qui excommunicari ab Eccleſia merentur) boni iſti interpretes ad ſuam impietatem trahunt.*

RESPONDEO,ipſa ſimilitudo tabulæ naufragij,qua tot in locis S.Hieronymus vtitur,ſatis apertè docet,toto cœlo,vel potiùs mari,aberrare Caluinum. Nam ſi Hieronymus ſignificare vellet, Pœnitentia reparari Baptiſmum,non diceret, Pœnitentiam eſſe tabulam poſt naufragium,ſed ſcapham,qua rediretur ad nauim.Neque enim eiuſmodi tabulas, qui in diſcrimine vitæ verſantur, arripere ſolent,vt per eas ad nauim redeant,quam fractã eſſe ſciũt.ſed vt quoquo modo, licet ægrè atque incommodè,ad littus enatare queant.Sic enim explicat ſanctus Hieronymus ſimilitudinem illam in epi.ad Sabinianum: *Quòd ſi*, inquit, *nec ſic Pœnitentiam vult agere, & fracto naufragio,tabulam per quam ſaluari poterat,non retentat,cogor dicere,&c.*

TERTIÒ,à teſtimonio Scripturæ & veteris Eccleſiæ, argumentum ducit his verbis:*Aptiſsimè dixeris, ſi Baptiſmum vocaueris Pœnitentiæ Sacramentum,cùm in cõfirmationem gratiæ,& fidei ſigillum,iis datus ſit,qui Pœnitentiam meditantur. Quod ne commentum eſſe noſtrum putes,præterquam quòd Scripturæ verbis conforme eſt,apparet in Eccleſia fuiſſe perualgatum inſtar certiſſimi axiomatis. Nam in libello de fide ad Petrum,qui Auguſtino inſcribitur, Sacramentum fidei,& Pœnitentiæ dicitur.Et quid ad incerta cõfugimus? quaſi verò apertius quippiam requirendum ſit, quam quod recitat Euangeliſta, Ioannem prædicaſſe Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſsionem peccatum.*

RESPONDEO,Pœnitentiam quandam ante Baptiſmum neceſſariam eſſe, & rurſus aliam ante reconciliationem,quæ poſt Baptiſmum datur;extra controuerſiam eſt.Nam de priore legimus,*Act.2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* De poſteriore Act.8.*Pœnitentiam age ab hac nequitia tua:*alloquitur enim S. Petrus Simonem Magum iam baptizatum.Probandum itaque Caluino fuerat,baptiſmum dari in ſigillum fidei, iis qui pœnitentiam meditantur poſt baptiſmum; aut eius Pœnitentiæ,quæ poſt baptiſmum agitur, Sacramentum appellari:quod cùm non fecerit,nihil omninò fecit.Nam in lib,de fide ad Petrum,c.30.Baptiſmus vocatur Sacramentum fidei,& Pœnitentiæ,non cuiuſcunque, ſed eius quæ ante baptiſmum agi debet. Et in Euangelio Marci c.1.& Lucæ c.3.vocatur Baptiſmus Ioannis,non autẽ baptiſmus Chriſti de quo agimus,baptiſmus pœnitẽtiæ:neque dicebatur Baptiſmus pœnitentiæ in remiſsionẽ peccatorum,is quem Ioannes prædicabat;quia pœnitentibus peccata remitteret,ſed quia ad pœnitentiam prouocabat, quam pœnitentiam qui agerent vt par erat,remiſsionem peccatorum obtinerent.Itaque Baptiſmus Ioannis Pœnitentiam parebat,Pœnitentia remiſsionem;Chriſti verò baptiſmus non pœnitentiam gignit,ſed per pœnitentiam præparatos à peccatis purgat,eoſque renouat,& regenerat:& ideò in Scripturis baptiſmus Ioannis paſsim appellatur baptiſmus pœnitentię,quia ad Pœnitentiam inuitabat,Mat.3.Marc.1.Luc.3.Act.13.& 19.Chriſti verò baptiſmus,non Pœnitentiæ baptiſmus,ſed lauacrum regenerationis,& renouationis dicitur,Tit.3.Epheſ.5.Vide plura de hac re in lib.de baptiſmo,cap.2.

CAPVT XV.

De partibus eſſentialibus Sacramenti Pœnitentiæ.

DEMONSTRAVIMVS hactenus, pœnitentiam Sacramentum eſſe verè,propriéque dictum, atque etiam à Sacramento Baptiſmi diſtinctum: nunc de partibus eius diſputare incipiemus.

TRIBVS partitionibus diuidi ſolet pœnitentiæ Sacramentum.Prima ſumitur ab eſſentia, quæ duabus partibus conſtat,materia & forma,id eſt,actibus pœnitentis, & abſolutione ſacerdotis.Secũda à materia,quæ tres partes cõpræhendit,Contritionem,Cõfeſſionem,& Satisfactionem. Tertia à ritu, quæ eſt etiam trimembris: alia enim eſt pœnitentia priuata, alia publica, & hæc rurſus aut ſolennis,aut non ſolennis. De his partitionibus nunc breuiter, & generatim dicemus: deinde in ſequentibus libris ſeorſim de ſingulis partitionum membris, de quibus controuerſiæ aliquæ agitari ſolent,differemus.

IGITVR de partibus eſſentialibus huius Sacramenti, illud conuenit inter omnes, Verbum abſolutionis ad huius Sacramenti eſſentiam pertinere: illud enim ſine vllo dubio ſignum eſt, & cauſſa remiſſionis peccatorum. Et quamquam Abſolutio illis verbis,iuxta vſum Eccleſię, qui omninò ſeruandus eſt,continetur:*Abſoluo te à peccatis tuis*,tamen ſi in eandem ſententiam alia verba adhiberentur,vt: *Remitto tibi peccata tua*: vel, *Remittuntur tibi peccata tua*, nihil de Sacramenti eſſentiali perfectione decederet. Neque verò quæſtio eſſe poteſt de materia, quam dicunt remotam:conſtat enim peccata,ſiue hominem peccatorem,materiam eſſe Sacramenti huius remotam,cùm ad peccata delenda, ſiue ad hominem peccatorem curandum Abſolutio à ſacerdotibus impendatur. Sed neque peccatum, neque peccator, talis materia dici poteſt,ex qua tanquam ex altera parte,Sacramẽtum perficiatur: ſed potiùs circa quam Sacramentum operetur; quemadmodum corporalis morbus,aut ægrotus,non eſt id ex quo medicamentum exerat.

QVÆSTIO igitur eſt,Vtrum præter Abſolutionem, aliquid aliud ſit,quod ad Sacramenti huius rationem,atque eſſentiam pertinere videatur. Quatuor autem ſententiæ inueniuntur. Prima eſt, ſolam Abſolutionem Sacramenti huius eſſentiam conſtituere. Ita ex Catholicis Theologis Scotus docuit in 4.Sent. diſt.24. q.4. & diſt. 16.q.1.& qui eum ſequuti ſunt,Gulielmus Okam, Ioannes Maior,Iacobus Almaynus,& ſi qui ſunt alij.Ad quã ſententiam accedunt etiam aliqui ex Hæreticis noſtri ſæculi,vt Illyricus in Apologia Confeſſ.Antuerpien.ca.18. & Kemnitius in 2.par.Examinis,pag.903.

SED in duobus diſſident Hæretici iſti à Theologis ſuprà citatis.Primùm enim hæretici non agnoſcunt Sacramentum pœnitentiæ,niſi imperfectum,& impropriè dictum,cùm ſolo verbo, vt ipſi loquuntur, ſine elemento conſtet:at Catholici illi integrum,& perfectum, ac propriè dictum Sacramentum eſſe volunt,licet in ſola Abſolutione eſſentia eius conſiſtat. Deinde Scotus,& qui eum ſequuntur, etſi negent Confeſſionem eſſentialem partem eſſe Sacramenti huius, tamen non negant eam eſſe neceſſariam,& à Chriſto inſtitutam,quod Illyricus, & Kẽnitius,& cæteri Sectarij negant. Adde,quòd Scotus,

& cæteri Doctores Catholici,ante Concilia illa vixerũt, in quibus accuratiùs hæc omnia explicata ſunt: quod ſi hoc tempore ſupereſſent, ſine dubio Eccleſiæ definitioni ac ſententiæ acquieſcerent.

ALTERA ſententia eorum eſt, qui præter verbum Abſolutionis,ritum etiam quendam viſibilem à miniſtro adhiberi volunt,vt eſſentia Sacramẽti huius integrè perficiatur,quanquam non ſatis explicant,quis ſit ille ritus. Philippus Melanchthon in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ art.13.de vſu & numero Sacramentorum, huius ſententiæ auctor eſt: ſcribit enim, Baptiſmum, Euchariſtiam,& Abſolutionem,vera Sacramenta eſſe, quòd habeãt ritum cum promiſſione. Et ibidem,diſtinguit ritum à verbo:*Corda*, inquit, *ſimul per verbum & ritum mouet Deus:ſicut autem verbum incurrit in aures, vt feriat corda,ita ritus ipſe incurrit in oculos,vt moueat corda.*Et infrà: *Ritus oculis accipitur, & eſt quaſi pictura verbi, idem ſignificans quod verbum,quare idem eſt vtriuſque effectus.*

TERTIA eſt eorum ſententia,qui ex baptiſmo, ſeu baptiſmi recordatione,& verbo Abſolutionis,Sacramentum Pœnitentię conſtituunt:de qua ſuperiore capite diſſeruimus.

POSTREMA ſententia, eáque veriſſima eſt, Sacramentum pœnitẽtiæ duplici parte intrinſeca,atque eſſentiali conſtare,Abſolutione ſacerdotis tanquam forma, & actibus pœnitentis tanquam materia. Quæ ſententia, & fuit olim multorum veterum Theologorum, ſancti Thomæ,Richardi,Durãdi,& aliorum in 4.Sent.diſt.14. & nunc eſt fermè omnium, qui de Pœnitentiæ Sacramento ſcribunt.

SIT igitur propoſitio prima:*Non niſi abſurdè dici poteſt, pœnitentiæ Sacramentum ex baptiſmo & Abſolutione conſtare.* Hæc propoſitio ſatis capite ſuperiore probata eſt: & certè ſufficere deberet, quòd nec baptiſmus ante multos annos peractus, nec eius recordatio, ſigna ſenſibilia dici poſſunt; cùm ad Sacramenti eſſentiam id maximè requiratur,vt cùm Sacramentum percipitur, corporale ſignum corporalibus ſenſibus obiiciatur.

SECVNDA propoſitio:*Nullus eſt ritus à miniſtro adhibitus,præter verbum Abſolutionis, qui Sacramenti huius materia rectè dici poſſit.* Optarem Philippus clariùs explicuiſſet quiſnam ſit ritus, qui in oculos pœnitentis incurrit, dum verbum Abſolutionis, eiuſdem pœnitentis aures ferit:minùs enim in eius ſententia refellenda laboraremus.Veruntamen,niſi fallor,tres ſunt miniſtri actiones duntaxat,de quibus aliqua ratione ambigi poteſt:quę ſi omnes euidenter excludantur,euidenter etiam Philippi ſententia refutata erit.

PRIMVM igitur Miniſter dum pœnitentes reconciliat, eiſdem manum impouere conſueuit. Sed hic ritus etſi & in antiqua Eccleſia in vſu fuit, & nunc etiam in pleriſque locis adhibetur;ad eſſentiam tamen Sacramẽti huius non pertinet,vt ſanctus Thomas docet in opuſculo 22.de forma Abſolutionis, vbi breuiter refellit obiectiones,quæ contrà fieri poterant.Erit autem hoc multò etiam certius, ſi aduerſariorum doctrina locum habeat, ſiquidem ex verbo Dei non poteſt vllo modo demonſtrari,manus impoſitionem in reconciliatione neceſſariò eſſe adhibendam:nec ſolùm nõ teſtimonium, ſed neque exẽplum vllum huius manus impoſitionis in ſacris literis inuenitur.*Quorum remiſeritis peccata*, Dominus ait, *remittuntur eis.*Ioan.20.non autem addidit:Et quibus impoſueritis manus.Neque ex verbis iam citatis colligitur, imponendas eſſe manus, quemadmodum ſanè colligitur,confitenda eſſe peccata,vt ſuo loco oſtendemus:quid enim prohibet,quo minùs peccata remittantur, etiamſi manus non imponantur?Neque Dominus, cùm Paralytico Matt.9.& Magdalenæ Luc.7.dixit: *Remittuntur tibi peccata*,manus eis impoſuiſſe legitur.

QVOD autem in Concilio IV.Carthaginenſi, canon 78.dicitur,vt pœnitentes,qui ob vitæ periculũ, viaticum Euchariſtiæ accipiunt, non ſe exiſtiment abſolutos ſine manus impoſitione ſi ſuperuixerint:non repugnat iis,quę diximus. Accipit enim Concilium manus impoſitionem pro ipſa pœnitẽtiæ actione,in qua frequenter manus imponebãtur nam in eodem Concilio can.80 præſcribitur, vt ſingulis diebus ieiuniorum, manus à ſacerdote pœnitentibus imponantur.Itaque hæc eſt Concilij illius ſententia: Qui ob vitæ periculum priuatim à ſacerdotibus abſoluuntur, nondum completa pœnitentiæ publicæ actione,ij ſi ſuperuixerint, redeant ad ordinem pœnitentium, & cum illis manus impoſitionem ſuis temporibus percipiant;& niſi id fecerint,non ſe exiſtiment abſolutos à vinculo Excõmunicationis;vel à pœna temporali,quæ illis præſcripta à Sacerdotibus fuerat.Nam quòd à culpa abſoluti fuerint, dubitari non poteſt,cùm viaticum Euchariſtiæ perceperint, quod Eccleſia nunquam tribuit, niſi iis,quos à culpa lethali liberos credit.

ALTER ritus, quo in reconciliatione pœnitentium vti ſolent Catholici ſacerdotes, eſt ſignum crucis ſuper ipſum pœnitentem manu ſacerdotis expreſſum. Sed de hoc ritu nulla dubitatio eſſe poteſt;nam neque hoc ſignũ aduerſarij vlla in re adhibere ſolent,& idem ſignum non eſſe de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, vt neque etiam Euchariſtiæ,S.Thomas docet 3.par. q.84.art.4. cui nullus Catholicorum in hac re contradicit.

TERTIVS ritus fingi poſſet, motus ille viſibilis linguæ,& labiorum, qui in verborum pronunciatione exercetur: quam ſententiam Lutheranorum quorundam eſſe audio.Et ſanè nihil aliud fingi poſſe videtur, ſi quo modo explicanda eſt opinio illa Philippi,diſtinguentis in pronunciatione Abſolutionis ritum,qui obiicitur oculis, à verbo,quod incurrit in aures.Sed abſurda omninò, ac planè ridicula ſententia eſt.Nam inprimis commune eſt omni verbo corporali,vt non fiat ſine motu linguæ & labiorum,& tamen nemo hactenus in verbo, quo Baptiſmum,vel Euchariſtiam conficimus,diſtinxit ritum à voce.Deinde motus linguæ & labiorum nihil per ſe ſignificat,ſed ſolùm eſt cauſſa vocis, quæ indicat animi conceptiones. Itaque ſi ſurdus quiſpiam videat hominem loquentem, non magis ex motu labiorum coniiciet quid à loquente ſignificetur,quàm ſi eundem motum labiorum cerneret in pecude.Non igitur fingi poteſt ritus vllus ex parte Miniſtri.

TERTIA propoſitio:*Actio pœnitentis quaſi materia, & verbum Sacerdotis quaſi forma,Sacramenti Pœnitentiæ rationem atque eſſentiam complent.* Non eſt hoc loco ex diuinis literis probandum,actionem pœnitentis,Confeſſionem videlicet,& reliqua, quæ ex parte eius requiruntur,vel omninò neceſſaria eſſe,vel à Chriſto inſtituta: id enim infrà ſuo loco tractabitur, vt ſuprà diximus. Sed hoc poſito, probandum eſt ſolùm actionem pœnitentis ad Sacramenti eſſentiam pertinere vt materiam, ex qua, ſi forma accedat, Sacramẽtum conſtituitur.Et quoniam illa hypotheſi facta, quæſtio ſolùm inter Catholicos eſt; probabitur ſententia noſtra ex teſtimoniis illis,quæ à Catholicis omnibus admittuntur.

PRIMVM igitur Tridentinum Concilium,ſeſſ.14.c. 3,docet formam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe verba illa: *Ego te abſoluo,&c.* actus verò pœnitentis eſſe quaſi materiam:& paulò pòſt addit,tam Abſolutionem, quàm actus pœnitentis, ad integritatem Sacramenti pertinere. Quo decreto ſatis apertè Concilium docuiſſe videtur,nõ ſola Abſolutione integrum Sacramentum contineri;non enim diſtingui debuit forma à materia,ſi vnica ſimplex actio Sacerdotis totum Sacramentum conſtituit.Et quomodo,quæſo,ad Sacramenti integritatem non minùs requiritur actio pœnitentis,quàm Abſolutio ſacerdotis, ſi ſola Abſolutio Sacramentum perficit?

DEINDE Concilium Florentinum in inſtructione

Armenorum, ipſam Pœnitentiam vocat Sacramentum, & eius partes materiales eſſe dicit actus pœnitentis, formam autem verba Sacerdotis: *Ego te abſoluo, &c.* ad quē modum loquitur etiam Lucius Papa III. cap. Ad abolendam, de hæreti. vbi Sacramenta vocat, Baptiſmum, Confeſſionem peccatorum, & Matrimonium. At quomodo Confeſſio Sacramentum eſt, ſi ad eſſentiam Sacramenti nullo modo pertinet: Neque Scotus ſatis apte loquutus videri debet cùm ait in 4. diſt. 14. q. 4. *Pœnitentia eſt abſolutio pœnitentis, facta certis verbis, &c.* Pœnitentia enim actio pœnitentis eſt, nō Sacerdotis; Abſolutio autem Sacerdotis, non pœnitentis. Quis enim ita loquitur, vt dicat hominem agere Pœnitentiam, dum abſoluitur, & non potiùs dum plorat, confitetur, ieiunat?

A

IDEM præterea Concilium omnia Sacramenta tribus perfici dicit, materia, forma, & intentione Miniſtri: non igitur Sacramentum Pœnitentiæ ſola forma Abſolutionis & intentione conſtare poteſt.

DENIQVE actio pœnitentis ſignum eſt ſenſibile gratiæ iuſtificantis à Deo inſtitutum, & ex eiuſdem promiſſione concurrit ad remiſſionem peccatorum: cur igitur pars quædam Sacramenti non erit? Nam ſenſibile ſignum eſſe, in quæſtionem verti non poteſt, cùm non debeat Sacerdos abſoluere, niſi quem ex ſignis ſenſibilibus pœnitentem eſſe cognoſcit: eſſe autem ſignum gratiæ iuſtificantis, manifeſtè colligitur ex eo, quòd qui peccatum confitetur, & veniam à Deo petit, indicat ſe peccatum odiſſe, & ab eo iam, animo & volūtate recedere, ac proinde *iuſtificari*, quod apertiùs ſignificatur, & cōpletur per Abſolutionem. Porrò hoc ſignum à Deo inſtitutum eſſe, alibi, vt diximus, eſt probandum, neque à Scoto eiúſque ſectatoribus negatur. Denique ad remiſſionem peccatorum aliquo modo concurrere, teſtatur S. Ioannes, qui in epiſt. 1. c. 1. ſcribit: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et quemadmodum verè dicimus aliquem iuſtificari, quia abſoluitur, ſic etiam rectè dicere poſſumus, aliquem iuſtificari, quia peccata humiliter confitetur. Sed de hac re in ſequenti capite plura dicemus.

B

CAPVT XVI.

Soluuntur obiectiones.

NVNC obiectiones diluendæ ſunt, tùm Kemnitij, tùm etiam aliquorum Catholicorum. Kemnitius igitur in 2. par. Examinis pag. 935. refellere nititur Concilij Tridentini doctrinam de partibus eſſentialibus Sacramenti Pœnitentiæ, ac primò obiicit, Antiquitati eſſe ignotam hanc diſputationem, an in Pœnitentia ſit materia & forma Sacramentalis.

RESPONDEO, nomina materiæ & formæ in Sacramentis, inuenta ſunt à poſterioribus Doctoribus ad rem facilius explicandam: ideò nihil eſt mirum, ſi apud veteres non legātur. Nam neque in Baptiſmo & Euchariſtia, ſancti Patres ita verbum ab elemento diſtinxerunt, vt vnum formam, alterum materiam appellarent: & tamen non negat Kemnitius, aquam in Baptiſmo rectè vocari materiam, & verbum formam. Satis igitur nobis eſſe debet, quòd quemadmodum antiqui Patres in Baptiſmo, aquam, & inuocationem Trinitatis adeſſe debere docuerunt: ſic etiam in Pœnitentia, actionem pœnitentis, & reconciliationem Sacerdotis, neceſſariò adhibenda eſſe docuerint.

C

SECVNDÒ obiicit, ne inter Scholaſticos quidem de hac re quidquam conſtare, cùm alij peccata velint eſſe materiam, alij peccatorem confitentem, alij actiones pœnitentis, alij actionem ſacerdotis proferentis certis ritibus Abſolutionem: *Sic etiam formam quidam ponunt*, inquit, *verba Abſolutionis, quibus ipſos actus abſoluentis dicunt eſſe pro forma, etiamſi non fiant per limitata & determinata verba.*

RESPONDEO, Kemnitius ſemper eſt ſui ſimilis calumniator, & mendax. Nam inprimis nulli ſunt Catholicorum, qui materiam huius Sacramēti fecerint actionem Sacerdotis, certo ritu pronunciantis Abſolutionem, ſi vnum excipias Gropperum, aut quicunque fuit auctor Enchiridij Coloniēſis, qui non ſatis cautè interdum loquutus videtur: Theologi enim aut volunt in ſola Abſolutione Sacramentum conſiſtere; & ij non diſtinguunt materiam à forma: aut (quæ eſt communis ferè omnium ſententia) materiam ex parte pœnitentis, formam ex parte ſacerdotis aſſignāt. Porrò, qui materiam eſſe dicunt peccata, aut peccatorem confitentem, aut ipſam Confeſſionem, non diſſentiunt inter ſe, vt Kemnitius cuperet, ſed idem omninò ſentientes, de re eadem diuerſa ratione loquuntur, non ſecus ac ſi alij dicerent in Baptiſmo materiam eſſe aquam, alij ablutionē, alij hominem, qui abluitur. Nam peccata dicuntur materia, cùm de materia remota agitur, ad quam tollendam Sacramentum inſtitutum eſt. Qui peccata confitetur, materia dicitur, cùm de materia circa quam, ſiue, de ſubiecto in quod agit virtus Sacramentalis, diſputatio eſt. Actio denique pœnitentis materia vocatur, cùm de materia illa diſſeritur, ex qua Sacramentum adiuncta forma conſtituitur. Simile quid cernimus in corporum medicina (eſt enim Pœnitentia medicina animorum) nam & morbus, & ægrotus, & ægroti deambulatio, materia medicinæ rectè dici poſſunt: ſiquidem morbus per medicinam tollitur; ægrotus per eandem curatur; deambulatio pars eſt medicamenti ſalutaris, & vnà cum pharmaco à medico propinato ſanitatem reſtituit.

D

QVOD attinet ad formam, non diſſentiunt inter ſe, qui certa verba Abſolutionis formam eſſe dicunt, & qui contendunt nulla eſſe verba determinata, quibus Abſolutio impendatur. Nam ſi de ſono, & numero ſyllabarum agatur, nulla ſunt verba determinata, quæ ad Sacramenti eſſentiam neceſſariò requirantur: ſiue enim quis dixerit; *Abſoluo te*, ſiue, *Remitto tibi peccata*; & ſiue id Latinè, ſiue Græcè, ſiue barbara aliqua lingua pronunciauerit, ſemper efficitur Sacramentum. Si verò de ſententia verborū ſermo ſit, nemo Catholicorum negat, verba eſſe determinata, atque ex diuinis literis deprompta. Quod idem cernimus in Baptiſmo: neque enim certus ſonus aut numerus ſyllabarum in Scripturis determinatur, quo forma Baptiſmi pronunciari debeat, ſed ſolùm ſententia eius formæ ex Euangelio colligi poteſt. Quare quemadmodū ex eo, quòd Dominus ait Matthæi vlt. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, colligit Eccleſia formam illam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, nec tamen cenſerentur non verè baptizare, qui dicerent; Ego te abluo, ſeu tingo, ſiue aſpergo, &c. ſic etiam ex eo quod idem Dominus ait Mat. 16. *Quodcunque ſolueris, erit ſolutum.* Et Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, colligit Eccleſia formam illam: *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, nec tamen cenſerentur non verè abſoluere, qui aliis verbis eandem ſententiam proferrent.

TERTIÒ obiicit, Sacramenta eſſe actiones Dei: proinde ſi opera humana, quales ſunt actus pœnitentis, ſint pars eſſentialis Sacramenti; humanis operibus diuinitatē quandam attribui, vt ſcilicet ſolium ipſorum iuxta aſtra Dei exaltetur, ſicut de Rege Babylonica Iſaias loquitur.

SED hoc iam ſolutum eſt ſuprà cap. 6. in tertio mendacio Kemnitij, vbi breuiter indicauimus, actiones pœnitentis non habere vim ſacramentalem iuſtificandi, niſi vt inſtrumenta ſunt Dei, quemadmodum etiam verbum Sacerdotis, etiamſi actio quædam ſit, ab hominis lingua & arteria, ſpiritúque producta, tamen vt inſtrumentum Dei eſt, rem diuinam, id eſt, gratiam iuſtificationis efficit.

QVARTÒ obiicit, ante centum annos, tempore Gabrielis,

brielis, nihil certi de materia Sacramenti pœnitentiæ in Eccleſia fuiſſe.

RESPONDEO, more ſuo dicit Kemnitius, ſed non probat: nam Gabriel in 4. diſt. 14. q. 2. art. 1. docet ex communi ſententia, actiones pœnitentis eſſe pro materia huius Sacramenti, & verba Sacerdotis pro forma, & citat Alexandrinum, Thomam, & Richardum. Neque mouere debet, quòd non dicit, actionem pœnitentis eſſe materiam, ſed pro materia, quia idem dicit de materia omnium Sacramentorum diſt. 3. q. 1. artic. 1. In nullo enim Sacramento inuenitur materia propriè dicta, ſi exactè loquamur de materia ad modum loquendi Philoſophorum: & tamen in omni Sacramento inuenitur res quædam, quæ inſtar materiæ dici poſſit. Et eodem modo loquitur Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum, cùm dicit, Sacramenta tribus perfici: rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intētione Miniſtri. Ex quo etiam Concilio intelligimus, falſiſſimum eſſe quod ſcribit Kemnitius, ante centum annos, & Gabrielis ætate, adhuc fuiſſe dubium & incertum, quæ eſſet materia Sacramenti. Nam Concilium Florentinum, in quo diſertis verbis explicantur materiæ & formæ omniū Sacramentorū, anno Domini M. CD. XXXIX. abſolutum eſt: proinde ante annos centum & quadraginta, & ante Gabrielis ætatem, iam erat in Eccleſia non ſolùm indubitata & certa doctrina de materia Sacramenti Pœnitentiæ, ſed etiam diligentiùs quam vnquam antea, explicata.

A

QVINTÒ obiicit verba Concilij Tridentini, quod non videtur auſum fuiſſe aperte ſcribere, actionem pœnitentis eſſe materiam Sacramenti huius, ſed ſcripſit eſſe materiam, vel quaſi. Ex quo pulchrè ſibi videtur Kemnitius colligere, pœnitentiæ Sacramentum eſſe Sacramentum, vel quaſi; & effectum eius eſſe remiſſionem peccatorum, vel quaſi.

RESPONDEO, omitto quòd Kemnitius non ſatis fideliter retulit verba Concilij, vt locum faceret argutiæ ſuæ: non enim Concilium poſuit, eſſe materiam, vel quaſi; ſed ſimpliciter, eſſe quaſi materiam, ſeſſ. 14. c. 3. Omitto etiam, quòd vox illa quaſi, non ſemper extenuat rem, de qua agitur: alioqui Ioan. 1. vbi dicitur Chriſtus quaſi vnigenitus à Patre; liceret argumentari cum Kemnitio, ac dicere: Chriſtum eſſe vnigenitum, vel quaſi. Sed his omiſſis, Concilium Tridentinum, vt etiam anteà Florentinum; actiones pœnitentis maluerunt dicere, quaſi materiam, quàm abſolutè, materiam: non quòd non ſint verè, & propriè talis materia, qualem Sacramenta requirunt: ſed quòd non ſint res aliqua ſolida, permanens, ac tractabilis, qualis in multis aliis Sacramentis cernitur.

B

QVOD vt planiùs explicetur, Animaduertendum eſt, duobus modis Sacramentorum materiam poſſe conſiderari. Vno modo, vt eſt pars quædam Sacramēti. Alio modo, vt cum materia rerum naturalium, vnde nomē accepit, ſimilitudinem habet. Et quidem, priore modo nihil aliud requiritur ad Sacramenti materiam, niſi vt ſit externum ac ſenſibile ſignum, quod per verbum perficiatur, & quaſi formetur; & hoc modo verè ac propriè actio pœnitentis eſt materia Sacramenti. Poſteriore autem modo, nullius quidem Sacramēti, vt rectè Gabriel affirmat, materia eſt propriè, ac ſimpliciter, ſed metaphoricè tantùm materia: ſed maximè tamen omnium, materia Sacramenti pœnitentiæ diſtat à perfectione Phyſicæ materiæ, cùm, vt diximus, non ſit aliquid ſolidum, & tractabile, ſed actio quædam tranſiens. Quare quemadmodum aqua Baptiſmi, ſi cum materia phyſica comparetur, quaſi materia dici poteſt: ſic etiam actio pœnitentis, ſi cum aqua Baptiſmi conferatur, quaſi materia rectè dicitur, licet in ordine ad Sacramentum, vtraque verè & propriè, ſimpliciter & abſolutè materia ſit.

C

ATQVE hæc quidem præcipua ſunt Kemnitij argumenta: nam ad reliquas eius calumnias ſuprà reſpondimus, cùm Hæreticorum mendacia refutaremus. Nunc addemus illa argumenta, quibus vtuntur, qui Scotum ſequuti, in ſola Abſolutione totam Sacramenti pœnitentiæ rationem ponunt: actionem verò pœnitentis, nō partem Sacramenti, ſed diſpoſitionem quandam ad Sacramentum ſuſcipiendum vocant.

D

Obiiciunt igitur primò, Sacramentum eſſe debere ſignum eius rei, quæ per Sacramentum efficitur: effectum autem Sacramenti huius, id eſt, remiſſionem peccatorū, per Abſolutionem pulchè ſignificari, non autem per Confeſſionem, aut Contritionem, vel Satisfactionem.

RESPONDEO, remiſſionem peccatorum, vt ſuprà diximus, non ſolùm Abſolutione, ſed etiam Confeſſione ſignificari. Nam vt Sacerdos abſoluens ſignificat ſe peccatum expellere, ita pœnitens confitens, ſignificat ſe à peccato recedere.

SECVNDÒ obiiciunt, id Sacramentum eſſe quod à Miniſtro confertur: in Sacramento autem pœnitentiæ ſolam Abſolutionem à Miniſtro conferri non autem Confeſſionem, vel Contritionem. Et præterea eſſe inauditum in Eccleſia, vt qui pœnitentiam agit, Miniſter Sacramenti pœnitentiæ eſſe dicatur: proinde non eſſe actionem pœnitentis Sacramentum, aut partem Sacramenti.

RESPONDEO, Miniſtrum Sacramenti propriè dici, qui vel totum, vel potiſsimam Sacramenti partem cōficit: ſi quis autem à Miniſtro illo iuſſus aliquid faciat, eū non propriè Miniſtrum, ſed Miniſtri cooperatorem nominari. Atque hoc modo Sacerdos, qui formam Abſolutionis pronunciat, & à quo pœnitens interrogatur, examinatur, & iniūctam ſatisfactionem accipit; propriè Miniſter Sacramenti dicitur: pœnitens autem, licet aliquid faciat ad ſacramentum illud pertinens, non tamen Miniſter, ſed Miniſtri cooperator dici debet, quia ipſius actio non eſt pars ſacramenti, niſi quatenus poteſtati Sacerdotali ſubiicitur, & à Sacerdote dirigitur, vel iubetur. Simile eſt in curatione morbi corporalis, ſi fortè medicus iubeat ægrotum poſt ſumptum pharmacum inambulare, tametſi enim ægrotus id facit, quod ad partē medicamenti pertinet, tamen non propterea ipſe ſui medicus dicitur, ſed is tantùm, qui pharmacum præbuit, & inambulationem iuſſit.

Obiiciunt tertiò, ſolam Abſolutionem eſſe cauſſam gratiæ, cùm tota vis ſacramentalis in Clauibus reſideat, Claues autem ſacerdotis ſint, non pœnitentis: proinde actionem pœnitentis partem ſacramenti eſſe non poſſe, non enim ſacramenti eſt, quæ ad ſacramenti effectum non concurrit.

RESPONDEO, primùm negari poſſe conſequentiam huius argumenti. Nam quemadmodum homo corpore & ſpiritu conſtat, & tamen ſolo ſpiritu intelligit: ſic etiam facilè fieri poſſet: vt ſacramentum aliquod duabus partibus conſtans, per alteram tantùm operaretur. Et hanc ſolutionem ſequuntur; qui vim ſacramentalem in ſola Abſolutione conſtituunt, quæ ſententia fuit olim S. Thomæ, & S. Bonauenturæ, & aliorum quorundam veterum in 4. Sent. diſt. 18. & 22. & ex recentioribus Andreæ Vegæ in Concilium Tridentinum lib. 13. cap. 15. & Franciſci Ferrarienſis in commentario c. 72. lib. 4. contra Gentes.

DEINDE poteſt etiam reſponderi, Abſolutionem quidem eſſe potiſsimam cauſſam iuſtificationis, ſed non ſolam: proinde negari poſſet, vim ſacramentalem in ſolis Clauibus reſidere; ſed partim, & quidem præcipuè in Clauibus, quarum vi ſacerdos abſoluit, partim in actione pœnitentis, quatenus ea Deus vtitur vt inſtrumento, ad ſignificandam & efficiendam iuſtificationem. Et hæc eſſe videtur ſententia S. Thomæ 3. par. q. 86. art. 6. vbi reuocauit quod ſcripſerat in 4. Sentent. diſt. 18. quæſt. 1. artic. 3. & diſt. 22. quæſt. 2. art. 1. Nos in 2. lib. de ſacramentis in genere, cap. 11. priorem ſententiam ſequuti ſumus; ſed poſteriorem non minùs probabilem exiſtimamus, licet ea

paulò difficiliùs defendi posse videatur.

CAPVT XVII.

De partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ; Quæstio inter Catholicos.

SEQVITVR altera partitio pœnitentiæ, qua pars eius materialis rursùm in partes tres, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem distribuitur. De qua partitione duæ sunt quæstiones: vna inter Catholicos, altera cum Hæreticis.

QVÆSTIO prior non est, An Contritio, Confessio, & Satisfactio sint necessariæ, & omninò adhibendæ: sed, an sint omnes veræ partes sacramenti. Fuit enim opinio Durandi in 4. dist. 16. q. 1. solam Confessionem partem esse materialem sacramenti pœnitentiæ: Contritionem autem esse dispositionem, & Satisfactionem fructum pœnitentiæ.

ARGVMENTA eius præcipua sunt. Primum, quia quælibet veri sacramenti pars debet esse sensibilis; Contritio autem non est sensibilis. Secundum, quia sacramẽtum pœnitentiæ non necessariò exigit Satisfactionem in re, sed in voto duntaxat: verum enim sacramentum erit, si confiteri peccata sua, detur Absolutio, etiamsi is nunquam posteà satisfaciat.

AT sententia Theologorum communis, in eadem dist. 16. & S. Thomæ 3. p. q. 90. art. 2. & 3, non solam Confessionem, sed etiam Contritionem, & Satisfactionem, veras Sacramenti pœnitẽtiæ partes materiales esse docet. Quæ sententia certissima est, neque iam amplius in dubium reuocari potest, cùm in Conciliis Oecumenicis, Florentino & Tridentino, disertis verbis legamus, actus pœnitẽtis, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, esse quasi materiam sacramenti pœnitentiæ.

NEQVE iis repugnat, quòd in Scripturis sanctis satisfactionis opera dicuntur fructus pœnitentiæ: nam aliud est loqui de virtute, aliud de sacramento pœnitentiæ. Virtus pœnitentiæ non componitur ex partibus, cùm sit habitus quidam simplex; proinde non sunt partes, sed actus eius, Contritio, Confessio, & Satisfactio. Contritio quidem est actus eius internus, Confessio & Satisfactio, actus externi: & hoc modo Scripturæ loquuntur, cùm opera externa fructus pœnitentiæ vocant. Sacramentum verò pœnitentiæ duabus partibus cõstat, vt diximus, materiali atque formali. Et ad materialem quidem pertinẽt tres illi pœnitentiæ virtutis actus, qui sunt etiam ipsius pœnitentis actiones: ad formalem autem Absolutio Sacerdotis. Quia verò Contritio actio est interna; vt pars sacramenti, quod est corporale ac sensibile, dici posit, signo aliquo externo prodi debet.

ET per hoc soluitur primum Durandi argumentũ: non enim Contritionem, vt in corde sedem habet, sed vt per signa manifestatur, sacramenti partem esse contendimus.

DICET fortasis aliquis, sæpe accidere, vt Contritio non alio signo, quàm ipsa peccatorum Confessione prodatur: proinde tunc non distingui Contritionem, quatenus est pars sacramenti sensibilis, à Confessione; ac per hoc duas tantùm sacramenti partes esse, Confessionem, & Satisfactionem, non autem tres. Respondeo, fieri quidem posse, vt iisdem verbis Contritio detegatur, & Confessio explicetur, veruntamen in illis verbis duo signa sensibilia contineri, & planè aliud esse, Cõtritionem verbo expressam, aliud, Confessionem verbo explicatam. Nam si quis fateatur se furtum, adulterium, homicidiũ, & alia id genus multa commisisse, sed iactando, & gloriando, vel simpliciter colloquendo illa narret; ille quidẽ confitebitur peccata, sed Contritionem nõ prodet. Quare aliud est, peccata confiteri, vt alter intelligat quot, & qualia illa sint, aliud, cum dolore, ac detestatione confiteri, vt non solùm peccatorum numerus, sed etiam peccatoris Contritio illa confessione aperiatur.

AD alterum argumentum Durandi, facile est respondere. Nam sine Satisfactione, sacramentum pœnitentiæ esse potest, sed mancum ac mutilum; neque enim tres illæ partes, essentiales, sed integrales dicuntur: sine aliqua autem parte integrali res quidem esse potest, sed integra esse nõ potest. Illud admittimus, ex integralibus partibus quasdam esse principales, sine quibus essentia rei nullo modo consisteret, quales sunt in homine caput, & cor; & tales in sacramento pœnitentiæ sunt Contritio, & Confessio: nam nisi signa doloris aliqua conspiciantur, & nisi manifestatio aliqua peccatorum præcedat, Absolutio à Sacerdote impendi non potest. Aliæ sunt partes integrales secundariæ, sine quibus rei essentia consistere, licet imperfecta & mutila, potest: quales sunt in homine manus, & pedes; & eiusmodi in sacramento pœnitentiæ videtur esse Satisfactio.

SED obiiciunt aliqui; Aut Satisfactio pars est sacramenti, vt est in voto & proposito pœnitẽtis, aut vt re ipsa exercetur. Si priore modo, non est res sensibilis; si posteriore, non est præsens cùm perficitur sacramentum. Siquidem accedente verbo Absolutionis ad Confessionis elementum, perficitur sacramẽtum: Satisfactio verò post Absolutionem datam atque acceptam peragitur.

RESPONDEO, vtroque modo Satisfactio pars est sacramenti; incipit enim quodammodo, dũ iniungitur & acceptatur: & posteà tempore suo completur. Et quamuis, vt est in voto & proposito, non videatur esse sensibilis, tamen signis externis sensibilis redditur, cum verbo Sacerdotis indicitur, & verbo aut nutu pœnitẽtis admittitur. Neque absurdum est, si post Absolutionem datam atque acceptam, Satisfactio compleatur: nam accedente verbo Absolutionis ad elementum Confessionis, sacramentum perficitur quidem, quod attinet ad essentiam, sed non omninò integrè, & perfectè, si partes integrales considerentur. Quemadmodũ etiã dum in vtero matris corpus humanum formatur, & corde, aliisque nonnullis partibus perfectis, coniungitur anima corpori, homo inde existit, etiam si fortè oculi, digiti, & aliæ quædam partes nondum perfectæ, atque distinctæ conspiciantur.

CAPVT XVIII.

De partibus Pœnitentiæ, sententiæ variæ Hæreticorum.

ALTERA quæstio iam cum Hæreticis tractanda est, quot sint partes pœnitentiæ, siue quot sint actiones in homine pœnitente necessariæ, vt Absolutionem percipere, & cum Deo in gratiam redire possit. Neque enim cum Hæreticis disputare necesse erit, an istæ omnes actiones sint materiales sacramẽti partes, cùm illi (vt vidimus cap. 15.) nullam partem materialem agnoscant, nisi fortè Baptismum, aut ritum quo Sacerdos verbum Absolutionis pronunciat.

IGITVR Catholici summo consensu tres assignant pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem: neque de hac re vlla inter Catholicos controuersia est. Nam ipse etiam Scotus, qui pœnitentiæ sacramentum in sola Absolutione, & Durãdus, qui in Absolutione & Confessione constituit, disertis verbis docent, ad percipiendam in hoc sacramento peccatorum remissionem, tria illa ex parte pœnitentis requiri.

PORRÒ aduersarij à communi, frequentato, tutissimóque hoc doctrinæ Ecclesiasticæ tramite aberrantes, in varias errorum vias abierunt. Tres præcipuè sunt apud eos sententiæ.

PRIMA eorum, qui docent duas esse pœnitentiæ partes, Contritionem, & Fidem. Ac per Contritionem quidem intelligunt terrores conscientiæ ex minis legis incussos: per Fidem autem, fiduciam quandam certam remissionis peccatorum ex Euangelij, vt ipsi dicunt, pollicitatione conceptam.

HVIVS sententiæ primus auctor Lutherus fuit. Is etiamsi anno M.D. XX. in lib. contra execrabilem bullã Antichristi, in defensione artic. 5. & rursus anno M. D. XXI. in assertione articulorum suorum, eundem illum quintum articulum propugnans, scripserit, se non negare tres esse partes Pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem; sed tantùm de Satisfactione docere, eam quæ arbitrio Ecclesiæ imponitur, non esse iuris diuini, aut si iuris diuini est, non posse per Claues Ecclesiæ tolli: tamen posteà cùm non parum in schola Satanæ profecisset, anno M.D.XLV. in refutatione articulorum Louaniensium propositione 37. his verbis priorem illam sententiam à se quoque admissam damnauit: *Pœnitentia à Louaniensium Synagoga tradita (scilicet quod sit Contritio, Confessio, & Satisfactio) est nulla nisi Iudæ proditoris, & similium; ideò vt hæretica, est dãnãda.* Et in articulis Smalchaldicis anno M.D.XXXVII. editis, in cap. de pœnitentia, duas partes pœnitentiæ esse docet, Legem & Euangelium, siue, quod est idem, vt ipse ibidem explicat, Contritionem ex minis legis, & Fidem ex Euangelij promissis conceptam: porrò opera bona hoc loco, non partem, sed fructum pœnitentiæ esse voluit. Eadem sententia fuit Philippi Melanchthonis, cùm in locis editis anno M.D. XXI. tùm in Confessione Augustana, edita anno M. D. XXX. Sed in locis cap. de pœnitentia, duas pœnitentiæ partes vocat Mortificationem & Viuificationem: in Cõfessione autem, art. 12. vocat Contritionem, & Fidem; res tamen eadem per Mortificationem & Contritionem, per Viuificationem & Fidem significatur. Idem quoque permulti alij Lutheranorum docent, vt Centuriatores Magdeburgenses, Cent. 1. lib. 1. c. 4. col. 148. & lib. 2. c. 4. col. 341. Ioannes Vvigandus, in corpore doctrinæ Magdeburgensis, cap. 18. Tilmannus Heshusius in lib. de erroribus Pontificiorum, loco. 9. Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis ad cap. 3. de pœnitentia, pag. 942. & 943.

ALTERA eorum sententia est, qui ad illas duas pœnitentiæ partes adiungunt tertiam, videlicet opus bonum, siue nouam obedientiam.

HVIVS sententiæ videtur etiam auctor Lutherus fuisse. Nam in prima disputatione contra Antinomos, edita anno M.D.XXXVIII. propositione prima, dicit partes pœnitentiæ esse dolorem de peccato, & propositum melioris vitæ. In tertia autem disputatione contra eosdem, propositione 9. ad bonum propositum non solùm pertinere vult fidem, seu fiduciam erga Deum, sed etiam omnia opera bona: *Omnia*, inquit, *opera post iustificationem, sunt aliud nihil, quàm bonum propositum contra peccatum.* Idem docet Philippus Melanchthon, qui vt fidus Achates Lutheri, cum ipso in formas varias facilè mutabatur. Is igitur in Apologia Confessionis Augustanæ, articulo de pœnitentia, & in locis editis anno M. D. XXXVI. & sequentibus, tit. de pœnitentia, duas quidem partes pœnitentiæ assignat, Contritionem & Fidem: addit tamen, se non repugnaturum, si quis tertiam partem adiungat, nouam obedientiam. Sed in disputatione de pœnitentia, quam anno M.D.XLVIII. habuit, & cum Lutheri operibus circumfertur, disertis verbis dicit, reipsa nouam obedientiam, tertiam partem esse conuersionis, seu pœnitentiæ: quod idem repetit in Examine ordinandorum, cap. de pœnitentia. Idem docent illi omnes, qui Lutherani molles appellantur, & contra rigidos Lutheranos, siue Illyricianos, de hac re magna contentione digladiantur, vt auctores Confessionis Saxonicæ, cap. de pœnitentia, Nicolaus Selneccerus in sua Pædagogia ad finem 2. partis, vbi explicat articulum Symboli: *Remissionem peccatorum*; Dauid Chytræus in sua Catechesi, loco 8. & alij non pauci.

TERTIA sententia Caluini est, lib. 3. Instit. c. 3. §. 8. vbi duas pœnitentiæ partes constituit, Mortificationem & Viuificationem; sed longè alio sensu, quàm Lutherani faciunt. Nam per Mortificationem non intelligit terrores incussos, vt Lutherani, sed mortificationem vitiorum, siue abnegationem sui, & spoliationem totius veteris hominis; proinde non paruo aliquo tempore, sed tota vita pœnitentiam agendam esse dicit. Per viuificationem, non intelligit fidem, vel fiduciam, aut consolationem ex Euangelio conceptam, vt Lutherani, sed pium benè viuendi studium, atque affectum ad opera bona; quæ opera non partem, sed fructus pœnitentiæ esse docet.

Refellit ibidem Caluinus apertè sententiam Lutheranorum. Nam §. 1. contendit fidem priorem esse pœnitentia, quod est contra Lutheranos, qui fidem posteriorem partem pœnitentiæ faciunt. §. 2. docet, incussos illos terrores, quos Lutherani priorem partem pœnitentię esse volunt, non esse partem pœnitentiæ, sed esse timorem quendam initialem, qui fidem præcedit, ex quo posteà pœnitentia vt fructus, emanat, §. 3. agnoscit, alios ante se pœnitentiam esse partitos in Mortificationem & Viuificationem (id enim sine dubio legerat apud Melanchthonem in locis cõmunibus editis anno M.D.XXI.) sed addit, vocibus istis, si recta subsit interpretatio, vim pœnitentiæ satis commodè exprimi: sed non sibi placere eorum interpretationem. §. 5. refellit illos (Lutheranos videlicet omnes) qui fidem sub pœnitentia complectuntur, ac dicit eos Paulo repugnare.

IN Caluini sententiam Theodorus Beza discipulus eius descendit, eamque tuetur & explicat, in libro quem inscripsit, Absterfio calumniarum Tilemanni Heshusij, in responsione ad 4. Calumniam.

CAPVT XIX.

Refelluntur sententiæ Hæreticorum, & Catholica confirmatur.

NVNC breuiter, & per partes nouorum Hæreticorum dogmata refellemus, ac veterem & communem Ecclesiæ Catholicæ, quæ sola vera est, sententiam comprobabimus.

SIT igitur propositio prima: *Terror animo incussus à lege, quem Lutherani Cõtritionem, siue Mortificationem appellant, non rectè inter partes pœnitentiæ numeratur.* Hæc propositio conformis est Tridentino Concilio sess. 6. c. 6. vbi numerãtur quidem terrores incussi inter ea, quæ hominem ad iustificationẽ iuuant, & præparant; tamen non ponuntur pœnitentiæ partes, sed ab ea potiùs distinguuntur, cùm inter eos, & pœnitentiam, actus quidem spei & dilectionis intercedere dicantur. Aliud enim est, aliquid ad conuersionem & iustificationem requiri, aliud, partem siue actum esse pœnitentiæ, si de pœnitentia, vt Theologos decet, propriè loquamur. Igitur vt illos terrores ad conuersionem vt plurimùm requiri non negamus, ita partem esse pœnitentiæ minimè concedimus.

NAM inprimis Scriptura distinguit terrorem à pœnitentia. Vbi enim legimus in epistola posteriore ad Cor. c. 7. *Quæ secundum Deum est tristitia, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Per tristitiam intelligi debet molestia quædam, & timor, ac pudor, natus ex obiurgatione illa vehementi, & minis quibus Apostolus apud Corinthios vsus fuerat. Non enim vocat Apostolus eo loco tristitiam, dolorem de peccatis admissis, quæ est ipsa Contritio, siue pœnitentia, sed molestiam illam, & verecundiam, quæ æquo animo accepta, & secundum Deum, pœnitentiam salubertimam gignit. Nam in eadem epistola, cap. 2. Apostolus ait: *Ex multa tribulatione, & angustia cordis, scripsi vobis, non vt contristemini, sed vt sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vos.* Et cap. 7. *Gaudeo*, inquit, *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam.* At certè Apostolus non hæc diceret, si per tristitiam, dolorem illum acciperet, quo quis angitur, quòd Deum offenderit. Non diceret, inquam, *Scripsi vobis, non vt doleatis de peccato*, cùm hoc ipsum

vehementissimè cuperet; neque diceret: *Non gaudeo quia contristati estis*, cùm maximè gaudendum sit, quòd peccatores peccasse se doleant, & gaudium sit in cœlo super vno peccatore Pœnitentiam agente. Itaque, vt Chrysostomus, & alij exponunt, sententia Pauli est: Non gaudeo de fructu, qui est Pœnitẽtia. Et quemadmodum medicus nõ gaudet, quòd amaro pharmaco, vel sectione, aut adustione ægrotum cruciet; sed gaudet de sanitate, quæ ex pharmaco illo, vel sectione, aut adustione consequitur: sic etiam Paulus non gaudet, quòd aspera obiurgatione & minis, terrorem & molestiam Corinthiis attulerit; sed quòd ea molestia ac terrores, Pœnitentiam, eámque stabilem & omninò salutarem pepererint. Vides igitur ex doctrina Apostoli Pœnitentiam non esse terrorem ex minis incussum, sed effectum, seu fructum quendam eius terroris, vt Concilium Tridentinum rectè docet.

DEINDE, si quis inspiciat definitiones omnes Pœnitentiæ quæ apud Theologos tùm veteres, tùm recentiores exstant, & simul inueniuntur apud Magistrum in 4. lib. Sententiarum, dist. 14. & apud Gratianum de pœnitentia, dist. 3. in nulla earum terrores istos inueniet, quos Lutherani partem Pœnitentiæ faciunt.

PRÆTEREA, cùm partes Pœnitentiæ quærimus, nõ quosuis motus, qui quocunque modo ad Pœnitentiam pertinent, quærimus, sed eos motus siue actus duntaxat, qui ex ipsa virtute Pœnitentiæ prodeunt. Porrò terreri, cùm intentantur minæ, non est vllius virtutis actus, sed naturalis affectio, quam etiam in pueris, & in ipsis bestiis cernimus.

ADHÆC, sæpe terrores in iis inueniuntur, qui Pœnitentiam nullam agunt, ac ne inchoant quidem, vt in dæmonibus, qui credunt, & contremiscunt. Iacobi 2. sæpe etiam nonnulli veram Pœnitentiam agunt: nullo pœnæ terrore, sed solo Dei & iustitiæ amore impulsi, qualẽ credibile est fuisse B. illam fœminam, de qua Dominus ait, Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quòd si terrores sine Pœnitentia, & Pœnitentia sine terroribus, aliquando esse potest, certè non debent terrores illi inter partes Pœnitentiæ numerari.

DENIQVE fides, vt mox probabimus, non est pars Pœnitentiæ, sed eam præcedit. Atqui terrores incussi à lege, ex sententia. Aduersariorum, ipsa etiam fide priores sunt: non igitur terrores incussi à lege, partes Pœnitentiæ rectè dici possunt. Vide plura in secundo libro, cap. 1.

SECVNDA propositio: *Fides non est pars Pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam necessariò requiratur.* Hæc etiam propositio conformis est Trid. Concilio, sess. 6. c. 6. vbi fides primo loco ponitur inter ea, quæ ad iustificationem disponunt; & à Pœnitentia, quæ inter eas dispositiones quintum locum obtinet, apertè distinguitur.

PROBATVR autem primò ex illis ipsis locis, vnde Aduersarij sententiam suam probãt: proferunt enim Melanchthon, Illyricus, Heshusius, Kemnitius, & alij passim, duo loca, vt probent duas esse Pœnitentiæ partes, Terrores, & Fidem. Prior locus est Marc. 1. *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio.* Alter Actor. 20. *Testificans Iudæis, atque Gentilibus in Deum Pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.* At hæc loca maximè faciunt contra eos: siquidem distinguitur in vtroque loco fides à Pœnitentia. Non enim Dominus apud Marcum ait; Pœnitentiam agite credentes Euangelio; sed: *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio:* duo sunt igitur, ac diuersa, Pœnitentiam agere, & credere Euangelio. Sic etiam beatus Paulus non ait: Testificans in Deum Pœnitentiam, quę ex fide, & terroribus constat; sed: *Testificans in Deum Pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.*

DEINDE fides Pœnitẽtiam præcedit, eámque gignit, vt exemplum Niniuitarum, & ratio manifesta docet: *Crediderunt*, inquit Scriptura Ioã. 3. *Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & induti sunt saccis.* Et sanè intelligi

A non potest, quòd seriò aliquis Pœnitentiam agere incipiat, nisi priùs credat vera esse, quæ Deus tùm peccatoribus comminatur, tùm pœnitentibus pollicetur. Quòd si fides Pœnitentiam præcedit, certè caussa eius esse potest, pars autem nullo modo.

ADHAEC partes Pœnitentiæ, vt suprà diximus, illæ actiones censendæ sunt, quæ à virtute Pœnitentiæ manant. Atqui credere, non Pœnitentiæ, quæ virtus est moralis, sed fidei virtutis Theologicæ actio est.

DENIQVE veteres Patres cùm Pœnitentiam definiunt, nusquam fidei meminerunt: quod certè non facerent, si ea potissima Pœnitentiæ pars esset, vt Lutherani volunt. Gregorius hom. 34. Pœnitentiam definit: *Præterita peccata plangere, & plangenda non admittere.* Ambrosius in præfatione enarrationis in Psalm. 37. *Plena*, inquit, *est definitio Pœnitentiæ, commemoratio delictorum, vt vnusquisque peccata sua, velut quodam quotidiani sermonis castiget flagello, & commissa sibi flagitia condemnet.* Quibus B verbis docet, pœnitentiam in eo consistere, vt quis peccata sua confiteatur, & confitẽdo castiget, ac damnet: quod sine detestatione, quam nos Contritionem vocamus, & sine Satisfactione, vel eius proposito, fieri non potest. Quomodo enim seriò peccata confiteatur, qui ea non detestatur? & quomodo ea castiget, & damnet, qui Satisfactione emendare non cupiat?

AT certè credere sibi remitti, vel remissa esse peccata; ad eam Confessionem minimè requiritur. Cur enim non possit aliquis cum dolore animi peccata sua fateri, & ea laboriosis operibus castigare, & proinde ex Ambrosij sententia plenam agere pœnitentiam, etiamsi nõdum certò credat ea sibi esse remissa, aut etiam tunc remitti? Certè Niniuitæ crediderũt in Deum, teste Scriptura Ionæ 3. & tamen de remissione dubitabant, cùm dicerent: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus?* eos autem pœnitentiam egisse gratam Deo, eadem Scriptura testatur. Itaque fides ista specialis, non modò non est pœnitentiæ C pars, sed neque ad eam vllo modo requiritur.

QVOD verò nos in secunda propositione diximus, sine fide pœnitentiam haberi nõ posse: de fide vera, & Catholica intelleximus, non de isto Lutheranorum figmento, quod tamen ipsis fides iustificans, & pars præcipua pœnitentiæ est.

TERTIA propositio: *Non sunt omnia bona opera, quæ post iustificationem fiunt, inter partes pœnitentiæ numeranda.* Hoc est aduersus molles Lutheranos, qui omnia opera bona intra pœnitentiam includunt. Non volumus autem negare, quin propositum benè viuendi ad pœnitentiam pertineat, neque etiam quin opera quædam bona, quæ ad eum finem tendunt, vt vel pœnitentia interior ostẽdatur, vel pro peccatis satisfiat, in partibus pœnitentię numerẽtur: sed id solùm asserimus, non omne bonum opus post reconciliationem cum Deo factum, partem esse pœnitẽtiæ. Id quod vix vllam probationem exigit: multa sunt enim opera bona, quæ à iustificatis fiunt, sine vlla relatione ad peccata præterita; ex charitate in Deum, ex misericordia in proximos, ex iustitia in eos quibus aliquid debent, ex temperantia, fortitudine, cæterisque virtutibus, qualia opera facerent, etiamsi nunquam peccassent, aut pœnitentia eguissent. D

QVARTA propositio: *Non rectè ponuntur pœnitentiæ partes, Mortificatio & Viuificatio, ad eũ sensum, quo à Caluino & Beza accipiuntur.* Ratio propositionis huius certissima est. Nã Caluinus & Beza, vel confundunt omninò pœnitentiam cum iustificatione, vel posteriorem iustificatione esse volunt: dicunt enim, pœnitentiam esse fructũ fidei iustificantis, & per Mortificationem & Viuificationem, intelligunt refrenationem variosarum affectionum, & pium studium benè operandi, quæ in reconciliatione inchoantur, ac deinde tota vita perficiuntur.

AT scripturæ diuinæ passim docent, pœnitentiam

viam esse ad iustificationem, & proinde priorem ipsa iustificatione. Hierem. 18. *Si Pœnitentiam egerit gens illa à malo, agam & ego Pœnitentiam.* Ezechielis 18. & 33. sæpe repetit Dominus: *Si Pœnitentiam egerit impius, iniquitatũ eius non recordabor.* Luc. 3. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 24. *Oportebat prædicari Pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrũm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Actor. 3. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Actor. 5. *Hunc Principem, & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam Pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum.* Actor. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Actor. 11. *Ergo & Gentibus Pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

QVOD si Pœnitentia via est ad remissionem peccatorum, & prior iustificatione, secundum Scripturas; multò maiori ratione Mortificationem illam & Viuificationem præceder, quæ opinione Aduersariorum, fructus est fidei iustificantis, & iustificationem ipsam consequitur. Quare tàm Lutherani, quàm Caluinistæ, extrema sectantur: & sicut Lutherani errant, quia Pœnitentiam in his motibus constituunt, qui veram Pœnitentiam antecedunt; ita quoque errant Caluinistæ, quia Pœnitentiam in his actionibus ponunt, quæ veram Pœnitentiam consequuntur.

ADDE, quòd Pœnitentia in Scripturis non dicitur, nisi, à peccatis, siue, ab operibus mortuis; iuxta illud Heb. 6. *Non rursus iacientes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, ad perfectionem feramur.* Nec Pœnitentia est omnium hominum, secundum Scripturas, sed peccatorũ tantùm: iustis enim Deus non posuit Pœnitentiam, vt legimus in oratione Manasse; & Dominus Lucæ 15. dicit, iustos non egere Pœnitentia. Non igitur rectè Caluinus Pœnitentiam vocat mortificationem illam afflictionum, & renouationem spiritalem, quæ est omnium hominum, etiam iustorum: ista enim ad profectum, non ad Pœnitentiam pertinent.

QVINTA propositio: *Tres sunt partes Pœnitentiæ; Contritio, Confessio, & Satisfactio.* Hæc propositio, in qua conueniunt omnes Catholici, breuiter explicãda ac probanda est. Primò, igitur Obseruandum erit, hoc loco nomine Pœnitentiæ non significari habitum, seu virtutem Pœnitentiæ, quæ, vt suprà diximus, partes non habet, cùm simplex qualitas sit; neque etiam actualem Pœnitentiam absolutè, cùm Confessio & Satisfactio Contritionis signa & effectus sint, & proinde ad eam non vt partes ad partem, sed vt effectus ad caussam referantur: sed designari actualem Pœnitentiam, quatenus ex ea parte pœnitentis ad remissionem peccatorum in Sacramento reconciliationis necessaria est. Quia enim tres isti actus, qui ex virtute Pœnitentiæ (licet nõ æquè immediatè, & principaliter) oriuntur, ex parte pœnitentis necessarij sunt, ideò tres partes Pœnitentiæ numerantur. D

SECVNDÒ est obseruandum, tres istas pœnitentiæ partes, non solùm requiri in ordine ad Sacramentum, sed etiam extra Sacramentum suo quodam modo esse, ac fuisse necessarias in omni lege. Dixi autẽ, Suo modo, propter duas causssas. Primùm, quia extra Sacramentum non requiritur confessio omnium peccatorum, quæ Sacerdoti fiat, neque satisfactio à Sacerdote iniuncta: sed satis est confessio quædam generalis facta Deo, & Satisfactio per opera laboriosa sponte assumpta. Deinde, quia extra Sacramentum, si quis aut angustiis temporis, aut alia de caussa legitimè impediatur, quo minùs confiteri aut satisfacere queat, sola contritio interior ad salutem illi sufficiet.

TERTIÒ obseruandum est, non esse huius loci, de singulis his tribus partibus accuratè disserere, id enim ad

A librum sequentem propriè pertinet: nunc verò muneri nostro satisfeciſſe videbimur, si ex diuinis literis, testimoniis veterum, & congruentia rationis ostendere potuerimus, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem saltem in genere, actus quosdam esse virtutis Pœnitentiæ, ac per hoc partes ac veluti membra Pœnitentiæ actualis.

PRIMVM igitur Contritionem ad Pœnitentiam pertinere, Scripturæ passim docent. Deut. 4. *Cùm quæsieris Dominum, inuenies, si tamen quæsieris in toto corde, & tota tribulatione animæ tuæ.* Ioël. 2. *Scindite corda vestra.* Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Confessionem quoque Pœnitentiæ partem esse; perspicuum est ex infinitis locis. Num. 5. *Vir siue mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, confitebuntur peccatum suum, &c.* Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* Matth. 3. *Baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.* Act 19. *Multi credẽtes veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.* 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Denique Satisfactionem per opera laboriosa, frequentissimè Scriptura commemorat. 2. Esdræ cap. 9. *Conuenerunt filij Israël in ieiunio, & in saccis, & humus super eos, & confitebantur peccata sua.* Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Ioël. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Matth. 11. *Olim in cinere, & cilicio Pœnitentiam egissent.*

PRAETEREA idem Scripturarum exemplis demõstrari potest. Illustre est exemplum Dauidis 2. Reg. 24. vbi cùm Dauid iussisset populum numerari, & in ea re ex quadam animi elatione peccãsset, inquit Scriptura, describens Pœnitentiam eius: *Percussit autem cor Dauid eũ*, ecce Contritionem, *& dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto*, ecce Confessionem, *sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.* Et paulò infrà: *Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi; isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me.* Et paulò pòst obtulit sacrificiũ, & sic Dominus placatus est: in quo apparet Satisfactio, per orationem, & subiectionem ad flagella Domini, & tandem per sacrificij oblationem. C

ALIVD exemplum est Niniuitarum, quorum Pœnitentiam Dominus in Euangelio laudauit Mat. 12. ita verò ea describitur Ionæ 3. *Conuertatur vir à via sua mala*, ecce Contritionem, *& clament ad Dominum in fortitudine*, ecce Confessionem, *& homines & iumenta non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta*, ecce Satisfactionem.

TERTIVM exemplum habemus in Euangelio Lucę 18. vbi describitur Publicanus pœnitens, qui in signum Contritionis non audebat oculos ad cœlum leuare: & peccatum confitebatur, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*, ac denique pectus suum percutiebat, quod pertinet ad Satisfactionem. Huic simile est exemplum filij prodigi Lucæ 15. qui primùm ad se reuertitur, ac statum detestatur suum. Deinde confitetur, dicens: *Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Postremò subijcit se pœnæ à patre inferendæ: *Iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.*

EADEM veritas ex Patrũ testimoniis copiosè probari posset, sed quia testimonia illa suis locis infrà adferenda erunt, vbi de his tribus partibus seorsim disseretur: nunc solùm illa breuiter annotabo, in quibus omnium trium partium simul mentio fit.

TERTVLLIANVS in lib. de Pœnitentia, posteaquã de Contritione dixerat, oportere pœnitentem animum mœroribus deiicere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies ac noctes: & ibidem de Satisfactione; sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, ieiuniis

Preces alere, &c. subiungit de Confessione: *Hæc omnia Exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur.* Et paulò pòst: *Cùm igitur pronoluit hominem, magis reuelat: cùm squalidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit.* S. Cyprianus in serm. de lapsis: *Denique*, inquit, *quanto & fide maiore, & timore meliore sunt, qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore constricti, quia tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentur, Exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet, & modicis vulneribus exquirunt.* Hæc ille: vbi vides primùm fidem & timorem, non inter partes, sed inter causas Pœnitentiæ numerari: Deinde tres pœnitentiæ partes distinctè, & perspicuè ostendi, Contritionem in verbo illo: *Dolenter*, Confessionem in illo: *Confitentur*; Satisfactionem in illis, *Salutarem medelam vulneribus exquirunt.* S. Ioannes Chrysostomus in serm. de pœnitentia, qui habetur in 5. tomo post homilias decem de Pœnitentia: *In corde*, inquit, *eius, contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas: hæc est perfecta, & fructifera pœnitentia.* S. Augustinus tract. in Psal. 146 illa verba exponens: *Qui sanat contritos corde. Sanat*, inquit, *contritos corde, sanat confitentes, sanat seisos punientes:* vbi perspicuè audis tres partes veræ pœnitentiæ.

ACCEDIT postremò etiam ratio ex ipsa natura pœnitentiæ ducta. Pœnitentia enim de qua hîc agimus, non est quælibet peccati detestatio, ac punitio, sed detestatio ac punitio peccati, vt est offensio diuinæ Maiestatis, & vt ad peccatum tollendum, & amicitiam cum Deo resarciendam ordinatur. Hinc enim Act. 20. vocatur pœnitentia in Deum: & Act. 26. coniungitur cum conuersione ad Deum: & passim in diuinis literis, ac præsertim Ezech. 18. & 33. Pœnitētiæ finis dicitur iustificatio, & reconciliatio. Hoc autem interest inter iustitiam vindicantē, & Pœnitentiam reconciliantem, quòd ad iustitiam vindicātem satis est, si reus pœnam luat à Iudice præscriptam, siue is libenter id faciat, siue inuitus, & siue is qui læsus est, id probet, siue improbet: at mulcta in pœnitentia reconciliāte subeunda est prompto animo ab eo, qui læsit, & ad arbitrium eius qui læsus est. Quare necessariò hîc exigitur primùm, vt qui peccauit, doleat se peccâsse, & amicitiam violâsse: quando enim recuperare amicitiam cuperet, qui non doleret amissam? Deinde, vt subiiciat se pœnæ ad arbitriū Dei, qui læsus est. Et, quia Deus per Ministros suos nobiscū agit: oportet, vt qui peccauit, illi homini se sponte subiiciat, qui Dei locum tenet. Id verò fieri nequit, nisi & culpas suas ei per Confessionem aperiat, & mulctam suscipiat, quam ille præscripserit. Sunt igitur tria illa necessaria: detestatio peccati cum proposito vitæ melioris, quæ Contritio dicitur, Confessio, & Satisfactio.

AD hæc, tria ista, natura ipsa duce, quotidie adesse videmus, cùm aut liberi cum parentibus, aut serui cum dominis, aut vxores cum viris in gratiam redeunt: nam & signa doloris ostendunt, & peccatum fatentur, & se castigationi subiiciunt, aut certè indulgentiam petunt: *Ad iudices*, inquit pro Ligario M. Tullius, *sic agi solet, Non fecit, non cogitauit, falsi testes, fictum crimen: Ad parentem autem, Erraui, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoscas oro.* Docent autem sacræ literæ non vno in loco, Deum erga homines, & patris, & domini, & sponsi locum tenere: proinde non absimilem esse debere pœnitentiam, & conuersionem hominum ad Deum, illi, quæ est filij ad parentem, serui ad dominum, vxoris ad virum. Isaiæ 63. *Tu pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos: tu Domine pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Psal. 122. *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Hierem. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.*

POSTREMÒ, neque illa congruentia contemnenda videtur, quòd quemadmodum tria sunt instrumēta peccandi, cor, lingua, manus: peccamus enim corde, verbo, & opere: ita par est, vt tria sint veluti instrumenta pœnitentiæ; & aduersus peccatum cordis, Contritione: oris, Confessione: & operis, Satisfactione pugnemus, vt hac ratione iuxta Apostolum ad Rom. 6. *Sicut exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatē: ita nūc exhibeamus mēbra nostra seruire iustitiæ in sanctificationē.*

CAPVT XX.

Respondetur ad argumenta Aduersariorum.

RESTAT nunc vt iis obiectionibus respondeamus, quas Aduersarij contra doctrinam iam explicatam & confirmatam faciunt, primùm igitur Ioannes Caluinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 8. probat duas esse pœnitentiæ partes, ex illis Scripturæ locis: *Quiescite agere peruersè, discite benefacere.* Isai. 1. item: *Declina à malo, & fac bonum.* Psal. 34.

RESPONDEO, locus Isaiæ, Caluini sententiæ manifestè repugnat. Nam Isaias post illa verba, subiungit: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, sicut lana alba erunt.* proinde pœnitentiam, quæ continet præteritorum peccatorum detestationem, & propositum vitæ melioris, non post iustificationem constituit, vt Caluinus facit, sed ante: neque fructum, sed causam iustificationis esse docet. Quod autem attinet ad alterum locum, quæ ibi numerātur, partes iustitiæ, non pœnitentiæ sunt. Nam Pœnitentia ad peccatores tantùm pertinet, iuxta illud: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Luc. 5. at declinare à malo, & facere bonum, iustorum est proprium. Itaque perperam Caluinus confundit pœnitentiam, cum iustitia: neque vsquam in scripturis inueniet pœnitētiam appellari, declinare à malo, & facere bonum: sed in fletu & plā ctu, in cinere & cilicio, eleemosynis & ieiunio, præterita malè facta purgare.

SECVNDÒ, idem Caluinus eodem lib. 3. c. 4. §. 1. Catholicis obiicit, quòd dum tres partes pœnitentiæ assignant, definitionem pœnitentiæ destruant, quam ipsi tamen ex Patribus hausisse videri volunt. Siquidem apud Magistrum Sententiarū lib. 4. dist. 14. & in Decreto Gratiani, dist. 3. de pœnitentia, hæ leguntur pœnitentię definitiones: *Anteacta peccata deflere, & flenda non committere.* Item: *Mala præterita plangere, & plangenda non committere.* Item: *Vindicta quædam, puniens in se, quod dolet commisisse*, quæ ex Gregorio, Ambrosio, Augustino decerptæ esse dicuntur. Porrò, cum his definitionibus non benè cohærere videtur partitio illa pœnitentię in Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem: potest enim facilè aliquis peccata præterita plangere, & plangenda non committere; & punire etiam in se, quod dolet commisisse, etiamsi ore non confiteatur.

RESPONDEO, iā suprà exposuimus, quo sensu Theologi doceant tres esse pœnitentiæ partes, nimirum, tres esse pœnitentis actiones, quæ in Sacramento reconciliationis ad remissionem peccati exigantur: nam alioqui satis apertè docuimus, extra Sacramentum facilè posse fieri, vt sine Confessione & Satisfactione, per internam cordis pœnitentiam quis iustificetur. Quare nequaquam partitio pœnitentiæ cum eius prima & secunda definitione pugnabit, si alio, & alio modo pœnitentiæ vox accipiatur. In prima enim & secunda definitione, pœnitentia accipitur pro Contritione, qui primarius actus est pœnitentiæ virtutis: in partitione autem, vox pœnitentiæ sumitur pro actione integra pœnitentis, quæ materialis pars dicitur Sacramenti pœnitentiæ. Porrò definitio tertia

satis

satis aptè cum partitione cohæret, siquidem in ea Contritio & Satisfactio apertissimè exprimuntur, cùm dolor ad Contritionem, vindicta ad Satisfactionem pertineat: Confessio autem non obscurè in Satisfactione includitur. Nam cùm Satisfactio fieri debeat ad arbitrium partis læsæ, necessariò intelligitur, oportere eum qui læsit, subiicere se per humilem confessionem ei, quem læsit, vel potiùs Ministro atque arbitrio, quem is loco suo in terris constituit; qui quidem non potest iustam mulctam indicere, nisi per Confessionem cognoscat, qualis sit culpa.

TERTIA obiectio & sequentes, Kemnitij sunt in 2. part. Examinis, pag. 942. & sequentibus. Kemnitius igitur (vt etiam cæteri Lutherani) ita probat duas esse partes pœnitentiæ, Terrores, & Fidem. *Lex diuina minas intentat peccatoribus, qui Dei præcepta transgrediuntur: proinde terret peccatores. Euāgelium deinde consolatur, proposita Christi iustitia, & satisfactione, quæ per fidem apprehenditur: Ergo duæ sunt partes Pœnitentiæ, Terror, & Fides.* Confirmat hoc totum argumentum Scripturis illis: *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio.* Marci 1. *Oportet prædicari Pœnitentiam, & remissionem peccatorum, in nomine meo.* Lucæ vltim. *Testificans Iudæis atque Gentibus, in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum*, Actor. 20.

RESPONDEO, quòd lex minas intentet, & Euangelium consoletur, verissimum est, sed non inde sequitur, Terrores, & Fidem partes esse Pœnitentiæ. Siquidem incussi illi terrores à minis legis, Pœnitentiam gignūt: proinde causa sunt, non pars Pœnitentiæ. Aliud enim est, terreri, quod etiam dæmonibus conuenit; aliud, pœnitere, quod illis non conuenit. Consolatio quoque, quam Euāgelium adfert, Pœnitentiam sequitur, aut etiam comitatur: sed non ideò pœnitentiæ pars facienda est. Denique non est satis, ex Scripturis ostendere; terrores, & consolationem, siue fidem, in cōuersione aut iustificatione peccatoris locum suum habere, quod nos minimè negamus; nisi etiam simul probetur, duas illas res, eásque tantùm, partes pœnitentiæ dici debere, quod hactenus probatum non est. Ad Scripturas autem ex Marco, & Luca, & Paulo adductas, iam antè respondimus, eas omnes sententiæ nostræ mirificè fauere, cùm fidē à Pœnitentia distinguāt. Hæc enim optima consequentia est; Prędicat Paulus pœnitentiam, & fidem: non igitur fides pars pœnitentiæ est, sicut nec pœnitentia pars fidei est.

QVARTA obiectio eiusdem Kemnitij: *Partes Sacramenti Pœnitentiæ visibiles esse debent, est enim Sacramētum signum visibile: igitur per Contritionem, non internus animi dolor, sed signa externa doloris accipienda sunt: & per Confessionem, non eam quæ fit Deo, sed quæ fit homini, significatur. At signa externa doloris, & confessionem quæ fit homini, nulla Scriptura docet ad remissionem peccati necessariò exigi: Ergo duæ istæ partes sine testimonio Scripturæ excogitatæ sunt. Rursus, per Satisfactionem intelligunt Pontificij opera indebita, id est, verbo Dei non mandata: omnes igitur pœnitentiæ partes sine Scriptura habent.*

RESPONDEO, signa doloris tam euidenter in diuinis literis commendantur, atque ad pœnitentiam exigūtur, vt mirum sit cur id Kemnitius negare voluerit. Quid enim est, quod ait Propheta? *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Ioël. 2. an fletus & planctus, non sunt apertissima signa doloris? Confessionem Sacerdoti faciendam singulorum peccatorum, iure diuino exigi, in sequenti libro probaturi sumus: Cōfessionem autem aliquam visibilem, saltem in genere, adhibendam esse, atque etiam adhibitam in Testamento veteri & nouo fuisse, probauimus ex diuinis literis capite superiore. Porrò, opera indebita, etiamsi præcepta nō sint absolutè, tamen iis qui peccauerunt, & pœnitentiam agere cupiunt, in diuinis literis imperantur, & ex indebitis debita fiunt. Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Ioël. 2. *Conuertimini ad me, &c. in ieiunio, &c.* Sed de his plura, & suprà diximus, & infrà suo loco dicemus: nunc satis est, breuiter ostendisse, partes visibilis pœnitentiæ in verbo Dei esse fundatas.

QVINTA obiectio eiusdem: *Patres pœnitentiæ quas enumerant Pontificij, hypocritæ quoque simulare, & præstare possunt: & tamen illis tribuunt remissionem peccatorum.*

RESPONDEO, si quid argumentum hoc valet, non solùm pœnitentiæ partes, sed etiam Baptismum & Eucharistiam euertet. Nam hypocritæ baptismum & Eucharistiam sumere possunt: & tamen his Sacramentis Kemnitius tribuit remissionem peccatorum. Si respondeat, Sacramenta baptismi & Eucharistiæ, & ab hypocritis posse sumi, & peccata remittendi vim habere, sed tamen nō ea remittere nisi iis, qui seriò, & vt oportet, illa sumunt. Idē omninò de Sacramentò pœnitentiæ sibi ipse respondeat. Etsi enim Cōritio, Confessio, & Satisfactio ab hypocritis simulari possint; & simul tres illæ partes adjunctæ forma Absolutionis, peccata remittant, non tamen ea remittunt simulantibus, sed verè ac seriò pœnitentiam agentibus contritis, confessis, atque ad Satisfactionem subeundam paratis.

SEXTA obiectio eiusdem: *Iudas fide illa speciali destitutus, cùm partes pœnitentiæ Pontificiæ haberet, Contritionem scilicet, Confessionem, & Satisfactionem, tamen laqueo se suspendit.*

RESPONDEO, idem Iudas & baptizatus iam fuerat, & Eucharistiam de manu Domini sumpserat, & tamē laqueo se suspendit. An igitur neganda erit vis baptismi & Eucharistiæ, quia Iudæ non profuit? Deinde eam non esse caussam, cur Iudæ Pœnitentia inutilis fuerit, quia fide illa speciali caruerit; testimonium amplissimum nobis Scriptura præbet, cùm Ionæ 3. testatur Niniuitas vtiliter pœnitentiam egisse, licet fide illa speciali carerent, ac dicerent: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus?* Denique falsum est, Iudam habuisse tres Pœnitentiæ partes, quas Catholici in Sacramēto requirunt, immò nullam habuit omninò. Veram Contritionem certè non habuit, quæ sine spe remissionis esse non potest. Cōfessionem quoque non habuit, qualis exigitur, id est, singulorum criminum, atque ad veniam impetrandam Sacerdoti factam. Nec Satisfactionem habuit, præsertim à Sacerdote iniunctam: neque enim illi, vt se ipse suspenderet, ab vllo fuerat imperatum: neque se ipsum necare, opus est bonum, qualia esse debent opera satisfactoria.

SEPTIMA obiectio: *Trina illa enumeratio partium pœnitentiæ, ex publicæ pœnitentiæ ritibus sumpta, posteà ritibus illis partim abrogatis, partim mutatis, indoctè ad generalem Pœnitentiæ doctrinam accommodata est.*

RESPONDEO, hæc omnia facilè possent contemni, cùm nulla ratione, vel testimonio muniantur: tamen non grauabor vno verbo calūniam istam refellere. Quomodo, quæso, ad generalem doctrinam de pœnitentia tres illæ partes ex ritibus publicæ pœnitentiæ accommodatæ sunt, cùm etiam in veteri Testamento in vsu fuerint, vt suprà ostendimus exemplo Dauidis, & Niniuitarum: & ex ipsa ratione, ac natura pœnitentiæ colligantur, vt paulò antè demonstratum est? ritum enim publicæ pœnitentiæ, post Christi ascensionem in cœlum institutum esse, nemo, opinor, inficiabatur. Deinde cùm apertè veteres mentionem faciant pœnitentiæ, & publicæ, & priuatæ, vt in sequenti capite demonstrabo: vnde probabit Kemnitius, enumerationem illam ex ritibus publicæ Pœnitentiæ, & non ex priuatæ sumptam esse?

OCTAVA obiectio: *Veteres in multis locis loquuntur de pœnitentia, non quatenus quærit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus est vitæ mutatio, & emēdatio. Hæc non attendentes Monachi, fecerunt inde tres partes pœnitentiæ, quibus acquiratur remissio peccatorum.*

RES

RESPONDEO, si Kempitius veteres Patres diligenter legisset, non ita temerè pronunciaret. Nam vt omittã, quòd Confessio, de qua Patres passim loquuntur, nihil facit ad vitæ mutationem; vt etiam illud præteream, quòd ieiunia, lachrymæ, cineres, cilicia, & alia id genus opera, vel instrumenta pœnitentiæ, de quibus frequentissima apud Patres mentio est, non ad vitam mutandam, sed ad peccata præterita castiganda apertissimè referuntur: nihil sæpius apud Patres inuenies, quàm tribus illis pœnitentiæ partibus remissionem peccatorum acquiri.

Pœnitentia, inquit Tertullianus in lib. de pœnitentia: *Dominus mitigatur*. Cyprianus in serm. de lapsis: *Quàm magna deliquimus, tam grauiter deflеamus: alto vulneri diligens, & longa medicina non desit, &c.* vbi perspicuè vides, Pœnitentiam medicinam esse peccati præteriti, non solam vitæ mutationem. Ambrosius præfatione in Psalm. 37. *Quis dubitet affligere animam suam, cùm Propheta tantus afflixerit, soluens pretium lachrymarum pro redemptione peccatis?* Augustinus in epist. 54. ad Macedonium: *Quosdam*, inquit, *à societate remouemus altaris, vt pœnitẽdo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo.* Sed quid ego in Patribus moror? annon Scriptura ipsa passim hæc doceat? quid est, quæso, quod ait Ezechiel c. 18. *Si impius egerit Pœnitẽtiam, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor?* & quod ait Daniel c. 4. *Peccata tua eleemosynis redime?*

ATQVE hactenus de obiectionibus, nam mendacia illa de fide, quam à Catholicis damnari mentitur, iam suprà cap. 6. exposita, & refutata sunt.

CAPVT XXI.

De tertia partitione pœnitentiæ in priuatam, publicam, & solennem.

SEQVITVR vltima partitio Pœnitentiæ, quam esse diximus, in priuatam, & publicam; & rursus publicæ, in solennem, & non solennem: quæ partitio breuiter explicanda erit, quia nonnulli Aduersariorum vix aliam, quàm publicam pœnitentiam agnoscere videntur.

IGITVR publica, & priuata pœnitentia in eo potissimùm distinguuntur, quòd publica ea dicitur, in qua peccatum commissum publicatur, & pro eo publicè coram Ecclesia peragitur Satisfactio: priuata vero illa, in qua peccatum soli detegitur Sacerdoti, & Satisfactio occultè, ac priuatim iniungitur peragenda. Ex quo sequitur, vt publica peccata ad pœnitentiam publicam, occulta ad priuatam pertineant: neque enim licet peccatum occultum publicare, aut etiam pro occulto Pœnitentiam ita publicam imponere, vt ex ea peccatum ipsum detegatur. Id patet ex epist. 80. S. Leonis ad Episcopos Campaniæ, in qua reprehendit abusum quorundam, qui peccata occulta priuatim in Confessione audita, coram Ecclesia publicabant. Qui etiam S. Leo epi. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, c. 8. Monachum, qui relicta Professione, ad militiam vel coniugium transit, quia id occultũ esse non potest, publicæ pœnitentiæ satisfactione dicit esse purgandum: vbi cùm publicam Pœnitẽtiam nominat, significat aliam quandam esse pœnitentiam priuatam.

INTER publicam autem pœnitentiam solennem, & publicam non solennem, multæ differentiæ sunt; quamuis hoc nomen Solenne, apud veteres fortè non inueniatur, sed solùm apud Gratianum, de Pœnitentia, dist. 3. can. Nihil prodest. & apud Magistrum lib. 4. Sent. dist. 14. & inde apud interpretes, tùm Gratiani, tùm Magistri.

PRIMVM pœnitentia solennis, quam Augustinus humillimam vocat, in epi. 54. & Ambrosius, aliique Patres, communiter publicam appellare solent, nõ nisi pro grauissimis criminibus, quæ totam ciuitatem conturbassent, magnúmve scandalum attulissent, imponi consueuerat. Concilium III. Carthaginense can. 32. de solenni Pœnitentia loquens: *Cuiuscunque*, inquit, *pœnitentis publicum & vulgatissimum crimẽ est, quod vniuersam Ecclesiam commouerit, ante absita manus ei imponatur.* Concilium etiam Toletanum I. can. 2 postquam docuit, pœnitentes nõ posse ad Clericatum ascendere, subiungit: *Eum verò pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus grauissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub Concilio diuino fuerit reconciliatus altari.* Origenes quoq; hom. 15. in Leuiticum, & Ambrosius lib. 2 de Pœnitentia, c. 10. & cæteri scriptores consentiunt, non nisi pro criminibus grauioribus iniungi potuisse pœnitentiam illam, quæ repeti non poterat. Publica autem non solennis pœnitentia, pro publicis quibuscunque peccatis, licet non ita grauia essent, neque scandalum adferrent, imponi consueuerat.

SECVNDÒ, pœnitentia solennis semel tantùm concedebatur, vt patet ex Origene homil. 15. in Leuiticum, Ambrosio lib. 2. de Pœnitentia, c. 10. & Augustino ep. 54. cuius rei ratio præcipua duplex est. Vna, quam reddit Augustinus, ne medicina vilis, minùs vtilis esset ægrotis, quę tantò magis salubris est, quantò minùs contẽptibilis fuerit. Altera, quam insinuat Ambrosius, & clariùs explicat S. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. quia Pœnitentia solennis, est solennis quædam professio, non redeundi iterum ad publica illa scandala, sicut baptismus est solennis professio non redeundi ad infidelitatem: & ideò sicut vnum est baptisma, ita & vna est Pœnitentia solennis. Atque hoc idem fortasse sibi voluit Tertullianus, cùm in lib. de pœnitentia, secundã, non tertiam, aut quartam tabulam post naufragium, pœnitentiam appellauit. Pœnitentia publica non solennis, sæpius agi poterat, vt ex iisdem auctoribus satis apertè colligitur.

QVID verò ageretur cum iis, qui post solennem pœnitentiam in eadem, vel grauiora crimina labebantur, explicat Syricius Papa in epist. 1. c. 5. his verbis: *Quia*, inquit, *iam suffragium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamuis non mereantur, interfint: à Dominicæ autem mensæ conuiuio segregentur, vt hac saltem distinctione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrabantur. Quos tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficisci, per Communionis gratiam volumus subleuari.*

TERTIÒ, pœnitentia solennis Sacerdotibus imponi non poterat; & contra, qui pœnitentiam solennem egissent, ad Ordines promoueri nequibant. Extat de hac re testimonium vel decretum Syricij Papæ in epist. ad Himerium Tarraconæ Episcopum, c. 14. in hæc verba: *Illud quoque par fuit nos prouidere, vt sicut Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum: ita post pœnitudinem ac reconciliationem, nulli vnquam laicorum liceat honorem Clericatus adipisci.* Idem habemus in Concilio Carthag. IV. can. 68. & Concilio V. can. 11. & Tolet. I. can. 2. & apud Innocentium I. in epist. 6. ad Agapetum, & S. Leonem epist. 92. ad Rusticum Narbonæ Episcopum, c. 2. Pœnitentiam autem Sacerdotes subire potuisse, quæ licet non ageretur coram populo, tamen suo quodam modo publica esset, & non solennis; in dubium reuocari non potest. Nam & excommunicari poterant, & in Monasteria ad agendam Pœnitentiam amandari, quam, secessionem priuatam S. Leo loco notato appellat, quia in priuato loco agebatur, licet alioqui notum & publicum esse posset, eum Sacerdotem pro suis criminibus in Monasterio esse inclusum. Et Clemens III. cap. Quæsitum. de pœniten. & remiss. scribit, Sacerdoti non debere publicam imponi Pœnitentiam, nisi crimen eius publicum fuerit: ex quo intelligimus, posse publicam imponi etiam Sacerdoti pro peccato publico pœnitentiam, modò sine solennitate id fiat.

NEC

NEC est improbabile quod quidam volunt, Sacerdoti deposito potuisse Pœnitentiam solennem iniungi, quòd Sacerdos depositus, censeatur ad laicorum ordinem redisse. Nam S. Cyprianus lib. 3. epist. 8. ad Fidum, reprehendit Episcopum Teraphium, qui Victori quondam Presbytero ante expletum Pœnitentiæ tempus, sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate aut necessitate vrgente, pacem dederat.

QVARTÒ, Pœnitentia solennis non poterat imponi coniugatis sine mutuo consensu, vt patet ex Concilio II. Arelatensi, canon. 22. cuius rei ratio est, quia pœnitentibus interdicebatur officiũ coniugale, & si innupti erant, etiam nuptiæ, vt ex eodem Concilio Arelatensi, can. 21. & ex Concilio Toletano VI. can. 8. & ex epist. 92. Leonis, cap. 12. potest intelligi. Propter eandem causſam iuenibus non facilè solennis pœnitentia concedebatur, vt ex cap. 15. Concilij Agathensis, & ex cap. 19. Concilij III. Aurelianensis intelligimus. Id autem locum non habebat in pœnitentia non solenni.

QVINTÒ, Pœnitentia solennis à solo Episcopo indicebatur, & ab eodem reddebatur pax pœnitentibus; neque id presbyteris licebat, nisi in absentia Episcopi, vrgente necessitate. Id patet ex Concilio II. Carthaginensi, can. 4. & Carthaginẽsi III. cano. 31. & 32. & ex aliis canonibus, qui passim in Concilijs leguntur: immò Chorepiscopis quidem hanc facultatem concessam fuisse, testatur S. Leo in epist. 86. At Pœnitentiam non solennem presbyteri quoque iniungere poterant, & pœnitentes reconciliare.

SEXTO denique variæ ac multiplices ritus erant, qui ad solennem pœnitentiam adhibebantur, nec pœnitentiæ priuatæ, aut etiam publicæ non solenni, communes erat: de quibus ritibus in sequenti capite breuiter disseremus.

CAPVT XXII.

De ritibus Pœnitentiæ solennis.

DESCRIPTVRVS solita breuitate solennis pœnitentiæ ritus, dicam de nomine pœnitentium, de habitu, de loco, de tempore, de pœnis.

NOMEN Pœnitentium, ordinis erat, vt nomen Clericorum, vel Catechumenorũ. Christiani enim primùm in duos quasi ordines secabantur; in Fideles, & Catechumenos: *Catechumenis*, inquit Augustinus tracta. 96. in Ioannem, *Sacramenta Fidelium non produntur.* Deinde Catechumenorum duæ erant classes: alij enim audientes, alij competentes, siue electi dicebantur. Fidelium verò tres classes erant. Prima Clericorum, quo nomine omnes ordines Ecclesiastici intelligebantur. Secunda Fidelium, id est, laicorum, qui commune nomen retinuerunt, cùm aliud excellentius non haberent. Tertia pœnitentium, qui etsi fideles essent, tamen ob culpam suam à cæteris fidelibus segregati, & quasi in sentinam Ecclesiæ reiecti, peculiari nomine censebantur.

HINC Pacianus in sua Paræneſi ad pœnitentiam, distinguens pœnitentes à Fidelibus: *Catechumenis*, inquit, *ne in hoc transeant, & Fidelibus, ne in hoc redeant, prouidendum est: ipsis verò Pœnitentibus, vt celeriter ad huius operis fructum perueniant laborandum.* Et S. Augustinus in lib. 50. homiliarum, homil. 49. *Quod dico.* inquit, *Competentibus, & Fidelibus, audiant pœnitentes: quod dico, Fidelibus dico, & Competentibus, & pœnitentibus.* Et in lib. de sancta Virginitate, cap. 48. *Omnes* inquit, *Christianos, ab Apostolis vsque ad vltimos pœnitentes, quasi à summis cælorum vsque ad terminos eorum, docuit orare, &c.* Sanctus quoque Hieronymus in epistola ad Oceanum de obitu Fabiolæ, scribit eam stetisse in ordine Pœnitentium. Declarauit autem, vt suprà notauimus, Cõcil. Toleta. I. can. 2. non dici propriè pœnitentes, omnes qui quoquo modo pœnitentiam agunt, sed eos tantùm, qui publicam, & vt nostri loquuntur, solennem Pœnitentiam agunt.

HABITVS pœnitentium erat certus, quo distinguerentur à cæteris, videlicet pulla vestis, cilicium, caput detonsum, exceptis fœminis. Meminerunt huius habitus plurimi auctores: Tertullianus in lib. de pœnitentia, Pacianus in Paræneſi ad pœnitentiam, Optatus lib. 2. propè finem. Ambrosius lib. ad Virginẽ lapsam, cap. 8. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ. Concilium Agathense can. 15. iubet non admitti ad pœnitentiã eos, qui comam non deposuerint, vel habitum non mutauerint. Concil. Tolet. III. can. 12. idem iubet, sed excipit mulieres, quæ non tondere, sed velare caput debent.

LOCVS pœnitentium varius erat pro criminũ varietate. S. Gregorius Neocæsarienſis in epistola canonica, quæ adiungi solet canonibus Photij; quinque loca Pœnitentium fuisse scribit. Primum, id est, infimum, & ab altari remotissimum, extra portas Ecclesiæ constituit, qui προκλαυσης dicebatur, à fletu: qui enim in hoc loco consistebant, non permittebantur ingredi Ecclesiam, sed pro foribus flebant, & orationes fidelium postulabant. Alter locus iam intra portas erat, vnde audire verbum Dei cum Catechumenis Audientibus pœnitentes poterant, non tamen ad orationem cum Competentibus admittebantur: & hic locus ab audiendo ἀκροάσις nominabatur. Tertius locus eorum erat, qui admittebantur, tum ad audiendum, tum etiam ad orandum cum Competentibus, non tamen ad sacrificium Missæ cum Fidelibus; & hic locus dicebatur ὑποπτώσις, quasi Contemplatio rerum supernarum. Quartus locus erat eorum, qui manebant cum Fidelibus dum sacrificium celebraretur; non tamen altari communicabant: & hic locus à stando σύστασις dicebatur. Quintus locus eorum erat, qui iam pœnitẽtiam expleuerant, & solùm expectabant tempus reconciliationis: non enim reconciliabantur pœnitentes solenni cæremonia, nisi feria V. in Cœna Domini, vt paulò pòst demonstrabimus: dicebatur locus horum pœnitentium μέσωσις, id est, expletio.

EX his intelligimus, aliquos Pœnitentes postponi solitos omnibus Catechumenis, aliquos æquari, aliquos anteponi; proinde pœnitentes aliquos omninò in fundũ Ecclesiæ reiectos, vt rectè dixerit Augustinus de sancta Virginitate, cap. 48. *Ab Apostolis vsque ad vltimos pœnitentes, quasi à summis cælorum, vsque ad terminos eorum.*

IAM verò quod attinet ad tempus, imponebatur pœnitentia publica feria IIII. ante primam Dominicam Quadragesimæ, quæ dicitur, In capite Ieiunij, vt testatur Concilium Agathense, cap. 15. teste Gratiano dist. 50. can. In capite: nam ea verba non inueniuntur in vulgatis canonibus eius Concilij. Habemus adhuc vestigium huius ritus, in consecratione & aspersione cineris, quæ eo die fieri solet. Et quamuis tempus pœnitendi aliis longius, aliis breuius præscriberetur, vt trium, septem, decem, aut plurium annorum: tamen singulis annis in V. feria maioris hebdomadæ, omnes reconciliabantur & communicabant, vt Innocentius I. in epist. ad Decennium Episcopum Eugubinum, cap. 7. his verbis testatur: *De pœnitentibus verò, qui siue ex grauioribus, siue ex leuioribus Pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.* Idem habemus in Concilio Agathensi apud Gratianum can. In capite, dist. 50. & idem indicat S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ.

POENÆ denique pœnitentium multiplices erant, & variæ. Prima communis, & grauissima: abstinere à participatione diuinorum mysteriorum. Id patet ex Cypriano lib. 3. epist. 8. & in serm. de lapsis, & alibi passim, vbi eos reprehendit, qui ante expletam pœnitentiam corpus Domini, vt ipse loquitur, inuadebant. Secunda, vt pœnitentes non promouerentur ad Clerum, vt suprà ostendimus ex Syricio, epist. 1. cap. 14. Tertia, vt abstinerent à nuptiis, de qua etiã suprà diximus: indulgebatur tamen

interdum adoleſcẽtibus, vt patet ex Leone epiſt. 92. cap. 12. vt ad vitãdam fornicationẽ vxorem ducerent. Quarta vt ad militiam ſæcularem non accederent, ſed ſoli Deo deinceps deſeruire ſatagerent: vt ex eadem Leonis epiſt. cap. 11. intelligi poteſt. Quinta, nõ eſſent Suſceptores in Baptiſmo aut Confirmatione, dum in ordine pœnitentium ſtarent: teſtatur id Concilium Pariſienſe, tẽpore Ludouici & Lotharij celebratum, lib. 1. cap. vlt. tribus enim libris Concilium illud compræhẽſum eſt. Sexta, vt Vnctione infirmorum carerent, teſte Innocentio I. in epiſtola ad Decentium, cap. 8. Septima, vt ſingulis diebus Ieiuniorum venirent ad Eccleſiam, & capita ſubA mitterent Sacerdotibus, qui eis manus imponerent, & pro eis orarent: vt monet Concilium 1 V. Carthaginenſe, can. 80. Octaua, vt mortuos ſepelirent; ex eodem Cõcilio can. 81. Nona, vt diebus Dominicis, & tempore Paſchali, cùm Fideles ſtantes orabant, ipſi genua flecterẽt ad orandum; ex eodem Concilio can. 82. Decima, vt non irent ad balnea, neque ad conuiuia, & inuitati recuſarent; vt indicat Pacianus in ſua Paræneſi ad Poenitentiam: ſed ieiuniis, & orationi, ſacco & cineri incubantes, aſſiduè operam darent: vt Tertullianus in lib. de Pœnitentia, & Ambroſius ad Virginem corruptam, cap. 8. & alij omnes paſſim teſtantur.

LIBER SECVNDVS
DE POENITENTIA.
QVI EST DE CONTRITIONE.

PRÆFATIO.

DE Pœnitentiæ partibus, Contritione, Confeſſione, & Satisfactione diſputaturi, à Contritione, vt rectus ordo poſtulat, initium faciemus: de qua pœnitentiæ parte duabus de cauſſis pauca dicenda eſſent. Primum, quòd multa quæ de Contritione hoc loco dici poſſent, commodiùs in diſputatione de iuſtificatione diſputari poſſe videntur. Deinde, quòd Lutherani iam penè receſſerint ab illis erroribus, quos initiò de Contritione Lutherus docuerat. Certe Martinus Kemnitius in 2. part. Examinis Tridentini Concilij, cap. 4. de Pœnitentia, ferè admittit omnia, quæ in eodẽ Concilio de Contritione definita ſunt: ſed quoniam eas Concilij definitiones, aduerſus antiquos Lutheri errores conſtitutas eſſe non ignorabat, ne Luthe rum tam apertè damnare, & etiam ne nihil dicere videretur, variis calumniis & mendaciis doctrinã Concilij perperam interpretando odioſam reddere conatus eſt. Eas calumnias & mendacia iam ſuprà notauimus, & quantum neceſſe videbatur, abſterſimus, in 1. lib. cap. 6.

Cæterùm, ne opus hoc noſtrum imperfectum relinquamus, operæpretium eſſe duximus, doctrinam Eccleſiæ Catholicæ in medium adferre, & quæ vel Lutherus obiecit olim, vel nunc eius diſcipuli aduerſus eam obijciunt, breuiter refutare.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur doctrina Catholica.

IGITVR Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. cap. 4. ſeptem capita de Cõtritione proponit, quæ apud Catholicos omnes certiſſima eſſe debent. Primũ eſt, Contritionem eſſe dolorem animi, ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Alterum Contritionem lapſis ſemper fuiſſe neceſſariam ad veniam obtinendam. Tertiũ, poſt baptiſmũ debere eſſe coniunctam cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & cum voto præſtandi cætera, quæ ad Sacramentũ Pœnitentiæ requiruntur. Quartum, Contritionem charitate formatam reconciliare hominem, etiam antequam Sacramentum actu percipiatur. Quintum, Contritionẽ imperfectam, quæ attritio dici ſolet, quæ ex metu Gehennæ concipitur: ſi voluntatem peccandi excludat, & cum ſpe veniæ ſit coniuncta, non ſolùm non facere hominem magis peccatorem, ſed eſſe donum Spiritus ſancti, & vtilem ad iuſtificationem. Sextum, Attritionem ſine Sacramento, quod reipſa percipiatur, non poſſe per ſe ad reconciliationem peccatorem perducere, eum tamen ad gratiam in Sacramento ſuſcipiendam diſponere. Septimum, Contritionem non eſſe coactam & extortam, ſed liberam, & voluntariam.

E X his capitibus habemus, quid ſit Contritio, quæ eius neceſſitas, quæ ſpecies, quis effectus: ſunt autem de his omnibus controuerſiæ decem. Prima, An Contritio ſit actus bonus, & liber, & num ad Legem, an ad Euangelium pertineat. Secunda, An ſit actus ſolius liberi arB bitrij. Tertia, An includat odium, ac deteſtationem peccati præteriti. Quarta, An includat propoſitum benè viuendi. Quinta, An ſit neceſſaria ad iuſtificationem. Sexta, An ſummum dolorẽ exigat. Septima, An vim habeat peccatorem Deo reconciliandi. Octaua, An ante Abſolutionem Sacerdotis. Nona, An peccata omnia delere queat. Decima, An attritio ſit donum Dei.

CAPVT II.

Contritionem eſſe actionem bonam, & liberam, atque ad Euangelium pertinentem.

VT à Prima quæſtione principiũ faciamus: Sciendum eſt, magnã partem Lutheranorũ in ea ſententia eſſe, vt Contritio nihil ſit aliud, niſi terror quidam conceptus ex conſideratione peccatorũ, & ſupplicijs, quæ diuina lex peccatoribus cõminatur. Cui dogmati tria veluti paradoxa adiungunt. Primum, Contritionem non eſſe liberam, ſed coactam, & extortam; immò non eſſe actionem, ſed meram paſſionem: non enim homo ſe ipſe conterit, vt ipſi dicunt, ſed Deus eſt qui eũ conterit malleo legis, & minarum. Secundum, Contritionem ad Legem, non ad Euangelium pertinere: Lex enim eſt, quæ ſupplicia comminando terret, Euangeliũ autem Chriſtum offerendo conſolatur: proinde Pœnitentia, quæ Contritione & Fide (vt ipſi loquuntur) conſtat, partim à Lege, partim ab Euãgelio pendet. Tertium, Contritionem non modò non eſſe opus bonum, ſed etiã hominem omni bono opere ſpoliare, & peccatis ac maC

ledictionibus replere, & eo modo mortificare, atque occidere, vt deinde per Fidem viuificetur, & reſurgat, ac bonis omnibus repleatur.

LVTHERVS in prima diſputationẽ contra Antinomos, propoſitione 2. ſcribit, Contritionem eſſe tractum, & ſenſum legis in conſcientia; & propoſitione 30. ſcribit, eſſe afflictionem, ac paſſionem, quam conſciẽtia pati cogitur, etiamſi nolit. In articulis quoque Smalchaldicis, tit. de Pœnitentia, dicit Contritionem non eſſe actiuam, ſed paſſiuam, & comparat Legem fulmini proſternenti, & citat verba illa Hierem. 23. *Verba mea ſunt quaſi malleus conterens petras.*

EANDEM ſententiam acriter tuentur Ioannes Vvigandus, & alij rigidi Lutherani, vt intelligi poteſt ex Colloquio Altemburgenſi: nam in collatione 4. vbi reſpondẽt rigidi Lutherani ad tertium ſcriptum Vvittembergenſium, ſiue mollium, & (vt in eo Colloquio nominantur) Electoralium Lutheranorum, in argumento 21. hæc verba habentur: *Tam Lex, quàm Euangelium, ad conuerſionis doctrinam pertinent, quæ tamen confundenda non ſunt. Lex quidem ad Contritionem pertinet, Rom. 3. ſed Euangelium ad ſecundam partem conuerſionis, nempe ad Fidem, referendum eſt.* Et infrà: *Contritio non eſt opus noſtrum, eſt potius paſſio noſtra, qua conterimur, & concutimur.* Et infrà: *Nos paſſiui tantùm ſumus, nos nihil agimus, ſed patimur: ipſe Deus nos conterit, non ipſi nos.* Et infrà: *Proprietates Contritionis ſunt, hominem vel pertinacem, vel hypocritam, exuere & expoliare ab omnibus ſuis bonis operibus, eúmque replere innumerabilibus peccatis, hoc eſt, cognitione peccatorum, concutere eum timore, tremore, horrore.* Et infrà: *Manifeſtum igitur eſt, legem ad Contritionem pertinere, Contritionem autem nos priuare omnibus operibus bonis corã Deo in negotio ſalutis, & peccatis, atque maledictione nos replere.*

AD eandem ſententiam accedere videtur Kemnitius, qui in 2. parte Examinis Tridentini Concilij, cap. 3. de Pœnitentia, pag. 942. & 943. docet, Contritionem ad Legem pertinere, Fidem ad Euangelium: Et cap. 4. pag. 955. ſcribit, Contritionem non eſſe opus liberi arbitrij, cùm Spiritus ſanctus per verbum prædicatum, auditum, & cogitatum, illam in nobis excitet, inchoẽt, operetur, & efficiat. Ibidem ſcribit, Contritionem, niſi accedat Fides, quæ ſtatuat nobis remitti peccata propter Filium Dei, eſſe fugam Dei, & fremitum aduerſus Deum, quibus tandem ruitur in æternum exitium. Hæc ille.

CONTRA autem ſentiunt, Contritionem eſſe opus bonum, & noſtram actionem, & ad Euangelium pertinere, Lutherani molles, vt perſpicuum eſt ex Colloquio Altemburgenſi citato, vbi ponitur reſponſio Electoraliũ Theologorum ad quartum ſcriptum Saxonicorum: cum quibus etiam Caluinus ſentit lib. 3. Inſtitut. cap. 3. §. 20. Et hæc eſt verior ſententia, & omnium Catholicorum: vt autem facilius, & clariùs veritas comprobetur, ſubiiciam aliquot propoſitiones.

PRIMA propoſitio: *Contritio non eſt terror ex minis legis conceptus.* Hæc propoſitio probata eſt in libro ſuperiore, cap. 19. & ſanè præter argumenta eo loco adducta, nomina ipſa, & metaphoræ vnde ſumpta ſunt ea nomina, ſatis apertè docent, aliud eſſe, terreri & contremiſcere, aliud verò, conteri, molliri, & ſcindi. Poteſt enim res integra & dura commoueri, & tremere: at non poteſt dura ſimul & mollis, integra & ſciſſa ſeu contrita permanere. Quemadmodum autem cùm lapidea moles ita conteritur, vt in puluerẽ redigatur; duritiẽ & tumorem deponit, vt iã flecti & formari ſe facilè ſinat ad artificis arbitriũ: ſic etiã cor peccatoris durũ ac tumidum, Dei legibus & imperio reſiſtens, per Contritionẽ mollitur, humiliatur, legi Dei ſe ſubdit, priſtinã ſuam duritiem & tumorem deponit. Et ideò in Scripturis idem eſt, cor contritum, & cor carneũ: Deus enim quaſi malleo conterit petras, vt dicitur Hierem. 23. quãdo aufert cor lapideum, A & donat cor carneum, iuxta Ezechielem cap. 11. vt exponit Hieronymus in commentario Hieremiæ ad cap. 23.

RVRSVS ferè ſemper humilitas cum Contritione coniungitur, vt Pſal. 33. *Propè eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabuntur.* in quem locum Baſilius, & Auguſtinus pro *tribulato*, Contrito, legunt, & cor contritum, cor humile eſſe dicunt, quia ſequitur in Pſalmo: *Et humiles ſpiritu ſaluabuntur.* Sic etiã in Pſal. 50. *Cor contritum & humiliatũ Deus non deſpicies*, quem locũ tractans Chryſoſtomus homil. 9. in epiſt. ad Hebr. docet Contritionem ſine humilitate eſſe nõ poſſe. Cùm igitur Contritio duritiem & tumorẽ, ac proinde peccati affectum, ſecum non patiantur: dubitari non poteſt, quin aliud ſit Contritio, aliud ſimplex terror. Siquidem terrores in corde duro, & ſuperbo eſſe poſſunt, vt perſpicuũ eſt inprimis de Satana & Angelis eius, qui credũt, & contremiſcunt, Iacobi 2, & tamen nec peccatũ ſuũ oderunt, nec tumorẽ aut obſtinationẽ vnquã deponunt. Planum eſt etiã de Felice illo Syrię Præſide, qui audiẽs Paulum de futuro Iudicio diſputantem, non leuem terrorẽ B concepit, vt ſcribit S. Lucas Actor. 24. nec tamẽ Contritionem habuiſſe dici poteſt, cùm retinuerit cor lapideũ, & nec infidelitatẽ, nec cætera ſua peccata diuiſerit.

DEINDE, Scriptura Contritioni tantam vim tribuit, vt Dauid dicat: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Pſal. 50. & Dominus apud Iſaiam, *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementẽ ſermones meos?* Iſai. 66. & quod ſuprà citauimus: *Propè eſt Dominus iis, qui tribulato*, id eſt, contrito, *ſunt corde*, Pſal. 33. Quis autem credat, terrores illos, qui in hominibus impiis, & in ipſis Dæmonibus eſſe queunt, à Deo nõ poſſe deſpici, & ſuper eos, qui ita terrẽtur, ſemper Dominũ clementer aſpicere, ac propè eſſe Deũ his, qui ſupplicia & tormenta ſic timent, vt interim peccata non deſerant?

C DENIQVE Scripturæ diuinæ, & S. etiam Patres, cùm deſcribunt veram animi contritionem, non ſolos pauores & terrores, ſed gemitus, lachrymas, ſuſpiria, dolentis animi, & peccata deteſtantis, nobis proponunt.

SECVNDA propoſitio; *Contritio non eſt paſſio, ſed actio, & ea libera, nõ coacta.* Hæc propoſitio aduerſus eoſdem Lutheranos nullo negotio confirmari poteſt. Nam Inprimis exſtant apertiſſima præcepta diuina de Contritione. Ioël is 2. *Scindite corda veſtra.* Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Act. 17. *Nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique Pœnitentiam agant.* At ridiculum eſt, ad Paſſionem coactam, & nõ potiùs ad liberam actionẽ, eiuſmodi præcepta referre. Quorſum enim imperentur ea, quæ nõ ſunt in noſtra poteſtate, & quæ, velimus nolimus, tolerare cogimur? quis niſi amens, hortaretur aliquẽ, vt fulmine de cœlo cadente, aut leone ſibi occurrente, paueret?

DEINDE Contritio gratiſſimum Deo ſacrificiũ eſt, vt ex Pſalm. 50. ſuprà oſtendimus, & oculos Domini ad ſe trahit, vt ex cap. 66. Iſaiæ intelligi poteſt; & promiſſionem habet miſericordiæ, & gratiæ, vt Scripturæ paſſim teſtãtur. At paſſio coacta nihil habet, vnde placeat Deo, vt notum eſt: Contritio igitur non mera paſſio, ſed actio, eáque voluntaria ac libera eſſe debet.

D DENIQVE non alia de cauſſa Cõtritionem Aduerſarij paſſionem eſſe volunt, & extortam, atque coactam, niſi quia ſibi perſuaſerunt, Contritionẽ nihil eſſe aliud, niſi terrores illos ex minis præceptorum conceptos: neque enim fieri poſſe videtur, vt menti obiiciatur peccatum propriũ, & ſimul ira Dei in peccatores, & ſupplicia æterna peccatoribus præparata, quin terror & pauor ingens hominem iſta cogitantem inuadat. Atqui iam ſatis oſtendimus, longè aliud eſſe Cõtritionem, quàm iſtos terrores. Et licet etiã terrores iſti Contritio dici poſſent, adhuc tamen non coacti, ſed liberi dici deberent: nam ſupplicia iſta, quæ Deus peccatoribus comminatur, non vt præſentia, & viſibilia, obiiciuntur oculis, ſed vt futura,

absentia, inuisibilia, obiiciuntur menti. Proinde nisi quis seriò animum applicet ad ea cogitanda; non facilè commouebitur: applicare autem animum ad ea, vel ab eis eundem animum auocare, in nostra potestate est. Quocirca plurimi conciones audiunt, & libros sacros legunt, qui tamen non extimescunt: & Dominus ipse, cùm per Prophetas, tùm per se ipse, ad hunc timorem hortatur, quod sanè non faceret, si timere, vel non timere, in potestate nostra non esset, Eccles.12. *Time Deum, & mandata eius obserua.* Eccles.7. *In tota anima tua time Dominũ.* Psal.33. *Timete Dominum omnes sancti eius.* Luc.12. *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in Gehennam; ita dico vobis, hunc timete.*

SED vnum est argumentum, quod & Lutherus, & Lutherani passim obiiciunt. Hiere.23. *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? nũquid nõ verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus cõterens petras?* certè ignis violenter comburit, quidquid illi obiicitur: & malleus petras conterit, sine vlla ipsarum cooperatione.

AT facilis responsio est. Nam, vt S. Hieronymus in commentario loci huius admonet, comparat Dominus verba sua cum verbis falsorum Prophetarum, atque in eo discrimen ponit, quòd illi prædicarent ea, quæ auditoribus placebant, quæque eis nihil prodesse poterant, cùm essent vana, & falsa; vnde etiam paleas nominat, quę medullam nõ habent, neque alere & satiare possunt, ipse verò per Prophetas suos flagella, & supplicia imminentia nunciaret, & non dulcia, sed vtilia concionaretur, quæ vim habebant ad Pœnitentiam commouendi. Itaque Dominus verba sua, triticum, ignem, & malleum appellauit: triticum, quòd vtilia, & solida essent, ignẽ, quòd acriter pungerent, ac pudore afficerent auditores; malleum, quòd ad conterenda & humilianda corda non parùm valerent. Proinde metaphora ignis & mallei, nõ ad tollendam hominum cooperationem, sed ad efficaciam prædicationis Propheticæ indicandam, atque ad eam, à somniis & falsis pollicitationibus Pseudoprophetarũ distinguendam, referenda est. Alioqui, sicut ipse Dominus dicitur verbo suo quasi malleo petras conterere, quia Contritionem in nobis, partim interna gratiæ aspiratione, partim externa prædicatione operatur: sic etiam dicuntur homines corda sua conterere, quia diuinæ operationi per liberum cooperantur arbitrium. Sic enim legit Augustinus in Psalm.33. *Iuxta est Dominus iis, qui obtriuerunt cor*, pro eo quod nostra editio habet: *Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Et perspicuè Ioëlis 2. Dominus clamat: *Scindite corda vestra.* Et sicut Ezechiel. 36. Dominus ait: *Dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouũ.* sic etiam ait Ezech.18. *Facite vobis cor nouum, & Spiritũ nouum.* Et sicut Michææ 7. legimus: *Proiiciet in profundũ maris omnia peccata nostra.* Sic etiam legimus Ezechiel. 18. *Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras.* Et quẽadmodum nos Deum oramus: *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Psal.84. sic ille vicissim postulat à nobis: *Conuertimini, & agite Pœnitentiam*, Ezech.18.

QVARE cùm & Deus conterat corda nostra, & nobis imperet vt ea scindamus, & conteramus; cùm det nobis cor nouum, & velit vt nos ipsi nobis faciamus cor nouũ; cùm proiiciat peccata nostra, & nobis, vt ea proiiciamus, mandet; cùm nos ipse conuertat, & Pœnitẽtiam nobis inspiret, & simul, vt conuertamur & Pœnitentiam agamus, iubeat; nulla remanet dubitatio, quin ad Cõtritionem nostram verè cooperemur, & sit Contritio non mera passio, sed etiam actio, eáque voluntaria, ac libera.

TERTIA propositio: *Contritio ad Euãgelium maximè pertinet.* Hæc est aduersus eosdem Lutheranos, & probatur. Primò ex vaticinio Ezechielis, cap.11. & 36. vbi Dominus pollicetur filiis Testamẽti noui, spiritum nouum, & cor carneum pro corde lapideo: idem enim est, cor lapideum & cor durum, idem etiam, cor carneum & cor contritum, vt S. Hieronymus docet in illud Hierem. 23. *Quasi malleus conterens petras.*

SECVNDÒ id probatur. Nã Christus auctor Euangelij, Contritionẽ prædicauit, cùm diceret: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Matth.4. & rursus: *Nõ veni*, inquit, *vocare iustos, sed peccatores ad Pœnitentiam*, Lucæ 9. Apostoli quoque à Christo missi ad euangelizandum, exeuntes prædicabant, vt Pœnitentiam agerent, Marc.6. Et rursus post resurrectionem suam explicans Christus Luc.vlt. quod Euangelium prædicandũ esset in nomine suo: *Oportet*, inquit, *prædicari Poenitẽtiã, & remissionem peccatorum, in omnes Gentes.* Actor.5. Petrus dicit Christum exaltarum à Patre, ad dãdam Pœnitentiam Israëli. Actor.11. *Ergo & Gentibus Poenitentiam dedit Deus ad vitam.* Actor.17. *Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique Poenitentiã agant.* Actor.20. Paulus se prædicasse dicit Iudæis atque Gentilibus, Pœnitentiã in Deũ & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum: & ca. 26. iterum affirmat se prædicasse, vt Pœnitẽtiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna Pœnitentiæ opera faciẽtes. Ac ne omnia persequamur, plena sunt volumina Euangelica & Apostolica, testimoniis. Quare nisi à Pœnitentia Contritionem excludere velint, aut Christũ & Apostolos non Euangelij, sed legis veteris prædicatores faciant, non possunt vllo modo negare, quin Contritio ad Euangelium propriè pertineat.

PRÆTEREA lex vetus, vt à noua distinguitur, non habet promissionem gratiæ, neque eius opera Deo sunt grata. Nam si ex lege esset iustitia: *Christus gratis mortuus esset*, ait Apostolus Gal.2. &, *Qui operatur*, nimirum sine gratia, quæ propria est Testamenti noui, *habet gloriam, sed non apud Deum.* Rom.4. & *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non litera, sed spiritu: litera occidit enim, spiritus viuificat.* 2. Corinth.3. vbi litera Legis sine spiritu Euangelij, tantum abest, vt vitam adferre dicatur, vt etiã dicatur occidere. At Contritio Deo gratissima est, & gratiæ, ac vitæ promissionem habet. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Psal.50. Sacrificiũ autem ideò nominatur, quia instar sacrificij Deo grata & accepta Contritio est. Item in eodem Psalmo: *Cor contritum & humiliatũ Deus non despicies.* Et Isai.66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu?* Et Deuter.4. *Inuenies eum, si quæsieris in toto corde tuo, & in tota tribulatione animæ tuæ.* Et Ezech.18. *Si impius egerit Poenitentiam, &c. vita viuet.* Cùm igitur habeat Contritio, siue Pœnitentia, quę potissimùm in Contritione consistit, promissionem gratiæ & vitæ, sine dubitatione ad Euãgelium potiùs, quàm ad Legem pertinere dicenda est.

DENIQVE si vlla ratio esset, cur Contritio ad Legẽ reiicienda videretur, ea potissimùm esset, quia propriũ Legis est terrere, vt Euangelij proprium est consolari. At iam ostendimus, Contritionem non esse terrorem à Lege incussum. Et prætereà neque illud est verum, Euangelij propriam esse consolationem, non autem minas: siquidem Euangelium, vt mirificè consolatur obedientes, & fideles, ita vehementer inobedientes & infideles exterret. Sic enim de Christo Ioannes concionatur: *Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreũ suum: paleas autem cõburet igni extinguibili.* Matth.3. Et ipse Dominus nõnne passim Matth.5. 13 24. & 25. Marci 9. Luc.12. & alibi, minatur Gehennã, ignem inextinguibilem, vermem qui nõ moritur, tenebras exteriores, stridorem dẽtium, supplicium sempiternum? Et quid est, quod Apostolus ait in ipso principio epistolæ ad Romanos: *Non erubesco Euangelium, virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco, Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum*

hominum eorum, qui veritatẽ Dei iniustitia detinent? certè hoc loco perspicuè Paulus docet, Euangelium continere non solùm credentium salutem, sed etiam minas iræ Dei erga peccatores. Quare nulla omninò remanet dubitatio, quin Contritio ad Euangelium pertinere dicenda sit.

QVARTA propositio: *Contritio non spoliat hominem bonis operibus; & peccatis, ac maledictionibus replet, sed contrà potiùs, & ipsa est opus bonum, & à peccatis liberat, & bona opera, ac benedictiones adducit.* Hæc propositio satis probabitur, si fundamenta Aduersariorum cognoscantur, & euertantur.

DVO sunt igitur fundamenta ipsorum. Vnum, quia experientia testatur, eos, qui veram Contritionem peccatorum habent; seipsos contemnere, ac detestari, nihilque in se boni, sed multa mala agnoscere, atque idcirco se indignos gratia, dignos odio, & supplicijs iudicare. Alterum, quia terrores illos quos ipsi Contritionem vocãr, antequam fides certa remissionis peccatorum accedat, nihil aliud esse volunt, nisi fugam Dei, fremitum aduersus Deũ, viam ad desperationẽ, atque exitiũ sempiternũ.

SED in vtroque multùm errant. Nam quòd homo se bonis operibus vacuum, & peccatis onustum cernat, non est Cõtritionis effectus, sed partim humilitatis, partim discussionis, & cognitionis sui ipsius: Contritio verò, eius cognitionis nõ caussa est, sed effectus. Non enim quia conteritur quis, ideò se peccatis plenum agnoscit, sed è contrariò, quia se **videt** peccatis plurimis coopertum, ideò conteritur, angitur, **dolet.** Quemadmodum in rebus corporalibus, non ideò vulneribus ac morbis replemur, quia dolemus: sed quia vulneribus ac morbis nos plenos cernimus, ideò dolemus. Et facinorosi homines, non quia supplicium timent, & viso patibulo ac iudice, terrentur, ideò furtis, rapinis, homicidiis replentur; sed contrà, ideò timent ac terrentur, quia furta, rapinas, homicidia sua nouerunt. Perperam igitur loquuntur aduersarij, cùm nos per Contritionem omnibus bonis operibus spoliari, & peccatis ac maledictionibus repleri affirmant.

DEINDE, quòd attinet ad alterum fundamentum: nihil absurdius dici potest, quàm, Cõtritionem ante certam illam fidem remissionis peccatorũ, esse fugam Dei, fremitum contra Deum, viam ad desperationem, & exitium sempiternum; præsertim apud Aduersarios, qui Contritionem, etiam vt fidem præcedit, à solo Deo esse contendunt. Nam & Kemnitius loco notato dicit, Contritionem esse opus Spiritus sancti in nobis, non autem liberi arbitrij: & Lutherani illi Saxonici, siue rigidi, in Colloquio Altemburgensi, loco anteà citato dicunt Cõtritionem esse opus bonum, sed Dei, non hominis; hominem enim pati, non agere, dum conteritur. At si Contritio ista opus Dei est, quo pacto tam mala est, vt sit fuga Dei, fremitus contra Deum, & via ad desperationem, & exitium sempiternum? num Deus in nobis id efficit, vt eum fugiamus, vt contra eum fremamus, vt in desperationem, & exitium sempiternũ ruamus? hæc sanè opera non Deo, sed Diabolo auctore digna sunt: nisi cum Manichæis etiam Diabolum Deum faciatis.

DEINDE Niniuitæ, teste Iona cap.3. nónne de remissione peccatorum dubitabãt, cùm dicerent: *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?* & tamen territi & compuncti ad prædicationem Ionæ, non fugiebant à Deo, neque aduersus eum fremebant, sed eum potiùs Pœnitentiæ operibus placare satagebãt, & ea ratione tandem misericordiam impetrarunt. Vera igitur Contritio etiam sine certa fide remissionis peccatorum, non est fuga Dei, neque replet hominem peccatis, neque bonis operibus priuat, sed est potiùs sacrificium Deo gratissimum, & antidotus peccatorum, & via ad gratiam, & salutem.

Compunctio, inquit S. Ephrem in lib. de iudicio extremo, c.5. *sanitas animæ est, illuminatio mentis est: compunctio remissionem delictorum nobis acquirit: compunctio Iesum vnigenitum facit in nobis habitare.* Et infrà: *Grandis*, inquit, *virtus est lachrymarum, multúmque præualent lachrymæ, quæ secundum Deum sunt.* Et S. Ioan. Chrysostomus hom.5. de Pœnitentia: *Pœnitentia*, inquit, *est medicamentum, peccatum extinguens, donum cœlitùs datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans.* Atque ad eundem modum loquuntur cæteri Patres, quos nõ est opus hoc loco adducere, cùm eorum testimonia in laudem Pœnitentiæ siue Contritionis passim occurrant.

NEQVE tamen Contritionem sine omni spe veniæ esse posse concedimus, sed solùm sine certa illa fide remissionis peccatorum, quam Lutherani requirunt: sequimur enim S. Cyprianum in serm. de lapsis, ita loquẽtem: *Nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen iam veniam vindicantes.* A qua sententia Concilium Tridentinum nequaquam recessit, cùm & sess.6. cap.9. detestetur inanem fiduciam hæreticorum, qui certa fide credẽdum esse docent remissa esse peccata: & sess.14. cap.4. cum vera Contritione, spem misericordiæ consequẽndæ coniunctam esse debere affirmet.

CAPVT III.

Contritionem sine speciali Dei auxilio haberi non posse.

ALTERA quæstio erat, Vtrum contritio, quam liberam actionem esse iam demonstrauimus, ita procedat ex libero arbitrio: vt sine speciali Dei auxilio cor humanum præueniente & adiuuante, possit haberi. Quæ sanè controuersia hoc tempore nulla esset, si aduersarij nostri finem aliquem facerent calumniandi. Fuit quidẽ olim cum Pelagianis grauissima concertatio, cùm illi (Augustino teste in lib. de hæresibus, cap.88. & in epist.106.) dicerent, gratiam qua liberamur ab impietate, secundũ merita nostra dari: Catholici contrà, Conuersionem ac Pœnitentiam diuina gratia præueniri, atque inspirari contenderent. Sed hoc tempore satis cum Lutheranis conuenimus, Pœnitentiam, ac per hoc Contritionem, donum esse Dei, nec posse sine diuina inspiratione, solis naturæ viribus obtineri.

QVIA tamen Martinus Kemnitius, in 2. parte Examinis, cap.4. de Pœnitentia, pag.963. scribere ausus est, Concilium Tridentinum stabilire voluisse dogma illud, quod tribuit humanis viribus sine speciali auxilio Dei eam Pœnitentiam, quæ sit sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum: idcirco necessarium esse duximus, Primùm adferre testimonia eiusdem Concilij, & recentium Theologorũ. Deinde sententiã Concilij, & Theologorum, atque adeò totius Ecclesiæ, testimoniis Scripturæ & veterum confirmare.

Igitur Tridentinum Concilium sess.6. cap.5. hæc habet verba: *Declarat præterea (sancta Synodus) ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse.* Deinde cap.6. *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam iustitiam dum excitati diuina gratia, atque adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum, &c.* Tum cap.14. *Qui verò*, inquit, *ab accepta iustificationis gratia per peccatũ exciderũt, rursus iustificari poterũt, cùm excitante Deo per Pœnitẽtiæ Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint.* Et infrà can.3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominẽ credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Denique sess.14. cap.4. non modò non habetur, quod Kemnitius fingit, Contritionem ex solis viribus liberi arbitrij concipi posse; sed etiam distertis verbis ipsa etiam Contritio imperfecta, quam Attritionem dicimus, Concilium esse docet donum Dei, & Spiritus sancti impulsum.

NEC solùm Concilium Oecumenicum, in cuius definitionibus omnes Catholici acquiescunt, sed etiam ce-

lebertimæ Academiæ in articulis publicè editis eam fidem apertissimè profitentur. Exstant articuli Parisienses aduersus Lutheranos editi anno M.D.XLII. eorum articulorum secundus ita habet: *Eadem fidei constantia est tenendum hominem inesse liberum arbitrium, quo potest benè, vel malè agere, & per quod, si etiam in peccato mortali fuerit, Deo adiuuante, ad gratiam resurgere valet.* Exstant etiam articuli Louanienses paulò posteriùs aduersus eosdem Ecclesiæ hostes promulgati, quorum septimus ita habet: *Certa fide tenẽdum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest malè, & cum gratia Dei, bene agere; & post mortale peccatum admissum, Deo adiuuante, pœnitere, & peccatorum remissionem consequi.*

In eandem sententiam scripserunt Theologi Scholastici antiquiores; nam de his qui hoc sæculo vixerunt, aut viuũt, nulla dubitatio esse potest. Nec solùm S. Thomas in 1.2. quæst. 109. art. 6. & 7. & S. Bonauentura in 2. librum Senten. dist. 28. art. 2. quæst. 1. & dist. 30. quæst. 1. & Gregorius Ariminensis in 2. Sentent. dist. 26. quæst. 1. & Marsilius in eundem librum quæst. 17. & alij plurimi, eidem sententiæ apertissimè subscripserunt: sed etiã Scotus, quem accusat Kemnitius nominatim, non vno in loco auxilij diuini in Pœnitentia concipienda necessitatẽ agnoscit. Nam in 1. Sentent. dist. 44. quæst. vnica, scribit, ideò posse quemlibet peccatorem saluari, quia potest eũ Deus sua gratia præuenire: & in 4. dist. 14. quæst. 3. negat ab homine solis naturæ viribus posse cognosci, peccatum esse detestandum, vt offensiuum Dei, atque auersiuum (vt ipse loquitur) ab eo: & in eundem librũ, dist. 22. art. 2. extremo, Pœnitentiam à Deo inspirari fatetur. Quemadmodum autem intelligenda, sint loca quædam eiusdem Scoti, quæ cum his pugnare videntur, explicat Vega in opusculo de iustificatione, quæst. 11.

Iam verò sententiæ huius Catholicæ veritatem aduersus hæreticos Pelagianos ex diuinis literis nullo negotio comprobabimus. Primum Psalmi Dauidis pleni sunt illis vocibus: *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Psal. 84. *Deus virtutum conuerte nos.* Psal. 79. *Errani sicut ouis quæ perüt, quære seruum tuũ.* Psal. 118. Deinde Hieremias c. 31. *Conuerte*, inquit, *me Domine, & convertar.* Et paulò infrà: *Postquam conuertisti me, egi Pœnitentiam.* in quem locũ S. Hieronymus scribens: *Vide*, inquit, *quamũ sit anxitium Dei, & quam fragilis humana conditio, vt hoc ipsum, quòd Pœnitentiã agimus, nisi nos Dominus ante converterit, & nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus.*

Tum Ezechielis cap. 36. disertis verbis Dominus dicit: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis carneum.* quod certè nihil aliud, quàm donum Contritionis veraque Pœnitentiæ significare potest.

Adhæc Luc. 22. Conuersus Dominus respexit Petrum, & talem in eo contritionem excitauit, vt continuò amarissimè fleuerit: in quem locum scribens Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Quos*, inquit, *Iesus respicit, plorant delictum. Negauit Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus: negauit secundò, & non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus: negauit tertiò, & respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit.*

Denique, vt alia prætermittam, quid apertius illo B. Pauli testimonio, qui in epistola posteriore ad Timotheum cap. 1. monet 5 cum modestia corripiendos esse eos, qui resistunt veritati: *Ne quando det illis Deus Pœnitentiam, ad cognoscendã veritatẽ, & resipiscãt à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur?* quẽ locũ adducens August. li. 5. in Iulianum, cap. 3. *Quantũlibet*, inquit, *præbeat patientiam, nisi ipse dederit, quis agit Pœnitentiã?* Et lib. de fide ad Petrũ, cap. 31. ex eodem Pauli testimonio dogma Ecclesiasticũ his verbis proponit, siue Augustinus, siue Fulgẽtius eius libri auctor fuerit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubita, neminem hic posse Pœnitentiam agere, nisi quẽ Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione converterit.*

His accedunt veteris Ecclesiæ apertissimæ definitiones. Nam inprimis in Synodo Palæstina, in qua ipse etiam Pelagius errores suos anathematizare compulsus est, illud inter cætera declaratum fuisse scribit Augustinus in epistola 106. Pœnitentiam donum esse Dei. Deinde in Concilio Arausicano II. ca. 4. iterum explicatum est, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri, non tantùm vt à peccatis purgemur, sed etiam vt purgari velimus.

Idem quoque docuerũt doctissimi Apostolicæ sedis Præsules, Innocentius, Cœlestinus, & Leo. Innocẽtius in epistola ad Concilium Carthaginense, vt ad rectã redeamus viam, diuino adiutorio nos egere confirmat. Cœlestinus in epist. ad Episcopos Galliarũ, can. 11. idipsum probat ex orationibus Ecclesiæ, quibus à Deo petimus, vt infidelibus detur fides, & vt lapsis Pœnitentiæ remediũ conferatur; & ex gratiarum actione, quam Deo pro illuminatione infidelium, & lapsorũ correctione deferimus. Leo in epist. 91. ad Theodorũ Episcopum: *Ipsum*, inquit, *Pœnitentiã ex Dei credimus inspiratione conceptã, docente Apostolo: Ne forte det illis Deus Pœnitẽtiã.* Sed de his satis.

CAPVT IV.

In contritione includi odium, ac detestationem peccati Præteriti.

Certia controuersia erat, vtrum contritio includat odium ac detestationem peccati præteriti. Lutherus enim initio defectionis suæ à Catholica Ecclesia, inter alia multa hæretica paradoxa, hoc etiam excogitauit ac docuit, non esse veram Contritionem siue Pœnitentiam, odium vitæ præteritæ, sed amorem iustitiæ, & nouam vitam.

In sermone de Pœnitentia, loquens de Contritione, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorũ, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, sic ait: *Hæc tristitia facit hypocritam, immò magis peccatorem.* Et quamuis paulò pòst, dum hoc probare nititur, non videatur damnare peccati detestationem absolutè, sed solùm eam quæ oritur ex timore seruili: tamen in consequentibus verbis apertè damnat absolutè peccati detestationem, cùm ita loquitur: *Plus tibi discutiendum est confessuro, quantum dutigas iustitiam, quàm quantum odias peccatum: multòque maiore, imò solo. hoc labore tibi cogitandum est, quomodo futuram vitam agas bonã, quàm quomodo odias, aut deseras præteritam malã. Verissimum est enim proverbium, & omni doctrina de contritionibus hucvsque data præstantius, Optima Pœnitentia, nouã vita.* Hæc ille: qui, vt vides, solùm in eo laborandum iubet, quomodo vitam agas bonam, non quomodo præterita oderis mala. Idem etiam Lutherus in epist. ad Ioãnem Staupitium Vicarium ordinis S. Augustini, quæ exstat in primo tomo operum eius, non obscutè scripsit, nomen Pœnitentiæ non significare odium, vel dolorem de vita præterita, sed amorem, dilectionẽmque iustitiæ, neque enim aliquid habere amarum vel acerbũ, sed omnia grata, & dulcissima. Denique circa primam conclusionem resolutionum suarum: *Non ergo*, inquit Lutherus, *in vsu Scripturæ sacræ Pœnitentia dolor dicitur, sed mutatio mentis, & consilij.* Hæc ille.

Sed ab hoc Lutheri paradoxo, iam omnes Lutherani recessisse videntur: ac, vt alios omittam, Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 954. sic loquitur: *Hinc sequitur dolor conscientiæ grauiter dolentis se peccasse, & peccatis offendisse Deũ, incipit igitur peccatum odisse, & detestari, &c.* Sic etiã Ioannes Caluinus lib. 3. Iustitut. cap. 4. §. 2. *Equidẽ*, inquit, *sedulò & acriter instandum esse fateor, vt quisque amarè deflendo sua peccata, se ad eorum dissidentiã & odiũ magis acuat.* Ipse etiã Lutherus, cùm in articulis, Smalchaldicis, tùm alibi, vt cap. superiore citauimus, dolorẽ de peccatis præteritis concipiendum esse cõfirmat.

Hæc igitur veritas, quam aduersarij vel inuiti co-

guntur

guntur agnoscere, ex diuinis literis, ex veterum testimoniis, & ex ipsa naturalis iudicij ratione breuiter confirmanda est.

Primvm igitur in Scripturis, tùm per se, tùm per Apostolos & Prophetas, Deus peccata frequentissimè in memoriam peccatoribus reuocabat, cuius nulla alia ratio reddi potest, nisi vt ipsi quoq; ea recogitarent, & detestarentur. Gen. 3. dixit Deus mulieri: *Quare hoc fecisti:* Gen. 4. dixit idem Dominus Cain: *Quid fecisti?* Iudicum 2. Deus per Angelum populum increpat. *Nolnstis audire vocem meam: quare hoc fecistis?* Isaiæ 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Hier. 7. *Et misi ad vos omnes seruos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo, & mittens, & non audierunt me.* Et c. 8. explicans quid sit, de quo queritur Deus: *Nullus est*, inquit, *qui agat Pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci?* vbi perspicuè vides, Pœnitentiam referri ad peccata præterita detestanda. Ezech. 16. *Notas fac Hierusalem abominationes suas.* Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.* Sanè fletus, & planctus, & ipsa scissio cordis, non ad vitam nouam, sed ad peccata vetera pertinent. Denique Prophetæ omnes in hoc maximè laborabant, vt cohortationibus suis ad peccata agnoscenda, ac detestanda populum prouocarent.

Nec minùs in Testamento nouo Christus ipse assiduè peccata Scribarum, & Pharisæorum arguebat, ac præsertim Matth. 23. vt etiam Petrus Act. 2. & Stephanus Act. 7. Paulus Act. 13. reuocant in memoriam Iudæis peccata ipsorum, atque illud maximè, quòd Christum interfecerint.

Deinde idem ostendunt scripturarum exempla. Nam Iob de seipso dicit, cap. 39. *Vnum verbum loquutus sum.* Et paulò pòst: *Idcirco me reprehendo, & ago Pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Videmus certè exemplo Iob, ad præterita mala Pœnitentiam pertinere. Dauid Psal. 50. *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Ezechias apud Isaiam cap. 38. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quare cùm Lutherus in sermone suo de Pœnitentia, reprehendit eos, qui recogitant omnes annos suos in amaritudine animè suæ, Ezechiam reprehendit: eius enim sunt verba illa. Mulier illa peccatrix Luc. 7. lachrymis rigans pedes Domini, non vitam nouam, sed vetera peccata deflebat. Sanctus etiam Petrus Luc. 22. fleuit amarè non ob aliud certè, nisi quia Dominum suum negando, graue scelus admiserat.

Accedant nunc testimonia aliqua Patrum. Cyprianus in serm. de lapsis, non procul à fine: *Vos verò fratres*, inquit, *quorum timor in Deum pronus est, & in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est, pœnitẽtes ac dolentes, peccata vestra perspicite, grauissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, &c.* Gregorius Naziãzenus orat. in sancta lumina, scribit, se pœnitentes recipere, si lachrymis confectos videat. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. c. 10. *Dum dolemus*, inquit, *admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ, disciplina innocentiæ.* Chrysost. in 1. lib. de compunctione cordis, propè extremo: *Quid corporis*, inquit, *viribus opus est, cùm cor conterere debeamus? hoc solùm est, quod à nobis exposcitur, vt semper recordemur mala nostra, & ad animum reuocemus, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt per hæc supplicemus Domino, & Gehennam ponamus in conspectibus, &c.* Hieronymus in com. ad c. 31. Hier. explicans illud: *Postquam cognoui, percussi femur meũ. Dolentis*, inquit, *& plangentis, & super errore pristino plorantis indicium est, vt femur manu percutiat.* Et infrà: *Quod tempus*, inquit, *non est confusionis nostræ, si recordemur antiqua peccata, & omnium quæ malè egimus, capiamus memoriã?* Augustinus in Enchir. c. 65. *In actione*, inquit, *Pœnitentiæ, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris: cor enim contritum, & humiliatum Deus non spernit.* Item sermo. 7. de tempore: *Pœnitentiam*, inquit, *certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente: iam tunc bene ingemiscis apud Deum, & dicis, Tibi soli peccaui, &c.*

Denique huc pertinet definitio illa communis: *Pœnitentia est, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*, ex Gregorio homil. 34. in Euangelia: qui etiam 3. par. Pastoralis, cap. 31. ita de hac re loquutus est: *Admonendi sunt, qui admissa deserunt, neque tamen plangunt, ne iam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant.*

Quod si etiam rationis iudicium consulatur, dubium esse non poterit, quin Pœnitentia siue Contritio, includat odium culpæ præteritæ. Nam & naturalis est illa Syndereſis, quæ malè facta in corde flagellat, etiamsi exteriùs non modò non puniantur, sed ne cognoscantur quidem: & apud Ethnicos dicuntur furiis agitari, qui grauibus se sceleribus inquinarunt.

Adhaec, non videtur intelligi posse, quo pacto quis peccata deserat, & ad vitam meliorem se transferat, nisi peccata, & vita pristina, atque adeò ipse sibi displicere incipiat: cur enim deserit, quod hactenus placuit, nisi quia placere iam desiit? *Nemo*, inquit Augustinus, hom. 27. in lib. 50. homiliarum, *eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet.*

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones.

NequE Lutheri argumenta vllius sunt ponderis. Obiiciebat ille inprimis nomen Græcum Pœnitentiæ μετάνοιαν, quod Lactantij testimonio Resipiscentiam significat.

Sed vanum est, etymologiam potiùs nominis, quàm vsum eius considerare. Nam idem Lactantius lib. 6. diuinarum institutionum, c. 24. vbi nomen illud μετάνοια, Resipiscentiam significare dicit, addit, eos verè resipiscere, quos errati pœnitet, & qui se ipsi castigant dementiæ. Et Tertullianus, qui li. 2. in Marcionem scriptum reliquit, nomen Græcum Pœnitentiæ non à delicti confessione, sed à mentis demutatione dictum esse, in libr. de Pœnitentia fusissimè docet, veram Pœnitentiam exigere odium, ac detestationem vitæ præteritæ, cõfessionem peccatorum, opera laboriosa, & alia id genus multa. Et Ausonius, vt in primo libro citauimus, Metanœam esse docuit Deam, quæ facti, non factique pœnas exigit. Denique Aristoteles libro 3. de moribus, cap. 1. apertissimè docet, Pœnitentiam ad præteritum factum referri: nam cùm vellet ostendere, non esse inuoluntarium, quidquid fit per ignorantiam, eo argumento vsus est, quia non semper homines pœnitet facti, neque dolent cùm resciscunt quid fecerint.

Secvndò, Lutherus obiicit Prouerbium illud: *Optima Pœnitentia, nouæ vitæ.* & valde miratur, quid in mentem venerit Leoni Pontifici, vt prouerbium illud damnare voluerit, cùm prouerbia consensu omnium verissima esse soleant.

At non damnauit summus Pontifex prouerbium, sed prauam Lutheri expositionem. Neque enim prouerbio illo significare volunt homines, ad Pœnitentiam nihil aliud exigi præter vitæ nouitatem: sed vitæ nouitatem esse certissimum veræ Pœnitentiæ argumentum. Qui enim sic peccata deflent, vt mox ad eadem reuertantur, aut etiam nunquam deserant, nihil omninò proficiunt: id quod pulchrè docuit Spiritus sanctus per Ecclesiasticum, c. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum,*

quid proficit lauatio illius? sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem facit, quid proficit humiliando se? Et S. Gregorius hom. 34. in Euang. *Qui sic*, inquit, *alia peccata deplorat, vt tamen alia committat, Pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat.* & in lib. de cura pastorali, par. 3. c. 31. dicit, eos flendo inaniter se lauare, qui culpas post lachrymas repetunt: & in epist. ad Theodistam patritiam, lib. 9. epist. 39. copiosè refellit errorē quorundam, qui dicebant, de quolibet peccato Pœnitentiam triennio agendam, ac pòst in voluptatibus viuendum. Denique prouerbium illud rectissimè Ambrosius, seu quicunque est auctor eorum commentariorum, exponit, in c. 2. posterioris ad Corinthios, vbi sic loquitur: *Hæc vera Pœnitentia est, iam cessare à peccato: sic enim probat dolere se sibi, si de cætero desinat.*

TERTIÒ, obiiciebat verba illa beati Pauli: *In Christo enim Iesu, neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed noua creatura*, Gal. 6.

AT B. Paulus non opponit nouæ creaturæ, Pœnitentiam, quæ est via ad nouam creaturam, sicut nec Baptismum, qui est instrumentum, quo efficitur noua creatura, sed circumcisionem, quæ post Christi aduẽtum nullam vim habet ad iustificandum, vt nec præputium. Itaque nunquam Paulus diceret: Neque Pœnitentia, neq; Baptismus, aliquid valent, sed noua creatura: neque enim Paulus cum Petro committendus est, qui Actio. 2. concionabatur: *Pœnitẽtiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrũm.* Et Actor. 8. ad Simonem Magum: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Multò etiam minùs B. Paulus Ioãni baptistæ, & Christo ipsi repugnaret, qui prædicationem ab illis verbis exorti sunt: *Pœnitentiam agite.*

ADDE, quòd Apostolus in epistola ad Galatas, non videtur loqui de iustificatione à peccato, sed de operibus iustificatorũ: est enim sensus verborum eius, Iis qui sunt in Christo iam per Baptismum renati, & iustificati, noua vita necessaria est, siue (vt ibidem ipse loquitur) Fides, quæ per dilectionem operatur, vt nimirum iustè, sobriè, & piè viuant in hoc sæculo: neque periculum vllum imminet si præputium gerant, neque vtilitatem vllam adferre poterit circumcisio. Quocirca locus iste nihil facit pro errore Lutheri, neque ad Pœnitentiam pertinet, quæ iustificandorum est, non iustificatorum.

QVARTÒ, posset obiici pro Luthero locus ille Apostoli 2. Corin. 7. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* hîc enim videtur Paulus ita tristitiam à Pœnitentia separare, vt Pœnitentia tristitiam non includat, licet ab ea oriatur. Quod etiam confirmant verba sequentia, vbi Paulus explicans quid sit Pœnitentia, quam tristitia illa peperit: nihil aliud ponit, nisi opera quædam bona, quæ noua vita dici possunt: *Ecce*, inquit, *hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.*

SED non est vsque adeò difficilis responsio. Nam per tristitiam non intelligi ab Apostolo dolorem de peccatis, qui pars Pœnitentiæ est, sed mœrorem quendam ex obiurgatione natum, qui ad Pœnitentiam, id est, ad peccati detestationem inducit, ostendimus in libro superiore, c. 19. neque in illis verbis: *Ecce enim hoc ipsum contristari vos, &c.* explicat Paulus quid sit Pœnitentia, sed effectus potiùs, ac fructus Pœnitentiæ. Adde etiam, quòd si B. Paulus eo loco Pœnitentiam ipsam explicaret, nihil inde pro Lutheri errore colligi posset, siquidem inter alios actus numerantur etiam indignatio & vindicta, quæ non nisi ad præteritum peccatum commodè possunt referri.

QVINTÒ posset obiici, quod stultum esse videatur, nolle id esse factum, quod non potest non esse factum. Qui autem de peccato præterito dolent, quid aliud cupiunt, ac volunt, quàm se non peccâsse? vt verò non peccauerit qui iam peccauit, nullo modo fieri potest. Satius igitur videtur esse, cogitare de bona vita instituenda, quàm anxium esse de malè transacta.

AD hoc respondemus, stultum planè videri, absoluta voluntate id optare, quod nulla ratione fieri potest. Proinde qui de peccato dolet, non dicunt, (si sani sunt) Nolo me peccâsse: sed cum conditione, Si fieri posset, nollem peccâsse, & quia fieri potuit aliquando, & mea culpa non est factum vt non peccarem, ideò iustè doleo, méque ipse accuso ac repræhendo, quòd peccauerim.

NEQVE enim probandum est quod Hadrianus, q. 1. de Pœnit. docet, ne conditionalem quidem voluntatem haberi posse impossibilium. Nam si desiderium haberi potest, vt ipse fatetur, rei amissæ, cur non etiam voluntas conditionalis, vt (si fieri posset) res illa non esset amissa? siquidem desiderium illud naturaliter hanc voluntatem conditionalem parit. Certè qui mortuum defient amicum, non ideò lugent, quia diligunt amicum: sed quia nollent periisse quem diligunt. Et Dauid cùm diceret: *Absalon, fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* 2. Reg. 18. quid aliud significabat, quàm optare se, si fieri posset, filij mortem propria morte redimere? Et Apostolus Paulus cùm diceret: *Nolumus expoliari, sed superuestiri.* 2. Corin. 5. non id volebat, absolutè non mori, cùm in eodem loco subiungat: *Bonam voluntatem habemus, peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominũ.* Et Phil. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*: sed volebat, si fieri posset, non incidisse hominẽ in hanc moriendi necessitatem. Christus quoq; satis apertè volebat, si fieri posset, vt calix transiret, tametsi non ignorabat, id iam esse à Patre statutum ac definitum, vt biberet illum. Denique ipse etiam Aristoteles in 3. lib. de moribus, c. 2. negat impossibilium esse electionem, sed voluntatem tamen esse concedit, nimirum conditionalem: nemo enim eligit semper viuere, cùm id fieri nequeat, sed vellet tamen vnusquisque, si posset, nunquam mori.

CAPVT VI.

In Contritione includi propositum rectè viuendi.

QVARTA sequitur quæstio, includát ne contritio propositum rectè viuendi, an solam peccati detestationem. Et quidem Hæretici huius temporis variè de quæstione ista loquuntur. Qui enim contritionem fide posteriorem faciunt, vt Lutherus in illis omnibus locis, quos capite superiore citauimus, & Caluinus libr. 3. Institut. capit. 3. ij facilè admittunt, propositum benè viuendi ad contritionem maximè pertinere. Qui autem contritionem fide priorem esse volunt, & Pœnitentiam diuidunt in contritionem & fidem: ij contritionem solis terroribus conscientiæ, & peccati detestatione ex terroribus illis concepta definiunt, propositum autẽ rectè viuendi, fructum fidei, non contritionis partẽ esse docent. Atq; in hac sententia Lutheranorum pars maxima versari mihi videtur: loca allata sunt, tum in primò capite huius libri, tùm c. 18. libri superioris.

PORRÒ, Catholici Scriptores in eo quidem consentiunt, vt ad veram contritionem, & peccati detestatio, & vitæ melioris propositum requiratur: sed in eo non conueniunt, vtrum hoc propositum expresè, & formaliter necessarium sit, an sufficiat virtuale, atque implicitum. Neque enim dubitari potest, quin is, qui seriò peccata sua odit, ac detestatur, & ob ea perpetrata dolet: cupiat simul, ac velit saltem implicitè, & virtualiter, vt sic loquamur, deinceps in melius vitam mutare.

ET quidem veteres Theologi, vt Petrus Lombardus lib. 4. distinct. 14. & 15. Alexander Alensis in summa Theologica par. 3. q. 69. m. 9. art. 2. S. Thomas in 4. Sent. dist. 17. quæst. 2. art. 1. & 3. parte, quæst. 86. art. 2. & libr. 3. contra Gentes, cap. 158. & lib. 4. cap. 72. Scotus, Durandus, Albertus, & alij in 4. Sent. dist. 14. vel 17. simpliciter docent

docent de ratione contritionis esse, cùm detestationem peccati, tùm propositum benè viuendi: & quamuis non distinguat inter formale, & virtuale propositum, tamen satis apertè indicant de formali se esse loquutos. Id quod apertiùs posteà docuerunt Hadrianus Pontifex VI. in quinto quodlibeto art. 3 Thomas Caietanus in additionibus ad 3. partem S. Thomæ, q. 1. artic. 1. Dominicus à Soto in 4. Sent. dist. 17. q. 2. artic. 1. & Melchior Canus in relectione de Pœnitentia, part. 1.

NON defuerunt tamen pauci quidam, qui contrà disputauerint, ac virtuali proposito, quod in peccatorum detestatione includitur, contenti, formale propositum necessarium esse, & in ratione contritionis includi negauerint. In iis fuerunt Ioannes maior & Iacobus Almaynus in 4. Sent. distin. 14. q. 1. & qui eos sequutus est, Andreas Vega lib. 13 in Concilium Trident. ca. 21.

SED nobis communis, ac trita à veteribus via semper visa est tutior, & commodior. Probatur igitur, ad contritionem requiri explicitum, ac formale propositum vitæ melioris. Primò, ex diuinis literis. Amos 5. *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta iudicium: si forte misereatur Dominus Deus exercituum*, Isa. 1. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere peruersè, discite benefacere.* Et mox: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Hîc vides promissionem remissionis peccatorũ post bona opera, saltem desiderio & proposito inchoata. Rursus Ezech. 18. *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam: vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Hoc loco verba illa: *Et custodierit omnia præcepta, &c.* ad votum, & propositum custodiendi mandata, referenda esse videntur, non ad ipsam mandatorum obseruationem: neque enim vno die, aut vna hora, seruari possunt omnia mandata. Neque tamen expectanda est remissio peccatorum ad longum tempus, cùm idem Propheta cap. 33. dicat *Quacunque die peccator conuersus fuerit*, indulgentiam habiturum.

AD hunc locum respondere conatur Vega loco citato, ac tria dicit. Primùm, obiicit verba illa eiusdem capitis: *Conuertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* vbi nulla fit mentio propositi seruandæ legis: & tamen promittitur remissio peccatorum. Sed hic locus nobis apertissimè fauet. Nam cùm dixisset Propheta: *Conuertimini, & agite Pœnitentiam*, continuò explicuit quid sit conuerti, & agere Pœnitentiam, dicens: *Proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* vbi vides quàm distinctè duo illa ponantur, quæ nos ad veram Pœnitentiam, siue contritionem requiri diximus.

SECVNDÒ Vega addit, illa verba: *Et custodierit omnia præcepta, &c.* à Propheta adiecta fuisse, vt intelligeremus, præter pœnitentiam de admissis necessarium esse, non adiicere alia noua peccata, iuxta illud Gregorij, hom. 34. in Euangel. *Quid prodest, si peccata quis luxuriæ deflcat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelet? quid prodest si iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat?* Sed hæc responsio excluditur per vniuersalem particulam, quam Ezechiel ponit, cùm ait: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis.* Qui enim agit Pœnitentiam ab omnibus peccatis, frustrà admonetur, ne dum vnum luget, aliud committat: neque enim fieri potest, vt quis eo tempore auaritiæ æstibus anhelet, aut inuidiæ facibus tabescat, qui non solùm luxuriæ, atque iræ, sed omnium vitiorum culpas luget.

TERTIÒ idem Vega respondet, illa verba: *Et custodierit omnia præcepta, &c.* posita esse contra illorum errorem, qui post Pœnitentiam peractam, licitum esse putant, ad sordes pristinas reuerti, vt Ezechiel nihil aliud voluerit, quàm post iustificationem per Pœnitentiam adeptam, in iustitia permanendum esse: Sed repugnat huic expositioni, quòd Propheta satis apertè demonstrat, duo illa, Pœnitentiam videlicet à peccatis, & mandatorum obseruationem, in voto scilicet & proposito, viam quandam esse ad iustificationem, & proinde priora esse debere ipsa remissione peccatorum. Sic enim ait: *Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta, &c. vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor.* ex quo etiam refellitur error eorum Lutheranorum, qui nouæ obedientiæ propositum, post iustificationem constituunt.

AD HAEC, illæ omnes Scripturæ, quæ Pœnitentiam per conuersionem describunt, qualis est illa inprimis, Ioël. 2. *Cõuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu*, sententiam nostram apertè confirmant: siquidem conuersio ad Deum, idem est, ac voluntas placendi Deo per obseruationem mandatorum, sicut auersio à Deo, voluntas est præuaricandi. Quemadmodum igitur sine conuersione contritio esse non potest, ita nec sine proposito placendi Deo per mandatorum obseruationem.

HVC etiam facit, quod Apostolus ait ad Ephes. 4. *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem* & quod S. Gregor. scripsit hom. 34. in Euang. veram Pœnitentiam esse, admissa peccata plangere, & plangenda non committere: quã definitionem Theologi omnes magno consensu receperunt.

HVC pertinent quoq; exempla rerum humanarum: nam & domini à seruis, & parentes à filiis, quos post offensionem in gratiam recipiunt, non magis peccati confessionem, quàm propositum vitæ melioris exquirunt.

SED quod me maximè ad hanc sententiam amplectendam ac defendendam mouet, est sacrosancta Florentinæ ac Tridentinæ Synodi auctoritas. In Concilio Florentino, in institutione Armenorum, & in Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 4. ita contritio explicatur, vt sit *Dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Neq; verò responderi potest, Concilia ista loqui de proposito implicito. Nam cùm propositum implicitum à peccati detestatione nullo modo separari possit: sine caussa Concilia addidissent illa verba: *Cum proposito non peccandi de cætero.* quorsum enim ista expressio, si propositum non expresè requiritur? Si Concilia ita posuissent, Contritio est detestatio peccati commissi cum proposito implicito non peccandi de cætero, nemo esset qui non iudicaret superuacaneam partem illam posteriorem definitionis, cùm detestatio peccati sine proposito illo implicito nunquam reperiatur. Igitur aut verba illa de formali proposito intelligenda sunt, aut certè, quod absurdissimum est, superuacanea sunt. Quid, quòd in eodẽ cap. 4. Concilium Tridẽtinum paulò pòst adiungit, propositũ nouæ vitę principaliter in contritione contineri, cùm sic ait: *Declarat igitur sancta Synodus, Contritionem non solùm cessationem à peccatis, & vitæ nouæ propositum, sed etiam veteris odium continere?*

DENIQVE sicut peccati detestatio, propositũ non peccandi implicitum & virtuale includit: sic etiam contrà propositum non peccãdi, detestationem peccati implicitam & virtualem includit. Quare si detestatio peccati cõmissi sine proposito formali non peccandi de cætero, ad iustificationem aliquando sufficit, sufficiet etiam aliquando propositum non peccãdi de cætero, sine formali detestatione peccati cõmissi: nulla enim ratio reddi potest, cur hæc paria non sint. Atqui ipse etiam Vega, loco citato, rectè negat, sine detestatione formali peccati cõmissi per solum propositum non peccandi de cætero, impium posse iustificari: negandum igitur etiam est,

sine

sine proposito formali non peccandi de cætero, per solam detestationem peccati commissi, impium posse iustificari. Sed respondendum est argumentis, quæ contrà obiiciuntur à Vega.

CAPVT VII.

Soluuntur obiectiones.

PRIMA obiectio continet exempla multorum, qui testimonio Scripturæ & Patrum, iustificationem adepti esse videntur sine formali proposito vitæ melioris. Nam 2. Reg. 12. Dauid mox iustificatus est, vt corde & ore dixit: *Peccaui Domino*, de qua re loquens Augustinus homil. 41. *Tres*, inquit, *syllabæ sunt*, Peccaui, *sed de his tribus syllabis flamma sacrificij coram Domino ascendit in cœlum*, & Chrysost. hom. 9. de Pœnit. *Dic*, inquit, *Peccaui, & soluisti peccatū*. De Manasse 2. Paral. 33. nihil aliud legimus, nisi eum Pœnitentiam egisse, & orâsse Dominum. De Niniuitis Ionæ 3. habemus conuersionem à peccatis, ieiunium, saccum, & orationem: propositi melioris vitæ nulla mentio. Idem dici potest de filio prodigo, Luc. 15. & Publicano Luc. 18.

RESPONDEO, ex allatis exemplis non potest rectè colligi, Dauidē, Manassem, & cæteros, sine formali proposito vitę melioris iustificatos esse. Nam etiamsi Dauid non dixerit, nisi, *Peccaui*: tamen credendum est, eo modo verbum illud ab eo pronunciatum, quo pronunciari oportebat, vt tam subita sequeretur iustificatio. Neque enim quicunque dicit, *Peccaui*, iustificatur: cùm sciamus Iudam dixisse Mat. 27. *Peccaui, tradens sanguinem iustum*, & tamen iustificatum minimè fuisse. Dauid igitur perfecta conuersione à Deo intus mutatus est, & dolorem de peccato, & propositum non peccandi, sine dubio habuit, quod & coram Nathan vno verbo, & multis verbis in Psalmis suis postmodum expressit. Porrò de Manasse cùm Scriptura dicat, eum egisse Pœnitentiam valdè, quis prohibet, nomine Pœnitentiæ non solùm dolorem de peccato, sed etiam propositum vitæ melioris, & opera Pœnitentiæ eo loco accipere? Conuersionem quoq; Niniuitarum à Iona expressam, non video cur ad solam peccati detestationem restringere cogamur, cùm etiam opera Pœnitentiæ in eis legamus, quæ sine proposito benè viuendi effici non poterant. Denique Publicanus, & filius Prodigus, qua fronte veniam peccatorum postulâssent, nisi decreuissent non ampliùs eum offendere, à quo veniam postulabant? Ac vt intelligas, non posse ex solis verbis iudicium fieri de animo pœnitentis, expende quid Apostolus dixerit, cùm à Christo vocatus, & ea vocatione conuersus, & iustificatus fuit: nam neque peccâsse se dixit, neque peccata detestari, sed solùm: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. Quemadmodum igitur non licet argumentari, Paulum non habuisse de peccatis suis dolorem, etiamsi verbis nihil aliud expressérit, nisi propositum Domino seruiendi: sic etiam non oporteret, colligere, Dauidem, Manassem, & cæteros in exemplum adductos, non habuisse propositum rectè viuendi, etiamsi verbis nihil aliud expressissent, nisi dolorem atque odium peccatorum.

SECVNDA obiectio: *Contritio seu pœnitentia, supposita fide & spe, per legem & gratiam Dei, sufficit Christiano ad veniam obtinendam. At contritio non includit propriè, nisi actum, quo nolumus Deum offendisse; igitur sine proposito formali vitandi deinceps peccata, per solam peccati præteriti detestationem iustificari possumus.* Assumptionem probat duobus argumentis. Primò, quia nomen Pœnitentiæ, tùm Græcum tùm Latinum, ad præteritum, non ad futurum respicit. Secundò, quia propositum vitandi peccata, propriè actus est charitatis, siue obedientiæ, non Pœnitentiæ.

RESPONDEO, assumptio argumenti falsa est. Nam Concilia, Florentinum & Tridentinum suprà citata, apertissimè ponunt in definitione contritionis, propositum non peccandi de cætero, & idem docent ex B. Gregorio Theologi omnes, qui Pœnitētiam definiunt: *Admissa peccata plangere, & plangenda non admittere.* Et S. Thomas, quem in hac parte sequimur, in 3. par. Summæ q. 87. art. 1. *Pertinet*, inquit, *ad rationem veræ pœnitentiæ, quòd non solùm homo doleat de peccato præterito, sed etiam proponat cauere de futuro.* & idem confirmat in responsione ad primum, & alibi multis in locis.

QVOD autem contrà obiicitur de nomine Pœnitentiæ, vanum est: nam, vt sæpe diximus, non tam sequenda est etymologia, quàm vsus Scripturæ & Patrū, in vera significatione vocabulorum assequenda. Neque verum est, quod obiicitur, Græcam vocem μετάνοιαν, ad præteritum, non ad futurum respicere: nam Tertullianus Græcæ linguæ peritissimus, lib. 2. in Marcionem, disertis verbis contrarium asserit, cùm sic loquitur: *In Greco sono, pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Et sanè, μετάνοια, si etymologiam inspicias, nihil est aliud, nisi Pòst sapere: proinde ad futurum potiùs, quàm ad præteritum pertinet. Sed hæc, vt dixi, inania sunt.

QVOD verò addebatur in probatione assumptionis, propositum cauendi peccata esse actum charitatis, vel obedientiæ, non Pœnitentię, facilè retorqueri potest in auctorem. Nam etiam actus ille, quo nolumus Deum offendisse, charitatis est, si absolutè consideretur. Quēadmodum igitur actus, quo nollemus Deum offendisse, absolutè charitatis est, & tamen vt refertur ad peccatum delendum, & amicitiam cum Deo reconciliandam, Pœnitentiæ est; sic etiam propositum vitandi peccata, absolutè charitatis, vel obedientiæ est, cùm etiam iustis conueniat, qui non indigent Pœnitentia, tamen vt assumitur ab eo qui peccauit, ad compensandam iniuriam Deo factam, & amicitiam redintegrandam, Pœnitentiæ est. Siquidem Pœnitentia, vt S. Thomas docet 3. par. q. 85. art. 3. pars quædam est potentialis iustitiæ, cuius proprium officium est, cōpensare iniuriam Deo factam, vt inde reconciliatio consequatur: compēsatur verò iniuria per detestationem peccati, & propositum seruandi mandata, & cætera omnia adhibēdi, quæ Deus requirit.

TERTIA obiectio: *Dolor de peccatis propter offensam Dei, virtute includit propositū non peccandi de cætero: igitur ad reconciliationem sufficiet, etiamsi non distinctè feratur in futura. Qui enim sic dolet, non minùs perfectè vniri poterit Deo, quàm ille, qui actu haberet eiusmodi propositum.*

RESPONDEO, si quid hoc argumentum concludit, efficiet etiam, vt propositum peccata vitandi, in quo virtualis dolor de præteritis continetur, sufficiat ad reconciliationem, sine formali ac distincto dolore de peccatis admissis, quod tamen disertis verbis negat is, cuius nunc argumenta refellimus. Dico igitur non posse fieri, vt verus sit in animo dolor de peccatis admissis, quin continuò oriatur etiam propositum vitandi peccata futura: sicut neque è contrario fieri potest, vt quis ex vera charitate proposito animo concipiat non peccandi, quin continuò exsurgat dolor de peccato admisso, & nondum per indulgentiam Dei dimisso, neque erit vera contritio, quæ dolorem adferat de peccato præterito, sine proposito non peccandi de cætero, neque erit vera charitas, quæ amorem iustitiæ sine peccati odio gignat in eo, qui sibi peccati lethalis conscius sit.

QVARTA obiectio: *Apud homines benignos sola vehemens patratæ culpæ detestatio, nonnunquam impetrat illius veniam: Deus autem longè magis benignus est, quàm vlli homines sint. Neque credibile est, Christum expectare voluisse, vt Petrus decerneret nunquam ampliùs peccare, sed continuò peccatum ei remisisse, cùm eum amarè plorantem vidit.*

RESPON

RESPONDEO, benigni homines ad solam culpæ confessionem ac detestationem ignoscunt, quia non dubitant, quin ij, quos ita culpas detestari vident, iam animo propositum conceperint non peccandi de cætero: nam alioqui etiam per tormenta promissionem illam extorquent. Porrò S. Petrum dum amarè flebat, simul & peccatum detestatum esse, & propositum non peccandi concepisse, & veniam etiam à Deo si non ore, certè corde postulâsse, omninò credibile est: id enim experimur in nobis, & in aliis, qui spiritu compunctionis accepto, ferìò peccata sua detestantur ac deflent.

QVINTA obiectio. Petitio veniæ cum displiccntia peccati, licet sit absque formali proposito deuitandi peccata, satis est ad obtinendam remissionem peccatorum. Isaiæ 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Quis non videt, sola hîc duo requiri ab impio, vt obtineat apud Deum misericordiam, & ea illum præstare, si detestetur peccata sua, & misericordiam ab ipso humiliter flagitet? *Facilè*, inquit Ambrosius de Deo, lib. 7. in Lucam, cap. 66. *reconciliatur, quando impensè rogatur.*

RESPONDEO, sæpenumero Scriptura diuina tribuit vim iustificandi, aut etiam saluandi, diuersis rebus, non quòd solæ illæ iustificare, aut saluare possint, sed quòd illæ vim suam habeant ad iustificationem, aut salutem, & ad eum finem perducant, si tamen cætera non desint. Sic legimus Rom. 3. *Arbitramur iustificari hominem per fidem.* Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Tobiæ 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Iacob. 1. *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Hæc & alia id genus in sacris literis passim leguntur: neque tamen vllus est, qui inde colligat, solùm timorem, aut solam spem, aut solam eleemosynam, aut solum verbum, sine fide, & dilectione, aliúsque ad eundem finem requisitis, sufficere posse ad salutem. Sic igitur etiamsi detestationi peccatorum & orationi alicubi Scriptura iustificationem tribueret: non tamen colligere oporteret, sola illa sufficere, sed illa quidem vim suam habere, & planè iustificare, si cætera non desint.

ADDE, quòd in verbis Isaiæ citatis, non intelligo cur non potiùs propositum vitæ melioris, quàm peccatorum detestatio commendetur. Nam illa verba: *Derelinquat impius viam suam*, non tam significare videntur, oportere vt impius peccata sua desleat, quàm, vt cesset à peccato, & nouam vitam instituat: hoc enim est derelinquere viam suam, non incedere antiquo & vsitato itinere, sed nouam arripere atque ingredi viam. Pari ratione verba illa sequentia: *Et reuertatur ad Dominum*, quid aliud, quæso, significant, quàm vt impius Deum diligere, eique placere studeat? id verò sine proposito seruandi mandata, fieri non potest; nam, *Si diligitis me*, Dominus ait Ioan. 14. *mandata mea seruate.*

SEXTA obiectio: *Potest contingere, subita morte aliquos ita præueniri, vt meminisse quidem possint peccatorum, quæ admiserunt, & de eis dolentes, & clamantes, Domine miserere, de vita discedant, antequam quidquam de futuris cogitare, vel decernere quiuerint. Nunquid ij venia carebunt? quid rigidius? quid durius? quid inclementius dici potest?* Accedit, *quod felix ille Latro, qui cum Christo pendebat in cruce, non legitur propositum vitæ melioris habuisse, sed tantùm peccata sua detestatum, ad Christi misericordiam confugisse.* Luc. 23. *Et in Sacramento pœnitentiæ absoluendus censetur, qui signa doloris de peccatis ostendit, etiamsi nullo signo declaret, quid in futurum proponat.*

RESPONDEO, non facilè concedo id posse contingere, vt quis ex vera dilectione Dei peccata desleat, & corundem indulgentiam postulet, quin saltem animo proponat, Deum non ampliùs offendere: neque periculum est, vt huius propositi obliuiscatur, cùm non solùm charitas, sed etiam natura ipsa suggerat, non posse pacem cum Deo componi, nisi propositum adsit non peccandi de cætero. Quod ad Latronem attinet, is neq; peccata detestatus, neque vitam meliorem proposuisse apertè legitur, sed solùm iustum supplicium suum agnouisse, Christóque dixisse: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* veruntamen ex impetrata venia manifestè colligimus, eum vera fide, atque ardenti charitate ad Deum fuisse conuersum, & ea omnia, licet breuissimo temporis spatio, præstitisse, quæ ad veram & legitimam Pœnitentiam internam requiruntur. Porrò, qui signa doloris ostendunt, etiamsi fortè loqui nequeant: rectè in Ecclesia absoluuntur, quia veram peccatorum detestationem, cum proposito peccata deinceps vitandi, in corde gerere, non temerè iudicantur.

SEPTIMA obiectio: *Patres veteres, & ipsum Concilium Tridentinum, sess. 6. capit. 14. cùm pœnitentiam, secundam post Baptismum tabulam appellárunt, ad peccatorum detestationem sine dubio respexerunt: fieri potest igitur, vt aliquis interdum, sine proposito non peccandi de cætero, per solam detestationem peccatorum iustificetur.*

RESPONDEO, nec Patres nec Synodus, ad solam peccati detestationem, tabulę similitudinem retulerunt, sed ad totam aquæ integram Pœnitentiam, immò Concilium non tam Pœnitentiam, quàm pœnitentiæ Sacramentum, secundam tabulam appellauit.

CAPVT VIII.

Contritionem ad iustificationem omninò necessariam esse.

QVINTA controuersia erat de necessitate contritionis. Loquimur autem hoc loco de contritione in genere, vt tam perfectam, quæ propriè contritio, quàm imperfectam, quæ attritio dicitur, comprehendamus: & quæstionem non solùm de necessitate, quam vocant, medij, sed etiam præcepti, intelligi volumus.

AC Lutherus quidem & Caluinus, contritionem quæ iustificationem præcedat, nullam agnoscunt. Nam Caluinus, cùm totam Pœnitentiam, fructum fidei iustificantis esse doceat, vt suprà ostendimus ex lib. 3. Institut. cap. 3. §. 1. sine dubio nullam Pœnitentiæ partem, proinde neque ipsam contritionem, ad iustificationem obtinendam necessariam esse censet.

LVTHERVS in assertione articulorum suorum, nonnullis visus est contritionis necessitatem pernegâsse, propter illa verba art. 11. *Si sacerdotis absolutionem obtinueris, crede fortiter te absolutum, & absolutus eris, quidquid sit de contritione.* Sed tamen in articulo 12. affirmat impossibile esse, vt quis sine contritione verè absolutus sit: *Si per impossibile*, inquit, *confessus non esset contritus, aut sacerdos non seriò, sed ioco absoluisset, si tamen credat se absolutum, verissimè est absolutus*, & paulò infrà, declarat, ideò esse id impossibile, quia fides sine contritione esse non potest: *Dixi*, inquit, *per impossibile, quia satis suprà dictum est, fidem sine contritione esse non posse, cùm gratia non infundatur, nisi cum magna concussione animæ.* Quare non negauit Lutherus contritionem absolutè, sed eam negauit ad remissionem peccatorum necessariam, cùm eam postponat fidei; quæ (ipsius opinione) sola iustificat, vt in iisdem articulis sæpissimè repetit.

NON desunt tamen ex Lutheri discipulis, qui contritionem ante confessionem necessariam esse docent. Martinus Kemnitius in 2. part. Examin. pag. 901. *Est*, inqui-

inquit,& *hoc,extra controuersiam apud nos,neminem posse Deo reconciliari,& remissionem peccatorum consequi,nisi agat Pœnitentiam.* Et paulò infrà dicit,contritionem esse medium ad acquirendam iustificationem, & addit hæc verba: *Sic territis, & contritis, Deus gratiam & remissionem peccatorum per ministerium Euangelij offert, & proponit.* idem etiam repetit, pag.956. & 957. *Necessaria,* inquit, *est contritio, non autem meritum est, &c.* Et infrà: *Ordo diuinus est,quòd vult quidem Euangelizare, sed pauperibus : vult sanare, sed contritos, &c.* Idem habet etiam Philippus in locis vltimò editis,titulo de contritione:& omnes illi ex Lutheranis, qui priorem partem Pœnitentiæ, contritionem : posteriorem, fidem esse volunt. Sed his dimissis, nos iuxta communem Theologorum Catholicorum sententiam, duas propositiones constituemus.

PRIMA propositio: *Contritio saltem imperfecta, omninò necessaria est in adultis, necessitate medij,ad remissionem peccatorum & iustificationem obtinendã.* Hæc propositio ex Conc.Trid.sess.6.c.14.& sess.14.c.4.satis apertè colligitur. Cùm enim Concilium dicit, cõtritionem omni tempore ad iustificationem necessariam fuisse,de necessitate medij sine dubio loquitur:quæ enim sola præcepti necessitate necessaria sunt, non ita vniuersè omnia tempora complecti solent.

PROBATVR autem hæc propositio ex verbis illis Domini Luc.13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* hæc enim verba tam sunt perspicua, vt nullam omninò dubitationem relinquant. Præterea, idem apertè probant verba illa S.Petri,Act.3. *Pœnitemini,& conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Et illa B. Pauli ad Rom.2. *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis iusti Iudicij Dei.* Et illa Christi ipsius in 2.cap. Apocal. *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac:sin autem,veniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Denique Ezechiel cap. 18. nihil aliud peccatoribus concionatur, nisi vt Pœnitentiam agant,si salui esse velint.Hoc idem illi omnes Patres docent, qui Pœnitentiam, secundam post naufragium tabulam appellârunt,quorum testimonia in primo libro retulimus:quibus addi potest S. Augustini testimonium,qui in epist.48.ad Vincentium, ita loquitur in extrema epistola: *Nec quenquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocunque,seu magno seu paruo peccato,ad correctionem sine pœnitentia posse transire.*

SECVNDA propositio: *De contritione præceptum diuinum exstat.* Hæc primùm ex superiore probari potest. Siquidem ea omnia, quæ necessaria sunt necessitate medij, censentur necessaria necessitate præcepti, licet non quæcunque necessaria sunt necessitate præcepti, sint etiam necessaria necessitate medij : tenentur enim homines ea necessariò adhibere, sine quibus salui esse non possunt.

DEINDE extant in diuinis literis manifesta verba, quibus Pœnitentiæ præceptum indicatur. Ioël. 2. *Conuertimini ad me, & scindite corda vestra.* Matth.3. *Pœnitentiam agite.* Ezech. 18. *Proijcite à vobis prauitates, & facite vobis cor nouum.* Apocal.2. *Age Pœnitentiam.*

AD hæc obseruatio mandatorum, sufficiens est medium ad salutem. Dominus enim interroganti cuidam, Luc.18. *Quid faciens,vitam æternam possideo?* respondit: *Mandata nosti.* Et apertiùs apud Matth.c.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quòd si quid aliud præter mandatorum obseruationem requireretur ad vitam æternam obtinendam, Dominus illum adolescentem non tam docuisse, quàm decepisse videretur. Oportet igitur,vt vel de contritione mandatum aliquod habeamus;quod [illegible] asserimus,aut certè non sit contritio ad

A salutem necessaria, quod falsum esse iam suprà docuimus.Neque verò responderi potest,Christum ea verba ad iustos,non ad peccatores direxisse,quasi iustis obseruatio mandatorum sufficiat ad salutem, peccatoribus non sufficiat:nam Dominus generatim, & sine vlla exceptione respondit. Et præterea licet iuuenis ille, cui Dominus loquebatur, Lucæ 18. bonus ac iustus fuerit, vt ex capit. 10. Marci colligi potest : tamen Legisperitus, qui de eadem re Dominum interrogauit, & eandem responsionum accepit, Lucæ 10. peccator videtur fuisse, cùm Dominum tentare,non ab eo aliquid discere voluerit.

B PRAETEREA dubium esse non potest,quin diuino præcepto teneamur ea media non negligere,quæ ad vitam, & salutem corporis necessaria sunt : neque peccatum homicidij ille euaderet, qui cibum capere nollet,quo tempore sine cibo viuere non posset. Quantò igitur maiore ratione, diuino præcepto tenebimur ea media assumere, sine quibus animæ vita reparari nequit ?

DENIQVE impœnitentiam non solùm peccatum, sed etiam grauissimum peccatum esse constat, vsque adeò, vt nonnulli peccatum in Spiritum sanctum nihil aliud esse voluerint, nisi finalem impœnitentiam : & Scripturæ passim accusant impœnitentes,& pœnas eis grauissimas comminantur.Psalm.94: *Hodie si vocem eius audieritis,nolite obdurare corda vestra.* Psalm. 4. *Vsquequo graui corde?* Prouerb.1. *Quia vocauit, & renuistis, &c.ego quoque interitu vestro ridebo.* Zachar.1. *Ne sitis sicut Patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus, Conuertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis : & non audierunt : neque attenderunt ad me.* Matth.23. *Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluisti.* Roman. 2. *Secundum duritiam tuam,& impœnitens cor,thesaurizas tibi iram.* Quòd si nouum peccatum est,nolle conuerti, nolle pœnitere, nolle per contritionem veniam peccatorum suorum procurare, certè sequitur vt nouum etiam præceptum sit, quo tenemur conuerti ad Deum, & contritionem in nobis excitare. Quocirca rectè Tertullianus in libro de Pœnitentia, ex eo probat bonum esse pœnitere, quia Deus id præcipit: *Bonum est,* inquit, *pœnitere,an non? quid reuoluis? Deus præcipit.*

SED obiectiones aliquæ soluendæ sunt, quas non Hæretici, sed Catholici, explicandæ rei gratia, proponere solent.

CAPVT IX.

Soluuntur obiectiones.

D PRIMA obiectio.Baptismus,vt etiam Sacramenta cætera,non ponenti obicem,gratiam confert: sed obicem non ponit, qui vitam nouam proponit, & nullius peccati complacentiam habet, etiamsi fortè non detestetur ac ipsa peccatum.

RESPONDEO, non potest rectè dici, non ponere obicem, qui sine dispositione necessaria ad Sacramentum accedit:alioqui non solùm sine detestatione peccati, sed etiam sine fide posset aliquis per Baptismum iustificari.Esse autem Pœnitentiam, quæ sine peccati detestatione nulla est,dispositionem ad baptismum,docet Apostolus Petrus Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* quod idem nuper Tridentinum Concil.declarauit sessio.6.cap.6.& anteà S. Thomas 3.part. quæst.86.artic.2. ad primum, & alij Theologi communiter tradere consueuerant. Qui enim propria voluntatis actione à Deo auersus per peccatum fuerat,non potest ad gratiam Dei censeri dispositus, nisi

per

per contrariam actionem conuertatur ad Deum. Neque tamen necesse erit , vt Pœnitentia quæ baptismum præcedit, contritionem illam perfectam contineat , quæ etiam sine Sacramento reipsa susceptо , peccata omnia delet : nam cùm Baptismus Sacramentum sit regenerationis & renouationis, vim habet verè iustificandi & renouandi , proinde non necessariò exigit hominem iam per contritionem illam perfectam iustificatum. Et hoc fortasse sibi voluit auctor Commẽtariorum in Paulum, quæ Ambrosio adscribuntur; cùm in illa verba cap.12. ad Rom. *Sine pœnitentia sunt dona Dei,* scriptum reliquit, gratiam Dei in Baptismo neque gemitum , neque planctum requirere,sed solam ex corde professionem. Non enim auctor ille peccati detestationem ac Pœnitentiam omninò reiecit ab eo,qui baptizandus est,sed perfectam illã contritionẽ quæ sine exteriore actione vix reperitur.

SECVNDA obiectio. Charitas videtur omninò sufficere ad iustificationẽ, & salutem, etiamsi absque Pœnitentia & contritione in aliquo reperiatur;nam *Vniuersa delicta operit charitas.* Prou.10.

RESPONDEO, charitas vera sine dubio sufficit ad salutem,& iustificationem:nam vbicunque adest charitas,ibi adest iustitia , & inde necessariò abest peccatum lethale:nam *Qui diligit,legem implenit.* Rom.13. qui autẽ legem implet, iustus est, neque ei deest aliquid ad salutem,iuxta illud Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi , serua mandata.* Quare rectè sanctus Augustinus tractatu 5. in epistolam Ioannis: *Dilectio,* inquit, *sola discernit inter filios Dei,& filios Diaboli.* Et infrà : *Hæc est preciosa margarita, sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris:quam si solam habes,sufficit tibi.* Et ipse etiam S.Ioannes,teste sancto Hieronymo in commẽta.cap.6.epistolæ ad Galatas, de præcepto charitatis sententiam illam pronunciauit: *Præceptum Domini est,& si solum fiat,sufficit.* Veruntamẽ charitas vera sine vera cõtritione in eo,qui peccati mortalis conscientiam habet,nullo modo existere potest : & ideò licet charitas etiam sola sufficiat,rectè dicũt Theologi,contritionem in eo, qui crimen lethale commisit, esse medium necessarium ad iustificationem & salutem. Quemadmodum,& fides,ac spes necessariè sunt,tametsi sola charitas (Augustino teste) sufficiat:nam charitas sine fide & spe,nulla est. Itaque sola charitas sufficere dicitur,quia nunquam est sola, sed chorum aliarum virtutum partim sequitur, partim præcedit. Et hoc est, quod S.Thomas docet 3.par.q.84.art.5.ad 2.cùm negat,charitatem sine Pœnitentia ad iustificationem posse sufficere : rationem enim reddit, quia charitas Pœnitentiam requirit , & efficit. Quomodo enim potest aliquis verè Deum diligere,nisi peccatum detestetur,per quod à gratia Dei excidit?

SED obiiciunt quidam, interdum mentem hominis ita repentè ad amorem Dei conuerti, vt ocium non habeat in peccata respiciendi : interdum etiam peccatores ad martyrium ita rapi,vt possint quidẽ dilectionis actum elicere,quo se ad mortem propter Christum offerãt,sed metu illo præsenti turbatos, de peccatis præteritis cogitare non posse:interdum quoque ita esse oblitos peccatorum suorum, vt sine miraculo nequeant ea peccata ad memoriam reuocare.

SED primum & secundum membrum huius dubitationis,non difficulter explicari possunt.Nam qui conscientiam peccati mortalis gerunt, nihil priùs cogitant, cùm conuertuntur ad Deũ,quàm peccata sua:tunc enim maximè conscientiæ stimulus sentitur,cùm is placere incipit,quem peccando offendimus , & cuius gratiam desideramus. Quod etiã experimur in rebus humanis. Qui enim non magnificiunt amicitiam alicuius, facilè obliuiscuntur iniuriæ, quas illi fecerunt; sed cùm reconciliari cupiunt,tunc ad memoriam redeũt omnes iniuriæ: sic etiam mors imminens,seu per martyrium,seu alia ratione, non modò non impedit , sed etiam excitat recordationem peccatorũ. Quod Chrysostomus pulchrè probat,in hom.4.de Lazaro, exemplo fratrum Ioseph , qui cùm penè iam obliti essent iniuriam,quam in illum cõtulerant,redacti posteà ad angustias, dixerũt: *Meritò hæc patimur,quia peccauimus in fratrem nostrum.* Gen.42. Et S. Cyprianus idem ostendit in serm. de lapsis , exemplo trium puerorũ: *Ananias,* inquit, *Azarias, Misaël, illustres ac nobiles pueri,quò minùs Exomologesin Deo facerent, nec inter flammas,& camini exæstuantis incendia quieuerunt.*

DE tertio verò membro dubitationis,equidem arbitror in eo locum habere,quod quidam docent de cõtritione virtuali. Nam etiamsi contritionem planè formalem ordinariè requiri censeam; tamen in duobus casibus sufficere existimo virtualẽ.Primùm,quando aliquis post accuratam discussionem conscientiæ suæ, non potest ad memoriam peccatum, vel peccata sua lethalia reuocare. Deinde,cùm aliquis neque peccati lethalis conscientiam habet , neque ocium vitam suam excutiendi, vt si fortè rapiatur subitò ad martyrium : tunc enim credibile est, posse hominem per actum dilectionis , in qua contritio virtute continetur,à peccatis occultis iustificari.

RATIO est Inprimis, quoniam alioqui frustrà cum Dauide diceremus Deo : *Ab occultis meis munda me Domine.* Psal.18. Nam si absque formali contritione nulla peccata deleri possunt, & contritio formalis de occultis haberi nequit:certè sequitur,vt ab occultis nulla ratione liberari possimus;quorsum igitur oramus , si quod petimus,impetrari non potest? Deinde,sicut legimus Luc.13. *Nisi Pœnitentiam habueritis : omnes similiter peribitis* : sic etiam legimus Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto,non potest introire in regnum Dei.* Et Ioan.6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis,non habebitis vitam in vobis.* Atqui omnes concedunt , Baptismum & Eucharistiam , cùm reipsa haberi nequeunt, per votum posse suppleri. Ad hæc S. Augustinus in epist.48.ad Vincentium,scribit, Cyprianum aut correxisse errorem illũ suum,aut texisse vbere charitatis, & à Patre cœlesti purgatum in eo falce passionis. Et S. Thomas 3. par. q.87. art.1.diserte verbis scribit, virtualem displicentiam non sufficere ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem : quo loco admittit displicentiam virtualem , pro iis diluendis criminibus , quæ ad memoriam reuocari non possunt. Denique mirum est,si non absurdũ videatur,posse contingere, vt homines aliqui in media Ecclesia, sine miraculo iustificari nequeant: quales nimirum illi essent, qui aut morbo,aut senectute,aut alia de causa omninò peccatorum suorum memoriam perdidissent.

TERTIA obiectio aduersus alterã propositionem, quæ erat de præcepto contritionis. Impœnitentia nõ est speciale aliquod peccatũ,sed circumstantia omniũ peccatorum,vt S.Thomas docet in 2.2.q.14.art.2. nõ igitur speciale aliquod præceptum de Pœnitentia exstabit.

RESPONDEO, Impœnitentia interdũ speciale peccatum est,interdum circunstantia alterius peccati. Speciale peccatum est,quando occurrit tempus, quo tenemur Pœnitentiam agere , & eam tamen non agimus. Neque enim præceptum de Pœnitentia agenda, quouis tempore obligat,cùm sit affirmatiuum. sed solùm certis temporibus, vt cùm versamur in periculo vitæ, cùm ad confessionem est accedendum, cùm Deus peculiari inspiratione ad Pœnitentiã nos inuitat, iuxta illud Psal.94. *Hodie si vocem eius audieritis,nolite obdurare corda vestra.* At extra ejusmodi tempora,impœnitentia non tam peccatum nouum , quàm peccati patrati circumstantia est: quamdiu enim quisque in peccato hæret,tamdiu impœnitens dici potest,& semper magis,ac magis difficilẽ sibi reditum ad gratiam Dei facit. Porrò S.Thomas in 2.2. quæst.14.art.2.de impœnitentia ista posteriore loquutus

est:idem verò auctor in 3.par.quæst.84.art.7.ad 1. agnoscit præceptum naturale de Pœnitentia extare agenda, & q.85. artic.2. speciale præceptum de Pœnitentia extare confirmat. Sed de his ista sufficiant, de quibus integræ disputationes in libris nostrorum extant.

CAPVT X.

De quantitate Contritionis.

SEXTA controuersia erat; Quantá nam esse debeat ea tristitia, quam de peccatis suscipimus, vt ad iustificationem peccatorum sufficiat. Hîc mirè triũphant, atque exultant Aduersarij: existimant enim se locum reperisse, ex quo doctrinam Catholicã de Pœnitentia cum plausu vulgi reprehendant, vt quæ ad desperationem sternat viam, vel certè planè dubios, atque incertos de sua iustificatione homines reddat.

MARTINVS Kemnitius in 2.par.Examinis, pag.963. scribit Concilium Tridentinum exigere ad iustificationem, contritionem charitate perfectam: eam autem cõtritionem, vt perfecta sit, probat ex Scoto, habere debere certum gradum intensionis, & certo spatio temporis continuarij; cùm tamen neque possit vlla ratione constitui, quotus ille gradus sit, neque quantum spatium temporis exigatur. Ita nimirum redduntur perplexa, & implicata omnia. Addit etiam ex testimonio Scholasticorum aliorum, contritionem oportere ex charitate procedere; charitate autem Deum super omnia diligi debere: ad quam perfectionem nullus Sanctorum in hac vita peruenire potest. Ex his ita colligit pag. sequenti: *Impossibilis igitur est sufficientia, & perfectio contritionis, & eius persuasio vel facit Pharisæos, vel desperabundos. Conscientia enim, quæ nunquam potest certa esse de sufficientia & perfectione contritionis, semper dubia & incerta manebit de remissione peccatorum, & reconciliatione cum Deo.* Hæc ille.

AD eundem modum Ioannes Caluinus lib.3. Instit. cap.4.§.2. *Contritionem,* inquit, *debitam exigunt, hoc est, iustam & plenam: sed interim non constituunt, quando securus aliquis esse possit, se hac contritione ad iustum modum defunctum esse.* Et infrà: *Sed vbi exigitur doloris acerbitas, quæ culpæ magnitudini respondeat, & quæ in trutina appendatur cum fiducia veniæ: hic verò miseræ conscientiæ miris modis torquentur, & exagitãtur, dum sibi debitam peccatorum contritionẽ imponi vident, nec assequuntur debiti mensuram, vt secum decernere possint, se persoluisse quod debebant.* Et §.3. *Quòd si me,* inquit, *calumniari aiunt; prodeant sanè, & vnum aliquem ostendant, qui huiusmodi contritionis doctrina, vel non sit ad desperationẽ adactus, vel simulationẽ doloris, iudicio Dei, pro vero dolore non opposuerit.* Hęc ille. Nec dissimilia scripta reliquit Heshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit.9.nu.25.& 28.

NOS igitur duo præstabimus in præsenti disputatione. Demõstrabimus Primùm, quod nobis obiiciunt aduersarij, in ipsos verissimè conuenire, vt videlicet ad desperationem adigant pœnitentes. Deinde doctrinã communem Theologorum veram, & consolationis plenam, de quantitate contritionis breuiter explanabimus.

VT incipiamus à Primò, concedunt aduersarij Kemnitius & Caluinus, contritionem, eámque seriam & vehementem, esse necessariam. Kemnitius in 2.par. Examinis, pag.942. *Ardua,* inquit, *quæstio est, quomodo Pœnitentia ita agi possit, vt certissimus nos consequi recõciliationem, & remissionem peccatorũ: si enim Pœnitentia non rectè agitur, peccator licet quærat, non tamen assequitur remissionem peccatorum.* Deinde pag.953. explicans quomodo agatur vera Pœnitẽtia: *Omnino,* inquit, *in iis, qui veram & seriam Pœnitentiam agunt, necessaria est contritio.* Et pag.954. docet, contritionẽ acrem ac vehementẽ esse debere: *Hinc sequitur,* inquit, *dolor conscientiæ grauiter dolentis se peccasse, & peccatis offendisse Deum,* Caluinus lib.3. Instit. cap.4. §.2. *Equidem,* inquit, *sedulò & acriter instãdum esse fateor, vt quisque amarè deflendo sua peccata, se ad eorum displicentiam & odium magis acuat.* Et §.3. *Diximus & nos,* inquit, *quodam loco, nunquam sine Pœnitentia obtinere peccatorũ remissionẽ, quòd nulli nisi afflicti, & peccatorum conscientia vulnerati, Dei misericordiam implorare sincere possint.* Hæc ille.

QVAMVIS autem iisdem in locis dicant, ac protestentur, se non facere cõtritionem caussam aut meritum remissionis peccatorum, & Caluinus iactet se sustulisse illa animarum tormenta: Quòd contritio debita præstãda sit: tamen ex iis, quæ ipsi docent, apertissimè sequitur neminem ex sententia ipsorum sine vera, seria, grauíque contritione iustificari, siue ea contritio iustificationis caussa sit, siue conditio tantùm, siue quid aliud; id enim ad rem nostram hoc loco non pertinet.

QVÆ sit autẽ vera seriáque contritio, sine qua peccata non remittuntur, non possumus aliunde meliùs, ac tutiùs discere, quàm ex literis sacris. Porrò, literæ sacræ vbique requirunt contritionem ex toto corde: qualis est etiam vera Dei dilectio, ex qua contritio vera procedit. Deut.4. *Cùm quæsieris Dominum, inuenies eum, si toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* Deut.30. *Si ductus pœnitudine cordis, reuersus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & tota anima tua, miserebitur tui.* 3.Reg.8. *Si peccauerint tibi, & reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo & tota anima sua, propitiaberis populo tuo.* 2.Paralip.30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum,* Hier.29. *Quæretis, & inuenietis me, cùm quæsieritis me in toto corde vestro.* Ioël.2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu, & scindite corda vestra,*

DEBENT igitur Aduersarij, velint nolint, admittere, sine contritione perfecta, & quæ ex toto corde sit, non remitti peccata. Atqui eiusmodi contritionem, vt etiam dilectionem Dei, ex toto corde, impossibilem in hac vita esse contendunt, & quam nullus vnquam Sanctorum habuerit, vt ex locis suprà citatis, & ex aliis multis omnes norunt qui eorum scripta legerunt. Quare sequitur: vt remissio peccatorũ planè sit impossibilis, & pœnitẽtibus nihil supersit aliud, nisi desperatio, si vera est doctrina Kemnitij & Caluini. Quã enim, quæso, spem salutis ille concipiet, qui contritionẽ ex toto corde impossibilem esse censet, & eam solam veram ac seriam Cõtritionem esse, negare non potest: & sine vera seriáque Cõtritione peccata non remitti sibi certissimè persuasit?

CAPVT XI.

De quantitate Contritionis, ex sententia Catholicorum.

SED iam dimissis Aduersariis, veram de Contritionis quantitate sententiam aliquot propositionibus complectamur.

PRIMA propositio; *Non requiritur ad eam cõtritionem, quæ sit futura sufficiens ad remissionem peccati, vt æqualis sit magnitudini iræ diuinæ.* Hæc est contra calumniã & mendacium Caluini, qui lib.3. Institutionum. capit.4.§.2. vt etiam in primo libro notauimus, scribere ausus est, tam perfectam contritionem à Catholicis exigi, vt in trutina appendatur cum fiducia veniæ: nõ potest autem in trutina appendi cum fiducia veniæ, nisi sit iustum pręcium peccatorum, & ex rigore iustitiæ satisfaciat Deo, atque iræ ipsius magnitudinem æquet.

ET quidem non exigi à Catholicis tantam contritionem, perspicuum est ex eo, quòd omnes Catholici negant, Contritione mereri nos ex condigno iustificationẽ: aliqui etiã negant ex congruo. Rectè autem non exigi, probari potest, tum quia scriptum est. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuã dinumerare?* Psal. 89. tum quia peccatum lethale, Deum qui infinitæ dignitatis est, offendens infinitam indignationem & pœnã meretur: non potest autem homo infinitum precium offerre Deo, quantumuis doleat, ac seipse excruciet.

SED argumentum euidens habemus ex diuinarum Scripturarum testimoniis, atque exemplis. Nam Scriptura nihil aliud à nobis exigit, nisi vt conuertamur ad Deum in toto corde: conuerti autem ad Deum in toto corde, non est, dolorem illum concipere, qui æqualis sit offensioni vel iræ diuinæ, nam dolor iste sine dubio impossibilis est. Si verò impossibile esset conuerti ad Deum in toto corde, cur Deus ipse id postularet? cur diceret Ioël.2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro?* an Deus ignorabat id fieri non posse, aut fieri volebat quod sciebat non posse fieri? Deinde, Scriptura testatur aliquos in toto corde reuersos ad Deũ, & alios pronunciat reuersuros: quæ sunt argumenta certissima, id fieri posse; & proinde conuerti in toto corde, non significare contritionẽ æqualẽ iræ diuinæ. 4.Reg.23. *Similis illi nõ fuit Rex, qui reuerteretur ad Dominũ in omni corde suo.* Hierem.24. *Ego ero illis in Deũ, quia reuertẽtur ad me in toto corde suo.*

QVARE quod S.Cyprianus ait in ser.de lapsis: *Quã magna deliquimus, tam granditer deflеamus:* non significat dolorem absolutè offensioni æquandum esse, quod fieri non potest: sed proportionem illã inter peccata & dolorem de peccatis, esse debere, vt de maiore peccato magis, de minore minùs doleamus. Quod verò scribit S. Ambrosius in lib.ad Virginẽ corruptam.cap.8.cùm ait: *Sed quantas putas, & qualis necessaria Pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat?* non ita accipiendum est quasi Pœnitentia æquare, aut excedere debeat peccatũ, vt offensam Dei, sed, vt dolor Pœnitẽtiæ æquet, aut excedat voluntatẽ, quam peccando accepimus: quod aliis verbis ita se ipsit Hugo de S.Victore lib.2. de Sacramẽtis, par.14.ca.2. *Si in correctione minor est afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, nõ est dignus Pœnitentiæ tuæ fructus.*

SECVNDA propositio: *Dolor de peccatis esse debet summus, saltem (vt Theologi loquuntur) appreciatiuè.* Rectè enim Doctores tradunt dolorem summũ posse duobus modis intelligi, intensiuè, & appreciatiuè. Summus dolor intensiuè dicitur, quando voluntas (nam de dolore spiritus, nõ sensus, siue corporis hic loquimur, licet vnus ex altera nasci soleat) quando, inquam, voluntas summo conatu detestatur aliquid: summus autẽ appreciatiuè, quando voluntas pluris æstimat detestationem alicuius mali quàm cuiuscunque boni consequutionem, aut alterius mali euitationem. Itaque magnitudo doloris intensiuè, attenditur ex parte subiecti, magnitudo appreciatiuè, ex parte obiecti; & sæpe accidit, vt de re aliqua magis doleamus intensiuè, de qua minùs doleamus appreciatiuè, & contrà. Nam viri etiam boni grauius tristantur interdum & dolẽt: ob mortes filiorum, quam ob peccata: qui tamen, si daretur optio, mallent filios amisisse, quàm Deum offendisse. De sancta Paula Romana scribit S. Hieronymus in eius vita, in morbis filiorum sic illam graniter affici solitam, vt semper de vita periclitaretur: qualem dolorem ob crimina in Deum admissa, nunquam sensisse legitur: nec tamen dubitari potest, quin fœmina illa sanctissima & optima, maluerit filios omnes perire, quàm vel leuiter Deum offendere.

SI quis obiiciat, fieri non posse, vt voluntas non intensiùs doleat de eius rei amissione, quã pluris æstimat, cùm ideò doleat, quia rem charam, & quam magni faciebat, amisit. Respondebimus, id fieri non posse, si omnia sint paria: tamen non semper esse omnia paria: Sæpe enim fit, vt id quod minoris faciendum esse recta ratio iudicat, sit propinquius, notius, naturæ conueniẽtius, lõga familiaritate coniunctũ, quod proinde magis afficiat, & moueat, licet illi aliud quippiã absolutè ac simpliciter præferatur. Id quod in rebus etiam corporalibus experimur, quippè qui magis tristamur & angimur ob acrem doloré dentium, aut vstionẽ aliquam digiti, quamuis nõ lethalem, quã ob febrim lentam, sed pestiferam, & tamẽ quis non libenter febrim illam lentam & pestiferã, cum acerbissimo dentium aut digitorum dolore mutaret?

HIS explicatis, propositio nostra probatur ex omnibus illis Scripturæ locis, quæ paulò antè adduximus, vt ostenderemus, contritionem ex toto corde, atque adeò summam, & maximam esse debere. Deinde, addi possent illa omnia loca, quæ iubent vt Deum ex toto corde diligamus, quæ exstant Deuter.6. Matt.22. Luc.10. & alibi. Qui enim iubemur Deum ex toto corde diligere, iubemur pariter peccatum, quo Dei amicitiam violamus, toto pectore detestari. Denique ratio id ipsum apertissimè docet. Nã cùm peccatũ sit malorum omniũ maximum, super omnia detestandum, fugiendúmque est. Et quia teste Apostolo Rom.3. *Non sunt facienda mala, vt veniãt bona,* ideò, non licet peccatũ eligere quacũque conditione proposita: proinde magis dolendum est appreciatiuè, de cõmisso peccato, quàm lætãdum de quouis opere bono.

TERTIA propositio: *Non est necesse, vt cõritio sit dolor summus intensiuè.* Probatur Primùm, quia si id esset necesse; maximè ob ea loca Scripturæ, quæ iubent vt cõuertamur ad Deum in toto corde, & tota tribulatione animæ nostræ, Ioëlis 2, & Deuter.4. sed ista loca exigunt quidem dolorem summum appreciatiuè, vt suprà diximus, non tamen intensiuè. Conuerti enim ex corde, nihil est aliud, nisi seriò ac sincerè conuerti: ex toto autẽ corde conuerti, est, integrè & perfectè conuerti, ita vt non partim peccata detestemur, partim illis afficiamur, siue, non vnum peccatum odio habeamus, & alteri adhuc adhæreamus, sed omnia detestemur, ab omnibus simpliciter auertamur: idque tam perfectè, vt nullum sit malũ quod vitatum malimus, quàm peccatum. Neque aliter intelligenda sunt loca ista, quæ conuersionẽ ex toto corde requirunt, quàm illa, quæ dilectionem ex toto corde præcipiunt: illa autem loca nõ exigere summam dilectionem intensiuè, sed solùm appreciatiuè, vt videlicet nihil Deo anteponatur, vel æquetur: ostendimus in 2. lib. de membris Ecclesiæ, qui erat de Monachis, cap.13. vbi ista omnia diligenter excussimus.

DEINDE, probatur eadem propositio experimento hominum piorum, qui (vt paulò antè) de sancta Paula referebamus) intensiùs aliquando dolent mortem charorum, quàm ob peccata, licet paratissimi sint omnia perpeti potiùs, quàm vt peccatum in Deum committerent. Neque reprehendi potest vehemens ille dolor, qui ex amissione filiorum in parentibus cernitur, tùm quia naturalis est, tùm etiam quia in sanctissimis hominibus locum inuenit. Certè Patriarcha Iacob ita doluit mortem filij sui Ioseph, vt Scriptura dicat Gen.37. *Congregatis cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere: sed ait. Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Et S. Dauid 2. Reg.19. ita vehementer Absalonem filium suum defleuit, vt licet multa legantur de insigni contritione eius ob peccatum adulterij, atque homicidij, maiora tamen signa doloris ob filij mortem ostendisse videatur.

ACCEDIT tertiò, quòd ex iis, qui seriò & vt oportet, de peccatis suis dolent, alij magis, alij minùs dolent. Non enim tantoperè celebraretur Mariæ Magdalenæ contritio, si omnes, qui rectè Pœnitentiam agunt, parem contritionem haberent, quoad intensionem, sicut reuera parem habent, quoad appreciationem.

PRÆTEREA, si dolor summus pro quolibet lethali crimine exigeretur, nemo posset magis de vno, quàm de alio peccato dolere, quod est & contra experientiam, & contra rationẽ. Experimur enim, grauiora crimina acriùs conscientiam pungere, & maiorem tùm verecundiam, tùm displicentiam parere, quàm leuiora: & iudicium rectè rationis id postulat, vt maiora delicta maior Pœnitentia, & contritio intensior consequatur.

DENIQVE, si summus dolor intensiuè ad verã contritionem necessarius esset, vix vnquam possemus, non dico certò scire, sed ne probabiliter quidẽ cognoscere,

nos id feciſſe quod debemus, in ſceleribus deteſtandis. Quis enim eſt, qui non poſſit, ſi ſtudium adhibere velit, ad contritionem paulò maiorem ſe excitare? At profectò abſurdum, & alienum à diuina benignitate videtur, vt eam medicinam inſtituerit, in qua pacem animi, ac tranquillitatem nullam inueniamus.

QVARTA propoſitio: *Non requiritur certus gradus intenſionis, neque mora vlla temporis, ad veram cõtritionem.* Hæc eſt aduerſus nonnullos, qui veram contritionẽ eſſe negant, niſi & ad certum quendam intenſionis gradum perueniat, & certo ſpacio temporis duret. Sed facilis eſt huius ſententiæ confutatio. Nam Scripturæ conuerſionem & Pœnitentiam exigunt; ſed certi gradus aut temporis mentionem nullam faciũt: quare ſi certus gradus, certúmve tempus requireretur, id eſſet, omnino incognitum, & proinde non ex electione, ſed caſu fieret, vt aliqui ad iuſtam menſuram doloris peruenirent, & in eo dolore iuſto tempore verſarẽtur. Deinde, quis vnquam in præceptis fidei, ſpei, dilectionis, aliarúmque virtutum iſtas menſuras excogitauit, vt non ſit fides, aut ſpes, aut charitas, niſi certum gradum intenſionis, & certam moram temporis habeat? quod ſi in virtutibus cæteris iſta non requiruntur, cur requirentur in Pœnitẽtiæ virtute?

QVID, quòd Scriptura & Patres ſatis apertè tradunt, quouis momento poſſe hominem per veram Pœnitentiam iuſtificariẽ? Iſaiæ 30. iuxta editionem LXX. Interpretum: *Cùm reuerſus ingemueris, ſaluus eris.* & Ezechielis cap. 18. *non ſemel Deus indulgentiam promittit iis, qui à peccatis auerſi, atque ad vitam meliorem conuerſi fuerint:* & Eccleſiaſticus cap. 11. *Facile eſt*, inquit, *in oculis Dei, ſubitò honeſtare pauperem.*

S. Cyprianus tract. 1. qui eſt ad Demetrianum, extremo: *In iſto*, inquit, *mundo manenti, Pœnitentia nulla ſira eſt.* Et infrà: *Tu ſub ipſo licet exitu, & vitæ tẽporalis occaſu pro delictis roges, & Deum, qui vnus & verus eſt, confeſſione & fide agnitionis eius implores; venia confitenti datur, &c.* Et in ſer. de cœna Domini: *Sed*, inquit, *& in eodem articulo temporis, cùm iam anima fectinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit, Pœnitentiam, clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur.* Et infrà: *Nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia.* Et infrà, de bono latrone: *In momento*, inquit, *impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & ſtatim conſummatus ciuis Sanctorũ, & domeſticus Dei præmiſſus eſt in regnum.* S. Baſilius homil. de Pœnitentia: *Tantummodo voles*, inquit, *& ipſe Deus vltrò occurret.* Et probat ibidem Baſilius exemplo filij prodigi, incredibilem eſſe Dei benignitatem erga pœnitentes. S. Ioan. Chryſoſtomus in epiſtola priore ad Theodorum lapſum: *Nõ*, inquit, *ad temporis rationem, ſed iuxta affectum animæ ſolet diiudicari Pœnitentia.* Et infrà de bono latrone: *In eo momento*, inquit, *totius vitæ peccata ſimul abſterſit, atque ante Apoſtolos, officij grati præmiũ ſuſcepit.* S. Leo in epiſt. 91. ad Theodorum Epiſcopum: *Apud Deum*, inquit, *nullas patitur veniæ moras vera conuerſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cùm conuerſus ingemueris, ſaluus eris.* S. etiã Cœleſtinus I. Papa in epi. ad Gallos: *Deſperat*, inquit, *de miſericordia Dei, qui ei ad ſubueniendum morienti ſufficere, vel in momento non credit poſſe.* Et infrà: *Vera ergo ad Deũ conuerſio in vltimis poſitorum, mente potiùs æſtimanda eſt, quàm tempore: Propheta hoc taliter aſſerente: Cùm conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.*

QVINTA propoſitio: *Neque illud exigitur, vt tot ſint actus contritionis, quot ſunt peccata: modo de omnibus, quæ poſt examen menti occurrunt, ex animo doleamus.* Nam vt negandum non eſt, ſingula peccata deteſtanda eſſe, cùm ſcriptum ſit Iſaiæ. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos. &c.* Et Ezechielis 18. *Si impius egerit Pœnitẽtiam ab omnibus peccatis ſuis, &c.* ſic eſt etiam concedendum, poſſe hominem vnica actione peccata omnia, quæ memoriæ fortè occurrunt, deteſtari, atque ob ea commiſſa dolere: alioqui enim falſum eſſet, quod paulò antè demonſtrauimus, in momento poſſe hominem conuerti, & iuſtificari.

SEXTA propoſitio: *Vtiliſſimum tamen eſt, peccata ſingula amariſſimè, & longo tempore ita deflere, vt contritio non ſolùm appreciatiuè, ſed etiam intenſiuè, & extenſiuè, vt ſic loquamur, ſumma dici poſſit.*

HANC propoſitionem ſatis nobis perſuadent exempla, & cohortationes Sanctorum. Nam & Dauid lauabat per ſingulas noctes lectum ſuum, Pſal. 6. & S. Petrus fleuit amarè, Luc. 22. & Magdalena lachrymis ſuis pedes Domini irrigauit, Luc. 7. & S. Auguſtinus de ſe loquens lib. 8. Confeſſ. cap. 12. *Vbi*, inquit, *à fundo arcano alta conſideratio contraxit, & congeſſit totam miſeriam meã in conſpectum cordis mei, obortа eſt procella ingens, ferens ingentè imbrem lachrymarum.* Et infrà: *Ego ſub quadam fici arbore ſtraui me, neſcio quomodo, & dimiſi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile ſacrificium tuum.* Et infrà: *Dicebam hæc, & flebã amariſſima contritione cordis mei.* S. Cyprianus in ſerm. de lapſis, extremo: *Orare*, inquit, *oportet impenſius, & rogare, diem luctu tranſigere, vigilis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare, &c.* S. Ambroſius in libro ad Virginem corruptam, cap. 8. *Defluant*, inquit, *oculi lachrymas, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt: palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicè: cor verò ſit liqueſcens, ſicut cera, &c.*

HÆC & ſimilia paſſim apud ſanctos Patres inueniũtur, quæ quidem non eo ſolùm toto animo amplectenda ſunt, quòd (vt diximus) contritio eò ſit vtilior, quò eſt maior: ſed etiam quia periculum eſt, ne homo ſe ipſe fallat; & dum ſe ad acrem & intenſam contritionem excitare non ſatagit, reuera ne appreciatiuè quidem toto corde crimina deteſtetur.

CAPVT XII.

Contritionem cauſſam eſſe remiſſionis Peccatorum.

SEPTIMA controuerſia ordine ſequitur, Vtrum contritio peccata remittat. Lutherani etiamſi contritionem requirant ad remiſſionem peccatorum, tamen non ferunt, vt contritio dicatur cauſſa iuſtificationis: quod ideò faciunt, ne vlla ratione fidei derogetur, cui ſoli iuſtificationem tribuunt.

LVTHERVS in aſſer. art. 12. poſteaquam docuerat fidem iuſtificare, etiamſi per impoſſibile homo non eſſet contritus; ſubiungit: *Dixi autem per impoſſibile, quia ſatis ſuprà dictum eſt, fidem ſine contritione eſſe non poſſe, cùm gratia non infundatur ſine magna concuſſione animæ: volui enim fidei virtutem declarare, & commendare, quàm ſola faciat ad remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem pacis. Quod dico, ne quis me putet contritionem, ſeu perturbationem illam cordis, in cognitione peccatorum ſuſcitatam, negare. Volo eam: ſed dico eam non operari iuſtificationem, aut remiſſionem peccatorum: fides enim in verbum Dei, iuſtificat & purgat.* Ioannes Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 3, *Diximus*, inquit, *& nos quodam loco, nunquam ſine Pœnitentia obuenire peccatorum remiſſionem, ſed ſimul adiecimus, Pœnitẽtiam non eſſe cauſſam remiſſionis peccatorum*, Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 960. *Impetrationem*, inquit, *veniæ & reconciliationem cum Deo, manifeſtè tribuunt* (Catholici) *actui ſeu operi contritionis noſtræ: & quidem ante Abſolutionẽ, quæ eſt vox Euangelij, gratis propter meritum Chriſti annuncians, & impertiens fidei reconciliationẽ cum Deo, & remiſſionem peccatorum. Quid verò aliud eſt hoc, quàm reconciliationem cum Deo, & remiſſionem peccatorum adimere Euangelio, & fidei, immò gratuitæ miſericordiæ Dei, & merito Chriſti: & transferre illam in merita noſtrorum operum?*

AT Catholici communi conſenſu docent, contritionem cauſſam eſſe remiſſionis peccatorum, quodidem Tridentinum Concilium docet, tùm ſeſs. 6. cap. 6. tùm ſeſs. 14. ca. 4. Ex quibus etiam locis intelligere licet, duobus modis contritionẽ cauſſam eſſe iuſtificationis; quia videlicet diſponit ad iuſtificationem, & impetrat remiſſionem peccatorum. Seſs. 6. cap. 6. numerat Concilium actum Pœnitentiæ inter diſpoſitiones iuſtificationis: & quia diſpoſitio non ſolùm ſe tenet ex parte materiæ, ſed etiam ex parte agentis; ideò actus Pœnitentiæ quatenus ab auxilio gratiæ, & libero arbitrio procedit, & hominem diſponit ad iuſtificationẽ, ipſius iuſtificationis cauſſa dici poteſt aliquo modo etiam efficiens. Seſs. 14. ca. 4. idem Concilium ſcribit, contritionem omni tempore neceſſariam fuiſſe ad veniam impetrandam: porrò impetrare, eſt eſſe etiam aliquo modo cauſſam.

THEOLOGI Scholaſtici in eo ſolùm diſſentire videntur, quòd nonnulli volunt actum Pœnitentiæ, vt etiã actum fidei & dilectionis, eſſe diſpoſitionem ad remiſſionem peccatorum, ſed non meritum neque de condigno, neque de congruo remiſſionis peccatorũ: & huius ſententiæ ſunt Ioannes Capreolus in ſecundo Sentent. diſt. 40. quæſt. vnica, & Dominicus à Soto lib. 2. de natura & gratia, cap. 4. At alij, iique plurimi, non ſolùm diſpoſitionem, ſed etiam meritum de congruo iuſtificationis eſſe volunt eiuſmodi actus: quæ ſententia eſt Magiſtri Sententiarum in 2. lib. Senten. diſtin. 27. & S. Thomæ in 2. diſt. 27. quæſt. 4. ad 4. Alberti in primum, diſtin. 41. art. 2. ad quintum. S. Bonauenturæ in 2. diſtin. 28. art. 2. quæſt. 3, & in 4. diſt. 15. art. 1. quæſt. 5. Præterea Scoti, Durandi, Gabrielis, & aliorum, in 2. diſt. 28. & ex recentioribus Andreæ Vegæ lib. 8. in Concilium Tridẽtinum, decem vltimis capitibus, & in opuſculo de iuſtificatione quæſt. 7. Et quamuis poſterior hæc ſententia nobis verior, & Scripturis ac Patribus conformior videatur, tamen in eo potiſſimùm laborabimus, vt probemus, Pœnitentiam ſiue contritionem, cauſſam eſſe remiſſionis peccatorum, quidquid ſit de vocabulo meriti.

HABEMVS Primùm diuinas literas, ad quarum'apertiſſima teſtimonia nullam adhuc legi Aduerſariorum reſponſionem. Ezech. cap. 18. *Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, ipſe animam ſuam viuificabit.* Quid clarius? an viuificare animam ſuam, nõ eſt aliquid facere ad propriam iuſtificationem? In eodẽ capite: *Facite*, inquit, *vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* quomodo autem faciat homo ſibi cor nouum, & ſpiritum nouum, paulò antè Propheta explicauerat dicens: *Conuertimini, & agite Pœnitentiam: proiicite à vobis omnes præuaricationes veſtras.* Quòd ſi dum conuertimur, & Pœnitentiam agimus, facimus nobis cor nouum, & ſpiritum nouum, quis inficiari poteſt, conuerſionem, ac Pœnitentiam cauſſam eſſe iuſtificationis?

IONÆ 3. *Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam loquutus eſt vt faceret eis, & nõ fecit.* Hoc certè loco cauſſa redditur, cur miſertus ſit Dominus Niniuitarum, quia cõuerſi ſunt de via ſua mala, & Pœnitẽtiæ opera fecerũt.

PSALM. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* At ſacrificium Deum placare, & gratiam impetrare ſolet: & ideò ſubiungitur: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

DANIELIS 4. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Tobiæ 12. *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata.* Hæc loca non videntur intelligenda de eleemoſyna quocunque animo facta: nam qui in peccato perſeuerare volunt, nunquam per eleemoſynas ſaluabuntur. Neque intelligi poſſunt de eleemoſynis iuſtorũ, qui pœnas temporarias poſt culpæ remiſſionem, iuxta Catholicorum ſententiam, redimunt: ſiquidem Nabuchodonoſor, quẽ Daniel alloquitur, impius erat: & Angelus apud Tobiam non tribueret eleemoſynæ vim liberãdi à morte, ſi de iuſtorũ tantùm eleemoſynis loqueretur. Quare loca illa de eleemoſynis pœnitentium intelligenda ſunt, qui ſaltem ex congruo per contritionem & opera Pœnitentiæ Dominum placant.

LVCÆ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hoc loco dilectio, ſiue contritio ex dilectione, quam lachrymæ teſtabantur; apertiſſimè dicitur eſſe cauſſa remiſſionis peccatorum: ſiquidem particula illa Quoniam, cauſalis eſt.

SED accedant teſtimonia Patrũ; qui paſſim per contritionem peccata deleri, ablui, purgari dicunt: item contritione Deum placari, eique ſatisfieri affirmant: denique contritionem meritum, ac pretium appellare non verentur.

TERTVLLIANVS lib. 4. in Marcionem, ante medium: *Video*, inquit, *& Achab Regem maritum Iezabel reũ idololatriæ, & ſanguinis Nabuthæ, veniam meruiſſe Pœnitẽtiæ nomine.* Et in libro de Pœnitentia: *Pœnitentia*, inquit, *Dominus mitigatur.* Origenes homil. 11. in cap. 20. Leuitici: *Purgatio*, inquit, *peccati per Pœnitentiam conſtat: quam vtrum quis dignè gerat, ita vt mereri pro ea veniam poſſit, videto.* Cyprianus in ſerm. 5. de lapſis, extremo, poſteaquã dixerat, Pœnitẽtiam eſſe medicinam peccati, & per eam Dominum placari, & ad veram contritionem fuerat cohortatus, ita ſermonem clauſit. *Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui Pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus virtutis & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Domino, quam contriſtauerat, lætam facit Eccleſiam, nec iam ſolum Dei veniã merebitur, ſed coronam.* Quibus verbis docet, vera contritione ſatisfieri Deo, & veniã impetrari, vt inde iuſtificatus homo, etiam ipſam gloriæ coronam per martyrium, vel alia ſancta opera mereatur. Athanaſius in libro de Virginitate, vltra medium: *Vide* inquit, *quale remedium in lachrymis: ſpecta, quæſo, quam iniquitatem deleuerint. Quid enim tetrius hoc vitio? quippe qui ter iureiurando Dominum abnegauerit, tantum tamen ſe eius per lachrymas deleuit.* Baſilius in ſermone de Pœnitentia: *Statim*, inquit, *David ad pharmacũ properauit.* vbi contritionem pharmacum peccati appellat. Et infrà: *Tertiò Dominum Petrus negauit: lachrymatus eſt: flexerunt lachrymæ eum, qui noſtri miſertus eſt.* Et in epiſtola ad Virginem lapſam, in fine, dicit per Pœnitentiam purgari animam: & in libro de vera virginitate, vltra medium: *Pœnitentia*, inquit, *certum eſt, relaxari peccata.* Ambroſius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 3. loquens de filio prodigo. *Tam citò*, inquit, *veniam meretur, vt venienti, & adhuc longè poſito occurrat Pater, & oſculũ tribuat, quod inſigne eſt ſacræ pacis.* Et libro decimo in Lucam, in illud Luc. 22. *Reſpexit Dominus Petrum, &c. Lachrymæ*, inquit, *veniam non poſtulãt, ſed merentur.* Et infrà: *Et tu ſi veniam vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam.* Et præfatione in Pſalm. 37. *Quis dubitet affligere animam ſuam, cùm Propheta tantus afflixerit, ſoluens pretium lachrymarum pro redemptione peccati?* Ephrem in libro de die Iudicij, capit. 5. *Compũctio*, inquit, *ſanitas animæ eſt, illuminatio mentis eſt: compũctio remiſſionem delictorum nobis acquirit.* Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, explicans contritionem ac pœnitentiam eius: *Quæ peccata*, inquit, *fletus iſte non purgat? quas inueterata maculas hæc lamenta non abluant?* Et infrà: *O, felix Pœnitentia, quæ ad ſe Dei trahit oculos.* Et in lib. 2. contra Pelagianos: *Qui peccata*, inquit, *ſimpliciter confitentur, merẽtur humilitate clementiam Saluatoris.* Ioannes Chryſoſtomus in ſecundo libro de compunctione cordis: *Sola eſt*, inquit, *cordis compunctio, quæ ſicut ignis, omne animæ vitiũ perurit, & adimit: & quantacunque in ea reperit mala, abſtergit vniuerſa, & penitus delet.* Auguſtinus in epiſto. 54. ad Macedonium: *Quoſdam*, inquit, *à ſocietate remouemus Altaris, vt pœnitendo placare poſſint, quem peccando contempſerant.* Et in Pſal. 50. *Niniuitæ*, inquit, *Pœnitentiam egerunt, & certam miſericordiam meruerunt.* cui ſententiæ

Gregorius subscribit lib.3 cap.4.in primum librum Regum,in hæc verba:*Nimirùm dum veluti pro difficili reconciliatione, grauí Pœnitentia se deiiciunt, omnipotentis Dei misericordiam facilè meruerunt.*

HABEMVS igitur ex testimoniis veterum, contritionem siue Pœnitentiam verè causſam esse iustificationis,cùm peccata deleat,abluat,abstergat,sanet,cùm Deũ placet,illi satisfaciat,eius misericordiam impetret,ac suo modo mereatur.

DENIQVE adferri potest etiam duplex ratio. Prima,oratio peccatoris pœnitentis nõ est inanis apud Deũ sed eum placat,& veniam impetrat, vt patet exẽplo Publicani,Lucæ 18.multò igitur magis conuersio, ac Pœnitentia,quæ orationis est causſa,non erit inanis, sed aliquid faciet ad remissionem impetrandam.Secũda, actus Pœnitentiæ à Spiritu sancto est,vt,aduersarij concedũt, & ad iustificationem disponit; ergo suo modo causſa est iustificationis:neque enim Spiritus sanctus per eiusmodi actum nos disponens,nihil facit,aut nullius pretij siue meriti est,quod facit in ordine ad iustificationem.

SED obiiciunt Aduersarij. Si contritione nostra iustificamur,quomodo gratis iustificari nos dicit Apostolus? si contritio iustificationem meretur, cur non potiùs redditur,quàm donatur?

RESPONDEO,quod ad similem obiectionem olim respondit Augustinus:ideò gratis nos iustificari,licet cõtritionis merito iustificemur, quia ipsa contritio donum Dei est,ille enim non gratis iustificaretur, qui ex opere proprio,id est,solius liberi arbitrij viribus acquisito, iustificaretur:*Non dicat*,inquit Augustinus in epist.106.*sibi,Si ex fide,quomodo gratis? quod enim fides meretur, cur non potiùs redditur,quàm donatur? Non dicat ista homo fidelis,quia cùm dixerit,Vt merear iustificationem,habeo fidem: respondetur ei; Quid enim habes, quòd non accepisti? Cùm ergo fides impetrat iustificationem,nõ gratiam aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.* Hæc ille, vbi meritum humanum,vocat opus ex solo libero arbitrio factum,sine speciali videlicet gratia Dei excitante & adiuuante:qua significatione accipiendo meritum, passim affirmat contra Pelagianos, gratiam non secundum merita nostra dari; vt videre licet in hac ipsa epist.106.& in præcedẽte,& sequente: & præfatione in Psal.31. & libro de gratia & libero arbitrio,cap.6.7. & 8. vbi ante iustificationem nulla agnoscit merita, nisi mala. Sed nusquam negat, ex operibus cum auxilio Dei speciali factis, vt ex actibus fidei, orationis, pœnitẽtiæ, & similibus, non posse nos mereri aliquo modo, ipsam remissionem peccatorum,& gratiam benè operandi:quin potiùs id apertissimè confitetur, epist.105.*Nec ipsa*,inquit,*remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus, propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus meritò fidelis humiliatus,quoniam qui se humiliat,exaltabitur. Restat igitur vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium non humano,quo isti extollũtur,tribuamus arbitrio,nec vllis præcedentibus meritis,quoniã inde incipiunt bona quæcunque sunt merita:sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiã veram,id est,sine meritis cogitamus.* Et epist.160. *Si quis aixerit, quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus,immò gratissimè confitemur.*

NEQVE verum est, quod quidam dicunt ab Augustino retractatam fuisse istam propositionem, Fides meretur iustificationem,quando retractauit illam: *Initium fidei est ex nobis* lib.1.Retract.cap.23.Nam in epist.105.& 106.vbi maximè contendit,initium fidei non esse ex nobis,disertis verbis docet, fidem mereri iustificationem, vt iam ostendimus:& in illo ipso lib.1.Retractat.cap.23. vbi retractat quod olim dixerat,initium fidei esse ex nobis; affirmat verissimè dictum esse, quòd fides inchoat meritum.Porrò S.Thomas in 1.2.quæst.114.artic.5.dicit hanc propositionem:*Fides meretur iustificationem*,esse retractatam, si fides accipiatur pro fide solis viribus liberi arbitrij acquisita:in quo sensu neque S.Augustinus accipit fidem, neque nos accipimus, cùm dicimus, fidem mereri de congruo iustificationem.

RESPONDEO secundò ad eandem obiectionem Aduersariorũ,non solùm gratis nos iustificari,licet Pœnitentia iustificationis gratiam mereatur,quia Pœnitentia donum Dei est,vt iam diximus:sed etiam quia meritum istud, quod Patres agnoscunt ante remissionũ peccatorum,non est meritũ ex condigno, sed ex congruo, neque illi merces ex iustitia,sed ex benignitate respondet,ac breuiter nõ est meritũ simpliciter,sed aliquo modo,vt semper loquuti sumus.Meritum enim ex cõdigno & simpliciter, non præcedit iustificandum, sed sequitur iustificatum, vt Augustinus scribit in Psalm.110. lib. de fide & operibus,cap.14.lib.1.ad Bonifacium,contra duas epistolas Pelagianorum,cap.2. libro de spiritu & litera, cap.29.& 30.& lib.1.ad Simplicianum,quæst.2.

DE hoc merito ex condigno,siue ex iustitia loquens Concilium Tridẽtinum,sess.6.cap.6.dicit,iustificari hominem gratis,quia neque fides,neque opera,quæ iustificationem præcedunt,ipsam merentur: meritum enim ex iustitia,opponitur gratiæ,non autem meritũ ex congruo,quod non in iustitia,sed in liberalitate fundatur.Et hoc modo de merito, nimirum ex condigno,nos in primo libro dum mendacia Hæreticotum refutaremus,sæpe diximus,Contritionem non esse meritum, sed dispositionem iustificationis. Denique omnia loca Patrum à nobis adducta,vbi Cõtritio siue Pœnitentia dicitur meritum,pretium satisfactio pro peccato;de merito,pretio, & satisfactione ex congruo accipienda sunt,vt etiam loca Scripturæ:*Peccata tua eleemosynis redime*,Danielis 4. & similia.

CAPVT XIII.

Contritione perfecta cum voto Sacramenti suscipiendi, remitti peccata ante Sacerdotis absolutionem.

CTAVA quæstio est,Vtrũ Contritio ante Absolutionem Sacerdotalem peccata remittat: siquidem Catholici Doctores communi consensu docere solebant, Contritionem si perfecta sit, & votum Sacramenti Baptismi, aut Absolutionis adiunctum habeat, omninò reconciliare hominem Deo, & peccata remittere, etiam antequam Sacramentum reipsa perciperetur.

CAETERVM, nostro tempore Martinus Kemnitius in secunda parte Examinis,pag.960. apertè reprehendit eos, qui Contritioni remissionem peccatorum tribuunt ante Absolutionem. Fuit etiam Doctor quidã ante paucos annos, qui in libro, quem de charitate conscripsit, aduersus communem sententiam docuit, Catechumenis & pœnitentibus,quamuis perfectè cõuersis, & charitate flagrãtibus,non remitti peccata siue reatum mortis æternæ, nisi cùm vel baptizantur, vel reconciliantur ministerio Sacerdotum, nisi fortè in mortis articulo.

ET quidem cum Kemnitio, facili negotio cõtrouersia finiri potest.Nam cùm ipse, & omnes Lutherani cõtendant, sola fide hominem iustificari,& Absolutionem ea tantùm de causſa requirant, vt per eam annuncietur verbum Dei, ex quo fides à pœnitente concipiatur: si quis ante Absolutionem, vel ex lectione Scripturæ, vel ex memoria Baptismi, vel aliunde fidem concipiat, quomodo negare possunt eum iustificari etiam ante Sacerdotalem Absolutionem? Nónne Lutherus ipse in libro de captiuitate Babylonica,cap.de Baptismo,scripsit, hominem iustificari, modò credat, etiamsi Baptismum non in nomine Domini, & proinde non verum & legitimum accipiat? & in assertione articuli 12. nónne scri

scripsit, vndecunque verbum audiatur, fidem concipi posse,& inde hominem iustificari,etiamsi non per modum Absolutionis,sed per iocũ,vel ad illud oppugnandum,verbum Dei pronuncietur? Denique nisi Kemnitius probet, quòd nunquam faciet, fidem concipi non posse, nisi per Absolutionem, nunquam obtinebit, non posse homines antè iustificari,Deóq; reconciliari,quàm Sacerdotum ministerio absoluantur. Porrò Catholici non cuicunque Pœnitentiæ, sed illi soli remissionem peccatorum tribuunt ante Absolutionem,quæ perfecta est,qúæque ex fide,spe,& charitate procedit.

IAM verò scriptori illi Catholico, qui veram perfectámque Contritionem,cum reatu lethalis peccati vsq; ad Sacramenti perceptionem,manere contendit,opponimus Primùm Concilij Oecumenici auctoritatẽ.Nam Concilium Tridentinum, sess. 6.c.4. declarat, post Euangelium promulgatum neminem iustificari sine Baptismo,aut eius voto:quo loco admittit Conciliũ,posse hominem per veram Pœnitentiam cum voto Baptismi, Deo reconciliari, antequam Baptismum reipsa percipiat.Et sess.14.ca.4.disertis verbis docet, Contritionem charitate perfectam,reconciliare hominem Deo, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Et sess.13.c.7.idem Concilium declarat,ad præparationem Eucharistiæ,Confessionem Sacramentalem necessariam esse iis, qui conscientiam habent peccati lethalis: & simul excipit eos, qui fortè Missam celebrare tenentur, neque habent sacerdotem,cui peccata sua confiteantur, iis enim Contritionem cum proposito Confessionis,ad Eucharistiam non indignè percipiendam sufficere iudicant. Itaque Concilium illud credidit, per veram contritionem,etiam ante sacerdotis Absolutionem, & extra mortis articulum, peccata remitti, neque enim suspicari fas est, in vllo casu Concilium Catholicum permissurum fuisse, vt cum conscientia reatus peccati mortalis, ad Sacramentum Eucharistiæ accederetur.

SECVNDÒ, opponimus testimonia Scripturarum, & sanctorum Patrum explicationes. Scriptura enim passim docet, eos,qui toto corde ad Dominum conuertuntur,sine mora veniam peccatorum accipere. Lib. 2. Reg. capit. 12. cùm audisset Dauid à Nathan Propheta peccatum suum, pœnitentia ductus ait: *Peccaui Domino*,& continuò subiecit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* de qua re loqui videtur idem Dauid,cùm ait in Psal.31.*Dixi,Confitebor aduersum me iniustitiam meam: & tu remisisti impietatem peccati mei.* S. Ambrosius in Apologia Dauid, cap. 7. *Si dixit*, inquit, *Pronunciabo, & veniam meruit antequam pronunciaret, quanto magis vbi de se pronunciauit dicens: Iniquitatem meam ego cognosco,remissum est ei omne peccatum:ergo remissionem meruit iniquitatis,& texit charitate, atque operuit peccata sua.* S. Augustinus concione 2.in Psal.31.*Non pronunciat*, inquit,*sed promittit se pronunciaturum, & ille iam dimittit.* Sanctus Gregorius in commentar.eiusdem Psal.31.*Attende*,inquit,*quanta sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, vt confitentis desiderium comitetur venia,antequam ad cruciatum perueniat Pœnitentia: antè remissio ad cor perueniat,quàm confessio in vocem erumpat.*

ISAIAE 30. secundum versionem LXX. Interpretum: *Si reuersus ingemueris,tunc saluus eris.* ex quo loco ita colligit quod volumus, S. Leo epist.91.ad Theodorum Foroiulij Episcopum:*Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio,dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Hæc ille, qui certè satis apertè docet, veram conuersionem nullas pati veniæ moras, proinde continuò remitti contritis peccata,etiam antequam Absolutio Sacerdotalis accedat.

SIMILIA legimus apud Ezech. cap.18. *Si impius auerterit se ab iniustitia sua,iniquitatum eius non recordabor amplius.*& ca.33.*Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* At profectò multùm nocet impietas, quàdiu reum facit æternæ damnationis:nec potest Deus dici oblitus iniquitatum, quamdiu pœnas æternas iniquitati debitas non relaxat.

HVC etiã pertinet parabola filij prodigi,Luc.15.videmus enim in ea parabola,patrẽ occurrisse filio reuertẽti, & antequam ille confessionem suam absoluisset,dedisse osculum pacis.Quam parabolam ad pœnitentiũ consolationẽ adducens Ambr.lib.2.de Pœn.c.3.*Tamen*ì, inquit,*veniam meretur,vt venienti, & adhuc cõgè posito occurrat Pater,& osculi tribuat,quod insigne est sacræ pacis.*

TERTIÒ, opponimus ea omnia loca Scripturæ & Patrum,quæ charitatem cum peccato,siue reatu mortis æternæ,simul habitare non posse testantur.Si enim charitas sine remissione peccatorum esse nequit,& Contritio nascitur ex charitate, cámque comitem indiuiduam habet,necessariò efficitur,vt etiam Contritio sine remissione peccatorum esse nequeat.

PROVERB. 8.*Ego diligentes me diligo.*Prou.10.& 1. Petri 4.*Vniuersa delicta operit charitas.* 1.Io.3.*Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres:qui non diligit,manet in morte.* Luc.7.*Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multùm.*

S.IOANNES Chrysostomus hom.7.in posteriorem ad Timotheum:*Sicut*, inquit,*ignis vbi syluam occupauerit, omnia purgare consueuit, ita & charitatis feruor quocunque inciderit,omnia perimit,atque perrumpit:vbi charitas est,omnia sublata sunt mala.* S.Gregorius homil.33.in Euang.*Quid*, inquit, *esse dilectionem credimus nisi ignem? & quid culpam,nisi rubiginem? vnde nunc dicitur: Dimittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multùm:ac si apertè diceretur: Incendit plenè peccati rubiginem, quia ardet validè per ignem amoris.* S.August.lib.15.de Trinit. cap. 18.de charitate loquens:*Nullum est*, inquit, *isto dono Dei excellentius: solum est,quod diuidit inter filios regni æterni, & filios damnationis æternæ.* Hæc ille, qui reatum mortis æternæ cum charitate esse non posse,apertissimè confitetur.Quomodo enim charitas diuideret inter filios regni æterni, & filios damnationis æternæ, si possent qui charitate flagrant,esse rei damnationis æternæ? Idẽ Augustinus tract.5.in epist.Ioannis:*Dilectio*, inquit, *sola discernit inter filios Dei,& filios Diaboli.* Et infrà:*Si solam habet,sufficit tibi.* at quomodo sola sufficit,si hominem non liberat à reatu mortis æternæ? Et infrà: *Si quis in corde suo inuenerit charitatem,securus sit,quia transiit à morte ad vitam,iam in dextera est.* at num in dextera esse dici potest,qui adhuc reus est Gehennæ, & filius iræ,ac perditionis? Vide similia loca,libro de vnitate Ecclesiæ,capit. 19.& hom.50.de verbis Domini.

QVARTÒ,opponimus rationem ex effectis,& proprietate charitatis ductam. Charitas & consequenter Contritio,efficit filios Dei,vt S.Augustin. demonstrat libro de gratia Christi,c.21.ex illis verbis Scripturæ:*Videte qualem charitatem dedit nobis Pater,vt filij Dei nominemur & simus.* 1.Io.3.At qui filij Dei sunt, hoc ipso hæredes regni sunt,iuxta illud Apostoli Galat.4.*Itaque iam non est seruus, sed filius: quòd si filius, & hæres per Deum.* non igitur potest qui charitatem habet, reus esse mortis æternæ,quæ exhæredationem à regno cœlorũ includit.

RVRSVS, qui charitatem habet, implet legem, & rectè viuit,vt idem Augustinus ostendit in libro de fide & operibus,c.14.ex illis Apostoli verbis Rom.13,*Plenitudo legis est dilectio.* At nemo rectè viuere,neque legem implere potest, nisi regeneratus,& iustificatus, & filius Dei effectus.Lib.1.contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 2. inquit Augustinus: *Cùm non viuant benè homines nisi effecti filij Dei, quid est,quod iste libero arbitrio tribuit*

benè viuendi potestatem? Et præfatione in expositionem Psal.31. *Nihil*,inquit,*boni fecisti,& datur tibi remissio peccatorum.*& concio.2.in eundem Psal,explicãs illud: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus*, scribit neminem esse sanctum,nisi post remissionem peccatorum.Et in Psal.100. *Iustitiam*,inquit,*non operatur,nisi iustificatus*,& libro de spiritu & litera, c.26. *Factores legis iustificatio præcedit.* Sequitur igitur, vt qui charitatem habent, liberi sint à peccato, quandoquidem sancti sunt, & legem implent, quod nemo potest nisi à peccato iustificatus.

PRAETEREA charitas facit amicos Dei,vel potiùs ipsa est amicitia hominis cum Deo.Prou.8.*Diligentes me diligo.*Ioan.15.*Vos amici mei estis,si feceritis, quæcunque præcipio vobis*, quid autem ipse præcipiat, explicat in eodem loco,dicens: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* S.Ambrosius in epist.7.ad Simplicianum: *Libertas*,inquit,*liberum facit hominibus,charitas amicum Deo.* At qui amicus Dei est, quomodo potest reus esse apud Deum mortis æternæ? potest ne aliquis amicum putare, à quo sciat sibi sempiternum exitium præparatum?

QVINTÒ, opponimus Ecclesiæ totius consensum. Nam in Ecclesia sæpe conceduntur à Pontificibus Indulgentiæ habentibus contritionem peccatorũ suorum, cum proposito Confessionis Sacramentalis suo tempore faciendæ:& eædem Indulgentiæ à fidelibus toto orbe Christiano libenter, & cum gratiarum actione suscipiuntur,At certum est,Indulgẽtias hoc requirere, vt qui eas sumit,iam sit in statu gratiæ, & liber à reatu mortis æternæ, & solùm pro temporalibus pœnis satisfacere teneatur. Indulgentiæ enim à temporalibus pœnis homines liberant,si tamen priùs ab æternarum reatu liberati fuerint.Quare vniuersa Ecclesia credit,per Contritionem cum voto Confessionis, à reatu peccati mortalis hominem liberari,atque in gratiam cum Deo redire.

POSTREMÒ, opponimus id quod etiã Aduersarius admittit, in articulo mortis, si non adsit qui reconciliet pœnitẽtem, vel baptizet Catechumenum, posse eos per veram Contritionem cum desiderio Sacramenti percipiendi,non solùm iustificari,sed etiam cõtinuò ad æternam gloriam peruenire.Id enim docet Ambrosius in oratione de obitu Valentiani Iunioris, Augustinus libr.4. de Baptismo contra Donatistas,c.22.Bernardus in epist. 77.ad Hugonem,& Innocentius III.c.Ad Apostolicam, de presbytero non baptizato. At certè non est articulus mortis, qui homines illos iustificat, sed vera conuersio, & cordis contritio cum desiderio Sacramenti suscipiendi. Articulus enim mortis solùm excusat à præuaricatione præcepti, ac facit vt non sit reus Sacramenti non percepti,qui non ideò Sacramentũ non habuit quia noluit,sed quia non potuit.Ergo vbicunque eadem causa reperietur,id est vera Cõtritio cũ proposito Sacramenti suscipiendi,idem etiam continuò sequetur effectus.

CAPVT XIV.

Soluuntur obiectiones.

MVLTAE sunt obiectiones, & graues aduersus ea,quæ superiore capite disputata sunt. Prima obiectio:*Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multùm.*Luc.7.Si Dominus peccata dimisit, cùm ait:*Remittuntur ei peccata multa*,vt verba ipsa sonant,quę præsentis temporis sunt,& vt sentire videtur S.Thomas in 3.par.q.64.art.3. necesse est, vt aliquo tempore fuerit mulier in peccatis suis,licet charitate flagraret.Nõ enim tunc primùm cœpit diligere, cùm audiuit Absolutionem suam,sed multò antè cœperat:Dominus enim non ait:Quia diligit multùm, sed:*Quia dilexit multùm.* Neque responderi potest, remissam fuisse pœnam temporalem, non autem æternam, cùm Dominus ait: *Dimittuntur ei peccata multa.*Nam in parabola duorum debitorum explicuit Dominus se loqui de condonatione debiti, pro qua debitores satisfacere nunquam potuissent:

A *Non habentibus*, inquit, *vnde redderent, donauit vtrisque.* at satisfacere pro temporali pœna, possunt ii, quibus Deus donauit æternam, & quos gratia sua diuites fecit.

RESPONDEO,verba illa: *Dimittuntur ei peccata multa*, non cogunt vt dicamus, illo ipso tempore peccata fuisse fœminæ illi dimissa, quo verba illa Dominus pronunciauit:nam etiam posteà interiecto aliquanto spatio temporis,iterum Dominus ait: *Remittuntur tibi peccata tua.*nec tamen dicere debemus,bis eadem peccata fuisse dimissa. Verba igitur Domini: *Remittuntur ei peccata multa,&c.* nihil aliud significant, nisi magnam dilectionem caussam fuisse magnæ indulgentiæ: & vt sanctus Gregorius explicat in homil.33. magnam tubiginẽ peccati,magno charitatis igne purgatam.Illa autem verba: *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ magis præ se ferunt formam præsentis Absolutionis,partim absoluunt exteriùs, & coram hominibus, eam quæ iam intùs à Deo absoluta erat, partim etiam confirmant Absolutionem inuisibiliter datam. Nam simile quid legimus Marci 5. vbi Dominus mulieri, quam iam sanauerat à fluxu sanguinis,ait: *Esto sana à plaga tua.*quo verbo non eam curauit, sed curationem iam factam confirmauit. Porrò sancti Thomæ testimonium nihil concludit,quoniam in argumentis contrariis rem illam breuiter attigit, sed non clarè exposuit,quid inde sentiret.

DICET aliquis,Si dilectio Dei caussa fuit remissionis peccatorum, priùs certè debuit esse dilectio, quàm peccati remissio:ergo dabitur tempus aliquod, quo dilectio Dei sine remissione peccatorum fuerit.

RESPONDEO, dilectionem Dei super omnia, de qua hîc loquimur, vltimam esse dispositionem ad gratiam, & peccati remissionẽ, & propterea esse quidẽ natura priorem, quàm sit remissio peccatorum, sed nullo puncto tẽporis eam præcedere:quod idẽ in naturalibus formis,& dispositionibus vsu venire Philosophi docent.

SECVNDA obiectio:*Qui non diligit me,sermones meos non seruat.* Io.14. At Catechumeni ante remissionẽ peccatorũ,sermones Dñi diligenter obseruant:igitur Catechumeni ante remissionem peccatorũ Deum diligunt.

RESPONDEO, si de integra obseruatione mandatorum Dei agatur,falsa est assumptio:neque enim Catechumeni ante remissionem peccatorum omnia mandata seruant, vel si ea seruant, non carent remissione peccatorum, vt suprà ex Augustino demonstrauimus.

TERTIA obiectio:*Si quis diligit me,sermonem meum seruabit,& Pater meus diliget eum,& ad eum veniemus,&c.* hic igitur est ordo iustificationis, vt primùm quis diligat Deum,deinde mandata seruet, postremò illi per aduentum Patris, & Filij, & Spiritus sancti,peccata omnia remittantur.

RESPONDEO, illud, *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus,&c.*ad gloriam æternam,non ad iustificationem à peccatis referendum est,vt S.Auguſt.tract.75. in Ioannem,& S.Cyrill. lib.10.in Ioannem,c.1.referunt. Itaq; hic est ordo, quem Dñs hoc loco statuit, gradum ad vitam æternam,vt quis primùm diligat Deũ, deinde mandata omnia seruet, postremò diligatur à Deo dilectione illa perfecta, quæ beatitudinem confert. Quod idem apertiùs paulò antè his verbis Dñs explicauerat: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo,& ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* quod certè tunc fiet, cùm similes illi erimus:*Quia videbimus eum sicuti est.*1.Ioan.3.

QVARTA obiectio. Acto.22. Ananias Paulo, quem perfectè conuersum esse,& vas electionis factũ, ab ipso Domino audierat,sic ait:*Et nunc quid moraris? exurge,& baptizare,& ablue peccata tua,inuocato nomine illius.*

RESPONDEO, rectissimè dicitur hæc Paulo ab Anania, quia debuit Paulus omnia facere, quæ ad peccata remittẽda Dominus instituerat.Non enim certò sciebat Ananias, adeò perfectam Pauli conuersionem fuisse,

vt sola sufficeret ad peccata eius delenda, licet eũ à Domino singulariter præordinatum,& vas electionis futurum esse non dubitaret. Potuit etiam Ananias hortari Paulum,licet perfectissimè conuersum,& per hoc iustificatũ, vt amplius peccata sua ablueret: iuxta illud Psal. 50. *Amplius lauа me ab iniquitate mea.* fortè enim non totius pœnæ reatus per conuersionem ei remissus fuerat;& si totius pœnæ reatus fuerat remissus, certè non deerant vulnera ex peccato relicta, vt propensiones malæ,& alia id genus multa,quæ per gratiam Dei curari poterant. Denique & illud dici posset, debuisse Paulum iam intùs totum inuisibiliter, lauari etiam exteriùs visibiliter, vt non solùm gratiam, sed etiam gratiæ signum haberet, vt sensus sit eorum verborum: *Ablue peccata tua*,id est,Ablutionis Sacramentum accipe; quo modo de Cornelio loquitur sanctus Augustinus q.33.in librum Numeri:*Cornelius*,inquit,*audiens,& credens quod prædicauerat Petrus,ita mundatus est,vt ante visibilem Baptismum, cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti: veruntamen nec visibile Sacramentum contemni potuit,vt ablutus etiam extrinsecus,lauaret quodammodo vestimenta sua.*Hæc ille.

QVINTA obiectio:*Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum,anathema sit.* 1.Corint.16. At impium est,execrari Catechumenos & pœnitentes, anhelantes ad remissionem peccatorum: igitur in illis est charitas Christi remissionem peccatorum.

RESPONDEO, Catechumeni & pœnitentes, si Christum super omnia diligunt, ac vera Dei charitate flagrant,iam apud Deum remissionem consequuti sunt, ad cuius remissionis Sacramentum piè,religioseque anhelant. Si autem per inchoatam dilectionem Dei (vt Concilium Tridentinum loquitur sess.6.cap.6.) paulatim disponuntur ad gratiam, non habent illi quidem remissionem peccatorum, sed neque ex eorum numero habendi sunt, quos Apostolus execratur:ille siquidẽ eis tantùm anathema dicit,qui Christum neq; perfectè, neque imperfectè diligunt,vel etiam oderunt ac persequuntur, aut certè contẽnunt,& agnoscere dignantur.

SEXTA obiectio: *Qui non diligit, manet in morte.*1. Ioan.3. Sed Catechumeni & pœnitentes ante remissionem peccatorum viuunt, cùm peccata sua confiteantur, quod mortui facere nequeunt, dicente Scriptura: *A mortuo,tanquam qui non est,perit confessio.* Ecclesiastici 17.Igitur Catechumeni & pœnitentes ante remissionem peccatorum Deum diligunt.

RESPONDEO, Catechumeni & pœnitentes, dum diligere incipiunt(vt Concilium paulò antè citatum loquitur)simul viuere incipiunt,perfectè victuri, quando perfectè diligent.Quare pulchrè Augustinus libro 1.ad Simplicianum, q.2.comparat Catechumenos embryonibus,qui in vteris matrum concepti, viuere incipiunt, sed nascuntur posteà per Baptismum, vt ad vitam perueniant sempiternam. Porrò Confessio non est propriè opus vitæ,sed dispositio ad vitam:opera enim quæ propriè dicuntur vitæ,sunt opera iustitię bona,ac vitæ æternę meritoria. Augustinus in Psal.110.*Iustitiam*,inquit,*homo nõ operatur,nisi iustificatus*,& infrà:*Vnde ergo illa confessio? nondũ quidem opus est iustitiæ,sed delicti improbatio.*

SEPTIMA obiectio. Apostolus 1.Cor.13.scribit,neque fidem, neque eleemosynas aliquid prodesse sine charitate. Sed impium est existimare vel dicere, nihil prodesse Catechumenis & pœnitentibus fidem quam habent, & eleemosynas quas faciunt, ante remissionem peccatorum: habent igitur illi charitatem, etiam ante remissionem peccatorum.

RESPONDEO, quod Apostolus ait, fidem,& eleemosynas non prodesse sine charitate, non ita accipiendum est,quasi absolutè non prosint, hoc est,nullam adferant vtilitatem, sed quòd nequeant hominem ad vitam æternam perducere,nisi cum charitate jungantur: alioqui enim fides,quamuis informis,donum Dei est,& multùm prodest, cùm sit iustificationis initiũ, & iustitiæ fundamentum.Si quis ædificij materialis fundamentum iecisset, ac deinde neque parietes, neque tectum superædificaret, nihil ei prodesset quod fecit, cùm solo fundamento neque à sole, neque ab imbribus defendi posset: at si vellet in ædificatione pergere, multùm ei prodesset, quòd fundamentum iam haberet. Sic etiam fides informis,si semper maneat informis, non prodest, quia non saluat,multùm tamen prodest,si ei spes & charitas adiungantur.

OCTAVA obiectio:*In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet,neque præputium,sed fides,quæ per dilectionem operatur.*Galat.5.Sed fides,qua Catechumeni & pœnitentes impetrant remissionem peccatorum,multùm valet,igitur per dilectionem operatur.

RESPONDEO, fides quæ per dilectionem operatur, dicitur, sola valere, quia sola perfectè iustificat, & saluat:sed non ideò fides,quæ petit remissionem peccatorum,& inchoat iustificationem,nihil valet. Neque oportet Christianum hominem idem iudicium facere de fide,quæ magnum donum Dei est,& sine qua impossibile est placere Deo, & de circumcisione ac præputio, quæ nullam omninò vim habent ad iustificandum.

NONA obiectio: *Scientia inflat,charitas ædificat.* 1. Cor.8. Sed scientia Catechumenorum & pœnitentium non inflat, sed ædificat, cùm ad remissionem peccatorum hominem perducat, igitur cum charitate cohiuncta est etiam ante remissionem peccatorum.

RESPONDEO,non habet Apostolus,scientiam sine charitate semper inflare, sed scientiam occasionem superbiæ præbere solitam, & ideò magis charitati, quàm scientiæ incumbendum esse.His autem non repugnat,vt scientia sine charitate, sed cum timore, qui charitatem præcedit, non inflet, sed deprimat;quòd sæpe in pœnitentibus videmus, qui ex contemplatione Iudicij futuri, aut infernalium suppliciorum non modò non inflantur, sed etiam terrentur,& humiliantur.

DECIMA obiectio.Concilium Mileuitanum c.4.dicit anathema iis,qui dicunt gratiam dilectionis non esse necessariam ad non peccandũ:sed non peccare,conuenit etiam Catechumenis ante remissionem peccatorum.

RESPONDEO, loquitur Concilium de gratia dilectionis, per quam homo vitare potest omnia peccata mortalia, siue omnia mandata seruare, quæ gratia non præcedit,sed simul infunditur cum remissione peccatorum: vt patet ex cap.3.vbi dicitur, gratiam Dei per Iesum Christum, non solùm remittere peccata, sed etiam iuuare ad non peccandum,& statim cap.4. dicitur,hanc eandem gratiam non esse scientiam tantùm, sed etiam charitatem. Quòd verò dicitur in argumento:*Catechumenis ante remissionem peccatorum conuenit non peccare:* in eo sensu verum est, quia non licet eis peccare, & auxilium Dei habent, quo possint vitare singula peccata; non tamen omnia simul vitabunt,nisi posteaquam gratiam iustificationis fuerint adepti.

VNDECIMA obiectio. Concilium Arausicanum can.vlt.*Deus*,inquit,*nullis præcedentibus meritis,fidem & amorem sui priùs inspirat,vt Baptismi Sacramentum fideliter requiramus.* Item Concilium Tridentinum sess.6.c. 6. dicit, quòd peccatores se ad iustitiam præparantes, Deum tanquam fontem iustitiæ diligere incipiunt.

RESPONDEO,ista argumenta ferunt secũ solutionem. Nam Concilium Arausicanum apertè distinguit amorem illum imperfectum,quem habent homines ante remissionem peccatorum,à vera charitate,per quam seruantur omnia mandata, quæ cum reatu mortalium peccatorum esse non potest:siquidem postquá dixerat: *Fidem & amorem sui priùs inspirat:* subdit, *Vt Baptismi*

Sacramentum fideliter requiramus, & post Baptismum, quæ ipsi sunt placita implere possimus. Concilium verò Tridentinum, clarissimè distinguit imperfectum illum amorem à charitate, quam cap. 7, dicit, cum remissione peccatorum simul infundi.

DVODECIMA obiectio. S. Augustinus libro 12. de ciuitate Dei, capit. 9. & lib. 14. capit. 7. & libro de gratia Christi, cap. 21. & alibi, docet bonam voluntatem esse id, quod in Scripturis vsitatiùs charitas nominatur: sed bonam voluntatem habet homo etiam ante remissionem peccatorum, cùm Luc. 7, promittatur pax hominibus bonæ voluntatis.

RESPONDEO bona voluntas, quam B. Augustinus vocat charitatem, non est quæcunque bona voluntas, sed illa quæ datur nobis per Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater, quæque diffunditur in cordibus nostris per Spiritum inhabitantem, & quæ sola perducit ad vitam æternam. Nam S. Augustinus eodem lib. 12. de ciuitate Dei, c 9. postquàm dixit Angelos creatos cum bona voluntate, id est, cum charitate, statim rationem subdit, quia de Angelis quoq; dici potest: *Charitas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctũ, qui datus est eis.* Præterea libro de gratia Christi, c. 21. iam citato, postquam dixit bonam voluntatẽ dici charitatem, statim addit, ipsam esse per quã efficimur filij Dei, item lib. 4. in Iulian. ca. 3. dicit se bonã voluntatem appellare bonum illud, per quod solum homo potest ad æternam vitam, regnúmq; perduci. Denique lib. 1. de libero arbit. c. 12. definit Augustinus bonam voluntatem, appetitum rectè viuendi, & ad summam sapientiam perueniendi: rectè autem viuere neminem posse, nisi priùs Filius Dei per regenerationem effectus sit: docet idem Augustinus lib. 1. c. 2. contra duas epistolas Pelagianorum.

QVOD verò in argumento additur, promitti pacem hominibus bonæ voluntatis, nihil efficit contra nos. Nã inprimis codices Græci non habent: *Pax hominibus bonæ voluntatis*, sed, *In terra pax in hominibus bona volũtas*: nomen quoque *Bonæ voluntatis*, non est θέλημα ἀγαθὸν, sed εὐδοκία, quod nomen non solet significare amorem hominis erga Deum, sed amorẽ Dei erga homines. Itaq; cùm dicitur: *In terra pax in hominibus bona voluntas*, sensus est, Annunciatur hominibus pax, quæ est ipsa Dei bona voluntas erga ipsos. Secundùm verò Latinos codices, in quibus habetur: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*, sensus est, Annunciatur in terra pax hominibus, pax (inquam) bonæ voluntatis Dei erga eos.

DECIMATERTIA obiectio. Augustinus epist. 143. ad Iulianum, dicit, per charitatem adimpleri in nobis, si quid diuinæ legis & admonitionis implemus: Sed Catechumeni ante remissionem peccatorum, multum implent diuinæ legis, cum ad Baptismum accedunt. Item libro de gratia Christi, cap. 26. dicit nullum bonum opus sine charitate imputari, nec esse verè bonum opus. At Catechumenorum opera non sunt omnia peccata: igitur Catechumeni charitate præditi sunt, etiam ante remissionem peccatorum.

RESPONDEO per charitatem impletur, si quid diuinæ legis impletur, quia sine charitate nullum mandatum seruare possumus, nisi secundum substantiam operis: sine charitate etiam nullum bonum opus imputatur, nec est verè bonum, secundùm Augustinum, quia ipse id vocat bonum, quod est meritorium vitæ æternæ. Catechumeni autem ante remissionem peccatorum seruant aliquid legis, secundùm substantiam operis, & faciunt opera bona, sed non meritoria vitæ æternæ.

DECIMAQVARTA obiectio. Augustinus libro 2. contra duas epistolas, c. 9. *Quid est*, inquit, *boni cupiditas, nisi charitas? de qua Ioannes sine ambiguitate loquitur, dicens charitas ex Deo est: nec initium eius ex nobis, & perfectio ex Deo, sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est.* Sed initium bonæ cupiditatis habetur ante remissionem peccatorum, ergo & charitas.

RESPONDEO, Augustinus non dicit quodlibet initium cupiditatis boni esse charitatem, sed ipsam perfectam boni cupiditatem: distinguit enim initium charitatis ab ipsa charitate, & vtrumque dicit esse ex Deo, quia qui infundit charitatem, ipse idem antea inspirat bona desideria, quibus homo disponitur ad charitatem. Id quod clariùs docet lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 18. *Sine suo fructu*, inquit, *admoneretur liberum arbitrium, quærere Dei donum, de quo Ioannes ait: Dilectio ex Deo est: nisi priùs acciperet aliquid dilectionis.* Hîc vides, dari homini aliquid dilectionis, quod nondum charitas dici potest, & per illud disponi ad veram charitatem, de qua Ioannes ait: *Charitas ex Deo est.*

DECIMAQVINTA obiectio sumitur ex Leone, qui serm. 9. de passione Domini, & Bernardo, qui in lib. de diligendo Deo, dicunt, in Petro, cùm Christum negauit, non fuisse extinctam charitatem.

RESPONDEO, S. Thomas in quæstionibus disputatis, quæst. de charitate, art. vlt. & in 2. 2. q. 24. art. vltim. rectè dicit, charitatem Petri à Bernardo dici sopitam fuisse, non extinctam, quia statim rediit, ac si sopita tantùm fuisset: à Leone autem dici non euersam dilectionem, sed constantiam fuisse turbatam. Quia non peccauit Petrus ex odio Christi, sed ex timore mortis, & ideò mansit dilectio, sed non super omnia: dilexit enim Petrus semper Christum, sed in illo timore magis se, quàm Christum dilexit.

DECIMASEXTA obiectio. Multi catechumeni vera charitate flagrant, & tamen nondum habent peccatorum remissionem, cùm non sint in Christo regenerati: vera igitur charitas cum reatu peccati mortalis haberi potest. Augustinus tract. 13. in Ioannem. *Quantumcunque*, inquit, *Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, nec illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum.* Et libro 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 21. *Non dubito*, inquit, *Catechumenum Catholicum diuina charitate flagrantem, hæretico baptizato anteponere, &c.* Et infrà: *Sicut autem bono Catechumeno Baptismus deest ad capessendum regnum cœlorum, sic malo baptizato vera conuersio.* Præterea idem Augustinus epistol. 57. ad Dardanum, lib. 1. de prædestin. Sanctorum, c. 7. & lib. 1. q. 2. ad Simplicia. & libr. 1. de Baptismo, cap. 8. & libr. 4. cap. 21. dicit Cornelium Centurionem, licet laudatum in Scripturis, nondum talem fuisse, vt saluus esse posset, nisi per Sacramentum Baptismi incorporaretur Ecclesiæ. Et de se scribit lib. 9. Confess. c. 4. *Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui, & gaudens in fide laudaui nomen tuum: & ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.* Præterea S. Leo epist. 91. ad Theodorum Episcopum Foroiulij. *Diuinæ*, inquit, *bonitatis præsidiis ordinatum est, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri.* Item Richardus de sancto Victore, in libro de potestate ligandi & soluendi, cap. 91. dicit apertè, posse hominem esse in charitate, & simul in reatu æternæ damnationis: quod etiam affirmat Thomas VValdensis tomo 2. de Sacram. cap. 97.

RESPONDEO ad Primum locum Augustini, dico eum loqui de iis Catechumenis, qui negligunt ad Baptismum accedere: tales enim quantumuis proficiant, nunquã sunt verè iustificati, cùm nec in re, nec in voto Sacramentum Baptismi habeant, nec vera charitate flagrent, vera enim charitas, & verum Baptismi votum, non permittunt hominẽ esse negligentem, vel contemptorem Baptismi. Quare ibidem Augustinus, *Ad hoc*, inquit, *vidi præbuit Dominus noster, ne quis arrogans, eo quòd habeat abundãtiam alicuius gratiæ, dedignaretur baptizari*

Baptismo Domini. Quantumcunq; enim Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, nec illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum, quod intellige, in re, aut in vero & ardenti desiderio: nã apud Deum animus pro facto reputatur. Quare idem Augustinus li. 4. de Baptismo, c. 23. scribit, latronẽ, qui cum Christo crucifixus fuit, non caruisse Baptismo, quia non eius accipiendi voluntas defuit, sed non accipiendi necessitas adfuit.

AD Secundum dico, Catechumenum diuina charitate flagrantem, non carere remissione peccatorum. Quod autẽ desit illi Baptismi susceptio ad capessendum regnum cœlorum, non ideò est, quia non habeat remissionem peccatorum, sed quia tenetur Baptismum suscipere, nisi necessitate aliqua excludatur, & si contempserit aut neglexerit accipere, reus erit & damnabitur, non quia nunquam habuerit remissionem peccatorum, sed quia Sacramentum contempsit, in cuius virtute & voto iustificatus erat. Ita Augustinus ibidem: *Veruntamen*, inquit, *Cornelius, si etiam Spiritu sancto accepto baptizari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus fieret.*

AD Tertium dico, Cornelium ante Baptismum procul dubio accepisse remissionem peccatorum, saltem posteaquam fidem à B. Petro audiuit, & votum Baptismi habuit: nam vt dicitur Acto. 10. etiam Spiritum sanctum inhabitantem habuit. Augustinus autem locis notatis, loquitur de eo tempore, quo Cornelius nihil adhuc de Christo audierat, & ne votum quidem Baptismi habebat: nam de alio tempore ita loquitur ipse idem Augustinus q. 33. in Nu. *Cornelius*, inquit, *audiens, & credens quod prædicauerat Petrus, ita mundatus est, vt ante visibilem Baptismum, cum suis, qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti, veruntamen nec visibile Sacramentum contemni potuit, vt ablutus etiam extrinsecus, lauaret quodammodo vestimẽta sua.* Idem dicit Chrysost. hom. 24. in Acta Apost. *Vide*, inquit, *dispensationẽ Dei: non permittit absolui sermonem, neq; ex præcepto Petri fieri Baptismum, sed vbi exhibuerunt se mẽte admirabili, & crediderunt omninò Baptisma esse remissionem peccatorũ, tunc aduenit Spiritus.* Et infrà explicans illud: *Nũquid aquam quis prohibere potest? &c.* introducit Petrum loquentem: *Totum*, inquit *factum est, quod magis necessarium fuit Baptisma: iam factum est, quo & nos baptizati sumus, &c.* Hieron. lib. 2. in Iouinianum: *Cornelius Centurio, vt Spiritum sanctum acciperet ante quam Baptisma, eleemosynis meruit, crebisque ieiuniis.*

AD locum ex Confessionibus dico, meritò Augustinum ante Baptismum nunquam fuisse securum: quia non certò sciebat, se veram charitatem & contritionem habere, nec fecerat totum quod poterat, ad remissionem peccatorum accipiendam. Cùm autem dicit, *Peccata mea nondum remiserat*, loquitur secundùm conscientiam suam, ipse enim ita existimabat, nec poterat homo pius & humilis aliter existimare, non tamen propterea sequitur id verum fuisse. Nam & plerique Sanctorum dicunt, se maximos esse peccatores, dignos Gehenna, & licet mendaces non sint, quia dicunt quod sentiunt: falsum tamen sine dubio dicunt.

AD locum Leonis, qui ait non posse hominem Deo reconciliari sine Sacerdotali Absolutione: Respondeo id esse intelligendum, in re, vel in voto: nam ibidem scribit Leo, veram conuersionem illam veniæ moram pati, & citat illud Propheticum: *Cùm reuersus ingemueris, tunc saluus eris.*

AD locum Richardi dico, eundem Richardũ in eodem libro semet explicare. Nam c. 4. docet, statim atque aliquis perfectè ad Deum conuertitur, remitti ei reatum pœnæ æternæ, siue mutari reatum pœnæ æternæ in reatum pœnæ temporalis, etiam ante Sacramẽti susceptionem. Et c. 8. scribit, licet per contritionem pœna æterna sit remissa, tamen verè etiam remitti per Absolutionem Sacerdotis, quia in voto & pacto huius Absolutionis remissa fuerat. Quod igitur postea dicit, c. 19. charitatem consistere cum reatu pœnæ æternæ: non est intelligendum, vt verba sonare videntur, sed sensus eius est, habere hominem cum vera charitate adhuc debitum mortis æternæ, quando non suscepit actu Sacramentum, quia nondum impleuit pactum & votum, in quo remissa sunt ei peccata, & si ex negligentia pactũ illud non impleat, procul dubio damnandum, non quia non habuerit antè remissionem peccatorum, sed quia pactum non seruauit. Id verò ex ea similitudine: quam ibidem adducit, apertissimè colligitur. Nam probare volens, charitatem consistere cum debito mortis æternæ, dicit, Patriarchas & Prophetas cum magna charitate de hac vita migrasse, & tamen mansisse apud inferos cum debito mortis æternæ, donec Christus sua morte eos liberauit. Certum est autem, Patres illos non habuisse debitum mortis æternæ, nisi ea ratione, quia remissa erant eis peccata in virtute mortis Christi futuræ, & si ea nunquam fuisset, ipsi quoque nunquam de inferno exissent. Atque ad hunc modum exponenda videtur sententia Hugonis de S. Victore, lib. 2. de Sacram. par. 14. cap. 8.

AD Vltimum ex Thoma VValdensi, dicimus, Thomam VValdensem docere velle, solam charitatem sine Sacramento, vel in re: vel in voto hominem à peccato non liberare. Et quanquam vera charitas esse non potest sine Sacramento, vel in re, vel in voto: nec enim fieri potest, vt aliquis diligat Deum super omnia, & non desideret ea remedia, quæ Deus instituit pro reconciliatione peccatoris, tamen si per impossibile aliquis diligeret super omnia Deum, & tamen nollet Sacramenta suscipere, non iustificaretur. VValdensis autem illud scripsit contra VViclefum, qui sentiebat, Baptismum aquæ non esse nisi signum internæ renouationis, quæ est etiam hæresis Caluinistarum. Verba eius hæc sunt: *Quamuis bonus fuerit, plena fide, dico tamen sine visibili Sacramento, vel re ipsa, vel affectu grauido consequuto, sine aqua saluus esse non poterat, &c.* quæ sunt omninò consentanea doctrinæ, quam tradit Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. vbi docet, contritionem quidem reconciliare hominem Deo ante susceptionem Sacramenti: tamen eam reconciliationem non esse tribuendam soli contritioni, sed contritioni cum voto Sacramenti suscipiendi, quod votum semper in ea includitur.

DECIMASEPTIMA obiectio. Si per contritionem peccata remittuntur: quorsum homines contriti baptizantur, vel reconciliantur? & nónne falsa est forma Sacramenti: Ego te baptizo, vel absoluo, si is iam lotus & absolutus est, cui sic loquimur?

RESPONDEO Sacramentum non frustrà suscipitur ab eo, qui per veram contritionem iustificatus est. Primùm, quia Sacramentum auget gratiam, & pœnã temporalem remittit, vel totam, vt in Baptismo, vel ex parte, vt in Absolutione: Contritio enim cum solo Sacramẽti voto, culpam quidem purgat, sed reatum totius pœnæ temporalis rarò admodum tollit. Secundò, quia nemo certò scire potest, se veram contritionem habuisse, & attritio cum solo Sacramenti voto non iustificat. Itaq; vt quis de adepta indulgentia securior sit, debet omnia illa remedia adhibere, quæ Deus ad peccata purganda instituit. Tertiò, quia pactũ implere debet, quod cum Deo quodammodo pepigit, qui per votum Sacramenti suo tempore suscipiendi, gratiam reconciliationis accepit.

NEQVE forma Sacramenti redditur falsa. Nam qui dicit, Ego te baptizo, vel absoluo, non affirmat se absolutè baptizare vel absoluere, cùm non ignoret multis modis fieri posse, vt neque baptizet, neque absoluat, licet ea verba pronunciet, nimirũ si is, qui Sacramentum suscipere videtur, fortè non habeat suscipiendi intentionem, vel non sit ritè dispositus, aut obicem ponat. Igitur Minister illis verbis nihil aliud significat, nisi se,

quod in se Sacramentum reconciliationis vel absolutionis impendere, quod vim habet in homine disposito peccata omnia dimittendi. Quare sanctus Thomas in 3. part. quæstio. 84. articul. 3. ad vltimum, ita exponit verba illa: *Ego te absoluo*, id est, Sacramentum Absolutionis impendo.

PRAETEREA, quemadmodum (vt in responsione ad 4. obiectionem diximus) S. Dauid orabat: *Amplius lauame ab iniquitate mea.* Ita potest etiam idem peccatum sæpiùs ad Confessionem adduci, sæpiúsque ministerio Sacerdotis absolui: quia dum in hac vita sumus, semper aliquid ex peccato inductum, purgari potest, vt pœnæ temporalis reatus, aut vulnus aliquod ex peccato relictum. Sed de his satis.

CAPVT XV.

Nullum esse peccatum, quod per veram Pœnitentiam non deleatur.

SEQVITVR quæstio Nona, Vtrum omnia peccata per veram Contritionem siue Pœnitentiam deleantur: est autem duplex sensus huius quæstionis. Alter, an omnis peccator possit agere Pœnitentiam: sunt enim qui existiment, interdum aliquos, vel ob multitudinem, vel ob magnitudinem peccatorum ita deseri à Deo, vt nunquam sint auxilium diuinum ad rectè pœnitendum habituri. Alter sensus est, an si quis egerit Pœnitentiam, nulla sit tanta peccatorum multitudo, vel grauitas, quæ pœnitendo non possit expiari. Nam & Nouatiani videntur in ea sententia fuisse, vt ob grauissima quædam scelera nulla ratione Deus placari posset, vt ex Paciano in epist. ad Sympronianum, & ex Ambrosio lib. 1. de Pœnitentia, capit. 9. & lib. 2. cap. 2. & 4. intelligimus: & Richardus Armachanus, lib. 9. quæstionum Armenorum, capit. 27. probabile esse docuit ob quædam ingentia crimina non posse veniam impetrari, etiamsi ageret peccator quidquid posset pro venia impetranda. Sed quoniam de sensu priore tractandum erit in disputatione de gratia, & libero arbitrio, nunc solum de posteriore breuiter disseremus.

ILLVD igitur affirmamus, non vt probabile, quemadmodum loquitur Armachanus, sed planè vt certum, & apud Catholicos exploratum, nullam esse peccatorum multitudinem vel grauitatem, quæ per veram Pœnitentiam non expietur. Nam inprimis Ezech. 18. & 33. Deus sæpius clamat: *Nolo mortem peccatoris*, & sine vlla exceptione veniam pollicetur omnium iniquitatum, si impium seriò pœnituerit vitæ præteritæ, cum emendationis proposito: quod idem in Isaia capit. 1. & 55. & in Hieremia cap. 18. & aliis Prophetis legimus. Porrò Ioël cap. 2. addit particulam vniuersalem: *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Nemo autem seriò Pœnitentiam agit, qui non inuocet nomen Domini: nam in eodem cap. describens idem Propheta Pœnitentiam, ait: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Et infrà: *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Et Ionæ 3. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.*

IN Testamento nouo Matth. 11. Dominus sine exceptione omnes inuitat ad se: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matthæi 16. omnium peccatorum soluendorum sine exceptione, Petro potestatem tribuit: *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo.* Matth. 18. rursus generatim dicit Apostolis: *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Et ibidem de numero, ne fortè quis peccata alicuius ob frequentes lapsus irremissibilia esse crederet, non solùm vsque septies, sed etiam vsque septuagies septies peccata dimittenda esse admonuit, numerum certum ac finitum, pro incerto & infinito ponens, vt Origenes, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, & alij Patres, in commentario huius sententiæ annotarunt. Et Io. 20. sine exceptione personarum: *Quorum, inquit, remiseritis peccata, remittuntur eis.* Cùm igitur Dominus omnes ad se peccatores inuitet ac vocet, quis audebit aliquos excludere? cùm ille, quæcunque soluuntur à suis in terra, soluta esse dicat in cœlis, quis obstrepere audebit ac dicere, quædam esse peccata, quæ per veram Pœnitentiam, & Sacerdotum ministerium solui nequeant? cùm ille, quorum peccata Apostoli remiserint, iisdem remissa esse testetur, quis erit tam temerarius, qui aliquorum peccata irremissibilia esse disputet? cùm ille denique toties remittenda esse peccata iudicauerit, quoties ad Pœnitentiam is qui peccauit redierit? quis indulgentiam Dei ad certam mensuram ac numerum peccatorum restringet?

ACCEDIT Ecclesiæ Catholicæ definitio. Nam in primo capite Concilij Lateranensis Oecumenici, & frequentissimi, quod sub Innocentio III. celebratum est, habetur ea sententia: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari.* cui sententiæ consentiunt omnium ferè Patrum testimonia. Hilarius canon. 18. in Matth. *Neque fas est*, inquit, *nos ex præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi, cùm per Euangelij gratiam sine modo nobis à Deo fuerit indulta.* Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 4. *Omnibus*, inquit, *conuersis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Hieronymus in epistola ad Oceanum, de digamia. *Frustrà*, inquit, *mortuus est Christus, si aliquos viuificare non potest: mentitur Ioannes Baptista, & digito Christum & voce demonstrans: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit, &c.* Augustinus lib. 1. Retract. cap. 19. reuocat, quod in lib. 1. de serm. Domini, dixisse videbatur, esse ingens aliquod peccatum quod nulla ratione remitti possit: *Addendum*, inquit, *fuit, Si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam: quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto, non est vtique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Eandem sententiam apud Basilium, in epistola ad Virginem lapsam: Chrysostomum, in epistolis duabus ad Theodorum de reparatione lapsi, atque apud alios passim inuenies.

HIS addi possunt exempla Scripturæ diuinæ. Nam in Regibus Israël peiorem Achabo, & in Regibus Iuda peiorem Manasse non facilè reperies: vterque tamen per Pœnitentiam veniam impetrauit. Vide de Pœnitentia Achab. lib. 3. Regum, cap. 21. de Pœnitentia Manasse, lib. 2. Paral. cap. 33.

IN testamento nouo orat Stephanus, Act. 7. pro lapidatoribus suis, qui tamen Spiritui sancto resistebant, vt ipse illis dixerat: &, ab Augustino paulò antè audiuimus, pro iis non impudenter oratur, de quibus non desperatur. Actor. 8. hortatur Petrus Simonem Magum ad Pœnitentiam, eumque corripit, qui tamen grauissimè peccauerat: & vt loquitur Augustinus serm. 11. de verbis Domini: *Quis est fructus correptionis, sine vlla spe remissionis?* 2. Cor. 2. Paulus Corinthium illum ad indulgentiam recipit, quem iusserat 1. Cor. 5. tradi Satanæ, & de quo dixerat: *Auditur inter vos fornicatio, quales nec inter Gentes, vt vxorem patris sui aliquis habeat.*

CAPVT XVI.

Soluuntur obiectiones, ac de peccato in Spiritum sanctum breuiter disputatur.

SED obiectiones soluendæ sunt. Ac Primùm obiiciebant olim Nouatiani illud Heli sacerdotis 1. Reg. 2. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit?*

RESPONDET Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 8. illud, *Quis orabit*, non significare: Nullus orabit, sed. Quærendus erit insignis aliquis Dei amicus, qui oret, qualis fuit Moses, qui pro populo idololatra orauit, & exauditus est. Exodi 32. Videtur Heli more humano esse loquutus. Nam inter homines rari inueniuntur, qui apud Principem intercedere audeant, quando reus Principem ipsum immediatè læsit: alioqui facilis est intercessio, quando inter priuatos iniuria consistit. Summa est; Heli nihil aliud significare voluisse, nisi peccata in Deum difficiliùs expiari, quàm in homines.

SECVNDA obiectio sumitur ex lib. Prouerb. cap. 1. vbi sapientia Dei sic loquitur: *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, &c. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me.* Et Psal. 17. *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Et Hiere. 14. *Cùm ieiunauerint, non exaudiant preces eorum.*

RESPONDEO. Verba sapientiæ in Prouerbijs, de ijs potissimùm accipienda sunt, qui post hanc vitam in die Iudicij siue vniuersalis, siue particularis, inutilem Pœnitentiam agent, & refrigerium aliquod petent, nec impetrabunt, quia tempus Pœnitentiæ non est, nisi in vita præsenti: de quibus etiam loquitur liber Sapientiæ cap. 5. cùm ait: *Tunc dicent intra se Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, &c.* Et Dominus Matth. 25. introducit fatuas virgines post clausum ostium dicentes: *Domine, Domine aperi nobis.* Et Luc. 13. clarioribus verbis: *Cùm intrauerit, inquit, paterfamilias, & clauserit ostium, & incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes: Domine, aperi nobis; & respondens dicet vobis. Nescio vos vnde sitis; tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos vnde sciti; discedite à me omnes operarij iniquitatis: ibi erit fletus, & stridor dentium, &c.* Et Luc. 16. introducit diuitem in inferno implorantem Abrahamum, & nihil impetrantem. Loqui autem librum Prouerbiorum de vita futura, perspicuum est ex illis verbis: *Ego quoque in interitu vestro videbo, & subsannabo, cùm vobis quod timebatis aduenerit.*

QVOD si ea verba ad hanc etiam vitam referre placeat, sine dubio accipienda erunt de inuocatione Dei ad pœnas arcendas, non de vera Pœnitentia, neque de seria cupiditate liberationis à culpa: ad quem modum intelliguntur alia duo loca, ex Dauide & Hieremia. Nam de inuocatione Dei ex vera Pœnitentia, non potest falsum esse quod scribit Ioël cap. 2. *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

TERTIA obiectio continet exempla duo eorum, qui Pœnitentiam in hac vita egerunt, nec indulgentiam meruerunt. Lib. 2. Machab. 9. de Antiocho inquit Scriptura: *Orabat hic scelestus Deum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et in epist. ad Hebr. c. 12. de Esau inquit Apostolus: *Scito te quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.*

RESPONDEO, dubitari nō potest, quin Antiochus solam corporis mortem, & cruciatum illum viscerum quo vexabatur, auertere oratione sua desiderauerit; & ideò cùm vera non fuerit eius Pœnitentia, atque cōuersio, mirum esse non debet, si nihil etiam à Domino impetrauerit. Porrò, Esau neque apud Patrem locum benedictionis inuenit, quia iam in alterum collata benedictio illa, irrecuperabilis erat: neque apud Deum Pœnitentia, eius vim vllam habuit, quia non ex corde conuersus est ad Deum, neque fleuit ob culpas in Deum admissas, sed solùm ob hæreditatem amissam. Nam illo ipso tempore, quo Pœnitentiā agere videbatur, necem fratris sui animo

voluebat: sic enim ait Genes. 27. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Itaque Apostolus exemplo Esau admonere voluit fideles, ne facilè se in peccata pertrahi sinerent; tum quia damnum irrecuperabile per peccatum incurrit, qui innocentiam, aut virginitatem, aut aliquid eiusmodi peccando amittit: tùm etiam quia nonnulli gemunt ac plorant, nec tamē veram Pœnitentiam habent, atque ita valdè dubius, atque incertus est peccantium exitus.

QVARTA obiectio, eáque præcipua, quam & Pacianus in epist. 3. ad Sympronianū, & Ambrosius in vtroque libro de Pœnitentia, ex Nouatianis referunt, sumitur ex quatuor locis Scripturæ diuinæ, in quibus peccatum in Spiritum sanctum, dicitur esse irremissibile. Ac vt perspicuè res tota, & breuiter explicetur, duo tractanda erūt. Primùm, quid sit propriè peccatum in Spiritū sanctum. Deinde, qua ratione dicatur irremissibile.

QVOD ad primum attinet, quatuor sententiæ sunt, quarum tres posteriores in 2. 2. q. 14. B. Thomas recitat, & etiam Magister in 2. dist. 43.

PRIMA est Origenis in Matth. cap. 12. peccata in Spiritum sanctum esse omnia illa, quæ contra Dei legem admittunt homines post Baptismum. Et ratio est, quia, vt ipse ibi docet, Pater est in omnibus rebus, etiam ratione carētibus, Filius in solis rationalibus, etiamsi Ethnici sint, Spiritus sanctus in solis regeneratis. Cùm igitur peccent homines in eam personam diuinam, quam in se habent; sequitur peccata Ethnicorum esse in Patrem, aut Filium: peccata Christianorum in Spiritum sanctum. Eadem sententia fuit etiam Nouatiani: nam vt B. Hieronymus scribit in epist. ad Marcellam, de blasphemia in Spiritum sanctum; ideò Nouatianus negabat Christianis lapsis remissionem peccatorum, quia existimabat, omnes Christianorum lapsus esse peccata in Spiritum sanctum.

HANC sententiam meritò refellit B. Athanasius in libello quem edidit super eum locum Euangelij. *Qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei, &c.* Primò, quia sequeretur omnia peccata Christianorum esse talia, vt non remittantur, neque in hoc sæculo, neque in futuro; quod constat esse falsum ex B. Paulo, qui 2. Corinth. 2. remisit peccatum fornicario Christiano. Secundò, quia Dominus accusat peccati in Spiritum sanctum Pharisæos, qui tamen Christiani non erant. Tertiò, quia falsum est quod Origenes assumit, Patrem esse in pluribus rebus, quàm Filium, & Filium in pluribus, quàm Spiritum sanctum. Nam cùm sint vna numero essentia, necessariò vna persona diuina est in alia, iuxta illud Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* & multò magis vbi est vna persona, ibi sunt reliquiæ. Hæ sunt rationes Athanasij.

ALTERA sententia est B. Augustini, qui nullum aliud voluit esse peccatum in Spiritum sanctum, quàm finalem impœnitentiam. Is enim asserit in Enchiridio, cap. 83. enucleatissimè de hac re à se disputatum esse in serm. 11. de verbis Domini: in illo autem sermone tandem hoc constituit. Idem etiam docet in epist. ad Bonifacium, & lib. de correp. & gratia, cap. 12. & lib. 4. contra Cresconium, cap. 8. Quòd autem in hac sententia vsque ad obitum perseuerauerit, patet tùm ex Enchirid. cap. 83. nam eum librum ex postremis scripsit, tùm ex libr. 1. Retract. cap. 19. vbi corrigit id, quod dixerat libr. 1. de serm. Domini in monte, cap. 43. dixerat enim, peccatum ad mortem esse inuidentiam fraternæ gratiæ, & hoc esse peccatum in Spiritum sanctum: cæterùm correxit in Retractationibus, dicens, addendum fuisse: *Si in scelerata mentis peruersitate finiret hanc vitam.*

Hæc sententia B. Augustini vera quidem est, quatenus docet finalem impœnitentiam esse peccatum aliquod in Spiritum sanctum: tamen non videtur posse defendi, si velit propriè peccatum illud in Spiritum sanctum, de quo Dominus in Euāgelio loquitur, esse finalem impœ-

nitentiam. Primò, quia peccatum in Spiritum sanctum propriè blasphemia quædam est, vt patet Matth.12.Luc.12 & Marci 3.finalis autem impœnitentia nõ est blasphemia,sed circunstantia quædam,quæ in omni peccato reperiri potest.

SECVNDÒ, quia finalis impœnitentia non committitur nisi in morte: peccatum autẽ in Spiritum sanctum, etiam in hac vita reperitur, alioqui nõ diceret Dominus, non remitti,neque in hoc sæculo,neque in futuro.

TERTIÒ, quia Dominus notauit Pharisæos huius criminis, vt patet Marci 3. *Qui blasphemauerit*, inquit, *in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant, spiritum immundum habet.* At Pharisæi tunc non agebant animam, & multos annos fortasse superuixerunt.

QVARTÒ, quia Apostolus Hebr.6. & 10. de hoc peccato loqui videtur: ait enim cap.6. *Impossibile est,eos qui semel sunt illuminati,&c.& prolapsi sunt,iterum renouari ad pœnitentiam.*& cap.10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccato,&c.* & infrà dicit, eos qui ita peccant, ideò grauissimè peccare, quia Spiritui gratiæ contumeliam faciunt. Certum autem est, Apostolum loqui de de peccatis viuorum,non de finali impœnitentia:alioqui idem esset ac si diceret, non posse mortuos reuocari ad Pœnitentiam;quod indignum est tanto Apostolo.

POSTREMÒ, quia 1.Ioan.5.vbi dicitur: *Est peccatum ad mortem; non pro eo dico,vt roget quis,&c.* sermo est de peccato in Spiritum sanctum, vt ipse Augustinus confitetur, lib.1.de sermone Domini in monte,cap.43. & tamen Ioannes de peccatis viuorum loquitur. Sunt quidem aliqui, qui existimant Ioannem loqui de peccatis mortuorum, ac dicere, non esse orandum pro illis, qui vsque ad mortem in peccatis suis permanserunt: tamen textus Apostoli apertè reclamat;ait enim: *Qui scit fratrẽ suum peccare peccatum non ad mortem; petat,& dabitur ei vita,&c.*quibus verbis præsupponit, posse sciri cum aliquis peccet,an illud peccatum sit ad mortem,vel non:ac proinde non loquitur de finali impœnitentia, quæ non potest cognosci,nisi post mortem.Præterea,si loqueretur de peccatis mortuorum,non diceret: *Si quis scit fratrem suum peccare*;sed,Si quis scit fratrem iuum peccasse.

TERTIA sententia est, peccatum in Spiritum sanctum,esse peccatum ex malitia, sicut peccatum ex infirmitate,dicitur peccatum in Patrem, & peccatũ ex ignorantia,dicitur peccatum in Filium. Hæc sententia, præ cæteris videtur placuisse Magistro sententiarum in 2. dist. 43.& B.Thomæ in 2.2.q.14.tametsi etiam alias sententias non repudiant.

Possumus autem idem de hac sententia dicere, quod diximus de sententia B.Augustini, nimirum veram esse, sed non satisfacere nostræ quæstioni.Nam etsi quodlibet peccatum ex malitia, dici potest peccatum in Spiritum sanctum: tamen non quodlibet peccatum ex malitia est illud,de quo Scripturæ loquuntur, quod propriè & singulariter dicitur peccatũ in Spiritum sanctum, & quod non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Id quod facilè probari potest, quia peccatum in Spiritum sanctum est certa quædam blasphemia, vt patet ex Matt. 12.Marci 3.& Luc.12.peccatum autem ex malitia, neque est speciale peccatum,sed generale;neq; semper est blasphemia:diuidunt enim auctores huius sententiæ peccatum in Spiritum sanctum in sex species, ex quibus tantùm vna ad blasphemiam pertinet.

EST igitur quarta sententia, quam veram esse non dubitamus,peccatum in Spiritum sanctum Propriè nihil esse aliud, quàm veritatem cognitam & manifestam, ex malitia improbare,& tanquam demoniacam,& detestabilem calumniari. Dicitur autem peccatum in Spiritum sanctum,non quia non scit etiam contra Patrem & Filiũ, sed quia Spiritui sancto tribuitur operatio miraculorum, & illustratio animorum ad cognoscendam veritatem: ipse enim est qui docet omnem veritatem,Ioan.16.& qui diuidit singulis,prout vult,vni gratiam sanitatum, alteri donum linguarum,&c. & operatur omnia in omnibus, 1.Cor.12.Itaque ille peccat in Spiritum sanctum,qui cognita veritate Spiritu sancto illustrante, improbat, & signa ac prodigia, virtute Spiritus sancti facta, tribuit Sathanæ.

HANC sententiam veram esse, primò probatur ex communi consensu veterum:ita enim docent Athanasius in libello de hac re scripto, & etiam oratione 2. in Arianos.Chrysost.hom.42. in Matth. Basilius in Moralibus,summa 35.cap.1.& in quæst.compendio explicatis.q. 273.Hilarius in cap.5,& 12.Matth.Ambro.lib.1.de Spiritu sancto,cap.3.Hieronymus in cap.12. Matthæi, & epist. ad Marcellam,de blasphemia in Spiritum sanctum, Anselmus in cap.12.Matthæi, Richardus de sancto Victore, in libro de Spiritu blasphemiæ,Theophylactus,& Beda, in cap.12.Matth.& cap.3.Marci: & ante hos Pacianus in epist.3.ad Sympronianum.

Verùm obseruandum est, cùm B.Hieronymus in epistola citata dicit, peccatũ in Spiritum sanctum futurum, si quis ante tribunal Iudicis constitutus,non solùm neget Christum,sed etiam dicat eum esse Beelzebub; non esse hæc verba simpliciter intelligenda. Tunc enim solùm vult B. Hieronymus futurum peccatum in Spiritum sanctum,si is,qui dicit Christum esse Beelzebub,non dicat coactus tormentis,sed vltrò ex malitia cognitam veritatem oppugnans, vt ex tota illa epistola perspicuum est:& tales aliquos fuisse suo tempore B. Cyprianus testatur in serm.de lapsis.

SECVNDÒ, probatur ex eo, quòd Dominus peccatum in Spiritum sanctum vocat peccatum Pharisæorum, qui dicebant Christum in Beelzebub eiicere dæmonia, vt Marcus cap.3.scribit: peccatum autem hoc Pharisæorũ,nihil erat aliud quàm oppugnatio cognitæ veritatis.

TERTIÒ, probatur ex eo,quòd Dominus Matth.12. distinguit blasphemiam in Filium hominis,à blasphemia in Spiritum sanctum.Blasphemia autem in Filium hominis,secundum expositionem Athanasij,& Hieronymi,& aliorum;erat eorum, qui existimantes Christum nõ esse nisi hominem, opera eius calumniabantur, & dicebant: *Ecce homo vorax,& potator vini*,ergo peccatum in Spiritum sanctum est eorum,qui scientes Christum in virtute Dei miracula operatum,tamen ex malitia & inuidia, diuina illa opera non Spiritui sancto, sed spiritui immundo adscribunt.

EX his deduci potest, peccata Apostolorum Petri & Pauli,quorum prior Christum negauit, posterior apertè persequutus est,non fuisse peccata in Spiritum sanctum. Nam Petrus ex infirmitate negauit, timore videlicet pœnæ:Paulus autem ex ignorantia.1.Timoth.1.*Misericordiã*, inquit,*consequutus sum,quia ignorans feci,in incredulitate.* At peccata Iudæorum lapidantium Stephanum,in Spiritum sanctum erant:nam cum resistere non possent Spiritui sancto,qui loquebatur in eo,vt dicitur Act.6.tamẽ resistere conabantur. Et idem peccatum à multis hæreticis committi credibile est,qui cùm in Scripturis & Patribus assiduè versentur,vix fieri potest, quin intelligant se vehementer errare: & tamen ne videantur sine caussa de Ecclesia recessisse,doctrinam cognitam satis & exploratam obstinatè reprehendunt.

IAM verò,qua ratione hoc peccatum dicatur irremissibile,dubium est propter quatuor loca Scripturæ. Primus est,Matth.12.Luc.12.& Marci 3. vbi dicitur blasphemia in Spiritum sanctum non remitti,neque in hoc sæculo,neque in futuro. Secundus est Hebr.6. *Impossibile est eos,qui semel sunt illuminati,&c.* Tertius Hebr.10.*Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis,iam*

non relinquitur hostia pro peccato. Quartus 1.Ioan.5. *Est peccatum ad mortem,pro eo non dico,vt roget quis.*

AD primum locum multiplex responsio dari solet. Prima est Theophylacti in hunc locum Matthæi,& Abulensis ibidem, peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibile,quia nunquam remittitur sine pœnitentia,peccatum autem in Filium hominis dici remissibile, quia remittitur sine Pœnitentia:quia enim ex ignorantia procedit,non reputatur verum peccatum. At si hæc sententia vera esset,sequeretur,omne verum peccatum, quod non est ex ignorantia inuincibili, esse peccatum in Spiritum sanctum;quod certè absurdissimum est.

SECVNDA est Richardi in libello de spiritu blasphemiæ, peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibile,non ratione culpæ, sed ratione pœnæ; quia si homo pœnitentiam non agit de hoc peccato, nihil ei remittitur de pœna damnationis; si verò pœnitentiam agit, nihil ei remittitur de pœna temporali, quæ ad satisfactionem requiritur:alia verò peccata dicũtur remissibilia,quia semper remittitur aliquid de pœna illis debita,ratione ignorantiæ,vel infirmitatis,quæ peccata illa diminuunt.

CONTRA hanc solutionem est,primò,quòd omnes alij Patres intelligunt, Dominum esse loquutum de remissione culpæ.Secundò,quia Dominus nõ dixit: Nihil de hoc peccato remittetur;sed absolutè: Hoc peccatum non remittetur: ergo nõ loquitur de diminutione pœnę, sed de absoluta remissione totius peccati Tertiò,quia sine ratione asseritur, nihil pœnæ relaxari peccantibus in Spiritum sanctum,si pœnitentiam egerint: nam si reuera magno feruore aliquis talis conuertatur,cur non poterit Deus & Ecclesia, vel partem aliquam pœnæ temporalis relaxare?

ALIA igitur solutio est aliorum,peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dici, quia etiamsi remitti possit,si Pœnitentia adsit, tamen qui ita peccant, ad veram Pœnitentiam non perueniunt, quod iusto iudicio Deus eos deseruerit,& in reprobum sensum traditi sint.

HÆC sententia videtur esse Athanasij, Hilarij, Hieronymi, & Anselmi in caput Matthæi duodecimũ: videtur tamen temperanda,vt eam temperant Chrysostomus in cap.12.Matth. & Ambrosius libr. 2. de Pœnitentia, cap.4.Nam si simpliciter intelligamus,peccatum in Spiritum sanctum nunquam remitti, sequetur, eos omnes qui sciunt se impugnare cognitam veritatem,meritò desperare debere de salute,quod absurdissimum esse videtur:sequetur etiam, nos non debere pro talibus orare, sicut pro damnatis nõ oramus;cùm tamen sanctus Stephanus orauerit pro lapidatoribus suis,quos in Spiritum sanctum peccare sciebat,vt habemus Actor.7.Et B.Augustinus lib.1.Retractat.cap.19. *De nullo*,inquit, *quamuis pessimo in hac vita constituto,desperandum est;& pro eo non imprudenter oratur,de quo non desperatur.*S.Ambrosius quoque loco citato probat, peccatum in Spiritum sanctum per Pœnitentiam posse remitti,quia populus Iudæorum, qui dixerat de Christo: *In Beelzebub principe dæmoniorũ eiicit dæmonia*;posteà ad prædicationem B.Petri conuersus legitur,Actor.2.

Dicendum igitur, Scriptura & Patres dicere, peccatum in Spiritum sanctum non remitti, quia ordinariè & vt plurimùm non curatur: sicut de alijs peccatis Dominus ait:*Omnia peccata & blasphemiæ remittuntur*, nõ quia semper,& omnibus remittantur, sed quia vt plurimùm & ordinariè remittuntur. Sunt autem duæ caussæ, cùr ordinariè incurabile sit peccatum in Spiritum sanctum. Vna,quia directè resistit,& repudiat gratiam Dei:quemadmodum si ægrotus vnico medicamento curari posset, & illud admittere non vellet, rectè diceretur morbus eius incurabilis.Altera, quia cùm sit peccatum ex malitia,non ex ignorantia vel infirmitate,nihil in se habet,vnde vel modicum excusari possit,ac proinde nihil misericordiæ mereatur;hinc enim Apostolus 1.Timoth.1.*Misericordiam*,inquit,*consequutus sum,quia ignorans feci,in incredulitate.*

AC ne mirum videatur,si peccatum irremissibile,dicamus irremissibile ordinariè,sed non absolutè;considerentur alia similia loca. Matth.19. Dominus ait faciliùs esse,vt camelus intret per foramen acus, quàm vt diues ingrediatur in regnum cœlorum. Quo loco videtur planè diuitibus additum ad salutem intercluisse: & tamen in eodem loco subiungit:*Quod impossibile est apud homines,apud Deum possibile est.* Et Hierem.13. dicit Dominus: *Si mutare potest Aethiops pellem suam,& pardus varietates suas;& vos poteritis benefacere,cùm didiceritis malè?* Et tamen in toto eo libro hortatur eos Deus vt reuertantur, & veniam pollicetur.

AD secundum locum ex epist.ad Hebr.cap.6.posset primò eodem modo responderi, impossibile esse vt qui semel sunt illuminati, & voluntariè posteà peccant, ad Pœnitentiam renouentur;nõ absolutè,sed vt plurimùm. Sed melior solutio est,quòd Apostolus hic solùm loquatur de Pœnitentia,quæ Baptismum præcedit:sic enim exponunt Chrysostomus,Ambrosius,& alij Patres. Et ipse Apostolus hoc insinuat illis verbis: *Qui semel sunt illuminati*,id est,baptizati:nam apud veteres,illuminari est baptizari.Et illis:*Iterum renouari*,renouamur enim propriè in Baptismo.Et illis: *Iterum crucifigentes Filium Dei.* nam cùm baptizamur,conformamur similitudini mortis Domini,vt *dicitur* ad Rom.6. & sicut Christus tantùm semel crucifixus est, ita & nos tantùm semel baptizamur, & qui vellet iterum baptizari,iterum sibi Christum crucifigeret.

AD tertium ex cap.10.ad Hebræos dico cum Chrysostomo,Ambrosio, & alijs; cùm Apostolus dicit, non relinqui hostiam pro peccato,sensum esse,non esse expectandum alium Christum, qui pro nobis moriatur, vel, vt ille,qui semel mortuus est, iterum veniat moriturus: & consequenter non esse secundum Baptismum expectandum.Eadem enim est sententia huius loci, & superioris.

AD quartum ex epistola Ioannis, Augustinus de correptione & gratia,cap.12. & Gregorius lib.6.moralium, cap.31.siue vltimo,dicunt, peccatũ ad mortem, esse peccatum in quo homo perseuerat vsque ad mortem. Sed tunc non dixisset:*Si quis scit fratrem peccare*, sed, Si quis scit peccasse non ad mortem: non enim cognosci posset peccatum ad mortem, nisi post mortem eius, qui illud commisit. Ambrosius libr. 1. de Pœnitentia,cap.9.dicit, Ioannem non dixisse vt nemo oret pro ijs, qui peccant peccata ad mortem,id est,grauissima peccata; sed solùm vt non orent homines vulgares, & imperfecti, ad quos epistolam illam scribebat: grauissima enim peccata,perfectis oratoribus indigent.Hieronymus lib.2.in Ioui nianum vltra medium,versus finem, tractans hunc locum, dicit nihil hic significari aliud, nisi pro peccato ad mortem difficulter orationem exaudiri.Et hic videtur verissimus esse huius loci sensus:nam immediatè anteà dixerat Ioannes:*Scimus quoniam audit nos,quidquid petierimus ab eo.* idcircò ne putaremus hoc habere locum etiam in petitionibus quibuslibet,quas pro alijs offerimus;subdit: *Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem, petat, & dabitur ei,&c.* id est,cum fiducia petat, nam impetrabit. Si verò peccatum est ad mortem,id est grauissimum ex genere illorum, quæ ordinariè non remittuntur, sed puniuntur æterna morte: *Non dico vt roget quis*, id est, non prohibeo quidem orare, sed non audeo polliceri, quod facilè impetrabitis;ideò non dico,vt roget quis,ninirum cum illa certa fiducia impetrandi: sæpe enim Deus in tali negocio preces Sanctorum non audit, iuxta illud Hieremiæ septimo:*Noli orare pro populo hoc,quia non exaudiant te.*

CAPVT XVII.

Contritionem imperfectam, siue attritionem ex timore pœnæ ortam, bonam atque vtilem esse.

DECIMA sequitur quæstio; Vtrum Contritio, siue Attritio, quæ oritur ex timore seruili, sit bona: siquidem Martinus Lutherus (vt ostendimus ex multis eius testimonijs in lib.1.cap.6.initio defectionis suæ apertè dicebat, Contritionem ex timore seruili ortam, facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Et quamuis Lutherani posteà ab ea sententia recesserint, & iam communiter doceant, timorem pœnæ vtilem esse, atque inde Pœnitentiam inchoari, vt perspicuum est ex Kemnitio in 2. parte Examinis, pag.954.& ex Caluino lib.3. Instit. cap.3. §.7. tamen operæpretium esse duximus, Lutheri sententiam à Leone X. primùm in Bulla contra articulos Lutheranos, deinde à Concilio Oecumenico Tridentino, sess.14.can.5. damnatam, testimonijs Scripturarum, veterum traditione, & rationibus confutare.

SED antequam ad argumenta veniamus, exponendum erit paucis, de quo timore pœnæ potissimùm controuersia sit: possumus enim doctrinæ causa quatuor timores distinguere, qui omnes pœnam, non culpam respiciunt.

PRIMVS est timor naturalis; qui passio quædam est partis inferioris: & de hoc timore nulla controuersia est, tùm quòd hic timor non se extendat ad pœnas æternas, quæ sola fide comprehenduntur; tùm etiam quòd neq; sit bonus, neque malus, nec solùm in hominibus, sed etiã *in pecudibus reperiatur*. Errat enim Rupertus Abbas lib. 9. de operibus Spiritus sancti, cap.5. vbi duos timores malos à duobus bonis distinguens, priorem malum esse dicit eum, qui in quatuor præcipuis animæ passionibus numeratur, quæ sunt timor, cupiditas, dolor, & gaudium: posteriorem esse vult eũ, qui nascitur ex fide, sed hominem non corrigit, qualis fuit in Felice Præside Iudææ, qui disputante Paulo Actor.24. de iudicio futuro, valde perterritus est, sed inde non euasit melior. At passiones illæ animæ non rectæ dicuntur malæ, cùm moraliter nec bonæ, nec malè vocari possint, quippe quas non habemus in potestate; naturaliter autem bonæ sint, & à Deo ad multa commoda nobis ingenita, vt S. Basilius demonstrat in orat. contra irascentes. Timor autem ille qui ex fide oritur, non ideò malus dici debet, quia hominem non corrigit, alioqui ipsa etiam fides dici posset mala, quando hominem non corrigit; sed vitium illud non fidei, vel timoris, sed hominis est, qui fidei ac timoris ductum non sequitur.

Alter timor est is, quem Theologi mundanum appellare solent; cùm videlicet quis ita pœnas à rebus creatis infligendas metuit, vt propterea in creatorem peccare non metuat; qualis timor in Petro fuit, cùm Christum negauit. Neque de hoc timore vlla quæstio esse potest: is enim timor consensu omnium malus est, & ab ipso Christo damnatus, Matth.10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* & ab Apostolo Petro, 1. Petri 3. *Timorem eorum ne timueritis, Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* & ab Isaia cap.51. *Quis tu, vt timeres ab homine mortali, & filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?* Hùc eundem timorem S. Basilius in explicatione Psalmi 33. hostilem appellat, ac sobolem incredulitatis esse dicit; & de eodẽ disputat S. Augustinus serm.18. de verbis Apostoli.

TERTIVS est timor pœnæ, quem Deus ipse peccatoribus comminatur; sed cum timore offensionis diuinæ ita coniunctus, vt licet homo vehemẽter pœnam timeat, magis tamen offensionis Dei, quàm pœnam illam timeat. Atque hic timor seruilis dici solet secundum substãtiam, sed absque seruilitate, & ordinatus ac bonus est: neque de eo quæstio esse posse videtur, ac ne ipse quidem Lutherus, vt existimo, timorem istum reprehendisset. Nam & Dominus hortatur sanctos Martyres Matth.10. vt timeant eum, qui potest animam & corpus perdere in Gehennam: & sancti Patres hunc timorem passim laudant, & in ipsis etiam iustis hominibus locum habere dicunt. S. Basilius oratione in Psal.33. docet peccatorum tentationes repellendas à viris iustis timore futuri iudicij. Et oratione in principium Prouerbiorum, dicit homines iustos hoc timore impediri ne peccent, non secus ac impediuntur clauis, qui cruci affixi sunt, ne se commoueant, iuxta illud Psal.118. *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* S. Ioan. Chrysostomus homil.15. ad populum Antiochenum, scribit, metum Gehennæ esse in anima hominis iusti, quasi militem fortem & armatum, qui fures & latrones, & omnes hostes procul arcet à domo: S. Ambros. in Psal.118. serm.21. scribit, sanctos Martyres in agone martyrij constitutos, timore Gehennæ ante oculos mentis propositæ, vincere solitos earum pœnarum timorem, qui à persequutoribus & carnificibus ingerebatur. S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de seruanda virginitate, scribit se metu Gehennæ solitudinem, & genus vitæ durissimum elegisse. S. Augustinus in libr. de gratia & libero arbitrio, cap.18. scribit sanctis viris timorem illum à Deo donari, de quo Dominus ait: *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in Gehennam.* & lib. de sancta virginitate, cap.38. apertè docet, hunc timorem à charitate nequaquam excludi. Denique S. Gregorius homil.26. in Euangelia, omnes hortatur, vt futurum Iudicium timeãt antequam veniat, ne posteà cùm appropinquare cœperit, timere debeant.

QVARTVS timor est propriè seruilis, quo videlicet ita peccator Deum punientem timet, vt solius pœnæ fugiendæ caussa à peccatis perpetrandis caueat, & de perpetratis doleat: quem timorem ita explicat S. Augustinus conc.25. in Psal.118. *Timor quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, seruilis est, quia carnalis est, & ideò non crucifigit carnem. Viuit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas; cùm verò pœna creditur sequutura, latenter vivit, viuit tamen: mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat, quia non spiritaliter delectatur eius bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur.*

DE hoc igitur timore tota controuersia est: hunc enim Lutherus dãnabat, vt qui faceret homines hypocritas, magísque peccatores; & hunc eundem Tridentina Synodus sess.14. cap.4. bonum atque vtilem esse, & à Deo excitari docet. Quæ sententia probatur primò ex verbis illis Dauidis, Psal.110. & Salomonis, Prouerb.1. *Initium sapientiæ timor Domini.* & in Eccles.c.1. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* & cap.25. *Timor Domini initium dilectionis eius.* Hæc dicuntur de timore qui est in peccatoribus, & qui dilectionem præcedit: in peccatoribus autem & ante dilectionem timor filialis esse non potest, sed tantùm seruilis.

ITEM Isaiæ 26. secundum versionem LXX. *Timore tuo concepimus, & peperimus Spiritum salutis.* Hierem.5. *Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis, dicit Dominus?* Malach.1. *Filius honorat Patrem, & seruus Dominum: Si ego Pater, vbi est honor meus? si Dominus, vbi honor meus?* Quo loco Dominus exigit timorem à seruis, qui eum vt Patrem amare non nouerant.

ILLVD etiam Domini, Matth.10. *Time eum, qui potest corpus & animum perdere in Gehennam:* etiamsi ad iustos pertineat, qui timore isto iuuantur ne peccent; tamen dubitari non potest, quin etiam ad iniustos referri debeat, qui timore eodem iuuantur, vt ad Pœnitentiam veniant.

PRÆTEREA Scripturæ passim terrorem incutiunt peccatoribus, nec sanè ad alium finem, nisi vt timorem cõcipiant, & ex eo timore Pœnitentiã meditentur. Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad in-*

ferni nouissima. Psal.7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Isaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Ionas c.3. illa comminatione, Niniuitas conuertit, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Matth.3. Ioannes Baptista ex timore pœnæ ad Pœnitentiam homines adducere satagebat: *Genimina viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira?* & rursus: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur.* Et Christus ipse Matthæi 5.13.24.& 25. Marc.9. Luc.12. & alibi sæpissimè, ignem Gehennæ, stridorem dẽtium, tenebras exteriores, vermem non morientem, & flammas inextinguibiles minabatur.

DENIQVE eædem Scripturæ timorem istum à Deo inspirari tam apertè docent, vt nimis magna temeritas videri debeat, si quis eũ adhuc damnare voluerit. R. m.8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, &c.* quo loco B. Paulus, docet, in Testamento veteri datum à Deo spiritum seruitutis, quo timeretur; quemadmodum in Testamento nouo dedit spiritum adoptionis, quo diligeretur. Isaiæ 6. *Quare nos errare fecisti de via tua? indurasti cor nostrum ne timeremus te?* Vbi lamentatur Propheta, quòd Hebræi caruerint dono timoris, quo conuerti ad Dominum potuissent. Nam (vt rectè docet S. Augustinus in epist.105. ad Sixtum) non indurat Deus imperti*e*ndo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.

ACCEDAT nunc traditio veteris Ecclesiæ. Tertullianus in lib. de Pœnitentia: *Si de Exomologesi*, inquit, *retractas, Gehennam in corde considerata, quam tibi Exomologesis extinguit: & pœnæ magnitudinem priùs imaginare, vt de remedij adoptione nõ dubites.* Idem lib.2. in Marcionem, timorem Iudicij bonum, & salutarem esse demonstrat.

Clemens Alexandrinus lib.2. Stromatum, ante medium: *Fides*, inquit, *est prima ad salutem inclinatio, post quã timor, & spes, & Pœnitentia.* Et infrà: *Qui timorem damnãt ij legem etiam infectantur: quòd si legem, clarum est, quòd & eum qui legem tulit.*

S. Cyprianus in serm. de lapsis, cùm ad timorẽ lapsos hortaretur: *Deus*, inquit, *quantum pietate Patris indulgens semper & bonus est tantum iudicis maiestate timendus est.*

S. Basilius oratione in Psal.33. *Timor*, inquit, *salutaris, qui ad sanctitatem deducit, & animæ diuinitùs insitus est, qualis existat, si cupis audire, attende: quando fortè te ad aliquod peccatum videris paratum, illud horribile mandatum & Christi Iudicium cogita, &c.* vide eundem orationem in principium Prouerbiorum.

S. Pacianus in Paræneſi ad Pœnitẽtiam, ferè extrema: *Timete*, inquit, *dilectissimi iusta iudicia, omittite errorem, damnate delicias: properat iam tempus extremum: Tartarus & gehenna laxatos impijs sinus pãdunt: post animarum tẽpestiua supplicia, redituis quoq; corporis pœna seruatur, &c.*

S. Ambrosius in libello ad virginem corruptam, c.8. *Pœnitentia*, inquit, *non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris; & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas positam tenebras exteriores.*

S. Hieronymus in Commentario ad cap.1. Malachiæ: *Vult*, inquit, *Deus, vt primùm eius filij simus, & bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, vt saltem nos seruos habeat, à malis per supplicivorum formidinem recedamus, vt de timore seruorum ad gratiam filiorum transeamus.* Et in cap.2. Micheæ: *Vt qui pudore*, inquit, *vel verecundia non tenentur, agant Pœnitentiam saltem comminatione pœnarum.*

S. Ioannes Chrysostomus in primo libro de compunctione cordis, extremo: *Hoc solũ est, quod expositur à nobis, vt semper recordemur mala nostra, & ad animum reuo-*

cemus, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt Gehennam ponamus in cõspectibus nostris, & Angelos, qui in die Iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui trudendi sunt in Gehennam ignis, ac supplicijs tradendi, &c. vide etiam homil.15. ad populum Antiochenum.

S. Augustinus in Psal.127. in illud: *Beati omnes qui timent Dominum. Ille*, inquit, *timor nõdum castus, præsentiam Domini & pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in Gehennam. Bonus est & iste timor, vtilis est.* Et tract.9 in epist. Ioannis. *Stimulat*, inquit, *timor, sed noli timere, intrat caritas quæ sanat, quod vulnerat timor; timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit: opus est ergo vt intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, caritas, sanitas.*

Ioan. Cassianus lib.4. de institutis renunciantium, cap. 39. *Principium*, inquit, *nostræ salutis, eiusdémque custodia, sicut dixit, timor Domini est: per hunc enim & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia bis qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur.* Vide etiam eundem collat.3. cap.4.& collat.11. cap.6.

S. Gregorius homil.34. in Euang. *Prana mens*, inquit, *si non priùs per timorem euertitur, & assuetis vitijs non emundatur.*

S. Bernardus in serm. de S. Maria Magdalena, quasi præuidisset Lutherum soli fidei omnia tribuentem: *Fallitur*, inquit, *qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem Iudicij non attendat; qui totum de misericordiæ pede præsumit, hoc solùm ad salutem sufficere credens, quòd credit.* Et in lib. de præcepto & dispẽsatione: *Bonus quidem*, inquit, *obedientiæ gradus est, iuxta Magistri nostri sententiam: siue propter metum Gehennæ, siue propter professionem sanctam quam professus est, quisquis obediat: melior tamen, cùm ex Dei amore obeditur.*

ACCEDAT denique etiam ratio; nam consentaneum est naturæ ac rationi, timere malum quod accidere potest, ac præsertim malum summum, & sempiternum, qualis est cruciatus Gehennæ. Deinde, timoris huius affectus optimus est; aut enim coërcet voluntatem à peccando, aut saltem impedit opus: non potest autem arbor mala bonos fructus facere. Postremò, non solùm Deus caussa est huius timoris, sed etiam probabile est, hunc eundem timorem inter illa præclara septem dona S. Spiritus numerari, vt ex Scholasticis docuerunt Alexander in 3. part. summæ Theologicæ, q.76.m.2.& S. Bonauentura in 3. Senten. dist.34. par.2. art.1.q.1.& ex antiquis Doctoribus. S. Augustinus, & S. Gregorius, duæ columnæ Ecclesiæ.

S. Augustinus tract.6. in epist. Ioannis, docet timorem seruilem esse, de quo loquitur Salomõ cùm ait Prouerb. 1. *Initium sapientiæ timor Domini*; quod etiã docent, S. Basilius oratione in principium Prouerbiorum, Beda 1. cap. Prouerb. Bernardus homil.23. in Cantica, & epistol.9. ad Episcopum Colonien sem, & Magister cum Theologis Scholastis in 3. Senten. dist.34. Rursus idem Augustinus lib.1. de serm. Domini in monte, c.9.& Gregorius homil. 19. in Ezechielem, scribunt de eodem timore loquutum esse Salomonem, qui ait: *Initium sapientiæ timor Domini*; & Isaiam c.11. qui vltimo loco inter dona S. Spiritus posuit Spiritum timoris Domini. Igitur ex sententia Gregorij, & Augustini, inter septem dona Spiritus sancti timor seruilis locum suum habet. Adde, quòd Gregorius loco citato disertis verbis tradit Spiritum timoris Domini, de quo loquitur Isaias, esse timorem pœnæ, qui minuitur crescente charitate. Et Augustinus in lib. de gratia & libero arbitrio, cap 18. docet Spiritum timoris Domini, quem inter dona Spiritus sancti posuit Isaias, non esse timorem illum, quo Petrus Christum negauit, sed

illum, de quo Dominus ait: *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in Gehennam*, qui quidem timor seruilis est, saltem secundum substantiam.

NEQVE his repugnat, quòd in Christo fuerint omnia dona Spiritus sancti, in quo tamen timor seruilis non fuit. Nam neque timor ille castus fuit in Christo, quo timemus, ne fortè Deum offendamus: sciebat enim ille se impeccabilem esse; & tamen quis affirmare auderet, timorem illum castum inter dona Spiritus sancti non esse numerandum? Igitur Propheta Isaias, per Spiritum timoris Domini, intellexit timorem Domini in vniuersum, vt comprehendit seruilem & filialem: Christus autem repletus fuit Spiritu timoris Domini, non secundum omnes species timoris, sed solùm secundum speciem timoris filialis, quatenus respicit reuerentiam patris, qui solus in ipso esse potuit.

CAPVT XVIII.

Soluuntur obiectiones.

MARTINVS Lutherus in serm. de Pœnitentia, & in assertione articuli sexti, aduersus ea quæ iam explicata & constituta sunt, pauca quædam obiicit argumenta, quæ licet iam olim à viris doctissimis, Ioanne Rossensi, & Ruardo Tappero dissoluta fuerint, nihil tamen oberit, si etiam à nobis breuissimè dissoluantur.

PRIMÒ igitur obiicit, Contritionem ex timore præcepti & minarum, extortam ac violentam esse, & augere peccatum, non minuere. Nam remoto præcepto & minis, qui anteà ex timore dicebant sibi displicere peccatum, iam dicerent placere, & eò magis peccant, & peccatis suis afficiuntur, quò magis coguntur: non autem volunt illa odisse; siquidem lex & cognitio peccati, magis abundare facit peccatum, vt ait Apostolus ad Rom. 5.

RESPONDEO, dubitari non potest, quin dolor de peccato ex solo timore legis & pœnarum profectus, non sit ita liber ac voluntarius, vt est ille, qui oritur ex amore iustitiæ, & Dei: simpliciter tamen liber, & voluntarius est etiam ipse, cùm ex deliberato consilio, & electione nascatur, & possit homo, vt etiam reipsa multi faciunt, malle peccando præsenti iucunditate frui, quàm non peccando futuras pœnas euadere. Sed etiamsi dolor iste aliquo modo extortus dici queat, non ideò tamen est malus, neque peccatum auget, sed bonus est, & à peccato retrahit: alioqui lex ipsa quæ timorem incutit, esset mala, & Deus, qui timorem illum inspirat, mali auctor esset. Quòd autem nitamur in vetitum, & inde peccatum abundet ex cognitione legis, & timore pœnarum, non oritur ex lege, vel timore, sed ex corrupta hominis voluntate, quæ ex bono accepit occasionem mali. Quocirca B. Paulus apertè scribit, non à lege occasionem dari, sed ex lege occasionem accipi: *Quid ergo*, inquit ad Rom. 7. *dicemus? lex peccatum est? absit: sed peccatum non cognoui nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Et infrà: *Peccatum occasione accepta, per mandatum seduxit me, & per illud occidit: itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Quod idem de timore dici potest, esse videlicet eum sanctum, & bonum, cùm ex se retrahat à peccando, licet interdum corrupta hominis voluntas eò magis concupiscat, quò magis ab opere coërcetur.

SED sciendum est præterea, duos quasi gradus distingui posse in timore seruili. Primus est, quando impedit opus peccati externum, sed non voluntarium, & hic timor est bonus, & bonæ rei causa, quia bonum est impediri opus externum; sed quia coniunctus est cum mala voluntate, non gignit Contritionem neque Attritionem. Secundus est, quando non solùm opus externum peccati, sed etiam voluntatem peccandi coërcet: sæpe enim homines etiamsi nondum toto corde Deum diligant, tamen consideratis malis effectibus peccati, & supplicijs æternis, ad quæ ipsos perducit, simpliciter odium contra peccatum concipiunt, & seriò abiiciunt peccandi voluntatem. Et hic timor est melior, neque ex eo vllo modo cresci peccandi voluntas; & de eo loquuntur Theologi, cùm dicunt, Attritionem ex timore conceptam, dispositionem esse ad iustificationem, & Sacramento accedente, reuera iustificare, vt perspicuum est ex Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 4. vbi legimus, Attritionem disponere ad iustificationem, si voluntatem peccandi excludat.

SECVNDÒ obiicit idem Lutherus in eodem serm. de Pœnitentia, neminem posse perfectè odisse aliquid, cuius contrarium non priùs dilexerit, cùm amor sit prior odio, & odium ex amore naturaliter fluat; proinde non esse verum odium peccatorum, quod ex timore pœnarũ oritur, sed illud solùm, quod nascitur ex amore iustitiæ: atque ideò peccatores hortatur, vt si veram Pœnitẽtiam concipere volunt, non attẽdant ad peccati fœcũditatem, sed ad speciem, & pulchritudinem virtutis.

RESPONDEO, si admitteremus quod Lutherus assumit, nihil aliud inde efficeretur, nisi dolorem de peccatis ob timorem pœnæ non esse perfectum odium peccatorum, quod quidem nos minimè negamus: fatemur enim perfectum odium peccati esse illud, quod ex amore Dei, iustitiæque procedit, & ideò dolorem, siue odium ex timore pœnæ conceptum, non Contritionem, sed Attritionem nominamus. Veruntamen principium illud Lutheri, non posse videlicet aliquid verè, perfectèque odio haberi, cuius contrarium priùs non diligatur; non habet locum nisi in ijs rebus, quæ propter se odio habentur: nam si quid alterius rei gratia odio habeatur, verè ac perfectè odio haberi poterit, si res illa diligatur, cuius causa istud odio habetur. Hoc modo sæpe cibũ suauem detestamur, non quòd eius contrarium, id est, cibum insuauem diligamus, sed quia diligimus sanitatem, cui cibus ille suauis creditur obfuturus: sic igitur peccata verissimo, vehementissimóque odio prosequi possumus, etiamsi contrarias illi virtutes minimè diligamus, quia diligimus felicitatem, à qua peccando nos excludi, atque excidere persuasi sumus.

PORRÒ cohortatio illa Lutheri, vt Pœnitentiam acturus, non in ea damna quæ gignit peccatũ, sed in speciem virtutis oculos mentis intendat; prorsus intempestiua est. Qui enim sordibus peccatorum assuetus est, nõ mouetur ad speciem virtutis, neque fieri potest vt auaro liberalitas, luxurioso castitas, superbo humilitas repentè placere incipiat, nisi Deus singulari miraculo in momento hominem aliquem diuinitùs illustrare, & immutare voluerit. At supplicia, quæ Deus peccatoribus comminatur, facilè possunt cuiuslibet hominis, quamuis impij & nefarij animum promouere: & idcircò ordinariè diuina prouidentia à timore pœnarum incipere soler, cùm peccatorem ad pœnitentiam ducit. Verè enim à Dauide, & Salomone scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini.* & Augustinus tract. 9. in epist. Ioannis, verè dixit: *Si nullus est timor, non est, qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta priùs intrat, sed nisi seta exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intrauit, vt introduceretur charitas.*

TERTIÒ, idem Lutherus in assertione art. 6. multa dicit vt probet, Contritionem ex timore pœnarum conceptam, esse hypocrisim quandam, & homines hypocritas facere: sed summa ratiocinationis hæc est. Quod non fit ex corde ac syncerè, simulatum & hypocriticum est, iuxta illud Matt. 15. *Cor eorum longè est à me*: ruisus quod non fit ex charitate, non fit ex corde, & nihil, vanum, & falsum est, 1. Cor. 13. igitur quod non fit ex charitate, simu-

latum & hypocriticum est. At Contritio ex timore concepta, non oritur ex charitate; ergo simulata, & hypocritica est.

RESPONDEO, prima propositio verissima est, at secunda falsissima. Quod enim non sit ex charitate, non est quidem meritorium vitæ æternæ, quàm Deus promisit diligentibus se, Iac. 1. tamen verum syncerum & vtile esse potest. Qui enim orat pro remissione peccatorum, & charitate accipienda, non frustrà laborat, etiamsi ex charitate, quam nondum habet, id facere nequeat; & qui peccatum odit, quia ad interitum sempiternum ducit, verè ac seriò peccatum odit, sicut verè ac seriò interitum sempiternum timet: & qui peccata sua eleemosynis redimebat iuxta consilium Danielis, vel ad Ionæ prædicationem vrbis euersionem metuentes, ieiunio ac cilicio se affligebant, nequaquam hypocritæ erant. Neque Apostolus Paulus 1. Cor. 13. scripsit, id quod fit sine charitate, nihil vanum & falsum esse; aut fidem, linguas, prophetiam, scientiam, miracula, sine charitate nihil esse, aut vana, & falsa esse: sed hominem, qui illa omnia sine charitate habet, nihil esse, quia non est amicus Dei, neque illa omnia si charitas absit, beatum illum vnquam facient.

QVARTÒ obiicit idem Lutherus in epist. ad Vicarium ordinis sui, Pœnitentiam nihil amarum, aut asperum, sed rem dulcem, & suauem sonare: timor autem pœnam habet, vt scribit S. Ioannes.

RESPONDEO. Id nimirum Lutherani audire cupiunt, Pœnitentiam agi suauiter dormiendo, ac potando: quibus apertissimè conuenit quod scribit Tertullianus in lib. de pœnitentia, cùm ait: *Num ergo in coccino, & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? cedò acum crinibus disinguendis, & puluerem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri vel æris, vnguibus repastinandis: si quid fictioris. si quid coacti ruboris, in labia aut genas vrget: præterea exquirito balneas lætiores, hortulani maritimi vel recessus, adiicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defecato senectutem vini. Cùm quis interrogarit, cur animæ largiaris? Deliqui (dicito) in Deum, & periclitor in æternum perire.* Hæc ille. Non sic Petrus, qui fleuit amarè; non sic Publicanus, qui præ cõfusione non audebat oculos ad cœlum leuare, & cum dolore pectus suum percutiebat: non sic mulier illa peccatrix, quæ, vt S. loquitur Gregorius homil. 33. tanto dolore ardebat, vt etiam inter epulas flere non erubesceret. Denique longissimè abest Pœnitentia ista Lutheri, tota suauis & blanda, ab illius præceptis, qui iubet affligere animos, scindere corda, luctum facere quasi vnigeniti.

QVARTÒ posset obiici, quòd timor seruilis inordinatus videatur, ac per hoc etiam malus, cùm magis pœnam, quàm culpam timeat.

RESPONDEO, argumentum rectè probat eos, qui timorem seruilem habent, inordinatos, ac malos esse, non tamen ipsum timorẽ inordinatum esse, vel malum. Nam timor seruilis non dicitur seruilis ab aliqua forma seruilitatis sibi intrinseca, & essentiali, sed à forma seruilitatis extrinseca sibi, intrinseca autem subiecto suo. Dicitur enim timor seruilis, quia reperitur in seruis, quasi diceretur timor seruorum: quomodo fides informis est fides hominum peccatorum, sed ipsa non est peccatum, quia informitas est coniuncta cum fide, sed non est illi intrinseca. Itaque qui seruiliter timet, malus est, quia pluris facit pœnam quàm culpam, sed timor ipse nõ est malus, sed bonus: quia non ideò ille est malus, quia vehementer timet pœnam, sed quia non vehementiùs timet culpam; quòd autem non vehementiùs culpam timeat, nõ oritur ex timore pœnæ, sed ex defectu charitatis. Gregorius in 1. cap. Cant. *Recti*, inquit, *diligũt te, non recti adhuc timent te.*

DICES, si hæc ita se habent, cur non potest etiam timor mundanus bonus & sanctus nominari, licet malus sit, qui illum habet? quòd enim peccet qui timore mortis Christum negat, non videtur adscribendum timori, mors enim iure timetur: sed defectui charitatis. Respondeo, maximum est discrimen inter timorem seruilem, & timorem mundanum: timor enim seruilis, timor Dei est; timor mundanus, timor creaturarum.

EX hoc autem discrimine duo alia oriuntur. Alterum est, quòd timor seruilis, licet cum peccato coniunctus sit, tamen non est peccati caussa: neque enim fieri potest, vt quis ideò Deum offendat, quia Deum timet, sed contrà potiùs à peccando se abstinet, quia Deum timet; & huius boni effectus non nisi bona caussa esse potest. Timor autem mundanus non solùm cum peccato coniunctus est, sed est etiam peccati ipsius caussa: propterea enim timidus Deum offendit, quia nimis timet creaturam, & ex eo timore peccatum eligit, tanquam medium ad fugiendum malum temporale quod timet: & huius mali fructus non nisi mala arbor caussa esse potest.

ALTERVM est discrimen, quòd timor seruilis non potest esse nimius intensiuè: nemo enim Deum iratum, aut sempiternum exitium nimis timere potest; quin etiam nemo tantùm in hoc mundo timet Gehennam, quantum timeret si eam benè perspectam haberet. Potest quidem Gehenna nimis timeri appretiatiuè, vt si quis, data optione, mallet Gehennam fugere, quàm peccatum: sed iste excessus non oritur ex vitio timoris, quasi ille in se sit nimius, & proinde sit caussa malæ æstimationis, sed ex defectu charitatis. Itaque qui plus timet pœnam Gehennæ, quàm culpam, non ideò peccat quia nimium timet pœnam Gehennæ, sed quia defectu charitatis non tantum culpam timet, quantum deberet. At mũdanus timor, quia timor est mali creati, finiti, ac temporalis, facilè potest esse nimius non solùm appretiatiuè, sed etiam intensiuè: & plerumque ideò nimius est appretiatiuè, quia nimius est intensiuè; & tunc propriè dicitur timor mundanus. Quare mundanus timor in se, atque intrinsecè, inordinatus & malus est.

VLTIMÒ posset obiici, peccare eos, qui Deum diligunt propter aliud: proinde peccare etiã eos, qui Deum timent propter aliud, id est, ad fugiendas pœnas.

SED facilis responsio est. Nam quia obiectum amoris est bonum, & timoris malum: & Deus in se bonus est, vel potiùs summum atque infinitum bonum; non autem est in se malus, sed solùm in effectis, quibus iustè peccatores affligit: idcircò propter se diligendus est, timendus autem propter aliud. Atque hæc de tota hac disputatione sint satis.

VNA quidem adhuc quæstio tractari potuisset, An videlicet Attritio, siue imperfecta Contritio, quàm certum est sine Sacramẽto non sufficere ad iustificationem, sufficiat cum Sacramento, ita vt pœnitens ex attrito virtute Absolutionis fiat contritus, & iustificetur. Lutherus enim id aliquando negauit, vt perspicuum est ex eius responsione ad dialogum Syluestri Prieratis, vbi de conclusione sexta loquens: *Error est*, inquit, *quòd attritus fiat contritus virtute Clauium.* Cæterùm discipuli eius, qui Contritionem in terroribus constituunt, & soli fidei ex verbo Absolutionis conceptæ, quæ terrores illos consequitur, iustificationem adscribunt: nullo modo negare possunt, quin Attritio, & sola non sufficiat, & cum Absolutione sufficiat: vt in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. declaratum est. Porrò, verbum Absolutionis eam vim habere, vt verè peccata remittat, & hominem per Attritionem dispositum, sed nondum à peccato liberum iustificet, & Deo reconciliet, de qua sola re dubitari poterat: in sequenti libro, cum de Absolutione disputabitur, ostendetur.

LIBER TERTIVS, DE POENITENTIA.

IN QVO DE CONFESSIONE DISSERITVR.

DE Contritione, quæ prima pars est Sacramenti Pœnitentiæ, disseruimus libro superiore: sequitur vt de secunda parte, quæ Confessio dicitur, disseramus. In qua controuersia explicanda hic ordo seruabitur, vt primò loco referantur errores, qui de hac re versantur inter Aduersarios. Deinde sententia Catholicæ Ecclesiæ ex diuinis literis confirmetur. Tertiò, proferantur sanctiones & decreta Conciliorum. Quartò, testimonia veterum Patrum. Quintò, rationes variæ. Postremò, argumenta Aduersariorum proponantur, & dissoluantur.

CAPVT PRIMVM.

De erroribus circa Confessionis necessitatem.

PRIMI, qui Confessionem sustulerunt, veteres illi Hæretici censendi sunt, qui potestatem absoluendi sustulerunt, Montanistæ videlicet, & Nouatiani, de quibus in primo libro diximus: neque enim vlla necessitas Confessionis est, si nulla sequitur Absolutio.

FVIT alia hæresis Audianorum, temporibus Valentiniani senioris, quæ (vt ex Theodoreto lib.4. de fabulis Hæreticorum, intelligi potest) Confessionem quidem peccatorum iubebat, & Absolutionem largiebatur, sed nullam iniungebat pœnitentibus multam; & ideò pœnitentes, quia per iocum ac ludum Confessionem à se exigi intelligebant, grauia peccata celabant, & solùm pauca quædam ac leuia fatebantur; planè ad eum modum, quo nunc Lutherani confiteri peccata coram suis Ministris solent.

Messaliani quoque ijsdem temporibus exorti (Damascено teste, in libro de centum hæresibus) peccata dimittebãt, nulla habita ratione Pœnitẽtiæ, & canonũ Ecclesię.

Postmodum Ioan. Vviclefus (teste Thomæ Vvaldensi tomo 2. de Sacramentis, cap. 135.) Confessionem Sacramentalem apertè oppugnare cœpit, asserens eam neque in Scripturis fundari, & ex sola institutione Papali introductam esse.

EXSTITIT etiam ante annos circiter centum, quidam Petrus Oxonienſis, qui Confessionem peccatorum in specie, affirmabat nó esse de Iure diuino, sed ex aliquo statuto vniuersalis Ecclesiæ: de quo vide Summam Conciliorum, in decretis Sixti Papæ I II.

NOSTRO sæculo in eodem errore versati sunt Erasmus Roterodamus, & Beatus Rhenanus. Ille, in Annotationibus ad epist. S. Hieronymi ad Oceanũ de obitu Fabiolæ, & in annotatione ad cap. 19. Actor. & in Methodo Theologiæ; hic, in annotationibus ad librum Tertulliani de Pœnitentia: vterque enim docet, Confessionem secretam singulorum peccatorum, non modò non esse Iure diuino institutam, aut imperatam, sed neque in vsu antiquæ Ecclesiæ fuisse.

PORRÒ Lutherani, & quotquot ab illis sectæ Hæreticorum exortæ sunt, licet variè sentiant de Confessione, omnes tamen in eo conueniunt, vt non sit necessarium omnia peccata Sacerdotibus confiteri: ex quo illud etiã sequitur, vt Confessio integra peccatorum, qualis in Ecclesia Catholica exigi solet, non sit diuinitùs instituta.

Martinus Lutherus in lib. 1. de capt. Babyl. de Pœnitẽtia, scribit quidẽ Confessionem secretam, quæ modò celebratur, sibi valdè placere, & esse vtilem, vel potiùs necessariam: tamen addit tres errores. Primò, non posse eam probari ex Scripturis. Secundò non esse necessariũ confiteri omnia sacerdotibus. Si quis enim correptus à fratre, quem fortè læsit, agnoscat coram illo peccatum suum, & veniam petat, docet Lutherus, eum non teneri peccatum illud Sacerdotibus aperire. Tertiò, damnat omninò eos, qui docent circunstantias peccatorum in Confessione esse deregendas: *Ego*, inquit, *quicquid est circunstantiarum, contemnere non consuluerim penitus.*

ITEM in serm. de Pœnitentia, docet nõ esse confitenda venialia, nec omnia moralia, sed ea tantùm quæ sunt manifestè mortalia. Ex quo loco deprompti sunt articuli, quos Leo X. damnauit. Nam artic. 8. negat omnia peccata mortalia esse confitenda, & addit, in antiqua Ecclesia, sola peccata manifestè mortalia ad Confessionem adduci cõsueuisse: & art. 9. scribit, dum volumus purè omnia confiteri, nos nihil aliud facere, nisi vt misericordiæ Domini nihil ignoscendum relinquamus: & in assertione eiusdem articuli, carnificinã cruciatissimã appellat, si quis à pœnitẽtibus omniũ, & singulorũ peccatorũ confessionẽ exigat.

Dubitari solet, quid per manifesta peccata, quæ sola ad Cõfessionem pertinere voluit Lutherus, intellexerit, non enim defuerunt olim, qui eum excusare vellent. Aut igitur manifesta peccata occultis opposuit, aut dubijs, aut omninò incognitis etiam ipsi peccatori. De omninò incognitis nó potest esse loquutus, ea siquidem ne Catholici quidem volunt esse confitenda: neque carnificinam Lutherus appellasset sententiam Catholicorum, si in eadem sententia etiam ipse fuisset. De occultis non se etiam loquutum, testatur ipse in assert. art. 8. quare id solùm restat, vt de dubijs intellexerit: qui certè nó paruꝰ est error.

Idem in serm. de Cõfess. & Eucharistia, edito anno M. D. XIX. dicit, Confessionẽ quæ sit corã Sacerdote, non esse præceptã à Deo, sed à Papa. Item in libro de ratione cõfitendi, c. 6. valdè dubitat, an peccata cordis sint confitẽda. Item in lib. contra Latomũ, anno M. D. XXI. *Nego*, inquit, *in totũ Confessionẽ esse exigendã.* & in serm. de Eucharistia, anno M. D. XXVI. neminem vult cogi ad Confessionem faciendã. In visitatione Saxonica, anno M. D. XXVIII. iterũ repetit, Confessionẽ non esse præceptam, licet sit vtilis. Deniq; in artic. Smalchaldicis, anno M. D. XXXVII. in art. de Cõfess. dicit, enumerationẽ peccatorũ debere esse liberã vt quisq; enumeret illa, quæ voluerit.

Ioan. Oecolampadius librum scripsit, quòd Confessio non sit onerosa Christiano; sed non agnouit Confessionem à Deo præceptam, immò ne ab Ecclesia quidem, nisi manifestorum criminum.

Philip

Philippus Melanchthon in ipsa confessione Augustana, art. de Confessione, *De confessione peccatorum*, inquit, *docent nostri, quòd Absolutio priuata in Ecclesia retinenda sit, quamquam non sit necessaria delictorum enumeratio: est enim impossibilis enumeratio omnium delictorum, iuxta illud: Delicta quis intelligit?* Hæc ille, qui quamuis ex ratione quam adfert, eam solùm enumerationem non necessariam esse significare videatur, quæ est omnium peccatorum, siue ea cognoscantur à nobis, siue ignorẽtur: tamen sine dubio reprehendere voluit enumerationem illam, quæ est in vsu Catholicæ Ecclesiæ, videlicet omniũ peccatorum, quæ post examen animo occurrunt. Nam in Apologia articuli de Confessione & Satisfactione, sæpius repetit enumerationem quæ modò fit, & quæ erat apud veteres, non esse necessariam Iure diuino: *Porrò*, inquit, *Aduersarij nostri multos doctores receptissimos damnabunt, si contendent, enumerationem delictorum in Confessione necessariam esse Iure diuino. Quamquam enim Confessionem probamus, & quãdam examinationem prodesse iudicamus, vt instituti homines melius possint tamẽ ita moderanda res est, ne conscientijs iniiciantur laquei, quæ nunquam erunt tranquillæ, si existimabunt, se non posse consequi remissionem peccatorum, nisi facta illa scrupulosa enumeratione.* Idem in Examine ordinandorum, vbi de Confessione agit: *Nulla*, inquit, *enumeratio delictorum necessaria est, quia manifestum est, nusquam extare præceptum diuinum de enumeratione singulorum.* Similia habet in locis communibus, tit. de Confessione, vbi tamen vtilem esse iudicat aliquam enumerationem, & idcircò satis prolixè instituit methodum discutiendi conscientiam per omnia præcepta Decalogi.

Ioan. Caluinus lib. 3. Instit. cap. 4. §. 7. *Miror*, inquit, *qua fronte ausint contendere, Confessionem de qua loquuntur, Iuris esse diuini: cuius equidem vetustissimum esse vsum fatemur, sed quem facilè euincere possumus olim fuisse liberum.* Deinde §. 11. admittit Confessionem generalem, quam Minister pro se & populo in Ecclesia faciat. Et §. 12. admittit etiam Confessionem priuatam coram Pastore, quando quis ita angitur & afflictatur peccatorum sensu, vt se explicare nisi alieno adiutorio nequeat; sed addit hanc moderationem. *Hinc sequitur*, inquit, *eiusmodi Confessionem liberam esse oportere, vt non ab omnibus exigatur, sed ijs tantùm cõmendetur, qui ea se opus habere intelligent. Deinde ne ij ipsi, qui illa vtuntur pro sua necessitate, ad enumeranda omnia peccata vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur: sed quoad intereſſe sua putabunt, vt solidum consolationis fructum referant.* Denique §. 19. de Cõfessione, qualis sit apud Catholicos: *Nihil*, inquit, *mirum, si auricularem istam confessionem, rem adeò pestilẽtem tótque nominibus Ecclesiæ noxiam, damnamus, ac sublatam è medio cupimus.*

Martinus Kemnitius in 2. parte Exam. cap. 5. de Pœnitentia, pag. 976. & sequentibus, de Confessione disputat, sed pag. 1021. ita explicat vsum Confessionis, quem apud suos obseruari dicit: *Priuatæ*, inquit, *Cõfessionis vsus apud nos seruatur, vt generali professione peccati, & significationę Pœnitentiæ petatur Absolutio. Cùmque non sine iudicio vsurpanda sit Clauis, vel soluens, vel ligans, in priuato illo colloquio Pastores explorant auditorum iudicia, an rectè intelligant doctrinam de peccatis exterioribus & interioribus, de gradibus peccatorum, de stipendio peccati, de fide in Christum: deducuntur ad considerationem peccatorum: explorantur an seriò doleant de peccatis, an iram Dei timeant, & cupiant illam effugere, an habeant propositum emendationis: interrogatur etiam si in certis quibusdam peccatis hærere existimentur, traditur illis doctrina, & exhortatio de emendatione: quæritur vel consilium, vel consolatio in grauaminibus conscientiæ: & tali Confessioni impertitur Absolutio.* Hæc ille, qui non solùm à Catholico ritu, sed etiam à Lutheri, & Melanchthonis, quos magistros habere se gloriatur, doctrina longè abesse videtur. Illi enim confessionem peccatorum in specie faciendam esse docent, licet non omnium, neque ex legis diuinæ præscripto: at Kemnitius generali confessione, & pœnitentis instructione contentus est.

Eadem generali confessione, ac pœnitẽtis instructione contentus est Ioannes Brenius in Confessione Vvitembergensi, art. 11. de Confessione, & alij, quos longum esset, & minimè necessarium, enumerare.

CAPVT II.

Probatur Confessionis necessitas ex Euangelio.

ADVERSVS omnes iam notatos errores, Cõcilium Tridentinum, sess. 14. cap. 5. & can. 6. 7. & 8. non solùm declarat, Cõfessionem omniũ peccatorum mortalium Iure diuino necessariam esse ijs, qui post Baptismum in peccata labuntur; sed etiam anathema dicit ijs, qui contrà ausi fuerint disputare.

Quam veritatem ex verbis Domini comprobaturus, ad hanc racionationem, totam vim diuinorum testimoniorum reuocandam esse censui: Qui mortali peccato se obstrinxerunt, tenentur Iure diuino Pœnitentiam agere, & reconciliationem cum Deo quærere: Sed medium necessarium ad reconciliationem post Baptismum, est confessio peccatorum omnium Sacerdoti facta. Ergo tenentur Iure diuino, qui post Baptismum mortali peccato se obstrinxerunt, Sacerdoti peccata omnia confiteri.

Propositio in libro superiore probata est, ex illis verbis Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Et ex illis Luc. 13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* neque Aduersarij eam negant. Quare tota difficultas in assumptione posita est, quæ rursus hac ratiocinatione concluditur: Christus instituit Sacerdotes iudices super terram cum ea potestate, vt sine ipsorum sententia nemo post Baptismum lapsus reconciliari possit: Sed nequeunt Sacerdotes rectè iudicare, nisi peccata cognoscant: Ergo Iure diuino tenentur qui post Baptismum lapsi sunt, peccata sua Sacerdotibus aperire; ac per hoc, est confessio peccatorum medium necessarium ad reconciliationem ijs, qui post Baptismum lapsi sunt.

HVIVS argumenti sola propositio confirmanda est, nam assumptio ita per se est euidens, vt nullo modo negari possit: iudicium enim sine cognitione caussæ, ne cogitatione quidem fingi potest. Quocirca aduersarij communiter ad nostrum argumentum respondere solent, Ministrum in hac re non iudicem, sed præconem esse Dei, neque pro potestate absoluere, sed tantùm annunciare pœnitentibus indulgentiam.

Philippus in Apologia Confess. Augustanæ, artic. de Confess. *Quod obijciunt*, inquit, *iudicem debere cognoscere caussam priusquam pronunciet, hoc nihil ad hanc rem pertinet, quia Absolutio est exequutio alieni beneficij, non est iudicium.* Idem in locis anni M. D. XLIII. tiulo de Confessione, ad idem argumentum his verbis respondet: *Respõdeo ad maiorem: differunt, iudicium, & ministerium Euangelij. In iudicio necesse est fieri cognitionem: at ministerium Euangelij est mandatum certum impertiendi beneficij, scilicet annunciandæ remissionis peccatorum, siue nota sint, siue ignota.* Et infrà: *Quòd Euangelium publicè multis, & priuatim singulis applicari possit, testatur hæc sententia: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Ioan. Caluinus lib. 3. Instit. c. 4. §. 18. *Nam*, inquit, *quòd contendunt, non posse fieri iudicium, nisi caussa cognita, in promptu est solutio, temerè hoc sibi arrogare, qui sint à seipsis iudices creati.* Et infrà: *Iactant sibi ligandi & soluendi munus esse mandatum, ac si quædam esset iurisdictio quæstioni adiuncta: porrò hoc ius Apostolis fuisse incognitum, tota eorum doctrina clamat.* & §. 21. declarat, remittere

ac re

ac retinere peccata, nihil esse aliud, nisi polliciti ex verbo Dei remissionem peccatorum credentibus, & edicere damnationem nō amplectentibus Christum: quod idem copiosiùs docet lib. 4. cap. ix. §. 1. *Hoc*, inquit, *de remittendis & retinendis peccatis mandatum, & illa de ligando & soluendo, Petro facta promissio, non aliò debent referri, quàm ad verbi ministerium quod dum Apostolis committebat Dominus, simul hoc ligandi soluendique munere ipsos instruebat. Quæ enim est summa Euangelij, nisi quòd omnes serui peccati & mortis, soluimur, ac liberamur per redemptionem, quæ est in Christo Iesu? qui verò Christum liberatorem ac redemptorem non suscipiunt, nec agnoscunt, eos æternis vinculis damnatos, addictósque esse.*

Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis, c. 1. de Pœnitentia, pag. 1029. proponit his verbis potissimū Catholicorum argumentum: *Christus* inquit, *Sacerdotes iudices constituit, vt pro potestate Clauium pronuncient sententiam vel remissionis vel retentionis peccatorum: Sed nullum iudicium rectè exerceri potest incognita causa: Ideò omnia peccata Sacerdotis Sacerdoti, vt iudici, in Confessione quando petitur Absolutio, sigillatim enumeranda, exponenda, & detegenda sunt.* Et infrà ponit responsionem, pag 1030. *Sed rectè*, inquit, *respondetur discrimen esse inter Iudicium, & functionem ministerij Euangelici. In iudicio enim iusta causa cognitionem pronunciatur, pro vt bona, vel mala est, vel pro vt reus adfert compensationem pro delicto: ministerium verò Euangelij mandatum habet annunciandi & impertiendi alienum beneficium, Christi scilicet.* Et pag. 1031. *Ministri*, inquit, *tantùm legatione funguntur, & sunt dispensatores alieni beneficij, quibus non mandatum est, vt corda scrutentur, sed vt ijs, qui significant se Pœnitentiam agere, & Euangelio credere, annuncient remissionem peccatorum.* Hæc ille.

Quare si ex Euangelio probauero, Apostolos & eorum successores iudices esse à Domino in Ecclesia cōstituros in causis pœnitentium, simul etiam probauero, Iure diuino confessionem peccatorum in specie coram Sacerdote esse faciendam.

Tria sunt loca præcipua, ex quibus iudiciaria ista potestas demonstrari potest. Primus locus est Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Alter Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quecunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Tertius est Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Primvs locus continet promissionem soli Petro factam: sed neque Catholici, neque hæretici dubitant, quin Petrus acceperit Claues, non tantùm vt ipse eis vteretur, sed etiam vt eas cum cæteris Sacerdotibus cōmunicaret. Alter locus habet promissionem, factā Apostolis omnibus, siue prædictionem quandam eius potestatis, quam Apostoli & eorum successores accepturi erant. Et quia veritas mentiri non potest, etiamsi nihil aliud legeremus, non posset ambigi, quin eam potestatem alicubi accepissent. Tertius locus continet ipsam cōcessionem eius potestatis, & Sacramenti totius constitutionem.

Et quoniam aduersarij non negant, in his locis promitti vel dari Ecclesiæ potestatem soluendi, & ligandi, siue peccata remittendi aut retinendi: sed hanc potestatem interpretantur ministerium prædicandi, & annunciandi pœnitentibus remissionem peccatorum, & impœnitentibus iram & damnationem, siue publicè multis, siue priuatim vni: idcircò probandum nobis est, ex his locis apertissimè colligi, datam esse veram potestatem ex auctoritate absoluendi, ac per hoc, Sacerdotes iudices esse in causis peccatorum vice Christi.

Primvm igitur id colligitur ex metaphora clauium, de quibus dicitur: *Tibi dabo Claues.* Nam in primis claues non solent fieri vel dari ad significandum, ostium esse clausum vel apertum, sed ad aperiendum & claudēdum reipsa. Deinde, apud homines claues dari solent Magistratibus in signum potestatis: & in ordinatione Ostiariorum dantur claues Ecclesiæ materialis, non vt Ostiarij declarent, sint ne fores templi clausæ vel apertæ, sed vt eas verè claudant atque aperiant: Denique, cùm in Apocalypsi, cap. 3. de Christo dicitur: *Qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit*, omnes intelligunt per clauem, veram & propriè dictam potestatem, qua possit Christus ex auctoritate iudiciaria absoluere & ligare, non autem significare aut declarare, quis sit ligatus, quis solutus.

Quare cùm suas claues Christus cum Apostolis, eorúmque successoribus communicauerit, veram potestatem ex auctoritate iudiciaria soluendi & ligandi cum illis communicauit. Et quemadmodum nemo in clausam domum ingredi potest, nisi qui habet eius domus clauem, ostium aperuerit: sic etiam nemo cui cœlum ob culpam sit clausum, in illud ingredi poterit, nisi Sacerdotum ministerio aperiatur. Nam si aliundè pateret aditus, frustrà claues Apostoli accepissent: quid enim prodesset habere claues domus, si absque clauibus, inuito etiam ostiario, aditus pateret? *Nemo*, inquit S. Augustinus homil. 49. *sibi dicat: Occultè ago apud Deum ago. Ergo sine caussa dictum est: Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo? ergo sine caussa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? frustramus Euangelium, frustramus verba Christi.*

Neque his repugnat, quod per Baptismum illi etiā qui claues non habent, introire possunt homines in regnum cœlorum. Nam potestas Clauium est potestas iudiciaria, & ideò propriè erga eos tantùm exercetur, qui sunt in Ecclesia. *Quid enim ad me de his qui foris sunt, iudicare?* inquit Apostolus 1. Corinth. 6. Itaque per Baptismum admittuntur homines ad Ecclesiam, & Sacerdotum iudicio ac potestati subiiciuntur: sed si deinde peccauerint, sine Clauium beneficio nullo modo reconciliari queunt.

Secvndò, idem colligitur ex metaphora ligandi & soluendi: Ligare enim, & soluere; non significant denunciare, vel declarare, sed reipsa vincula iniicere, aut demere: & præsertim Matth. 16. & 18. alioqui non dixisset Dominus: *Quodcunque solueris, erit solutum*, siue: *Quæcunque solueritis, erunt soluta*: Sed; Quodcunque solueris, erit solutum: &; Quæcunque solueritis, erunt soluta.

Dices; Esto, possint Sacerdotes soluere & ligare, nō tamen idcircò necesse erit ad eorum tribunal accedere: non enim Dominus ait; Et quæcunque non solueritis, non erunt soluta. Itaque poterunt illi quidem soluere, si quis eorum ministerio vti voluerit, sed poterit etiam peccator alia ratione sine ipsorum ministerio reconciliari. Quemadmodum cùm Regum auctoritate iudices publici constituuntur, possunt illi quidem iudicare omnes, qui ipsorum opera vti volunt; non tamen cogūntur qui lites habent, ad publicos illos Iudices accedere, sed possunt arbitros eligere, aut etiam ipsi per se causam suam componere.

Sed hæc obiectio facile soluitur. Nam etiamsi possint priuati homines, lites, quas inter se habent, sine publicorum Iudicum sententia componere: non possunt tamen eas lites componere, quas cum Rege ipso habēt, nisi illum adeant, quem loco suo Rex Iudicem esse voluit. Porrò peccata omnia, causse sunt, quas cum Deo ipso habemus, & ideò cùm Deus iudicium de peccatis, Sacerdotibus permiserit in Ecclesia sua, nō possunt qui in Ecclesia sunt, si eiusmodi causas habeant, sine Sacerdotum iudicio cum Deo reconciliari. Quare illa negatio, Quæcunq; non solueritis, nō erunt soluta, quāuis expressa nō fuerit in eo loco Euāgelij: tamen aperte colligitur, tùm ex illa affirmatione, *Quæcunque solueritis, erūt soluta*,

qua Sacerdotes iudices futuri dicuntur in causis contra Deum; tum etiam ex illa: *Quæcunque ligaueritis, erunt ligata*, ligare enim non solùm est, nouum vinculum addere, vt Excommunicationis: sed etiam vinculum peccati confirmare, ac retinere, vt in alio Euangelista explicatur, & denique nolle soluere. Quòd si possent rei sine Sacerdotum sententia à peccatis absolui, non esset vera Christi promissio: *Quæcunque ligaueritis, erunt ligata.*

Tertiò, colligitur idem ex illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hoc enim lóco expresè datur potestas non solùm remittendi peccata, sed etiam retinēdi: retinere autem quid est, nisi nolle remittere? proinde negatur remissio illis, quibus noluerint Sacerdotes remittere. Adde, quòd non ait Dominus, Quorum remiseritis peccata, remissa erant, quod certè dixisset, si per remissionem, declarationem significare voluisset: sed ait, *Remittuntur eis*, quia nimirum ratam habet Christus sententiam à Sacerdote, nomine suo latam.

Quartò colligitur ex illa voce, Quorum: nec enim vult Dominus omnibus indefinitè peccata remitti, sed certis hominibus, ijs videlicet, quos Sacerdotes absoluendos iudicauerint. At Euangelium omnibus indefinitè prædicandum est, iuxta illud Mat. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* & omnibus omninò dari potest conditionalis illa absolutio Caluini: *Remittuntur tibi peccata, si credis.* Non igitur Dominus de prædicatione Euāgelij, sed vera potestate peccata remittendi loquitur:

Quintò, colligitur ex cæremonia insufflationis, qua Dominus vsus est, cùm potestatem remittendorum peccatorum Apostolis tribuit. Quemadmodum enim idem Christus Actor. 2. Spiritum sanctum dedit in specie linguarum, quia dedit eo tempore donum concionandi: sic etiam Ioan. 20. dedit Spiritum sanctum insufflando, quia dedit donum peccata remittendi, non concionando, vt aduersarij somniāt, sed planè extinguendo, ac dissoluendo. Vt enim flatus extinguit ignem, & dissipat nebulas; sic etiam Absolutio Sacerdotis peccata dispergit, & euanescere facit; iuxta quàm metaphoram legimus Isai. 44. *Delcui, vt nubem, peccata tua.*

Sextò, idem probatur ex Patribus, qui loca notata ita exponunt, vt apertè significent, Sacerdotes à Christo Iudices factos, & peccata ex potestate dimittere, non autem concionando annunciare, esse remissa.

Ac primùm S. Ioan. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, multis modis sententiā nostram confirmat: *Etenim*, inquit, *qui terram incolunt, atque in ea versantur, ijs commissum est, vt ea quæ in cœlis sunt, dispensent: ijs datum est, vt potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: Quæcunque alligaueritis in terra, &c.* At certè possunt Angeli annunciare hominibus, remitti peccata si credant, non remitti si non credant: non igitur potestas annunciandi, sed verè absoluendi ac ligandi data est Sacerdotibus ex sententia Chrysostomi.

Pergit ibidem Chrysostomus: *Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporū solùm: id autem quod dico, Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos vsque peruadit. vsque adeò, vt quæcunque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet.* Ac Principes terræ non solent annunciare quis vinctus sit, quis solutus, sed planè pro imperio corpora subditorum ligant & soluunt. Igitur & Sacerdotes cùm animas ligant, vel soluunt, non annunciant quis ligatus sit, quisve solutus: sed planè pro imperio Christi vice, vincula iniiciunt, vel tollunt, si comparatio Chrysostomi aliquid valet.

Pergit Chrysostomus: *Quorumcunque* (ait) *peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam quæso potestas hac vna maior esse queat?* At annunciare, peccata fidelibus remitti, infidelibus detineri, non magna res est, id enim quilibet facere potest, qui modò Euangelium legere nouerit: non solùm Sacerdotes, sed etiam laici, nec tantùm Catholici, sed etiam hæretici, quin etiam ipsi Dæmones.

Pergit: *Pater omnifariam Filio potestatem dedit: cæterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à Filio illis traditam: nam quasi iam in cœlum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt.* At Pater Filio non nudum Euangelij annunciandi facultatem dedit: sed planè ex auctoritate peccata dimittendi. Alioqui Dominus Matth. 9. cùm dixisset Paralytico: *Dimittuntur tibi peccata tua.* & quidam Pharisæi adiecissent: *Hic blasphemat*: potuisset vno verbo calumniam repellere, ac dicere, non se peccata propriè remittere, sed solùm annunciare, esse remissa: cæterùm non hoc fecit, sed ex potestate mirabili repentè curandi corpora, demonstrauit se habere etiam potestatem admirabilem curandi animas.

Addit Chrysostomus: *Quid multa? Rex aliquis si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat quoscúque velit in carcerē coniiciendi, eosdémque rursus laxandi: beatus ille, & admirandus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tantò maiorem accipit potestatem, quantò cœlum terra pretiosius est, quantò etiam animæ corporibus præstant: hic vtilem eò vsque dignitatem accepisse nonnullis videri debet, vt vel in illorum cogitationem descendere queat, reperiri quandoque posse aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa, quæ paulò antè dixi, fuerint concredita, cui ipsi munus suum sordescat, quique donum sibi à Deo datum despiciat?* Non poterat Chrysostomus apertiùs declarare, Sacerdotum potestatem verè ac propriè iudiciariam esse, quàm ea similitudine fecerit: comparat enim Sacerdotem nō cum præcone Regis, qui solùm nunciet quid factum, faciendúmve; sed cum eo, qui pro potestate, in carcerem detrudat, aut ex carceribus liberet.

Addit vltimò ibidem Chrysostomus: *Corporis lepram purgare, seu (veriùs dicam) haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum Sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio, & concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquirebatur. At verò nostris Sacerdotibus corporis lepram, verùm animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Hoc verò loco, tam perspicuè Chrysostomus sententiam aduersariorum damnat, vt nihil omninò contrà responderi queat.

Sed audiamus etiam alios Patres. Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione ad ciues timore perculsos, & Principem, siue Præsidem ira scentem: *Ipsa*, inquit, *Christi lex vos quoque* Præsides, *meo imperio, tum solio subiicit: nam & nos cum potestate sumus, addam etiam ampliore, perfectioréque.*

Sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2. & sequentibus, probat ex locis allegatis Matthæi 16. & Ioan. 20. Sacerdotibus datam à Christo potestatem remittendi peccata. Loquitur autem Ambrosius de vera potestate remittendi, non de solo ministerio euangelizandi, perspicuum est; tùm quia Nouatiani non negabant posse Euāgelium omnibus prædicari, sed negabant peccata ex auctoritate remitti posse; tùm quia cap. 7. Ambrosius scribit Christum communicasse cum Sacerdotibus eam potestatem, quam ipse habet. Christum verò veram potestatem remittendi, non autem solùm annunciandi habere, paulò antè ostendimus.

Sanctus Hieronymus in epistola ad Heliodorum de vita solitaria: *Absit*, inquit, *vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claues regni cœlorum habentes quodammodo ante diem Iudicij iudicant.*

S. Augustinus libro 20. de Ciuitate Dei, cap. 9. explicans illud Apocalypsis. *Et vidi sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est*, ita loquitur: *Non hoc putandum est de vltimo iudicio dici, sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est: Quæ ligaueritis in terra, ligata erũt in cœlo. Vnde Apostolus: Quid enim mihi est, inquit, de his qui foris sunt iudicare? nónne de his, qui intùs sunt, vos iudicatis?*

Sanctus Innocentius I. in epistol. 1. ad Decentium, cap. 7. *De pondere*, inquit, *æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, &c.*

Sanctus Gregorius Homil. 26. in Euangelia, exponés illa verba Domini: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c, Principatum*, inquit, *superni iudicis sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.*

SEPTIMÒ probatur rationibus. Ac primùm, si non essent Sacerdotes iudices, nec verè peccata remitterent, sed solùm annunciarent esse remissa: nemo periret ex eo solùm, quòd Sacerdotem reconciliantem habere non posset; qui enim credit, ex sententia aduersariorum, iam habet remissionem, etiamsi nemo sit, qui id verbis protestetur. At S. Augustinus in epistola 180. ad Honoratum, apertè scribit, aliquos reconciliari cupientes, & proinde credentes in Christum, in æternum perire, quòd antè moriantur, quàm à Sacerdote absolui potuerint. *An non cogitamus*, inquit, *cùm ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu, atque ab omni ætate concursus, alijs Baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? vbi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt?* Hæc ille. Nec his dissimilia scribit sanctus Leo in epistola 91. ad Theodorum. Ex quibus locis intelligimus. Sacramentalem reconciliationem vim habere iustificandi, neque esse solam annunciationem acceptæ, vel accipiendæ iustificationis.

DEINDE, si Sacerdos non aliter peccata remitteret, quàm annunciando diuinas promissiones, certè non nisi frustrà ac ridiculè absoluerentur surdi, & ij, qui ob vim morbi sensibus sunt destituti. *Ne effundas sermonem*, inquit Sapiens Ecclesiastic 32. *vbi non est auditus.* At in Ecclesia veteri, non solùm surdi, sed etiam ij, qui ob vim morbi extra se positi erant, aut aliquando reconciliabantur, vt patet ex Augustino lib. 1. de adulterinis coniugijs, cap. vlt. & Leone in epist. paulò antè citata ad Theodorum, & ex Concilio Carthag. IIII. can. 76. & Aurauſicano, can. 12.

TERTIÒ, si Absolutio esset annunciatio remissionis peccatorum, vel temeraria esset, vel superflua. Nam cùm Minister dicit, *Remittuntur tibi peccata*, aut absolutè hoc pronunciat, aut ex hypothesi, si videlicet credas, & vt oportet pœnitentiam agas. Si absolutè, temerè id pronunciat, cùm ignoret, an is, qui reconciliationem petit, sit verè pœnitens, & fidem habeat, qualis requiritur ad iustificationem, & propterea etiamsi aliquo modo id Minister nosset, melius tamen nouit ipse pœnitens, proinde non eget annunciatione illa Ministri, quæ nihil ei addere potest certitudinis. Si verò est conditionalis Absolutio (vt Caluinus admittit) non potest talis Absolutio certum ac securum efficere pœnitentem, cùm ex incerta conditione dependeat: & tamen aduersarij vix aliũ finem Absolutionis agnoscunt, quàm vt certum reddat hominem acceptæ iustificationis.

QVARTÒ, si Absolutio non est actus iudicialis, sed

A simplex annunciatio diuinæ promissionis, quæ in Euangelio scripta exstat, non minùs absoluere poterit laicus, immò etiam fœmina, aut puer, aut infidelis quispiam, aut diabolus, vel etiam psittacus, si doceatur ea verba, quàm Sacerdos: & quamquam aduersarij id concedant, quia sequitur euidenter ex ipsorum principijs, tamen est contra omnium veterum consensionem, & contra consuetudinem omnium Ecclesiarum, & omnium sæculorum; de qua re suo loco plura dicemus.

CAPVT III.

Confirmatur eadem veritas ex figuris, quæ confessionem sacramentalem præcesserunt.

SACRAMENTA Christiana, ac præsertim ea, quæ magis necessaria sunt, non simpliciter in diuinis literis indicantur, sed primùm in lege naturæ & Mosis adumbrata, ac prænũciata, deinde à Christo promissa, tum instituta, posteà frequentata, & commendata in Scripturis inueniuntur.

B SIC Baptismus in lege naturæ adumbratus fuit per Arcam Noë, & Circuncisionem in lege scripta, per transitum maris rubri, & probaticam piscinam; ac demum propinquante lege gratiæ, per Baptismum Ioannis: deinde à Christo promissus fuit, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* posteà disertis verbis imperatus, Matthæi vltimo: *Baptizate omnes Gentes, &c.* denique in Actis Apostolorum, & in epistolis B. Pauli passim exhibitus, & commendatus legitur.

SIC etiam Eucharistia figurata primùm fuit in lege naturæ per panem & vinum Melchisedech: in lege scripta per agnum paschalem & panes propositionis, in ipso Euangelio per multiplicationem panum: deinde promissa Ioan. 6. *Panis quem ego dabo.* posteà instituta, Matthæi 26. *Accipite, & manducate, &c.* denique frequentata, & commendata ab Apostolis, Actor. 1. & 2. Corinth. 10. & 11.

C QVOD idem de Confessione demonstrari potest. Deus enim in lege naturæ non semel exegit confessionem peccati: clarius eandem præscribit in lege Mosis: eandem Christus in Euangelio varijs figuris expressit: eandem posteà promisit, & instituit: accesit denique vsus eius tempore Apostolorum, necnon exhortatio, & commendatio.

ET quoniam de promissione & institutione, ex quibus præcipuum argumentum sumitur, diximus capite superiore: nunc de ijs, quæ promissionem & institutionem, vel præcesserunt, vel sequuta sunt, quæque ad eandem veritatem confirmandam non parùm valent, breuiter dicemus.

D PORRÒ ex figuris duplex argumentum sumi potest. Primùm enim si confessio, quam Deus in Testamento veteri exigebat, figura quædam erat, vt reuera erat, cùm omnia contingerent illis in figuram. 1. Corinth. 10. certè necesse est, vt in Testamento nouo sit etiam confessio peccatorum à Deo præcepta, & quidem tantò exactior, & perfectior, quãtò res figurata figuris ipsis præstat. Deinde, si confessio necessaria erat coram Dei Ministro, eo tempore, quo nondum data erat Sacerdotibus potestas remittendi peccata: quis non inde colligat, multò maiore ratione æquum fuisse, vt confessio tanquam necessaria imperaretur, tempore noui Testamenti, quo tanto cum fructu confiteri possumus, vt legitimam confessionem continùo certa absolutio consequatur?

PRIMA igitur figura habetur Genes. 3. & 4. vbi Deus primùm ab Adamo & Eua, deinde à Cain confessionem peccati exegit. In his locis exigitur confessio, non solùm cordis, sed etiam oris: nec solùm in genere, sed etiam in speciali: nec tantùm coram Deo, sed etiam coram eius Ministro: nam interrogatio illa facta est per

Angelum in forma humana apparentem, vt patet ex eo, quòd ambulabat in Paradiso ad auram post meridiem. Ex quo intelligimus, magnam fuisse similitudinem inter illam confessionem, & eam, quæ nunc fit Sacerdoti, qui etiam Angelus Domini, teste Malachia, ca. 2. vt non sine caussa, vna dicatur fuisse figura alterius.

QVARE Tertullianus in lib 2. aduersus Marcionem, hanc figuram expendens, ita loquitur: *interrogat Deus quasi incertus, vt & hinc liberi arbitrij probans hominem, in caussa vel negationis, vel confessionis, vt daret ei locum sponte confitendi delictum, & hoc nomine reuelandi: sicut de Cain scisciatur, vbinam frater eius, quasi non tam vociferatum à terra sanguinem Abelis audisset, sed vt & ille haberet potestatem ex eadem arbitrij potestate sponte negandi delicti, & hoc nomine grauandi: atque ita nobis conderentur exempla confitendorum potiùs delictorum, quàm negandorum, vt iam tunc initiaretur Euangelica doctrina: Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo damnaberis.*

A

B SANCTVS etiam Ambrosius in lib. de Paradiso, c. 14. lib. 2. de Cain, & Abel, c. 9. & sanctus Gregorius lib. 22. Moralium, c. 13. & sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 18. in Genesim, hæc loca de Confessione exponunt, ac dicunt, Deum ab illis confessionem extorquere voluisse, vt confessione delerent, quod transgrediendo commiserãt.

SECVNDA figura habetur Leuit. 13. & 14. vbi iudiciũ lepræ solis committitur Sacerdotibus, & cogebantur leprosi se Sacerdotibus sistere, ac prodere, & iuxta eorum arbitrium vel extra castra manere, vel post curationem ad castra reuerti: quam etiam legem Dominus approbauit Matth. 8. cùm leproso à se curato dixit: *Vade, ostende te sacerdoti, &c.*

HANC figuram fuisse sacramenti Confessionis, docent Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, & sanctus Hieronymus in cap. 16. Matthæi. Hinc enim colligit sanctus Hieronymus, oportere Sacerdotes cognoscere peccatorum varietates: & sanctus Chrysostomus monet, officium Sacerdotum Christianorum longè excellentius esse quãolim fuerit Iudæorum, cùm aliis, lepram non curare, sed curatam ostendere; nostris peccata non curata ostendere, sed verè curare concessum sit.

C IOANNES Caluinus lib. 3. Institutionum, c. 4. §. 4. hoc argumentum contemnere videtur, & tamen operosè diluere conatur: *Videamus*, inquit, *quibus argumentis Confessionem hanc Dei esse mandatum probant, Misit, inquiunt, leprosos Dominus ad Sacerdotes. Quid? misitne ad Confessionem? quis vnquam fando audiuit, audiendis confessionibus præfectos Leuiticos Sacerdotes?* At neq; nos dicimus, missos leprosos à Christo ad Sacerdotes, vt illis peccata sua cõfiterentur, sed ex figura, cum Chrysostomo & Hieronymo, ducimus argumentum. Vt enim in lege veteri cognitio lepræ corporalis: ita in noua, cognitio lepræ spiritualis ad Sacerdotes pertinet; & ideò cum legimus ab ipso Christo leprosos ad Sacerdotes Leuiticos missos, allegoricè intelligimus, missos peccatores ad Sacerdotes Euangelicos.

D NEQVE hoc Caluinum ignorasse, sed ansam calumniandi accipere voluisse, testantur verba sequentia: *Confugiunt*, inquit, *ad allegorias. Sancitum erat lege Mosaica, vt Sacerdotes discernerent inter lepram & lepram. Peccatum spiritualis est lepra: de hac pronunciare, Sacerdotum est. Antequam respondeo, quæro obiter, Si hic locus, spiritualis lepræ eos iudices facit, cur naturalis & carnalis lepræ cognitionem ad se trahunt? scilicet hoc non est Scripturis ludere: Lex cognitionem lepræ defert Sacerdotibus Leuiticis; hanc nobis vsurpemus: peccatum est lepra spiritualis: simus & peccati cognitores. Nunc respondeo; translato sacerdotio, necesse est legis translationem fieri. Omnia sacerdotia ad Christum translata sunt, in eo impleta, & finita: ad eum igitur vnum ius omne, & honor sacerdotij translatus est.*

AD quæstionem obiter propositam, Respondeo, Cal-

A uinum obiter mentiri, cùm scribit, Sacerdotes Christianos ad se trahere cognitionem lepræ corporalis. Neque enim huius rei vel testimonium, vel exemplum producere poterit: apud nos enim de lepra corporali medici respondere solent, non Sacerdotes. Exstat quidem in Iure canonico titulus de cõiugio leprosorum: sed is titulus nihil habet commune cum legibus Leuiticis de leprosis. Leges enim Leuiticæ præscribunt rationem diiudicandæ lepræ, & sacrificias quæ pro leprosis offerenda sunt: Ius verò canonicum neque de ratione lepræ diiudicãdæ, neque de sacrificiis tractat, neque leges illas Leuiticas vlla ex parte seruandas præscribit; sed solùm docet, non esse lepram, vt neque vllum alium morbum corporalem, iustam caussam diuortij inter coniuges. Non igitur in Scripturis ludimus, neque cognitionem lepræ corporalis nobis vsurpamus, præsertim ex vi legis Mosaicæ: sed argumentum ex figura ducimus, vt antè diximus.

B AD solutionem autem argumento nostro à Caluino adhibitam, Respondeo, sacerdotium in Christum esse translatum, sed Christum non per se, sed per suos Ministros in terris fungi sacerdotio. Itaque sicut per Ministros suos concionatur, baptizat, absoluit, ligat, sacrificium offert, &c. ita quoque per suos Ministros cognoscit causlas lepræ spiritualis, & ad eiusmodi Ministros, spirituales leprosi accedere, & morbos suos detegere debent. Quod si sacerdotium ita ad solum Christum translatum esset, vt ad eius ministros nullo modo pertineret, vel etiam (vt Caluinus loquitur) in Christo completum, ac finitum esset, & nullum iam in terris sacerdotium remaneret: certè nec lex vlla in terris remaneret. Eadem enim ratio sacerdotij, & legis est; si translatum est sacerdotium in cœlum, & lex in cœlum translata est: si extinctum est sacerdotium, extincta quoque est lex. Si verò non nisi absurdissimè dicitur, lex Dei ita esse extincta, aut in cœlũ translata, vt nulla sit in terris: profectò non minùs absurdè dicitur, sacerdotium ita extinctum, aut in cœlum esse translatum, vt inter homines nullum sit.

C ADDIT deinde Caluinus: *Ad hæc, importuna est ipsorum allegoria, quæ legem merè politicam inter cæremonias reponit.* At hic duo sunt errata. Primùm enim lex de purgatione leprosi, non merè politica, sed maxima ex parte cæremonialis erat: nam si merè politica fuisset, ad principem politicum, non ad Sacerdotes pertinuisset. Et quo modo politica lex est, & non potiùs cæremonialis, quæ iubet leprosum recludi septem diebus, dissutum gerere vestimentum, lauari aliquoties, offerre passeres, & agnos, tingi sanguine & oleo, in extremo auriculæ dextræ, & in pollice manus ac pedis dextri, & alia id genus multa? Deinde etiamsi merè politica lex illa fuisset, quid prohiberet quo minùs alicuius mysterij figuram gerere posset: certè transitus maris rubri, manna de cœlo, aqua de petra, idololatrarum interfectio, non cæremoniæ, sed res gestæ fuerunt, & tamen Apostolus 1. Cor. 10. apertè scribit, omnia illa in figuram Hebræis contigisse, & ad nos earum rerum significationes pertinere. Neque cæremonia dici potest, quòd Abraham duos filios habuerit, vnum de ancilla, & vnum de libera: & tamen eius rei allegoriam B. Paulus exponit Galat. 4.

D Concludit tandem Caluinus responsionem suam his verbis: *Quanquam in re clara, suffragium vllius hominis accersere pudet: vbi Christus pronunciat, se ius legale relinquere Sacerdotibus integrum, tanquam professis Euangelij hostibus, qui semper ad obstrependum intenti erant, nisi os fuisset occlusum. Quare vt hanc possessionem retineant Papales sacrifici, palàm concedant in eorum partes, quos necesse est compesci, ne Christo maledicant: nam ad veros eius Ministros nihil hoc pertinet.*

AT quid est aliud aërem verberare, & sine hoste pugnare, si hoc non est? sic enim nos Caluinus ad ludaismũ elicit, quasi contenderemus, cognitionem lepræ corpo-

ralis iuxta legem Leuiticam, ad Sacerdotes Euangelicos pertinere; cùm nos (vt sæpe diximus) non cognitionem lepræ corporalis, sed spiritualis, quæ per corporalem illã significabatur, nostris Sacerdotibus deferamus. Et verò si Caluini ratiocinatio quidquam valeret, illud etiam efficeret, neminem posse à circuncisione carnali ad circuncisionem spiritualem argumentum ducere, quin ad partes Iudæorum Christi hostium, concedere videretur: & tamen Apostolus Paulus, qui in epistola ad Galatas, circuncisionem Iudaicam ab Ecclesia totis viribus amouet, idem in epistola ad Coloss. cap. secundo, dicit nos omnes qui baptizati sumus, circuncisos esse circuncisione non facta, in expoliatione corporis carnis, sed circuncisione Christi. Sicut igitur Circuncisio ad nos non pertinet, pertinet autem Baptismus, qui per Circuncisionem significatur, & circuncisio spiritualis nominatur: sic etiam cognitio lepræ ad Sacerdotes Christianos non pertinet, pertinet autem cognitio peccati, quod per lepram significatur, & lepra spiritualis aptissimè nominatur.

A

Tertia figura est Confessio, quam Deus instituit in Testamento veteri, & cui adiungi voluit loco cuiusdam satisfactionis, oblationem sacrificij: de qua Numeri 5. & Leuitici etiam 5. testimonium habemus. Nam profectò si Confessio figuralis erat à Deo instituta, & necessaria Iure diuino, quantò magis Confessio figurata esse debet à Deo instituta, & necessaria Iure diuino?

Sed quoniam Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis pag. 984. contendit Confessionem illam fuisse generalem, (*Talis Confessio*, inquit, *in veteri Testamento erat, quando aliquis ad Sacerdotem adducebat hostiam offerendã pro peccato, pro delicto, pro ignorantia, pro contumacia, &c. nec exigebatur vt peccatum illud in specie, & sigillatim cum omnibus circunstantiis sacerdoti exponeretur.*) ostendam breuiter, Confessionem illam certi peccati in specie fuisse.

Verba Scripturæ in libro Numeri cap. 5. sic habent: *Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Vbi duo sunt obseruanda, Primùm illud, Cõfitebuntur, esse in coniugatione hitpael, quæ auget significationẽ, ita vt illud התודו rectè verti possit, Expresè, & distinctè confitebuntur. Deinde illa verba: *Confitebitur peccatum suum*, in Hebræo haberi cum maiori explicatione, sic enim legimus: *Confitebuntur peccatum suum*, אשר עשר, id est, *quod fecerunt*. Ex quibus colligimus hoc loco imperari, vt peccatum in specie per manifestam confessionem prodatur: si enim in genere tantùm confiteri sufficeret, non diceret Scriptura: *Confitebuntur apertè peccatum illud, quod fecerunt*, sed simpliciter, Confitebuntur peccata sua.

In Leuitico cap. 5. vbi nostra editio habet: *Agat pœnitentiam pro peccato*, in Hebræo est illud idem vocabulum, quod in libro Num. sic enim legimus: אשר חטא והיה כי יאשם לאחת מואלה ויתודה: *Et erit, cùm peccauerit in vno ex his, confitebitur apertè peccatum quod peccauit.*

B

Ad hæc testimonia Rabinorum, & consuetudo gentis, satis apertè ostendit, præceptum hoc intelligendum esse de Confessione distincta, & in specie, eius peccati, pro quo expiando sacrificandum erat. De Consuetudine Hebræorum, testes sunt Thomas Vvaldensis tomo secũdo de Sacramentis, c. 137. vbi scribit se in Austria ab ipsis Hebræis cognouisse hanc eorum consuetudinem: & S. Antoninus 3. parte tit. 14. c. 6. §. 1 summæ Theologicæ, vbi dicit, solere Iudæos doctiores ante mortem confiteri omnia peccata Leuitæ alicui, si quem fortè nacti fuerint. De testimoniis Rabinorum vide Petrum Galatinum lib. 10. c. 3. vbi multis testimoniis Rabinorum probat, oportuisse in Confessione detegere peccatum in specie, & cum suis circunstantiis.

C

Addè quòd omninò probabile est, Ecclesiasticum, cap. 4. ad hoc præceptum legale obseruandum exhortari, cùm ait: *Non confundaris confiteri peccata tua*, porrò confusio timeri non solet in confessione, quæ soli Deo fit, aut quæ fit homini generatim, sed in ea solùm, quæ fit homini in specie, vt experientia satis testatur.

Quarta figura est Matt. 3. & Marc. 1. vbi legimus plurimos accurrisse ad Baptismum Ioannis, confitentes peccata sua. Sicut enim Baptismus Ioãnis figura fuit Baptismi Christi, ita quoque & confessio, quæ Ioanni fiebat, figura fuit Confessionis, quæ Christi Ministris facienda erat.

Quòd autem Caluinus lib. 3. Instit. c. 4. §. 6. & Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 986. dicunt, eos qui confitebantur Ioanni, non in specie peccata sua cõfessos, sed in genere tantùm se peccatores agnouisse: non est conforme verbis Euangelistarum. Vterque enim Euangelista diserris verbis posuit: *Confitentes peccata sua*, & Græcè ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας ἑαυτῶν. aliud autẽ est, agnoscere se peccatorem, aliud, peccata sua alicui confiteri.

Neque multùm refert, quòd illa confessio quæ coram Ioanne fiebat, cum Baptismo coniuncta esset, cùm nostra Confessio Sacramentalis solùm in iis locum habeat, qui post Baptismum peccant. Nam Baptismus Ioannis non remittebat peccata ex opere operato, & ideò satis erat conueniens, vt non solùm baptizarentur qui ad Ioannem accedebant, sed etiam confiterentur, vt variis modis ad veram contritionem, & satisfactionem excitarentur. Christi verò Baptismus non ponenti obicem, ex opere operato peccata omnia, tùm quoad culpam, tùm quoad pœnam omninò remittit, & ideò nusquam legunter Apostoli ante Baptismum confessionem exegisse, aut satisfactionem vllam indixisse.

D

Quinta figura habetur Ioan. 11. in historia Lazari. Quòd enim Dominus è sepulchro prodire iusserit Lazarum, & ab Apostolis solui voluerit funeralia illa vincula quibus ligatus erat, significari Patres dicunt, peccatores diuina voce excitatos, foras prodire per Confessionem, & ministerio sacerdotum liberari à peccatorum vinculis per Absolutionem, S. Irenæus lib. 5. c. 13. *Hoc symbolum*, inquit, *eius hominis, qui illigatus fuerat in peccatis, & propter hoc ait Dominus: Soluite illum, & dimittite eum abire.* S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, ca. 7. S. Augustinus tract. 49. in Ioannem, in Psal. 101. concione 2. ser. 8. & 44. de verbis Domini, & hom. 27. in lib. 50. homiliarium & S. Gregorius, hom. 26. in Euangel. & lib. 22. Moral. ca. 13. eandem figuram agnoscunt & exponunt.

Sed occurrit Ioannes Caluinus lib 3. Instit. c. 4. §. 5. ac primùm dicit argumenta ex allegoriis non multùm valere ad dogmata confirmanda. Sed neque nos in eiusmodi argumentis præcipuum fundamentum ad confirmanda dogmata collocamus, nisi allegoriæ in ipsa Scriptura explicentur, vel communi Patrum consensu, aut certa aliqua Ecclesiæ definitione constet, quorsum pertineant: quin tamen probabile argumentum inde sumi possit, quando magni viri, quales sunt quos citauimus, allegorias exponunt, negari nullo modo debet.

Deinde addit Caluinus, mentiri eos, qui scribunt, Christum imperâsse discipulis, vt Lazarum dissoluerent: *Dicunt*, inquit, *Dominus discipulis præcepit, vt suscitatum Lazarum fascijs soluerent, & expedirent. Hoc primum mẽtiuntur: nusquam enim legitur, hoc dixisse Dominum discipulis, estque multò verisimilius, dixisse Iudæis astãtibus, quo citra vllam fraudis suspicionem euidentius fieret miraculum, & maior sua virtus eluceret, quòd nullo tactu, sed sola voce mortuos suscitaret.*

Miror impudentiam Caluini, qui tam audacter S. Augustinum & S. Gregorium mendacij arguere non

veretur. Augustinus enim est, qui serm. 8. & 44. de verbis Apostoli, scripsit, verba illa: *Soluite illum, & sinite abire*, ad discipulos dicta à Christo fuisse; quod idem non semel repetit Gregorius, hom. 26. in Euangelia.

Sed quo argumento, quæso, Caluinus Augustinum & Gregorium mentitos esse conuincet? siquidem in Euangelio tantùm legimus: *Dixit eis, Soluite illum, &c.* neque aliquid præcedit, vnde certò colligamus, illud pronomen, eis, non referri ad discipulos.

Videtur autem illud, eis, ad eos referri, quibus paulò antè dictum est: *Tollite lapidem.* iisdem enim dixit: *Tollite lapidem, &, Soluite eum.* Porrò: *Tollite lapidem*, dixit circũstantibus, non exprimẽdo hos aut illos; sic enim legimus: *Ait Iesus, Tollite lapidem.* Domino autem absolutè præcipiente aliquid circunstantibus, certè credibile est, discipulos aut solos, aut cum primis obediuisse. Quare licet ex Euangelio non possit certò colligi, qui fuerint, qui Lazarum soluerunt: tamen magna coniectura est, Apostolos fuisse.

Neque huic expositioni repugnant, Chrysostomus, aut si qui sunt alij, qui id factum aliis quibusdam præter Apostolos tribuunt. Potuit enim fieri, & credibile est ita factum esse, vt Domino iubente multi simul accurrerint, tùm ex Apostolis, tùm ex aliis, & hi coniunctis viribus lapidem sustulerint, ac deinde alij, manus Lazari, alij pedes soluerint, alij velamen ex facie detraxerint, alij reliquum corpus expedierint: neque ex hoc, quòd Apostoli cum aliis Iudæis Lazarum soluerint, aliquid detrahitur de magnitudine miraculi.

Atque hæc dicta sint de calumnia mendacij; nam alioqui ad rem nostram nihil refert, vtrum Apostoli, an alij quidam Lazarum soluerint: vt enim hæc Lazari solutio figura sit Absolutionis Sacerdotalis, satis est, si ij qui Lazarum soluerunt, in ea re ministri Christi fuerint, & Christo iubente id fecerint. Hoc enim contendimus, eos duntaxat potestatem habere peccata remittendi, quibus id Christus mandauit: quemadmodum ij soli Lazarum de monumento prodeuntem soluerunt, quibus Christus dixerat: *Soluite eum.* Quare S. Augustinus tractat. 49. in Ioan. non nominat discipulos, sed generatim, ministros, cùm de illis agit, quibus Christus dixit: *Soluite eum.*

Addit postremò Caluinus aliam allegoriæ huius explicationem: *Sed demus*, inquit, *hoc dictũ discipulis: quid tum obtinebunt? Dominum dedisse Apostolis soluendi potestatem. Quantò aptiùs, & magis dextrè hæc allegoricè tractari potuerunt, si dicamus, hoc symbolo Deum voluisse fideles suos instituere, vt soluerent à se suscitatos: hoc est, ne in memoriam peccata reuocarent, quæ ipse oblitus esset: ne eos peccatores damnarent, quos ipse absoluisset: ne adhuc exprobrarent, quæ ipse condonasset: ne vbi misericors ipse esset, & ad parcendum facilis, ipsi ad puniendum seueri, & morosi essent? certè nihil ad ignoscentiã flectere nos magis debet, quàm Iudicis exemplum, qui se nimium rigidis & inhumanis implacabilem fore minatur. Eant nunc & allegorias suas venditent.* Hæc ille.

Quæ sanè explicatio nihil est mirum, si nulli veterũ Patrum in mentem venerit, cùm ineptissima sit. Nã quòd Patres dicunt, per mortuum significari peccatorem; per excitationem, conuersionem; per egressionem ex monumento, confessionem; per vincula, peccata; per solutionẽ, remissionem; id totum & maximam habet signi cum re significata similitudinem, & ex Scripturis sanctis confirmari potest. At quod Caluinus dicit, nullum habet neq; in Scripturis, neque in rei similitudine fundamentum. Quis enim vsquam legit, non exprobrare, aut non recordari, esse soluere? aut quis sanus diceret, nõ exprobrare esse soluere, cùm soluere sit aliquid agere, non exprobrare, sit non agere? Sed his nugis omissis, ad alia veniamus.

CAPVT IV.

Confirmatur eadem veritas ex aliis locis noui Testamenti.

Primvs hactenus de figuris, quæ Confessionis institutionem præcesserunt: nunc de vsu, commẽdatione, atque exhortatione, quæ institutionem consequuta sunt, breuiter dicemus.

Primvs igitur locus habetur in Actis Apostolicis, cap. 19. vbi sic legimus: *Multi credentium veniebant, confitentes, & annunciantes actus suos: multi autem ex eis, qui erant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus.*

Hic locus accipiendus est Inprimis de confessione fidelium post Baptismũ; illi enim propriè dici solent credentes, vt patet Act. 3. 4. & 5. 1. Thess. 1. & alibi: neque hoc negant aduersarij. Deinde loquitur Scriptura de confessione peccatorum in specie, vt ex illis verbis colligitur: *Confitentes actus suos.* Denique agitur hoc loco de confessione facta non soli Deo, sed etiam homini: nam ad Paulum veniebant, vt confiterentur actus suos. Et quoniam eo tempore nulla exstabat Ecclesiæ constitutio de confessione peccatorum facienda, id sequitur, vt ab ipso Christo eiusmodi Confessio fuerit instituta.

Sed occurrit inprimis Lutherus, qui in sua versione, per actus, miracula intelligenda esse docuit: quem sequutus est Ioannes Brentius, in commentario huius loci.

Sed hanc expositionem non solùm reiicit communis Catholicorum consensus, & ipsius etiam venerabilis Bedæ, in c. 1. Marci, sed multò maxima pars Aduersariorum, vt Melanchthon, Caluinus, Beza, Bullingerus, Sarcerius in Acta Apostolorum, & Illyricus Cent. 1. lib. 2. c. 4. col. 147. & Kemnitius in 2. p. Exam. pag. 987. Deinde inauditum est, vt miracula dicantur actus nostri, cùm sint opera planè diuina: multò etiam absurdius est, vt confiteri actus suos, sit, iactare miracula à se facta. Addè, quòd caussa huius Confessionis, Luca teste, fuit ingens quidam terror ex diuina vltione in eos, qui abutebantur nomine Iesu & Pauli ad quæstum: terror autem diuinæ vltionis, ad confessionem peccatorum, non ad prædicationem propriæ laudis, homines impellere consueuit. Denique Syriaca editio disertis verbis reddidit, offensas.

Kemnitivs loco citato, duas indicat solutiones ad nostrum argumentum. Vna est, quòd in hoc loco Actorum agatur de confessione generali, qua Ephesij agnoscebant, actiones suas ad normam verbi Dei non cõgruere. Altera, quòd in specie confessi sint aliqua peccata, per modum exempli, non tamen omnia.

Sed prima solutio facilè refellitur. Nam Inprimis voces illæ *Actus suos*, satis indicant, cõfessionem factam esse in specie: nemo enim propriè dici potest confiteri actus suos, qui solùm dicit se peccatorem esse. Deinde vox Annuncio, & Græcè, ἀναγγέλλω, qua vtitur hoc loco S. Lucas, significat distinctè aliquid narrare; & in editione Syriaca habetur vox שׁשׁעי, quæ idem significat quod Hebraicum שׁפר Saphar: rectè verti posset, *Numerantes peccata sua.* Denique vnde cognouisset B. Paulus, illos fuisse curiosa sectatos, adeò vt libros eorum comburi iuberet, nisi in specie peccata sua confessi fuissent?

Altera solutio, quæ est etiam Caluini in comment. Act. & Magdeburgensium Cent. 1. lib. 2. c. 4. col. 360. repugnat toti Scripturæ, vbique enim Scriptura, cùm absolutè de peccatis loquitur, de omnibus peccatis intelligi solet, & debet; & si liceret exponere de quibusdam, nõ de omnibus, absurdissimæ sententiæ in diuinis literis inuenirentur. Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Mat. 1. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matt. 9. *Confide fili, dimittuntur tibi peccata.* Luc. 7. *Remittuntur tibi peccata.* Luc. 11. *Dimitte nobis peccata nostra.* Ioan. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi.* Act. 16. *Ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.* In his & aliis infinitis locis, non ponitur signum vniuersale, & tamen nemo dubitauit

vnquam quin subintelligeretur; & idem sit: *Peccata tua eleemosynis redime*; &, Omnia peccata tua eleemosynis redime. Quare secundum vsum Scripturæ, Confiteri, & renunciare actus suos, nihil potest esse aliud, nisi, palàm facere omnia sua peccata.

PRAETER hanc solutionem, quam breuiter refutauimus, libuit Caluino in comment. Actorum, aliquot antitheses proponere, inter confessionem horum Ephesiorum, & Confessionem quæ nunc est in vsu apud Catholicos; vt videlicet ostenderent, nihil locum Actorum ad rem nostram facere: *Hos*, inquit, *semel legimus confessos esse: Papæ lex quotannis vt minimùm repeti iubet. Illi sponte prodierunt: Papa necessitate omnes obligat. Lucas multos venisse dicit, non omnes: in lege Papæ nulla exceptio. Illi coram fidelium cœtu se humiliarunt: Papæ longè aliud mandatum, vt clanculariis susurris in aurem proprij Sacerdotis obmurmuret peccator. En quàm dextrè Scripturas ad probandas suas fallacias accommodent.* Hæc ille.

SED has calumnias, planè leues, ac pueriles, nullo negocio dissoluemus. Nam etiamsi semel legamus Ephesios illos confessos, non tamen sequitur, non sæpius id ab eis factum: alioqui iidem Ephesij, quia nunquam leguntur Baptismum aut Eucharistiam suscepisse, iuxta Dialecticam istam Caluini, nunquam Baptismum, aut Eucharistiam suscepissent.

QVOD autem illi sponte prodierint ad confitendum, mirũ videri non debet, tùm quòd nulla tunc exstaret lex de confessione certo aliquo tempore facienda, tùm quòd etiam nostro tempore plurimi extra tempus Paschale, in quo solo, lege Ecclesiastica confiteri tenentur, sponte sua prodeant ad Confessionem. Itaque etiamsi tunc lege cautum fuisset, vt quotannis omnes confiterentur, potuissent tamen Ephesij illi sponte ac liberè ad Confessionem prodire.

MVLTOS autem venisse ad Confessionem, non omnes, quid habet repugnantiæ cum ea lege, quæ iubet vt omnes quotannis vt minimùm, peccata sua confiteantur? neque enim lex omnes absolutè includit, sed omnes qui conscientiam habent peccati lethalis, neque istos omnes quouis tempore obligat, sed tantùm semel per annum. Quare si lex ista Ecclesiastica tẽpore beati Pauli viguisset, adhuc potuissent Ephesij quidam ad Confessionem faciendam accedere, quando non omnes accedebant.

DENIQVE quòd illi coram cœtu fidelium se humiliauerint ex capite suo deprompsit Caluinus, non enim Lucas tale aliquid scripsit: *Multi*, inquit, *credentium veniebant, confitentes, & annunciantes actus suos.* Vtrum autem venerint coram cœtu fidelium, an priuatim, ad Paulum, aut aliquem alium, Lucas non dicit. Deinde nónne etiam Catholici hoc tempore coram cœtu fidelium se humiliant, cùm in mediis basilicis, tota inspectante Ecclesia, ad sacerdotum pedes se abiiciant, licet Confessionem secretò exponant? Habes igitur quam dextrè Caluinus antitheses suas ad calumnias pertexendas accommodet.

SECVNDVS locus est, 2. Cor. 5. in illis verbis: *Dedit nobis ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur, &c.* hæc verba ad potestatẽ Clauium pertinere, fatetur Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. ca. 1. §. 22. & tam publicè quàm priuatim, apud fideles baptizatos esse debere vsum harũ Clauium, libenter agnoscit. At profectò qui mittuntur Legati cum potestate reconciliandi inimicos Regis cum ipso Rege, non possunt rectè munere suo defungi, nisi cognoscant ex ipsis reis, quid egerint, quàm grauiter Regiam maiestatem laserint, quam satisfactionem persoluere sint parati, &c. Quare potestas ista ministerialis reconciliandi eos, necessariò fert secum potestatem cognoscendi causas reorum, atque adeò confessiones exigendi, & audiendi: neque enim Ministris licet pro arbitrio quoslibet etiam non auditos reconciliare.

A TERTIVS locus habetur Iacobi 5. vbi sanctus Iacobus ad Confessionem cohortatur, dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* quæ cohortatio satis apertè indicat, Confessionem iam tum fuisse instituram, & quidẽ peccatorum, atque homini faciendam. Et satis apertè cohæret hæc sententia cum superioribus verbis, secundum Catholicorum explicationem. Nam paulò antè Apostolus Iacobus monuerat ægrotos, vt Presbyteros accerserent, à quibus oleo sanctо cum precibus vngerentur, & adiecerat effectum illius sacræ vnctionis, & precum, futurum, vt alleuaretur ægrotus, & sanaretur, & si in peccatis esset, ea illi remitterentur. Sed ne fortè qui hæc legeret, existimaret illa etiam peccata lethalia, quorum homo conscientiam habet, per sacram vnctionem posse deleri, subiunxit: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* non enim sacra vnctio peccata lethalia remittit, quorum aliquis conscientiam habet, cùm ea per Confessionis Sacramentum purganda sint, sed aut venialia, aut etiam lethalia, quorum conscientiam non habemus, quæ reliquię peccatorum dici solent.

B SED obiiciunt Aduersarij, ac præsertim Philippus in Apologia Confessionis artic. de Confessione & Satisfactione, & Ioannes Caluinus lib. 3. Instit. c. 4. §. 12. & in annotatione ad hunc locum, particulam illam, Alterutrum. Videtur enim ea particula cogere, vt dicamus sanctum Iacobum non loqui de Confessione Sacramentali, quæ soli Sacerdoti fieri potest, sed de confessione offensionis, quæ fit fratri offenso, ad obtinendam ab eo pacem & veniam, vt existimat Philippus, vel de confessione peccatorum quæ fit homini spirituali, vt is cognito nostro spirituali morbo, nos instruere, & pro nobis ad Deum preces fundere valeat, vt docet Caluinus: quæ Caluini expositio confirmari videtur ex verbis sequentibus; *Et orate pro inuicem, vt saluemini.*

SED hæc obiectio facilè solui potest. Nam Origenes hom. 2. in Leuiticum, Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, Augustinus hom 12. ex lib 50. homil. & Bernardus in lib. Meditationum, cap. 9. hunc locum de confessione quæ fit sacerdoti, simpliciter accepisse videntur, & vt rectè exponunt, Beda in commentario huius loci, & Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, parte 14. c. 1. voces illæ, Alterutrum, & Inuicem, accipiendæ sunt prout exigit consequentia verborum Scripturæ diuinæ. Itaque: *Confitemini alterutrum*, nihil est aliud, nisi, Confitemini homines hominibus; qui Absolutione indigetis, illis, qui potestatem habent absoluendi. Quemadmodum 1. Petri 4. cùm Apostolus dicit: *Hospitales inuicem, sine murmuratione, vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes: si quis loquitur quasi sermones Dei, &c.* non significat, sine discrimine oportere omnes ab omnibus hospitio recipi, aut doceri, aut curari, &c. sed, eos qui tecto indigent, hospitio recipiendos esse ab his, qui domum habent; imperitos à doctis instruendos; ægrotos à medicis curandos; pauperes à diuitibus sustentandos; nõ contrà nutriendos diuites à pauperibus, aut curandos medicos ab ægrotis, aut doctos ab imperitis erudiendos, aut denique qui domibus abundant, excipiendos hospitio ab his, qui recto carent: sic igitur qui peccatorum vinculis constricti tenentur, ad eos accedere debent, quibus dictum est: *Quæcunque solueritis, &c.*

QVOD etiam sequitur in verbis Iacobi: *Orate pro inuicem, vt saluemini*, id significat, vt Presbyteri pro infirmis, non vt infirmi pro Presbyteris orent: respicit enim Iacobus ad id, quod anteà dixerat: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* Quod etiam indicat lectio Græca, quæ vbi nos habemus, *Orate pro inuicem, vt saluemini*, habet vocem, ἰαθῆτε, quæ ad sanitatem corporis propriè refertur.

QVARTVS locus habetur 1. Ioann. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata*

nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Ex hoc loco probabiliter colligitur Confessio Sacramentalis singulorum peccatorum. Neque enim dubitari potest; quin loquatur Apostolus Ioannes de confessione peccatorum, & quidem singulorum in specie: nam id significant illa verba: *Si confiteamur peccata nostra*, non enim ait, Si cognoscamus, aut confiteamur nos peccatores; sed: *Si confiteamur peccata nostra.* Et cùm verba sequentia: *Remittet nobis peccata nostra*, omnium consensu de remissione peccatorum omnium, & singulorum in specie, intelligantur: non possunt verba præcedentia sine vitio æquiuocationis aliter accipi, quàm de confessione omnium, & singulorum peccatorum in specie.

Sed respondent Aduersarij, Apostolum loqui de confessione peccatorum, quæ Deo fieri debet, non de ea, quę fit homini.

At solutio hæc non difficulter refelli potest. Primùm enim verba illa: *Fidelis est & iustus, &c.* referuntur ad promissionem diuinam: ideò enim Deus fidelis & iustus dicitur, dum peccata confitentibus remittit, quia stat promissis suis, nec fidem fallit. At promissio de remittendis peccatis iis, qui confitentur Deo peccata sua, non videtur vlla extare in diuinis literis: extat autem promissio apertissima iis, qui ad illos accedunt, quibus dictum est Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quare, si qui confitentur sacerdoti peccata sua, Deus fidelis & iustus est, vt iuxta suam institutionem, & promissionem, remittat eis peccata ipsorum.

Præterea si hoc loco promitteret Apostolus remissionem iis, qui Deo confitentur peccata sua, frustra dictum esset à Christo Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Et, *Quæcunque solueritis super terram, &c.* nam cùm multò facilius sit, Deo, quàm hominibus confiteri; nemo esset qui ab hominibus remissionem quæreret, si soli Deo confitendo remissionem obtinere posset.

DENIQVE si quem sacerdos absoluendum non esse iudicaret, atque adeò peccatum eius retineret, frustrà id faceret, si per confessionem soli Deo factam, inuito etiam sacerdote, ille absolueretur. Quocirca nec vera esset illa sententia: *Et quorum retinueritis, retenta sunt.* Et, *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.*

Vt igitur omnia inter se aptè cohæreant, & vnus Scripturæ locus non pugnet cum altero, sed alter potiùs ex altero explicetur: omninò probabile est, sanctum Ioãnem de Sacramentali confessione esse loquutum.

CAPVT V.

Idem probatur ex testimoniis Conciliorum.

ADDEMVS nunc testimonia Conciliorum veterum, quę in diuersis Prouinciis, variisque temporibus celebrata sunt, ex quibus cognosci poterit Ecclesiæ vniuersæ sententia. Porrò testimonia Conciliorum, quæ adferemus, etiamsi non apertè contineant, Confessionem esse Iuris diuini, continent tamen antiquã consuetudinem, & sæpe etiam indicant necessitatem cõfitendi peccata sacerdotibus. Ex quibus facile erit colligere, rẽ esse à Deo ipso præceptam; tum quia non inuenitur prima origo huius præcepti in vllo Concilio; tùm etiam quia non est vllo modo probabile, populos fideles præceptum tam arduum ab hominibus admissuros fuisse, si per confessionem soli Deo, aut generatim factam, remissionem peccatorum obtinere potuissent.

PRIMVM igitur in Ecclesia Orientali habemus testimonium Concilij Laodiceni, ante M. C. annos celebrati: sic enim legimus can. 2. *His qui diuersorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant orationi, cõfessioni, ac Pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conuersionem demonstrantes, pro qualitate peccati, tempus Pœnitentiæ tribuendũ est.* Hic habemus Confessionem, & quidem in specie, &

A hominibus faciendam: nam alioqui non possent homines pro qualitate peccati, tempus Pœnitentiæ assignare.

IN canonibus quoque sextæ Synodi, qui à Græcis cõditi sunt ante annos circiter C M. canon. 102. ita legimus: *Oportet autem eos, qui soluendi & ligandi potestatem à Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & eius qui peccauit, ad eam conuersationem promptum studium, & sic morbo conuenientem adferre medicinam.*

Ex quibus locis, vt etiam ex testimoniis Patrum Græcorum, quæ in sequenti capite adducentur, intelligi potest, falsum esse quod quidam dicunt, Græcos non solere confiteri peccata, nisi soli Deo, & in eo quod scribitur apud Gratianum, de Pœnit. dist. 1. can. Quidam: *Quidam Deo solummodò confiteri debere peccata dicunt, vt Græci*; illud, *vt Græci*, videtur irrepsisse in textum ex margine, & marginalem annotationem imperiti alicuius fuisse, qui ex facto Nectarij colligit, sublatam omninò Confessionẽ sacramentalem apud Græcos. Nam alioqui in ipso capitulo Theodori, vnde canon ille desciptus est non habẽtur duæ illæ voces, *vt Græci*, neque etiam habentur in Concilio II. Cabilonensi, c. 33. vnde Theodorus capitulũ illud accepisse videtur: sed nec Magister Sententiarum in 4. lib. dist. 17. eandem sententiam adducens, addidit illud, *vt Græci.* Neque in Concilio Florentino vlla fuit controuersia de Confessione cùm Græcis, eo excepto, quòd Eugenius Pontifex à nonnullis Græcorum Doctoribus priuatim quæsiuit, cur sacerdotes ipsorum ante Sacrificij celebrationem peccata sua non confiterentur. Denique Nicolaus Cabasilas in explicatione Liturgiæ ca. 29. & Anastasius Nicænus in quæstionibus super Scripturam, q. 6. apertè docent Confessionem sacramentalem, cùm tamẽ Græci sint; & nostris diebus Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in Censura Confessionis Augustanæ, c. 11. reprehendit quòd Lutherani dicebant, non esse necessarium omnia peccata per singulas species, in Confessione enumerari. Atque hæc de Ecclesia Græca.

IN Ecclesia Latina, extat inprimis can. 31. Concilij III. Carthaginensis ante annos M. & C. celebrati, vbi sic legimus: *Vt pœnitentibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur.* Et idem canon repetitus inuenitur in Concilio Africano, cano. 10. Dubium verò esse non potest, quin oporteat peccata omnia in Confessione detegi, si iuxta peccatorum differẽtias Pœnitentiæ tempora decernuntur.

Deinde extat canon 8. Concilij I. Cabilonensis ante M. circiter annos celebrati, in hæc verba: *Vt pœnitentibus à sacerdotibus, facta Confessione, indicatur pœnitentia, vniuersitas sacerdotum noscitur conuenire.*

Extat etiam canon 32. Concilij II. Cabilonensis, ante annos circiter DCCC. vbi sic legimus: *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quòd quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, vt ex vtriusque plena sit confessio, scilicet vt & ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur.*

In Concilio Turonico III. circa idem tempus celebrato, c. 22. ita legimus: *Episcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sibi sua delicta confitentibus, tempus abstinendi adscribant.* Similia habentur in Concilio Remensi eiusdem antiquitatis, cano. 12. & 16. & Parisiensi, c. 32. & 46. Atque hæc omnia Concilia sunt Ecclesiæ Gallicanæ.

Nec minùs perspicua testimonia, habemus Ecclesiarum Germaniæ: nam in Concilio Moguntino sub Rababo Archiepiscopo, cap. 26. ita statuit: *Ab infirmis in mortis periculo positis, per Presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas Pœnitentiæ, sed*

innoteſcenda. Vide etiam cap.27.

In Concilio Vvormacienſi celebrato anno Domini DCCC.LXVIII. vt initio eiuſdem Concilij legimus, c. 25. ita ſcriptum eſt: *Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum, ſacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque ſacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſſas ſingulatim conſiderare, originem quoque, modúmque culparum, & affectus, gemitúſque delinquentium diligenter examinare, manifeſtéque cognoſcere: temporum etiam & perſonarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inſpicere, vt pro conſideratione locorum, ætatum, vel temporum, ſeu pro qualitate delictorum, atque gemituum vniuſcuiuſque delinquentis, à ſacris regulis oculos non deflectat.* Ex his teſtimoniis ſatis apparet, antiquas Germaniæ Eccleſias longè aliter de confeſſione ſenſiſſe ac docuiſſe, quàm nunc Sectarij, ac nouatores Lutherani ſentiant, & doceant.

His accedant Concilia Generalia: Lateranenſe, ſub Innocentio III. c. 21. Conſtantienſe ſeſſ. 8. Florentinum in Inſtruct. Armenorum, & Tridentinum ſeſſ. 14. quæ licet, quòd recentiora ſint, ab Aduerſariis contemnantur, tamen iniuria contemnuntur: nam & antiquiſſimis Conciliis congruentem fidem ac doctrinam tradiderunt, & totius Eccleſiæ Catholicæ, quę his CD. annis floruit, ſententiam continent, vt errare non potuerint, quin tota Eccleſia erraſſe, atque adeò portis Inferi ſuccubuiſſe dicatur.

CAPVT VI.

Idem probatur ex traditione veterum Patrum, qui floruerunt ab anno Domini C. ad CC.

Testimoniis Conciliorum meritò adiungi poſſunt teſtimonia veterum Patrum Græcorum, & Latinorum, qui ſingulis ætatibus in Eccleſia floruerunt.

Primvs igitur ſit ſanctus Irenæus, qui in ipſo primo ſæculo, & poſt Apoſtolorum exceſſum floruit, quique proximè Apoſtolorum ætati ſucceſſit. Is in primo lib. c. 9. ita ſcribit de quibuſdam fœminis, quas Marcus hæreticus circumuenerat: *Hæ ſepiſſimè conuerſæ ad Eccleſiam Dei, confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo velut cupidine, & inflammatas, valdè ſe illum dilexiſſe.* Et infrà de alia pariter ſeducta: *Cùm magno labore fratres eã conuertiſſent, omne tempus in Exomologeſi conſummauit, plangens, & lamentans ob hanc quam paſſa eſt ab hoc Mago corruptelam.* & lib. 3. c. 4. *Cerdon*, inquit, *ſæpè in Eccleſiam veniens, & Exomologeſim faciens, ſic conſummauit, modò quidem latenter docens, modò verò Exomologeſim faciens*

Qvo loco obſeruandum eſt, nomine Exomologeſis, apud veteres interdum non intelligi ſolam cõfeſſionem ſed etiam cõtritionem & Satisfactionem, vt perſpicuum eſt, tùm ex Tertulliano in lib. de Pœnitent. tùm ex loco Irenæi citato ex lib. 1. c. 9. interdum autem intelligi ſolam confeſſionem, vt patet ex Cypriano in ſermon. de lapſis. Nunquam verò contritionem vel ſatisfactionem ſine confeſſione per eam vocem ſignificari: Iraque Exomologeſis confeſsio eſt, vel ſola, vel cum adiunctis aliis Pœnitentiæ partibus.

Neqve vera ſunt quæ dicit Kemnitius pag. 1000. per Exomologeſim intelligi ab Irenæo confeſsionem publicam publicorum ſcelerum, ob quæ excommunicari homines metebantur. Nam in primo lib. c. 9. loquitur de occulto crimine, immò etiam de occulta cupiditate, quæ niſi ex confeſsione fœminarum illarum cognoſci non potuiſſet: in lib. autem 3. cap. 4. apertiſsimè Irenæus dicit, Cerdonem Exomologeſim feciſſe, poſtquam latenter hæreſim ſuam docuerat: Quare loquitur in vtroque loco de confeſsione ſecretorum, ſiue occultorum ſcelerum.

Secvndò loco habemus Tertullianum, qui floruit ad exitum eiuſdem ſæculi, Seuero imperante, vt ipſe teſtis eſt in Apologetico, c. 4. Is in lib. de pœnitentia, multa docet, quę notanda ſunt, quoniam Kemnitius hunc etiam locum deprauat.

Primvm igitur explicat Tertullianus, quid ſit Exomologeſis, ac dicit eſſe actum Pœnitentiæ, quo delictum noſtrum confitemur Domino: *Is actus*, inquit, *qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, Exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur.* Quòd autem dicit, Exomologeſim fieri Deo, ſignificet, Deo fieri per ſacerdotem, non autem ſoli Deo: id quod ex ſequentibus apertè colligitur. Nam continuò adiungit, per confeſsionem diſponi ſatisfactionem, & Pœnitentiam naſci: quia videlicet ſacerdos audita confeſsione, diſponit atque ordinat, quæ ſatisfactio neceſſaria ſit, & eam pœnitenti iniungit.

Deinde paulò pòſt addit, nonnullos ex pudore quodam, & humana verecundia à cõfeſsione abhorruiſſe: quæ verecundia non habet locum in Confeſsione quę ſoli Deo fit: *Pleróſque*, inquit, *hoc opus, vt publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores quàm ſalutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt*, & paulò infrà per ironiam ita ſcribit: *Grande planè emolumẽtum verecũdiæ, occultatio delicti pollicetur, videlicet, ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeóne exiſtimatio hominis, & Dei conſcientia comparanda? an melius eſt damnatum latere, quàm palàm abſolui?* Et in lib. extremo, hanc Exomologeſim à Deo inſtitutam, atque adeò neceſſariam eſſe docet cùm ait: *Si de Exomologeſi retractas, Gehennam in corde conſidera, quam tibi Exomologeſis extinguit.* Et infrà: *Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino Exomologeſim ſciens, præcribit illam, quæ Babylonium Regem in regna reſtituit?*

Kemnitivs loco notato duo dicit ad hoc teſtimonium Tertulliani. Primò, loqui eum de Pœnitẽtia publica tantùm. Secundò, loqui de Confeſsione, quæ fiebat nõ ſolis Preſbyteris, ſed etiam laicis: nam ſic loquitur Tertullianus: *Ergo cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras.*

Respondeo, loquitur fortaſſe Tertullianus de Pœnitentia publica, ſed quæ fiebat poſt Confeſsionem ſecretam. Sæpè enim agebatur publicè pœnitentia, & tamen peccatum in ſpecie non aperiebatur, niſi ſacerdotibus: nam peccata ſolùm publica publicè confitenda erãt, quæ autem ſecreta erant, nemo cogebatur publicè confiteri. Tertullianus autem loquitur de peccatis ſecretis, vt ex verbis eius perſpicuum eſt. Non enim diceret, homines ſuffugere aut differre confeſsionem verecundiæ cauſſa; neque compararet eiuſmodi homines cum iis, qui morbo vexantur in partibus corporis ſecretis; neque illud adderet, ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, non tamen Deo poſſe celari; niſi de peccatis occultis, ac ſecretiſsimis loqueretur. Itaque occultorum, ac ſecretorum cõfeſsionem homini faciendam, neceſſariam ad ſalutem exiſtimauit Tertullianus: talium autem peccatorum confeſsio publica eſſe non debet, neque ab Eccleſia exigebatur, niſi ſecreta. Quòd ſi etiam Tertullianus vellet, ſecretorum peccatorum confeſsionem publicam eſſe faciendam, certè multò magis concederet, ſaltem ſecretam eſſe neceſſariam. Proinde Tertulliani teſtimonio aut id ipſum requiritur, quod nos docemus, aut aliquid grauius, & durius: nullo autem modo id quod Kemnitius, & Lutherani volunt, qui ſolùm in genere, aut de peccatis publicis confitentur.

Qvod attinet ad id, quod Tertullianus dicit, pœnitentes aduolui conſueuiſſe fratribus; duobus modis reſponderi poteſt. Nam aut ipſos Preſbyteros vocat fratres, ſiquidẽ paulò antè dixerat, pœnitentes aduolui Preſbyteris: & rectè vocare poterat eos fratres, quia de illis

tractabat, vt diſtinguuntur à Deo, qui eſt communis omnium Pater: aut certè cùm dicit, pœnitentes aduolui fratribus, loquitur de oratione, non de confeſsione, præſertim in ſpecie. Solebant enim pœnitentes abiicere ſe ad pedes omnium fratrum, vt eorum precibus ſe commendarent: hoc enim ſonant illa verba: *Cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum exoras.* Et paulò antè apertiùs omnia diſtinguens, ait: *Preſbyteris aduolui, aris Dei aggeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere.* Ac de Tertulliano ſatis.

CAPVT VII.

Teſtimonia Patrum ab anno CC. ad CCC.

Origenes ad initium ſecundi ſæculi poſt Apoſtolos floruit, imperante Alexandro Apameę. Is in 2. Homil. in Leuiticum, ſic ait: *Eſt adhuc & ſeptima, licet dura, & laborioſa per pœnitentiã remiſſio peccatorum, cùm lauat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymę ſuæ panes die ac nocte, & cùm non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatũ ſuũ, & quærere medicinã, ſecundũ eũ, qui ait: Dixi, pronunciabo aduerſum me iuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei: in quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit: Si quis infirmatur, vocet presbyteros, &c.* Hoc loco Origenes loquitur de cõfeſsione faciẽda Sacerdoti, vt verba eius indicant, & de cõfeſsione peccatorum in ſpecie, & occultorũ, quorũ homines erubeſcere ſolent; alioqui nõ diceret: *Non erubeſcit indicare peccatum ſuum.* Denique loquitur de confeſsione, quæ in diuinis literis fundamentum habet, vt patet ex eo quòd teſtimonium ſancti Iacobi adducit in mediũ.

Idem Origenes Homil. 3. in Leitic. explicans illud: *Si peccauerit vnum ex iſtis, pronunciet peccatum, quod peccauit. Eſt*, inquit, *aliquod in hoc mirabile ſecretum. Etenim omni genere pronuncianda ſunt, & in publicum proferenda cũcta quæ egerimus, ſi quid in occulto gerimus, ſi quid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationũ ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri: proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati eſt, & incentor: ipſe enim nũc nos vt peccemus inſtigat, ipſe etiam cùm peccauerimus, accuſat. Si ergo in vita præueniamus eum, & ipſi noſtri accuſatores ſimus, nequitiam Diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus: ſic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris.* His verbis Origenes, ſicut docet in die Iudicij omnia peccata noſtra etiam occultiſſima, & ſolo ſermone vel cogitatione patrata à Satana in medium proferenda: ita docet, vt ſi velimus ea purgari, omnia, videlicet etiam occultiſſima, & ſolo verbo, vel cogitatu admiſſa, ſacerdoti prodamus.

Idem auctor hom. 2. in Pſalm. 37. *Vide*, inquit, *quid edocet nos Scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinſecùs. Fortaſſe enim ſicut ij, qui habent intùs incluſam eſcam indigeſtã, aut humoris vel phlegmatis, ſtomacho grauiter & moleſtè imminentia, ſi vomuerint releuantur: ita ij qui peccauerunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati: ſi autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſſam. Tantummodò circũſpice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba priùs medicum, cui debeas cauſſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiẽdi nouerit diſciplinam: vt ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe priùs & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordẽ, ſi quid conſilij dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit, & præuiderit talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſsis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt.* Ex hoc loco diſcimus, Confeſsionem eſſe neceſſariam, etiam occultorum criminum, nec tamen oportere omnia peccata publicè confiteri, ſed omnia quidem priuatim, publicè autem ſolùm publica, aut ea, quæ maturo conſilio Sacerdos iudicabit eſſe prodenda.

Kemnitius pag. 1004. ad hunc locum reſponder, Origenem non loqui de omnibus peccatis, cùm dicit, ea medico perito eſſe confitenda, ſed ſolùm de illis, de quibus dubitari poterat, an eſſent publicè manifeſtanda. Quia enim nonnulli temerè peccata occulta publicè confitebantur, conſilium dari ab Origene ſcribit Kemnitius, vt eiuſmodi peccata non ſine conſilio alicuius periti medici publicentur. Probat autem Kemnitius, Origenẽ non loqui de omnibus peccatis, hoc modo: *Quòd*, inquit, *Origenes in illo loco non in genere de omnibus & ſingulis peccatis ſacerdoti confitendis loquatur, inde manifeſtum. In prima enim homilia, loquitur de delictis, concupiſcentiis, & commiſſis, quæ ante Deum proferuntur, & in conſpectu ipſius per gemitum, exponuntur. Deinde in ſecunda homilia in principio, loquitur de lapſibus, qui olim ad publicam Confeſsionem pertinuerunt: quia verò inde ſequebantur obtrectationes, ſuadet Origenes, vt tales lapſus primùm Sacerdoti exponantur, vt de eius conſilio vel ſuſcipiatur publica Confeſsio, vel omittatur.*

Sed hæc diſtinctio Kemnitij vaniſsima eſt ſiquidem Origenes in vtraq; Homilia de omnibus peccatis loquitur. Ac in priore quidem, dicit, omnia Deo eſſe confitenda, & pro omnibus gemendum, & ſupplicandum: in poſteriore monet, illa eadem hominibus cõfitenda, primùm priuatim, deinde publicè, iuxta conſilium ſacerdotis. Hęc autẽ ſunt verba Origenis in fine prioris homiliæ: *Omnia*, inquit, *ex quo deliqui, ſine concupiui concupiſcentiã ſæculari, ſiue quid aliud commiſi, omnia ante te profero, & in orationibus meis in conſpectu tuo pono.* Vides quàm apertè omnibus omninò loquatur in priore homilia, & non de quibuſdam tantùm, quæ ad publicam Confeſsionem non pertinerent, vt fingit Kemnitius.

Idem etiam Origenes hom. 17. in Lucam, explicans illud: *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, oſtendit, peccata quę Deo confitemur, eſſe etiam hominibus confitenda: *Vnde*, inquit, *& nos ſi peccauerimus, debemus dicere: Peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abſcondi: Dixi, Annunciabo iniuſtitiam meam contra me Domino. Si enim hoc fecerimus, & reuelauerimus peccata noſtra non ſolùm Deo, ſed & his qui poſſunt mederi vulneribus noſtris, atque peccatis, delebuntur peccata noſtra ab eo, qui ait: Ecce deleo vt nubem iniquitates tuas, & ſicut caliginem peccata tua.* Hæc ille, qui ſatis apertè oſtendit, non eſſe diſtinguenda peccata, quæ Deo, & quæ Sacerdoti ſint aperienda; ſed eadem vtrique, atque omnia confitenda.

Secvndò loco habemus ſanctum Cyprianum, qui eodem ſęculo, licet aliquanto poſteriùs, quàm Origenes, floruit. Hic igitur Beatiſsimus Martyr, in epiſt. 16. lib. 2. ad plebem ſuam ita loquitur: *Nam cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum commituntur, pœnitentia agatur iuſto tempore, & Exomologeſis fiat, inſpecta vita eius, qui agit pœnitentiam, nec ad communionem venire quis poſſit, niſi priùs illi ab Epiſcopo & Clero manus fuerit impoſita: quantò magis in his grauiſsimis, & extremis delictis cautè omnia & moderatè ſecundum diſciplinam Domini obſeruari oportet?* Hìc habemus Exomologeſim neceſſariam ſecũdum diſciplinam Domini, & talem Exomologeſim, vt ex ea pœnitentis vita inſpici, & cognoſci poſsit. Proinde habemus Confeſsionem omnium peccatorum, iure diuino eſſe neceſſariam: neque enim, Exomologeſis generalis, aut aliquorum tantùm peccatorum, vitam pœnitentis ita detegit, vt ea planè inſpici poſsit.

Idem auctor ſer. 5. de lapſis: *Denique*, inquit, *quantò & fide maiore, & timore meliore ſunt, qui quamuis nullo ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter, &*

simpliciter confitentes, Exomologesim conscientiæ faciunt, animi pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet, & modicis vulneribus exquirunt.

AD hunc locum respondet Kemnitius, pag. 1003. ac dicit, hoc loco à Cypriano non proponi præceptum, vel consuetudinem vniuersalem, sed exemplum quorundam, qui fide maiore, & timore meliore erant. Addit etiam, non loqui Cyprianum de Cõfessione omnium peccatorum, vel omnium malarum cogitationum, sed eius tantùm cogitationis, quæ de Idolofatria committenda, siue de Christo abnegando suscepta fuerat: proinde pertinere hanc sententiam ad publicam Pœnitentiam, & ad publica crimina.

SED istæ obiectiones ex eodem Cypriano facilè refelluntur: non enim Cyprianus exemplum proponit Cõfessionis liberæ, sed necessariæ, vt patet ex sequentibus verbis. Nam post eaquem dixerat: *Salutarem medelã paruis licet, & modicis vulneribus exquirunt.* adiungit continuò: *Scientes scriptum esse: Deus non deridetur. Derideri & circumueniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi: plus immò delinquit, qui secundum hominem Deum cogitans, euadere se pœnam criminis credit, si non palàm crimen admisit.* Et paulò infrà de iisdẽ, qui sola cogitatione peccauerunt, ita loquitur: *Minùs planè peccauerit non videndo idola, nec sub oculis circumstantis, atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. hoc eò proficit, vt sit minor culpa, non vt innocens conscientia. facilius potest ad veniam criminis peruenire, non est tamen immunis à crimine. nec cesset in agenda pœnitentia, atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. cõfiteantur singuli, quæso, fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti Confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.*

EX his manifestè colligimus, auctore Cypriano, necessarium esse confiteri peccata omnia mortalia, etiamsi sola cogitatione commissa sint. Quare verba illa: *Quantò & fide maiore, & timore meliore sunt, qui, &c.* non continent exemplum Confessionis non necessariæ, vt Kemnitius existimauit, sed argumentum à minore ad maius. Si enim qui sola cogitatione peccant, Pœnitentiam agunt, atque Exomologesim faciunt, quantò magis id fieri deberet ab iis, qui verbo & opere peccata committunt?

QVOD autem Kemnitius addit, Cyprianum loqui solùm de cogitatione abnegationis Christi, & proinde hanc sententiam pertinere ad Pœnitentiam publicam, & crimina publica; ridiculum est. Neque enim cogitatio de peccato aliquo patrando, publica dici potest, aut debet etiamsi peccatum illud publicum esse possit: neque vllo modo ad peccatũ publicum pertinet cogitatio, nisi peccatum ipsum publicum ex ea cogitatione prodierit. Quo modo enim ad peccatum publicum pertinet, quod neque in se est publicum, neque est peccati publici causa? & quis vnquam audiuit in Ecclesia id fieri solitum, vt ob solam internam cogitationem abnegationis Christi, aliquis excommunicaretur, aut publicam pœnitentiam subire cogeretur? etiam qui palàm Christum abnegant, iure excommunicentur, & Pœnitentiæ subiiciantur. Nõ igitur Cyprianus Confessionem eiusmodi cogitationum exigebat, quòd eæ cogitationes ad peccata publica pertinerent: sed quòd essent peccata lethalia, quamuis occulta, atque interna.

ADDE quòd si cogitatio abnegationis Christi necessariò confitenda esset, quia ad peccatum publicum pertineret, nimirum vt causſa quædam peccati, quod publicum esse potuit: eodem modo cogitationes rapinæ, adulterij, homicidij, blasphemiæ, periurij, aliorumque fermè omnium criminum necessariò confitendæ erunt, cùm causſæ esse possint scelerum publicorum. Itaq; quidquid dixerit, eò tamen illi veniendum erit, vt peccata omnia in Confessione detegenda esse fateatur.

CAPVT VIII.

Testimonia Patrum ab anno CCC. ad CCCC.

IAM verò tertio sæculo post Apostolos, habemus primùm Lactantium, qui cùm Crispi Cæsaris institutor fuerit, & Imperatori Constantino libros suos nuncupauerit, sine dubio ad initium tertiæ ætatis post Apostolica tempora floruit.

Is igitur in lib. 4. diuinarum Institutionum, c. 17. explicans rationem cur Deus Circuncisionem in Testamento veteri imperauit, ac docens, eam Confessionis ac Pœnitentiæ figuram fuisse, ita loquitur: *Ob hanc causſam Deus nudari eam iussit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus. Hæc est cordis circuncisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mensura est. Volens enim vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, Pœnitentiã nobis in illa Circuncisione proposuit, vt si cor mundauerimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima, & arcana pectoris intuetur.*

IDEM Lactantius in extrem. libr. Nouatianos dãnans, ponit pro nota veræ Ecclesiæ, confessionem: *Sed tamen,* inquit, *quia singuli quique cœtus Hæreticorum se potissimùm Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciẽdum est, illam esse veram, in qua est Confessio, & Pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Hæc Lactantius.

DEINDE habemus sanctum Athanasium, qui in ser. in illa verba: *Profecti in Pagum. qui ex aduerso est, inuenietis pullum alligatum, &c.* ad finem sermonis ita loquitur: *Nos ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, vt in melius proficiamus. Quòd si nondum soluta sint vincula, tradas te ipsum discipulis Iesu: adsunt enim qui te soluant, pro potestate ea, quam à Saluatore acceperunt. Quæcunque enim ligaueritis, inquit, in terra, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta & in cœlis: & si quibus remiseritis peccata, remittuntur eis.*

TERTIÒ, habemus sanctum Hilarium, canon. 18. in Matth. vbi sic loquitur: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile seueritatis Apostolicæ Iudicium præmisit, vt quos in terris ligauerunt, id est peccatorum nodis innexos reliquerint & quos soluerint, confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ, in cœlis quoque, aut soluti sint, aut ligati.*

QVARTÒ habemus sanctum Basilium in quæstionibus siue regulis breuioribus, ita præcipiẽtem, regula 229. *Omninò in peccatorum Confessione eadem ratio est, quæ etiã in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibuslibet temerè homines aperiunt, sed iis tantummodò, qui rationem qua ea curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare.* & regula 228. explicat clariùs, quinam qui peccata possunt curare, nimirum soli sacerdotes: *Necessariò,* inquit, *iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.*

AD hunc locum (Lactantio, Athanasio, & Hilario, prætermissis) respondet Kemnitius, pag. 988. & 1017. sanctum Basilium loqui de confessione generali, qua pœnitens peccatorem se agnoscit, ac fatetur: vel de confessione aliquorum peccatorum, quæ magis conscientiam grauant, quæ quidem confessio fiat instructionis, & consilij gratia. Itaque neque omnium peccatorum in specie, neque necessariò, sed aliquorum tantùm, & non necessariò Confessionem fieri debere Kemnitius docet.

AT

AT ex ipsius sancti Basilij verbis vtrumque refellitur. Quòd enim omnia peccata in specie confitenda sint, patet ex duobus. Primò ex illa similitudine medici, & medicinæ corporalis, quam Basilius adhibet reg. 229. Neque enim curari potest corporaliter, qui medico solùm dicit, se morbo aliquo laborare, nisi in specie detegat morbũ; & si pluribus morbis laboret, nisi eos omnes sigillatim exponat, alioqui enim medicamentũ potiùs oberit, quàm proderit, nisi ad certum morbum conuenienter applicetur. Secundò ex ratione, quam idem Basilius reddit regula 288. cur oporteat sacerdoti peccata detegere: ratio enim est, quoniam conuersionis modus accommodatus esse debet ad rationem peccati, vt ipse Kemnitius vertit pag. 1017. Quomodo autem poterit sacerdos accommodare modum conuersionis ad rationem peccati, id est, actionem externam Pœnitentiæ iniungere, qualem & quantam peccata requirunt, nisi peccata ipsa omnia in specie nouerit?

ESSE autem Confessionem necessariã, & non solùm consilij gratià faciendam, perspicuum est, tum ex eadem morbi similitudine, & ratione iam explicata, tum ex ipsa voce, Necessariò, qua Basilius vsus est. Frustra enim Kẽnitius pag. 988. vertit: *Necessarium videtur.* & pag. 1017. *Aptum est*: nam in ipso textu Græco, non est, *videtur*, neque, *aptum est*, sed simpliciter, ἀναγκαῖον, *Necessarium.* Quare sic reddidit Godefridus Tilmannus: *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.*

QVINTÒ habemus S. Ambrosium, qui lib. 2. de Pœnitentia, c. 6. sic ait: *Si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorũ:* & cap. 9. scribit multos fuisse, qui libenter confitebantur priuatim Sacerdotibus, sed publicè in Ecclesia satisfacere recusabant: *Plerique,* inquit, *futuri supplicij metu peccatorum suorum conscij, Pœnitẽtiam petunt: & cum acceperint, publicè supplicationis reuocantur pudore.* & c. 10. *An quisquam ferat, vt erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? & pudeat te Deo supplicare, quem non latet, cùm non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri?*

IPSVM etiam sanctum Ambrosium Confessiones audire solitum, & quidem priuatim, testatur Paulinus in vita eiusdem, his verbis: *Quotiescunque illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret, videbatur etiam sibi cum iacente iacere. Causſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.*

SEXTÒ habemus sanctum Gregorium Nyssenum in epist. canonica ad Episcopum Mitylenes, quæ extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, tom. 1. Is enim c. 1. epistolæ eiusdem, meminit confessionis peccatorum, quæ singulis annis circa Paschæ festum fieri solet: *Rectè,* inquit, *habuerit, si hodierno die non solùm eos, qui ex regeneratione per lauacri gratiam transmutati sunt, adducamus, sed eos etiam, qui per pœnitentiam, & confessionem, à mortuis operibus ad viuentem viam ascendunt, ad viuentem spem tanquam manu deducamus, à qua per peccatum alienati sunt.*

AC de Confessione singulorum peccatorum, non autem generali, Gregorium loqui, testantur verba sequentia, in quibus ducta similitudine à morbis, & medicamẽtis, docet varias curationes adhibendas esse peccatoribus pro ipsorum peccatorum varietate. Non autem possunt Sacerdotes varietatem peccatorum cognoscere, nisi pœnitentes ipsi peccata sua singillatim aperiant: *Quemadmodum,* inquit, *in corporali medela vnum est quidem institutum medicinæ, sanare eum qui laborat, varium autem est curationis genus, (pro morborum enim varietate, conuenienter quoque medicina ac disciplina vnicuique morbo applicatur) ita cùm multa sit in morbo quoque animæ affectionum varietas, multiformis quoque necessariò fuerit medica curatio, ad affectionis rationem medicinam exercens.* Hæc ille.

EXTAT etiam oratio eiusdem Gregorij in mulierem peccatricem, vbi hæc habentur verba de Confessione: *Audaciter ostende sacerdoti, quæ sunt recondita, animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege: ipse & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit.* quo in loco etiam occultorum Confessionem faciendam esse docet.

SEPTIMÒ habemus sanctum Pacianum, qui in Paræsi ad Pœnitentiam, sic loquitur: *Vos primùm appello fratres, qui criminibus admissis Pœnitentiam recusatis, vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri.* Et infrà: *Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem: Manus ciò nulli imponas, nec communices peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem, probandi difficultate confundis?* Quo loco Pacianus docet oportere sacerdoti omnia peccata in Cõfessione detegi, vt his tutò manus imponere possit: addit etiam de occultis, *Rogo vos fratres etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam: prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus, etiam secaturos, etiam peruisturos.* Porrò infrà alloquitur eos, qui peccata quidem singillatim, & omnia ad plenum confitebantur, sed grauiorem Pœnitentiæ mulctam refugiebant: *Nunc,* inquit, *ad eos sermo sit, qui benè ac sapienter vulnera sua, Pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid sit Pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, nouerunt: similéque sunt illis, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur, sed admoniti quæ imponenda sunt negligunt, & quæ bibenda, fastidiunt.* ex quo loco intelligimus, Confessionem accuratam semper in vsu fuisse apud Christianos.

CAPVT IX.

Testimonia Patrum ab anno CCCC. ad D.

QVARTÒ sæculo habemus sanctum Ioannem Chrysostomum, quem satis constat ad initium quarti sæculi post Apostolos floruisse. Is in hom. 30. in Genesim, meminit Confessionis, quæ in hebdomada sancta ante festum Paschæ fieri debet, cuius etiam Gregorium Nyssenũ meminisse suprà notauimus: *Quia,* inquit, *in magnam hanc hebdomadam peruenimus, Dei gratia, nunc maximè & ieiunij cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendáque diligens & pura Confessio peccatorum.* Hæc ille, qui tametsi non apertè dixerit, Confessionem sacerdoti faciendam esse; tamen in aliis locis id non tacuit: vt omittam, quòd cùm eiusdem consuetudinis meminerint Chrysostomus, & Nyssenus; & hic disertis verbis docuerit sacerdoti confessionem esse faciendã, dubitari non potest, quin etiam ille hoc senserit.

IDEM Chrysostomus hom. 33. in Ioannem, hortatur ad confessionem criminum occultorum: & cùm certum sit ex multis aliis locis, Chrysostomum non probasse Confessionem publicam, sequitur vt ad Confessionem priuatam hortatus sit pœnitentes: *In peccatis,* inquit, *quæ commisimus, confitendis, neminem verecantur, Deum duntaxat, vt decet, formidemus, qui & nunc opera videt, & tunc quos in præsentia nõ pœnitet, damnabit.* Et infra: *Commisisti aliquod scelus, aut animo agitasti, homines celas, non Deum, & nihil curas, oculos hominum formidas.* Et infrà: *Vos autem hortor dilectissimi, vt etsi nemo opera nostra videat, vt singuli suam conscientiam ingrediantur, & iudicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda vniuerso orbi ea manifestè patere: sanentur iam vulnera, sumatur Pœnitentiæ medicina.*

PORRÒ confessionem peccatorum apud sacerdotem faciendam esse, colligitur apertissimè ex lib. 2. & 3. de sacerdotio: nam in 2. lib. sic ait Chrysostomus: *Quamobrem multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani, vitrò sibi persuadeãt, Sacerdotum curationi sese submittere oportere,* Et paulò pòst: *Equidem complures recensere possim,*

quos

quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud, nisi quòd digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temerè ad delictorum modum oportet & multam ipsam adhibere: sed tanquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne qua fiat, vt dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem faciat. Quo loco docet Chrysostomus, in iniungenda pœnitentia, non solùm rationem habendam esse sacerdoti gravitatis, & multitudinis peccatorum, sed etiam infirmitatis & debilitatis eius, qui peccauit. Constat autẽ non posse ista cognosci, nisi ex confessione diligenti & accurata delinquentis: quare voluit Chrysostomus, confessionem peccatorum omnium, etiam occultissimorum, quæ non minùs curatione egẽt, quàm manifesta, fieri debere apud sacerdotes. Vide etiam lib. 3. de sacerdotio.

SECVNDÒ, habemus S. Hieronym. Chrysostomi æqualem. Is in com. ad cap. 10. Eccles. habet hæc verba. *Si quem serpens Diabolus occultè momorderit, & nullo conscio, peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri: magister, qui habet linguam ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.*

IDEM in comment. ad c. 16. Matth. *Legimus*, inquit, *in Leuitico de leprosis, vbi iubentur vt ostẽdant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundi fiant: non quo sacerdotes leprosos faciant, & immundos, sed quò habeat notitiam leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundũ, vel immundum facit: sic & hic alligat vel soluit Episcopus, & Presbyter; non eos, qui insontes sunt, vel noxij, sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligãdus sit, quive soluendus.* Hæc ille. Quæ loco S. Hieronymus apertissimè docet, oportere sacerdotem audire peccatorũ varietates, atque id pro officio suo; ex quo intelligimus, nõ satis esse si pœnitentes generatim, aut manifesta peccata tantùm confiteantur, sed omninò necessarium esse, vt singillatim peccata omnia sacerdotibus detegant.

Neque mouere nos debet comparatio illa cum sacerdotibus Leuiticis, qui lepram non verè curabant, sed declarabant. Nam similitudo in eo solùm consistit, quòd quemadmodum sacerdotes Leuitici non poterant leprosos curare sine ipsorum cooperatione, sola sua potestate, sed tantùm iudicabant eos esse leprosos, & à consortio cæterorum segregabant: sic etiam sacerdotes Christiani, non possunt sola sua potestate peccatores iustificare, nisi ipsi etiam per Pœnitentiam, & Confessionem cooperentur; tamen si cooperentur, planè possunt. Quare idem sanctus Hieronymus cùm dixisset: *Pro officio suo cum peccatorum audierit varietates*, nõ addidit, Scit qui ligatus sit, quive solutus, sed; *Qui ligandus sit, quive soluendus.* Sacerdos enim, pro potestate sibi à Christo cõcessa, peccatores impœnitentes ligat, pœnitentes soluit, & non solùm ligatos aut solutos declarat. Quocirca non pugnat Hieronymus cùm Chrysostomo, qui in lib. 3. de sacerdotio, scribit, sacerdotes Leuiticos non purgâsse, sed declarâsse lepram corporalem, sacerdotes autem Christianos non declarare, sed planè purgare lepram spiritualem.

Vide eundem Hieronymum in comment. ad 2. c. Hierem. & in epist. ad Pammachium, & Oceanum, de erroribus Origenis, vbi docet, necessariam esse Cõfessionem, cùm secunda tabula post naufragium sit, culpam simpliciter confiteri.

TERTIÒ, habemus S. Innocentium I. Pontificẽ, qui in epist. 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum, c. 7. ita loquitur: *Cæterùm de ponderè æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem,*

QVARTÒ, habemus S. Augustinum, qui in lib. 50 homiliarum, hom. 12. docet confessionem peccatorum à Deo esse præceptam: *Deus noster*, inquit, *quia pius est & misericors, vult vt ea confiteantur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodùm in futuro.*

Idem etiam in eodem opere hom. 41. docet Confessionem sacerdoti esse faciendam: *Non solùm*, inquit, *post pœnitentiam ab istis vitiis se homo seruare debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est: quia si ad vltimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, a Deo, & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.*

Idem tractatu super Psal. 66. docet, peccata omnia esse confitenda: *Tristis esto*, inquit, *antequam confitearis, confessus exulta: iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat: adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies: iam exulta, iam lætare: quod reliquum est, facilè sanabitur.* Certè omnis sanies, omnia peccata significat, & sicut ex apostemate omnis sanies quàm diligentissimè exprimenda est, ita iudice Augustino, omnia peccata in Confessione aperienda sunt.

Idem etiam Augustinus interfuit Concilio III. Carthaginensi, & canonibus eius cum cæteris Coëpiscopis suis subscripsit: proinde canonem illum 31. suprà citatum sine dubio approbauit.

Habetur item in IV. Tomo operum S. Augustini, liber de vera & falsa pœnitentia, qui licet non videatur S. Augustini esse, tamen negari non potest, quin sit alicuius antiqui probatique scriptoris, cùm inde Gratianus, & Petrus Lombardus, multa testimonia in libros suos retulerint. In eo igitur lib. c. 10. *Quem*, inquit, *pœnitet, omninò pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat, repræsentet vitã suam Deo per sacerdotem, præueniat iudicium Dei per Confessionem. Præcepit enim Dominus mundatis, vt ostenderent ora sacerdotibus: docens, corporali præsentia confitenda peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda.* Et infrà: *Quare qui cõfiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare, & soluere: ne cùm negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet.* Et c. 11. de peccatis occultis: *Si peccatum*, inquit, *occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis.* Et cap. 14. de circumstantiis peccatorum: *Consideret*, inquit, *qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici exequutione.* Et paulò pòst: *Omnis*, inquit, *ista varietas confitenda est.*

QVINTÒ, habemus S. Leonem in epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, vbi cùm prohibuisset, ne peccata secreta publicè recitarentur, reddidit rationem, dicens: *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta.* Et paulò infrà: *Sufficit illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tùm etiam sacerdoti.*

AD hunc locum respondet Kemnitius, pag. 1007. ac dicit, S. Leonem non loqui de confessione omnium peccatorum occultorum, sed tantùm de confessione eorum, quæ si publicarentur, possent legum constitutionibus percelli, hoc est, eorum, quæ olim publicæ confessioni, & pœnitentię subiecta fuerunt. Id verò probat Kemnitius, quia S. Leo inter alias causas cur prohibuerit confessionem publicam peccatorum occultorum, etiam illam reddidit, quia periculum erat, ne multi à Pœnitentiæ remediis arcerentur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta sua referare, quibus possunt legum constitutionibus percelli.

SED in promptu est refutatio. Nam S. Leo nõ vnam, sed tres causas reddidit, cur prohibenda esset confessio publica scelerum occultorum. Vna fuit, quam Kemnitius solam notauit, ne publicarentur crimina, quæ possent legum sanctione puniri; vt homicidia, furta, proditiones,

& similia. Altera, quia cum multi erubescant flagitia sua publicè referare, ob eam verecundiam à pœnitentiæ remediis arcerentur, si necesse esset occulta flagitia publicari. Ex hac autem secunda caussa manifestũ est, sanctum Leonem non esse loquutum de illis solis criminibus, quę legum seueritate puniuntur. Tertia caussa fuit, quia sufficit reatus conscientiarum solis sacerdotibus indicari cõfessione secreta; proinde non sunt pœnitentes ad confessionem publicam adigendi: quæ sanè caussa generalis est, & peccata omnia comprehendit.

DEINDE nulla prorsus ratio fingi potest, cur peccata illa confitenda esse velit S. Leo, quæ si publicarentur, legum sanctionibus punirentur; & non alia. Nam quòd Kemnitius dicit, illa sola peccata apud veteres necessariò confitenda fuisse, quæ si publica fuissent, ad confessionem publicam pertinuissent; & suprà refutatum est, & hoc loco nihil Kemnitium iuuat. Nam ad confessionem publicam pertinebant peccata publica, non ea solùm, quæ legum constitutionibus coërcebantur, vt adulteria: sed etiam ea, quæ impunè committebantur, vt fornicationes. Non igitur rectè Kemnitius probat, B. Leonem de illis tantùm criminibus esse loquutum, quæ per leges publicas prohibebantur, ea ratione, quia eiusmodi crimina cõfessioni publicæ olim subiecta fuerunt: nam, vt iam diximus, non ea solùm, sed alia multa præterea confessioni publicæ subiecta fuerunt.

Habemus præterea aliud S. Leonis testimonium, in ep. 91. ad Theodorum Foroiulij Episcopum, vbi sic legimus: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ; & qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei sine supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominũ, homo Christus Iesus, hanc Ecclesiæ Præpositis tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Hoc loco S. Leo apertissimè docet, cõfessionem esse necessariam iure diuino. Nam ab ipso Deo ordinatum esse scribit, vt indulgentia Dei sine sacerdotum ministerio nequeat obtineri: & deinde addit, Ministerium sacerdotum ex Christi instituto in eo consistere, vt confitentibus pœnitentiam iniungant, & eosdem ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admittant. Loqui autem S. Leonem de confessione secreta, & peccatis omnibus etiam occultis, perspicuum est tum ex loco superiore, tum etiam quia non possent sacerdotes congruã pœnitentiæ actionem iniungere, nisi peccata omnia accuratè cognoscerent. Porrò ad hunc locum Kemnitius nullam solutionem reperire potuit.

SEXTÒ, habemus Sozomenum, qui lib. 7. hist. ca. 16. ita loquitur: *Cùm prorsus non peccare, naturæ sit humana diuinioris; pœnitentibus, quamuis frequenter deliquissent, veniam dare Deus iussit, & ad impetrandam veniam, confiteri peccata necessarium est.* Hic audis ab homine Græco, & Ius diuinum, & Confessionis necessitatem.

CAPVT X.

Testimonia reliquorum Patrum ab anno D. ad MCC.

NVNC addemus testimonia aliqua eorum Scriptorum, qui floruerunt consequentibus ætatibus vsque ad annum Domini MCC. quo demùm tempore sub Innocentio III. Confessionis omnium peccatorum legem latam fuisse, Aduersarij mentiuntur.

Habemus igitur post annum Domini D. sanctum Gregorium I. qui hom. 26. in Euangelia, explicans illa verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Videndum est*, inquit, *quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia sequuta post culpã; vt quos omnipotens Deus, per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrum sequitur Iudicis.* Non potest autem sacerdos cognoscere, an pro ratione culpæ pœnitentiam egerit, qui solui desiderat, nisi culpã ipsam, vel potiùs culpas omnes pœnitens apertè confiteatur: quare necessaria est Confessio omnium peccatorũ. Quod etiam eodem in loco idem Gregorius colligit, ex Lazari excitatione & solutione: *Lazaro*, inquit, *dicitur, Veni foras, ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras iam per Confessionem egredere; qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator: venientem verò foras, soluant discipuli, vt Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Eodem sæculo floruit Ioannes Climacus, qui in suo libro, qui inscribitur Climax, gradu 4. ita loquitur: *Ante omnia verò culpas nostras præclaro Iudici nostro soli confiteamur: omnibusque si ille iusserit, confiteri simis parati.* & infrà dicit, sine Confessione, quæ fit homini, nullum posse consequi remissionem.

Post annum Domini DC. habemus Cæsarium Episcopum Arelatensem. Is homil. 6. 7. 8. 9. & 10. de Pœnitentia egregiè disputat, & in septima quidem scribit, peccata cõfitendo, & pœnitentiam agendo purgari: in decima verò paulò fusiùs de necessitate Confessionis loquitur: *Vnde vos*, inquit, *frequenter admonui, fratres charissimi, iterum atq; iterum admoneo, & conteſtor, vt qui se cognoscit de litore continentiæ, tempestate libidinis in pelagio luxuriæ fuisse iactatum, & castitatis incurrisse naufragium; peccatorum confessionem velut tabulam fractæ nauis velociter apprehẽdat, vt per ipsam de abysso ac profundo luxuriæ possit euadere, & ad portum Pœnitentiæ peruenire, vbi iam tutiori loco spei anchoram figere, & salutem perditam valeat reparare.* Porrò, loqui Cæsarium de Confessione omnium peccatorum in specie, perspicuum est ex hom. 7. vbi comparat peccata morbis, confessionem medicinæ, sacerdotem medico: neque enim, vt etiam suprà diximus, satis est ad sanandos morbos corporales, si medico ægrotus dicat, se malè habere, nisi in specie morbum, vel morbos, si fortè pluribus simul vexatur, aperiat.

Post annum Domi. DCC. venerabilis Beda in cõm. ad c. 5. ep. S. Iacobi, exponens illud: *Confitemini alterutrũ peccata vestra. In hac*, inquit, *sententia, illa debet esse discretio, vt quotidiana leuiáque peccata, alterutrum eo quo libet confiteamur, eorumq; credamus oratione saluari. Porrò grauioris lepræ immunditiã, iuxta legẽ, sacerdoti pãdamus, atque eius arbitriũ, qualiter, & quãto tẽpore iusserit, purificari curemus.*

Idem Beda lib. 5. hist. Gentis suæ, ca. 14. scribit insigne exemplum militis, qui cùm confiteri peccata sua negligeret, vel erubesceret, etiam si ab ipso Rege sæpiùs moneretur, vt more Christiano Confessionem peccatorum suorum faceret, antequam de hoc sæculo exire compelleret: tandem horribi præcedente visione, ad Inferni perpẽtuos cruciatus raptus, neglectæ dilatæque Confessionis pœnas iustissimas dedit.

Eodem sæculo Theodorus Studytes in vita sancti Platonis, laudat eundem Platonem, quòd ab adolescentia, Pastori animæ suæ confiteri consueuisset, non minùs frequenter quàm diligenter, peccata omnia, ad intimas vsque cogitationes.

Post annum Domini DCCC. Rabanus Episcopus Moguntinus lib. 7. in Ecclesiasticum, cap. 7. de Confessionis necessitate ita loquitur: *Qui transgreditur mensuram in cõcupiscentiis carnis, & aggranatur eius delictis, necesse est, vt per confessionem peccatorum fœditatem euomat, & sic per ieiunium & castigationem corporis, ad statum pristinæ sanitatis redeat.* Vide eundem lib. 2. de institutione Clericorum, cap. 30.

Eodem sæculo Nicephorus Chartophylax in epistо.

ad Theodosium,cuius fragmẽtum exstat in 1. Tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum: *Olim*, inquit, *omnes oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suáque illis occulta prodere, & sic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum sit, cur hæc minùs obseruentur: quamuis existimem Pontifices negotij tædio, frequentique multitudinis turbulentia defatigatos, id operæ ad Monachos transmisisse, ad eos scilicet, qui verè probati sint, aliíque valeãt esse vtiles.* Et infrà: *Porrò si quis expertus sit, & frugi, & cum hoc, sacerdotio fungatur, ad illum imprimis accedendum.* Ex hoc loco intelligimus, communicatam fuisse à Pontificibus absoluendi potestatem etiam Monachis, non tamen quibuscunque, sed iis tantùm, qui & sacerdotio fungerentur, & doctrina ac probitate præditi essent.

POST annum Domini CM. Radulphus Flauiacensis, lib. 3. in Leuiticum, c 7. *Dignum est*, inquit, *vt qui peccatorum suorum confessionem facit, consumet ea omnia, quæ ad memoriam reuocare potest, Domino pandens; non alia prodens, alia abscondens.*

POST annum Domini M. Petrus Damianus in serm. de S. Andrea: *Quartus gradus*, inquit, *est confessio oris: hæc purè facienda est, quia non est pars peccatorum dicenda, & altera retinenda: neque leuia confitenda, & grauia diffitẽda, &c.* Et infrà de sacerdote confessario loquens: *Videat*, inquit, *ne vnquam de his, quæ sub signaculo Confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, &c.*

IDEM in epist. ad Desiderium, de miraculis sui sæculi, refert insigne exemplum de integritate Confessionis: *Hugo*, inquit, *Cluniacensis Abbas, cùm ad suum me Monasterium perduxisset, frater quidam senex in infirmorum domo ingrauescente totius corporis tumore languebat. Hic porrò cũ Abbatis comperisset adesse præsentiam, lætus effectus, diuinã cœpit implorare clementiam: Domine, inquit, quem nullũ latet occultum, quæso, si quid reatus in me est, quod nõ sim hucusque confessus, tu mihi misericorditer in memoriam reuoca, quatenus Abbati meo, dum præsens est, purè confitear, atque ab eo, qui ius hoc in me præ ceteris habet, iudicatus absoluar. Hoc dicto, huiusmodi vox aurib. eius insonuit: Certè est, certè est aliquid in te, quod confessus adhuc non es. Cumque ille vocẽ solam audiret, sed à quo procederet, nõ videret, orãdo subiunxit: Exprime Domine manifestè quid hoc sit, vt confessus corrigam quod errani. Porrò, vox eadem peccatum quoddam sicut quærebat, signanter expressit, quod ille à se commissum illico recognouit, & Abbati festinãter accito, facta Cõfessione purgauit: paucisq; post diebus in sancta pace defunctus est.*

POST annum Domini MC. S. Bernardus in serm. ad milites templi, ca. 12. *Quid*, inquit, *de Bethphage dicam, vbi & Confessionis Sacramentum, & sacerdotalis ministerij mysterium continetur?* Et infrà: *Et quidem verbum in corde peccatoris, operatus salutiferam contritionem: verbum verò in ore, noxiam tollit confusionem, ne impediat necessariam confessionem.* Et infrà sacerdotibus dicit; *Non absoluant etiam compunctum, nisi viderint & confessum.* Hic habemus primò, Cõfessionem sacramentum esse, ac proinde Iuris diuini. Secundò, necessariam esse etiam iis, qui cordis compunctionem videntur adepti. Tertiò, sacerdoti esse faciendam, & ab eodem Absolutionem exspectandam.

ESSE autem peccata omnia confitenda, docet idem Bernardus serm. 16. in Cantica his verbis: *Omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè, fideliter.*

HVC addi potest testimonium Hugonis de S. Victore, lib. 2. de Sacramen. p. 14. c. 1. vbi explicans illud, Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini*, monet, ideò dictum esse, *confitemini, vt saluemini*, quia non saluamur, nisi confiteamur. Item Richardi de S. Victore, in lib. de potestate ligandi & soluendi, c. 4. vbi dicit, Pœnitentiam veram esse abominationem peccatorum, cum voto cauendi, confitendi, & satisfaciendi; & probat tùm ex natura, tùm ex Scriptura. Denique, testimonium Petri Cluniacensis, qui Bernardi, Hugonis, & Richardi æqualis fuit. Is lib. 1. de miraculis, apertissimè docet Confessionem omnium peccatorum lethalium omninò necessariam esse iis, qui post Baptismum peccauerunt.

HABEMVS igitur testimonia Patrum, partim Græcorum partim Latinorum, ad triginta, qui omnes ante Innocentij III. tempora floruerunt: ex quibus apertè conuincitur eorum omnium error, qui Confessionem non à Christo, sed ab Innocentio III. institutam esse docent.

CAPVT XI.

Refelluntur solutiones Kemnitij ad loca Patrum.

MARTINVS Kemnitius initio Censuræ suæ ad c. 5. Concilij Tridentini, pag. 976. instituens disputationem de Confessione, proponit nouem quasi genera Confessionis, quæ apud Patres inueniri dicit: quę nihil aliud sunt, nisi nouem solutiones, excogitatæ ad eludenda testimonia sanctorum Patrum, quæ à Catholicis Doctoribus ad Confessionem stabiliendam proferũtur. Illis enim nouem generibus confessionis satis prolixè explicatis, ita subiungit, pag. 1019. *Ad hæc nouẽ capita, omnes veterum sententiæ commodè referri possunt: longè aliud verò est, de quo præcipuè Pontificia Confessio dimicat.* Quare ne Lutherani sibi ac suis persuadeant, ad omnia loca Patrũ, quæ in superioribus capitib. adduximus, iam à Kemnitio esse responsum; excutiam paucis totam hanc disputationem Kemnitij, licet etiam suprà refutauerim ea, quæ ad certa loca Patrum ipse responderat.

PRIMVM igitur docet Kemnitius, Confessionem quandàm esse quæ soli Deo fit, & queritur hanc negligi in Ecclesia Catholica; & Scripturarum ac Patrum testimonia, quæ ad hanc confessionem propriè pertinent, detorqueri dicit ad confessionem auricularem, quæ homini fit.

IN hac prima solutione, Primò mentitur Kemnitius, Confessionem, quæ Deo fit, negligi in Ecclesia Catholica. Nam In primis confessio generalis, quæ incipit: *Confiteor Deo omnipotẽti*, quotidie recitatur à sacerdote & populo, ad initium sanctissimi Sacrificij: eadem in horis Canonicis à toto Clero bis in die pronunciatur: eandem frequentare omnes laici, tùm viri, tùm fœminæ, à Pastoribus admonentur. Deinde Confessio, quæ soli Deo fit, *in* Contritione includitur, qui enim recogitant annos suos in amaritudine animæ suæ, & peccata omnia, quorũ conscientiam habent, ex animo detestantur, eáque sibi dimitti à Deo petunt, sine dubio confitentur Deo. Quare cùm doctrina de vera Contritione, cum accurata discussione conscientiæ, magis apud Catholicos, quàm apud Lutheranos vigeat, vt libro superiore ostendimus, non potest non mentiri, qui Confessionem quæ Deo fit, à Catholicis negligi, à Lutheranis frequentari dicit. Denique, Confessio quæ Deo fit, includitur in Confessione quæ fit sacerdoti, tùm quia sacerdoti fit vt locum Dei tenet, tùm quia qui sacerdotibus confitentur, expressè dicunt: *Confiteor Deo: & tibi.* Catholici igitur, qui Confessionẽ sacramentalem, quæ fit homini, docent; simul etiam docent eam, quæ Deo fit: atque hoc vsque adeò verum est, vt non desint Patres, qui cùm de Confessione sacramentali loquũtur, eam non tàm homini, quàm Deo fieri dicant.

SECVNDÒ, multa loca Scripturarum, & Patrũ frustra Kemnitius adducit, quasi nos ea de Confessione sacramẽtali intelligamus, cùm ad Cõfessionẽ quæ soli Deo fit, pertineant. Nullus enim Catholicorum testimoniis illis vtitur; sed ipse solita fraude imponere voluit simplicibus. Ad quam etiam fraudem pertinet, quòd loca quædam omisit, ex quibus facillimè detegi eius insidiæ potuissent: vt. exempli gratia, citauit homiliam priorẽ Origenis in Psal 37. vbi commendatur confessio quę fit Deo; & omisit homiliam posteriorem, in qua disertis verbis commendatur confessio quæ fit homini.

TERTIÒ, quædam loca huc trahit, quæ satis apertè loquuntur de confessione quæ fit hominibus, & non soli Deo: proinde cùm queritur de Catholicis, quòd loca Scripturæ & Patrum à confessione, quæ Deo soli fit, ad confessionem sacramentalem detorqueant; ipse id crimen committit, quod aliis falsò tribuit.

TALIS est locus ille apud Salomonem. Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Neque enim vllus est, qui scelera sua Deo se abscondere posse credat, nisi fortè insaniat: sed hominibus, vel ob pudorem, vel alia de caussa, multi peccata sua abscondita esse cupiunt. Qui autem eiusmodi sunt, dirigi non possunt; quis enim dirigat eum, cuius prauitatem ignorat? ac potissimùm sententia ista moralis illos obiurgat, qui admoniti scelerum suorum, nolunt ea agnoscere, sed abscondunt, & negant.

TALE est etiam testimonium illud Chrysostomi, ex homil. 3. in Matth. *Confessio peccatorum, testimonium est conscientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri: qui autem erubescit, non timet.* Nam erubescentia de qua Chrysostomus loquitur, apud homines locum habet, non apud Deum: illis enim confiteri erubescimus, quibus arbitramur ignota esse mala nostra, id quod vnusquisque in se experitur. Adde, quòd si Chrysostomus loqueretur de erubescentia coram Deo, non diceret:

Qui timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri: qui autem erubescit, non timet. sed è contrario diceret; Qui timet iudicium Dei, erubescit confiteri; qui autem non erubescit, nõ timet: liquidem timor facit, vt magnifaciamus eum, quem timemus, & proinde etiam facit, vt erubescamus coram illo turpes videri. Sed quia maior timor vincit minorem, ideò rectissimè Chrysostomus dicit, eos, qui timent iudicium Dei, non erubescere peccata sua hominibus cõfiteri, quia videlicet timor Dei vincit timorem hominum: & contrà, eos qui confiteri hominibus erubescunt, non timere iudicium Dei, quia si illud timerent, non sinerent se ab humano timore ita superari, vt medicinam vulnerum animæ suæ, confessionem scilicet, recusarent.

QVARTÒ, solutio Kemnitiana nihil efficit, quia etiamsi loca Origenis & Chrysostomi, quæ ipse adducit, accipienda essent omnia de confessione quæ Deo fit, tamẽ multa sunt alia, tùm horum duorum, tùm aliorum Patrum, quæ ipse omisit, quæ nulla ratione detorqueri possunt ad confessionem quæ fit soli Deo; vt ex locis à nobis citatis, quiuis cognoscere potest. Porrò, loca quædam Chrysostomi paulò obscuriora, cùm ad Caluini argumenta ventum fuerit, explicabo.

SECVNDVM genus confessionis, ex quo secundam solutionem Kemnitius petit, est, cùm aliquis proximum læsit, & Pœnitentia ductus, confitetur eidem proximo se peccasse, atque vt sibi ignoscatur, rogat. Sed hæc solutio nihil omninò ad rem nostram facit, cùm ad nullum testimonium sanctorum Patrum ex his, quę nos adduximus, accommodari possit vt perspicuum est, tùm ex ipsis testimoniis, tùm etiam quia neque Kemnitius ad hoc genus confessionis, vllum eorum testimoniorum referre conatus est: solùm enim protulit duo testimonia, vnum sancti Augustini, alterum Theophylacti, quorum neutrum ex his est, quæ nos adduximus.

TERTIVM genus confessionis est, cùm aliquis cõfitetur non soli Deo, vel proximo quem læserat, sed etiam Ministris Euangelij, veruntamen generatim tantùm se peccatorem agnoscit, aut in specie vnum aliquod peccatum magis grauans Ministro detegit; non autem in specie omnia peccata enumerat. Atque ad hoc genus confessionis pertinere vult multa testimonia Scripturæ, & Patrum. Sed interim non allegat ex Patribus, nisi Basilium, in quæstionibus breuioribus, quæst. 288. de quo testimonio disseruimus cap. 8. vbi etiam solutionẽ Kemnitij refutauimus. Ex Scripturis allegat multa testimonia: sed quæ nihil ad rem faciunt, cùm omnia (vno excepto) de confessione illa tractent, quæ erat in vsu, antequam confessio sacramentalis institueretur, de qua solą nos loquimur. Testimonium vnicum ex Act. 19. ad rem facit, sed de eo disseruimus suprà cap. 4. vbi etiam disputationem Kemnitij excussimus.

QVARTVM genus confessionis est, cùm aliquis publicè, coram cœtu Ecclesiæ crimina confitetur: ad quod genus pertinent etiam V. VI. VII. & VIII. De quibus nihil hoc loco dicendum erit: nam loca Irenæi, Tertulliani, Origenis, & Cypriani, quæ Kemnitius de confessione publica exponit, suprà à nobis sunt explicata, cap. 6. & 7. De historia autem Nectarij, & testimoniis Chrysostomi & Leonis, ex quibus demonstrare conatur Kemnitius, confessionem publicam mutatam fuisse in priuatam, & neutram esse necessariam Iure diuino, paulò pòst disseremus. Ista ad argumenta pertinent, quibus veritas ab Aduersariis oppugnatur, non ad explicanda testimonia Patrum, quæ nos pro veritate adduximus: hic verò non argumenta Aduersariorum dissoluenda, sed nostra, quæ à testimoniis Patrum petita sunt, à Kemnitij calumniis asserenda suscepimus.

EST igitur Nonum, ac postremum genus Confessionis apud Kemnitium, cum aliquis confitetur priuatim sacerdoti peccata sua, non quia sit necessarium Iure diuino confiteri omnia peccata in specie, ad remissionem peccati obtinendam, sed quia est vtilis disciplina, Confessio illa priuata, qua Sacerdoti peccata aliqua detegũtur. Primò, ad institutionem rudiorum. Secundò, ad remedia contra peccata futura. Tertiò, ad consiliũ capiendum in rebus dubiis. Quartò, ad consolationem recipiẽdam ex priuata Absolutione. Quintò, ad discernendum, an qui Absolutionẽ petit, sit verè pœnitẽs, nécne. Atque huc refert Kemnitius multa loca Patrum, Chrysostomi, Origenis, Cypriani, Basilij, Hieronymi, Augustini, Ambrosij, & Cassiani.

CIRCA hãc solutionem, quæ potissima est, tria breuiter obseruanda sunt. Primum est, Kemnitium planè inuitum ad hanc solutionem descendisse. Nam cùm sæpe anteà dixisset, Cõfessionem priuatã natam esse ex Confessione publica, & notâsset etiam tempus, quo Confessio publica in priuatam fuerit commutata, annum videlicet CDL. ab aduentu Domini, & denique addidisset, Confessionem auricularem posterioribus temporibus, vt ipse loquitur, generatam: nihil consequentius dicere potuisset, quàm veteres Patres, qui ante annum Domini CDL. scripserunt, priuatæ Confessionis nunquam meminisse. Sed non permisit eum euidentia rei tam apertè mentiri: & ideò licet inuitus, admisit, multas exstare sententias veterum Patrum de Confessione priuata; *Et illa quidem*, inquit, pag. 1015. *quæ hactenus ex Patribus annotauimus, ad ea potissimùm crimina spectant, propter quæ excommunicari aliquis merebatur, sicut Augustinus inquit, siue illa essent palàm, siue clàm, siue tantùm voluntatis proposito commissa. Non dissimulandum tamen est, exstare præterea apud veteres, multas sententias, quibus exhortantur populum, vt alia etiam peccata sacerdoti per cõfessionem exponant*, Et infrà: *Alias verò habuerunt rationes sancti Patres, propter quas, & seruárunt, & commendárunt priuatam Confessionem.*

SECVNDÒ, obseruãdum est, in hac postrema Kemnitij solutione, duo quædam proponi. Vnum negando, Alterum asserendo. Negat eum Kemnitius, sanctos Patres commendare Confessionem priuatã omnium peccatorum, vt necessariam Iure diuino. Asserit autem, eos commendare priuatam Confessionem aliquorum peccatorum, tanquam vtilem disciplinam ad rudium instru-

ctionem;ad remedium contra futura peccata; ad consilium; ad consolationem; ad signum veræ Pœnitentiæ: *Considerandum est*,inquit pag.1015.*qua ratione, quo sensu, & in quem finem priuatam illam Confessionem commendarint:nullo modo enim senserunt iure diuino ad remissionem peccatorum necessarium esse,omnia peccata in specie, & sigillatim sacerdoti iuxta omnes circumstantias enumerare.* Et infrà:*Alias verò habuerunt rationes, propter quas,& seruârunt,& cõmendârunt priuatam Confessionem,quia scilicet sit vtilis disciplina, primò ad rudiorum informationem,&c.*

Ex his autem duobus, id quod asserendo proponitur,libenter admittimus; habet enim Sacramẽtalis Cõfessio quinque illas vtilitates, & alias præterea non paucas;sed quod negando assumitur,id omninò falsum esse dicimus, & à Kemnitio non modò non esse probatum, sed ne probari quidem potuisse.Patres enim, quos hoc loco adducit Kemnitius (vno excepto Cassiano, de quo in solutione argumentorum dicemus) nihil aliud docẽt, nisi,confitendum esse peccata sacerdoti ad eum modũ, quo morbi ab ægrotis aperiuntur medico. Ex hac autem similitudine non sequitur, Confessionem non debere esse omnium peccatorum,aut non esse necessariam Iure diuino:sed cõtrarium potiùs sequitur,nam & morbi necessariò debent omnes aperiri medico, & Iure diuino tenemur non minùs animæ, quàm corporis medicinam quærere, vt nos suprà deduximus, cùm ista ipsa Patrum testimonia adduceremus. Quare tametsi Patres, quos citat Kemnitius,non dicant distertis verbis,Confessionem omnium peccatorum necessariam esse Iure diuino (quod vnum ipse vrget,) tamen neque distertis verbis dicunt,Confessionem omnium peccatorum non esse necessariam Iure diuino: quod quidem hoc loco nobis sufficeret,ad refellendam Kemnitij vanitatem: & ex similitudine, quam adducunt, colligimus id eos sensisse, quod nos sentimus, quodque alij omnes Patres senserunt,& docuerunt.

Tertiò ac postremò obseruandum est, Kemnitiũ ne in hac quidem nona solutione omninò acquieuisse. Nam posteaquam omnia dixerat, quæ ad explicanda testimonia Patrum dicenda esse iudicauerat, addidit pag. 1020. inueniri apud Patres sententias etiam duriores, quæ ad necessitatem Confessionis inclinent: sed iis opponendas esse alias dissimiles Patrum sententias. Itaque tandem confiteri coactus est, non posse ad omnia loca vererum Patrum,quæ Catholici pro se adducunt, commodè responderi.

CAPVT XII.

Confessionem esse Iuris diuini, confirmatur aliquot argumentis.

POst auctoritatem Scripturarum, traditione Conciliorum, & testimonia Patrum, suum etiam locum in confirmandis dogmatibus obtinent rationes.

Prima igitur ratio duci potest ab antiquitate confessionis. Nam quæ sunt iuris humani, ea reperiuntur initium habuisse ex Concilij alicuius Oecumenici, aut summi Pontificis decreto:Confessionem autem peccatorum in Ecclesia fuisse ante omnia Conciliorum,Pontificúmve decreta, ex testimoniis suprà citatis intelligi potest,siquidẽ Irenæus, Tertullianus,Cyprianus, atque Origenes, non solùm primi generalis Concilij, Nicæni videlicet,tempora antecesserunt, sed etiã omnium aliorum Cõciliorum,quamuis Prouincialium, omniumque Pontificum Romanorum, qui de sacramentali Confessione sanctionem aliquam ediderunt. Neque alia probatione hic indigemus, cùm iam suprà tùm Conciliorum, tùm Patrum testimonia protulerimus, & singulorum etiam tempora notauerimus.

Secunda ratio sumitur à difficultate confessionis: nam si qua res est in Ecclesia catholica, quæ grauis ac difficilis videatur, sine dubitatione vlla, confessio est. Quid enim molestius, quid onerosius, quàm vt cogantur etiam viri Principes, Regésque potentissimi, sacerdotibus,qui & ipsi homines sunt,peccata sua omnia detegere, quamuis arcana, quamuis turpia, quamuis pudenda, quamuis horrorem etiam ipsi confitẽti adferentia, & eorundem sacerdotum iudicio stare, ac mulctam ab illis iniunctam subire? Tanta profectò huius rei difficultas est, vt nullo modò credibile sit, aut Ecclesiæ Præsides ausuros fuisse legem eiusmodi ferre,aut populis persuaderi potuisse, vt eiusmodi legem acciperent, & tot iam seculis obseruarent, nisi diuinum imperium, diuina institutio, diuina promissio accessissent. Igitur diuina fuit auctoritas, quæ ad obedientiam in Confessione facienda, populorum animos inclinauit, diuina promissio, quæ eosdem, vt libenter ad Confessionem accederent,inuitauit.

Tertia ratio ducitur ab vtilitate:Confessio enim tot parit vtilitates,vt planè diuino consilio instituta videri possit, etiamsi id ita esse non aliunde constaret. Nam siue Deum consideremus, siue sacerdotes, qui Dei auctoritate Ecclesiam regũt, siue Ecclesiam ipsam vniuersam,siue fideles singulos,vndique insignis Confessionis vtilitas se ostendit.

Elvcet Inprimis in hoc opere admirabilis Dei misericordia, qui Confessionem non extorquet more Iudicum huius seculi, vt confessos damnet, sed potiùs instar medici, vt patefacta vulnera continuò sanet:elucet nihilominùs etiam Iustitia, quæ superbiam peccatoris, Confessionis humilitate comprimit, & eos, qui turpia impudenter admiserunt, Confessionis ruborem tolerare voluit.

Ad pastores animarum magna vtilitas redit,dum per Confessionem,morbos ouium suarum intelligunt,& eo modo tùm singulis seorsim conuenientia remedia adhibere possunt,tùm in publicis concionibus generatim ea vitia potissimùm reprehendere, quibus gregem suum magis obnoxium esse sciunt.

Ad Ecclesiam vniuersam,atque ad ipsam Rempublicam politicam, multiplex vtilitas ex Confessione accedit:multa enim, quæ per Iudices in externo foro emendari nunquam potuissent, nullo negotio per sacerdotes in foro conscientiæ emendãtur, dum restituuntur ablata,dimittuntur iniuriæ,conciliantur paces, dissoluuntur contractus iniusti,dissociantur malè icta fœdera,aliáque id genus plurima priuatim perficiuntur, ex quibus scandala publica remouentur, & pax, ac tranquillitas Reipublicæ redditur.

Sed præcipua vtilitas eorum est,qui Confessionem, sicut oportet,integrè ac fideliter obeunt. Nam vt omittam,quòd eis peccata remittuntur,& in gratiã cum Deo redeunt,qui est communis fructus omnium Sacramentorum, referunt ij, si volunt, ex Confessione consilium, instructionem,consolationem, quietem animæ ob præterita,remedium cõtra futura. Ille ipse rubor,quem inter confitendum patimur, & pars quædã est satisfactionis pro admissis, & frænum cohibens, ne deinceps talia admittãtur.Et denique perexigua confusione,quam coram vno ex cõseruis nostris patimur, dũ illi peccata nostra detegimus,redimimus ingentẽ illam cõfusionẽ, quã alioqui in die Iudicij, corã omnibus Angelis & hominibus pateremur, quando iuxta Apostolũ 1.Cor.4.illuminabuntur abscondita tenebrarũ, & manifestabũtur consilia cordium. Quæ omnes vtilitates, aliæque permultæ, ex Patribus,quos suprà citauimus,colligi possunt.

Quarta ratio peti potest ex miraculis, quibus variis temporibus Deus testatus est, veram esse fidẽ illam, quam Ecclesia Catholica de Confessione habet, ac tradit. Referam autem pauca de multis.

Scribit Io.Climacus antiquissimus ac doctissimus Pater in lib.qui dicitur Climax,gradu 4.cùm latro quidam,Monachus futurus,peccata omnia cõfiteretur, cõspectum fuisse à spirituali quodam sanctóque viro,procerum quendam, ac terribilem, qui conscriptam chartam & calamum tenebat:& cùm latro ille humi prostratus peccatum confitens pronunciaret, hoc ille calamo delebat. Qua visione intelligi voluit Deus,quod ibidem Climacus scribit,& nos paulò antè diximus,per temporalem confusionem eos qui confitentur,ab æterna confusione liberari.

Contemptus Sacramenti Confessionis diuino iudicio sæpè grauiter punitus fuit,cuius rei duo exstãt exempla. Vnum apud Bedam,lib.5.hist.ca.14. Alterũ apud Antoninũ in summa Theologica,par.2.tit.9.cap.13.§.5. Exstat etiam apud Petrũ Damianũ insigne miraculũ de Cõfessionis integritate,quod superiore capite retulimus.

Petrvs Cluniacensis,lib.1. de mirac.cap.3.4.& 5. tria miracula scripta reliquit, quibus apertissimè Deus ostendit, Confessionem sacramentalem integram esse debere, ita vt nullum omninò mortale peccatum quod in conscientia sit,reticeatur:capite autẽ sexto,addit aliud miraculum, quod se præsente contigisse,& vsque adeò notum,ac celebre fuisse affirmat, vt sine magna temeritate negari non possit.In ea narratione (quam ob nimiã prolixitatem non putaui hîc inserendam esse) perspicuè cernitur, nihil magis Satanam optare, & totis viribus suis contendere,quàm ne Christiani peccata sua integrè sacerdotibus confiteantur.

In vita S.Bernardi,quam Auctor probatissimus,ipso S.Bernardo viuente conscripsit,lib.1. cap.9. miraculum insigne narratur, quod ipsis verbis Auctoris referam: *Cùm*,inquit,*aliquantos iam in Claraualle*, Bernardus, *explesset annos,contigit virum nobilem,& ipsius quoque secundum carnem propinquum, Iosbertum de Firmitate, quod est oppidum proximum Monasterio,grauiter infirmari,qui subitò præoccupatus,amisit intellectũ pariter,& loquelam:vnde & filius eius,Iosbertus iunior,& omnes simul amici eò magis affligebantur dolore,quòd sine Confessione,& viatico,vir magnificus & magnificè honoratus obiret. Cucurrit nuncius ad Abbatem:neque enim tunc in Monasterio erat. Venit,& inuenit eum iam triduo sic iacentem. Compassus autẽ homini, sed & motus lachrymis filij eius, simul & lugentium cæterorum,confisus est de misericordia Dei,& sermonem magnificum protulit,dicens eis: Notum vobis est,quòd in pluribus homo iste grauauit Ecclesias,oppressit pauperes,offẽdit Deũ: si mihi creditis, vt Ecclesiis restituantur ablata,& vsurpatæ in grauamen pauperum consuetudines dimittantur,loquetur adhuc,& suorum confessionem faciet delictorum,diuina quoque suscipiet Sacramenta deuotus. Mirãtur omnes,lætatur filius,familia omnis exultat:quidquid præcipit homo Dei, firmiter ei promittitur, & impletur. Cæterum frater eius Gerardus & Galdricus auunculus,non parùm territi & turbati,secretiùs cum super tali promissione conueniunt, duriùs arguunt, acriùs inuehuntur,quibus breuiter, simplicitérque respondẽs,Facilè,inquit,facere potest Deus,quod difficilè credere vos potestis. Itaque post secretam orationem, ad oblationẽ sacrificij immortalis accedit:quo offerente,nuncius supercenit, qui indicaret, præfatum Iosbertum liberè iam loquentem,rogare obnixiùs, vt vir Dei festinaret ad eum. Cui etiam post oblatum sacrificium venienti, cum lachrymis & gemitu peccata confessus, diuina Sacramenta suscepit.* Ex hoc miraculo,& Cõfessionis necessitatem, & vim diuini sacrificij simul intelligimus.

S. Bonauentura in vita B.Francisci,cap.10. refert his verbis aliud insigne miraculum:*Alio quoque tẽpore cùm post reuersionẽ ipsius de vltra mare, Celanũ prædicaturus S. Franciscus accederet:miles quidã supplici eum deuotione cum instantia magna inuitauit ad prandiũ. Venit itaque ad militis domum,omnisque familia pauperum hospitũ exultauit in ingressu. Antè verò,quàm cibum sumerent,iuxta solitum morem vir mente deuotus offerens Deo preces & laudes,oculis* [illegible] *stabat eleuatis in cælum. Oratione completa,benignum hospitem familiariter aduocatum in partem,sic alloquutus est:Ecce,frater hospes,tuis victus precibus,vt manducarem, domũ tuam intrau:meis nunc ciò monitis acquiesce,quoniam non hîc,sed alibi manducabis: confitere nunc peccata tua, veræ pœnitẽtiæ dolore contritus,nec in te remaneat quidquã,quod veridica confessione non pandas: reddet tibi Dominus hodie vicem,quoniam tanta deuotione suos pauperes suscepisti. Acquieuit continuò vir ille sermonibus Sancti, socióque ipsius vniuersa peccata in Confessione detegens, disposuit domum suam, & ad mortẽ suscipiendam se quantum valuit, præparauit. Intrauerunt tandem ad mensam, & incipientibus aliis manducare,hospes subitò spiritum exhalauit,iuxta verbũ hominis Dei,repentina morte sublatus:sicque factum est,hospitalitatis gratia promerente,vt iuxta verbum veritatis, Prophetam recipiens,mercedẽ Prophetæ acciperet,dum per sancti viri prænunciationem Propheticam miles ille deuotus sibi contra mortis subitationem prouidit, quatenus armis pœnitentiæ præmunitus, perpetuam damnationem euaderet, & in æterna tabernacula introiret.*

Idem Auctor in eodem libro extremo, dum ea miracula enumerat,quæ post mortem S. Francisci, ipso intercedente,contigerunt:inter alia vnum refert de fœmina quadam, quæ ob sancti Francisci preces ad vitam ex morte rediit, cùm iamiam sepelienda esset,vt peccatum quoddam in Confessione detegeret, quod nũquam anteà confessa fuerat. Item etiam aliud, de fonte quodam diuinitùs ad S.Francisci preces exorto, ex cuius aqua qui biberent, à languoribus curarentur, modò peccatorum confessionem antè præmisissent.

Nostro etiã seculo,quo per Lutheranos Confessio in Septentrione,cum incredibili animarum pernicie multis in locis extincta est:apud nouos Christianos, vbi Ecclesia indies magis ac magis reflorescit, ac propagatur, atque apud Iapones potissimùm, ita viget, vt sæpè etiam diuinis miraculis illustretur; quod ante nos annotauit Alanus Copus,lib.2.Dialogor.ca.28. Atque hactenus argumẽta pro cõfirmanda Cõfessione produximus: nunc ad soluenda Aduersariorum argumẽta veniemus.

CAPVT XIII.

Soluitur argumentum I. Ioannis Caluini.

Equitvr vt Aduersariorum argumenta diluamus. Ac vt à Caluino incipiamus,is lib.3.Institut.cap.4.§.7. obiicit primò in hũc modum: *Miror qua fronte ausint contendere,Confessionem,de qua loquuntur, Iuris esse diuini: cuius equidem vetustissimum esse vsum fatemur, sed quem facilè possumus euincere, olim fuisse liberum. Certè nullam de ea statam fuisse legem aut constitutionem ante Innocentij III. tempora, eorum quoque Annales narrant.* Et infrà:*Itaque ipsis testibus,nondum elapsi sunt anni trecenti, ex quo iniectus ab Innocentio III. laqueus, & imposita confitẽdi necessitas. Atque vt de tempore taceam, sola verborum barbaries fidẽ legi abrogat. Nam quod iubẽt boni Patres,omnem vtriusque sexus quotãnis semel proprio sacerdoti confiteri omnia peccata: faceti homines, lepidè excipiunt, hoc præcepto teneri solos hermaphroditos,ad neminem verò spectare,qui sit vel mas,vel fœmina.*

Respondeo, Caluinum more suo,mendaciis, & calumniis magis niti,quàm solidis rationibus. Primùm enim quod ait, legem de Confessione omnium peccatorum, nullam extare, ante constitutionem Innocentij IIII. siue potiùs Concilij Lateranensis, cui Innocentius præfuit,falsum esse,ex tam multis nostris argumentis intelligi potest. Extat enim lex Christi, vt suprà copiosè deduximus: neque opus fuit vt Concilia aut Pontifices id legibus suis præciperent, quod ab ipso Christo imperatum, & multorum seculorum consuetudine roboratum esse nouerant.

Sed neque Innocentius aut Lateranense Concilium,

confessionem simpliciter imperauit, sed solùm tempus determinauit, quo ea facienda esset; quemadmodum etiam Concilia vetera suprà citata, ex Græcia, Africa, Gallia, Germania, & Pontificum, Innocentij primi, ac Leonis primi, decreta, non confessionem simpliciter imperarunt, aut de secreto confessionis, aut de aliis id genus circumstantiis regulas statuerunt. Id quod ex simili decreto Zepherini Pontificis probari potest. Zepherinus enim, vt in eius vita refert Platina, statuit, *vt omnes Christiani adulti in solenni die Paschæ, Eucharistiæ Sacramẽtum perciperent.* quo decreto, non intelligitur præcipere voluisse, vt Eucharistiam Christiani aliquando sumerent, quod à Christo ipso esse præceptum, neque Catholici, neque Hæretici negant; sed tantùm negligentiæ aliquorum occurrere, ac tempus determinare, vltra quod perceptionem tam salutiferi Sacramenti differre non liceret. Sic igitur & Innocentius III. non confessioné instituit, aut simpliciter imperauit, sed tẽpus, vltra quod nemo Christianus eã differret, vtiliter omninò præscripsit.

A

NEQVE verò decretum hoc Innocentij nouum dici debet, sed innouatum potiùs, & adiuncta pœna, seueriùs, id postulante conditione temporum, imperatum. Iam enim suprà ex Gregorio Nysseno & Ioan. Chrysostomo demõstrauimus, circa Paschæ celebritatem Christianos omnes ad confessionem accedere debuisse.

B

DEINDE, cùm certum, atque exploratum semper in Ecclesia fuerit, nõ licere iis, qui peccatorum mortalium sibi conscij sunt, ad Eucharistiam accedere, nisi per cõfessionem & reconciliationem purgati essent, vt ex Cypriano in serm. de lapsis, & ex Leone epi. ad Theodorũ Foroiulij Episcopum, & ex aliis notissimum est: & rursus cùm omnes Christiani saltem in Paschate ad Eucharistiam accedere semper cõsueuerint, & obligati fuerint: certè sequitur, semper hanc legem in Ecclesia fuisse, vt omnes Christiani, saltem semel singulis annis peccata sua confiterentur.

C

DEINDE, quod idem Caluinus ait; Nullam statam legem de confessione fuisse ante Innocentij constitutionem, in nostris Annalibus contineri, &, nobisipsis testibus, nondum elapsos esse trecentos annos, ex quo ab Innocentio confitendi necessitas iniecta est: credo mendacium tutò appellari posse. Solus enim est Platina, qui in vita Zepherini scribit, decretum Zepherini de percipienda Eucharistia in Paschate, extensum fuisse ab Innocentio III. ad confessionem.

SED neque Platina publica auctoritate, & ex publicis archiuis, vitas illas Põtificum scripsit, vt Annales nostri dici possint: & sæpè ab Historicis nostris reprehenditur, quòd Martinum Polonum sequutus, in varios errores inciderit: neque idem Platina dicit, nullam anteà fuisse legem de confessionis necessitate. Id enim solùm ille scripsit, à Zepherino de Eucharistia, ab Innocentio de confessione decretum fuisse, vt nemo eorum Sacramentorum perceptionem vltra annum differret: quod quidẽ verum est, sed non inde sequitur, vt ante Zepherini & Innocentij tempora nulla fuerit lex de cõfessione facienda, vel Eucharistia percipienda. Nam, vt iam diximus, ne Aduersarij quidẽ negant, Christi præcepto obligari Christianos ad Eucharistiã aliquando percipiẽdam; & ex Patribus notissimum est, nunquã licuisse, non præmissa Exomologesi, ad Eucharistiam accedere iis, qui lethalium criminum conscientiam haberent: sic enim, vt cæteros omittam, loquitur S. Leo epist. 91. ad Theodorum: *Christus Iesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.*

DENIQVE, quod barbariem obiicit Caluinus Innocentio, propter voces illas; *Omnis vtriusque sexus*, & ex barbarie colligit, nullam fidem decreto illius habẽdam, incredibilis tum impudentiæ & arrogantiæ, tum etiam stultitiæ, & temeritatis argumentum est. Esto enim, barbaræ essent voces, barbara dictio Innocentij, num ideò fides eius decreto abroganda esset, quod in Concilio orbis terræ maximo, & celeberrimo omniũ quæ vnquam habita fuerint, editum, vniuersa Ecclesia debito cum honore ac deuotione susceperit? num Apostolus Paulus non ait: *Etsi imperitus sermone, sed non scientia?* num hoc idem Matthæus, & Ioannes, Iacobus, & Iudas, & ipse Princeps Apostolorum Petrus, dicere non potuissent? An ideò Apostolorum scripta fidem non merentur, quod sermonis elegantia careant?

SED neque facilè concesserim, in verbis illis: *Omnis vtriusque sexus*, vllam inesse barbariem. Nam S. Hieronymus, quem barbarum dicere nõ possumus, immò qui longè meliùs Latinas voces nouerat quàm Caluinus, iisdem vocibus non semel vti voluit in interpretatione Scripturarum.

Deuteron. 7. quod in Hebræo erat: *Non erit apud te vir sterilis, neque mulier sterilis.* sic Hieronymus Latinè reddidit, *Nõ erit apud te sterilis vtriusque sexus.* neque timuit, ne sciolus aliquis diceret, ad solos hermaphroditos eam benedictionem pertinere. Item Iudi. 16. vbi ad verbum verti potuisset: *Quasi tria millia viri & fœmina spectantes, dum luderet Samson*, sic Hieronymus vertit, *Circiter tria millia vtriusque sexus spectantes ludentem Samson.* neque timuit, ne tria millia hermaphroditorum introducere videretur. Lib. 2. Paralip. cap. 31. ita legimus, eodem interprete Hieronymo: *Vniuersæ multitudini, tã vxoribus quàm liberis eorum, vtriusque sexus. fideliter cibi præbebantur.* neque Hieronymus timuit, ne sibi barbaries obiiceretur, nisi verteret: *Filiis & Filiabus*, vt in Hebræo legimus.

D

POSSEM si liberet, ex Marco Tullio quoque, aliisque optimis auctoribus demonstrare, verba illa Innocẽtij non modò nullam barbariem, sed etiam elegantiam redolere: sed nolo in his nugis tempus terere.

CAPVT XIIII.

Soluitur argumentum II. Caluini, vbi tractatur historia de facto Nectarij.

BIICIT secundò Caluinus in eadem sectione, veterum testimonia, his verbis: *Deinde luculenta testimonia extant, tum in historiis, tum apud antiquos alios Scriptores, quæ docent, hanc fuisse politicam disciplinam, ab Episcopis institutam, non legem à Christo aut Apostolis positam. Vnum duntaxat è multis proferam, quod non obscurum eius rei documentum erit: Refert Sozomenus, fuisse hanc Episcoporum constitutionẽ, diligenter obseruatam in Ecclesiis Occidentalibus, præsertim verò Romæ: quo significat, non fuisse vniuersale omnium Ecclesiarum institutum. Vnũ autem è Presbyteris peculiariter destinatum fuisse dicit, qui huic muneri præesset: quo abũdè cõfutat, quod isti de Claubis, vniuerso Sacerdotali ordini in hunc vsum promiscuè datis, mentiuntur, siquidem non omnium Sacerdotum communis erat functio, sed singulares vnius partes, qui ad id electus ab Episcopo fuerat. Is est, quẽ hodie quoque in singulis Cathedralibus Ecclesiis, Pœnitentiarium vocant, grauiorum criminum, & quorum censura ad exemplum pertinet, cognitor. Subiicit deinde, eum quoque morem Constantinopoli fuisse, donec matronaquædam, confitentem simulãs, ea specie consuetudinem, quam habebat cum Diacono, prætexuisse deprehensa esset. Ob id factum, Nectarius vir & sanctitate, & eruditione clarus, illius Ecclesiæ Episcopus, confitendi ritũ abrogauit. Hic hic aures asini isti arrigant. Si lex Dei erat, auricularis Confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere, & conuellere? Nectarium sanctum Dei hominẽ, omnibus veterum suffragiis probatum, hæreseos & schismatis accusabunt? Sed eodem calculo damnabunt Ecclesiam Constantinopolitanam, in qua, confitendi morem non ad tẽpus modò dissimulatum fuisse, sed ad suam vsque memoriam ob-*

solcuisse, affirmat Sozomenus: immò non Constantinopolitanam, sed Orientales omnes Ecclesias, defectionis reas agant, quæ inuiolabilem, si verum dicit, legem, & Christianis omnibus mandatam neglexerunt.

RESPONDEO, multos in hac vna obiectione Caluini lapsus extare, quos breuiter annotabimus, ac tum demum obiectioné ipsam perspicuè diluemus. Primùm igitur mirum est, cur tam audacter iactauerit Caluinus, luculenta testimonia extare, tum in historiis, tum apud antiquos alios Historicos: si vnum Sozomenum proferre ad medium constituerat. Neque enim ignoramus, Sozomenum in historia multa esse mentitum, teste S. Gregorio, lib. 6. epist. 31. & neque antiquitate, neq; doctrina cum multis eorum comparandum, quos nos citauimus.

DEINDE mirum est, cur non aduerterit Caluinus, ipsum Sozomenum in eodem loco, qui ab eo citatur, disertis verbis asserere confessionis necessitatem, vt nos suprà notauimus.

TERTIÒ, assumit tanquam certum Caluinus, constitutionem Episcoporum, quæ tempore Sozomeni in Occidentalibus Ecclesiis, & præsertim Romæ vigebat, fuisse constitutionem de Cõfessione omnium peccatorum simpliciter facienda; quod probandum, non assumendum fuerat. Sozomenus enim, vt mox demonstrabimus, non loquitur de confessione omnium peccatorum absolutè facienda, quam necessariam esse fatetur, & nos diuini iuris esse contendimus; sed de confessione vni certo Presbytero, certo ritu facienda; de qua constitutionem quandam Episcopi ediderant, Nouatiana hæresi grassari incipiente.

QVARTÒ ex eo, quòd in singulis Ecclesiis vnus certus Presbyter super pœnitentes olim constituebatur, perperam colligit Caluinus, Claues non esse datas vniuerso ordini Sacerdotali. Nam vnus ille Presbyter, vt paulò pòst docebimus, non super omnes pœnitentes, sed super publicos tantùm, qui simpliciter pœnitentes dicebantur, cõstitutus erat: quare ij, quorum peccata occulta erant, poterant aliis Sacerdotibus priuatim confiteri. Et licet etiam solus ille Presbyter super omnes omninò pœnitentes constitutus fuisset, non tamen sequeretur, mentiri Catholicos, cùm dicunt vniuerso ordini Sacerdotali datas esse Claues: id enim Catholici omnes intelligunt de potestate Ordinis, quã Sacerdotes omnes in ordinatione suscipiunt, quamque exercere non possunt, nisi præterea iurisdictionem ab Episcopis accipiant.

QVINTÒ, deprauat Caluinus historiam, cùm dicit, fœminam quandam confitentem simulasse, eáque specie consuetudinem, quam cum Diacono habebat, prætexuisse. Nã neque Sozomenus, lib. 7. cap. 16. neque Socrates, lib. 5. cap. 19. neque Nicephorus, lib. 12. cap. 28. neque alius vllus ex veteribus, scribit fœminam illam confitentem simulasse, &c. Socrates autẽ, qui antiquissimus est, & qui rẽ ab illo ipso audierat, qui interfuerat, scribit fœminam illam scelus suum cum Diacono, sponte in confessione aperuisse. Quare tantum abest, vt specie Confessionis consuetudinem cum Diacono fœmina illa prætexuerit, quod Caluinus ad infamandam Confessionem impudenter confinxit, vt contrà potiùs flagitium suum in Confessione, vt diximus, patefecerit.

SEXTÒ, duo simul falsa Caluinus scribit, cùm addit: *Nectarius vir sanctitate & eruditione clarus, illius Ecclesiæ Episcopus, confitendi ritum abrogauit.* Nectarius enim iam senex, & laicus, & quod maius est, nondum baptizatus erat, cùm ad Episcopatum assumeretur; vt non sit credibile, aut eo tempore clarum eruditione fuisse, aut postea ad insignem aliquam eruditionis gloriam peruenire potuisse. Quocirca Sozomenus lib. 7. cap. 8. laudat eum à canicie, & morũ suauitate; sanctitatis & eruditionis mẽtionem nullam facit. Sed qualiscũque tandem Nectarius fuerit; non ritum confitendi abrogauit, sed Presbyterum

A

B

C

D

duntaxat exauctorauit, qui publicis pœnitentibus præerat, Socrates enim, Sozomenus, & Nicephorus locis notatis, id solùm memoriæ prodiderunt. Fortãsse Caluinus Sozomenum Græcum non legit, aut fidelem aliquam versionem, sed in Musculum incidit, qui ita reddidit titulum capitis 16, lib. 7. Sozomeni: *Quomodo abrogata fuerit priuata Confessio.* qui titulus quàm sit falsus, perspicuũ est ex principio capitis ipsius Sozomeni, ex quo titulus colligi debuit: sic enim ait: τὸν τόπῳ ϑ ἐπὶ τῶν μετανοούντων τεταγμένον πρεσβύτερον ἐκέτι σωεχώρησεν εἶναι πρῶτος Νεκτάριος. quod sic ad verbum reddi potest: *Hoc tempore Presbyterum constitutum super pœnitentes, non permisit amplius esse, primus Nectarius.*

SEPTIMÒ, contumeliosis illis vocibus, atque Hæreticorum propriis: *Hic, hic aures asini isti arrigant*, manifestum mendacium Caluinus adiungit, dum auricularem confessionem à Nectario abrogatam scribit. Nam non modò nullus Historicorum hoc scripsit, sed etiam tota illa narratio clamat, non auricularem, sed publicam confessionem à Nectario abrogatam: neque enim ex auriculari confessione flagitium illud patefieri potuisset, ob cuius solius manifestationé, Nectarius ritum illum confessionis publicæ abrogauit.

HIS igitur in Caluinum breuiter annotatis, tota illa historia explicãda est, vt perspicuè pareat, nullum argumentum ex ea narratione aduersus confessionis necessitatem posse colligi.

TRIBVS capitibus tota illa narratio comprehenditur. Primùm enim referunt auctores citati, Socrates, Sozomenus, & Nicephorus, Presbyterum quendam pœnitentibus præpositum fuisse. Deinde addunt flagitiũ Diaconi cum muliere, ex occasione illius ritus pœnitentialis. Tum docent, ob scandalum ex eo flagitio natum, abrogatam fuisse Presbytero potestatẽ, ac permissum fuisse omnibus, vt pro sua quisque conscientia ad sacra mysteria accederet.

DE primo capite constat primùm ex Socrate, constitutionem illam de certo Presbytero pœnitẽtibus præficiẽdo, factam esse ab Episcopis occasione hæresis Nouatianorum: sic enim scribit lib. 5. cap. 19. *Ab illo tempore quo Nouatiani se ab Ecclesia seiunxerant, recusauerántque eum his, qui tempore persequutionis regnante Decio concitatæ, lapsi erant, communicare, Ecclesiarum Episcopi canoni adiunxerũt, vt in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset, quo qui post Baptismum lapsi fuissent, totam Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur.*

QVÆ autem esset functio eius Presbyteri, non est omninò certum: quod enim Sozomenus tradidit, cõtrario sensu retulerunt Cassiodorus & Nicephorus, ob variam interpunctionẽ Græci codicis Sozomeni. Ille enim in Historia Tripartita, lib. 9. ca. 35. ita reddidit verba Sozomeni: *Quoniam omninò non peccare, diuinum, & vltra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem, & pœnitentiam agentibus, veniam Deus dari præcepit, qui verò confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt: propterea visum est antiquis Pontificibus, vt velut in theatro, sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur, & ad hanc rem Presbyterum bonæ conuersationis, seruantémque secretum, ac sapientem virum statuerunt, ad quem accedentes ij qui deliquerant, delicta propria fatebantur, &c.* Nicephorus autem lib. 12. cap. 28. ita ex Sozomeno rem eandem narrat: *Quandoquidem nihil peccati admittere, non humanæ, sed diuinæ, & immortalis naturæ proprium est: nos autem per transgressionem semel peccandi hæreditatem adiimus, delictorum eis veniam Deus concedere iussit, qui legitima & conuenienti pœnitentia vsi, deinceps simul peccatum, & auertantur, & confitentur. Graue autem Episcopis qui proximè post Christum fuere, visum est, in media plebe, velut in theatro, noxam confiteri. Quapropter ex Presbyteris vnum delegere, qui probata vita esset, & simul taciturnus, &*

prudens, apud quem per pœnitentiam respiscentes, commissa sua proferrent, &c.

ET quamuis sententia hæc posterior non sit improbabilis, quam etiam sequutus est Ioan. Christophorsonus in interpretatione Sozomeni: prior tamen anteponenda videtur, quam sequutus est Ioan. Hasselanus, teste Ruardo Tappero in explicatione arti. 5. Louanienſium; nam Cassiodorus floruit non longè ab ætate Sozomeni, Nicephorus autem annis plus octingentis Sozomeno posterior est. Quare credibile est, codicem quem habuit Cassiodorus, vel Epiphanius, qui primus historiam Tripartitam confecit, certiorem fuisse, magisque integrum & incorruptum, tũ quoad interpunctionẽ, tum quoad cætera, quàm eum, quem Nicephorus aut Christophorsonus habuere.

DEINDE voluisse Episcopos, vt peccata quasi in theatro publicè recitarentur, vt habet Cassiodorus, non autem vt non recitarentur, vt scribit Nicephorus, colligi videtur ex Chrysostomo, qui homil. 5. de incomprehensibili natura Dei, & homil. 4. de Lazaro, & homil. 8. de pœnitentia, & homil. de Publicano in cap. 18. Lucæ; alludens apertè ad factum Nectarij, & abrogationem priscæ constitutionis Episcoporum, vbique repetit, non esse opus iam quasi in theatro peccata pandere. Verba Chrysostomi in sequenti capite reperies.

DENIQVE idem colligi potest ex hac ipsa narratione. Nam & Socrates, & Sozomenus, & ipse etiam Nicephorus, dum reprehendunt factum Nectarij, qui ritum illum sustulit, causſam reddunt, quia eo ritu sublato, non possumus inuicem peccata arguere, iuxta illud Apostoli: *Nolite communicare operibus infructiferis tenebrarum, sed ea potiùs arguite.* & quia sublato illo freno publicæ confusionis, maiora ac plura nunc fiant peccata, quàm olim: quæ certè causſæ id requirunt, vt ritus ille, quem Nectarius sustulit, quemque olim Episcopi constituerant, confessionem publicam continuerit.

DICES, si peccata publicanda erant, cur oportebat Presbyterum illum secretorum tenacem, ac taciturnum esse, qui pœnitentibus præsidebat? Respondeo, quia non omnia peccata publicanda erant, sed ea solùm ob quæ pœnitentia publica indicebatur. Itaque audiebat Presbyter omnia omninò pœnitentiũ peccata, sed quæ occulta erãt, secreta habebat, atque ad hoc taciturnitas exigebatur, quę autẽ publica erãt, licet multis fortâsse incognita ea palàm in Ecclesia tanquam in theatro pandebantur.

ATQVE hinc fortè conciliari possunt diuersæ illæ narrationes Cassiodori, & Nicephori. Quod enim Cassiodorus dicit, visum esse priscis Episcopis, vt peccata publicè in Ecclesia tanquam in theatro, pronunciarentur, de publicis peccatis intelligi debet: quod autem scribit Nicephorus, graue visum esse, vt peccata coram cœtu multitudinis, quasi in theatro efferrentur, de peccatis occultis accipiendum erit.

NOLVISSE autem Episcopos illos, peccata occulta, sed publica duntaxat (in quo à Ruardo & Hasselano dissentire cogor) confessioni publicæ subiicere, tribus argumentis comprobabo.

PRIMVM testantur Sozomenus & Nicephorus locis notatis, ritum illum quem Nectarius Constantinopoli sustulit, Romæ suo tempore integrè perseuerasse, vt etiam in reliquis Occidentis Ecclesiis: ex Leone autem qui Sozomeni æqualis fuit, apertissimè constat, nunquã Romæ fuisse eiusmodi ritum, vt peccata occulta publicarentur. Siquidem in epi. 80. ad Episcopos Campaniæ, vehementer obiurgat nescio quos Episcopos, qui omnia peccata pœnitentium per libellum in Ecclesia recitari volebãt: ac dicit, eam præsumptionem pugnare cũ Apostolica regula, & ritum esse improbabilẽ, ac modis omnibus submouendum. Quare non fuit Romæ, neque in reliquo Occidente vnquam talis consuetudo, vt peccata

A omnia, quamuis secreta, publicè efferrentur, sed solùm in angulo Campaniæ, abusus quidam, qui etiam continuò sublatus fuit.

DEINDE, si peccata omnia etiam occultissima, publicanda erant, quorsum in Presbytero pœnitentiario taciturnitas illa, & secreti tenacitas requirebatur, cuius omnes Historici meminerunt?

DENIQVE, cùm secreta peccata in cõfessione excepta reuelare, sit contra Ius naturæ, vt Theologi docent, & contra Apostolicam regulam, vt S. Leo affirmat, si cõstitutio illa veterum Episcoporum id habuisset, optimo iure à Nectario abrogata fuisset, quinetiã mirum videri posset, à Gregorio Naziãzeno, Basilio, Athanasio, & cæteris Græcis Doctoribus, qui Nectariũ præcesserunt, tolerari potuisse. Videmus autẽ Nectariũ ob eã rem potiùs reprehendi, quàm laudari, à Socrate, Sozomeno, Cassiodoro, Nicephoro, & cæteris Scriptoribus: nõ igitur probabile est, ritũ quẽ veteres Episcopi introduxerãt id habuisse, vt secreta peccata publicę cõfessioni subiicerẽtur.

B ILLVD etiam hoc loco est Obseruandum, Presbyterum illum pœnitentiarium, nõ omnibus fidelibus, qui quocunque modo pœnitentiam agebant, sed solis publicis pœnitentibus præpositum fuisse: id quod tribus aliis argumentis demonstrari potest.

PRIMVM, Sozomenus, vbi disertis verbis affirmâsset, constitutionem de Presbytero pœnitentiario, quã prisci Episcopi inuexerant, & Nectarius posteà Constantinopoli abrogauerat, Romæ potissimùm accuratè seruari, continuò explicare cœpit ritum pœnitentiæ publicæ, quæ Romæ suo tempore seruabatur: igitur constitutio illa ad solos pœnitentes publicos pertinebat.

DEINDE, nullo modo fieri potuit, vt vnus Presbyter satisfaceret tantæ multitudini, quanta Constantinopoli, C vel in aliis ciuitatibus, pœnitentiæ remedio indigebat: non igitur omnes cum Presbyterum adire cogebantur, sed ij solùm, qui pœnitentiam publicam suscipiebant.

DENIQVE, apud veteres nomine Pœnitentium, soli publici pœnitentes intelligi solebant, vt in lib. 1. sub finem annotauimus: cùm igitur Historici sæpè citati dicunt, Presbyterum super Pœnitentes constitutum fuisse, id accipiendum est de iis, qui simpliciter Pœnitentes dicebantur, hoc est, de publicis.

EX his, quæ hactenus dicta sunt, colligimus, constitutionem Episcoporum, de qua Historici loquuntur, id solùm complexam, vt qui publicè lapsi essent post Baptismum, ij ad sacram Eucharistiam non accederent, nisi Presbytero pœnitentiario priuatim omnia peccata sua confessi essent, & deinde ad eius arbitrium publicè corã cœtu Ecclesiæ peccata publica detexissent, & pœnitentiam publicam egissent. Quam constitutionem Socrates rectè vocat, appendicem additam ad veteres canones: nam ante exortã hæresim Nouati, nemo cogebatur certum Presbyterum adire, neque peccata vlla publicè cõfiteri. Consueuerant quidem aliqui iuxta consilium Sacerdotis, cui peccata omnia confessi fuerant, aliqua grauiora & publica publicè cõfiteri, vt ex Origene cognosci potest, homil. 2. in Psal. 37. tamen vt dixi, non tenebãtur, sed satis erat, peccata omnia priuatim confiteri, & Pœnitentiam priuatam vel publicam iuxta Sacerdotis imperiũ, agere. Cæterùm post Nouati hæresim excitatã, placuit Episcopis aliquid addere, ne Nouatiani Catholicos reprehendere possent, quòd nimis facilè lapsos ad communionem admitterent. Hæc de primo capite.

IAM quod attinet ad secundum de flagitio Diaconi cum muliere, scribit Sozomenus, sed clarius Nicephorus, occasionem illius flagitij fuisse, quòd mulier illa iussa esset à Presbytero pœnitentiario in Ecclesia diutiùs permanere orationis causſa: ex eo enim quod sæpè & diu mulier in Ecclesia morabatur, occasionem habuit Diaconus cùm ea flagitiũ perpetrandi. Porrò crimẽ hoc

ad aures populi peruenit, ex ipsius mulieris publica confessione. Tametsi enim peccatum occultum esset, neque Presbyter ei mandasset, vt illud populo patefaceret, ipsa tamen cùm alia peccata, quæ publica erant, publicè confiteretur, longiùs progressa quàm par erat, etiam hoc peccatum confessa est.

NARRAT hoc totum Socrates: qui duplicem confessionem illius mulieris distinctè refert. Vnam secretam coram solo Presbytero. Alteram publicam coram populo: *Mulier*, inquit, *nobilis ad Presbyterum pœnitentiarium accedit, peccata quæ post Baptismum commiserat, particulatim confitetur.* ecce priuatam cõfessionem omnium peccatorum: subiungit deinde mulctam iniunctam: *Presbyter*, inquit, *mulieri mandatum dat, vt ieiuniis, & continuis precibus se dederet, quo vnà cum peccatorũ confessione, opus dignum pœnitentia ostenderet.* ecce satisfactionem post priuatam confessionem: addit deinde confessionem publicam, quæ fuerat illi iuncta vnà cum ieiuniis, & precibus, *Mulier*, inquit, *longiùs in confitendo progressa, alterius culpæ se ipsa insimulat: docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormiuisse.* vbi illud: *Longiùs in confitendo progressa*, id significat quod diximus, non fuisse mandatum mulieri vt peccatum illud publicè detegeret, sed ipsam ex indiscreta deuotione id feciſſe. Publicè autem confessam esse mulierem hoc suum facinus, docet Socrates his verbis, quæ superioribus continuò subiunxit: *Ob quod facinus hoc modo patefactum, Diaconus ab Ecclesia eiectus est: tumultus inde in populi multitudine excitatus, &c.*

QVOD ad Tertium pertinet: Abrogauit Nectarius omnium consensu, Presbyterium pœnitentiarium, id enim omnes Historici communiter tradunt. Abrogauit etiam Pœnitentiam publicam, nam ex occasione eius acciderat flagitium Diaconi cum muliere, & inde tumultus contra clerum exortus fuerat. Abrogauit deniq; Confessionem publicam, tùm quia pars erat pœnitentię publicæ, tùm quia ex ea cognitum fuerat sacrilegium Diaconi & mulieris: vtrunque enim populo displicebat, & tantum scelus in Ecclesia perpetratum, vt scribit Sozomenus, & ex eius publicatione magnam infamiæ notam ordini Sacerdotali inustam, vt tradit Socrates. Non autem abrogauit, nec abrogare potuit, Confessionem & Pœnitentiam priuatam.

QVARE quod scribũt Socrates & Sozomenus, permissum esse à Nectario vt vnusquisque secundum conscientiam suam ad sacra mysteria participanda ageret; non significat, permissum esse fidelibus, vt sine Confessione & iudicio Sacerdotis, sacræ mensæ participes fierent: sed vt non cogerentur adire publicum Ecclesiæ tribunal, verùm ipsi conscientiæ suę rationem haberent, & siquidem sine peccato mortali essent, ad communionem diuinorum mysteriorum tutò accederent, sin autem, vnum ex Presbyteris eligerent, cui priuatim peccata sua confiterentur.

ESSE autem hunc sensum eorum verborum, & à Nectario non fuisse Confessionem priuatam abrogatam, his argumentis confirmari potest. Primùm, non sustulit Nectarius, nisi appendicem ad veteres canones, quæ accesserat initio hæresis Nouatianæ: illa autem appendix, vt iam satis ostendimus, ad publicam tantùm Pœnitentiam pertinebat.

DEINDE non sustulit Nectarius, nisi id, quod necessarium erat ad sedandum populi tumultum, ex occasione detecti illius flagitij excitatum: ad hoc autem satis superque erat, de medio tollere Confessionem & Pœnitentiam publicam, neque enim ex Confessione pœnitentiáque priuata vllus tumultus exoriri poterat.

TERTIÒ, post Nectarij tempora mansit semper in Ecclesia Græca, vsus Cõfessionis priuatæ, vt perspicuum est ex Chrysostomo, Nicephoro Chartophylace, Concilio Trullano, aliisque testimoniis suprà citatis. Nulla au-

A rem historia refert, ab vllo Episcopo vel Concilio reuocatum esse ac retractatum id, quod Nectarius fecerat: non igitur abrogauerat ille Confessionem priuatam.

QVARTÒ Sozomenus, qui fusiùs historiam istam conscripsit, & quem Aduersarij potissimùm citant, affirmat Deum ipsum præcepisse, vt pœnitentibus venia daretur, & necessariam esse Confessionem: idem autem Sozomenus non reprehendit Nectarium, vt euersorem Iuris diuini, sed tantùm dubitanter, & modicè illum carpit, quòd occasionem sustulerit peccata inuicem arguendi. Neque vllus alius scriptor in tot annorum centuriis Nectarium accusauit: quod certè multi fecissent, si rem tam necessariam, & ab Apostolorum temporibus in Ecclesia frequentatam, ipse vnus Episcopus abrogare tentasset.

QVINTÒ ipsi etiam Aduersarij non admittunt homines ad Eucharistiam, nisi priùs exploratos, vt intelligi potest ex Philippo in Confessione Augustana artic. de Confessione, vbi sic ait: *Confessio apud nos non est abolita: non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis, & absolutis.* Item ex Caluino, qui lib. 3. Instit. c. 4. §. 13. sic ait: *Interim quin sistant se oues Pastori, quoties sacram Cœnam participare volunt, adeò non reclamo, vt maximè velim hoc vbique obseruari.* Quis igitur credat, Nectarium tam fuisse imprudentem, vt non videret, quàm malum esset, permittere vnicuique accessum ad sacra mysteria, sine vlla purgatione ac reconciliatione? Hæc de historia Nectarij hoc loco sufficiant.

NON ignoro Thomam Vvaldensem in 2. tomo, c. 141. in ea sententia fuisse, vt existimaret, à Nectario Confessionem simpliciter abrogatam fuisse, eúmque in ea re grauiter errasse: sed non facilè id concederem, tùm quod Nicolaus Papa in epist. ad Photium, quæ recitatur in VIII. Synodo act. 4. Nectarium vocet Hæreticorum expugnatorem, & Ecclesiarum defensorem, tùm quod C Nectarij sententiam S. Ioannes Chrysostomus apertissimè tueatur, vt in sequenti capite ostendemus, tum denique, quod Nectarij sententiam omnes Orientis Ecclesiæ sequutæ sint.

SCIO etiam, quibusdam visum esse, totam hanc historiam esse confictam à Socrate: sed non facilè adduci possum, vt credam historiam illam falsam esse, quæ tùm scribebatur, cùm adhuc viuerent, qui rei gestæ interfuerant, præsertim cùm res, quæ narratur, non in angulo aliquo, sed in vrbe celeberrima, conscio populo vniuerso contigisse dicatur.

CAPVT XV.

Soluitur argumentum III. Ioan. Caluini.

ERGIT Caluinus in eodem c. sect. 8. & adducit Chrysostomum: *Hanc*, inquit, *abrogationem tot locis euidenter Chrysostomus testatur, Constantinopolitanæ & ipse Ecclesiæ Præsul, vt mirum sit, istos audere contrà mutire. Peccata tua (inquit hom. 2. in Psal. 50.) dicito, vt deleas illa. Si confunderis alicui dicere, quæ peccasti, dicito quotidie ea in anima tua: non dico, vt confitearis conseruo tuo, qui exprobret, dicito Deo, qui curat ea.*

ADDIT ibidem Caluinus alia loca similia eiusdem Chrysostomi, ex serm. de Pœnit. & Confessione item ex Homil. 5. de incomprehensibili natura Dei, item ex homil. 4. de Lazaro. Addit Philippus in Confess. Augusta na, art. de Confessione, alium locum similem superioribus, ex homil. 31. in cap. 12. epistolæ ad Hebræos.

RESPONDEO, Chrysostomum, qui Nectarij successorem se agnoscebat, diligenter, vt par erat, iudicium prædecessoris sui defendere voluisse, sic tamen, vt veritati, & fidei nulla in re detrimentum adferret. Quemadmodum igitur Nectarius non Confessionem priuatam, sed publicam abrogauit: sic etiam Chrysostomus passim Confessionem publicam carpit, priuatam autem nusquam reprehendit.

Id perſpicuum eſt ex omnibus locis, quæ vel obiecta ſunt ab Aduerſariis, vel obiici potuiſſent. Nam hom. 2. in Pſal. 50. cùm ait: *Non dico, vt confiteatis conſeruo tuo, qui exprobret*, apertè indicat ſe loqui de Confeſſione publica, ex qua exprobratio ſequi ſolebat. Nam vt refert Origenes homil. 2. in Pſalm. 37. cùm publica fieret Confeſſio, non deerant qui exprobrarent: *Si hujuſmodi*, inquit, *homo memor delicti ſui, confiteatur quæ commiſit, & humana confuſione parui pendat eos, qui exprobrant eum confitentem, & notant, vel irrident*, &c. ex priuata autem Confeſſione nulla ſequi poteſt exprobratio, tùm quòd ſine teſtibus ea confeſſio fiat, tùm quòd arctiſſimo vinculo teneantur Sacerdotes altiſſimo ſilentio tegere, quæ in priuata Confeſſione audierunt. Quod igitur Chryſoſtomus ait homil. citata in Pſal. 50. *Si confunderis alicui dicere, quia peccaſti.* intelligi debet ad hunc modum; Si confunderis alicui dicere, qui exprobrare poſſit, id eſt, publicè, vt ipſe continuò explicat, cùm ait: *Non dico, vt confiteatis conſeruo tuo, qui exprobret.*

Idem Chryſoſtomus homil. de Pœnit. & Confeſſione, qui eſt ſecundus locus à Caluino adductus, ſic ait: *Nunc autem neque neceſſarium, præſentibus teſtibus confiteri*, &c. vbi videmus, confeſſionem illam improbari, quæ fit coram teſtibus, quámque Nectarius abrogauerat: ſiquidem verba illa: *Nunc autem neque neceſſarium*, notant, aliquando fuiſſe neceſſarium coram teſtibus confiteri, ſed eam neceſſitatem tunc fuiſſe ſublatam.

Item hom. 5. de incomprehenſibili natura Dei: *Non te*, inquit, *in theatrum conſeruorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo.* Hic etiam cernere eſt, quàm apertè Chryſoſtomus alludat ad illam veterem Epiſcoporum conſtitutionem, qui teſte Sozomeno in Tripart. lib. 9. cap. 35. voluerant, vt quaſi in theatro peccata panderentur: quam conſtitutionem Nectarius, vt ſæpè diximus, abrogauit.

Idem in hom. 4. de Lazaro: *Caue*, inquit, *homini dixeris, ne tibi exprobret.* Et infrà: *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes: mihi ſoli dic peccatum priuatim*, &c. Idem homil. 31. in epiſto. ad Hebræos: *Non tibi*, inquit, *dico vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuſes.* Idem hom. 8. de Pœniten. *Non reuoles*, inquit, *vlcus, non in commune theatrum accuſationem producas, non delictorum teſtes ſtatuas.* Idem homil. de publicano ad cap. 18. Lucæ: *Admoneo te vt aſſiduè confiteare: neque enim te ad theatrum duco conſeruorum tuorum*, &c. Ex his locis euidenter colligitur, Chryſoſtomum de publica Confeſſione loqui, cùm à confeſsione hominibus facienda populum dehortatur.

At inquies, Confeſſioni quæ fit hominibus, Chryſoſtomus opponit Cõfeſsionem, quæ fit ſoli Deo in anima, ſiue intra conſcientiam confitentis, cogitatione, non lingua, igitur excludit omnem confeſsionem quæ fit hominibus, ſiue publicam ſiue priuatam: non enim Confeſsio priuata facta coram Sacerdote, dici poteſt facta eſſe in anima, ſiue intra conſcientiam, ſiue cogitatione, non lingua. Verba eius hæc ſunt, homil. 2. in Pſalm. 50. *Si confunderis dicere alicui quia peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua.* Hom. de Pœnit. & Confeſsione: *Nunc autem neque neceſſarium eſt præſentibus teſtibus confiteri: cogitatione fiat delictorum exquiſitio: abſq; teſte ſit hoc iudicium: ſolus te Deus confitentem videat.* homil. 31. in epiſt. ad Hebræos: *Ante Deum confitere peccata tua: apud verum Iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria.* Hom. 8. de Pœn. *Non delictorum teſtes ſtatuas: intus in conſcientia, aſtante nemine, præter eum, qui cuncta videt, Deum, reforma quod deliquiſti.*

Respondeo, Chryſoſtomum in his locis opponere Confeſsioni publicæ, confeſsionem, quæ fit ſoli Deo in conſcientia, ſine ſono verborum: quia non loquitur de Confeſsione, vt ordinatur ab Abſolutionem Sacerdotalem, quæ propriè pars eſt ſacramenti Pœnitentiæ eſſentialis, ſed de Confeſsione vt ordinatur ad confuſionem & erubeſcentiam, quæ pars dici poteſt Satisfactionis. Illa enim Confeſsio publica, quam ſuſtulit Nectarius, non erat inſtituta, vt per eam Sacerdos cognoſceret peccata pœnitentis, & inde rectè iudicaret, eſſet ne pœnitens ligandus, vel abſoluendus, aut quæ Pœnitentia imponenda eſſet: ſed ſolùm vt pœnitens publica illa confuſione accepta, partem pœnæ, quæ peccatis eius debebatur, lueret. Porrò Chryſoſtomus rectè monet non eſſe neceſſariũ ad eiuſmodi finem obtinendum, publicè, vel etiam priuatim confiteri hominibus: ſed ſatis eſſe, cum dolore & lachrymis confiteri Deo, & ſic ſatisfacere, adiũctis precibus, eleemoſynis, ieiuniis, aliiſque piis, laborioſiſque operibus. Quod autem ad alium finem, nimirum, vt Sacerdos nouerit morbos pœnitentis, quibus medicinam Pœnitentiæ applicare debet, neceſſaria ſit Confeſsio, oſtẽdimus ſuprà ex lib. 2. de Sacerdotio, eiuſdem Chryſoſtomi, nec non ex teſtimoniis Baſilii, Nyſſeni, & aliorum Patrum Græcorum, à quibus nullo modo credibile eſt Chryſoſtomum diſſenſiſſe.

Adde quòd ſi Chryſoſtomus in locis ſuprà citatis, de Confeſsione reſpectu cuiuſcunque finis loqueretur, non ſolùm nobiſcum, & cum tota Eccleſia, ſed etiam cum Aduerſariis noſtris pugnaret. Aduerſarij enim confeſsionem ſaltem aliquorum grauium delictorũ coram Miniſtro vtiliſsimam, vel etiam neceſſariam eſſe cẽſent: Chryſoſtomus autem, confeſsionem coram hominibus non ſolùm dicit non eſſe neceſſariam, ſed etiam apertè damnat, ac reiicit. Sic enim loquitur hom. 4. de Lazaro: *Caue homini dixeris, ne tibi exprobret.* & hom. 8. de Pœn. *Non reueles vlcus, non delictorum teſtes ſtatuas.* Quare Chryſoſtomus ſolùm Confeſsionem publicã reiicit, vt erat pars quædã Satisfactionis: ex quo ſequitur, Confeſsionem etiam priuatam, non eſſe neceſſariam ad illum eundem finem, licet ad alium finem neceſſariam eſſe, neque ipſe hoc loco neget, & alibi ſatis apertè confirmet.

CAPVT XVI.

Argumentum IIII. Caluini.

Post obiectionem illam ex Chryſoſtomo, Caluinus multa differit in eodem capite à ſectio. 9. vſque ad 16. de variis Confeſsionum formis: non pauca etiam more ſuo, non tam argumentando, quàm calumniando, dicit in decretum Concilij Lateranenſis. Sectione autem 16. redit ad argumenta, atque obiicit verba illa Pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* & illa Pſalm. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt ſuper caput meum.* ex quibus locis ita concludit: *Quis ſuorum peccatorum nunc ſupputationem cogitet, vbi Dauidẽ videt ſuorum numerum inire non poſſe?* Deinde ſectione 17. & 18. rem exaggerat multis verbis, quæ fruſtra hoc loco adſcriberentur: ſumma eſt, enumerationem peccatorum eſſe impoſsibilem, & idcircò neque à Deo fuiſſe imperatam, neque ab Eccleſia imperari iure potuiſſe.

Sed obiectio iſta, qua etiã vtitur Philippus in Confeſſ. Auguſtana, & cæteri Sectarij paſsim, non modò per ſe tenuis eſt, ſed etiam ex verbis eiuſdem Caluini eodem in loco poſitis, apertiſsimè ſoluitur. Docet enim Caluinus, ſectione 18. in Confeſsione quæ Deo fit, non ſatis eſſe, generatim confiteri ac dicere, Peccator ſum: ſed oportere quantum in nobis eſt, ſingula peccata accuratè confiteri. Quod idem Catholici omnes docent de Confeſsione quæ fit Sacerdoti. Neque enim iubent omnia omninò peccata enumerari, ſed ea ſolùm, quæ poſt diligentem excuſsionem memoriæ occurrunt: diligentem autem excuſsionem vocant, quam in rebus grauioribus ordinariè homines adhibere ſolent. Denique id ſolum iubent, vt peccata omnia, quantum innobis eſt (qua phraſi Caluinus vtitur in explicanda Confeſsione quæ Deo fit) enumeremus, dum coram

Sacer

Sacerdote conſcientiam noſtram aperimus.

Quaecunque igitur Caluinus obiicit contra enumerationẽ peccatorum in Confeſsione quæ fit homini, eadem obiici poſſunt contra enumerationem peccatorum in Confeſsione quæ fit Deo. Nam ſi illa enumeratio eſt impoſsibilis, & hæc eſt impoſsibilis: ſi illa eſt crudelis carnificina, & hæc eſt crudelis carnificina: ſi illa facit hypocritas, & hæc facit hypocritas: & contrà, ſi hæc ab his incommodis libera eſt (vt Caluinus dicere cogitur) quia non eſt facienda, niſi quantum in nobis eſt; & illa ab his incommodis libera eſt, quia non eſt facienda niſi quantum in nobis eſt: & quemadmodum in Confeſsione quæ Deo ſoli fit, poſt enumerationem eorum, quæ recordamur, addimus: *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me Domine.* &, *Peccaui ſuper numerum arenæ maris:* & tamen omnium peccatorum indulgentiam expectamus: ſic etiam in Confeſsione quæ fit homini, vel potiùs per hominem Deo: poſt enumerationem eorum quæ recordamur, addimus: *Delicta quis intelligit?* &c. & nihilominus integram peccatorum omnium indulgentiam exſpectamus.

CAPVT XVII.

Diluitur argumentum V. Caluini.

Vltima Caluini obiectio habetur in eadem ſectio. 18. vbi ex verbo Dei iactat ſe demonſtraſſe, ſine Confeſsione aut eius voto, poſſe homines iuſtificari: *Non alia*, inquit, *nunc eſt peccatorum remiſſio, quàm ſemper fuit. Quotquot remiſſionẽ peccatorum à Chriſto obtinuiſſe leguntur, non leguntur, in aurem Sacrificuli cuiuſdam confeſſi, nec ſanè confiteri poterant, vbi nec Sacrificuli Confeſsionarij erant, nec ipſa etiam Confeſsio: & multis poſteà ſeculis inaudita fuit hæc Confeſsio, quibus ſine hac conditione remittebantur peccata. Sed ne quaſi dere dubia longiùs diſceptemus, verbum Dei apertum eſt, quod æternùm manet: Quotieſcunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Huic verbo, qui aliquid audet adiicere, non peccata ligat, ſed Domini miſericordiam.*

Haec obiectio quatuor quaſi membris continetur, quæ ſingillatim excutienda ſunt. Primùm aſſumit Caluinus, non aliam eſſe nunc remiſſionem peccatorum, quàm ſemper fuit: & quia Confeſsio auricularis non ſemper fuit, inde colligi vult, eam non eſſe ad iuſtificationem impij neceſſariam.

Sed ſi hæc argumentatio aliquid verè concluderet, non ſolùm Confeſsio, ſed etiam Baptiſmus in diſcrimen adduceretur: nam vt Cõfeſsio, ita etiam Baptiſmus non ſemper fuit, & tamen ſcriptum legimus Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum:* quæ tempore legis veteris nuſquam legebantur. Quare ſi nunc eſt remiſſio peccatorum, quæ ſemper fuit, aut Baptiſmus nunc neceſſarius non eſt, & Chriſtus (quod abſit) mentitur, aut ab initio ſeculi, Baptiſmus ex aqua & Spiritu ſancto neceſſarius fuit, quod nemo ſanæ mentis dicere poteſt. Quẽadmodum autem ex Euangelio demonſtramus, nunc Baptiſmum ad remiſſionem peccatorum requiri, qui in lege veteri non requirebatur; quia ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. ſic etiam ex Euangelio demonſtramus, Confeſsionem peccatorum ad iuſtificationem hoc tempore neceſſariam eſſe, quæ tempore Patrum Teſtamenti veteris neceſſaria non erat: quia ſcriptum eſt Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* quod in lege veteri ſcriptum non erat.

Deinde aſſumit Caluinus, eos omnes, quibus Chriſtus peccata dimiſit, ſine Confeſsione auriculari iuſtificatos fuiſſe: ex quo concludi vult, nunc etiam ſine Confeſsione auriculari homines iuſtificari poſſe.

Sed facilis eſt ſolutio, eáque triplex. Primùm enim quo tempore Chriſtus propriæ vocis miniſterio homines iuſtificabat, nondum Sacramentum Confeſsionis inſtituerat: proinde nihil eſt mirum, ſi abſque Confeſsione pœnitentes reconciliauit. Deinde Chriſtus auctor Sacramentorum, à Sacramentis ſuis non dependebat, & ideo non modò ſine Confeſsione, ſed etiam ſine Baptiſmo peccata interdum remittebat. Denique Chriſtus Deus erat, & ideò peccata contra ſe ſuámque legem facta, ſimpliciter cõdonare poterat: nos autẽ miniſtri ſumus, neque vt Domini, ſed vt Iudices à Domino conſtituti, vel ſoluimus, vel ligamus, quare neceſſe habemus, cauſſas diligenter expendere, & ex ipſa rerum Confeſsione diiudicare, quid in re tãta ſit nobis agendum, ne fortè perperam ligemus, aut ſoluamus, & dum hominibus peccata remittimus, Dominum offendamus.

Tertiò Caluinus aſſumit, multis poſteà ſeculis inauditam fuiſſe hanc Confeſsionem.

Sed hoc falſum eſſe, Caluinus ipſe teſtatus eſt in hoc eodem cap. §. 7. cùm ait: *Miror quafronte auſint contendere, Confeſsionem, de qua loquuntur, iuris eſſe diuini, cuius equidem vetuſtiſsimũ eſſe vſum fatemur.* & quãuis id Caluinus non diceret, teſtimonia à nobis allata, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, & aliorum, ad quæ Caluinus reſpexit, cùm vſum Confeſsionis, de qua loquimur, vetuſtiſsimum eſſe confeſſus eſt, planè euincerent, falſum eſſe quod hoc loco idẽ Caluinus ait, multis ſeculis, poſt Chriſtum inauditam fuiſſe hanc Confeſsionem.

Quartò denique adiungit verba illa Ezechielis, cap. 33. *Quotieſcunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* ex quibus euidenter concludi exiſtimat, ſine Confeſsione aut eius voto, remitti poſſe peccata.

Sed hoc argumentũ adeò non timuit ſanctus Leo, vt in eadem epiſt. 91. ad Theodorum, hunc ipſum locum Ezechielis adduxerit, vbi paulò antè ſcripſerat, Deum ordinaſſe, vt ſine Sacerdotum ſupplicatione indulgentia diuina nequeat obtineri. Et iure non venit in mentẽ ſancto Leoni, vt hoc argumentum timeret, cùm non ignoraret neminem eſſe, qui vt oportet, ingemiſcat, qui non cupiat ea remedia animæ ſuæ vulneribus applicari, quæ Deus pro temporum varietate inſtituit. Alioqui ſi ſimpliciter gemitus quicunque ſufficeret ad ſalutẽ, non ſolùm Confeſsio, ſed etiam Baptiſmus neceſſarius non eſſet: addo etiam, ſine fide, ſpe, & charitate homines iuſtificandos, quis enim prohibet quo minùs ob ſolum temporale damnũ aliquis ingemiſcat? Quemadmodum igitur in eo gemitu, cui ſalus à Deo promittitur, includitur fides, ſpes, charitas, peccati deteſtatio, & propoſitum vitæ melioris, ita etiã Baptiſmi aut Confeſsionis votũ ac propoſitum cõtinetur. Et ſicut non addit ad verba Dñi, ſed illa congruenter exponit, qui ad iuſtificationem præter gemitum, fidem, ſpem, charitatem, & alia quæ diximus, exigit, ſic etiam non addit, ſed exponit, qui præter gemitum, votum Baptiſmi aut Confeſsionis requirit.

CAPVT XVIII.

Diluitur I. obiectio Mart. Kemnitij.

Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 976. & ſequentibus, multa argumenta contra neceſsitatem Confeſsionis adducit, quę cùm ex Caluini Inſtitutionibus ferè deprompta ſint, diſſoluta videri poſſunt. Percurram nihilominùs omnia, vt vel ea ſoluam, vel iam ſoluta eſſe oſtendam.

Prima obiectio habetur pagin. 986. vbi hoc argumentum Kemnitius facit: *Non aliter Chriſtus Apoſtolos miſit, quàm ipſe miſſus fuerat. Ioan. 20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. At ipſe ad generalem confeſſionem, vel ore, vel ſignis aliis expreſſam, Abſolutionem impertiebatur, neque ſingulorum peccatorum enumerationem exigebat, vt patet Luc. 7. de peccatrice, & Matth. 9. de Paralytico: non igitur debent Miniſtri à Pœnitentibus exigere ſingulorum peccatorum enumerationem.*

Respondeo, verba illa: *Sicut miſit me Pater, & ego*

mitto

mitto vos, non accipienda esse, quasi eodem modo debuerint Apostoli omnia facere, quo à Christo ipso fiebant: alioqui enim non debuissent Acto. 2. Apostoli baptizare in remissionem peccatorum, quia Christus sine Baptismo peccata remisit Magdalenæ, & Paralytico: nec debuissent Act. 8. per impositionem manuum Spiritum sanctum dare, quia Christus non manus imponendo, sed insufflando Spiritum sanctum dedit. Ioan. 20.

IGITVR misit Christus Apostolos, sicut ipse missus fuerat à Patre, quia potestatem eis dedit ligandi, & soluendi, vt ipse à Patre acceperat: quæ est Chrysostomi expositio. Sed tamen accepit ipse vt Filius, & proinde talem, ac tantam, vt posset etiam sine Sacramentis iustificare: dedit autem eam Apostolis, vt ministris, ac seruis, ac per hoc longè minorem, & Sacramentis, aliisque mediis à se institutis alligatam.

MISIT etiam Christus Apostolos, vt ipse à Patre missus fuerat, quia ad id eos misit, ad quod ipse fuerat missus, videlicet ad reconciliandos homines Deo, ad Euangelium prædicandum, ad Ecclesiam propagandam: quæ est expositio Cyrilli.

DENIQVE misit Christus Apostolos, vt ipse à Patre missus fuerat, quia misit eos, non ad delicias, sed ad crucem, licet vehementer amaret: quemadmodum ipse à Patre infinito amore diligebatur, & tamen ad passionem & mortem, non ad mundi gaudia mittebatur: quæ est explicatio sancti Gregorij, Homil. 26. in Euangelia.

CAPVT XIX.

Diluitur II. obiectio Kemnitij.

SECVNDA obiectio Kemnitij habetur p. 1007. vsque ad pagin. 1014. vbi argumentum ducit ex historia Nectarij, cuius hæc est summa: *Confessio publica abrogata fuit, & mutata in priuatam ab Episcopis tempore Decij Imperatoris. Et postea, Confessio autem priuata abrogata fuit tempore Nectarij: igitur nec publica, nec priuata Confessio necessaria est Iure diuino, neque enim sancti illi Patres Ius diuinum tollere ausi fuissent.*

CONFIRMAT etiam hoc argumentum Kemnitius historia Socratis, li. 5. c. 19. vbi legimus mulierem quandam confessam esse Presbytero pœnitentiario κατὰ μέρος, id est, ex parte: ex quo sequitur, non fuisse tunc necessarium, confiteri omnia peccata integrè Iure diuino. Confirmat rursus ex eadem historia, vbi legimus, vnum fuisse Presbyterum Pœnitentiarium in tota Ecclesia Constantinopolitana. Hinc enim colligimus, non fuisse necessarium eo tempore, vt singuli peccata omnia confiterentur: neque enim in tam ampla vrbe, vbi erant 60. Presbyteri, tempore Iustiniani, potuisset vnus Presbyter, tot ac tam longas Confessiones audire.

RESPONDEO, totum hoc argumentum ex imperitia coagmentatum esse. Nam quòd primo loco Kemnitius dicit: Confessionem publicam abrogatã fuisse tempore Decij ab Episcopis, falsum est, & ex ignorantia manifesta profectum. Nam quòd Sozomenus scripsit, iuxta fidem Cassiodori in hist. Tripart. lib. 9. cap. 35. visum esse sacerdotibus ab initio, vt peccata tanquam in theatro panderentur: refert Kemnitius ad ea tempora, quæ Nouatianam hæresim, & imperium Decij præcesserunt. Deinde vult, istam constitutionem de publica Confessione facienda, abrogatã fuisse ab Episcopis, qui fuerunt tempore hæresis Nouatianæ, Decio imperante, & hanc esse appendicem illam, de qua loquitur Socrates.

SED toto cœlo aberrat. Sozomenus enim cùm dicit (iuxta fidem Cassiodori) visum esse Episcopis, qui ab initio fuerunt, vt peccata tanquam in theatro panderentur, loquitur de constitutione facta tempore Nouatianæ hæresis, non de aliqua alia priore: & hæc ipsa constitutio, non autem huius constitutionis abrogatio, est appendix de qua loquitur Socrates, proinde tantùm abest, vt tempore Decij fuerit abrogata Confessio publica, vt potiùs tunc primùm fuerit ab Episcopis imperata.

ID autem ita esse, probatur Primò: Si episcopi tempore Decij abrogassent Confessionem publicam, & solùm priuatam retineri voluissent, vt Kemnitius dicit, illa non fuisset appendix, siue additio ad veterem canonẽ, sed potiùs detractio, siue abrogatio veteris canonis. At vera fuit additio atque appendix, teste Socrate, vt eam etiam vocat Kemnitius, quam Episcopi tempore Decij fecerunt: ergo non abrogârunt Confessionem publicam, sed eam potiùs addiderunt ad priuatam.

SECVNDÒ, si tempore Decij abrogata fuisset Confessio publica, non potuisset accidere scandalum tempore Nectarij ex Confessione, neque vlla fuisset caussa, cur Nectarius Presbyterum pœnitentiarium de Ecclesia tolleret, constat enim ex Socrate, scandalum illud ex publica Confessione mulieris narum esse.

TERTIÒ, Sozomenus scribit ab illis ipsis Episcopis constitutum fuisse Presbyterum pœnitentiarium, qui decreuerant, peccata quasi in theatro publicè esse pandenda. Sed Presbyterum pœnitentiarium constitutum fuisse tempore Decij, scribit Socrates: ergo decretum illud de Confessione publicè facienda, ab Episcopis illis editum est, qui fuerunt tempore Decij, non autem ab antiquioribus, vt Kemnitius somniat.

NEQVE obstat, quòd Sozomenus dicat, decretum illud factum esse ab Episcopis, qui ab initio fuerunt: nam qui fuerunt tempore Decij, dicuntur fuisse ab initio, quia proximi fuerunt temporibus Apostolicis, & multò antiquiores erant, quàm esset Nectarius, qui decretum illorum sustulit, aut Sozomenus, qui sublatum retulit.

QVARTÒ, Sozomenus scribit, decretum Episcoporum, qui ab initio fuerunt, quique Presbyterum pœnitentiarium constituerunt, à Nectario abrogatum fuisse. Constat autem ex Socrate, à Nectario abrogatum decretum Episcoporum, qui tempore Decij Ecclesias gubernabant: iidem igitur sunt Episcopi, qui ab initio apud Sozomenũ, & qui tempore Decij apud Socratem fuisse dicuntur. Quare appendix, de qua loquitur Socrates, est ipsa constitutio, de qua loquitur Sozomenus, non autem eius abrogatio, vt sine vlla caussa fingit Kemnitius.

PORRÒ, hoc fundamento euerso, ruit ædificium totum argumenti Kemnitiani. Nam quod secundo loco Kemnitius affirmat, Confessionem priuatam abrogatam fuisse à Nectario, falso nititur fundamento, quòd videlicet appendix ad veterem canonem, quam Nectarius sustulit, fuerit mutatio Confessionis publicæ in priuatam. Præterea capit. 14. demonstrauimus contra Caluinum, Confessionem publicam, non autem priuatam, à Nectario abrogatam fuisse.

QVOD etiam Kemnitius dicit in confirmatione prima, mulierem quandam confessam esse ex parte, non autem integrè: ex peruersa interpretatione Græcæ vocis natum est, illud enim κατὰ μέρος, non significat hoc loco, ex parte, sed particulatim, vt reddidit Ioannes Christophorsonus, omnium iudicio græcæ linguæ peritissimus. Ex quo intelligimus, fœminam illam confessam esse in particulari omnia peccata, vt Catholici faciunt, non autem generatim, vt faciunt Lutherani.

QVOD denique in 2. confirmatione Kemnitius addit, non potuisse tot Confessiones ab vno Presbytero audiri, iam suprà explicatum est in solutione 2. obiectionis Caluini, cap. 14. vbi ostendimus, Presbyterum illum, non omnium pœnitentium Confessiones audire debuisse, sed eorum tantùm, qui publicam Pœnitentiam agebant.

CAPVT XX.

Diluitur III. obiectio Kemnitij, & simul obiectiones Brentij.

TERTIA obiectio Kemnitij, quæ habetur pag. 1019. sumitur à testimoniis Patrũ, ac præter loca quædam

sancti

S. Ioann. Chrysost. ad quæ responsum est suprà, c. 14. adducit Primò Cassianum, qui Collat. 20. c. 8. sic loquitur: *Quòd si verecundia retrahente reuelare coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt confiteri ingi supplicatione nõ desinas, qui & absq; vllius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuenit.*

SED non potest dubium esse, quin Cassianus doctorem suum Chrysostomum sequutus sit, & ideò in eundem sensum hæc eius verba accipienda sint, in quem accipienda esse demonstrauimus verba Chrysostomi c. 15. quanquam Cassiani verba faciliùs explicentur, cùm nihil adiunctum habeant, vnde excludi videatur Confessio priuata. Quòd enim ille dicit in numero multitudinis: *Si reuelare coram hominibus erubescis*, ad Confessionẽ publicam pertinet, quæ coram multis fieri solebat. quod autem addit, Deo esse confitendũ, cõmodè accipi potest de Confessione, quæ fit Deo per sacerdotem. Nã circunstantiæ illæ: *Qui & absque verecundiæ publicatione, & absque improperio peccata donare consuenit*, satis apertè indicant, Confessionem illam notari, ex qua publicatio, & improperium sequebatur: quæ duo longè absunt à Confessione secreta, quæ fit vni soli, vt locum Dei tenet.

SECVNDO loco adducit Origenem, qui hom. 2. in Leuiticum, enumerat varios modos, quibus peccata purgantur, & inter eos ponit Confessionem, quæ fit sacerdoti: ex quo sequitur, vt licet Confessio peccatorum sacerdoti facta, sit vtilis, non sit tamen necessaria.

SED facilis est responsio. Modi siquidem illi, quos eo loco ponit Origenes, non sunt omnes, & singuli per se sufficientes ad peccati remissionem, sed plerique eorum includunt alios saltem in voto: hi sunt enim modi, quos ille enumerat: *Baptismus, Martyrium, Eleemosyna, Iniuriarum condonatio, Conuersio peccatoris, Charitas, & Pœnitentia sine Confessio.* Certum autem est, solam Eleemosynam, aut iniuriæ condonationem, aut cætera, quæ ibi enumerantur, sine Baptismo in re vel in voto, non sufficere ad iustificationem, licet suo modo iuuent: & quemadmodum non baptizatis illa non sufficiunt sine Baptismo, ita etiam baptizatis illa non sufficiunt sine Confessione, in re vel in voto. Deniq; obseruent Lutherani, inter tot modos ab Origene numeratos, nullum locum fidei esse tributum, cui soli tribuere solent ipsi iustificationem: ex quo admittere vel inuiti coguntur, nullum eorum modorum per se solum sufficere.

HVC referri possunt duo alia testimonia Patrum, quæ omissa sunt à Kemnitio, sed citata à Brentio in Confessione VVirtembergensi, cap. de Confessione.

PRIMVM testimonium est Augustini, libr. 10. Confess. cap. 3. vbi sic legimus: *Quid mihi est cum hominibus, vt audiant Confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos: curiosum genus ad cognoscendam alienam vitam, desidiosum ad corrigendam suam?*

SED hoc nihil est aliud, nisi simplicibus imponere: nemo enim libros illos legit, qui nesciat, Confessionem, de qua loquitur Augustinus, non esse Confessionem sacramentalem, sed Confessionem peccatorum præteritorum, ac per Baptismum dimissorum, ad eum finem institutam, vt inde cognoscatur & laudetur misericordia Dei.

ALTERVM testimonium est Ambrosij, libro 10. in Lucam c. 96. vbi sic legimus: *Petrus doluit, & flenit, quia vt homo erraut: non inuenio quid dixerit, inuenio quòd fleuit: lachrymas eius lego, satisfactionem non lego.* Et infrà: *Lauent lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri.*

RESPONDEO Primum eo tempore nondum institutam fuisse Confessionem sacramentalem: ac per hoc nihil esse mirum, si Petri confessio non legatur. Dico Deinde sanctum Ambrosium loqui de lachrymis, quæ Confessionem quandam continent, vt cùm quis conuictus erroris ab alio, nõ voce, sed lachrymis fatetur errorem. Sic enim S. Petrus, cùm sciret Christo notũ fuisse crimen suum, non voce, sed lachrymis confessus est: id quod omninò sufficit in confessione, quæ fit Deo, qui omnia nouit. Quod autem S. Ambrosius in lachrymis B. Petri confessionem agnouerit, perspicuum est illis verbis: *Maluit Petrus suum accusare peccatum, vt iustificaretur fatendo, quàm grauaretur negando. Iustus enim in principio accusator est sui: & ideò fleuit.* item ex illis: *Verecundæ lachrymæ sine horrore culpam loquuntur: lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur:* Quæ omnia accipienda sunt de Confessione, quæ fit Deo, aut etiam homini, qui crimen anteà nouerit.

CAPVT XXI.

Soluitur IV. obiectio Kemnitij.

QVARTA Kemnitij obiectio habetur, p. 1014. vbi sex caussæ numerantur, ob quas Lutherani reiecerunt Confessionem, in qua enumerantur omnia peccata. *Hæc est*, inquit, *vetus illa carnificina conscientiarum, quam gladio Spiritus Ecclesiæ nostræ excusserunt, propter multas grauissimas caussas.* Primò, *quia imponitur conscientiis, cùm nec Christi, nec Apostolorum, vel præceptum, vel exemplum habeat.* Secundò, *nullam in Verbo Dei promissionem habet.* Tertiò, *Euangelium transformat in legem: statuit enim remissionem pendere ex enumeratione.* Quartò, *gratuitæ condonationi substituit meritum enumerationis, & Satisfactionis. Confessionem meritoriam esse ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, paradisi apertionem, & salutis fiduciam, Scholastici expressè tradunt.* Quintò, *conscientiam adducit in dubitationem, & desperationem, scrupulosa illa enumeratione: videns enim se non posse omnia delicta colligere, nunquam aquiescit, dubitatio verò extinguit fidem.* Sextò, *exigit rem impossibilem, constat enim plurima peccata nos nec intelligere, nec meminisse, iuxta illud, Delicta quis intelligit?*

RESPONDEO, tam esse veras istas causssas, quàm est elegans illa sententia, qua dicitur, Carnificina gladio excuti. Ac Primam quidem causssam falsam esse: cognosci potest ex iis, quæ suprà à nobis disputata sunt, vbi ex Euangelio, ex Actis Apostolorum, & ex epistolis Pauli, Ioannis, & Iacobi, Confessionem deduximus omnium peccatorum.

SECVNDAM causssam falsam esse, testantur illa verba Domini, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Neque enim (vt suprà docuimus) scire possunt Sacerdotes, quæ peccata remittere, quæ retinere eos oporteat, nisi peccata ipsa plenè, atque integrè nouerint. Item illa 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, est fidelis, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.*

TERTIA causssa calumniam manifestam, ac mendacium continet. Neque enim ita pendere remissionem ab enumeratione; Catholici docent, vt nisi quis omnia peccata enumerare potuerit, reconciliari nequeat: siquidem facilè potest accidere, vt vel propter obliuionem, vel propter ignorantiam, vix minimam partem suorum criminum quis aperiat, & tamen absoluitur, & verè absolutus creditur ab omnibus peccatis.

NEQVE verò Euangelium in legem conuertit, quicunque conditionem alicuius operis exigit ad iustificationem, nisi totum Euangelium negare velimus. Quid enim sonant verba illa: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ioann. 3. &, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Ioan. 6. &, *Nisi Pœnitentiam habueritis, &c.* Lucæ 13. &, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. 19. & alia permulta, nisi conditionem? Deinde si Euangelium in legem conuerteret, quicunque diceret remissionem peccatorum pendere aliquo modo ab enumeratione, quæ fit in Confessione coram Sacerdote: in eundem errorem incideret, qui diceret remissionẽ pendere ab enumeratione, quæ fit in Confessione coram Deo.

Ac hoc

Ac hoc ipsum, ex doctrina veterum Patrum, disertis verbis affirmat Kemnitius; pagin. 982. vbi sic loquitur; *Dicunt Patres, peccata confessione reuelanda, in specie expendenda, curiosiùs discutienda, explicanda, deregenda, enumeranda: dicunt peccata solui per Confessionem, impossibile esse saluari citra Confessionem. Sed Chrysostomus addit, interpretationem: hæc intelligenda esse non de eterna confessione homini facienda, sed de interiori, quæ Deo fit.* Hæc ille. Non disputo nunc, an sententiæ Patrum patiantur interpretationem istam, & num ad eam solam Confessionem pertineant, quæ Deo fit: sed tamen nemo, opinor, tam excors erit, qui non videat Kemnitium ex sententia Patrum id admittere, quod paulò pòst in Catholicis reprehendit, nimirum remissionem ab enumeratione pendere.

QVARTA causſa similis est terræ. Scholastici enim Doctores tradunt quidem, multùm conferre tùm Confessionem, tùm Satisfactionem ad salutẽ, sed nec dicunt, per Confessionem nos mereri remissionem peccatorum, nisi fortè ex congruo, nec substituunt meritum enumerationis gratuitæ condonationi: hæc enim mendacia Kemnitij, non Theologorum sententiæ sunt.

PORRÒ encomia Confessionis longè maiora extant apud Patres, quàm apud vllos Scholasticos, vt mirum sit Kemnitium ea in Scholasticis, reprehendere, quæ negare non potest, multò vberiùs in antiquis Patribus inueniri. Ac vt pauca exempli gratia referam: S. Ambrosij est illa sententia, lib. 2. de Pœnitentia, cap. 6. *Soluit criminum nexus, verecunda confessio peccatorum.* S. Paciani verba sunt in Paræneſi ad Pœnitentiam: *Gehennam recordemini, quam vobis Exomologesis extinguit.* S. Ioannis Chrysostomi est illud, homil. 20. in Gen. *Confessio peccatorum, abolitio est delictorum,* qui etiam homil. 5. in Gen. antea dixerat. Confessione peccata lauari, & fiduciam salutis in fine præberi.

A c (vt omittam cætera) nónne ipse Kemnitius paulò antè ex Patribus annotauit, peccata solui per Confessionem, & impossibile esse sine Confessione saluari? Neque refert, quod Patrum sententias Kemnitius intelligendas esse velit, de Confessione quæ fit Deo. Nam si gratuitæ condonationi repugnaret virtus & efficacia, quam tribuunt Scholastici Confessioni, quæ fit Sacerdoti, repugnaret etiam virtus, & efficacia, quam tribuunt Patres Confessioni, quæ fit Deo: vtraque enim Confessio est opus nostrum.

QVINTA, & Sexta causſa, quòd illa enumeratio sit impossibilis, & ad desperationem adducat, iam suprà refutatæ sunt, & rursus ex ipso Kemnitio refutari possunt. Nam si enumeratio in Confessione, quæ coram Sacerdote facienda est, in desperationem adducit, & impossibilis est: idem profectò dici poterit de enumeratione in Confessione coram Deo, vel potiùs longè faciliùs desperabunt, qui coram Deo, qui falli nullo modo potest, omnia peccata enumerare debebunt, quàm ij, qui coram hominibus id facturi erunt. Admisit autem Kemnitius pagin. 982. peccata coram Deo in specie explicanda, enumeranda, & confitenda esse, & citra istam Confessionem impossibile esse hominem saluari. Quare necessariò iam cogitur, aut carnificinam illam, quam gladio spiritus se excussisse iactauerat, amplecti, ac tueri: aut certè concedere, enumerationem, quam Catholici exigunt, neque impossibilem esse, neque ad desperationem adducere, neque carnificinam nominari posse.

LIBER QVARTVS,
DE POENITENTIA,
IN QVO DE SATISFACTIONE AGITVR.

RESTAT *Satisfactio, quæ Tertia est Pœnitentiæ pars, de qua breuiter disseremus, tùm quòd hæc disputatio ferè pertineat ad locum de Iustificatione, quem tomo 3. reseruamus, tùm quòd Aduersarij Catholicorum disputationibus eruditi, aut conuicti, multa iam concedant, quod attinet ad Satisfactionem, de quibus acerrimè anteà dimicabant.*

PORRÒ vniuersa hæc disputatio tribus partibus continetur. Primùm enim explicandus est controuersiæ status. Deinde quoniam statu controuersiæ explicato, quinque existent quæstiones, tractandæ erunt singulæ seorsum. Postremò dissoluenda erunt argumenta, quæ ab Aduersarijs adferuntur.

CAPVT I.
Status controuersiæ explicatur.

VT igitur controuersia de satisfactione intelligatur, animaduertendum est, Satisfactionem nihil esse aliud nisi actionem, qua is qui alterum læsit, tantùm facit, quantùm satis est ad iniuriam compensandam, siue quantùm is, qui læsus est, iustè exigit.

EX quo sequitur, vt non sit idem Restitutio, quod Satisfactio. Restituere enim, est cessare ab iniuria, non iniuriam factam resarcire: nam qui rem alienam inuito domino retinet, tamdiu facit iniuriam, donec rem illam non reddit. Ad hæc Restitutio respicit damnum reipsa illatum: Satisfactio personam iniuria affectam, etiamsi illa damnum nullum acceperit. Quocirca Deo nihil restitui potest, cùm ipse damnum nullum patiatur: potest tamen eidem satisfieri, cùm iniuria à nobis afficitur. Itaque Restitutio in rebus, Satisfactio in actionibus versatur: & restaurat Iustitiam Restitutio, quoad æqualitatem rerum, vt cùm ea, quæ furto ablata sunt, redduntur: restaurat Satisfactio Iustitiam quoad æqualitatem actionum: vt cum is qui alium contumelia affecerat, ab eo veniam petit.

QVEMADMODVM autem Iustitia, quæ in actionibus versatur, duplex est: ita duplex etiam est Satisfactio. Alia Iustitia est, quæ versatur in absoluta, & perfecta æqualitate, vt cum tantum honoris vnus alteri tribuit, quantum eius dignitas absolutè exigit. Alia est Iustitia, quæ non consistit in perfecta, & absoluta æqualitate, sed in æqualitate imperfecta, quæ ex pacto, aut donatione, vel acceptatione alterius pendet; veluti cùm quis eum honorem principi defert, quem is sibi deferri lege mandauit, licet is honor inferior sit Principis dignitate.

ITA Satisfactio aliquando sit ad absolutam, & perfectam æqualitatem, vt cùm actio contumeliosa inter

duos homines æquales recompensatur per aliam contrariam, tantum habentem honoris, quàtum alia habuerat contumelias. Aliquando autem fit ad æqualitatem imperfectam; vt cùm is, qui pertulit iacturam decem millium aureorum, satisfieri sibi patitur cessione omnium bonorum, licet ea bona ad summam tot millium non perueniant.

IAM igitur inter omnes conuenit, inter Deum & homines non posse esse iustitiam illam perfectam, & absolutam: proinde nec Satisfactionem, Quidquid enim sumus, Dei sumus, quidquid habemus, à Deo habemus, cùm in eum peccamus, infinitum bonum quod in nobis est, lædimus; quidquid autem, nos habemus, & sumus, exiguum est, ac finitum. Quare nisi aliqua acceptatio aut donatio intercedat, nemo potest illi pro peccatis in eum admissis satisfacere: neque de hac re vlla controuersia esse potest, cùm etiam ethnici Philosophi intellexerint, & scripserint, Deo non posse ab hominibus paria reddi. Tota igitur controuersia est, vtrùm saltem imperfecta illa Satisfactio, quæ acceptatione, & donatione eius nititur, locum habeat in Sacramento Pœnitentiæ.

RVRSVS animaduertendum est: Satisfactione compensandam esse inæqualitatem, quæ non solùm iustitiæ, sed etiam amicitiæ contraria est, vt sanctus Thomas recte docet in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 3. quemadmodũ enim qui alterũ lædit, iustitiã simul & amicitiã violat: ita qui satisfacit, & iustitiã & amicitiã restaurare, ac redintegrare debet. Et quãuis vna actione possit aliquando iustitiæ simul, & amicitiæ satisfieri, tamen sæpè contingit, vt vna actio solam iustitiam, aut solam amicitiam restauret.

SI quis à Iudice comprehensus, tantum pœnæ subire cogatur inuitus, quantum ipse iniuriæ in alium intulit, satisfiet sine dubio supplicio illo iustitiæ, nec tamẽ inter eos amicitia reformabitur, quę inter inuitos esse nõ potest. Contrà autem, si quis ita grauiter aliquem læserit, vt non possit, nisi longo tẽpore, iniuriã compensare, is quidem poterit humili prẽce cõtinuò veniam petere, atque in gratiam eius redire quem læserat: deinde tamen suo tempore pro iniuria integrè satisfacere tenebitur.

IAM igitur cùm homines peccant in Deum, amicitiã simul, & iustitiam violant, vt notum est. Ac pro amicitia quidem reformanda, non potest homo Deo satisfacere: nam, vt suprà diximus, satisfactio hominis erga Deũ, acceptatione ipsius Dei necessariò indiget: acceptatio autem amicitiam præsupponit. Et prætereà vt satisfactio sit aliquo modo ad æqualitatem, oportet, vt sicut offensio habuit infinitatem quandam ex parte obiecti, sic habeat satisfactio infinitatem aliquam ex parte principij satisfacientis, proinde requiritur, vt opera satisfactoria fiant à Spiritu Dei hominem inhabitante, siue ab ipso homine vt mẽbro Christi, ac filio Dei iam per gratiam, & charitatem effecto. Non igitur fieri potest, vt pro instauranda amicitia cum Deo, homines satisfaciãt: & hoc est quod Theologi communiter docent, Satisfactionem non offerri Deo neque exigi ab hominibus pro culpa: gratis enim nos à culpa iustificat Deus, gratis amicitiam suam nobis restituit.

QVÒD si veteres Patres interdum actionibus humanis tribuere id videntur, vt Deum ex inimico amicum reddant, atque adeò pro expianda culpa satisfaciant: interpretandi sunt de Satisfactione ex congruo, non ex condigno, vt libro superiore diximus, de vi, & merito Contritionis.

DOCET quidem Ruardus Tapperus, insignis Theologus, in explicatione art. 6. Louanienſium, posse hominẽ satisfacere Deo pro culpa, & pœna æterna, per actus quosdam, qui ordine naturæ sequantur gratiæ gratũ facientis infusionem, & præcedant remissionem peccatorum: & in eandem sententiam citat sanctum Thomam in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. sed neque necesse est nunc de his subtilitatibus disputare, neque certò constat, an sanctus Thomas id voluerit: satis nobis est hoc loco, Doctores omnes in eo conuenire, vt non possit vllus ante gratiam gratum facientem adeptam, Deo satisfacere; in quo ne Hæretici quidem nobis aduersantur.

QVÒD etiam Andreas Vega, libro 13. in Concil. Trident. cap. 36. contendit satisfieri pro culpa, non repugnat iis, quæ diximus. Neque enim vult ille, satisfieri posse pro culpa, quatenus ea inducit inimicitiam cum Deo, sed solùm quatenus eam sequitur reatus pœnæ: quare quæstio solùm est de nomine.

RESTAT igitur controuersia solùm de Satisfactione, qua iustitiæ restauretur æqualitas. Restituta liquidẽ amicitia per gratuitam Dei misericordiã, & per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: posset quidem Deus vniuersum pœnæ debitum semper condonare, vt certũ est eum facere cùm primùm per Baptismum nos in filios recipit, vel cùm martyriũ pro nomine eius subimus: sed potest etiam id velle, vt cùm peccamus post Baptismũ, amicitia quidem gratis pœnitentibus, & confitentibus peccata sua, restituatur: sed maneat tamen debitum luẽdæ pœnæ, quo iustitiæ satisfiat. Quæstio igitur est, An velit Deus, vt peccantibus post Baptismum, remissa culpa, remaneat debitum luendæ pœnæ, an non: atque hoc est Primum, in quo Catholici ab Hæreticis dissident.

QVOD si probatum fuerit, vt paulò pòst, Domino benè iuuante fiet, remissa culpa non semper remitti debitum pœnæ: exstet alia Quæstio, An debitum illud pœnæ, post culpæ remissionẽ manens, possit per opera bona redimi. Nam (vt rectè explicat. Card. Caietanus, in tractatu de Contritione, quæst. 4.) pœna illa, quæ luenda restat post culpæ remissionem, est illa ipsa pœna sensus, quam in Gehenna pati debuisset peccator, remota solùm æternitate. Tria enim complectitur pœna Gehẽnæ: pœnam damni, pœnam sensus, & vtriusque pœnæ æternitatem: quorũ Primum respondet auersioni à Deo, Secundum, conuersioni inordinatę ad creaturas, Tertiũ, inimicitiæ cum sempiterno, & infinito Rege. Ex his autem tribus malis quæ sunt in Gehenna, à primo & tertio liberantur continuò, qui ad amicitiam Dei, & eius gratiam redeunt: solùm autẽ remanet malũ illud secundum, debitum videlicet pœnæ sensus, ad tempus luendæ.

ET quoniam posset Deus velle, vt ea pœna necessariò lueretur post hanc vitam, posset etiam admittere redemptionem eius pœnæ per opera laboriosa huius vitæ, & quid reipsa Deus velit, non conuenit nobis cum Aduersarijs: propterea nascitur Secunda Quæstio, An satisfacere possint homines, pro expiando reatu illius pœnæ, qui interdum remanet post remissionem culpæ.

POSTQVAM autem demõstratum fuerit, posse pœnam illã temporalem futuræ vitæ quæ propriè debetur peccato, per opera laboriosa huius vitæ redimi, nascetur quæstio Tertia, An opera laboriosa, quibus pœna peccati redimitur, tum sponte assumenda sint, tum etiã per Sacerdotes in Sacramẽto Pœnitẽtiæ iniungenda: nã in hoc etiam articũlo, non parùm ab Aduersarijs dissidemus.

TVM succedet Quarta, Quibus potissimùm operibus pro reatu pœnæ Domino satisfiat.

AC demum Quinta & postrema, Vtrum ista opera sint dicenda propriè satisfactoria, ita vt nos dicamur verè ac propriè Domino satisfacere.

CAPVT II.
Quòd sæpè remissa culpa, maneat debitum luendæ pœnæ.

PRIMA igitur controuersia est, An remissa culpa, remaneat aliquando reatus pœnæ temporalis. Aduersarij partim inter se conueniunt, partim dissident. Conueniunt enim de reatu pœnæ, alterius vitæ nullum eiusmodi reatum remanere, eáque de causſa omnes communi consensu Purgatorium, & suf-

fragia, atque Indulgentias pro defunctis negant: diſsidĕt autem de pœnis huius vitæ.

LVTHERVS enim initio ſuæ nouæ doctrinæ, negabat vllam pœnam à Deo exigi poſt culpam; vt cognoſci poteſt ex concione de Indulgentiis, quam habuit anno M.D.XVIII. & ex Aſteriſcis, quos oppoſuit Eckij obeliſcis, ad initium ſecundi aſteriſci. Deinde tamen idem Lutherus, admiſit reatum pœnæ temporalis in hac vita, poſt culpam remiſſam, vt patet ex aſſertione articulorum ſuorum, art. 5.

PORRÒ Priorem Lutheri ſententiam ſequutus eſt Ioan. Caluinus, lib. 3. Inſtit. ca. 4. §. 31. & 32. vbi docet Deũ à iuſtis nullas expetere pœnas in vindictã peccati præteriti, ſed eos tantùm paternè caſtigare ad profectũ, & emendationẽ in poſterum. Sententiã Poſterioré ſequuti ſunt multi ex Lutheri diſcipulis, ac præcipuè Philippus, in Locis vltimò editis, tit. de Satisfactione: & Kemnitius in 2. parte Examinis Trident. Concil. pag 1074.

CATHOLICI autem ſummo conſenſu docent, poſt remiſſam culpam ſæpè remanere reatum pœnæ temporalis, vt ex Concil. Trid. conſtat. ſeſſ. 6. c. 14. & ſeſſ. 14. can. 12. pœnam autem temporalem intelligunt, tũ in alia vita, tum etiam in preſenti: ſed pœna alterius vitæ, propriè peccatis omnibus, & ex condigno debetur; pœna autem huius vitæ, ſolùm ex congruo (vt ſic loquamur) certis peccatis à Deo infligi ſolet. Et quoniam de pœna futuræ vitæ, ſatis multa diximus in primo libro de Purgatorio, nunc de pœna huius vitæ breuiter dicemus.

IGITVR de pœna temporali huius vitæ, exſtãt in diuinis literis varia teſtimonia, ex quibus ea primo loco excutienda ſunt, quæ contra ſe Caluinus adduxit.

PRIMVM igitur teſtimonium eſt 2. Reg. 12. vbi Dauid poſt impetratam veniam adulterij, atque homicidij, punitus eſt morte filij.

SECVNDVM eſt 2. Reg. cap. 24. vbi idem Dauid ob numeratum populum Pœnitentiam agit, & à Deo in gratiam recipitur: & tamen poſt remiſſam culpam, datur illi optio vt eligat in pœnam peccati, bellum, famem, aut peſtem.

AD hęc duo loca reſpondet Caluinus, lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 31. & 35. pœnas iſtas non fuiſſe à Deo Dauidi impoſitas in vindictam peccati præteriti; ſed in admonitionem cauendi de cætero; eſſeque eiuſmodi flagella correptiones paternas, non iudicis vltiones: & in hac re citat Chryſoſtomum in homil. de Pœnitent. & Confeſſion. qui ſic ait: *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens.*

AT fruſtra nititur Caluinus. Nam inprimis 2. Reg. 12. Scriptura ipſa cauſſam referens mortis filij Dauid, non ait: Vt caueas in futurum; ſed: *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* Vbi videmus, pœnam Dauidi inflictam, referri ad præteritum potiùs, quàm ad futurũ; quod expreſsè negabat Caluinus, cùm diceret loco citato §. 33. *Ferulis verberantur filij, non vt mulctam delictorum perſoluant, ſed vt inde ad reſipiſcentiam proficiant: proinde in futurum eas potiùs, quàm in præteritum tempus reſpicere intelligimus.*

DEINDE nemo meliùs poteſt intelligere, qua de cauſſa Deus pœnam illam iniunxerit Dauidi: quàm ipſemet Dauid. Dauid autem intellexit ſibi iniunctam fuiſſe propter peccatum præteritum, non ad cauenda futura, id quod teſtantur lachrymæ, ieiunium, humi cubatio, & cætera, quibus mortem filij auertere conabatur. Neque enim pœnam ſibi vtilem ad cauenda futura, & ad hũc ſolum finem inflictam, deprecatus fuiſſet vir ſanctus: ſed quia intelligebat, luendam ſibi fuiſſe pœnam ob peccatum præteritum, per aliam viam Deo ſatisfacere cupiebat.

PRÆTEREA ſanctus Gregorius lib. 9. Moral. cap. 27. diſertis verbis ſcribit, Dauidem punitum fuiſſe ob peccatum præteritũ, quamuis remiſſum quoad culpam, quia Dominus delictum ſine vltione non deſerit.

AD hæc multa ſunt alia Scripturæ teſtimonia, quæ indicant, mortem ipſam ſæpe infligi in pœnam peccati, etiam poſt culpam remiſſam: ridiculum autem eſſet dicere, morte puniri homines, vt deinceps cautiùs viuant: proinde ad ea teſtimonia nullo modo applicari poteſt Caluini reſponſio.

PRIMVM teſtimonium eſt Gen. 2. *Quacunque die comederis, morte morieris.* & Rom. 5. *Per vnum hominẽ peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Neque Aduerſarij negant, mortem eſſe pœnam peccati originalis; quàm multi autem moriuntur, quibus peccatum originale remiſſum eſt?

Quod ſi fortè Caluinus dicat, mortem eſſe nonnunquam exercitationem virtutis, vt ſanctus Auguſtinus rectè docet, lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſio. cap. 34. quem locũ Caluinus adducit: quid dicemus de paruulis, qui poſt Baptiſmum repentè moriuntur? Nam ſine dubio peccatũ illis originale per Baptiſmũ dimiſſum eſt, neque eius ętatis ſunt vt virtutes exercere poſſint, & tamen in pœnã peccati ante legitimũ tẽpus rapiũtur: neq; ſolùm mors, ſed etiã morbi, & dolores, quibus iidẽ paruuli non rarò torquentur, ſunt pœnæ peccati originalis, neque vllo modo eis ad cauenda futura proficiunt.

DEINDE etiamſi quibuſdam mors interdum virtutis materia eſſe poſsit, tamen non ideò definit eſſe pœna peccati: cuius ſignum eſt, quòd non aliqui tantùm, ſed omnes omninò moriũtur, etiamſi aliqui iuſti ſint, & nullam in morte virtutem exercere valeant, vt qui repentina morte rapiuntur. Quocirca idem Auguſtinus lib. 13. de ciuit. Dei, cap. 6. mortem, & peccati pœnam, & exercitium virtutis ſimul eſſe dicit: *Cùm, inquit, ex primi hominis perpetuata propagine, proculdubio ſit mors pœna naſcentiũ, tamen ſi propietate, iuſtitiáque pendatur, fit gloria renaſcentis, & cùm ſit mors peccati retributio, aliquãdo impetrat, vt nihil retribuatur peccato.*

ALTERVM teſtimoniũ eſt Exod. 32. vbi ſine diſcrimine multa hominũ millia interfecta ſunt, propter peccatum adorati vituli: nec tamẽ credibile eſt, omnes illos in peccato mortuos eſſe, cùm Dominus teſtatus ſit, ſe ob Moyſis preces, peccatum illud dimiſiſſe.

TERTIVM eſt Numeri 14. vbi populus vniuerſus murmurauit, ac deinde ad Moyſis interceſsionem, recõciliatus eſt Deus Iſraẽli, & tamen in pœnam criminis illius, omnes omninò Hebræi, qui numerati fuerant, mortui ſunt in deſerto, exceptis Caleb & Ioſue, qui nõ murmurauerant. Ac præterquam, quòd (vt diximus pœna mortis non infligitur ad emẽdationem in futurum, Deus ipſe teſtatur eo loco eam pœnam in vltionem ſceleris à populo ſe exigere: *Et ſi ictis, inquit, vltionem meam.*

QVARTVM eſt Numer. 20. vbi Moyſes & Aaron, quia non glorificauerunt Deum ad petrã ea pœna damnantur, vt moriantur in deſerto: & de Aaron in eodem capite ita loquitur Scriptura: *Pergat Aaron ad populos ſuos, non enim intrabit terrã, quam dedi filiis Iſrael, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis:* & continuò deſcribitur mors eius. De Moyſe autem ſic legimus Deuter. 32. *Aſcende in montem iſtum Abarim, in montem Nebo, & morere in monte: quem conſcendens, iungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus, & appoſitus populis ſuis: quia præuaricati eſtis contra me, &c.* Nemo eſt autem qui neget, Moyſem & Aaronem poſt peccatum illud in gratiam Dei rediiſſe, manſit igitur pœna luenda poſt culpam remiſſam.

QVINTVM eſt 1. Corinth. 11. vbi Apoſtolus ſcribit, multos eorum qui indignè communicabant Sacramento corporis Domini, in pœnam peccati morte punitos, cùm ait: *Ideo inter vos multis imbecilles, & dormiunt multi*, quos ante mortem reconciliatos Deo fuiſſe, idem Apoſtolus monet, cùm addit: *A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Neque huic loco accommodari poteſt Caluini reſponſio.

SIMILE eſt quod ſcribitur 3. Reg. 13. de Propheta Domini, qui ob peccatum quoddam à leone occiſus fuit in itinere: & quia paulò antè prędicta illi fuerat ea calamitas, dubium eſſe non poteſt, quin Pœnitẽtiam egerit, & remiſſionem à Domino impetrauerit; nam in teſtimonium ſanctitatis eius, in qua vitam finierat, ſtabat leo iuxta cadauer, impaſtus, & ne aſinum quidem Prophetæ attingere audebat.

DENIQVE Chryſoſtomus, & Auguſtinus quos pro ſe Caluinus adducit: ſi rectè inſpiciantur, eidem Caluino manifeſtè repugnant. Nam Chryſoſtomus in homil. de Pœnitentia & Confeſſione, à Caluino citata, vtrumque ſcribit: & ſupplicium, quod Deus de nobis poſt culpam remiſſam interdum ſumit, vltionem eſſe peccatorum, & ſimul remedium contra futura; quod quidem veriſſimum eſt: *Ne peccantes, inquit, & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remiſit nobis ſupplicium, ſed vidit hoc manifeſtè, quod peccatis ipſis non minùs damnoſum ſit, non puniri: propter hoc imponit pœnam.* Quare illud quod ſequitur: *Non exigens ſupplicium de peccatis, ſed ad futura nos corrigens:* non ſignificat, vt verba ſonare videtur, pœnas, quas Deus infligit, non eſſe ſupplicium pro peccatis; ſed enim repugnaret apertiſſimè verbis ſuperioribus, vbi legimus, non remitti ſuppliciũ, & peccantes non manere inultos: ſed ſignificat, Deũ magis intẽdere in pœnis vtilitatem noſtram, quàm vltionem peccati, & ideò peccata vlciſci, quia nobis id vtile eſt, quemadmodum Oſeæ 6. legimus: *Miſericordiam volo, non ſacrificium.*

SIC etiam ſanctus Auguſtinus, lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 33. & 34. dicit quidẽ (quod notauit Caluinus.) pœnas, quibus Deus amicos ſuos affligi ſinit, eſſe materiam virtutis, ſed non negat eſſe etiam vltionẽ peccatorum. Et in Pſal. 50. apertiùs de hac re loquens, vltiones eſſe confitetur: *Veritatem, inquit, dilexiſti, hoc eſt, impunita peccata eorum etiam, quibus ignoſcis, non dimiſiſti: ſic præro gaſti miſericordiam, vt ſeruares & veritatem.*

QVID, quòd ipſe etiam Caluinus in lib. eodem cap. 8. §. 6. agnoſcit, puniri à Deo peccata, etiam in filiis, & amicis? ſic enim loquitur: *Adde quòd non modò infirmitatem noſtram præuenire, ſed præterita etiam delicta ſæpè corrigere habet clementiſſimus Pater: vt nos in legitima erga ſe obedientia contineat. Proinde quoties affligimur, ſubire protinus in mentem debet antè actæ vitæ recordatio: ita proculdubio repericmus, nos admiſiſſe, quod dignum eiuſmodi caſtigatione eſſet.*

CAPVT III.

Reatum pœnæ temporalis, qui interdum remanet poſt amicitiam cum Deo reformatam, bonis operibus redimi poſſe.

SEQVITVR Altera quæſtio, An reatus pœnæ temporalis, quem interdum ſupereſſe demonſtrauimus poſt culpam remiſſam, bonis operibus redimi queat; ſiue quod idem eſt, An pro reatu pœnæ, ſatisfieri poſſit.

Ioan. Caluinus, lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 30. docet, pœnas peccatorũ nullis operibus redimi poſſe: ſic enim loquitur de lege Teſtamenti vetereis: *Qui fit, vt nullis prorſus operibus admiſſa delicta procurare iubeat, ſed ſola in expiationem ſacrificia requirat: niſi quod ita teſtari vult, vnicum eſſe ſatisfactionis genus, quo iudicium ſuum placatur? nam quæ tunc immolabant ſacrificia Iſraëlitæ, non hominum opera cenſebantur: ſed à ſua veritate, hoc eſt, vnico Chriſti ſacrificio æſtimabantur,* & §. 36. explicans locum illum Danielis: *Peccata tua eleemoſynis redime. Non voluit, inquit, ſignificare, iuſtitiam & miſericordiam eſſe Dei propitiationẽ,*

& pœnarum redemptionem: abſit enim, vt alia vnquam fuerit ἀπολύτρωσις, quàm ſanguis Chriſti.

AT Lutherani ferè communiter fatentur, pœnas tẽporales, quarum apud Deum ſumus rei, poſſe interdum aliis pœnis ſponte aſſumptis tolli, aut mitigari.

MARTINVS Lutherus in aſſertione articulorũ ſuorum, artic. 5. non admittit quidem nomen Satisfactionis, ſed tamen concedit (quod ſolùm hoc loco quærimus) poſſe præueniri manum Dei, & pœnis ſponte ſuſceptis pœnas illas auerti, quas alioqui ob noſtra ſcelera merebamur. Quod idẽ admittit Philippus in Locis cõmunibus vltimò editis, tit. de Satisfactione, & in Apologia cõfeſſionis Auguſtanæ, cap. de Confeſſione & Satisfactione; & Kemnitius in 2. part. Exam. pag. 1078.

PORRÒ Catholici tria docent, Primò, pœnas temporales alterius vitæ, quæ in Purgatorio luendæ eſſent, redimi poſſe ieiuniis, precibus, eleemoſynis, aliiſque piis ac laboriоſis operibus huius vitæ: de qua re ſatis diximus in libris de Purgatorio.

SECVNDÒ, pœnas temporales huius vitæ interdum nõ poſſe redimi, ſed neceſſariò perpetiẽdas eſſe: id quod extra omnem controuerſiã eſſe videtur. Deus enim aliquando ita pœnam aliquam conſtituit, vt nullam pro ea redemptionem accipere velit. Talis inprimis pœna mors eſt, quam nullus quãtumuis iuſtus, vllo pio opere auertere potuit. Talis fuit pœna illa Dauidis, 2. Reg. 12. *Quia blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbũ hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* Tametſi enim Dauid ieiunauerit, & humi proſtratus orauerit, non tamẽ mortem illam filij ſui redimere potuit. Talis etiam fuit pœna illa Moyſis, ne intraret in terrã promiſſionis, ob peccatum, quod ad petram Oreb commiſerat: rogauit enim Moyſes (vt ipſe teſtatur Deuteronom. 3.) Deum, vt pœnam illam ſibi condonaret, & exauditus non eſt. Vide ſanctum Gregorium lib. 9. Moralium, cap. 30. in illa verba ſancti Iob, *Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt.*

TERTIÒ, poſſe aliquando pœnas temporales huius vitæ aliis operibus tolli: id quod tam eſt in Scripturis euidens, vt mirum ſit ab vllo negari potuiſſe. Certè Niniuitæ ob grauia peccata meruerant id, quod Deus illis cõminatus fuerat, vt poſt quadraginta dies Niniue ſubuerteretur: & tamen ieiuniis, ſaccis, & precibus Niniuitarum placatus Dominus, ciuitatem illam conſeruauit. Ionæ vlt.

SECVNDI Paralip. 7. Dominus ait: *Si clauſero cœlũ, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meũ: conuerſus autem populus meus ſuper quos inuocatũ eſt nomẽ meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cœlo & propitius ero peccatis eorũ, & ſanabo terrã eorum.*

Hieremiæ 18. Dominus dicit: *Repentè loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.*

DANIELIS 4. Cùm propheta expoſuiſſet Regi viſionem per quam indicata fuerat pœna tẽporalis, quam ille ob ſua ſcelera merebatur, continuò ſubiecit: *Quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* vbi apertiſsimè S. Daniel docet, poſſe pœnas peccatorum piis operibus redimi.

NEQVE poteſt accommodari huic loco ſolutio illa Caluini, quòd loquatur Daniel de redemptione debiti ad homines, vt videlicet reſtitueret Nabuchodonoſor quæ iniuſtè rapuerat. Nam peccatum præcipuum Nabuchodonoſor, ob quod pœnam illam meruerat, quam propheta eleemoſynis auerti poſſe dicit, non fuit rapina bonorum alienorum, aut aliquod aliud peccatum in ho-

mines,sed superbia,& cordis elatio. Sic enim legimus in illo ipso 4.capit.Danielis : *In aula Babylonis deambulabat : respondit que Rex & ait ; Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris meiꝰ Cúmque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex,regnum transibit à te,&c.*

PRÆTEREA etiamsi peccatum Regis fuisset iniquitas in homines:tamen non solùm illud peccatum habuit Nabuchodonosor, sed multa alia. Daniel autem omnia peccata eleemosynis redimi posse dicit : *Peccata tua,* inquit,*eleemosynis redime.* quod clariùs scribitur Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato,& à morte liberat.* Loquitur igitur Daniel de eleemosyna,non tam vt hominibus ablatum restituit,quàm vt Deum offensum placat.

HVC etiam facit quod ait Apostolus,1. Corinth.11. *Si nosmetipsos diiudicaremus,non vtique iudicaremur.*

DENIQVE,huc pertinet sententia illa sancti Augustini in Psal.50. *Impunita peccata eorum, etiã quibus ignoscis,nõ dimisisti sic prærogasti misericordiam,vt seruares & veritatem: Ignoscis confitenti,ignoscis, sed seipsum punienti: sic seruatur misericordia,& veritas.*Et illa sancti Gregorij, lib.9.moral. cap.27. *Proculdubio Dominus delictum sine vltione non deserit:aut enim ipse hoc homo in se pœnitẽs punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.*& cæteræ Patrum sententiæ,quas infrà cap.9.adferemus.

CAPVT IV.

Opera laboriosa,quibus reatus pœnæ temporalis expiatur, sponte suscipi posse.

QVERTIA quæstio erat, Vtrum opera laboriosa; quibus pœnæ temporalis reatus expiandus est, tum sponte assumenda sint,tum etiam à Sacerdotibus iniungenda.

CONCILIVM Trident.sess.14.cap.9. docet, tribus modis Domino satisfieri : pœnas & flagella à Deo immissa patienter ferendo ; opera laboriosa sponte assumendo;& mulctam Sacerdotum arbitrio iniunctã subeundo. Ex quibus modis solùm primum sine controuersia Aduersarij admittunt : modum secundum & tertium,Philippus in Locis,tit.de Satisfactione,propè finẽ, videtur omninò reiicere,cùm sic loquitur:*Rectè,inquit, Ecclesia imponit aliquas mortificationes agentibus pœnitentiam. Hic iterum admonendi sunt pij,vt discernant hypocrisim, seu opera indebita, à mortificatione debita. Mortificatio non simulata, est aut verus dolor in contritione, aut patientia sustinens veras afflictiones : vt Dauid obiurgatus à Nathan, cùm verè expauisset agnitione iræ Dei, & esset in vero dolore,idem deinde cùm calamitates,quæ sequutæ sunt, perferret, sustinuit mortificationẽ.* Et infrà:*Non sunt mortificationes, sine mandato Dei accersitæ corporis lacerationes, sicut sacrificuli Baal sibi vulnera faciebant. Tales vltrò accersiti cruciatus,pertinent ad regulam,Frustrà colunt me mandatis hominum.item pugnant cum his præceptis,Non occides.item,Habeto honorem corpori.*

MARTINVS etiam Kemnit.in Examine suo par.2. pag.109.satis apertè reiicit duos illos modos,vbi tractãs locum Apostoli:*Si nos ipsos iudicaremus,&c.*1. Corint.11. *Non vitiur,*inquit,*verbo κρίνειν,sicut Pontificij interpretantur de electitiis pœnis,quæ tanquam satisfactiones, aut compensationes pro peccatis, vel voluntariè suscipiuntur, vel à Confessionario iniunguntur.*Et infrà,pag.1092.negat pertinere ad claues,iniunctionem satisfactionis:& pag.1093. ita scribit : *Quod dictum est,Optimam & aptissimam pœnitentiam esse,nouam vitam,hanc habet sententiam : post acceptam fide propter Christum remissionem peccatorum,non requiri præterea aliam satisfactionem,aut expiationẽ pro peccatis,cùm simus in Christo cõsummati,sed requiri illud,quod Scriptura præscribit:Desine à malo,& fac bonum.*

MARTINVS Lutherus in assert.art.5. admittit quidem, rectè facere Ecclesiam, dum, vt pia mater quibusdam castigationibus filios suos puniens, præuenit manum Dei : non tamen admittit hoc pertinere ad claues, cùm (vt ipse notat) ligentur & soluantur peccata, non autem confessio vel satisfactio ligari aut solui rectè dici possit.

SED facilè nobis erit, vtrumque modum satisfaciendi,& per pœnas sponte assumptas,& per iniunctas à Sacerdotibus, ex diuinis literis, & Patrum testimoniis demonstrare.

AC Primùm de Pœnis sponte assumptis tot sunt in Scripturis exempla,ac testimonia,vt mirum sit,potuisse in mentem alicuius cadere,vt id negaret. Quis sanctum Iob coëgit pœnitentiam agere in fauilla, & cinere, eius delicti,quod verbo commiserat:sic enim ipse ait; c.vlt. *Insipienter loquutus sum,idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla,& cinere.* Quis Dauidem coëgit ieiunare,& humi iacere?2.Reg.12.& ponere vestimentum suum cilicium?Psal.68.& panem sicut cinerem manducare,& potum cum fletu miscere?Psalm.101.nónne hæc omnia , & alia id genus multa sanctus Dauid sponte sua faciebat,vt de se pœnas sumeret, ob peccata in Deũ admissa? Nónne etiam Achab sponte sua cilicium ad carnem induit, vt Deum placaret, ieiunauítque, & dormiuit in sacco, vt legimus3. Reg.21. & Dominus de eo ad Heliam dixit: *Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.*Quid Rex Niniuitarũ?nónne sponte sua surrexit de solio,& abiecto vestimento suo,indutus est sacco, & sedit in cinere, & ieiunium toti populo suo indixit?Si pœnæ istæ sponte assumptæ,hypocriticæ essent,& cum præceptis diuinis pugnarent, vt Philippus cũ nouis Epicureis dicit ; qua ratione Deũ placassent, & ruinam iam impendentem auertissent,vt scribitur Ionæ tertio?

PORRÒ libri veterũ Patrum, ac præsertim Tertulliani in lib.de pœnitentia, sancti Cypriani in sermone de lapsis,Paciani in Paræneſi ad Pœnitentiã,sancti Ambrosii in li.ad Virginem corruptã;pleniſſimi sunt exhortationibus, ad opera pœnitentiæ laboriosa sponte suscipienda.

AC inter alia Pacianus in Paræneſi ad pœnitentiã:post Tertullianum,sic ait:*In quantum pœnæ vestræ non pepercerit is,in tantum vobis Deus parcet.* Et S. Gregorius loco suprà citato,lib.9.Moral.c.27.*Delinquenti,*inquit,*Dominus nequaquam parcit:aut enim ipse homo in se hoc pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* Cui consonat quod scribit S. Augustinus apud Bedã in com. c.11.prioris ad Cor. in illud:*Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Pro illis peccatis, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt,regnum Dei non possidebunt:in pœnitentia maiorem in se quisque seueritatem debet exercere, vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Domino:sicut idem Apostolus ait, Si enim nos iudicaremus,à Domino non iudicaremur.*

EX quo intelligimus,parùm ad rem facere,quod notauit Kemnitius, Apostolum non vsum esse verbo διακρίνειν,sed κρίνειν,cùm ait:*Si nos iudicaremus:*siquidẽ Apostolus per vocem διακρίνειν, intellexit quidem discutere ac discernere,vt vox ipsa propriè significat,sed haud dubiè voluit , vt qui se discutiunt,si malefacta in se inueniunt,ea corrigant,& puniant,ne à Domino grauiùs puniantur,vt S.Augustinus rectè exposuit. Quem sequitur Anselmus in eundem locum, & ab his non discrepat Commentarius, qui tribuitur Ambrosio qui per διακρίνειν , intelligit , errata non solùm discernere, sed etiam corrigere:cum quibus apertissimè sentit Chrysostomus homil.42. in Matthæum : *Audi,* inquit Chrysostomus, *Paulum dicentem,Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.Et quonam modo,inquies,à me ipso rationes viuendi,& supplicium exigam? largos lachrymarum effunde fluuios,laboribus ac vigiliis te ipsum afflige,&c.*

NEQVE argumenta illa Philippi, quòd pertineant

pœnæ sponte assumptæ ad regulam , *Frustrà colunt me mandatis hominum,*& quòd pugnẽt cùm præceptis:*Non occides,*&,*Habeto honorem corpori* : concludunt aliquid: alioqui reprehendere cogeremur sanctũ Iob , Dauidem Prophetã,& alios sãctissimos homines,quos,cõstat pœnas multas sponte suscepisse, vt peccata in se punirent.

ILLVD igitur:*Frustrà colunt me mandatis hominũ,*non habet locum in re proposita:tum quia Dominus eo loco non loquitur de eo , quod sponte agimus , sed de eo, quod facimus ex hominum imperio:tum quia non displicet Deo obedientia erga homines,nisi quando cõtraria Deo præcipiunt homines:tum denique quia nõ hominum,sed Dei mandatum est,vt qui peccauit,pœnitentiam agat; & pœnitentiam Scripturæ passim describunt per fletum,planctum,ieiunium,saccum,&c.Itaque cùm dicuntur aliqui pœnas sponte sua assumere;illud Sponte sua,non excludit mandatum Dei de pœnitentia agẽda, & operibus laboriosis assumendis; sed excludit tum peculiare Sacerdotis imperium : tum etiam certum genus,aut mensuram operum laboriosorum , quam Scriptura aut Ecclesia in particulari præscripserit.

ILLVD autem,*Non occides,*quorsum adducitur?neque enim vllus nostrum probat eiusmodi pœnas , quæ mortem , aut mortis periculum adferant. Porrò ieiunia, preces,sacci,& cæteræ corporis asperitates,adeò nõ occidũt,vt Eremitæ illi veteres,qui in eiusmodi operibus, præter cæteros homines exercebãtur,diutissimè vixisse legantur:neque illud negari potest,quin plures crapula, quàm ieiunium;deliciæ,quàm labores occiderint.

DENIQVE illud:*Habeto honorem corpori,*quod ex ca. 2.ad Colossen.Lutherani,corporis quàm animæ studiosiores,passim adferre solent,duobus modis commodissimè explicatur. Nam si commentarium sancti Ioannis Chrysostomi sequi velimus , sententia Apostoli erit, vt debitus honor corpori tribuatur. Exigit autem debitus honor corporis,vt ei necessaria prouideantur , quod faciendum esse nos minimè negamus ; non autem exigit, vt ob animæ salutem non affligatur, alioqui Paulus ipse contra suum præceptum egisset,quando castigabat corpus suum,& in seruitutẽ redigebat,1.Corinth.9.Si verò sanctum Augustinum audiamus in epistola 59.ad Paulinum,tantum,aberit,vt hic locus sit contra nos,vt etiam maximè faciat pro nobis. Nam ex Augustini sententia, beatus Paulus reprehendit quosdam,qui ex superstitione corpus affligebant , non autem vt illud ob animæ salutem castigarent:vbi corporalis afflictio sponte assumpta laudatur,sed finis malus reprehenditur:*Videntur quidem,*inquit Apostolus,*quæ isti faciant, rationem habentia sapientiæ in superstitione , & humilitate, non ad parcendum corpori,non in honore aliquo ad saturitatem carnis:*hoc est, Videtur quidem abstinentia istorum habere quasdam rationes sapientiæ,quia hoc facere videtur ad humiliandum cor,& castigandum corpus,non ad honorandum, & saturandum : tamen quia ex superstitione id faciunt, non ex vera pietate,nihil eis prodest.

CAPVT V.

Opera quibus reatus peccati præteriti expietur,rectè à Sacerdotibus iniungi.

DEMONSTRAVIMVS hactenus, opera laboriosa sponte assumi posse : sequitur , vt ea posse quoque, ac debere à Sacerdotibus iniungi breuiter ostendamus.

PRIMVM igitur verba illa Domini: *Quodcunque ligaueris,*Matth.16.&.*Quæcunque alligaueritis,*Matth.18.satis apertè hoc docent.Rectè enim Concilium Tridentinũ, sess.14.can.15.docet:Claues Sacerdotibus datas non tantùm ad soluendum,sed etiam ad ligandum,& ideò secuti à culpa pœnitentes absoluunt,ita etiã posse ac debere eosdem ad certa pœnitentiæ opera alligare,& quemadmodum peccata remittũt quoad culpam, & pœnã æternam, dum absoluunt, sic etiam peccata retinent quoad pœnam temporalem,dum mulctã pœnitenti imponunt.

RIDICVLA autem est obiectio Lutheri,quod peccata ligari & solui dicantur, non Confessio, aut Satisfactio. Nam neque nos dicimus,ligari vel solui Confessionem, aut Satisfactionem:neque propriè peccata soluuntur,aut ligantur,sed homines sunt,qui à vinculis peccatorum absoluuntur,vel pœnarum vinculis alligantur.

PORRÒ in potestate Clauium contineri,vt Sacerdotes pœnitentibus opera quædam laboriosa præscribant. ac per hoc,ad Ius diuinum,non ad humanas traditiones hoc pertinere,testatur sanctus Leo in epist.91.ad Theodorũ,vt his verbis:*Mediator Dei & hominũ,hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatẽ , vt & confitentibus actioni pœnitentiæ darent , & eosdẽ salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.*

SANCTVS etiam Cyprianus in sermone de lapsis, dum contendit , non oportere ad Martyrum preces, remittere peccata lapsis , nisi priùs expleuerint impositas mulctas,ad Euãgelium recurrit:*Contra Euangelij,*inquit, *vigorem, contra Domini ac Dei legem , temeritate quorundam laxatur incautis communicatio.Irrita,& falsa pax,periculosa dantibus,& nihil accipiẽtibus profutura.Non quæruntsanctitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam.*& infrà:*Contra Euangelium facere non possunt,qui de Euangelio Martyres fiunt.*

ET sanctus Gregorius libro 3.in 1.Regum,explicans c.7. *Afflictio,* inquit , *pœnitentiæ, ad delenda peccata idonea est, cùm Sacerdotis fuerit iudicio imperata, cùm ab eo confitentium actibus discussis,pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.*

AD hæc pleni sunt Cõciliorũ libri canonibus (quod nec Aduersarij negant) quibus certum tempus ad satisfaciendum pœnitentibus præscribitur. Et quamuis opera laboriosa,pœnitentibus olim ante Absolutionem imponebantur, & explebantur, tamen non fuisse id absolutè necessarium , sed potuisse etiam expleri post Absolutionem,vt hoc tempore fieri solet, ac per hoc, satisfactiones illas non tàm ad culpam, quàm ad pœnam temporalem expiandam,referri consueuisse, perspicuum est ex Conciliis illis,quæ in articulo mortis iubent pœnitẽtibus Communionem dari,etiamsi nulla , aut non plena præcesserit satisfactio , sed tamen admoneri , vt si forrè superuixerint , integrè pœnitentiam sibi iniunctam expleant.Vide Concilium Nicænum, can.12. aliàs13. Carthaginense IV.can.76.Arausicanũ I.can.3.Mogũtinum sub Rabano canone 26. Itẽ caput 8..Græcarũ Synodorum à Martino Bracarensi collectarum : & ex Pœnitentiali Theodori apud Gratianũ,26.q.7.c. An ab infirmis.

NEC verò desunt optimæ rationes,ob quas planè cõgruens fuerit,vt in Sacramẽto Pœnitẽtię Deus vellet per ministros suos certam mulctam peccatoribus imponi.

PRIMVM enim id exigebat differentia inter eos, qui ante Baptismum,& qui post Baptismũ peccãt. Qui enim peccãt ante Baptismum , maiori misericordia digni sunt, quàm qui post Baptismum,cùm illi in tenebris ignorantiæ,isti in lumine fidei,& agnitionis Dei versarentur : illi diabolo,& pompis,atque operibus eius nondum renunciũ remisissent,isti remisissent:illi sine adiutorio gratiæ gratum facientis,& absque Spiritu sancto inhabitante viuerent;isti filij Dei effecti,pignus Spiritus in cordibus suis haberent:illi denique nunquã anteà ad indulgentiã peruenissent,isti post indulgentiam,& tot beneficia,ingrati, tantum benefactorẽ iterum ad iracundiã prouocassent. Itaque omninò par erat,vt Deus Ministris suis mãdaret, vt peccantes post Baptismũ,non sine mulcta iniuncta ad indulgentiã diuinã per ianuã reconciliationis admitterẽt.

QVAM rationem Michaël Psellus in ea disputatione quam edidit, An plena remissio detur in fine suscipienti

habitum Monachalem; egregiè his verbis cõplexus est, ex sententia Gregorij Nazianzeni: *Quot afferemus lachrymas, vt fonti Baptismi exaquentur? Etenim nisi tantæ fuerint lachrymæ, vt per eas noctræ iniquitates obruantur, non inuenientur eis superiores.* Et infrà: *Diuinum quidem lauacrum, sicut superiùs est dictum, etiam sine lachrymis largitur remissionem peccatorum. Quamobrem, quòd talis lauacro adest potestas, & quod facilè condonari possunt, quæ ante Baptismũ peccata sunt, vt quæ sint admissa propter ignorantiam, ostensum est: quæ autem post Baptismum, multis lachrymis indigent, & non facilè condonantur, quoniam prudentes scientèsque peccamus.*

ALTERA ratio peti potest à misericordia, & iustitia Dei, quæ in diuinis literis passim coniunctæ prædicantur: siquidem maximè consentaneum est rationi, vt sic Deus ex misericordia peccata condonet, vt etiam iustitiæ, quoad eius fieri potest, satisfieri velit.

NEQVE soluitur argumentum, si quis dixerit, Christũ pro nobis Deo Patri abundè satisfeciſſe. Nam etiam si ad amicitiam Dei recuperandam, & pœnam sempiternã euadendam, congruens fuerit, vt nobis Christi satisfactio applicaretur, cùm nos tanto oneri omninò impares essemus; tamen ad expiandam pœnam temporalẽ, per Christi gratiam idonei effecti, par erat, vt nos ipsi, qui Deum offenderamus, eidem nostro labore satisfaceremus.

TERTIA ratio ducitur à differentia Sacramẽti Baptismi, & Pœnitentiæ. Nam Baptismus, cùm sit lauacrũ regenerationis, non requirit, vt is qui regeneratur, in ea re multùm laboret: at Pœnitentia, quia medicamentum est animæ vulneratæ, ac ægrotãtis, id planè exigit, vt qui curatur, medicinales vstiones, incisiones, pharmaca amara, aliaque id genus multa sustineat.

QVARTA ratio sumitur ab vtilitate ipsius pœnitẽtis: vtilissimum enim peccatori est, vt non maneat penitùs impunitus, ne ex veniæ facilitate ad peccandum iterum incitetur. Atque hæc est ratio sancti Gregorij Nazianzeni, oratione 14. quam habuit in funere parẽtis sui Gregorij, *Deus*, inquit, *vltionum est Dominus, qui licet ob clementiam, a seueritate ad remissionem inclinare consueuerit, non tamen in omnibus parcit peccantibus, ne illi bonitate sua fiant deteriores.* Hæc ille.

NEQVE solùm timor satisfactionis cum labore exsoluendæ, coërcet à peccando, sed etiam admonet quãta sit peccati grauitas, & eo modo animam erudit, & illustrat, atque ex eo lumine ingens quoddam odium erga peccatũ nascitur, vt iam nõ timore pœnæ, sed amore iustitiæ, & ocio peccati in bonis actionibus perseueretur.

NEQVE exigua est illa vtilitas Satisfactionis, quòd multùm conducit ad habitus vitiorum eradicandos: & virtutum inserendos, quódque Christi crucem gestare nos facit, & Christo ipsi compati, vt cum eodem posteà (iuxta Apostolum) regnemus: quas rationes breuiter attigit Concilium Tridentinum, sessio. 14. cap. 8.

QVINTA ratio petitur ab vtilitate, quæ in alios redundat. Nam sæpè ob peccatum vnius, non punitum, vt oportebat, in totum populũm Dei furor accẽditur, cuius rei testis est Iosue, qui cap. 7. scribit, populum Israël tamdiu coram hostibus terga vertisse, donec peccatũ Achan detectum, & punitum nõ fuit. Neque exigua est illa vtilitas, quod ex pœna vnius, præsertim si publica sit, sæpenumero corrigũtur multi. Denique, illud quoque accedit, quòd, vt sanctus Cyprianus ait in sermone de lapsis, extremo: *Is qui Deo pro peccatis suis satisfacere, vt par est, laborat, non solùm veniam apud Deum impetrat, sed etiam quam contristauerat ipse, lætam facit Ecclesiam.*

CAPVT VI.

Opera satisfactoria esse, Orationẽ, Ieiunium, & Eleemosynã.

VARTA sequitur quæstio, Quænam sint illa opera, quibus pro reatu pœnæ expiando, satisfacere debemus. Et quidem Philippus Melanchthon cùm in Confessione Augustana, artic. de Confessione, inter eos qui sunt de abusibus, & in Apologia articuli de pœnitentia, tùm in Locis, tit. de Satisfactione, absolutè damnat ea opera, in quibus Catholici Satisfactionẽ constituunt, ac dicit esse cæremonias, res inutiles, non mandatas diuinitùs, traditiones humanas, &c.

MARTINVS autẽ Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 1094. admittit, opera quæ Satisfactoria dicuntur à Catholicis, vt Orationem, Ieiunium, Eleemosynam, in genere, & vt ad vitæ nouitatem pertinent, mandata esse diuinitùs: tamen certam mensuram eleemosynæ, certos dies ieiuniorum, certas preces ad expianda peccata, vel sponte susceptas, vel à Sacerdotibus indicta; contẽdit esse traditiones humanas, & opera electitia, quæ nullius sint apud Deum precij, aut valoris.

NOBIS igitur duo probanda sunt. Primùm, opera Satisfactoria in genere, nõ esse cæremonias, aut res inutiles, sed res vtilissimas, quarum in diuinis literis exstent exẽpla, promissiones, & præcepta. Deinde, hęc ipsa opera in particulari quatenus à Deo nõ imperãtur, sed spõtè ad peccata expianda suscipiũtur, gratissima esse Deo, & exemplis Scripturarũ, ac promissionibus confirmari.

QVOD igitur ad Primum attinet, sciendũ est, Opera satisfactoria, ex communi Theologorum sententia & ex Concil. Tridentino, sess. 14. can. 13. esse Orationem, Ieiunium, & Eleemosynam, ac præterea illa omnia quæ ad hæc tria, tanquam ad quędam præcipua capita reuocantur.

CVR autem hęc tria præcipuè à Theologis statuantur, duę sunt causæ. Vna est, quòd debeamus satisfacere per ea bona quę nostra sunt, quoad eius fieri potest. Habemus autem tria genera bonorum; animi, quæ Deo damus per Orationem; corporis, quę Deo damus per Ieiunium: externa, quæ Deo damus per Eleemosynam. Altera ratio est, quod omnia vitia reuocantur ad illa tria, quę S. Ioannes posuit in epistola, cap. 2. concupiscẽtiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Ieiunium comprimit concupiscentiam carnis, Eleemosyna concupiscentiam oculorum, id est, auaritiam, Oratio superbiam vitę.

REVOCANTVR autem ad Ieiunium ea omnia, quę corpus affligunt, & concupiscentię carnis repugnant. vt cilicia, cineres, flagellationes: reuocantur ad Eleemosynam, quę repugnant auaritię, aut certè in proximi vtilitatem cedunt, vt opera omnia misericordiæ: reuocantur ad Orationem, quæ Deo propriè exhibentur, vt laudes, gratiarum actiones, Contritionis & Confessionis actus.

QVOCIRCA rectè Theologi docent, per actum Contritionis vt est opus pœnale, semper aliquid pœnæ temporalis, pro qua satisfaciendum erat, remitti: & aliquando tam vehementem esse posse dolorem Contritionis, vt tota pœna remittatur. Quòd etiã à nostris doceri, agnoscit Philippus in Apologia confess. in articulo de Confess. & Satisfactione; & tamen mentiri audet, nos Satisfactionem in cæremoniis, & rebus inutilibus constituere.

HIS ita constitutis, facilè erit probare Scripturarum testimoniis ea, in quibus nos ponimus Satisfactionem. Nã de Oratione loquitur Deus in Psal. 49. *Inuocã me in die tribulationis, eruam te, &c.* vbi simul præceptũ, & promissionẽ videmus. Exemplũ habemus Dauidis, qui tot Psalmis cõpositis, peccata sua coràm Deo defleuit, itẽ Manasse, de quo sic legimus, 2. Paralip. 33. *Qui postquã angustatus est, orauit Dominũ Deum suũ, & egit pœnitentiã valde coram Deo Patrum suorũ, deprecatusque est eũ, & exorauit intentè: & exaudiuit orationẽ eius reduxitque eũ Hierusalem in regnum suum.* De ieiunio habemus exemplum Dauidis, vt cætera prętermittam, 2. Reg. 12. item præceptum, & promissionem Ioëlis 2. De Eleemosyna insigne exstat exẽplum Tobiæ 1. præceptũ, & promissio. Luc. 11.

Date

Date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.

RVRSVM hæc tria commendantur ab Angelo: Tobię 12. *Bona est Oratio cum ieiunio, & Eleemosyna.* & regulas eorundem trium operum explicat Dominus Mat. 6.

DE cinere, & cilicio, quæ ad Ieiunium reducuntur, exstant exempla in diuinis literis, vt Niniuitarum, Ionæ 3. Dauidis, ac seniorum Israël, 1. Paral. 21. Idem imperatur Hier. 4. Ioëlis 1. & alibi. Idem confirmat ipse Dominus, Mat. 11. Denique Hieronymus in comm. ad 3. cap. Ionæ: *Saccus*, inquit, *& ieiunium, arma sunt pœnitentiæ.*

DE flagellatione, ac percussione sui ipsius, quod genus pœnitentiæ præter cætera damnant Aduersarij, habemus exemplum Apostoli Pauli, 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* quo loco verbũ Græcum ὑποπιάζω, (vt Theophylactus notat) significat, vsque ad liuorem contẽdere. Et quamuis Apostolus similitudinem ducat ab iis, qui in stadio pugnant, ac dicere velit, eo se modo corpus suum malè accipere, ac subiicere, quemadmodũ athletæ, cùm in stadio aduersarium suum pugnis, ac cæstibus ad liuorem vsque contundunt: tamen omninò probabile est, Paulum etiã propriè corpus suum verberibus affecisse: tùm quòd vox Græca id significet, tùm quòd hoc genus pœnæ etiam veteribus fuerit vsitatum. Nam Luc. 18. Publicanus pœnitens percutiebat pectus suum: & S. Hieron. postquam dixerat in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis, *Horrebant sacco membra deformia.* & : *Nuda humo vix ossa hærentia collidebam.* &: *Repugnantem carnem, bel domadarum inedia subiugabam.* subiungit: *Memini me clamantem, diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas.*

IAM verò hæc ipsa opera, quatenus quoad certum modum in particulari, diuinitùs mandata non sunt, ac per hoc indebita dici possunt, grata esse Deo, & sancta, atque vtilia, demonstratum est à nobis in 2. libro de Monachis, vbi de Consiliis Euangelicis, & Operibus supererogationis disputauimus.

AC præter alia, insigne testimonium habemus in lib. Num. cap. 30. vbi Deus approbat, & sibi reddi iubet, vota sponte facta de ieiuniis, aut alia quauis corporis afflictione, Atqui Deus nusquam imperauerat, non solùm in specie aliqua certa vota, sed ne in genere quidem vlla vota: & tamen vota sponte facta Deo grata esse, perspicuum est, tum ex eo, quòd iubet sibi reddi, tum ex illa Prophetæ cohortatione: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Psal. 75. Falsum igitur est quod Aduersarij passim scribunt, opera indebita, siue non imperata diuinitùs, minimè Deo placere.

INSIGNE quoque est exemplum S. Ioannis Baptistæ, cuius vestis, pili camelorum erant, cibus locustæ, lectus, humus; domus, desertum. Matth. 3. Luc. 3. & Mac. 1. Neque poterunt Aduersarij in Scripturis ostendere, vbi Deus tantam vitæ asperitatem imperauerit, vt omninò fateri cogamur, eiusmodi labores sponte susceptos fuisse, atque ad opera supererogationis pertinuisse. Neque illud dici potest, respiscẽtiam, ac vitæ nouitatem eos labores postulasse. Nam nec S. Ioannes vnquam à Deo alienus fuerat, vt conuersione, & respiscentia, ac vitæ nouitate indigeret, neq; conuersio, ac vitæ nouitas, ac sententia præcipuè Aduersariorum, tantam seueritatem requirit. Ioannes igitur quia Pœnitentiam prædicaturus venerat, vt eam non solùm verbo, sed etiam exemplo prædicaret, *Elegit*, vt scribit Chrysostomus, homil. 10. in Matthæum, *vestem, & victum, ac reliquam vitam compunctioni, & pœnitentiæ accommodatam.* & placuisse Deo eiusmodi vitam, testis est Christus ipse, qui Ioannem Matth. 11. & Luc. 7. mirificè laudauit.

HVC etiam pertinet Annæ illius exemplum, quæ vt Lucas scribit, c. 2. *Non recedebat à templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens, die ac nocte.* Nam à templo non recedere, & perpetuò ieiunare & orare, non erat in lege Domini vsquam imperatum: & tamen hæc opera indebita, & supererogationis, fuisse cultum Deo gratum ex verbis Euangelij satis apertè colligitur. Neq; enim Euangelista in laudibus eius mulieris posuisset, assidua illa ieiunia, & preces & in tẽplo commorationẽ, neq; dixisset, illã Deo seruisse ieiuniis, & orationibus, nocte ac die, nisi opera illa cultum Dei esse credidisset. Omitto alia plurima, quæ per se obuia sunt, & à nobis alibi annotata.

PORRÒ vereres Patres, afflictiones istas carnis non imperatas in particulari, sed sponte assumptas, apertissimè laudant, & ad cultum Dei pertinere dicunt.

TERTVLLIANVS in lib. de resurrectione carnis. seras & aridas escas, & reliquam corporis afflictionẽ, sacrificia esse Deo grata, scribit. Gregorius Nazianzenus in epist. Ad Hellenium, scribẽs de quibusdam sanctis viris, qui aut nunquam homines videbant, aut totos viginti dies sine cibo transigebant, aut integro anno in oratione stabant: quæ certè opera non sunt diuinitus imperata: *Talis*, inquit, *est Christus pars, talis passionum Christi fructus, quem ipse è terra ad Patrem defert, religionis, inquam, Christianæ columen, populi decus, mundi fundamentum, cum cælestibus pulchritudinibus elegantia propemodùm certans.* Augustinus hom. 29. in lib. 50. homiliarum, eleemosynarum largitionem, sacrificium vocat. Idem, siue quicũq; fuit auctor, in lib. de dogmatibus Ecclesiasticis, c. 68. *Pro amore castigandi corporis, abstinemibus à vino vel carnibus, nihil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Iouniani est.* At profectò à carnibus, & vino astinere, non est diuinitùs imperatum. Leo serm. 2. de ieiunio decimi mensis. *Pro consummata*, inquit, *perceptione omnium fructuum dignissimè largitorum, eorum Deo continentiæ libamen offertur.* quo loco S. Pontifex, sacrificium, ac per hoc, cultum Dei, ieiunium illud appellat, quod certum est non esse à Deo Christianis impositum. Denique, pleni sunt libri Patrum eiusmodi testimoniis.

POSTREMÒ, accedit etiam ratio. Nam si Deo placent opera, quæ ipse neque in genere, neque in specie imperauit, modò cum debitis circumstantiis fiant, vt paulò antè ostendimus de votis. quantò magis certum erit, placere Deo, quæ ipse saltem in genere imperauit, qualia sunt, Oratio, Ieiunium, & Eleemosyna, & quæ ad ista reuocantur? Argumenta Philippi soluta sunt capite superiore.

CAPVT VII.

Posse hominem iustificatum verè Deo satisfacere pro reatu pœnæ temporalis.

VLTIMA restat quæstio, Vtrum opera quæ fiunt ad redimẽdam pœnam temporalem cuius reatum sæpè manere ostendimus post culpam dimissam, verè Satisfactoria dici possint. Aduersarij siquidem etiamsi cogantur admittere (vt iam disputauimus) manere interdum reatum pœnæ temporalis post culpam remissam, & pœnis sponte assumptis præueniri manum Dei, & flagella diuina auerti, ac denique Ieiunium, Orationem, & Eleemosynam esse opera laboriosa, ac Deo grata: tamen nullo modo adduci possunt, vt fateantur, per hæc opera satisfieri Deo, aut pœnas debitas compensari, vix etiã nomen ipsum Satisfactionis ferunt.

LVTHERVS in assert. art. 5. *Vehementer*, inquit, *odi, & sublatum vellem hoc vocabulum, Satisfactio, quod non modò in Scripturis non inuenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro vllo peccato satisfacere, cùm gratis ille ignoscat omnia.*

PHILIPPVS in Apologia Confess Augustanæ, art. de Conf. & Satisfactione: *Sed tamen*, inquit, *fatentur Aduersarij, quod Satisfactiones nõ prosint ad remissionẽ culpæ: verùm fingunt Satisfactiones prodesse ad redimendas pœnas, seu Purgatorij, seu alias.* Et infrà: *Hæc tota res est commentitia, recens conficta, sine auctoritate Scripturæ, & veterum*

scriptorum Ecclesiasticorum. Et infrà: *Scholastici viderunt in Ecclesia esse Satisfactiones, sed non animadvertebant, illa spectacula instituta esse, tum exempli causſa, tũ ad probandos hos, qui petebant recipi ab Ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam, & rem prorsus politicam: ideò superstitiosè fixerunt, eas non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere.*

IOAN. Caluinus, lib. 3: Instit. cap. 4. §. 39. loquens de Satisfactionibus, quæ leguntur apud veteres: *Vocarunt*, inquit, *vt plurimùm Satisfactionem, non compensationem, quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui Excommunicatione multati fuerant, cùm in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua pœnitentia certiorem: indicebantur enim illis pœnitentibus certa ieiunia, & alia, quibus se prioris vitæ verè, & ex animo pertæsos esse approbarent, vel potiùs priorum memoriam obliterarent, atque ita dicebantur, non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere.* Hæc ille, qui his verbis satis ostendit, se non admittere Satisfactionem, qua Deo satisfiat, & in superioribus explicauerat, se non solùm Satisfactionem quoad culpam, sed neque etiam quoad pœnam, vllo modo admittere: cuius argumenta paulò infrà dissoluemus.

MARTINVS etiã Kemnitius loco sæpiùs notato, ac præcipuè, p. 1087. id præcipuè in Tridentino Concilio reprehendit, quod exigat Satisfactionem in reconciliatione, quæ fit post Baptismum: *Ita*, inquit, *Concilium sententiam suam explicat: eos qui ante Baptismum deliquerunt, dicit in gratiam à Deo recipi sine propriis satisfactionibus, propter meritum & satisfactionem Christi: qui verò post Baptismum lapsi sunt, illis ait diuinam clementiam non dimittere peccata absque vlla propria ipsorum satisfactione, quam pro peccatis ipsi exoluant. Hoc Lector bene notet, &c.*

NOS igitur Concilium Trid. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. can. 13. & Ecclesiæ totius sententiam sequentes, probare aggrediemur, per opera illa pœnalia, de quibus hactenus loquuti sumus, verè ac propriè Dño satisfieri pro reato pœnæ, qui post culpã dimissam remanet expiãdus.

ILLVD tamen anteà præmittendum putamus, quod & initio libri huius attigimus, nos hoc loco de Satisfactione illa, verba facere, quæ (vt nostri loquuntur) ex condigno quidem pœnam temporalem expiet, non tamen ex rigore iustitiæ. Satisfactio enim ex rigore iustitiæ duo requirit: vt satisfiat ex propriis, & ad æqualitatẽ, nulla videlicet præueniente, aut intercedẽte gratia eius, cui debetur Satisfactio. Nos autem neque aliquid habemus, quod Dei non sit, neque possumus vllo genere honoris adæquare iniuriam, quã Deo fecimus: cùm iniuriæ mensura æstimetur ex dignitate Dei, quæ infinita est, mensura honoris, quem illi impendimus, æstimetur ex dignitate nostra, quæ est finita, ac perexigua. Nihilominùs tamen accedente gratia Dei, eáque multiplici, verè possumus aliquo modo ex propriis, & ad æqualitatem, ac per hoc iustè, & ex condigno satisfacere.

PRIMVM enim accedit gratia iustificationis, per quam efficimur filij Dei, membra Christi, habitacula Spiritus sancti: & hac ratione, opera nostra, vt à Spiritu Christi in nobis habitante procedunt, quandam habent infinitatem, ac per hoc etiam quandam æqualitatem cum iniuria, qua Deum peccando afficeramus.

ACCEDIT Rursus alia gratia, dum Deus, qui nostra omnia sibi iure vendicare posset, non omnia, quæ facere possumus, imperat, sed certa quædam opera duntaxat: alia verò permulta, non imperat, sed suadet atque ad ea facienda hortatur, vt li. 2. de Monachis copiosè ostendimus. Ex qua Dei benignitate illud cõsequitur, vt habeamus opera propria, & indebita, quibus pro iniuria satisfaciamus: quanquam ea est benignitas Dei, vt etiam quę munera ipsius sunt, nostra esse merita patiatur, & quæ de manu eius accepimus, sibi donari libenter admittat.

ACCEDIT Præterea alia gratia. Nam Deus cùm nos amicitiam suam per reconciliationem iterum recipit, à pœna, cuius debitores eramus, æternitatem aufert, ac de æterna temporalem facit. Ita igitur intelligimus, per nostra opera Domino satisfieri, non ex rigore iustitiæ, sed gratia ipsius cáque multiplici præcedente, & comitante, atque id nobis donante, vt habeamus, vnde ex propriis, & ad æqualitatem pro pœna temporali satisfacere valeamus.

HAC explicatione præmissa, probanda est veritas Primùm testimoniis Scripturarum. Deinde, traditione veteris Ecclesiæ.

CAPVT VIII.

Ex Scripturis probatur, Deo satisfieri posse pro pœna temporali, culpa dimissa.

PRIMVM igitur Scripturæ testimonium esse potest, quod habetur Isaiæ c. 1. vbi Dominus promittit remissionem plenam ac perfectam peccatorum, quasi præmium quoddam, iis qui non tantùm lauerint ac mundauerint se per contritionem, sed etiam in bonis operibus misericordiæ se exercuerint. Sed de hoc loco plura dicemus can. 15. in solutione tertij argumenti Ioannis Caluini.

ALTERVM testimonium habetur Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* & Prou. 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Hìc enim habemus vocem Redemptionis, quæ æquiualet voci Satisfactionis, quã Lutherus in diuinis literis inueniri negabat. Certè enim nõ minùs ad iustitiam pertinet Redẽptio, quàm Satisfactio: & si absurdũ esset dicere, nostris operibus satisfieri pro peccatis, multò esset absurdius dicere, nostris operibus redimi peccata: quẽadmodum ipsi etiã hæretici grauiùs ferunt, si dici velimus aliqua ex parte redẽptores, quàm satisfactores. Cùm igitur Scriptura non vno in loco disertis verbis tradat, nostris operibus redimi peccata, profectò nõ abhorret ab vsu Scripturæ, quòd nos dicimus, nostris operibus satisfieri pro peccatis. Quemadmodum autem refellatur Caluini expositio, cap. 3. ostendimus.

SED fortãsse obiiciet aliquis, non dixisse Danielem, Pœnas tibi debitas eleemosynis redime, sed, *Peccata tua eleemosynis redime*, proinde loquutum esse de redemptione culpæ, quam nos ipsi fatemur, non esse veram & propriam redemptionem.

RESPONDEO, in sacris literis nomen peccati sæpenumerò accipi pro pœna, siue pœnæ reatu: vt Genes. 43. *Nisi reduxero puerum, ero peccati reus in te omni tempore.* Deut. 5. *Reddens iniquitatem patrum in filios.* 3. Reg. 1. *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* Et hoc modo accipi potest illud, quod adduximus ex Prouerbiis: *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.*

LOCVS autem Danielis duobus modis exponi solet. Vno modo vt per peccatum intelligatur culpa, siue inimicitia cum Deo: & tunc significatur illis verbis, posse hominẽ pœnitentem per eleemosynas placare Deum ex congruo, atque ab eo gratiam reconciliationis impetrare. Ex qua interpretatione id sequitur, vt si opera hominis nondum iustificati, tamen cum auxilio Dei specialiter facta, tantùm valent ad reconciliationem, vt ex congruo dicantur redimere culpam: multò magis opera hominis iusti, ex Spiritu inhabitante facta, tantùm valeant ad expiandam pœnam temporalem, vt ex condigno dicantur redimere pœnam.

ALIO modo exponuntur à nõnullis ea verba, vt per peccatum sola pœna intelligatur. Sed quia Nabuchodonosor impius erat, & non solùm pœnæ, sed etiam culpæ remissione indigebat, idcircò auctores illi volunt, sententiam Danielis esse hiulcam, ac subintelligi alia verba, quibus ad agendam pœnitentiam, & quærendam reconciliationem Daniel Regem sit cohortatus, ac tùm demùm addiderit de expianda pœna: *Peccata tua eleemosynis redime.* Cæterùm plenus commẽtarius erit, si verba

Danielis intelligamus de perfecta remissione peccati quoad culpam & pœnam, ita vt cohortatio sit ad magnas & frequentes eleemosynas, quibus primùm disponatur Rex ad reconciliationem, deinde etiam pœnam ex condigno redimat: quem admodum intelligendus esse videtur locus ille Lucæ 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Ad quem modum etiam loquitur S. Cyprianus in serm. de lapsis, vbi operã pœnitentiæ requirit, quibus primùm venia peccatorum impetretur, deinde etiam corona gloriæ acquiratur.

TERTIVM testimonium positum est in illis verbis Præcursoris: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, Luc. 3. quod testimonium Aduersarij non rectè exponunt de nouitate vitæ, & obseruatione legis diuinæ. Nam facere fructum dignum pœnitentiæ, est operari eo modo, quo decet eum qui pœnitentiam profitetur, qui autem pœnitentiam profitetur, quòd aliquem læserit, non solùm cessat à lædendo, nec solùm cauet in futurum ne quid in eum committat, sed etiam damnum resarcit, compensat iniuriam, malè facta corrigit, & emendat.

ATQVE in hunc modum locum istum veteres exposuerunt. S. Greg. hom. 20. in Euangelia: *Aliud*, inquit, *est fructum facere Pœnitentiæ, aliud, dignum Pœnitentiæ fructũ facere. Vt enim de dignis pœnitentiæ fructibus loquamur, sciendum est, quòd quisquis illicita non commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur, sicque opera pietatis faciat, vt tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortassis, quod grauiùs est, in adulterium lapsus est, tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrasse.* Vide eum lib. 6. cap. 2. in primum Regum, vbi cum tria ad Pœnitentiam requirat, mentis conuersionem, oris confessionem, & peccati vindictam, hoc tertium, ex testimonio à nobis allato de dignis Pœnitentiæ fructibus confirmat.

BEDA lib. 1. in Lucam cap. 2. repetit verba Gregorij iam citata. Idem etiam Beda in Psal. 4. *Sacrificate*, inquit, *sacrificium iustitiæ, quasi dicat: Ita dico, vt irascamini præteritis peccatis, vt sacrificetis sacrificium, id est, mortificetis propria vitia vestra, faciendo dignos fructus Pœnitentiæ, tantùm scilicet pro singulis vos affligentes, quantum digna expetit Pœnitentia, quod erit sacrificium iustitiæ.*

PETRVS Damiani in serm. 2. de S. Andrea: *Ne tibi blandiaris, si grauiter peccanti, leuior Pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur, cùm in Purgatoriis ignibus perficiendum sit, quidquid hic minùs feceris: quia dignos Pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.*

CHRISTIANVS Druthmarus in capit. 3. Matth. *Fructum*, inquit, *dignum Pœnitentiæ facere, est præterita mala fletibus punire, & bona è contrario agere, & malè commissa eleemosynis redimere.*

HESYCHIVS lib. 4. Leuit. c. 14. *Hæc*, inquit, *opera necessaria habet, quæ virtutibus, & actionis studio valeant delere peccata: propter quod Ioannes Baptista populo Iudæorum dicebat, Facite fructum dignum Pœnitentiæ.* & paulò infrà, explicans quæ sint ista opera, siue fructus Pœnitentiæ, dicit esse Orationem intentam, Eleemosynam, vigilias, saccum, ieiunium, lachrymas.

S. Ioannes Chrysostomus homil. 10. in Matthæum, exponens hunc ipsum locum: *Facite*, inquit, *fructus dignos Pœnitentia. Quo autem modo fructificare poterimus? Vtique peccatis aduersa faciamus: Verbi gratia, aliena rapuisti? incipe donare iã propria. longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sæpius. paucorum dierum castitate meditare. iniuriam, vel opere cuiquã, vel sermone feciſti? refer benedictionis verba conuiciis, & percutientes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende: neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodò spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis anteà, & temulentia diffluebas? ieiunio, & aquæ potu vtrumque compensa.*

PACIANVS in epist. 3 Sympronianum: *Vides*, inquit, *in sarmentis fructum requiri, id est, bona opera Pœnitentiæ? sicut Ioannes ait, Facite fructum dignum Pœnitentiæ, videlicet sarmenta purgari: quæ sunt detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonij, vitæ labores, qui actus propriè pœnitentium sunt.*

HI certè Patres non solùm vitæ nouitatem, & legis obedientiam requirunt, vt digni fructus Pœnitentiæ censeantur, sed etiam vt à licitis nos abstineamus, vt opera faciamus, quæ valeant delere peccata, vt malè facta laboriosis operibus puniamus, vt scelera bonis operibus redimamus, vt vitiorum plagas abstinentię medicina curemus, vt crapulam & ebrietatem (vt Chrysostomus loquitur) aquæ potu, ac ieiunio compensemus. Denique Pacianus, detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonij. & vitæ labores, id est, ieiunia, fletus, eleemosynas profusas & cæteras vitæ asperitates, quas alioqui nulla lex imperat, fructus dignos pœnitentiæ esse definit. Digni autem fructus, rectè dici non possent, nisi revera sufficerent ad iniuriam compensandam, si non ad æqualitatem quantitatis, saltem ad æqualitatem proportionis, & iuxta acceptationem eius qui fuerat læsus.

QVARTVM testimonium habetur 2. Cor. 7. vbi B. Paulus inter alios bonos fructus sanctæ tristitiæ, quæ Pœnitentiam in salutem stabilem operatur, ponit Vindictam. Neque multùm refert, an Apostolus loquatur de vindicta, quam is, qui Pœnitentiam agit, de seipso sumit, an de ea, quæ iniungitur ab alio: satis enim nobis est, probari ab Apostolo pœnas, quæ vindictæ nomine inueniuntur in Pœnitentia. Vindicta enim ad præteritum respicit, & ad iustitiam pertinet, neque aliud est, nisi id quod nos dicimus Satisfactionem: ideò enim sumit vnusquisque de peccatis suis pro amore Dei vindictam, vel à Sacerdote iniunctam libenter admittit, vt iniuriam Deo factam ea ratione compenset.

ET quamuis Caluinus vt suprà notauimus, multis in locis neget, vllam pœnã pro peccatis nostris exigi à nobis tamen li. 3. Inst. c. 3. §. 15. hunc locũ Apostoli tractans, ita loquitur: *Postrema est vindicta: quo enim seueriores in nos sumus, & acriore cẽsura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitiũ, ac misericordem Deum. Et certè fieri non potest, quin anima diuini Iudicij horrore perculsa, partes vltionis in exigẽda de se pœna occupet.* Quo loco apertè cõcedit, Apostolum Paulum loq. de pœna, quæ vindictæ nomine à pœnitẽte suscipitur.

QVINTVM testimonium colligitur ex Leuitico, ca. 4. 5. & 6. vbi sacrificia diuersi precij, pro æstimatione ac mensura delicti imperantur. Fuisse autem ea sacrificia compensationem, ac satisfactionem pro reatu pœnæ temporalis expiando, probabitur can. 15. in responsione ad argumenta Caluini, in solut. 5. argumenti.

HVC adferri possent illa omnia Scripturæ loca quæ docent, opera hominum iustorum, meritoria esse vitæ æternæ. Nam si opera iustorum eam vim habent, vt vitam æternam verè & propriè mereantur: nullo modo negari potest, quin etiam efficacia esse possint ad satisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis, siquidem longè maius est gloria æterna, quàm pœnæ temporalis remissio. Certè inter homines, si quis Regem suum iniuria afficisset, ac deinde in amicitiam restitutus, ita se gereret, vt merito operum suorum in societatem regni admitteretur, quis ambigeret, eundem officiis erga Regem, pecuniarium debitum facilè posse redimere?

SCRIPTVRAE testimonia pro meritis vitæ æternæ passim occurrunt, sed duo nobis hoc loco sufficient. Alterum est Mat. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* quo loco, & vox Mercedis, & nomen Operariorũ, & pactum cum operariis ex denario diuino, non permittunt nos aliter hunc locũ exponere, quàm de meritis propriè dictis, quibus ex iustitia merces debetur: denariũ autem

diuinum, qui eo loco pro mercede ponitur, communi consensu Patres docent esse vitam æternam. Vide Ambrosium lib.7.in Lucam cap.66. Hieronymum libr.2.in Iouinianum; Augustinum libro de sancta Virginitate cap.26. Gregorium libro 4. Moral. cap.42. Chrysostomum, & alios in hunc locum Matthæi.

ALTERVM testimonium est 2. Tim.4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed iis, qui diligunt aduentum eius,* certè corona iustitiæ, quæ redditur à iusto Iudice, veram & propriam laborum, meritorúmque mercedem significat. Sed de his hactenus; nam de meritis operum suo loco fusiùs disseremus.

CAPVT IX.

Ex traditione veteris Ecclesiæ probatur Satisfactio.

NVNC adferemus testimonia veteris Ecclesiæ. Ac Primùm ætate prima post Apostolos, id est, post annum Domini C. habemus Iustinum, siue quicunque fuit auctor quæstionum, quæ in Iustini operibus continentur. Is igitur q 79. quærit, Cur Iosiam Regem Deus permiserit gladio cædi, cùm vir sanctissimus fuisset: respondet autem his verbis: *Cæterum luctuosum vitæ finem propterea Iosias retulit, quòd iussioni Hieremiæ non paruerit, qui ei ex mandato Dei dixerat, vt ne progrederetur ad obuiandum Regi Aegypti in bellum, sicut ait Hieremias. Quapropter vt eum purum à peccatis ex hac vita reciperet Dominus Deus, ideò permisit illum inobedientiæ eius ferro Aegyptio pœnas exoluere.* Quòd si mortem illam Deus permisit, vt purum Iosiam à peccato reciperet: ergo mortis pœna expiatio fuit peccati, & proinde (quod est idem) satisfactio pro peccato: & si pœna illa mortis violentæ, expiatio fuit peccati, ad eundem modum cæteræ pœnæ, quæ post peccatum exiguntur à pœnitentibus, non sunt satisfactiones coram hominibus tantùm, sed etiam coram Deo: neque solùm in remedium contra futura, sed etiam in vindictam & compensationem præteritorum exiguntur.

S. Irenæus lib.3.c.37. loquens de Pœnit. Adami: *Timor,* inquit, *Domini initium intelligentiæ, intellectus verò transgressionis fecit Pœnitentiam, pœnitentibus autem largitur benignitatem suam Deus. Etenim per succinctorium in facto ostendit suam Pœnitentiam, foliis ficulneis semetipsum contegens, existentibus & aliis foliis multis, quæ minùs corpus eius vexare potuissent, condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum.* Et infrà ponit verba ipsius Adami: *Quoniam,* inquit, *eam, quam habui à Spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam: & nunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem, & pungit corpus. Et hoc semper habuisse indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos.* Ex hoc testimonio discimus, fructum Pœnitentiæ dignũ, non esse solùm vt aduersarij volunt, nouam obedientiam mandatorum, non enim Deus mandauerat, vt Adam indumento illo tam aspero vteretur: sed esse pœnam sponte susceptam, quæ dolore corpus afficiat, & voluptatem ex peccato perceptam ea ratione compenset. Quocirca rectè Irenæus indumentum illud Adami vocat condignum inobedientiæ amictum. Inobedientia enim ex superbia nata fuerat, & idcirco iustum, & condignum erat, vt humilitate compensaretur, amictus autem ille, non solùm carnẽ punctionibus affligebat, vt ob delectationem illicitã Domino satisfieret, sed etiam vtilitate ad cor humiliandum valebat, vt superbiam, & inobedientiam compensaret. Atque hinc videtur posteà factum, vt pœnitentes sacco, siue cilicio communiter vterentur. Idẽ lib.4.c.26. in fine: Docebat, inquit, *vt facerent præcepta, quæ ab initio præcepit Deus, & vt veterem cupiditatem per opera bona soluerent, & sequerentur Christum. Quoniam autẽ ea, quæ possidentur, pauperibus diuisa solutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zachæus facit manifestum: Ecce, dicens, dimidium bonorum meorũ do pauperibus.*

Tertull. in lib. de Pœn. *Offendisti,* inquit, *sed reconciliari adhuc potes, habes cui satisfacias, & quidem volentem.* Et infrà: *Satisfactio cõfessione disponitur.* Et paulò antè: *Quàm porrò ineptum, Pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est precium non exhibere, ad mercedem manum emittere: hoc enim precio Dominus veniam addicere instituit: hac Pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* Ex hoc testimonio habemus nomen Satisfactionis, quod Lutherus sublatum cupiebat: habemus satisfieri Deo, non autẽ soli Ecclesiæ, vt Aduersarij docent: habemus, Satisfactionis opera ex condigno redimere pœnas peccatorum: nam ideò precium, redemptionem, & compensationem Tertullianus appellat.

POST annum Dñi CC. habemus Origenem. Is hom. 6. in Exod. sic loquitur: *Si quis fortè huiusmodi pecuniam à Diabolo deceptus, accepit, non vsquequaque desperet, misericors enim, & miserator Dominus, & creatura suæ non vult mortem, sed vt conuertatur, & viuat. Pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat quod admissum est.* Item homil.15. in Leuit. vbi dixerat, posse redimi peccata in hac vita, subiungit: *Si tamen inuenerit manus tua precium, quod restituat. Quale precium? Pœnitentiæ sine dubio lachrymis congregatum, & manibus, id est, labore boni operis inuentum.* Hom. 3. in lib. Iudic. *Vide,* inquit, *benignum Dominum misericordiam cum seueritate miscentem, & ipsius pœnæ modum iusta & clementi librationepensantem. Non in perpetuum tradit delinquentes, sed quanto tempore erraste nos ti, quanto tempore deliquisti, tanto nihilominus tempore humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei in confessione Pœnitentiæ.*

S. Cyprianus lib.1. epist.3. scribens aduersus eos, qui non præmissa plena satisfactione, pacem pœnitentibus dabant: *Elaborant,* inquit, *ne Deo indignanti satisfiat.* Et infrà: *Datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur.* Item li.3. epist.14. *Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros, vt qui possint agere Pœnitentiam veram, Deo Patri, & misericordi precibus & operibus suis satisfacere, seducantur vt magis pereant.* Itẽ in serm. de opere & eleemosynis: *Nec haberet,* inquit, *quid fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas diuina subueniẽs iustitia, & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret, vt sordes postmodum quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis Spiritus sanctus, & dicit: Eleemosynis & fide delicta purgantur: non vtique illa delicta, quæ fuerant antè contracta, nam illa Christi sanguine & sanctificatione purgantur.* Ex hoc testimonio apertissimè discimus, discrimen inter Baptismum, & Sacramentum Pœnitentiæ, quod Aduersarij perspicere nunquam potuerunt. Nam ante Baptismum non exigitur Satisfactio, cùm Christi sanguine per Baptismum plenissimè applicato, purgentur peccata omnia, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam alterius vitæ, tum æternam, tum temporariam: post Baptismum autem necessaria Satisfactio est, quoniam (vt suprà ostendimus) per Absolutionem Sacerdotalem remittitur quidem culpa, & pœna æterna, sed non tota pœna temporalis alterius vitæ. Idem Cyprianus in serm. de lapsis: *Dominus,* inquit, *orandus est, Dominus nostra Satisfactione placandus,* & infrà, in vltimis verbis, posteaquam dixerat: *Orare oportet impensiùs, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis, ac noctes fletibus ducere, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus voluptari,* &c. ita subiungit: *Qui sic Deo satisfecerit, qui Pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exaudius & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*

POST annum Domini CCC. S. Antonius Magnus in epist.1. extrema, dicit Deum aspicere ad ieiunia plurima, vigilias, meditationes assiduas, preces largas, abdicationem rerum huius mundi, & cæteros labores pœnitentium, & sic eorum misereri.

LACTANTIVS lib.4. de vera sapientia, c.17. *Volens,* inquit, *Vitæ, ac saluti nostræ pro æterna sua pietate cõsulere, Pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, vt si cor nudauerimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur.* Idem lib.5. de iustitia, c.13. *Deo,* inquit, *Satisfacere licet.* & lib.6. de verò cultu, c.13. *Circumspice,* inquit, *conscientiam tuam, & quantum potes, medere vulneribus: nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim, si Deo largiare, quia peccaueras: nam si fiducia largiendi pecces, non abolentur. Deus enim purgari homines à peccatis maximè cupit, ideóque agere Pœnitentiam iubet.* His verbis Lactantius Cyprianum, vt videtur, sequutus, hortatur pœnitentes ad eleemosynarum largitionem: ac dicit peccata tolli, & aboleri per eleemosynas, si hominem pœniteat peccâsse, & ideò quia peccauit, nimirum vt satisfaciat Deo, eleemosynas largiatur: non tolli autem nec aboleri, si fiducia largiendi homines peccent, id est, si eleemosynas largiantur, vt liberiùs pecent. Eodem lib.can.24. idem auctor: *Potest,* inquit, *reduci, & liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conuersus, satisfaciat Deo.*

S. Hilarius in Psal.118. exponens versiculum vltimum literæ Phe. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Conscius,* inquit, *peccatorum veterum, vt historia ipsa docetur, licet toto corde se direxerit, tamen quia & peccati sui dolorem antè reipsa scripserit, tunc cum Nathan Propheta arguente, crimen suum recognouit, & flenit nunc quoque non desinit veræ Pœnitentiæ lachrymis, facti veteris crimen abluere.* Et infrà: *Hæc Pœnitentiæ vox est, lachrymis orare, lachrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere, Lauabo per singulas noctes lectum meum. Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lachrymarum imbre madefieri.* Ex hoc testimonio habemus, Dauidem post perfectam conuersionem, & indulgentiam culpæ adeptam, lachrymis peccatum olim commissum abluisse, quia videlicet intelligebat, post culpam remissam, reatum pœnæ remansisse, qui Satisfactione purgandus esset: habemus etiam, veniam peccati esse, fonte fletuum flere, id est, copiosis lachrymis veniam sine dubio obtineri. Idem can.4. in Matth. non procul à fine: *Quia charitas,* inquit, *plurimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est, nouissimum pœnæ quadrantem soluemus, nisi precio ipsius aliquantorum criminum culpa redimamur.* Vide quàm perspicuè magnus hic Doctor operibus charitatis redimi dicat eam pœnam, quam pro culpa debebamus.

S. Basilius in Psalm. 29. exponens versiculum illum: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi. Sed,* inquit, *& lamentantur nobis Prophetæ, ad luctum nos prouocantes, vt simul ad confessionem, & cognitionem peccatorum nostrorum delati, ex Propheticis sermonibus, nostrum lugeamus exitium, laboribus multis, & ærumnis nostram carnem affligendo. Et sanè qui talis est, lugubris vestis dissumpitur, quam sibi circumposuerat, suum lugens peccatum: huic tandem circumponitur amictus lætitiæ, & pallium salutis,* &c. Hoc loco satis apertè Magnus Basilius docet, laboribus & ærumnis quibus affligitur caro, acquiri lætitiam indulgentiæ, ac salutis. Idem etiam in oratione super illa verba: *Attende tibi. Attende,* inquit, *tibi, vt pro delicti proportione, hinc quoque mutueris ex admota tibi medela, valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est, & graue peccatum? multa opus habes confessione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulso & continenti ieiunio. Leuis est, nec intoleranda offensio? huic quoque exæquetur Pœnitentia.* Hic verò apertissimè agnoscit Basilius, Satisfactionem condignam esse debere, & eam proportionem cum peccato exigere, vt verè per eam offensio compensetur.

SANCTVS Ambrosius in epistola octagesima secunda, ad Ecclesiam Vercellensem: *Quæ nobis,* inquit, *salus esse potest, nisi ieiunio cluerimus peccata nostra?* Idem libro 2. de Pœnitentia, capit. 5. *Vtrumque,* inquit, *beatum dixit, & cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur operibus bonis; qui enim agit Pœnitentiam, non solùm diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatoribus factis operire, & regere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum.* Idem ad Virginem lapsam cap.8. *Grandi plagæ,* inquit, *alta, & prolixa opus est medicina: grande scelus, grandem necessariam habet satisfactionem.* Idem in libro de Helia & ieiunio, capit. 20. *Habemus,* inquit, *plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes? redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es, peccatis tuis venumdatus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua.*

SANCTVS Gregorius Nazianzenus in oratione de pauperum amore, propè extrema: *Misericordia,* inquit, *& fide peccata purgantur. Ergo misericordiæ purgemur, animique labes & inquinamenta, egregia illa herba detergamus ac dealbemus, alij vt lana, alij vt nix, pro misericordiæ videlicet proportione.* Idem in oratione in sanctum lauacrum, dicit, cicatricem ex peccatorum vulneribus remanentem, obduci obnixis precibus, multo luctu, & gemitu, & lachrymis. Idem oratione in sancta lumina, posteaquam multa dixerat de Baptismo laborioso Pœnitentiæ, subiungit: *Æquale est malum, & dimissio absque castigatione, & castigatio sine venia, quandoquidem illa totas relaxat habenas, hæc verò nimiùm restringit.* qua sententia pulchrè refellit Nouatianos & Lutheranos (licet hi nondum nati essent) Nouatiani enim castigationem admittebant sine spe absolutionis, Lutherani contrà absolutionem sine castigatione concedunt. Quare sicut Cyprianus de Nouatianis dixit, illos subtraxisse de satisfactione medicinam, lib.4. epistol.2. ita nos dicere possumus de Lutheranis, eos è contrario subtrahere de medicina satisfactionem.

S. Pacianus in Paræneſi ad Pœnitentiam, extrema: *Obtestor,* inquit, *& deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quãprimùm remedia salutis inuadere, deiicere mœroribus animum, sacco corpus inuoluere, cinere perfundere, macerare ieiunio, mœrore conficere, multorũ precibus adiuuare. In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantũ vobis Deus parcet.* Et infrà: *Ecce polliceor, si ad Patrẽ vestrum vera Satisfactione redeatis, nihil vlterius errando nihil pristinis adiiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid, & flebile, Peccauimus in conspectu tuo Pater, iam non sumus digni nomine filiorum: continuò de vobis & pecus illud recedet immundum, & siliquarum esca deformis,* &c.

POST annum Domini CD. habemus Inprimis tres summos sanctissimósque Pontifices. S. Innocentius I. in epist.1.c.7. *Cæterum,* inquit, *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, vt ad ædat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atq; lachrymas corrigentis, ac tum debere dimitti, cum viderit congruam Satisfactionem.* Idem in epist.22. ad Episcopos Macedoniæ, ca.4. *Ergo,* inquit, *si ita est, applicentur ad ordines sacrilegi, adulteri, atq; omnium criminum rei, quia benedictione Ordinationis crimina vel vitia putantur auferri: nullus sit Pœnitentiæ locus, quia id potest præstare Ordinatio, quod longa Satisfactio præstare consueuit.* Hinc certè sine ambiguitate discimus, longa Satisfactione criminum, remissionem acquiri.

S. Leo I. serm.1. de ieiunio decimi mensis: *Oratione,* inquit, *propitiatio Dei quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur.* Idem in

epist.79.ad Nicetam,ca.5. *De iis Christianis, qui inter eos, à quibus fuerant captiuati,cibis immolatitiis asseruntur esse polluti, consultationi tuæ charitatis hoc etiam respondendum esse credidimus, vt pœnitentiæ Satisfactione purgentur; quæ non tàm temporis longitudine, quàm cordis compunctione spectanda est.* Idem in epist.91. ad Theodorum, rursum repetit,salubri Satisfactione pœnitentes purgari:& in epistol.92.ad Rusticum, cap.2. de Sacerdotibus Pœnitentibus loquens: *Vnde*, inquit, *huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, priuata est petenda secessio, vt illis Satisfactio si fuerit digna,sit etiam fructuosa.*

S. Gelasius I. in epistol. 1. ad Episcopos Lucaniæ, Brutij, & Siciliæ, cap. 23. *Viduæ, quæ propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerint, periculi earum intererit, quali Deum Satisfactione placare debeant.*

Praeter hos Pontifices,habemus insignes Theologos,Græcos & Latinos. Sanctus Ioannes Chrysostomus in 2.lib de Sacerdotio,non longè à principio: *Non temerè*, inquit, *ad delictorum modum oportet & multam ipsam adhibere:sed tamquam ex coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, &c.* & homil. 41. ad populum Antiochenum:*A nobis*,inquit, *vltionem sumamus,ita placabimus Iudicem.* Idem hom.2.de lapsu primi hominis: *Ostendit*, inquit, *Dominus, quibus officiis possint delicta purgari: ostendit,confessione & deformitate cultus, veniam posse facillimè impetrari.*

Theophilvs Alexand.in 1.Paschali epistol.extrema: *Præterita*, inquit, *peccata pœnitentia corrigamus, præsenti fletu redimamus futura gaudia, aculeoque conscientiæ in morem apum noxios peccatorum fucos repellamus.*

Sanctvs Hieronymus in capit.1. Ioëlis, explicans illa verba: *Accingite vos,& plangite. Qui*, inquit, *peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus: & cubet, vel dormiat in sacco, vt præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset.* Idem in epistol. ad Eustochium de obitu Paulæ matris, ita Paulam loquentem inducit; *Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpè depinxi: affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia lintcamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda.*

Sanctvs Augustinus in Enchiridio capit. 70. *In melius*, inquit, *est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus,non ad hoc emendus, vt ea semper liceat impunè committere: nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata, si non Satisfactio congrua negligatur.* & cap.71. *De quotidianis autem breuibus, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.* Item in epistol.54.ad Macedonium: *Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi vt id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat: eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullius contemptor euadit.* Item homil. 50. cap. 11. ex lib. 50. Hom. *Veniat peccator ad Antistites, per quos in Ecclesia Claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum accipiat Satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis contribulati deuotus, & supplex, id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad suscipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum.* Et infrà can. 15. *Non sufficit mores in melius commutare & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo, &c.* Item in Psalm. 50.in illa verba: *Et à peccato meo munda me. Implora misericordiam, sed attende iustitiam: misericordia est vt ignoscat peccato, iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? quæris misericordiam? peccatum impunitum remanebit? respondeat Dauid, respondeant lapsi, respondeant cum Dauid,vt misericordiam mereantur sicut Dauid, & dicant, Non Domine, non erit impunitum peccatum meum, non impunitum erit, sed ideò nolo vt tu punias, quia ego peccatum meum punio.* Hic certè locus apertè conuincit, Satisfactionem nostram non requiri solùm ad exemplum, vel disciplinam politicam, sed vt iniuria Deo facta compensetur, & diuinæ iustitiæ satisfiat.

Maximvs homil. in die Cinerum: *Non reprehenditur*,inquit,*ille, qui dudum corde deuio, & lubricis gressibus à tramite elapsus salutis, redintegrare se Deo mœsta pœnitentiæ Satisfactione conatur.*

Severvs Sulpitius lib.2. Dialogorum de miraculis S.Martini,cap.13. *Fornicatio*, inquit, *deputatur ad pœnam,nisi Satisfactione purgetur.*

Ioan. Cassianus collat.20.cap.7.*Dum agimus pœnitentiam, & vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est,vt ignem conscientiæ nostræ obortus ex confessione culpæ lachrymarum imber extinguat: cùm verè cuiquam in hac humiliate cordis, & spiritus contritione defixo,atque in labore & gemitu perduranti, horum recordatio fuerit consopita, & conscientiæ spina de medullis animæ, gratia Dei miserantis euulsa, certum est eum ad Satisfactionis finem, atque indulgentiæ merita peruenisse, & ab vniuersorum criminum labe purgatum.* Vide etiam eundem collat.23.cap.15.

Theodoretvs in epitome diuinorum decretorum cap. de Pœnit. *Sunt*, inquit, *medicabilia etiam quæ post Baptismum fiunt, vulnera: medicabilia autem non vt olim, per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas,& fletus,& luctus, & ieiunium,& orationem, & laborem facti peccati quantitati contemperatum.*

Sanctvs Paulinus in epist.12. ad Severum:*In sæculo*, inquit, *corrupti muneribus eorum iudices condemnantur: sed quisquis homo præuentus in aliquo peccato, diffidens innocentiæ tuæ, adfers pretium salutis tuæ Iudici nostro, ne verearis quasi corruptionis iniuriam iustitiæ Dei facere: accipit à te Christus libenter salutis tuæ pretium.* & paulò antè de eodem pretio, id est, de eleemosynis loquens, sic ait.

Iste docet fusis redimens sua crimina nummis,
Vilior vt sit res, quàm sua cuique salus.

Salvianvs Massilienſis, in libris quos nomine Timothei ad Ecclesiam scribit,lib.1.de misericordia, sic ait: *Quando lugebit, qui dies lugendi perdidit? quando satisfaciet, qui tempus Satisfactionis amisit?* Et infrà: *Si nouit quisquam hominum peccatorum, quantum redimere delicta possit, vtatur scientia ad redemptionem: si verò nescit, cur non offerat quantum potest?*

Post annum Domini D. Cassiodorus in Psal.37. *Et cogitabo pro peccato meo, id est, talia te donante faciam, quæ meum possint abolere peccatum: scilicet fletus adhibebo, eleemosynas faciam, & ab hoc quod deliqui, mandatorum tuorum me obseruatione purgabis.*

S. Gregorius lib.6. in 1. Regum, explicans caput 15. *Non solùm*, inquit, *confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda.* item ibidem: *Corrigibilia equidem peccata portantur, quia postquam à delinquentis voluntate discedunt, purgari Satisfactione salubriter possunt.* Vide eundem libr.3.in 1.libr. Regum cap.7.& lib.2.epist.27.

Hesychivs, siue Isicius(quem æqualem Gregorij fuisse putamus, vt diximus in 2. libr. de Eucharistia, can.32.) libr.2.in Leuiticum, exponens caput 6. *Carnes*, inquit, *pœnitentiæ intelligimus ieiunium,vigilias,cilicinum vestimentum, cum lachrymis orationem, eleemosynam: ex his enim consistit pœnitentia, quæ qui tangit rectè, sanctificatur.* Vide eundem lib.7.in cap.25.& in cap.27.

Post annum Domini DC.Isidorus lib.2.de summo bono cap.13.*Ille*,inquit, *pœnitentiam dignè agit, qui reatum suum Satisfactione legitima plangit.*

Cæsarius Arelatensis serm.1. de eleemosyna, in quo explicat illud Apostoli 1.Cor.3. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur.Si autem*,inquit,*nec in tribulationibus Deo gratias agimus,nec bonis operibus ipsa peccata redimimus:tamdiu in illo Purgatorio moras habebimus, quamdiu supradicta minuta peccata,tamquam lignum, & fœnum, & stipula consumantur.* & homil. 6. *Non quidem dicimus, Pœnitentiam prodesse non posse: certum est quia prodest, si cum grandi eleemosyna illam vnusquisque accipiat,&c.* Idē auctor in homilijs illis passim repetit, bonis operibus peccata redimi,elui,purgari.

Post annum Domini DCC.Beda in 1.Psalm.*Delectatio*, inquit,*seu voluntas peccandi, quando ad Satisfactionem venitur, leuiter eleemosynis, & alijs talibus purgatur. consensus verò,non nisi graui pœnitentia deletur:consuetudo autem,non nisi recta, & ponderosa Satisfactione Absolutur:* Idem in Psalm.4.*Mortificetis propria vitia vestra faciendo fructus dignos pœnitentiæ: tantùm scilicet pro singulis vos affligendo, quantum digna expetit pœnitentia, quod erit sacrificium iustitiæ,id est,iustum sacrificium.*

Post annum Domini DCCC. Rabanus libr.6. in Ecclesiasticum,cap.7. *Quid*,inquit,*est aliud, pœnitere, nisi irasci sibi,vt horreat quod fecit,& cruciatus à se exigat, ne Iudex iratus potiùs affligat?* Vide eundem lib.8.cap.3.

Post annum Domini CM. Radulphus lib.12.cap. 1.in Leuiticum:*Ab vnoquoque nostrum*,inquit,*pœnitetiæ satisfactione cõmissa culpa detegitur.*& lib.18.c.4.*Venditores possessiones hæreditatis æternæ hi sunt, qui claues regni cœlorum à Domino susceperunt,quibus commissa est potestas, vt ligent & excludant peccantes,soluant & introducant pœnitentes. Istis ergo iuxta Domini præceptum, prouidendum est,vt in hoc mercimonio non grauent ciues suos, maiorem Satisfactionem exigentes ab eis,quàm peccati qualitas requirit.Emptor quoque caueat necesse esse, ne Dei dispensatorem contristet,si tepida mente sui delicti veniam petens, iustam Satisfactionem mensuram non explet.*

Post annum Domini.M. Petrus Damianus serm. de S.Andrea:*Ne tibi blandiaris.si grauiter peccanti,leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur: cùm in Purgatorijs ignibus perficiendum sit, quidquid hic minùs feceris:quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.*

Post annum Domini M.C. S.Bernardus serm.4, in Cantica: *Cum*,inquit,*satisfaciamus vt ablato,quod separat,peccato reconciliemur,indulgentiam,quam recipimus, quid nisi quoddam osculum dixerim pacis? Idque interim non alibi,quàm ad pedes sumendum:humilis quippe,& verecunda debet esse satisfactio, qua emendatur superba transgressio.*

Hvc vsque testimonia Patrum annotasse sufficiat: nam Doctorum Scholasticorum, qui post hæc tempora de ijsdem rebus accuratiùs scripserunt, Aduersarij, ne legere quidem,vel audire dignantur.

CAPVT X.

Responsiones Hæreticorum ad testimonia Patrum.

VIdeamvs nunc,quid Aduersarij ad Patrum testimonia respondere soleant. Lutherus in assert.art.5.non cõcedit, testimonia vlla veterum esse, quæ de satisfactione loquantur: *Quare*, inquit, *verum dixi, arbitrariam istam Satisfactionem nec in Scripturis,nec in Patribus inueniri;inueniri autem pœnam irremissibilem à Deo impositam, vt Psal.88. Visitabo in virga iniquitates eorum.*Sed Lutherus,aut non legerat, aut se non legisse fingebat,monimenta veterum:iam enim ostendimus,singulis ætatibus non defuisse, qui Satisfactionem docerent.

Lutherum sequutus Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ, art. de Confessione & Satisfactione, negat extare veterum testimonia de Satisfactione, qua Deo pro peccatis satisfiat:*Hæc tota res*, inquit,*commentitia est,recens conficta,sine auctoritate Scripturæ,& veterum scriptorum Ecclesiasticorum. Ac ne Longobardus quidem de Satisfactionibus hoc modo loquitur. Scholastici viderunt in Ecclesia esse Satisfactiones,nec animaduerterunt,illa spectacula instituta esse,tum exempli causa, tum ad probãdos hos, qui petebant recipi in Ecclesiam. In summa,non viderunt esse disciplinam, & rem prorsus politicam: ideò superstitiosè finxerunt,eas non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere.*

Primvm nescio qua fronte Philippus negare audeat,apud Longobardum extare testimonia de Satisfactione illa, de qua Scholastici loquuntur, cùm Scholastici apud Longobardum inuenerint ea, de quibus ipsi copiosiùs disserunt. Certè Longobardus lib.4.Sent.dist. 16.posteaquam multa de Satisfactione dixerat, eámque ex Scriptura, & Patribus deduxerat, ita concluſit totam eam distinctionem:*Ad agendam Pœnitentiam non sufficit, mores in melius commutare,& à malis factis recedere, nisi de his quæ facta sunt, satisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem,per humilitatis gemitum,per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Et quoniam hæc verba Longobardus ex homil.50.S.Augustini mutuatus est, ex ijsdem verbis simul ostendimus,non solùm apud Lõgobardum, sed etiam apud Augustinum extare testimonium de Satisfactione,qua ipsi Domino,non autem solis hominibus satisfacimus.

Deinde non solùm testimonia à nobis allata planè conuincunt errorem Philippi, sed etiam Caluinus, Kemnitius & Illyricus eiusdem Philippi vanitatem redarguunt.Illyricus enim ingenuè fatetur,omnes ferè Patres agnoscere Satisfactionem,quæ Dominum placet,& peccata redimat.Nam Cent.3.partim cap.4. in fine, vbi ponit inclinationem doctrinæ, partim cap.10. vbi ponit vitas Doctorum,citat Tertullianus, Origenem, & Cyprianum,Cent.4.partim cap.4.in inclinatione doctrinæ, partim cap.10.citat Hilarium,Nazianzenum,Ambrosiũ, Lactantium,Hieronymum,Theophilum Alexãdrinum, Antonium Magnum. Cent.5.partim cap.4. in inclinatione doctrinæ,partim cap.10.citat Chrysostomum, Augustinum,Leonem,Prosperum,Maximum,Paulinum,Cassianum,Hesychium.Cent.6.7.8.9.10.& 11.in ijsdem locis, citat Cassiodorum,Gregorium,Isidorum,Bedã, & alios, quos omnes reprehendit,vt qui ea de Satisfactione docuerint,quæ à Catholicis nunc docentur.

Sed quemadmodum laudanda est Illyrici ingenuitas & diligentia, qui sententias omnium fermè Patrum studiosè colligit,atque Lutheri dogmatibus esse contraria,negare contra manifestam veritatem:noluit ita cæcitas animi,& impudentia,ne dicam stoliditas,& vecordia vituperanda,quod sibi persuadere potuerit;plus vni Luthero, quàm omnibus omnium ætatum Doctoribus esse credendum.Scilicet omnes Patres,quamuis alioqui doctissimi,& sapientissimi, in hoc articulo cæci fuerunt,& sacras literas ignorarunt: vnus Lutherus lumen aspexit, vnus Scripturas rectè interpretari potuit.

Ioan.Caluinus tametsi conetur vtcumque respondere,tamen fatetur, quod res est, Patres à partibus nostris stare,eósque reprehendere,quàm sequi,vtilius esse,stultissimè iudicauit.Lib.3.Instit.cap.3.§.16. *Eiusmodi*,inquit, *exercitia sæpe commemorant vetusti Scriptores, cùm de pœnitentiæ fructibus loquuntur: quamquam autem vim pœnitentiæ minimè in illis reponunt, veniam tamen mihi dabunt lectores, si dixero quod sentio. Plus æquo certè insistere in his mihi videntur: ac si quis prudenter expendat, mihi (vt spero) assentietur,dupliciter eos modum excessisse.*& cap.4. §.38. *Parum*,inquit,*me mouent, quæ in veterum scriptis de*

Satisfactione passim occurrunt, Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes ferè quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè, & durè loquutos. & lib.4.c.12.§.8. *Qua in parte,* inquit, *excusari nullo modo potest immodica veterũ austeritas, quæ & prorsus à Domini, præscripto dissidebat, & erat mirum in modum periculosa.* Hæc ille, qui satis apertè arrogantiam suam, & superbiam intolerandam prodit; dum ipse vnus tot Ecclesiæ lumina, quæ varijs temporibus non solùm insigni doctrina, sed etiam probitate incomparabili, & pars etiam miraculis, aut martyrio claruerunt, prorsus contemnere, & castigare non erubescit.

SED videamus quid præter contemptum istum Patrum, pro responsione Caluinus adferat. Lib.3. Instit. c.4.§.18.& 39. tria proponit, ex quibus testimonia à nobis prolata nonnihil infirmari videntur. Adducit primùm duo loca Chrysostomi, & alia duo Augustini, contra Satisfactionem. Sed ea paulò pòst in argumentorum solutione discutiemus. Interim nemo non videt, quatuor obscura loca duorum auctorum, præiudicare non posse testimonijs plurimis, atque apertissimis auctorum supra triginta, quæ nos adduximus.

DEINDE dicit, *Vocasse Patres Satisfactionem, non cõpensationem, quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione multati fuerãt, cùm in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua pœnitentia certiorem.* & paulò pòst: *Atque ita dicebantur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere: quod etiam his ipsis verbis ab Augustino expressum est in Enchiridio cap.65.*

AT dicit quidem loco notato S. Augustinus, oportere pœnitentes Ecclesiæ satisfacere: sed non addit negationem illam, *Non Deo.* Idem autem Augustinus, non vno in loco disertis verbis scribit, ipsi etiam Deo satisfaciẽdum. In eodem Enchiridio cap.70. *Per eleemosynas,* inquit, *de peccatis præteritis est propitiandus Deus.* & cap.71. *De quotidianis, leuibúsque peccatis, quotidiana oratio fidelium satisfacit.* Vbi licet non exprimatur, cui, tamen sine dubio intelligitur, Deo: neque enim pro leuibus, quotidianis peccatis iubemur publicè orationem Dominicam quotidie recitare, sed satis est si priuatim in cubiculo, vbi solus Deus exaudiat, recitetur. Idem homil.50.cap.15. *Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo.* Quid clariùs? Nec minùs perspicuè id ipsum tradunt Tertullianus, Cyprianus, & cæteri, quos capite superiore produximus. Idem quoque S. Augustinus in Psalm.50. vt suprà notauimus, Satisfactionem requirit, vt peccatum non maneat impunitum, vt eo modo non solùm misericordia Dei in remissionem resplẽdeat, sed etiam veritas, & iustitia locum habeant: quò etiam pertinet, quòd multi veterum, quos suprà citauimus, peccata per Satisfactiones redimi, deleri, expiari, purgari dicunt.

VLTIMÒ addit Caluinus, testimonia, quæ Catholici scriptores pro Satisfactione adducunt, bona ex parte esse Centones ex insulsis Monachorum delirijs, quæ sub Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & Chrysostomi nomine referuntur, à Petro Longobardo collectos.

SED testimonia, quæ citauimus, non ex Longobardi sententijs, sed ex ipsis veterum Patrum monumentis accepimus: & res ipsa per se fidem faciet, si quis ea testimonia legere, & ad suos fontes reuocare voluerit. Quanquã neque illud admittimus, Petrum Longobardum Centones collegisse ex insulsis Monachorum delirijs: fuit enim is vir apprimè doctus, & in Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Gregorij, aliorúmque Patrum, ac præter cæteros in Augustini libris diligenter versatus.

IAM, verò Martinus Kemnitius non negat, in Patribus multa de Satisfactione extare: sed partim apertè reprehendit eorum sententias, partim reuocat ad tropicas, atque hyperbolicas loquutiones; sic enim loquitur in 2. parte Exam. pag.1082. *Veres, vt ritus illos Satisfactionum hominibus magis commendarent, sæpè cohortatoriè magis, quàm verè, iuxta Chrysostomi dictum, de ritibus illis per hyperbolen loquuti sunt: peccata scilicet, & pœnas peccatis debitas, purgari, compensari, tegi, Iudicem placari, & reconciliari operibus illis Satisfactionum.* & paulò infrà vbi citasset Origenẽ, Cyprianũ, Ambrosium, Augustinum, & Gregorium: ita subiungit: *Et Cyprianus in illis hyperbolicis Satisfactionum commendationibus, eo vsque progreditur, vt affirmet peccatum nõ dimitti, nisi absolutis, & completis illis canonicis Satisfactionibus: & in serm. de eleemosyna, excidit ipsi hoc inconsideratè dictum; Delicta quæ ante Baptismum contracta fuerunt, Christi sanguine, & satisfactione purgari. sordes verò postmodum contractas, eleemosynis ablui: & addit, remedia propitiando Deo in lapsibus post Baptismum, hæc esset: operationibus iustis Deo satisfacere, misericordiæ meritis delicta purgare. Hæc profectò nimium transcendens veritatem est oratio. Ioannes enim illis, qui post Baptismum peccant, dicit; Hæc scribo vobis vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Hæc ille.

SED quod attinet ad reprehensionem sanctorum Patrum: qui clarissima illa lumina vituperare audet, non illis ignorantiæ, aut imperitiæ, sed sibi superbiæ, atque arrogantiæ notam inurit.

NEQVE loca illa Cypriani censuram Kemnitij metuunt. Vbi enim Cyprianus scribit, peccata non dimitti, nisi completis canonicis Satisfactionibus; non loquitur de quacunque remissione peccati, sed de plena, atque integra remissione quoad culpã, & pœnam, tum æternam; tum temporalem. Quare nõ negat Cyprianus, hominem lapsum post Baptismum ante completam Satisfactionem posse Deo reconciliari, sed negat plenè remitti peccatum illi quoad culpam, & omnem pœnam, nisi per opera laboriosa diuinæ iustitiæ fuerit satisfactum. Id autem non negari à Cypriano, perspicuum est ex epist.17.& 18.li.3. vbi, periculo mortis imminente, iubet idem Cyprianus lapsos reconciliari, etiamsi nondum pœnitentiæ tempus impleuerint: & quia rectè nouerat Cyprianus, eis qui plenè dum viuerent, non satisfecerant, peccata non esse plenè remissa quoad omnem pœnam, ideò disertis verbis in epistol.2.lib.4. scribit, nonnullos post mortem longo tempore cruciari: *Aliud,* inquit, *est pro peccatis longo tempore cruciatum purgari, & emendari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.*

IN alio verò loco à Kemnitio reprehenso, non negat Cyprianus, peccata post Baptismum commissa, merito passionis Christi deleri; sed negat, solo illo merito plenè deleri, quoad omnem culpam & pœnam. Hoc enim (vt sæpius dictum & probatum à nobis est) interest inter Baptismi & Pœnitentiæ Sacramẽta, ex sententia scripturæ, & Sanctorum Patrum, quòd in Baptismo non requiritur Satisfactio ex parte nostra, sed plenè atq; integrè, ad omnem culpam & pœnam delendam, Christi passio applicatur: in Sacramento autem Pœnitentiæ ita Christi passio applicatur ad culpam, & pœnam æternam tollendam, vt tamen requirat ex parte nostra opera laboriosa, quibus pro reatu pœnæ temporalis diuinæ iustitiæ satisfiat. Quocirca idem Euangelista Ioannes, quem aduersus Cypriani sententiam perperam adducit Kemnitius, licet in epistola sua verè dixerit, peccata post Baptismum facta Christi sanguine expiari, tamen adolescenti cuidam post Baptismum in multa crimina delapso, ac pœnitentiam agere cupienti, non id præcepit quod Lutherani solent, vt Christi sanguine peccata sua purgata esse certò crederet: sed preces, & ieiunia indixit; neque id solùm, sed ipse etiam Ioannes pro eo longo ieiunio se macerauit, vt ex Clemente refert Euseb.lib.3.hist.Eccl.c.17. Atque hactenus de reprehẽsione testimoniorum Cypriani.

QVOD

QVOD autem Kemnitius hyperbolen esse contendit in sententijs Patrum de Satisfactione, duobus modis refellitur. Primùm enim etiamsi concederemus esse hyperbolen in illis testimonijs Patrum, adhuc tamen haberemus argumentum solidissimum contra Aduersarios. Hyperbolica enim loquutio requirit, vt verè aliquid subsit in re, licet non tam excellenter, quàm verba significant: alioqui enim non hyperbole, sed mendacium esset, neque tam eiusmodi figuris ornaretur, quàm vitiaretur oratio. Scribit Dauid Psal.106. de nauibus in mari periclitantibus: *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos.* hæc quidem hyperbolica loquutio est, tamen nisi reuera naues à fluctibus interdum valdè altè sustollerentur, & deprimerentur, non figuram, sed mendacium (vt diximus) contineret. Ad eundem igitur modum, nisi opera laboriosa aliquid, vel potiùs nisi multùm valerent ad pœnam peccatorum expiandam, & Deum placandum; non hyperbolicæ, sed falsæ prorsus veterum sententiæ dici deberent. Itaque si qua est hyperbole in illis encomijs Satisfactionis, quæ apud Patres inueniũtur; in eo est, quòd verba Patrum significare videantur, operibus Pœnitentiæ purgari peccata, quoad culpam & pœnam; eámque tum æternam, tum temporalem: cùm tamen reipsa, ac sine hyperbole, quoad pœnam tantùm, eámque solùm temporariam, eiusmodi operibus crimina expientur.

Cæterùm etiamsi in eorum Patrum testimonijs hyperbole admitti possit, qui in concionibus ad populum de Satisfactione differebant; tamen nullo modo probabile est, hyperbolicè esse loquutos eos, qui vel contra Hæreticos libros de Pœnitentia scripserunt, vt Ambrosium, Tertullianum, & alios; vel in epistolis decretalibus ad consulta Episcoporum respondebant, vt Innocentium, Leonem, Gelasium, vel in commentarijs, aut alijs eiusmodi libris doctrinam Ecclesiasticam simpliciter tradebant, vt Hieronymum in Commentarijs Prophetarum, Augustinum in Enchiridio, Gregorium in explicatione libri Regum, Theodoretum in epitome diuinorum decretorum, Cassiodorum, Hesychium, Isidorum, Bedam, Rabanum, Radulphum, & alios, quos capite superiore protulimus. Porrò isti omnes non minùs perspicuè Satisfactionibus peccata redimi docent, quàm Cyprianus, Pacianus, Chrysostomus, & alij, qui in concionibus ad populum de Satisfactione disseruerunt. Ac de his satis.

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta quædam Lutheri contra sententiam Ecclesiæ de Satisfactione.

NVNC demum argumenta soluenda sunt, ac præcipuè Lutheri, Melanchthonis, Caluini, Kemnitij. Sed quoniam Lutheri argumenta, & leuiora sunt, & à multis viris doctissimis iamdudum excussa, & dissoluta, pauca solùm attingam, vt ex ijs iudicium, de cæteris fiat.

PRIMVM igitur in serm. de Indulgentijs, quem habuit anno M.D.XVIII. ad initium videlicet tragœdiæ à se excitatæ, ex verbis Ezechielis Prophetæ demonstrare nititur, post dimissam culpam, nullam exigi à Deo pœnam, siue Pœnitentiam, sed nouam tantummodò vitam. Ezechiel enim cap.33. inducit Dominum ita loquentem: *Impietas impij non nocebit ei, quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* ex quo loco colligi videtur, nullas superesse pœnas, quas Deus repetat ab impio post conuersionem; quia si aliqua superesset pœna, certè adhuc noceret impio impietas sua.

RESPONDEO, sententia Prophetæ non est, quòd nihil omninò impietas noceat impio post conuersionem; sed quòd non noceat ad obtinendam, & conseruandam gratiam Dei, & salutem æternam: nam quid sit nocere, aut non nocere, explicat ibidem Propheta, cùm nõ semel repetit, impium post conuersionem non moriturum, & iustum post auersionem non victurum. Quemadmodum igitur non prosunt iustitiæ iusto, si à Domino auertatur, quia non possunt efficere vt non moriatur: sic etiam non nocent impio omnes impietates, si ad Dominum cõuertatur, quia non possunt efficere, vt moriatur.

ET confirmatur hæc explicatio euidentissimo argumento. Nam si impietas impio post conuersionem nullo modo noceret, etiam quoad pœnam temporalem: eodem modo iustitia iusto post auersionem nullo modo prodesset, etiam quoad præmium temporale. Nam Deus in eo loco dicit: *Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit.* & cap.18. sicut dicit Deus non recordaturum se iniquitatum, quas impius gessit, si pœnitentiam egerit: ita quoque dicit, non recordaturum se iustitiarum, quas iustus operatus est, si peccauerit. At negari non potest, quin sæpenumero Deus opera bona impiorum remuneret temporali mercede; vt sancti Patres docent, Chrysostomus homil.67.ad pop. Antioch. Hieronymus in cap.29. Ezechielis; Augustinus lib.5. de ciuit. Dei, cap.15. Gregor. homil.40. in Euangelia. Sicut igitur bona opera post auersionem, dicuntur nõ prodesse iusto, quia non eum liberant à morte sempiterna, licet non fraudentur temporali aliquo præmio: sic etiam impietas dicitur post conuersionem non nocere impio, quia non impedit vitæ æternæ consequutionem, licet pœnam temporalem secum ferat.

DENIQVE si Deus per Prophetam testaretur, nullam omninò pœnam se de peccatore sumpturum post conuersionem: qua ratione Mosem, Aaronem, Dauidem, & alios tam multos post conuersionem temporaliter puniuisset, vt Scripturæ diuinæ restantur, quarum testimonia iam antè protulimus? Quare necesse est, aut Scripturam Scripturæ repugnare, quod absurdissimum est; aut (quod est verisimum) alteram ex altera explicari: proinde pœna temporalis de Dauide post conuersionem sumpta, apertissimè docet, locum Ezechielis intelligendum esse de pœna sempiterna, quæ per conuersionem tollitur, non de pœna temporali, quæ post conuersionem manet.

SECVNDVM argumentum habetur in lib. de capt. Babylonica, quem ediderat anno M.D.XX. Nam in eo libro cùm ad sacramentum Pœnitentiæ venisset, multa scripsit de Satisfactione, sed inter multa verba partim inania, partim mendacia, nihil est quod aliquam argumenti speciem ostendat, præter exemplum Christi Ioan. 8. qui cùm adulteram absoluens dixit: *Vade, & noli amplius peccare,* non aliam Satisfactionem ab illa exegit, nisi vt deinceps benè viueret.

RESPONDEO, Primùm non constat, vtrum adulteram Dominus à peccatis absoluerit, an solùm à pœna lapidationis liberauerit: certè verba illa, *Nec ego te condemnabo: vade, & noli amplius peccare,* nihil aliud significare videntur, nisi, Neque ego te ad lapidationem adiudico, sed caue ne iterum peccando in idem periculum incidas. Quare nihil hic locus pro Satisfactione, vel contra Satisfactionem facit.

DEINDE esto, remiserit Dominus adulteræ peccatum: quis nouit, an non tantam in ea Dominus contritionem viderit, vt nulla præterea Satisfactione opus esse iudicauerit? nam nec nos diffitemur, tantam aliquando vim contritionis in aliquo reperiri posse, vt sola sufficiat ad omnem culpam, & pœnam expiandam, qualem fuisse in Maria Magdalena, facilè mihi ipse persuadeo.

Denique alia ratio Christi est, alia Sacerdotum. Ille qui Dominus erat, suo iure poterat omnem culpam &

pœnam adulteræ condonare: Sacerdotes, qui ministri sunt, iuxta leges sibi traditas coguntur pœnitentibus mulctam iniungere.

TERTIVM argumentum Lutherus habet in Assertione omnium articulorum suorum, quam edidit anno M.D.XXI. Nam in assertione articuli quinti, more suo ab auctoritate negatiua sumit argumentum, & quidem his verbis: *Satisfactionem*, inquit, *negaui, qualem ipsi docēt: quod mihi non erit difficile probare. Ostendant si possunt, vbi in tota Scriptura vnus apex, aut iota scribatur, pro peccato mortali vno debere satisfieri septem annis: dicāt vbi pro differentibus peccatis differentes pœnas statuat Christus, & Apostoli. Nónne hæc omnia sunt poctea inuenta ab Episcopis? immò dent vnum ex antiquis Patribus, in quo legantur quadragenæ, septenæ, & similia. Vbi fecerint, libēs reuocabo.*

RESPONDEO, non esset quidem necessarium ex Scripturis, & Patribus ea demonstrare, quæ requirit Lutherus, si summo iure agere vellemus: non enim contendimus, determinationem certarum pœnarum siue quoad tempus, siue quoad modum, esse Iuris diuini. Quemadmodum enim in multis alijs rebus generatim Christus præscripsit quid agi veller, determinationē autem quoad tempus, locum, modum, & cætera similia, Ecclesiæ potestati reliquit, vt S. Augustinus testatur in epistol. 86. ad Casulanum, de ieiunio, & in epist. 118. ad Ianuarium, de sumēda Eucharistia: sic etiam dicere nobis liceret, Christum in genere Pœnitentiam peccatoribus imperasse, modum autem, & tempus, & similia, definitioni Ecclesiæ reliquisse.

Veruntamen non erit difficile, in diuinis literis ostendere mulctam septem annorum pro peccato, quam Lutherus quærit lib. 2. Reg. cap. 24. cùm Dauid peccasset in Deum, ac deinde resipiscens dixisset: *Peccaui valdè in hoc facto, sed precor Domine vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis*, non remisit ei Dominus continuò, vt Lutherus in primo argumento contendebat, omnem culpam, & pœnam, sed culpa remissa, pœnam indixit septem annorum, aut si mallet, aliam breuiorem, sed duriorem, trium videlicet mensium, aut denique aliam breuissimam, dierum trium, sed grauissimam. Habemus igitur non apicem, aut iota vnū, sed integram, planámque sententiam Scripturæ diuinæ, vbi pro vno peccato pœna septennis indicitur. Neque longè abest à proposito nostro, quod scribitur Danielis 4. Regem Nabuchodonosor pro peccato superbiæ septem temporibus, id est, septem annis, grauissimam pœnam Deo iubente luisse.

QVOD autem Lutherus indicari postulat locum, vbi pro differentibus peccatis differentes pœnæ constituantur, habemus testimonium luculentum in Deuter. c. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus.* & Apoc. 18. *Quantum se glorificauit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*, ex his enim locis perspicuè discimus, diuersa peccata diuersis exigere pœnas, maiora videlicet maiores, & minora minores.

QVOD verò pertinet ad sanctos Patres, quorum vel vnum sibi demonstrari cupit Lutherus, qui meminerit quadragenarum & septenarum, id est, pœnitentiæ quadraginta dierum, aut septem annorum: nos pro vno Patre Concilia antiquissima Patrum plurimorum dabimus. In Concilio Ancyrano celebrato ante Nicænum I. Cōcilium, id est, ante annos M.CC.LXX. can. 8. iniungitur septennis pœnitentia ijs, qui coacti bis térve, idolis sacrificauerant: & in eodem Concilio pro varijs delictis, aliquando duorum, aliquando trium, aliquando etiam decem annorum pœnitentiæ indicuntur. In Concilio Nicæno I. trecentorum decem & octo sanctorum Patrum can. 11. inducitur pœnitentia annorum vndecim ijs, qui præter necessitatē præuaricati sunt: & rursus can. 12. quibusdam alijs annorum tredecim pœnitentia imperatur. In Concilio Elibertino, quod circa tempus Concilij Nicæni celebratum est, can. 5. mulieri, quæ ancillam verberando necauit, septem annorum iniungitur pœnitentia.

DENIQVE innumerabilia sunt eiusmodi testimonia, quæ tum in ipsis Concilijs, tum apud Iuonem, & Burchardum decretorum collectores legi possunt: ex quibus Lutheri imperitia, qui ne vnum quidem Patrem pro septennij pœnitentia proferri posse credidit, facilè cognosci potest.

CAPVT XII.

Soluuntur argumenta Philippi Melanchthonis ex Locis Communibus.

IAM verò Philippus Melanchthon in locis communibus tit. de Satisfactione, quædam alia argumenta congessit, quæ hoc loco solita breuitate soluemus.

PRIMVM, exemplo Gentilium conatur ostendere, Satisfactionē apud veteres Christianos nihil aliud fuisse, nisi publicam excommunicationem, & certa signa reatus, atque etiam pœnas externas, quæ iniungebantur publicis peccatoribus exempli & disciplinæ caussa: & profert exempla quædam de Phœnice apud Homerum, de Oreste, Peleo, Antilocho, Adrasto, & similibus, qui leguntur in historijs, siue potiùs in fabulis Græcorum.

RESPONDEO, extare vestigia quædam Satisfactionis apud Ethnicos, libenter admittimus: id enim argumento est, naturale iudicium docere, post admissam culpam necessariam esse satisfactionem: tamen nullo modo credibile est, Christianos ab Ethnicis satisfaciendi ritum habuisse; cùm in vtroque Testamento tam multa, & tam perspicua inueniantur præcepta, & exempla Satisfactionis. Cur enim, obsecro primi illi Christiani à Phœnice potiùs, aut Oreste, Peleo, Antilocho, vel Adrasto, Satisfactionē didicissent, quàm à Iob, Dauide, Achabo, Manasse, Niniuitis, & alijs, qui in Scripturis sanctis Deum verum per opera Pœnitētiæ placare studuisse inueniuntur? & quid opus erat in fabulis Græcorum opera Pœnitētiæ quærere, cùm in Scripturis Prophetæ, & Apostoli, & Christus ipse tam frequenter ad ea opera hominēs adhortetur?

SED illud nullo modo ferendum est, quòd Philippus scribit, exempli solùm & disciplinæ caussa impositas Satisfactiones in vsu fuisse apud veteres. An exempli, & disciplinæ caussa Rex Achab, cui nemo Satisfactionem imponere ausus fuisset, cilicium ad carnem sponte sua gerebat, & dormiebat in sacco, ac ieiunabat, vt legimus lib. 3. Reg. cap. 21. an potiùs vt soli Deo, qui videt in abscondito, satisfaceret? Ioram quoque Rex Israël, cùm tempore belli & famis Deum per Pœnitentiam placare cuperet, cur cilicium gerebat occultè, vt habemus lib. 4. Reg. cap. 6. nisi quia non hominibus, sed Deo satisfacere cupiebat? Quod idem ex Rege Dauid intelligi potest, qui solo Dei, oculo contentus, lauabat per singulas noctes lectum suum, & humiliabat in ieiunio animā suam, & panem sicut cinerem māducabat, vt ipse de se in Psalmis loquitur: vt omittam testimonia Patrum, qui disertis verbis testantur, per opera Pœnitentiæ Deum esse placandum, atque illi potissimùm satisfaciendum, quæ testimonia suprà posuimus.

Alterum Philippi argumentum constat ex varijs caussis, quibus Deus in hoc mundo affligit Ecclesiam. Nam posteaquam enumerauit decem caussas, ita concludit: *Omittantur ergo fabulæ de compensatione Purgatorij, quæ nulla habent testimonia in Scriptura Prophetica, & Apostolica, & cogitentur aliæ maiores caussæ calamitatum, vt iram Dei agnoscamus, & expauescamus, & rursum veram consolationem nobis proponamus.*

RESPONDEO, multis modis argumentum peccat. Primùm, non reddit caussam afflictionum, quas vel ipsi pœnitentes sponte sua assumebant, vt Niniuitæ, Iob, Dauid, & cæteri; vel Ecclesia pœnitētibus iniungebat, vt ex tot Concilijs suprà probauimus; sed earum tantùm, quas à Deo immissas, velint nolint, homines tolerare coguntur. Etsi autem nos fatemur, flagella diuinitus immissa, si æquo animo tolerentur, non parùm prodesse ad satisfactionem: tamen magis propriè Satisfactiones dicuntur labores sponte assumpti, vel à Iudice spirituali impositi ad compensandam iniuriam Deo factam.

DEINDE non probat Philippus, non esse alias caussas calamitatum, quas Deus immittit, præter illas decem, quas ipse enumerat. Et quemadmodum ipse reperit caussas, non vnam, aut duas, sed decem; ita possumus & nos vndecimam addere, quæ cæteris nihil repugnet; ea verò est, vt homines Christiani calamitates, quibus à Deo premuntur; libenter sustinentes, Purgatorij pœnas euadunt.

DENIQVE ex illis ipsis caussis, quas ipse adducit, colligi potest, valere Satisfactionem ad pœnas Purgatorij compensandas, quod ipse negat. Fatetur enim Philippus in prima & octaua caussa, Deum calamitatibus suos affligere, vt eorum peccata puniat: fatetur etiam paulò pòst, id est, pag. sequenti, eiusmodi calamitates per pœnitentiam nostram mitigari, & aliquando penitùs tolli, id que ex diuinis literis probari posse dicit. Quod igitur ipse docet de pœna temporali huius vitæ, non extendimus etiam ad pœnam temporalem vitæ futuræ, quæ Purgatorij pœna nominatur. Esse autem Purgatorium post hanc vitam, negat Philippus, & ideò negat pœnam alterius vitæ Pœnitentiam mitigari, vel tolli: sed si admitteret Purgatorium, admitteret consequenter (quod ex ijs quæ ipse docet, apertè sequitur) Purgatorij pœnam per pœnitentiam mitigari, vel tolli. Porrò, Purgatorium esse, nos in primo Tomo Controuersiarum ex Scripturis & Patribus clarissimè demonstrauimus: proinde nihil est, quod in hoc argumento diutiùs immoremur.

Postremum argumentum in locis communibus, ducit Philippus ab absurdis, quæ in Scholasticorum doctrina, quam ipse doctrinam Monachorum vocat, reperiri dicit: *Multa sunt*, inquit, *deliramenta in opinione Monachorum, quorum aliqua satis est refutasse. Satisfactiones Monachorum obscurant legem, & Euangelium, & amplificant dignitatem traditionum humanarum: fingunt enim in Satisfactionibus aliquid amplius fieri, quàm legem Dei. somniant reliquis operibus legi Dei satisfactum esse. Necesse est autem in Ecclesia extare hanc doctrinam, quòd in hac vita procul absint etiam renati à perfectione legis. Deinde obscurant Euangelium, quia fingunt, mortem æternam nostra compensatione aboleri, immò indocti facilè transferunt Satisfactiones etiam ad remissionem culpæ. Tertiò amplificant traditiones humanas: definiunt enim Satisfactiones esse opera non debita, hoc est, cæremonias humanas, certorum dierum ieiunia, certorum ciborum abstinentiam, certarum precum lectionem. Necesse est autem in Ecclesia extare hāc doctrinam, Frustrà colunt me mandatis hominum, id est, obseruationes humanæ non sunt cultus Dei, ac multò minùs æstimationis tantæ, vt sint compensatio pro morte æterna.*

RESPONDEO, omitto quòd doctrinam Catholicam, per contemptum Philippus doctrinam Monachorum nominat: neque enim conuicijs, sed argumentis certare mihi propositum est, quamquam eam doctrinam quam Philippus oppugnat, non Theologorum tantùm Scholasticorum, quorum plerique Monachi fuerunt, sed etiam omniū veterū Patrum esse, paulò antè ostendimus.

QVOD igitur attinet ad illa tria, quæ aduersus doctrinam de Satisfactione obiiciuntur, quòd videlicet obscuret legem, quòd obscuret Euangelium, & quòd amplificet dignitatem traditionū humanarum: Primum repugnat Scripturæ & Patribus vniuersis. Secundum, non modò est falsum, sed etiam ipso teste Philippo falsum esse conuincitur. Tertium & est apertè falsum, & suprà

à nobis cap. 4. & 6. refutatum.

PRIMVM Scripturæ & Patribus repugnare, perspicuum est, & ex cap. 19. Matthæi, vbi Dominus consilia à præceptis distinguens, ostendit, posse homines iustificatos per gratiam Dei nō solùm implere legem, sed etiam aliqua alia opera Deo gratissima facere, quæ imperata non sint. Nam interroganti adolescenti: *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Respondit Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Cúmque ille diceret, se omnia seruasse à iuuentute sua, adiecit Dominus & ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me*, de quo loco fusè disseruimus in 2. lib. de Monachis: cap. 9. vbi etiam multa alia adduximus testimonia Scripturarum ad rem eandem confirmandam: & in eodem libro, cap. 11. adduximus testimonia Patrum Latinorum & Græcorum, qui disertis verbis affirmant, posse hominem Christianum per Dei gratiā plus facere, quàm Deus præcepiat. Quare necesse est in Ecclesia extare hanc doctrinā, Posse omnes Christianos vt Concilium II. Arausicanum, can. vlt. tradit, post acceptum Baptismum, cū Dei adiutorio, quæ ipsi Deo sūt placita, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Alterum autem (ipso teste Philippo) falsum esse, ac proinde Philippum sibi non constare, ex eius verbis demonstrari potest. Scribit enim hoc loco, per Satisfactiones Euangelium obscurari, propterea quòd Monachi fingant, mortem æternam nostra compensatione aboleri: at non dicunt hoc, sed negant potiùs Monachi, id est, Scholastici Doctores; quod in eodem titulo de satisfactione, docuit Philippus his verbis: *Monachi hic definiunt Satisfactiones opera non debita, quibus volunt redimi pœnas Purgatorij, aut certè alias pœnas temporales. Sic enim docent, Deum cùm sit misericors, remittere culpam, sed cū sit iustus, & vindex, mutare pœnam æternam, in temporalem Purgatorij. Deinde addunt partem pœnarum remitti potestate Clauium, partem redimendam esse Satisfactionibus: hæc est summa commenti.* Hæc ille, qui cùm docet, ex sententia Monachorum, Satisfactionibus redimi pœnas Purgatorij, aut alias pœnas temporales, pœnam autem æternam non redimi, nisi priùs ex misericordia Dei mutata sit in temporalem: certè simul docet, ex sententia Monachorum, absolutè & simpliciter non redimi mortem, siue pœnam æternam, sed solùm temporalem.

PORRÒ, pœnam temporalem Purgatorij nostris operibus redimi non solùm Monachi docent, sed etiam Scripturæ, & Patres, quorum testimonia alio loco allata sunt: inter quæ illud S. Cypriani insigne est, ex epist. 2. lib. 4. *Aliud est pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.*

Quamuis autem Satisfactiones nostræ non sint ex condigno compensationes mortis æternæ, vt sæpe iam repetiuimus: tamen opera laboriosa, quæ cum Dei auxilio fiunt à pœnitentibus, siue ex congruo, siue vt dispositiones concurrere & prodesse ad culpæ remissionem, & mortis æternæ liberationem; Scripturæ & Patres perspicuè docent, vt lib. 2. cap. 12. demonstrauimus: inter cætera, Paciani in Paræneſi ad pœnitentiam, post Tertullianū in lib. de Pœnitentia, testimonium illud apertissimum est: *Si de cruciatu Exomologesis retractatis, Gehennam recordemini, quam vobis Exomologesis extinguet.*

DE tertio, id est, de amplificatione traditionum humanarum, nihil est hoc loco addendum, cùm satis sit id totum cap. 4. & 6. vt paulò antè diximus, refutatum. Atque hæc ex locis.

CAPVT XIII.

Soluuntur argumenta Philippi ex Apologia Confessionis Augustanæ.

IN Apologia Confessionis Augustanæ idem Philippus præter ea, quæ ex locis communibus adducta confutauimus, quædā profert argumēta,

quibus probare nititur, Scripturas, quæ pro satisfactione à Catholicis adducuntur, ad rem non facere, ac proinde sententiam nostram de Satisfactione non niti solidis argumentis. Sic igitur loquitur in articulo de Confessione & Satisfactione: *Multa colligi possunt argumenta, quòd hæc dicta Scripturæ nullo modo pertineant ad Scholasticas Satisfactiones. Isti fingunt Satisfactiones esse opera indebita: Scriptura autem in his sententijs requirit opera debita: nam hæc vox Christi: Agite pœnitentiam, vox præcepti est.* Primum hoc agumentum si ad formam ratiocinationis reuocetur, eiusmodi erit: Scripturæ, quæ pro Satisfactione adducuntur, præceptum diuinum sonant: At Satisfactio quam Scholastici docent, ipsorum opinione, continent opera indebita, id est, non mandata diuinitus: Igitur pro Satisfactione Scholastica, Scripturę diuinæ perperam allegantur.

RESPONDEO, In assumptione latet vitium; neque enim Scholastici docent, opera Satisfactoria debere esse omninò indebita, sed aliàs (vt ipsi loquuntur) indebita, id est: indebita, nisi peccassent: siquidem assidua ieiunia, vigiliæ, cineres, & cilicia indebita essent, si homines in innocentia permanerent.

ADDE quòd licet sententia sit valdè probabilis sancti Thomæ, Durandi, Paludani, & aliorum in 4. dist. 15. non rectè satisfieri per opera aliàs debita: tamen non est improbabilis sententia Adriani in tractatu de Pœnitentia, & Caietani quæst. 1. de Satisfactione, per opera aliàs debita satisfieri posse, cùm satisfactio, quam Deo reddimus, non pertineat ad solam iustitiam, sed etiam ad amicitiam.

Pergit deinde Philippus & ait: *Item Aduersarij scribunt, confitentem, si recuset suscipere Satisfactiones, non peccare, sed persoluturum esse has pœnas in Purgatorio. Iam hæ sententiæ sine controuersia præcepta sunt ad hanc vitam pertinentia: Agite Pœnitentiam, Facite fructus dignos pœnitentiæ. Exhibete membra vestra seruire iustitiæ: quare non possunt detorqueri ad Satisfactiones, quas recusare licet, non enim licet recusare præcepta Dei.*

RESPONDEO: neutra propositio huius argumẽti vitio caret. Nam quod attinet ad primam, si loquamur de Satisfactione à Sacerdote iniuncta, de qua Philippus loqui videtur, non concedit melior pars Theologorum Catholicorum, posse confiteri sine peccato, recusare Satisfactionem. Nam rametsi Scotus, & Gabriel, & pauci quidam doceant, quòd Philippus retulit: tamen Magister sententiarum, S. Thomas, Richardus, Durandus, Paludanus, & alij permulti in 4. dist. 16. vel 18. omninò contendunt, quod & nos suprà docuimus, Sacerdotem habere Claues, quibus non tantùm absoluat à culpa, sed etiam vt Iudex vice Dei liget ad pœnam, quam pœnitẽs recusare non potest, nisi Iudici diuinitùs constituto, ac proinde ipsi Deo resistat. Veteres autem Patres tantùm abest, vt recusantes mulctam à Sacerdote iniunctam, admissuri essent, vt nunquam ad communionem Eucharistiæ pœnitentes adire permiserint, nisi priùs salubri Satisfactione purgatos. Ipsa denique Concilia Oecumenica, Florentinum & Tridentinum, non facerent Satisfactionem partem Sacramenti Pœnitentiæ, nisi & à Deo institutam, & necessariam in re vel in voto esse credidissent.

Altera verò propositio ideò non caret vitio, quia præceptum illud, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, quod vnũ ex tribus à Philippo notatis, nos adduximus pro Satisfactione, datur quidem hominibus in hac vita, sed intelligitur cùm conditione, si videlicet quis velit perfectam remissionem peccati, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam: omninò enim probabile est, non obstringi eos nouo peccato, qui non plenè satisfaciunt in terris pro pœna temporali alterius sæculi. Etsi enim vult Deus dignos pœnitentiæ fructus, tamen si quid minùs hîc

A soluerimus, id Purgatorijs ignibus expiabitur, vt Petrus Damianus scribit in secundo sermone de S. Andrea.

ADDIT Philippus argumentum tertium his verbis: *Tertiò, indulgentiæ remittunt illas Satisfactiones, vt docet caput, Cùm ex eo, de Pœnit. & Remiss. At indulgẽtiæ non soluunt nos illis præceptis: Facite fructus dignos pœnitentiæ, Agite pœnitentiam. Itaque manifestum est, malè detorqueri illa dicta Scripturæ ad canonicas Satisfactiones.*

RESPONDEO: Indulgentiæ (de quibus suo loco fusiùs disseremus) non soluunt nos diuinis præceptis, sed faciunt tamen, vt pro ijs pœnis, quæ nobis per Indulgentiam condonantur, non teneamur præcepto illo de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus. Et habemus simile aliquid apud Apostolum Rom. 13. imperat enim Apostolus, vt reddamus omnibus debita: *Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem.* Igitur si cui creditor debitum donauerit, aut Princeps tributum remiserit, non soluetur ille quidem Apostolico præcepto, vt non teneatur reddere omnibus debita, sed non habebit debita, quæ reddat: neque poterit impunè negare tributum ei, cui debet tributum; sed non habebit cui debeat tributum.

ADDIT quartò hoc modo: *Videte porrò quid sequatur, si Pœnæ purgatorij sunt satisfactiones seu satis passiones, aut satisfactiones sunt redemptio pœnarum Purgatorij. Num etiam hæ sententiæ præcipiunt, vt animæ castigentur in purgatorio? id cùm sequi necesse sit ex Aduersariorum opinionibus, hæ sententiæ nouo modo interpretandæ erunt: Facite fructus dignos pœnitentiæ, hoc est, patiamini pœnas purgatorij post hanc vitam.*

RESPONDEO, miror nouam istam Philippi Dialecticam: Satisfactio est redemptio pœnarum Purgatorij; igitur sententiæ, quæ præcipiunt Satisfactionem, præcipiũt vt animæ castigẽtur in Purgatorio. Quis ita colligeret, nisi planè amens? an qui præcipit redimi captiuos, ne diu vexentur, aut occidantur ab hostibus, is tibi videtur præcipere, vt capiui ab hostibus vexentur, vel interficiãtur? Ergo ita colligi debet: Satisfactio est redemptio pœnarum Purgatorij; Sententiæ igitur quæ Satisfactionem præcipiunt, id præcipiunt, vt detur opera, ne animæ Purgatorijs ignibus addicatur: & sententia illa: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, non significat, Patiamini pœnas Purgatorij, post hanc vitam, sed Redimite pœnas Purgatorij, & sponte satisfacite in hac vita, ne, velitis nolitis, satispatiamini post hanc vitam.

QVINTVM argumentum his verbis proponit: *Præterea cùm certissimum sit, remissionem peccatorum gratuitam esse, seu gratis propter Christum donari, sequitur non requiri Satisfactiones.*

RESPONDEO, Remissionem peccatorum, quod attinet ad reconciliationem amicitiæ, & pœnã mortis æternæ, gratuitam esse, libenter admittimus, tùm quia Scripturæ diuinæ id passim testantur, tùm quia certum est, non posse hominem sine Dei gratia boni aliquid agere: remisionem autem peccati quoad pœnam temporalem, ita fatemur esse gratuitam, vt etiam per Satisfactionem acquiri posse non dubitemus. Gratuitam esse dicimus, quia sine gratia Dei satisfacere non possemus, acquiri nihilominùs per Satisfactionem asserimus, quia ipsa opera bona & pœnalia per Spiritum Christi facta, ex condigno reatum pœnę temporalis expungunt. Et quemadmodum B. Paulus ad Rom. 6. vitam æternam, gratiam Dei vocat, quam 2. Tim. 4. Iustitiæ coronam appellat, quia vt rectè docet Concilium Arausican. can. 18. debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ nõ debetur, præcedit vt fiat: sic etiam pœnæ temporalis remisio ad gratiam & iustitiam pertiner; quia debetur remisio pœnæ temporalis Satisfactioni, si fiat, sed gratia quæ non debetur, præcedit, vt fiat. Adde, quod si non repugnat gratuitæ remissioni peccati, redemptio pœnæ temporalis huius vitæ,

quam

uam Philippus admittit: nulla est ratio cur eidem repugnet redemptio pœnæ temporalis Purgatorij.

SEXTVM argumentum in verbis sequentibus ita proponitur: *Euangelium habet mandatum gratis remittendi peccata, non imponendi pœnas, & nouas leges, aut partem pœnarum imponendi, parte remissa.*

RESPONDEO, Mandatum istud Euangelicum de peccatis remittendis gratis, id est, nulla Satisfactione imposita; nos adhuc in quatuor Euangelistarum voluminibus reperire nequiuimus; inuenimus autem Matth. 16. & 18. mandatum omninò contrarium. Vbi enim Apostolis dantur claues soluendi & ligandi, ibi sine dubio sic illi Iudices hominum peccatorum constituuntur, vt non solùm eos à culpis absoluant, sed etiam ad pœnas ligent, prout ad salutem ipsorum iudicauerint expedire.

Quòd enim potestas ligandi nihil sit aliud, nisi potestas retinendi peccata impœnitentibus, quod hoc loco scribit Philip. Aduersarij non probant, sed dicũt tantùm, quòd autem ea potestas ad ea omnia vincula se extendat, quæ necessaria, vel vtilia sunt ad salutem hominum renatorum, ac nominatim ad vinculum Satisfactionis; nos probamus, tùm quia verba Domini generalia sunt: *Quodcunque ligaueris, &c., Quæcunque alligaueritis*, neque nostrũ est restringere, quod Dominus amplum esse voluit: tùm quia Ecclesiæ consuetudo locum istum apertissimè declarauit, siquidem (vt ex Concilijs & Patribus supra citauimus perspicuum est) nullum vnquam fuit tempus, quo lapsi in Ecclesia sine Satisfactione reciperẽtur. Quis autem credat, Ecclesiam vniuersam ab initio prædicationis Euangelicæ, noluisse lapsos sine satisfactione admittere, si in Euangelio mandatum extaret de peccatis sine Satisfactione remittendis?

ARGVMENTVM Postremum, si tamen argumentum, & non potiùs figmentum dici debet, in illis verbis habetur: *Præterea mors Christi non est solùm satisfactio pro culpa, sed etiam pro morte æterna, iuxta illud: Ero mors tua ô mors. Quid est igitur monstri, dicere, quòd Christi Satisfactio redimat culpam, nostræ pœnæ redimant mortem æternã, vt iam illa vox (Ero mors tua) intelligi debeat, non de Christo, sed de nostris operibus; & quidem non de operibus à Deo præceptis, sed de frigidis quibusdam obseruationibus, excogitatis ab hominibus, & dicantur mortem abolere etiam cùm fiunt in peccato mortali?*

RESPONDEO, Tria sunt hîc mendacia. Primùm enim non docent Catholici, Satisfactionibus nostris redimi mortem æternam, sed pœnam solùm temporalem, vt iam sapiùs diximus: atque illud: *Ero mors tua*, de Christi morte, non de nostris operibus intelligendum esse, gratissimè confitemur. Deinde, satisfactoria opera non in obseruationibus ab hominibus excogitatis, sed in ieiunio, Eleemosyna, & Oratione, quæ in Scripturis præcepta, exempla, & promissiones amplissimas habent, vt suprà docuimus, collocamus. Denique nemo Catholicorum docet, opera in peccato mortali facta, abolere mortem: dicunt quidem aliqui, opera in peccato mortali facta, fore satisfactoria, si is iterum ad gratiam Dei redeat, qui ea opera fecerat; sed tunc satisfactoria esse, dum is est in peccato mortali, nemo (quod sciam) dicit. Porrò meliores Theologi, neque satisfactoria esse, neque vnquam futura concedunt ea opera, quæ in peccato mortali facta sint; tantùm abest vt his operibus mortem aboleri dicãt. Atque hæc ad argumenta Philippi respondisse sufficiant.

CAPVT XIV.

Soluuntur quædam argumenta Ioannis Caluini.

IOANNES Caluinus lib. 3. Instit. c. 4. §. 25. incipit exagitare doctrinam de Satisfactione, & quasi alter Thraso, vel Goliath Philistæus, admirabili confidentia insultat agminibus Dei viuẽtis: *Ter-*

A *tium*, inquit, *locum satisfactioni in Pœnitentia assignant: de qua quidquid blaterant, vno verbo subuerti potest. Dicũt non sufficere pœnitenti à præteritis malis abstinere, & mores in melius commutare, nisi de ijs, quæ facta sunt, satisfaciat Deo: esse autem multa adminicula, quibus peccata redimamus, lachrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia.* Et paulò pòst: *Talibus mendacijs oppono gratuitam peccatorum remissionem, qua nihil in Scripturis clarius prædicatur.*

RESPONDEO, Quod nos blaterare dicit Caluinus, & quod vno verbo subuerti posse affirmat, totidem verbis tradit S. Augustinus in homil. 50. cap. 15. vbi sic loquitur: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de ijs, quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Quod etiam de subsidijs peccatorum redimendorum in nobis Caluinus reprehendit, his verbis tradit S. Ambrosius in lib. de Helia & Ieiunio, cap. 20. *Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes? redime peccatum tuum.* Neque his dissimilia legũtur in Scripturis & Patribus, quos suprà citauimus: non igitur ista nos blateramus, aut fingimus, sed ex Scripturis & Patribus hausimus.

PORRÒ gratuita peccatorum remissio, quæ clarissimè in diuinis literis prædicatur, sicut Augustinum & Ambrosium, & Patres cæteros, Scripturarum diligentissimos tractatores non terruit, ita neque nos terret: in ijsdem enim Scripturis vtrumque legimus, gratuitam videlicet peccati remissionem, & redemptionem peccatorum per opera bona. Idem enim Spiritus sanctus, qui per Isaiam dixit: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non ero memor.* Isaiæ 43. & cætera, quæ citat Caluinus: dixit etiam per Salomonem: *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Prouerb. 16. & per Danielem: *Peccata tua eleemosynis redime.* Daniel. 4. & per Lucam, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc. 7. Itaque gratuita est peccatorum remissio, quia gratis Deus fidem & Pœnitentiam nobis inspirat: gratis ad amicitiam, & gratiam suam nos recipit; gratis culpam, & reatum mortis æternæ condonat; gratis denique gratiam illam infundit, per quam pro pœna tẽporali, quę dimissa culpa remanet, satisfacimus: ex quo sequitur, vt gratuita peccati remisio, non solùm cum Satisfactione non pugnet, sed eam potiùs gignat. In eo verò potissimùm errat Caluinus, quòd gratiam, quæ in sacris literis prædicatur, non animaduertit opponi propriè illis tantùm operibus, quæ ex proprijs viribus liberi nostri arbitrij fiunt: opera enim, quæ ex gratia ipsa procedunt, adeò non opponuntur gratiæ, vt in ea potiùs tanquam effectus in caussa, includantur.

Pergit Caluinus §. 26. *Verùm qua sunt peruersitate, & peccatorum remissionem, & reconciliationem fieri semel dicunt, cùm in gratiam Dei per Christum in Baptismo recipimur: post Baptismum resurgendum esse per satisfactiones: sanguinem Christi nihil prodesse, nisi quatenus per Claues Ecclesiæ dispensatur, &c.* & contrà allegat illud 1. Ioan. 2. *Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* & illud Ioannis primo: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

RESPONDEO, quod hoc loco in Catholica doctrina Caluinus reprehendit, ante mille & trecentos annos scripsit S. Cypria. in serm. de opere & elemosynis, vbi sic loquitur: *Nõ haberet, quid fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas faceret, nisi iterũ pietas diuina subueniens iustitiæ, & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret, vt sordes postmodum quæcunque contrahimus, eleemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis Spiritus sanctus, & dicit, Eleemosynis & fide delicta purgantur: non vtique illa delicta, quæ fuerant antè con-*

tracta, nam illa Christi sanguine, & sanctificatione purgantur. In eandem sententiam loquitur Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 5. *Vtrumque beatum dixit; & cuius iniquitas remittitur per lauacrum & cuius peccatum tegitur operibus bonis.* atque alia id genus multa passim in Patribus reperiuntur.

NEQVE verò ita distinguemus inter Baptismum & Pœnitentiam, quasi peccata, quæ post Baptismum fiunt, sine Christi sanguine, solis operibus nostris experientur; nam (vt suprà non semel docuimus) peccata omnia, siue ante Baptismum, siue post Baptismum, commissa fuerint, Christi sanguine, & redemptione purgantur, vt testimonia Scripturæ à Caluino adducta probant: sed hoc inter ea discrimen agnoscimus, quòd in Baptismo ita plenè, ita perfectè, ita copiosè Christi sanguis operatur, vt peccata omnia nó solùm quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam alterius vitæ, cùm æternam, tùm etiam temporalem deleat, ita vt nullùs satisfactioni propriæ locus relinquatur, in Sacramento autem Pœnitétiæ, idem Christi sanguis culpam quidem, & pœnam æternam delet, sed pœnam temporalem totam, nisi propria Satisfactione cooperáte, non expiat: cuius discriminis caussam, ex diuina iustitia, atque ex alijs locis petitam suprà reddidimus.

QVARE non admittimus modos illos loquédi, quibus Caluinus sententiam nostram, vt eam odiosam faceret, explicauit. Non enim dicemus, remissionem peccatorum & reconciliationem semel fieri, quasi iustificatio lapsorum post Baptismum, non sit vera peccatorum remissio, & recóciliatio. Neque dicimus, post Baptismum resurgendum esse per Satisfactiones: non Satisfactio ad resurgendum à morte peccati, sed ad reatum pœnæ temporalis, qui post eam resurrectionem manet, expiandum adhiberur. Neque illud dicimus, sanguinem Christi nihil prodesse, nisi quatenus per Ecclesiæ claues dispensatur: neque enim solùm prodest in Sacramento Pœnitentiæ, in quo virtute Clauium peccatores reconciliantur, sed etiam in Confirmatione, Eucharistia, cæteríque omnibus Sacramentis.

DEINDE §. 27. argumentum ducit ab honore Christi, & pace conscientiæ: *Ac duo*, inquit, *hic perpendere conuenit: vt integer & illibatus suus honor Christo seruetur; vt conscientiæ de peccati venia securæ, pacem apud Deum habeant, &c.* allatis autem in medium testimonijs, Isaiæ, Petri, & Pauli quibus peccatorum nostrórũ purgatio Christo tribuitur, his verbis conficit argumentum: *Nunc tibi pestilentes eorum nænias propone: Gratiam Dei in prima peccatorum remissione solam operari: si posteà ceciderimus, ad secundam veniam impetrandam opera nostra cooperari. Hæc si locum habeant, án ne quæ Christo superius sunt attributa, illi salua manent? Immane, quantum hæc differunt, iniquitates nostras positas esse in Christo, vt in ipso expiarentur, & nostris operibus expiari: Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, & Deum operibus propitiandum?*

AD hanc priorem argumenti partem, quæ ab honore Christi ducta est, Respondeo multis modis peccasse Caluinum. Primùm, non rectè sentétiam Catholicorum exposuit, cùm ait nos dicere, Gratiam Dei in prima peccatorum remissione solam operari: si posteà ceciderimus, ad secundam veniam impetrandam opera nostra cooperari. Nam si agatur de remissione peccatorũ quoad culpam, & debitum mortis æternæ; neque in prima, neque in secunda remissione opera nostra cooperantur gratiæ Dei, per modum Satisfactionis propriè dictæ, & tamen cooperantur tùm in prima, tùm in secunda remissione per modum impetrationis, & dispositionum. Quod enim in primæ remissione, quæ videlicet fit in Baptismo, non sit gratia Dei sola, quæ operatur, sed opera etiam nostra, vt dispositiones, cooperentur; perspicuum est ex verbis illis B. Petri Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* & ex illis Apostoli Pauli Act. 20. *Testificans Iudæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.* Cooperari autem fidem & Pœnitentiam, impetrando remissionem peccatorum, docet Augustinus in epist. 105. ad Sixtum, vbi sic ait: *Nec ipsa remissio peccatorum, sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori.* Et tract. 72. in Ioan. *Operanti in se Christo cooperatur homo salutem æternam, ac iustificationem suam.*

Itaque discrimen quod Catholici ponunt inter remissionem primam, & secundam, id est, in Baptismo, & post Baptismum; in eo potissimùm situm est, quòd in prima cõdonatur omnis culpa, & pœna, & proinde nulla est necessaria Satisfactio: in secunda, cõdonatur culpa, & pœna æterna, remanente reatu pœnæ temporalis, pro qua Satisfactio exigatur. Atque hanc esse Catholicorum sententiam, agnoscit, & scribit idem Caluinus paulò infrà in eodem cap. §. 90. sed maluit hoc loco fraudulenter eam proponere, vt faciliùs impugnaret.

DEINDE Caluinus non satis fideliter antitheses illas adduxit, cùm ait: *Immane, quantum hæc differunt: Iniquitates nostras positas esse in Christo, vt in ipso expiarẽtur, & nostris operibus expiari: Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, & Deum operibus propitiandum?* Nam si vt paulò antè fecit, opera nostra cooperari expiationi, & propitiationi Christi, dixisset, non autem ea Christi Satisfactioni opposuisset, vidisset planè nullũ esse locũ exclamationi illi. *Immane, quantũ hæc differũt.* Neq; enim hæc multũ differunt, Iniquitates nostras positas esse in Christo, vt in ipso expiarẽtur; & opera nostra à Spiritu Christi profecta, eidẽ Christo ad peccata expianda cooperari: neq; illa multùm differunt, Christum esse propitiationem pro peccatis nostris; & opera nostra per Spiritum Christi facta, eiusdem Christi propitiationi cooperari. Certè sanctus Augustinus, qui præter cæteros gratiam Christi totis viribus vbique defendit, nõ abhorret ab his vocibus, quas hoc loco tantoperè reprehendit Caluinus: *In melius*, inquit in Enchiridio c. 70. *est vita mutãda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus.*

TERTIÒ Scripturæ, quas ex Isaia, Petro, & Paulo Caluinus adducit, nihil minùs probant, quàm quod ipse cupit. Quid enim Isaias dicit: *Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum, & liuore eius sanati sumus.* Isaiæ 53. Quid Petrus? *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* 1. Pet. 2. Quid Paulus? *De peccato damnauit peccatum in carne.* Rom. 8. Atqui hæc loca nihil aliud docent, nisi, Christi mortem fuisse pretiũ sufficiés ad omnia peccata mundi totius redimenda, siue sacrificiũ ad omnia omnium hominum crimina expianda: sed hoc pretium nemini prodest, nisi modo aliquo applicetur. Nam si nulla requiritur applicatio, & omnia omninò peccata Christi sanguis expiauit, vnde tam multi sunt in mũdo impij? cur tam multi detrudũtur ad inferos? cur tam pauci sunt qui saluãtur? quid facit Baptismus? quid Eucharistia? quid fides? quid pœnitẽtia? quid ipsa Euãgelij prædicatio? Confitendum est igitur, Christi mortem, quæ per se ad omnia peccata abolenda sufficeret, nemini prodesse, nisi per fidẽ, & Sacramẽta, cæteráque instrumenta diuinitùs instituta, singulis applicetur. Vnum autem ex instrumentis diuinitùs instituris ad pœnam temporalem peccatorum expiãdam, Satisfactionem esse, nos dicimus, nec solùm dicimus, sed ex Scripturis, & omnium Patrum testimonijs comprobamus, vt ex ijs quæ anteà scripsimus, patuit.

HVC accedit, quòd sacrificium Crucis Christi eò potissimùm spectauit, vt nos Deo reconciliaret, ac de impijs & inimicis, iustos & amicos Dei faceret: sic enim Apostolus loquitur, *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius*, Roma. 5. &, *De peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio regis impleretur in nobis.* Rom. 8. & B. Petrus. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* 1. Pet. 2. Id autem totum nos libentissimè confitemur; non vi satisfactionis nostræ, sed solo Christi merito nos reconciliari, & iustificari, siue per Baptismum, siue per Absolutionem: sed cum hoc non pugnat, quod dicimus, homines Christi sanguine reconciliatos, & iustificatos, operante in ipsis Christi spiritu & virtute, satisfacere Deo pro reatu pœnæ temporalis.

DENIQVE quod initio argumenti Caluinus assumit, prouidendum esse, vt integer & illibatus suus honor Christo seruetur; tantùm abest, vt sententiæ nostræ de Satisfactione aduersetur, vt eam potiùs stabiliat, & confirmet. Siquidem maior est Christi gloria, si dicatur non solùm pro peccatis nostris satisfeciſſe, sed etiam id membris suis donasse, vt per eius gratiam & virtutem, aliqua ex parte etiam ipsa satisfacerent: quemadmodum non derogat omnipotentiæ Creatoris, sed eam potiùs commendat & celebrat, qui dicit Deum non solùm per se, sed etiã per seruos suos miracula facere. Viderint igitur Aduersarij, ne dum prò Christi honore certare se credunt, operibus gratiæ, & Christi membris, & ipsi Spiritui sancto iniuriam faciant: siquidem reprehensio fructuum, deriuatur ad radicem, & iniuria membrorum in caput redundat.

IAM verò posterior argumenti pars quæ ducebatur à pace cõscientiarum, his verbis à Caluino tractatur, *Quòd si de pacificanda conscientia agitur: quæ isthæc erit pacificatio, si audiat peccata redimi satisfactionibus? quando tandem ille satisfactionis modus constare poterit? ergo semper dubitabit, an Deum habeat propitium, semper æstuabit, semper horrescet. Nam qui lenibus satisfactiunculis acquieſcunt, nimis contemptim iudicium Dei æstimant, & parum reputant quanta sit peccati grauitas. Et vt ipsis concedamus, peccata aliquot iusta satisfactione redimere, quid tandem facient vbi tot peccatis obruuntur, quorum satisfactionibus nec centum vitæ, vel si totæ in hoc sint, sufficere queant.*

RESPONDEO, conscientiæ pax non pendet à reatu illo pœnæ temporalis, quem solùm satisfactionibus nostris tollendum esse dicimus: qui enim culpæ remissionem accepit, ac de mortis æternæ periculo liberatus, in gratiam cum Deo rediit, magna sine dubio fruitur conscientiæ pace, etiamsi sciat se temporali aliqua mulcta ob peccata præterita castigandum. Quare Caluinus ita argumentatur, ac si nos diceremus, satisfactionibus nostris amicitiam Dei, gratiámque recuperandam: quod cùm nos minimè dicamus, ipse fruſtra sudat, & nihil præter aërem verberat.

IN eo præterea Caluinus fallitur, quòd existimat totam vitam, ac ne centum quidem vitas sufficere ad Satisfactionem, quam docemus. Fallitur, inquam, aperrissimè, siquidem tanti æstimatur à Deo Satisfactio, quæ in hac vita sponte, atque ex charitate suscipitur, vt breuis huius vitæ labor facilè compenset acerbissimos, longissimósque cruciatus Purgatorij. certè sanctus Martyr Cyprianus lib. 4. epist. 2. non dubitat affirmare, peccata omnia, quæ alioqui longissimam in Purgatorio pœnam exigerent, vnica Martyrij passione purgari: ac etiam præter Martyrium, Theologi docent eiusmodi esse posse in aliquo pœnitente cõtritionem, vt per eam peccata omnia quoad culpam & pœnam, plenissimè deleantur.

HIS argumentis explicatis, Caluinus §. 28. ponit distinctionem peccati mortalis, & venialis, qua nos, vt dicit ad argumẽtum supra positum dissoluendum, atque eam refutare conatur. De qua re nihil inpræsentiarum dicemus, tum quòd nos ea solutione non egemus, tùm quòd de distinctione peccati mortalis & venialis plenum tractatum in tertio tomo instituimus.

HOC vnum præterire non possum, ineptissima ratio-

cinatione vti Caluinum, vt probet nõ posse vnquam pro venialibus satisfieri; *Si vnius*, inquit, *diei est satisfactio peccati vnius: dum illã meditantur, pluribus se inuoluunt; quando diem nullum præterit iustissimus quisque, quo non aliquoties labatur: ad eorum verò satisfactionem dum se accingẽt, numerosa, vel potius innumera cumulabunt. Iam præcisa est satisfaciendi fiducia. Quid moramur? quomodo adhuc de satisfaciendo cogitare audent?*

SED quis dedit Caluino illud principium; vnum diem requiri ad Satisfactionem vnius peccati venialis? Si vnico actu contritionis, qui momento temporis fieri potest, interdum multa mortalia, vt diximus, expiantur: quanto faciliùs, non inquam, vnus dies, sed vna hora sufficiet ad satisfactionem venialium plurimorum? *De quotidianis*, inquit Augustinus in Enchiridio cap. 71. *breuibus, lenibusque peccatis sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.* Certè non cõsumitur vnus integer dies in oratione Dominica recitanda; & tamen ea oratione pro venialibus peccatis, non vno aut duobus, sed multis satisfieri credit Augustinus: non igitur præcisa est satisfaciendi fiducia, neque sine caussa de satisfaciendo cogitare audemus.

CAPVT XV.

Soluuntur alia Caluini argumenta.

IAM verò in §. 29. propiùs ad rem accedit, & solutionem Catholicorum his verbis Caluinus proponit; *Conantur quidem se expedire, sed aqua, vt dicitur, illis hæret. Fingunt sibi distinctionem pœnæ, & culpæ: culpam remitti fatentur Dei misericordia, sed culpa remissa pœnã restare, quam persolui Dei iustitia postulat: ad pœnæ igitur remissionẽ propriè spectare satisfactiones.* Deinde multis Scripturæ locis allatis, addit §. 30. quod deesse videbatur ad Catholicorũ solutionem, *Scio*, inquit, *subtiliùs adhuc ipsos elabi, dum inter æternam pœnam, & temporales distinguunt. Sed cùm temporalem pœnam quoduis supplicium esse tradant, quod tàm de corpore, quàm de anima sumit Deus, excepta modò æterna morte, parùm eos subleuat, hæc restrictio. Nam superiores loci, quos citauimus, hoc nominatim volunt, hac nos conditione recipi à Deo in gratiam, vt quicquid eramus pœnæ meriti, remittat, culpam ignoscẽdo.*

Excutiamus igitur loca singula quæ adducit, ac videamus, vtrum ex ijs colligi queat, omnem temporalem pœnam nobis remitti, quotiescunque nos Deus in gratiam recipit. Quæ quidem testimonia tanta confidentia Caluinus producit, vt dicat, *Subnectam quædam alia testimonia, quibus adeò constringantur tortuosi isti angues, vt ne summam quidem eandem applicare posthac queant.*

PRIMVM testimonium est, Hierem. 31. & Ezech. 18. quod his verbis à Caluino proponitur: *Hoc est Testamentum nouum, quod Deus in Christo suo nobiscum pepigit, quòd iniquitatum nostrarum non recordabitur. Quid his significauerit, discimus ex alio Propheta, vbi Dominus, Si impius*, inquit, *à iustitia sua deflexerit, omnium iustitiarum eius non recordabor: si impius ab impietate sua recesserit, omnium iniquitatum eius non recordabor. Quòd se iustitiarum recordaturum negat, vtique hoc est, nullam se earum habiturum rationem, vt remuneretur: ergo & peccatorum non recordari, est ea non postulari ad pœnam.*

AD hoc primum testimonium iam suprà respondimus, cùm Lutheri argumenta solueremus: atque vt Caluinus intelligat, quàm parum hoc suo argumẽto nos cõstrinxerit, eadem nos ratiocinatione vtimur in solutione, qua est ipse vsus in argumento. Cùm enim iustus à iustitia sua deflexerit, iustitiarum eius Deus non recordabitur, non quia non remunerabit temporali aliquo præmio, sed quia non remunerabit æterna illa mercede, quam repromisit diligentibus se: ergo ad eũdem modum

cùm impius ab impietate sua recesserit,iniquitatum eius Deus non recordabitur,non quia non castigabit temporaria aliqua pœna,vt Mosem Aaronẽ, Dauidem, & alios post reconciliationem castigauit, sed quia non puniet sempiterna morte, & igne illo æterno, qui paratus est diabolo & angelis eius. Vide plura loco citato in solutione argumentorum Lutheri,cap.11.

ALTERVM testimonium habetur Isaiæ 44.Michææ 7.& in Psalm.31.*Id ipsum*, inquit Caluinus, *alibi dicitur, Proiicere post tergum,delere instar nubis,demergere in profundum maris,non imputare, tectúmque habere: talibus loquendi formulis non obscurè sensum suum nobis explicauerat Spiritus sanctus,si dociles aures illi accommodaremus. Certè si punit Deus,peccata imputat:si vindicat, recordatur: si ad iudicium vocat, tecta non habet:si examinat,post tergum non proiicit:si inspicit,non obliterat instar nebulæ:si ventilat,non proiicit in profundum maris. Atque in hunc modum interpretatur Augustinus claris verbis:Si texit peccata Deus,noluit aduertere, si noluit aduertere, noluit animaduertere, si noluit animaduertere,noluit punire,noluit agnoscere,maluit ignoscere.Tecta ergo peccata quare dixit? vt non viderentur. Quid erat Deum videre peccata, nisi punire?*

Rectè dicit Caluinus,id ipsum in his locis contineri, quod in superioribus.Quare quemadmodum superiora testimonia Hieremiæ,& Ezechielis, significabant Deum non recordari iniquitatum eorum, qui per Pœnitentiam ad ipsum redeunt, non quia non puniat temporali aliqua pœna,ob eorum ipsorum,qui puniuntur,vtilitatem, sed quia non retinet cum illis inimicitiam,neque sempiterno igni illos addicit,neque ab æterna felicitate excludit: sic etiam testimonia Isaiæ, Michææ, & Danidis,hoc tantùm significant,Deum proiicere,delere, non videre, non imputare, tegere peccata eorum, quibus amicitiam suam,gratiámque restituit; quia quod attinet ad rearum culpæ,& pœnæ æternæ, ita alios respicit, ac si nunquam peccassent,licet ob eorum vtilitatem, aliísque iustissimis de caussis,aut eos ipse temporaliter castiget,aut vt se ipsi castigent,velit.

Quocirca idem sanctus Augustinus, qui tegere peccata,interpretatur,non punire; in alio loco scribit,Deum omninò velle, vt peccatum non maneat impunitum, & tùm non punire peccata nostra,cùm nos ipsi ea punimus. In Psalm.50. *Non impunitum erit peccatum meum, sed ideo nolo vt tu puniaris,quia ego peccatum meũ punio.*& ibidem: *Veritatem dilexisti,hoc est,impunita peccata eorum,quibus ignoscis, non dimisisti:sic prærogasti misericordiam, vt seruares & veritatem.* Hæc ille. Non igitur apud Augustinum,tegere peccata,est,nullo modo punire,sed non punire in æternum;vel non punire etiam temporaliter,si se ipse peccator puniat.

TERTIVM testimonium est Isaiæ 1.& Hierem.50. *Audiamus verò*,inquit Caluinus,*& ex alio Prophetæ loco, quibus legibus peccata remittat Dominus.Si fuerint peccata vestra vt coccinum,quasi nix albescent,& si rubuerint vt vermiculus,erunt quasi lana.Apud Hieremiam autem sic legitur:In illa die requiretur iniquitas Iacob,& non inuenietur; peccatum Iudæ, & non erit, quia propitiabor reliquijs, quas seruauero. Vis breuiter tenere quis sit verborum istorum sensus, expende quid è conuerso sibi velint loquutiones illæ,Dominum in sacculo iniquitates colligare,in fasciculum colligere,& reconderè, stylo ferreo exarare in lapide adamantino. Nempe si vindictam repensum iri significant, quod extra dubium est,neque etiam dubitandum est, quin contrarijs sententijs omnem vindictæ repensionem Dominus se remittere affirmet. Hic mihi obtestandi sunt lectores, non vt glossis meis auscultẽt;sed tantùm vt verbo Dei locum aliquem esse sinant.*

Vtinam Caluinus quod ab alijs petijt, præstare ipse voluisset,vt verbo Dei locum aliquem esse sinens,illud suis glossis minimè deprauasset: certè enim ex istis ipsis locis Isaiæ,& Hieremiæ,quæ nũc adduxit, errorem suum deprehendere facilè potuisset. Audi enim quibus legibus apud Isaiam peccata remittat Deus:*Lauamini,mundi estote,auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè,discite benè facere.quærite iudicium, subuenite oppresso,iudicate pupillo,defendite viduam,& venite,& arguite me dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum,sicut nix dealbabuntur,& si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana erunt.* Hæc Dominus per Isaiam, vbi promittit quidem perfectam peccati purgationem; vt nulla restet luenda pœna, vt cupit Caluinus, sed non promittit solùm credentibus & resipiscentibus, vt Aduersarij nostri docent, qui de capite suo loquuntur,& nõ de ore Domini: sed promittit ijs, qui priùs lauantur,& mundantur per veram Contritionem, & Pœnitentiam; deinde cessant à peccatis,quibus antea malè affluebant, tum in bonis operibus assiduè ac diligenter exercentur,atque ita (vt hunc locum sanctus exponit Hieronymus) dignos Pœnitentiæ fructus faciunt. His, inquam, Dominus dicit: *Venite, & arguite me: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*, id est,vt idem exponit Hieronymus: *Si hæc omnia feceritis, arguite me, nisi præmia reddidero, quæ pollicitus sum,nimirum nisi peccata,quamuis maxima, plenè, perfectéque dimisero.* Cùm igitur plena peccati remissio, quoad omnem pœnæ reatum,præmium sit operum bonorum,quæque post conuersionem & culpæ remissionem fiunt, quæque satisfactoria dici solent; quis non videt, ex hoc loco Isaiæ à Caluino adducto, non destrui, sed astrui prorsus, & stabiliri nostram de Satisfactione doctrinam?

PORRÒ Hieremias loquitur de peccato idololatriæ, ob quod totus populus in captiuitatem Babylonicam ductus fuerat,ac prædicit,expiato peccato illo longa durissimáque captiuitate,tandem flagellum in ipsum Regem Babylonis conuertendum, & reliquias Israël & Iudæ liberandas,& ita liberandas, vt peccatum illud nõ amplius inueniatur,vt nimirum aliqua alia pœna mulctetur.

QVARTVM testimonium est, 1.Pet.2.Isaiæ 53.Rom. 3.1.Corinth.1.Ephes.1.Col.1.& 1.Timoth.2. *Quid quæso*, inquit Caluinus, *nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pœna exigeretur? nam cùm dicimus eum pertulisse peccata nostra in corpore suo super lignum, non aliud significamus, quàm defunctum pœna & vindicta, quæ peccatis nostris debebatur. Id ipsum significantiùs declarauit Isaias, cùm dicit,castigationem pacis nostræ fuisse super eum: & quoties de redemptione per eum facta,meminit Paulus,vocare solet ἀπολύτρωσιν, quo non simpliciter redemptionem indicat, qualiter vulgò intelligitur,sed precium ipsum,& Satisfactionem.*

RESPONDEO, si Christo mortuo, adhuc pœna mortis æternæ à nobis exigeretur, non omninò incepiè Caluinus quareret, quid nobis præstitisset Christus; si adhuc pro peccatis pœna exigeretur. At cùm sacrificio mortis suæ Christus nobis Deum reconciliauerit, & ex irato iudice patrem amantissimum fecerit, cùm nos ab æterno interitu liberauerit,& vitam sempiternam acquisierit, cùm denique gratiam, & virtutem nobis dederit, qua Deo pro temporali pœna satisfacere ipsi possemus. ingratissimus sit necesse est, qui quærendum adhuc esse putat, quid nobis præstiterit Christus, si pœna quædam temporalis pro peccatis nostris exigatur.

PORRÒ testimonia illa Isaiæ, Petri & Pauli, iam suprà iterum adducta, & explicata sunt: ac libentissimè, gratissiméque agnoscimus, & fatemur, Christi mortem precium & satisfactionem esse pro peccatis nostris,quoniam,vt sæpe dictum est,soluit ipse precium,& satisfecit, immediatè, (vt sic loquar) pro culpa & reatu mortis æternæ eorum, quibus sanguis eius per Sacramẽta applicatur,mediatè autem pro pœna etiam tẽporali, quatenus gratiam præbet, per quã ipsi nos Domino satisfacimus.

QVIN

QVINTVM testimonium est in toto Leuitico, de quo sic loquitur Caluinus:*Validum autem in primis arietem nobis suppeditat,quod de expiandis peccatorum noxis in lege Mosayca præscribitur. Neque enim illic Dominus hanc, aut illam satisfaciendi legem constituit, sed totam in sacrificij compensationem requirit, vbi tamen alioqui diligẽtissimè, atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus exequitur. Qui fit autem,vt nullis prorsus operibus admissa delicta procurare debeat, sed sola in expiatione sacrificia requirat, nisi quòd ita testari vult,vnicum esse satisfactionis genus,quo iudicium suum placatur?nam quæ tunc immolabant sacrificia Israëlitæ,non hominum opera censebantur,sed à sua veritate, hoc est,vnico Christi sacrificio æstimabantur.*

RESPONDEO. Validus iste aries,pro veritate validus est,pro Caluini errore prorsus infirmus. Nam sacrificia illa Leuitica (vt in 2.lib.de Sacramentis in genere cap.14.15.16.& 17.demonstrauimus) non culpam, aut pœnam æternam, sed immunditiam tantùm legalem, & pœnam temporariam expiabant: proinde rectè satisfactiones quædam dici poterant.

QVOD culpam & pœnam æternam non expiarent, perspicuum est tum ex Dauide Psal.50. *Si voluisses sacrificium dedisses:vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus:cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*tum ex eo, quòd ea sacrificia Deo grata non erant,nisi qui offerebat,Deo gratus,& per hoc iustus esset,nam Prouerb.15. victimæ impiorum dicũtur abominabiles Domino:tũ denique ex testimonijs plurimis Scripturarum, & Patrum, quæ loco citato adduximus.

QVOD autem vt quædam satisfactiones, expiarent reatum pœnæ temporalis, sequitur ex ipsa Dei promissione.Promisit enim Deus offerentibus ea sacrificia, remissionem peccatorum:quæ promissio cùm intelligi nequeat de remissione quoad culpam,& pœnam æternã, id restat, vt intelligatur de remissione peccati,quoad pœnã temporalem. Accedit quòd Deus iubebat pro mensura delicti offerri sacrificia maioris,vel minoris precij.Leuit. 6.quod est argumentum manifestum, illas oblationes imperatas fuisse in compensationem aliquam iniuriæ Deo factæ.

Ex his autem sequitur,multa falsò affirmasse Caluinum,vt validum illum arietem contra Satisfactiones extruderet.Primò falsò asseruit,Deum in Leuitico nõ constituisse hanc aut illam satisfaciendi legem: quid enim sunt sacrificia variæ æstimationis pro varia mensura delicti,nisi variæ satisfactiones:Secundò falsò scripsit,Deum totam in sacrificijs compensationem exegisse: nam Deus non instituit sacrificia pro omnibus peccatis expiandis, sed solùm pro peccatis ignorantiæ contra cæremonias legis,Leuit.4.& 5. & pro peccatis circa damnum proximi in rebus externis,& pro periurio,ex cupiditate habendi res alienas prolato, Leuit.6. pro alijs peccatis grauioribus,vt pro blasphemia,idololatria,homicidio, adulterio, & similibus, nulla inueniuntur sacrificia instituta; sed Prophetæ populum admonebant, pro his in cinere & cilicio Pœnitentiam esse agendam,& eleemosynis, aliísque bonis operibus peccata redimenda. Tertiò falsò Caluinus assumpsit,in Leuitico Deum diligentissimè,atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus exequtum:id enim falsum esse, constat ex his, quæ iam diximus.Quartò,falsum est quod ibidem posuit,nullis prorsus operibus admissa delicta procurari iussisse Deum: nã ipsa oblatio sacrificij, opus erat à Deo mandatum ad peccata admissa procuranda.

QVOD denique Caluinus addit, oblationes illas, non hominum opera censeri; non minùs est falsum, quàm cætera.Nam tametsi sacrificia illa, diuina opera dici possent,tùm quia à Deo instituta erant,tùm quia sacrificium Crucis significabant:tamen erant etiam,ac censebãtur opera humana,& laboriosa, ac proinde satisfactoria:quia non sine detrimento rei familiaris offerebantur, quia per cultus latriæ, Deo ab eo cuius erat oblatio, adhibebatur:quia ex fide & pietate offerentium grata erant: *Dona enim*,vt ait Sapiens Eccles.34.*iniquorum, non probat Altissimus, nec respicit in oblationes impiorum.* Et Gen.4. *Respexit Deus ad Abel, & munera eius*, in quem locum scribens,ita loquitur S.Gregorius lib.22. Moral.cap,12. *Iram iudicis placare nescit oblatio,nisi ex munditia placeat offerentis.* Et paulò pòst: *Idcircò non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt.* Atque hæc de validO Caluini ariete.

SEXTVM testimonium est Oseæ 14. *Qualem*, inquit Caluinus,*compensationem à nobis recipiat Dominus,paucis verbis eleganter Oseas expressit: Omnem, inquit, tolles iniquitatem ô Deus: peccatorum remissio, & vitulos labiorum persoluemus;satisfactio.*

RESPONDEO, qui Deum rogat vt omnem tollat iniquitatem,iure pollicetur actionẽ gratiarum, siue laudis sacrificium.Sed quid hoc facit contra satisfactionem? nam neque iniquitas reatum pœnæ, sed culpam significat propriè:neque si Deus culpam, & pœnam æternam tollat,temporali manente,pro qua satisfieri debeat; non erunt labiorum vituli persoluendi:nec denique,si aliquãdo Deus culpam,& omnẽ pœnam ita condonet, vt nullam exigat satisfactionem,præterquam laudis,& actionis gratiarum,idcircò id perpetuum erit.

SEPTIMVM testimonium est Ezech.36. *Superiores loci*, inquit Caluinus,*quos citauimus,hoc nominatim volũt, hac nos cõditione re ipi à Deo in gratiam,vt quidquid eramus pœnæ meriti, remittat culpam ignoscendo. Et quoties Dauid,aut alij Prophetæ peccatorum veniam petunt, simul pœnam deprecantur, immò diuini Iudicij sensus huc eos impellit:rursus cùm à Domino misericordiam promittunt, semper ferè ex professo de pœnis,earúmque remissione concionãtur.Certè cùm Dominus apud Ezechielem pronunciat,finem se impositurum Babylonico exilio,idque propter se,non propter Iudæos: gratuitum esse verúmque satis demonstrat.Denique si à reatu liberamur per Christum, pœnas, quæ inde proueniunt,cessare oportet,*

RESPONDEO, quid superiores loci contineãt,iam vidimus,nullum enim prætermisimus, & in nullo inuenimus quod Caluinus hoc loco tam confidenter affirmat; hac nos cõditione recipi à Deo in gratiam vt quidquid eramus pœnæ meriti,remittat,culpam ignoscendo: & contrà,nos multa exempla protulimus eorum,quibus Deus culpam ignouit, & pœnam tamẽ temporariam non remisit,vt Mosis,Aaronis,Dauidis,& aliorum.

PORRÒ Dauid, & Prophetæ cæteri, cùm veniam peccatorum petunt,non simul pœnam temporalem semper deprecantur. Dauidis illa vox est, 2. Reg.24. *Ego sum qui peccaui,& ego iniquè egi: isti qui oues sunt,quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* Deinde Dauid,& Prophetæ cæteri,nihil est mirum si pœnam sæpe deprecabantur, & eius remissionem populo promittebant, cùm simul ad pœnam spontè susciendam exemplo & verbo populum hortarentur:æquum est enim,vt Deus parcat illis; qui ob eius amorem sibi ipsi non parcunt.

Testimonium autẽ ab Ezechiele petitum nihil omninò facit ad rem:nam eo loco Propheta de gratia noui testamenti propriè vaticinatur;ait enim: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris,& ab vniuersis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor nouũ,& spiritum nouum ponam in medio vestri,& auferam cor lapideum,& dabo vobis cor carneum,&c.*hanc autem gratiã certum est,propter nomen suum,non propter merita Israëlitarum, Deum fecisse humano generi. Deinde etiamsi ad literã potissimùm de liberatione à seruitute Babylonica Propheta loquutus fuisset, quid hoc faceret contra Satisfactionem, quam nos defendimus ad

expian-

expiandam pœnam temporalem alterius sæculi, & vnicuique propriam? pœnas enim huius sæculi, & præsertim communes toti populo, iam anteà docuimus non semper Satisfactionibus expiari, quemadmodum non semper immitti.

DENIQVE illa conditionalis assertio: *Si à reatu liberamur per Christum, pœnas quæ inde proueniunt, cessare oportet.* Si per reatum intelligamus obligationem ad pœnam, verisma est: sed illud non est verum, per Christum semper liberari nos ab omni reatu pœnæ temporalis; etiamsi nulla interueniat Satisfactio. Si verò per reatum significetur culpa, siue offensio, ob quam debitum pœnæ luendæ contrahimus, falsa conditionalis assertio est. Si à reatu liberamur, pœnâ cessare oportet: multa sunt enim, quæ sine certis caussis non orirentur, quæ tamen orta manent caussis pereuntibus. Ædificium sine ædificatore non fieret: quod si semel factum fuerit, manebit, licet cõtinuò ædificator pereat. Itaque rectè S. Augustinus tract. 124. in Ioan. *Productior*, inquit, *est pœna, quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.*

ATQVE ita solutæ manent illa omnia argumenta, quæ Caluinus insolubilia esse, solita temeritate iactauerat: supersunt tamen adhuc alia quædam argumenta, quę obiter Caluinus in sequentibus patagraphis, dum aliud ageret, id est, dum argumenta Catholicorum soluere niteretur, inseruit.

CAPVT XVI.

Soluuntur alia Caluini Argumenta.

AGITVR in eodem c. 4. §. 35. adducit S. Ioan. Chrysostomi testimonium ex lib. 3. de Prouidentia, vt probet Deum non inferre supplicia, vt peccata puniat, sed tantùm, vt peccatores excitet ad resipiscentiam; & idem confirmat testimonio Hieremiæ, & Oseæ Propheratum, sic autẽ loquitur: *Stultissimus fuerit, si quis arbitretur; præsentis vitæ calamitates in peccati noxam esse nobis impositas. Id mihi videtur Chrysostomus voluisse, cùm ita scripsit: Si ob hoc pœnas infert Deus, vt in malis perseuerantes ad pœnitentiam vocet, ostensa pœnitẽtia, superflua iã erit pœna. Quare prout vniuscuiusque iugẽio expedire nouit, ita hunc maiori asperitate, illum benigniori tractat indulgentia. Itaque vbi docere vult, se non esse in pœnis exigẽdis immodicum, exprobrat duro & obstinato populo, quòd percussus, nõ tamen faciat finem peccandi. Hoc sensu conqueritur, Ephraim esse quasi placentam ab vna parte torridam, ab altera parte incoctam: quia scilicet non penetrabant in animos ferulæ, vt vitijs excoctis, populus ipse capax veniæ fieret. Certè qui sic loquitur, ostendit, simul ac quisque resipuerit, se mox fore placabilem, sibique nostra peruicacia exprimi, quem exercet rigorem in castigandis delictis, cui voluntaria correctio occurreret.*

RESPONDEO, calamitates, quæ impijs immittuntur à Deo, sæpenumero ad eum finem immittuntur, vt illi resipiscant: id tamen non esse perpetuum, testantur mortes Sodomitarum, Pharaonis, Antiochi, Herodis, & aliorum, qui diuino iudicio percussi, miserè interierunt. Cæterùm, tametsi eiusmodi calamitates, quæ conuersionem præcedunt, sæpe, vt dixi, ad resipiscentiam referantur: eæ tamen quæ post conuersionem sequuntur, de quibus nos hoc loco agimus, non ad resipiscentiam, sed ad offensam aliquo modo compẽsandam referuntur. Sequi autem post conuersionem pœnas aliquas temporales, vel in hac vita, vel in futura; satis suprà probatum esse credimus.

Neque testimonium S. Ioan. Chrysostomi cum nostra sententia pugnat: tùm quia loquitur ipse de pœnis, quæ conuersionem præcedunt, quas æquum est cessare, cùm ij, qui flagellabantur, seriò resipiscunt: tùm etiam quia, S. Chrysostomus per pœnitentiam non significat solam resipiscentiam, sed integram pœnitentiam, quæ præter internam conuersionem, & gemitum, externos etiam labores atque opera satisfactoria comprehendit: æquissimum autem est, vt ostensa Pœnitentia, id est, cùm peccator se ipse affligit, & punit, dignósque facit Pœnitentiæ fructus; pœna diuinitùs inflicta cesset.

QVÒD autem Deus queratur, durum & obstinatũ populum, qui à Hieremia & Osea sub nomine Ephraim reprehenditur, diu percussum, non feciſse peccãdi finem: significat quidem, ijs flagellis populum percussum, vt tãdem aliquando resipisceret; sed non inde sequitur, non oportuisse eum populum post conuersionem in cinere, cilicio, in ieiunio, fletu, & planctu Pœnitentiam agere, eaque ratione pro culpis præteritis Domino satisfacere.

ALIVD argumentum in eodem §. 35. ducit Caluinus ab exemplis eorum, qui sine vlla imposita multa iustificati leguntur: *Legitur*, inquit, *Publicanus descendisse è templo iustificatus: pœna nulla sequitur. Petrus delicti veniam obtinuit: lachrymas eius (inquit Ambrosius) legimus, satisfactionem non legimus. Audit Paralyticus, Surge, remittuntur tibi peccata tua: pœna non imponitur. Omnes quæ in scriptura commemorantur absolutiones, gratuitæ describuntur. Ex hac exemplorum frequentia, regula potiùs peti debuerat, quàm ab vnico illo, quod nescio quid singulare continet.*

RESPONDEO, regula doctrinæ Catholicæ non ab vnico Dauidis exemplo petita est, sed à multis Scripturæ testimonijs & exemplis, ab vsu vetustissimo omniũ Ecclesiarum, à cõmuni Patrum Latinorum, Græcorúmque consensu. Sed tamen vnicum etiam Dauidis exemplum, si quis rectè iudicare possit, plus valet ad sententiam nostram confirmandam, quàm exempla omnia, quæ Caluinus protulit, ad infirmãdam. Siquidem Publicanus ille legitur quidem iustificatus præ Pharisæo, non tamen ab omni reatu pœnæ liberatus. Deinde non sine satisfactione iustificatus dici potest, qui pectus suum percutiebat, qui humillimè Domino supplicabat, qui neque ad interiora templi accedere, neq; oculos ad cœlum sustollere audebat. Paralyticus audiit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; sed quis nouit, an peccatorum nomine sola culpa, & pœna æterna eo loco non intelligatur? quis dicere auderet, ipsa paralysi tam diuturna æquo animo tolerata, non eum pro delictis suis satis Deo feciſſe? Quis neget denique, Christum pro arbitrio culpã, & omnem pœnam remittere potuisse? nec tamen ministris licere omnia, quæ Domino liceant? Petrus non solùm resipuit, sed etiam amarissimè fleuit: quo fletu Domino satisfecit.

MIROR autem Caluini vel imprudentiam, vel malitiam, qui aut Ambrosij testimonium non legit, aut eo ad fallendum abuti voluit. Sanctus enim Ambrosius nomine satisfactionis eo loco excusationem, siue defensionem criminis apertissimè designauit: laudat enim Petrũ, quòd maluerit lachrymando confiteri, quàm loquendo excusare delictũ. Sic enim legimus lib. 10. in Lucam cap. 96. *Maluit ipse suum accusare peccatum, vt iustificaretur fatendo, quàm grauaretur negando.* Et infrà: *Non inuenio quid dixerit, inuenio quòd fleuerit: lachrymas eius lego, satisfactionem non lego.: sed quod defendi non potest, ablui potest.* & in serm. 46. vbi eãdem illam sententiam posuerat: *Lachrymas lego, satisfactionem non lego*: subiicit, *Rectè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari.* Itaque satisfactio eo loco, defensio, & excusatio est, quo sensu dicitur 1. Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea, quæ in vobis est spe.* & Actorum 24. inquit Paulus: *Bono animo pro me satisfaciam.*

ARGVMENTVM postremum Caluinus petit ex quatuor Chrysostomi & Augustini testimonijs, quæ tamen nullo negocio poterunt explicari. Primum testimonium Chrysostomi est homilia 2. in Psal. 50. vbi sic legimus: *Vbi misericordia flagitatur, interrogatio cessat: vbi misericor-*

diæ postulatur, iudicium non scruit: vbi misericordia petitur, pœnæ locus non est: vbi misericordia, quæstio nulla: vbi misericordia condonata responsio est. Secundum testimonium eiusdem est hom. 10. in Genesim, vbi Chrysostomus dicit, nihil vltrà à nobis Deum requirere, quàm vt delicta nostra cum lachrymis apud se cõfiteamur. Primum testimonium Augustini est in lib. de dogmatibus Ecclesiasticis, c. 54. vbi definitur Satisfactio ad hunc modum: *Pœnitentiæ satisfactio est, caussas peccatorum excindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere.* Secundum testimonium eiusdem, ex nescio quo libro; neque enim certum locum notauit: *Caro Christi*, inquit, *verum est, & vnicum pro peccatis sacrificium, non modò iis, quæ vniuersa in Baptismate delentur, sed quæ postea ex infirmitate subrepunt, propter quæ vniuersa quotidie clamat Ecclesia, Remitte nobis debita nostra: & remittuntur per singulare illud sacrificium.*

RESPONDEO primùm, Chrysostomi testimonium misericordiam generatim commendat. Ac verissimum est misericordiæ opponi iudicium, & pœnam: qui enim misericordiam quærit, non vult subire iudicium; & qui ex misericordia indulgentiam consequitur, non debet subire pœnam, quæ sibi condonata est. At ex hac generali commendatione misericordiæ, non potest rectè colligi, non oportere pœnitentes satisfactione iniuriam aliqua ex parte compensare, nisi aliunde constet, ex misericordia condonari illis à Deo non solùm culpam, sed etiam omnẽ omninò pœnam temporalem, & sempiternam.

ITAQVE idem Chrysostomus in eadem hom. paulò inferiùs, hæc habet: *Miseretur quidem Deus, sed non passim miseretur: prouocat nos, & dicit, Da & tu aliquid, non quia ego tui egeo, sed quia volo & te conferre ad tuam vtilitatem.* Et infrà: *Deus dicit, Da mihi confessionem tuam, & lachrymas Pœnitentiæ.* & homil. in Psalm. 6. explicans quantas lachrymas Dauid Domino dederit, qui tamen misericordiam flagitabat: *Non tantùm*, inquit, *lachrymatus est, sed etiam lachrymis lectum lauit, non vno, aut duobus, aut tribus diebus, sed etiam singulis noctibus. Et non solùm dicit præteritum, sed etiam futurum. Ne putetis enim, quòd cùm semel feciſſet, deinceps se quieti tradiderit, & laxamento vsus sit: sed hoc assiduè fecit per totam vitam.* Et hom. in Psal. 106. *Confessio*, inquit, *Pœnitentiam monstrat, Satisfactio veniam sibi diuina pietate conciliat.* Et infrà: *Peius est, Dei offensam non Satisfactione placare, quàm peccando Dei bonitatem offendere.*

ALTERVM Chrysostomi testimonium docet, ad amicitiam Dei recuperandam, sufficere contritionem veram, quæ confessionem peccati coram Deo cum lachrymis factam, & propositum vitæ melioris complectitur: nõ excludit autem Chrysostomus opera laboriosa, post amicitiam Dei recuperatam, ad reatum pœnæ temporalis delẽdum, vt ex multis eius testimoniis suprà probauimus.

ID ita esse, perspicuum erit ex homilia de S. Philogonio, vbi fusiùs habentur ea, quæ ex homil. 10. in Genesim Caluinus adduxit; sic enim loquitur: *Ego testificor, ac fideiubeo, vt si nostrum quisque, qui peccatis obnoxij sumus, recedens à priſtinis malis, ex animo verèque promittat Deo, se posteà nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem vlteriorem: benignus enim est, &c.* quo loco per Satisfactionem intelligit excusationem, & sensus est; Deum non requirere, vt peccatum defendamus, vel excusemus, & rationem reddamus, cur hoc, aut illud fecerimus, sed satis illi esse, si simpliciter peccatum confiteamur, & promittamus nos deinceps non peccaturos: dixerat enim paulò antè: *Discede à malo, virtutem amplectere, desiste à prauitate: pollicere te posthac ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem.* In eadem autem homilia idem Chrysostomus anteà docuerat, satisfactionem, id est, opera laboriosa requiri, vel certè eorum propositum, si temporis angustiis quis excludatur: *Proinde*, inquit, *& tu quibus rebus prouocasti Deum per hæc rursus facito propitium. Prouocasti illum pecuniarum rapina, per easdem illum reconcilia: cumque & rapta restitueris, & alia insuper addideris, dicito iuxta Zachæum: Reddo, si quid rapui, quadruplum. Prouocasti linguæ maledicentia, multis contumelia affectis: vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens iniuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus, annisve, sed solo animi proposito vnico die perficiuntur.*

Testimonium Augustini, siue Gennadij potiùs, ex lib. de dogmatibus Ecclesiasticis, definit satisfactionem veram ab effectu: illa enim est vera, seriáque satisfactio, ex qua sequitur, vt radices peccatorum euellantur, & boni habitus virtutum acquirantur, ex quibus fiet, vt non facilè deinceps malis suggestionibus aditus patefiat. Nam alioqui in eodem lib. cap. proximo, id est, 53. Auctor illis disertis verbis Satisfactionem docet: *Quamuis*, inquit, *quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis, & orationibus.* Et paulò pòst: *Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia crimina non grauant: nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor priùs publicæ Pœnitentiæ satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum, communioni sociari, si vult non ad iudicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus, sed mutato priùs seculari habitu, & confesso religionis studio, per vitæ correctionem, & iugi, immò perpetuo luctu, miserãte Deo, ita duntaxat, vt contraria pro his quæ pœnitet, agat.* Hæc ille.

Ex quo intelligi potest, quàm intoleranda impudentia Caluinus post allegatum c. 54. huius Auctoris, hæc verba subiunxerit: *Quo apparet, illis quoque sæculis irrisam passim fuisse Satisfactionis doctrinam, quæ pro admissis delictis rependi decreturr: cùm omnem satisfactionem ad cautionem referat, se in posterum à peccatis abstinendi.* Sanè qui mendacium scribere ausus est quod ex eodem ipso loco, vnde mendacij occasio sumpta est, tam euidenter coarguitur: in rebus paulò obscurioribus, qua temeritate grassabitur?

Alterum Augustini testimonium nulla indiget expositione. Fatemur enim peccata omnia remitti per sacrificium Crucis: nam ex eo sacrificio vim habent baptismus & Sacramenta cętera, quibus homines iustificantur; & ex eodem sacrificio spiritum gratiæ haurimus, sine quo pro reatu pœnæ temporalis satisfacere non possemus. Porrò S. Augustinum ob Crucis sacrificium non existimasse satisfactiones excludi, perspicuum est ex his testimoniis, quæ cap. 9. protulimus.

Atque hæc de tota disputatione hoc loco sufficiant. Nam quæ Martinus Kemnitius de satisfactione attulit, partim sunt à nobis c. 8. & 10. refutata, partim sunt ea ipsa testimonia, quę Lutherus, Philippus, & Caluinus protulerunt. Certè nouum aliquod testimonium in tota Kemnitij disputatione reperire non potui: neque aliquam aliam sententiam, quæ speciem solidi argumenti præ se ferre videretur. Quemadmodum etiam quæ Kemnitius de Absolutione disseruit, ideò non excussimus, quòd nihil attulerit præter ea quæ in disputatione de Sacramentis in genere iam antè posuerat: ad quæ nos eo loco respondimus.

QVINTA CONTROVERSIA GENERALIS.

DE EXTREMA VNCTIONE, ORDINE, ET MATRIMONIO.

SINGVLIS LIBRIS EXPLICATA.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Sacramento Extremæ vnctionis.

Cap. I. Qui hæretici hoc Sacramentum negarint.
II. Probatur ex Scripturis, Vnctionem infirmorum esse Sacramentum propriè dictum.
III. Refelluntur hæreticorum solutiones ad Scripturam citatam.
IV. Probatur ex traditione veterum, Vnctionem infirmorum esse Sacramentum.
V. Idem probatur ratione.
VI. Soluuntur argumenta aduersariorum.
VII. De materia, & forma huius Sacramenti.
VIII. De effectu huius Sacramenti.
IX. De Ministro, & eo qui suscipit Sacramentum Extremæ vnctionis.
X. De cæremoniis.

LIBER SECVNDVS.

De Sacramento Ordinis.

Cap. I. Ordinationem verè ac propriè Sacramentum esse nouæ legis: qui negauerint ex hæreticis.
II. Ordinationem Sacramentum esse, demonstratur ex diuinis literis.
III. Ordinationem Sacramentum esse, probatur ex traditione.
IV. Idem ostenditur ratione.
V. Episcopalem Ordinationem Sacramentum esse.
VI. Diaconum esse verum Sacramentum.
VII. Subdiaconatum esse etiam Sacramentum.
VIII. Minores etiam Ordines Sacramenta esse.
IX. Manus impositionem ad essentiam Sacramenti Ordinis pertinere.
X. De effectu huius Sacramenti.
XI. De Ministro.
XII. De cæremoniis.

LIBER TERTIVS.

De Sacramento Matrimonij.

Cap. I. De statu quæstionis, & erroribus hæreticorum.
II. Matrimonium Sacramentum esse, probatur ex diuinis literis.
III. Matrimonium Sacramentum esse, probatur ex Patribus.
IV. Probatur ratione, Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum.
V. Soluuntur argumenta aduersariorum.
VI. De materia, forma, & ministro Sacramenti Matrimonij.
VII. Omne legitimum Matrimonium inter Christianos contractum, esse Sacramentum.
VIII. Soluuntur argumenta Cani.
IX. De polygamia multarum vxorum successiuè.
X. De polygamia multarium vxorum simul.
XI. Soluitur argumentum aduersariorum, ex Patriarcharum exemplo ductum.
XII. Matrimonium infidelium solubile esse, etiam quoad vinculum.
XIII. Matrimonium ratum non consummatum solui etiam quoad vinculum, per ingressum in religionem.
XIV. Matrimonium consummatum solui posse quoad torum, & cohabitationem.
XV. An Matrimonium fidelium consummatum, solubile sit quoad vinculum, variæ sententiæ adferuntur.
XVI. Matrimonium insolubile esse quoad vinculum, probatur ex verbo Dei, traditione, & ratione.
XVII. Soluuntur argumenta aduersariorum.
XVIII. De impedimentis Matrimonij.
XIX. Non requiri ad essentiam Matrimonij consensum parentum.
XX. Soluuntur argumenta Kemnitij.
XXI. De impedimentis quæ inhabilem simpliciter faciunt contrahẽtem, id est, de voto, & ligamine.
XXII. De impedimento criminis.
XXIII. De cultus disparitate.
XXIV. De impedimento cognationis: quid sit cognatio, & quot eius gradus.
XXV. Sententiæ adferuntur de impedimento cognationis.
XXVI. Rationem canonicam supputandi gradus, optimam esse, defenditur contra Bezam.
XXVII. Non omnia præcepta Leuitici de gradibus cognationis, esse de Iure naturæ.
XXVIII. Primum gradum consanguinitatis tam in recta, quàm in transuersa linea: & primum affinitatis in recta linea, iure naturæ interdictos esse, & ab homine indispensabiles.
XXIX. Rectè ab Ecclesia prohiberi coniugia, vsque ad quartum vel septimum gradum consanguinitatis & affinitatis.
XXX. De cognitione spirituali, & legali, déque publica honestate, & affinitate ex fornicatione.
XXXI. De duobus impedimentis non dirimentibus.
XXXII. Causas Matrimoniales ad Ecclesiæ iudicium pertinere.
XXXIII. De cæremoniis Sacramenti coniugij.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

LIBER VNICVS.

CONTROVERSIAE *de Sacramento Extremæ vnctionis, sunt omninò septem. Prima, eáque potissima, de genere, An sit legis nouæ Sacramentum verè ac propriè dictum. Secunda de materia. Tertia, de forma. Quarta, de effectu. Quinta, de ministro. Sexta, de suscipiente. Septima, de cæremoniis.*

CAPVT PRIMVM.

Qui hæretici hoc Sacramentum negarint.

HÆRETICI permulti ritum vnctionis infirmorum è numero Sacramẽtorum auferre conati sunt. Primò, Vvaldenses, vt referunt Æneas Syluius lib. de origine Boëmorum, c.35. & ante eum Guido Carmilita in summa de hæreticis. Secundò, Albigenses, teste Antonino in summa Theologica, parte 4. titul. 11. cap. 7. §. 5. Tertiò, Ioannes Vviclefus, teste Thoma Vvaldensi, tomo 2. de Sacramentis, cap. 163. & satis ipse de se id testatur in 4. libro Trialogi, cap. 25. vbi contendit, hoc sacramentum neque à Christo, neque ab Apostolis institutum, proinde nec verè sacramentum esse.

Hos imitantur hæretici huius temporis. Lutherus in lib. de captiuit. Babyl. cap. de Extrema vnctione, non reiicit hunc ritum, tamen negat sacramentum esse propriè dictum. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 18. 19. 20. & 21. & Kemnitius in 2. parte Examinis à pag. 1102. vsque ad 1135. non solùm sacramentum esse negant, sed etiam irrident more suo. Idem facit Melanchthon in locis, tit. de Vnctione. Idem facit etiam Ioann. Brentius in Confess. Vvittemberg. cap. de Extrema vnct. & Magdeburgenses Centur. 7. & sequentibus, cap. 6. de ritu visitationis infirmorum.

Ecclesia verò Catholica palàm affirmat, Vnctionem extremam Sacramentum esse verè ac propriè dictum. Id enim expressè habent, Concilium Florentinum in instructione Armenorum, & Tridentin. sess. 14. canon. 1. de Extrema vnctione, & omnes Theologi, libr. 4. sentent. dist. 23. Potest autem hæc veritas tribus argumentis probari. Primò, ex Scripturis. Secundò, ex traditione Ecclesiastica. Tertiò, ex ratione.

CAPVT II.

Probatur ex Scripturis Vnctionem infirmorum esse Sacramentum propriè dictum.

QVOD attinet ad primum: duæ Scripturæ proferuntur ab omnibus, vna ex cap. 6. Marci, altera ex cap. 5. Iacobi.

De priore non omnes conueniunt, an cùm Apostoli vngebant oleo infirmos, & curabant, illa fuerit vnctio sacramentalis, de qua nunc disputamus: an solùm fuerit figura quædam, & adumbratio huius sacramenti. Qui tuentur priorem sententiam, vt Thom. Vvaldens. loco citato, & Alphonsus de Castro lib. de hæresibus, verbo Extrema vnctio, ea ratione ducuntur, quòd Beda, Theophylactus, & Oecumenius in commentariis Marci, & Iacobi videantur dicere eandem esse vnctionẽ, cuius sit mentio in vtroque loco. Sed profectò probabilior est sententia posterior, quæ est Ruardi in explicatione art. 12. & Iansenij in c. 6. Marci, & Dominici à Soto, dist. 23. q. 1. art. 1. & aliorum. Et mihi certè cò etiam nomine gratior, quòd videam Lutherum, Caluinum, & Kemnitium, locis citatis esse in priore opinione: existimant enim illi eandem esse vnctionem, Marci 6. & Iacobi 5.

Probo igitur breuiter sententiam posteriorem. Primò illa vnctio, qua vtebatur Apostoli, referebatur solùm aut præcipuè ad curationem morbi corporalis, vt ex eo loco patet, vnde etiam sanabantur omnes, qui tum inungebãtur: sacramenta autem per se ad animam pertinent, ad corpus per accidens, aut certè secundariò.

DEINDE secundò, Apostoli eo tempore nondum erant sacerdotes: & quamuis potuerit Christus etiam per non sacerdotes sacramenta conferre, tamen non est probabile eum hoc fecisse, nec legimus id vnquam factum in sacramentis magis necessariis, vt in sacramento Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ. Neque obstat quòd Apostoli baptizarunt, cùm nondum essent sacerdotes: nam non ita est de essentia baptismi, vt minister sit sacerdos sicut de essentia Vnctionis. Nam si laicus baptizet, etiam extra necessitatem, baptismus est ratus: non autem est rata Vnctio, si laicus inungat. Quòd autem Apostoli nondum fuerint eo tempore sacerdotes, patet, quia facti fuerunt in vltima cœna, vt docet Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. 1.

Accedit tertiò, quòd Apostoli tunc promiscuè vngebãt quoslibet ægrotos, vt cęcos, claudos, &c. at sacramentum vnctionis, non datur nisi iis, qui decumbunt cum periculo vitæ, vt omnes concedunt.

ITEM quartò, Apostoli tunc cùm inungerent, non quærebant, essẽtne baptizati, qui inungendi erant, & omninò probabile est multos ab eis inunctos, qui infideles erant; At certè sine Baptismo nihil prosunt sacramenta cætera, nec dari possunt aut debent non baptizatis sine peccato. Nec valet quòd quidam obiiciant, Cornelio datam Confirmationem ante Baptismum, Act. 10. Deo videlicet in hac re dispensante. Nam Cornelius non habuit sacramentum Confirmationis ante Baptismum, sed effectum sacramenti Confirmationis ab ipso Deo immediatè sine sacramento.

DENIQVE, Tridentinum Concilium sess. 14. can. 1. de Extrema vnctione, dicit hoc sacramentum insinuatum Marci 6. Dicitur autem insinuari id, quod non expressè proponitur, sed adumbratur, & obscurè indicatur. Et hoc eodem modo intelligendi sunt veteres, qui locum Marci 6. coniungunt cum loco Iacobi 5, significant enim vno in loco iacta esse fundamenta eius sacramenti, quod in altero loco expressè proponitur. Quemadmodum enim cùm Matth. 19. & alibi Christus manus imponit, non dicimus tunc instituisse sacramentum Confirmationis, aut Ordinationis, sed tamen agnoscimus adumbrationem quandã sacramenti posteà futuri: sic etiam quòd Dominus iusserit Apostolos oleo curare infirmos, & non alia aliqua re, intelligimus significatum esse, futurum fuisse aliquando

tempus, vt oleum esset Sacramentum infirmorum.

Veniamus nunc ad alterum locum. Iacobi 5. ita legimus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hîc habemus omnia, quæ ad sacramenti essentiam requiruntur, videlicet symbolum externum, promissionem gratiæ & diuinã institutionem: hæc enim tria, vt suprà diximus in prima controuersia de cõfirmatione, aduersarij requirunt. Symbolum externum est vnctio olei cum oratione fidei: promissio verò, alleuatio infirmi, & remissio peccatorum. Institutio autem colligitur ex hac tam cõstanti promissione Apostoli: neque enim Apostolus tam constanter, & absolutè id promitteret, nisi Dominus id instituisset, & mandasset. Itaque Apostolus Iacobus non instituit sacramentum, sed hortatur ad illud suscipiendum, quod à Domino nouerat institutum.

Quia verò Kemnitius in 2. part. Exam. pag. 41. & 42. requirit alia quinque, licet tria prædicta sint præcipua, ostendamus illa etiam reperiri in Vnctione extrema. Ille igitur primò requirit præter tria prædicta, vt ritus mandatus sit in nouo Testamento; vt distinguatur à cæremoniis Testamenti veteris. Id verò hoc loco manifestè certè cernimus, cùm constet Iacobi epistolam esse librum Testamenti noui; & præterea talis ritus non fuerit in Testamento veteri.

SECVNDÒ requirit, vt ritus non ad breue tempus duret, sed perpetuus sit. Id quoque habemus in illis verbis: *Infirmatur quis in vobis.* inde enim colligimus duraturum hunc ritum, quamdiu in Ecclesia erunt ægroti.

TERTIÒ requirit, vt promissio gratiæ sit annexa, & quasi vestita symbolo, ita vt intelligatur dari gratia, cùm symbolum externum exhibetur: id quod Kemnitius ponit contra Caluinistas, qui volunt sacramenta esse symbola præteritæ & iam olim acceptæ gratiæ. Id verò hoc loco habemus, vt patet, dicitur enim *Vngentes eum in nomine Domini, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, &c.* planè ad eum modum, quo dicitur de Baptismo, Marci vltim. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

QVARTÒ requirit, vt illa promissio non sit cuiuslibet gratiæ, sed remissionis peccatorum: id verò expressè sic habetur: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

QVINTÒ requirit, vt non sit tantùm promissio generalis, sed etiam applicetur in particulari ei qui sacramentum percipit. Et hoc etiam habemus; nam in particulari dicitur: *Vngentes eum, &c.*

CAPVT III.

Refelluntur hæreticorum solutiones ad Scripturam citatam.

AD hoc argumentum quatuor solutiones ab hæreticis dari solent. Prima est, epistolam illam non esse canonicam, nec à spiritu Apostolico profectam. Ita Lutherus loco citato, cui assentitur Kemnitius pag. 1113. vbi dicit hanc epistolam non esse tantæ auctoritatis, vt posit sine testimoniis scripturæ Canonicæ, sacramenta instituere. Et probat ex Hieronymo, qui annotauit in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo, veteres iudicasse non esse epistolam illam à Iacobo Apostolo scriptam, & ex Eusebio lib. 3. hist. cap. 25. qui de illa sic ait: *Sciendum ὡς νοθεύεται, id est, quod notha sit.*

At hæc prima solutio est refugium miserorum. Nam omnes veteres, qui catalogos scripserunt sacrorum librorum, hanc epistolam cum cæteris numerarunt, vt patet ex Clemente can. vlt. Apostolorum, ex Innocentio I. epi. 3. & Gelasio I. in Concilio LXX. Episcoporum. Item ex Conciliis Laodiceno, can. vlt. Carthaginensi III. can. 47. Florentino & Tridentino sess. 4. Denique ex Patribus, Origene homil. 7. in Iosuë, Athanasio in synopsi, Epiphanio hæresi 76. Hieronymo epist. ad Paulinum, Augustino lib. 2. doctrinæ Christianæ, c. 8. Ruffino in symbolum, Isidoro lib. 6. etymolog. c. 1. & Damasceno lib. 4. de fide, ca. 18. Quod si his tot, ac tantis auctoribus fides nõ habetur, concidet auctoritas omnium aliorum librorum; nec enim aliunde scimus, qui libri sint canonici, nisi ex traditione, & testimonio veterum Pontificum, Conciliorum, & Patrum, eorum præsertim, qui indicem texere voluerunt sacrorum librorum.

NEQVE vllum vnquam legi veterum, qui apertè scriberet, Iacobi epistolam non esse Canonicam. Nã Hieronymus, quem pro se Kemnitius citat, dicit quidem quibusdam visam fuisse dubiæ fidei epistolam, tamen temporis progressu obtinuisse auctoritatem. Eusebius autem dicit eam epistolam quorundam opinione esse adulterinam; tamen subiungit continuò: *Nos autem scimus in plurimis Ecclesiis publicè esse receptam.* Et certè plus apud nos valere debet publica Ecclesiarum auctoritas: quæ teste Eusebio hanc epistolam recepit vt Canonicam, quàm obscura quorundam opinio, quæ eodem teste Eusebio, eandem epistolam reiicit.

SECVNDA solutio est eiusdem Lutheri ibidem, qui sic ait: *Si esset Iacobi Apostoli, dicerem non licere Apostolo sua auctoritate sacramentum instituere, id est, diuinam promissionem cum adiuncto signo dare, hoc enim ad Christum solum pertinebat.*

Hæc solutio longè deterior est superiore: audet enim Lutherus se Apostolo Iacobo opponere, & in faciem illi resistere, quasi apertè erranti, & sibi arroganti quod ei nõ conueniebat. At certè nec Iacobus sibi assumit quod Lutherus dicit: non enim ipse sacramẽtum instituit, sed hortatur ad vsum sacramenti instituti; & si id sibi assumeret, illi potiùs quàm Luthero credendum esset. Nec enim fieri posset, vt tantus Apostolus post acceptum Spiritum sanctum, in re tam magna erraret: neque est simile de B. Petri errore; ille enim errauit exemplo, nõ doctrina, iste autem errasset in doctrina, & in ipsa Scriptura, quod fieri non potest. Quare si Iacobus diceret sacramentum à se institutum, credere deberemus, id illi à Christo concessum singulari priuilegio, sed non est opus ad has angustias redigi.

TERTIA solutio est eiusdem Lutheri ibidem, necnon Vviclefi, Philippi, Brentij, Caluini, & aliorum communis, quòd Iacobus loquatur de vnctione, qua vtebantur eo tempore ad curandos morbos corporales. Et quidem Vviclefus putat loqui Apostolum de naturali curatione, & ideò meminisse olei, quia est naturaliter medicinale, & in illa regione abundat. Philippus existimat eum loqui de vnctione, quæ partim naturaliter, partim etiam dono diuino curabat: vnde dicit Abraham, Isaac, Iacob, Isaiam, & cæteros Prophetas fuisse professione medicos, & habuisse notissimas herbarum, & aliorum medicamẽtorum naturas, & simul etiam ornatos dono miraculorum. Lutherus tamen, Caluinus, Brentius, & Kemnitius simpliciter Apostolũ exponunt de curatione ex dono Dei, proinde dicunt non magis fuisse sacramentum istam vnctionem, quàm fuerit Probatica piscina, vel lutum cum spuro, vel aqua Siloë, &c. nunc autem quando donum illud cessauit, non modò vnctionem non esse Sacramentum, sed etiam esse rem inutilem, & superstitiosam.

ARGVMENTA eorum sunt tria. Primum, quia Iacobus ex Marci Euangelio accepit, quod docet de vnctione olei: Marcus autem de vnctione illa loquitur, quam adhibebant ad huerunt donum curationum.

SECVNDVM, quia Iacobus vtitur vocibus quę ad corporalem sanitatem pertinent, nimirum ἐγείρω, & ἰάομαι.

TERTIVM, quia Iacobus tãtùm loquitur ad homines sui tẽporis, quando durabat gratia sanitatũ. Idq; patet ex eo, quòd nõ addidit aliquam particulam, qua significaret,

hunc ritum propagãdum esse ad posteros, sicut Scripturæ faciunt, cùm loquuntur de veris Sacramentis, vt de Baptismo Matt. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad mundi consummationem.* Et de Eucharistia 1. Cor. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

Sed his argumentis nos longè plura, & meliora possumus opponere. Ac primùm, quòd non loquatur de naturali curatione, & simul quòd Prophetæ nõ consueuerint curare more medicorum, contra Vvicleſum, & Philippum facilè probari potest. Primò, quia etsi oleum sit medicinale, tamen non est medicinale ad curandos quosuis morbos, immò verò plurimis, aut nihil proderit, aut etiam oberit. Apostolus autem generatim iubet, vt ægroti vngantur oleo.

Deinde Prophetæ & Apostoli, vt plurimùm rebus noxiis natura sua, aut certè non salutaribus vtebantur, vt curarent, vt nimirum omnes intelligerent, Dei miraculo illa fieri, non viribus naturæ. Sic Moses æneum serpẽtem erexit, vt eius aspectu curarentur læsi à serpentibus. Sic Helisæus aqua Iordanis curauit lepram Naaman Syri. Sic Isaias massa ex ficis curauit vlcus Ezechiæ, quæ medecina contraria erat curationi illius morbi, vt Hieronymus notat ex sententia Hebræorum in commentario ad c. 38. Isaiæ. Sic Dominus luto, & sputo cęcum natum: sic Petrus vmbra corporis sui; sic Paulus sudariis, & semicinctiis.

Accedit, quòd si vsi fuissent ordinariè rebus vtilibus ad curandum, ipsi sibi fidem abrogassent, & Dei donum obscurassent.

Quod autem nec loquatur Iacobus de vnctione quæ sanaret corpus ex dono miraculorum, sed quæ sanaret animum, & aliquando etiam corpus, virtute sacramentali, contra Lutherum, Caluinum, & alios, probatur ex singulis vocibus huius loci. Primò: *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis*. At si de miraculis ageret, generaliùs loqueretur: non enim solùm consuleret iis qui decumbunt grauati periculoso aliquo morbo, vt facit, sed etiã cæcis, surdis, claudis, aliisque miseris hominibus, qui non decumbunt, nec de vita periclitantur, & tamen egent curatione.

Secvndò: *Inducat*, inquit, *presbyteros*. At si de miraculo ageret, diceret potiùs, Inducat Propheras, aut alios, qui donum habent curationum: nec enim soli, aut omnes presbyteri etiam tunc habebant donum curandi. Neque refert, quod per presbyteros nolunt aduersarij significari Sacerdotes, sed seniores; nam nec seniores omnes habebant donum curationis, non enim illud donum erat alligatum ætati, aut dignitati, vt patet ex Paulo Rom. 12. 1. Cor. 12. & Ephes. 4. Præterea non est probabile Apostolum iussisse fidelibus, vt miracula quærerent, signa enim infidelium sunt, non fidelium, 1. Cor. 14.

Tertiò: *Orent*, inquit, *super eum, vngentes eum oleo*. At si de miraculis ageretur, non præscriberet Iacobus materiam: qui enim donum habet curationis, adhibet quod Deus illi inspirat, nec potest alligari certæ alicui rei virtus miraculorum. Id quod satis patet ex diuinis literis, & exemplis omnium Sanctorum: *Sed*, inquit Caluinus, *vtile fuit præscribere oleum, vt esset signum, miraculum fieri non viribus hominis, sed potentia Spiritus sancti: constat enim oleo significari Spiritum sanctum*. At etiam aqua significat Spiritum sanctum. Et præterea, si illa esset causa, cur præscribatur oleum, debuisset id seruari in omni curatione, & in excitatione mortuorum maximè. Nusquam autem legimus inunctos fuisse mortuos, cùm excitanti erant.

Qvartò: *Et oratio*, inquit, *fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus*. Hæc sanè absoluta promissio est, proinde referri non potest præcipuè ad corporalem sanitatem. Nam aut semper sanati fuissent ægroti illi, qui vngebantur, vt Iacobus præscribit, aut nõ semper: si semper, ergo nulli fuissent mortui Apostolorum tempore: ni-

A si illi, qui Iacobo non obediuissent, qui paucissimi fuissent. Et præterea sanitas corporalis, quia non semper vtilis est animæ, non etiam semper obtinetur à Deo, quicunque sit, qui oret, etiam si donum habeat curationis. Quare non semper sanabantur qui vngebantur; ergo vel falsa est absoluta illa promissio Iacobi, quod fieri non potest, aut quod verisimum est, ad animam pra cipuè, & absolutè referenda est.

Qvintò: *Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Hæc verò particula tam expresè ad animam pertinet, vt noh sit locus tergiuersationi. Donum autem curationis, vt sæpe diximus, ad corpus refertur.

Sextò, omnia alia quæ habentur in illa epistola, siue ante hunc locum, siuè postea, non ad eos solos pertinent, qui tunc viuebãt, sed etiam ad nos, qui postea futuri eramus, vt patet ex illis præcedentibus: *Patientes estote*. Et, *Confirmate corda vestra*. Et; *Nolite iurare*. Et; *Tristatur quis in vobis? oret. æquo animo est? psallat*. Item ex illis immediatè sequentibus. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini*. Hæc omnia sine dubio ad nos etiam pertinent: igitur etiam illa, quæ eodem tenore verborum in medio posita sunt: *Infirmatur quis in vobis, &c.* ad nos pertinent. Quare non agitur de dono curationis, quod est rarissimum, & non semper haberi potest sed de Sacramento, quod semper durat, & facilè à quolibet haberi potest.

B

Nequę argumenta ipsorum contra allata conuincunt. Ad primum respondeo, non esse eandem vnctionẽ Marci 6. & Iacobi 5. nisi eo modo, quo dicuntur idem, figura & figuratum: Quãtum enim interest, inter lotionem cæci nati in aqua Siloẽ, quæ fuit figura Baptismi, Ioannis 9. & ipsum Baptismum ex aqua, & Spiritu sancto, Ioann. 3. tantùm interest inter has duas vnctiones. Vnde etiam videmus Mar. 6. nullam fieri mentionem verborum, nec promissionis spiritualis, quæ ad Sacramentum necessariò requiruntur: vtrumque autem expresè habetur Iacobi 5.

C

Si quis autem defendere velit Marc. 6. Tractari de ipso Sacramento Vnctionis extremæ, dicere potest, Marcum non omnia expressisse, sed quæ illi desunt, ex Iacobo esse petenda. Sæpe enim in scriptoribus sanctis id necessariò faciendum est, vt quod vnus omittit, petatur ab alio.

Ad secundum argumentum, quod totum grammaticale est, & ideò satis aptè conuenit Kemnitio, Respondeo in primis nos non negare, quin Extrema vnctio interdum adferat corporalem sanitatem, & ideò Iacobum aliqua verba ponere potuisse, quæ ad sanitatẽ corporalem pertineant. Interim tamen, sicut illa duo, Kemnitij opinione, ad corporis sanitatem pertinent: sic etiam integra sententia est, quæ citra omnem controuersiam refertur ad animæ salutem, nimirum illud: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*.

D

Dico secundò, illa verba duo, hoc loco non ad corpus, sed ad animam præcipuè pertinere. Nam etsi ἐγείρω propriè significat excitare, & eleuare, quod ad corpus pertinet, tamen per metaphoram Scripturæ sanctæ familiarem, significat etiam pellere mœrorem, tristitiam, negligentiam, soporem, & desidiam animi. Hinc sunt illa Apostoli Rom. 13. *Hora est iam nos de somno surgere*, ἐγερθῆναι Ephes. 5. *Surge, ἔγειρε qui dormis, &c.* Et illud Luc. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis excitare filios Abrahæ*. Et illud 1. Pet. 3. *Excito synceram vestram mentem*. Hoc autem loco: *Alleuauit eum Dominus*, significat liberationem à quodam tempore, mœrore, anxietate, quæ propinquos morti valde deprimere, & grauare solet, vt non facilè possint mentem ad Deum attollere.

Alterum illud verbum ἀίρωμαι, non ponitur à Iacobo in ea sententia, vbi agit de Sacramento vnctionis, sed infrà cum ait: *Orate pro inuicem, vt saluemini*, ibi enim

est,

est, ἰάσηται. Quocirca inepte à Kemnitio trahitur ad propositum huius loci. Et præterea illa etiam vox hoc loco accipitur pro salute animæ, vt patet ex præcedentibus. Et ne miretur Kemnitius, si verbum medicinale vsurpetur pro sanitate animę, cogitet in scripturis millies haberi hãc vocem in hoc sensu. Psalm. 146. *Qui sanat contritos corde*. Matth. 13. *Ne fortè conuertantur, & sanem eos*. Pro quo Marcus habet c. 4. *Et dimittantur eis peccata*. Et 1. Petr. 2. *Cuius liuore sanati estis*.

A

Ad tertium dico, necessarium quidem esse, vt Sacramenta maneant, quamdiu Ecclesia manet, sed non esse necesse, vt ad hoc significandum ponatur in Scriptura, verbum aliquod denotans perpetuitatem. Nam de Baptismo nusquam extat eiusmodi verbum; nec obstat: *Ecce ego vobiscum sum*. nam potuit Christus nobiscum esse, etiam si Baptismum instituisset solùm ad vnum diem duraturum. Cognoscimus autem euidenter, vnctionem de qua loquitur Iacobus, semper duraturam, tum quia infirmi, presbyteri, orationes, remissio peccatorum, & cætera, quæ Iacobus nominauit, semper mansura sunt in Ecclesia; tum etiam quia hactenus semper in Ecclesia fuit ista consuetudo vngendi infirmos.

Qvarta solutio eiusdem Lutheri, Kemnitij, & Caluini est, qui affirmant locum istum nihil pro nobis facere, quòd alius omnino fuerit ritus vngendi tempore Iacobi, alius nostro tempore. Id quod his argumentis probant. Primò, quia Iacobus iubet inũgi quoslibet infirmos, nos autem solùm inungimus homines semimortuos. Vnde apud nos verè est Vnctio extrema, quia datur morientibus, Iacobus autem noluit esse extremam, quia dari voluit iis, qui sanandi erant.

Respondeo, inungit Ecclesia eos, qui de vita periclitantur, tunc enim quærenda sunt remedia supernaturalia, quando nulla spes amplius est in naturalibus. Et quamuis inungantur ægroti vt sanentur, si id expedit æternæ saluti, tamen rectè dicitur extrema, quia est vltima respectu vnctionum, quas in aliis Sacramentis percipimus, in Baptismo, Confirmatione, & Ordinatione.

Et hoc idem voluisse Iacobum, patet primò ex illis vocibus ἐγερεῖ, & κάμνοντα. Nam excitare, & alleuare propriè iis conuenit, qui decumbunt valde oppressi, & grauati, & κάμνειν significat deficere, & etiam mori, vnde etiam καμόντες dicuntur mortui. Secũdò idem patet ex eo, quòd ait: *Adducat presbyteros*. Nam si non decumberet, posset ipse ire ad presbyteros: & etiamsi decumberet, sed non adeò grauiter, non oporteret adduci presbyteros. Alioqui enim si ob quẽlibet morbum deberent presbyteri excurrere ad ęgrotos, nunquam domi manerent, est enim infinitus numerus ægrotorũ. Deniq; non est credibile voluisse Iacobum, vt ad remedia supernaturalia Christiani recurrerent, quando facilè possent naturalibus medicamentis curari. Adde vltimò, hunc locum mirè pugnare cum aduersariis ex ipsa eorum sententia. Nam si iubet Apostolus omnes ægrotos inungi, quare ipsi nullum inungunt?

B

Secvndò probant, quia Iacobus iubet aduocari seniores Ecclesiæ, nos autem non multos, sed vnum vocamus, & eum sacerdotem.

Respondeo, nomen presbyteri, seu senioris, in Testamento nouo ferè vbique accipi pro ministro Ecclesiastico; & Iacobum non tam de numero, quàm de qualitate fuisse solicitum. Quemadmodum enim cùm dicimus, confitenda esse peccata sacerdotibus, non intelligimus confitenda esse multis, sed vni: Nec tamen interim negamus, bonum esse, vt multi veniant, sicut in quibusdam locis fieri solet.

C

Tertiò probat Caluinus, quia Iacobus oleo simplici vult inungi ægrotos: nunc autem adhibetur oleum benedictum. Addit Kemnitius, Iacobum non præcepisse in qua parte vngi debeat ægrotus, nunc autem determinari certa membra.

Respondeo, Iacobum alloqui infirmos hoc loco, non sacerdotes: scire autem quale debeat esse oleum, & in qua parte sit adhibendum, ad infirmum non pertinet, sed ad sacerdotem. Satis præterea nobis esse debet, quòd Iacobus non negat oleum esse priùs benedicendum, neque negat eas partes inungendas, quæ modò vnguntur in Ecclesia; quocirca non pugnant eius verba cum Ecclesiæ consuetudine, sed contrà potiùs Ecclesiæ consuetudo explicat verba Iacobi. Adde, quòd Beda in cap. 5. Iacobi, dicit significari oleum benedictum per illa verba: *Vngentes oleo in nomine Domini*.

Quartò probant Lutherus, Caluinus, & alij, quia Iacobus tribuit hunc effectum orationi fidei: *Oratio*, inquit, *fidei, saluabit infirmum*. Ex quo Lutherus colligit, vnctionem apud Iacobum non esse Sacramentum, nec eandem cum nostra: nam Sacramenta, & nostra etiam vnctio, non pendent à fide Ministri. Caluinus autem, & Kemnitius ea ratione colligunt, non esse eandem vnctionem cum nostra, quia Iacobus totum effectum tribuit orationi; nos autem totum ferè tribuimus vnctioni, cùm dicimus: *Per hanc sacram vnctionem, &c.*

B

Respondeo, ad consequentiam Lutheri, orationẽ fidei dici hoc loco, non quæ requirat necessariò fidem Ministri, sed quia est oratio dictata à fide, & sola fide intelligitur: quomodo verbum Sacramentale, quod cum elemento facit Sacramentum, Augustinus vocat verbum fidei, & dicit operari, non quia dicitur, sed quia creditur, tract. 80. in Ioan. Adde quòd etiam miracula non semper necessariò pendent à fide. Narrat enim Epiphanius hæres. 30. quẽdam Iosephum Iudæum miracula feciſſe per aquã benedictam signo crucis, etiamsi ipse non crederet: miracula enim sæpe operatur sola Christi inuocatio. Itaque si esset verum quod Lutherus assumit, non posset ostendi Iacobum agere de Sacramento, quod nos dicimus; nec de miraculo, quod Lutherus dicit.

C

Ad consequentiam Caluini, & Kemnitij, respondeo, orationem fidei, quæ infirmum saluat, non excludere operationem vnctionis, immò potiùs includere. Hęc enim est oratio fidei: *Per hanc sacram vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, &c.* Sicut cùm quis aliquid à Deo petit per Christi passionem sibi dari; si oratio illa impetrat, oratio dicitur illum saluare, sed non sine Christi passione, &c. Addo etiam, quòd licet in illa oratione fidei nulla fieret mentio vnctionis, adhuc nihil aduersarij obtinerent. Nam etiam in aliis sacramentis sæpe tribuitur effectus vni parti ipsius Sacramenti, cùm tamen constet eam partem non operari sine ali[a] Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum*. Act. 8. *Cùm videret Simon, quia per manus impositionem Apostolorum daretur Spiritus sanctus, &c.* & tamen anteà dixerat Lucas, Apostolos orasse pro Samaritanis, vt acciperent Spiritum sanctum.

D

Quintò probat Caluinus ex testimoniis nostrorum. Nam Sigibertus in Chronico scribit, hanc vnctionem ab Innocentio I. institutam; non igitur illa est, de qua loquitur Iacobus. Sed Kemnitius pag. 1135. magis audacter scribit, vnctionem infirmorum sine dono institutam à Felice IV. circa annum Domini D. XXVIII. nec dignatur vel vnum testem adhibere huius suæ narrationis.

Respondeo, mendacium Kemnitij satis refelli à Caluino. Nam Innocentius I. præcessit Felicem IV. annis centum, & ampliùs. Sed nec in vita, nec in scriptis Felicis IV. aliquid habetur de vnctione infirmorum. Habetur quidem aliquid de vnctione altarium, & basilicarum, dum consecrantur, in epist. 1. huius Pontificis, at de vnctione infirmorum nihil. Sed Kemnitio licet vocare ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Nisi fortè id acceperit Kemnitius ex supplemento Chronicorum Philippi Bergomensis: is enim scribit Felicẽ Papã, monuisse,

vt seruaretur doctrina S. Iacobi de inungendis morituris. Sed quid hoc aduersus Catholicos? imò cur non pro illis potiùs?

Ad Caluinum autem respondeo, Sigibertum referre iisdem verbis id quod habetur in ipsa Innocentij epist. 1. c. 8. quo loco dicit quidem Innocentius vnctionem infirmorum, de qua loquitur Iacobus, esse Sacramentum, sed à se institutum non dicit, immò contrarium disertis verbis dicit, dum Iacobi testimonium profert, & dum sacramentum appellat, & dum respondet ad quæstionem sibi propositã circa hoc sacramẽtum ab Episcopo Eugubino.

CAPVT IV.

Probatur ex traditione veterum, vnctionem infirmorum esse Sacramentum.

QVAM secundo loco probanda est veritas ex testimoniis Pontificum, Conciliorum, Patrum, aliorúmque auctorum. Ac primùm ex Pontificibus habemus primò Innocentium I. qui disertis verbis in epist. 1. ad Decentium, c. 8. meminit huius sacramenti. Et secundò habemus Innocentium III. qui etiam copiosè, & perspicuè huic sacramento testimonium perhibet, cap. Cùm venissetextrà, de Sacramento vnctionis.

Sed Innocentij I. testimonium etiamsi solum exstaret, sufficere deberet. Nam auctor est antiquus, siquidem anno CCCC. II. sedere cœpit; estque vir doctus, & sanctus, & ab Augustino, Hieronymo, & Chrysostomo mirificè commendatus, epistola eius certa est: dicit expresè, & clarè hanc vnctionem esse Sacramentum à Iacobo explicatum, & ideò non dari iis, qui non sunt capaces aliorum sacramentorum, &c. nec vllus vnquam veterum eũ reprehendit, quòd vnctionem infirmorum sacramentum esse docuerit. Adde, quòd Magdeburgenses Cent. 5. c. 6. de ritu visitationis infirmorum, hoc testimonio probant, illo sæculo fuisse consuetudinem vngendi ægrotos. Denique Kemnitius, qui omnes ferè alios conatur exponere, qui à Catholicis proferuntur pro hoc sacramento, hũc auctorem ne nominare quidem ausus est, nec tamen eum ignorare potuit, cùm omnes Catholici hoc testimonium proferant.

Ex hoc etiam testimonio colligimus, cur non exstent multa huius generis testimonia, id est, tam antiqua, & tã expressa: quia videlicet non habuerunt occasionem de hac re scribendi. Nam nec Innocentius de hac re scripsisset, nisi Episcopo Eugubino dubitatio illa in mentem venisset, vtrum Episcopus possit dare sacramentum Vnctionis extremæ, an solus presbyter, ista enim est quæstio ad quam Papa respondet. Alioqui enim de sacramentis, quæ in vsu quotidiano erant, non scribebant Patres, nisi coacti aliqua occasione, vel nisi hæreticis respondendum esset.

DEINDE ex Conciliis habemus Inprimis Nicænum ex Arabico Latinum factum, can. 69. vbi apertè mentio fit olei infirmorum, & distinguitur à Chrismate, & oleo Catechumenorum. Item Concilia particularia, sed antiqua, vt Cabilonense II. canon. 48. de hoc sacramento loquens, dicit Patrum decreta Iacobi epistolæ consonare. Vvormatiense can. 72. vbi iterum renouatur decretum Innocentij I. Meldense apud Burchardum lib. 4. cano. 75. iubet feria V. in cœna Domini, parochos ab Episcopo accipere ampullam olei sancti pro infirmis inungendis, iuxta Apostolicam traditionem. Aquisgranense II. tempore Ludouici Imperatoris, can. 8. monet, ne hoc sacramẽtum negligatur, in quo saluatio infirmorum continetur. Similia habet Moguntinum sub Rabano Archiepiscopo, canon. 26.

Iam verò ex Patribus habemus duo genera testimoniorum. Vnum eorum, qui non dicunt quidem expresè hoc esse vnum ex sacramentis, tamen expresè dicunt verba Iacobi ad nos pertinere, & debere etiam nunc, & omni tempore presbyteros id facere, quod Iacobus scribit. Ita Origenes hom. 2. in Leuit. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio, Augustinus in speculo, vbi ponit ex tota Scriptura eas sententias tantùm, quæ nobis omni tempore deseruiunt: adscripsit etiam hanc Iacobi sententiam: *Infirmatur quis in vobis, &c.* Idem etiam serm. 215. de tempore, monet, vt qui ægrotant, Iacobi præceptum seruent. Idẽ habet auctor operis de visitatione Infirmorum lib 2. c. 4. qui liber habetur tomo 9. operum Aug stini, & licet falsò tribui videatur Augustino, antiquùm tamen, & bonum librum esse negari non potest. Idem habent Beda in caput 6. Marci, & 5. Iacobi. Theophylactus in cap. 6. Marc. & Oecumenius in cap. 5. Iacobi.

Hæc verò testimonia satis probant, quod, volumus, si obseruemus, aduersarios ideò præcipuè negasse vnctionem istam esse Sacramẽtum, quia existimabant, Iacobum non loqui nisi ad homines sui temporis. Certè Caluinus lib. 4. c. 19. §. 20. Instit. ita loquitur; *Cùm duo ista in Sacramento exigimus, vt cæremonia sit à Deo instituta, & Dei promissionem habeat: simul postulamus, vt cærmonia ista nobis tradita sit, & promissio ad nos spectet. Non enim Circuncisionem iam Sacramentum Christianæ Ecclesiæ, quisquã esse contendit, tametsi, & Dei institutum erat, & promissionem annexam habebat, quia nec nobis mandata fuit, nec promissio, quæ illi adiuncta fuerat, nobis eadem conditione data. Promissionem, quam in vnctione ferociter iactant, nobis non esse datam euidenter demonstrauimus, &c.* Hæc ille. Patres igitur citati, qui apertè affirmant, cæremoniam, & promissionem hanc ad nos pertinere, Sacramentum esse volunt hanc vnctionem, vel ipso teste Caluino.

Habemus deinde alios, qui expresè inter sacramenta numerant hanc vnctionem, vt Alcuinus lib. de diuinis officiis, cap. de infirmis, Amalarius lib. 1. de officiis Eccles. c. 12. Petrus Damiani serm. 1. de dedicatione templi, Hugo lib. 2. de Sacramentis part. 15. c. 2. & 3. Vbi illud obiter est notandum, quòd hic auctor dicit à Iacobo hoc Sacramentum institutum, debere intelligi de institutione promulgatoria, non de propriè dicta institutione: quomodo sæpe dicitur Moses auctor legis veteris, cùm eam solùm promulgauerit. Bernardus in vita S. Malachiæ, vbi etiam insigne miraculum refert. Denique Petrus Lombardus in 4. distinct. 23. & qui eum sequuti sunt Theologi omnes.

His accedant exempla plurimorum Sanctorum, qui inungi voluerunt, antequam è vita migrarunt, quæ legi possunt apud Surium ex Catholicis, præsertim tomo 2. & apud Illyricum ex hæreticis Cent. 8. & sequentibus, c. 6.

Accedat denique testimonium Ecclesiæ Græcæ, quòd ideò suum pondus habet, quia cùm constet, Græcos non accepisse suos ritus à Romana Ecclesia, præsertim ab annis plus quingentis, quibus à nobis separati fuerunt, certũ est ea, in quibus conuenimus, esse antiquiora schismatibus, & hæresibus, quæ postea natæ sunt. Porrò Græcos agnoscere pro vero Sacramento Extremam vnctionem, patet primò ex Concilio Florentino, vbi sine vlla contradictione receperunt instructionem Armenorum, vbi inter alia Sacramenta numeratur Extrema vnctio.

PRAETEREA Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in responsione ad Confessionem Lutheranorum, c. 7. ponit septem vera, & propria sacramenta, ac dicit non esse plura, nec pauciora: & inter ea ponit Extremam vnctionem, eámque diuinum sacramentum vocat, & ab Apostolo Iacobo explicatum dicit.

Idem etiam tradunt Græci scriptores recentiores, vt Simeon Thessalonicensis in lib. de septem sacramentis, Nicolaus Cabasila in expositione sacræ Liturgiæ, cap. 29. ac demum ipsum, λειτουργικόν, id est, liber ritualis Græcorum, eosdem ritus habet in hoc sacramento, quos etiam nos Latini habemus.

CAP

CAPVT V.

Idem probatur ratione.

CREDIT vltimò ratio ex diuina prouidentia desumpta, qua etiam vtitur Tridentinum Concilium, sess. 14. Nam cùm Dominus sacramenta instituerit, quibus veluti diuinis subsidiis iuuaremur in ingressu Ecclesiæ, & in progressu, certè nullo modo credendum est, defuisse diuinam eius prouidentiam in egressu, & transitu ab hac temporali militante Ecclesia ad aliam sempiternam, præsertim cùm nunquam magis homo indigeat auxilio, & præsidio, quàm in articulo mortis, vt Patres passim docent, ac præsertim Gregorius hom. 39. & in Euangelia, & lib. 24. Moralium, c. 17 & 18. Eusebius Emissenus, seu quicunque est auctor illius libri, hom. 1. ad Monachos, & Ioannes Climacus de 30. gradibus, grad. 7. tunc enim, & hostes fortiùs impugnant, quia modicum tempus habere se vident: & ipse homo nunquam est ineptior ad resistendum, ob dolorum, & ægritudinis magnitudinem. Si enim corpus, quod corrumpitur, aggrauet animam, etiam dum optimè valet, certè in ipso actu corruptionis maximè aggrauabit: & experientia ipsa testatur vix posse eiusmodi ægrotos mentem ad Deum attollere.

Sed occurrit Kemnitius initio censuræ suæ in decreta Concilij de extrema vnctione, ac dicit non esse alia quærenda præsidia pro morientibus, quàm ea quæ data sunt, & prosunt viuentibus, nimirum verbũ Dei, & sacramenta Baptismi & Eucharistiæ. Nam verbum Dei quocũque tempore potest excitare fidem; & memoria Baptismi, atque Eucharistiæ perceptio, etiam mortuis prosunt.

RESPONDEO: si hæc responsio valeret, probaremus etiam non fuisse opus Eucharistia. Nam ipsorum opinione, memoria Baptismi semper iustificat, cur igitur post Baptisma sumitur Eucharistia? nimirum quia post Baptismum paulatim ex huius vitæ negotiis, & ipsa pugna cõcupiscentiæ, minuitur feruor initiò acceptus, nec sufficit memoria Baptismi ad eum reparandum: ideò Dominus instituit spiritualem cibum, &c. Ita igitur, quia in exitu de hoc mundo existunt speciales difficultates, instituit Dominus speciale præsidium: præsertim quia sæpe accidit, vt qui in extremis agunt, nec possint audire verbum exhortationis, nec Eucharistiam percipere, nimirum morbo grauati & vsu sensuum priuati; inungi autem, & Sacramenti huius fructum percipere semper possunt.

CAPVT VI.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

PRAETER argumenta, quibus nituntur aduersarij locum Iacobi peruertere, de quibus suprà diximus, habent etiam quædam alia, quibus directè hoc sacramentum impugnant.

PRIMVM argumentum Lutheri est: *Si vnctio infirmorum sacramentum esset, haberet effectum infallibilem: at non habet, vt ex eo constat, quòd pauciss mi sanantur: cùm tamen promissio huius cæremoniæ sit sanitas corporalis.* Respondeo, duobus modis ad hoc respondent Catholici. Quidam enim, in quibus est Dominicus à Soto dist. 23. q. 1. art. 2. existimant corporalem sanitatem esse absolutũ & infallibilem effectum huius sacramenti: sed dicunt non promitti nec dari per hoc sacramentum integram sanitatem, sed certum quendam gradum auxilij supernaturalis, qui interdum satis erit ad sanandum, interdum non erit satis; semper autem cæteris paribus, sanandum citiùs inunctum, quàm non inunctum.

Hæc solutio mihi non placet, cùm omnes Theologi, & ipsa Concilia, Florentinum & Tridentinum, disertè pronuncient sanitatem in hoc sacramento promitti conditionaliter, id est, si animæ saluti expediat. Accedit etiam quòd non licet eiusmodi temporalia bona absolutè petere, cùm non cõstet nobis, sintne nobis vtilia, vel inutilia.

Sed, inquit Scotus, *interdum accidit, vt cùm inunctus conualescit, peior euadat: obtinuit ergo sanitatem per sacramentum, quæ tamen animæ non expediebat.* Respondeo, eũ, qui post vnctionem sanatur, & peior euadit, sanitatem recuperasse, nõ vi sacramenti, sed naturalibus remediis: nisi fortè is, qui nunc peior euasit, paulò pòst optimus euasurus sit; illi enim dicitur sanitas prodesse, cui prodest secundum prædestinationem, etiamsi ad tempus obesse videatur.

Dico igitur promissionem absolutam, siue absolutè intelligendam non esse sanitatem corporalem, sed remissionem peccatorum, & auxilium spirituale, quod semper est vtile, nũquam noxium; sanitatem autem corporalem, pertinere quidem ad huius Sacramenti promissionem, sed conditionatam, id est, si ea fuerit animæ vtilis.

SECVNDVM argumentum Caluini est: *Si ex eo quod Apostoli inungebant oleo, & curabant, Sacramentum colligitur Vnctionis infirmorum, debet etiam colligi Sacramẽtum ex eo, quòd Dominus luto, & sputo, & aqua Siloë sanauit cæcum, & ex aliis similibus cæremoniis.* Respondeo, argumentum Caluini præsupponit, Catholicos niti præcipuè in hoc sacramento testimonio Marci, qui ca. 6. refert Apostolos olei vnctione multos curasse. Atqui nos suprà contrarium docuimus. Quia tamen aliqui Catholici non omnino improbabiliter testimonio Marci vtuntur, soluamus in eorum gratiam hoc argumentum.

Dico igitur magnum esse discrimen inter hanc vnctionem; quã describit Marcus, & alias cæremonias, quibus Apostoli, vel ipse Dominus vtebantur in morbis curandis. Nam de aliis cæremoniis nullum exstat testimonium Scripturæ, quo iubeamur illa frequentare: de hac autem exstat Iacobi 5. Præterea, de aliis nulla exstat promissio gratiæ spiritualis; de hoc autem exstat Iacobi 5. siquidem Iacobus addidit, quod Marcus omisit. Adhæc in aliis cæremoniis non designatur certus Minister, & reipsa scimus, quosuis etiam laicos in primitiua Ecclesia donum habuisse curandi, at in hac cæremonia designantur certi Ministri, nimirum presbyteri, Iacobi 5.

TERTIVM argumentum Kemnitij: *Vnctionis cæremonia extra donum curationis, partim ab Hæreticis, partim ab Ethnicis originem ducit. Nam qui primi cæperunt vti cæremonia vnctionis per modum Sacramenti sine dono curandi, fuerunt hæretici Valentiniani, vt patet ex Irenæo lib. 1. cap. 18. Præterea Ethnici consueuerunt vngere mortuos, vt patet ex illo Virgilij.*

Corpúsque lauant frigentis, & vngunt.

Vnde Apuleius illud vocat vltimum lauacrum lib. 9. de asino aureo. Similia verò sunt his Ethnicis superstitionibus, quę narrat Dionysius, cap. 7. de Ecclesiastica hierarchia.

RESPONDEO, hæreticorum illorum ritus à nostro diuersissimus fuit. Illi enim vngebant nõ morituros, sed iam mortuum, vt patet ex collatione huius loci Irenæi cum Epiphanio, hæres. 36. Quòd enim Irenæus dicit, vngi solitos ab hæreticis ad finem defunctionis, quod ambiguum esse poterat, Epiphanius apertè dicit, vngi solitos ipsos defunctos. Præterea illi vngebant aqua & oleo simul mixtis, vt esset illa vnctio loco Baptismi, nos autem separamus hanc vnctionem Baptismo, nec miscemus aquam cum oleo. Denique illi vtebantur inauditis quibusdam, & horribilibus verbis Hebraicis, cùm nos prece simplici, & apertissima vtamur.

QVOD autem attinet ad Ethnicas superstitiones, duo sunt Kemnitij peccata. Primum, quod tota eius disputatio est præter rem: nos enim agimus de vnctione viuorum, & ille argumentum sumit ex vnctione mortuorum. Et sanè eodem argumento potuisset oppugnare Sacramentum Baptismi, quia post mortem corpora lauabantur à Gentilibus: & nunc etiam lauantur à Christianis, cuius rei exemplum habemus. Actor. 9. Tabitham enim mortuam Christiani lauarunt.

SECVNDÒ falsò dicitur, Dionysij ritum sumptum ab

Ethnicis superstitionibus; cùm potiùs Ethnici in his rebus Hebræos antiquiores sint imitati:nam Hebræi vngebant corpora mortuorum, vt patet ex Euangelio. Nam Matth.26.laudans Dominus Mariæ pietatem,quæ ipsum inunxerat:*Ad sepeliendum*,inquit,*me fecit*,& Ioannes ca. 19.vbi narrat, corpus Domini cum vnguentis sepultum, addit:*Sicut mos est Iudæis sepelire*.Et idē scimus antiquissimis temporibus vsurpatum in sepultura Patriarchæ Iacob,& Ioseph,Genes.vlt.

QVARTVM argumentum eiusdem Kemnitij: *Progressus istius vnctionis apertè docet non esse Sacramentum. Nam initiò Apostoli vngebant oleo simplici ægrotos, vt illos curarent:deinde cœperunt aliqui addere benedictionē,oleúmque consecrare,vtebantur tamen eo ad eundem finem,ad quē Apostoli quondam,nimirum ad curandos ægrotos diuino miraculo:vt patet ex miraculis,quæ narrantur facta per oleum benedictum à S.Martino,aliísque multis sanctis viris,vt legere est apud Sulpitium in vita B.Martini,& in Palladij historia Lausiaca, & Theodoreti historia religiosa. Tandem cùm miracula omnino cessassent,ne ociosa maneret cæremonia vngendi,Felix IV.voluit vngi infirmos.*

RESPONDEO argumentum partim ex leuibus cōiecturis,partim ex falsis constare.Nam quòd Apostoli vterentur oleo simplici, nec probat, nec probare potest Kemnitius,nisi more suo;quia Scriptura non nominat oleum benedictum.At nos habemus Clementem, qui Apostolis tribuit doctrinam de oleo benedicendo, libr. 8. constit.c.35.& Basilium,qui olei benedictionem,Apostolicam traditionem esse dicit,lib.de Spiritu sancto,c.27.& Beda in c.5.Iacobi,vbi dicit Iacobum præscribere oleum benedictum. Et certè magis credi debet tribus testibus affirmantibus,quàm infinitis nihil dicentibus.Quod Felix IV. instituerit oleum infirmorum , mendacium esse suprà demonstrauimus, etiam Caluini, & Magdeburgensium testimonio.

QVOD verò cæremonia vngendi infirmos per modū Sacramēti,nata sit ex vnctione illa,quæ per modum miraculi operabatur,nō probat Kemnitius,nisi quia sic ipse existimat. Sed nos contrario modo coniicimus factum esse progressum istum olei, nimirum ex eo, quòd in Sacramento Extremæ vnctionis sæpe accidebat,vt homines curarentur; inde cœperunt quidam viri sancti etiam extra Sacramentum vti oleo,non quidem ab Episcopo benedicto ad vsum Sacramenti , sed simpliciter signo crucis ab ipsis sanctificato,ad curandos morbos.

QVO etiam modo videmus factum in aqua, quia in Baptismo aliquando curabantur homines ab ægritudine corporali,vt Augustinus testatur in epist.23.& narrat ipse idē exempla quædā huius rei,lib.22.de ciuit.Dei,c.8.Inde cœperunt multi etiā extra Baptismum vti aqua benedicta ad curandos morbos cuius rei multa exempla exstant apud eosdem auctores,Palladium,Theodoretum,& alios.

QVINTVM argumentum est Kemnitij ibidem,& Illyrici in Cent.2.3.4.5.6.cap.6. quòd scilicet non exstent exempla antiqua, quòd sancti viri in extremis agentes, oleo benedicto perungi voluerint.

RESPONDEO,non exstare eiusmodi exempla, quia non scribuntur res notissimæ,& quotidianæ. Nam certè S.Bernardus,nunquam omisisset eiusmodi Sacramētum, cùm constet eum maximi fecisse hoc Sacramentum , ex vita sancti Malachiæ ab ipso Bernardo scripta , & simul constet eum habuisse summam commoditatem Sacramenti percipiendi , cùm & mortem suam præuiderit , & prædixerit,& tamen scriptum non est eum accepisse hoc Sacramentum.

CAPVT VII.

De materia,& forma huius Sacramenti.

MATERIA Sacramenti huius,est oleum oliuæ ab Episcopo benedictum.Id habet Concilium Florentinum in instructione Armenorum , & Tridentinum loco citato:necnon Concilia,& Pontifices, ac patres suprà citati.Quod quidem ita accipiendum est, vt consecratio, & benedictio Episcopalis in hoc Sacramento , sit de essentia materiæ Sacramenti , non autem accidentaria, vt consecratio aquæ in Baptismo. Concilia siquidem Florentinum,& Tridentinum, quæ propter hæreticos magis distinctè hæc omnia explicuerunt,in Baptismo materiam esse dicunt aquam simplicem,nec addunt benedictam;in Extrema verò vnctione, vt etiam in Cōfirmatione,docent esse oleum ab Episcopo consecratum.

Iam verò forma , sunt illa verba: *Per istam sanctam vnctionem , & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum,&c.*Istam formam tradunt Concilia Florentinum & Tridentinum,& communiter Scholastici.

Sunt autem hoc loco tria notanda. Primò his verbis explicari omnia quæ in forma Sacramenti explicari debent,nimirum causam principalem,quæ est Dei misericordia;& instrumentariam,quæ est sacra vnctio;nec non effectum,id est,remissionem peccati,& consequēter corporalem sanitatem , quæ ex remissione perfecta peccati pender,sicut morbus ex peccato vt plurimùm oriri solet. Vnde Dominus Matt.9.paralytico,quem curare volebat, priùs dixit:*Remittuntur tibi peccata tua*;vt omnes intelligerēt,peccata eius causam fuisse morbi:vt etiam alteri, quā ad piscinam curauerat Dominus,dixit Ioann.5. *Ecce sanus factus es,iam noli peccare,ne deterius tibi contingat.*

SECVNDÒ nota, non esse in hac forma numerandas syllabas,quasi singula sint de essentia;solùm enim sententia ad essentiam pertinet , quæ formam habeat deprecatoriā,cùm Iacobus disertè dicat:*Orent super eum.* & præterea exprimat effectum Sacramenti , ita vt determinet materiam,id est,vnctionem illam. Quamuis autem non sint de essentia singula illa verba, tamen omitti non debēt,nec possunt sine peccato,cùm habeamus Ecclesię disertum præceptum,& longissimam consuetudinem.

TERTIÒ nota,causas cur forma debeat esse deprecatoria,varias assignari,sed illam videri præcipuam, quia hoc Sacramentum est complementum Sacramenti Pœnitentiæ,& quasi pœnitentia quædam infirmorū,qui non possunt iam facere opera pœnitentię.Idcirco hoc interest inter hæc duo Sacramenta , quod in Sacramento Pœnitentiæ requiritur Cōfessio,& Satisfactio, & proinde opera laboriosa ex parte suscipientis Sacramentum:vnde ibi est iustitia,& misericordia:in hoc autem Sacramento est sola Dei misericordia,& ideò dicitur,*Indulgeat tibi Deus.* Itaque ad significandum, in hoc Sacramento esse remissionem ex sola misericordia,vtimur prece.

CAPVT VIII.

De effectu huius Sacramenti.

CONVENIT inter Theologos,duos esse effectus huius Sacramenti. Vnum,quòd sanat corpus, si ita expedit animæ saluti. Alterum,quòd abstergit reliquias peccatorum.Conuenit etiam inter omnes , non habere hoc Sacramentum pro effectu characterem , & ideò repeti posse, quando sæpius quis incidit in morbum periculosum.

Vna tantùm est inter Theologos quæstio. Nam quæ sint peccatorum reliquiæ , non eodem modo omnes explicant.Quidam esse volunt peccata venialia,sed improbabiliter;nam ea possunt sine Sacramento deleri,nec ad ea tollenda , requiritur noua infusio gratiæ , quæ est effectus omnium Sacramentorum. Itaque si is esset effectus proprius , & præcipuus huius vnctionis, non facilè probare possemus eam esse Sacramentum , nec Iacobus diceret : *Si in peccatis fuerit,remittentur ei.*peccata enim venialia omnes habent:nam vt idem ait,c.2.*In multis offendimus omnes.* Denique non est tutum restringere ad ve

ad venialia , quod Iacobus generatim vocat peccatum, & quod in forma dicimus:*Quidquid deliquisti.*

Alij nomine reliquiarum intelligunt pronitatem , siue habitum ex peccato relictum. Sed ij adhuc improbabiliùs loquuntur:nam de eiusmodi habitu non potest commodè intelligi illud Iacobi:*Si in peccatis fuerit*, neque illud formæ Sacramētalis:*Quidquid deliquisti.* Deinde non videntur tolli eiusmodi habitus per hoc sacramentum:sæpe enim accidit,vt qui cōualescunt, eandem pronitatem sentiant ad peccandum,quam antea sentiebant. Nec immeritò:habitus enim contracti per actiones frequētatas, non tolluntur,nisi frequentatione contrariæ actionis.

Dico igitur,reliquias peccatorū duplices esse,& vtrarūque absterſionem ad effectum huius sacramenti propriū pertinere.Primùm enim reliquiæ dicuntur peccata , quæ interdum remanēt post omnia alia sacramenta, siue mortalia, siue venialia sint.Potest enim fieri,vt quis post Cōfessionem,& Communionem, in peccatum mortale incidat, & ignoret se eo peccato teneri : vnde non poterit illud noua Confessione expiare:potest etiam fieri vt confessionem , & communionem non ritè peregerit , & hoc ipsum ignoret.Istæ igitur sunt veræ reliquiæ,quæ hoc sacramento tolluntur,nisi quis obicem ponat. Et hoc indicat Iacobus,cùm ait:*Et si in peccatis fuerit.* & Concilium Florentinum cùm dicit,effectum esse animę sanationem. & Tridentinum,cùm ait,sess.14.c.2.*Si quæ delicta sint adhuc expianda,abstergit.*& forma sacramentalis : *Quidquid deliquisti per visum,tactum,&c.* Denique vnguntur quinque sensus,quia illa sunt quasi quinque ostia , vnde peccata intrant ad animam , vt nimirum fiat generalis quædam expurgatio omnium,quæ remanent peccatorum.Ex quo intelligimus, quàm sit hoc Sacramentum non contemnēdum,cùm aliquando fieri possit,vt per hoc Sacramentum saluetur is,qui alioqui planè damnandus erit.

Dicet aliquis; Id videtur commune omnibus Sacramentis,vt peccata mortalia tollant,si quæ inueniant,modò *non* ponatur obex, quia omnia sacramenta conferunt gratiam,quæ non potest cum peccato mortali consistere: non igitur id est proprium huius Sacramenti.Respondeo, omnia quidem Sacramenta id efficere,sed per accidens, hoc autem sacramentum per se,& propriè hoc facit, quia ad hoc peculiariter est institutum in fine vitæ.

SECVNDÒ nomine reliquiarum peccati,venit etiam quidam torpor,& mœror,& anxietas,quæ ex peccato relinqui solet,& quę maximè hominem morti vicinū vexare potest:de quibus loquitur idem Concilium Tridentinum suprà citatum,& S.Iacobus, cùm ait:*Alleuabit eum Dominus.*Nam S.Iacobus breuissimè omnes tres effectus sacramenti huius complectitur; ac primò incipit à leuissimo,id est,à sanitate corporali, cùm ait:*Oratio fidei saluabit infirmum.* Secundò addit de vno genere reliquiarum:*Et alleuabit eum Dominus.* Tertiò addit de alio genere:*Et si in peccatis fuerit,remittentur ei.*

CAPVT IX.

De Ministro,& eo qui suscipit Sacramentum Extremæ vnctionis.

MINISTRVM esse presbyterum, id est, sacerdotem,& consequenter Episcopū,si is velit,docent omnia Concilia,& Patres suprà citati. Id quod etiam apertè colligitur ex Iacobo:*Inducat presbyteros Ecclesiæ.*Nam etsi vox illa Græca,πρεσβυτέρους,ambigua sit,& tam seniorem ætate,quàm dignitate significare possit,tamen secundum vsum scripturæ Testamenti noui, & Ecclesiæ,non significat,nisi sacerdotes. vnde 1. Timoth.4. illud:*Cum impositione manuum presbyterij*,etiam aduersarij intelligunt de ministris Ecclesiasticis, non de senioribus laicis.

VNA est tantùm hoc loco dubitatio,quia Innocentius I.in ep.1.c.8. dicit oleo sancto posse vti non solùm sacerdotes , sed etiam laicos in suis, ac suorum necessitatibus Quam sententiam totidem verbis recitat etiam Beda in cap.6.Marci,& Concilium Vvormatiense,can.72.

RESPONDET Thomas Vvaldensis lib.2. de sacramentis,cap.penultimo,verba Innocentij intelligenda esse,de eo loco,& tempore,vbi nulli adsint sacerdotes;tūc enim licere etiam laicis hoc sacramentum ministrare.Sed hæc expositio ab omnibus refellitur,& meritò. Nullum enim est Sacramentum, quod non requirat essentialiter Ministrum sacerdotem , excepto Baptismo, ob summam eius necessitatem, & Matrimonio,quia in contractu mutuo nubentium consistit.

Dominicus à Soto dist.23.q.7.art.1.intelligit Innocētium de vsu olei sancti extra sacramentum ad curandos morbos:sed videtur id esse contra praxim Ecclesiæ: non enim dari solet oleum sanctum laicis,vt eo vtantur. Exempla verò,quæ leguntur de miraculis ; quæ sancti Eremitæ oleo sancto faciebant,non conuincunt eos fuisse vsos illo oleo,quod ab Episcopo solenni cæremonia benedictum,vt sit huius sacramenti materia:poterant enim illi vti oleo,quod ipsi signo crucis benedicebant.

Alij rectius,vt Iansenius in ca.6. Marci,dicunt Innocentium loqui de recipiente , non de Ministro : ac velle dicere,licere omnibus Christianis vti sancto oleo in suis, & suorum necessitatibus , nimirum aduocando sacerdotes , & accipiendo Vnctionem illam sacram , non ministrando.

Iam verò de eo, qui sacramentum hoc suscipere potest , constat debere esse primò Christianum. dicit enim Iacobus:*In vobis.*Secundò infirmum,quia addit:*Infirmatur quis,&c.* Nam qui bene vālent,possunt agere pœnitētiam.Extrema autem vnctio est specialis misericordia, quæ exhibetur ægrotis,qui iam non possunt agere pœnitentiam,vt suprà diximus. Tertiò infirmum grauiter,ita vt de vita periclitetur , vt Concilia docent, & nos suprà ostendimus. Quartò adultum, & qui vsum rationis habuerit.Infantes enim, & qui semper amentes fuerunt,nō habent reliquias peccatorum,quæ abstergantur, nec sunt capaces lætitiæ , & alleuationis , quam sacramentum adfert,& non sine irreuerentia sacramentum eis ministraretur. Quintò non excommunicatum,nec ante Confessionem,& Absolutionem,si constet eum teneri peccato , à quo nondum sit absolutus.Ita docet Innocentius I.in epist.1.ad Decentium,cap.8.

CAPVT X.

De cæremoniis.

DVÆ sunt cæremoniæ in hoc sacramento vsitatæ. Prima,vt recitentur Litaniæ,& aliæ quædam preces ante vnctionem.Secunda,vt vngātur septem corporis partes;nimirum oculi,aures,nares,os,& manus, propter quinque sensus:deinde renes, vbi est sedes concupiscentiæ; & tandem pedes , ob vim progressiuam , & exequutionem.Ita prascribit Concilium Florentinum.

Sed ex his vnctionibus aliqui putant , nullam esse de essentia, sed sufficere, vt quouis loco vngatur ægrotus, quoad sacramenti essentiam:reliqua ad ritum,& solennitatem pertinere. Hæc tamen opinio singularis est,& ideò minùs tuta.Quidam verò existimant omnes illas vnctiones esse de essentia.

Sed communior opinio,quam etiam sequitur S.Thomas,est,vt ad essentiam solùm pertineat vnctio quinque sensuum. Ibi enim est origo omnium peccatorum:vis enim appetitiua pendet à cognoscitiua , vis autem progressiua , siue executiua ab vtraque. Et sanè ratio honestatis, in fœminis id postulare videtur , vt renes non vngantur. Itaque Concilium non præscribit, vt partes illæ omnes vngantur,sed solùm enumerat omnes partes,quę inungi solent iuxta varium Ecclesiarum ritum.

DE SACRAMENTO ORDINIS LIBER.

DE Sacramento Ordinis, Quæ ad hunc locum pertinent, sunt hæ quæstiones. Prima, An sit Ordinatio Ministrorum, Sacramentum verè, ac propriè dictum. Secunda, Omniúmne Ministrorum, an quorundam tantùm Ordinatio sit Sacramentum. Tertia, Quæ sit materia, & quæ forma Sacramenti huius. Quarta, Quis effectus. Quinta, Quis Minister. Sexta, Quibus cæremoniis conferatur.

ALIA quædam ad hunc locum reuocari possent, quæ sunt à nobis alio loco iam explicata, nimirum de potestate Ecclesiastica: de numero, distinctione, atque officio singulorum Ordinum; de sacerdotio, de annexis sacerdotio, vt de continentia, aliisque id genus rebus.

CAPVT PRIMVM.

Ordinationem verè ac propriè Sacramentum esse nouæ legis, qui negauerint ex hæreticis.

EST igitur quæstio prima eáq; præcipua; Sitne Ordinatio Sacramẽtum propriè dictum. Negat Lutherus in libr. de captiuita. Babyl. cap. de Ordine, vbi sine vllo ordine, & petulantissimè disputat. Negat etiam Illyricus in Confessione Antuerpiensi, c. 11. & Kemnitius in 2. parte Examinis, in disputatione de Sacramento Ordinis, pag. 1162. & sequẽtibus. Caluinus autem etiamsi plerisque in locis duo tãtùm ponit sacramenta, Baptismum, & Cœnam, tamen lib. 4. Instit. c. 14. §. 20. & c. 19. §. 31. agnoscit Ordinationem esse verum Sacramentum; ac dicit se tantùm duo antea posuisse, quòd loqueretur de Sacramentis, quæ omnibus fidelibus communia sunt.

Philippus quoque Melanchthon, etsi in locis primò editis duo tantùm posuerat sacramenta, tamen in locis editis anno XXXVI. LII. & LVIII. Ordinationem vult esse verum Sacramentum, & fusè id probat. Item in Apologia Confessionis Augustanæ. art. 13. qui est de numero Sacramentorum, satis apertè docet, Ordinationem Ministrorum esse Sacramentum propriè dictum.

Nec valet responsio Kemnitij pag. 1167. vbi dicit, Apologiam esse intelligendam de voce Sacramenti largo modo accepta. Id, inquam, non valet. Nam Philippus dicit ad Sacramenta propriè dicta tria requiri, ritum, promissionem gratiæ, & mandatum; deinde ex hoc fundamento probat Sacramẽta esse propriè dicta, Baptismum, Eucharistiam, & Absolutionẽ. Deinde ex eodem fundamento reiicit Cõfirmationem, & Extremam vnctionem, & paulò pòst etiam Matrimonium. De Ordine autem distinguit: nam si accipiatur pro sacerdotio, negat in Ecclesia vllum esse debere sacerdotium, si accipiatur pro Ordinatione Ministrorum, dicit non grauatè se admittere eam inter Sacramenta, & probat ex fundamento suprà posito, quia habet ritum, mandatum, & promissionem. Itaque sine dubio Kemnitius, etiamsi id confiteri palàm non audeat, repugnat in hac controuersia non solùm Caluino, sed etiam Lutheranis præcipuis, séque adiungit Illyrico, aliisque obscurioribus, & paucioribus Lutheranis.

A missio gratiæ, & mandatum, seu institutio diuina. Hæc omnia reperiuntur in Ordinatione.

Ac primùm, ritus, externúmque symbolum, est manuũ impositio: de qua est in scriptura frequentissima mentio, vt Actorum 6. vbi ordinantur Diaconi per manus impositionem. Actorum 13. impositione manuum ordinãtur Episcopi Paulus, & Barnabas, sic enim eum locum intelligit sanctus Leo epist. 81. ad Dioscorum, & Chrysostomus in commentario eius loci. Actorum 14. vbi habemus: *Cùm constituissent eis presbyteros*, Græcè est, χειροτονήσαντες, id est, cùm per manus impositionem creassent presbyteros 1. Tim. 4. *Cùm impositione manuum presbyterij.* Et c. 5. *Nemini citò manus imposueris.* Et 2. Tim. 1. *Per impositionem manuum mearum.* Quæ omnia loca intelliguntur ab omnibus expositoribus de Ordinatione: vnde etiam apud Græcos ordinatio χειροτονία appellari solet, id est, manuum extensio, siue impositio.

B Promissio gratiæ habetur expressè, 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, &c.* Et 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam, &c.*

DENIQVE mandatum, & institutio, Actorum 13. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Actor. 20. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos.* Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores.*

RESPONDET Kemnitius loco notato, hæc omnia nihil ad rem facere; nam symbolum illud externum, id est, manus impositio, adhibebatur quidem in Ordinatione, sed non erat aliud nisi cæremonia, qua vtebantur Apostoli, cùm pro aliquo orabant, eúmque Deo commendabant. Itaque imponebant manus iis, quos ordinabant, non vt Sacramentum aliquod traderent, sed vt eos Deo commendarẽt. Promissio autem gratiæ habetur quidem in Scripturis, sed non promissio gratiæ iustificantis à peccato, hæc autem necessaria est ad Sacramentum propriè C dictum. Denique mandatum habetur, vt Ministri ordinentur, sed non habetur mandatum, vt fiant certo aliquo ritu. Dominus enim cùm ordinauit Apostolos Lucæ 22. dixit: *Hoc facite*, sed non legitur vlla cæremonia, qua eos ordinauerit. Deinde Ioannis 20. dedit illis iterum Ecclesiasticam potestatem, dicens: *Quorum remiseritis peccata:* nec tamen imposuit manus, aut vnxit illos, aut dedit instrumenta consecrationis, quod modò nos facimus, sed tantùm insufflauit, quod nos minimè facimus. Neque Apostoli vsquam tradunt, se mandatum accepisse, vt manus imponerent, cùm ordinabant Ministros.

RESPONDEO. Quod attinet ad manus impositionem, adhibitam eam fuisse non solùm ad orandum,

CAPVT II.

Ordinationem Sacramentum esse, demonstratur ex diuinis literis.

QVÒD igitur Ordinatio sit Sacramentum verè, ac propriè dictum, demonstratur ex sacris literis. Tria requiruntur ad Sacramentum propriè dictum, vt aduersarij fatentur, & asserit Apologia Confessionis, art. 13. quam admittit Kemnitius, cùm in eius verba iurauerit, nimirum, symbolum externum, seu ritus; pro-

sed etiam ad ordinandum. Id probatur primò, quia Scriptura non meminit orationis 1. Timoth. 4. & 5. & 2. Timoth. 1. vbi de manus impositione agitur.

SECVNDÒ in Actis cap. 6. vbi ordinantur Diaconi ab Apostolis, distinguitur apertissimè oratio ab impositione manuum: sic enim legimus Græcè; καὶ προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας, id est: *Et cùm orassent, imposuerunt eis manus.* Et rursus cap. 13. distinguitur vna cæremonia ab alia: *Ieiunantes*, inquit, *& orantes, imponentésque illis manus, dimiserunt eos.*

TERTIÒ, quia 1. Timoth. 5. illa verba: *Nemini citò manus imposueris, neque communicaueris peccatis alienis*, non possunt exponi de oratione, sed de cæremonia, qua ordinantur Ministri. Non enim communicat peccatis alienis, qui orat pro alio, etiamsi indignissimo; sed qui ordinat indignum, is verè communicat peccatis alienis.

B QVARTÒ, illa verba Actor. 14. χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους, nulla ratione possunt exponi de oratione. Neque obstat, quòd aduersarij nolunt, χειροτονεῖν esse manus imponere, sed manum extendere, siue attollere in signum suffragij. Id, inquam, nõ obstat; nam in Scripturis, & vsu Ecclesiastico χειροτονεῖν, significat extendere manus super capita ordinandorum, & eo modo ordinare, ita vt sit idẽ χειροτονία, & χειροθεσία. Id patet ex Chrysostomo homil. 10, in priorem ad Timotheum, & ex epistola Concilij Nicæni ad Alexãdrinos apud Theodoretum lib. 1. historiæ, cap. 9. & ex aliis Grecis, qui Ordinationem, quæ ab Episcopo fit, vocant χειροτονίαν, & tamen Episcopi non ordinant attollendo manus in signum suffragij, sed extendendo super capita ordinandorum. Et ex hoc ipso loco Actorum 14. idem apertè colligitur, nam Lucas non dicit, Apostolos constituisse presbyteros ad χειροτονίαν populi, vt dicere deberet, si intelligeret id quod aduersarij volunt, sed dicit ipsos Apostolos vsos χειροτονίᾳ, id est, manus extensione in constituendis presbyteris.

DENIQVE sanctus Hieronymus peritissimus vtriusque linguæ, in cap. 58. Isaiæ, χειροτονίαν, interpretatur manus impositionem, quæ cum vocis imprecatione, Ordinationem perficit. Denique etiamsi constaret cum manus impositione semper coniunctam fuisse orationem, nihil obtineret Kemnitius: tunc enim diceremus, verba sacramentalia esse orationem quandam, vnde etiam mysticæ preces dicuntur à veteribus.

QVANTVM ad promissionem gratiæ remissionis peccatorum, Respondeo, vel vult Kemnitius, omne Sacramentum per se esse institutum ad remissionem peccati, vel id satis esse, si conferat gratiam gratum faciẽtem, quæ sit efficax ad peccatum delendum, si illud inueniat, licet per se ad alium finem ordinetur.

SI primum affirmat, non poterit defendere, Eucharistiam esse verum Sacramentum: siquidem certum est, Eucharistiam nõ esse per se institutam ad peccatum tollendum, sed ad vitam spiritualem conseruandam, & augẽdam. Id quod patet ex eo, quod datur immediatè post Baptismum: proinde iis, qui non habent peccata, immò non datur nisi iis, qui iudicantur mundi, & puri esse à peccato, cùm Paulus dicat, 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.*

SI secundum, facilè ostendemus Ordinationem esse verum Sacramentum. Nam gratia, quæ illi promissa est, non est donum aliquod gratis datum, vt prophetia, vel donum linguarum, sed gratia iustificans. Nam inprimis, Ioan. 20. cùm Dominus tribuit Apostolis potestatem remittendi peccata, quæ est pars quædam sacerdotij, dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* non autem vocatur absolutè Spiritus sanctus in Scripturis donum illud, quod in impiis esse potest.

PRÆTEREA, 2. Timoth. 1. vbi dixerat Apostolus, gratiam Timotheo per manus impositionem datam, subiungit explicans, quæ sit illa gratia: *Non enim, inbuit,*

A *dedit nobis*, id est, nobis episcopis, *Deus Spiritum timoris; sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.*

QVOD autem pertinet ad mandatum, siue institutionem, non legimus quidem disertis verbis Christum dixisse, Ordinate Ministros per manus impositionem, sed euidenter id colligimus ex sanctis literis. Nam vt diximus de aliis Sacramentis, non potest vllus homo gratiam alligare certo signo, idque etiam aduersarij concedunt: atqui secundum Scripturas alligata est gratia manus impositioni in Ordinatione, vt ex illis verbis patet, 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiã quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* vbi illud, *Per prophetiam*, non est instrumentũ, sed causa impellens, & mouens: instrumentũ autem conferẽdæ gratiæ est illud: *Cum impositione manuum.* Sensus enim est, vt rectè etiã Caluinus exponit, Noli negligere gratiam illam, quæ tibi data est, quando Episcopus à me ordinatus es, iuxta reuelationẽ de te mihi factam, (Deus enim reuelauerat Paulo, & iusserat, vt Timotheũ ordinaret, id quod etiam habetur in primo capite) secundum præcedentes in te prophetias. Quod autem instrumentũ gratiæ conferẽdæ, fuerit impositio manũ, habetur adhuc clariùs, 2. Timot. 2. *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.* Cùm igitur gratia sit alligata Ordinationi per manus impositionẽ, necesse est Deum esse auctorem, & institutorem illius cæremoniæ.

NEQVE argumenta Kemnitij contrà allata concludunt. Dominus enim, qui Sacramentis alligatus nõ erat, poterat Apostolis dare effectum Sacramenti sine sacramento, id est, ordinare Presbyteros, & Episcopos sine manus impositione, sicut eosdem Apostolos sine sacramento confirmauit, & Magdalenam sine Sacramento absoluit.

C ADDE quòd neque cogimur credere, Dominũ sine impositione manus Ordinationem Apostolis contulisse. Nam etiamsi scriptum non est, per impositionem manuum ordinatos Apostolos à Christo, tamen neque scriptum est contrarium; & multa fecit Dominus, quæ scripta non sunt.

CAPVT III.

Ordinationem Sacramentum esse, & probatur ex traditione.

IAM verò more nostro idipsum demonstrabimus ex Ecclesiastica traditione, id est, testimoniis sanctorũ Pontificum, Conciliorũ, & Patrũ.

LVTHERVS enim in lib. de captiui. Babylonica, ca. de Ordine, solum Dionysium dicit posse citari ex antiquis auctoribus, pro Sacramẽto Ordinis, & aliis Sacramentis, excepto Baptismo, & Eucharistia. Sic enim ait: *Scio hunc solùm auctorem haberi ex antiquis pro septenario Sacramentorum, licet Matrimonio omisso, senarium tantùm dederit: nihil enim prorsus in reliquis Patribus de istis Sacramentis legimus. Nec Sacramenti nomine censuerunt, quoties de his rebus loquuti sunt: recens enim est inuentio Sacramentorum.* Hæc ille: vbi multa mentitur. Nam nec verum est, quod ille quasi contra se citat, Dionysium tradere sex sacramenta, non enim meminit nisi quatuor: nihil enim scribit de Pœnitentia, Extrema vnctione, & Matrimonio. Deinde mentitur impudentissimè, cùm dicit, recentem esse inuentionem sacramentorũ, nimirũ quoad nomen sacramenti: non enim in primo libro ostendimus omnes veteres Latinos hoc vocabulo vsos. Denique, nihil prorsus in antiquis legi de his sacramẽtis, est mendacium Luthero dignissimum.

IGITVR ex Pontificibus Innocentius I. in epi. 18. ad Alexandrum Antiochiæ Episcopum cap. vlt. cõfert Ordinationem cum baptismo, ac dicit, ab hæreticis baptizatos recipi cum suo baptismo, sed ab hæreticis ordinatos, non recipi cũ suo ordine: & causam reddit, quia hæretici solùm baptismum dare permittũtur. Ex collatione

cum Sacramento propriè dicto, intlicat se habuisse Ordinationem etiam pro sacramento propriè dicto.

VBI tamen Obseruandum est, non velle Innocentium iterum ordinandos esse, quos hæretici ordinauerant, sed solùm cessare debere ab exequutione Ordinũ, ac si ordinati non essent.

LEO I. epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum, cap. 1. Ordinationem Sacramentum vocat, & iubet à ieiunis dari, & accipi, & solùm in vespera Sabbathi, idque summa cum deuotione: vbi apertè indicat in eo Sacramento gratiam conferri. Et epist. 87. ad Episcopos Mauritaniæ, cap. 1. de Ordinatione loquens: *Quis*, inquit, *dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam?* Hæc ille. Audis hîc nomen Sacramenti?

ANASTASIVS II. in epist. ad Anastasium Imperatorem, ca. 7. *Nullũ*, inquit, *de his quos vel baptizauit Acacius, vel quos Sacerdotes, siue Leuitas, secundũ canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acacij portio læsionis attingit, quò forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minùs firma videatur.* Vbi S. Pontifex Ordinationem, & Sacramentum vocat, & gratiam conferre dicit, & cum Baptismo comparat: & idem repetit, cap. 8.

DENIQVE S. Gregorius I. lib. 4. commentariorum in libros Regum, cap. 5. in ipso initio de Sacramento Ordinis loquens: *Is*, inquit, *qui promouetur, benè foris vngitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Vbi & Sacramentum vocat, & gratiam conferre affirmat ipsam Ordinationem.

EX Conciliis, Chalcedonense Conciliũ, can. 2. damnat eos, qui pecunias pro Ordinatione suscipiunt; & causſam reddit, quia gratiam Dei illi censentur vendere, quæ tamen vendi nullo modo potest, aut debet. Idem habet II. Bracarense, can. 3. & alia. Denique Florentinum Concilium, Græcis, & Latinis probantibus, Ordinationem inter sacramenta propriè dicta numerauit: quod etiam facit Concilium Tridentinum, sess. 23. cap. 2. & can. 3.

EX Patribus, Dionysius Areopagita, lib. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 5. de ritu ordinandorum agit, & satis ostendit eo ritu gratiam conferri, & proinde sacramentum esse. Quod etiam Lutherus fatetur: nam in lib. de Babylonica captiu. cap. de Ordine, solum Dionysium citat contra suam nouitatem: nec aliter respondet, nisi more suo, eum auctorem contemnendo. Dicit enim nihil in eo esse solidæ eruditionis, & addit, sibi facilè esse meliorem Hierarchiam scribere, quàm Dionysius scripserit. Nos autem opponimus Luthero S. Gregorium, qui homil. 34. in Euãgelia, hunc Dionysiũ, vt antiquum, & venerabilem Patrem laudat.

EXTAT apud Sozomenum, lib. 7. hist. cap. 10. Martyrij cuiusdam sententia, ad Nectarium Episcopũ Constantinopolis, vbi apertè comparat sacerdotiũ cum baptismo, & vtroque homines iustificari, dicit: *Tu*, inquit, *o beate, renens baptizatus, ac purificatus, & mox insuper sacerdotio auctus es: vtraque autem hæc peccatorum expiatoria esse Deus constituit.*

S. Ioan. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio: *Sacerdotium*, inquit, *in terra peragitur, sed in rerum cœlestium classem, ordinémque referendum est. Atque id perquàm meritò: quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem eiusmodi disposuit.* Et infrà: *Tum probè intelliget, quanto sacerdotes honore, quanta dignitate, Spiritus sancti gratia dignata fuerit.*

THARASIVS in epi. ad Adrianum Papam, quæ habetur in primo tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum, dicit eos, qui pecunias accipiunt pro Ordinatione, vendere gratiam, atque adeò ipsum Spiritum sanctum, qui datur in Ordinatione.

THEODORETVS in illud 1. Timoth. 5. *Manus citò nemini imposueris.* Theophylactus, & Oecumenius in illud, 2. Timoth. 1. *Admoneo te, vt excites gratiam*, apertè dicunt in Ordinatione conferri gratiam Spiritus sancti, quæ piis studiis, & oratione fouenda est, quemadmodum oleo fouetur ignis.

CYPRIANVS, seu quicunque fuit auctor sermonũ de operibus cardinalibus Christi; Ordinationem Sacramentum vocat, & cum Baptismo confert: *Docemur*, inquit, *quæ sit Baptismi, & aliorum sacramentorum stabilitas.* Et infrà: *Nam baptismum repeti, Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere: nemo sacros Ordines semel datos iterum renouat, &c.*

AMBROSIVS lib. de dignitate sacerdotali, cap. 5. *Homo*, inquit, *imponit manum, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera.* Vide eundem in 1. Corinth. 12. in illud: *Diuisiones gratiarum sunt.* & in 1. cap. 2. ad Timotheum.

HIERONYMVS in Dialogo contra Luciferianos, toto ferè eo libro confert Ordinationem cum Baptismo, ac probat Ordinationem ab hæreticis datam, esse ratam, quia baptismus ab eis datus, ratus Baptismus est. Illa sunt enim verba S. Hieronymi contra Luciferianos: *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit: & in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinauit.*

AVGVSTINVS simili ratione argumentandi, probat contra Donatistas, Sacramentum Ordinis semel habitum amitti non posse, quia Baptismus semel acceptus amitti non potest; sic enim ait, lib. 2. contra Parmenianũ, cap. 13. *Ipsi explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & sacramentum ordinati possit amitti. Si enim vtrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri sacramento iniuria facienda est.*

SIMILIA habet lib. 1. de baptismo, cap. 1. in quibus locis, quædam obseruanda sunt. Primò, Ordinationem ab Augustino vocari Sacramentum in duobus capitulis fortè decies, contra Lutheri mendacium suprà notatum. Secundò, Augustinum cõferre Ordinationem cum Baptismo, atque apertissimè dicere, eodem modo vtrumque Sacramentum esse. Tertiò, eundem Augustinum asserere, neminem esse, qui dubitet de hac veritate: quod est contra alterum Lutheri mendacium. Et præterea est hic locus instar plurimorum locorum: si enim Augustinus non mentitur, omnes eius temporis auctores, imò etiam omnes populi id credebant, quod nos modò credimus.

VIDE præterea eundem Augustinum, epist. 50. ad Bonifacium, prope finem. & de bono coniugali, ca. 18. & 24. & in sermone de gestis cũ Emerito. & denique lib. 2. contra Parmenianum, cap. 11. vbi dicit, per hoc Sacramẽtum dari Spiritũ sanctum: ex quo etiam colligitur, eam cæremoniam Sacramentum esse propriè dictum.

HIS accedant Scholastici apud Magistrum, lib. 4. dist. 24, ex quibus S. Thomas, q. 1. artic. 1. affirmat cõmunem esse omnium sententiam, Ordinationem, vnum esse ex septem verè ac propriè dictis Sacramentis.

CAPVT IIII.

Idem ostenditur ratione.

ACCEDAT etiam congruentia rationis. Deus enim cuius perfecta sunt opera, Deuter. 32. cùm dat potestatem, dat etiam ea, quæ requiruntur ad eius legitimum, & congruentem vsum. Id videmus in rebus naturalibus, quibus Deus non tantùm potentias operatiuas dedit, sed etiam certas qualitates, & instrumenta quibus expeditè, & rectè illis vtantur. In Ordinatione autem sacra datur homini potestas conficiendi, & ministrandi sacramẽta, quę certè à peccatore rectè exerceri non potest. Dabit igitur Deus simul cum ea potestate, etiam gratiam iustificantem, & perficientẽ animã, vt ritè fungatur tanto ministerio. Præterea, si in Baptismo, in quo datur potestas suscipiendi Eucharistiam, & alia Sacramẽta, datur simul cum ea potestate gratia gratum faciens, quia sine ea non rectè percipiuntur Sacramenta cætera: cur in Sacramento Ordinis, in quo datur potestas conferendi sacramenta, non simul etiam dabitur gratia gratum faciens, cùm non minus peccatum sit, homini indigno sacramenta tradere, quàm accipere? Quod si in hoc sacramento datur gratia gratum faciens, certè sacramentum erit verè, ac propriè dictum: omnis enim cæremonia instituta ad sanctificãdum, Sacramentum est propriè dictum.

ACCEDAT vltimò, quòd aduersarij nihil habent, quod obiiciant, nisi argumenta illa negatiua, & leuia, quæ nos suprà dissoluimus.

CAPVT V.

Episcopalem Ordinationem sacramentum esse.

EQVITVR secunda quæstio, Quinam Ordines sint Sacramenta. Septem esse Ordines demonstrauimus in primo libro de Clericis; videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum. Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum. Ex quibus Ordo sacerdotũ duplex est: sunt enim alij maiores sacerdotes, id est, Episcopi, alij minores, id est, presbyteri. Ex his, autem conuenit inter omnes Catholicos, Ordinem Presbyterorum esse verè ac propriè Sacramentum, de aliis non omninò conuenit. Dicam igitur de singulis, quid verius, ac probabilius videatur.

AC primum Ordinatio Episcopalis, Sacramentum est verè ac propriè dictum. Hæc sententia etiamsi à quibusdam veteribus Scholasticis negetur, in 4. dist. 24. & ex recentioribus à Dominico à Soto, lib. 10. de iustitia, & iure q. 1. artic. 2. & in 4. dist. 24. q. 2. art. 3. tamen asseritur ab omnibus antiquis Patribus; & ex recentioribus, à Petro Soto, lect. 4. de Sacramento Ordinis in institutione Sacerdotum, & à Caietano, tomo primo, opusculi 11. necnon ab antiquis nonnullis Scholasticis, vt Altisiodorensi, 4. parte summæ Theologicæ, Ioan. Maiori, Scoto, Durando, & Paludano in 4. dist. 24. licet Durandus idem sacramentum esse velit cum sacramento presbyteratus. Denique ab omnibus penè Canonistis, in cap. Cleros, dist. 21. & caput Perlectis, dist. 25.

MIHI verò posita assertio certissima videtur. Primò, quia Scripturæ quibus Catholici probant, Ordinationem esse sacramentum, de Ordinatione Episcopali intelliguntur, vt patet ex 1. Timoth. 4. & 2. Timo. 1. in his enim solis locis disertè ponitur symbolum externum cũ promissione gratiæ. In his autem locis agitur de Ordinatione Timothei, qui Episcopus fuit à Paulo creatus, vt omnes interpretes docent: pari ratione; Actor. 13. agitur de Ordinatione Episcopali Pauli, & Barnabæ. Quare si Ordinatio Episcopalis non est sacramentum, non possumus ex Scripturis apertè probare, Ordinationem esse sacramentum.

SECVNDÒ, testimonia allata, Leonis, Gregorij, Dionysij, Martyrij, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, de solis Episcopis intelliguntur. Veteres enim nomine Sacerdotis absolutè Episcopum intelligebant, vnde Ambrosius librum inscribit de dignitate Sacerdotali, & Chrysostomus libros de sacerdotio, cùm tamẽ vterque de solis Episcopis agat. Itaque amittemus etiam loca Patrum pro controuersia principali, si Episcopalis Ordinatio non est sacramentum.

TERTIÒ, Episcopalis Ordinatio est cæremonia imprimens characterem spiritualem, & conferens gratiam; ergo est verissimum sacramẽtum. Probatur antecedens: ac Primùm de charactere, ex eo, quod Episcopalis Ordinatio, non potest reperi. Et præterea, Episcopus potest duo sacramenta conferre; nimirum Confirmationem, & Ordines sacros, quæ non possunt vlli alij Ordines inferiores conferre: & si tentent id facere, nihil prorsus efficiunt: Ergo habet Episcopus ex sua Ordinatione spiritualem potestatem; & proinde nouum characterem.

DICENT, non esse opus nouo charactere, sed satis esse si extendatur character presbyteralis. Sed aut volunt reipsa extendi characterem illum, aut solùm significatione, quod videlicet in Episcopo signũ sit plurium potestatum, in presbytero pauciorum. Si dixerint Primum, eandem vim habebit argumẽtum nostrum: nam eadem efficacia requiritur ad characterem reipsa extendendum, & ad imprimendum nouum, proinde cæremonia, quæ habet effectum istum spiritualem, & superpernaturalem, id est, realem extensionem characteris, sine dubio Sacramentum erit. Si dixerint secundum, facilè reuincentur. Nam licet character non agat reipsa, sed sit solùm signum pacti Dei cum homine, de concursu diuino in actionibus illis Sacramentalibus; tamen hoc signum reale est, & ideò sicut vbi est spiritualis potestas, colligimus realem esse in anima characterem; ita quoque vbi est additio nouæ potestatis, oportet colligere realem additionem characteris, aut nouum characterem, quod est probabilius.

DENIQVE magis distant inter se potestas confirmandi, & consecrandi Eucharistiam, quàm potestas legendi Euangelium, & epistolam in sacrificio. Sed propter ista ponuntur ab aduersariis duo distincti characteres in Diacono, & Subdiacono, nec dicunt vnum extendi; cur igitur nolùt esse duos in Presbytero, & Episcopo?

IAM quòd Episcopalis consecratio conferat gratiam, probatur manifestissimo argumento: nam ideò probant Theologi in Ordinatione presbyterali dari gratiam, quia debet Presbyter quædam sacramenta ministrare, quæ sine gratia non dignè ministrãtur. Episcopus autem debet quædam etiam sacramenta ministrare, sacramentum videlicet Cõfirmationis, & Ordinis, quæ sine gratia non dignè ministrantur.

DENIQVE mirabile est, quod velint aliqui ad officium Diaconi, & Subdiaconi requiri nouam gratiam, & ideò illas Ordinationes esse sacramenta, & ad officium Episcopi, quod est sine vlla comparatione difficilius, & excellentius, nolint gratiam requiri. Confirmatur hæc ratio dupliciter. Primò, ex ipso ritu consecrationis Episcopi: In nulla enim Ordinatione adhibetur tanta solennitas, quanta in Ordinatione Episcopi, ibi est impositio manus, ibi vnctio, ibi plurima alia: non est autem credibile tot sacramentalia instituta, vbi nullum sit sacramentum. Secundò, quia si Episcopatus sit sacramentũ à presbyteratu distinctum, facilè erit defendere Episcopum iure diuino maiorem esse presbytero, tam ordine quàm iurisdictione, quod hoc tempore omnes hæretici negãt: alioqui ægrè id defendi poterit.

NEQVE rationes quæ contrà obiici solent, conuincunt. Primò obiiciunt: *Episcopatus non est Ordo nouus, alioqui Ordines essent plures quàm septem. Si autem non nouus Ordo, certè nec nouum Sacramentum: nam si sacramentum esset, esset vtique Sacramentum Ordinis.*

RESPONDEO, Episcopatum esse Ordinem vnum cum presbyteratu, sed genere, non specie; Ordines enim sumuntur ab habitudine quam habent ad Eucharistiam; & quia summa circa Eucharistiã est potestas ipsam conficiendi, ideò primus Ordo est sacerdotalis, id est, eorum qui Eucharistiam consecrare possunt: nec suprà hûc potest fingi alius Ordo maior, vel superior. Quia tamen hanc potestatem vario modo participant Presbyteri, & Episcopi, inde sunt duæ species sacerdotum. Presbyteri in consecranda Eucharistia, saltem quoad vsum, pendent ab Episcopis, qui possunt eis interdicere ne consecrent, vel suspendere ad tempus, vel præcipere, vt tali loco, tali modo, tali tempore celebrent. Et præterea presbyteri non ita habent hanc potestatem, vt eam aliis communi-

care possint: Episcopi autem, & habent, & communicare aliis possunt.

DICES, non videtur id esse verum; nam Episcopus ex sua consecratione non habet, vt possit Eucharistiam consecrare, sed solùm vt possit confirmare, & ordinare: non igitur conuenit genere cum presbyteratu, sed est alia res diuersissima.

RESPONDEO, Episcopatum includere in sua ratione, & essentia sacerdotium, loquendo de potestate Ordinis, de qua sola hîc loquimur. Non enim potest intelligi Episcopus, qui nõ sit sacerdos, cùm nihil sit aliud Episcopus, nisi summus, seu primus sacerdos: sicut Paparus includit intrinsecè, & essentialiter Episcopatum, licet multa superaddat. Hinc autem sequitur, vt Episcopalis Ordinatio integra consurgat ex duplici Ordinatione, & character Episcopalis integer, & perfectus, non sit vna simplex qualitas, sed quid compositum ex duplici charactere: proinde etiam duo sacramenta requiruntur ad Episcopum constituendum.

ITAQVE ad argumentum Respondeo, Episcopum non habere, vt possit consecrare Eucharistiam, ex sua vltima Ordinatione, tamen id habere ex alia Ordinatione præcedente, quæ est etiam de essentia Episcopatus. Sicut homo non habet ex differentia sua specifica, vt sit sensibilis, tamen id habet ex genere suo, proinde ex natura sua, quæ ex genere, & differentia constat.

ATQVE hinc soluuntur omnia alia argumenta, quæ Sotus, & alij multiplicant. Est enim Secundum eorum argumentum eiusmodi. *Si Episcopatus esset Sacramẽtum sequeretur posse aliquem ordinari Episcopum, qui non esset presbyterè & posse illum sic ordinatum consecrare Eucharistiam, quorum vtrumque est falsum ex communi sententia.* Primum probant, quia vnus Ordo non pendet ab alio, vt patet: quia si quis ordinetur presbyter, qui antea non fuerit Diaconus, ille est verè ordinatus. Secundum probant, quia semper Ordo inferior continetur in superiore, saltem in virtute: posset enim presbyter fungi munere Diaconi, etiamsi Ordinem Diaconi non haberet.

RESPONDEO, nihil eorum sequi. Nam impossibile est ordinari Episcopum, qui vel antea non sit presbyter, vel certè non tunc simul accipiat vtramque Ordinationem; quia vt dixi, vtraque est de essentia Episcopatus. Nec est verum, vnum Ordinem nõ pendere ab alio, nisi in iis, quorum vnus non est de essentia alterius: nec valet similitudo Diaconi, & Presbyteri, quia presbyteratus non includit essentialiter Diaconatum, sicut Episcopatus includit presbyteratum. Pari ratione non sequitur, posse Episcopum, qui nõ sit presbyter, consecrare Eucharistiam: non enim Episcopatus sine presbyteratu, est Ordo superior, immò nihil est in re, sed merum figmentum in mente, quomodo Archiepiscopus, qui nõ sit Episcopus, vel rationale quod non sit animal.

TERTIVM argumentum, si Episcopalis ordinatio est Sacramentum, characterem certè imprimit; vel ergo is character est maior presbyterali, vel non: si maior, ergo est aliquid maius potestate consecrandi Eucharistiam, quod omnes negant; & præterea hinc sequeretur, esse ordinem aliquem altiorem sacerdotali, qui iam deberet numerari octauus: si non est maior, ergo Episcopus, vt Episcopus, non est maior presbytero, sed æqualis, vel potiùs minor, quia nullus character est æqualis sacerdotali.

RESPONDEO, characterem Episcopalem integrum & perfectum, esse maiorem presbyterali, quia illum includit, & vnum præterea alium, vt diximus: & hoc modo comparamus Episcopos cum Presbyteris, cùm dicimus alios esse superiores, alios inferiores: si tamen quis conferat characterem quem habet Episcopus ex vltima sua consecratione, cum charactere, quem habet ex Ordinatione presbyterali; tunc iste est maior intensiuè, quia summa potestas est, posse cõsecrare Eucharistiam: ille est maior extensiuè, quia ad plura se extendit. Sed de his satis.

CAPVT VI.

Diaconatum esse verum Sacramentum.

PRORSÒ de Diaconis, valde probabile est, eorũ Ordinationem Sacramentum esse, licet id non sit certum ex fide. Quòd nõ sit certum ex fide, patet, quia non potest id euidenter deduci ex verbo Dei scripto, vel tradito: neque exstat vlla Ecclesiæ de hac re expressa determinatio.

QVOD autem id sit valde probabile, Primò probatur ex communi sententia Theologorum, solus enim videtur esse Durandus, qui asserit solum sacerdotium esse Sacramentum Ordinis, in 4. dist. 24. q. 2. cum Caietano, tomo primo opusculorum, tract. 11.

SECVNDÒ, quia 1. Timoth. 3. Apostolus Paulus, vt etiam Philipp. 1. & ad Titum 1. semper coniungit Diaconos cum Episcopis, id est, cum Sacerdotibus: intelligit enim nomine Episcoporum, etiã Presbyteros, vt Chrysostomus docet in commentario horum locorum.

TERTIÒ, quia Actor. 6. Diaconi ordinantur per manus impositionem, id est, simili cæremonia qua Episcopi, & Presbyteri.

QVARTÒ, quia Diaconi in absentia Episcoporum possunt baptizare, Eucharistiam dare, reconciliare pœnitentes publicos, prædicare, ac ferè omnia munera Episcoporum, & Presbyterorum, in eorum absentia exercere: ex quo sequitur, eos gratia Dei speciali indigere, ac proinde eorum Ordinationem esse Sacramentum. Antecedens patet. Nam de Baptismo id testantur, Tertullianus in lib. de Baptismo, & Hieronymus in lib. contra Luciferianos. De Eucharistia, quòd videlicet Diaconi Eucharistiam laicis ministrare possint, patet ex Concilio Nicæno, can. 14. immò olim ordinariè Diaconi sanguinem Domini ministrabãt populo, vt patet ex Cypriano, serm. 5. de lapsis. De reconciliatione pœnitentium, patet ex eodem Cypriano, lib. 3. Epi. 17. de prædicatione, testatur Gregorius, libro 4. epistola 88. Et hæc videtur ratio, cur Diaconi ad Hierarchiam pertineant: & populis præesse dicantur, vnà cum Episcopis, & Presbyteris, vt patet ex Hieronymo in 2. capit. ad Titum; & ex Dionysio, qui in Ecclesiastica hierarchia non ponit, nisi hos tres Ordines, quia hi soli sunt hierarchici: inferiores enim non præsunt populo, sed tantùm seruiunt superioribus Ordinibus.

QVINTÒ, Diaconatus semel acceptus, nunquam amittitur, nec potest repeti: igitur imprimit characterẽ, ergo est sacramentum.

RESPONDENT quidam, Diaconatum esse perpetuum, non ex charactere, sed ex quadam consecratione, & quia est officium de iure diuino. Sed solutio nõ valet. Nam si aliunde potest prouenire, quàm ex charactere, vt non possit amitti Diaconatus; certè ruet principalis ratio Catholicorum, qua inde probant, quædam sacramenta imprimere characterem, quia non possunt repeti.

DEINDE non esset consecratio Diaconorum, Ordinatio, nisi esset sacramentum, esset enim simplex officij iniunctio. Nihil autem impedit, quò minùs possit officium tolli, & postea iterum reddi: Immò nulla potest fingi maior consecratio, si ita vocanda est dedicatio personæ extra sacramenta, quàm Monachorum, qui Deo consecrantur per solennem professionem, & tamen insta caussa, & summi Pontificis dispẽsatione possunt iterum ad seculum redire, vt doctissimi viri censent, & exẽpla aliqua testantur. Neque illud obstat, quòd sit officium de iure diuino: id enim solùm probat, debere esse in Ecclesia Diaconos, sed non probat istum, aut illum debere semper esse Diaconum. Itaque posset tolli ab vno Diaconatus, & dari alteri: sicut etiam de iure diuino est, vt

sint in Ecclesia Episcopi cum iurisdictione, & tamẽ potest summus Pontifex auferre ab Episcopo Episcopatum, quoad iurisdictionem, & dare alteri.

SED contra hanc propositionem obiiciuntur aliqua argumenta, Primum est, quia multi veterum dicũt, Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis institutos, vt patet ex Cypriano, lib. 3. epist. 9. ex Anacleto epist. 3. & Damaso, epist. 4. Et confirmatur, quia videntur Diaconi ex occasione quadam instituti, nimirum ob murmur Græcorum; & solo ministerio mensarum addicti, vt patet Actor. 6.

RESPONDEO, Cyprianũ solùm velle dicere, Christum non ordinasse vllos Diaconos, sicut ordinauit Episcopos, & Presbyteros: sed non inde sequitur, Christum non instituisse hoc Sacramentum; nam etiam nullum Christus confirmauit, & tamen instituit Sacramentum Cõfirmationis. Porrò Damasus, & Anacletus solùm docent, Christum instituisse tantùm duos Ordines Sacerdotum, id est, Episcoporum in Apostolis, & Presbyterorum in LXXII. discipulis: id quod scribũt contra Chorepiscopos, qui tertium genus Sacerdotum videri volebant, cùm tamen reuera nihil essent, nisi Presbyteri. Itaque non negant hi Pontifices, Diaconos, & alios Ordines inferiores à Christo institutos, sed negant esse vllum Ordinem Sacerdotum, præter duos iam dictos.

AD confirmationem respõdeo, ex occasione quidem ordinatos primos Diaconos, sed non ex occasione inuẽtum esse Ordinem Diaconorum.

NEQVE verum est, solùm ministros mensarum fuisse Diaconos tempore Apostolorum: nam Diaconi erant etiam Philippis, & Ephesi, & in Creta, vt patet ex epistolis Pauli ad Philipp. ad Timotheum, & tamen in illis locis non viuebant Christiani communiter, vt esset opus ministris mensurarum. Deinde illa tam solennis Ordinatio per manus impositionem, certè indicat aliud, quàm solum mensarum ministerium. Præterea, Philippus ex Diaconis primis, non dabat operam mensis præcipuè, sed prædicationi, & Baptismo, Actor. 8. Denique, ab antiquissimis temporibus Diaconi sunt ministri altaris, & Sacramentorum, vt patet ex Iustino Apologia 2. in fine, & ex omnibus antiquis auctoribus.

SECVNDVM argumentum est, quia Diaconi nullam habent potestatem faciendi aliquid supernaturale, aut effectum aliquem, qui sit irritus, si fiat à non Diacono: Ergo non habent proprium characterem, character enim datur ad operandum simpliciter, non ad benè operandum.

RESPONDEO, non esse de essentia sacramenti, vt qui illud habet, aliquid supernaturale efficiat, sed satis est, si sit cæremonia conferens gratiam. Neque est verum vniuersaliter, quòd character detur ad operandum simpliciter, vt patet ex charactere Confirmationis, qui datur ad profitendam fidem: quam tamen aliqui Catechumeni sine charactere interdum optimè profitentur, vsque ad sanguinis profusionem: & aliqui Confirmati non audent profiteri.

TERTIVM argumentum, Diaconatus materia, est traditio libri Euangeliorum, vt habetur in Concilio Florentino. Sed cùm ordinarentur primi Diaconi, non erat scriptum Euangeliũ, ergo vel illi non habuerunt verum sacramentum, vel non est sacramentum Diaconatus.

RESPONDEO, hoc argumentum soluendum esse in quæstione sequenti: directè enim probat solùm, non esse librum Euangelij, materiam huius sacramenti.

CAPVT VII.

Subdiaconatum esse etiam Sacramentum.

IAM verò de Subdiaconatu non est tanta certitudo, qaanta de Diaconatu. Nam nec in Scripturis de eo fit mentio, nec eius Ordinatio habet manus impositionem, vt patet ex Concilio IV. Carthag. can. 5. nec Subdiaconi ministrant Eucharistiã, aut alia facere possunt, quæ Diaconi: & denique nõ pertinet propriè ad Hierarchiam, nisi vt ministri Hierarcharum.

EST tamen valde probabile, etiam hunc Ordinem esse sacramentum, tum quia videtur imprimere characterem, cùm sit iterabilis, tum quia habet annexum solenne votum continentiæ, tum denique, quia hæc est communis Theologorum sententia, antiquorum & recentiorum, vno Durando excepto, & Caietano.

SVNT autem contra hanc sententiam duo argumẽta. Primum est, quia Subdiaconatus olim non erat Ordo sacer, sed postea factus est à Pontificibus, vt apertè testatur Innocentius III. cap. A multis, de ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum, & idem Innocentius III. cap. Miramur, extra, de seruis non ordinandis: & Vrbanus II. can. Nullus, dist. 60. Vnde Magister lib. 4. dist. 24. dicit Subdiaconatum, & Ordines minores ab Ecclesia introductos, cùm Apostolorum tempore non fuissent.

RESPONDEO, non esse idem, Ordinem sacrum, & sacramentum: multi enim existimant, Ordines minores esse sacramenta, cùm tamen non possint eos vocare Ordines sacros. Vt enim rectè docet Magister loco notato, omnes Ordines sunt sacri, sed primi tres dicuntur per excellentiam sacri, quia proximè contingunt res sacras: Presbyter enim Eucharistiam consecrat, & ministrat: Diaconus defert eam; Subdiaconus sacra vasa contingit, & præbet.

OLIM tamen Subdiaconis non licebat tangere sacra vasa, vt patet ex Concilio Laodiceno, cap. 21. & ex can. Nullus, distinct. 24. qui ex decretis Syluestri sumptus est: & ea ratione non dicebatur Ordo sacer. Nec ex Ordine Subdiaconorum poterat eligi Episcopus, sed tantùm ex Ordine Presbyterorum, & Diaconorum: tamen postea concessum est Subdiaconis, tangere sacra vasa, vt patet ex can. Non liceat, dist. 23. & cœperunt etiam ex Subdiaconis eligi Episcopi vt patet ex Innocentio & Vrbano, locis notatis.

QVOD autem Magister dicit, Subdiaconos ab Ecclesia introductos, non sic debet intelligi, quasi Ecclesia eum Ordinem instituerit, sed videtur Magister existimasse, vsum horũ Ordinũ non cœpisse tẽpore Apostolorum, sed postea, quòd videlicet antea ob fidelium paucitatem, non essent tot Ordines necessarij. Sed neque hoc videtur esse verũ: nam S. Ignatius, qui tẽpore Apostolorũ floruit, omniũ Ordinũ meminit, in epist. ad Heronẽ.

SECVNDVM argumentum, Subdiaconi poterant ordinari à Chorepiscopis, vt patet ex Concilio Antiocheno, can. 10. At Chorepiscopi erant simplices Presbyteri, qui Ordinis sacramentum conferre nõ possunt, igitur Subdiaconatus non est sacramentum Ordinis.

RESPONDEO, duo fuisse genera Chorepiscoporũ (vt diximus in disputatione de Clericis) quorũ alij erãt veri Episcopi, sed in aliena diœcesi morabantur, vt nunc in Germania suffraganei, & de his loquitur Concilium Antiochenum, alij erant solùm Presbyteri, & ab his negat Damasus epist. 4. posse ordinari Subdiaconos.

CAPVT VIII.

Minores etiam Ordines Sacramenta esse.

DENIQVE, de minoribus Ordinibus, minùs probabile est quòd sacramenta sint, quàm de Subdiaconatu, nam neque est ita cõmunis sententia, sicut de Diaconatu, & Subdiaconatu, & certum est, leuiora esse munera horum Ordinum, quàm superiorum.

ABSOLVTE tamen probabilior sententia est, quæ Ordines omnes sacramenta esse docet, quàm ea, quæ id negat. Primò, quia id asserunt omnes veteres Scholastici, Durãdo excepto. Et ex recentioribus grauissimi quique, vt Franciscus Victoria in summa de sacramentis, Petrus à Soto, lect. 4. de Sacramento Ordinis, & alij

Tertiò, id videtur sensisse Concilium Florentinum. Vbi enim dixit, Sacramentum Ordinis esse sextum sacramẽtum, & materiam huius Sacramenti esse id, quod porrigitur in Ordinatione: continuò ponit exempla de Ordine Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi; & addit, idem de aliis Ordinibus intelligendum. Neque dissentit Concilium Tridentinum: nam sess. 23. capit. 2. septem Ordines numerat; & postea cap. 3. absolutè Ordinem sacramentum esse dicit. Quartò, Minores Ordines non possunt iterari, igitur imprimunt characterem; igitur sacramenta sunt.

VNA est obiectio in contrarium, quia si quot Ordines sunt, tot sacramenta esse ponamus; iam sacramenta non erunt septem, sed quatuordecim.

RESPONDEO, omnes Ordines licet sint per se singuli sacramenta, tamen vnum Sacramentum censeri, quia vnum sunt, vel genere, vel quia ad vnum finem omnes referuntur.

CAPVT IX.

Manus impositionem ad essentiam Sacramenti Ordinis pertinere.

EQVITVR Tertia controuersia, de materia, & forma huius sacramenti. Conuenit autem inter omnes, materiam esse aliquod signum sensibile, formam autem esse verba, quæ dicuntur, dum illud signum exhibetur. Quamuis enim Scriptura non meminerit verborum, tamen apertè scribunt verba requiri, antiquissimi Patres, vt Ambrosius in cap. 4. 1. ad Timoth. Hieronymus in cap. 58. Isaiæ, & Augustinus in serm. de gestis cum Emerito: & idé patet ex antiquo Ordine Romano, & ex omnibus, qui de hoc sacramento tractant.

SED quia in Ordinatione Presbyteri & Diaconi, duplicia signa exhibentur; nimirum impositio manuum, & porrectio instrumenti, vt calicis & patinæ in presbyteratu, & libri Euangeliorũ in Diaconatu, ideò quæstio existit, vtrum horum signorum sit essentialis materia Sacramenti. Duæ sunt autem Theologorum sententiæ.

ALII enim existimant, manus impositionem esse accidentariam, & solam instrumentorum porrectionem esse essentialem: ita Dominicus à Soto, dist. 24. q. 1. art. 4. & alij quidam.

FVNDAMENTA eorum sunt tria. Primum, quia in Concilio Florentino non alia assignatur materia, nisi instrumentorum porrectio.

SECVNDVM, quia Innocentius III. cap. Pastoralis, de sacramentis nõ iterandis, & Gregorius IX. cap. Presbyter eodem titulo, dicunt non debere iterari Ordinationem factam sine manus impositione, sed supplendum esse, quod omissum est. Ibidem etiam addit Gregorius, manus impositionẽ esse ritum ab Apostolis introductũ.

TERTIVM, Sacerdotes fiunt, cùm eis dicitur, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium.* Sed tunc non imponuntur manus, sed tantùm porrigitur calix cum vino, & patina cum pane, vt patet ex Ordine Romano antiquo & ex Pontificali, quo nunc Ecclesia vtitur; ergo manus impositio, quæ postea accedit, ad essentiam Sacramenti non pertinet. Maior propositio probatur, quia alioqui esset fallax illa concessio potestatis, si tunc ea reuera non acciperetur. Et Præterea Apostoli in vltima Cœna facti sunt Sacerdotes, vt habet Concilium Trident. sess. 22. cap. 1. ergo & nunc Sacerdotes fiunt, cùm datur eis potestas consecrandi, & offerendi Eucharistiam. Idem enim est: *Hoc facite in meam commemorationem*, quod audierũt Apostoli in vltima Cœna; &, *Accipe potestatem offerendi, &c.* quod nos audimus, cùm ordinamur Sacerdotes.

ALTERA sententia est longè probabilior, & verior, videlicet, non solam instrumentorum porrectionem, sed etiam manus impositionem esse materiam essentialem. Id quod affirmat ex recentioribus, Petrus à Soto, lect. 5. de sacramẽto Ordinis; Martinus Ledesmius in 4. q. 36. ar. 4. ad 1. Cardinalis Hosius in Confessione Polonica, c. 50.

PROBATVR hæc sententia. Primò, quia scripturæ passim tradunt pro symbolo externo Ordinationis, manus impositionem, vt patet ex locis adductis, Actor. 6. 13. & 14. 1. Timot. 4. & 5. & 2. Timoth. 1.

RESPONDENT, impositionem manuum requiri, sed non esse de essentia. Contra, si ita est, non possumus conuincere hæreticos, Ordinationem esse sacramentum propriè dictum, quia nõ possumus in scriptura demonstrare symbolum externum huius sacramenti. Deinde, si ita licet exponere, poterimus negare materias omnium aliorum sacramentorum: dicam enim, aquam non esse de essentia in Baptismo secundum Scripturas, nec vinum in Eucharistia, nec oleum in Extrema vnctione, &c. Præterea Scriptura, non solet in aliis sacramentis tradere nisi essentiales cæremonias, & vix etiam illas integrè; quis ergo sibi persuadeat, in hoc sacramento semper nominari ritum accidentarium, omisso essentiali? Denique Paulus dicit, per manus impositionem dari gratiam, 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. Ergo manus impositio est pars sacramenti essentialis: nõ enim gratiæ promissio facta est cæremoniis accidentariis, sed essentialibus.

NEQVE valet, quod obiiciunt de Confirmatione, quæ Actor. 8. dicitur dari per manus impositionem, & tamen non est illa materia essentialis eius sacramenti, sed Chrisma. Iam enim hoc dissoluimus in disputatione de Confirmatione, vbi ostendimus, manus impositionem in Confirmatione esse de essentia, quia per illam signantur Chrismate frontes fidelium.

SECVNDÒ, idem probo ex traditione Pontificum, & conciliorum, Clemens lib. 8. constit. cap. 2. & sequentibus, Damasus epist. 4. Innocẽtius I. epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ. Leo I. epist. 87. ad Episcopos Africæ, & ex recentioribus Alexander Papa II. can. Ex multis, 1. q. 3. & Vrbanus II. can. Daibertum, 1. q. 7. & alij passim.

ITEM ex Conciliis, Nicænum, can. 9. Antiochenum, can. 10. & 17. Carthaginense IV. can. 2. 3. & 4. & omnia alia antiqua Concilia passim affirmant, manus impositione conferri Ordines.

IPSVM etiam Tridentinum Concilium (quod est obseruandum propter eos, qui post Concilium celebratum, aliter sentiunt) sess. 14. cap. 3. de Extrema vnctione dicit, Ministrum Extremæ vnctionis esse Episcopũ, aut Presbyterum rite ordinatum, per manus impositionem. Et sess. 23. can. 4. de sacramento Ordinis habet hæc verba: *Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustrà Episcopum dicere, Accipe Spiritum sanctum, anathema sit.* Vbi Concilium declarat, tunc ordinari Presbyteros, & tunc dari illis gratiam Spiritus sancti, cùm eis dicitur: *Accipe Spiritum sanctum.* At cùm hoc dicitur, manus imponuntur, vt patet ex Pontificali Ecclesiæ, & consuetudine, ergo sentiebat Concilium, illam impositionem manus esse de essentia.

DENIQVE idem etiam ex Patribus probari potest. Nam Græci Ordinationem vocant χειροτονίαν, id est manus impositionem, & scribit Simeon Metaphrastes in vita S. Ioannis Chrysostomi, cùm ei manus Imponeret Episcopus Antiochenus, vt eum crearet Presbyterum, continuò descendisse in eũ visibiliter Spiritum sanctum in forma columbæ.

AMBROSIVS libr. de dignitate sacerdotali. cap. 5. hac cæremonia dicit perfici Ordinationẽ: *Homo*, inquit, *manum imponit, & Deus largitur gratiam.* Hieronymus in cap. 58. Isaiæ: *Ordinatio*, inquit, *non solùm ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem impletur manuum.* Augustinus libro de gestis cum Emerito, & alibi, manus impositione ordinari dicit Sacerdotes: quod idem omnes veteres passim docent.

DICERE autem, omnia Concilia, Pontifices, & Patres loqui de accidentaria cæremonia, ridiculum est: cùm

cùm nusquam ponant aliam cæremoniam, & sæpe ex professo tractent de ritu Ordinationis. Quis enim credat tot Patres, & Concilia, cùm nihil frequentiùs tractent, quàm Ordinationes Sacerdotum, ne semel quidẽ attigisse, id, quod ad essentiam Sacramenti pertinet?

TERTIÒ, idem probatur ex Scholasticis: ne videatur nostra sententia noua in scholis. Certè S. Thomas in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. dicit, in impositione manuũ dari gratiam Sacramẽtalem: ex quo sequitur eam impositionem esse partem Sacramenti. S. Bonauentura, Scotus, Paludanus, dist. 24. & Altisiodorensis in sua summa, part. 4. apertè dicunt, de essentia esse manuum impositionem.

VT igitur argumentis respondeamus, obseruandum est Primò in Ordinatione presbyterorum, de quibus præcipuè disputatur, duas conferri potestates. Vnam, consecrandi Eucharistiam, quæ dicitur potestas in corpus Christi verum. Alteram, absoluendi à peccatis, quæ dicitur potestas in corpus Christi mysticum.

SECVNDÒ. Nota, propter has duas potestates, duas esse in Ordinatione presbyterorum præcipuas cæremonias. Vnam, qua Episcopus porrigit futuro presbytero patinam cum hostia, & calicem, cum vino, ac dicit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.* Alterã cùm post Missam Episcopus manus imponit, & dicit: *Accipe Spiritum sanctum, quorũ remiseris peccata, &c.* Vtraq; autem cæremonia, non solùm habetur in Põtificali, & est in vsu Ecclesiæ, sed habetur etiã in antiquo Ordine Romano.

TERTIÒ. Nota, vtramque cæremoniam esse essentialem, vt rectè docet, atque explicat Scotus. Nam per vnam confertur vna potestas, per alteram altera; siue sint duo characteres, siue vnus, qui in secunda cæremonia extendatur. Neque est probabile, quod quidam dicunt, in vna totũ dari, & in altera tantùm explicari, quod est datum in alia. Nam inprimis verba illa: *Accipe potestatem, & Accipe Spiritum sanctum*, non significant explicari, sed significant reuera tunc dari. Deinde omniũ consensu, Christus diuisit has duas potestates, cùm ordinauit Apostolos, & vnam tradidit in cœna, cùm ait: *Hoc facite*, alteram post resurrectionem, cùm ait: *Accipite spiritum sanctum.* Cur ergo non possit, immò & debeat etiam Ecclesia diuidere, & dare vnam post aliam?

QVARTÒ. Nota, Patres, & Concilia non consueuisse explicare totum ritum Sacramentorum, non enim scribebant libros rituales, sed solùm attigisse vnam partem essentialem, ex qua cætera omnia intelligerentur: erant enim ritus eiusmodi notissimi omnibus ex frequenti vsu.

EX his ergo ad Primum Respondeo, Concilium Florentinum non explicuisse totum ritum, sed solùm vnam partem, quemadmodum etiam Concilium Carthaginense, quod tãtùm meminit impositionis manuum, non explicuit totum ritum, sed tantùm eam partem, quàm postea omisit Concilium Florentinum: vtrumq; autem Concilium rectè docet, neque vnum cũ altero pugnat.

CVR autem Concilium Florentinũ ex duabus partibus magis exprimere voluerit porrectionẽ instrumentorum, quàm impositionem manuum, duplex ratio esse potuit. Vna, quia intendebat assignare pro materia rem aliquam subsistẽtem, sicut fecit in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Extrema vnctione: res autem subsistens non est impositio manuum, sed calix, & patina, &c. Altera caussa est, quia fortasse Armeni, qui à Concilio instruebantur, in hac re errabant, & non in alia.

AD Secundum respondeo; ea loca Innocentij, & Gregorij fauere nostræ sententiæ. Quod enim Pontifices nolint repeti cæremonias ritè peractas, & tamen suppleri, quod est omissum, indicat eas cæremonias posse diuidi, & dari diuerso tempore, & esse efficaces, quocunque tempore dentur. Quòd autem Gregorius dicit, manus impositionem esse ritum ab Apostolis introductum, non sic debet accipi, quasi Apostoli hunc ritum instituerint, sed quia ipsi primi cœperunt illum vsurpare in Ordinationibus.

AD Tertiũ respondeo, sacerdotes ordinari, cùm illis dicitur: *Accipe potestatem sacrificiũ offerendi*, sed ordinari etiam postea, cùm illis dicitur: *Accipe Spiritum sanctum.* Nam accipiunt per varias cæremonias, varias potestates.

ATQVE hinc soluitur argumentum de Diaconis, quod fecimus quæstione superiore. Nam primi Diaconi, fuerunt ferè ordinati, ad quædam ministeria, per manus impositionem, non autem fuerunt ordinati ad legendum Euangelium, quia non erat opus: nunc autem per varias cæremonias, ordinantur ad varia ministeria. Credibile autem est, Dominum instituisse istas omnes materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generatim, monendo Apostolos, vt Ordines conferrent per cæremoniam instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas.

CAPVT X.

De effectu huius Sacramenti.

AM verò de effectu conuenit inter Catholicos, duplicem esse effectum huius Sacramenti. Primò, potestatem spiritualem perpetuam, in cuius signum imprimitur character. Secundò, gratiam gratum facientem, qua possint ordinati ritè fungi suo munere.

Hæretici huius temporis, characterem præcipuè negant. Volunt enim ministerium Ecclesiasticum esse simplex officium, quod possit dari, & auferri; proinde cras fieri laicos, qui sunt hodie Ministri vel Pastores. De qua re disseruimus in disputatione de Sacramentis in genere, sufficiant nunc duo testimonia veterum.

CYPRIANVS in serm. de ablutione pedum, *Nemo*, inquit, *sacros Ordines iterum renouat, &c.* Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani, c. 13. *Vtrumque*, inquit, *Sacramentum est, & quadam consecratione datur; illud cùm baptizatur, illud cùm ordinatur. Ideò in Ecclesia Catholica vtrumque non licet iterare*, & lib. de bono coniugali, cap. 24. *Si fiat*, inquit, *Ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis, & si aliqua culpa quisque ab officio remoueatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.* In sermone autem de gestis cum Emerito, ipsum etiam nomen characteris ponit, ob quem dicit non posse iterari Ordinationem. Vide etiam multa decreta de hac re apud Gratianum, 1. quæst. 7.

CAPVT XI.

De Ministro.

DE ministro Ordinationis disseruimus in disputatione de Sacramentis in genere. Res autem perspicua est, cùm nunquam Ecclesia cognouerit Presbyteros, vel Diaconos, nisi ab Episcopis ordinatos.

VIDE Concilium Ancyranum, canon. 12. Antiochenum, can. 10. Epiphanium hæres. 75. Damasum epistol. 4. Hieronymum in epistol. 85. ad Euagrium, Chrysostomum, Theodoretum, & alios in 3. & 4. caput, prioris ad Timotheum.

CAPVT XII.

De Cæremoniis.

DVAE sunt cæremoniæ, quas aduersarij reprehendunt, videlicet vnctio, & rasura; vnde per contemptum vocant Catholicos Sacerdotes, vnctos, & rasos. Sed de rasura disseruimus in disputatione de Clericis: illa enim etsi est cæremonia Sacerdotum, non tamen fit in ipsa consecratione sacerdotali, de qua modò agimus.

VNCTIO autem est cæremonia verè Sacramentalis, quanquam accidentaria: siquidem in ipsa Ordinatione

vngitur caput Episcopis,& manus Presbyteris.

DE hac cæremonia dicit Kemnitius in 2.par.Exam. pag. 1171.& sequenti: Primò, Christum,& Apostolos ea vsos non fuisse. Secúdò, in historia Ecclesiastica nullum exstare exemplum. Tertiò, Ambrosium, & alios Patres eius non meminisse, si excipiamus supposititios libros Cypriani, & Anacleti. Quartò, in Ecclesia Græca non fuisse receptam istam vnctionem, vsque ad annum M. CC. immò etiam antiquis displicuisse, vt colligitur ex Innocentio III. cap. Cùm venisset, de sacra vnctione. Quintò, ritum esse Iudaicum, proinde non magis vsurpandum, quàm sacrificia ouium, & boum, quod vltimum accepit ex Caluino, lib. 4. Instit. c. 19. §. 30. & 31.

RESPONDEO, ista omnia esse mendacia. Nam quod attinet ad exempla Christi,& Apostolorum, Kemnitius non probat eos non fuisse vsos vnctione, nos autem contrarium probare possumus. Nam Dionysius, cap. 4. hierarchiæ Ecclesiast. dicit, Pontificem vti sacro oleo in omni ferè consecratione Pontificali, idque traditum esse ab Apostolis: constat autem vnam, & præcipuam, & frequentissimam ex Pontificalibus consecrationibus, esse Ordinationes Sacerdotum.

DEINDE, quod addit de historia Ecclesiastica, est expressum mendacium. Nam lib. 10. hist. Eusebij, can. 4. secundum Græcam fidem, fit aperta mentio vnctionis sacerdotalis. Item Simeon Metaphrastes in vita S. Ioannis Chrysostomi, quæ habetur tomo primò Surij, scribit eum inunctum fuisse, cùm Episcopus fieret Constantinopolitanus: & Petrus Chrysologus in sermone de S. Seuero, refert eum inunctum, cùm ordinaretur Episcopus Rauennæ.

TERTIÒ, quod scribit Kemnitius de Patribus, est etiam mendacium, Nam Pacianus Ambrosij æqualis, in epist. 3. ad Sympronianum: *Pscbi vestræ*, inquit, *vnde Spiritus, quam non consignat vnctus Sacerdos?* Item Gregorius, lib. 4. in libros Regum, can. 5, multa dicit de ista vnctione Sacerdotũ. Quibus addo, velit nolit Kemnitius, auctorem de operibus Cardinalibus Christi, in sermone de Christmate: etsi enim is auctor non est Cyprianus, est tamen auctor omnium consensu, antiquus & doctus.

QVARTÒ, mendacium est, in Ecclesia Græca non fuisse vsum vnctionis, vsque ad annum M. CC. Contrarium enim docent testimonia allata Dionysij, Eusebij, Metaphrastæ. Neque Innocentius iis repugnat, solùm enim reprehendit Græcos sui temporis, quòd hanc cæremoniam negligerent: neque dicit, antiquis eum ritum displicuisse. Illa enim verba: *Non iudaizat Ecclesia sicut antiqui mentiuntur, qui neque Scripturas, neque Dei nouere virtutem*, sine dubio corruptè loquuntur, & pro *(antiqui)* legendum est *(aliqui)* nec enim ita absolutè reprehenderet antiquos, præsertim cùm ipse ex antiquis suam sententiam probet.

DENIQVE quòd Caluinus & Kemnitius dicunt, Iudaismum esse, vti vnctione, sæpe à nobis refutatum est. Non enim est Iudaismus, vti rebus quibus vtebantur Iudæi, si id fiat cum alia forma verborum,& alio ritu, atque ad alium finem; alioqui etiam Iudaismus esset vti aqua in Baptismo, & pane in Eucharistia, cum etiam Iudæi habuerint aquas expiationis, & panes propositionis.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

LIBER VNICVS.

DE Sacramento Matrimonij septem Controuersiæ sunt. Prima, de genere, an sit Sacramentum nouæ legis. Secunda, de materia, forma & Ministro. Tertia, de vnitate Matrimonij. Quarta, de indissolubilitate, siue de diuortio. Quinta, de impedimentis. Sexta, de iudice caussarum Matrimonialium. Septima, de cæremoniis.

SCRIBVNT autem de Matrimonio aduersus hæreticos, Thomas VValdensis, tomo 2. cap. 130. & sequentibus. Ioan. Roffensis in defensione libri Regis Henrici VIII. Alphonsus à Castro, lib. 11. contra hæreses, verbo Nuptiæ. Ruardus Tapperus in explicatione articuli 18. 19. & 20. Louanienſium. Petrus à Soto, in institutione Sacerdotum, in lectionibus de Matrimonio. Dominicus à Soto, in 4. dist. 26. Hosius Cardinalis, in explicatione Symboli, cap. 55. & 56. Gulielmus Lindanus, lib. 4. Panopliæ, cap. 94. Ioan. Eckius in 4. tomo sermonum, à 69. sermone, vsque ad finem. Tilmannus in lib. de septem Sacramentis, cap. 6. Ioan. Gropperus in Enchiridio Christianæ institutionis, nomine Concilij Colonienſis edito. Franciscus Victoria in relectione de Matrimonio. Iauellus in lib. de Philosophia Christiana, parte 5.

CONTROVERSIA PRIMA.

Sitne Matrimonium Sacramentum propriè dictum.

CONtrouersiæ Primæ quinque partes erunt. Primùm enim explicandus erit status quæstionis, & errores hæreticorum in medium adferendi. Deinde, veritas ex diuinis literis asserenda. Tum confirmanda ex veterum Patrum traditione & testimonio. Postea rationibus variis, iisque non leuibus corroboranda. Postremò, aduersariorum obiecta breuiter diluenda.

CAPVT I.

De statu quæstionis, & erroribus hæreticorum.

QVOD igitur ad Primum attinet, cùm quærimus, sitne coniugium Sacramentum propriè dictum Testamenti noui, id quærimus, vtrum coniugium, præter ciuilem contractum viri, & fœminæ ad propagandam, & educandam prolem institutum, sit etiam signum, seu symbolum externum religionis, cui sit annexa promissio gratiæ iustificantis, idque ex diuina institutione. Nam in hac generali definitione ferè conueniunt omnes, tum Catholici, tum Hæretici. Certè Lutherani, & Caluinistæ, cum quibus potissimùm agimus, non negant Sacramenta esse nouæ legis propriè dicta, vbi tria illa inueniuntur, symbolum externum, promissio gratiæ, & mandatum, siue institutio diuina.

IAM verò permulti omnibus ferè seculis, aliquid horum trium in Matrimonio desiderari, & ea de caussa Matrimonium Sacramentum non esse censuerunt.

VETERES hæretici, Simon, Saturninus, Gnostici, Manichæi,& alij, Matrimonium à Deo non esse, proinde nec Sacramentum esse docuerunt. Simon Magus hæreticorum omnium princeps, turpitudinem introduxit indifferenter vtendi fœminis, sancto Augustino teste, lib. de hæresibus, cap. 1. Saturninus, Simonis discipulus, apertè asseruit, nubere,& liberos gignere, à Diabolo esse, teste Irenæo. lib. 1. ca. 22. Marcionem in eadem hæresi fuisse, vt nuptias illicitas esse crederet, testatur S. Hieronymus in 1. lib. contra Iouinianum.

TATIANVM S. Iustini quondã auditorem, eiusdem hæresis patronum facit Irenæus, lib. 1. cap. 30. atque inde Encratitæ orti sunt, de quibus vide Epiphanium hæresi 46.& Augustinum hæresi 25. vbi Augustinus, cùm dicit, Encratitas schismaticos Tatianistarum esse apud Epiphanium, respexisse videtur ad anacephaleosim eiusdem Epiphanij, vbi Encratitæ dicuntur, auulsio quædam à secta Tatiani. Fortasse addiderunt aliquid repugnans aliis dogmatibus Tatiani,& ideò schismatici dici potuerunt: nam alioqui & ipse Epiphanius loco notato, & Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Tatianum Encratitarum principem faciunt.

EANDEM hæresim tribuit Adamianis S. Augustinus hæres. 31. eandem Manichæis, hæres. 46. idem auctor. Eandem Eustathianis tribuit Socrates libr. 2. hist. cap. 33. Eandem Priscillianistis tribuit S. Leo epist. 91. ad Turbium. Eandem Apostolicis quibusdam, seu potiùs Apostaticis S. Bernardus serm. 66. in Cantica. Eandem denique tribuit Albigensibus S. Antoninus in summa Theologica, part. 4. tit. 11. cap. 2. § 5.

NOSTRI verò temporis hæretici non negant, Matrimonium esse licitum, & à Deo vero institutum, sed negant esse symbolum, cui sit annexa promissio gratiæ iustificantis, & ex hoc potissimùm capite, Sacramenti rationem illi conuenire non posse colligunt.

LVTHERVS in lib. de captiu. Babyl. c. de Matrimonio, contendit in Matrimonio neque signum à Deo institutum, neque gratiæ promissionem esse. Caluinus lib. 4. Instit. c. 19. §. 34. non magis Sacramenti rationem Matrimonio cõuenire affirmat, quàm agriculturæ, aut tonstrinæ, aut sutoriæ art. Philippus, in locis titul. de coniugio,& Kemnitius in 2. parte Exam. Trid. Concilij à pagi. 1204. vsq; ad finem, agnoscunt in Matrimonio Dei mandatum, & promissionem gratiæ, sed non gratiæ iustificantis, & reconciliantis hominem Deo;& ideò negant Sacramentum propriè dici posse Matrimonium eo modo, quo Baptismus,& Eucharistia Sacramenta dicuntur: fatentur tamen aliquo modo Sacramentum esse.

EX Catholicis vnus est Durandus, qui in 4. d. 26. q. 3. Matrimonium Sacramentum non nisi æquiuocè dici posse disputat, quem in suum patrocinium adducit Kemnitius, oblitus videlicet, omnes alios Theologos, ipso etiam teste Durando, contrarium docuisse.

IVITVR aduersus omnes prædictos errores, Concilium Tridentinum, sess. 24. can. 1. anathema dixit iis, qui negarent Matrimonium Sacramentum esse propriè dictum, aut à Christo institutum, aut gratiam conferre. Quam sententiam, vt verissimam esse non dubitamus, sic eam ex diuinis literis confirmare aggrediemur.

CAPVT II.

Matrimonium Sacramentum esse, probatur ex diuinis literis.

VT Matrimonium, veri nominis Sacramentum esse probemus, tria probanda erunt. Primò, Matrimonium à Deo esse institutum. Secundò, esse symbolum rei sacræ. Tertiò, habere promissionem gratiæ iustificantis.

ESSE autem à Deo Matrimonium institutum, duobus modis potest intelligi. Vno modo, vt intelligamus à Deo esse coniunctionem masculi,& fœminæ, vt ea refertur ad genus propagandum. Altero modo, eandem coniunctionem esse à Deo vt refertur ad rem aliquam sacram significandam, & homines, qui ita iunguntur, sanctificandos. Nam priore modo negabant Matrimonium esse à Deo, hæretici veteres, qui nuptias damnabant: posteriore modo negant Lutherani,& Caluinistæ Matrimoniũ esse à Deo, qui nuptias tamen non dãnant.

PRIORE modo nuptias esse bonas,& à Deo, tã est in diuinis literis euidens, vt mirum sit; vllos in hac re labi potuisse. Genes. 2. *Non est*, inquit Deus, *bonum hominem esse solum: faciamus illi adiutorium simile sibi.* In quem locum S. Augustinus, lib. 9. de Genesi ad literam, c. 7. scribens, rectè animaduertit, nulla in re alia esse viro necessarium fœminę adiutorium, nisi in procreatione,& educatione liberorum: si quidem in aliis rebus melius viri à viris, quàm à fœminis adiuuantur. Item verba illa, Gen. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrẽ, & adhærebit vxori suæ.* dicta quidem sunt ab Adamo, sed sine dubio, diuino spiritu illa ei verba dictante: nam Christus Mat. 19. tribuit hæc ipsa verba Deo. Itaque Adam nomine Dei, seu potiùs Deus per os Adami illa pronunciauit, ex quibus apertissimè Matrimonium approbatur.

RVRSVS, Matth. 19. Christus, *Quod Deus*, inquit, *coniunxit, homo non separet.* Nec alia de caussa, Io. 2. nuptiis interesse Dei Filius, eásque insigni miraculo ornare voluit, nisi vt indicaret, quod in eum locum S. Augustinus notauit, se feciſse nuptias. Apostolus quoque, 1. Corinth. 7. *Qui Matrimonio iungit virginem suam, bene facit.* & ibidem: *Si nupserit virgo, non peccauit.* & 1. Timoth. 4. notat hæreticos futuros, qui prohiberent nubere,& cap. 5. *Volo ego iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, &c.* & Hebræ. 13. *Honorabile connubium, &c.* Denique plenæ sunt Scripturæ non solùm testimoniis, sed etiam exemplis sanctissimorum virorum, qui nuptiis implicati Domino placuerunt.

ACCEDVNT Concilia vetera, vt Gangrense, cap. 1. & Bracarense I. canon. 11. quibus prædicta hæresis condemnatur.

POSTERIORE modo Matrimonium à Deo esse institutum, nimirum, vt signum rei sacræ, nonnulli laboriosè probare nituntur ex obscuris quibusdam Scripturæ locis, vt ex illo Mat. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* sed non est opus in hac re laborare. Nam si probemus, Matrimonium esse signum rei sacræ, cui sit annexa certa promissio gratiæ, sequetur inde necessariò à Deo institutum, etiamsi locum Scripturæ non habeamus, vbi expressa mentio fiat huius institutionis: neque enim potest vllus homo, vel Angelus eiusmodi signum instituere. Id quod ingenuè confitentur aduersarij, Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ, art. 13. Caluinus lib. 4. Inst. cap. 19. §. 2. & Kemnitius in 2 part. Examinis, Sacramenta Confirmationis, Ordinationis, & Vnctionis infirmorum à Deo instituta fuisse.

QVOD igitur ad Secundum attinet, Matrimonium signum esse rei sacræ, & proinde non ciuilem contractum solùm, sed etiam mysterium quoddam, & Sacramentum, probamus ex cap. 5. epist. ad Ephesios: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Vbi sunt tria breuiter obseruanda.

PRIMÒ ineptè Lutherum, & Caluinum loco citato, & Bezam in annot. ad hunc locum, scripsisse, Catholicos deceptos ex versione vulgati interpretis, qui rèddidit hoc loco, *Sacramentum*, cùm reddere debuisset, *Mysterium*. nam idem est Græcè Mysterium, & Sacramentum Latinè: neque potuit Apostolus, qui Græcè scripsit, Sacramentum nominare, nisi Græco vocabulo.

QVOD autem Catholici non ex sola voce, *Sacramentum*, hoc loco posita: Matrimonium Sacramentum propriè dictum esse collegerint, manifestissimè patet ex eo, quòd in multis aliis locis Testamenti veteris, & noui, habetur vox, *Sacramentum*, vt Tob.12. Dan.2. Col.1. 1.Tim.3. Apoc.1. & 17, & in hac ipsa epist. ad Ephe. c.1. & tamen ex nullo horum locorum nouum aliquod Sacramentum propriè dictum fabricati sumus. Et quidem hæc loca citant etiam aduersarij, vt doceant non debuisse Catholicos ex illa vna voce nouum dogma de Sacramentis constituere: sed planè pro nobis citant. Nam, vt dixi, vel hinc manifestissimè colligi potest, Catholicos non illa sola voce niti, cùm in tot aliis locis nullum Sacramentum propriè dictum inuenerint. Itaque ex hac voce sola non probamus, Matrimonium integram habere Sacramenti rationem, sed probamus tamen id, quod hoc loco probandum suscepimus, Matrimonium esse signum, seu symbolum aliquod sacrum, non autem contractum merè ciuilem, & naturalem.

SECVNDÒ considerandum est, cui rei accommodetur ab Apostolo illud: *Sacramentum magnum*, vtrum videlicet coniunctioni Christi, & Ecclesiæ, an coniugio humano viri, & fœminæ.

LVTHERVS, & Caluinus loco citato, & Erasmus, ac Beza in annot. ad hunc locum, contendunt ab Apostolo, magnum Sacramẽtum, siue arcanum, vocari coniunctionem Christi cum Ecclesia. Atque inde colligunt, Matrimonium hoc loco ne appellari quidem signum, siue symbolum: non enim Sacramentum hoc loco accipi volunt pro signo rei sacræ, sed pro ipsa re sacra, & arcana. Argumentum autem ipsorum non est aliud, nisi quia B. Paulus ait: *Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.* Et quia: *Nullum est mysterium* vt ait Erasmus, *si viro vxor iungatur; id enim quotidie fieri videmus.* Sed fallunturapertissimè, nam inprimis habent contra se omnes veteres huius loci interpretes.

COMMENTARIVS, qui Ambrosio tribuitur, sic habet: *Mysterij Sacramentum grande in vnitate viri ac fœminæ, esse significat.*

HIERONYMVS in cõmentario huius loci, loquens de coniugio Adami, & Euæ: *Idipsum*, inquit, *per allegoriam in Christo interpretatur, & in Ecclesia, vt adam Christum, & Eua præfiguraret Ecclesiam.* & paulò infrà adducit Gregorium Nazianzenum ita enarrãtem verba Pauli: *Scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit Sacramentis, & diuinum cor quærat interpretis, ego autem pro pusillitate sensus mei, in Christo interim illud, & in Ecclesia intelligendum puto.* Hæc ille, qui per locum plenum Sacramentis, intelligit verba Genesis, vbi describitur coniugium. Proinde magnum mysterium, de quo Paulus loquitur, in ipso coniugio ponit, quatenus Christi, & Ecclesiæ coniunctionem repræsentat.

CHRYSOSTOMVS hom.20. in epist. ad Ephesios, hunc locum exponens: *Et benè dixit*, inquit, *Magnum est hoc mysterium, ac si dixisset, Veruntamen allegoria ista dilectionem coniugalem non euertit.* Et mox: *Reuera*, inquit, *mysterium est, & magnum mysterium, relicto eo qui genuit, eo qui aluit, etiam ea quæ peperit, quæ miserè, & cum labore parturiuit, adhærere virum illi, quæ antea, neque visa sit; atque hanc omnibus præferre. Verè mysterium est. Et parentes etiam cùm ista fiunt, non offenduntur, &c.* Vides quàm apertè S. Ioannes Chrysostomus magnum mysterium in coniugio agnoscat, vbi nullum mysterium Erasmus videre potuit. In eandem sententiam loquuntur, Theophylactus, Oecumenius, & cæteri.

DENIQVE S. Augustinus eodem modo hunc locum exponit, lib.1. de nuptiis, & concupiscentia, & cap. 10. *Sacramentum*, inquit, *nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis: vnde dicit Apostolus: Viri diligite vxores vestras, &c.*

DEINDE ex ipso textu, aduersarij refelli possunt. Nam cùm Apostolus ait: *Sacramentum hoc magnum est*, illud pronomen, *Hoc*, referri debet necessariò ad id quod proximè præcessit: est enim demonstratiuum eius rei, de qua agitur. At proximè illud præcessit: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* Sententia igitur Pauli hæc esse debet, Sacramentum hoc, nimirum quòd relinquat homo patrem, & matrem, & adhæreat vxori, & sint duo in carne vna, magnum est, quia Christi, & Ecclesiæ coniugium repræsentat.

PRAETEREA idem colligitur ex argumento totius illius capitis. Apostolus enim hortatur coniuges ad mutuam beneuolentiam: & inter alia argumẽta hoc, vt potissimum, adducit, quòd ipsorum coniugium non sit res leuis, & contẽnenda, sed mysterium magnum includat, quod ad Christum, & Ecclesiam referatur. Quod si iuxta aduersarios, totum mysterium in Christo, & Ecclesia constituatur, ad Matrimonium autem nihil pertineat: tota Pauli argumentatio concidit, nec facilè apparebit, quorsum pertineat illa commemoratio coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, in extremo illo capite posita.

ADDE vltimò, quòd Paulus Græcè non dixit, ἐν χριστῷ καὶ ἐκκλησίᾳ, sed εἰς χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, id est, in Christum, & Ecclesiam. Quibus verbis apertè indicat, Christum, & Ecclesiam esse terminum, vt sic loquamur, illius mysterij, seu mystici signi, proinde mysterium esse in coniugio, sed terminari, ac referri mysterij huius significationem ad Christum, & Ecclesiam.

NEQVE argumenta aduersariorũ aliquid probant. Illud enim, *Ego autem dico*, significat, vt Hieronymus, Nazianzenus, & alij exponunt, Ego interpretor hoc mysterium coniugij, de Christo & Ecclesia.

Ad id verò, quod Erasmus obiiciebat, nullum esse mysterium, quòd vxori vir coniungatur. Respondeo, nullum quidem esse mysterium, quod vxori vir quomodocunque iungatur, cùm id etiam in meretricibus, & in ipsis etiam bestiis cernamus, sed quod vnus vni indissolubili vinculo ita iungatur, vt quouis occurrente incommodo, & etiam amissa spe prolis seiungi nequeant, sine magno mysterio esse non potest.

Sed obiicit Kẽnitius duo loca Augustini contra nostrã expositionem. Vnus est tract.9. in Io. vbi negat Augustinus, Sacramentũ, de quo Apostolus loquitur, esse in cõiugio viri, & fœminæ, & tantùm esse docet in Christo & Ecclesia: *Erunt*, inquit, *duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum est.* Et ne quis istam magnitudinem Sacramenti in singulis quibusq; hominibus, vxorem habentibus intelligeret: *Ego autem*, inquit, *dico in Christo, & in Ecclesia.*

ALTER locus est, id est, de nupt. & concup. c.21. vbi dicit: *Quod in Christo, & in Ecclesia est magnum Sacramentum, hoc est in singulis quibusque viris atque vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabile Sacramentum.*

RESPONDEO, S. Augustinus dupliciter accipit nomen Sacramẽti, cùm de Matrimonio agitur. Vno modo pro sacro, & indissolubili vinculo, quod tamen aliquando non tam Sacramentum, quàm rem Sacramenti vocat, vt lib.1. de nuptiis, & concup. cap.10. Alio modo Sacramentum accipit, pro signo sacræ coniunctionis. Priore modo dicit Sacramentum magnum esse in Christo, & in Ecclesia, minimum autem in hominibus coniugatis: quia nimirum singuli quique fideles coniugati, minimi sunt respectu Christi & Ecclesiæ, tametsi vinculũ tam inter Christum, & Ecclesiam, quàm inter homines coniugatos, non sit minimum, sed maximum, quia omnino insolubile. Posteriore modo accepit Augustinus Sacramentũ lib. de bono coniugali, c.18. vbi dicit, Sacramentũ singularium nuptiarum, significare subiectionem vnius Ecclesiæ ad vnum: & etiam li.1. de nuptiis, & concup. c. 10. vbi apertissimè dicit, Sacramentum nuptiarum commen

mendari fidelibus coniugatis ab Apostolo, ad Ephesios.

TERTIÒ explicandum est, vtrum hoc magnũ mysterium constituatur ab Apostolo in cõiugio Adami, & Euæ, an verò in aliis coniugiis. Hieronymus quidẽ videtur hunc locum intellexisse de coniugio Adami, & Euæ.

ET quanquam negari non potest, Adamum & Euam figuram gessisse Christi & Ecclesiæ, in eo quòd Eua de latere dormientis Adami formata est: tamẽ hoc loco Apostolus magnum Sacramentum non ad coniugiũ Adami, & Euæ, sed ad nuptias fidelium sine dubio refert. Nam inprimis, verba quæ ipse allegat ex Genesi: *Relinquet homo patrem, & matrem, &c.* de omni coniugio intelliguntur, non enim ait: Ego relinquam, sed indefinitè: *Relinquet homo.* Immò cõiugio primorum parentum ista verba accommodari non possunt: nõ enim relinquit Adam patrẽ, & matrẽ, vt vxori adhæreret suæ, cùm parentes nullos habuerit, ipse primus omniũ parẽs. Et præterea de futuris coniugiis loquitur, cùm dicat: *Relinquet*, non igitur de suo loquitur, quod iam nouerat factum.

DEINDE Christus Matth. 29. ex hoc eodem loco Geneseos concludit, Matrimonium non posse dissolui: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et certè non voluit Christus id docere, Matrimonium Adami, & Euæ non esse soluendum, quod antè multis annorum millibus per mortem dissolutum fuerat, sed coniugia indefinitè, & in genere, de quibus à Iudæis interrogatus fuerat, non debere dissolui.

AD hæc Apostolus in hoc cap.5. ad Ephes. cùm adferat in argumentum verba illa Geneseos, ad probandam generalem propositionem, debere viros diligere vxores suas: de omni coniugio ea verba interpretari voluisse censendus est. Quamuis autem ea verba de omni coniugio intelligi possint, tamen Apostolus non ponit in eo Sacramentum, nisi vt ad coniugium Christianorum refertur. Non enim ait, Sacramentum hoc magnum fuit, sed, *Est, in Christo, & in Ecclesia.*

QVARE S. Augustinus in libr. de bono coniugali, passim affirmat, Matrimonium non esse Sacramentum, nisi in Ecclesia: & S. Thomas in 4. distin. 26. q.2. art.2. dicit, in solo Testamento nouo, Matrimonium repræsentare coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. Quod idem docet Ruardus in explicatione art.18. & alij.

RESTAT nunc, vt Tertium, quod ad rationem Sacramenti requiritur, gratiæ videlicet promissionem, in coniugio ex diuinis literis ostendamus.

AC Primùm id colligitur ex hoc ipso cap.5. ad Ephes. Nam hoc loco non solùm docemur, Matrimonium esse signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ per naturæ conformitatem, sed etiam per spiritualem charitatem, qua Christus Ecclesiã diligit, & sanctè gubernat, & ipsa Ecclesia Christo adhæret per fidẽ, spem, & charitatem, eique per obedientiam subiicitur. Id autem verum esse dubitari non potest, tum, quia Christus per naturæ conformitatem non soli Ecclesiæ iungitur, sed toti humano generi: soli Ecclesiæ iungitur, vt sponsus sponsæ spirituali dilectione, & ideo necesse est vt coniugium hanc etiam spiritualem vnionem significet, quæ est inter Christum & Ecclesiam. Tum etiam, quia B. Paulus hanc vnionem spiritualẽ maximè vrget, cùm ait. *Ecclesia subiecta est Christo, &, Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, &c.* Non potest autem coniugiũ id significare, nisi inter virum & vxorẽ præter ciuilem contractum, sit etiã vnio spiritualis animorum; & ideo ibidẽ Apostolus non semel monet, vt viri vxores diligant, vt Christus Ecclesiam dilexit, & vxores viris obediant, vt Ecclesia obedit Christo. Quod si Deus virum, & fœminam coniungit ad hunc finem, vt spirituali sua vnione, vnionem spiritualem Christi & Ecclesiæ significent, sine dubio gratiam illis largitur, sine qua spiritualem illam vnionem non haberent.

ET confirmatur hoc ex aliis Scripturæ locis, 1.Tim. 2. *Saluabitur*, inquit, *per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* vbi notandum est illud: *Per filiorum generationem*, positum esse pro, in filiorum generatione. Non enim significare vult Apostolus, filiorum generationem esse causam salutis, sed mulierem in statu Matrimonij, siue in statu generandi filios, saluam fore si permanserit in fide, dilectione, & sanctificatione.

ET hinc tolluntur illæ quæstiones, quas quidã proponunt; Quomodo saluari poterũt virgines, aut steriles, si mulier saluatur per filiorũ generationẽ? frequentissima enim est in Scripturis illa phrasis per aliquid, pro in aliquo: vt Act.15. *Per omne Sabbathũ legitur Moses.* Act. 26. *Per omnes Synagogas eram puniens illos.* Rom.4. *Vt sit pater omnium credentium per præputium*; nõ enim præputium erat causa, cur Abrahã esset pater omnium, sed in præputio existens, pater factus est omnium per fidem.

SECVNDÒ notandũ est illud: *Si permanserit*, in Græcis codicibus, & aliquot etiam Latinis, esse in numero multitudinis: *Si permanserint*, & ideò nonnullos Patres retulisse verbum illud ad filios, non ad matres, vt sensus sit, Saluabitur mulier per filiorum generationem, si filii permanserint in fide, &c. Cæterùm multò probabilius est, vt referatur verbum ad matres, quod quidem rectè fieri potest, siue legamus: *Si permanserit*, vt legit Augustinus in Psal.83. & ex Augustino, Beda in hunc locum Apostoli, siue legamus: *Permanserint*, vt habet maior pars codicum. Nam, vt acutè viderunt & notarunt Sedulius & Primasius in hunc locum, Apostolus, sæpe transit de numero ad numerum, vt in hoc ipso capite: *Similiter, & mulieres in habitu ornato, &c.* & mox: *Mulier in silentio discat*, Et Galat.6. *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite, considerans teipsum, & tu tenteris.*

ITA igitur hoc loco sensus erit: *Saluabitur per filiorum generationem, si permanserint*, id est, si vnaquæque illarum permanserit, *in fide, &c.* Vel, vt non malè Caietanus exponit: *Si permanserint ipsa & vir eius.* Nam quod ad filios referatur, durissimũ est: quis enim credat Paulum velle salutem matris pendere à filiorum perseuerantia. Deinde educare filios, & instituere, magis ad patrem, quàm ad matrem pertinet: & tamẽ Apostolus hoc loco aliquid mulieribus proprium significare voluit, quo eas consolaretur, cùm eis loqui in Ecclesia prohibuisset. Adde quod Caluinus, & Beza in annotationibus ad hunc locum, admittunt, illud, *Si permanserit*, ad matrem, non ad filios pertinere.

HAC ergo explicatione, vt fundamento posita, videamus quid Apostolus à coniugatis fœminis requirat: *Si permanserit*, inquit, *in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* vbi quatuor bona enumerat Matrimonij Christiani, contra quatuor mala, quæ sine gratia Dei in Matrimonio euitari non possunt. Primum est malum, non seruare coniugi fidem. Secundum, odium & rixæ, quæ subinde inter coniuges oriuntur. Tertium, immunditia quædam & turpitudo ex rebellione membrorum. Quartum, intemperantia. His Paulus opponit fidem, dilectionem, sanctificationem, & sobrietatem, in quibus permanendum esse dicit, tanquam videlicet in ipsa Matrimonij celebratione acceptis.

ATQVE hinc 1.Cor.7. vocat donum Dei Matrimonium Apostolus, vt ipsam virginitatem: *Vnusquisque*, inquit, *donum suum habet ex Deo, vnus quidẽ sic, alius autem sic.* Et 1. Thessal.4. hortatur coniuges vt abstineant se à fornicatione, & vas suum possideant in sanctificatione, quam nimirum per Matrimonium antè acceperunt.

CAPVT III.

Matrimonium Sacramentum esse, probatur ex Patribus.

ACCEDANT nunc veterum Patrum testimonia, quæ mendacij manifesti arguant aduersarios.

Caluinus enim lib.4. Instit. c.19.§.34.scribit, neminem ante Gregorium vidisse Matrimonium pro Sacramento datum.Beza in annot.ad cap.5.ad Ephes.dicit nusquam Matrimonium appellari Sacramentum à Hieronymo, aut Augustino.Kemnitius in 2.par. Examinis, pag.1225. affirmat ante Augustini ætatem,ostendi non posse,Matrimonio attributam vel ipsam generalem Sacramenti appellationem. Sed hæc vel impudentissima mendacia sunt,vel insignis imperitiæ confessio est.

S. Leo I.S.Gregorium annis centum,& quinquaginta præcessit,& tamen in epist.92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum,cap.4.vocat Matrimonium Sacramentum,& mysterium:*Vnde*,inquit,*cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium,in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.*

S, Ioannes Chrysostomus , qui Augustinum ætate præcessit,hom.20.in epist.ad Ephes.vt suprà citauimus, Mysterium magnum esse affirmat,in coniugio insolubili viri, & fœminæ. Neque oportet à Chrysostomo vocabulum Sacramenti exigere, cùm Sacramenti vox Latina sit,& ille Græcè scripserit.

Ambrosivs, qui & Augustino , & Hieronymo antiquior est,præter locum suprà notatum ex comm. in c.5.ad Ephes.lib.1. de Abraham, c.7.loquens de eo, qui alterius nuptam ducere cupit in vxorem:*Qui sic egerit*, inquit, *peccat in Deum, cuius legem violat, gratiam soluit: & ideò quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* vbi docet, non posse Sacramentum cœleste inueniri,vbi contra Dei legem coniugium celebratur.

Siricivs Papa Ambrosij æqualis in epistо.1.cap. 4. non appellat quidem Matrimonium Sacramentum, sed quod est maioris momenti,scribit sacrilegium committi, cùm alter coniugum, viuente coniuge, ad aliud coniugium transit. At si Matrimonium contractus tantùm ciuilis esset, non etiam Sacramentum religionis, quo pacto, quæso, sacrilegium in eius violatione committeretur ?

Sic etiam Innocentius I.in epist.9. quæ est ad Probum, Matrimonium diuina gratia fundari asserit, dum celebratur.Cyrillus lib.2.in Ioan.cap.22.dicit,Christum sanctificasse coniugium, & gratiam nuptiis præparasse, vt aditus hominum in hanc vitam benediceretur.

Sed veniamus ad Augustinum, ac ostendamus ab Augustino, & nomen Sacramenti Matrimonio attributum,contra mendacium Caluini,& Bezæ,& Sacramenti rationem contra Kemnitij temeritatem.

Nomen igitur Sacramenti tribuit Augustinus Matrimonio,in his omnibus locis. In lib.9.de Genes.ad literam, cap.7.lib.de fide,& operibus, cap.7.lib.de bono coniugali, cap.7.8.15.17.18.24. & 25. lib. de sancta Virginitate, cap.12.libr.5.contra Iulianum,cap.9.libro 2.de peccato originali, cap.34.libr.1.de nuptiis, & concupiscentia,cap.10,17.& 21.

Quod autem ratio etiam Sacramenti tribuatur Matrimonio in his locis, probatur his argumentis. Primò,quia absolutè, & ordinariè Augustinus hac voce in disputatione de Matrimonio vtitur, nam quæ sunt Sacramenta impropriè, & largo quodam modo, non solent nisi rarò, & cum addito Sacramenta nominari. Exemplum esse potest in eo pane sanctificato,qui dabatur Catechumenis loco Eucharistiæ, nam eum panem vocat Augustinus Sacramentum libr.2. de peccatorum merit. & remiss.cap.26. Sed id semel tantùm fecit,& in eodem loco admonuit, eum panem non esse corpus Christi,& Catechumenis non sufficere ad salutem.

Secvndò,quia in plerisque horum locorum, Augustinus dicit Matrimonium non esse Sacramentum, nisi in Ecclesia,& per hoc distinguit Matrimoniũ Christianorum à Matrimoniis Gentilium.Lib.de bono coniugali,cap.18. *In nostrarum quippe nuptiis,plus valet sanctitas Sacramenti,quàm fœcunditas vteri.* Et can.24. *Bonum*,inquit,*nuptiarum, per omnes Gentes, atque omnes homines in caussa generandi est,& in fide castitatis : quod autem ad populum Dei pertinet,etiam in sanctitate Sacramenti.* Et libr.de fide, & operibus, cap.7.*In ciuitate*, inquit, *Domini,in monte sancto eius,hoc est,in Ecclesia, nuptiarum non solùm vinculum,sed etiam Sacramentum commendatur.* At Matrimonia Gentilium sunt vera, legitima, & largo modo Sacramenta. Nam & Innocentius capit.Gaudemus,de diuort.vocat Sacramentum,Matrimonium infidelium, & ipse etiam Kemnitius pag.1217. in fine,approbat sententiam Brentij,qui Matrimonium largo modo Sacramentum appellari posse existimat,quia est sanctum vitæ genus à Deo institutum, & commendatum. Ergo Augustinus,cùm distinguit Matrimonia fidelium à Matrimoniis infidelium , quòd illa Sacramenta sint, hæc non sint,de Sacramento propriè dicto agit, non de Sacramento largo modo sumpto.

Atque hinc etiam colliges, quàm procul absit ab Augustini sententia Ioannes Caluinus, qui Matrimonium cum agricultura, & sutoria arte, atque tonstrina comparauit,quia nihil sit aliud, nisi genus vitæ bonum, & à Deo institutum. Hac enim ratione nihil interesset inter Matrimonia fidelium,& infidelium.

Tertiò probatur,quia Augustinus non obiter dicit,Matrimonium Sacramentum esse:sed id assumit tanquam certum, ad probandum dogma Ecclesiasticum, quod videlicet Matrimonij vinculum sit prorsus insolubile,vt patet ex toto libro de bono coniugali. At certè hoc argumentum Augustini nihil valeret,si loqueretur de Sacramento largo modo accepto:de quo argumento in sequenti capite plura dicemus.

Qvartò probatur,quia S.Augustinus eodem modo loquitur de Matrimonio,& de Baptismo,cùm de Sacramenti ratione disputat.Nam lib.1.de nuptiis,& concupiscentia, cap.10,cùm dixisset, Sacramentum Matrimonij manere etiam in eis, qui re ipsa à se mutuò separantur, & alia coniugia ineunt. (Adhucenim primum vinculum viget, & ideo vterque mœchatur, quia non est illius coniunx, cui adhæret, sed illius, quem deserit) subiungit,idem accidere in Sacramento Baptismi,quod nunquam amitti potest , etiamsi quis amissa fide à Christo deficiat. Hæc certè comparatio manifestè declarat, Matrimonium Augustino verissimum Sacramentum fuisse.

Sed obiicit Kemnitius pag.1225. vnum locum Augustini, & libr.de bono coniugali,capit.18.vbi Augustinus scribit, nuptias Patriarcharum cum multis fœminis, Sacramentum fuisse coniunctionis Christi cum multitudine nationum totius mundi, quæ conuertuntur ad fidem : nuptias autem Christianorum cum vna tantùm vxore, Sacramentum esse vnitatis Ecclesiæ Christo subiectæ. Ex quo loco colligi videtur, Matrimonium apud Augustinum non fuisse Sacramentum, nisi largo modo, prout videlicet aliquid mysticè significat in Christo,& in Ecclesia.

Respondeo,non accipit Augustinus nomen Sacramenti eodem modo vbique : id quod vel ex ipso Kemnitio probare possumus. Nam pagina superiore, quæ est in 1224. docet Kemnitius, nuptias Christianorum apud Augustinum esse Sacramentum, quia significant coniunctionem Christi cum Ecclesia, & quia Sacramentum sunt, non pati vllo modo polygamiam plurium vxorum simul. Ergo cùm Augustinus dicit, polygamiam Patriarcharum fuisse Sacramentum, nõ accipit Sacramentum eodem modo,quo accipiebat,cùm idem nomen tribueret nuptiis Christianorum, quæ polygamiam non admittunt ex eo,quòd Sacramentum sunt.

Adde, quòd polygamiam Patriarcharum, Sacramentum Christi & Ecclesiæ fuisse,non nisi impropriè,& materialiter dici potest : non enim multæ nationes ad Christũ conuersæ,sunt multæ Ecclesiæ,aut multæ sponsæ , nisi materialiter & impropriè ; formaliter enim ac propriè,vna tantùm est Ecclesia,vna sponsa,vnum corpus. Quare Augustinus largo modo sacramentum accepit,cùm illud scripsit de Patrum veterum polygamia: longè autem aliter eum accepisse , cùm de Matrimonio Christianorum ageret, ex argumentis suprà allatis facilè perspici potest.

CAPVT IV.

Probatur ratione, Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum.

Veni o nunc ad rationes. Prima ratio ducitur ab insolubilitate Matrimonij , & Monogamia, quæ est ratio,qua passim vtitur S. Augustinus: Matrimonium Christianorum est vnius tãtùm cum vna, & omnino insolubile; igitur est sacramentum conferens gratiam,ac propriè dictum.Antecedẽs patet ex illo Marci 10. *Qui dimiserit vxorem suam,& aliam duxerit, adulterium committit, super eam* , & præterea ex aliis multis testimoniis,quæ infrà suo loco adferentur.Consequentia probatur:nam ex eo,quod est vnum,& insolubile,colliguntur duo.Primò esse signum sacrum. Secundò conferre gratiam : quæ duo sacramentum propriè dictum efficiunt.

Primvm apertè colligitur. Nam illa omnimoda insolubilitas in vnis nuptiis , non potest referri in caussam primariam,& certissimam,nisi in signum coniunctionis Christi cum Ecclesia,in quam caussam perpetuò Augustinus eam insolubilitatem refert, in lib.de bono coniugali.Nam si consideres Matrimonium vt officium naturæ ad propagãdam sobolem,ægrè potest reddi ratio,cur ob sterilitatem coniugis non liceat eam dimittere , aut aliam ducere. Si consideres, vt est in remedium contra fornicationem institutum , cur non poterit vxor perpetuo morbo laborans dimitti,aut cur non poterit alia duci ? Quare habet quidem Matrimonium ex iure naturæ quandam insolubilitatem, vt S.Thomas docet in 4.dist. 33.quæst.2.art.1. non tamen tantam:quin aliquando ratio dicter, expedire vt soluatur accedente præsertim dispensatione diuina. Cur igitur Matrimoniũ sit omnino insolubile,illa est potissima caussa,quia significat diuina institutione insolubilẽ cõiunctionẽ Christi & Ecclesiæ.

Et hinc est, quòd sapientes huius mundi licet à diuortio abhorrerent,tamen quia potissimã caussam ignorabant firmitatis vinculi coniugalis, certis de caussis cõiuges dimittebant,vel cõmutabant,vel plures ducebant, vt de Catone refert Augustinus lib. de bono coniugali, cap.18.& de fide,& operibus,cap.7. Quod idem de alio quodam refert Gellius lib.4.capit.3. qui vxorem, quam vnicè diligebat,tamen ob sterilitatem dimittendam putauit. Idem refert Hieronymus lib.1. in Iouinianum de Cicerone.Socratem constat duas simul habuisse vxores. Alia id genus exempla non pauca possent referri.

Denique ex Apostoli 1. Cor.7. constat Matrimonium legitimum,& consummatum,ante Baptismũ contractum,posse dissolui, nõ autem posse, si post Baptismũ contrahatur. Cuius certè nulla caussa reddi potest , nisi quia hoc sacramentum signum est indissolubilis coniunctionis Christi & Ecclesiæ : illud non erat,nam remoto sacramento,paria sunt coniugia fidelium,& infidelium. Habemus igitur Primum, quod ex insolubili illo vinculo colligi posse diximus.

Secvndvm autem inde colligimus,quòd ad insolubile vinculum tolerandum cum vna,gratia Dei necessaria est,& Deus in necessariis nũquam deest.Nam profectò res difficillima est , ita vni mulieri alligari , vt nulla de caussa,nec per vllam dispensationem possit vinculum solui, nec alia vxor superinduci,viuente prima.Quis autem credat, Deum rem tam difficilem instituisse, & non simul gratiæ auxilium ad eam superandam difficultatem contulisse?

Adde,quòd lex noua,quæ iugũ suaue, & onus leue dicitur,eõparata cum veteri, esset in hac parte longè durior veteri,nisi gratiam coniunctam Matrimoniũ haberet: siquidẽ Hebræis licebat multas simul vxores habere , & impunè etiam coniuges per libellum repudij dimittere.

Secvnda ratio sumitur à fine Matrimonij , qui est duplex, propagatio sobolis, & remedium contra peccatum fornicationis : nam vterque finis requirit in Matrimonio gratiam Dei.

Ac de Primo quidem fine , sciendum est , non pertinere ad Matrimoniũ solùm procreare liberos,sed etiam educare,& instituere:in hoc enim differt coniugium hominum à coniunctionibus belluarum, quæ propriè Matrimonia non dicuntur, cùm solùm procreare , & alere, non autẽ instituere proles,ad bestias pertineat.Sed præter officium instituendi liberos , iuxta regulas rationis, quod est commune omnibus gentibus , ad Christianos coniuges pertinet,filios instituere in fide,& religione,& dare omnem operam,vt Ecclesiæ Catholicæ vera,& viua mẽbra efficiantur.Et hoc patet,tum quia ad hoc coniunguntur Ecclesiæ filij,vt Ecclesiam ipsam augeant,& conseruent; tum etiam, quia hoc requirit similitudo inter Christum & Ecclesiam ex vna parte,& viri ac fœminæ coniunctio ex altera. Christus enim & Ecclesia semper filios spirituales per Baptismum gignunt,per Eucharistiam nutriũt,per Confirmationem roborant.&c. Itaque obligantur coniuges Christiani ex ipso coniugio ad officia diuina:nunquam autem committuntur à Deo officia,quæ naturam superant,nisi etiam simul gratia detur,per quam illa officia exerceantur,vt oportet.

Qvod verò attinet ad Alterum finem, rectè dicunt Theologi,solum coniugiũ sine gratia Dei non esse sufficiens remedium contra fornicationem,tum quia concupiscentia ex actu coniugali accenditur potiùs quàm extinguitur,tum quia sæpissimè accidit, vt ob morbum, vel absentiam coniugis, cogantur ad longum tempus se continere : quod quidem difficilius coniugatis esse solet , quàm in perpetuo cœlibatu virginibus viuere. Pertinuit igitur ad auctorem diuinæ legis , vt remedium perfectum , & omni ex parte sufficiens Ecclesiæ filiis prouideret.

Tertia sumitur à ritu, & cæremoniis. Nam iam inde ab exordio Ecclesiæ , Matrimonium inter res sacras habitum esse constat,& inter sacrorum solennia per Sacerdotum ministerium celebrari solitum. At certè si esset contractus humanus tantùm , quales sunt contractus venditionum, & locationum humanarum, vel politicum vitæ genus , qualia sunt , vt Caluinus loquitur, agricultura, tonstrina, ars sutoria, & cæmentaria, nunquam sancti Patres cum rebus sanctissimis Matrimonium coniunxissent.

Tertvllianvs in 2.libro ad vxorem;vt ostendat,quantum interfit inter coniugium,quod in Ecclesia, & coniugium,quod apud Ethnicos celebratur:*Vnde sufficiam*,inquit, *ad felicitatem eius Matrimonij enarrandam quod Ecclesia conciliat , & confirmat Oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant,pater ratò habet*,Ambrosius epist. 70.ad Vigilium:*Nam*,inquit, *cùm coniugium velamine sacerdotali,& benedictione sanctificari oporteat,quomodo potest coniugium dici,vbi non est fidei concordia?* Plura de hoc ritu infrà suo loco adferemus.

Qvarta ratio ducitur à consensu totius Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, ab annis saltem quingentis. Nam à tempore Magistri sententiarum omnes Theologi summo consensu docuerunt , septem esse nouæ legis sacra-

menta, in eis semper Matrimonium annumerarunt. Vide Doctores in 4.dist.26.

LVCIVS III. qui ante annos CD. sedit in Concilio multorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, & aliorum Prælatorum,ac Principum Veronę habito, anathema dixit iis, qui de Sacramento Corporis Domini, de Baptismo,de Matrimonio,de Confessione peccatorum, aliisque Ecclesię Sacramẽtis aliter sentirent,quàm Romanæ Ecclesię fides habeat:vbi videmus Matrimonium numerari inter ea sacramenta, quę propriè nouæ legis sacramenta dicũtur,& sunt.Habetur hoc decretum Lucij cap.Ad abolendam.de Hæreticis.

Concilium Florentinum, Græcis & Latinis consentiẽtibus instructionem Armenis dedit,in qua Matrimonium cum Baptismo,& Eucharistia, aliisque nouæ legis Sacramentis annumerauit.

A ne fortè aliquis crederet, Græcos ab ea fide, & confessione postea recessisse,commodè accidit,vt paucis antè annis,id est,anno Domini M.D.LXXVI.Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, nomine suo & reliquorum Græciæ Præsulum, censuram ederet ad confessionem Augustanam Lutheranorum,in qua Censura cap.7. legimus. Matrimonium diuinum sacramentum esse, atque vnum ex illis septem, quæ Christus,& Apostoli Ecclesiæ tradiderunt, vbi etiam allegatur cap.5. ad Ephes.:

Ex quo testimonio duo quædam obiter colligi possunt,contra mendacia aduersariorum.Primum,si Græci, qui à Romani Pontificis obedientia longo iam tempore recesserunt, Matrimonium inter sacramenta numerant; non igitur est hoc dogma proprium Pontificiorũ.Deinde si Græci qui Apostolum non nisi Græcè legunt, ex capit.5.ad Ephes.sacramentum Matrimonij collegerunt; non igitur Latini ex ignorantia Græcæ linguæ,vel ex sola vocula *sacramentum*,in editione vulgata Latina reperta,sacramentum Matrimonij fabricati sunt,vt Lutherus, Caluinus,Beza,Kemnitius mentiuntur.

PORRÒ hic tantus Ecclesiarum consensus, piis ac modestis Christianis sufficere omnino deberet, etiamsi argumentum præterea nullũ haberemus. Nam in Scripturarum & Patrum explicatione facilè labi possumus: at quod Ecclesia nunquam deficiat,quódque errare nequeat, tam apertè, tam luculenter, tam disertè ab ipso Christo,& ab eius Apostolo dictum est,vt nihil apertiùs nihil clariùs,nihil expressiùs dici possit.

Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Matth.16. *Ecclesia Dei viui est columna, & firmamentum veritatis*,1.Tim.3.

Scripturarum,inquit Augustinus.lib.1.contra Crescon.cap.23.*à nobis tenetur veritas,cùm hoc facimus,quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ,quam ipsa Scripturarum commendat auctoritas:vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest,quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis,eãdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

CAPVT V.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

SED iam aduersariorum argumenta diluamus.

PRIMVM argumentum est Lutheri in li.de captiuit.Babylon. cap. de Matrimonio, & Caluini lib.4.Instit.c.19.§.34.*Nusquam legitur,aliquid gratiæ Dei accepturum, quisquis vxorem duxerit, quin nec signum diuinitus est institutum in Matrimonio. Accedit præterea, quòd etiamsi signum esse possit coniugium humanum,coniũctionis Christi cum Ecclesia, non tamen inde Sacramentum aliquod colligi potest. Nam etiam cœli,qui enarrant gloriam Dei,significant Apostolos,& sol Christum designat,& stella a stella differens in claritate,signum est Apostolo resurrectionis mortuorum:denique in Euãgelio plurima signa regni cælorum in parabolis Domini inueniuntur:significatur enim regnum cælorum per semen,per granum sinapis,per fermentum,&c.& tamen nulla colliguntur ex tot signis Sacramenta propriè dicta.*

RESPONDEO Primò,falsum Lutherus assumit, vt suprà ex Scripturis, & Patribus demonstraui. Secundò,non est argumentum solidum ab auctoritate negatiua sacræ Scripturæ, cùm satis iam Catholici probauerint,multa esse tradita ab Apostolis, quæ non sunt literis sacris mandata.

ADDE, quòd Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ art.13.& Kemnitius in 1.parte Examinis pagina 1219. agnouerunt, hoc Lutheri argumentum nihil valere. Et ideò admisit Philippus,habere Matrimonium promissionem aliquam gratiæ. Kemnitius autem & signum externum,& gratiæ promissionem admisit, licet aliunde nolint Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum.

AD illam confirmationem dico, non ex quolibet signo Sacramentum colligi,sed tantùm ex signo à Deo instituto, & cui sit annexa gratia. Quæ omnia inueniuntur in Matrimonio:est enim signum coniũctionis Christi cum Ecclesia,ad hoc planè institutum,vt ostendimus ex insolubilitate eius;& præterea habet annexam gratiã, vt antea docuimus. At illa signa,quæ Lutherus & Caluinus proferunt,neque gratiam annexam habent,nec sunt propriè à Deo instituta : non enim Deus creauit cœlos, vt Apostolos significarent, sed ex naturali eorum proprietate ducit Scriptura similitudinẽ, ad officium Apostolorum explicandum. Et idem de omnibus aliis similibus intelligendum est.

SECVNDVM argumentum Lutheri : *Matrimonium fuit ab initio mundi, & adhuc permanet etiam apud infideles,nec minùs verum, & sanctum est apud illos, quàm apud nos:& contrà inueniuntur apud fideles impij coniuges, quibusuis Gentilibus peiores. At apud infideles Matrimonium non est Sacramentum,Ergo nec apud fideles : vel si est apud eos Sacramentum;Ergo non est Sacramẽtum nouæ legis proprium.* Idem argumentum faciunt Philippus & Kemnitius loco notato.

RESPONDEO,non desunt Catholici,qui admittãt, Matrimonium non esse Sacramentum proprium nouæ legis, sed fuisse in lege veteri etiam apud Iudæos, & à Christo non tam institutum,quàm confirmatũ.Ita enim docet Alphonsus à Castro libro 11. contra hæreses, verbo,Nuptiæ, hæresi 3.& Petrus à Soto, lect.2. de Matrimonio,& alij quidã, quorũ rationes sunt præcipuè tres. Prima, quia Apostolus ad Ephes.5. de coniugio Adami & Euæ,dicit:*Sacramentum hoc magnum est,&c.*Secunda, quia Genes.1. Deus benedixit coniugio Adami & Euæ: ex quo videtur gratiã signo adiunxisse. Tertia,quia Leo epist.92.ad Rusticum,dicit nuptias ab initio sic institutas,vt haberent in se Christi:& Ecclesiæ sacramentum.

SED profectò non video, quemadmodum id tutò defendi possit. Nam Concilium Florentinum, numerat Matrimonium inter sacramenta nouæ legis,& distinguit sacramenta legis veteris à sacramentis legis nouæ;quòd illa non conferrent gratiam, ista conferant gratiam. Et Concilium Tridentinũ sess.24.can.1. disertis verbis tradit, sacramentum Matrimonij à Christo in noua lege institutum : & in ipso decreto,quod canones antecedit, Concilium docet, Matrimonia Christianorum, gratia præstare connubiis veterum.

QVÆ etiam sententia fuit veterum Theologorum: nam sanctus Thomas in 4.distinct.26.quæst.2. art.2.& 3.scribit Matrimonium institutum fuisse in officium naturæ,in statu innocentiæ; deinde in statu naturę corruptæ, fuisse illi additum,vt esset in remedium, & tandem in lege noua, à Christo institutum fuisse in sacramentum. Sanctus etiam Bonauentura in 4.distinct.26.art.2.

quæst.

quæst.2. docet Matrimonium in lege noua tantùm habere annexam veram gratiam.Ex quo intelligimus,eundem auctorem, cùm suprà asseruit.Sacramentum fuisse Matrimonium in statu innocentiæ, non esse loquutum de Sacramento,quale nunc est. Scotus præterea,eadem dist.26.quæst. vnica, conclusione 4. apertissimis verbis docet,Matrimoniũ non fuisse Sacramentum ante Christi aduentum, sed nunc demum in lege noua à Christo institutum. Quod idem ex recentioribus docent,Ruardus in explicatione articuli 18.Louanienſium,& Dominicus à Soto,in 4.distinctione 26.quæstione.2.artic.2.& alij permulti.

ET Denique accedit manifesta ratio.Nam si Matrimonium sacramentum fuisset ante Christi aduentum, vel fuisset institutum in statu innocentiæ,vel postea:non in statu innocentię. quia tunc nulla fuit necessitas gratiæ sacramentalis, cùm nulla esset concupiscentia, vel difficultas : neque vllo remedio contra peccatum opus esset.In statu autem naturæ corruptæ, non legitur vlla institutio Matrimonij facta, in toto veteri Testamento, sed tantùm restrictio quædam,quoad personas contrahentes,Leuitici 18.

PRÆTEREA in Testamento veteri, permissione Dei licita erant polygamia & repudium ; quæ duo pugnant cum ratione signi,& ideò tunc ne signum quidem erat Matrimonium, neque erat eo tempore gratia tam necessaria in Matrimonio, quàm nostro tẽpore est:cùm facilè potuerint homines illius temporis, vel multitudine vxorum,vel libello repudij occurrere illis difficultatibus,ob quas nostro tempore gratiã requiri docuimus. Et quamuis eo tempore tenerentur Hebræi instituere filios in fide,& religione Dei:tamẽ hic finis erat extrinsecus Matrimonio illorũ,intrinsecus autẽ est Matrimonio Christianorũ.De qua re vide Ruardũ loco notato.

NEQVE tria illa argumẽta conuincunt.Nam ad Primum iam antè respondimus, Apostolum Paulum eo loco nomen sacramenti non tribuere coniugio primorum parentum, sed nuptiis fidelium. Deinde etiamsi coniugium Adami,& Euæ significasset,coniunctionem Christi & Ecclesiæ,vt reuera per modum figurę significauit: tamen non potuit dici sacramentũ propriè dictũ, qualia sunt nostra sacramenta,quia defuit illi promissio gratiæ.

AD Secundum respondeo,benedictionem illã fuisse corporalem,non spiritualem:inde enim fœcunditas corporibus, non auxilium gratiæ spiritibus attributa est. Quod rectè probat Augustinus lib. 13. Confessionum, cap.24. ex eo, quòd eadem benedictio data legitur piscibus,& auibus.

AD tertium dico S. Leonem non dixisse, ab initio mundi nuptias habuisse Christi & Ecclesiæ sacramentũ; sed ab initio suæ institutionis:quod rectè intelligi potest de noua institutione per Christum. Deinde si Leo dixisset ab initio mundi,id etiam esset verum, quia coniugiũ primum,quod Adami & Euæ fuit, incarnationẽ Dominicam repræsentauit : sed non ideo coniugium illud, & multò minùs cætera,sacramenta propriè dicta fuerunt.

HIS explicatis, ad argumentum respondeo, Matrimonium fuisse ab initio mundi,& nunc etiam esse apud infideles,vt contractum ciuilem, & in officium naturæ, sed non fuisse, nec esse verum sacramentum, nisi apud Christianos, vt Augustinus disertis verbis docet, libro de fide,& operibus,cap 7.& de bono coniugali,cap.24. Quare falsum est,quod Lutherus assumit, Matrimoniũ esse æquè sanctum apud infideles, & fideles:nam Augustinus locis notatis, apertissimè scribit Matrimoniis infidelium deesse sacramẽti sanctitatem, quæ Matrimoniis fidelium minimè deest.

AD illud,quod addebat Lutherus, coniuges impios, & omnibus Gentilibus peiores inueniri apud fideles;respondeo, non pollui Sacramenti sanctitatem per malos mores eorum, qui sacramenta percipiunt, nam alioqui etiam Baptismum, & Eucharistiam sacramenta esse negaremus:multi enim, qui ista sacramenta percipiunt,sæpenumero ipsis Ethnicis sunt peiores. Adde, quòd si apud fideles aliqui sunt coniuges impij, multi tamen pij, & sancti sunt:apud Gẽtes autem omnes sunt impij, nullus sanctus.

TERTIVM argumentum est Caluini,lib.4.cap.19.§. 34. *Non satis est,Matrimonium esse à Deo, vt Sacramentum cẽseri possit,nam etiam agricultura,& ars futoria est à Deo, nec tamen est Sacramentum:sed requiritur,vt sit cæremonia exterior à Deo posita,ad confirmandam promissionem.Nihil tale esse in Matrimonio,pueri quoque indicabunt.*

RESPONDEO, de propositione huius argumenti multa disputauimus in 1.lib. de sacramẽtis in genere,vbi ostendimus,sacramentum non esse institutum ad confirmandam promissionem;sed ad significandam,& conferendam gratiam.Sed etiamsi propositio esset vera, nihil concluderet argumentum,quia falsa est assumptio. Ipsa enim externa,& visibilis coniũctio viri,& fœminæ,quæ per solennia verba coram Ecclesia fieri solet, cæremonia externa est,atque à Deo instituta,& ex ea confirmari potest promissio illa diuina, quòd Ecclesiã suã Christus nunquã omnino sit desertarus:id enim per Matrimoniũ significari,ex Paulo demonstrauimus ad Ephes.5.

NEQVE obstat, quòd coniunctio illa viri & fœminæ,sit res naturalis, & vsitata etiam apud Ethnicos: nam res etiam naturales si ad aliquid significandum referantur,cæremoniæ dici possunt. Manducare panem,& vinum bibere,res naturalis est, & apud omnes homines vsitata:& tamen ipsi etiam Caluinistæ in sua Cœna sancta,quam vocant,cùm panem manducant,& vinum bibunt, cæremoniam externam se exercere non malè arbitrantur,quia manducant,& bibunt,vt Christi mortem repræsentent:& eodẽ modo tum nos,tum illi, cùm baptizamus,aqua corpus abluimus,quod vsitatum est vulgò apud omnes,& tamen sacram cæremoniã verè exercemus, quia ablutionem illam externam, ad internam ablutionem significandam referimus.

QVARTVM argumentum est eiusdem Caluini ibidem §.36.& Kemnitij in 2. parte Examinis pagina 1207. *Pontificij Matrimonium immũditiem,& pollutionẽ,& carnales sordes appellant,ergo secum ipsi pugnant,cùm Matrimonium Sacramentum esse volunt : neque enim Sacramẽtũ immundities,& pollutio,ac sordes dici potest.* Antecedens Caluinus non probat : notat quidem ad marginem loca quædam Magistri sententiarum,& Gratiani, sed in nullo eorum locorum inuenire potui aliquid,quod ad rem faceret. Kemnitius autem probat ex epistola Siricij Papæ ad Himerium Tarraconẽsem, vbi verba illa:*Qui in carne sunt,Deo placere non possunt*,ad coniugium accommodari videntur,quasi illi in carne sint,& Deo placere non possint,qui nuptiis copulantur. Ibidem etiam Sacerdotibus nuptiæ interdicuntur,ob illa verba Scripturæ,quæ propriè ad Sacerdotes pertinent:*Sancti estote,quoniã ego sanctus sum,&c.,Mundamini,qui fertis vasa Domini.* Atque hæc est epistola,quam solet citare Caluinus,quando Catholicis obiicit, quod Matrimonium vt pollutionẽ reiiciant,vt videre est lib.4.Institutionum,cap.12.§.24.

RESPONDEO primùm, argumentum hoc totum mendacio & calumnia nitimusquam enim Catholici legitimum Matrimonium,pollutionem aut immunditiem vocant. Siricius enim antiquissimus, & sapientissimus Pontifex,non coniugia damnat,sed sacrilegia, quæ falsò à Lutheranis coniugia nominantur. Reprehendit enim cap.6.& 7.Monachos,& Sacerdotes,qui illicitis nuptiis implicari volebant,quibus ex Apostolica doctrina coniugia interdicta esse noscuntur,ac de his dicit:*Qui in carne sunt,Deo placere non possunt.*Sacerdotes enim in carne esse,id est, carnaliter viuere conuincuntur,cùm ad con-

iugia sibi interdicta aspirant. Capite autem 5. vbi nomen pollutionis habetur, reprehendit eos, qui post actã pœnitentiam, ad pristinas sordes redeunt. Nemo autem agit pœnitentiam, quod legitimè nupserit, vel vxorem duxerit; quare id sequitur, vt illicitum aliquod Matrimonium reprehenderit.

ADDE, quòd si in actu Matrimonij turpitudinem, & immunditiem aliquam esse diceremus ratione concupiscẽtiæ, & rebellionis membrorum, nihil diceremus diuinis literis repugnãs. Nam 1. Reg. 21. interrogauit Sacerdos à Dauide petente panes propositionis. *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* & respondit Dauid: *Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudiustertius.* Ex quo loco rectè probat S. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum, actum carnalem etiam in coniugatis, immunditiem dici posse. Et Apocal. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt,* quo loco coinquinatio vocatur omnis actus, quo perit virginitas: per Matrimonium autem virginitatem perire, negari non potest.

DENIQVE, si nihil turpe in actu coniugij est, cur homines erubescunt, neque coram aliis eum actum exercere audent? & cur Leuit. 18. & 20. perpetuò instrumenta eius actus, turpitudinis vocabulo appellantur? Quare propter huiusmodi inquinationẽ, de qua loquitur Apocalypsis: & immunditiem, de qua Achimelech in libris Regum; & turpitudinẽ, de qua Moses in Leuitico; rectè dici potest sacerdotibus: *Mundamini qui fertis vasa Domini.*

PRÆTEREA 1. Corint. 7. Apostolus virginem conferens cũ coniugata, dicit: *Virgo cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore & spiritu.* Placet igitur virgo Deo aliquo modo, quo non placet coniugata; & sancta est virgo corpore & spiritu, aliquo modo, quo sancta non est coniugata: quamobrem non malè dici posset de coniugatis: *Qui in carne sunt, Deo placere nõ possunt,* id est, qui carnalibus curis ob nuptias sunt implicati, cogitant quæ mundi sunt, quomodo placeant vxori, & ideo Deo placere non possunt eo gradu, quo placere potest virgo. Et ad eundem modum Sacerdoti, ob cœlibatum rectè accommodatur illud: *Sancti estote,* nimirum corpore, & spiritu, quo modo coniugati sancti esse non possunt, licet ipsi etiam suo modo sancti sint.

QVINTVM argumentum est eorundem Caluini & Kemnitij in locis iisdem: *Si Matrimonium esset Sacramentum, certè non pugnaret cum aliis Sacramentis. At Pontificij docent, non posse ordinis Sacramentum cum Matrimonio simul consistere, igitur vel Matrimonium non est Sacramentum, vel ipsi secum Pontificij pugnant.*

RESPONDEO non arcentur Sacerdotes à Matrimonio propter Sacramentum, quod in Matrimonio est, sed propter impedimenta, & seculares curas, quæ necessariò Matrimonium consequuntur. Siquidem qui vxores duxerunt & ex consensu mutuo continentiam perpetuam profitentur, sacris ordinibus initiari possunt, & tamen simul, & veri coniuges (nec enim per votum continentiæ vinculum soluitur, aut sacramentum perit) & sacerdotes sunt: quare non pugnant sacramenta inter se. Esse autem in Matrimonio, quando liberis opera datur, multa, quæ animum à rebus diuinis necessariò auocent, Apostolus docet 1. Corinth. 7. *Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuisus est.* & ibidem hortatur coniuges, vt saltẽ ad tempus ex consensu ab actu coniugij se abstineant, vt vacent orationi. Itaque non propter sacramenti sanctitatem, sed propter eiusmodi impedimenta Sacerdotibus Matrimonium interdicitur.

SED contra solutionem Caluinus aliud argumentũ profert. Est igitur Sextum argumentum: *Coitus pars sacramenti est, nec sine eo Matrimonium sacramentum est, vt habet Magister lib. 4 sententiarum, dist. 26. & Gratianus 27. quæst. 2. can. Non est dubium, & can. Cùm societas: nam per eum figuratur coniunctio Christi cum Ecclesia, per naturæ conformitatem, dum scilicet efficiuntur cõiuges vna caro. Ergo si à sacramento non arcentur sacerdotes, non solùm à vinculo, sed nec ab ipso coitu debent arceri: aut certè quod vnum superest, Matrimonium sacramentum non erit.*

ADDIT ad idem comprobãdum Caluinus hoc acutissimum, scilicet, argumentum: *In sacramento,* inquit, *cõferri gratiam Spiritu sancti affirmant: coitum tradunt esse sacramentum: in coitu negant vnquam Spiritum sanctum adesse.* Quam vltimam propositionem ex Gratiano probat, can. Connubia 32. quæst. 2.

RESPONDEO de copula coniugali duæ sunt opiniones Catholicorum. Quidam enim docent, copulam illam neque sacramentum, neque partem sacramenti esse, sed actum solum, siue officium Matrimonij, proinde quid accidentarium esse respectu sacramenti Matrimonij. Alij volunt, copulam coniugalem esse partem quandam sacramenti, non quidem essentialem, sed integralem, & ideò ante copulam appellari ratum, sed non consummatum.

OMNES tamen in eo conueniunt, vt copula non sit pars essentialis; & propterea sacramentum Matrimonij totum, ac plenum, quantum ad partes essentiales, inueniatur in contractu per verba de præsenti: quæ sententia est etiam veterum Patrum, vt ex apertissimis eorum testimoniis perspicuum est.

AMBROSIVS libro de Institutione virginis, cap. 6. *Non defloratio,* inquit, *virginitatis, facit coniugiũ, sed pactio coniugalis.* Vide eundem lib. 2. in Lucam, cap. 2. Idem habet Augustinus lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, ca. 11. & lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 1. vbi docet, inter B. Virginem Mariam, & S. Ioseph, verum coniugiũ sine vlla carnali copula fuisse. Ad idem propositum alia quædam adducit ex Chrysostomo, Isidoro, Nicolao Papa, & aliis, Gratianus 27. quæst. 2.

VBI tamen obseruandum est, in eadem quæstione allegari in contrariam sententiam Augustinum, & Leonem, can. Non est dubium, & canon. Cùm societas. Sed vterque locus sumptus est ex epistola Leonis 92 ad Rusticum Narbonensem, & deprauatè allegatur. Nam illa verba Leonis: *Cùm societas nuptiarum sic ab initio constituta sit, vt præter sexuum commixtionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum.* Gratianus addita negatione, ita legit: *Cùm societas nuptiarum sic ab initio cõstituta sit, vt præter sexuum commixtionem non haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum,* sed emendãdus est gratiani codex ex ipsa Leonis epistola. Eodem modo emendandus est textus magistri lib. 4. dist. 26. vbi eadem loca, cum eadem deprauatione habentur.

ESSE autem veriorem lectionem, quæ caret negatione, patet; tum quia ita habent omnes codices S. Leonis, tum etiã quia illa negatio repugnat sententiæ S. Leonis. Ille enim docere intendit, concubinam non esse veram vxorem: vt autẽ hoc probet, non est opus, vt ostendat ad Matrimonium requiri commixtionem sexuum; illa enim cõmixtio in concubinatu non deest: sed ostendere debet, quod etiam facit, Matrimonium non tam in copula carnali consistere, quàm in fœdere nuptiali, in quo est sacramentum Christi & Ecclesiæ.

HIS præmissis, ad argumentum Caluini respondeo, duo falsa ab ipso affirmari. Primò coitum sacramentum esse, vel talem sacramenti partem, vt sine eo Sacramentum esse non possit: id enim falsum esse, testantur suprà citati Patres. Neque obstat, quòd per copulam significetur coniunctio Christi cum Ecclesia, per naturæ conformitatem: nam non illa sola significatio sacramentum facit, sed etiam significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia, vel cum quauis anima, per amorem spiritualem. Quocirca si desit copula, significatio quædam

deerit;

deerit: non tamen omnis significatio, & ideo coniugium illud Sacramentum quidem erit, sed aliqua ex parte imperfectum, & non consummatum.

AD illa loca Magistri, & Gratiani, quæ Caluinus allegat, iam est responsum; loca esse corrupta: vnde etiam Magister, & Gratianus laborant in eorum explicatione. Sed nulla est difficultas, si Leonis epistola consulatur.

SECVNDÒ falsò Caluinus assumit, Sacerdotem nõ arceri à Sacramento Matrimonij, ex Catholicorum doctorum sententia, sed solùm à coitu. Arcẽtur enim planè Sacerdotes non à coitu tantùm, sed etiam à sacramento Matrimonij, non quidem ratione sacramenti, vt suprà diximus, sed ratione eorum, quæ sacramẽto annexa sunt. Neque est absurdum, eos, qui vnum sacramentum habent, arceri ab alio, licet vtrumque sanctum, & Deo gratum sit, quando vnius ministerium alterius functionem impedit. Nam & Apostoli Act. 6. reiecerunt à se munus ministrandi mensis, vt verbo Dei, & orationi diligentiùs instare possent: & tamen vtrumque opus piũ, & charitatis erat. Et 1. Tim. 5. reprehenduntur viduæ, quę ad ministerium Ecclesiæ assumptæ, nubere volebant: quia nimirum non facilè poterant nuptiis simul, & ministerio Ecclesiæ satisfacere.

AD confirmationem respondeo, in ea quoque duo esse vitia. Primum est, in illa propositione: *Coitum tradit Sacramentum esse.* nullus enim Catholicorũ, quod sciam, hoc tradit; sed, vt antea docui, aliqui id simpliciter negant, aliqui solùm admittunt esse partem quandam integrantem Sacramenti. Vno duntaxat casu excepto, quando videlicet post spõsalia per verba de futuro, subsequatur copula coniugalis, affectu maritali, illa enim copula tenet eo tempore vicem verborum, consensum mutuum exprimentium, & ideò ad formam Matrimonij pertinet.

EX qua sententia non sequitur, quod Caluinus sequi existimat, in coitu debere ordinariè sacramentalem gratiam dari: gratia siquidem ex Catholicorum sententia tunc datur, cùm coniuges per verba de præsenti Matrimonium contrahunt, tunc enim sacramentum, quod attinet ad eius essentiam, proprièministratur. In illo autem casu, quo copula locum formæ sacramentalis tenet, non est absurdum asserere, ad initium illius copulæ gratiam diuinam infundi, nisi coniuges obicem ponant: quamquam post Tridentinum Concilium, non habet locum, vbi Concilium est promulgatum, ampliùs iste casus, cùm irrita sint omnia Matrimonia, quæ non fiunt coram testibus, & parocho.

ALTERVM vitium est in illa propositione: *In coitu negant vnquam Spiritum sanctum adesse.* nã inprimis verba illa à Gratiano relata, Origenis sunt, homil. 6. in Numer. Origenes autem non est tantæ auctoritatis in Ecclesia, vt eius sententia necessariò approbanda sit.

DEINDE eo loco Origenes nihil affirmat: ait enim disertis verbis: *Ego autem, licet non vsquequaque pronunciem, puto tamen, &c.*

PRÆTEREA verba illa Origenis, quibus docet, in opere coniugali non dari, siue non adesse præsentiã Spiritus sancti, non significant nullo modo adesse, sed non adesse ad eum actum efficiendum, speciali aliquo auxilio. Id enim Origenes docet, non omnia Sanctorũ opera fieri à Spiritu sancto. Quædam enim sunt aliquando mala opera, quæ etiam à Sanctis fiunt, & ea non fiunt à Spiritu sancto, quædam sunt bona, sed naturalia, & ideo non exigunt peculiarem Spiritus sancti præsentiam, immò nec decet ea tribuere peculiari Spiritus sancti auxilio. Et in hoc genere ponit Origenes coniugale opus, nec malè existimat, ad opus hoc naturam sufficere, neque esse necessarium, neque decere illud tribuere Spiritui sancto. Cum hoc autem Origenis pronunciato rectè cohæret, per actum coniugalem posse acquiri gratiam Spiritus sancti, tum ex opere operantis, tum ex opere operato.

EX opere operantis, quando actus ille est actus iustitiæ, vel obedientiæ, vel charitatis: nam harum omnium virtutum esse potest. Vnde sanctus Augustinus libro 4. in Iulianum, cap. 5. dicit, bonum beatificum esse, quando quis vtitur coniugis carne non ad libidinem explendam, sed ad sobolem, ob Dei gloriam propagandam. Sed in tali opere voluntas illa, quæ actum coniugalem eligit ad Dei gloriam, Dei sine dubio auxilio indiget: opus autem ipsum coniugale ex voluntate illa sequitur per naturalia instrumenta, sine nouo ac speciali Dei auxilio, vt Origenes volebat.

EX opere operato, cõferret opus coniugale gratiam, si casus ille accideret, vt copula coniugalis maritali affectu ad sponsalia de futuro cõtracta accederet: tũc enim, vt diximus, copula illa vicem formæ Sacramentalis gereret. Et quamuis tunc per eam, vt per suum quoddam instrumentum Deus gratiam infunderet, non tamen necesse esset ad eam efficiendam copulam, nouam aliquam Spiritus sancti præsentiam adesse. Nam ipse etiam Baptismus conferri potest ab homine peccatore, vel etiam infideli, sine vllo nouo Dei auxilio: & tamen per eum Baptismum Deus gratiam suam in animam eius, qui baptizatur, infunderet. Potest igitur fieri, vt in coitu gratia detur, etiamsi Origenis sententia defendatur.

SEPTIMVM argumentum Kemnitij est in 2. parte Examinis pag. 1220. *Sacramentis propriè dictis annexa debet esse promissio gratiæ nõ cuiuscunque sed reconciliationis, & remissionis peccatorum: talis promissio Matrimonio deest.*

RESPONDEO, nititur argumentũ falsò fundamento, quòd omnia Sacramẽta sint instituta ad remissionem peccatorum: quod fundamentum non semel euertimus, tum in 1. lib. de Sacramentis in genere, tum in 4. lib. de Eucharistia. Et sanè ex ipsa Eucharistia fundamentum illud sordidissimè euertitur. Eucharistiã enim sacramentum esse propriè dictum, omnes concedunt, & eam tamen non ad peccata remittenda, sed ad vitam spiritualem per Baptismum acquisitam, alendam, & conseruandam, institutam esse, species ipsæ Sacramenti testantur: ideo enim in specie panis, & vini hoc Sacramentum datur, vt in eo nobis cibum dari ad vitam sustentandam intelligamus.

OCTAVVM argumentum eiusdem, sumitur ex materia & forma huius Sacramenti: de qua re disseremus in sequenti controuersia.

NONVM argumẽtum Kemnitij sumitur ex eo, quòd sancti Patres antiqui, & vetera Concilia, ante Constantiense, & Florentinum, non tradiderunt Matrimonium esse Sacramentum: & ex Doctoribus Durãdus cum iis, quos ipse citat, apertè negat Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum, siue vniuocè cũm aliis. Ex quibus, meadacij arguere conatur Tridentini Concilij verba, quæ ad initium sess. 24. ita habent: *Matrimonium inter nouæ legis Sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.*

RESPONDEO, vt vera sit Concilij sententia nõ est necesse, vt omnes Patres, & omnia Concilia disertis verbis habeant, Matrimonium esse Sacramentum: sed satis est, si aliqui Patres, & aliqua Concilia id habeant, & nulli Patres, nullaque Concilia contrarium aliquando docuerint: vel si quis fortè contrarium senserit, eius opinio communi iudicio reprobata fuisse monstretur.

PORRÒ Patres nonnullos Matrimonium pro Sacramento habuisse, suprà nos eorũ locis allegatis docuimus: ad Kemnitium pertinebat, aliquos proferre, qui contrarium senserint; quod tamen nec fecit, nec facere potuit.

CONCILIA vetera id explicarunt, quod suis temporibus in controuersiam vocabatur, Matrimonium vide-

licer à Deo institutum, rémque sanctam, & bonam esse. Vtrum autem Sacramentum esset propriè dictum, non fuit causa cur tractarent, cùm nemo de illa re tunc ambigeret; Concilia tamen posteriora, causa id postulante, declararunt, quod à veteribus omissum fuerat.

QVOD ad Durandum attinet, scripserat ille initiò (vt Capreolus refert in 4. dist. 26. quæst. vnica, art. 3.) Matrimonium non esse propriè sacramentum. Sed quia propterea malè apud Catholicos audiebat, in posteriori editione id correxit, atque ait, esse Matrimonium verè, & propriè Sacramentum, sed non vniuocè: atque istam quæstionem de vniuocatione, Logicam esse dixit, vt nimirum non videretur ab aliis, nisi in quæstione Logica dissentire. Sed quanquam ille non satis isto colore texit errorem suum, videmus tamen etiam ante Constantiense, & Florentinum Concilium, pro hæreticis, vel de hæresi suspectis habitos, qui Matrimonium è numero Sacramentorum eximerent. Quid autem virium habeant argumenta Durandi, nunc videbimus.

SIT igitur Decimum argumentum, quod est Primum apud Durandum: *In sacramentis cæteris, id quod exterius agitur, excedit dictamen rationis naturalis, nec potest reddi sufficiens causa illius, nisi per lumen fidei. At quod exterius agitur in Matrimonio, naturalem causam habet, non igitur sunt vniuocè Sacramenta, Matrimonium, & reliqua sex. Maior propositio probatur. Nam si quis videat in Ecclesia puerum baptizari, & ignoret mysteria nostræ fidei, nunquam reddere poterit causam eius ablutionis. Non enim ablutio illa fit, vt puer refrigeretur, aut lauetur corporaliter qui sunt naturales aquæ effectus, sed vt iustificetur à peccato originali, qui est effectus supernaturalis, & à sola Dei voluntate dependens. Et idem dici potest de aliis quinque Sacramentis, quæ sunt omnia signa volùtaria à Deo instituta. Probatur quoque minor propositio. Nam matrimonium fit ad significandam, & efficiendam vnionem insolubilem viri, & mulieris: id autem naturaliter significant verba exprimentia mutuum consensum, & ideo si Ethnicus videat matrimoniũ celebrari, facilè causam reddet, cur id fiat. Neque satisfaciet, si quis dixerit, matrimonium esse Sacramentum Christi & Ecclesiæ, & hunc effectum nõ significari naturaliter, nec posse cognosci ab Ethnico. Nam significatio Sacramentorũ principalis est eius rei, quæ per Sacramentum efficitur: Sacramẽta enim faciunt quod significant. Matrimonium autem non efficit vnionem Christi cum Ecclesia, sed vnionem masculi, & fœminæ; & ista vnio dicitur ab Augustino libro de bono coniugali, cap. 7. res Sacramenti.*

RESPONDEO, minor propositio falsa est. Nam non est quælibet vnio viri & fœminæ, res Sacramenti huius, sed vnio planè insolubilis. Etiamsi enim communi consensu coniuges hoc vinculum Matrimonij consummati dirimere vellent, aut à summa potestate Ecclesiastica, vel temporali dirimi vellent: non tamen vinculum solui posset. Hanc autem tantam vnionem non significant naturaliter, verba illa coniugum, quæ dicuntur in celebratione Matrimonij: *Quem*, inquit Augustinus loco notato, *non faciunt intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis? quod nequaquam putò tantum valere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum, quoddam Sacramentum adhiberetur, &c.*

PRÆTEREA vnio, quam significat & efficit Sacramentum Matrimonij, est vnio non solùm corporum, sed etiam animorum, non qualiscunque, sed per veram, & diuinam charitatem, vt vxor iungatur viro, vt Ecclesia Christo; & vir vxori, vt Christus Ecclesiæ; proinde est vnio sacrans, & sanctificans animas, nisi ponatur obex: quæ omnia nec naturaliter significari, nec nisi lumine fidei cognosci possunt. Quare Matrimonium Christianum non minùs ad placitum & ex diuina institutione significat, quàm alia sacramenta.

VNDECIMVM argumentum, quod est Secundum Durandi. *Sacramenta cætera consistunt in aliqua re sacra, quæ applicatur extrinsecus suscipienti à Ministro: At nihil tale inuenitur in matrimonio; non igitur matrimonium est Sacramentum vniuocè cum cæteris. Maior propositio patet inductiuè: nam in Baptismo applicatur aqua, siue ablutio, in Confirmatione vnctio, in Eucharistia panis consecratus, in Confessione absolutio, &c. Minor autem propositio certissima est. Nam in Matrimonio nihil est quod applicari possit, vel debeat: nam voluntas coniugum signo expressa, sufficit. Quod si quis respondeat, applicari in hoc Sacramento signa ipsa mutui consensus: non omninò satisfaciet, nam nunquam ostendet applicari eo modo ista signa, quo modo applicantur sacramenta cætera. Nam reliqua applicantur necessariò ab alio: nemo enim seipsè baptizat, nemo se absoluit, &c. at in Matrimonio ipsi coniuges seipsos ligant. Præterea alia sacramenta non possunt conferri in absentes, neque vni per alium: nemo enim baptizat hominem absentem, neque vllus per procuratorem baptizatur. At Matrimonium inter absentes, & per procuratorem celebrari potest: non igitur vniuocè Matrimonium est sacramentum cum Baptismo, & cæteris sacramentis.*

RESPONDEO, neganda est huius argumenti consequentia: quia non est de ratione sacramenti in genere, vt consistat in aliqua re, quæ extrinsecus applicetur, sed satis est, vt sit signum, & causa gratiæ iustificantis.

ET sanè, si hoc argumentum valeret, facilè probaremus, nullum esse sacramentum vniuocè cum reliquis. Nullum enim est, quod non habeat aliquid proprij, in quo ab omnibus aliis distinguitur: vt exempli causa, sacramentum nullum præter Baptismum, habet pro materia verum, & naturale elementum. Possemus igitur ita formare argumentum; Commune est sacramentis, non habere pro materia verum, & naturale elementum: sed Baptismus habet pro materia verum, & naturale elemẽtum: non igitur Baptismus est sacramentum vniuocè cũ cæteris. Idem argumentum fieri posset de Eucharistia: nam commune est Sacramentis cæteris, in actione consistere, sed Eucharistia non in actione, sed iure permanente consistit. Idem dici posset de aliis Sacramentis, vt Paludanus, & Capreolus fusè deducunt.

SI quis autem roget, quæ causa sit, cur solum Matrimonium nõ consistat in applicatione rei alicuius extrinsecæ, responsio in prõptu est. Deus enim sacramenta vario modo instituit, prout res erant variæ, in quibus ea instituit. Sacramentum Baptismi in lotione instituit, ideò aquam adhiberi voluit, Sacramentum Eucharistiæ in refectione, ideò panem, & vinum elegit, sacramentum Pœnitentiæ in forma iudiciali, ideò verbis sententiam pronunciari mandauit, & sic de cæteris. Matrimonium in contractu quodam constituit, & ideò morem contractuum seruari voluit: in contractibus autem nihil extrinsecus applicatur, sed ipsi contrahentes, mutui consensus significatione contractum efficiunt.

ATQVE hinc etiam redditur causa, cur Matrimonium non egeat alio Ministro præter ipsos contrahentes, & cur inter absentes, & per procuratorem celebrari possit. Hæc enim est natura contractus, vt ipsi se contrahentes ligent, neque opus habeant tertia persona ad qua ligentur: & vt cum absentibus, & per procuratorem cõtractum facere, si velint, queant. In aliis autem Sacramentis ista locum non habent, quia repugnant eorum naturæ, & proprietati: neque enim ratio admittit, vt quis seipsum regeneret, aut absens absentem lauet, aut vnus lauetur pro alio, & sic de aliis.

ARGVMENTVM Duodecimum, quod est Durandi Tertium: *Sacramentum Matrimonij non confert gratiam, cætera conferunt, non igitur est Matrimonium Sacramentum vniuocè cum reliquis.* Propositionem maiorem probat Durandus auctoritate, & ratione. Auctoritas est aliquot iuris Canonici Interpretum, ac præterea Magistri

sententiarum in 4. lib. sent. dist. 2. Ratio est duplex. Vna, Iureconsultorum, quos ipse citat. Altera, ipsius propria.

Iureconsulti probant, Sacramentum Matrimonij non conferre gratiam, quia licitè fit pactum de Matrimonio contrahendo, si certa summa pecuniæ numeretur: quod illicitum videretur, si Matrimonium gratiam conferret: est enim Simoniæ crimen, gratiam Dei pecuniis emere velle.

Ipse verò Durandus hoc argumento vtitur: *Matrimonium non confert primam gratiam, quæ est ipsa iustificatio à peccatis, neque secundam gratiam, siue gratiæ incrementum: nullam igitur gratiam confert.* Et quidem quòd gratiam Primam non conferat, probat, quia solus Baptismus, & Pœnitentia ad peccati remissionem instituta sunt. Quòd non secundam probat, quia maioris gratiæ esset Matrimonium, quàm continentia, si continens per Matrimonium gratia diuina augeretur.

RESPONDEO, quod attinet ad auctoritatem interpretum iuris Canonici, non multum refert, quid pauci quidam ex illis senserint, tum quia communis sententia in Rubricum de sponsalibus & Matrimoniis, est in contrarium, vt notauit Nauarrus in Enchirid. cap. 19. Num. 22. tum quia in his, quæ ad Ius diuinum pertinent, qualia sunt Sacramenta, maior fides habenda est Theologis, qui veri sunt Iuris diuini consulti, quàm Canonistis, qui in solis humanis legibus versantur.

Neque valet quidquam Durandi argumentatio, qui ex eo probat, magnam esse Canonistarum auctoritatem, quia ipsi probè norunt sententiam, & fidem Romanæ Ecclesiæ. Nam sententiam Rom. Ecclesiæ norunt Canonistæ in iis, quæ ad humanos canones pertinent, non autem in iis, quæ pendent ex iure diuino: neq; canonem vllum in toto corpore Iuris inueniẽt, vbi habeatur, Matrimonij Sacramentum gratiam non conferre.

Quod autem ad Magistri sententiam attinet, ostendit præclarè S. Thomas, locũ illum Magistri explanans, nihil à Magistro contra communem Ecclesiæ sententiam in eo loco disputatum esse. Quod enim ait Magister, quędam Sacramẽta instituta esse tum in remedium, tum vt gratiam adiutricem tribuerent, vt Baptismum, quædam in remedium tantùm, vt Matrimonium, quædam vt gratiam tantùm adiutricem darent, vt Eucharistiam: intelligendum est de principali fine, & effectu Sacramentorum. Etsi enim omnia Sacramenta gratiam gratum facientem conferant, & omnis gratia gratum faciens vim habeat peccata delendi, & auxilium ad benè viuendum tribuat, tamen quædam Sacramenta instituta sunt principaliter ad iuuandum in bono, vt Eucharistia, Confirmatio, & Ordo: quædam ad peccata delenda, aut vitanda, vt Pœnitentia, Vnctio infirmorum, & Matrimonium: quædam ad vtrumque effectum, vt Baptismus, qui cùm sit noua generatio, includit simul vitam gratiæ, & mortem vitiorum.

Ad rationem Canonistarum respondet rectè S. Thomas in 2. 2. q. 100. art. 2. & in 4. d. 25. q. 3. art. 2. quæstiunc. 1. In Matrimonio non solùm Sacramentum, sed etiam contractum ciuilem considerari posse, & propterea licet non possit pro Sacramento pecunia accipi, vel dari, posse tamen pro ciuili contractu ad onera Matrimonij toleranda. Adde, quod etiamsi Matrimonium gratiam non conferret, tamen adhuc Sacramentum esset, ex eorundem Canonistarum sententia, proinde non liceret pro eo Sacramento pecunias dare, vel accipere: nihil enim sacrum licitè vendi, aut emi potest.

Ad rationem Durandi, quæ certè tanto Theologo indigna est, respondeo, Matrimonij Sacramentum gratiam conferre, quæ & prima, & secunda dici possit. Nam etiamsi hoc Sacramentum non sit principaliter institutum ad remittenda peccata, tamen ea remittere potest eo modo, quo à Sacramentis Eucharistiæ, Confirmationis, & Ordinis remittuntur: & siquidem id fiat, erit prima gratia: sin autem, erit secunda.

Neque obstat, quòd continentia sit excellentior Matrimonio: nam aliud est, comparare statum cum statu, aliud, Statum cum Sacramento. Status continentiæ altior est statu Matrimonij, & maioris gratiæ, & meriti: *Qui enim nubit, bene facit, qui non nubit, melius facit*, 1. Cor. 7. Sacramentum tamen semper auget gratiam, in quocunque statu suscipiatur. Quare continens dum Matrimonium contrahit, in gratia crescit: sed si idem continens propter Deum nuptias humanas contempsisset, plus gratiæ apud Deum inuenisset, quàm sit illa, quæ per Sacramentum Matrimonij datur.

Decimum tertium argumentum, quod est Quartum Durandi: *In Sacramentis cæteris, ordinatio Ecclesiæ vim præcepti habere potest, sed nunquam est de necessitate Sacramenti, quia non potest Ecclesia mutare essentialia Sacramentorum. At in Matrimonio, Ecclesiæ ordinatio est de necessitate Sacramenti, vt patet, quia cùm Ecclesia prohibet coniugia in certo gradu consanguinitatis, non perficitur Sacramentum inter eas personas, etiamsi personæ illæ reipsa Matrimonium contrahere conentur. Non igitur Matrimonium est cùm cæteris sex vniuocè Sacramentum.*

RESPONDEO, mala est consequentia huius argumenti, & maior propositio falsa. Nam causa cur ordinatio Ecclesiæ sit de necessitate Sacramenti Matrimonij, non est, quia Ecclesia possit mutare essentialia huius Sacramenti, sed quia potest mutare fundamentum prærequisitum ad hoc Sacramentũ. Materia enim Sacramenti huius, non est coniunctio viri & mulieris cuiuscunque, sed coniunctio legitimarum personarum; alioqui etiam inter patrem & filiam, intérque filium & matrem esse posset Matrimonij Sacramentum. Quæ sint autem legitimæ personæ, Christus non definiuit, sed præsupposito contractu humano inter legitimas personas, eam coniunctionem euexit ipse ad Sacramenti dignitatem. Ecclesia igitur determinat, quę sint habendæ legitimę personæ, & eo modo materiam, & fundamentum præparat Sacramento Matrimonij: non autem essentialia Matrimonij vllo modo mutat, aut mutare potest.

Simile est in aliis Sacramentis. Nam quia materia Eucharistiæ est panis & vinum, nemo potest facere, vt panis & vinum dum talia sunt, non sint materia Eucharistiæ; neque contrà, vt quod non est panis, aut vinum, dum non est tale, Eucharistiæ materia sit: sed benè possunt homines facere, vt vinum mutetur in acetum, & inde desinat esse materia Sacramenti: & contrà, vt vua incipiat esse vinum, & eo modo fiat materia Sacramenti. Sic igitur Ecclesia non potest facere, vt personæ legitimæ non sint materia Sacramenti Matrimonij, dum legitimæ sunt: neque vt non legitimæ sint materia, dum non sunt legitimæ: sed potest tamen decreto & ordinatione sua, ex legitimis illegitimas facere, & contrà. Vide sanctum Thomam in 4. dist. 34. q. 1. art. 1. ad 4.

Præterea non videtur esse verũ, quod in maiori propositione Durandus posuit, esse proprium Matrimonij, vt in eo Ecclesiæ ordinatio sit de necessitate Sacramenti. Nam in Sacramento Pœnitentiæ, & Confirmationis, idem cernimus. Cùm enim Ecclesia Sacerdotem alicui certæ paræciæ, vel diœcesi præficit, si is hominibus non sibi subiectis Sacramentum Pœnitentiæ administrare aggrediatur, non solùm peccat, quia contra Ecclesiæ præceptum agit, sed etiam irrita est absolutio. Et si summus Pontifex simplici Presbytero committat, vt sacramentum Confirmationis alicubi conferat, Sacramentum illud erit verum, & ratum. Quòd si absque Pontificis mandato vel facultate id faciat simplex Sacerdos, neque sacramentum erit verum, & ipse peccabit.

Decimum Quartum argumentum, quod est Quintum Durandi: *Absque Baptismo nemo est capax Sacra-*

menti propriè dicti, sed Matrimonij capax est homo ante Baptismum, ergo Matrimonium non est Sacramentum propriè dictum. Minor propositio probatur: nam Matrimonium ita est verum, & legitimum inter infideles ante Baptismum, vt inter fideles post Baptismum. Neque obstat, quòd post Baptismum dicitur ratum, quod ante Baptismum non dicebatur: nam dicitur quidem ratum, sed non est magis Sacramentum, quàm antea cùm nulla mutatio facta sit.

RESPONDENT aliqui, vt Petrus Paludanus, & Ioannes Capreolus in 4. dist. 26. q. vnica, art. 3. ad 5. & Ioānes Eckius hom. 73. de Sacramentis, eos coniugatos, qui conuertuntur ad fidem, debere post Baptismū iterum contrahere inter se Matrimoniū, & tum demum cōtractum illum fieri Sacramentum. Alij tamen, vt Thomas de Argentina in 4. dist. 39. q. 1. art. 1. ad 1. & Paludanus loco citato, dicunt, sine nouo contractu Matrimonium quod ante Baptismum non erat Sacramentum, statim post Baptismum esse Sacramentum, quia iam actu significat, quod antea solùm in potentia significabat.

SED quidquid de hoc sit, cōmunis sententia Theologorum in 4. sent. dist. 39. est, Matrimonium infidelium esse posse verum, & legitimum, sed non ratum, nec omninò insolubile, sed si ambo coniugati conuertantur ad fidem, & baptizentur, Matrimonium eorum fieri ratum, & omnino insolubile & proinde Sacramentum. Nam ideò Matrimonium infidelium non est ratum, quia non est sacramentum, vt S. Thomas docet in secundo scripto in 4. sent. dist. 39. Omnimoda enim insolubilitas est effectus Sacramenti. Siue igitur coniugati post Baptismum iterum contrahant, siue perstitant in contractu antiquo, ille consensus mutuus signo aliquo, aut saltem ipsa copula expressus, Sacramentum coniugij facit in iis, qui iam per Baptismum capaces sacramentorum effecti sunt.

CONTROVERSIA SECVNDA.

CAPVT VI.

De materia, forma, & Ministro Sacramenti Matrimonij.

ETSI de materia, forma, & Ministro huius sacramēti aliquid iam attigimus, occasione argumentorum Durandi: rursus tamen paulò fusiùs id pertractandum est, tum ob Martini Kemnitij calumnias, tum ob nouam, & singularē opinionem Melchioris Cani. Id quod necessariò faciendum nobis esse videtur, vt dogma Ecclesiasticum in superiore quæstione explicatum, omni ex parte rectum ac defensum maneat.

KEMNITIVS enim hinc argumentum ducit, ad probandum, nullum esse coniugij sacramentum propriè dictum, quòd in coniugio, materia & forma, siue elementum & verbum, non facilè demonstrari possint.

CANVS autem dum pro sua opinione pugnat, iis argumentis imprudenter vtitur, quibus hæretici nostri temporis, Ecclesiam vexare possent: siquidem libr. 8. de locis Theologicis, c. 5. affirmat non omne Matrimonium inter Christianos legitimè contractum esse sacramentū, sed illud solùm, quod à Ministro Ecclesiastico sacris, & solēnibus verbis celebratur. Quocirca verba, quibus coniuges mutuum consensum exprimunt, admittit ille formam esse contractus coniugij, sed non sacramenti coniugij: & personas contrahentes admittit esse Ministros contractus coniugij, sed non sacramenti coniugij.

AT quia sententia communis, & vera, distinctionem istā omninò ignorat, & nihil interesse statuit inter contractum coniugij Christiani, eiúsq; materiam, formam, & Ministrum; & Sacramentum coniugij, eiúsque materiam, formā, & Ministrū: ita vt quod sufficit ad contractum istum celebrandum, idē sufficiat ad sacramentum celebrandum: inde fit, vt dum Canus totis suis viribus probare conatur, Matrimonium sine forma verborum à Ministro Ecclesiastico prolata celebratum, non esse sacramentum, simul etiam probet quantum in se est, nullum reuera esse in Ecclesia coniugij sacramentum.

Nos igitur vt vtrique respondeamus, Primò, exponemus breuiter, quæ sit materia, quæ forma, & Minister huius sacramenti, secundum communem sententiam, & Kemnitij calumnias refellemus. Deinde Cani sententiam refutabimus; atque eiusdem argumenta soluemus.

QVOD igitur ad Primum attinet, de materia huius Sacramenti duæ sunt Theologorum præcipuæ sententiæ, quas Petrus Paludanus refert in 4. distin. 1. q. 4. Vna est, quòd consensus coniugum verbis expressi, seu verba consensum exprimentia, sint materia, & forma huius sacramenti. Altera, quòd ipsa corpora, seu personæ contrahentium, sint materia: verba verò exprimentia consensum, sint forma.

Quæ sententiæ meo iudicio sunt ambæ veræ, & facilè conciliari possunt. Nam coniugij sacramentum duobus modis considerari potest. Vno modo, dum fit. Altero modo, dum permanet postquam factum est. Est enim Matrimonium simile Eucharistiæ, quæ non solùm dum fit, sed etiam dum permanet, sacramentum est: dum enim coniuges viuunt, semper eorum societas sacramentum est Christi, & Ecclesiæ.

Si igitur considueretur Matrimonium, dum fit, tota eius essentia in signis exprimentibus consensum mutuum consistit: corpora enim coniugum non concurrunt, nisi vt materia circa quam, vt etiam dum fit Eucharistia, tota essentia consecrationis in verbis sacris posita est: panis autem, & vinum solum concurrunt vt materia circa quam. Et idem videmus in aliis contractibus. Nam cùm venditur, aut emitur domus, tota contractus ratio in consensu mutuo sita est: domus autem est materia, circa quam operatio illa versatur, nemo enim dicit domum, quæ venditur, partem esse contractus. Sed quia verba vnius coniugis, determinant verba alterius, & ab illis pariter determinantur, ideò in iisdem verbis distingui potest materia, & forma: nam verba quatenus determinant, forma dici possunt, quatenus determinantur, materia.

Atque hæc est sententia S. Thomæ in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. Nam in responsione ad 1. dicit, formam sacramenti huius esse, verba coniugum: in responsione ad 2. dicit, materiam esse, actus ipsorum coniugum, quibus sacramentū Matrimonij perficitur, vbi per actus intelligit eadem verba, quæ paulò antè dixerat, esse formam; nulli enim alij actus necessariò requiruntur ad hoc sacramentum perficiendum. Necnō Richardi, Paludani, Capreoli, Dominici à Soto, & aliorum in eadem distinctione.

Si verò consideretur Matrimonium iam factum, & celebratum, negari non potest, ipsos coniuges simul cohabitantes, siue externam coniugum societatem, & coniunctionem, esse materiale symbolum, externum, repræsentans Christi & Ecclesiæ indissolubilem coniunctionem: quemadmodum in sacramento Eucharistię, consecratione peracta remanent species consecratæ, quæ sunt symbolum sensibile atque externum, interni alimenti spiritualis.

Quare rectè mihi dixisse videtur Petrus à Soto, lect. 4. de Matrimonio, materiam non solùm circa quam, sed etiam ex qua sacramētum Matrimonij constat, esse personas contrahentes. Theologi quoque fermè omnes satis indicant, corpora coniugum esse materiam sacramenti huius, dum affirmant, Ecclesiam posse constituere certos gradus consanguinitatis, & affinitatis, intra quos Matrimonium sit irritum, quia dum eos gradus constituit, facit vt personæ quæ alioqui erant materia

Sacramenti huius, iam non sint ampliùs materia. Atque hæc de materia dicta sint.

FORMA autem, consensu omnium Theologorum, Cano excepto, sunt verba, vel signa mutuum consensum exprimentia. Id habet expresè S. Thomas loco notato in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 1. & ante eum Hugo de S. Victore, lib. 2. de Sacram. part. 11. cap. 5. & omnes alij.

SED obiicit Kemnitius, pag. 1121. Ioan. Gropperum nostra ætate docuisse, formam sacramenti Matrimonij esse illa verba Domini, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. proinde non deesse, qui contra Scholasticos doceant, non esse formam Sacramenti huius, signa mutui consensus.

AT Kemnitius more suo non bona fide Gropperum citat. Locus Gropperi est in Enchiridio Christianæ Institutionis, nomine Concilij Colonien sis edito, in tractatu de Sacramēto Matrimonij: quo loco Gropperus colligit quidem formam sacramenti huius ex verbis Dñi: *Quod Deus coniunxit, &c.* sed non ait, illa verba esse formam, aut necessariò recitanda esse: immò expresè dicit, verba mutui consensus esse formam Sacramenti: *Superest*, inquit, *vt verbum & elementum huius Sacramenti indicemus, & gratiā insuper in eo conferri demonstremus. Verbum itaq; huius Sacramenti, quo accedente ad elementum, fit Sacramentum, id nimirum est, quo ambo, mas & fœmina, (cùm pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuò fidem coniugalem dant, accipiuntque) non quouis modo, sed in Dei nomine coniunguntur, & copulantur.* Vides Lector, Gropperum non dissentire à cæteris, in huius sacramenti forma constituenda, & ideò solùm allegasse verba Domini: *Quod Deus coniunxit, &c.* vt probaret, Matrimonium Christianorum non esse contractum merè ciuilem, & humanum, & verba coniugum referenda esse ad illam diuinam, & sacram cōiunctionem, de qua dictum est: *Quod Deus coniunxit, &c.*

EX his patebit etiam, quis sit Minister huius sacramenti. Nam cùm ad Ministrum propriè pertineat verba formæ pronunciare, & per ea sacramentum conficere: & in hoc sacramento verba formæ à coniugibus proferantur, necesse est, coniuges ipsos esse proprios huius sacramenti Ministros.

Neque absurdum videri debet, quod in eadem personas concurrat caussa materialis, & efficiens: id enim exigit natura contractus, qui de personis contrahētium fit. Quemadmodum enim, si quis in seruum alicui se ipse venderet, idem esset vendens, & res vendita, efficiens, & materia: sic etiam in Matrimonio, cùm ipsi coniuges se mutuò tradant, ac donent; ipsi efficientes, & ipsi materia sunt. Et quanquam requiritur ex decreto Ecclesiæ, Minister Ecclesiasticus, qui consensum coniugum exquirat, & eundem approbet, & declaret, & benedictione sacerdotali confirmet, tamen propriè qui Matrimonij Sacramentum efficiunt, ipsi coniuges sunt.

EX his refelli possunt Kemnitij calumniæ. Obiicit ille, in 2. part. Examin. pag. 1220. & sequenti, Scholasticos nondum fingere potuisse aliquid, quod materia & forma in hoc sacramento rectè dici possit. Addit Theologos, & Iureconsultos nostros admodum varias, & incertas opiniones de hac re habere: arguit Trident. Concilium, quod nihil in re tam dubia determinauerit: colligit ex his omnibus, non posse etiam à nobis certò asseri, Matrimonium esse sacramentum.

SED hæc omnia leuia sunt, & inania. Nam inprimis Concilium nihil determinauit, quia non erat opus. Sicut enim Dominus ipse non expressit materiam, & formam huius sacramenti, quia non nouum symbolum instituit, sed humanum, vsitatúmque contractum euexit ad sacramenti dignitatem, attribuens illi contractui nouam significationem, & gratiæ promissionem: sic etiam Concilium muneri suo satisfecit, cùm explicuit Dominicam traditionem.

Deinde, Theologi mirificè inter se conueniunt quoad formam, & Ministrum: quoad materiam autem non ita dissentiunt, vt facilè conciliari non possint.

ET quamuis etiā tum de materia, tum de forma maximè inter se Catholici dissiderent: nihil id officeret certitudini, quā habemus de sacramento Matrimonij. Nam ad fidem Catholicam de sacramentis habendam, & ad eadem sacramenta fideliter ministranda, vel suscipienda, satis est scire, quid necessariò requiratur ad Sacramentum celebrandum, & quot sint, & quæ illa, sine quibus non perficitur sacramentum: quid autem in his propriè forma sit, quid materia, sine fidei præiudicio disputari, & etiā ignorari potest. Sciat Parochus, ad Baptismum aquam esse necessariam, cum illis verbis sacris: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vtrum autem aqua, materia dicenda sit, & verbū, forma, adeò sine periculo ignorabit, vt etiāsi verbum, materiā, & aquam, formā esse crederet, neq; pernicioso erraret, neq; inutiliter baptizaret. Ad eundem modum si Christiani teneant, ad matrimonium ritè celebrandum, mutuum consensum legitimarū personarum signo sensibili expressum, esse necessarium, atq; eiusmodi symbolo, vt vero nouæ legis sacramento promissionē gratiæ esse annexam: nihil periculi erit, etiamsi fortè materiam, & formam distinguere non valebunt. In hoc autem Theologi omnes conueniunt, vno Cano, vt diximus, excepto. Nihil igitur Kemnitius in hac parte obtinere potest.

CAPVT VII.

Omne legitimum Matrimonium inter Christianos contractum, esse Sacramentum.

NVNC aduersus Cani opinionem probandum est, non aliam esse formam essentialem, neque alium Ministrum Sacramēti Matrimonij, aliam verò formam, & alium Ministrum contractus Matrimonij, & propterea nullum celebrari inter Christianos legitimum Matrimonium, quin id continuò sit etiam verum Ecclesiæ Sacramentum.

AC primò id probamus, quia si vera esset opinio Cani, non possemus ex Scripturis & Conciliis ostendere coniugij Sacramentum, neque immeritò dicerent hæretici hoc sacramentum ab hominibus, idq; recens, excogitatum fuisse. Nam in scripturis habemus quidem, Matrimonium fidelium esse sacramentum; sed nouæ alicuius formæ, aut Ministri vestigium nullum in diuinis literis reperimus. Quare si forma, & Minister contractus Matrimonij, sit etiam forma, & Minister sacramenti Matrimonij, forma, & Minister huius sacramenti in diuinis literis perspicuè demonstrabitur: si verò sit alia forma quærenda, aliúsque Minister, alibi certè, quàm in diuinis literis ista quærenda erunt.

Concilium Florentinum, & Tridentinum, in quibus propter nouas hæreses hoc dogma diligentiùs explicatum est: debuissent omninò formam, & Ministrum huius Sacramenti assignare, si qua essent præter formam, & Ministrum contractus Matrimonij. At ista Concilia ne verbo quidem nouam istam formam, & Ministrum indicant, quin potiùs satis apertè significant, non esse quærenda alia, præter ea, quæ in contractu Matrimonij inueniuntur.

Concilium Florentinū ita loquitur: *Septimum est Sacramentum Matrimonij, quod est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, secundum Apostolum. Caussa efficiens matrimonij, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Hæc ibi. Quo loco Concilium per caussam efficientem Matrimonij, intelligit caussam efficientem Matrimonij etiam vt Sacramentum est; nam hoc susceperat explicādum, cùm diceret: *Septimum est Sacramentum Matrimonij*, & nisi ita intelligeret, iure reprehendi posset, quòd omisisset id quod necessariò explicandum

erat,& adieciſſet id,quod à nemine petebatur. Quòd ſi cauſſa efficiens Sacramenti Matrimonij iuxta Concilij huius Oecumenici declarationem, eſt mutuus cõſenſus per verba de præſenti expreſſus,manifeſtè ſequitur,formam Sacramenti huius non eſſe benedictionem Sacerdotis,ſed ipſa coniugum verba,& Miniſtrum neceſſariò requiſitum,eſſe vtrumque coniugem.Nam Miniſter eſt cauſſa efficiens ſacramenti, neque aliter efficit, quàm formam materiæ adiungendo. Quicunque igitur Cani ſententiam tueri volet,eum oportebit aut Concilio Oecumenio apertè repugnare,aut certè notam imprudentiæ eidem Concilio inurere.

CONCILIVM Tridentinum ſeſſ.24.in ipſo decreto de Matrimonio,nouam formam & Miniſtrum in ſacramento Matrimonij non modò non tradit,ſed apertè etiam indicat,non eſſe:dicit enim Primò à Chriſto approbatum coniugium,in ſtatu innocẽtiæ inſtitutum.Deinde addit, gratiam, quæ naturalem coniugum amorem perficeret,à Chriſto Sacramentorum inſtitutore Matrimonio adiunctam.Denique concludit, nouæ legis Matrimonium, gratia veteribus præſtare, atq; inde colligit eſſe hoc Matrimonium,veri nominis Sacramẽtum. Vbi Concilium non agnoſcit differentiam inter Matrimonia veterum,ſiue ante peccatum, ſiue poſt peccatum Adæ, & Matrimonium,vt eſt nouæ legis Sacramentum,quod attinet ad ritum;ſed diſcrimen in eo ponit,quòd hoc eſt cauſſa gratiæ, illa non erant. Materia igitur, forma, & Miniſter Sacramenti Matrimonij ex Trident. Concilio eadem ſunt, quæ erant in Matrimoniis veterum, quæ Sacramenta non erant.Ritus enim ex materia,& forma conſtat.At in illis certum eſt, non fuiſſe de eſſentia Matrimonij verba aliqua à Sacerdote pronunciata:non igitur eiuſmodi verba ſunt de eſſentia Sacramenti Matrimonij,etiam apud Chriſtianos.

HABEMVS igitur,Concilia duo Oecumenica, quæ de hoc Sacramento ex profeſſo tractauerunt, non modò non tradidiſſe nouam formam, & Miniſtrum huius Sacramenti,ſed etiam perſpicuè docuiſſe,non eſſe quærenda alia præter ea, quæ in contractu legitimi coniugij inueniuntur.

SECVNDÒ probatur ex communi conſenſu Theologorum.Nam inprimis Hugo de S.Victore, libro 2.de Sacramentis, part.11. cap.5. apertè dicit, Sacramentum Matrimonij perfici, cùm conſenſus vtriuſque coniugis exprimitur.

S. Thomas in 4.diſt.26.q.2.art.1.ac primum,clariſſimè docet, formam Sacramenti Matrimonij eſſe verba coniugum;ex quo idem Doctor colligit,Sacerdotis benedictionem non eſſe de eſſentia Matrimonij. Et diſt. 28.q.vnica,art.3.dicit,clandeſtina Matrimonia eſſe vera Sacramenta,etiamſi nullus adſit Miniſter Eccleſiaſticus: quia in clandeſtinis inueniuntur omnia, quæ ſunt de eſſentia huius Sacramenti.Atque hoc idem cæteri omnes docent: nam idem Canus fatetur eſſe hanc opinionem communem Scholarum.

ET Dominicus à Soto, qui paulò antè libros ſuos in quartum ſententiarũ edidit, quàm ſua loca Theologica ediderit Canus,affirmat in 4.diſt.26.q.2.ar.3.ſuo tẽpore non defuiſſe aliquos, qui diſputare inciperent, formam eſſentialem Sacramenti Matrimonij eſſe illa verba Sacerdotis:*Ego vos coniũgo*, ſed tamen nullum adhuc fuiſſe,qui eam ſententiam ſcriptis mandare auſus eſſet,

EX quo intelligimus,Cani opinionem eſſe omninò ſingularem, & nouam:ex quo rurſus efficitur, aut Cani opinionem falſam eſſe, aut certè totam Eccleſiam in re grauiſſima multis ſeculis erraſſe.Nam ſi Cani opinio vera eſſet,erraſſent Theologi omnes,qui docebant Matrimonia clandeſtina, & alia ſine Miniſtro Eccleſiaſtico celebrata, vt vera ſacramenta habenda, ac veneranda eſſe. Errantibus autem Theologis erraſſent etiam Parochi, & Epiſcopi, & ipſorum populi: iudicium enim Theologorum in rebus ſacris,Paſtores vt plurimùm ſequi ſolent.Immò Canus ipſe loco notato affirmat,Concilium Florentinum nihil de materia,& forma huius ſacramenti definire voluiſſe, quia nihil de ea re à Theologis definitum inuenicbat.Quòd ſi Concilia Oecumenica,iudicia communia Scholarum ſequuntur, quantò magis priuatim ſinguli Paſtores id facient? Id ergo abſurdi ſequitur ex opinione Cani, vt multis iam ſeculis contractus merè ciuilis pro ſacramento Dei falsò in Eccleſia Catholica habitus ſit.

QVOD verò ille dicit,Theológos nihil certi de Matrimonij ſacramento ſcribere,in varias opiniones diſcedere,& quæſtionem iſtam ex profeſſo non tractaſſe:nihil eius cauſſam iuuare poteſt. Theologi enim etiamſi de materia ſacramenti huius diuerſas opiniones ſequantur,tamen de forma, & de Miniſtro nulla apud eos diſſenſio eſt,& ideò quæſtionem ex profeſſo nõ inſtituunt, ſed ſimpliciter affirmant id quod veritas habet,quia res iſta ſemper in Eccleſia certiſſima fuit, neque venit in mentem vlli,vt id in controuerſiam reuocaret.

TERTIÒ probatur ratione. Aut Matrimonia inter legitimas perſonas, eáſque Chriſtianas, ſine noua illa forma à ſacerdote prolata, continent vinculum inſolubile vnius cum vna,vel non continent.

SI continent,ergo ſunt vera nouæ legis ſacramenta: nam illud vinculum eſt res ſacramenti, vt Auguſtinus docet,lib.de bono coniugali,cap.7.& illa eſt cauſſa,cur Matrimonia infidelium etiam legitima & conſummata, ſolui poſſint per conuerſionem alterius coniugis,1.Cor. 7.quia nimirum non ſunt ſacramenta. Itaque illud vinculum omninò inſolubile, eſt res ſupernaturalis, & ſacramenti diuini effectus: quocirca vbi ille eſt, ibi etiam ſacramentum neceſſariò eſſe debet.

SI verò non continent illud vinculum, ergo ſolui poſſunt,ſaltem in aliquo caſu, vel cum Eccleſiæ diſpenſatione,& multæ etiam vxores duci poſſunt à Chriſtianis,modò ſine benedictione ſacerdotali ducantur.Nam ſi vinculum vnius cum vna inſolubile ex ſacramento naſcitur, & hic nullum eſt ſacramentum, quid prohibet iſta Matrimonia multiplicari,vel ſolui? At inauditum eſt in Eccleſia Catholica,vt legitimè contracta,& conſummata Matrimonia per vllam diſpenſationem ſoluantur, aut multiplicentur, etiamſi abſque vllo miniſterio ſacerdotum celebrata ſint. Immò Concilium Tridentinum, ſeſſ.24.in decreto de Matrimoniis clandeſtinis, ea de cauſſa inhabiles fecit homines Chriſtianos ad ea Matrimonia contrahenda,quia iudicabat non poſſe vlla ratione diſſolui Matrimonia,quamuis clandeſtina, ſi legitimè contraherentur, & tamen videbat expedire omninò, vt eiuſmodi Matrimonia, vel non fierent, vel facta dirimerentur.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta Cani.

IAM ad Cani argumenta reſpondeamus. Prima obiectio:*Non poteſt ex Scriptura, vel traditione probari, Matrimonium profanè contractum ſine Miniſtro Eccleſiaſtico,eſſe Sacramentum:ergo ſi Matrimonium reuera Sacramentum eſt,oportet illud præter ciuilem contractum habere formam aliquam ſacram, & Miniſtrum Eccleſiaſticum.*

Reſpondeo, Scriptura, & traditio neque Matrimonium profanè contractum, neque Matrimonium eum forma ſacra à Miniſtro Eccleſiaſtico pronunciata, docent eſſe Sacramentum, ſed generatim ſolùm loquuntur,ac Matrimonium Chriſtianorum ſacramentum eſſe teſtantur:nuſquam enim in ſcriptura, aut etiã in Concilio vllo,aut ſacro Doctore inueniet Canus, formam ſacramenti Matrimonij eſſe verba ſacra, quæ à ſacerdote pronunciantur. Quare,ſi argumẽtum aliquid probaret,

proba

probaret nullum eſſe Matrimonij Sacramentum, aut certè non poſſe hoc ſacramentum ex diuina ſcriptura, vel traditione defendi. Sed nihil horum probat: nam Concilia,& Patres ſcripturam diuinam, quæ de Sacramento Matrimonij loquitur, ſemper intellexerunt de ipſo contractu ciuili Matrimonij, quatenus à Chriſto per additionem gratiæ ad Sacramenti dignitatem euectus & tranſlatus fuit.

SECVNDA obiectio: *In Concilio Florentino definitum eſt,omnia Sacramẽta rebus,& verbis conſtare.In Matrimonio profanè contracto ſine Miniſtro Eccleſiaſtico,ſæpe nulla ſunt verba,ſed ſoli nutus,aut literæ,aut ipſa copula cõiugalis,non igitur tale Matrimonium Sacramentum eſſe poteſt.Quod ſi quis reſpondeat, nutus, & literas & copulam, vicem verborum gerere: contrà obijci poteſt, eadem ratione probari poſſe, licere Sacerdoti muto nutibus abſoluere, aut Epiſcopo muto nutibus Ordines ſacros conferre.Et præterea abſurdiſſimum eſſe videtur, vt copula vicem ſuppleat formæ Sacramentalis, cùm in ea Spiritus ſanctus non adſit, vt habetur Can.Connubia 32.quæſt.2.*

RESPONDEO, in Concilio Florentino per verba, quæ ad omnia ſacramenta requiruntur,intelligi non ſolùm verba propriè dicta,ſed etiam ea ſigna,quæ vicem verborum gerunt.Nam ideò idem Concilium,cùm ſingula Sacramenta ſingillatim exponeret, non dixit, in Matrimonio neceſſariò verba requiri,ſed ait regulariter verba coniugum adhiberi.Addidit verò illud(*Regulariter*) quia nonnunquam nutus adhibentur, quæ locum verborum teneant.

NEQVE inuſitatum eſt,aut præter Scripturæ diuinæ morem, vt per nutus homines loqui dicantur, & proinde nutus verborum vicem teneant: nam Ioann. 13. *Innuit Simon Petrus Ioanni, & dixit.* quem locum enarrans Auguſtinus, ſcribit, Petrum innuendo dixiſſe, & ipſos nutus à diuina Scriptura verba appellari.

ADea quæ Canus obiicit,de Sacramento Pœnitentiæ, & Ordinationis,Reſpondeo, magnum eſſe diſcrimen inter ea ſacramenta,& Matrimonium. Sacramentum enim Pœnitentiæ habet formam iudicij: in iudicio autem ex tribunali ſententia pronuncianda eſt, neque vnquam eſt auditum, vt iudex mutus conſtitueretur. Præterea debet ſacerdos confitentem audire, examinare,ſigna pœnitentiæ in ipſo cernere, propoſitũ non peccandi,& pro præteritis ſatisfaciendi in ipſo cognoſcere: quæ omnia requirunt præſentiam vtriuſque, & vt Sacerdos audire, & loqui poſſit. Pari ratione Epiſcopus Ordines collaturus,debet preſentes habere ordinandos, vt eis manus imponat, & inſtrumenta ſacra tangenda offerat:debet etiam verbis formam pronunciare,vt certa poteſtas,quæ per Ordinationem confertur,exprimatur. Denique(ſi nihil haberemus aliud) Eccleſiæ vſus ſatis oſtendit,neque Abſolutionem,neque Ordinationem vel à muto,vel ab abſente conferri poſſe. At verò Matrimonium formam habet contractus: contractus autem ex natura ſua,& ex conſuetudine id habet, vt etiam inter mutos,vel abſentes celebrari poſſit.

AD illud de copula, iam antè reſponſum eſt quæſtione ſuperiore:nam illud etiam Caluinus obiecerat.

TERTIA obiectio:*Sacramenta ſunt cæremoniæ ſacræ, & actus religionis. At Matrimonium profanè contractum ſolis verbis coniugum, nihil habet ſacri, non igitur tale Matrimonium ſacramentum dici poteſt.*

RESPONDEO,Matrimonium ex ſe quidem res eſt naturalis,& ciuilis:tamen ex adiuncta ſignificatione,& efficientia gratiæ,planè ſacrũ eſt. Quare verba illa: *Ego te accipiã in meam,Ego te accipio in meum*,nõ eandem vim habent apud Ethnicos,& apud fideles: apud illos enim ſolùm contractum ciuilem efficiunt,& ideò verba ſacra propriè dici nequeunt, apud Chriſtianos autem, quia vnionem ſignificant non ſolùm corporum, ſed etiam animorum,ad ſimilitudiné vnionis Chriſti & Eccleſiæ, & ſanctificant homines,ſacra verba meritò dicuntur,& ſunt. Neque obſtat, quòd interdum à coniugibus nihil ſacrum cogitantibus dicuntur.Nam etiam verba Baptiſmi aliquando ab infidelibus ſine vlla religione pronunciantur,& tamen quia ex inſtitutione ſua verba ſunt ſacra,& cum intentione faciendi quod Eccleſia facit,pronunciantur,Sacramentum efficiunt.

QVARTA obiectio:*In omnibus Sacramentis, ex declaratione Florentini Concilij, requiritur certus Miniſter, qui Sacramentum conferat:At in Matrimonio profanè contracto nullus eſt Miniſter, non igitur tale Matrimonium eſt Sacramentum.*

RESPONDEO, Concilium Florentinũ, Miniſtrum quidem requirit,ſed non negat poſſe in eundem hominem concurrere Miniſtri,& ſuſcipientis perſonam: immò hoc ipſum idem Concilium apertè docuit,cùm ait, cauſſam efficientem Matrimonij eſſe conſenſum coniugum per verba ipſorum expreſſum.Neque obſtat, quòd in aliis ſacramentis diſtinguatur Miniſter à ſuſcipiente. Nam vt ſuprà diximus, id proprium eſt Matrimonij, quia contractus quidam eſt:natura enim contractus id exigit,vt ipſi contrahentes ſui contractus ſint cauſſa.

QVINTA obiectio:*Fideles non ſe exiſtimant ſacrilegos, quo tempore ſic profanè contrahunt,ſi fortè gratia Dei careant:in animis igitur fidelium inſcriptum eſt,eiuſmodi contractum non eſſe Eccleſiæ Sacramentum.*

RESPONDEO,non video,quemadmodum antecedens argumenti ſui Canus probare poſſit:nam contrariũ eius,quod ipſe aſſumit,multò probabilius eſt. Cùm enim in Catechiſmis paſſim omnes legant, ſeptem eſſe ſacramenta,atque vnum ex eis eſſe Matrimonium,neq; vnquam vel in Catechiſmis legerint,vel in concionibus audierint,non omnia Matrimonia, ſed tãtùm quædam, eſſe ſacramenta, credibile eſt fidelẽ populum communiter in ea ſententia eſſe, vt omnia Matrimonia legitima ſacramenta eſſe cenſeat: & proinde sacrilegium in eius ſacramenti violatione committi non dubitet.

NEQVE obſtat, quòd nonnulli ad Matrimonium ſuſcipiendum accedant multis peccatorum ſordibus inquinati:nam multi etiam contrà inueniuntur, qui nulla ratione audent Matrimonium contrahere, niſi peccatorum confeſſione ante præmiſſa. Deinde ſi tam multi ſunt, qui ſacra vaſa diripiunt, qui templa polluunt, qui alia ſacrilegia apertè committunt, etiamſi ea ſacrilegia eſſe non dubitent:quid mirum,ſi hoc ſacrilegium nonnulli facilè perpetrent, ſiue ſacrilegium eſſe ſciant, ſiue etiam fortaſſe neſciant?

SEXTA obiectio: *Auguſtinus in epiſtol.23. ad Bonifacium, ſcribit, res ipſas corporeas, quibus ſacramenta conſtant, imaginem & ſimilitudinem gerere eius ſanctificationis,cuius ſigna & cauſſæ eſſe dicuntur,vt Baptiſmi lotio externa,internam purgationem,& Euchariſtiæ externa manducatio, internam refectionem,deſignant, & ſuo modo efficiunt.At Matrimonium ciuile,& profanum,nec ſanctificationis imaginem gerit,neque ad ſanctificandum ſub quadam externa ſanctitatis ſpecie exhibetur: non eſt itaque propriè ſacramentum.*

RESPONDEO,Matrimonium ciuile, non quidẽ vt ciuile,ſed vt à Chriſto euectum ad ordinẽ rerum ſacrarum,pulcherrimè refert imaginẽ coniunctionis Chriſti cum Eccleſia,& cum anima vniuſcuiuſque per gratiam, & charitatem: id enim repræſentat externa viri & vxoris ſocietas,quam materiam huius ſacramenti eſſe diximus,vt eſt lotio in baptiſmo, & ſpecies panis in Euchariſtia.Ad eandem vnionem Chriſti cum anima non ſolùm ſignificandam, ſed etiam efficiendam, Matrimonij Sacramentum adhiberi,ſuprà docuimus: quare falſa eſt aſſumptio argumenti contrarij, quam ſanè auctor probare debuiſſet,non ſimpliciter,vt fecit,aſſerere.

SEPTI

SEPTIMA obiectio: *Verba, ex Concilio Florentino, forma sacramentorum sunt: At fieri nequit, vt res non sacra sacramentum perficiat: verba igitur sacra, sacramentorum formæ esse debent. At in Matrimonio profanè contracto nulla sunt verba sacra: non igitur tale Matrimonium sacramentum appellari potest.*

ASSVMPTIONEM, quam negandam esse facilè Canus animaduertit, probat, quia si vlla essent eiusmodi verba, illa certè essent: *Ego te accipio in meam, &c.* Hæc autem non esse verba Sacramentalia, multis rationibus contendit. Primò, quia verba eius, qui suscipit Sacramentum, materia esse possunt, forma autem nullo modo, cum forma ab agente in passum mediantibus caussis administris introducatur.

SECVNDÒ, quiàlicet materia Sacramentorum aliqua naturalis esse possit, forma tamen, quæ dat esse Sacramento, necessariò supernaturalis esse debet, illa autem verba: *Ego te accipio in meam*, vndique naturalia sunt, & ab omnibus Gentibus vsurpata.

TERTIÒ, forma Sacramenti significat eum spiritualem effectum, cuius caussa Sacramentum esse dicitur. At illa verba: *Ego te accipio in meam*, nullius effectus spiritualis signa sunt.

QVARTÒ, verba quæ sunt forma sacramenti, diuina institutione determinata sunt, nec possunt hominum arbitrio mutari: at verba, quibus matrimonium contrahendum sit, nulla sunt omninò definita.

QVINTÒ, quando verba aliqua sunt forma Sacramenti, si nutus, vel Scriptura, vel aliud quodlibet signum, eorum verborum loco substituitur, inanis actio est. At si contrahentes loco verborum, nutus vel scripturam subiiciant, æquè conficiunt Matrimonium, ac si verbis vterentur.

SEXTÒ, nomen Sacramenti pro materia accipi solet, pro forma non item: Baptismus enim dicitur ablutio, non illa verba: *Ego te baptizo, &c.* At illa verba: *Ego te accipio in meam, &c.* dicuntur Matrimonium, seu Matrimonij Sacramentum: est enim Matrimonium contractus, qui ex amborum coniugum verbis constituitur. Verba igitur illa, materia sacramenti sunt, non autem forma.

RESPONDEO, nego verba illa: *Ego te accipio in meam, &c.* non posse esse formam sacramẽti. Ad primam probationem respondeo, non esse impossibile, neq; absurdum vt aliquando idem sit agens, & patiens, præsertim secundum partes diuersas: potest enim vnusquisque manibus sibi ipse pedes ligare, vel soluere, vel abluere, immò & vna manu alteram soluere, ligare, abluere, eodem igitur modo poterit verbis, & lingua se ipse alteri tradere, quod in Matrimonio solùm requiritur. Quare si cani argumentum valeret, probaret etiam Matrimonium, vt contractum ciuilem, esse impossibile: neq; enim potest Matrimonium contrahi, quin se ipsi coniuges ligent, & proinde forma contractus in ipsum eundem inducatur, vt patientem, qui eam formam producit, atque inducit vtagens. Cur autem fieri nequeat, vt quis se ipse baptizet, aut confirmet, aut ordinet, aut inũgat, &c. non est ea caussa, quam hoc loco adfert Canus; facillimum enim esset, vt quis se ipse aqua aspergeret, ac diceret, Ego me baptizo, &c. & idem de aliis sacramentis: sed quia repugnat in eis ratio signi, vt suprà diximus, quæ non repugnat in sacramento Matrimonij.

AD secundam probationem respondeo, tam materiam, quàm formam sacramenti esse rem naturalem, si Physicè consideretur, & supernaturalem, si consideretur Sacramentaliter. Non enim verba solùm, sed etiam ablutio, inunctio, &c. significationem habent supernaturalem ex diuina institutione: id quod etiam Canus admittit, vel potiùs in argumentum assumpsit, obiectione sexta, quare inanis est distinctio, qua hoc loco vtitur. Et sicut ipse admittit illa verba: *Ego te accipio in meam*, esse materiam sacramenti, licet sint verba aliquo modo humana, & naturalia, ita poterat admittere esse formam. Nam quemadmodum ille cogitur dicere, verba illa, quatenus materia Sacramenti sunt, esse sacra, & supernaturalia, ratione nouæ significationis à Deo institutæ, ita nos dicimus verba illa, vt sacramenti formam, esse sacra & supernaturalia.

AD Tertiam respondeo, verba illa ex diuina institutione significare effectum spiritualem, nimirum spiritualem vnionem Christi cum Ecclesia, & cum anima, quod idem cogitur Canus dicere de iisdem verbis, quatenus ipsius opinione, materia sunt: nam etiam materia significare debet.

AD Quartam respondeo, verba sacramentalia determinata esse quoad sensum, non quoad numerum syllabarum, vel sonum vocis: alioqui non possent linguis diuersis Sacramenta celebrari. Sic igitur in Sacramento Matrimonij verba determinata sunt, quæ mutuum consensum sufficienter exprimant, siue id pluribus, siue paucioribus vocibus fiat.

AD Quintam respondeo, tunc solùm non posse subiici nutus loco verborum, quando forma sacramenti est solum verbum propriè dictum: at in Matrimonio id peculiare est, vt forma sint tam verba propriè dicta, quàm etiam impropriè, vt nutus, vt suprà diximus in solutione secundæ obiectionis.

AD Sextam respondeo, argumento illo tantùm probari, verba coniugum esse materiam, non autem probari esse etiam formam. Nam si id, quod materia est tantùm Sacramenti, Sacramentum nominari potest, quantò magis Sacramentum nominari poterit id, quod simul materia est, & forma?

DEINDE verba illa: *Ego te accipio in meam*, Matrimonium appellari, est omninò inauditũ, Matrimonium enim definitur, maris & fœminæ cõiunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens. Sic definit Alexander III. cap. illud, de præsumptione, & ante eum Iustinianus, Institut. de pat. potest: in principio, & eam definitionem Theologi, & Canonistæ passim recipiunt. Quare verba illa: *Ego te accipio in meam*, caussa Matrimonij sunt, sed non sunt ipsa Matrimonium; proinde argumentum contra auctorem suum pugnat. probat enim illa verba: *Ego te accipio in meam*, non esse materiam huius Sacramenti, sed potiùs formam, cùm Sacramentum de materia dicatur, de his autem verbis non dicatur.

VLTIMA obiectio sumitur ex auctoritate Theologorum, Patrum, ac Pontificum: contendit enim Canus, non esse sententiam nostram communem omnibus Theologis. Atque tanto numero Doctorum, producit solùm tres, aut quatuor, ac deinde addit multa loca Pontificum, & Patrum ex iure Canonico deprompta, quæ nihil ad rem faciunt. Respondeamus ad singula.

PRIMÒ adducit Gulielmum Parisiensem, qui in libro de Sacramentis, tract. de Matrimonio, cap. 9. q. 1. negat Matrimonium veri nominis Sacramentum esse, & Sacramentalem virtutem habere, nisi sacerdotali ministerio consecratum fuerit. Huic testimonio similes sunt nonnullorum Canonistarum sententiæ, qui sacramentum Matrimonij gratiam conferens constituunt in benedictione sacerdotali, & precibus, quæ super coniugatos fundi solent. quorum Canonistarum sententiam affirmat Canus hoc loco probabiliorem esse, quàm sententia Theologorum sit.

RESPONDEO, duplex est benedictio sacerdotalis in Matrimonio. Vna, quæ datur in contractu de præsenti, cùm Sacerdos dicit: *Ego vos coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & hæc ferè in domo priuata dari solet. Altera est benedictio, quæ datur in templo tempore Missæ, cum adiunctis variis precibus.

SI de priore loquatur Canus, de qua sanè loqui visus est in tota superiore disputatione, nullum habet auctorem, quem pro sua sententia proferat: nam Gulielmus Parisiensis, & Canonistæ, loquuntur de benedictione, & precibus, quæ adhibentur tempore sacrificij in templo. Si de posteriore loquatur, habet quidem auctores prædictos, sed illi & pauci sunt, & nullo modo cum omni Schola Theologorum conferendi. Et præterea in manifesto errore versantur: nam illam benedictionem posteriorem, exploratum ac certum est, Sacramẽtale quid esse, non autem Sacramentum, cùm in ea benedictione nulla sint verba, quæ forma Sacramenti esse videantur; & cùm ea benedictio secundis nuptijs non detur, quæ tamen omnium iudicio vera sacramenta sunt; & cùm absque peccato omitti possit: modò negligentia & contemptus absit, vt patet ex can, Nostrates, 30. quæst. 5.

ADDE quòd fundamentum Canonistarum debilissimum est; probant enim sententiam suam ex cap. In Ecclesiæ, de simonia, vbi prohibentur Sacerdotes accipere pecunias pro benedictione nubentium, quia ea benedictio Sacramentum est. Sed eo loco vocatur benedictio nubentium, sacramentum largo modo; vt etiam ibidem sacramenta vocantur, id est, cæremoniæ sacræ, exequiæ defunctorum, officium sepulturæ, deductio Episcopi ad suam sedem, & alia id genus.

SECVNDÒ obiicit Canus Patres Concilij Coloniẽsis, qui aliam formam sacramenti requirunt, quàm Scholastici requirere solent. Sed ad hoc suprà respondimus, cùm Kemnitium refutaremus: ostendimus enim ex verbis ipsis Echiridij, nomine Concilij Colonien sis editi, formam huius sacramenti esse verba, quibus coniuges mutuum consensum exprimunt.

TERTIÒ obiicit Canus Petrum Paludanum, qui in 4. dist. 5. q. 2. scribit, non peccare coniuges, qui Matrimonium contrahunt in peccato mortali existentes. Ex qua sententia colligitur, Matrimonium ciuiliter contractum, non esse sacramentum: neque enim auctor ille tam imperitus erat, vt nesciret sacramentum Matrimonij sine sacrilegio suscipi non posse ab ijs, qui in peccato mortali existunt.

RESPONDEO, Petrus Paludanus in illo ipso loco quem Canus citat, apertis verbis docet, sacramentum Matrimonij ministrari ab ipsis coniugibus, consensum suum inuicem exprimentibus, cùm in eo consensu signis expresso essentia Matrimonij consistat. Quare mirum est, cur Canus velit nos potiùs ex consequentia quadam ipsius, colligere Paludani sententiam, quàm ex proprijs verbis illius. Porrò Paludanus eo loco nõ loquitur de coniugibus, vt sacramentum Matrimonij recipiunt, sed vt illud ministrant: siquidem probare volebat, non semper peccare Ministrum, qui in peccato existens sacramentum dispensat, vt in casu necessitatis. Sed quidquid sit de hac eius sententia, dubitari non potest de mente eius in quæstione, quam nunc tractamus.

QVARTÒ obiicit S. Thomam, quem duobus in locis sententiæ suæ subscribere Canus affirmat. Vnus locus est in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. S. Thomas docet, ad Pœnitentiam quatenus virtus moralis est, & ad Matrimonium, vt est in officium naturæ, non requiri determinata verba; sed signa, & nutus quoslibet sufficere. At verò vt Pœnitentia, & Matrimonium sacramenta sunt, in dispensatione Ministrorum Ecclesiæ constituta, requiri determinata verba. Alter locus est lib. 4. contra Gentes, cap. 78. vbi S. Thomas probat, Matrimonium esse sacramentum, quia per Ministros Ecclesiæ dispensatur, & quædam benedictio nubentibus datur.

RESPONDEO, prior locus si quid probat, probat solùm ad sacramentum Matrimonij non sufficere nutus, siue quæcunque alia signa, sed necessaria esse verba, vt in omnibus alijs sacramentis; at non probat, Matrimonium non esse sacramentum, nisi verba illa à Ministro Ecclesiastico proferantur, cùm idem S. Thomas distinct. 26. quæst. 2. artic. 1. ad 1. diserte verbis dicat, formam Sacramenti esse verba coniugum: benedictionem autem Sacerdotis non esse de essentia huius sacramẽti. Adde, quod idem S. Thomas in secundo scripto in quartum, dist. 1. artic. 3. cum posuisset verba suprà scripta, quæ habentur etiam in primo scripto, addidit: *Vel dicendum, quod in his, vt Sacramenta sunt, requiruntur aliqua signa loco verborum*, ex quo loco intelligimus B. Thomam non certum fuisse prioris opinionis,

IN posteriore loco S. Thomas probat Matrimonium esse Sacramentum à signo, & coniecturis vt etiam nos suprà fecimus: est enim signũ huius rei, quòd Matrimoniũ Sacerdotali benedictione ornetur, & quòd ad Ecclesiæ Ministros pertineat caussas matrimoniales iudicare.

QVINTÒ profert testimonia grauissimorum auctorum, Euaristi in epist. 1. Calixti, in epist. ad episcopos Galliæ. Syricij in epist. ad Himerium. Hormisdæ apud Gratianum 30. quæst. 1. can. Nullus. Nicolai apud eundem Gratianum. 31. quæst. 2. can. Lotharius. Ambrosij libr. 9. epistol. 70. ad Vigilium. Isidori, lib. 2. de officijs Ecclesia. cap. 19. Denique testimonia Conciliorum quorundam, vt Carthaginensis IV. can. 12. Lateranensis, vt habetur cap. In Ecclesiæ corpore. extra. de simonia. Viennensis, vt habetur in Clementina Religiosi, de priuilegijs, Lugdunensis 35. q. 3. can. Nulli, & Constantiensis in fine ipsius Concilij. Quæ sanè testimonia, si quid haberent contra sententiam nostram, meritò nos terrerent.

AT nihil omninò habent, (vno Euaristi testimonio excepto) nisi, in Matrimonio adhiberi solere, vel debere benedictionem Sacerdotalem, & alias eiusmodi cæremonias: quod etiam nos libentissimè accipimus, & contra hæreticos defendimus. Esse autem eas cæremonias de essentia Sacramenti, aut Matrimonium per verba de præsenti inter fideles contractum; non esse Sacramẽtum, in nullo eorum testimoniorum inuenitur: immò in Concilio Lateranensi, vnde sumptum est illud caput. In Ecclesię, de simonia, vocatur quidem benedictio nubẽtium, Sacramentum, sed tale Sacramentum, quale est etiam officium sepulturæ, exequię defunctorum, deductio Episcopi ad suam sedem, & similia.

VNus est Euaristus, qui in epist. 1. & apud Gratianum 30. q. 5. can, aliter, Matrimonia sine Sacerdote contracta videtur dicere, non esse Matrimonia, sed adulteria, vel stupra, vel fornicationes.

Sed hoc testimonium rectè exponitur à Theologis, & Canonistis, qui docent, loqui Pontificem de Matrimonio legitimo in foro exteriore. Ecclesia enim non iudicat Matrimonium legitimum, sed fornicationem in foro exteriore, nisi testibus probari possit: tametsi sciat in foro conscientiæ esse verissimum Matrimonium, si vtriusque coniugis consensus interuenerit. Quod autem Euaristus Matrimonia clandestina iudicet illegitima, quia præsumitur defuisse mutuus consensus in coniugium, perspicuum est ex vltimis verbis epistolæ, vbi legimus Matrimonium esse illegitimum, nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima.

HANC autem solutionem admittere cogitur Canus, nisi velit contra decretum Tridentini Concilij credere, Matrimonia clãdestina non fuisse vera cõiugia, sed adulteria, vel stupra, aut fornicationes. Euaristus enim Matrimonia illa occulta nõ solùm negat esse Sacramenta, quod Canus audire cupit, sed etiam affirmat esse adulteria, stupra, fornicationes; quod nisi intelligatur in foro exteriore tantùm, manifestum errorem continet, vt concilium generale, cui Canus, vt verè Catholicus, parendum esse non dubitabat, apertissimè definiuit.

CONTROVERSIA TERTIA.

De vnitate coniugij.

CAPVT IX.

De polygamia multarum vxorum succeſſiuè.

SEQVITVR controuerſia tertia, de vnitate Matrimonij, ſiue de polygamia, quæ vnitati opponitur. Duæ ſunt partes principales huius cõtrouerſiæ. Vna, de polygamia multarum vxorum ſucceſſiuè. Altera, de polygamia multarum vxorum ſimul.

De polygamia multarum vxorum ſucceſſiuè, quarum videlicet vna alteri ſuccedat, duo ſunt, quæ nobis hæretici huius temporis obiiciunt. Primum eſt, quod polygamos non admittamus ad ſacros Ordines.

Sed de hac re diſſeruimus in primo libro de Clericis, vbi oſtendimus, Paulum vnius vxoris virum, id eſt, qui non plures vxores habuerit, Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum ordinarij voluiſſe, 1. Timoth. 3, & Tit. 1.

Alterum eſt, quòd prohibeamus Chriſtianis iſtam polygamiam. Kemnitius enim in 2. parte Exam. pag. 1226. ſcribit, Catholicos exiſtimare, ſecundas nuptias non debere benedici, eo quòd Sacramento careant, & fornicationes ſint, ac proſtitutiones; & allegat decretum Gratiani, can. Hac ratione. & can. Quomodo. 31. q. 1.

Sed hæc eſt manifeſta calumnia. Fuit quidem antiquus error Montani, vt refert S. Auguſtinus in lib. de hæreſibus, cap. 26. & Tertulliani, vt patet ex lib. eiuſdem de Monogamia, & Nouatianorum, teſte Theodoreto, lib. 3. de fabulis hæreticorum, ſecundas nuptias eſſe illicitas: Catholici verò, & verbo, & facto docent ſecundas nuptias: immò etiam tertias, & quartas, & alias deinceps eſſe licitas, & vera Matrimonia, atque adeò Sacramenta.

Id quod ex Apoſtolo manifeſtè colligitur, qui Rom. 6. affirmat; Mulierem viro ſuo mortuo non fore adulteram, ſi alteri viro nupſerit: & 1. Cor. 7. dicit: *Si Dormierit vir eius, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Quem locum diligenter expendit Auguſtinus libro de bono viduitatis, cap. 12. vbi obſeruat, B. Paulum nõ dixiſſe. Si dormierit primus vir, aut ſecundus, aut tertius; ſed indefinitè; *Vir eius.* Proinde ſemper nubere licet mortuo marito, quotus tandem fuerit. Idem Apoſtolus, 1. Timoth. 5. viduas iuniores hortatur, vt ſecundò nubant, ob incontinentiæ periculum.

PRÆTEREA Concilium Nicænum cano. 8. iubet Nouatianos non recipi, cùm ad Eccleſiam redeunt, niſi polliceantur ſe communicaturos etiam cùm ijs qui fortè ſecundas nuptias experti fuerint.

HVC accedunt teſtimonia Patrum, Ambroſij in libr. de viduis, Hieronymi in epiſt. ad Gerontiam, Auguſtini in lib. de bono viduitatis Chryſoſtomi homil. 20. in epiſt. ad Epheſ. & aliorum, qui ſecundas nuptias apertè probant, licet illis continentiam præferant.

DENIQVE Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum (iuxta fidem eius, qui ſummam Conciliorum collegit) non ſolùm ſecundas, & tertias, ſed etiam quartas, & alias deinceps nuptias, licitas eſſe declarauit.

AD id, quod obiicitur de benedictione, Reſpondemus, veriſſimum eſſe, ſecundas nuptias non benedici: ſed cauſam huius rei non eſſe, quia ſecundæ nuptiæ careant Sacramento. Nam illud primum, id eſt, ſecundas nuptias non debere benedici, affirmant grauiſſimi auctores, Patres Concilij Neocæſarienſis, can. 7. Ambroſius, ſiue quicunque fuit auctor, in 7. cap. prioris ad Corinth. & in 3. caput prioris ad Timoth. Auguſtinus ſermo. 243. de tempore. Iſidorus lib. 2. de officijs diuinis, cap. 19. Alexander III. & Vrbanus III. extra, de ſecundis nuptijs, cap. Capellanum, & cap. Vir autem. At ideò ſecundas nuptias non benedici, quòd Sacramento careant, Patres citati non dicunt, neque eſt verum: benedictio enim illa ad Sacramenti eſſentiam non pertinet, vt ſuprà oſtendimus. Cauſſa autem, cur ſecundæ nuptiæ non benedicantur, eſt, quia benedictio in primis nuptijs data non perit, neque debent iterum benedici, qui ſemel benedicti fuerũt, vt Vrbanus docet loco notato.

AD loca, quæ obiicit Kemnitius, facile eſt reſpondere. Nam vel Canonum illorum auctores Kemnitius reprehendit, vel Gratianum collectorem. Si auctores Canonum, cum antiquiſſimis Patribus bellum gerit, nõ cum Scholaſticis, vel recẽtioribus Doctoribus: tres enim Canones, qui in ſecundarum nuptiarum reprehenſionem eo loco citantur, deprompti ſunt ex auctoritatibus, qui ante mille & centum, vel mille & ducentos annos vixerunt. Si collectorem Kemnitius accuſat, iniquus & improbus eſt, cum eodem loco Gratianus apertè contrarium aſſerat, & multa teſtimonia Hieronymi, & Auguſtini adducat, vt probet non ſolùm ſecundas, ſed etiam quartas, & vlteriores nuptias licitas eſſe.

Sed expendamus etiam Canones à Gratiano citatos. Primus eſt Concilij Neocæſarienſis ante annos M.CC. celebrati: nam in eo Concilio, can. 7. prohibẽtur Presbyteri intereſſe celebritati ſecundarum nuptiarum, cùm pœnitentia iniungenda ſit ijs, qui ſæpius nubunt.

HVNC canonem aliqui intelligunt de ijs, qui ſimul plures vxores habere volunt: quod eſſe contra Euangelium, in ſequenti capite demonſtrabimus. Alij eundem canonem de ijs intelligunt, qui ſæpius nuptias contrahũt ſucceſſiuè, atque hos non peccare affirmant, quòd ſæpius nuptias appetant; ſed quòd in ſecundis nuptijs eam celebritatem adhiberi velint, quæ ſolùm in primis de more Eccleſiæ adhibenda eſt; & ideò pœnitentiam iniungendam illis eſſe à Presbyteris, à quibus ad eam celebritatem inuitantur, poteſt etiam fieri, vt antiqui illi Patres, qui alijs etiam in rebus ſeueriores erant, ob ſignum incontinentiæ notandos aliqua pœnitentia eſſe voluerint eos, qui ſæpe Matrimonia contrahunt: nam Concilium Laodicenum, cap. 1. fatetur, legitimas eſſe ſecundas nuptias, & tamen iniungit certi temporis pœnitentiam ijs, qui ſecundas appetunt. Sed quæcunque fuerit eorum Patrum mens, Concilium fuit particulare, cui rectè opponi poteſt Concilium Nicænum generale, can. 8. in quo ſecundæ nuptiæ apertiſſimè approbant.

SECVNDVS Canon tribuitur Chryſoſtomo, ſed reuera non ſancti Ioannis Chryſoſtomi, ſed alterius cuiuſdam eſt, cuius extat opus imperfectum in Matthæum: quod opus aut eſt hominis hæretici, aut eſt ab hæreticis corruptum, ſiquidem multa continet cum doctrina Orthodoxa pugnantia.

Verba præſentis Canonis habentur ſerm. 32. in cap. 19. Matthæi, vbi auctor iſte ſcribit, ſecundas nuptias ab Apoſtolis præcipi ob incontinentiam hominum, ſed reuera fornicationem eſſe. Quæ verba nonnulli ita exponunt, vt velint eum auctorem per hyperbolen vocaſſe fornicationem ſecundas nuptias, non quòd reuera fornicatio ſit, ſecundò nubere, ſed aliquid minùs bonum, quàm in viduitate permanere. Sed quidquid ſit de auctoris illius mente, certum eſt eius verba non habere in dogmatibus auctoritatem: præſertim, cùm verus Chryſoſtomus, homilia 20. in epiſtola ad Epheſ. dicat, ſecundas nuptias non poſſe damnari.

Poſtremus Canon S. Hieronymi eſt, in lib. 1. aduerſus Iouin. vbi tam multa ſcripſit, in laudem virginitatis, & continentiæ, vt viſus ſit nonnullis non modò polygamiam, ſed etiam nuptias abſolutè damnare.

Cæterùm in Apologia ad Pammachium pro libris aduerſus Iouinianum, diſertis verbis ſcripſit: *Non damno bigamos, immò nec trigamos, etſi dici poteſt, octogamos, &c.* & in comment. cap. 1. ad Tit, dicit, librum de Monogamia Tertulliani, vbi ſecundæ nuptiæ damnantur, eſſe hæreticum: & in epiſt. ad Gerontiam, de Monogamia. *Quid igitur?* inquit, *damnamus ſecunda Matrimonia? minimè, ſed prima laudamus: abijcimus de Eccleſia Digamos? abſit? ſed Monogamos ad continentiam prouocamus.* Itaque S. Hieronymus illicitas ſecundas nuptias eſſe cenſebat; ſed ſi quando vehementiùs ad Monogamiam hortabatur, id faciebat tum amore pudicitiæ, quo ſanctiſſimus ille vir mirè ardebat, tum ob incontinentiam multorum, qui non contenti ſecundo, aut tertio, vel etiam quarto Matrimonio, vſque ad viceſimum aliquando progrediebantur: refert enim in eadem epiſtola ad Gerontiam, Damaſi tempore fuiſſe Romæ par coniugum, quorum alter viginti vxores ſepelierat, altera maritos viginti, & vnum.

VNVS tamen adhuc ſcrupulus remanere videtur. Nã cùm Catholici doceant, Bigamos defectu Sacramenti nõ poſſe ad ſacros Ordines promoueri, videtur ſecundum Matrimonium apud Catholicos, vt Kemnitius dicebat, Sacramento carere.

RESPONDEO, Bigami, defectu Sacramenti, ſacris initiari nequeunt, non quod eorum Matrimonium Sacramentum non ſit, ſed quod perfectione quadam Sacramẽti careat. Qui enim Monogamus eſt, ſignificat Chriſtum ita eſſe vnum vnius coniugis virum, vt nunquam alteram habuerit: qui autem Bigamus eſt, ſignificat quidem Chriſtum eſſe vnum vnius, quod ad Sacramentum ſufficit: ſed non ſignificat ita eſſe vnius, vt non fuerit alterius, & tum defectu huius ſignificationis, tum ob alias cauſſas, de quibus egimus in diſputatione de Bigamia Clericorum, Bigami ad ſacros Ordines non aſſumuntur.

CAPVT X.

De polygamia multarum vxorum ſimul.

VNC, vt ad alteram partem huius controuerſiæ veniamus; primus qui inter Chriſtianos polygamiæ aditum patefecit, videtur fuiſſe Velẽtinianus Imperator, alioqui pius & Catholicus Princeps. Is enim (vt Socrates refert, lib. 4. hiſtor. cap. 27. cùm amore captus eſſet luſtinæ cuiuſdam, eámque in Matrimonium ducere vellet, retenta priore coniuge Seuera, ex qua Gratianum filium iam ſuſceperat: vt colore aliquo intemperantiam ſuam tegeret; legem promulgauit, vt liceret vnicuique duas ſimul coniuges habere.

NOSTRO tempore Martinus Lutherus, vt alios errores innumerabiles, ita etiam hunc errorem, cuius ferè nulla memoria apud fideles exſtabat, ab inferis reuocare conatus eſt. Nam in propoſitionibus de Bigamia Epiſcoporum, quas edidit anno M.D.XXVIII. ita ſcripſit, propoſitionibus 65. & 66. *Nota ſunt iura Moſayca, de fratris defuncti vxore, & de filia corrupta inuito patre, quæ cogunt plurium eſſe vxorum virum: quæ non magis ſunt abrogata, quàm reliqua omnia, id eſt, libera, nec prohibita, nec præcepta.* & ſuprà in propoſitione 62. & ſequentibus, dicit, apud Ethnicos fortaſſe ſcandalũ fore, ſi Chriſtianus plures vxores habeat: tamen inter Iudæos non eſſe ſcandalum, & ideò non poſſe oſtendi id eſſe illicitum. Et quia in tota Europa, & Africa vix vlli ſunt cum Chriſtianis Ethnici, ſed tantùm Iudæi, & Mahumetani, quibus vxorum multitudinem Pſeudopropheta ſuus conceſſit; ſecũdum Lutheri ſententiam liceret in his omnibus regionibus vxores multas ducere. Quid? quod idem Lutherus in explicatione Geneſeos, quàm anno M.D.XXV. edidit, in commentario ad cap. 16. nõ obiter, ſed ex profeſſo diſputat, vtrum Chriſtianis liceat exemplo Abrahæ plures ſimul vxores habere: ac tandem reſpondet, id neque eſſe præcepum, neque prohibitum, ſed liberum; & ſe quidem nolle hanc nouam conſuetudinem introducere, ſed nec improbare poſſe, cùm exẽpla Patrum adhuc ſint libera.

HANC Lutheri ſententiam Anabaptiſtæ ſequuntur, vt Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 1229. teſtatur, vbi fatetur rectè à Concilio Tridentino damnari hunc errorem de polygamia plurium vxorum ſimul. Quare fateri debet, rectè etiam damnari Archiprophetam Lutheranorum, qui in eodem errore fuit, vt reuera damnaretur in 2. can. Concilij Tridentini, ſeſſ. 24. his verbis, *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Hæc enim verba Concilij, quæ à Kemnitio approbantur, propriè in Lutheranos diriguntur, cuius eſt illa ſententia, polygamiam non eſſe à Deo præceptam, nec prohibitam.

NEQVE eſt noua hæc definitio Cõcilij Tridentini. Idem enim definiuit olim Syricius in epiſt. 1. & Innocentius I. in epiſtol. 9. & Innocentius III. can. Gaudemus, ne diuort. ac denique multi alij, in toto titulo de ſponſa duorum, & apud Gratianum 24. q. 3. can. An non.

POTEST autem hæc veritas his argumentis confirmari. Primò Chriſtus Matth. 19. reuocat Matrimonium ad primam inſtitutionem, ac vult eam deinceps valere. Sed prima illa inſtitutio excludit polygamiam: igitur polygamia à Chriſto prohibita eſt. Maior propoſitio probatur: nam Dominus interrogatus à Phariſæis, an liceret vxorem repudiare, reſpondit non licere. *Quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et cùm inſtarẽt Phariſæi, Moſem permiſiſſe libellum repudij: Dominus iterum reuocans totam cauſſam ad primam inſtitutionem, ait: *Ad duritiam cordis veſtri Moſes permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic, &c.*

QVOD autem Matrimonium initiò inſtitutum omnino excludat polygamiam multarum vxorum ſimul, probatur primò ex modo loquendi; illa enim verba in numero ſingulari: *Maſculum & fœminam fecit eos.* &, *Adhærebit vxori ſuæ.* &, *Erunt duo in carne vna.* apertè indicant, Deum voluiſſe Matrimonium eſſe cõiunctionem vnius cum vna, non vnius cum multis.

SECVNDÒ ex illa explicatione Chriſti: *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* hæc enim verba ſignificant Matrimonij initiò inſtituti eum eſſe effectum, vt qui coniunguntur, fiant vna caro: at ſi vnus multis iungatur, nõ erit vna caro, ſed multæ, nec tam fiet vnio, quàm diuiſio per tale Matrimonium.

TERTIÒ patet ex ipſa prima creatione hominis. Nam ſi Deus voluiſſet Matrimonium eſſe vnius cũ multis, creaſſet Adamo non vnam tantùm, ſed multas fœminas, quas in vxores ducere potuiſſet. Nam non poterat Adam vxorem habere, niſi quæ cum illo creata fuiſſet à Deo; repugnat enim omninò naturæ, vt pater ducat filiam aut neptem: omnes autem fœminæ, præter Euam, filiæ aut neptes fuerunt. Itaque coẽgit Deus Adamum Monogamum eſſe.

Accedat vltimò conſenſus Patrum. Nam Hieronymus, Chryſoſtomus, Beda, Theophylactus, & Anſelmus in commentario, ad cap. 19. Matth. Ambroſius in lib. de viduis extremo, & Auguſtinus lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia, cap. 9. docent Matrimonium initio inſtitutum, excludere polygamiam; immò rationes paulò antè allatæ, ex his Patribus depromptæ ſunt ferè omnes.

SECVNDÒ, Chriſtus Matthæi 5. & 19. Marci 10. & Lucæ 16. declarat eum; qui dimiſſa vxore aliam duxerit; mœchari. Ex quibus teſtimonijs colligitur polygamiam iure Euangelico eſſe omnino illicitam: nam ideò mœchari dicitur, qui dimiſſa priore aliam ducit, quia prior non poterat dimitti, & licèt videatur dimiſſa corã hominibus

tamen adhuc verè est vxor illius,qui eam primò duxerat. Nam si per dimissionem desiisset esse vxor,non mœcharetur vir eius aliam ducens,quemadmodum nõ mœchatur,qui priore vxore mortua aliam ducit.Quod si mœchatur qui aliam ducit viuente priore, non licet igitur plures coniuges habere,nisi adulteria licita esse velimus, & si non licet aliam ducere, dimissa priore,multò minùs, priore retenta.Nam non licet priore dimissa aliam ducere,quia prior adhuc est vxor,at multò magis est vxor quę non est dimissa:quare viuente priore vxore,siue dimissa, siue retenta,illicitum est ducere aliam.

HOC argumentum non videtur Caietano satis solidum: scribens enim Caietanus in cap.19.Matthæi, dicit hoc argumentum non carere scrupulo, propter verba quædam Marci.Deinde scribens in caput 10.Marci,explicat scrupulum antea notatum : est autem hic scrupulus, quoniam Marcus referens verba Domini,non dixit,*Qui aliam duxerit,mœchatur*,sed: *Qui aliam duxerit,mœchatur super eam.* Ex quo vult Caietanus intelligi (si tamen ego rectè illum intelligo;obscuriùs enim loquitur,more suo) secundum illud coniugium non vocari à Christo adulterium simpliciter,sed adulterium in iniuriam prioris vxoris,id est,adulterium impropriè,& secundum aliquid,non absolutè,& propriè.

SED iste scrupulus facilè eximi potest. Nam imprimis illa verba.*Super eam*,non habentur apud Matth.c.19. & Lucam.cap.16. isti enim Euangelistæ absolutè dicunt, mœchari eum,qui aliam duxerit.

NEQVE obstat,quòd Caietanus dicit,debere exponi Matthæum & Lucam, per Marcum,qui addidit quod alij omiserunt.Nam Euangelistæ licet interdum omittãt aliquid,quòd ab alijs suppleatur,tamen semper verum dicunt,& ita sufficienter,vt possint intelligi etiam ab ijs,qui non legerint alios Euangelistas:alioqui ij,qui solùm vnũ aliquando habebant , decepti fuissent. Quare expositio vnius Euangelistæ per alium,non debet esse talis,vt sine ea reddatur falsum, quod aliquis eorum dixit. Oportet igitur,vt perspicuè verum sit quod Matthæus, & Lucas dicunt, videlicet absolutè mœchari eum, qui secundum vxorem ducit,prima viuente:alioqui decepti fuissent,qui Matthæum,aut Lucam sine Marco legissent.

PRAETEREA illa verba: *Mœchatur super eam*, non tollunt adulterium, sed ponunt, & aliquid præterea addunt. Mœchari enim super dimissam vxorem , est verè Mœchari, sed cum iniuria addita iniustæ dimissionis: & aliter exponere,est sine vlla caussa relinquere propriam, & germanam verborum significationem, & fingere tropos ad arbitrium,quod si liceret,liceret etiam Scripturas omnes corrumpere,& depravare.

ADDE, quòd Augustinus lib.1. de adulterinis coniugijs,cap.11. & Beda in commentario ad cap. 10. Marci, ita Marcum exponũt,vt nos diximus: & Innocentius III. cap.Gaudemus,de diuortijs, totum argumentum , quod hactenus explicuimus habet,& ante eum Innocentius I. in epist.3. ad Exuperium,c.6. & omnes alij Patres, quos in sequenti quæstione citabimus, qui affirmant verè eum mœchari,qui viuente priore vxore,etiam dimissa per repudium,alteri iungitur.

SED fortè Caietanus dicere voluit , mœchari super eam,esse verum adulterium, quia ducitur tunc alia vxor, inuita priore,quæ iniustè dimissa est : at retenta , & consentiente priore,non esse adulterium,si ducatur alia;proinde non apertè colligi ex verbis Domini, prohibitionem polygamiæ.

RESPONDEO: consensus vxoris neque sufficit,neque requiritur ad polygamiam licitam reddendam.Nam tẽpore Christiano , quo interdicta est polygamia etiamsi prior vxor maximè vellet, vt maritus aliam duceret,non tamen id ei liceret : tempore autem Patriarcharum , quo polygamia licita erat,non requirebatur consensus;vt patet de vxoribus Iacob.Non enim verisimile est, consensisse Liam,vt Iacob acciperet Balam Rachelis æmulæ suæ ancillam in vxorem;neque contra consensisse Rachelem, vt Iacob acciperet Zelpham ancillam Liæ:sed Iacob iure suo vtebatur. Sic etiam Dauid multas vxores accepit, prioribus id ignorantibus, neque vsquam legitur, maritum petiisse vxoris prioris consensum,vt ei liceret aliam ducere.Quare non facit adulterium, inuita vxore aliam ducere , sed aliam ducere priore viuente , & vxore permanente.

TERTIÒ probatur ex Apostolo.Nam imprimis Apostolus vbicunque loquitur de Matrimonio , semper loquitur de vxore in numero singulari, vt 1.Cor.7. *Vnusquisque suam vxorem habeat.&, Alligatus es vxori? noli quærere solutionem,&c.* Deinde idem Apostolus apertissimè scribit,vxorem non posse, viuente marito, alicui alteri nubere.Rom.7.*Viuente viro vocabitur adultera,si fuerit cum altero viro.*Et 1.Cor.7. *Iis qui Matrimonio iuncti sunt,præcipio,non ego,sed Dominus,vxorem à viro non discedere;quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*Et infrà:*Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit:quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege; cui vult nubat.* Quæ loca prohibent polygamiam ex parte fœminarum expresè,id est, prohibent ne fœminæ plures nubant,viuentibus viris prioribus. Sed prohibent etiam consequenter polygamiam ex parte virorum, id est, ne viri plures simul vxores ducant.Nam licet minùs repugnet rationi,ac naturæ, vt vir plures vxores, quàm vxor plures maritos habeat , vt inferius demonstrabimus, vtrumque tamen rationi repugnat.

ET præterea quidquid sit de iure naturæ,iure Euangelico pares sunt, vir, & fœmina , quantum ad fidem, & debitum coniugale,vt ipse idem Paulus explicat 1.Cor. 7.cùm ait: *Vxori vir debitum reddat,& vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet,sed vir:similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet , sed mulier.* Quibus verbis Apostolus significat,in cõtractu Matrimonij Christiani,quod est Sacramentum vnius Christi cum vna Ecclesia,ita coniungi virum vxori,vt se totum illi tradat,sicut se totam viro mulier tradit: ex quo sequitur, vt sicut non potest mulier sine iniustitia se tradere alteri viro ; ita nec possit vir sine iniustitia se tradere alteri fœminæ.

QVARE S.Augustinus licet in libro de bono coniugali,cap.17.scripserit,magis absurdum esse, si vna mulier multis viris,quàm si vnus vir mulieribus multis iungatur:tamen in lib.1,de adulterinis coniugijs,cap.8.docuit parem esse in Matrimonio Christiano fœminã viro,quod attinet ad monogamiam ; & ideò sicut, Apostolo teste, mulier adultera erit , si viuente marito fuerit cum altero viro,ita etiam è contrario vir adulter erit,si viuente vxore fuerit cum alia fœmina.

Colligimus igitur ex Apostolo hanc rationem;Mulier non potest iuxta Apostoli doctrinam plures viros habere. Sed iuxta eundem Apostolum pares sunt, vir & mulier, in hac re ; Non igitur potest iuxta Apostolum vnus vir plures vxores habere.

QVARTÒ polygamia tum ex parte viri,tum ex parte vxoris,iuri naturæ, & rationi Matrimonij repugnat ; non igitur licita est,præsertim in lege Euangelica,quæ sustulit permissiones omnes quæ erant in lege veteri. Antecedens,quod attinet ad polygamiam, qua vna mulier multis simul viris nuberet , apud omnes certum , & exploratum est : nam talis polygamia repugnat omnibus Matrimonij finibus.

POSSVNT autem distingui quatuor fines Matrimonij,doctrinæ caussa. Finis primarius est, susceptio & educatio prolis.At cùm vna mulier non nisi simul in anno parere possit, ab vno viro sufficienter fœtari poterit. Si verò pluribus iungatur, non solùm non pariet sæpius, sed rariùs,aut nunquam pariet : experiẽtia enim testatur,

meretri

meretrices infœcundas esse.Deinde nemo virorum illorum,quibus,eadem vxor communis esset,filios suos nosset,quod sanè educationi liberorum plurimùm noceret.

ALTER finis Matrimonij est, domestica societas,& communicatio operum , quæ ad vitam necessaria sunt. Nam vt Aristoteles docet lib.8.Ethic.cap.12. vir & vxor non iunguntur solùm ad procreandum , vt animalia cætera, sed etiam ad cohabitandum , vt simul familiam regant,& officia domestica inter se partiantur : alia enim munia viro,alia vxori conueniunt.Hic autem finis omnino impediretur per multitudinem virorum in eadem familia:essent enim multa capita vnius corporis. Quocirca sicut multi serui possunt esse vnius Domini ; non tamen potest vnus seruus multis dominis rectè seruire.sic etiam potest aliquo modo vnus vir multas coniuges simul habere , nullo autem modo potest vna fœmina multos simul habere maritos.

TERTIVS finis est , vt sit coniugium in remedium contra concupiscentiam. At istud coniugium vnius fœminæ cum multis viris,non modò remedium non adferret contra concupiscẽtiam,sed etiam iras,rixas,& discordias implacabiles excitaret inter riuales , vt notum est, quas discordias non posset vxor vlla ratione compescere, cùm ei conueniat subiici , & obedire,non præesse , & dominari.

QVARTVS finis est, vt sit Sacramentum Christi & Ecclesiæ,cui fini maximè repugnat ista polygamia Vnus enim Deus est,cui Ecclesia iungitur,non multi : nec potest Ecclesia,siue anima quæuis multis Dijs cõiungi,nisi fornicando.

SVNT autem hæ rationes S.Augustini lib.3. de doctrina Christiana,cap.12.& lib.de bono coniugali,cap 17. vbi etiam hanc ipsam sententiam probat exemplo veterum Sanctorum. Inueniuntur enim quidam Sanctorum,qui plures vxores habuerunt,sed quæ maritis pluribus iuncta fuerit, nullam omninò sanctarum legimus fœminarum.

QVOD verò ad polygamiam illam attinet,qua vnus vir multas vxores habet , non est omninò extra controuersiam,an talis polygamia iuri naturæ repugnet.Durandus enim in 4.dist.33.q.1. & Alphonsus Episcopus Abulensis in cap.19.Matt.quæst.30. docent, non repugnare: Innocentius tamen Põtifex cap.Gaudemus , de diuortijs, & Theologi plerique in dist.33.lib.4.sententiam contrariam tuentur. Nam etiamsi coniugium vnius viri cum multis vxoribus,non repugnet primo fini Matrimonij,id est,prolis propagationi , & educationi ; cùm facilè possit vnus vir ex multis fœminis liberos procreare , & alere; tamen alijs finibus apertè repugnat.

NAM secundus ille finis,qui est socialis,cohabitatio, & domus gubernatio,non parum impeditur per vxorum multitudinem.Siquidem vxor,licet sit viro subiecta,non tamen vt famula,sed vt socia,& collateralis:& ideò ipsa quoque in domo principatum habet,vt fusè tradit Chrysostomus homil.20.in epist.ad Ephesios, & idem probat S.Thomas 1.parte quæst.92. artic.3. ex ipsa productione mulieris:ideò enim non ex capite,neque ex pedibus, sed ex latere formata est,vt neque dominetur viro,neq; subijciatur instar ancillæ, sed socia sit, & collateralis. Quod etiam testantur honorum vocabula : Regum enim vxores Reginæ,& Augustorum Augustæ dicuntur.Iam verò omnis principatus sua natura diligit singularitatem , vt Augustinus docet libr. de bono coniugali, cap.17. repugnat igitur Matrimonio, vt vnius viri plures sint coniuges.

ATQVE hinc intelligimus argumentum Augustini loco citato,quo ipse probat,non ita esse contra rationem, si vnus vir plures vxores habeat,quemadmodum est cõtra rationem,si vna mulier multos viros habeat;quia non est contra rationem,vt vnus dominus multos seruos habeat;cùm sit contra rationem vt vnus seruus multos habeat dominos. Intelligimus, inquam, hoc argumentum non probare, non esse absolutè contra rationẽ, vt vnus vir multas vxores habeat: siquidem magnum est discrimen inter subiectionem seruorum ad dominum, & subiectionem vxoris ad virum ; sed tantùm probare, minùs esse absurdum, vt vnus vir plures vxores , quàm vt vna mulier plures viros habeat , cùm vir sit caput mulieris, non contrà mulier viri.

TERTIVS finis,qui est remedium contra concupiscentiam, impeditur etiam per istam polygamiam vnius viri cum multis vxoribus. Nam sine dubio non potest vnus vir ita debitum reddere multis vxoribus, atq; redderet vni:& videtur, vt in tertia ratione diximus, iniquitas quædam,vt vxor se totam viro tradat, vir autem non se totum vxori. Et præterea cùm vix fieri possit, vt non magis vna diligatur,quàm altera,inde rixæ,& contentiones ex hac polygamia,facilè nascuntur : sicut etiam inter sanctas fœminas,Saram & Agar; Liam,Rachelem natas esse,Scriptura testatur,Genes.16.& 30.& inter Annam & Phenennam,1.Reg.1.Neque verum est,quod scribit Durandus,eiusmodi rixas per accidens oriri,ex prauitate scilicet fœminarum. Nam è contrario potiùs per accidens fieret,ex bonitate fœminarum, si eæ non orirentur, cùm eas polygamia secum adferat.

QVARTVS denique finis,nimirum Sacramentum, sine controuersia polygamiæ repugnat.

HIS accedit prima institutio: si enim polygamia naturæ conformis esset, sine dubio Deus initio illam instituisset , cùm & esset eo tempore maximè necessaria ad propagandum genus,& naturalis origo tunc formaretur. At è contrario Deus initio monogamiam instituit , vt in prima ratione ostendimus ; non est igitur polygamia secundum naturam.

QVINTVM argumentum sumi potest ex Ecclesiæ consuetudine. Si enim polygamia Christianis licita esset, aliquod exemplum proferretur probatorum Christianorum,qui plures simul cõiuges habuissent.Mirabile enim est, exempla Patriarcharum , vt Lutherus dicit , semper fuisse libera , & licita:& tamen nullum probum virum nominari posse , qui in totis M.D. annis exempla illa imitatus cum laude fuerit.

QVID? quòd non solùm Christiani semper monogamiam coluerunt , sed etiam Ethnici apud Romanos. Nam in iure ciuili ab Imperatoribus Gentilibus infamiæ nota , aliisque pœnis polygami afficiuntur , vt pater.ff.de his,qui notantur infamia.l.1.item C.de incestis nuptijs.l. Neminem.& ad legem Iuliam , de adulterijs,l.eum qui. Aristoteles etiam tum in Politicis,tum in vtroque Oeconomico,monogamiam præcipit.Sed de his hactenus.

CAPVT XI.

Soluitur argumentum aduersariorum ex Patriarcharum exemplo ductum.

SED argumentum soluendum est Lutheri, & Anabaptistarum,quod ab exemplo Abrahæ,Iacob, Dauid, aliorúmque Patriarcharum sumitur,quos & vxores multas habuisse, & simul Deo gratos,atque acceptos fuisse constat. Quod argumẽtum variis modis dissolui solet.

Quidam enim docent,Patriarchas vnam tantùm vxorem legitimam habuisse,cæteras verò,concubinas eorum fuisse.Id quod probant primùm ex illis verbis Iudeorum Ioan.8.*Nos ex fornicatione non sumus nati*; videntur enim significare voluisse Euthymio interprete, se non descendere ex Agar concubina Abrahæ, sed ex legitimâ, eius vxore Sara.

DEINDE, quia Scriptura passim concubinas appellat mulieres illas , quæ præter vxorem Patriarchis adhæ-

rebant; neque filios eorum hæredes fuisse docet, vt patet ex illis verbis Genes.25. *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac; filijs autem concubinarum largitus est munera.*

VLTIMÒ ex Patribus; nam Ambrosius libr.1. de Abraham, cap.4. cùm factum Abrahæ defendere vellet, qui ex ancilla filium quæsierat, viuente Sara vxore, tres adfert excusationes. Prima est, quòd eo tempore nondum adulterium lege prohibitum esset. Secunda, quòd amore posteritatis, non ardore libidinis id fecerit, & de cõsensu vxoris: & tandem eius rei pœnitentiam egerit. Tertia, quòd id egerit ad aliquid futurum significandum, iuxta Apostolum ad Galat.4.

Sanctus etiam Augustinus libr.2. contra aduersarios legis & Prophetiæ, cap.9. lib.22. contra Faustum, cap.30. & lib.16. de ciuitate Dei, cap.25. idem crimen Abrahæ à Manichæis obiectum excusat, quòd non libidine, sed prolis gratia, idque vxore cogente fecerit. Potuisset autem vno verbo crimen diluere, si existimasset Agar veram coniugem Abrahami fuisse.

DENIQVE sanctus Leo epist.92. ad Rusticum Narbonensem, cap.4. distinguit inter vxorem, & cõcubinam, ac docet concubinam non esse veram vxorem, ita vt si quis habens concubinam, ducat aliam in vxorem, ille non censeatur duplicare coniugium: ponit autem exemplum de Sara & Agar. Quare videtur sensisse, Agar non veram fuisse Abrahæ coniugem.

SED hæc sententia est improbabilis, nec difficultatem soluit. Nam quidquid sit de Sara, & Agar, certè Lia, & Rachel duæ veræ coniuges erant Patriarchæ Iacob, vtraque enim libera erat, & vtraque vxor perpetuò nominatur: & idem dici potest de Anna, & Phenenna vxoribus Helcanæ, & alijs permultis.

DENIQVE, quis credat Patriarcham Abraham virum sapientissimum, & sanctissimum, immò parentem omnis sanctitatis, & in Scripturis ab Apostolis, & Prophetis, & ab ipso Christo semper cum honore nominatum, vel ignorasse adulterium esse peccatum, vel adigi potuisse consensu coniugis, aut alia vlla de causa ad id perpetrandum, quod peccatum esse non ignoraret?

ADDE, quòd si non fuissent illæ veræ vxores Patriarcharum, oporteret dicere Patriarchas non tantùm semel, aut iterum ex humana fragilitate, sed toto ferè vitæ tempore, idque palàm, & ex professione peccasse: illas enim mulieres perpetuò & publicè retinebant.

PRÆTEREA Deus ipse dicit Dauidi, 2.Reg.12. *Dedi vores Domini tui in sinum tuum*: at quomodo, quæso Deus adulterij auctor esse potest?

DENIQVE B.Paulus ad Galat.4. scribit, duos filios Abraham significasse duo testamenta, siue duos populos; & sicut Abraham vnum filium habuit ex libera, id est, Sara, alterum ex ancilla, id est, Agar: ita Deum duos habuisse populos, vnum ex Synagoga serua, alterum ex Ecclesia libera. Significauit igitur Agar Synagogam. At Synagoga non fuit adulterina coniunctione Deo copulata, sed legitima; ergo & Agar, si vera est, significatio, non fuit adultera concubina, sed legitima coniunx Abrahæ.

NEQVE argumenta illa concludunt; nam illud, *Nos ex fornicatione nõ sumus nati*, intelligi debet de fornicatione spirituali, quæ est idololatria, non de fornicatione carnali, vt hunc locum S. Augustinus rectè exponit: ideò enim illi addunt; *Sed vnum Patrem habemus Deum.* ac si dixissent, Nos non de cendimus ex gentibus idololatris, qui cum multis Dijs fornicantur, sed ex Patriarchis vnius Dei cultoribus.

DEINDE idem patet ex verbis superioribus: suprà enim dixerant, se Patrem habere Abraham, & inde concludunt postea se non esse ex fornicatione, ita vt idem sit esse ex Abraham, & non esse ex fornicatione. At si ageretur de fornicatione carnali, & per fornicationem intelligeretur coniunctio cum Agar: fuissent ex fornicatione, etiamsi fuissent ex Abraham. Si verò agatur de spirituali fornicatione, id est, de idololatria, verissimè dicuntur non esse ex fornicatione, qui sunt ex Abraham, quia Abraham idololatra non fuit, sed vnius Dei fidelissimus cultor.

NEQVE secundum argumentum concludit. Nam in Scriptura etiam veræ & legitimæ vxores aliquando dicuntur concubinæ, & ipsæ concubinæ dicuntur vxores. Siquidem Genes.16. Agar dicitur vxor. Genes.21. Cethura dicitur etiam vxor, & paulò pòst tam ipsa, quàm Agar dicuntur concubinæ: & Iudic.19 vxor vera, & legitima, immò & vnica cuiusdam Leuitæ, nunc vxor, nunc concubina nominatur.

ERANT autem duo genera vxorum, tum apud Hebræos vetères, tum etiam apud Gentiles. Quædam, quæ ducebantur non solùm ad procreandos liberos, sed etiam ad societatem omnium bonorum, & totius domus gubernationem, atque harum tantùm filij erant hæredes, & hæ propriè dicebantur matresfamilias. Quædam erant legitimæ etiam vxores, sed non admissæ ad societatem bonorum, & domus gubernationem, & hæ neque matresfamilias dicebantur, neque earum filij hæredes erant, & hæ tum vxores, tum concubinæ nominabantur.

ID in vsu fuisse apud Hebræos, patet ex cap.25. Gen. suprà citato. Apud Gentiles autem id fuisse in more positum, perspicuum est ex Gellio lib.18. cap.6.

ET hoc modo exponit Gratianus dist.34. can. Omnibus, canonem vltimum Concilij Toletani, vbi dicuntur admitti posse ad Communionem ij, qui vna muliere contenti sunt, siue ea sit vxor, siue concubina: dicit enim cõcubinam vocari eam, quæ verè esset vxor, sed priuatim ducta, sine legalibus instrumentis.

AD tertium argumentum ex Patribus desumptum, respõdeo, Ambrosium varijs modis Abrahamum defendere conatum esse, sed in vltima responsione veram defensionem posuisse. In vltima enim responsione apertè scripsit, coniugium Abrahæ cum Agar non fuisse peccatum, sed mysterium: Deus enim ita fieri voluit ad aliquid futurum significandum, vt Apostolus exponit Galat.4. Ex quo intelligimus, Ambrosium existimasse, cõiugium cum pluribus vxoribus alioqui illicitum, Dei dispẽsatione factum esse licitum: quæ est solutio, quam posteà Innocentius III. & Scholastici secuti sunt.

PORRÒ S. Augustinus in locis citatis non dicit, Agar non fuisse vxorem, aut coniunctionem Abrahami cum ipsa fuisse adulterium, sed solùm dicit, eum non peccasse peccato libidinis, quia solùm ob amorem prolis, & ex consensu vxoris aliam mulierem cognouit.

AT, inquiunt, potuisset vno verbo crimen depellere, si dixisset, Agar veram coniugem fuisse, & eo tempore licitam fuisse polygamiam. Respondeo hoc alibi dixit Augustinus. Nam in lib.16. de ciuitate Dei, c.38. apertè scripsit, Iacob Patriarcham quatuor vxores habuisse, quia eo tempore nulla lex id prohibebat: & libr.22. contra Faustum, cap.47. dicit eo tempore id non fuisse contra leges, neque contra consuetudinem, & ideò fuisse licitum. Sed quia Manichæi præcipuè obiiciebant Patriarchis libidinem ac petulantiam, idcirco S. Augustinus, & sæpius, & & fusiùs demonstrare conatur, Patriarchas non lubrico carnis, sed amore posteritatis operam vxoribus dedisse.

QVOD ad sanctum Leonem pertinet, distinguit ille vxorem à concubina, & liberam ab ancilla: & concubinam ita accipit, vt ea non vera vxor intelligatur: sed cùm exemplum adfert Saræ & Agar, de libera, & ancilla loquitur. Neque necessariò sequitur, vt velit esse omninò eandem, ancillam & concubinam; liberam, & vxorem: nam & multæ sunt concubinæ, quæ tamen sunt liberæ; & multæ sunt ancillæ, & tamen vxores. Quare ad exempli à sancto Leone allati veritatem, satis est, si Agar ancilla

cilla fuerit Abrahæ, quod est verissimum: non autem necesse est, vt eadem vxor non fuerit. Fateor tamẽ Leonem obscurius & diuisculè loqui: vnde lib.1. de Concilijs, cap.8. cùm explicarem canonem 17. Concilij Toletani I. dixit, Agar ex sententia S. Leonis non fuisse verã Abrahæ vxorem, sed concubinam tantùm, sequutus nimirum Glossam in canonem; Non omnis 32. quæst.2. sed in re dubia, pium existimo, Leonem exponere, vt iam feci.

EST igitur alia sententia aliorum, qui nõ solùm docent, fœminas illas Patriarcharum veras, & legitimas vxores fuisse, sed etiam affirmant id non esse prohibitum, nisi iure positiuo Euangelico. Quam sententiam esse volunt sanctorum Patrum Hieronymi, & Augustini.

HIERONYMVS enim in epist. ad Oceanum de Monogamia Clericorum, sic loquitur: *Sciebat*, Apostolus, *lege concessum, & exemplo Patriarcharum, ac Moysi, familiare populo nouerat in multis vxoribus liberos spargere.* Hæc ille. Non igitur contra legem vllam, sed potiùs secundùm legem erat polygamia, temporibus Hebræorum.

AVGVSTINVS lib.3. de doctrina Christiana, cap.12. *Sufficiendæ*, inquit, *prolis causa, erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* Et lib.16. de ciuitate Dei, cap.38. *Eo tempore multiplicandæ posteritatis causa multas vxores habere lex nulla prohibebat.* Denique lib.22. contra Faustum, cap.47. *Peccata alia sunt contra naturam, alia contra morem, alia cõtra præceptum. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quòd de pluribus vxoribus simul habitis obijcitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed generandi caussa illis mulieribus vtebatur: si morem, illo tempore, & in illis locis hoc factitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur.* Hæc ille.

HÆC tamen sententia, repugnat Innocentio III. cap. Gaudemus, de diuort. vbi dicit nulli vnquam fuisse licitum sine diuina dispensatione, plures simul vxores habere: repugnat etiam Chrysostomo homil.56. in cap.30. Geneseos, vbi dicit, consuetudinem plurium vxorum habendarum fuisse malam, & ideò à Christo abolitam; sed Patribus antiquis fuisse licitam, quia à Deo permissam: repugnat quoque Ambrosio, qui vt suprà vidimus, non potuit Abrahamum excusare ab adulterij crimine, nisi ratione mysterij, nimirum, quia Deus dispensauerat in lege Monogamiæ ab initio institutæ.

PRAETEREA si solo iure Euangelico positiuo, non autem iure naturali prohibita esset polygamia, liceret hoc tempore infidelibus plures vxores habere: neque enim illi tenentur particularibus legibus Euangelij, antequam Christiani fiant. At post Christi aduentum, & prædicationem, omnibus hominibus illicita est polygamia, vt ex eo patet, quòd si infidelis polygamus ad Baptismũ veniat, cogitur dimittere vxores omnes, præter primam: quia indicat Ecclesia solum coniugium cum prima verum esse Matrimonium, vt patet ex cap. Gaudemus, de diuortijs.

NEC responderi potest, eiusmodi infidelem cogi post Baptismum dimittere vxores præter vnã, quia lex Christiana prohibet, ne quis habeat plures simul vxores, etsi id in Gentilitate licitum fuerit. Nam lex Christiana prohibet etiam dirimi vera Matrimonia: ac proinde si illa fuissent vera Matrimonia, non dirimerentur ab Ecclesia, sed solùm præciperetur eiusmodi homini, ne deinceps alias vxores duceret, nisi omnibus illis mortuis, quas antè duxisset: quemadmodum fieri videmus in Matrimonijs contractis ab infidelibus, in gradibus ab Ecclesia prohibitis. Nam quia lex Ecclesiæ non obligat infideles, Matrimonia cẽsentur legitima, nec dirimuntur, cùm illi veniunt ad fidem, etiamsi dirimerentur, si post Baptismum acceptum fierent; quod totum ex eodem cap. Gaudemus, cognoscere licet.

DENIQVE refellitur argumentis omnibus, quæ in quarta ratione facta sunt.

NEQVE Hieronymus, & Augustinus nobis aduersantur: eorum enim sententiæ verissimæ sunt, posita dispensatione diuina, quam nos cum Innocentio, & Scholasticis ponimus. Ea enim dispensatione posita, non erat contra legem, immò erat secundum legem Mosis scriptam, Matrimonium cum pluribus simul vxoribus: consuetudo quoque illius temporis erat inculpabilis, vt Augustinus dicit. Et denique eadem dispensatione vigente, non erat contra naturam, plures vxores ducere, sed tantùm eas ducere lasciuiendi caussa, & ideò rectè dicit Augustinus, coniugia Patriarcharum non fuisse contra naturam, quia non fiebant lasciuiendi, sed gignendi caussa.

EST igitur tertia sententia Scholarum communis, Patriarchis ex diuina dispensatione licuisse plures vxores ducere. Sed quoniam de hac etiam re variæ sunt opiniones, & alij quidem volunt singulis Patribus peculiarem adfuisse diuinam inspirationem, qua intelligerent licere sibi diuina dispensatione pluribus vxoribus iungi alij volunt satis fuisse, si primis Patriarchis diuina inspiratione innotuerit ea dispensatio: & rursus alij hanc dispensationem tantùm cum populo Dei, alij cum omnibus Gentibus factam docent: exponam paucis propositionibus, quid mihi in hac re probabilius videatur.

PRIMA propositio: *Circa Polygamiam tam vxoris cum multis viris, quàm viri cũ multis vxoribus, nullus homo dispensare potest, & maximè post Euangelium prædicatum.* Patet, quia polygamia prohibita est primum iure diuino naturali, & deinde iure diuino Euangelico: non potest autem inferior dispensare in lege superioris, proinde nec homo in lege Dei.

SECVNDA: *Potest Deus dispensare circa polygamiam vnius viri cum pluribus vxoribus, non autem vnius vxoris cum multis viris.* Ratio est, quia duo genera præceptorum ad ius naturę pertinent. Quædam vniuersalia, & communissima, quæ sunt veluti principia prima iuris naturæ. Quædam alia, quæ ex primis tandem conclusiones deriuantur. Et quidem priora illa, continent ita vniuersaliter regulam rectitudinis, vt in nullo casu mutatione vlla indigeant, & ideò sunt omninò indispensabilia, qualia sunt præcepta Decalogi. Posteriora autem continent quidem regulam rectitudinis: sed aliquando mutatis circumstantijs rerum, & personarum, vtile est legem mutari, sed tamen etiam tunc mutari non potest, nisi ab eo, qui illam posuit.

IAM igitur polygamia fœminæ vnius cum multis viris, pertinet ad prima illa principia iuris naturæ, nec per vllam mutationem circumstantiarum potest fieri bona, quia repugnat, vt suprà ostẽdimus, omnibus finibus Matrimonij, ideò in illam nulla cadit dispensatio.

DICES, quid si sola esset vna mulier inter homines, & ea esset nupta viro sterili: nónne oporteret cum ea dispensare, vt nuberet alteri viro, ne mundus interiret?

RESPONDEO, Non esse periculum vt talis casus accidat: Deo enim curæ est prouidentia generis humani. Alioqui etiam quærere possemus num, deberet pater filiam vxorem ducere, aut filius matrem, si nulli alij inter homines superassent. Sed dato etiam illo casu, potiùs dispensandum cum ea esset, vt solueret vinculum cum priore marito, quàm vt duos maritos haberet.

PORRÒ polygamia vnius viri cum multis vxoribus, ad posterius genus præceptorum pertinet: quia, vt diximus, non repugnat primario fini, sed secundario tantùm, & fieri potest, vt aliquando vtile sit ad consequendum primarium finem, contemnere secundarium: & idcircò in illam legem cadere potest dispensatio, sed Dei tantùm, vt diximus, non hominum.

TERTIA propositio: *Vt Deus dicatur dispensare circa polygamiam, non requiritur externa aliqua locutio, vel Scriptura, nec sufficit quòd recta ratio dictet alicui illam esse licitam: sed requiritur peculiaris inspiratio Dei.*

PRIMA pars probatur, quia qualis est lex, talis etiam requiritur dispensatio. Lex autem prohibens polygamiam tempore Parriarcharum, non erat scripta in vllo libro, sed solùm impressa in mentibus: libros enim Scripturæ sacræ à Moïse initium habuisse certum est.

SECVNDA pars probatur, quia lex prohibens polygamiam, non erat solùm naturalis, quia cõformis rationi rectæ: sed quia Deus speciali inspiratione docuerat Adamum, quæ esset natura Matrimonij à se instituti, & proinde esse velle vt monogamiam contineret. Nam secundaria ista præcepta iuris naturæ, non habẽt vim coactiuam, nisi specialiter à Deo, vel ab aliquo Principe sanciantur; sed solùm obligant quatenus recta ratio docet ita esse faciendum, vel non faciendum, vt S. Thomas docet in 4. sentent. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 2. Sicut igitur speciali inspiratione sancita fuerat à Deo lex Monogamiæ, ita speciali inspiratione opus erat in eius dispensatione.

QVARTA propositio: *Dispensatio circa polygamiam, indicata est à Deo primis aliquot Patribus, deinde illorum verbo, aut exemplo ad cæteros peruenit.*

PROBATVR, quia iam tẽpore Abrahæ, & deinceps posteà res erat omnibus nota, adeò, vt Sara Abrahamum induceret ad secundam vxorem ducendam: Neque enim credibile est, Saram fœminam sanctissimam hoc facturam fuisse, nisi id licitum esse sciuisset: neque verisimile est, illi primùm hoc à Deo indicatũ. Pari ratione Laban obtulit Iacobo duas filias, & rursus illæ obtulerunt eidem duas alias vxores; neque ipse miratus est, aut dixit, non licere. Et denique Moses in Deuteronomio, tãquam de re nota, & passim licita loquitur, cùm ait: *Si fuerint alicui duæ vxores, vna dilecta, altera odiosa, &c.* Deuteron. 21. non igitur necesse erat, vt ad singulos fieret inspiratio diuina, sed satis erat, si primis Patribus facta fuerit; & fortasse soli Noë facta fuit, & deinde ipse alios docuit.

QVINTA propositio: *Probabile est dispensationem concessam omnibus Gentibus, non autem solis Hebræis.* Dico id esse probabile, quia non ignoro multos existimare, soli populo Dei id esse concessum, nimirum ad propagandam eam Gentem, vnde Messias nasciturus erat.

PROBATVR primò ex Augustino, qui in lib. 16. ciuit. cap. 38. & lib. 22. contra Faustum, c. 47. scribit, in terris vbi Iacob vxores quatuor duxit, fuisse morem ducendi plures vxores, posteritatis caussa, & eum morem fuisse inculpabilem, quia eo tempore polygamiam lex nulla prohibebat. Quo loco Augustinus indicat, dispensationem fuisse generalem, tum quia absolutè dicit, eo tempore nullam fuisse legem prohibẽtem polygamiam, quia nimirum lex naturalis propter generalem dispensationem nusquam obligabat, tum etiam, quia dicit in eo loco, & in illis terris, vbi Iacob tunc erat, id fuisse licitum. Locus autem ille Gentilium erat, non Hebræorum: siquidem Laban, cuius filias Iacob accepit vxores, idololatra erat, vt patet Genes. 31. tum denique quia caussa cur polygamia tunc esset licita, dicitur ab Augustino fuisse propagationis generis, seu sufficiendæ prolis: nec vsquam dicit, quod sciam, propagandi populi Dei tantùm.

SECVNDÒ probatur, quia Scriptura narrat, non solùm Abraham, & Iacob, & eorum posteriores, sed etiam Esau, qui ad populum Dei non pertinebat, multas vxores duxisse. Gen. 26. & 28. neque dubium videtur, quin Esau ad imitationem Abrahæ id fecerit; neque Scriptura eum reprehendit. Ismaëlitas quoque, qui vsque ad hanc diem consuetudinem polygamiæ retinent, ab Abrahamo, aliisque Patribus eam accepisse credibile est: & cum Scriptura Gentiles non reprehendat, quòd eo tempore plures vxores haberent, probabile est omnino generalem fuisse promissionem.

SEXTA propositio: *Probabile est, dispensationem hanc ante Christi aduentum cessasse, sed si non antè cessauerit, certum est à Christo omnino esse sublatam, ita vt iam non solùm Christianis, sed etiam alijs Gentibus omnibus polygamia prohibita sit.*

QVOD à Christo sublata dispẽsatio sit, si qua tunc erat, satis probatum est in primo argumento capitis superioris. Quòd autem probabile sit, anteà per se cessasse, inde colligimus, quòd iam anteà cessauerat caussa dispẽsationis: caussa enim fuerat paucitas hominum. Nam quia post diluuium homines pauciss imi erant, & non diu viuebant, vt ante diluuium, idcircò Deus ad faciliorem propagationem generis humani, indulsit polygamiam: sed antequam Christus veniret, iam plenissimus erat mundus hominibus; quare cessauerat caussa dispensationis.

ID quod homines etiam intellexisse videntur: nam nec apud Iudæos, nec apud Romanos erat in vsu polygamia rempore Christi, nisi fortè apud pauciss imos. Siquidem in Euãgelio siue discipuli, siue Pharisæi, siue alij loquãtur, semper de vxore in numero singulari loquuntur; & quod est manifestum iudicium huius rei, Zacharias pater Ioannis, cùm vxorem sterilem haberet, non tamen aliam vxorem accepit, sed cum illa vna vsque ad senectutem vixit, vt patet ex 1. cap. Lucæ.

VNVM adhuc solui posset argumentum ex epistola Gregorij III. ad Bonifacium, vbi vxorem secundam concessisse videtur cuidam ob ægritudinem primæ. Sed de hac re disseruimus lib. 4. de Pontifice, c. 12. Solutio communis est, illam primam non fuisse veram coniugem ob impedimentum perpetuum; atque id Gregorium declarasse.

CONTROVERSIA QVARTA.

De Matrimonij firmitate.

CAPVT XII.

Matrimonium infidelium solubile esse, etiam quoad vinculum.

SEQVITVR controuersia quarta, quæ est de Matrimonij firmitate. Vbi est initio obseruandum, aliud iudicium esse debere de coniugio fidelium, aliud de coniugio infidelium: & rursus aliud de coniugio fidelium rato, & non consummato, & aliud de coniugio fidelium rato, & consummato: denique aliud de coniugio fidelium consummato quoad diuortiũ, aliud quoad repudium. Ex quo quatuor quæstiones existunt de Matrimonij firmitate, sed vltima est huius loci maximè propria, & præterea à grauis admodum, & difficilis: ideò priores tres breuiter perstringemus.

PRIMA igitur quæstio de coniugio infidelium, breuissima erit. Cõiugium enim infidelium solui posse, etiam quoad vinculum, si alter coniugum conuertatur ad fidem, & alter nolit ei cohabitare sine iniuria Creatoris: extra controuersiam est, ex doctrina B. Pauli 1. Cor. 7. *Si infidelis discedit, discedat, &c.* Et ex doctrina Ecclesiæ, 28. q. 2. can. Si infidelis, & cap. Quanto, & cap. Gaudemus, de diuortijs.

NEQVE obstat illud: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Matth. 19. neque illud: *Qui dimiserit vxorem excepta caussa fornicationis, &c.* Ibidem neque illud, quòd propter hæresim non soluitur vinculum Matrimonij, cùm tamen hæresis species infidelitatis sit.

NAM ad primum responderi debet, hoc Matrimoniũ non dirimi ab homine, sed à Deo, cuius interpretem habemus Apostolum Paulum.

AD secundum Caietanus in cõmentario cap. 7. prioris ad Corinth. respondet, Christum dedisse libertatem

solis

solis viris, dimittendi caussa fornicationis vxores, non autem vxoribus dimittendi viros. Paulum autem loquutũ esse de caussa, quæ sit communis viro & vxori, & hanc esse voluisse, conuersionem alterius coniugis ab infidelitate.

Sed hæc solutio non videtur satisfacere argumento. Nam imprimis (vt infrà ostensuri sumus) Dominus loquitur de dimissione quoad torum, nõ quoad vinculum: in illa autem re pares sunt vir & vxor: potest enim & vir vxorem adulteram, & vxor virum adulterũ relinquere.

Sed neque hæc loca rectè conciliat Kemnitius, qui scribit in 2. parte Exam. pag. 1248. Christum loqui de eo, qui dimittit iniustè, Paulum autem de eo qui iniustè dimittitur. Nam vt Augustinus notat in libro de adulterinis coniugijs, cap. 2. & 3. Paulus non tantùm permittit coniugi deserto ab infideli, aliud Matrimonium inire, sed eriã permittit simpliciter, dimittere infidelem, etiamsi cohabitare velit: solùm enim consulit, non autem præcepit, vt coniunx fidelis non dimittat coniugem infidelem, si is velit cohabitare; & ideò si quis dimittat, volentem cohabitare, non peccat contra vllum præceptum. Præterea, Si infidelis non deserat fidelem, sed velit ei cohabitare cum iniuria Creatoris, perpetuò scilicet persuadendo reditum ad infidelitatem, & Christum blasphemando: certè poterit à fideli dimitti, iuxta illud: *Qui non odit Patrem & Matrem, vxorem, filios, &c. propter me.* Luc. 14. Hæc igitur est Apostoli sententia. Si infidelis discedit, nimirum nolens cohabitare, aut nolẽs sine iniuria Creatoris, discedat, &c.

Dicendum est igitur cum Augustino lib. 1. de adulterinis coniugijs, cap. 1. 2. Christum loqui de Matrimonio inter fideles, Paulum de Matrimonio contracto inter infideles, id quod Paulus ipse satis declarat. Nam cum dixisset: *Præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere.* subiungit: *Cæteris autem ego dico, non Dominus: si quis habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c.* Vbi per cæteros, intelligit eos, qui Matrimonium ante fidem contraxerunt, de quibus Dominus nihil præceperat: de his ergo Paulus consilium dat, vt vir non dimittat vxorem infidelem, si ea velit cohabitare sine iniuria Creatoris. Sed quia hoc est consiliũ, non præceptum, ideò licet etiam dimittere vxorem infidelem, & tunc maximè si nolit cohabitare.

Ad tertium dicendum, magnum esse discrimen inter coniugia contracta in infidelitate, & coniugia contracta post Baptismum. Priora enim, etsi rata sint & firma ex natura suatamen Sacramenta non sunt, & ideò deest illis potissima ratio insolubilitatis. At posteriora, Sacramenta sunt, & proinde duplicem habent rationem insolubilitatis. Quod ergo Apostolus docuit de Matrimonijs in infidelitatis contractis, non debet extendi ad Matrimonia contracta post Baptismum: & idcircò si alter coniugum conuertatur ab hæresi, & alter nolit cohabitare sine iniuria Creatoris, non soluitur Matrimonium quoad vinculum, non quia hæresis non sit species infidelitatis, sed quia Matrimonium illud post Baptismum contractum fuerat, & ea de caussa Sacramentum erat: & similiter si alter coniugum Christianorum, fiat non tantùm hæreticus, sed etiam Apostata, Ethnicus, Atheus, tamen nunquã soluitur vinculum Matrimonij, quia Sacramentum est.

Et hinc soluitur etiam dubitatio, quæ nasci posset, cur videlicet si coniunx fidelis nolit cohabitare cum coniuge etiam fideli, nisi cum iniuria Creatoris, eum scilicet perpetuò ad malum solicitando, cur, inquam, non possit Matrimonium solui: caussa enim iam reddita est, quod eiusmodi Matrimonium in Ecclesia contractum, Sacramentum sit.

CAPVT XIII.

Matrimonium ratum non consummatum, solui etiam quoad vinculum per ingressum in religionem.

ALTERA quæstio, de Matrimonio fidelium rato non autem consummato, tractata est à nobis in 2. lib. de monachis: cap. 18. Itaque ad eam Lectorem remittendum putauimus.

CAPVT XIV.

Matrimonium consummatum solui posse quoad torum, & cohabitationem.

TERTIA quæstio est de solutione Matrimonij consummati quoad torum, & cohabitationem, manente vinculo coniugali, quæ solutio propriè dicitur diuortiũ à Theologis: & distinguitur à repudio, quod est solutio etiam quoad vinculum. Quamuis Iureconsulti paulò aliter accipiãt istas voces: nam repudium vocãt dimissionem tum sponsæ, tum etiam vxoris; diuortium autem, dimissionem solius vxoris post Matrimoniũ, siue quoad torum, siue quoad vinculum, vt patet ex l. inter stuprum. & l. inter diuortium. ff. de verbor. sign. vnde tam in iure canonico, quàm in ciuili, in titulo de diuortijs, agitur de solutione Matrimonij, siue quoad torum tantùm, siue etiam quoad vinculum.

Sed quidquid sit de vocibus, Lutherus in lib. de capt. Babyl. cap. de Matrimonio, Philippus in locis Theologicis, tit. de coniugio, Kemnitius in 2. parte Exam. Concilij Tridentini, & alij passim, non agnoscunt diuortium manente vinculo coniugali. Kemnitius autem non solùm negat, vllum esse licitum diuortium eiusmodi, sed etiam Ecclesiam reprehendit, quod pluribus de caussis, & non sola caussa fornicationis, diuortiũ quoad torum cõcedat.

AT nihilominus sententia Theologorum, & Ecclesiæ totius est, posse Matrimonium consummatum inter fideles solui quoad torum, & cohabitationem, duabus de caussis.

PRIMÒ ex consensu, propter maiorem, atque altiorem statum acquirendum, vt si vterque coniugum continentiam perpetuam vouear, & ad religionem transeat; cuius rei plurima exempla Sanctorum extant, vt in disputatione de voris ostendimus, & habemus testimonium Christi Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel agrum, vel vxorem, &c.* vbi loquitur de dimissione vxoris, vt Apostoli fecerant, nimirum caussa sequendi ipsum.

SECVNDÒ sine consensu, ob crimen, idque triplex. Primum est, adulterium alterius coniugis, de quo Matt. 5. Deinde si alter coniugum à fide Catholica recedat; & de hoc habemus Apostolicum præceptum, ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita.* vbi Apostolus de omnibus generatim loquitur, neque coniuges, aut parentes excipit. Et de his etiam intelliguntur verba Domini Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, &c.* Deinde si alter coniugum impellat alterum ad peccandum, ita vt non possit alter cum eo cohabitare sine periculo Deũ offendẽdi; & de hoc loquitur Dominus cùm ait: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*, Matth. 18. in quem locum scribens Hieronymus, docet sententiam Domini esse, vt si ij, qui nobis coniuncti sunt, & chari instar oculorũ, vt parẽtes, filij, vxor, caussa sint ruinarum, ab ijs recedamus.

ATQVE hæc omnia habentur in decretis Ecclesiæ, in tit. de diuortijs; & nuper Concilium Trid. contra Lutheranos id ipsum his verbis confirmauit, sess. 24. can. 8. *Si quis dixerit, Ecclesiã errare, cùm ob multas caussas separationem inter cõiuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certũ, incertúmve tẽpus fieri posse decernit, anathema sit.*

SVNT autem, antequam ad obiectiones aduersarij respondeamus, obseruanda tria. Primum est, libertatem diuortium faciendi ob crimen, parem esse viro & vxori: licet enim Dominus Matth. 19. de viro tantùm loquatur, quia ordinariè viri vxores dimittunt, rarò autem ab vxoribus dimittuntur viri; tamen quod Dominus de viris

dixit,

dixit,etiam ad fœminas pertinet.Nam Apostolus 1.Cor. 7.vtrumque dixit:*Præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, & vir vxorem non dimittat*, nimirum sine licita causa. Et idē docent, Concilium Milevitanū cano.17. Innocentius I.epist.3.cap.4. Hieron.in epist.ad Oceanum de obitu Fabiolæ, & Augustinus lib.de adulterinis coniugijs,2.cap.8.

SECVNDVM est,diuortium quoad torum tantùm, propria auctoritate posse fieri, modò verè nouerit coniunx coniugis adulterium.At verò diuortium quoad cohabitationem, quia res est publica, & quæ scandalizare potest cæteros;non posse fieri,nisi Ecclesiæ iudicio,vt habemus cap.Porrò,de diuortijs.

TERTIVM est, diuortium in causa fornicationis quatuor de causis posse fieri illicitum.Primò si fornicatio fuerit sine crimine, & proinde non fuerit nisi materialis,vt si mulier vim passa fuerit,aut ex ignorantia cum eo rem habuerit, quem virum suum esse credebat, cùm tamen esset alienus.Secundò si vterque coniunx eodem crimine teneatur. Tertiò si post cognitum adulterium coniugis,cum eo rem habuerit.Quartò si auctor fuit cōiugi, vt fornicaretur. Vide Sotum in 4.dist.36.q.vnica, articul.1.

SED Kemnitij obiecta diluenda sunt, quæ aduersus hunc canonem proposuit in 2. parte Exam.pag.1268. & sequentibus.Prima obiectio:*Definitio illa diuortij,quòd sit separatio Matrimonij quoad torum,manente vinculo coniugali,noua est,& ex verbis Pauli malè intellectis,perperam fabricata: nam ex illis verbis deducta est, præcipio non ego, sed Dominus,vxorem à viro non discedere,quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Sed Apostolus hoc loco non loquitur de iusto diuortio, quod fieri potest in causa fornicationis: non enim præciperet vxorem à viro non discedere, si de diuortio iusto loqueretur. Agit igitur de dissidijs quibusdā leuibus,quæ interdum inter coniuges oriuntur,& proinde de illicito diuortio,quò à se inuicem discedūt. sed paulò pòst reconciliantur. Quare perperam ex hoc loco Catholici diuortium deduxerunt, quod manente vinculo in Ecclesia licitè fiat.*

RESPONDEO, Catholici ex hoc loco verissimè diuortium iustum & licitum, manente tamen vinculo dicerunt,quamuis non ex hoco solùm,sed etiam ex multis alijs,vt suprà ostendimus. Nam vt S. Augustinus lib.1. de adulterinis coniugijs,cap.1.2.3.& 4.rectè vidit,& monuit,non loquitur B.Paulus de eadem discessione, cùm ait:*Præcipio vxorem à viro non discedere*.Et cum ait:*Quòd si discesserit,manere innuptam*:Nam in priore loco agit de iniusta discessione, in posteriore de iusta. Si enim Apostolus ageret de separatione illicita ob leues causas,cùm ait:*Quòd si discesserit,&c.*non daret cōiugibus optionem, vt post separationem, aut innuptæ manerent, aut viris suis reconciliarentur, sed simpliciter præciperet, vt viris reconciliarentur.Si enim Dominus vxorem à viro discedere prohibuit, nimirum sine iusta causa, vt ipse Apostolus testatur, quomodo fieri potest,vt idem Apostolus ibidem permittat, contra Domini præceptum, vxorem à viro sine iusta causa separatam manere? Quare hic erit sensus Apostoli,præcipio non ego,sed Dominus,vxorem à viro non discedere, nimirum sine iusta causa; quòd si discesserit,causa nimirum iusta inuenta,manere innuptā, &c.Errant igitur manifestè Erasmus, Kemnitius, Caluinus,sBeza,& omnes alij,qui hunc locum exponunt de iniusta discessione;& iustum diuortium ex hoc loco colligi posse negant.

SECVNDA obiectio: *Christus Matth.5.& 19.dimissionem coniugis, nisi propter causam fornicationis pronunciat esse illicitam,& illegitimam. Contra hanc Christi sententiam, Pontificij decernunt præter fornicationem,multas alias esse causas, propter quas licita, & legitima coniugum separatio fieri possit.*

RESPONDEO, constat ex Euāgelio, alias esse causas præter fornicationem carnalem,cur coniugium separari possit quoad torum, vt supra ostendimus ex varijs locis:sed ille imprimis est insignis,qui habetur Matth 19. Nam vbi Dominus iusserat, non dimitti vxorem, nisi ob fornicationem;in eodem capite, promisit centuplum in hoc seculo,& vitam æternam in futuro ijs,qui vxores dimiserint propter Euangelicam perfectionem. Quare ne ipsum Euangelium secum pugnet, adhibenda est explicatio,& limitatio aliqua.

PRAETEREA ex Apostolo 1.Cor.7.didicimus,posse infidelem coniugem à fideli dimitti, etiamsi fornicatio non intercesserit : non igitur verba Domini vniuersaliter,& sine limitatione accipienda sunt.

VT igitur Domini sententiam exponamus. Primò limitanda est ad Matrimonia contracta inter fideles, vt detur locus Apostolo permittenti solutionem coniugij cōtracti inter infideles. Secundò sententia Domini intelligenda est de dimissione ratione criminis, non ratione maioris perfectionis adipiscendæ. Nam ratio cur Dominus prohiberi coniugem dimitti, est quia qui iniustè dimittit,est alteri coniugi causa mœchandi. At qui dimittit causa maioris perfectionis,non est causa mœchandi, quia vel Matrimonium est consummatum ; & tunc non potest fieri talis separatio,nisi ex consensu libero vtriusque partis ; vel est reatum tantùm , & tunc fit separatio quoad vinculum,& ideò potest coniunx relicta alteri nubere:quare nullum est adulterij periculum.

CVR autem dimissionem ob crimen Dominus dixerit non posse fieri,nisi causa fornicationis, cùm tamen possit fieri etiam ob alia crimina: S.Augustinus lib.1.de sermo.Domini in monte.cap.26.27.& 28. dicit rationem esse, quia nomine fornicationis intelligi possunt omnia crimina. Nam etiam idololatria, & omnis superstitio,est fornicatio quædam spiritualis cum falsis Dijs; & rursus secundum Apostolum,auaritia est idolorum seruitus; & sicut auaritia est idolorum seruitus,& proinde fornicatio quædam , ita etiam omnis alia praua cupiditas est quædam fornicatio.

Sed hæc disputatio Augustini, ipsi etiam Augustino suspecta fuit : nam ad literam non est dubium quin Dominus loquatur de sola fornicatione carnali. Et præterea falsum est,ob quolibet crimen posse dirimi Matrimonia, etiam quoad torum : solùm enim, vt suprà ostendimus, dirimuntur ab Ecclesia ob crimina,quæ vergunt in detrimentum alterius coniugis. Quare idem Augustinus lib. 1.retract.cap.19.non vult nos hanc suam sententiam absolutè sequi.

Dicendum est igitur, Dominum ob duas causas excepisse solam fornicationem. Prima causa est , quia sola fornicatio est propria ratio solutionis Matrimonij;cæteræ autem communes sunt Matrimonio cum alijs omnibus confœderationibus:nam propter hæresim, vel inductionem ad peccandum, non solùm separari debet coniunx à coniuge, sed etiam filius à Patre,frater à fratre, seruus à Domino,&c. Quocirca Dominus istas causas non excludit quas sciebat esse communes, sed exclusit eas omnes,ob quas cæteræ cōfœderationes non dirimuntur,excepta fornicatione.Ratio autem huius est,quia sola fornicatio directè opponitur fidei coniugali,& substantiæ ipsius Matrimonij, cætera autem crimina per accidens se habent ad Matrimonium.

SECVNDA causa est,quia Dominus loquebatur de dimissione non ad certum tempus,sed perpetua: nam de hac loquebantur,qui eum interrogauerant.Porrò causa perpetui diuortij nulla est, nisi fornicatio:propter fornicationem enim coniugis,etiamsi tantùm semel ea perpetretur , & mox qui peccauerat resipiscat, liberatur alter coniunx à debito reddendo per omnē vitam. At propter alia crimina non liberatur , nisi pro eo tempore , quo

durant

durant ea crimina : si enim coniunx , qui coniugem ad peccandum inducebat, resipiscat, & seriò conuertatur, tenetur coniunx eum recipere , eiq; affectu maritali cohabitare, quia ista crimina , vt diximus, per accidens opponuntur Matrimonio:at fornicatio per se opponitur;& ideò statim , atque coniunx fornicando frangit coniugi datam fidem,quia non stat promissis,cadit à iure coniugij,nec habet ampliùs in coniugem vllum ius.

TERTIA obiectio:*Separationem,quæ 1.Corinth.7.extra causam fornicationis describitur,Paulus nec suadet, nec decernit , sed docet eam pugnare cum præcepto Domini qui præcipit non descendere : quando verò coniuges contra illam Apostoli doctrinam priuata contumacia se separant , tunc Paulus suadet reconciliationem , aut si hoc nolint , pronunciat ipsos debere sine coniugio manere. Sed octauus hic canon, dicit, ipsam Ecclesiam ob multas causas, præter fornicationem,decernere posse separationem.* Hæc Kemnitius. Volui enim eius verba ponere, ne queratur obiectionem suam non esse fideliter recitatam.

RESPONDEO, tunc soluta est hæc obiectio cùm ad primam respondimus : falsò enim Kemnitius assumit, illa verba Pauli: *Si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, esse accipienda de illicita discessione, vt ibiex Augustini inuictissima demōstratione docuimus. Itaque falsò dicit Kemnitius , describi 1.Corinth.7.separationem extra causam fornicationis,& eam Paulo improbari.Sed etiamsi hoc esset verum,exponeremus Pauli sententiam,vt iamiam Domini sententiā exposuimus.

QVARTA obiectio : *Christus Matth.5.ideò prohibet vxorem dimitti extra causam fornicationis , quia cuiusmodi dimissio obijcit periculis vltionis,fornicationis, & adulterij. Sed de his periculis Pontificij non sunt soliciti , liberè enim decernunt separationem ad certum,incertúmve tempus.*

RESPONDEO, quādo iusta est dimissio;periculum fornicationis, cui obiicitur dimissus, non imputatur dimittenti,qui vtitur iure suo,sed ei,qui dedit causam cur dimitteretur. Nam certè qui dimittit vxorem causa fornicationis, quia iustè dimittit, non dicitur obiicere vxorem periculo fornicationis, etiamsi illa sic dimissa meretriciam artem exercere incipiat.Iustam autem esse dimissionem,quam Ecclesia decernit,suprà probauimus,quia est conformis Euangelio,& rectæ rationi.Nam cùm duo immineant pericula: Vnum coniugi innocenti,si finatur habitare cum coniuge hæretico, aut impellente ad flagitia,periculum videlicet in hæresim,aut in flagitia labendi: Alterum coniugi innocenti, si separetur ; periculum scilicet fornicandi : Ecclesia recto iudicio censet potiùs, consulendum innocenti, quàm nocenti , & ideò Matrimonia illa dirimit quoad cohabitationem. Quare Pontificij non ideò separationem decernunt, quod de periculis fornicationis & adulterij non sint soliciti , sed quod magis soliciti sint de periculis alijs grauioribus.

QVINTA obiectio:*Contendunt tale debere esse diuortium , in quo vinculum Matrimonij saluum maneat. At qui sic Pontificia illa separatione vinculum coniugij multis & variis modis soluitur.Nam quid sit vinculum Matrimonij, docent hæ sententiæ: Et adhærebit vxori suæ:Faciamus ei adiutorium,quod sit coram ipso : Mulier non habet potestatem corporis sui,sed vir : Iterum conuenite , ne tentet vos Satan: Non sunt duo, sed vna caro, & ipsum Matrimonium definitur indiuidua vitæ consuetudine. At hæc omnia vincula soluit diuortium quoad torum , & cohabitationem, ergo homines separant,quod Deus coniunxit.*

RESPONDEO, tota obiectio nititur falsa vinculi coniugalis explicatione. Vinculum enim coniugale dicitur mutua quædam obligatio,qua vir ita efficitur maritus vnius fœminæ, vt non possit esse alterius, illa viuente;& fœmina ita efficitur vxor vnius viri,vt non possit esse alterius,illo viuente: Sic enim explicat Apostolus Rom.7. & 1.Corinth.7. Cohabitatio autem, & societas lecti,ac mensæ,de quo loquūtur Scripturæ allegatæ à Kemnitio, non vinculum ipsum efficiunt,aut sunt,sed ex illo consequuntur:alioqui quotiescunque vir , & vxor, etiam iusta de causa,in diuersas regiones abirent , atque inter se dissentirent,coniugij vinculum solueretur; quod sanè absurdissimum est. Sic igitur vir & vxor vinculum Matrimonij retinent,quando vnus in Oriente,altera in Occidente degit , quia non potest vir alteri fœminæ neque vxor alteri viro sine adulterio iungi, cum adhuc sint veri coniuges,licet non cohabitent,neque sibi inuicem adhæreāt: ita etiam vinculum coniugij retinent vir & vxor, per diuortium separati , quia adhuc ille huius solius fœminæ vir,& illa huius solius viri vxor est.

Illa autem verba:*Quod Deus coniunxit,homo non separet*,de vero vinculo intelligenda sunt,non de cohabitatione aut lecti communione,nisi velimus coniuges ipsos toties soluere quod Deus coniunxit,quoties à se inuicem absunt.

CAPVT XV.

An Matrimonium fidelium consummatum,solubile sit, quoad vinculum,variæ sententiæ adferuntur.

PERVENTVM est tandem ad quartam & vltimam quæstionem de solutione Matrimonij consummati,quoad vinculum:in qua quæstione multos habemus aduersarios , Græcos, Latinos, Hæreticos,& Catholicos.

Sentiunt enim,in causa fornicationis posse coniugem innocentem non solùm separari quoad torum,sed etiam quoad vinculum,à coniuge,& aliud Matrimonium inire, imprimis Græci , qui se iam dudum à Romana Ecclesia separauerunt.Id enim inter eorū errores numerat Guido Carmelita,in sua summa de hæreticis:& in Concilio Florent.sess.vltima:Pontifex ipse Eugenius Græcis dixit,eos grauiter à Latinis accusari , quòd Matrimonia dissoluerent,neque illi negare ausi sunt , sed rationes suas se habere respōderūt. Denique notum est,hoc tempore Græcos reipsa Matrimonia dissoluere,& coniugibus alia Matrimonia ineundi potestatem facere in causa adulterij.

Ex Latinis Lutherani omnes , & Caluinistæ , atque Anabaptistæ in eodem errore versantur : sed alij magis, alij minùs errant.

Lutherus in lib.de captiu.Babyl.cap.de Matrimonio, nihil statuere audet:tamen cupit vehementer definiri nō solùm in causa fornicationis , sed etiam quando alter coniunx recedit in aliam regionem post decennium, aut nunquam reuersurus , licitum esse aliud Matrimonium contrahere. Vbi obiter annotanda est Lutheri contradictio in eadem pagina.Nam scribit Papam errare,cùm diuortium concedit extra causam fornicationis,quam solam Dominus excepit:& statim adiungit,optare se vt definiatur,licere diuortium facere ob absentiam diuturnam alterius coniugis. Si enim error est, diuortium facere ob aliam causam, quàm fornicationis ; errorem igitur definiri cupit Lutherus cùm ob absentiam coniugis diuortium esse licitum definiri cupit.

ADDIT autem,se nolle quidquam definiri sola Papæ; & Episcoporum auctoritate;sed si duo eruditi,& boni viri in nomine Christi consentirent,& in spiritu Christi pronunciarent, eorum iudicium se Concilijs prælatorum:quæ sanè mera fatuitas est. Nam vnde sciemus,duos illos homines in nomine Christi magis consensisse, & in Spiritu sancto pronunciasse, quàm tot Episcopos, qui ex diuersis prouincijs vnum in locum legitimè conueniunt ad fidem Christianam explicandam ? certè his mille , & quingentis annis , nunquam Ecclesia eorum quorumlibet hominum iudicia Episcoporum Concilijs anteposuit.

IDEM

IDEM Lutherus post annos tres, anno videlicet M.D.XXIIII doctior factus (nam priorem librum anno M.D.XX. ediderat) scripsit librum in caput 7. prioris ad Corinthios, vbi multas ob causas Matrimonium solui, & aliud iniri posse censet: vt, si non modò Ethnicus Christianam, sed etiam falsus Christianus Christianam coniugem deserat; vel si coniunx coniugem ad furtum aut aliud peccatum inducat, vel si ob frequentes rixas molesta sit cohabitatio cum priore coniuge; vel si diu absit alter coniunx. In lib. quoque de causis Matrimonialibus, edito anno M.D.XXX. Si pauper cum diuite Matrimonium contrahat, & consummet; ac deinde pauper diuitem coniugem retinere non possit, quòd amici, vel affines diuitis impediant, iudicat Lutherus, posse pauperem ad aliud Matrimonium se transferre.

Martinus Bucerus in cap. 19. Matth. Lutherum ipsum impudentia superat. Contendit enim Matrimonium solui posse, & aliud iniri, quoties vxor non se commodam viro, aut vir non se commodum vxori præbet: quacũque videlicet de causa sibi inuicem coniuges displiceant. Ex quo rectè colligit Tapperus in explicatione artic. 18. Louan. faciliùs dissolui Matrimonia auctore Bucero, quàm ciuiles contractus; neque enim contractus ciuiles ob solam malitiam contrahentium vnquam dirimuntur.

Philippus Melanchthon in locis Theologicis, titu. de Coniugio, in duobus tantùm casibus permittit aliud Matrimonium iniri, nimirum si alter coniugum fornicetur, vel si iniustè coniugem deserat; vult parti innocenti licere aliud coniugium celebrare: tamen in annot. ad cap. 5. Matth. idem Melanchthon non solùm parti innocenti, sed etiam nocenti aliud Matrimonium concedit, quia (vt ipse dicit) non est vlli imponenda pœna, quam ferre non possit.

Ioan. Brentius in Confess. Vvirtembergensi, c. de coniugio, in fine illius capitis, sperare se dicit, pios Episcopos & Principes, concessuros ius contrahendi aliud Matrimonium ijs, qui ob adulterium alterius coniugis iusto diuortio separati sunt.

Ioan. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. vlt. tyrannicam legem vocat, quæ non permittit aliud coniugium ei, qui ab adultero cõiuge diuortium fecit: & in cap. 19. Matth. vult quidem vinculũ Matrimonij dirimi in causa adulterij, sed non admittit alias causas; nisi desertionem fidelis à coniuge infideli.

Martinus Kemnitius in 2. par. exam. pag. 1249. Caluinum apertissimè sequitur. Nam duos tantùm casus esse voluit, in quo liceret aliud Matrimonium inire, nimirum adulterium alterius coniugis, & desertionem infidelis; vbi per infidelem non intelligit quemlibet iniustum desertorem, vt Lutherus, & Philippus intelligebant, sed solùm eum qui Christianus non est, sed Gentilis, de quo casu nulla est quæstio, vt suprà diximus. Deinde in sequẽti pag. 1250. explicat se tantùm loqui de parte innocente, cùm aliud Matrimonium ob adulterium concedit. Quare neque Philippus cum Luthero, neque Kempitius cùm Philippo, aut Luthero in sententia conuenit.

Eandem sententiam sequutus Erasmus, qui in annotationib. ad 7. cap. prioris ad Corinth. fusissimè probare conatur, propter fornicationem licere coniugi innocenti ad alias nuptias transire. Edidit autem Erasmus primùm has annotationes anno M.D.XV. biennio scilicet antequam Lutheri factio exoriretur: ex quo intelligimus, non Erasmum à Luthero, sed Lutherum potiùs ab Erasmo hunc errorem hausisse.

Ex Catholicis duo sunt, qui eodem errore tenentur, Caietanus in commentario ad cap. 19. Matthæi, timidè tamen, & breuiter rem attingẽs: & Ambrosius Catharinus, qui lib. 5. annotationum in commẽtaria Caietani, in fine, disputat quæstionem istam, ac tandem concludit, ex Euãgelio, & Apostolo non posse colligi, non licere in causa fornicationis aliud Matrimonium inire; id tamen varijs canonibus esse prohibitum, & ideò non debere fieri nisi ex Ecclesiæ auctoritate.

PORRÒ tres isti, Erasmus, Caietanus, Catharinus in hoc multùm ab hæreticis suprà nominatis distant, quòd se Ecclesiæ iudicio disertis verbis subiiciunt. Et quia Ecclesia sententiam suam iam apertissimè protulit, vt patet ex can. 6. & 7. sess. 24. Trident. Concilij, vbi anathema dicitur ijs, qui sentiunt Matrimonium, quoad vinculum vlla de causa solui posse; ideò isti quoque, ac præsertim duo posteriores, à reliquorum omnium Theologorum Catholicorum communissima sententia separandi minimè esse videntur.

CAPVT XVI.

Matrimonium insolubile esse quoad vinculum, probatur ex verbo Dei, traditione, & ratione.

PROBANDVM igitur iam nobis est. Matrimonij inter fideles contracti, & consummati vinculum adeò esse insolubile, vt neque causa fornicationis dirimi possit; & ideò viuente priore coniuge nunquam esse licitum ad alias nuptias aspirare.

PRIMVS locus sit ille, qui est apud Matthæum cap. 5. *Omnis qui dimiserit vxorem suã excepta fornicationis causa, facit eã mœchari, & qui dimissã duxerit, adulterat.* Verba illa: *Et dimissam duxerit, aaulterat*, vel vniuersè accipienda sunt, vel cum exceptione, nisi ob fornicationem. Si vniuersè, ergo qui dimissam duxerit, etiam ob fornicationem mœchatur, ergo non fuerat dimissa quoad vinculum, sed solùm quoad torum: non enim mœcharetur qui illam ducit, nisi adhuc esset priori viro alligata. Si cum exceptione, ergo qui fornicariã à viro dimissam duxerit, non mœchatur. Ergo melior est conditio fornicariæ, quàm innocentis, & castæ: nam fornicaria libera est & nubere potest; innocens autem iniustè dimissa nec priorem virum habere potest, nec alteri nubere. Atqui hoc absurdissimum est, vt lex Christi iustissima dimissam iustè meliori loco esse velit, dimissam iniustè.

RESPONDENT aliqui, sententiam illam esse generalem, sed fornicariam non posse nubere alteri; non quòd non sit direptum vinculum Matrimonij, sed quia in pœnam peccati lex prohibet illam nubere.

SED hæc solutio nulla est. Si enim prohiberetur nubere in pœnam peccati, sed verè tamen libera esset, ac soluta vinculis prioris coniugij, peccaret quidem nubendo, & fortè Matrimonium esset irritum, sed non mœcharetur neque ipsa, neque qui eam duceret: non enim est adulterium, nisi cum coniuge alterius. Dominus autem disertis verbis pronunciat: *Et qui dimissam duxerit, adulterat.*

SECVNDVS locus est apud Marcum, cap. 10. *Quicũque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Et similia habẽtur Lucæ 16. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit mœchatur.* Hæc verba vniuersaliter docent nunquam ita dissolui Matrimonium inter fideles contractum, & consummatum, vt liceat ad alias nupsias transire.

RESPONDENT aduersarij, loca ista debere exponi ex c. 19. Matth. vbi habetur exceptio fornicationis. Nam nisi in verbis Marci, & Lucæ subintelligamus, excepta causa fornicationis, pugnabunt Marcus & Lucas cum Matthæo. Ista enim contradicentia sunt: *Omnis qui dimiserit, &c. mœchatur*; &, Non omnis qui dimiserit, &c. mœchatur. Ista autem posterior sententia ex Matthæo colligitur, id enim est dicere. *Omnis qui dimiserit excepta fornicationis causa*: &, Non omnis qui dimiserit: prior verò

propo

positio apud Marcum, & Lucam habetur, nisi subintelligatur eadem exceptio.

At contrà. Nam vt suprà diximus in quæstione de polygamia, Euangelistæ omittũt quidem interdum aliquid, aut addunt, quod alij Euangelistæ non omiserunt, aut nõ addiderunt, sed nunquam ita omittunt, vt sententia reddatur falsa: nam alioqui Euangelistæ homines decepissent, quibus Euangelia sua tradiderunt, nulla mentione facta aliorum Euangelistarum.

Certè quando Marcus Romæ scripsit Euangelium ex prædicatione Petri acceptum, non remisit Romanos ad Euangelium Matthæi tanquam ad commentarium: immò si tunc Romæ Matthæi Euangelium in manibus fidelium fuisset, credibile est Marcum scripturum non fuisse. Non enim scripsit Marcus, vt Matthæo aliquid adderet, quod posteà fecit Ioannes, sed tantùm vt haberent Romani scriptum, memoriæ causa, quod sola voce B. Petrus Apost. illis tradiderat: hanc enim causam referunt Irenæus lib. 3. c. 1. Eusebius lib. 2. hist. cap. 15. & Hieron. in lib. de viris illustrib. in Marco.

ATQVE idem dici potest de Luca: qui Euangelium scripsit his Gentibus, quibus prædicauerat Paulus, & ad quos nondum peruenerant Matthæi, & Marci volumina; sed tantùm falsa quædam scripta Pseudoeuangelistarum, vt ipse breuiter indicat in principio Euãgelij, & clariùs colligitur ex Ambrosio in commentario primi capitis Lucæ, & ex Eusebio lib. 3. hist. c. 24. & ex Hierony. in lib. de viris illustrib. in Luca. Oportet igitur vera esse absolutè, quæ Marcus & Lucas dicunt, neque pendere à verbis Matthæi, nisi velimus deceptos fuisse eos, qui sine Matthæo, Marcum aut Lucam legebant.

Sed obiicies, quia S. Augustin. lib. 1. de adulterin. coniug. c. 11. dicit locum Matthæi esse obscurum, & esse ambigendum de eo, donec veniamus ad alios Euangelistas.

At Augustinus non dicit ambigendum de eo quod Matthæus dicit, sed de eo quod non dicit. Matthæus enim dicit eum mœchari, qui extra causam fornicationis vxore dimissa, aliam ducit: & hoc est simpliciter verum. Sed non dicit, an hic tantùm sit mœchus, an etiam is, qui dimissa vxore ob fornicationem, aliam ducit: id quòd alij Euangelistæ dixerunt apertissimè. Aduersarij autem nostri volunt nos ambigere de eo, quod Marcus, & Lucas dicunt, an sit accipiendum vt sonat, non de eo quod non dicunt. Quare idem S. Augustinus lib. 1. de adulterinis coniugiis, capit. 9. grauiter inuehitur in eos, qui horum Euangelistarum verba, non accipiunt vniuersaliter vt sonant: *Qui sumus*, inquit, *nos, vt dicamus, est qui mœchatur vxore dimissa alteram ducens, & est, qui hoc faciens non mœchatur, cum Euangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit.*

Ad obiectionem autem illam respondemus, non esse repugnantiam inter Euangelistas: illa enim propositio nõ omnis qui dimittit vxorem, & aliam ducit, mœchatur, nõ inuenitur apud Matthæum, vt aduersarij existimant. Illa enim sunt verba Matthæi: *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* ex quibus non debet inferri, Ergo non omnis qui dimiserit vxorem, & aliam duxerit, mœchatur.

Cur autem id non debeat inferri, cùm planè sequi videatur, multæ causæ reddi solent. Durandus in 4. distin. 35. q. 2. ad vltimum, dicit Christum loqui apud Matthæũ præsupposita lege veteri, quæ iubebat adulteras occidi; hac enim lege seruata, licebat in causa fornicationis vxorem dimittere, & aliam ducere, quia nimirum propter adulteræ supplicium extremum, dirimebatur vinculum coniugij.

Non probatur mihi hæc solutio, Primò, quia Dominus non tradidit legem solis Iudæis, sed etiam Christianis: non iubet lex Euangelica adulteros occidere, immò Ioan. 8. Dominus adulteram liberauit à morte. Nec ignorabat Christus, in Ecclesia sua varias fuisse futuras leges Principum, quibus interdum occiderentur, interdum nõ occiderentur adulteri; quare non est credibile Christum esse loquutum præsupposita lege de occidẽdis adulteris.

PRAETEREA: si ita esset, Christi sententia esset valde imperfecta. Nam potuit multis modis impediri mors adulteræ, aut quia fugeret in aliam regionem, aut quia nõ posset probari testibus duobus adulterium, etiamsi viro exploratum esset; quid ergo tunc fieret secundum Christi doctrinam?

Adde, quòd tradere vxorem lapidandam, non est propriè illam dimittere, & ducere aliam: non enim dimittitur qui occiditur, neque dicitur alia duci priore dimissa, quando prior non viuit.

DENIQVE non poterat esse quæstio, an liceret vxore lapidata ob adulterium, aliam ducere: non igitur oportebat magis excipere causam fornicationis, quàm causam mortis.

Hac ergo solutione omissa, aliqui dicunt, verbum *Mœchatur*, referendum esse diuisim ad vtramque partem sententiæ, hoc modo, Quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, mœchatur, & qui aliam duxerit, mœchatur: bis enim mœchatur, qui vxorem ducit priore dimissa, extra casum fornicationis, semel quidem, adulterio vxoris, cuius ipse causa fuit per iniustam dimissionem; & semel, adulterio proprio, per nouæ vxoris viuente priore coniunctionem.

Et hanc solutionem indicat breuiter Theophylactus in cap. 19. Matthæi, vbi dicit sententiam huius loci esse, quod qui dimittit vxorem extra causam fornicationis, mœchatur, id est, auctor est illi, vt mœchetur. Et idem antè docuerat Augustinus lib. contra Adimantum cap. 3. vbi sic enarrat locum istum Mat. 19. *Quicunque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari, & qui aliam duxerit, mœchatur.* Itaque hæc solutio valde conformis eiusdem Matthæi verbis, c. 5. vbi ait, *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari*, Videtur igitur Matt. 19. ad eandem sententiam: *Quicũque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem*, referendum esse verbum: *Mœchatur*, in illo sensu, id est facit eam mœchari.

Alij dicunt, nec minùs probabiliter, illud: *Nisi ob fornicationem*, non pertinere nisi ad dimissionem, cum qua immediatè coniungitur, & esse per parenthesim pronunciandum, & aliquid subintelligendum, hoc modo; Quicunque dimiserit vxorem (quod non licet, nisi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur. Et certè non sine causa Dominus non adiecit illam exceptionem post illa verba: *Et aliam duxerit*, sed immediatè post illa: *Quicunque dimiserit*, & similiter, non temerè Dominus tum Matth. 5. tum Matth. 19. cùm adiunxit: *Et qui dimissam duxerit, mœchatur*, non addidit: *Nisi ob fornicationem*, vt nimirum indicaret, causam fornicationis solam dimissionem licitam facere, non autem noui coniugij celebrationem. Hæc mihi videtur S. Thom. sententia in 4. dist. 35. q. vnica art. 5. ad vltimum, & eandem obscurè subindicat Hieron. in Commentario huius loci.

Sunt & aliæ explicationes minùs probabiles, quas Abulensis, Alphõsus de Castro, & alij excogitarunt: Sed optima est S. Augustini lib. 1. de adulterinis coniugiis, cap. 9. vbi docet Matthæum, vel potiùs Dominum apud Matthæum, accepisse illud: *Nisi ob fornicationem*, negatiuè, nõ exceptiuè: vt sensus sit, Quicunque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, id est, extra causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Ex quo affirmatur quidẽ adulterium eius, qui vxore dimissa extra causam fornicationis aliam duxerit: sed nihil dicitur de eo, qui duxerit aliam priore dimissa ob fornicationem.

At contrà instant aduersarij, & maximè Caietanus, & Catharinus. Si ista est sententia Domini, ergo frustra, &

superuacaneè additur illud: *Nisi ob fornicationem*: poterat enim Dominus generatim, & faciliùs dicere; Omnis qui dimiserit vxorem & aliam duxerit, mœchatur.

RESPONDEO, immò diuina prudentia Dominus ita loquutus est, id enim postulabant locus & tempus. Nã Dominus eo loco respondebat Pharisæis, qui venerant parati, vt eum tentarent, & in sermone caperent: & quia iam audierant, eum in monte quædam disseruisse contra libellũ repudij à Mose in lege concessum, & consequenter etiam contra polygamiam, interrogauerunt eum, an liceret vxorem dimittere quacunque ex caussa, vt nimirum, ea interrogatione impellerent eum ad pronunciandum aliquid apertè contra legem, & exempla Patrum. Quare Dominus cùm videret auditores incapaces esse, respondit eis præcisè ad interrogata. Quæsierant illi, an liceret vxorem dimittere, nimirum quoad vinculum, quacunque ex caussa: respondit Dominus, nó licere quacunque ex caussa, idque probauit, quia non licet dimittere non fornicariam, & aliam ducere, id quod tam perspicuè verum erat, vt nullo modo negari posset. Vtrum autem liceat dimittere fornicariam quoad vinculum, & aliam ducere, Dominus tunc apertè dicerè noluit, quia hoc altius erat, quàm vt ab eis tunc capi posset. Quamquam ex iis quæ Dominus dixerat de prima origine instituti Matrimonij, facilè poterat hoc etiam intelligi; sed ne darer illis Dominus ansam calumniãdi verba sua, voluit, vt ipsi per se id colligerent, quemadmodum fecit in parabola vineæ, & aliàs sæpè: & nihilominus domi paulò pòst (vt Marcus scribit cap.10.) apertè pronunciauit, omnem qui dimittit vxorem, & aliam ducit, mœchari. Vides igitur quemadmodum verba Domini nihil superuacanei contineant, nec pugnent inter se verba diuersorum Euangelistarum.

Vnum duntaxat cõtra hanc expositionem obiici posset, quòd nimirum si ita exponamus, non habebimus ex hoc loco, licitum esse diuortium quoad torum, ob fornicationem alterius coniugis. Sed parum id refert: nam ad hoc dogma stabiliendum, sufficit testimonium Matt. cap.7.

TERTIVS locus habetur in epist. ad Rom. cap.7. *An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Nam quæ sub viro est mulier, viuẽte viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro:* & similis locus habetur in epistola priore ad Cor. cap.7.

Ex his autem locis colligimus nunquam solui vinculum coniugale, nisi per mortem: & quia non soluitur, manere etiam post diuortium quacunque de caussa factum. Quod argumentum tanti fecit S. Augustinus vt lib. 2. de adulterinis coniugiis, ca. 4. clamauerit: *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viua sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet vxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur: licitè itaque dimittitur coniunx ob caussam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob caussam fornicationis.* Hæc ille.

Sed respondet Caietanus, verba Apostoli accipienda esse regulariter, non autem in casu, vt sensus sit, vinculum viri cum vxore ordinariè, & regulariter, nisi scilicet aliunde soluatur, durare vsque ad mortem, & tunc demum solui. Idem ferè respõdet Erasmus, Caluinus, Martyr, & Bucerus in hæc loca, & præsertim Petrus Martyr vult intelligi exceptionem: *Nisi ob fornicationem*, quæ in Euangelio habetur. Et similiter docet Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 1257.

Potest autem id probari primò, quia Paulus ait: *Scientibus legem loquor*, lex autem permittebat libellum repudij in quibusdam casibus, & proinde secũdum legem regulariter quidem, sed non semper, mors expectabatur ad vinculi coniugalis diremptionem. Secundò, quia Paulus ait: *Quæ sub viro est, mulier*; & non dicit simpliciter Vxor. Quare loquitur de ea tantùm, quæ nondum est repudiata, sed adhuc viro cohabitat. Tertiò videtur Apostolus non tam contendere, vinculum permanere vsque ad mortem, quam non durare post mortem: id enim solùm ille cupit ostendere, post mortem coniugis liberum esse alterum coniugem, siue ad mortem vsque vinculum permanserit, siue non permanserit. Adde vltimò quòd cum hæc sit quædam similitudo, non est necesse vt in omnibus conueniat.

Sed falsam esse hanc expositionem, testantur primùm ipsa verba, quæ vt Augustinus rectè dicit, plana sunt. Quid enim planius illo: *Mulier viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro?* Rom. 7. & *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit* 1. Cor. 7. Et certè mirum esset Apostolum nunquam addidisse exceptionem, si ea addenda esset, cùm tam sæpè hæc repetiuerit, & inculcauerit.

DEINDE testantur interpretes, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Primasius, Anselmus, & alij, in vtrumq; locum Pauli, & præterea Origenes in c.19. Matth. Augustinus loco citato, & Hieronymus in ep. ad Amandum, vbi interrogatus, an liceret mulieri dimisso viro adultero, alij nubere, respondit, non licere, ob hæc Pauli loca, quæ (vt ipse dicit) omnem excusationem excludunt.

Denique idem testatur ratio similitudinis, quàm eo loco Paulus adducit: volebat enim probare, legem veterem obligasse vsque ad Christum, sed iam non amplius obligare: vtitur autem ad hoc probandum similitudine ducta ex Matrimonio. Quemadmodum enim vir & vxor tamdiu sibi inuicem obligantur, donec alter eorum, vel vterque moriatur, sic etiam tamdiu homines legi subiecti sunt, donec vel ipsa lex abrogetur, & sic quodammodo moriatur, vel homines translati in alium statum, à lege eximantur, & eo modo legi moriantur. Per Christi autem mortem vtrumq; factum est: nam & lex est abrogata, & nos translati in statum filiorum Dei, legi illi veteri, quæ erat seruorum, mortui sumus.

Vbi obiter est notandum, legem comparari viro, vt Chrysostomus exponit hominem comparari vxori, quia sicut vir dominatur vxori, non vxor viro, ita lex dominatur homini cui data est, non homo legi. Et quamuis debuisset Apostolus concludere, homines liberos esse à lege, quia lex mortua est, sicut dicit vxorem liberari, quando moritur vir: tamen ne Iudæos offenderet, maluit inuertere conclusionem, ac dicere, nos mortuos esse, quàm legem esse mortuam, quamquam vtrumque dicere potuisset, & perinde est ad id de quo agitur, vtrum vir, aut vxor, aut vterque moriatur.

Porrò hæc similitudo B. Pauli omnino requirit, vt vir & vxor nullo diuortio, aut repudio, sed sola morte liberari queant à vinculo coniugij. Nam quamdiu lex vetus vigebat, nunquam poterant Iudæi iugum eius à se excutere, etiamsi illi repudium dare, & ab ea diuortium facere conarentur, fornicando cum variis legibus falsorum Deorum; ergo eodem modo, quanto tempore maritus viuit, nunquam potest vxor à vinculo coniugij liberari, quamuis cum multis aliis viris fornicetur.

NEQVE argumenta in contrarium conuincunt. Ad primum respondeo, illud: *Scientibus legem loquor*, à Theodoreto, & Ambrosio exponi de lege naturæ, vel Euangelica, nõ de lege veteri, vt sensus sit: Loquor hominibus peritis, & qui benè norunt naturæ legem & coniugij, &c.

Et præterea, aut repudiũ in lege veteri soluebat reuera

vincu

vinculũ coniugij, aut non soluebat. (est enim controuersia inter Doctores) Si non soluebat, & tãtùm permittebatur, vt minus malum, nõ autem vt licitum, vt communior habet opinio Doctorũ, quam etiam sequuntur Caluinus, & Beza in cap.19. Matthæi: tum parùm refert de qua lege Paulus loquatur, vt patet. Si verò soluebat vinculum, & permittebatur vt licitum; tum non potest Pauli locus de lege Mosis intelligi, quia falsum esset quod Paulus dicit: *Viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro*; neque enim vocabatur adultera quæ viuente viro erat cum altero viro, si repudium licitum erat, & vinculum coniugij dissoluebat.

Ad secundum respondeo, illud; *Quæ sub viro est, mulier*, simpliciter coniugatam significare; quod nomen nõ minùs conuenit mulieri post diuortium, quam ante diuortium, si diuortium non soluit vinculum, vt nos contendimus. Et hoc perspicuum est tum ex conclusione generali, quam Apostolus infert: *Igitur viuente viro vocabitur adultera, &c.* non enim dixit, Igitur dum est sub viro, vel dum non repudiatur, sed dum vir eius viuit, vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro: tum ex 1. Cor. 7. vbi generatim Paulus dicit: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit.*

Ad tertium respondeo non solùm voluisse Paulum ostendere, vinculum coniugij non durare post mortem; sed etiam durare toto tempore vitæ alterius coniugis. Nam illud non durare post mortem, apertissimum erat, nec fuisset opus ad id persuadendum allegare legem, ac dicere: *Scientibus legem, loquor.*

Præterea conclusio ab Apostolo intenta, non erat solùm, non obligari Christianos ad legem Mosis, sed etiam obligari ad non recipiendam vllam aliam; sicut etiã Hebræi obligabantur legem Mosis seruare toto tempore, quo ea viuebat, nec poterant vllo prætextu eam deserere, donec moreretur per abrogationem, aut ipsi morerentur illi per translationem in alium statum, vt diximus.

Ad vltimum respondeo, non debere quidem similia in omnibus esse similia: tamen debere similia esse in eo, in quo est vis argumenti ex illa similitudine ducti. Requirit autem vis argumenti Paulini, vt sicut vinculum legis nullo modo disrumpi potest, quacunque intercedente præuaricatione, donec ea lex viuit: ita vinculum Coniugij perseuerat, quacunque interueniente fornicatione, donec maritus aut vxor viuit.

Adde quòd 1. Corin. 7. non per modum parabolæ ad illud illustrandum, sed absolutè pronunciatur: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: quod si dormierit vir eius, liberata est; cui vult, nubat, &c.*

Quartus locus est in epist. priore ad Corinth. cap. 7. *His, qui Matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Quem locum tractauimus in quæstione superiore de diuortio quoad torum.

Habemus autem hinc argumentum planè insolubile. Nam vel mulier, de qua dicitur: *Si discesserit, &c.* discessit ex caussa iusti diuortij, vt fornicationis, hæresis, & quæcumque sit alia; vel sine tali aliqua caussa. Hoc posterius dici non potest, nam Paulus non diceret de tali fœmina, Maneat innupta; aut viro suo reconcilietur; sed diceret, Maneat innupta donec viro suo reconcilietur, & omnino ad virum suum redeat: non enim poterat Paulus permittere iniustum diuortium contra expressum Domini præceptum. Etsi in eodem capite Paulus non permittit coniuges abstinere à carnali commercio ob orationem, & ad tẽpus, nisi ex consensu, quomodo permitteret coniugem inuito marito sine vlla caussa iusti diuortij separatam à viro manere? Loquitur ergo sine vllo dubio de muliere, quæ discessit ob iustam aliquam diuortij caussam. Atqui ista non potest alteri nubere, vt Paulus apertissimè dicit: ergo etiam caussa iusti diuortij non soluit vinculum coniugij, neque licet coniugibus iusto diuortio separatis ad alia transire coniugia.

Vnum est tantùm quod obiici posset, quod etiam ob Erasmo obiectum fuit. Nam videtur Apostolus loqui de muliere adultera, quæ discedit à viro non sponte sua, sed ab illo ejecta: id enim significari videtur, cùm dicitur: *Aut viro suo reconcilietur.* nam reconciliari propriè ad reos pertinet, qui per reconciliationem redeunt in gratiam cum iis, quos offenderunt. Quòd si Paulus agat de adultera, non est mirum, si velit eam manere innuptam: soli enim parti innocenti conceduntur secundæ nuptiæ.

At nullo pacto defendi potest, Paulum loqui de muliere adultera, & ejecta: nam cum præcipitur mulieri, à viro non discedere, præcipitur ne ipsa sit auctor diuortij, ac ne deserat virum, non autem ne eiiciatur, & coacta discedat. Id enim præcipitur, quod est in potestate eius, cui præcipitur, nõ est autem in potestate mulieris ne eiiciatur, neque potest marito expellente non discedere.

Deinde paulò pòst ait Apostolus: *Et vir vxorem non dimittat*; quod esset omnino idem cum priore præcepto, & proinde superuacaneum, si mulierem discedere à viro nihil esset aliud, nisi eiici, & dimitti à viro.

Denique si Apostolus solùm de adultera dimissa loqueretur, valde imperfectam doctrinam traderet: adhuc enim quæri posset, quid sit faciendum mulieri, quæ separatur à viro ob adulterium viri, non ob culpam suam propriam. Ergo Paulus generatim loquitur de omni muliere, quæ iusti diuortij auctor est. Dicit autem: *Mulier non discedat.* non autem dicit, Mulier nõ dimittat virum, sicut posteà dicit: *Vir non dimittat vxorem*; quia ordinariè vxor est in domo viri, & ideo diuortium facit discedendo ab eo, non eum ex domo eiiciendo; contrà maritus, quia est in domo sua, diuortium facit dimittendo, non recedendo.

Illud autem quod obiicitur *de* verbo, Reconcilior, quod etiam pagin. 1259. notauit Kemnitius, vt probaret culpa sua vxorem discessisse, nullam vim habet. Reconciliari enim dicitur tam is, qui læsit, quàm is, qui læsus est: nam reconciliantur propriè, qui alienati sunt. Vnde M. T. C. 1. epist. 2. ad Lentulum, dicit reconciliatam esse voluntatem Senatus, quæ tamen non culpa sua, sed aliorum, abalienata à Lentulo fuerat. Et in hoc sensu dicitur Deus reconciliari hominibus, lib. 2. Macha. c. 1. *Exaudiat Deus orationes vestras, & reconcilietur vobis*; & cap. 7. *Reconciliabitur Deus seruis suis.* & illud Matth. 5. *Reconciliare fratri tuo*, exponit Chrysostomus, siue iustè siue iniustè frater se offensum dicat.

Eadem veritas secundò ex traditione probari potest: extant enim omnibus ætatibus testimonia Patrum. Ac primo quidem sæculo habemus testimonium Clementis, in Canonibus Apostolorum can. 48. vbi sine vlla exceptione excommunicari iubetur, qui vxore dimissa aliam ducit.

Deinde secundo sæculo, id est, post annum Domini C. habemus testimonia Iustini, & Athenagoræ. Vterque in Apologia pro Christianis, ad Imper. Antoninum, inter dogmata Christiana ponit adulterium esse, Si quis dimissam ab alio ducat; & Athenagoras addit etiam, si quis priore dimissa aliam ducat, non esse coniugium, sed adulterium. Eodem sæculo Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum extremo: *Adulterium*, inquit, *existimat Scriptura, coniungi Matrimonio, viuo altero ex separatis*, & paulò antè dixerat, non posse fieri separationem, nisi ob fornicationem.

Sæculo tertio, post annum Domini CC. Tertullianus lib. 4. in Marcionem, vltra medium, obiicienti Marcioni, Christum contrarium esse Moysi, quia prohibuit diuortium, quod ille concesserat, respondet his verbis: *Dico illum conditionaliter nunc feciſſe diuortij prohibitionem, si ideò quis dimittat vxorem, vt aliam ducat, &c.* vbi docet

Christum non prohibuisse diuortium, si caussa iusta adsit, sed prohibuisse alterum coniugium post diuortium. Eodem sæculo Origenes tract.7.in Matth. explicans ca. 19.dicit quosdam Episcopos permisisse mulieri nubere viro priore viuente, & addit, contra scripturam fecerunt.

Sæculo quarto,post annum Domini CCC.in Concilio Elibertino can.9.Mulier quæ ob viri adulterium alteri nupsit, non recipitur ad Communionem nisi post mortem prioris mariti:ex quo intelligimus,illicitũ fuisse Matrimonium illud iudicatum, etiam ex parte innocentis,& in caussa adulterij.Eodem sæculo S. Ambrosius in c.16.Lucæ multa scribit contra eos, qui vxore dimissa aliam ducunt,& passim adulterium vocat id coniugium: neque in tota illa disputatione vnquam excipit caussam fornicationis.S.item Hieronymus Ambrosij æqualis, in epist.ad Oceanum de obitu Fabiolæ scribit,Fabiolam dimisso viro non solùm adultero,sed etiam omnibus flagitiis cooperto,alteri nupsisse;sed addit id eam fecisse,quia ignorabat rigorem Euangelij:& ibidem scribit,eam post mortem secundi mariti publicam pœnitentiam sibi ab Episcopo impositam, summa humilitate egisse. Ex quo intelligimus, eo tempore publicum crimen habitum in Ecclesia Catholica fuisse,si quis viuente coniuge ad alias nuptias transiret,etiam caussa fornicationis. Idem Hieronymus in epist. ad Amandum, de hac ipsa quæstione interrogatus,simpliciter respondit, esse illicitum, etiam caussa fornicationis, viuente coniuge ad alias nuptias transire.Eodem sæculo S.Ioan.Chrysostomus hom.17.in Matth.enarrans cap.quintum idem docet.

Sæculo quinto,post annum Domini CD.Concilium Mileuitanum,cano.17.definiuit secundum Euangelicam & Apostolicam doctrinam, nunquam licere viuente cõiuge ad alias nuptias transire: & idem habetur in Concilio Africano can.69.Eodem sæculo Innocentius I.in epi. 3.ad Exuperium can.6.interrogatus, an intercedente diuortio liceret aliud inire coniugium,respõdit nullo modo licere;sed esse vtrumq; adulterum,tam virum,quàm vxorem,si post diuortium ad alias nuptias transeant. Eodem tempore S.Augustinus ex professo hoc docuit,tum in duobus libris de adulterinis coniugiis,tum in libro de bono coniugali.

Sæculo sexto, post annum Domini D. Primasius in Commentario cap.7.prioris ad Cor.in illud: *Si discesserit,manere innuptam*,idem habet.

Sæculo septimo, post annum Domini D C. Isidorus idem docet,lib.2.de officiis diuin.cap.19.

Sæculo octauo, post annum Domini DCC. Beda in cap.10.Marci idem affirmat.

Sæculo nono,post annum Domini DCCC.Cõcilium Foroiulienſe can.10.idem apertissimè definiuit;& eodem sæculo Theophylactus in c.19.Matthæi,& in cap.7.prioris ad Corinth.

Sæculo decimo,post annum Domini CM. Concilium Nannatense,quod sub Arnulpho Imperatore celebratum creditur,can.12. idem declarauit.

Sæculo vndecimo,post annum M.Anselmus in c.5. & cap.19.Matth.idem habet.

Sæculo duodecimo, post annum MC. idem definiuit Alexander III.Papa,cap.ex parte,de sponsalibus,& Matrimoniis.

Sæculo decimo tertio, post annum MCC. idem definiuit Innocentius III.cap.Gaudemus, de diuortiis:& eodem sæculo,idem docuerunt Theologi omnes,qui super dist. 35. quarti Sententiarum scripserunt, vt S. Thomas, ß. Bonauentura,& alij.

Sæculo decimo quarto,post annum M.CCC.plurimi Doctores Scholastici,Scotus,Durandus,&c.

Sæculo decimo quinto post annum M.CD.idem statuit Concilium Florentinum, in instruct. Armenorum, quod sanè mirum est non aduertisse Caietanum & Catharinum.

Sæculo denique decimo sexto,post annum M.D.diem definiuit Concilium Trident.sess.24.can.7.

Accedat vltimò argumentum ex ratione petitum.Primò Matrimonium fidelium, signum est coniunctionis Christi cum Ecclesia,vt Apostolus docet cap.5.ad Ephes. At illa vnio indissolubilis est:igitur & vinculum coniugale indissolubile est. Et quamuis tota simul Ecclesia à Deo fornicari non possit,tamen aliquæ partes Ecclesiæ, nonnulli videlicet fideles,fornicantur interdum spiritualiter, & diuortium faciunt, sed non propterea licet illis mutare Deum,aut Deus ita illos abiicit,vt nolit reconciliari,immò semper hortatur ad reconciliationem. Tale igitur debet esse coniugium Christianorum, vt nũquam tale diuortium fiat,quin spes maneat reconciliationis. Et hanc rationem à Sacramento ductam, valde vrget Augustinus lib.de bono coniugali cap.7.15.18.& 24.

Secundò,si licitum esset aliud Matrimonium, iniuria afficeretur proles:nam filiis iam natis malè consuleretur, qui pro patre vitricum, pro matre nouercam habere inciperent.Et hæc est ratio S.Ambrosij in ca.16. Lucæ,vbi etiam dicit, propter filios debere patrem matris culpæ ignoscere.

Tertiò,si esset licitum eiusmodi coniugium viuente altero coniuge,aperiretur aditus infinitis repudiis etiã iniustis.Nunc enim quia sciunt fideles,debere se,aut cælibes viuere,aut priori coniugi reconciliari,non facilè ad diuortium adducuntur:at si scirent, mox repudiata vxore posse aliam duci, facillimè diuortia fierent, & quærerent occasiones aliquando disidiorum,& criminum,&c. Et hanc rationem attingit Hieronymus in cap. 19. Matthæi, vbi scribit quia periculum erat,ne mariti ob desiderium alterius coniugij calumniam struerent priori vxori, sic Dominum voluisse dimitti vxorem ob fornicationem, vt tamen ea viuente non liceret aliam ducere.

Quartò, si post diuortium in caussa fornicationis liceret parti innocenti aliud Matrimonium inire, vel id liceret etiam nocenti, vel non liceret.Si liceret,ergo cõmodum ex peccato suo adulter reportaret,& sæpè etiam viri dedita opera adulterium committerent, vt possent ab vxore liberari,& aliam vxorem ducere. Si non liceret, quæro inprimis,quare?nam cùm ea persona sit à vinculis prioris coniugij soluta(neque enim potuit pars innocens aliud Matrimonium inire,nisi vinculo prioris dirempto) neque vlli faciat iniuriam, quare non potest Matrimonium contrahere?

Dices,quia lex prohibet. Sed vbi est lex prohibens? neque enim vlla lex exstat,quod sciam,quæ soli innocenti nuptias concedat.Deinde,cur prohiberet lex coniugari hominem solutum,& procliuem ad vitia,quando nulla restat ampliùs spes reconciliationis cum coniuge priore? Diuino igitur, prudentissimo, iustissimóque iudicio Christus sanxit,coniugium quoad vinculum omnino indissolubile esse debere.

Adde vltimò,quod etiam apud Ethnicos,vbi morum disciplina vigebat,nulla fiebat repudia.Scribit enim Tertullianus in Apologet.ca.6.Romæ per annos fermè DC. Vrbe condita, nullum scriptum fuisse repudium: deinde autem euersa disciplina, cum aliis vitiis etiam repudia introducta.

CAPVT XVII.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

Proponam,& soluam argumenta Martini Kẽnitij,tum quia ipse post alios omnes scripsit, & eorum argumenta collegit, tum quia nemo ei re

ei respondit;cùm Erasmo,Caietano,Catharino,Luthero, Bucero,Brentio,Caluino,& Philippo responderint,Ioan. Eckius,Ruardus,Alphonsus de Castro,& alij ex Catholicis multi.

Prima obiectio Kemnitij pag.1250. *Lex Pontificia negans coniugi innocẽti in caussa adulterij aliud coniugium, priuat innocentem iure suo absque eius culpa, contra regulas Iuris.*

Respondeo, Lex ista non est Pontificis Romani solius,sed etiam Christi. Et malè Kemnitius regulam Iuris allegat: hæc enim est Regula in sexto de regul. Iuris, can. sine culpa. *Sine culpa,nisi subsit caussa, non est aliquis puniendus.* Vbi non solùm culpam,sed etiam caussam abesse oportet, vt quis nullo modo puniri possit: alioqui, quàm sæpè filij priuantur hæreditate paterna ob peccata patris?quàm sæpe ob indicia aliqua iure torquentur homines à Iudicibus,sine vlla propria culpa?quàm sæpe ob incurabilem coniugis morbum sine culpa sua priuatur alter coniunx debito coniugali, &(quod est grauius)fructu nuptiarum,id est, prole? Sic igitur vxore per diuortium separata,priuatur vir vsu cõiugij sine culpa, sed non sine caussa: caussa enim subest maxima, quia vinculum prioris manet, & quia Christus prohibet, & quia fieret iniuria proli,&c.

Secunda obiectio pag. 1251. *Si non liceret vxorem ducere homini innocenti, diuortium à Filio Dei concessum in caussa fornicationis nihil esset aliud,nisi laqueus conscientiæ, coniiciens homines in vsliones, & fornicationes, in iram, & iudicium Dei: nam fortè persona illa innocens non habebit donum continentiæ, & ideò in perpetua vslione versabitur, quæ impedit inuocationem Dei; aut etiam in fornicationes, & adulteria præcipitabitur. Quare melius Ecclesiæ suæ Christus consuluisset, si diuortium nullum concessisset: tunc enim persona innocens cogeretur vti remediis à Deo ordinatis.*

Respondeo,aut persona innocens potest non dimittere coniugem, vel certè post dimissionem potest reconciliari, aut cogitur dimittere, nec potest reconciliari. Si detur primum, quod accidit vt plurimùm, tum nullus conscientiæ laqueus metuendus est: habet enim persona innocens remedium paratum, si continere non potest, nimirum vt coniugem non dimittat, aut dimissæ reconcilietur,ad quod Apostolus hortatur,1.Cor. 7.& post Apostolum Ambrosius in c.16.Lucæ, & Augustinus lib.2.de adulterinis coniug. cap.6.7.8.& 9.

Et non debere durum videri maritis, culpis vxorum ignoscere,Probat Augustinus loco notato multis modis. Primò,quia si Deus per Sacramentum Pœnitentiæ, purgat peccatum adulterij, & ex adultera facit sanctam, & eam sibi reconciliat,cur graue debet esse viro,mulierem Deo reconciliatam, & non ampliùs adulteram, sed iustam existentem sibi reconciliare? nam non minùs illa Deum offenderat adulterio spirituali, quàm virum adulterio carnali.

Secundò,Christus remittit viris,quoties ipsi recõciliari volunt,adulteria spiritualia;ergo debent etiam viri remittere vxoribus adulteria carnalia, si reconciliari illæ cupiant.Nam eadem mensura, qua mensi fuerimus, remetietur nobis,Matth.7.& Luc.6. & metuendum est,ne dicatur nobis:*Nonne oportuit te misereri conserui tui, sicut ego tui misertus sum?* Matth.18.

Tertiò,sæpe accidit,vt vir qui vxorem ob adulterium dimisit,sit etiam ipse adulter,si non opere,certè voluntate.Coram Deo autem,& in rei veritate: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*, Matth.5. Sicut ergo viri cupiunt non deseri ab vxoribus,etiamsi fidem eis nõ seruauerint:ita debent eas non deserere, aut certè reducere si dimiserint, licet ipsis aliquando fidem non seruauerint: licet enim secundum leges mundi impares videantur vir & vxor in caussa adulterij,tamen secundum legem Christi pares sunt.

Quòd si non liceat,aut non expediat vxorem retinere, aut reuocare post crimen admissum:nũc etiam remedium non deest in diuino auxilio, quod nemini petenti negatur,iuxta illud:*Petite & accipietis*, Matth.7.

Et non esse hoc nouum,vt quis cogatur sine sua culpa ad perpetuum cœlibatum, ostendit Augustinus lib.2. de Adulterinis coniug.c.11.& sequentibus,multis exemplis. Nam si fortè vxor ab initio Matrimonij in morbum incidat, & in eo perduret vsque ad mortem viri; vel si captiua ducatur,& viro sciente,in carcere,vel alibi apud hostes perpetuò viuat;vel iusti negotij caussa multos annos in longinqua regione vir ab vxore disiunctus maneat, quid tunc faciet vir ille, si fortè vstionem pati incipiat?cùm neque vllam diuortij iustã caussam habeat, neque vxore sua vti possit:nónne oportebit à Deo auxilium ad continendum piis precibus impetrare?

Ex his perspicitur quàm inconsideratè Kemnitius scripserit, meliùs Christum Ecclesiæ consulturum fuisse, si diuortium nullum concessisset. Nam si id non concessisset,coëgissent homines ad pericula apertissima,& maxima subeunda,vt vitarentur pericula minora,& quæ fortè nunquam accident:quod extremæ demẽtiæ fuisset. Nam si fortè alter coniugum fiat hæreticus, & perpetuò alteram ad hæresim suam nitatur attrahere, quis non videt,si illicitum sit diuortium,in aperto discrimine amittendæ fidei miseram illam coniugem lege cogente esse futuram?

Tertia obiectio, pag.1252. & 1253. Pharisæi Christum interrogantes,Matth.19.an liceret vxorem dimittere,loquebantur de dimissione quoad vinculum,& non quoad torum tantùm,neque enim illi aliam dimissionem nouerant,nisi quæ in lege permittebatur. Illa autem talis dimissio erat,vt liceret aliam ducere,vt colligitur ex Deut. 24.Leuit.21. Ierem.3. & Ezechiel.44. Christus igitur eis respondens, loquitur etiam de dimissione quoad vinculum:nam alioqui non respondisset ad propositum. Vnde semper Dominus coniungit dimissionem vnius cum acceptione alterius,dicens:*Quicunque dimiserit vxorem suã, & aliam duxerit,&c.* Matth.19.Marci 10. & Luc.10. Sed Christus de iusta dimissione quoad vinculum loquens, Matth.5.& 19.excipit caussam fornicationis; ergo voluit posse dimitti vxorem quoad vinculum in caussa fornicationis.

Et confirmatur argumentum à contrario sensu. Nam sicut Christus dicit: *qui dimittit vxorem exceptæ caussa fornicationis, & aliam ducit, mœchatur*, ergo qui propter caussam fornicationis dimittit vxorem, & aliam ducit,nõ mœchatur: Sunt autem hæc argumenta à contrario sensu omnium & manifestissima,& firmissima.

Secundò confirmatur,ex eo,quòd Augustinus,qui contrarium sensit,non potuit explicare istum locum,nisi miserè torquendo textum Euangelij. Dicit enim hunc esse sensum exceptionis, quòd illi grauiùs quidem peccant, qui sine caussa fornicationis diuortium faciunt, sed tamen & illos adulterij reos esse,qui propter caussam fornicationis,dimissa priore vxore aliam ducunt. At inspiciatur textus, & manifestum erit, Christum hoc non dicere.

Præterea particulæ παρεκτὸς & εἰμὴ,illam Augustini cõtorsionem non admittunt:nam in Scripturis passim accipiuntur exceptiuè, vt patet 1. Reg.20. *Puer hoc non sciebat,nisi tantùm Dauid,& Ionathas*, 1.Reg.21. *Non est hic alius gladius,præter hunc*, 3. Reg.3. *Nemo adfuit, nisi nos duæ*, Actor. 26. *Optarim omnes fieri tales,qualis ego sum, exceptis his vinculis*.In his enim sententiis ineptissima esset interpretatio de magis, & minùs,cùm simpliciter sint exclusiuæ exceptiones,sicut & particula nisi,quæ Matth. 19.vsurpatur.

Respondeo,ad hoc argumentum dupliex solutio

adhiberi potest, iuxta ea, quæ diximus cap. superiore. Nã verba illa Matthæi: *Nisi ob fornicationem*, possunt accipi exceptiuè, vel negatiuè, vt ibi diximus: & si quidem accipiantur exceptiuè, tum respondendum est, Christum non loqui de dimissione quoad vinculum, sed solùm quoad torum; quando concedit dimissionem in caussa fornicationis.

At Pharisæi interrogauerant de dimissione quoad vinculum, ergo & Dominus de eadem respondit. Concedo Pharisæos de dimissione quoad vinculum interrogasse, sed nego, Dominum de eadem respondisse: *Ergo*, inquit, aduersarius, *non satisfecit Dominus propositæ quæstioni.* neganda est consequentia. Nam cùm in dimissione perfecta, quæ est quoad vinculum, duo contineantur, dimissio vnius, & potestas ducendi aliam: Dominus hæc duo separauit, ac vnum quidem concessit, dimissionem videlicet, cum restrictione ad caussam fornicationis, alterum verò omnino sustulit. Et hæc est caussa, cur ferè semper Dominus illa duo distinctè posuerit: *Quicunque dimiserit, &c.* &, *Aliam duxerit*, vt nimirum explicaret repudium in lege permissum, & partim approbaret, partim improbaret.

Ad argumentum illud à contrario sensu respondeo, nihil illud concludere. Nam si exponamus, vt cap. superiore diximus, verba Domini, hoc modo: *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, id est, mœchatur illam dimittendo, quia facit eam mœchari, & mœchatur aliam ducendo, quia propriè adulterium committit, atque ita bis mœchatur: tunc à contrario sensu inferendum est; Ergo qui propter fornicationem dimittit vxorem, & aliam ducit, non mœchatur bis, sed tantum semel, id est, non mœchatur dimittendo, sed solùm aliam accipiendo: & hoc est verissimum. Sic etiam si accipiamus alteram expositionem, quæ talis erat: *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem*, id est, quod non licet, nisi ob fornicationem: *& aliã duxerit mœchatur*: à contrario sensu non potest inferri, nisi hoc, Ergo qui propter fornicationem dimittit vxorem, & aliam ducit, non peccat dimittendo, sed solùm mœchatur aliam ducendo. Atque hæc de prima solutione.

Si verò cum S. Augustino accipiamus illa verba: *Nisi ob fornicationem*, non exceptiuè, sed negatiuè: tunc ad argumentum principale admittimus, Christum loqui de dimissione quoad vinculum, vt Kemnitius contendit: sed negamus, concedi istam dimissionem in caussa fornicationis, quia illud; *Nisi ob fornicationem*, non est exceptio, sed negatio: negat enim Dominus licitam esse talem dimissionem sine caussa fornicationis, sed non dicit esse licitam, si adsit caussa fornicationis.

Ad primam confirmationem respondeo, argumentum à contrario sensu non concludere, nisi rectè accipiantur contraria. Iam in proposito cùm dicimus negatiuè, Quicunque sine caussa fornicationis dimissa vxore aliam ducit, mœchatur; non rectè infertur, Ergo qui propter fornicationem vxore dimissa aliam ducit, non mœchatur: sed tantùm inferri potest, Ergo minùs grauiter mœchatur. Nam qui sine caussa fornicationis vxore dimissa aliam ducit, non ideò mœchatur, quia sine tali caussa aliam ducit; sed quia aliam ducit. Quòd autem ea caussa absit, non facit eum mœchari, sed facit eum mœchari cum iniuria prioris coniugis; & idcirco qui propter fornicationem priore dimissa aliam ducit, mœchatur quidem, sed minùs grauiter, quia sine iniuria prioris coniugis.

Ponit exemplum Augustinus lib. 1. de adulterinis cõiugiis, c. 9. & epistola Iacobi c. 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Neque enim à contrario sensu debet inferri, Ergo, ignoranti bonum, & non facienti, peccatum non est illi; nam sunt etiam peccata ignorantiæ: sed inferri debet, Ergo ignoranti bonum, & non facienti, minus peccatum est, quàm si sciens peccasset. Quemadmodum si quis diceret; Qui, nisi ob inopiam furatur, peccat, non posset inde inferri; Ergo qui ob inopiam furatur, nõ peccat: Sed Ergo qui ob inopiam furatur, minùs peccat; nisi fortè sit extrema necessitas, quia tunc non modò non peccatum, sed nec furtum appellandum esset.

Ad secundam confirmationem respondeo, Kemnitiũ semper tui esse similem, id est, fraudulentum, & mendacem: neque enim S. Augustinus vsquam scripsit, exceptionis illius: *Nisi ob fornicationem*, sensum esse, quòd illi grauiùs peccent, qui sine caussa fornicationis diuortium faciunt, quasi quæstio proposita fuisset, ex illicitis diuortiis quodnam esset grauius. Nihil, inquam, tale vsquam scribit Augustinus, sed solùm Christum in Euangelio B. Matthæi, expressisse vnam speciem adulterij, eámque grauissimam, aliis prætermissis, quia id requirebat locus & tempus illius disputationis habitæ cum Pharisæis, vt nos suprà capite superiore exposuimus.

Ad illud quod vltimò Kemnitius de particula exceptiua obiecit, respondeo, negari nõ posse, illas particulas *παρεκτὸς*, & *εἰμὴ* sæpè accipi exceptiuè, vt loca à Kemnitio allata demonstrant: sed tamen posse etiam aliter accipi. Nam Apocal. 9. vbi legimus: *Et præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Illud nisi Græcè *εἰμὴ* non potest accipi exceptiuè, sed aduersatiuè, nisi quis velit homines inter arbores connumerare. Et c. 21, vbi legimus: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ*, non potest accipi particula, Nisi, *εἰμὴ* Græcè, exceptiuè: nam sensus esset, aliquos coinquinatos intraturos esse in regnum cœlorum.

Deinde etiamsi testimonio Matth. 19. vox Nisi accipiatur exceptiuè, tamen poterit esse exceptio negatiua, & id sufficiet sententiæ S. Augustini. Cùm enim dicitur: *Quicunque dimiserit vxorem, excepta caussa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur*, potest excipi caussa fornicationis, vel quia cùm ea caussa ad est, non est adulterium aliam ducere; & hæc est exceptio affirmatiua: vel quia de ea caussa nihil in præsentia determinatur, an sufficiat excusare adulterium, nec ne; & hæc est exceptio negatiua quam sanctus Augustinus rectè amplexus est. Cur autem Dominus nihil determinauerit eo loco de ista caussa, ostendimus capite superiore.

Quarta obiectio, pag. 1259. & 1260. *Cùm Apostolus dicit, 1. Cor. 7. Præcipio non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; intelligit mulierem debere innuptam manere, si discesserit excepta caussa fornicationis viri, ob culpam nimirum suam? Ergo si caussa fornicationis adsit, non tenebitur manere innupta.*

Antecedens probat. Primò, quia in verbo illo: *Præcipio non discedere*, intelligitur exceptio à Domino posita de caussa fornicationis; ergo etiam in verbo sequenti: *Quòd si discesserit, manere innuptam*, debet intelligi eadem exceptio: alioqui erit æquiuocatio intra paucas lineas in verbo, Discedo. Secũdò, probat ex verbo illo Recõciliari, quod propriè ad reos pertinet: qui enim læsit, debet reconciliari, qui fuit læsus, placari. Quare Paulus de muliere discedente iniustè sine caussa liciti diuortij. Tertiò, paulò pòst idem Apostolus concedit fideli, deserto ab infideli, nubendi libertatem, ergo ostendit priorem illam sententiam: *Non discedere*, vel: *Si discesserit, &c.* non esse accipiendam sine exceptione. Quartò, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, & Ambrosius hunc locum exponentes, excipiunt caussam fornicationis.

Respondeo, iam satis ostendi capite superiore, Paulum non posse exponi nisi de discessione ob iustam caussam, cùm ait; Quòd si dimiserit, &c. quia alioqui, & cum Euangelio & secum ipse pugnaret, si daret optionem coniugi, vt ad coniugem rediret, vel non rediret, etiamsi

etiamsi iniustè ab illo recessisset.

Ad primam probationem respondeo, non esse æquiuocationem in verbis Pauli, sed eclipsim ipsi Paulo frequentissimam, est enim sensus: *Præcipio non discedere*, scilicet sine iusta caussa; *quod si discesserit*, videlicet caussa inuenta, &c.

Ad secundam suprà respondi, verbum Reconciliari, esse commune, & ei qui læsit, & ei qui læsus est: nam secundum Scripturas, & nos reconciliamur Deo, & Deus reconciliatur nobis.

Ad tertiam respondeo, argumentum non esse ad rem. Nam quando Paulus permittit libertatem nubendi, fideli deserto infideli: loquitur de coniugio contracto inter infideles, de quo Dominus nihil præceperat; vnde ait: *Cæteris ego dico, non Dominus*, &c. At quando iubet, vxorem à viro non discedere, & si discesserit, manere innuptam, loquitur de Matrimonio contracto inter fideles, quod Christus insolubile esse pronunciauit.

Sed instabit aliquis, Si fornicatio spiritualis, nempe infidelitas, soluit vinculum coniugij, cur non magis fornicatio corporalis?

Respondent nonnulli, fornicationem spiritualem esse maius peccatum, quàm corporalem, & ideo non esse consequens, vt si ob maius peccatum soluitur vinculum coniugij, soluatur ob minus peccatum. Sed non est solida solutio. Nam etiamsi fornicatio spiritualis sit maius peccatum absolutè, tamen magis repugnat coniugio fornicatio corporalis, quàm spiritualis: & ideo si fornicatio spiritualis solueret vinculum, solueret etiam corporalis.

Vera igitur solutio est, vinculum non solui ob fornicationem spiritualem absolutè, quia tunc solueretur etiam quando alter Catholicorum coniugum fieret infidelis: sed solui tamen vinculum coniugij inter infideles contracti, quando alter conuertitur ad fidem, quia coniugium illud Sacramentum non erat, vt suprà diximus.

Ad quartam respondeo, Patres illos non ponere exceptionem in illa sententia: *Si discesserit*: sed in illa: *Præcipio non discedere*: in qua nos etiam eandem exceptionem ponimus. Potrò iidem Patres in illa sententia, *Si discesserit*, &c. ponunt inclusionem, vt sic loquar, potiùs quàm exceptionem fornicationis, quod est manifestè contra aduersarium.

Chrysostomus enim, & Theophylactus dicunt, ob continentiæ desiderium, vel ob alias caussas fieri diuortia, sed cùm fiunt, oportere coniuges non transire ad alia coniugia: inter illas autem caussas quis prohibet fornicationem alterius coniugis numerare?

Commentarius autem Ambrosij, siue quicunque fuerit auctor, dicit (vt Kemnitius citat) Apostolum loqui de muliere, quæ accedit ob malam conuersationem viri. Per malam autem conuersationem nihil conuenientiùs intelligi potest, quàm si vir vxori fidem non seruet, aut eum ad peccandum solicitet, quæ duæ sunt caussæ iustissimi diuortij. Et de his caussis se loquutum auctor ille paulò pòst ostendit: dicit enim, ideò debere innuptam mulierem manere, post diuortium, quia non licet ei alteri nubere, si ob fornicationem, aut apostasiam viri ab illo discesserit. Verba igitur à Kemnitio allegata, contra ipsum Kemnitium maximè pugnant, quippe qui contendit Paulum de ea muliere loqui, quæ sine iusta caussa à viro recedit.

Obiectio quinta, pag. 1263. *Origenes tract. 7. in Matth. etiamsi dicat, Episcopum, qui permittit mulieri secundas nuptias, post diuortium caussa adulterij factum, id permisisse contra Scripturam: tamen ibidem dicit eum non sine caussa permisisse, & comparat hanc permissionem, cum illa quæ exstat 1. Corinth. 7. Bonum est homini mulierem non tangere, sed propter fornicationem, &c. Non igitur intelligit permissionem criminis mortalis vastantis conscientiam, & effundentis gratiam.*

Respondeo, peruertit more suo hæreticus scripta Patrum Origenes enim loco notato, cùm ait, illos Episcopos non sine caussa permisisse, significat eos permisisse rem malam, & illicitam, vt ex duobus malis eligeret minus malum; sic enim ait: *Peiorum cõparatione quæ mala sunt, permiserunt.* Neque comparat Origenes hanc permissionem cum illa Pauli: *Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat*, nisi in eo, quod vtraque est permissio quædã cõcessa ob infirmitatem hominum. Nam si omnes Christiani perfecti esse vellent, sequerentur id, quod Apostolus simpliciter bonum appellat, cum ait: *Bonum est, mulierem non tangere:* tamen quia non omnes capiunt verbum hoc, conceduntur vxores. Sed tamen Origenes non dicit, hanc Pauli permissionem esse contra Scripturam, aut esse rei malæ, sicut loquitur de permissione secundi coniugij post diuortium.

Quod autem Kemnitius addit, ex sententia Origenis secundum illud coniugium non esse crimen lethale; falsum est. Quomodo enim non est crimen lethale, quod est Origene teste, expressè contra Scripturam illam Pauli Rom. 7. *Viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro?* an fortè adulterium non est crimen lethale? Sed ad cætera transeamus.

Obiectio sexta, pag. 1264. *Concilium Neocæsariense, can. 7. contrahentibus secundas nuptias post diuortium, iniungit aliquam pœnitentiam, sed non dirimit cõtractum Matrimonium. Veteres igitur censebant ciusmodi coniugia non esse prorsus damnanda, licet optassent non fieri.*

Respondeo, non tractat Concilium de nuptiis post diuortium, neque vlla est in toto illo Concilio diuortij mentio, sed de secundis nuptiis, quæ contrahuntur mortua priore vxore, quas licitas quidem esse sciebant veteres, sed tamen ob signum incontinentiæ aliqua pœnitentia notabant, vt clarius perspicitur in Concilio Laodiceno, can. 7.

Obiectio septima ibidem: *Hieronymus in epist. ad Oceanum, narrat publicam pœnitentiam Fabiolæ, quæ nupserat alteri viro, priore viuente, post diuortium factum caussa fornicationis; sed addit, illam hoc non vt peccatum mortale commisisse, neque tantùm Papiniani leges sequutã, sed fecisse hoc iuxta dicta Pauli, Melius est nubere, quàm vri; & Volo iuniores viduas nubere. Neque publica pœnitentia Fabiolæ efficit, peccatum esse simpliciter mortale: nam & illis qui adulteram sine diuortio retinebant, duorum aut trium annorum pœnitentia tunc imponebatur. 32. q. 1. can. Si quis.*

Respondeo. Rectè dixit Augustinus frontem hæreticorum non esse frontem, lib. 4. in Iul. ca. 8. quis enim crederet hominem, qui vllo pudore teneretur, tam impudenter potuisse mentiri? Nam illa verba Kemnitij, *Addit Hieronymus, illam hoc non vt peccatum mortale commisisse*, aut significant, illud non fuisse peccat ũmortale opinione Fabiolæ, aut non fuisse opinione Hieronymi. Si dicat primum, ad rem loquitur: quid enim curamus quam opinionem habuerit Fabiola? de sententia enim Hieronymi, non Fabiolæ disceptamus. Si dicat secundum, vt debet, apertè mentitur. Nusquam enim in tota illa epist. scribit S. Hieronymus, Fabiolam in secũdo illo coniugio non peccasse mortaliter; neque id scribere poterat, nisi secum ipse pugnare vellet.

Neque dicit fabiolam esse sequutam legem Papinia ni, & Pauli, immò potiùs dicit, illam contra Papiniani legem fecisse. Papinianus enim viris frena libidinis laxat, non mulieribus: Fabiola autem fœmina erat, non vir: *Aliæ sunt*, inquit Hieronymus, *leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit, &c.* Quod autẽ Hieronymus in excusationẽ aliquam Fabiolæ adducit verba Pauli: *Melius est nubere, quàm vri; & Volo*

adoleſcentiores nubere; eò pertinet, vt oſtendat illam partim ex infirmitate, partim ex ignorantia peccaſſe. Exiſtimauerat enim illæ ad ſe pertinere illas ſententias, tum quia ignorabat vigorem Euangelij, tum quia concupiſcentiæ ardore ſe ipſa fallebat.

Sed quod nihilominus teſte Hieronymo, & propria Fabiolæ cõſcientia, mortaliter ipſa peccauerit, facilè probari poteſt. Primò, quia Hieronymus ſcribit factum illud Fabiolæ fuiſſe contra Chriſti præceptum: *Præcepit Dominus*, inquit, *vxorem non debere dimitti excepta cauſſa fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam: Quidquid viris iubetur, hoc conſequenter redundat in fœminas.* Hæc ille. vbi apertiſſimè factum Fabiolæ indicat contra expreſſam Chriſti legem, & conſequenter peccatum mortale ex genere ſuo fuiſſe.

SECVNDÒ, probatur ex illis verbis eiuſdem Hieronymi: *Igitur & Fabiola, quia perſuaſerat ſibi, & putabat à ſe virum iure dimiſſum; nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuerſa cautio, viuentibus viris fœminis amputatur: dum multa Diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit.*

TERTIÒ probatur ex illis: *Sed quid ego in abolitis, & antiquis moror, quærens excuſare culpam cuius pœnitentiam ipſa confeſſa eſt?* Qualis autem pœnitentia fuerit, his verbis explicat: *Tota vrbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Latcrani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtetit in ordine pœnitentium, Epiſcopo presbyteris & omni populo collachrymantibus: Sparſum crinem, ora lucida, & ſqualidas manus, ſordida colla ſubmiſit:* Et infrà: *Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit: diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os, non eſt ingreſſa in Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi ſeparata conſedit, vt quam ſacerdos eiecerat, ipſe reuocaret.* Hæc ille.

Quis autem vnquam audiuit eiuſmodi pœnitentiam publicam pro veniali culpa poſtulatam, aut conceſſam, ne dicam impoſitam, & iniunctam in Eccleſia? quem vnquam Epiſcopus expulit ex Eccleſia ob veniale delictum, vt Fabiolam eiectam ſcribit Hieronymus?

PORRÒ canon ille, quem citat Kemnitius, quo pœnitentia trium annorum iniungitur ei qui adulteram retinet, intelligi debet de eo qui in adulterium vxoris cõſenſit, vt Doctores exponunt, quod quidem mortale crimen eſſe, nemo dubitare poteſt. Nam alioqui adulteram tolerari poſſe, & maximè emendari cupientẽ, eſſe retinẽdam, fusè docet Auguſtinus lib. 2. de adulterinis cõiugiis.

Obiectio octaua, pag. 1265. *Ambroſius in Commentario, cap. 7 prioris ad Corint. obſeruat Apoſtolum non dixiſſe de viro, vt maneat ſine vxore, aut vxori reconcilietur, ſi eam dimiſerit: ſed tantùm, vt vir vxorem non dimittat. Ex quo ipſe colligit, ſoli mulieri prohiberi ſecundum coniugium; non autem viro poſt diuortium.*

RESPONDEO, Gratianus 32. q. 7. & Petrus Lombardus lib. 4. ſentent. diſt. 35. contendunt, ea verba inſerta ab aliquo falſario fuiſſe, commentario huius auctoris. Alij reſpondent loqui auctorem iſtum de lege politica Cæſarum, quòd videlicet liceat viris, non autem fœminis, per leges Cæſarum repudiata coniuge aliam ducere: & ideò Paulum, ne offenderet Cæſarem, non voluiſſe expreſsè dicere, ſi vir dimiſerit vxorem, maneat ſic, aut vxori reconcilietur.

Si tamen hæc minùs probentur, in promptu eſt reſpõſio, auctorem eorum commentariorum nõ eſſe Ambroſium, quod eruditi non ignorant: neque aliquem ex celebratis Patribus; proinde eius vnius ſententiam non poſſe omnibus aliis præiudicare; præſertim cùm eius ſententia de impari iure coniugium apertè ipſi Ambroſio aduerſetur, vt videre eſt, lib. 1. de Abraham, cap. 4.

Neque argumentum ex Paulo ſumptum ab hoc auctore, concludit; cùm enim Paulus dicit: *Et vir vxorem non dimittat*; intelligit ſine dubio, eum non debere dimittere vxorem ad eum modum, quo explicatum eſt de muliere, non debere illam recedere à viro.

Obiectio nona, pag. eadem: *Pollentius quidam Auguſtini ſententiæ, de illicito coniugio poſt diuortium, apertè contradixit; non igitur erat hoc eo tempore Catholicum dogma.*

RESPONDEO, Pollentius non contradixit Auguſtino, ſed eum conſuluit circa quæſtionem obſcuram, & loca Scripturæ difficilia, vt ex principiis vtriuſque libri intelligi poteſt. Neque mirum eſt, ſi Auguſtinus Pollentium non vocauit hæreticum, neque acriter increpauit. non enim hæretici ſunt quicunque errant in fidei doctrina, ſed qui pertinaciam ad errorem adiungunt, quod Pollentius, non legitur feciſſe. Quare idem Auguſtinus in epiſt. ad Voluſianum tertia, non reprehendit Voluſianum, ſed modeſtè admonet & inſtruit, licet quæſtiones ei propoſuerit planè impias, an Deus relicta mundi cura, ad vnius corpuſculi anguſtias ſe coëgerit, an Chriſti mater fuerit ſemper virgo: an ſit credibile Deum eſſe, qui in vtero clauſus iacuit menſibus decem, &c.

Adde, quòd tempore Auguſtini non erat hoc dogma ab aliquo generali Concilio explicatum, & ideò faciliùs excuſari poterant, ſi qui in hac re erraſſent. Quare idem Auguſtinus lib. de fide, & operibus, c. 19. dicit venialiter falli, qui ob Scripturæ obſcuritatem exiſtimant non eſſe adulterum eum, qui dimiſſa vxore cauſſa fornicationis, aliam ducit.

Obiectio decima, pag. 1266. *Concilium Mileuitanum can. 17. prohibet quidem, ne poſt diuortium aliud Matrimonium incatur: ſed neque apertè negat parti innocenti in cauſſa fornicationis licitum eſſe aliud Matrimonium; & præterea addit Concilium petendum eſſe de hac re legem ab Imperatore. Vnde colligimus, non fuiſſe eo tempore vllam apud Chriſtianos legem, quæ dirimeret eiuſmodi Matrimonia.*

RESPONDEO, Canones Concilij Mileuitani, Auguſtino præcipuè auctore (vt etiam fatetur Kemnitius) compoſiti, editique fuerunt. Quare cùm Auguſtinus integris libris diſputauerit, in nullo caſu, ne fornicationis quidem, licitum eſſe viuente coniuge ad aliud tranſire coniugium: dubium eſſe non debet, quæ ſit Canonis illius ſententia. Deinde hoc ipſo quòd ille Canon nullam cauſſam excipit, generatim accipiendus eſt.

Legem autem imperialem Patres illi deſiderabant, non qua declaretur illicitum eſſe nouum coniugium poſt diuortium, vtroque adhuc viuente coniuge: id enim ex Euangelio, & Apoſtolo conſtare Patres illi affirmant: ſed qua punirentur ſeuerè etiam à temporali poteſtate, qui crimen illud admitterent.

Obiectio vndecima, pag. eadem: *Leo epiſt. 85. aliàs 87. ad Epiſcopos Africæ, cap. 1. ſacerdotem, qui dimiſſa vxore aliam duxerat, tantùm ab ordine remouet, non autem Matrimonium eius dirimit, aut eum ab Eccleſiæ communione expellit.*

RESPONDEO. Non loquitur Leo de ſacerdote, qui poſt ſuſceptum ſacrum ordinem, vxorem duxerit; neque enim id vnquam factum eſt, ante hæreſim Lutheranam: ſed de quodam, qui cùm vxorem accepiſſet, priore dimiſſa, poſtea ad ſacerdotium promotus fuerat. Hunc autem S. Leo ab ordine remouet; nihil autem addit de Matrimonio eius, tatúmne, an irritum eſſet, tum quia non erat ei propoſita quæſtio, niſi de ordinatione, an ſcilicet talis homo ad ſacerdotium promoueri potuiſſet; tum quia ibidem addit, ſalua eſſe debere decreta prædeceſſorum ſuorum. Vnum eſt autem inter ea decretum Innocentij I. epi. 3. quo declarantur adulteri, qui priore dimiſſa, etiam per legitimum diuortium, aliam ducunt.

Obiectio duodecima, pag. 1266. & 1267. *In decreto*

Gratiani 32. q. 7. referuntur quatuor Canones. Quod propoſuiſti. Quædam. Concubuiſti. Si quis eum. Quibus conceditur aliud Matrimonium poſt diuortium: & duo quidem eorum Canonum ex Conciliis ſumpti ſunt, duo ex epiſtolis Pontificum Zachariæ, & Gregorij.

RESPONDEO, Primus Canon ſumptus eſt ex epiſtola Gregorij III. ad Bonifacium; vbi legimus, Gregorium conceſſiſſe ſecundum Matrimonium cuidam viro, ob ægritudinem coniugis prioris. Sed Canonem iſtum intelligunt Doctores de ægritudine, quæ reddat mulierem ineptam ad coniugium, & proinde ſit impedimentum dirimens contractum Matrimonium.

SECVNDVS Canon depromptus eſt ex Concilio quodam, cuius ne nomen quidem exſtat, vnde facilè contemni poſſet. Sed exponitur tamen rectè à Doctoribus, de coniugio ineundo poſt mortem prioris coniugis. Hæc ſunt verba Canonis: *Quædam cum fratre viri ſui dormiuit: decretum eſt, vt adulteri nunquam coniugio copulentur: illi verò cuius vxor ſtuprata eſt, licita coniugia non negentur.* Sententia autem huius Canonis colligitur ex Canone ſimili, qui habetur paulò pòſt in eadem quæſtione, & incipit: *Hi verò.* vbi ſtatuitur, vt mortua coniuge adultera, vir eius ducat quam voluerit: mulier verò adultera, ne marito quidem mortuo nubere poſſit. Quod tamen intelligunt de adultera, quæ cum propinquo aliquo ſuo peccauerit, & ideo ſimul inceſtuoſa ſit, nam alioqui ſimplex adulterium non impedit Matrimonium poſt mortem coniugis.

TERTIVS Canon eſt Zachariæ, vbi ſcribitur, eum, qui cum ſorore vxoris ſuæ dormiuit, neutrã habere poſſe, vxorem tamen ipſius poſſe nubere, cui voluerit. Et in eandem ſententiam loquitur Canon 4. qui eſt Concilij Triburienſis. Sed intelliguntur omnes eiuſmodi Canones de coniugio, quod parti innocenti conceditur poſt mortem coniugis prioris. Atque hactenus Kemnitij argumenta diſſoluimus. Nunc adducemus alia ex aliis.

Obiectio decimatertia Lutheri in lib. de captiuit. Babylon. cap. de Matrimonio: *Chriſtus diuortium permiſit in cauſſa fornicationis, Matth. 5. & nullum cogit eſſe cælibem cùm dicat, Qui poteſt capere, capiat, Matt. 19. Ergo permittit aliam vxorẽ duci facto diuortio. Et confirmatur ex Paulo, qui ait, Melius eſt nubere, quàm vri, 1. Cor. 7.*

RESPONDEO, Chriſtus abſolutè neminem cogit eſſe cælibem, quia cælibatum inter conſilia, non inter præcepta numerari voluit: tamen cogit hominem ſtare promiſſis, & conſequenter ſæpe accidit, vt cogat eſſe cælibem. Qui enim vouit continentiam, cogitur reddere vota ſua, & ſic cogitur eſſe cœlebs: & qui duxit vxorẽ, promiſit ſe illa viuente nulli alij adhæſurum; id enim requirit vinculum Matrimonij, quod eſt omnino inſolubile, & ideo ſi à ſua ſe continet, cogitur eſſe cœlebs.

Porrò Apoſtolus rectiſſimè dixit, melius eſſe nubere, quàm vri: ſed nõ dixit, vt notat Auguſtinus lib. 2. de adulterinis coniugiis, c. 12. in fine, melius eſſe mœchari, quàm vri: mœchari autem eum, qui viuente priore aliam ducit, idem Apoſtolus docet Rom. 7.

Obiectio decima quarta eſt Buceri in comment. cap. 19. Matth. *Iudæis permiſſum erat ob duritiam cordis, dimittere vxores, & alias ducere: ergo idem licere debet Chriſtianis, quando eadem inuenitur in eis cordis duritia, vt ſimul cõmodè habitare nequeant. Probatur conſequẽtia.* Primò, *quia ſi cauſſa legis illius durat, æquum eſt, vt etiam lex ipſa duret.* Secundò, *quia Chriſtus filius Dei non damnauit quidquam eorum, quæ Pater ipſius præcepit: Pater autem cæleſtis iuſſit duris corde, ſi nollent maritali æquitate vxores tractare, vt eas liberè dimitterent, vt nuberent aliis.* Tertiò, *adeò neceſſariæ ſunt nuptiæ, vt ſi qui, aut quæ exiſtat, cui nullus ſit coniunx, coniugem illi concedere oporteat. Non enim Deus creauit hominem maſculum, & fœminam, vt ſeorſim viuant; ſed dixit, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, Geneſ. 2. & Paulus 1. Corint. 7. Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat. Ergo ſi impetrari poſſit, vt coniuges non ſeparentur, aut ſeparati reconcilientur, id quidem optandum eſt, & procurandum: ſi autem obſtiterit cordis duritia, non poterit infringi verbum Domini, vnuſquiſque ſuam, & vnaquæque ſuum.*

RESPONDEO, quæſtio eſt apud Doctores, vtrum repudium Iudæis conceſſum, ita vt aliud Matrimonium poſt repudium iniri poſſet, permiſſum fuerit vt licitum, an verò vt minus malum.

Et quidem ſententia communior Magiſtri diſt. 33. libro 4. & ibidem Bonauent. Richardi Dominici è Soto, & aliorum id habet, vt illicitum ſemper fuerit, ſed permiſſum tamen vt impunè fieret, cauſſa maioris mali euitandi. Nam Deuteron. 24. Scriptura teſtatur, mulierem repudiatam ſi alteri nupſerit, fieri pollutam, & abominabilem coram Domino, ex quo intelligimus, non licuiſſe illi ſecundò nubere, ſed coniugium illud, non tam coniugium, quàm adulterium coniugij nomine rectum fuiſſe. Et Hierem. 3. ſic legimus: *Vulgò dicitur, ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltrà; nunquid non polluta, & contaminata erit mulier? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Quo loco non ſolùm polluta dicitur, quæ alteri nupſerit, ſed etiam apertè fornicaria eſſe ſignificatur: id enim requirit comparatio inducta.

Etſi quidem hæc opinio ſit vera, Buceri argumentum facilè ſoluitur: ſi enim Iudæis, non obſtante permiſſione repudij, peccatum erat, poſt repudium ſeu diuortium nubere; quanto magis Chriſtianis peccatum erit?

Sed fortè contrariam opinionem quis malit amplecti; quæ (vt verum fatear) mihi ſemper probabiliſſima viſa eſt. Primò, quia ſi vinculum non fuiſſet ſolutum per libellum repudij, fuiſſet illa permiſſio valde inæqualis, ne dicam, iniqua. Nam viris permittebatur alias vxores ducere, cùm eſſet eo tempore licita polygamia vnius viri cum multis vxoribus: fœminæ autem, quæ tamen ſunt infirmiores, coactæ fuiſſent perpetuò continere, & aliquando ſine vlla culpa. Non enim licebat fœminis habere ſimul plures viros. quare debuiſſent, aut adulteræ fieri, aut perpetuò continere. Quis autem crederet, in lege veteri fuiſſe coactas mulieres perpetuum cælibatum eo tempore inuſitatum tolerare?

SECVNDÒ quia lex vetus non puniebat nuptias repudiatarum cum aliis viris, vt patet Deut. 24. ergo ſi illæ nuptiæ adulteria erant, lex toleraſſet publica, & continua adulteria? At quis facilè ſibi perſuadeat, eam legem, quæ iubebat lapidari mulierem, quæ ſemel in adulterio deprehenſa eſſet, ſimul toleraſſe tot adulteria, quæ publicè patrata fuiſſent à multis toto vitæ tempore?

TERTIÒ quia lex prohibebat, ne repudiata poſt mortem ſecundi mariti, poſſet vnquam reduci à priore marito: & quidem ita prohibebat, vt ſin ul indicaret, graue eſſe peccatum ſi id fieret, vt patet expendenti textum, c. 24. Deuteronomij. At ſi per repudium non ſoluebatur vinculum coniugij, non erat peccatum, nec prohibẽdum, immò valde bonum, & optandum, vt vxor rediret ad ſuum verum maritum.

QVARTÒ quia mirum eſſet, neque Moſem, neque Prophetas, qui alia vitia populi reprehendebant nunquam palàm reprehendiſſe iſta adulteria, quæ fiebant cum repudiatis.

QVINTÒ Leuit. 21. prohibetur ſacerdos non ducere vxorem viduam, nec repudiatam, nec meretricem, ſed virginem tantùm: ex qua lege videtur omnino colligi, licuiſſe aliis ducere repudiatam, quemadmodum licebat ducere viduam, & meretricem.

SEXTÒ Abraham iubente Deo repudiauit Agar, quam duxerat in vxorem, neque probabile eſt, fuiſſe

coactam illam deinceps colere cœlibatum. Sicut ergo Deus dispensauit cum Abraham ratione mysterij circa vinculum Matrimonij: cur nó potuit dispensare cũ populo suo ob eorum infirmitatem circa idem vinculum? &c.

A

SEPTIMÒ Exod. 21. lex diuina constituit, vt si Dominus seruo dederit vxorem, & ea pepererit filios: annó septimo seruus egrediatur liber, sed vxor, & filij Domini sint? atque ita priuabatur vir ille vxore, & filiis. Quod si vinculum non soluebatur, cogebatur mulier illa sine vlla sua culpa perpetuò continere: quod cùm improbabile sit, dicendum videtur, Deum eo tempore facilè dispensasse circa vinculum, sicut etiam dispensauerat circa polygamiam.

Neque argumentum illud prioris opinionis conuincit. Nam in Deuter. ca. 24. secundum Hebræos, & Græcos codices, legimus: *Quoniam abominatio est coram Domino*, & est hic sensus verborum: Repudiata non debet redire ad primum virum, quando polluta est cum altero, id est, quando cum altero rem habuit, quia abominabile est coram Domino, vt mulier toties mutet maritos, & quasi commodata fuerit alteri, iterum redeat ad primum. Sed iuxta editionem Latinam, quæ habet de muliere: *Et abominabilis facta est coram Domino*, sensus est. Quia maritus eius publicè, & proinde coram Domino eam pollutam & abominabilem iudicauit, cùm illá eiecit, quia mulier ista à marito suo notata est publica infamia, & ab eo facta est abominabilis, & polluta; non est æquum vt illam ampliùs habeat, etiamsi forte cupiat eam ducere.

Neque locus etiam Hieremiæ concludit: nam Dominus argumentatur à minori, si vir nõ recipit repudiatam, si ea nupserit alteri, quantò magis deberem ego non te recipere, quæ non nupsisti alteri, sed fornicata es cum amatoribus pluribus?

Quòd si hæc sententia admittatur, quam defendunt S. Thomas, Scotus, Durandus, & Paludanus, in 4. dist. 33. Abulensis in Matth. capit. 19. q. 49. & 50. Eckius hom. 74. de Sacramentis, & Petrus à Soto lect. 13. de Matrimonio, tunc ad argumentum Buceri neganda erit consequentia. Dominus enim concessionem Iudæis factam apertissimè reuocauit, cùm ait Matth. 5. *Qui dimissam duxerit, mœchatur.* Et Matth. 19. *Ab initio non fuit sic.* Et: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et Marc. 10. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si vxor dimiserit virum, & alij nupserit, mœchatur.*

Sed respondet Bucerus, debere intelligi ista omnia de iis, qui dimittunt, vel dimissam accipiunt in fraudem prioris coniugij. Vult enim ipse, non posse aliud Matrimonium iniri, donec post diuortium tentata sit reconciliatio; & si quis aliam ducat dimissa sua, aut dimissam ab alio accipiat, antequam tentauerit, an posset cum sua pacificè habitare, hunc dicit in fraudem prioris coniugij Matrimonium contrahere, & iuxta Domini sententiam mœchari: sed si alter coniugum duro corde sit, vt nullo modo velit pacificè cum coniuge habitare, de hoc dicit Christum nihil præcepisse.

B

At si ista ita se haberent, Dominus noster nulla in re à Pharisæis differsisset. Neque enim Pharisæi volebant Matrimonia dirimi, quando coniuges pacificè habitabant, sed solùm quando alter nolebat cum altero concorditer viuere: neque lex ipsa Mosis, libellum repudij dari permisit, nisi ob duritiam cordis. Quòd si Domino cum Pharisæis tam benè conueniebat, quid sibi volunt illa? *Dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis, &c.* Matth. 5. Non igitur dubitandum est, quin Dominus absolutè repudium illud in lege concessum aut permissum, omnino sustulerit, & ad primam originem coniugium reuocauerit.

C

Ad Primam probationem Respondeo, caussam illam non durare vniuersaliter: & si duraret, non tamen esse tolerandam. Maior enim est gratia Testamenti noui, quàm veteris, siue cognitionem, siue Sacramenta, siue exempla consideres: immò proprium est noui Testamenti, auferre cor lapideum, & dare cor carneum, Hier. 31. & Ezech. 36. Nec solùm Testamento nouo durum non iudicatur, vni tantùm coniugi insolubiliter alligari, sed etiam mulierem omnino non tangere, & vsque ad vitæ finem cœlibatum colere. Denique ipsum etiã coniugium in Testamento nouo Sacramentum est, & peculiarem gratiam confert, qua molestiæ coniugij facilè tolerentur, qua gratia Hebræi in veteri Testamento carebant. Quare multa in Iudæis tolerari poterant, quorum status puerorum erat, quæ in Christianis toleranda non sunt, quorum professio maiorem perfectionem requirit, & adiumenta ad eã acquirendam, & conseruandam suppeditat.

Deinde etiam si nihil haberemus, quod respondere possemus, non tamen propter duros corde, Christi Euangelium, quod in hac re perspicuè sonat, peruertere vel mutare nobis liceret. Alioqui (vt rectè monet S. Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugiis, cap. 10.) lex Christi omnibus incontinentibus displicet, nec tamen propter eos immutanda est.

Ad Secundam concedo, Christum non dãnasse quidquam eorum, quæ Pater præceperat: is enim damnare dicitur, qui reprehendit tanquam iniustè, vel imprudenter facta. Christus autem nihil eorum quæ Pater præceperat, non rectè imperatum fuisse vnquam pronunciauit, sed contrà potiùs Matth. 5. ait: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Et: *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* At nihilominus plurima Dei præcepta, quæ pro tempore data erant, quæque statui Synagogæ tantùm conueniebant, Christus immutauit: & qui id vel ignorat, vel negat, Christianus non est. Vbi enim nunc est in populo Dei Circuncisio? vbi Sabbathũ? vbi sacrificia pecudum? vbi cæteri ritus innumerabiles, qui in Leuitico per Mosem à Deo præcipiuntur? Talis igitur cùm fuerit libellus repudij, mirum esse non debet, si eum sublatum de medio Christus voluerit.

Ad Tertiam probationem, quæ Epicurum magis, aut potiùs equum, & canem, quàm hominem, & maximè Christianum deceret, Respondeo, non esse necessarium, vt vbicunque est vir aut mulier sine coniuge, continuò detur ei coniunx, alioqui falsa essent Apostoli verba: *Bonum est homini, mulierem non tangere.* Et: *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* Et: *Qui non iungit Matrimonio virginem suam, melius facit.* Et: *Beatior erit si sic permanserit.* 1. Cor. 7. & B. Ioannes, B. Maria, Christus ipse, non rectè fecissent, quòd sine coniuge esse voluerunt.

Porrò Deus hominem masculum, & fœminam esse voluit, vt propagari posset genus humanum, non autem, vt cogerentur omnes cum coniuge viuere.

D

Illud verò, *Non est bonum, hominem esse solum*: significat non fuisse bonum ad propagationem generis, vt solus masculus crearetur, sed necessariam fuisse etiam fœminæ creationem: non autem significat non licere, aut non esse melius ipsi homini, cælibatum colere, quàm Matrimonio iungi, præsertim genere satis propagato; alioqui pugnaret verbum Dei: *Non est bonum, hominem esse solum*, cum alio verbo Dei: *Bonum est homini, mulierem non tangere.*

Denique illud Pauli: *Vnusquisque suã*, dicitur illis tantùm qui liberi sunt, & fornicationis periculum timent. Nam alioqui, si quæ mulier vinculo coniugij cum viro ligata sit, & per diuortium ab eo discedat, nõ dicitur ei, vnaquæque suum; sed dicitur: *Manere innuptam, aut viro reconciliari.* Et si quæ per votum continentiæ Deo sit alligata, & nubere velit, non dicitur ei, vnaquæque suum; sed: *Damnationem habent, quia primam fidẽ irritam fecerunt.* 1. Timoth. 5. Deniq; si quæ soluta sit, & de Deo sperans, fornicationis periculũ non metuat, non dicitur ei,

vnaquæque suum; sed: *Beatior erit, si sic permanserit.* 1. Cor. 7. Atque hactenus de Matrimonij firmitate.

CONTROVERSIA QVINTA.

De impedimentis Matrimonij.

CAPVT XVIII.

De impedimentis Matrimonij in genere.

DISSERVIMVS de Matrimonij contracti firmitate: nunc de impedimentis contrahendi differẽdum est. Sunt autem duo genera impedimentorum. Quædam enim impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum. Quædam & impediunt contrahendum, & dirimunt contractum.

Dicuntur impedire, & non dirimere ea quæ non aduersantur essentiæ Matrimonij, sed solennitati, aut ornamento alicui accidentario; & ideò si cum eo impedimento Matrimonium contrahatur, peccant, qui ita contrahunt, sed Matrimonium est firmum, & ratum.

Ea verò dicuntur impedire, & dirimere, quæ ipsi essentiæ Matrimonij contraria sunt, adeò, vt necessariò aliquid essentiale Matrimonio desit, proinde nec sit verum Matrimonium, si cum eo impedimento fuerit celebratum. Quare non dicuntur ista impedimenta dirimere contractum Matrimonium, quasi Matrimonium verum dirimant, sed quia Matrimonium de facto, non de iure contractum, irritum reddunt. Impedimenta huius generis numerantur omnino duodecim, quæ his versiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Sed vt huius numeri ratio intelligatur, sciendum est, omnia impedimenta reuocanda esse ad consensum coniugum, vel ad personas contrahentes. Nam cùm tria sint necessaria ad omnia Sacramenta, materia, forma, & intẽtio Ministri; in hoc Sacramento materia sunt personæ legitimè, vt suprà diximus: ex consensu autem pendent forma & intentio. Est enim consensus caussa efficiens Matrimonij, signa verò exprimentia consensum, forma: vnde si consensus adsit, etiam signa etunt vera, si consensus non adsit, signa erunt falsa; & similiter si consensus adsit, intentio aderit, si consensus absit, intentio aberit. Itaque ad Matrimonij Sacramentum nihil aliud requiritur essentialiter, nisi consensus signo expressus inter legitimas personas.

Iam igitur ex parte consensus sumuntur duo generalia impedimenta, ignorantia, & coactio; hæc enim duo faciunt inuoluntarium. Ad ignorãtiam pertinet error personæ, quod est primum impedimentum: neque enim cõsentire censetur in Matrimonium, qui vni personæ iungitur, existimans esse aliam. Item conditio personæ, quod est secundum impedimentum, vt cùm quis seruam accipit, quam liberam esse credebat. Huc etiam pertinet carentia vsus liberi arbitrij; neque enim pueri, furiosi, amentes, contrahere possunt, cùm deliberatum cõsensum habere nequeant: & hoc impedimentum nõ est inter illa duodecim numeratum, sed reducitur ad errorem. Ad coactionem pertinet vis, seu metus, quod est impedimentum octauum.

Ex parte personarum contrahentium sumuntur cætera omnia, quorum Alia reddunt personam inhabilem absolutè, & proinde respectu cuiuscunque Matrimonij: Alia reddunt inhabilem solùm respectu alicuius Matrimonij cum certa persona contrahendi, non autem absolutè.

A

Ex his, quæ reddunt personam inhabilem absolutè, alia sunt naturalia, alia voluntaria. Naturale impedimentum est, frigiditas, & impotentia quæuis coëundi perpetua, siue innata, siue maleficio procurata: & hoc est impedimentum duodecimum. Voluntaria impedimenta sunt, votum solenne continentiæ, Ordo sacer, & Ligamen cum alio coniuge; quæ sunt impedimenta III. VIII. & IX. qui enim alligati sunt Deo per vota Monastica, aut per sacros Ordines, vel coniugi per Matrimonium, non possunt nouum coniugij vinculum accipere.

Ea verò, quæ inhabilem faciunt respectu certi Matrimonij, non autem absolutè, tria sunt, crimen, nimia coniunctio, & nimia disiunctio. Crimen est impedimentum quintum, & per crimen intelligitur adulterium mixtum homicidio, cum ordine ad futurum coniugium. Non enim potest, qui cum aliqua adulterium commisit, & eius viro necem molitus est, illam vnquam ducere in vxorem, vt infrà explicabitur: quocirca hoc impedimentum dirimit certum aliquod Matrimonium, non autem omne absolutè. Nimia disiunctio vocatur cultus disparitas, & est impedimentum sextum, non enim potest fidelis cum infideli contrahere Matrimonium. Nimia coniunctio est cognatio, ad quam tria impedimenta reuocantur, nimirum, cognatio naturalis, quæ dicitur propriè consanguinitas, & est impedimentum quartum, & ad illud reducũtur, cognatio spiritualis, qualis est inter baptizantem seu confirmantem, & baptizatum, seu confirmatum; & cognatio legalis, quæ fit per adoptionem. Huc etiam pertinet affinitas, quæ per carnalem copulam acquiritur, quæ est impedimentum vndecimum. Et denique publica honestas, quæ est, affinitas orta ex desponsalibus; & est impedimentum decimum.

B

Impedimenta autem quæ contrahendum impediunt, sed non dirimunt contractum, duo numerari solent: vn de existunt versiculi.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

C

Per Ecclesiæ vetitum intelligunt prohibitionem, ne Matrimonia clam fiant, cùm debeant in facie Ecclesiæ, & coram testibus celebrari. Per tempus feriatum, intelligũt certa tempora sacra, vt Aduentus, & quadragesimæ quibus Ecclesia nuptias celebrari prohibuit. Sed primum horum impedimentorum iam post Concilium Tridentinum non est amplius tantùm impediens coniugium cõtrahendum, sed etiam dirimens contractum; quare vel reducendum est hoc impedimentum ad crimen, quod erat vnum ex impedimentis dirimentibus, vel certè erit impedimentum XIII.

Sunt præterea quædam alia impedimenta non dirimentia, vt votum continentiæ simplex, sponsalia, institutio Catechumeni per traditionem Catechismi, & sex crimina; incestus, raptus alienæ sponsæ, coniugium sacrilegum cum sanctimoniali, cædes vxoris, homicidiũ presbyteri, & Baptismus proprij filij. Sed hæc non ponuntur in numerum seorsim cum illis duobus primis, quia duo illa sunt impedimenta distincta omnino à dirimentibus: hæc autem nouem reducuntur ad dirimentia, & cum illis explicari solent. Nam sex crimina, reducuntur ad crimen, Catechismus ad cognationem spiritualem, votum simplex ad votum solenne, & sponsalia ad Ligamen.

D

PORRÒ aduersarij impedimenta tria, quæ sumuntur ex parte consensus, admittunt, nimirum errorem, conditionem, & vim seu coactionẽ; vt patet cum ex aliis, tum ex Philippo in locis, tit. de coniugio. Sed vnum ipsi addunt impedimentum, nimirum defectum consensus paterni, & ideo prima quæstio erit vtrum ad Matrimonium filiorumfamilias, ita necessariò requiratur parentum consensus, vt sine eo irritum sit coniugium.

Ex impedimentis autem, quæ sumuntur ex parte personæ duo admittunt simpliciter, nimirum impotentiam reddendi debitum coniugale: & Ligamen: Duo alia admittunt ex parte, non simpliciter, vt, consanguinitatem, & affinitatem, hæc enim admittunt, quoad gradus, qui prohibentur in Leuitico, quoad alios reiiciunt.

Reliqua omnia simpliciter damnant: vnde est illa vox Lutheri in serm. de Matrimonio: *Duo de viginti caussas in suo iure effinxit Papa, quibus omnibus Matrimonium vel dissipet, vel impediat, quas tamen ferè omnes, & reiicio, & condemno.* Hæc ille. Itaque tot ferè nobis quæstiones explicandæ erunt, quot sunt impedimenta. De his igitur impedimentis, septem tantùm sunt cum Hæreticis huius temporis quæstiones.

CAPVT XIX.

Non requiri ad Essentiam Matrimonij, consensum parentum.

PRIMA igitur quæstio est, an requiratur necessariò ad Matrimonium filiorum, consensus parentum. Cõtendunt enim aduersarij, Matrimonium irritum esse, nisi fiat cum parentum consensu: sed quia nõ omnino inter se conueniunt, eorum sententias breuiter referemus. Primus videtur fuisse Erasmus, qui rẽ in controuersiam reuocauit: nam in colloquio de Matrimonio, in quo Eubulum, & Catharinam loquentes inducit, sic ait: *Desiniunt quidam Matrimonium esse ratum, quod insciis, aut etiam inuitis parentibus, inter puerum & puellam per verba de præsenti contractum est. Atqui istud dogma nec naturæ sensus approbat, nec veterum leges, nec Moyses ipse, nec Euangelica, aut Apostolica doctrina.* Hæc ille.

Martinus Lutherus in ser. de Matrimonio, cum distinctione loquitur: nam aut nata est proles ex coniugio contracto sine parentum consensu, aut nondum est nata. Si nata est, firmum esse debet Matrimonium; si nondum est nata, in potestate parentum erit, confirmare vel irritare coniugium. Idem docet Philippus in locis, tit. de cõiugio.

Bucerus in c. 19. Matthæi reuocari optat in vsum leges ciuiles, quibus id caueri dicit, ne nuptiæ filiorum ratæ sint sine consensu patris, aut aui, aut proaui. Ioan. Brentius in Catechismo, exponens quartum præceptum; si Matrimonium sine parentum consensu celebratum sit, iubet id referri ad Magistratum, atque eius iudicio confirmandum, vel irritandum esse. Nam eriãsi generalis regula sit, quòd liberi debeant inire coniugia cum parentum consensu, tamen nonnulli sunt casus, in quibus licet etiam secus agere. In eandem sententiam descendit Martinus Kemnitius in 2. par. Exam. Concilij Trident. pag. 1273. & sequentibus, vbi tamen non rectè, confundit Matrimonia filiorum sine consensu parentum, cum Matrimoniis clandestinis: potest enim fieri & matrimonium cùm sit clandestinum, & tamen cum parentum consensu contractum: & contrà vt non sit clãdestinum, sed publicum, & coram Ecclesia, & tamen insciis, & inuitis parentibus celebratum. Ioan. Caluinus lib. 4. Instit. c. 19. §. vlt. enumerans leges Pontificum Romanorum de Matrimonio (vt ipse loquitur) vel in Deum impias, vel in homines iniquissimas, primo loco istam ponit: *Quales sunt*, inquit, *vt coniugia inter adolescentulos parentum iniussu contracta, firma ratáque maneant.* Hæc ille. Catholici verò Doctores adeò non dubitant ea Matrimonia firma, ac rata esse, vt neque vnquam inter impedimenta Matrimonij numerauerint defectum consensus paterni, & nuper Concilium Tridentinum sess. 24. in decreto de Matrimoniis clandestinis, in hæc verba statuerit: *Sancta Synodus anathemate dãnat eos, qui falsò affirmant Matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Sed vt breuiùs, & faciliùs quæstio explicetur, propositiones aliquot statuemus.

A PRIMA propositio: *Solo consensu parentum, Matrimonium inter filios celebrari non potest: & ideò non potest pater filium ad coniugium cogere.* Hanc propositionem admittit Philippus loco notato, neque alij eam negant.

Probatur primò, exemplo Scripturæ diuinæ. Nam in Genesi, c. 24. cùm pater, & frater Rebeccæ de Matrimonio eius cum procuratore Abrahæ, qui eam in vxorem filio Abrahæ petebat, tractassent, dixerunt: *Vocemus puellam, & inquiramus eius voluntatem.*

SECVNDÒ patet ex iure canonico, can. Sufficiat 27. q. 2. & can. Vbi non est, 30. q. 2. cap. Tuas dudum, de sponsa duorum; & capit. vnico de desponsatione impuberum in VI.

TERTIÒ patet ratione. Nam illorum necessariò consensus requiritur, qui Matrimonij formam pronunciant; essent enim falsa verba illa: *Ego te accipio in meam, Ego te accipio in meum*, si consensus pronunciantium ea verba deesset. At formam pronunciant ipsi qui cõtrahunt; ipsorum igitur consensus necessariò requiritur. Deinde coniugium est summus amicitiæ gradus, secundum Philosophum; repugnat igitur naturæ coniugij, vt contrahatur inter inuitos.

B SECVNDA propositio: *Filiorum consensus, etiamsi solus sit, ad Matrimonium firmum ac ratum efficiẽdum sufficit: nec potest à parentibus, vel Magistratu eiusmodi Matrimonium irritari.* Hæc est contra Erasmum & Lutheranos.

Probatur primò exemplis Scripturæ diuinæ. Genes. 26. Esau duxit vxores duas, quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ parentum eius: proinde inuitis parentibus eas accepit. Et rursus capite 28. accepit tertiã, contra eorundem parentum voluntatem: nec tamen Isaac ea coniugia irritauit, & Scriptura simpliciter vxores vocat, quæ ita ductæ fuerant. Deinde Iacob Genes. 29. & 30. vxorem vnam iuxta consilium parentum suorum; sed alias tres, & præsertim duas ancillas duxit, parentibus omnino insciis: nec tamen Iacob sanctissimus Patriarcha id fecisset, si credidisset necessarium esse consensum parentum. Tobias quoque, vt legimus capite 7. libri Tobiæ, vxorem duxit in aliena regione, parentibus ignorantibus: nec tamen Angelus Raphaël, qui cum ipso erat, eum admonuit, vt parentum consensum exspectaret, neque ipse religioni sibi duxit, insciis parentibus id facere.

C SECVNDÒ probatur ex Iure canonico. Nam cap. Cùm virum, de regularibus, ita loquitur Clemens III. de puella nubili: *Tunc*, inquit, *quia liberum habet arbitrium, in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.* Et huc pertinet quod ait sanctus Ambrosius in libro de Virginibus, *Cui licet*, inquit, *maritum eligere, nõ licet Deum præferre?* vbi docet licere puellæ virgini, patre etiam inuito, continentiam Deo vouere: sicut eidem licet virum eligere. Et idem Ambrosius in epistola quadragesima tertia ad Sysinnium, qui filio indignabatur, quòd sine suo consilio vxorem duxisset, dicit, culpam aliquam ab eo filio admissam, tamen satis apertè indicat, Matrimonium fuisse ratum, & Sysinnium laudat, quod facilè culpam ignouerit filio.

D TERTIÒ probatur ratione. In eiusmodi coniugio nihil eorum deest, quæ ad essentiam Matrimonij pertinent; verum igitur, & ratum, atque adeò insolubile Matrimonium erit. Probatur antecedens. Nam consensus contrahentium adest, & proinde intentio Ministri; adest materia, quæ sunt personæ ad Matrimonium idoneæ; adest forma, id est verba seu signa mutui consensus: quid igitur deest? Dicent, consensus non est plenus, ac sufficiens; nam cùm filij sint in potestate parentum, non possunt in re tam graui sine parentum facultate aliquid constituere. Respondeo, vel consensus filiorum non est plenus, quia deest vsus liberi arbitrij, vel quia deest consilij maturitas, vel quia ita subiiciuntur

filij parentibus, vt ius non habeant de statu vitæ suæ disponendi. Primum dici non potest, quia tunc etiam cum parentum consensu, coniugium non esset. Nec Secundum dici potest. Nam ad Matrimonium contrahendum non exigitur necessariò cõsilij maturitas, sed solùm vsus liberi arbitrij, qualis etiam requiritur ad peccandum, ad merendum, ad vouendum, &c, alioquin daretur occasio Matrimonia passim dirimendi. Quocirca solam pubertatem in contrahentibus Canones exigunt. Deinde sæpe accidit, vt qui parentes adhuc habet, sit vir maturioris consilij, quàm multi alij, qui parentibus, aliisque maioribus orbati sunt; si igitur hi posteriores vxorem eligere possunt, sine vllius alterius consilio, cur non etiam priores illi, qui sunt his, vt iam ponimus, prudentiores? Sed neque Tertium dici potest. Nam filius licet patri obedientiam, & reuerentiam debeat, tamen quando vsum liberi arbitrij habet, liber est, & sui iuris, nõ minùs quàm pater, in his quæ ad statum vitæ pertinent. Quare poterit quidem peccare, dum non sequitur patris directionem in statu eligendo, tamen quod facit, ratum & firmum erit, quia de re sua, non de aliena disposuit. Præterea coniugium seruorum inuitis dominis, firmum ac ratum esse, Theologi rectè docent; & habetur in Iure canonico, capite primo de coniugio seruorum: non enim Ius gentium, quo seruitus introducta est, id potuit auferre quod Ius naturæ concessit. Ergo multò magis coniugium filiorum inuitis parẽtibus erit ratum: maior enim subiectio est seruorum ad dominum, quàm filiorum ad parentes. Confirmatur argumentum ex testimonio aduersariorum. Nam Lutherus, & Melanchthon contendunt, Matrimonium filiorum inuitis parentibus contractum, si per copulam carnalem consummatum sit, non posse ampliùs à parentibus irritari. At copula illa carnalis non facit filium prudentiorem, neque eximit à patria potestate; ergo etiam ante copulam Matrimonium contractum à parentibus irritari non poterat, vel si tunc poterat, etiam post copulam poterit, quod ipsi negant. Sed, inquit Melanchthon, *quando Matrimonium est consummatum, non ampliùs agitur de futuro, sed de præsenti; & iniuria fieret coniugi, si post violationem desereretur.* At etiam Matrimonium contractum per verba de præsenti, non futurum, sed præsens coniugium, & donatio coniugalis iam peracta est; illa igitur ratione non poterit irritari Matrimonium vllum, siue consummatum, siue non consummatum. Præterea Matrimonium consummatum inuitis parentibus, vel iure cõsummarum est, vel non. Si iure consummatum, ergo & iure contractum ante consummationem: non enim iure consummari potest Matrimonium, non iure cõtractum; Ergo etiam ante consummationem Matrimonium inuitis parentibus contractum, ratum erat, ac firmum. Sin autem non iure consummatum fuit, iure post consummationem irritari poterit, neque vlla fiet iniuria coniugi: non enim vlli facit iniuriam, qui vtitur iure suo. Alioquin si ista ratio vniuersè vim haberet, non possent dirimi Matrimonia vlla post consummationem, quamuis nullo iure, immò contra omnia iura contracta. Et eadem ratione, per stuprum virgini illatum, non posset dirimi illa coniunctio; cuius tamen contrarium legimus in Exod. cap. 22. vbi, qui virginem nulli desponsatam vitiauerit, cogitur eam habere vxorem, si pater eam dare voluerit, sin minùs, cogitur saltem dotare.

TERTIA propositio: *Peccant filij, quando sine iusta, & rationabili caussa parẽtibus insciis vel inuitis Matrimonia contrahunt.* Dixi: *Sine iusta, & rationabili caussa*, quia potest aliquando fieri, vt filius non peccet inscio patre vxorem ducendo, quia nimirum credit patrem id ratum habiturum, & hoc modo Tobias inscio patre vxorem duxit. Potest etiam fieri, vt non peccet filius inuito patre vxorem ducendo, vt si pater iniustè prohibeat

A filium à coniugio, vel caussa maioris dotis, non nisi indignam mulierem, aut etiam hæreticam ei dare velit. Vt plurimùm tamen peccant filij, cùm non sequuntur in hac re parentum voluntatem; nam vt plurimùm parentes sunt prudentiores, neque periculum est vt filiis malè consultum velint, cùm eos naturaliter diligant. Præterea parentum est, filiis prospicere, eósque dirigere, ergo filiorum est, sinere se à parentibus regi, ac duci. Et habemus exempla, ac testimonia in Scripturis perspicua. Genes. cap. 24. Isaac accepit vxorem, quam pater ei dedit, & Rebecca vxor ipsius, consilium patris sui ea in re sequuta est: de qua re disputans Ambrosius, libro primo de Abraham, capite vltimo, multa ad hoc propositum adfert, & inter alia laudat versus Euripidis, qui virginem ita loquentem introducit: *Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum.* & in epi.

B quadragesima tertia ad Sysinnium, dicit eum iustè indignatum, quòd se inscio filius vxorem ducere voluisset.

EXODI 34. & Deuteronomij 7. præceptum de Matrimonio filiorum, parentibus potiùs datur, quàm filiis, ne iungantur videlicet cum Chananæis; *Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.* Et Isaac apertè iussit filio suo Iacob, vt non acciperet vxorem de filiabus Palæstinorum, sed aliquam ex filiabus Laban; quod & ille obedienter fecit Genes. vigesimo octauo. Dices, si potest pater filio imperare, vt vxorem, & talem vxorem ducat, ergo potest cogere, vt ducat, vel non ducat vxorem, quod est contra primam propositionem. Respondeo, tribus modis potest intelligi, vt pater dicatur filium cogere ad Matrimonium. Primò, vt filium planè dissentientem & inuitum pater cogat viuere cum aliqua, quam velit eius vxorem esse: & hoc non potest fieri, & si fiat, Matrimonium est nullum. Et hoc propriè

C in prima propositione assertum est. Secundò, vt filium assentiri cogat, iniecto metu mortis, aut alio cadente in constantem virum, & hoc etiam patri minimè licet. Neque Matrimonium illud esset ratum: quoniam ad Matrimonium non solùm consensus, sed etiam consensus liberrimus contrahentium exigitur, cùm Matrimonium sit vinculum perpetuum, & natura sua beneuolentiam, & amicitiam, eámque summam requirat. Tertiò, vt filiũ ad assentiẽdum inducat auctoritate paterna imperando, quando reuera filio id conducit, ita vt secundùm rectam rationem dissentire non possit: & hoc patri licet, & filius obedire tenetur. Quemadmodum etiam cum filio expedit comedere talem, aut talem cibum, & à tali, vel tali abstinere, potest parens iubere, & filius tenetur parere. Et licet hoc etiam sit suo modo cogere, & metum incutere mortis æternæ: non tamen propter ea Matrimo-

D nium illud diceretur coactum, neque irritum esset; quia metus ille gehennæ non propriè incutitur ad hoc, vt iste vxorem ducat; sed per se consequitur præcepti transgressionem.

CAPVT XX.

Soluuntur argumenta Kemnitij.

SED iam argumenta Kemnitij dissoluamus, qui ex Luthero, Bucero, Caluino, & aliis sectariis ea collegit.

PRIMÒ obiicit testimonium saniorum Pontificiorum, qui agnoscunt & fatentur, Matrimonia insciis & inuitis parentibus contracta, non esse legitimam, aut diuinam coniunctionem, & allegat Ioannem Gropperum in institutione Colonien si.

RESPONDEO, multis modis fallitur Kẽnitius. Primò, quia ex vno Groppero colligere conatur mentem saniorum Catholicorum, cùm nos contra proferre possimus omnes antiquos Theologos, & in eis sanctũ Thomam in 4. dist. 28. q. 1. art. 3. & recentiores plurimos do-

ctissimos, vt Ruardum, Petrum, & Dominicum à Soto, & alios, qui apertissimè docent, Matrimonium, siue clandestinum, siue insciis parentibus contractum, non esse solùm Matrimoniũ verum, sed etiá verum sacramẽtum.

SECVNDÒ, quia Ioannes Gropperus eo loco non loquitur de Matrimonio, cui solùm deest parentum cõsensus, de quo nos in præsenti quæstione tractamus, sed de Matrimonio, quod insciis parentibus contrahitur & simul clandestinum est. Matrimonium enim, quod in facie Ecclesiæ celebratur, licet parentibus insciis, vel inuitis, nunquam Gropperus verum esse Sacramentum denegasset. Quare in quæstione præsenti præcisè accepta, nulla est inter Catholicos dissensio.

TERTIÒ, quia Gropperus Matrimonium clandestinum negat quidem esse Sacramentum, in quo manifestè fallitur, ac sancto Thomæ, & sanioribus Theologis repugnat: tamen admittit esse verum Matrimonium, & ab Ecclesia longo tempore toleratum, sed optat ab Ecclesia irritari, quod iam factum est in Concilio Tridentino, Concilium enim dum asserit, Matrimonia clandestina, quamdiu ab Ecclesia irritata non erant, fuisse vera Matrimonia, & tamen deinceps illa irritauit, ac personas inhabiles fecit ad sic contrahendum, planè satisfecit desiderio Gropperi, & aliorum multorum, qui ob incommoda grauissima, quæ ex clãdestinis coniugiis oriuntur, ea omnino sublata cupiebant. Nulla igitur in re, si quæstionem de Sacramento separes à quæstione de veritate Matrimonij, de qua sola nunc agimus, Gropperus à nobis, atque à cæteris Theologis Catholicis dissentit.

SECVNDÒ, Kemnitius argumentum ducit ex iure diuino (profitetur enim se probaturum sententiam suam ex iure diuino naturali, ciuili & canonico) *Matrimonium talis debet esse coniunctio, vt eius auctor, & cõciliator Deus ipse haberi possit. At ciusmodi non sunt Matrimonia, quæ insciis, vel inuitis parentibus contrahuntur: non igitur sunt vera matrimonia. Propositio certa est ex illo Matthæi 19. Quod Deus coniunxit, &c. Assumptio probatur. Non est Deus auctor, & conciliator Matrimonij, quod contra eius verbum, & præceptum contrahitur. Matrimonium insciis vel inuitis parentibus, contra Dei verbum, & mandatum contrahitur: non est igitur eius auctor, & conciliator Deus. Assumptio probatur (nam propositio certissima est) nam in quarto præcepto Decalogi iubentur filij obedire parentibus: & explicat Apostolus ad Coloss. 3. id in omnibus rebus esse intelligendum, Filij, inquit, obedite parentibus per omnia.*

ET quia posset fortasse responderi, ab ea lege, quæ iubet obedire parentibus, excipi caussam Matrimonij, dicente Scriptura: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, probat Kemnitius istum locum Scripturæ debere intelligi de Matrimonio consummato, non de desponsatione, & proinde in Matrimonio contrahendo debere filios parentibus obedire. Nam Scriptura tradit præcepta parentibus, de filiabus in Matrimonio collocandis, Deuter. 7. Hierem. 29. & 1. Cor. 7.

PRÆTEREA exstat lex diuina Exodi 22. & Deuteronomij 22. vt si quis virginem stuprauerit, det patri eius certum numerum siclorum, & eam vxorem habeat, si pater voluerit, vel non habeat, si noluerit. Ex quo intelligimus, patriæ potestatis esse, coniugium filiæ ratum vel irritum facere.

AD hæc, si puella Deo vouerit aliquid, potest pater votum illud irritare, Numer. cap. 30. ergo multò magis irritare poterit idem parens, promissionem homini factam de coniugio.

DENIQVE Deus coniungit virum vxori in legitimo Matrimonio: sed non coniungit immediatè, vt olim Adamum Euæ, ergo per aliquod medium. Quod sit autem medium, ipse explicat in traditione quarti præcepti, vbi iubet filios parentibus obedire: ergo qui his mediis spretis Matrimonium contrahunt, non possunt cer-

A tò pronunciare, coniugium illud esse diuinam, & legitimam coniunctionem: *Hæc ratio*, inquit Kemnitius, *grauissima est, ex iure diuino desumpta.*

RESPONDEO non probat hoc argumentum, Matrimonium esse irritum, aut irritari posse, si fiat insciis, aut inuitis parentibus; quod sanè probandum erat: sed tantùm, non debere Matrimonium insciis aut inuitis parentibus contrahi, & malè facere, qui ita contrahunt, de quo nulla quæstio est. Sed vt res tota perspicuè intelligatur, singulas argumenti partes inspiciamus.

AD Primam igitur primi syllogismi propositionem Respondeo, dupliciter posse Deum auctorem dici Matrimonialis coniunctionis. Vno modo ex parte ipsius coniugij. Altero modo ex parte contrahentium.

ERIT auctor Deus matrimonij ex patre ipsius coniugij, si ipsa coniugij essentia à Deo sit instituta: erit autem auctor Matrimonij ex parte contrahentium, si ipsis contrahentibus Deus inspiret vt Matrimonio iungatur. Id quod in omnibus Sacramẽtis facilè reperimus. Cùm
B enim quis Baptismum, aut Ordinationem, aut Sacramentum aliud ab alio percipit, potest Deus auctor dici eius actionis, vel quia ipse Sacramentum instituit, quod ille percipit, vel quia ipse mouet tum Ministrum ad Sacramentum conferendum, tum alium ad Sacramentum recipiendum. Et potest sæpe accidere, vt priore modo sit auctor Deus, posteriore Diabolus, si videlicet verum Sacramentum tradatur, & percipiatur, sed & qui tradit, & qui percipit, non ob Dei gloriam, & animæ salutem, sed ob lucrum, aut commodum aliquod turpe ac sordidum moueatur.

SIC igitur in coniugio, auctor coniugij vno modo erit Deus, si materia, & forma adsint, qualia Deus instituit: & hoc solum requiritur, vt Matrimonium sit verum firmum, & ratum. Altero modo auctor erit etiam
C Deus, si coniuges ad prolem ad Dei gloriam gignẽdam, maturo consilio, de sententia maiorum, aliisque circumstantiis debitis obseruatis, Matrimonium contrahant: & hoc requiritur, vt Matrimonium sine peccato, immò verò cum merito, & laude celebretur, non autem vt sit verum, firmum, & ratum. Si enim tantùm ad explendam libidinem, temerè, sine consilio parentum, coniugium ineatur, non erit auctor Deus, sed Diabolus, eius coniugij, quod attinet ad voluntatem suscipientium: licet eiusdem coniugij auctor sit Deus, quod attinet ad Sacramenti eius essentiam, quæ tota in eo coniugio reperitur, vt de Baptismo, aliisque Sacramentis omnibus dici potest.

AD assumptionem eiusdem primi syllogismi Respondeo, iuxta positam distinctionem, Matrimonia, quæ insciis, vel inuitis parentibus contrahuntur, sæpe non habere Deum auctorem secundo modo, habere tamen primo modo, si nihil aliud obstet, & ideò vera, ac rata Matrimonia esse, licet sine peccato vt plurimùm non contrahantur.

AD probationem assumptionis, quæ erat: *Deus non est auctor Matrimonij quod contra præceptum ipsius contrahitur*, per eandem distinctionem Respondeo. Aut enim præceptum Dei, contra quod Matrimonium aliquis cõtrahit, ad essentiam Matrimonij pertinet, aut solùm ad circumstantias Matrimonio accidentarias explicandas, vt ad voluntatem contrahentium perficiendam, vt bonum benè quærat, & appetat, &c. Si priore modo quis contra præceptum Dei faciat, non habet Deum auctorem coniugij, quoad essentiam ipsius coniugij, proinde irritum, & illegitimum est coniugium. Si posteriore modo contra præceptum faciat, non habet Deum auctorem suæ voluntatis in coniugio suscipiendo, neque præmium; sed pœnam operis meretur, tamen Deum habet coniugij sui, quod pertinet ad eius essentiam, auctorem, & conciliatorem.

AD

AD probationem Assumptionis secundi syllogismi, quæ ducebatur ex quarto præcepto Decalogi, quod explicatur à Paulo Colossens. 3. Respondeo, præceptum illud ad mores informandos, non ad Sacramenta ministranda pertinere. Quare obediendum est patri per omnia, etiam in contrahendo coniugio, si iustè, & secundum Deum præcipiat: & ideò qui id non facit, peccat, sed non continuò Matrimonium est irritum. Nam non minùs Episcopo, & Ecclesiæ obediendum est per omnia, quàm patri carnali: & tamen si quis laicus contra Episcopi, & Ecclesiæ præceptum baptizet, Baptismus erit ratus, & verus, sed laicus ille Baptizando peccabit. Neque solùm Matrimonium vt Sacramentum, est ratum, sed etiam vt ciuilis contractus, licet contra præceptum patris contrahatur. Nam filius, vt suprà expositum, etsi teneatur patris directionem sequi, cùm de statu vitæ suæ disponit, tamen de re sua, non de aliena disponit, rémque suam, non alienam donat: quare dispositio ac donatio rata, & firma est, quamuis non sine peccato transacta sit.
B

AD illa testimonia, quę aduersarius producebat, vt probaret Scripturam dare patri præcepta de filiabus in Matrimonio collocandis, nihil opus est respondere, cùm nos minimè negemus, ad parentum curam & prouidentiam, filiorum coniugia maximè pertinere.

AD illud autem, quod ex cap. 22. Exodi, & 22. Deuteronomij adfertur, ad probandum, penes patrem esse, coniugium filiæ ratum, vel irritum facere Respõdemus, non agi eo loco de Matrimonio iam contracto, sed de futuro, caussa stupri præcedentis. Non enim illa coniunctio viri cum puella, quæ inscio patre in duobus illis capitibus facta describitur, copula coniugalis erat, sed stuprum, vt Scriptura loquitur. Non enim stuprator vxorem habere voluit, sed libidinem tantùm explere: quare in pœnam iniungitur ei, vt puellam ducat vxorem, si cã pater dare voluerit. Itaque non est exemplum illud coniugij à patre irritati, sed tantùm coniugij futuri, vel non futuri pro arbitrio patris, à quo tamen non excluditur puellæ consensus. Sed quid futurum esset, si pari consensu vir, & fœmina inscio patre Matrimonium contraxissent, Scriptura non habet.
C

ADDE, quòd si in illis capitibus Moses loqueretur de irritatione Matrimonij iam contracti inter virginem & stupratorem eius, esset hoc exemplum contra Lutherum, & Philippum, & contra ipsum etiam Kemnitium, qui dicunt, coniugium filiorum inuitis parentibus dirimi non posse, si consummatum sit. Quo modo enim potuisset pater filiam suam à stupratore illo separare (vt Moses apertè concedit) si stuprum illud consummati coniugij fuisset?

AD illud de irritatione votorum, quæ habetur in lib. Num. cap. 30. Respondeo, legem illam de filiabus determinare, quæ adhuc non peruenerunt ad pubertatem, vt ex eo perspicuum est, quod Scriptura in eo capite bis repetit, patrem irritare posse vota filiæ, quæ in domo parentum habitat, & adhuc est in ætate puellari. Cui legi diuinæ similis est Lex canonica, quæ habetur Canone Puella vicesimo, quæst. 2. in hæc verba: *Puella si ante duodecimum ætatis annum sponte sua velamẽ sibi sacrum assumpserit, possunt statim parentes, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. Si verò in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Ratio autem legis tum diuinæ, tum canonicæ, est, quia ante annos pubertatis non habent homines plenum iudicium rationis, ideóque nec sunt Domini actuum suorum: at post annos pubertatis, sui iuris efficiuntur. & de persona sua & actibus, qui naturaliter liberi sunt, pro arbitrio disponere possunt.
D

AD Vltimum de mediis, per quæ Deus coniungit homines in Matrimonium, Respondeo, ad hoc vt Matri-
A monium sit verum & ratum, non requiri alia media, præter coniugum liberum consensum. Vt enim alia Sacramenta Deus per ministrum dispensat: sic etiam Matrimonium; Minister autem Matrimonij est vterque coniunx, vt alibi explicuimus. Vt autem coniugium sit Deo gratum, & ipsis coniugibus vtile, media à Deo instituta sunt, parentum, & amicorum consilia, matura deliberatio, Sacerdotis benedictio, & alia id genus: quæ qui spernit, non potest certò pronũciare suum coniugium Deo placere, aut sibi vtile futurum; licet eodẽ tempore possit non ambigere, quin sit verum, & firmum, atque à Deo certissimè institutum.

TERTIA obiectio Kemnitij ducitur simul ex Iure naturali, & ciuili. Nam quòd Matrimonia filiorum inuitis parentibus contracta, irrita sint, ex iure ciuili probat ex L. Nuptiæ ff. de ritu nuptiarum, & ex L. 1. & 2. C. de nuptiis, & ex instit. de nuptiis §. iustas autem. Quod autem irrita sint etiam Iure naturæ, probat ex lege proximè citata. Nam in ea lege, posteaquam sancitum est requiri in nuptiis consensum parentum, subiunguntur hæc verba: *Nam hoc fieri debere & ciuilis, & naturalis ratio suadet, in tantùm vt iussus parentum præcedere debeat.*

RESPONDEO: ratio naturalis docet nuptias nõ debere iniussu parentum celebrari. Et hoc verè asserit eo loco Iustinianus: siquidem Iure naturæ filius patri subiicitur, & ab eo regendus esset, à quo accepit vt esset: tamen Ius naturæ non docet, irritum esse Matrimonium si iniussu parentum fiat. Lex autem ciuilis non multùm refert quid in hac parte statuerit: nã vt scribit Lucius Papa III. cap. Clerici, de Iudiciis, Imperator ipse fatetur, non dedignari leges sacros Canones imitari; & habemus hanc Imperatoris confessionem in Authentic. Vt Clerici apud Episcopos, §. penult. Cùm igitur sacri Canones, & nuper generale Concilium definierit, Matrimonium inuitis parentibus contractum, modò non sit clandestinum (hoc enim idem Concilium irritauit) ratum esse, non possunt leges contrarium definire, & si fortè definierint, abrogatæ iudicandæ sunt.
C

QVARTA obiectio ex Iure canonico plures Canones continet, ad quorum singulos respondebimus. Primus est Euaristi in epistola decretali, qui sic loquitur: *Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur vxor petatur, & à parentibus, & propinquis sponsetur, &c.*

RESPONDEO, decretum Euaristi, quod est etiam in corpus Iuris canonici relatum, can. Aliter, 30. quæst. 5. multas conditiones requirit, vt Matrimonia censeantur legitima, quarum conditionum nonnullæ aduersariis nullo modo placere possunt. Quare hoc decretum non minùs cum aduersariis, quàm nobiscum pugnat, requirit enim inter cætera, vt vxor cum precibus, & oblationibus (id est, cum sacrificio Missæ) à Sacerdote benedicatur: item vt coniuges biduo, vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant. Quæ conditiones si necessariæ sunt, vt coniugia legitima sint, nulla erunt inter Lutheranos legitima coniugia, neque enim oblationem Deo pro nuptiis offerunt, neque biduo, vel triduo continentiam seruant.
D

PRÆTEREA multæ ex illis conditionibus, ita sunt extrinsecæ & accidentariæ, vt stultum sit, credere, sine illis coniugium irritum esse, quales sunt, vt vxorem paranymphi custodiant, vt propinqui comitentur, vt ea legitimè dotetur, & solenniter accipiatur, &c. Quare cogimur dicere, Euaristum nõ voluisse significare, eas omnes conditiones esse necessarias, ita vt si vna vel altera desit, irritum sit Matrimonium: sed ita legitimum esse coniugium, si illa omnia adsint, vt è contrario si nulla earum adsit, & coniugium occultè sine testibus, & sine vlla celebritate contrahatur, legitimum haberi nõ possit,

non quidem in conscientia,sed in foro externo, & apud Ecclesiam,quæ non iudicat de occultis.

SECVNDVS canon desumptus est ex lib.1.de Abraham sancti Ambrosij, & habetur apud Gratianum can. Honorantur 32.quæst. 2. Sed nihil in eo Canone contra sententiam nostrã habetur:solùm enim Ambrosius hortatur puellas,vt ad exemplum Rebeccæ, permittant parentibus iudiciũ de nuptiis suis. Si autẽ secus fiat, sintne legitimæ nuptiæ an nõ, Ambrosius eo loco nihil definit.

TERTIVS Canon est Concilij IV. Carthaginensis apud Gratianum 30. quæst.5. can. sponsus. Sed neque iste Canon quidquam habet cui respondẽdum sit. Iubet enim Canon,vt cùm sponsus,& spõsa benedicendi sunt à Sacerdote, offerantur Ecclesiæ à parentibus, & paranymphis;quod quidem faciendum esse nos minimè negamus. Sed non inde sequitur,coniugium esse irritum, si ista non fiant,quia dubium non est, ista ad solennitatem,non ad essentiam coniugij pertinere.

QVARTVS Canon, qui Leoni tribuitur, est apud Gratianum, can. Qualis 30.q.5. Vbi non solùm nihil est contra Catholicam sententiam,cùm solùm describat ille Canon ritum nuptiarum, non autem definiat, irritum, esse coniugium, si ritus illi non seruentur:sed est aliquid expressè contra aduersarios. Sic enim concluditur ille Canon:*Si fornicata fuerit vxor, dimittenda est,sed illa viuente, altera non ducenda, quia adulteri, regnum Dei non possidebunt.* Hanc sententiam admittere deberet Kemnitius,si Canones veneratur.

QVINTVS Canon est Concilij Toletani III. apud Gratianum,can.Hoc sanctum,32.q.2.vbi hoc solum legimus, vt nulla virgo extra voluntatem parentum, vel suam,cogatur maritum accipere. Quod quidem si rectè inspiciatur,aliquid habet contra Lutheranos,contra Catholicos prorsus nihil: pugnat enim Concilium aduersus eos, qui virgines à proposito continentiæ impedire, atque eis maritos obtrudere nitebantur, quod sanè Lutherani frequenter faciunt. Statuit igitur Concilium, vt non cogatur virgo virum accipere, nisi quem ipsa elegerit,aut certè parer eius, ipsa consentiente:sed nunquid hinc sequitur,vt si patre inscio virum duxerit,irritum sit coniugium?

SEXTVS Canon est Nicolai Papæ, & habetur can. Nostrates, 30.q.5. vbi inter alios ritus nuptiarum ponitur, vt fiant de consensu parentum. Sed nihil inde sequitur. Enumerat enim Nicolaus varios nuptiarum ritus, & in fine Canonis adiungit, non esse peccatum, si non omnes seruentur:ex quo intelligimus, non omnes esse essentiales, neque declarat ipse eo loco, qui sint essentiales,qui verò accidentarij.

SEPTIMVS Canon est Concilij Aurelianensis apud Gratianum,36.q.1.can.De raptoribus,vbi legimus puellam raptam reddendam esse patri, etiamsi raptori ipsa consenserit.

OCTAVVS est Gregorij, vel potiùs Gratiani ipsius, eadem causa,36.q.2.can. Apud. vbi dicitur: *Cùm rapta patri fuerit restituta,si voluntas parentis vtrinsque in vnum conuenerit,non prohibentur inuicem copulari.*

RESPONDEO,aliud est raptus,aliud coniugium inuito patre celebratum:raptus enim ad eam pertinet,quę nondum est propria vxor,neque sponsa. Qui enim violenter sponsam suam patri eiusdem sponsæ aufert, non dicitur raptor,quia rem suam,non alienam capit,vt patet ex Gelasio,cap.Lex illa,36.q.1. Rectè igitur volunt Canones raptam puellam,etiamsi ipsa consenserit rapi.reddendam esse patri,quia qui rapuit, iniuriam fecit patri, violenter eius filiam abducendo, licet iniuriam puellæ non fecerit. Sed si puella rapta iuxta decretũ Trident. Concilij,sess.24.cap.6.extra raptoris potestatem constituta,& in loco tuto,libero consensu cum raptore coniugium contraheret,Matrimonium esset ratum,nec posset à patre irritari. Raptus enim est impedimentum impediens contrahendum coniugium,sed non dirimens contractum,vt docent Theologi, & in iis S.Thomas,2.2.q. 154.artic.7.ad 3.vbi ostendi Concilium Meldense,quod contrarium statuerat,esse abrogatum.

CAPVT XXI.

De impedimentis quæ inhabilem simpliciter faciunt contrahentem,id est,de Voto,& Ligamine.

DIXIMVS de impedimentis, quæ sumuntur ex parte consensus: nunc de iis dicendum est, quæ sumuntur ex parte personarum contrahentium. Et primùm de illis, quæ simpliciter inhabilem reddunt: Deinde de aliis.

IMPEDIMENTA quæ simpliciter reddunt inhabilem personam,quatuor sunt (vt suprà diximus) Impotẽtia coëundi, Votum solenne Monachorum,Ordo sacer, & Ligamen cum vxore iam ducta. Ex quibus primum, & vltimum,extra controuersiam sunt:tametsi Lutherus de Ligamine ex sponsalibus orto nouum errorem excogitauerit,quem paulò pòst obiter refutabimus. Duo media ad vnum reuocari possunt, nimirum ad Votum solenne: siquidem Ordo sacer ideò censetur impedimentum, quia ex decreto Ecclesiæ annexum habet Votum solenne castitatis.

QVÆSTIO igitur solùm superest,vtrum soléne votum continentiæ sit impedimentum dirimens Matrimonium.Et quidem Lutherus in lib.de captiuit.Babyl.cap. De Matrimonio,admisit, votum continentiæ esse impedimentum legitimum: sed in aliis libris postea scriptis, semper negauit,& re ipsa ducta vxore sanctimoniali sententiam suam declarauit. Quod idem omnes eius discipuli,& verbis,& factis docent.

APVD Catholicos nunquam dubium fuit, quin votum continentiæ simplex, sit impedimentum impediens contrahendum,non tamen dirimens cõtractum:vorum autem solenne sit impedimentum impediens contrahendum, & dirimens contractum, quod vltimum sub anathemate definitum est in Cõcilio Trident.sess.24 can 9.

QVARE tria probanda sunt.Primò,Votum simplex castitatis,esse impedimentum impediens Matrimonium contrahendum.Secundò,Votum simplex castitatis, non esse impedimentum dirimens contractum. Tertiò, Votum solenne castitatis, esse impedimentum, & impediens,& dirimens.

SIT igitur Prima propositio:*Votum simplex impedit Matrimonium contrahendum.* Hæc facilè probari potest ex fundamento iacto in 2.libro de Monachis,vbi ostendimus ex Scripturis,Conciliis,Patribus,& ex ipsa ratione,votum perpetuæ continentiæ esse licitum, sanctum, & Deo grauissimum.Inde enim sic ratiocinari possumus ad id,quod est huius loci,Votum perpetuæ continentiæ est licitum,ergo seruandum est;cùm Scriptura dicat: *Si quid vouisti Deo,ne moreris reddere,* Ecclesiastæ 5.& Deuteron.23. At reddi non potest votum continentiæ ab eo qui vxorem ducit,cùm teneatur illi petẽti debitum reddere: non igitur licet iis, qui votum eiusmodi habent, Matrimonio iungi.

PRÆTEREA,1.Timoth.5.B.Paulus de viduis, quæ continentiam vouerant, ita pronunciat: *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Vbi Apostolus non damnat viduas illas,quia posteaquam luxuriatæ fuerant, nubere voluerunt:id enim laudandum erat, non vituperandum:sed quia nubere volentes,primã fidem,Deo videlicet datam de seruanda continentia,irritam faciebãt. Et hoc modo hunc locum intellexerũt omnes interpretes Græci, & Latini, & præterea Concilium Carthaginense IIII. can.104.& Toletanum IIII.can.55.Item Tertullia. in lib. de Monogamia, Basilius in lib. de virginit. Epiphanius hæresi 48. Hieronym.l ib.1. in Iouinianum.

Innocentius I.epist.2.cap.13,Augustinus lib.de bono viduitatis,ca.8.& 9.Gelasius epist.1.c.23. Fulgentius epi.1.

SECVNDA propositio:*Votum simplex nõ dirimit Matrimonium post ipsum votum contractum.* Hanc aduersarij non negant:& eandem ex professo docet Augustinus in lib.de bono viduitatis,cap.9.& 10.eandem inuenimus in iure declaratam ab Alexandro III. Cælestino III. & Bonifacio VIII. cap.Consuluit. Qui clerici,vel vouentes. & cap.Rursus eodem.& cap. Vnico, de voto in VI. Et ratio declarationi huic apertissima suffragatur.Promissio enim qualis est votum simplex,obligat quidem in conscientia,tamen non transfert dominium rei promissæ ab eo,qui promisit,in eũ cui promissa est:& ideò si is, qui promisit,sententiã mutet,& rem alteri reipsa donet, ille quidem peccat,tamen donatio vim suam habet.

ET hinc refellitur alius error Lutheri,qui in lib. de captiuit.Babylon.cap.De Matrimonio,disputans de impedimento Ligaminis,admittit quidem cum Catholicis, Ligamen cum vxore iam ducta,esse impedimentum dirimens omnia alia Matrimonia, sed addit contra omnes Theologos,debere etiam Ligamen sponsaliorũ dirimere sequens Matrimoniũ: *Hinc,*inquit,*concludit,si posteriorem quis cognouerit,prioris cessare sponsalia: quod planè non capio.Ego arbitror eum esse iam non sui iuris,qui vni se se addixerit,ac per hoc prohibente iure diuino,&c.*

SED error iste Lutheri damnatus iamdudum fuit, cap.De illis.& cap.Si inter virum,& cap.Adolescens,de sponsalib.& Matrimonio & cap.1.de sponsa duorũ,quod caput S.Augustino tribuitur;& ratio eadem est,quia per sponsalia non fit donatio,sed promissio.

NEQVE argumenta Lutheri concludunt. Primò sic obiicit:*Nemo potest dare quod non habet. Qui sponsalia cum vna contraxit,non est ampliùs sui iuris,ergo non potest se ipse alteri dare:ergo secundum coniugium irritum iudicãdum est.* Respondeo,negatur assumptio. Nam qui sponsalia cum vna contraxit,adhuc est sui iuris,cùm se nulli donauerit, licet donaturum promiserit.Quare si relicta sponsa cum alia contrahat per verba de præsenti, Matrimonium tenet,sed peccauit, qui fidem fregit.

SECVNDÒ obiicit: *Deus prohibet ne quis in negotio fratrem suum circumueniat, quod seruandũ est vltra,& supra omnes humanas traditiones.* Respondeo, verum est, quod assumitur:sed quorsum tẽdit?Fatemur enim peccare eum, qui fratrem suum circumuenit, fidem ei datam non seruans, sed non ideò irritum erit Matrimonium cum eo peccato commissum. Nam is etiam,qui vxorem alicui diuitem,aut nobilem, aut benè moratam promittit,si ea talis non sit, illum sine dubio circumuenit,grauitérque in proximum suum peccauit: neque tamen Matrimonium irritum erit, si per verba de præsenti contractum fuerit.

OBIICIT Tertiò: *Si votum Religionis facit alienum, cur non etiam fides data, & accepta: cùm hæc sit præcepti, & fructus spiritus,Galat.5.illud autem arbitrij humanii?* Respondeo,si comparemus,fidem dare sponsæ,cũ eo quod est vouere, vtrumque est arbitrij humani: neque enim cogitur quisquam iure diuino hocaut istud vouere, aut vxorem istam,vel illam ducere.Si conferamus autem id, quod est,seruare fidem spõsæ,cum eo, quod est implere votum Deo factum;vtrumque est præcepti, & fructus spiritus:siquidẽ implere vorũ,est fidẽ seruare Deo. Neque Apostolus inter fructus Spiritus sãcti numerat,seruare fidem homini,& non seruare fidẽ Deo: quare Lutherus graviter errat,cùm vota arbitrij humani,sponsalia autẽ iuris diuini esse docet. Cur autem vota religionis solennia Matrimoniũ dirimãt,paulò pòst explicabimus.

OBIICIT Quartò: *Licet vxori virũ suũ repetere, voto Religionis facto non obstante, cur ergo non liceat sponsa sponsum suũ repetere,etiam sequuta copula cum altera?* Respondeo;Magnum est discrimen inter vxorem,& sponsam,cùm illa iam habeat,& possideat vt rem suam, corpus viri sui,vt Apostolus docet,1.Corinth.7. ilta autem nondum habeat,nec possideat viri corpus,nisi in spe, & promissione.Sed de his satis.

TERTIA propositio:*Votum solẽne dirimit Matrimonium post ipsum votum celebratũ.* Probatur auctoritate, & ratione.Ac Primò est auctoritas veterum Conciliorum

TOLETANVM I. celebratum circa annum Domini CCCC.can.16. statuit deuotam fœminam,si fortè nupserit,non posse recipi ad Ecclesiam, nisi viuente illo, cui se coniunxerat, castè viuat, aut non nisi post mortem eius. Ex quo intelligimus nuptias illas non fuisse habitas veras nuptias, quia post Monasticam professionem contractæ fuerant:alioqui enim si veræ nuptiæ fuissent, cur illam continere oportuisset ab illo ipso, qui in maritum fuerat acceptus?

CHALCEDONENSE Concilium generale,ante annos M.C. celebratum,can.16.*Virginem,*inquit,*quæ se Domino consecrauit,similiter,& Monachum non licere nuptialia iura contrahere:quod si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur.*

NEQVE responderi potest., Concilium prohibere nuptias celebrandas, sed non iudicare irritas celebratas. Nam inprimis Conciliũ Triburiense,can.23.hunc ipsum Canonem Concilij Chalcedonensis allegauit,vt probaret,non esse verum Matrimonium, quod post solennia vota contrahitur. Deinde, nunquam fuit dubium inter Christianos, an peccarent qui votum continentiæ Deo non redderent,sed non defuerunt,qui dubitarẽt,an Matrimonia essent vera,& rata, quæ ab ipsis contrahuntur, qui continentiam vouerant.Quare Concilium declarare voluit id quod dubium erat, atque asseruit, non esse legitima Matrimonia post solenne votum,quale est Monachorum,& sanctimonialium.

CONCILIVM Foroiulienſe ante annos DCCC. can. 11.de sacris virginibus: *Si publicè,*inquit,*nupserint, digna quidẽ mundano iudicio corporalibus coërcitæ vindictis,segregẽtur ab inuicẽ,& agãt cunctis diebus vitæ suæ pœnitentiã.*

CONCILIVM Toletanum VIII. ante annos CM. can.6. Subdiaconos, si vxores duxerint, in monasteriis includi iubet.

TOLETANVM IIII. ante annos DCCCCI. cano. 51. *Nonnulli,* inquit, *Monachorum egredientes à Monasterio, non solùm ad seculum reuertuntur, sed etiã vxores accipiunt. Igitur reuocati in eodem Monasterio, vnde exierant, pœnitentiæ deputentur.*

TVRONICVM II.ante annos M.can. 16. *Si qui,* inquit,*in Monasterio conuersi sunt nullatenus exinde habeant licentiam euagandi, nec (quod absit) vllus eorum coniugem ducere posſit, & si vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malæ societatis consortio, etiam iudicis auxilio separetur.*

TRIBVRIENSE Concilium ante annos circiter DCC.can.23.apertè iubet separari eos,qui post votum solenne Matrimonio coniunguntur.

SECVNDÒ est auctoritas Pontificum veterum, ac sanctissimorum.Syricius in epist.1.cap.6. Monachos, & sanctimoniales, si Matrimonia contrahere præsumant, iubet non solùm excommunicari,sed etiam in ergastulis vsque ad finem vitæ pœnitentiam agere.

INNOCENTIVS I.in epist.2.cap.12.& 13. distinguit apertè inter votum solenne,& simplex. Nam cap.2.dicit,eam,quæ velum sacrum acceperat,ac proinde solenne votum emiserat continentiæ, si fortè nupserit, non posse admitti ad pœnitentiam,donec vixerit is,cui se cõiunxit:quemadmodum cum illa agitur,quæ viuente viro alteri iungitur.Capite 13,dicit,eam, quæ promiserat cõtinentiam perpetuam,sed velum sacrum nondum acceperat,id est, quæ votum simplex, non solenne emiserat, si postea nupserit,ad pœnitentiam admitti posse.

GELASIVS I. in epist. 1. cap. 22. & 23. similem distinctionem habet, ac discrimen magnum agnoscit inter nuptias virginum professarum, quarum est solenne votum; & nuptias viduarum, quæ votum habent simplex. Nam virginum sacrarum nuptias vocat incesta fœdera, & excommunicari eas iubet: incesta autem fœdera illegitimum coniugium sonant. Viduas autem illas dicit debere Deo per pœnitentiam satisfacere: sed nec vocat earum nuptias incesta fœdera, neque eas iubet excommunicari.

GREGORIVS I. lib. 1. epist. 40. ad Anthemium, scribit, Monachos, qui vxores duxerint, separandos à coniugibus esse, atque ad Monasteria remittendos.

IN eandem sententiam extant multa responsa Alexandri III. Cælestini III. & Innocentij III. in titulo, Qui clerici, vel vouentes.

TERTIÒ est auctoritas sanctorum Patrum. Cyprianus lib. 1. epist. 11. ad Pomponium, scribit, virgines sacras, quæ cum viris dormierant, adulteras Christi esse, & à viris illis omninò separandas, & coniunctionem illam incestam appellat. Et quamuis ij, cum quibus illæ dormierant, non se maritos earum dicebant, tamen idem iudicium de illis Cyprianus fecisset, si se maritos earum profiteri voluissent. Nã illas adulteras Christi vocat, quia fidem Christo non seruant: fidem autem non seruant, si alteri se iungãt, siue eum maritum, siue alio nomine appellent. Et incestam coniunctionem viri cum sacra virgine Cyprianus vocat, propter relationem ad Christum qui frater noster fieri voluit: quæ relatio non minus inueniretur in ea coniunctione, quæ cum viro fieret sub nomine coniugis, quàmin ea, quę fieret sine tali nomine. Vnde quod in eadem epist. Cyprianus dicit, eas virgines admonendas esse, vt si perseuerare nolint, aut non possint, apertè nubant: intelligendum est de illis, quæ nondum vouerunt. Alioqui cum Cyprianus sub distinctione dicat, vt nubant, si perseuerare nolint, aut non possint; permitteret illis, vt nuberẽt post votum, etiamsi possent continere, modò tãtùm nolint, quod est absurdissimum, & ne ab ipsis quidem Lutheranis concedendum.

BASILIVS in lib. de virginitate, parum vltra mediũ: *Cùm*, inquit, *virginitatẽ Domino professæ sint, carnali postmodum voluptate malè blãda delinitæ, ac deuictæ, stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Non ignorant huiusmodi, quamuis ignorantiã simulent, quæsponsi dextrã, & fœdera præuaricata sit, eam nec vllius vltrà esse sponsam, quem deseruit, neque eius vxorẽ per vllas leges dici posse. cui se, d. sacro sponso, libidine incitata coniunxit.* Et infrà copiosè hoc idem ostendit, nunquam illam dici posse vxorem viri mortalis, sed semper Christi, viri immortalis adulteram.

AMBROSIVS in lib. ad virginem lapsam, ca. 5. *Quæ se sponsit Christo, & sacrum velamen accipit, iam nupsit:* iam immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere è communi lege coniugij, adulterium perpetrat.

IOAN. Chrysostomus in epist. 6. ad Theodorum: *Honorabiles*, inquit, *nuptiæ, sed te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum: quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud peius existimo.*

HIERONYMVS lib. 1. in Iouinianum: *Certè confiteris*, inquit, *non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.*

NEQVE obstat, quod quidam obiiciunt de S. Malcho, qui teste S. Hieronymo in eius vita, posteaquã multos annos Monachus fuerat, vxorem duxit, & cum ea vsque ad finem vitæ permansit. Nam coniugium nullum fuit inter Malchum, & eam fœminam quam coactus se ducere finxit in vxorem: siquidem illa virum alterum habuit viuentem, vt idem Hieronymus refert, quando à Domino suo nubere Malcho compellebatur.

Itaque societas quædam spiritualis & sancta inter eos fuit, sub nomine nuptiarum.

NVNC vt ratione ducta ex verbo Dei, probemus, votum solenne esse impedimentum dirimens Matrimonium, præmittendum necessariò est, quæstionem esse inter Catholicos, quo iure votum solenne dirimat Matrimonium, quod post eiusmodi votum celebratur: naturali ne, ac diuino, an solùm Ecclesiastico, ac positiuo.

ET quidẽ multi, iisque grauissimi Theologi, S. Thomas, S. Bonauentura, Albertus, Richardus. Durandus, & Dominicus à Soto in 4. dist. 38. contendunt, votum solenne iure diuino, ac naturali dirimere Matrimonium. Quorum hæc est potissima ratio, quia votum solenne non est simplex promissio Deo facta, vt est votum, quod dicitur simplex: sed est traditio de præsenti sui ipsius in perpetuum Christi obsequium; & ea traditio à Christo per Ministros suos accepta, ac probata est. Quare differt votum solenne à simplici, vt coniugium de præsenti cõtractum à sponsalibus de futuro. Sed iure diuino, ac naturali, nemo potest alteri dare quod suum non est, & si dederit, irrita est donatio: igitur iure naturali, & diuino irritum est coniugium post votum solenne.

ET quidem si ex Scripturis, aut euidenti aliqua ratione demonstrari posset, votum solenne differre à simplici, quòd in illo sit donatio de præsenti, in isto verò promissio tantùm de futuro, non oporteret aliam quærere rationem. Tamen quia principium illud multi negant, vt Scotus, & Paludanus in 4. dist. 38. & Caietanus in 2. 2. q. 88. artic. 7. & omnes interpretes iuris Canonici, vt Panormitanus testatur in cap. Rursus, qui clerici, vel vouentes. & contrà potiùs existimant, solo Ecclesiæ decreto factum esse, vt votum soléne dirimat Matrimonium: ideò probandum superest, Ecclesiam potuisse hoc impedimentum Matrimonij constituere.

SED hoc facilè probatur. Primùm ex eo ipso quod fecit, Ecclesia enim ab antiquissimis temporibus, vt ex testimoniis citatis perspicuum est, tum in Conciliis, tum per summos Pontifices hoc statuit. Fortasse etiam hoc de Apostolica traditione descendit. Nam Cyprianus, Basilius, & Ambrosius, qui hoc impedimentum agnoscunt, ante ea Concilia, eósque Pontifices vixerunt, à quibus hoc decretum factum videtur: & ideò Concilia, & Pontifices non tam noui aliquid statuisse, quàm vetus decretum innouasse, aut declarasse censendi sunt. Quòd autem Ecclesia antiqua, quam veram fuisse Christi Ecclesiam hæretici negare non possunt, fecit, & sæpius repetiuit, stultum atque impium est dicere, non esse iure factum.

DEINDE probatur, quia illegitimas facere personas ad Matrimonium, non est mutare Sacramenti essentiam, vt suprà diximus, sed ratum, vel irritum facere contractum humanum, qui in Sacramento Matrimonij prærequiritur. Non enim Christus declarauit, quis contractus humanus sit habendus legitimus, quis illegitimus, sed ea declaratione præsupposita, voluit contractum humanum legitimum inter virum, & fœminam Sacramentum esse.

POSSE autem Ecclesiam eiusmodi contractus legitimos vel illegitimos decreto suo reddere, personas habiles vel inhabiles efficiendo, probatur. Nam inprimis huc pertinẽt omnia illa Scripturæ loca, ex quibus discimus, curam Ecclesiæ gubernandæ Apostolis, & eorum successoribus esse commissam, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum* Ioan, vltimo: *Pasce oues meas.* nam ad eum, qui iure præest, pertinet leges condere de actibus humanis, eósque regere, & ratos, vel irritos facere.

IN Testamento veteri, præter Ius diuinum naturale, erant etiam certæ leges positiuæ iudiciales accõmodatæ illi populo, tũ circa Matrimonia, tũ circa alios cõtractus

humanos. Illæ autem leges abrogatæ sunt, neque habemus alias à Christo præscriptas; ergo necesse est in Ecclesia esse potestatem similium legum pro locis, & temporibus sanciendarum, alioqui Christiana Respub. imperfectissima, ac planè miserrima esset.

Præterea possunt Reges politici, qui Reipub. præsunt, circa humanos contractus humanas leges ferre, eósque certo modo factos, ratos, secus autem, irritos esse decernere, ob communem pacem, & concordiam populorum; ergo poterunt etiam id principes Ecclesiastici ob salutem æternam animarum.

Dices, si ita est, non solùm Ecclesia, sed etiam Principes politici poterunt impedimenta Matrimonij constituere: nam ex contractu Matrimonij non tantùm salus animarum, sed etiã pax, & concordia temporalis pendet.

RESPONDEO, si Matrimoniũ esset solùm contractus ciuilis, possent sine dubio politici Principes impedimenta constituere personas legitimas, vel illegitimas efficiendo, sicut etiã fecerũt sæpe Imperatores, præsertim Ethnici, vt patet ff. de ritu nupt. & C. ad legem Iuliã de adulteriis, vbi sunt multæ leges de contractu Matrimonij. Tamen quia nunc apud Christianos Matrimonium est Sacramentum, & ex contractu illo ciuili Sacramentum Ecclesiæ pendet, & Sacramentorum dispensatio ad Ecclesiam pertinet; ideò potestas impedimenta Matrimonij constituendi, maximè propriè ad Principem Ecclesiasticum pertinet. Ad politicum autem non pertinet, nisi cum consensu, & sub ordinatione ad Principẽ Ecclesiasticum: non enim eadem potestas ad duo diuersa tribunalia æquè immediatè, & propriè pertinere potest.

Quare S. Thomas, quamuis in 4. dist. 34. q. vnica, art. 1. ad 4. concesserit Matrimonium, vt est ciuilis contractus, pendere posse à lege ciuili, tamen dist. 42. q. 2. art. 2. ad 4. id ita explicat, vt locum habeat lex ciuilis, si auctoritas etiam accesserit Ecclesiæ: *Prohibitio*, inquit, *legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonij, nisi interueniret auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit.*

Quod autem Ecclesia non solùm potuerit votum solenne, impedimentum dirimens Matrimonij constituere: sed etiam causam habuerit id constituendi, facilè probari potest. Nam qui vota solennia continentiæ suscipiunt, illi statum vitæ mutant, & ab imperfecto ad perfectum ascendunt: absurdum autem esset, si iidem postea iterum redirent ad statum imperfectiorem. Deinde, qui hęc vota faciunt, magna deliberatione, & præcedente probatione diuturna faciunt: incongruum autem est, vt id, quod maturo consilio factum est, iterum mutetur. Adhæc vota solennia regulariter publicè, & coram testibus multis, immò populo inspectante fiunt; ergo non possunt sine ingenti scandalo violari. Quare decuit Ecclesiam prouidere, ne id mutari possit: medium autem efficacissimum prouidendi fuit, irritare Matrimonia post eiusmodi vota contracta. Denique, qui vota solennia faciunt, non solùm Deo se obligant, sed etiam sponte se subiiciunt Ecclesiæ, vt ab ea cogi possint, etiam per viam iudicij: proinde queri non possunt, si eos inhabiles ad Matrimonium Ecclesia facit.

Atque eædem istæ rationes ostendunt, cur noluerit Ecclesia, vota simplicia esse impedimenta dirimentia. Qui enim vota simplicia faciunt, nec statum propriè mutant, & sæpe sine magna deliberatione, & priuatim, ac sine testibus illa faciunt, neque se Ecclesiæ subiiciunt magis quàm anteà subiecti essent: vnde cogi non possunt ad votum seruandum per viam iudicij, sed per viam correctionis fraternæ.

CAPVT XXII.

De impedimento Criminis.

SVPERSVNT impedimenta illa, quæ personam inhabilem reddunt ad Matrimonium cum certa persona, non autem vniuersè cum omnibus. Ea verò sunt, vt suprà notauimus, Crimen, Cultus disparitas, & Cognatio: de his igitur breuiter differendum est, ac primùm de Crimine.

Iubent Canones impedimentum esse dirimens Matrimonium, si quis cum ea coniugium contrahat, quam polluit per adulterium: de qua re est integer titulus in epistolis Decretalibus. Sed tamen obseruant Doctores, non semper Matrimonium esse irritum, cùm quis ducit eam, quam polluerat per adulterium, sed solùm in tribus casibus.

Primus casus est, cùm adulter procurat mortem coniugis suæ, vel mariti adulteræ, vt cum adultera coniugium celebrare possit: vel contrà, si adultera procuret mortem viri sui, vel vxoris adulteri, vt adulterum in maritum accipiat, & habetur definitio huius rei, cap. Super hoc, de eo, qui duxit in Matrimon. quam poll. per adult. & intelligitur casus, si mors reuèra sequatur.

Secundus est, si adulteri dederint sibi inuicem fidem, de Matrimonio inter se contrahendo post mortem vxoris adulteri, vel mariti adulteræ: nam qui ita sibi fidem dederunt, videntur omninò procuraturi mortem alterius coniugum. Et habetur decisio huius, can. Relatum, 31. q. 1.

Tertius est, si de facto adulteri inter se contraxerint, viuentibus prioribus coniugibus, vt habetur can. Finali, de eo qui duxit in Matrimonio.

Sed intelliguntur duo isti casus, si vterque adulter sit conscius vitæ coniugis alterius. Alioqui enim, si vir adulteram decipiat, affirmans coniugem suam esse mortuam, vel contrà, mulier adulterum decipiat, affirmans virum suum esse mortuum: tunc Matrimonium non est irritum, vt patet ex cap. Propositum, de eo qui duxit in Matrimonium.

Extra hos casus non dirimi Matrimonium inter adulteros contractum, docet Augustinus in libro de bono coniugali, cap. 14. & in lib. 1. de nuptiis, & concupis. cap. 10. & relata sunt hæc testimonia Augustini inter Canones Ecclesiasticos, 31. quæst. 1. canon. Denique. Et hæc de crimine adulterij.

Crimen autem homicidij sine adulterio, in vno tantùm casu dirimit Matrimonium, quando videlicet in morte alterius coniugum procuranda conueniunt tam vir, quàm fœmina, qui inter se coniugium inire cupiunt, vt habemus, cap. Laudabilem, de conuersione infidelium. Alioqui enim, si alter tantùm homicidium procuret, altero inscio, & adulterium non præcesserit, non dirimitur Matrimonium.

Reprehendunt Ecclesiam ob hoc impedimentũ Lutherus in lib. de captiuit. Babyl. cap. de Matrimonio, & Philippus Melanchthon in locis, tit. de coniugio: & argumentum ipsorum est, exemplum Dauidis, qui Bersabeam vxorem duxit, cùm & ipsam antea per adulterium polluisset, & virum eius occidisset, 2. Reg. 11.

At sententia Ecclesiæ nititur grauissimis testimoniis, Pontificum, & Conciliorum, quæ habentur, 31. q. 1. can. Nullus, qui est S. Leonis, & can. Illud, & can. Relatum, quæ ex Conciliis deprompta sunt, & cap. Super hoc, & cap. Propositum, de eo qui duxit in Matrimoniũ, quam polluit per adulterium. Et prærerea grauissima ratione. Quid enim atrocius in coniugio fingi potest, quàm vt alter coniugium non solùm fidem coniugi non seruet, sed etiam vitæ eius insidietur, cum quo summum amicitiæ gradum colere debuisset?

Neque exemplum Dauidis ad rẽ facit. Hoc enim impedimentum non est de iure diuino, sed Ecclesiastico: & in Testamento veteri multa permittebantur, quæ in noua lege, quæ perfectior est, optimo iure interdicuntur, vt polygamia, libellus repudij, & alia id genus multa.

Adde, quòd etiam secundum Ecclesiasticam legem,

peccatum illud Dauidis & Bersabeæ, fortasse non fuisset impedimentum dirimens. Non enim adulterium solùm, neque coniugis homicidium quocunque animo patratum, dirimens impedimentum iudicari solet, sed illud solum homicidium coniugis, quod ea intentione committitur, vt eius vxore quis postea potiatur. Iam verò Bersabea in adulterium quidem consensit, sed in mortem viri nullo modo quidquam legitur machinata: proinde ex parte eius non fuit impedimentum, quo minùs coniugium cum Dauide contrahere posset. Dauid autem adulterio, homicidium Uriæ adiunxit, sed non est certum an eo animo, vt vxore eius potiretur: nam antea sæpe conatus erat inducere Uriam, vt ad vxorem rediret, vt eo modo adulterium tegeretur.

CAPVT XXIII.

De cultus disparitate.

ALterum impedimentū est Cultus disparitas. Catholici enim communi consensu docent, Matrimonia fidelium cum infidelibus non baptizatis, non solùm esse illicita, sed etiam irrita; cum hæreticis autem baptizatis illicita esse, non tamen irrita.

Lutherus autem in lib. de captiuit. Babyl. cap. de Matrimonio, hoc impedimentum non admittit, nec tamen aliud argumentum adfert, nisi quia Deus hæc Matrimonia Christianis prohibuisse non legitur; & quia B. Monica S. Augustini mater virum habuit infidelem. Idem etiam repetit, cùm in sermo. de Matrimonio, tum in expositione septimi capitis, prioris ad Corinthios. Philippus etiam Melanchthon in locis, tit. de coniugio, licet fateatur bono animo ab Ecclesia hæc Matrimonia fuisse prohibita: vellet tamen non adeò rigidè hæc obseruari, vt Catholici postulant.

Sit igitur propositio Prima: *Non licet fidelibus cum infidelibus, aut etiam hæreticis Matrimonia iungere.* Probatur Primò ex verbo Dei, Deut. 7. Deus prohibuit populò suo Matrimonia iungere cum Gentilibus. Et quamuis præceptum illud sit iudiciale, & solos Iudæos propriè obligauerit, tamen habet aliquid etiam moralis, & ad omnes pertinet, si causa inspiciatur; nam causam reddit planè moralem, quæ etiam nunc locum habet: *Quia seducet*, inquit, *filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiat Diis alienis.* & 3. Reg. 11. vbi idem præceptum repetitur, addit Deus: *Certissimè auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos.* & ibidē additur, Salomonē contra hoc præceptum egisse, & illi continuò accidisse, quod Deus prædixerat: deprauatus enim per vxores illas Ethnicas, adorauit earum idola. Et sanè si vir sapientissimus, & qui multas alias vxores habebat, per noua illa coniugia cum Gentilibus ita peruerti potuit, vt singularum Deos coleret: quantum periculum iis imminet; qui vnam tantùm, eámque ethnicam, vel hæreticam ducunt, & qui nullo modo sunt cum Salomone in prudentia, & sapientia comparandi?

Deinde verbum illud B. Pauli, 1. Cor. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, præceptum esse de Matrimonio non iungendo, nisi cum fidelibus, docent interpretes huius loci ferè omnes; vt Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, Sedulius, S. Thomas, Caietanus, & alij & præterea Tertullianus in libr. 2. ad vxorem, & Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum.

Denique Augustinus libr. 1. de adulterinis coniugiis, cap. 25. hanc expositionem admittit, licet etiam aliter exponi posse dicat. Sic enim ait, illud: *In Domino, duobus modis potest intelligi, aut Christiano nubens, aut Christiana permanens. Sed posterior expositio non videtur ita probabilis vt prior: non enim dubium esse poterat, quin illicitum esset, nubendo apostatare à fide, immò id tam perspicuum, & notum est omnibus, vt planè superuacaneum videatur de ea re Christianos monere.*

Est etiam alius locus, 2. Corint. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, quem S. Hieronymus, cùm in lib. 1. in Iouinianum, tum in epist. ad Gerontiam de Monogamia, exponit de coniugio cum infidelibus non iūgendo. Neque huic expositioni repugnant Theophylactus, & alij, qui generatim exponunt de commercio vitando cum infidelibus: si enim commercium cum infidelibus interdicitur, certè coniugium, quod est commercium omnium maximum, & periculosissimum interdicitur.

Secundò probatur ex Conciliis. Extat can. 13. Concilij generalis Chalcedonensis, vbi prohibentur coniugia cum Hæreticis, Iudæis, & Paganis. Extat item Concilij Agathensis, ca. 67. vbi habentur hæc verba: *Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios, vel filias illis dare.* Concilium item Toletanum III. can. 14. prohibet, ne Iudei vxorem Christianam habeant. & Toletanum IIII. canon. 61. iubet Hebræos cum Christianis Matrimonio coniunctos, aut Christianos fieri, aut ab vxoribus separari. Extat etiam in iure ciuili C. de Iudæis, l. ne quis Christianam. Lex Valentiniani & Theodosij, quæ vt adulteria, punit coniugia Iudæorum cum Christianis. & in Codice Theodosiano, libr. 3. tit. 14. similiter puniuntur Matrimonia Romanorum cum Gentilibus.

Tertiò probatur ex Patribus. Tertullianus in 2. libro ad vxorem, longa disputatione hoc agit, non oportere Christianos vel Christianas cum infidelibus contrahere Matrimonia. Sanctus Cyprianus in serm. de lapsis, inter alia crimina fidelium numerat, iungere cum infidelibus Matrimonia: idque esse dicit, prostituere Gentilibus membra Christi. S. Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 9. *Cane Christiane*, inquit, *Gentili, aut Iudæo, filiam tuam tradere: cane Gentilem, aut Iudæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam, & omnem alienam à fide tua, vxorem accersas tibi.* & in epist. 70. quæ est prima, lib 9. ad Vigilium, instituit nouum Episcopum, vt plebem suam doceat summoperè cauere Matrimonia cum infidelibus. Sanctus Hieronymus in 1. lib. aduersus Iouinianum: *At nunc plerique*, inquit, *contemnentes Apostoli institutum, iungimur Gentilibus, & templa Christi idoli prostituimus.*

S. Augustinus videtur in hac re dubius hæsisse. Nam in lib. 1. ad Pollentium, cap. 21. refert sententiam Pollentij, quòd in vtroque Testamento prohibitum sit, Matrimonium fidelibus cum infidelibus iungere: quæ verba Magister in lib. 4. sent. distin. 39. tanquam ex Augustini sententia refert, cùm reuera ex Pollentij, non ex Augustini sententia accipiēda sint. Deinde, cap. vigesimoquinto, ex sententia sua loquens, tantùm dicit non inueniri testimonium in Testamento nouo, in quo sine ambiguitate eiusmodi coniugia prohibeantur, quamuis fateatur Cyprianum nihil dubitasse, quin illicita essent ea coniugia. In libro verò de fide & operibus, cap. 19. iterum repetit, in Scripturis noui Testamenti se non reperisse de hac re certum testimonium, tametsi Cyprianus inter grauissima crimina posuerit, cum infidelibus iungere Matrimonia. Sed tandem concludit, omninò cauendas esse eiusmodi coniunctiones, quia expedit in re dubia tutiorem partem sequi: *Omnimodo*, inquit, *conandum est, ne fiant tales coniunctiones: quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?*

Itaque ex Augustino habemus, vt minimùm ista Matrimonia esse dubia, & proinde non contrahenda. Nec tamen si Augustino dubitare licuit, nobis quoque licebit, cùm nos Pauli sententiam habeamus à plurimis interpretibus explicatam, multa etiam testimonia Conciliorum, & Patrum, quæ ipse non viderat: & denique omnium Theologorum, qui post Magistrum scripserunt, atque adeò totius Ecclesiæ consensum teneamus.

Quartò probatur ratione. Matrimonium fidelis cum infideli multa secum adfert incōmoda atq; damna; non igitur licitum censeri debet. Antecedens probatur. Nam Inprimis periculū, & quidem grauissimum adfert fideli,

apostatandi à vera fide: *Et qui amat periculum, peribit in illo*, Ecclesiastici tertio. Deinde, proles non poterit commodè educari in vera religione. Adhæc vix poterit in domo pax, & tranquillitas illa inueniri, quæ ad coniugium requiritur, siquidem dissensio circa religionem, contentiones, & iurgia, odium etiam, & alienationem animorum gignit. Denique, vt Tertullianus copiosè demonstrat, si maritus sit infidelis, facilè impediet omnia exercitia pietatis, quæ alioqui vxor Christiana exhibere tenetur.

Secunda propositio: *Matrimonium inter fidelem, & infidelem non est irritum iure diuino, naturali, vel positiuo, vel certa aliqua lege Ecclesiæ.* Quod non iure diuino, probari existimat Dominicus à Soto (vt ipse loquitur in 4. dist. 39. q. vnica, art. 2.) euidenter ex eo, quòd 1. Corin. 7. Paulus permittit fidelem non separari à coniuge infideli. Si enim iure diuino Matrimonium fidelis cum infideli irritum esset, quomodo beatus Paulus permitteret, in tali coniunctione, quæ fornicaria sine dubio esset, Christianos permanere?

At ista ratio non solùm non euidens, sed nec solida esse videtur. Apostolus enim non permittit fidelem cum infideli contrahere, sed Matrimonium inter fideles contractum permittit non dirimi per conuersionem alterius coniugis. Non est autem consequens, vt si Cultus disparitas non dirimat Matrimonium iure diuino antea contractum: non dirimat etiam pòst contractum. Nam impedimenta dirimentia hoc proprium habent, vt dirimant si ipsa præcedant, non dirimant si sequantur. Impotentia enim coëundi, & votum solenne continentiæ, & alia id genus, si præcedant Matrimonium, illud ita impediunt, vt irritum reddant, si fiat: at si superueniant post Matrimonium legitimè contractum, illud dirimere nequaquam possunt. Sicut etiam hoc tempore Cultus disparitas, saltem iure Ecclesiastico, dirimit Matrimonium pòst contractum: & tamen si superueniat post Matrimonium legitimè contractum, vt si aliter coniugum fidelium fiat paganus, vel si alter infidelium conuertatur, non dirimitur coniugium, etiam iure Ecclesiastico, saltem ipso facto.

Illa igitur ratione omissa, quòd non sit Cultus disparitas impedimentum dirimens iure naturali, probatur Primò, quia non tollit omninò finem Matrimonij, licet aliquo modo impediat. Nam ex tali coniugio proles nasci potest, & institui etiam in religione, licet difficiliùs, &c. & aliquando accidere potest, vt non etiam impediatur vllo modo educatio, neque pax, vt, si alter coniugum de religione nihil curet aut benè sit affectus erga fidem. Quo casu, non modò non erit impedimentum aut periculum vllum coniugi fideli, sed etiam erit magna spes trahendi alterum ad fidem: tunc autem (si non obstet ius positiuum, ratio dictat, coniugium eiusmodi non esse malum, sed bonum.

Secundò probatur exemplis Sanctorum, qui sine dubio infidelibus coniuncti non fuissent, si id Matrimonium iure naturæ irritum esset. Extant autem exempla in lege naturæ, in lege scripta, & in lege gratiæ. In lege naturæ, Iacob vxores duxit filias Laban Idololatræ, Ioseph filiam Putipharis Ægyptiam; Moses filiam Ietro Æthiopissam. In lege Scripta Ester nupsit Assuero Regi Persarum Ethnico; & Salomon vxorem duxit filiam Pharaonis, & Dauid accepit filiam Regis Gessur, 2. Reg. 3. In lege gratiæ testantur Hieronymus, lib. 1. in Iouinianum, & Augustinus libro de fide, & operibus, cap. 19. suo tempore fuisse frequentissima in Ecclesia eiusmodi coniugia, & quamuis à Patribus reprehendebantur, tamen non dirimebantur, nec est probabile fuisse tolerata, si vera Matrimonia non fuissent.

Præterea, sancta Monica virum habuit paganum, teste Augustino, lib. 9. Confessio. cap. 9. & Clotildis Christiana nupsit Clodoueo Regi Francorum Ethnico, teste Gregorio Turonico, lib. 2. histo. cap. 28. Vtraque autem pia erat, & virum ad fidem conuertit: non potest autem fieri vt piæ fœminæ essent, & in perpetua fornicatione viuerent.

Quòd non sit etiam impedimentum dirimens iure diuino positiuo, probatur: nam in Testamento nouo, non extat tale præceptum. Verba enim Pauli: *Tantùm in Domino*. Et: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, non probant, nisi non esse contrahendum cum infidelibus: non autem probant, Matrimonium esse irritum.

In Testamento autem veteri non inuenitur præceptum ita prohibens coniugia cum infidelibus, vt ea redderentur irrita, nisi apud Esdram, libr. 1. cap. 9. & 10. Ibi enim legimus, Esdra interpretante legem Domini in Deuteronomio à Moyse latam, separatos fuisse filios Israël à coniugibus infidelibus, quas duxerant. Sed illud præceptum, quatenus irritans Matrimonia, iudiciale fuit, non naturale, & ideò cessauit cùm cæteris, neque ad Christianos pertinet. Fuisse autem iudiciale, ex eo colligitur, quòd solùm prohibuerit coniugia Iudæorum cum infidelibus habitantibus in terra Chanaam, quos Deus omninò interfici, & deleri volebat: non autem cum infidelibus cæteris. Vnde Ester legitimè nupsit Assuero Gentili, & Salomon accepit in vxorem filiam Pharaonis. Neque obstat, quòd lib. 1. Esdræ, cap. 9. inter Gentes, quarum connubia Iudæis erant prohibita, numerantur Ægyptij: loquitur enim Esdras de Ægyptiis, qui habitabant in terra Chanaam, non de aliis, vt Caietanus annotauit.

Iam verò quòd non sit Cultus disparitas impedimentum dirimens, ob certam aliquam legem Ecclesiæ, probatur; quia nulla extat talis lex. Quæ enim nos suprà citauimus ex Conciliis, non probant Matrimonium esse irritum, si fiat inter fidelem, & infidelem, sed tantùm non esse faciendum. Nam Concilium Chalcedonense, & Agathense inter infideles nominatim ponunt etiam hæreticos, & tamen communi consensu Catholicorum, Matrimonium cum hæretico non est irritum. Concilium autem Toletanum IV. iubet quidem separari coniuges, sed non loquitur nisi de Iudæis, & in Hispania: neque enim Concilium illud vniuersale, sed nationale fuit, quare legem toti Ecclesiæ dare non potuit.

Tertia propositio: *Matrimonium inter fidelem, & infidelem non baptizatum, irritum est ex more populi Christiani, vim legis obtinente.* Probatur, nam ab annis, vt minimum CCCC. sine vlla controuersia creditum est in Ecclesia Christiana, ista Matrimonia esse nulla. Nam & Magister sententiarum in lib. 4. dist. 39. & Gratianus, 28. q. 1. & deinceps omnes Theologi, & Canonistæ tāquam rem exploratam, & à maioribus acceptam hoc tradiderunt. Cùm igitur tota Ecclesia à multis iam seculis id crediderit, & seruauerit, & tamen certa aliqua lex non inueniatur, necesse est, vt id paulatim sit introductum, & consuetudo vim legis obtinuerit.

Non posse autem hunc morem, siue hanc legem improbari, duobus argumentis demonstrari potest. Primò, exemplo legis veteris. Si enim in lege veteri Cultus disparitas erat impedimentum dirimens saltem intra certas nationes, certè maiori ratione potuit fieri Cultus disparitas impedimentum dirimens apud Christianos: nam lex Christiana perfectior est. Et præterea maior est Cultus disparitas inter Christianos, & infideles, quàm inter Iudæos, & infideles. Nam Christiana lex omnibus est ad salutem necessaria; & qui Christiani non sunt, alieni sunt à Deo, & ab Ecclesia, ac religione diuina. At lex Hebræorum non erat omnibus necessaria, multique inter Gentes saluari poterant, dum lex vigeret: quare non erant Gentiles extra Ecclesiam Dei per hoc solum, quòd ad populum Israël non pertinebant.

Secundò, Matrimonium apud Christianos Sacramentum est, ergo non debet à Christianis, illis personis tribui, qui Sacramenta suscipere nequeũt. Ergo maxima fuit caussa irritandi Matrimonia fidelium cum infidelibus: non enim infidelis nõ baptizatus vllius Sacramenti capax est. Et hæc etiá ratio est, cur Matrimonia cũ hæreticis irritata non sint, quia videlicet Sacraméta esse possunt ratione præcedentis Baptismi in vtroque coniuge.

Quarta propositio: *Potest Summus Pontifex, si caussa id postulet, cum fideli dispensare, vt cum infideli Matrimonium cõtrahat.* Hæc propositio ex superioribus sequitur. Si enim agatur de præcepto irritante eiusmodi Matrimonia, dubium non est, quin in eo summus Pontifex dispensare possit, cùm id præceptum non sit naturale, nec diuinum positiuum, sed planè Ecclesiasticum.

Si verò agatur de præcepto simpliciter prohibente, de quo diximus in prima propositione, id præceptum vel est positiuum, vel naturale, nõ obligat nisi quatenus recta ratio dictat id non esse faciendum, vel ob periculum subuersionis, vel ob alias caussas. Quare cessantibus illis caussis, non est contra ius naturæ eiusmodi coniugium, præsertim accedente declaratione summi Pastoris: vnde etiam Ester, (vt suprà diximus) & Ioseph, Iacob, Moyses, & alij viri sancti cum infidelibus Matrimonio iuncti sunt, quia cessabat ratio periculi, &c. Si verò est præceptum positiuum humanum, vt Apostoli Pauli, & Conciliorum, ac Pontificum, potest sine dubio Apostolorum, & Pontificum aliorum successor in eo dispensare, cessante periculo, & iusta caussa id postulante. Præceptum autem positiuum diuinum, nullum est, vt suprà ostendimus: illud enim Deut. 7. quatenus positiuum, iam est abrogatum: quatenus autem aliquo modo naturale erat, non obligat, vt diximus, nisi quãdo ratio recta iudicat inesse periculum illud, ob quod præceptum datũ est.

Atque hinc soluuntur omnia argumenta, quæ fiunt ab hæreticis, vel etiam fieri possunt: nihil enim adferre possunt, neque adferunt, nisi exempla eorum fidelium, qui vel in lege antiqua, vel in lege noua, Matrimonia cum infidelibus contraxerunt.

Ad quæ vno ex quatuor modis respondendum est. Vel enim exempla ad eos pertinent, quibus nulla rectam rationem in certis casibus talia Matrimonia prohibebantur, & tales fuerunt, Iacob, Ioseph, Ester, &c. Vel ad eos, qui vxores Gentiles quidem, sed quæ ad fidem conuertebantur, duxerunt: id enim semper fuit licitum. Et hoc modo Salmon duxit Raab meretricem ex Palæstina, & Booz Ruth Moabitidem, &c. illæ siquidem ad fidem, & religionem Iudaicam accesserunt, licet alioqui essent ex Gentibus, cum quibus non licebat Iudæis contrahere Matrimonia. Vel ad eos, qui apertè reprehenduntur, quòd contra legem cum gentilibus coniugia celebrauerint. Et in his fuit Salomon, qui 3. Reg. 11. valde arguitur à diuina Scriptura, quòd vxores Moabitidas, Ammonitidas, & Chananitidas contra legem duxerit: in his etiam numerandi sunt Christiani, qui propterea grauiter à sanctis Patribus reprehenduntur, vt ex Cypriano, Ambrosio, & Hieronymo suprà demonstrauimus. Vel denique ad eos, quos ignorantia, & introducta consuetudo fortasse excusabat. Et in hoc numero ponenda videtur sancta Monica mater beati Augustini: nam eius tempore ita inualuerat consuetudo, vt peccatum non putaretur cum Gentilibus iungere Matrimonia, vt Augustinus testatur libro de fide, & operibus, cap. 19.

Itaque sancta Monica, cuius exemplum hæretici tanti faciunt, ignorantia, & more patriæ à peccato fortasse excusabatur; vel certò pœnitentia, & lachrymis illud purgauit: neque debuit Matrimonium semel contractum dirimere, quia nondum mos populi fidelis Cultus disparitatem inter impedimenta dirimentia reposuerat, vt postea fecit.

CAPVT XXIV.

De impedimento Cognationis, quid sit cognatio, & quot eius gradus.

ESTAT impedimentum Cognationis, de quo grauissima controuersia est: quæ vt ordine explicari possit, Primò exponendum erit, quid sit cognatio & qui, & quot eius gradus. Secundò, quid de hac re hæretici sentiant. Tertiò, probanda erit veritas, & soluenda argumenta ipsorum.

Vt igitur à Primò incipiamus Iurecõsulti distinguunt inter cognationem, & agnationem. Cognatos enim vocant, qui ex eodem sanguine per matrem descendunt: agnatos, qui per patrem, tametsi cognatos etiam interdum omnes consanguineos appellent. Itaque cognatio aliquando est nomen generis, aliquando speciei, agnatio autem semper est nomen speciei: qui enim agnati sunt, cognati etiam dici possunt, non contrà, vt perspicuum est ex leg. Inter agnatos, ff. vnde legitimi, & L. Iureconsultus, ff. de gradibus, & affinibus, & ex Ambrosio in epist. 66. ad Paternũ, extrema, vbi negat dici posse agnatos, qui per patrem non descendunt, vt fratres vterinos ex diuerso patre natos. Quare deceptus est Dominicus à Soto in 4. dist. 40. q. vnica, art. 1, vbi dicit, agnationem esse genus, & cognationem esse speciem.

In iure Canonico, tum cognatio, tum agnatio simpliciter dicitur consanguinitas, quæ in hoc differt ab affinitate, quòd consanguinitas est vinculum eorum, qui ab vno aliquo per sanguinis propagationem descendunt, ita vt omnes eundem sanguinem participent, & ad vnum stipitem reducantur: affinitas autem inter eos est, qui non per propagationem, sed per vnionem duorum in carnem vnam coniunguntur. Quia enim per carnalem copulã vir & fœmina fiunt vna caro, inde est quod consanguinei vnius ex illis, efficiuntur proximi, & affines alterius. Itaque parentes, & fratres, & cæteri consanguinei vxoris, efficiuntur affines mariti, & contrà parentes, & fratres; & cæteri consanguinei mariti, eodem modo efficiuntur affines vxoris: non tamen consanguinei vnius coniugis, sunt affines consanguineis alterius coniugis, sed solùm ipsi coniugi. Et quidem in eo gradu fiunt affines alteri coniugum, in quo gradu sunt consanguinei alteri: pater enim sponsæ efficitur quodammodo pater sponsi. & frater sponsæ efficitur frater sponsi, &c. Quare si quis nouerit gradus consanguinitatis, facilè colliget gradus affinitatis.

Quantum igitur ad gradus, Sciendum est, aliter numerari in iure ciuili, aliter in iure canonico. In iure ciuili, vt patet ex titulo de gradibus, in Pandectis Iustiniani, duplex ordo constituitur. Vnus rectus, vt patris, filij, nepotis, &c. vel sursum versus, patris, aui, abaui, &c. Alter transuersus, fratrum, consobrinorum, &c.

Et quidem in ordine recto tot sunt gradus, quot sunt personæ, omisso stipite, verbi gratia, Filius est in primo gradu, nepos in secundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto, &c. neque in hac re discrepat ius canonicum.

In ordine autem transuerso Ius ciuile nullum ponit primum gradum, sed incipit à secundo, qui est fratrum inter se. Et ratio est, quia in transuerso etiam ordine, tot ponit Ius ciuile gradus, quot sunt personæ dempto stipite, fratres autem vt minimùm duo esse debent. Si enim vnus tantùm sit alicuius patris filius, is non dicitur frater, sed filius tantùm: proinde non facit ordinem transuersum, sed tantùm propagat ordinem rectum. Fratres igitur qui duo sunt vt minimùm, secundum efficiunt gradum: tertium autem faciunt patruus, vel auunculus cum filiis fratrum, vel sororum, nam tunc tres personæ inueniuntur dempto stipite. Sint, exempli gratia, duo fratres: si alteri eorum filius nascatur, iam erunt tres, & incipiet dici alter fratrum patruus, respectu filij fratris sui, atque ita in tertio gradu sunt patruus, & filius fratris.

Et ea

Et eadem de auunculo, amita, matertera, ratio est. Quartum faciunt filij fratrum, qui inter se patrueles dicuntur, vel consobrini, si filij sororum sint. Neq; enim esse possunt patrueles, siue consobrini, nisi quatuor personæ dempto stipite numerentur, duo videlicet fratres, & duo ipsorum filij. Quintus porrò gradus erit inter patruelem vnius, & filium alterius. Sextus gradus inter duos filios patruelium, & sic deinceps.

Vbi illud obiter est notandum, secundum gradum esse æqualiter distantium à stipite, tertium autem esse inæqualiter distantium: & ad eundem modũ, quartum, sextum, octauũ, &c. esse æqualiter distantium: quintum, septimum, nonum, &c. esse inæqualiter distantium.

Neque istum ordinem graduum cõfinxit Iustinianus in Authenticis, neque eum reprobauit Alexander Secundus, in Concilio Lateranensi (vt suspicatur Dominicus à Soto, in quartum, dist. 40. artic. 2.) sed erat in antiquissimis legibus Romanorum, vt patet ex Paulo Iureconsulto in ff. de gradibus, qui Paulus trecentis annis Iustinianum præcessit: floruit enim tempore Alexandri Imperatoris, circa annum Domini CC.XXX. & ex sancto Ambrosio in epist. 66. ad Paternum, vbi iuxta hunc ordinem numerandi gradus, affirmat duos consobrinos esse consanguineos in quarto gradu; patruum autem, & filium sororis, in tertio. Scripsit autem Ambrosius annis supra centum antequam nasceretur Iustinianus.

Alexander autem II. Papa, in Concilio Lateranensi, vt patet ex can. Ad sedem, 35. q. 5. non refellit Iustinianum, sed errorem quorundam malè intelligentium Iustinianum: vnde ibidem Alexander bis tertiò repetit, legem ciuilem rectè se habere, licet alium ordinem seruet. Ius enim ciuile respicit numerum personarum: Ius autem canonicum distantiam à stipite. Igitur secundum Ius canonicum in ordine recto primus gradus est filiorum, qui proximè à stipite deriuantur, secundus nepotum, tertius pronepotum, &c. in ordine tranuerso, primus gradus est fratrum germanorum, secundus patruelium, seu consobrinorum, & simul patrui, & filij fratris, tertius est filiorum duorum fratrum patruelium, & simul patruelis, & filij alterius patruelis, & sic deinceps. Ex quo deducit Alexander Papa, ex duobus gradibus secundum Ius ciuile, vnum constitui secundum Ius canonicum, & proinde eum qui est secundus Iure ciuili, esse primum Iure canonico, & qui est tertius & quartus Iure ciuili, esse secundum Iure canonico, & qui est tertius & sextus Iure ciuili, esse tertium Iure canonico, & qui est septimus & octauus Iure ciuili, esse quartum Iure canonico, & sic deinceps.

Ratio autem Canonicæ supputationis redditur optima à Theologis, & Canonistis, & habetur etiam capit. Quod dilectio, de consanguinitate, & affinitate, & cap. Finali eodem, quia nimirum cùm personæ in ordine transuerso non coniungantur, nisi ratione stipitis, à quo procedunt, non possunt inter se magis, aut minùs distare, quàm à stipite distent: necessariò igitur efficitur, vt eo gradu inter se coniungantur, vel distent, quo stipiti coniunguntur, vel ab eo distant. Quare duo fratres in primo gradu erunt, quia vterque in primo gradu est cum stipite: consobrini in secundo erunt, quia vterque in secundo gradu est cum stipite. Quòd si inæqualiter à stipite distent, vt patruus, & filius fratris, tunc eo gradu inter se distabunt, quo distat à stipite ille, qui est remotior. Cùm enim per stipitem coniungantur, fieri non potest, vt vllus propinquior sit consanguineo suo, quàm stipiti: non igitur filius fratris minùs distare potest à patruo, quàm ab auo. Licet igitur patruus vno tantùm gradu distet à stipite, tamen quia filius fratris duobus gradibus distat ab eodem stipite, ideò patruus, & filius fratris in secundo gradu sunt, non minùs quàm duo filij fratrum.

Et hoc est, quod Alexander Papa significauit, cùm ait, ex duobus gradibus ciuilibus fieri vnum Canonicum. Siquidem Iure ciuili patruus, & filius fratris, faciunt vnum gradum: duo filij fratrum faciunt alterum, quia vna persoña additur ad numerum, & Ius ciuile numerum personarum respicit: at Iure canonico idem est gradus patrui, & filij patris, qui duorum patruelium: quia Ius canonicum, non numerat personas, sed distantiam à stipite considerat.

Est autem illud obseruandum, graduũ supputationem non extendi in infinitum. Nam virtus paterna in filium traducta, per quam est filius patri similis, non solùm in specie, sed etiam in indiuiduo, vt complexione, moribus, colore, lineamentis, ob quam existit peculiaris affectio inter consanguineos, paulatim minuitur, ita vt maior sit in filio, quàm in nepote, maior in nepote, quàm in pronepote, &c. & tandem post aliquot generationes penitus euanescit. Alioqui si semper duraret, id sequeretur, vt omnes homines, qui ab vno Adamo, primo stipite generis humani descendunt, consanguinei essent: cùm tamen à contrario experiamur non modò non omnes homines, sed neque ciues vnius oppidi cum affectum retinere, quem natura consanguineis inseuit.

Quia tamen non facilè sciri potest, quousque virtus illa eiusdem sanguinis perseueret, & probabile est, non æqualiter semper, sed nunc in pluribus, nunc in paucioribus generationibus conseruari, prout in vno potentior est virtus, quàm in alio: ideò, vt certi aliquid haberemus, Legislatores certum numerum graduum præfixerunt.

Et quidem Moyses in Leuitico, cap. 18. præfixit duos gradus tantùm, primum videlicet, & secundum. Prohibuit enim in recta linea, coniugium patris cum filia, & cum nepte, & similiter matris cum filio, & cum nepote: in transuersa, prohibuit coniugium fratris cum sorore, siue ex vno, siue ex vtroque parente, & nepotis cum amita, vel matertera: non tamen prohibuit coniugium è contrario patrui, vel auunculi cum filia fratris, vel sororis. Et hæc quoad consanguinitatem, vbi sunt duo gradus secundum Canones, & tres secundum leges. Quoad affinitatem, pohibuit coniugium filij cum nouerca, & patris cum nuru, & rursus patris cum priuigna, vel cum eius filia: & hæc in recto ordine. In transuerso autem, prohibuit coniugium cum vxore fratris, & cum sorore vxoris, vxore viuente, & cum vxore patrui. Vbi etiam sunt duo gradus secundum Canones, primus, & secundus, & tres secundum leges: nam filia priuignæ est in secundo gradu cum patre, & vxor patrui est in secundo gradu cum eius nepote.

Quare errat Lutherus in captiuitate Babylonica, cap. de Matrimonio, vbi dicit, in lege diuina non prohiberi, nisi primum gradum affinitatis, & primum, & secundum consanguinitatis.

Quod etiam sanctus Ambrosius in epistol. 66. dicit, in lege diuina prohiberi coniugium patruelium, qui sunt in quarto gradu secundum leges, non video quomodo verum esse possit: sicut etiam quod idem Ambrosius ibidem, negat in lege expresè prohiberi coniugium patris cum filia, fortè lapsus est memoriæ. Nam prima illa prohibitio: *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies*, nihil aliud significat, nisi ne filia patri nubat, & ne filius matrem accipiat in vxorem.

Sed quanquam lex diuina his paucis gradibus contenta fuerit: tamen lex ciuilis prohibuit etiam coniugia consobrinorum, qui sunt in quarto gradu secundum leges, vt Ambrosius testatur epist. 66.

Lex autem Ecclesiastica longiùs progressa est. Ecclesia enim olim septimum gradum definierat, vltra quem non esset vlla consanguinitas, vt patet ex Alexandro Secundo, suprà citato: sed postea in Concilio Lateranensi,

sub

sub Innocentio Tertio, restricta est tum consanguinitas, tum affinitas ad quartum gradum, vt patet ex cap. Non debet, de consanguinitate, & affinitate.

Ex quo intelligimus, id quod communiter dici solet, in linea recta in infinitum prohiberi connubia, quod primus fortè scripsit Caius L. nuptiæ 2, ff. de ritu nuptiarum: à multis negari vidimus.

Quanquam non est cur de hac re valde soliciti simus, cùm vix contingere possit, vt cupiant aliqui Matrimonium inire in gradu quinto, aut vlteriore in recta linea. Aut enim non inueniuntur homines viui, aut sunt ita inæquales quoad ætatem, vt absurdissimum sit, eos inter se Matrimonium velle cõtrahere. Nam, vt demus, in aliqua linea singulos gignere cùm primùm per ætatem licet, id est, cùm ad annum decimum quintum peruenerint, quod tamen rarò, aut nunquam accidit, si deberent in quinto gradu coniungi, haberet vnus annos 90. alter 15. & si in octauo gradu, haberet vnus annos 135. alter 15. Immò ipse Adam, qui vixit 930. annos, non superuixit tamen nisi vsque ad octauam generationem: quo tempore, si extra consanguinitatem suam, vxorem ducere voluisset, debuisset vir decrepitus, annorum ferè 900. puellam annorum 15. vxorem accipere.

Addidit Præterea Ecclesia duas alias species cognationis, quæ in Leuitico non continentur, nimirum cognationem spiritualem, quę oritur ex Baptismo, & Confirmatione: & cognationem legalem, quę oritur ex adoptione. Item addidit duas alias quasi species affinitatis; vnam, quæ oritur ex sponsalibus, quæ publicæ honestatis iustitia appellatur; & alteram, quæ oritur ex copula carnali fornicaria, quamuis hæc vltima ex Leuitico iuxta quosdam non difficulter eruatur. Porrò iuxta Concilij Tridentini decreta, sess. 24. Cognatio spiritualis, & Publica etiam honestas intra primum gradum tantùm Matrimonia dirimunt: affinitas autem ex copula fornicaria, intra primum, & secundum.

Est etiam alia quædam affinitas, quæ oritur ex Matrimonio rato, sed nondum consummato, quæ quamuis publica iustitia dici soleat: tamen haud dubiè est quid perfectius, & ideò pius V. Papa declarauit, restrictionem Concilij Publicæ iustitiæ ad primum gradum non habere locum, nisi in sponsalibus de futuro.

CAPVT XXV.

Sententiæ adferuntur de impedimento cognationis.

EIs præmissis, quæstio est, intra quos gradus cognatio, siue etiam affinitas Matrimonij contractum iure impediat: impedire enim intra gradum aliquem nemo est, qui neget. Quinque inuenio de hac re sententias hæreticorum.

Prima est Ioannis Vviclephi, qui in 4. lib. Trialogi, cap. 20. affirmat cognationem in primo solùm gradu impedire coniugium, idque in recto ordine, in transuerso autem nullam esse prohibitionem: ex quo colligit, inter fratres & sorores Matrimonium posse coniungi, quia id non est prohibitum iure diuino, sed tantùm per humanam inuentionem.

Quare deceptus est Dominicus à Soto in 4. sent. dist. 40. art. 3, vbi refert, Vviclephum sensisse, prohibitiones quæ habentur in Leuitico, vim suam iure diuino etiam apud Christianos retinere. Non enim id sensit Vviclephus, sed planè contrarium. hæc enim sunt verba in libro ipsius, quem apud me habeo: *Nec delector in multitudine caussarum diuortij, cùm multæ sint insuadibiliter humanitus ordinatæ, vt patet specialiter de cognatione. Nam tempore primi hominis, fratres & sorores fuerunt ex ordinatione diuina taliter coniugati: & tempore Patriarcharum, vt Abraham, Isaac, & talium, satis propinquæ. Nec fuit ratio, quare non liceret hodie, nisi humana ordinatio.* Hæc ille; & ideò Thomas Vvaldensis, tomo 2. de Sacramentis, cap. 134. (quem etiam Sotus citat) contra Vviclephum contendit, præcepta Leuitici iure diuino ad Christianos etiam pertinere.

Altera sententia est Lutheri in libro de captiuitate Babylonica, cap. de Matrimonio, & in serm. de Matrimonio, edito anno M.D.XXV. Argentinæ; & Martini Buceri in comm. c. 19. Matthæi; qui solos gradus cognationis, qui habentur in Leuitico, c. 18. vt Matrimonij impedimenta agnoscunt, cæteros ab Ecclesia additos omninò reiiciunt. Itaque nolunt in gradibus in Leuitico expressis vllo modo licere Matrimonia contrahere, neq; vllam admittunt Ecclesiæ dispensationem, cùm lex illa diuina sit, non humana: & contrà volunt, in omnibus aliis gradibus liberè posse contrahi, non obstante humana lege, vel consuetudine, cùm Deus optimè nouerit quid prohibendum, quidúe non prohibendum fuerit.

Et hanc sententiam sequebantur, qui persuaserunt Henrico Regi Anglorum, non potuisse Romanum Pontificem cum ipso dispensare, vt acciperet vxorem fratris sui defuncti; quod id videlicet expressè prohibeat lex diuina, Leuit. 18.

Tertia sententia est Philippi Melanchthonis in locis, titul. de coniugio: & Martini Kemnitij in 2. part. Exam. Concilij Trident. pag. 1130. & sequentibus, qui conueniunt cum Luthero & Bucero, quod præcepta Leuitici circa gradus cognationis naturalem iustitiæ normam contineant, & per hoc etiam apud Christianos vim habeant, & omninò immutabilia sint: sed discrepant, quoad alios gradus in Leuitico non expressos. Dicunt enim aliquos alios gradus ab Ecclesia antiqua rectè fuisse prohibitos, & nunc etiam posse prohiberi, modò id fiat seruata libertate conscientiæ, id est, vt non sit peccatum in conscientia, si secus fiat.

Sed tres sunt in disputatione Kemnitij contradictiones. Primum enim pag. 1231. dicit, præcepta Leuitici de gradibus cognationis, esse mandata naturalia, quæ ad omnes homines, & ad omnia tempora pertineant, tanquam normæ iustitiæ, in mente & voluntate diuina immutabiles: & tamen pag. 1230. proximè præcedenti dixerat, Deum dispensasse cum filiis Adami, vt fratres sororibus copularentur, qui est gradus primus in linea transuersa, in Leuico expressè prohibitus. Si lex illa Leuitici ad omnes homines & omnia tempora se extendit, & est norma iustitiæ in mente diuina immutabilis, quo pacto ab ipso Deo statim initio mundi mutata est?

Deinde pag. 1238. affirmat Kemnitius, omnia Matrimonia, quæ non pugnant contra diuinas prohibitiones, esse à Deo coniuncta, & ideò dirimi non posse, cùm Christus dixerit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; & tamen in eadem pagina, & superiore, concesserat posse Ecclesiam cùm Magistratu, gradus aliquos constituere iis proximos, quos lex diuina constituerat, & pag. 1234. & 1235. approbauerat ex Ambrosio & Augustino, legem ciuilem prohibentem coniugia consobrinorum, licet ea non prohibuerit lex diuina. At si omnia Matrimonia, quæ non pugnant cum diuina prohibitione, sunt à Deo, & dirimi nequeunt, ergo nulla Matrimonia prohiberi possunt, quæ Deus non prohibuit, neque vlli gradus constitui, quos Deus non constituit, nisi prohibere velimus, ac dirimere Matrimonia, quæ Deus coniunxit. Quomodo ergo possunt homines gradus constituere, qui non sunt in Leuitico, vt de consobrinis?

Postremò pag. 1237. vult Kemnitius, posse constitui per leges humanas certos gradus, intra quos non sint legitima Matrimonia, sed tamẽ salua libertate conscientiæ. At ista manifestè pugnant. Nam vel Matrimonia intra gradus lege humana præscriptos contracta, erunt legitima, vel illegitima. Legitima esse non poterunt, cùm

sint

sint contra legem, aut certè lex ipsa iniqua erit, & mala, cuius contrarium Kemnitius asserit; ergo erunt illegitima. Ergo in conscientia malum erit illa contrahere; nisi fortè non sit malum, in conscientia nomine coniugij fornicationem committere: ergo lex illa, quamuis humana, in conscientia obligat, cuius contrarium Kemnitius affirmabat.

Adde etiam manifestum Kemnitij mẽdacium, pag. 1238. dicit enim Romanum Pontificem velle conscientias Pontificiis prohibitionibus non minùs teneri, quàm diuinis. At hoc mendacium esse, perspicuum est, quia summus Pontifex in Pontificiis prohibitionibus sæpe dispensat; in diuinis nũquam. Nam quæ videntur Kemnitio diuinæ prohibitiones, & in quibus aliquando Papa dispensat, eas nos paulò pòst, nõ esse diuinas apud Christianos, Deo volente, manifestè probabimus.

Quarta sententia Brentij est, qui in Cõfess. Vvittemberg. cap. de coniugio, & in Apologia pro eadẽ confessione, vult in gradibus cognationis legem ciuilem Imperatorum seruandam esse. Sed fusiùs hoc tractat in cõmentariis in Leuiticum ad cap. 18. quæ autem eo loco habet, ad quinque capita reuocari possunt.

Primò affirmat legem diuinam, quæ in Leuitico habetur, ad Christianos non pertinere, quatenus Mosaica & Leuitica iudicialis est, cùm sit per Christum abrogata: sed solùm quatenus continet aliquo modo legem naturæ. Lex enim naturæ iubet, discrimen esse inter personas in contrahendis Matrimoniis, sed quod sit illud discrimen, non expressè docet.

Secundò addit, non esse relinquẽdum in arbitrio vniuscuiusque, vt discrimẽ personarũ, & proinde gradus cognationis constituat, sed opus esse aliquo Legislatore.

Tertiò dicit, tres esse Legislatores, qui de his gradibus leges posuerunt, Moysem, Romanum Pontificem, & Cæsarem, sed nullum horum simpliciter admitti posse. Moyses enim ad nos non pertinet, cùm eius politia per Christum abrogata sit. Romanus Pontifex nõ habet auctoritatem leges ferendi. Cæsar est quidem verus Legislator, sed quia in hoc negotio de Matrimonio subiecit leges suas canonibus Pontificiis, ideò ipse quoque auctoritatem amisit.

Quartò dicit, cùm nulla sit reliqua lex de nuptiis, sectandam esse legem naturæ, & ad cognoscendum qui gradus sint prohibiti iure naturæ, obseruari iubet, in quibus gradibus conueniant les Mosis, & lex Imperatoris Romani. Nam qui gradus prohibentur ab vtraque lege, ij sine dubio censeri debent prohibiti iure naturæ; & in iis nulla dispensatio admittenda est, qui autem prohibentur à lege Mosis tantùm, aut à lege Romani Imperatoris tantùm, ij habendi sunt prohibiti lege politica, non iure naturæ.

Quintò denique addit, non solùm seruandam esse legem naturæ in gradibus cognationis, quòd attinet ad Matrimonia, sed etiam legem Romani Imperatoris, & consuetudinem loci, & arbitrium etiam prudentium virorum. Licet enim lex Romani Imperatoris auctoritatem perdiderit, cùm se canonibus Pontificiis subiecit, tamen alioqui iusta erat: & quemadmodum quidam appellauit à Rege somnolento ad vigilantem, & alius ab ebrio ad sobrium, ita nos appellabimus à deceptis fraude ad rectè edoctos, aut à legum administratoribus ad ipsas leges.

In qua sententia Brentij, primum & secundum pronunciatum verissima sunt; tertium & quartum, falsa, & in sequenti capite refutanda; quintum absurdissimum est, & cum tertio manifestè pugnans. Nam si leges ciuiles Romanæ amiserunt auctoritatem, vt apertissimè in tertio pronunciato Brentius ait, nullũ iam obligare possunt, ac per hoc nulla erunt illegitima Matrimonia, nisi quæ prohibentur lege naturali: cuius contrarium habet quintum pronunciatum.

Neque obstat illa appellatio Brentij, à deceptis fraude, ad meliùs edoctos. Nam Imperatores Romani adhuc sunt, quales olim fuerunt, nimirum Catholici, & adhuc subiiciunt leges suas Canonibus: neque enim vllus adhuc fuit Imperator Lutheranus: ad quem igitur Imperatorem Brentius appellabit?

Sed ideò fortasse addidit, se appellare ab administratoribus legum ad ipsas leges. At hoc inauditum, & absurdissimum est, vt quis à Iudice ad legem appeller: & quamuis vtcumque tolerari posset, vt appellaretur à Iudice aliquo inferiore ad legem: tamen vt à Principe, qui legem condidit (hunc enim vocat Brentius legis administratorem) appelletur ad legem, omnino intolerabile est, cùm lex à Principe, non Princeps à lege auctoritatem habeat, nec possit Princeps auctoritate priuari, quin & ipsius leges continuò desinant esse leges.

Sed fortasse Brentius leges Romanas esse censet, non vt leges coactiuas, sed vt prudentes admonitiones, ad quem modum etiam leges Platonis, vel Aristotelis de Republica, vel Marci Tullij de officiis seruari possent. At neque hoc dici potest. Nam leges istæ, quæ carent Principis auctoritate, non faciunt legitima, vel illegitima Matrimonia, ac præsertim in foro externo. Brentius autem de iis legibus loquitur, quæ faciunt legitima, vel illegitima Matrimonia: scribit enim politicas leges Romanorum seruandas esse, non solùm propter conscientiam, sed etiam propter successiones, & hæreditates, quæ ad legitimos filios tantùm pertinent; & ij sunt filij legitimi, qui ex legitimo Matrimonio procreãtur. Cogitur ergo Brẽtius duo ista pugnãtia admittere; leges Romanas de gradibus cognationis perdidisse auctoritatẽ, & tamen obligare, ac necessariò vt verissimas leges esse seruandas. Sed de Brentio satis.

Ioannes Caluinus non satis explicat sententiam suam. Solùm enim libro 4. Institutionum, cap. 19. §. vltimo, reprehendit Ecclesiam, quòd gradus cognationis constituerit præter aliarum Gentium, & ipsius etiam Mosis politiam: & quòd Spiritualem cognationem impedimentum Matrimonij esse voluerit. Sed ex sententia Theodori Bezæ primarij Caluini discipuli, sententiam Caluini cognoscere licebit.

Est igitur Quinta sententia Theodori Bezæ in libro de repudiis, & diuortiis, qui Primo reprehendit modum supputandi gradus, quo vtũtur Canonici doctores, tanquam absurdum, & solum sequendum esse contẽdit modum supputandi, quo vtuntur Iureconsulti ciuiles.

Deinde affirmat gradus, qui numerantur in Leuitico, iure diuino seruandos esse, & Matrimonia in illis gradibus contracta esse omnino nulla.

Tertiò docet, non solùm gradus illos, qui expressè habentur in Leuitico, iure diuino seruandos esse, sed etiam eos, qui à simili colliguntur. Vt, quia in Leuitico prohibetur coniugiũ nepotis cum amita, vel matertera, asserit Beza, prohibitum etiam intelligi debere coniugiũ patrui, vel auunculi cum nepte ex fratre, vel sorore: & quia in Leuitico prohibetur coniugiũ patris cum filia, & aut cũ nepte, colligit ipse, prohibita intelligi omnia cõiugia in linea recta, quia semper maior in linea recta habet locum patris respectu iunioris, & eadem ratione vult esse prohibitũ coniugium patrui nõ solùm cum nepte, sed cum pronepte etiam, & cum abnepte, & cum omnibus inferioribus. Itaque multos gradus iure diuino seruari iubet, quamuis expressè in Leuitico non habeantur.

Quartò docet, leges etiam ciuiles de gradibus cognationis seruandas esse, sic tamen vt Matrimonia in his gradibus non contrahantur, sed si contracta fuerint, nõ dirimantur. Quod tamen reuera non est legem ciuilem seruare: lex enim ciuilis irritat Matrimonia intra gradus prohibitos contracta. Sed de his postea disseremus.

ILLVD hîc obiter est obseruandum, Bezam, vt hæreticum, decebat in eo libro calumniis, & mendaciis satis instructum incedere: è quibus duo annotare placuit. Pag. 44. depingit hanc figuram;

Ioannes

Petrus	Paulus
Iacobus	Rachel
Andreas	Susanna
	Iohanna.

ac dicit: *Concedunt Canonici Iohannam fratris abneptim ducere Petro patruo maximo, quæ ab eo, si rectam supputationem sequamur, sex gradibus distat: Iacobo verò Iohannam non item, quamuis totidem, id est, sex gradibus distent, immò ne Iohannam quidem Andreas accipere ex illorum Canonibus poterit, à quatamen septem distat gradibus. Itaque intra sextum gradum concedunt nuptias etiam cum eo, qui parentis loco sit, vt modò diximus: intra eundem, qui parentis loco non sit, non concedunt, nempe inter Iacobum, & Iohannam: nec in septimo quidem gradu, vt inter Andream, & Iohannã. Vsque adeò procul eos à recto cogit deflectere secunda illa regula commentitia de gradibus in transuersa linea inæquali numerandis.* Hæc ille. In quibus paucis lineis tot sunt fermè errata, quot verba; adeò vt dubitare cogar, dormiês ne an vigilans illa scripserit.

PRIMÒ falsò affirmat Canonicos doctores concedere patruo maximo, vt abneptim ex fratre ducat vxorem: nam cùm inter hos, secundum Canones sit quartus gradus cõsanguinitatis, nemo Canonicorum diceret, inter eos coniugium esse licitum. Notissimum enim est, & suprà etiam ab ipso Beza citatum, in quarto gradu Matrimonium prohiberi, cap. Non debet, de consanguinit. & affinit.

SECVNDÒ falsò affirmat inter hos esse gradum sextum, secundum rectam supputationem. Nam per rectam, intelligit legalem, vt ex superioribus constat: semper enim pro legali contra Canonicam pugnat. At secundum legalem supputationem, inter Petrum & Ioannam, sunt gradus quinque, non sex: tot enim sunt personæ dempto stipite.

TERTIÒ falsò affirmat nuptias Iohannæ, quæ concedebantur Petro, negari Iacobo, & Andreæ. Nam omnibus quidẽ negantur, quia sunt omnes cum ea in quarto gradu: at si Petro concederentur, concederentur etiã consequenter Iacobo & Andreæ, qui in eodem gradu sunt respectu Iohannæ. Neque vllum Beza Canonistam inuenier, qui secus doceat.

QVARTÒ falsò affirmat secundum legum supputationem, totidem gradibus distare Iohannam à Iacobo, quot ea distat à Petro, nimirum sex; id enim falsum esse, nemo dubitare potest, cùm secundum leges vno gradu sit propinquior Petrus Iohannæ, quàm Iacobus eidem Iohannæ. Itaque Petrus, quinque gradibus ab ea distat, Iacobus sex, Andreas septem, si legum supputationem sequamur: secundum Canones autem, omnes tres in quarto gradu cum Iohanna sunt.

EX his autem quatuor manifestis erroribus sequitur, vt tota illa conclusio sit falsa; qua concludit, Canonicos doctores concedere nuptias intra sextum gradum legalem ei, qui loco patris sit, & intra eundem non concedere ei, qui loco patris non sit: eiusmodi enim hæc sunt, vt vix per febrim deliranti excidere potuerint.

DEINDE pagina 49. Beza scribit Martinum V. non puduisse, Matrimonium cum sorore germana cuidam relaxare, idque sceleratissimum factũ appellat. At Martinus V. Pontifex omnium consensu sapientissimus, & optimus, nõ permisit coniugium cum sorore sua germana, vt Beza mentitur, sed cum sorore eius, quam antea cognouerat per fornicationem, vt sanctus Antoninus refert, tertia parte summæ Theologicæ, titulo 1. cap. 11.

hanc autem affinitatem non expressè legimus in Leuitico. Neque negare possunt aduersarij, longè tolerabilius esse, ducere affinem ex copula fornicaria factam, quàm affinem, ex legitimo Matrimonio, vel consanguineam in primo gradu: & tamen hoc ipsum non permisit Pontifex (vt rursus mentitur Beza) ob pecunias sibi datas, sed ob scandalum ingens, quod ex illius coniugij separatione timebatur, cùm casus esset occultus; idque ex maturo consilio, & longa disceptatione multorum Theologorum, vt ex eodem sancto Antonino, qui eodem tempore vixit, intelligi potest.

CAPVT XXVI.

Rationem Canonicam supputandi gradus, optimam esse, defenditur contra Bezam.

ADVERSVS omnes superiores errores, statuam aliquot sententias, seu propositiones, vt per partes faciliùs veritas explicetur.

PRIMA propositio: *Ratio supputandi gradus cognationis, qua vtuntur sacri Canones, optima est.* Hanc affero cõtra Bezam in libro citato de repudiis. Nam cùm cognatio sit vinculum eorum, qui propagantur ab vno, nõ potest fingi melior ratio supputandi gradus, quàm penes distantiam ab illo vno. Et confirmatur, quia licet ratio ciuilis supputandi gradus sit etiam bona, tamen non potest negari, quin Canonica sit melior, cùm in linea transuersa primum gradum ponat: videtur enim nescio quid absurdi præ se ferre, quòd detur secundus gradus sine primo, vt reuera datur in ratione supputandi ciuili. Et quamuis ipsi respondere possint, non posse dari primùm in illa ratione supputandi: tamen quis negabit, rectè fecisse Canonistas, qui aliam rationem excogitarunt, qua illi etiam incommodo mederentur?

SED videamus argumenta Bezæ contra tationẽ supputandi Canonistarum: *Tres*, inquit, *sunt regulæ quibus comprehenditur tota sententia Canonistarum: nulla illarum est, quæ non sit inepta, & absurda: ergo tota sententia ipsorum est absurda.*

PROBAT maiorem propositionem, & Primò quoad primam regulam. Nam Prima regula est: [*In recta linea tot numerandos esse gradus, quot sunt personæ, vna demptа.*] *Hæc verò regula*, inquit Beza, *etsi nihil efficit à veritate alienum, tamen non rectè concepta est, relinquit enim suspensum animum, cur demenda sit vna, & quamam sit demenda.*

RESPONDEO, cur sit demenda vna, & quòd demenda sit prima, dubium esse non poterat insipienti arborem, siue lineas cognatorum. Nam cùm gradus sit distantia vnius ab alia, prima persona non potest gradum facere, cùm nec à seipsa; nec ab vlla superiore distet, alioqui non esset prima: sed secunda, quæ primo incipit distare, & separari ab alia, primũ gradum facit. Itaque prima persona est veluti punctum, à quo ducitur linea, per quam distat secunda persona à prima, & illa linea intermedia, est primus gradus, qui incipit à prima, & terminatur in secundam, proinde non potest dici gradus, nisi cùm producta fuerit secunda persona.

PROBAT deinde Beza idem de Secũda regula, quæ est talis [*In ordine transuerso si duo æquidistent à stipite, tot gradibus inter se distãt, quot à stipite quiuis illorũ distat.*]. *At qui*, inquit Beza, *mendosa, & falsam esse hãc enumerationẽ, vel ipse cõmunis sensus dictare potuit; natura enim ipsa ostendit, tot esse oportere gradus, quot sunt generationes; nec posse per nemini à fratre ad fratrẽ, nisi transitu per patrẽ communẽ fieri.*

RESPONDEO, decipitur Beza, quia fingit ita à fratre ad fratrem transeundum esse per patrem, ac si in aliqua linea per mediũ punctum, duo fratres, duo extrema tenerent: sic enim haud dubiè vnus frater ab alio duobus gradibus distaret. Sed falsa ista imaginatio est: non enim vltra patrẽ est progressio ad aliã personã, nisi ad illam à qua pater ipse procedit, nimirum ad auum. Et sic

in linea recta per vnam personam transitur ad aliam, quia vna persona procedit ab alia: vt, nepos duobus gradibus distat ab auo, quia non potest à nepote ad auum ascendi, nisi per patrem. At à fratre ad fratrem non transitur per patrem, cùm nulla sit processio fratris à fratre, nec immediata, nec mediata, sed frater vterque in patre coniungitur; nec habet coniũctionem frater cum fratre, vel habitudinẽ, nisi quatenus est vnũ cum patre. Quare si quis distantiam inter fratres cognoscere cupit, debet id solùm attendere, quantum distet alter eorum à patre: tantum enim inter se etiam distabunt, cùm non habeat alter habitudinem ad alterum, nisi vt est vnum cum patre suo, vt iam diximus: quòd enim etiam ipse à patre distet vno gradu, per accidens est respectu distantiæ ab altero fratre.

DICET aliquis, Filius patri propinquior esse videtur, quàm fratri; nam & amor vehementior, & obligatio etiam iustitiæ maior est inter patrem & filium, quàm inter duos fratres. At filius à patre vno gradu distat, ergo frater à fratre magis, quàm vno gradu distat; ergo duobus distat, nisi gradus dimidiatos quis iam fingere velit.

RESPONDEO, maior est propinquitas filij ad patrem, quàm fratris ad fratrem, si sic loqui licet, intẽsiuè, non extensiuè: non enim longiùs distat frater à fratre, quàm filius à patre; sed in æquali distantia maior est cõiunctio, & proinde maior amor, & obligatio. Et ratio est, quia non sunt gradus illi eiusdem rationis. Filius enim cum patre iungitur, vt effectus cum sua proxima caussa, & ideo illi similis est ex vi productionis, vnde oritur amor; & ab illo pendet, vnde oritur obligatio. At frater cum fratre coniungitur, vt effectus à communi caussa procedens: inter duos autem effectus ab vna caussa procedentes non est ea dependentia, quæ inter caussam, & effectum, licet distantia non sit maior.

TANDEM probat Beza tertiam regulam esse falsam, & intolerabilem errorem continere. Est autem hæc regula Tertia: [*In linea transuersa inæquali, tot gradibus inter se distant, quot gradibus distat à stipite illo, qui est remotior.*] *Hæc verò regula*, inquit Beza, *tam crassum, & pudendum errorem prodit, vt vel sola manifestè ostendat, istos Antichristos verè fuisse vertigine spiritu mãcipatos, vt Dominus per eos vlciscretur in vniuerso mundo suæ veritatis contemptum. Cui enim, obsecro, nisi prorsus mente capto, venire in mentem potuit, vt existimaret, data duplici seriè cognatorum, vna ad dexteram, altera ad sinistram, conspici quidem ex vna parte discrimen generationum, in altera non item?* Hæc ille.

VIS autem argumenti in hoc sita est, quòd ex nostra tertia regula sequatur hoc absurdum, vt vna persona æqualiter distet à multis inæqualiter distantibus. Nam si à stipite, qui sit Thare, descendant ab vna parte Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph; ab altera Nachor, Bathuel, Laban: si quæras quoto gradu distet Ioseph à Nachor, respondebitur, quarto: si quæras quoto distet idem Ioseph à Bathuel, respondebitur item quarto, & idem dicetur de Laban. Absurdum autem omnino videtur, vt idem Ioseph æqualiter distet ab illis tribus, qui inter se singulis gradibus distant.

RESPONDEO, hoc argumentum, si quid probat, probat etiam contra secundam regulam: nam etiam in linea transuersa æquali, qui est postremus in vno latere, distat æqualiter ab omnibus; qui sunt in altero latere. Quare frustrà adducitur hoc argumentum propriè contra tertiam regulam.

SED argumentum reuera contra neutram regulam vllam vim habet. Nam qui sunt in vno latere, non habent habitudinem ad eos, qui sunt in altero, nisi ratione stipitis, in quo vniuntur, & ideò per accidens est, quod inter se distent, vel non distent; quantum ad habitudinẽ ad personas alterius lateris. Quare non est absurdum, sed planè conueniens, immò & necessarium, vt Ioseph tantùm distet à Nachor, quantum à Bathuel, vel etiam à Laban, licet illi inter se singulis gradibus distinguantur: nam tres illi Iosephum respiciunt; solùm quatenus omnes tres vniuntur in Thare primo stipite, à quo Ioseph quatuor gradibus distat.

SED petet aliquis fortasse, vnde fiat, vt si consideremus personam remotiorem à stipite, inueniamus illam æqualiter distare ab omnibus personis alterius lateris, vt diximus de Iosephi: si verò consideremus propinquiorẽ, inueniamus illam distare inæqualiter à singulis alterius lateris. Nam certè Abraham, qui est proximus stipiti, id est, Thare, distat à Nachor, qui est primus in altero latere, vno gradu, à Bathuel, qui est secundus, duobus, à Laban, qui est tertius, tribus.

RESPONDEO, rationẽ huius esse, quia quando cõsideramus personam remotiùs distantẽ, vt Ioseph, tũc attendimus distantiã ipsius à stipite, & in stipite intelligũtur omnes, qui sunt in altero latere: & ideò tantum distat persona illa remotior à stipite, quãtum ab omnibus personis alterius lateris. At quãdo consideramus personam propinquiorem, vt Abraham, tunc non attendimus distantiam eius à stipite, sed distantiam stipitis ad personas alterius lateris, & in stipite tunc intelligimus personam illam propinquiorem: & quia stipes distat inæqualiter à personis alterius lateris, ideò etiam persona illa propinquior, id est, Abraham, inæqualiter distat ab omnibus personis alterius lateris.

DICES rursus, Quare considerando personam remotam, vt Ioseph, attendimus distantiam eius à stipite, & non etiam id facimus, quando consideramus personam propinquam, vt Abraham?

RESPONDEO, quia si considerando personã propinquam, attenderemus distantiam eius à stipite, sequeretur personas aliquas alterius lateris esse propinquiores suo collaterali, quàm stipiti, quod est omnino impossibile, cùm non coniungantur collaterales, nisi per stipitem. Hoc autem absurdum, & impossibile sequi, perspicuum est. Nam si attendamus distantiam Abrahæ à Thare, & in Thare intelligamus omnes personas lateris; tunc distabit Abraham ab omnibus personis alterius lateris vno tantùm gradu, quemadmodum vno tantùm gradu distat à stipite, qui est Thare. Ergo Abraham, & Laban erũt in primo gradu. Ergo Laban propinquior erit ipsi Abrahæ, quàm ipsi Thare: nam ab Abraham distabit vno gradu, à Thare tribus, quod est impossibile, cum per Thare Laban coniungatur cum Abraham.

ATQVE hoc est fundamentum tertiæ regulæ Canonicæ, nimirum, tot gradibus in linea inæquali distare inter se collaterales, quot gradibus distat remotior à stipite, non autem quot gradibus propinquior distat ab eodem stipite: ex cuius regulæ ignoratione processit inanis illa iactantia, atque temeritas Bezæ.

CAPVT XXVII.

Non omnia præcepta Leuitici de gradibus cognationis, esse de iure naturæ.

ITAM secũda propositio: *Non obligãt iure diuino Christianos præcepta omnia, quæ de gradibus habentur in Leuitico.* Hæc est cõtra Lutherum, Bucerũ, Melanchthonẽ, Kemnitium, Caluinum, & Bezam.

SED est inprimis obseruandum inter nos, & aduersarios conuenire, præcepta Leuitici non obligare Christianos, quatenus propriè Leuitica, id est, positiua, & iudicialia sunt, sed tãtùm, quatenus naturalia. Sed tota controuersia est, an omnia illa præcepta, quæ habentur in Leuitico de gradibus cognationis, sint naturalia, an aliqua, vel omnia iudicialia. Et quidem aduersarij volunt, omnia esse naturalia, & proinde per Ecclesiam indispensabilia: nos autem docemus, non esse omnia naturalia, & ideò in quibusdã posse per Ecclesiam dispensari,

vt Concilium Trident.affirmat,seſſ.24.can.3.

Aduertendum eſt Secundò, naturalia præcepta illa eſſe, quæ ſolo lumine naturali ſine aliquo diſcurſu, aut certè per diſcurſum rationis facillimum cognoſcuntur, & apud omnes ſunt eadem, tum quoad notitiam, tum quoad rectitudinem. Nam quæ indigent lumine ſupernaturali, dicuntur diuina poſitiua; quæ per diſcurſum humanum à Principe conſtituuntur, dicuntur humana, & talia non ſunt eadem apud omnes.

Potest autem tribus modis aliquod præceptum prohibens dici naturale. Primò,quia ſit de re intrinſecè mala,ita vt ſemper,& apud omnes ſit mala,nec poſſit per mutationem circumſtantiarum fieri bona; qualia ſunt mentiri,mœchari,odiſſe Deum,&c.& hæc propriè vim legis habent,& ſunt omnino indiſpenſabilia.

Secvndò,quia ſit de re mala ſemper,& apud omnes, excepta extrema neceſſitate: quale eſt,tollere alienum inuito domino. Id enim apud omnes,& ſemper eſt malum, excepta vltima neceſſitate:tunc enim quod erat alienum, deſinit eſſe alienum, & fit commune. Et tale etiam eſſe videtur, Matrimonium cum propria ſorore: nam vbique apud homines,qui recta ratione vtuntur,id iudicatur malum, niſi extrema omnino cogente neceſſitate,qualis fuit initio mũdi.Et hæc etiam præcepta vim habent legis naturalis, & ſunt indiſpenſabilia, niſi ceſſet obligatio,extrema neceſſitate adueniente.

Tertiò modo,quia ſit de re mala, ſi res illa nudè, & abſolutè ſumatur; quæ tamen poſſit mutatis circunſtãtiis variis modis honeſtari,ac fieri bona:quale eſt occidere hominẽ. Nam homicidiũ abſolutè & nudè ſumptum,quid malum ſonat apud omnes, & hoc modo habetur in decalogo; *Non occides*, tamen ſi addantur variæ circũſtantiæ,vt, quòd fiat publica auctoritate,ob bonũ commune, in eum qui pernicioſus eſt Reipublicæ; iam non ſonat malum, & ideò in eadem lege Moſis, ſæpe iubẽtur occidi homines,vt malefici,adulteri,homicidæ. Et tale etiam eſt iuramentũm:ſiquidem nudè ſumptum, quid malum ſonat,cùm ſit quoddam ſignum incredulitatis,& fraudum humanarum.Si enim inter homines fides vigeret,& ſuſpicio fraudũ ceſſaret, nemo expeteret iuramentum. Et ideò Dominus Matth.5. prohibet iuramentum,nimirum nudè ſumptum:& tamẽ dubium eſſe non poteſt,quin iuramentum ſuis circumſtantiis ſeu comitibus,vt vocant ornatum,ſit bonum & licitum.

Hoc igitur Tertio modo præcepta naturalia vim habent legis,ſi agatur de re nudè ſumpta. Si autem agatur de re adhibitis variis circumſtantiis,non habent vim legis,quia tunc res illæ mutabiles ſunt,neque ſunt apud omnes eædem,& ideò neceſſe eſt,vt ſanciantur ſpeciali lege poſitiua, ſi omnino prohibendæ ſunt:ac præſertim ſi non ſolùm Matrimonium impedire,ſed etiam dirimere debeant. Nam multa ſunt,quæ ſi fiant contra rectam rationem, mala ſunt, & tamen facta tenent, niſi ſpeciali lege irritentur, vt ſuprà diximus de coniugio filiorum inuitis parentibus.

Iam igitur cùm in concluſione negamus, omnia præcepta Leuitici de gradibus cognationis, eſſe naturalia,intelligimus primo & ſecũdo modo:nam tertio modo poſſet concedi,omnia eſſe naturalia,vt concedũt plerique Theologorum veterum,in 4.diſt.40. vt Bonauẽtura,Richardus,Paludanus,& alij. Sed non inde ſequitur,omnia illa præcepta vim legis habere; niſi agatur de gradibus nudè ſumptis. Proinde multi ex illis gradibus, ſi conſiderentur,vt variis circumſtantiis mutari poſſunt; non erunt iure naturali prohibiti, neque diriment iure naturæ Matrimonium.

Obſervandvm eſt Tertiò, nos in concluſione non dicere, nulla præcepta Leuitici eſſe naturalia, ſed non omnia eſſe naturalia, quia de aliquibus id libenter fatemur, vt de primo gradu cõſanguinitatis,ſed de omnibus id non concedimus.Vnde etiam Concil.Trident. non dixit Eccleſiam poſſe diſpenſare in omnibus,ſed tantùm in aliquibus.

Probatvr nunc propoſitio,Primò ex cap.20.Leuitici. Nam cap.18. feruntur leges de gradibus, in quibus Matrimonium prohibetur:cap.autem 20. adduntur pœnæ iis, qui intra eos gradus coniugium fortè contraxerint. Colligimus autem ex pœnis illis maximam diuerſitatem inter illos gradus.Nam coniugium in primo gradu affinitatis in recta linea,Deus punit morte,& coniungit hoc peccatum cum adulterio, & cum Sodomia, quæ ſunt manifeſtè contra Ius naturæ; & eadem eſt ratio,vel potiùs maior,de conſanguinitate in primo gradu in linea recta. Neque enim dubitari poteſt, quin ſit dignus morte, qui duxerit matrẽ ſuam, ſi eſt dignus morte,qui duxerit nouercam ſuam.Deinde eandem pœnam mortis lex ſtatuit in eos, qui iunguntur in primo gradu conſanguinitatis in linea tranſuerſa,vt cùm frater accipit ſororem, At coniugium in ſecundo gradu conſanguinitatis in linea tranſuerſa, vt nepotis cum amita vel matertera, non punitur morte, ſed pœna leuiori. Et ſimiliter coniugium in primo gradu affinitatis, vt qui cùm vxore fratris defuncti,& in ſecundo gradu,vt nepotis cũ vxore patrui,non puniuntur morte, ſed tantùm priuatione filiorum,id eſt,vt filij non adſcribantur ipſis. Quæ pœna ſatis apertè indicat, coniugia iſta non prohiberi iure naturæ,ſed iure poſitiuo, proprio Iudæorum: non enim communis ratio dictat apud omnes homines, iſtam eſſe iuſtam pœnam huius criminis.

Secvndò probatur.Nam ſi omnia illa præcepta eſſent naturalia,ſemper obligaſſent, etiam ante legem datam, quemadmodum obligabat lex de non occidendo, non mœchando,non furando,non mentiẽdo, antequam lex à Deo per Moſem populo ſuo daretur: ſi autem leges illæ ſemper obligaſſent, nunquam ſancti viri, & amici Dei contra eas leges Matrimonia contraxiſſent. Habemus autem exempla non pauca Sanctorum, qui in lege naturæ, in gradibus in Leuitico prohibitis, connubia iunxerant.

Primvm exemplum ſit Patriarchæ Iacob, qui duas ſorores viuentes ſimul accepit vxores, Liam, & Rachelem,Gen.29. id autem expreſsè prohibetur Leuit. 18. & eſt primus gradus affinitatis in linea tranſuerſa: immò duplex erat in eo coniugio affinitas, nam vtrique ſoror erat affinis ratione alterius.

Secvndvm exemplum eſt Iudæ Patriarchæ, qui Geneſ.38.dedit filio ſuo ſecundo genito vxorẽ primogeniti defuncti,& illo etiam defuncto eãdem promiſit tertio filio,qui tamen gradus in Leuitico prohibetur, & eſt etiam primus gradus affinitatis in linea tranſuerſa.

Tertivm exemplum eſt Moſis, qui natus eſt ex coniugio nepotis cum amita. Nam Exod.6.ſic legimus: *Accepit Amram vxorem Iochabed patruelẽ ſuam, quæ peperit ei Aaron & Moyſem.*eo autem loco nomen patruelis accipitur pro patrua, non pro ſorore patruele. Nam vox Hebræa דדה ad verbum ſignificat patruam, ſicut דוד ſignificat patruum:nõ enim habent Hebræi diſtinctum nomen pro ſorore patris,vt nos Latini nomẽ amitæ.Hieronymus autem ne diceret patruam, quod Latinè eſt inuſitatum,maluit dicere patruelem.

Sed præter vocem Hebræam eſt locus manifeſtus in Numeris. Propriè enim Iochabed erat amita ipſius Amram,vt patet ex cap.26. Numeri, vbi habemus Amrã fuiſſe filium Caat filij Leui, & accepiſſe vxorem Iochabed filiam Leui, quæ nata eſt ei in Ægypto, vbi apertiſſimè vides, Iochabed fuiſſe ſororem Caat patris Amram, & proinde amitam ipſius Amram viri ſui.

Ad hoc argumentum reſpondent aduerſarij dupliciter.Aliqui dicunt,coniugia iſta facta fuiſſe Deo diſpenſante, ob aliquod myſterium. Sed hæc ſolutio non eſt

ſolida:nam ex cap.28.Geneſ.ſatis apparet fuiſſe conſuetudinem loci, vt duæ ſorores vni viro coniungi poſſent. Nam Laban cùm decepiſſet Iacobum obtrudendo ei vnam ſororem pro alia,obtulit ei etiam alteram;ille verò nihil omnino dubitans, continuò acquieuit; neque parentes poſtea eum reprehenderunt, neque ipſe factum purgauit. At certè ſi fuiſſet res inſolita,& ſingularis, & quæ ſcandalum gignere potuiſſet, profectò vir ſanctus,aut id non feciſſet, aut facti ſui rationem reddidiſſet. Idem apparet in facto Iudæ, qui cùm vxorem fratris alteri fratri coniunxit, non allegauit diſpenſationem, ſed rationem conſuetudinis, vt ſcilicet ſemen defuncti ſuſcitaretur. Præterea nulla apparet cauſſa huius diſpenſationis. Quid enim myſterij continet, quòd affines,vel conſanguinei inter ſe coniungantur:& quę neceſſitas erat harum nuptiarum?non poterant Iacobo ſufficere tres vxores, aut nullæ erant præterea mulieres in terra,præter duas illas ſorores?

Aliа ergo ſolutio eſt Philippi in locis, tit. de coniugio,& Bezæ in lib.de repudiis,& diuortiis, quam etiã indicat eſſe Caluini; peccaſſe iſtos Patriarchas, neque in omnibus excuſandos eſſe.At id nullo modo dici poteſt. Nam licet ſancti Patriarchæ aliquando,vt homines,peccauerint,tamen perpetuò in peccato manere,nõ eſt ſanctorum, & amicorum Dei,quales illi ſine dubio erant. Si autem omnia præcepta Leuitici(vt aduerſarij dicunt) eſſent iuris naturæ, & Matrimonia contra illa contracta fuiſſent irrita, non ſolùm Iacob, & Amram peccaſſent, ſed in peccato ſemper manſiſſent; & eorum filij ſpurij, & illegitimi fuiſſent: atque ita pars quædam filiorum Iacob, & ipſe Moſes ex illegitimo Matrimonio nati eſſent.

Tertiò probatur. Nam ſi omnia illa præcepta Leuitici de gradibus,iure naturæ conſtituta eſſent,ſine dubio vniuerſalia eſſent, ita vt intra eundem gradum omnia Matrimonia eſſent illicita. At Moſes in Leuitico quædam coniugia prohibuit,& quædam permiſit in eodem gradu:ergo non eſt illa prohibitio iuris naturæ,ſed iudicialis, & poſitiua. Propoſitio certiſſima eſt; quod enim iure naturæ prohibetur, ſemper & vbique prohibetur;neque id aduerſarij negant. Aſſumptio probatur. Nam lex illa Leuitici prohibet coniugium nepotis cum amita, & matertera, & non prohibet coniugium patrui, vel auunculi cum nepte ex fratre,vel ex ſorore, cùm tamen ſint in eodem gradu nepos,& amita,patruus,& neptis. Præterea lex prohibet coniugium cum vxore fratris etiam defuncti,& non prohibet coniugium cum ſorore vxoris,niſi ea viuente,ac proinde non prohibet cum ſorore vxoris iam defunctæ: & tamen eſt idem prorſus gradus affinitatis cũ ſorore vxoris, & cum vxore fratris.

Ad hoc reſpondet Beza in libro de repudiis & diuortiis,prohibita eſſe iſta omnia coniugia,etiãſi in Scriptura non exprimantur: nam à ſimili deducuntur præcepta ſimilia.

Sed contrà. Nam imprimis argumentum à ſimili in legibus prohibentibus non ſolet valere:leges enim prohibentes ſunt odioſæ, odioſæ autem leges non ſunt laxandæ,ſed reſtringendæ,vt habet regula Iuris.

Deinde conſequentiæ,quas Beza facit,nõ ſunt omnino à ſimili,ſed à minori. Nam licet ſint in eodem gradu nepos cum amita, & patruus cum nepte, tamen turpius eſt coniungi nepotem cum amita, quàm patruum cum nepte: ſiquidem ordinariè amita eſt ſenior nepote, & ratione ſui gradus habet in nepotem, quaſi patriam auctoritatem. Vxor autem ſubiici,ac regi debet: quare indecẽs eſt,vt amita ſit vxor nepotis,quia deberet ſimul regere & regi;ſubiici & præſſe. At patruus eſt ordinariè ſenior nepte, & in illã auctoritatẽ habet: non eſt autem indecẽs,vt vir ſit vxore ſenior,& illi præſit.Hac igitur de cauſſa lex vnum prohibuit, alterum conceſſit.

Pari ratione ſicut turpius eſt,vt vna mulier duos ſimul maritos habeat,quàm vt vnus vir duas ſimul vxores:ita ſuo modo indecentius videtur, vt vna ſit vxor duorum fratrum,etiam ſucceſſiuè, quàm vt vnus ſit vir duarum ſororum ſucceſſiuè:& ideò lex vnum conceſſit,alterum prohibuit.Sed quamquam iſta diuerſitas fuerit ſufficiens ratio, cur lege poſitiua iudiciali in eodem gradu coniugium modò prohiberetur,modò concederetur:tamen ſi gradus ille iure naturæ interdictus eſſet, profectò non ſufficerer modica illa diuerſitas ad id efficiendum,vt in eo gradu Matrimonium eſſet aliquando licitum. Non enim illa diuerſitas eſt in ipſo gradu propinquitatis, ſed in aliquo extrinſeco ſuperaddito, nimirum in ætate, vel ſexu,vel aliqua ſimili circumſtantia.

Confirmatvr hæc ratio. Nam Matrimonium inter patrueles non eſt prohibitum iure naturæ,vt etiam aduerſarij concedunt;& tamen in eo gradu ſunt patrueles in quo eſt amita cum ſuo nepote: omnes enim ſunt in ſecundo gradu. Non igitur ſecundus ille gradus iure naturæ prohibitus eſt:proinde cõiugiũ neporis cũ amita prohibitũ eſt in Leuitico lege poſitiua,non iure naturæ.

Neqve obſtat, quòd iuxta ſupputationem legalem patrueles ſint in quarto gradu; & amita cum nepote in tertio. Nam licet numerando perſonas, vt iubet legalis ſupputatio,in diuerſo gradu ſint patrueles,& amita cum nepote: tamen quod attinet ad propinquitatem, vel diſtantiam,ſunt omnino in eodem.Nam vt ſuprà oſtendimus non poteſt amita vel eius filius,cum filio fratris cognationem habere, niſi vt cum ſtipite vnitur: proinde non magis ab illo diſtat, quàm ab eodem ſtipite diſtat nepos.Nepos autem à ſtipite duobus gradibus diſtat;ergo tam amita, quàm eius filius, à filio fratris qui amitæ nepos, & amitæ filio patruelis eſt, duobus tantùm gradibus diſtat. Porrò graduum prohibitio ſine vllo dubio propinquitatem reſpicit, non perſonarum multiplicationem; & ideò tertius, & quartus gradus legalis in ſecundum canonicum coincidunt, quod attinet ad coniugiorum prohibitionem.

Confirmatvr vltimò hæc ipſa ratio, exemplo Abrahæ,& fratris eius Nachor, qui (vt habetur Geneſ. 11.) duxerunt vxores,duas filias fratris ſui Aran. Ex quo ſequitur, non eſſe contra ius naturæ, vt patruus neptim ducat,& conſequenter non eſſe contra ius naturæ,vt nepos ducat amitam, cùm ſint in eodem gradu:& tandem ſequitur, prohibitionem, quæ habetur in Leuitico, ne quis amitam ducat,iudicialem eſſe,non naturalem.

Ad hoc Beza quatuor modis reſponderet, vt ex libro eius de repudiis colligitur. Primò Aram patrẽ vxoris Abrahæ,non eſſe fratrem Abraham,ſed alium quendam hominem diſtinctum ab illo Aran qui frater Abrahæ fuit.Sed hoc repugnat non ſolùm communi expoſitioni interpretum eius loci, ſed etiam cap.20.Geneſeos, vbi Abraham dicit, Saram vxorem ſuam eſſe ſororem ſuam,filiam patris ſui,& non filiam matris ſuæ:quod ex ponitur communiter,vt fuerit neptis eius ex patre, non ex matre,quòd vterini non eſſent Abraham & Aran. At ſi Aran pater Saræ aliis quidã erat à fratre & patre Abrahæ diſtinctus,quomodo erat illa ſoror Abrahæ ex patre?

Secvndò dicit, fortè Saram fuiſſe priuignã Thare patris Abraham. Sed refellit ipſe idem hanc opinionem: quia ſi Sara fuiſſet priuigna Thare, non dixiſſet Abraham de illa:*Filia eſt patris mei, non, filia matris meæ*, ſed è contrario, filia eſt matris meæ, non filia patris mei. Quòd ſi quis dicat, fuiſſe priuignam ex alia vxore, non ex matre Abrahami. Reſpondebimus id fieri non potuiſſe, quia tunc non fuiſſet ſoror Abrahæ, neque vllo modo illi affinis, vt notum eſt, & tamen ipſe ait Gen.20. *Verè ſoror mea eſt.*

Tertiò dicit, fuiſſe Saram ſororem germanam Abrahami. Sed hoc falſum eſſe, inferiùs demonſtrabo,

vbi peruentum fuerit ad locum de coniugio fratrum, & sororum. Hoc autem loco, non est opus id refellere: nam sententia ista maximè pugnat cõtra aduersarios. Si enim Abraham tororem suam germanam coniugem accepit, qui est primus gradus cognationis, multò magis ducere licuisset amitam, vel neptem, quæ sunt in secundo gradu.

Ideò quartò dicit, Abrahamum in ea re peccasse: neque id esse mirum, quia nondum erat fidelis, quando illam accepit. At hæc solutio tolerari nõ potest. Nam si iure naturæ irritum erat Matrimonium illud, non solùm peccasset Abraham contrahendo, sed etiam in coniugio permanendo, nam tota ferè vita sua in incestu perseuerasset: quod de viro sanctissimo nullo modo credi potest. Quid? quòd Deus coniugium illud approbauit, cùm ex Sara filium illi promisit, in quo omnes Gentes benedicendæ erant, Genes. 17.

Ex quo falsum esse conuincitur, quod Beza scribit in eo libro de repudiis pag. 48. Deum toleraſſe, sed nunquã id coniugium comprobasse. Quomodo enim non comprobauit, cùm ei dixit: *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram; & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum?* Gen. 17. quis credat ex illegitimo, & incesto coniugio voluisse Deum excitare hæredem Abrahæ, ex quo Messias nasciturus erat, & in quo benedicendæ erant omnes Gentes?

Probatur vltimò nostra propositio ex c. 25. Deuteronomij, vbi præcipitur, vt si quis absque liberis moriatur, ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Lex ista nihil iubet contra ius naturæ: quid enim absurdius, quàm vt naturæ auctor contra naturam pugnet? Non igitur est contra ius naturæ, vt ob iustum aliquem finem quis ducat vxorem fratris sui: ergo quod in Leuitico legimus, c. 18. ne quis ducat vxorem fratris sui, non est naturale præceptum, si intelligatur simpliciter, vt aduersarij volunt.

Est autem obseruandum multos conatos esse hęc duo loca conciliare, sed intentione diuersa. Alij enim voluerunt ex his locis efficere, coniugium cum vxore fratris non esse prohibitum iure naturæ, & ideò posse in eo Põtificem dispensare. Alij cõtrà hæc loca conciliant, vt possint asserere, non obstante lege Deuteronomij, cõiugium cum vxore fratris pugnare cum iure naturæ.

Primùm igitur Ioann. Maior in 4. sentent. dist. 40. q. 3. dicit, nusquam in lege prohibitum esse coniugium cum vxore fratris; in Leuitico enim illud præceptum vitio scriptorum superadditum fuisse.

At hæc conciliatio ansam præbet negandi apertissimas Scripturas, quando cæ cum aliis pugnare videntur: nulla enim est ratio, cur Maior neget, præceptum illud esse de textu in Leuitico, nisi quia pugnare videtur cum præcepto Deuteronomij. Nam alioqui præcepti illius verba habentur in omnibus codicibus, Hebræis, Græcis, Chaldaicis, Latinis; neque vlla suspicio est, inserta fuisse ab aliquo.

Secvndò quidam dixerunt, in Leuitico non prohiberi coniugium cum vxore fratris absolutè, sed tãtùm cùm vxore fratris viuentis; quemadmodum in eodem loco prohiberur cõiugium cum sorore vxoris, & expressè additur: *Illa viuente.* Hæc expositio est Radulphi in cõmentario huius loci, & fauet causſæ nostræ, id est, Catholicorum, qui constanter affirmant, Põtificem Maximum iure dispensasse cum Rege Anglorum, vt vxorem fratris sui defuncti accipere posset.

Tamen hæc sententia non videtur vera. Nam coniugium cum vxore fratris viuentis, est adulterium. Adulterium autem in eodem capite expresè prohibitum fuerat; ergo frustrà hæc prohibitio de coniugio cum vxore fratris addita fuisset. Præterea Leuit. 20. adulterium punitur pœna mortis: coniugium autem cum vxore fratris punitur pœna longè minori. Non igitur per coniugium cum vxore fratris intelligitur adulterium; ergo non intelligitur coniugium cum vxore fratris viuentis, quod sine adulterio esse non potest. Neque obstat, quod in eodem capite prohibetur coniugium cum sorore vxoris viuentis. Nam non erat adulterium tempore Iudæorum, consuetudo cum pluribus mulieribus, quia polygamia erat licita viri cum pluribus vxoribus, non autem vxoris cum pluribus viris.

Tertiò alij dicunt, in Leuitico prohiberi coniugium cum vxore fratris viuentis, sed repudiata.

Hæc etiam sententia Catholicis fauet, tamen non est probabilis, cùm nulla fiat in eo loco Leuitici mentio repudij, & quia sequeretur, posse eodem modo restringi omnia illa præcepta ad repudiatam; vel confunderentur omnia illa præcepta.

Qvartò alij volunt, præceptum Deuteronomij nõ intelligi de fratre germano, sed de proximo in alio gradu, in quo liceat secundum legem cõtrahere Matrimonium, vt de patrueli, vel de consobrino. nam etiam isti apud Hebræos dici solent fratres. Hanc sententiam sequitur Caluinus in comment. ad cap. 18. Leuitici.

Sed est sententia improbabilis, & falsa, & ab ipso Beza Caluini discipulo refutatur in lib. de repudiis, pag. 76. Nam ex Scripturis constat, legem intelligi de fratribus germanis principaliter, licet ad alios etiam propinquos extendatur. Genes. 38. Iudas fratribus germanis vxorem eandem coniunxit. & Ruth. 1. Noëmi hortatur nurus suas viduas, vt non expectent in coniuges, fratres virorum, quos antè habuerant, sed aliis viris nubant. Loqui autem illam de fratribus germanis, patet ex illis verbis eius: *An adhuc in vtero meo sunt filij, qui fiant mariti vestri? Reuertimini, & abite filiæ meæ, quoniam senior sum, quàm vt virum habere queam.* Et Matth. 22. interrogatio Sadducæorum de muliere, quæ nupsit septem fratribus, videtur omnino cogere, vt de germanis fratribus lex intelligi debeat. Adde, quòd lex ipsa Deuteronomij satis indicat de fratre germano rem esse intelligendam. Nam non dicit absolutè, accipiat eam frater. Sed: *Si habitauerint*, inquit, *fratres simul, & vnus moriatur sine liberis, non exibit vxor eius extra domum, sed ducet eam frater alius.* vbi describuntur fratres, qui in eadem domo habitant, quales ordinariè non sunt nisi fratres germani.

Sed obiiciunt vocem Hebraicam, quæ habetur in Deuteronomio: non enim dicitur, accipiet eam אח, id est, frater, sed יבם, id est, cognatus.

Respondeo, vocem illam יבם propriè significare leuirum, id est, fratrem mariti defuncti: vnde etiam verbum יבם in Piel, significat accipere vxorem fratris. Habetur enim hæc eadem vox Gen. 38. v. 8. & Ruth. 1. v. 15. vbi sine controuersia agitur de fratribus germanis. Præterea in hoc ca. 25. Deuter. quorsum Scriptura diceret: *Si habitauerint fratres simul, & vnus moriatur sine liberis, &c.* nisi vellet per יבם significare fratrem defuncti fratris? Denique ibidem paulò pòst Scriptura subiũgit: *Primogenitus, quem pariet mulier, erit fratris defuncti.* Vbi expresè defunctum Scriptura vocat fratrem eius, quem vocauit יבם ergo & iste est frater illius. Prõpriè igitur, iauam, est id, quod Latinè dicitur leuir: quamuis deriuetur etiam ad alios propinquos, sicut etiam lex ipsa ad alios pertinebat, quando fratres deerant, aut non volebant illam accipere; tunc enim propinquior succedebat in iure illam ducendi, vt historia Ruth. cap. 4. apertè declarat.

Qvintò alij volunt, legem Deuteronomij intelligi quidem de fratre germano, sed esse exceptionẽ quandam legis in Leuitico latæ. Ita docet sanctus Augustinus, q. 61. in Leuiticum, & Lyranus, & alij in commentario huius loci: eandem sequitur Beza in lib. de repudiis pag. 78.

Quæ sententia probabilis est; sed nihil aduersariis

prodest. Nam exceptio ista, siue lex exceptiua, & declaratiua alterius eius, apertè demonstrat, legem illam Leuitici non fuisse naturalem, sed iudicialem. Nam lex ista Deuteronomij, quę est legis Leuiticæ declaratio, siue exceptio: vel est naturalis, vel iudicialis. Non potest dici naturalis, quia etiam hoc tempore seruanda esset, quod tamen omnes negant, & maximè aduersarij, & ij potissimùm qui diuortium Regis Henrici VIII. à Catharina Regina defendunt. Nam cùm Arturus Henrici frater natu maior sine liberis decesserit, non solùm potuisset, sed iure diuino, & naturali debuisset Henricus frater vxorem eius, id est, Catharinam coniugem ducere. Ergo cogunt fateri, vt etiam fatentur, legẽ Deuteronomij esse iudicialem, & proinde nunc per Christum abrogatã. Quòd si exceptio iudicialis est, ergo & lex, & à qua fit exceptio, iudicialis est: exceptio enim fit ab iis, quæ sunt eiusdem naturæ, & ordinis. Vel si lex illa naturalis erat, & exceptio erit naturalis: qualis est illa, quòd in vltima necessitate liceat fratri sororem ducere; lex enim naturalis patitur hanc naturalem exceptionem.

Præterea qualiscunque sit illa exceptio, siue naturalis, siue iudicialis, conuincit, coniugium cum vxore fratris non esse per se, & intrinsecè malum; non enim quod est intrinsecè malum per vllam circumstantiam potest fieri bonum. Quare habemus ex hac exceptione, legem Leuiticam non esse naturalem primi ordinis.

Rvrsvs ista eadem exceptio conuincit, coniugiũ cum vxore fratris non esse malum semper, excepta sola vltima necessitate, quale diximus esse coniugium cum sorore germana. Nam iste casus in Deuteronomio exceptus, non erat vltima necessitas, sed pietas quædam in fratrem mortuum. Ergo præceptum Leuiticum non est etiam naturale secundi ordinis: sed tantùm tertij, id est, earum rerum quæ sunt malæ ob extrinsecam aliquam turpitudinem, quæ tamen potest tolli per aliquam circumstantiam, cuius honestas vincat priorem turpitudinem: tunc enim tale coniugium licitum redditur secundum rectam rationem, cessante lege positiua. Et sicut non est contra rationem, immò secundum rationem, coniugium ob pietatem in fratrem: ita si fiat alia similis exceptio, vel etiam maioris alicuius boni, vt, si modò ad pacem inter principes conseruãdam, ducat quis vxorem fratris defuncti, non erit cõtra rationem tale coniugium nec vllo modo illicitum, nisi ob legem Ecclesiasticam, in qua dispensari potest.

Dices fortasse, fuisse dispensationem in lege naturæ à Deo factam. At dispensatio non est lex, nec iubet aliquid fieri, sed tantùm tollit obligationem legis in aliquo particulari casu, & permittit secus fieri, quàm lex præcipiat. In Deuteronomio autem lex planè statuitur, iubens vt frater vxorem fratris demortui ducat, & pœnam in transgressorem constituit.

Adde vltimò, quòd licet non sit improbabile ob Augustini auctoritatem, illam exceptionem esse: tamen probabilius est non esse. Nam exceptionem addere post legem conditam, & maximè alio tempore, & loco, non est Dei, qui omnia nouit: sed hominum, qui experimento paulatim discunt, suas leges non posse seruari, nisi aliquid excipiatur.

Qvare probabilissima est Caietani expositio in commentario Leuitici, & aliorum, qui volunt non prohiberi in Leuitico Matrimonium cum vxore fratris defuncti, nisi accipiendo tale coniugium nudè, & solitariè, quemadmodum accipitur homicidium in Decalogo, cùm dicitur: *Non occides* Quæ lex non impedit quò minùs fiant postea leges positiuæ particulares, quæ coniugium cum vxore fratris cum aliqua circumstantia prohibeant, cum alia iubeant: ad quem modum non impedit lex Decalogi: *Non occides*, quò minùs fiant leges particulares, quæ iubeant occidi latronem, & maleficũ, & contrà iubeant non occidi eum, qui casu, vel se ipse defendendo alium occiderit, &c.

Sed iam argumenta soluenda sunt quibus Hæretici probant, omnia præcepta Leuitici de gradibus cognationis esse naturalia, & per hoc indispensabilia.

Primvm argumentum est Philippi in locis, titulo de coniugio, Brentij in Leuitici, cap. 18. Kemnitij in 2. parte Examinis, pag. 1231. & Bezæ in libro de repudiis. Deus, Leuit. 18. & 20. pronunciat, se Gentes, quæ habitabant Palæstinam, antequam eò Hebræi venissent, puniturum ob incesta coniugia, quæ in isto cap. 18. Leuitici prohibentur; & vocat coniunctiones illas Gentilium, abominationem coram Deo: ergo præcepta Leuitici de gradibus cognationis, non sunt iudicialia, sed naturalia, cùm Gentes etiam obligauerint, quæ ad populum Israël non pertinebant.

Responderet aliquis fortasse, Deũ punire voluisse Gentiles, non propter transgressionem præceptorum de gradibus cognationis, sed propter adulteria, propter concubitum cum masculis, & iumentis, & propter idololatriam, quam Gentes illæ exercebant cum idolo Moloch. Nam ista quatuor scelera, quæ verè sunt contra naturam, prohibentur in capite decimo octauo Leuitici, post prohibitionem graduum cognationis, & tandem subiiciuntur pœnæ in Gentiles, qui prædictis sceleribus polluebantur. At non videtur solida solutio. Nam etiamsi capite decimo octauo Leuitici, pœnæ in Gentiles subiiciantur immediatè post illa quatuor scelera, tamen capite vicesimo subiiciuntur eædem pœnæ in eosdem Gentiles immediatè post prohibitiones graduum cognationis.

Neqve potest responderi, Deum puniuisse Gentiles ob coniugia in primo gradu consanguinitatis, quæ sunt contra legem naturæ: non autẽ ob coniugia in aliis gradibus. Nam in illo cap. 20. post enumeratos gradus, habentur hæc verba: *Custodite leges meas atque iudicia, & facite ea; ne & vos euomat terra. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos; omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas.* Hæc ibi. illa autem verba postrema: *Omnia hæc fecerunt*, cùm sint vniuersalia, non possunt restringi ad certa aliqua scelera.

Respondeo, omnia illa præcepta de gradibus cognationis, naturalia sunt aliquo modo, nimirum si nudè, ac solitariè sumantur gradus cognationis, sine circumstantiis, quæ sufficiant ad Matrimonia in illis gradibus honestãda. Nam certè propositio illa generalis Leuit. 18. *Ad proximam sanguinis sui nemo accedat*, ius naturæ complectitur, & ideò etiã in singulis præceptis de gradibus, repetitur vocabulum, Turpitudo, quia turpe est cum cognata Matrimonium contrahere, cùm natura ipsa dictet reuerentiam quandam illis deberi, cũ qua pugnat copula carnalis. Et quia Gentes illæ sine vllo delectu miscebantur consanguineis, peccabant haud dubiè in singulis contra ius naturæ, & ideò meritò puniebantur.

Est tamen illud hîc obseruandum, peccasse quidem Gentes in eiusmodi coniugiis contrahendis; sed nõ ita grauiter, vt propter illa eiiciendæ essent è terra: ista enim pœna propriè respicit crimen idololatriæ, & adulteria, ac flagitia illa prodigiosa cum bestiis, & masculis. Cùm enim Scriptura dicit: *Omnia hæc fecerunt, &c.* non intelligit tantùm coniugia in gradibus prohibitis, sed omnia scelera suprà nominata. Nec dicit Scriptura, propter singula peccata fuisse dignos illos, qui à terra euomerentur, sed propter omnia, quia nimirum inter illa omnia erant quædam grauissima, & enormia.

Veram esse hanc solutionem, confirmari potest exemplis Patriarcharum vt Iacob, Iuda, & Amram: addo etiam Abraham ex opinione Theodori Bezæ, qui in gradibus prohibitis coniugia contraxerunt, & tamen à Deo puniti non sunt, quia videlicet non temerè, sed cum

ratione id fecerunt; neque ad ista coniugia adiunxerunt quatuor illa scelera, ob quæ propriè Gentes illæ punitæ fuerunt.

SECVNDVM argumentum eiusdē Philippi, & Kemnitij. *Corinthij prætextu Euangelicæ libertatis non seruabāt legem Leuiticam de gradibus cognationis: quidam enim eorum cum nouerca sua Matrimonium celebrauit. At B. Paulus acriter obhanc rem Corinthios reprehēdit, & incestuosum illum Satanæ tradidit: ergo Paulo iudice, tenentur Christiani ad obseruantiam legis Leuiticæ de gradibus. Quare lex illa non iudicialis, sed naturalis est.*

RESPONDEO, Primò probabile est, primum gradum affinitatis in linea recta, simpliciter prohibitum esse iure naturæ: sed non ideò præcepta omnia de gradibus sunt naturalia, quia vnum aut alterum est naturale.

SECVNDÒ, probabile est Apostolum loqui de aliquo, qui nouercā concubinæ loco haberet, viuēte adhuc patre; quod scelus non incestus tantùm, sed & adulteriū etiam grauissimum erat. Id enim colligunt sanctus Anselmus, & sanctus Thomas ex illo 2. Corinth. 7. *Scripsi vobis non propter illum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui passus est, sed ad manifestandam solicitudinem nostram.* nam is qui fecit iniuriam, est filius incestuosus, qui eam pertulit, est pater cuius vxor violata est. Et quamquam posset intelligi, vt vult Theodoretus, patri mortuo factam esse iniuriam: tamen longè probabilius est, Apostolum loqui de patre viuo; nam mortuo non facit iniuriam, qui eius vxorem ducit, cum per mortem soluatur vinculum coniugale.

TERTIVM argumentum Kemnitij: *Ioan. Baptista, cuius ministerium finem imposuit legi veteri, confirmauit præceptum Leuitici de non ducenda vxore fratris.* Dixit enim Herodi; *Non licet tibi habere vxorem fratris tui, Matth. 14. & Marci 16.*

RESPONDEO, Primò, Ioan. Baptista non imposuit finem legi, sed Christus, si de mutatione, & abrogatione legis agatur: imposuit tamen etiam Ioannes finem legi, quia fuit ipse vltimus Propheta veteris Testamenti, iuxta illud Lucæ 16, *Lex, & prophetæ vsque ad Ioannē.* Quare toto tempore Ioannis, lex Mosis vigebat, & tenebatur Herodes, qui eam legem profitebatur, obseruare. Non licebat autem ei secundum legem habere vxorem fratris sui, siue is videret, siue mortuus esset, quia proles ex eo Matrimonio iam nata erat, nimirū filia illa Herodiadis, quæ saltandi arte ita placuit Regi, vt ab eo caput sancti Ioannis impetrauerit. Istam enim filiam fuisse Herodiadis, ex priore marito, docet Chrysostomus homilia 49. in Matthæum. & satis constat ex eo, quòd mors Ioannis incidit in ipsum initium coniugij Herodis cum Herodiade, vt patet ex Iosepho lib. 18. antiquit. cap. 10. Si enim eo tempore puella iam tripudiare nouerat, certè multis annis antè nata fuerat: neque verisimile est S. Ioannem exspectaturum fuisse tot annos, antequam Herodem publici illius criminis reprehenderet.

SECVNDÒ responderi potest, crimen Herodis non fuisse incestum tantùm, sed etiam adulterium: siquidem, vt in comment. ca. 14. Matth. refert ex antiquis historiis S. Hieronymus, Herodes viuentis fratris vxorem acceperat. Quod etiā Iosephus scribit lib. 18. antiq. cap. 9. quāquis in nomine dissensio sit. Iosephus enim dicit Herodem istum duxisse Herodiadem vxorē alterius Herodis fratris sui viuentis: Hieronymus autem Philippum nominat fratrem Herodis, cuius vxor antea fuerat Herodias. Et quod longè maius est, Marcus cap. 6. apertè vocat Philippum: quare oportet, vel falsum esse Iosephum, vel hominem vtroque nomine appellatum. Illud hoc loco ad rem nostram facit, omnes conuenire, Herodem viuentis fratris vxorem habuisse.

QVARTVM argumentum Kemnitij: *Deus Leuit. 18. & 20. varias pœnas, eāsque grauissimas adiecit præceptis illis de gradibus cognationis, iussit enim interfici aut deleri de populo, aut orbari filiis, aut prohiberi aditum Ecclesiæ.*

RESPONDEO, non sequitur ex his pœnis, omnia illa præcepta esse naturalia: nam etiam iudicialibus, & cæremonialibus, adduntur similes pœnæ, vt patet de transgressore legis de Circumcisione, Gen. 17. & de comedente fermentatum in diebus azymorum, Exod. 12. Denique pleni sunt libri Exodi, Leuitici, & Numerorum eiusmodi pœnis.

QVINTVM argumentum est Ioan. Brentij in commentario Leuitici cap. 18. *Leges, in quibus conueniunt Moses, & Cæsar Romanus, non possunt esse iudiciales, sed morales. Sed conueniunt Moses & Cæsar in multis gradibus cognationis prohibendis: ergo lex prohibens eiusmodi gradus, non est habenda iudicialis, sed moralis.* Maiorem propositionem probat, quia politiæ Mosis & Romanorum, sunt approbatæ à Deo, & sunt omnium aliarum præstantissimæ; ergo non est dubium, ea in quibus duæ illæ politiæ conueniunt, esse iuris naturæ.

RESPONDEO, non est verum leges omnes ad Ius naturæ pertinere, in quibus Moses, & Cæsar conueniūt, neque id solidè probatur à Brentio.

PRIMVM enim non allegat, neque allegare potest Brentius vllum testimoniū verbi Dei, vnde probet suam propositionē; proinde non tenemur illi credere, si quidquam valent apud ipsos ipsorum principia.

DEINDE non verè assumit, politiam Romanorum à Deo fuisse approbatam. Christus quidem dicit Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* & Apostolus Rom. 13. omnem potestatē esse à Deo, & ideo principibus esse parendum, & tributa præstanda: sed non ideo cōfirmauit Deus omnes leges Romanorū; alioqui confirmasset etiā leges de colēdis idolis, & de soluēdis vsuris. Scribit enim August. in epist. 54. ad Macedoniū, adhuc suo tēpore legibus Romanis coactos fuisse homines vsuras soluere: nec desunt aliæ leges iniustæ, quas nimis impiū est dicere à Deo esse probatas. Aliud igitur est, parēdū esse Principibus iustè imperantibus, quod Christus, & Apostolus volunt; aliud autē, omnes Principum leges esse iustas, & à Deo probatas, quod nusquam in verbo Dei reperitur.

ADHAC etiamsi leges Romanorum fuissent omnes iustæ, atque adeò probatæ, vt reuera erant leges Mosis: non tamen colligi posset, ad ius naturæ pertinere omnes leges, in quibus Moses & Cæsar conueniūt. Potest enim facilè fieri, vt conueniant etiam in legibus positiuis; immò cùm omnes leges Cæsarū positiuæ sint, necesse est, vt si quando conueniunt cum Mosaicis, in positiuis planè conueniant. Lex enim Cæsaris non prohibet id, quod solo lumine rationis omnes nouerunt esse prohibitum, sed pœnam constituit in eos qui secus fecerint, aut certè quod ius naturæ docet in genere, lex ciuilis determinet in particulari; vtrumq; autē positiuū est, tam pœnæ constitutio, quàm etiā determinatio iuris in particulari.

Non igitur probauit Brentius suam propositionē: sed probemus nos modò ex eius principiis, illā esse falsam. Lex Cæsaris prohibet coniugium cū sorore vxoris mortuæ, quod coniugiū non prohibet lex Mosis, vt ibidem Brentius concedit: ergo lex illa positiua est, & propriè Cæsaris, & politica, non autē naturalis, secundū regulam Brentij, qui vult positiuas esse, & non naturales leges, in quibus Moses & Cæsar non conueniunt. Rursus, lex illa positiua, & politica est, ergo etiam lex illa, quæ prohibet coniugium cum vxore fratris, positiua, & non naturalis erit: nam est idē prorsus gradus affinitatis cum vxore fratris, & cum sorore vxoris. Vt enim vxor fratris mei est mihi soror affinitate, quia illa est vna caro cum fratre meo; ita soror vxoris meæ est mihi soror affinitate, quia soror eius & ego, vna caro sumus. Quod si lex prohibens coniugiū cū vxore fratris, nō est naturalis, vt iam deduximus, ergo falsa est propositio Brentij, affirmās naturales

esse

esse omnes illas leges, in quibus conueniunt Cæsar & Moses: hæc enim non est naturalis, & tamen in ea conueniunt Cæsar & Moses.

Sextum argumentum adfert Thomas Vvaldensis tom. 2. de Sacramentis, capit. 134. ex Augustino in libro quæstionum super Leuitic. q. 53. aliàs 65. vbi Augustinus videtur totam illam tabulam Leuiticam de gradibus prohibitis reducere ad Decalogum, tanquam in eo præconceptam.

RESPONDEO, non diligenter attendit Vvaldensis sententiam S. Augustini. Is enim q. 61. & 65. dicit, adulterium in decalogo esse prohibitum, & iterum in Leuitico cap. 18. ex eo autem deducit, reliqua præcepta Leuitici, quæ prohibent coniugium cum vxore patris, vel fratris, vel patrui, &c. non debere accipi de vxore patris viuentis, aut patrui viuentis, aut fratris viuentis, sed mortui, quia alioqui superuacanea essent, & cùm omnia ista adulteria sint, & iam in Decalogo prohibita.

Septimum argumentum addi potest ex Innocentio III. cap. Gaudemus, de diuortiis. vbi dicit, Matrimonium inter infideles contractum in 2. 3. & vlteriorib. gradibus, esse ratum, nec debere dissolui cùm illi conuertuntur ad fidem, quia non tenebantur illis legibus Ecclesiæ. Ex quo colligunt aliqui, ex sententia Innocentij Matrimonium infidelium in primo gradu contractum, esse irritum & proinde iure naturæ prohibitum. At coniugium cum vxore fratris mortui, est in primo gradu, ergo prohibitum iure naturæ.

RESPONDEO, argumentum hoc non est contra conclusionem nostram. Nos enim tantùm contendimus, non omnes gradus in Leutico prohibitos, esse prohibitos iure naturæ, quod Innocentius etiam docet, dum secundum gradum non vult esse prohibitum iure naturæ, cùm tamen non ignoraret eum gradum in Leutico fuisse prohibitum.

Est tamen hoc argumentum contra id quod sæpe diximus coniugium cum vxore fratris, non esse irritum iure naturæ. Ideo Respondeo, Innocentium de primo gradu nihil dixisse, sed tantùm declarasse id quod ei propositum fuerat de secundo & sequentibus. Præterea etiamsi apertè dixisset primum gradum iure naturæ prohibitum esse, deberet hoc intelligi de primo gradu in linea recta, vel de primo gradu consanguinitatis, non autem affinitatis. Nam vt habemus cap. fin. de diuortiis, idem Innocentius dispensauit, vt in Liuonia retinerent vxores fratrum defunctorum: quod certè nunquam fecisset, si existimasset, iure naturali eum gradum prohibitum fuisse.

CAPVT XXVIII.

Primum gradum consanguinitatis tam in recta, quàm in transuersa linea, & primum affinitatis in recta linea, iure naturæ interdictos esse, & ab homine indispensabiles.

SIT iam Tertia propositio: *Iure naturæ interdicta sunt coniugia in primo gradu consanguinitatis, tam in recta linea, quàm in transuersa, & in primo gradu affinitatis in recta linea tantùm.* Docuimus in superiore conclusione, non omnia præcepta de gradibus prohibitis ad ius naturæ pertinere, nunc explicamus, quæ sint censenda præcepta iuris naturæ.

Est autem circa propositionem istam tertiam Primo loco Notandum, nos nihil dixisse de secundo, & tertio, & sequentibus gradibus in recta linea, non quòd eos non putemus iure naturę prohibitos, sed quia eadem ratio esse videtur de primo & de cæteris; est enim communis sententia, inter ascendentes & descendentes omnia coniugia esse prohibita. Nam etiamsi in gradibus remotioribus minor sit propinquitas sanguinis, tamen maior est inæqualitas ætatis, quæ defectum illum propinquitatis compensat, vt exempli gratia, inter neporem & auiam minor est propinquitas sanguinis, & proinde minor indecentia coniugij, quàm inter filium & matrem; tamen maior est inæqualitas ætatis, & consequenter maior indecentia ratione ætatis: nepos enim vix est adolescens, cùm auia iam est anus. Pari ratione inter pronepotem & proauiam, minor est propinquitas sanguinis, tamen maior inæqualitas ætatis, quàm inter nepotem, & auiam. Et quando tam procul procedituir in gradibus, vt iam nulla sit communicatio sanguinis, vt in quinto gradu, & sequentibus; tunc aut mortui sunt ascendentes aut omnino confecti, ac decrepiti: & contrà descendentes, aut infantuli, aut tam teneræ ætatis sunt, vt nulla ratio ferat, inter eos coniugia copulari.

Secundo loco Notandum est, nos in conclusione posuisse primum gradū, sed non omnino vniuersaliter: nam primum gradum affinitatis in linea transuersa, vt leuiri cum fratria, non putamus prohibitum esse iure naturæ, vt conclusione superiore docuimus. Neq; id mirum videri debet. Nam magna differētia est inter primum gradum in linea recta, & primum in transuersa, & rursus discrimen est non contemnendum inter consanguinitatem & affinitatem: immò in eodem primo gradu in linea recta, inuenitur latitudo quædam, & proinde diuersitas.

Possumus autem doctrinæ caussa ita disponere ordinem coniugiorum iure naturæ prohibitorum. Primùm, idque omnium turpissimum est, filij cum matre. Nam & summa coniunctio est inter matrem & filium, & præterea deberet mater, quæ naturæ ordine filio præest, eidem coniugij ratione subesse.

Secundum est, patris cum filia. Id enim par est primo, quod attinet ad coniunctionem, sed minùs turpe est, quia non inuertitur ordo regiminis, cùm & filiæ, & vxoris sit, subiici, non præesse. Ac de his duobus omnes conueniunt, iure naturæ esse prohibita.

Tertium est, fratris cum sorore germana, ex vtroque parente: nam & hîc summa coniunctio est, sed lateralis, & ideò minor, quàm sit ea, quæ patri cū filia intercedit.

Quartum est, fratris cum sorore, ex altero tantùm parente: neque enim dubium esse potest, quin sit minùs turpe coniugium cum sorore ex altero parente, quàm ex vtroque.

Quintum est, priuigni cum nouerca, id enim parum omnino abest à tertio, & fortè nihil. Nam etiam si ex vna parte minus turpitudinis habeat, quia est affinitas, non consanguinitas: tamen ex altera parte plus indecentiæ præ se fert, cùm sit in recta linea, & inuertitur ordo regiminis, nouerca enim est loco matris, & ordinariè etiam senior esse solet, & in priuignum ordine naturæ potestatem habet.

Sextum, & vltimum est, vittrici cū priuigna: hoc enim est in eodem gradu cum superiore, sed deest indecentia ex peruersione regiminis. Priuignæ subèsse conuenit vitrico, siue sit loco tantùm patris, siue fiat etiam maritus: & quod dictū est de priuigno, & nouerca, intelligendum est etiā de genero, & socru, & quod dictum est de vitrico, & priuigna, intelligendum est de socero, & nuru. De his quatuor gradibus nō desunt qui negent eos iure naturæ prohibitos, in quibus est Caietanus in 2. 2. q. 154. ar. 9. tamen sententia cōmunior & verior contrariū habet.

Tertiò notandū est, nos in conclusione dixisse, coniugia in his gradibus indispensabilia esse ab homine, quia putamus, à Deo dispensabilia esse coniugia omnia in quouis gradu: nullus enim est gradus in quo coniugium ita sit intrinsecè malum, vt repugnet illud fieri bene. Quod ex eo patet, quia nullus gradus tollit finem Matrimonij primarium, vel secundarium, licet aliquo modo impediat: nam ex coniugio etiam filij cum matre, nasci possunt liberi, & educari, &c. neque legi vllum, qui expressè hoc negauerit. Nam ipse etiam Caietanus in 2. 2. q. 154. art. 9. gradum istum primum in linea recta, dicit habere per se, & naturaliter annexum impedimentum

coniugij;tamen ibidem ſcribit,coniugium in hoc gradu diſpenſabile eſſe ab auctore naturæ.

ET aliquod argumentum ad hoc probandum adferri poteſt ex facto filiarum Loth, quæ cùm exiſtimarent, nullum omnino virum in mundo ſupereſſe,crediderunt ſibi licitum eſſe,ex proprio patre liberos quærere, Gen. 19.Et quamquam à peccato non excuſentur, quia debuiſſent curam iſtam generis propagandi patris relinquere,aut certè cum eo communicare conſilio,& ipſius expectare iudicium, & non præuenire, ac patrem decipere: tamen factum ipſum indicat, in tam extremo caſu non eſſe omninò contra humanam rationem eiuſmodi coniugium,præſertim ſi accederet auctoritas diſpenſantis Dei. Immò Chryſoſtomus homil.44.in Geneſim,& Ambroſius lib.1.de Abraham,c.6. eas omni crimine liberant. Auguſtinus lib.22.contra Fauſtum,c,43.peccaſſe dicit,non tam ardore libidinis,quàm nimio amore poſteritatis.

HIS notatis,probatur concluſio:Primò,quia omnia & ſola coniugia prædicta puniuntur vltimo ſupplicio in Leuit.c.20.cùm cætera puniantur leuioribus pœnis.

SECVNDÒ, quia nulla exſtant exempla Sanctorum, qui vllo vnquam tempore in his gradibus contraxerint Matrimonia,cũ tamen extét de alijs, vt ſuprà oſtẽdimus.

TERTIÒ, quia nulla vnquam facta eſt diſpenſatio ab Eccleſia in his gradibus:quamuis non defuerint, qui eam aliquando quærerent. Nam de comite Armeniaco refert Paulus Æmilius in Lodouico XI. eum falsò Pontificis diſplomate ſororem germanam ſibi Matrimonio coniunxiſſe; quia nimirum verum diploma extorquere nunquam potuit à Pontifice,falſum à corrupto quodam miniſtro procurauit. In gradibus autem quos diximus, iure naturæ non prohiberi, non ſemel factæ legũtur diſpenſationes. Facta enim legitur in primo gradu affinitatis in linea tranſuerſa,ab Innocentio III.cap.finali.de diuortijs;& à Martino V.teſte Antonio, 3.p.tit.1.c.11.ſummæ Theologicæ;& rurſus in ſecundo gradu conſanguinitatis,ab Alexandro VI.teſte Caietano in 2.2.q.154.art. 9.Immò (vt ſuprà eſt demonſtratum) Innocentius III. cap.Gaudemus,de diuortijs,apertè declarauit in ſecundo & ſequentibus gradibus, Matrimonia inter fideles contracta,rata eſſe debere.

QVARTÒ, quia omnes Gentes aut à coniugij prædictis naturaliter abhorrent, aut ſi quæ Gentes ijs indulgent,ab alijs feræ,& barbaræ iudicantur.

Perſæ,qui connubia cũ parentibus, & ſororibus permittebant,ab omnibus reprehendũtur, vt à Tertulliano in Apologetico;c.9.à Chryſoſt.hom.de Pentecoſte,in fine,ab Auguſtino,q.61.in Leuit.à Theodoreto in li.de legibus. Ariſtoteles quoq; in lib.2.Politicorum, inde reprehendit communionem vxorum, quia ſequeretur, vt filij parentibus,& fratres ſororibus iungerẽtur.& in lib. 9.de Hiſtoria animalium,c.47.ſcribit, camelos & equos non poſſe adigi, vt cum matribus miſceantur,& exempla duo planè admirabilia refert. Quod etiam facit Plinius lib.8.naturalis Hiſtor.c.42.Suetonius in Caio, inter flagitia Caij Imperatoris refert, quòd ſororem Druſillam vxoris loco habere voluerit.Eutropius, & alij Scriptores in Antonini Caracallæ vita,notant eundem,quòd ob nimiam impudicitiam è nouerca Iulia non abſtinuerit.

DENIQVE Ambroſius in epiſt. 66. ad Paternum ſcribit,cõiugium patris cum filia pugnare cum lege naturæ,ſcripta in cordibus ſingulorum.& Auguſt.lib.15.ciuit.c.16.ſcribit,coniugia cum ſororibus,non niſi peruerſis legibus fuiſſe permiſſa. Quod enim ſemel factum eſt, compellente neceſſitate,à filijs Adæ, ita poſtea multiplicatis hominibus natura exhorruit, quaſi nũquam licuerit.Poſſent huc etiam adduci rationes aliquot naturales ex S.Thoma,& alijs auctoribus:ſed eæ commodiùs adducentur pro concluſione ſequenti.

IAM verò contra tertiam hanc propoſitionem obiici ſolent argumenta quædam. Primum ſumitur ab exẽplo filiorum Adæ,qui cum ſororibus ſuis matrimonia cõtraxerunt.Si enim eiuſmodi coniugia cum lege naturæ pugnarent,non poſſent iure contrahi, niſi diſpenſante auctore naturæ.Nulla autem tunc facta legitur diſpẽſatio; nec videtur decuiſſe diuinam ſapientiam, vt eodem tempore legem conderet,& in lege diſpenſaret: quare non erit prohibitum iure naturæ cõiugium cum ſorore.

RESPONDEO, primò fieri poteſt, vt Deus cum filijs Adæ diſpenſauerit,vt ſororibus iungerentur: non enim requirebatur externa aliqua diſpẽſatio per vocem, aut ſcripturam,ſed ſatis erat interna inſpiratio;fortè etiam Deus per Adamum ſignificauit, ac declarauit eius filijs voluntatem ſuam. Neque abſurdum eſt, quòd in ipſo mundi initio in ea lege diſpenſauerit Deus, quandoquidem voluit rerum auctor omnes homines ab vno procedere,neque bonum iudicauit,plures ſimul maſculos,pluréſque fœminas procreare.

SECVNDÒ, faciliùs dici poteſt, nulla fuiſſe opus diſpenſatione, quia coniugium fratris cum ſorore, iure naturæ prohibetur, excepta ſumma illa neceſſitate generis propagãdi, vt in ſecũda propoſitione declaratũ eſt.

SECVNDVM argumentum ſumitur ab exemplo Abrahæ , qui ſororem vterinam duxiſſe videtur, cùm ipſe dicat Gen.20.*Verè ſoror mea eſt,filia patris mei, non filia matris meæ,& duxi eam in vxorem.* Reſpondeo,Saram dici ſororem Abrahæ de more Scripturarum, quia conſanguinea eius erat,neptis videlicet ex patre.

ET quia non ſolùm nonnulli ex noſtris, ſed etiam Beza in lib.de repudijs cõrendit,Saram germanam ſororem Abrahami fuiſſe, ideò ſentẽtiam noſtram paulò fuſiùs confirmare cupio,& ea quæ contrà obiiciuntur,refutare.Igitur neptem ex fratre, non ſororem germanam fuiſſe probatur,primò auctoritate doctiſſimorũ ſcriptorum,S.Hieronymi in quæſt.Hebraicis.ad c.11.Gen.& in li.contra Heluidiũ.S.Aug.li.16.ciui.c.12.& 19.& lib.22. contra Fauſtum , c.31.& Ioſephi Hebræi lib.1.antiq.c.14.

SECVNDÒ probatur ex c.11.Gen.vbi legimus:*Thare genuit Abrahã,Nachor,& Aram.* Et infrà:*Duxerũt Abrã, & Nachor vxores ; nomen vxoris Abram Sarai,& nomen Nachor Melcha,filia Aram patris Melchę,& patris Ieſchæ.* Ieſcham non poteſt intelligi niſi Sarai,quæ teſte Ioſepho & Hieronymo,binominis erat.Neque enim vllo modo credibile eſt, Scripturam prodere voluiſſe patrem Melchæ,& non patrẽ Sarai,perſonæ longè dignioris:& deinde quorſum mentio fieret Ieſchæ,ſi diuerſa eſſet à Sarai.

TERTIÒ probatur ex eodem capite vbi ſic legimus: *Tulit itaque Thare Abram filium ſuum,& Loth filiũ Aram filij ſui,& Sarai nurum ſuam,vxorem Abram filij ſui.* Quare nõ dixit:Et Sarai filiam ſuam;ſed ſolùm:*Nurum ſuam?* certè filia coniunctior eſt patri,quàm nurus. Sed quia non erat propriè filia, noluit eam miſcere cum ijs , qui propriè erant filij.

QVARTÒ probatur, quia ſi Abraham, & Nachor accepiſſent ſorores germanas,id feciſſent , quia eo tempore per mores illarum gentium licuiſſet;vt fatẽtur, qui defendunt Saram fuiſſe Abrahami ſororem germanam. Neque enim recurrendum eſt ad diſpenſationem diuinam,cùm ea neceſſaria non fuerit , ſi non eſt contra ius naturæ tale coniugium, vt aduerſarij volunt. At ſi tunc & per legem naturæ , & per mores gentis licuiſſet tale coniugium inire ; nihil profuiſſet Abrahæ dicere : *Soror mea eſt.* Id enim dixit ad tegendum coniugium, vt patet Gen.12.& 20. quod idem poſtea fecit Iſaac, Gen.26.interrogatus enim de vxore ſua , ac timens propter illam occidi, dixit:*Soror mea eſt.* Oportet igitur fateri , homines locorum illorum ita horruiſſe coniugium cum propria ſorore, vt audito nomine ſororis , ſtatim crederent eam non fuiſſe vxorem.

Deniq; quis credat Abrahamum ſine vlla neceſſitate duxiſſe propriam ſororẽ,cùm propter hoc crimen Deus iuſſerit,Leuit.20.vtrumque coniugem ſimul necari.

Sed reſpondendum eſt ad obiectiones Caietani, qui contrà ſentit in explicatione cap.20.Gen.& cap.18.Leuitici,& nonnullorum aliorum.

Primò obiiciunt verba illa expreſſa:*Verè ſoror mea eſt.* Reſpondeo , ſignificari illis verbis, verè fuiſſe conſanguineam.Nam etiam Iſaac,Geneſ.26.dixit de Rebecca, ſororem ſuam eſſe, cùm tamen conſtet eã fuiſſe neptim ex patruele,id eſt,filiam Bathuelis filij Nachor fratris Abraham:itidem Abraham vocat Loth fratrẽ ſuum, Gen. 13.cùm tamen eſſet eius nepos:& Tob.8. ait Tobias iunior : *Tu ſcis Domine,quia non luxuriæ cauſſa accipio ſororem meam coniugem,* & tamen non erat ſoror eius germana. Dan.5. vocatur Nabuchodonoſor pater Baltaſſaris, cùm tamen eſſet auus eius, vt in eum locum ſcribit Hier.denique Mat.12.nominãtur quidam fratres Domini,cùm tamen nullos habuerit Dñs germanos fratres.

Secundò obiiciunt,Eſto,fratres dici poſſint cõſanguinei æquales, abſurdum tamen eſt, patruum dici fratrem neptis,cùm potiùs pater dici deberet.Reſpondeo,id non eſſe abſurdum,docent exempla allata, Iſaac vocãtis Rebeccam ſororem, quæ erat neptis ex patruele:& Abrahami vocantis Loth fratrem,qui erat nepos ex fratre.

Tertiò obiiciunt:*Cùm Abraham ait,filia patris mei:loquitur de patre propriè dicto, non de auo, ergo de ſorore loquitur,non de nepte.* Antecedens Caietanus probat, quia cùm addidit Abraham,*Et non filia matris meæ,* ſine dubio de matre propriè dicta loquebatur ; igitur etiã cùm ait: *Non filia patris mei,* de patre propriè dicto loquebatur.

RESPONDEO, de patre propriè dicto loquitur. Abraham, quia de patre ſuo, non de patre Saræ loquitur,ait enim:*Filia patris mei,* non autem, filia patris eius. Is autem, qui propriè pater erat Abrahæ, pater impropriè,id eſt.auus erat Saræ:mater autem Abrahæ,non erat mater,neque auia Saræ, quia Aran pater Saræ, non erat frater Abrahæ vterinus,ſed ex patre tantùm,& ideò dixit:*Filia patris mei,* non, Filia matris meæ. Quare improprietas non eſt in voce patris , ſed in voce filia quæ pro nepte accipitur.

At cur non dixit apertè. Neptis patris mei? vel, filia fratris mei? cur impropriè loqui maluit, quàm propriè? Reſpondeo, quia dixerat : *Soror mea eſt,* debuit conſequenter loqui,ac dicere. *Filia patris mei.* Præterea quia pater Saræ obiit ante auum,vt habemus in Gene.cap.11. illa non alium patrem agnoſcebat, quàm auum, & ideò etiam Abraham ſororem illam appellare ſolebat.Et hoc eſt quod ait Chryſoſt.hom.45.in Gene.quem perperam allegant quidam pro contraria ſententia.Dicit enim appellatam ſororem Abrahæ, quia eundem patrem vocabat quem ille.nimirum quia patre propriè dicto amiſſo, non alium patrem nouerat,quàm auum.

Quartò obiiciunt:*Si non propriè ſoror erat Abrahami Sara,ergo Regem fefellit,cùm ait, Soror mea eſt.* Reſpondeo,non fefellit mendacio,ſed eluſit ambiguitate,quod licitum eſt,cùm aliquis interrogatur non iuridicè.

At ſaltem debuiſſet poſtea rem totam aperire, cùm periculum euaſiſſet,ne Regem illum in eam opinionem induceret , quaſi cum ſorore germana Matrimonium contraxiſſet. Reſpondeo, credibile eſt omnino ſermonem longiorem habitum inter Abraham, & Regem illum,& omnia fuſè explicata, ſed ſcriptura breuiter more ſuo rem attigit.

Quintò,obiici poteſt argumentum paulò difficilius. Nam ſi Sara filia eſſet Aran,& vxor Abrahæ, vt nos dicimus,debuiſſet gigni,cùm pater eius Aran ſeptem eſſet annorum,quod fieri nullo modo poteſt.Id autem ſequi, ita probo. Abraham erat decem annis ſenior, quàm Sara, vt patet ex c.17.Gen. vbi ſic loquitur Abraham: *Putáſne centenario naſcetur filius,& Sara nonagenaria pariet?* ergo quando naſcebatur Sara, decem annorum erat Abraham.Sed Aran iunior ipſo Abraham, ſaltem duobus annis,cùm eſſet tertius ab ipſo, genuit enim Thare tres filios,Abraham,Nachor, & Aaran,Geneſ.11.Ergo Aran erat Octo annorum,quando naſcebatur Sara, ergo anno ſeptimo illam genuit,ſi eſt eius filia.

RESPONDEO,Aran maior erat natu,quàm Abrahã, & quàm Nachor,licet ob dignitatem primo loco ponatur Abraham. Id verò non temerè dico, neq; ſolùm ad hanc ſoluendam difficultatem excogitaui, ſed ex ipſa Scriptura didici. Nam Gen.11.ſic legimus : *Vixit Thare ſeptuaginta annis,& genuit Abrahã,Nachor,& Aran.* Ex quo loco habemus,anno ſeptuageſimo Thare, iam natos fuiſſe tres iſtos filios : non enim Scriptura ſignificat, eodem anno omnes tres genitos fuiſſe,ſed illo anno iam habere cœpiſſe ipſum Thare tres filios,vnum videlicet illo anno genitum,& alios antea. Illo autem anno natus eſt Abraham, Scriptura enim in geneſi ſemper indicat tempus natiuitatis eorum,quorum texit genealogiam,vt ſciamus ætatem totius mundi, aliis prætermiſſis, qui ad iſtam Chronologiam non pertinent. Ita videmus Scripturam Gen.4.prodidiſſe,quoto anno ætatis Adæ natus ſit Seth,per quem texitur Chronologia,non autẽ quoto anno eiuſdem Adæ natus ſit Abel, vel Cain:& Geneſ.5. dicitur Noë,cùm quingentorum eſſet annorum;genuiſſe Sem,Cham,& Iapher,vbi notatur præcisè annus,quo natus eſt Sem, quia per illum deducitur Chronologia: & in reliquis idem obſeruare licet. Cùm ergo ſolus Abraham ex filiis Thare,ſit is, cuius explicatur genealogia,& per quem texitur Chronologia,neceſſe eſt dicere, illo anno ipſum natum eſſe,alios autem antea. Proinde Aran non ſeptem annorum erat,quando genuit Saram: quod etiam inde confirmatur, quia obiit ante cæteros, & quia etiam Nachor filiam eius accepit.

Tertium argumentum principale,ducitur ab exemplo Thamar filiæ Dauid, quæ cùm à fratre ſuo Ammon opprimeretur,dixiſſe legitur : *Noli frater mi, noli opprimere me, noli facere ſtultitiam hanc;quin potiùs loquere ad Regem,& non negabit me tibi,*2.Reg.13.Ex hoc enim loco intelligimus,non fuiſſe inuſitatum, vt à fratribus ducerentur ſorores: alioqui enim , vnde conſilium illud puellæ veniſſet in mentem?

RESPONDENT aliqui , Thamar non fuiſſe revera filiam Dauid, ſed priuignam, atque ideò fuiſſe quidem ſororem vterinam Abſalon, ſed non ſororem vllo modo Ammon. At hoc defendi non poteſt. Nam in illo ipſo c.13.li.2.Reg.vocatur Thamar filia Regis, & ſoror Ammon, & clariſſimè lib.1. Paral.cap.3. enumeratis omnibus filiis Dauid,ſubiungit Scriptura:*Omnes ij filij Dauid, abſque filiis concubinarum,habuerũtque ſororem Thamar.* non potuit autem Thamar ſoror eſſe omnium filiorum Dauid, qui ex variis vxoribus, & concubinis nati fuerant,niſi eundem cum illis patrem habuerit.

RESPONDENT igitur alij, Thamar fuiſſe quidem veram ſororem Ammon,& benà noſſe, tale coniugium eſſe illicitum, ſed tamen illa verba protuliſſe, vel quia nullum aliud conſilium in illis anguſtiis ei occurrit, vel quia putauit fratrem perturbatum illa vehementi paſſione non animaduerſurum fuiſſe, illicitum eſſe coniugium cum ſorore. At neque hoc dici poteſt : nam Thamar ſeriò loquutam de coniugio futuro, ſi à Rege id petereretur, indicant eius verba in eodem capite. Nam cùm vi compreſſa à fratre, in ſummum odium amore conuerſo, expelleretur dixit : *Maius eſt hoc malum, quod nunc agis aduerſum me,quàm quod antè feciſti,expellens me.* Voluit igitur illa cum eo more coniugis permanere, atque id ſatagebat,vt Dauide conſentiente, ab Ammone in vxorem duceretur.

Quo poſito ad argumentum Reſpondeo, non poſſe

firmum argumentum duci ab opinione, & verbis vnius puellæ, quæ etiam si nunquam viderat tale coniugium, & ipsa etiam absolutè id horrebat: tamen existimauit minus malum esse à fratre duci in vxorem, quàm vi stuprari, præsertim si Regis assensus accederet.

Quartum argumentum simile est superiori, ducitur enim ab exemplo Adoniæ, qui nouercam suam Abisag Sunamitidem petiit in vxorem, 3. Reg. 2.

Respondeo Primò, non constat Abisag fuisse vxorem Dauid, & per hoc neque constat fuisse nouercam Adoniæ filij Dauid. Nam vt loco citato dicitur, ministrabat illa Dauidi seni, atque ad eum calefaciendum cum eo cubabat, sed neque vocatur vxor, neque Dauid eam cognouit, vt Scriptura loquitur in eodem loco.

Secundò, cùm Adonias ob eam petitionem à Salomone pœna capitis affectus fuerit, signum est, illum rem illicitam postulasse: certè enim plus valere debet sententia Salomonis Regis sapientissimi, quàm postulatio Adoniæ.

CAPVT XXIX.

Rectè ab Ecclesia prohiberi coniugia, vsque ad quartum vel septimum gradum consanguinitatis, & affinitatis.

SEQVITVR ordine Quarta propositio, quæ talis est: *Rectè Catholica Ecclesia coniugia prohibuit olim vsque ad septimum, postea verò vsque ad quartum gradum consanguinitatis, & affinitatis.* Hæc est contra omnes hæreticos suprà nominatos: omnes enim de hac re Ecclesiam reprehendunt.

Ac duo quidem probanda essent. Primò, Ecclesiam posse leges ferre de gradibus cognationis. Secundò, causSam habuisse cur eiusmodi leges tulerit. Sed illud primum iam est probatum suprà in disputatione de impedimento voti solennis: probatur igitur illud secundum quatuor rationibus, quas ferè ex Patribus desumpsit S. Thomas in 2. 2. q. 154. art. 9.

Prima ratio ducitur ab honore debito consanguineis, & affinibus: docet enim ipsa natura, parentibus, & consequenter aliis consanguineis, & affinibus deberi peculiarem verecundiam, reuerentiam, seu cultum, & obseruantiam. Huic autem reuerentiæ repugnat maximè coniugalis actus, qui sine turpitudine quadam, & irreuerentia exerceri non potest. Quocirca Leuit. 18. cùm prohibetur coniugium cum matre, causSa redditur: *Quia mater tua est*, & cùm prohibetur coniugium cum nuru, dicitur, *Quia vxor filij tui est*. De qua re sic loquitur Augustinus lib. 15. ciuit cap. 16. *Nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, vt cui debet causSa propinquitatis verecundiam, ab ea contineat, quamuis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam coniugalem.* Hæc autem ratio eousque valet, quousque habetur notitia cognationis: solent autem homines ordinariè vsque ad quartam generationem se cognatos agnoscere, deinceps autem vix vlli sunt, qui se pro cognatis habeant.

Secunda ratio ducitur à consuetudine, & familiaritate, quæ inter consanguineos, & affines esse debet. Nam parentes, & filij, fratres, & sorores, aui, & nepotes, nouerca, & priuigni in eadem domo habitant, & assiduè noctu, & interdiu simul versantur: cæteri etiam propinqui crebrò, & fidenter propinquos adeunt, & cum illis manent. Vt autem ista intima consuetudo innoxia esset, oportuit omnino inter eiusmodi personas coniugia interdicere: alioqui enim tria mala ex ista assidua conuersatione nascerentur. Vnum, quòd nimis facilè, & nimis etiam ci: ò, ac temerè Matrimonia conciliarentur. Deinde maxima præberetur incestibus occasio: faciliùs enim peccata committuntur cum eis, cum quibus ius est Matrimonij contrahendi, quàm cum aliis. Denique essent omnia plena malis suspicionibus, & affabilitas, blanditiæ quæ, & oscula, quæ nunc inter propinquos pietatis

A

sunt, tunc libidinis esse non temerè crederentur. Atque hanc rationem amplificat sanctus Ambrosius in epistol. 66. ad Paternum.

Tertia ratio sumitur à studio charitatis inter extraneos dilatandæ. Nam per Matrimonia coniunguntur, & colligantur homines vinculo necessitudinis. Quòd si inter propinquos Matrimonia contrahantur, perit hic fructus amplissimus propagandæ necessitudinis: nam ad vnam personam multa vincula inutiliter restringuntur, quæ in multas vtilissimè spargi potuissent. Si enim frater, exempli causSa, sororem ducat vxorem, idem erit frater & maritus respectu vxoris; & idem erit filius, & gener respectu patris; & ille simul erit pater, & socer respectu filij. Itaque duo vincula dilectionis reducuntur ad vnum, quæ duos vnire potuissent. Hanc rationem adfert idem Ambrosius in eadem epist. 66. & Augustinus lib. 15. ciuitatis, cap. 16.

B

Quarta ratio sumitur ab vsu moderato officij coniugalis. Cùm enim naturaliter consanguinei diligantur, si adderetur etiam amor coniugalis, creSceret plus debito carnalis amor. Quæ ratio ex Aristot. in 2. lib. politic. deprompta est.

Aduersus hanc propositionem sunt hæc aduersariorum argumenta. Primò, obiicit Ioan. Brentius in comm. Leuit. ad c. 18. *Romanus Pontifex non est supra Christum, cùm ipse etiam non nisi Vicarium eius se faciat. At Christus non venit leges politicas constituere, sed verbum Dei annunciare: ergo nec Romanus Pontifex debet, aut potest eiusmodi leges ferre.*

Respondeo Primò, Christus non tulit quidem politicas leges, sed potuit tamen ferre, si voluisSet; & quod per se potest, potest etiam per Vicarios, præsertim cùm eæ leges ad æternam salutem fidelium necessariæ iudicantur.

C

Secundò, leges de Matrimonio non sunt merè politicæ, sed etiam spirituales, cùm Matrimonium sit Sacramentum. Vnde Christus ipse, sicut leges aliquas tulit de Sacramentis cæteris, ita etiam de Matrimonio, cùm sustulit polygamiam, & repudium: & sicut reliquit Ecclesiæ potestatem multa alia statuendi circa alia Sacramenta, ita etiam circa Matrimonia. Quare plena sunt Concilia vetera Canonibus de Matrimonio, vt videre est in Concilio Turonensi II. in quo multorum Conciliorum canones allegantur.

Secundò obiicit Lutherus in Babyl. cap. de Matrimon. & Bucerus in cap. 19. Mat. *Deus melius nouit, quæ sint personæ aptæ ad Matrimonium, & quousq; se extendant gradus cognationis, quàm vllus homo. At ipse non prohibuit coniugia, nisi vsq; ad secundũ gradũ in linea inæquali, ergo temerè prohibentur ab hominibus coniugia in gradibus vltrioribus.*

D

Respondeo, Deus sapientissimè & planè diuinè legem dedit populo suo, quam tamen legem eadem sapientia sua noluit nobis esse communem, sed illi tantùm populo peculiarem: aliud enim conueniebat illi vni populo, aliud Ecclesiæ Christianæ per omnes Gentes diffusæ. Illi enim populo, non fuit admodum restringenda lex coniugij, tum quòd pauci essent, tum quòd in eadem tribu opes propriæ conseruandæ erant tum denique, quòd illi valde proni essent ad vxores repudiandas. Cùm enim consanguineæ magis diligantur, quàm externæ mulieres, quò minùs illi arcebantur à Matrimoniis cum consanguineis, eò magis claudebatur aditus ad repudia. Denique sicut ob infirmitatem illius Gentis permittebantur repudia, & polygamia, ita etiam concedebantur Hebræis coniugia in quibusdam gradibus, in quibus Christianis minimè deceret concedi. Vnde S. Augustinus libro 15. ciuit. cap. 16. faretur, antiquis licita fuisse coniugia cum consobrinis, & ea tamen Christianis rectissimè prohiberi.

Tertiò obiiciunt Beza, & Kemnitius, ille in lib. de repudiis,

pudiis, iste in 2. par. Exam. Trid. Concil. pag. 1235. aliquot Concilia vetera, vt Epannense can. 30. Turonense II. ca. 12. Parisiense I. can. 4. in quibus non prohibentur coniugia, nisi vsq; ad secundum gradum: in quibus addi potest testimonium S. Gregorij in responsis ad interrogata Augustini Anglorum Episcopi. cap. 6. vbi docet, in tertio & quarto gradu Matrimonia contrahi posse, modo à secundo omnino abstineatur. Ex quibus testimoniis colligunt aduersarij, prohibitionem quarti gradus, & multò magis septimi antiquæ Ecclesiæ fuisse incognitam.

A

Respondeo, falsum est antiquitati incognitã fuisse legem de prohibitione vsque ad septimum gradum. Nam inprimis Alexander II. qui sedit post annum Dñi M.LX. in Concilio Lateranensi, vt habemus can. ad sedem. 35. q. 5. affirmat, antiquum morem Ecclesię per longa tempora durasse, vt vsque ad septimum gradum coniugia interdicerentur. S. Gregorius, qui anno. DC. sedebat, id est, 460. annis ante Alexandrum II. lib. 12. epist. 31. ad Felicem Episcopum Messanensem, apertissimè scribit, se cum solis Anglis ob recentem conuersionem ad fidem dispensasse, vt in tertio & quarto gradu Matrimonia contraherent, cùm alioqui vsque ad septimum communi lege interdicantur: ex quo solutum manet argumentum ex Gregorio antea factum. Præterea Iulius Papa qui plus ducentis annis Gregorium anteceSSit, affirmat, nullum permittendum esse Matrimonium contrahere intra septimum gradum, vt habetur cano. Nullum, 35. q. 2. & apud Iuonem lib. 7. decreti.

Exstat etiam Concilium Toletanũ II. celebratum ante tempora S. Gregorij, vbi in 5. capite statuitur, vt Matrimonium nullus contrahat cum propinquis vllis, vsquequo lineamenta affinitatis generis succeSSione cognoscit: quem locum explicat Alexander II. loco citato, vt sensus sit, prohibita esse coniugia in omnibus gradibus & proinde in septem; nullus enim vltra septimum cognationem vllam agnoscit. Simile factum est decretum in Germania in Concilio VVormatiensi, referente Gratiano can. in Copulatione, 35. q. 2. vbi prohibentur coniugia in propria cognatione, vsque dum generatio agnoscitur, aut memoria retinetur. Concilium item Agathense in Gallia celebratum ante illa omnia, quæ aduersarij citant can. 61. post prohibitionem graduum aliquorum, addit generalem prohibitionem, ne quis vllam consanguineam suam ducat vxorem. Exstat denique apud eundem Gratianum eadem causSa, 35. q. 2. can. Nulli: & can. Contradicimus, duo alia Concilia Gallicana, Lugdunense, & Cabylonense, in quibus rursum ad septimum vsque gradum Matrimonia prohibentur. Habemus igitur morem siue legem de septem gradibus, non fuisse incognitam antiquitati, cùm in Italia, Gallia, Hispania, & Germania multis seculis viguerit, & ante annos M. initium cœperit.

B

Ad illa igitur tria Concilia ab aduersariis citata, dico, enumerari in illis Conciliis præcipuos quosdam gradus sed non negari esse etiam alios prohibitos. Nam Concilium Turonense II. remittit se ad superiora Concilia, vt ad Epannense, & alia, & apertè profitetur seruanda esse statuta veterum: Epannense autem adducit initium can. 61. Concilij Agathensis antea celebrati: ex quo intelligimus, omnia conuenire cum Agathensi, vbi generaliter prohibetur cum omnibus consanguineis Matrimonium.

Adde quòd etiamsi constaret ea Concilia permisSisse coniugia vltra secundum gradum, nihil absurdi sequeretur: potest enim in eiusmodi rebus mutabilibus, mutatio & varietas facilè accidere.

Quartò, obiiciunt iidem Beza & Kemnitius, rationem Lateranensis Concilij, cur prohibitio restricta sit ad quartum gradum, omnino ridiculam, & puerilem esSe: redditur enim ea causSa, quia quatuor sunt humores in corpore humano, prout ex quatuor elementis homi-

C

nem constat esse compositum.

Respondeo, Concilij illius omniũ frequentissimi, & celeberrimi sanctio, qua cognatio ad quartũ gradum restricta est, non ea ratione nititur, quam hæretici exagitandam susceperunt, sed aliis longè grauioribus, vt patet ex cap. 50. eiusdem Concilij. Præcipua autem ratio est, quia experientia docet, non posse hoc tempore tot graduum prohibitionem sine ingenti dispendio conseruari. Nam quia ætas decreuit, & charitas refrixit, & concupiscentia aucta est, fit sæpissimè, vt homines non recordentur tantæ multitudinis consanguineorum, & affinium, & se ad illos, tanquam ad extraneos habeant, & ideo frequenter in gradibus prohibitis plurimi ex ignorantia, vel negligentia contraherent Matrimonia, si adhuc prohibitio illa duraret: inde autem plurima dubia, lites, & scandala orirentur. Quare vt rectè fecerunt veteres, qui eos gradus seruarunt, quamdiu experientia docuit commodè posse seruari: ita rectè fecerunt posteriores, qui eos gradus ad pauciores reuocarunt, quando ab eadem experientia docti, viderunt, iam non posse ampliùs sine magno dispendio, vt Concilium loquitur, obseruari. In quarto autem gradu rectè fixus est terminus, quia cùm homines plurimi quartam generationem videant, non potest facilè consanguinitas vsque ad eum gradum obliuioni mandari.

Porrò ratio illa de quatuor humoribus, non vt ratio primaria, sed vt congruentia quædam adfertur: neq; tamen inepta aut ridicula est, sed planè physica, vt S. Thomas ostendit in 4. distin. 40. q. 1. art. 4. Quia enim homo ex quatuor elementis constat, colligitur admodum probabiliter, in quarto gradu penitus deficere vim illam sanguinis eiusdem, quæ à primo stipite trahitur. In permisStione enim sanguinis à patre accepti cum alio extraneo, quæ fit in generatione, id quod est subtilisSimum, nimirum vis ignea, 1. confunditur, & perit. 2. vis aërea. 3. aquea. 4. terrea. Quare in quarta generatione totus ille sanguis perire videtur.

CAPVT XXX.

De Cognatione spirituali, & legali, déque Publica honestate & Affinitate ex fornicatione.

SEXTA propositio: *Cognatio spiritualis, & legalis, Publica iustitia, & Affinitas ex fornicatione meritò ab Ecclesia inter impedimenta Matrimonij referuntur*: De cognatione spirituali, & legali integri tituli exstant in epistolis decretalibus, multa etiam testimonia veterum legi possunt apud Gratianum, 30. q. 1. & 3. Præterea rationes quatuor pro confirmatione propositionis superioris, vim etiam habent in his duabus cognationibus. Neque aduersarij aliquid solidi contrà adferunt, licet has cognationes more suo irrideant.

D

Lutherus in lib. de captiuit. Babyl. cap. de Matrimonio, & eum sequutus Beza in lib. de repudiis, illud obiiciunt, quòd omnes Christiani sint fratres, & omnes Christianæ sorores: proinde omnes inter se spirituales cognati. Quocirca aut Cognationem spiritualem non debere censeri impedimentum, aut certè cum solis Ethnicis Christianos coniugia celebraturos.

Sed facile est respondere. Nam impedimentum Cognationis spiritualis non ex iure naturæ, sed ex Ecclesiæ arbitrio pendet; Ecclesia autem non quamlibet spiritualem cognationem impedimentum esse voluit, sed eam solam, quæ ex Baptismo, & Confirmatione oritur. Nam vt hanc cognationem impedimentum faceret, habuit causSam rationabilem, quia vnus ab alio recipit esse spirituale, & ideò debet illi peculiarem reuerentiam, &c. neque vllum absurdum ex hac impedimenti additione sequi videbat. At vt cognationem, quæ est inter omnes Christianos, impedimentum faceret, neque causSam habuit (non enim quatuor illæ rationes in hac cognatione locum habent) & absurdum maximum sequi videbat,

nimirum vt cogerentur fideles infidelibus copulari.

Iam verò Publica honestas, est inchoata quædam affinitas; sicut sponsalia Matrimonium inchoatum dici possunt, ideo sicut perfecta affinitas impedimentum est Matrimonium dirimens in omnibus gradibus, ita par erat, vt Publica honestas Matrimonium in aliquo saltem gradu dirimeret.

Denique affinitas ex fornicatione, vera affinitas est, licet paulò imperfectior, quàm ea sit, quæ oritur ex legitimo Matrimonio: quod si vera est affinitas, nulla caussa est, cur non dirimat Matrimonium. Esse autem affinitatem veram eam, quæ oritur ex fornicatione, perspicuum est. Nam affinitas nascitur ex eo, quòd per coniugium duæ personæ efficiuntur vna caro: at per fornicationem etiam duæ personæ efficiuntur vna caro, dicente Apostolo 1.Cor.6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Erunt enim*, inquit, *duo in carnem vnam.* Præterea ex fornicatione oritur vera cognatio: cùm sit verè pater, qui sic generat, & verè filius, qui sic generatur: cur igitur ex fornicatione oriri non possit affinitas? Adde, quòd legimus in libro secundo Regum, cap.10. decem concubinas Dauid quas filius eius Absalon violauerat, inclusas ab eodem Dauide fuisse, & nunquam amplius ab eo cognitas, quia nimirum factæ erant illæ omnes, quasi nurus, ob coniunctionem cum filio suo.

CAPVT XXXI.

De duobus impedimentis non dirimentibus.

GIMVS hucusque de impedimentis omnibus dirimentibus Matrimonium. Nunc de duobus illis, quibus suprà diximus Matrimonium contrahendum impediri, non tamen dirimi contractum, breuiter agendum est. Impedimenta erant, Ecclesiæ interdictum, & tempus feriatum.

Per Ecclesiæ interdictum intelligitur communiter Matrimonium clandestinum quod sub grauibus pœnis in iure canonico interdicitur, ac potissimùm in Concilio Lateranensi, cap.5. & nuper in Concilio Tridentino, sess.24. non solùm prohibitum est, sed etiam planè irritatum ac illegitimum redditum, vt iam qui ita contrahunt, verum non habeant Matrimonium, sed in perpetua fornicatione maneant. Potuisse autem Ecclesiam hæc Matrimonia irritare, dubitare non potest qui credit, potuisse eandem Ecclesiam irritare Matrimonia in certis gradibus cognationis, vel ob votum solenne continentiæ, aut aliis de caussis, de quibus suprà diximus: eadem est enim omnium ratio.

Aduersarij probant, quòd nunc tandem Matrimonia clandestina pronunciemus illegitima, sed nos reprehendunt quod ante Concilium Tridentinum ea pro veris, & ratis haberemus, cùm tamen damnaremus, ac detestaremur. Itaque Martinus Kemnitius in 2.parte Exam. pag.1280.& 1281.sic loquitur: *Audi verò qualia ἀνάσχαλα Tridentina de nouis de hac quæstione statuat: Fatetur Ecclesiam talia clandestina Matrimonia semper detestatam esse, atque prohibuisse: & tamen simul anathemate damnat, qui ea vera, & rata esse negant. Potest ne igitur detestanda, & prohibita coniunctio facere verum Matrimonium? Hoc est, detestanda & prohibita coniunctio iuxta Tridentinum Concilium, est legitima, & diuina coniunctio.* Hæc ille.

Sed facilis responsio est. Nam idem Matrimonium esse ratum, verum, legitimum, diuinum, & simul detestandum, prohibitum Deóq; inuisum, non sunt ἀνάσχαλα nisi in capite malè sano Kemnitij, & eius sodalium. Nam si essentiam Matrimonij spectes, ante Concilij Tridentini decretum, verum, ratum, legitimum, & diuinũ erat coniugium Clandestinum: nihil enim ei deerat eorum quæ ad essentiã Matrimonij Deus requiri voluit, cùm adesset materia, forma atq; intentio. Si tamen ordinem, & modum spectes, erat detestandum, prohibitum, ac Deo inuisum: neque hoc mirum videbitur, si animaduertas in aliis quoque Sacramentis idem vsu venire. Nam si quis aqua vera cum debita forma verborum, & intentione ministri, ac suscipientis baptizetur, sed absque proposito vitæ melioris, cum animo à Deo auerso, & in peccatis obdurato: eiusmodi Baptisma verum, ratum, legitimum, ac diuinum erit, neque repeti sine sacrilegio poterit: & tamen simul detestandum, prohibitum, Deóque inuisum, & tum danti, tum accipienti pernicioſum. Vide quæ suprà diximus, cap.19.& 20.

Alterum impedimentum, quod tẽpus feriatum dicitur, nihil significat aliud, nisi interdictam esse nuptiarum solennitatem certis anni temporibus. Et quidem antiquo iure prohibebantur solennes nuptiæ ab initio Aduentus vsque ad Epiphaniam, item à Septuagesima, vsque ad octauam Paschæ, denique à diebus rogationum vsq; ad octauam Pentecostes. De qua re extant decreta Conciliorum, antiquorum, & Pontificum apud Grat.33.q.4.& inter alia, Concilij Laodiceni, c.25. quod Concilium ante annos M.CC. celebratum est: exstat etiam aliud decretum, extrà, de feriis, cap. Capellanum.

Ratio huius prohibitionis est, quia toto anno festa omnium celebertima sunt hæc tria, Natale Domini, Paschæ, & Pentecoste, atque in his tenebantur omnes ad Eucharistiam accedere ex Concilio Agathensi, cano.18. Solennitas autem nuptiarum res est magnæ distractionis, cum conuiuia, aliique apparatus fieri soleant. Vt igitur Christiani homines sine impedimento ad ea festa spiritualia, & ad Sacramentum Eucharistiæ suscipiendum parati inuenirentur, optimo consilio ab Ecclesia solennes nuptiæ tribus illis temporibus prohibitæ fuerunt. Quam tamen prohibitionem nuper Tridentinum Concilium sess.24.cap.10.temperauit, atque ad duo tantùm tempora redegit, solùm enim ab Aduentu Domini vsque ad Epiphaniam, & à die Cinerum vsque ad octauam Paschæ solennes nuptias interdixit.

Porrò hanc vtilissimam legem simpliciter dãnat Caluinus li.4.Inst.c.19.§ vltimo. Kemnitius autem in 2. par. Exam.pag.1271. laudat quidem vt bono zelo institutam à veteribus, sed duo quædam reprehendit. Vnum, quòd institutum hoc retineatur, cùm caussa eius cessauerit: caussa enim fuerat, quia ter in anno populus communicabat corporis Dominici Sacramento: nunc autem semel tantùm ad Communionem accedere cogitur. Alterum, quòd assui cœperit noua opinio, quasi sanctitas illorum temporum non posset ferre commistionem carnis in copula coniugali, sicut quondam in sacris Bonæ Deæ cogebantur secubare.

Sed in vtroque fallitur Kemnitius. Nam etiamsi non teneantur Christiani omnes lege Ecclesiastica ad Communionem accedere, nisi in Pascha: tamen adhuc viget consuetudo in tota Ecclesia communicandi in Natali Domini, adeò, vt rari sint omnino, qui id non faciant. In Pentecoste rarior est Communio, & ideò etiam fortasse Concilium Tridentinum hoc tempore nuptias solennes fieri permisit.

Adde, quòd non est sola Communio caussa illius decreti, sed celebritas etiam principalium festorum, ad quæ Ecclesia per ieiunia & orationes filios suos præparare satagit: non autem benè conueniunt pompæ nuptiales, conuiuia, saltationes, & alia signa lætitiæ, cum præparatione illa, præsertim, Quadragesimæ, & Aduentus. Nec in vllo decreto eorum quæ habentur 33.q.4. vel in titulo de feriis, expressè ponitur caussa Communionis, sed solum festorum celebratio.

In altero, more suo mentitur Kemnitius: nam neque vllus eam opinionem assuit decreto, & multi contrarium expressè docent. Nam S.Thom.in 4.distin.32.q.1. art.5.q.4.ad 2.& Caietanus in summa de peccatis, verbo, Nuptiæ, & Nauarrus in Enchiridio, cap.22.num.71. docent, non interdici illis temporibus celebrationem

Matrimonij per verba de præsenti, & etiam consummationem; sed solennem tantùm sponsæ deductionem, & publicam illam pompam, & conuiuia, quæ in solennitate nuptiarum adhiberi solent.

Sed quanquam hoc præcepto, de quo nunc agimus, non prohibeatur officium coniugale, tamen in præcipuis solennitatibus, & maximè si communicandum sit corpori Dominico, abstinendum esse à copula coniugali, multis Patrum testimoniis probant, Gratianus 33,q.4.& Magister sent.lib.4.dist.32. Et habemus fundamenta huius in diuinis litteris. Nam Exod.19. Hebræi accepturi legem, & celebraturi primum festum Pentecostes, iubentur triduo integro præparari, & nõ appropinquare vxoribus. Et 1.Reg.21. Achimelech sacerdos negat Dauidi panem sanctum, nisi mundus esset à mulieribus: ex quo loco S.Hieron.lib.1.in Iouin.& in Apologia pro eodem libro, deducit, multò minùs dignum esse pane cœlesti, qui non se continet ab vxore. Denique B.Paulus 1.Cor. 7. vult coniuges ex consensu inuicem à copula coniugali abstinere, vt vacent orationi. At certè in præcipuis festis orationi vacandum est: ergo & à copula abstinendum.

Neque obstat, quod citat Kemnitius, torum immaculatum à Paulo appellari coniugium. Nam etsi culpa vacat officium coniugale, si loco, & tempore fiat, tamen certè non vacaret culpa, si fieret in foro in spectante populo, & multò minùs si in templo Deo sacro. Quid ergo mirum est si Catholici dicant, in tempore sacro, & maximè quando communicandum est, à coniugali copula esse abstinendum?

CONTROVERSIA SEXTA.

CAPVT XXXII.

Caussas Matrimoniales ad Ecclesiæ iudicium pertinere.

EXTA restat controuersia de caussis Matrimonialibus, quæ breuissimè poterit expediri. Multi ex aduersariis caussas Matrimoniales ad politicum Magistratum simpliciter reiiciunt, vt Philippus Melanchthon in locis, tit.de coniugio. Ioan.Brentius in Apologia pro confessione VVirtembergen.& alij.

Martinus tamen Kẽnitius in 2.part.Exam.Trid.Concilij, pag.1272. distinguendum esse putauit. Scribit enim Ecclesiæ esse, non autem politici Magistratus, respondere de casibus conscientiæ, qui circa Matrimonium ex verbo Dei pendent, tamen ferre leges de Matrimonio, non ad Ecclesiam, sed ad politicum principem pertinere contendit: idque probat, tum quia legem prohibentem coniugia consobrinorum, non Episcopi, sed Theodosius Imperator tulit, tum quia Concilium Mileuitanum legem de diuortio ab Imperatore petendam esse decreuit. Itaque Kemnitius circa Matrimonium, non aliam tribuit Ecclesiæ potestatem, quàm explicandi verbum Dei, qualem nos concionatoribus, & priuatis Doctoribus concedimus.

Catholici distinguunt de caussis Matrimonialibus. Quædam enim sunt omnino politicæ, vt de dotibus, de successionibus, de hæreditatibus, &c. Quædam sunt omnino spirituales, vt de partibus Sacramenti, de benedictione sacerdotali, &c. Quædam partim sunt politicæ, partim spirituales, vt de gradibus cognationis, de diuortiis, de impedimentis, & aliis, quæ ad ipsum contractum Matrimonij pertinent: quatenus enim contractus ille naturalis est, materia est politica, quatenus idem contractus est fundamentum Sacramenti, & res conscientiæ, spiritualis est.

Et quidem caussas Primi generis non negamus ad politicum Magistratum simpliciter pertinere: vnde etiam quotidie intra Catholicam Ecclesiam coram Iudice seculari caussæ illæ aguntur.

Caussas Secundi generis nemo negare potest ad solam Ecclesiam pertinere: alioqui quo tempore nulli Principes nulliúe Magistratus politici Christiani erant, oportuisset caussas omnino spirituales ad infidelem iudicem deferre, aut sine legitimo iudice caussæ illæ fuissent.

Potissima quæstio est de caussis Tertij generis, quas quidem nos dicimus ad politicum Magistratum pertinere posse, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum, simpliciter autem ad Principem Ecclesiasticum pertinere, vt in Concilio Tridentino sess.24.cano.12.definitum est. Id suprà breuiter est probatum, in disputatione de impedimento voti solennis, & nunc rursus tribus rationibus confirmatur.

Primò, Matrimonium est Ecclesiæ Sacramentum: neque apud Christianos separatur contractus legitimus Matrimonij à Sacramento Matrimonij, cùm omnis legitimus contractus Matrimonij hoc ipso sit Sacramentum Matrimonij. Ergo iudicare, an aliquis contractus Matrimonij sit legitimus, est iudicare, an ille contractus sit Sacramentum: sed de Sacramentis iudicare, ad Ecclesiam spectat: igitur & de tali contractu iudicare, ad Ecclesiam spectat.

Secundò, etiamsi Matrimonium Sacramentum non esset, tamen quia res est conscientiæ, ex legibus diuinis pendens, ad pastores animarum sine dubio pertineret, quemadmodum quæstiones de cambiis, de censibus, aliisque contractibus, in quibus interdum absconduntur vsuræ, ab Ecclesia iudicantur. Quare meracalumnia est illa Kemnitij in 2.part.Exa.pag.1216. vbi dicit, Catholicos ex Matrimonio Sacramentum fecisse, vt caussæ Matrimoniales soli iudici Ecclesiastico subiectæ essent.

Tertiò probatur ex praxi totius Ecclesiæ. Nam In primis Christus ipse caussam de diuortio, & repudio non remisit ad politicum Magistratum, sed ipse iudicauit, Matth.5.& 19. Deinde Apostolus 1.Corin.7. caussam coniugij inter fidelem & infidelem, similiter cognouit, neque ad Magistratum eam reiecit. Denique plena sunt Concilia, & Pontificum rescripta legibus, & sententiis in caussa Matrimonij: siquidem, vt ex epistolis decretalibus cognosci potest, semper in Ecclesia hæc fuit consuetudo, vt de eiusmodi caussis, non Reges, sed Pontifices consulerentur.

Neque ista iudicia Christi, Apostoli, Pontificum, & Conciliorum, fuerunt meræ interpretationes verbi Dei, vt Kemnitius somniat, sed legitimæ sententiæ coactiuæ. Nam Christus apertè legem tulit, de tollendo repudio Iudæis permisso: sic enim loquitur Apostolus de illa Christi lege: *Iis qui Matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, 1.Cor.7.

Præterea in Testamento veteri circa dubias quæstiones mittebantur homines ad Sacerdotem, vt verũ iudicem, non vt simplicé consiliarium: nam Deu.17. iubebatur occidi, qui sententiæ Sacerdotis non acquiescebat. Et sanè æquum nõ est, maiorem fuisse sacerdotis Aaronici, quàm Christiani Pontificis auctoritatem.

Denique cur non potiùs ad homines doctos, quam ad Pontifices caussæ istæ ordinariè ferebantur, si consultoris sapientia, non iudicis auctoritas in Sacerdotibus quærebatur? Sed de potestate Ecclesiastica, ex qua particularis ista quæstio de Matrimonio pendet, satis fusè alibi disseruimus.

Argumenta duo Martini Kemnitij, nihil concludunt. Nam quod ad legem Theodosij attinet, iam antea diximus, posse etiam Principem politicum de impedimentis Matrimonij legem ferre, sed principe Ecclesiastico approbante: si enim hic repugnet, lex illa irrita erit. Quod in hac ipsa lege Theodosij cernimus. Nam cum non diu

pòst eam legem eius filij abrogassent, vt patet l. celebrandis. C. de nupt. & deinde etiam Iustinia. legem tulisset, vt licita essent Matrimonia inter consobrinos, §. duorum. Instit. de nupt. S. Gregorius Papa legem Honotij, & Iustiniani aperrè reprehendit, in rescripto ad Augustinum Anglorum Episcopum, & contrà statuit, inter consobrinos illicita Matrimonia esse censenda: & hæc Pontificis lex, non autem illa Cæsaris, in Ecclesia robur obtinuit. 35. q. 2. can. quædam lex.

Ad illud autem Concilij Mileuitani, respondimus in disputatione de diuortio, Patres eius Concilij non petere legem, qua decernatur, non licere post diuortium vxorem aliam ducere, priore viuente, sed qua puniatur pœna æterna qui id fecerit: iam enim Patres ipsi in Concilio rem satis definierant, & definitioni suæ pœnam excommunicationis adiecerant.

CONTROVERSIA SEPTIMA.

CAPVT XXXIII.

De Cæremoniis Sacramenti coniugij.

POSTREMA controuersia de ritibus, ac cæremoniis est, quibus Matrimonij Sacramentum in Ecclesia Catholica solet administrari. Id enim commune est omnibus Sacramentis, vt præter essentialem cæremoniam à Deo institutam, in qua Sacramenti essentia consistit, adhibeantur etiam aliqui alij ritus ex antiquo Ecclesiæ more, vel instituto, quo maiori cum pietate, ac deuotione Sacramentum percipiatur.

In Matrimonio igitur hæ cæremoniæ obseruari solent. Primò benedicuntur noui sponsi in Ecclesia à sacerdote. Secundò, offertur pro eis oblatio Eucharistiæ. Tertiò, velamine obnubuntur. Quartò, vitta partim candida, partim purpurea simul iunguntur. Quintò, annulo à sacerdote benedicto, sponsus sponsam donat. Sextò, variis precibus coniugium recens contractum Domino commendatur. Septimò, cohortatione sacerdotali monentur officij, vt honestè in Matrimonio se gerant. Horum rituum duos postremos aduersarij etiam seruant, vt ex libello Caluini de Sacramentis ministrandis, & ex aliis hæreticorum Agendis perspicuum est.

Et sanè mirum est, cur Caluinus in libello, cui titulum fecit, Formula Sacramentorum administrandorum, tam serió tractet de ritu Matrimonij celebrandi, eúmque cum ritu Baptismi, & Eucharistiæ coniungat, cùm tamen Matrimonium Sacramentum esse neget. Sed ita contingit aliquando pertinacibus, vt quod ore negant, factis affirment.

Cæteros ritus, quos Catholici seruant, non dubito eis parùm probari: tamen neque Kemnitius ad canonem 11. sess. 24. Concilij Tridentini, vbi anathema dicitur hos ritus contemnentibus, aliquid scripsit contra has cæremonias, neque apud alios auctores vllum legi aduersus easdem cæremonias solidum argumentum. Quare satis erit hoc loco, ex veterum auctoritate ritus illos confirmare.

Ac primum exstat testimonium Nicolai Papæ, qui sedit ante annos DCC. & habetur can. Nostrates, 30. q. 5. Deinde exstat testimonium Isidori libr. 2. de officiis, cap. 19. vbi etiam ratio singulorum redditur. Floruit autem Isidorus ante annos plus CM. Ad hæc Siricius Papa in epist. 1. cap. 4. & Innocentius I. item Papa, in epistol. 2. cap. 6. benedictionis sacerdotalis, quæ nubentibus dari solet, meminerunt: eiusdem etiam mentionem faciunt Patres Concilij IV. Carthaginensis, quorum vnus fuit sanctus Augustinus, cap. 13. S. Ambrosius in epist. 70. ad Vigilium, non procul ab initio, non solum benedictionis meminit, sed etiam velaminis, quo noui sponsi à sacerdote in Ecclesia operiuntur: vnde etiam nuptias dictas esse interpretatur idem Ambrosius libr. 1. de Abraham cap. vlt. quòd velo obnubatur sponsa. Floruerunt autem Siricius & Ambrosius ante annos M. CC. & Innocentius atque Augustinus, ante annos paulò pauciores. Denique Tertullianus his omnibus antiquior, in lib. 2. ad vxorem, meminit oblationis, qua Matrimonium in Ecclesia confirmatur. Atque hæc de Sacramento Matrimonij.

AD HONOREM DEI.

INDEX RERVM ET VOCVM LOCVPLETISSIMVS.

A

AARON offerebat sacrificia tam cruenta, quàm incruenta. 701. c
Abel nõ ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt Deo. 1,0 d
vide *Sacrificium.*
Ablutio externa in baptismo mundat animam efficienter & instrumentaliter, interna verò ablutio animam mundat formaliter. 352. b. ex erior per aquam in baptismo exhibetur, vt ablutio interior per spiritum significetur. 879. b. interna vocatur à D. Petro interrogatio seu responsio bonæ conscientiæ in Deum 47. d actio dicitur, & baptismus, & sacramentum baptismi. 571. d
Ablutiones Iudaicæ Leuit. 20. 21. & 22. habuerunt annexam promissionem sanctificationis. 141. b
Abraham non in circuncisione, sed in præputio fuit iustificatus. 140. b. fuit iustus ante circuncisionem. 149. a. sacerdos erat, vt patet ex plurimis sacrificiis quæ obtulit. 695. d. non sacrificauit filium nisi voluntate, quia defuit realis occisio. 759. c. habuit vxorem filiam fratris sui Aran. 1220. b. fuit minor natu quàm Aran pater Saræ, licet ob dignitatem primo loco ponatur Abraham. 1231. b
Abrahæ priuilegiũ fuit, vt ipse primus haberet sacramentum Circuncisionis 124. c
Absoluendi à peccatis non sunt, qui solui nolunt. 871. a
Absoluendi poresta& quorsum delit Christus Apostolis, nisi vt ea vterentur, quando opus esset, eis iuberet. 874. a
Absoluere à peccatis est actus iurisdictionis. 224. b. non debet sacerdos, nisi quem ex signis sensibilibus pœni entem esse cognoscit. 895. b
Absoluo verbo, quod à vinculis soluendis, non à sordibus abluendis ducitur, non congruit ritus ablutionis. 839. c
Absolutio instituta vt remittat peccata. 5. d. significata per verba, est sacramentum, non vt per verba significatur, sed vt significat absolutionem internam. 21. b. significat peccati ipsius, quo quasi vinculo peccator constrictus tenebatur, relaxationem. 873. c. est actio sacerdotis, nõn autem pœnitentis. 895. a. est irrita, cùm sacerdos hominibus non sibi subiectis pœnitentiæ sacramentum administrat. 1128. a
Absolutionis sacramẽtum conferri potest, iis qui in periculo vitæ sunt, licet ipsi vi morbi oppressi non habeant vsum rationis vel sensuum, modò constet eos antea desiderasse eiusmodi sacramentum. 121. c. finis est remissio peccatorũ commissorum post baptismum. 627. d. verbum ad sacramenti pœnitentiæ essentiam pertinet. 892. a. sacerdotalis figura. fuit solutio Lazari, nam qui Lazarum soluerunt, in ea re ministri Christi fuerunt. 989. b
Absolutione sola non cõtinetur integrum sacramentum pœnitentiæ. 894. d sacerdotali remittitur culpa, & pœna æterna, sed non tota pœna temporalis aeternus vitæ. 1051. d
Absurda, quæ sequuntur sententiam, negantium intentionem in ministro esse necessariam. 95. c. d
Accidens duobus modis potest esse in alio accidente. 158. b
Accidentis esse est inesse, id est, accidentis natura est imperfecta, & habet ordinem quendam ad subsistantiam, ob cuius gratiam existit 562. d
Accidentia eadem numero à Deo resti tuuntur. 490 b. externa vtiliter manent in Eucharistia, ad velandum corpus Domini. 528. a. in Eucharistiæ sacramento, non subsistunt per se more subsistantiæ, sed à Deo sustentantur modo supernaturali. 563. c. in sanctissimo sacramento dicitur esse in se negatiuè, quia non sunt in aliquo supposito, & sunt in alio, vt in conseruante, non vt in subiecto. 563. d. sola in Eucharistia habent locum rei continentis. 640 c
Achab, quo in Regibus Israël peiorem non facilè reperies, veniam impetrauit. 3 Regum 21. 960. c.
Achaz reprehenditur quòd iusserit fieri in templo Domini altare nouum ad similitudinem altaris idolorum quod erat in Damasco, & remouerit altare Domini de loco suo. 200. c
Actio sacramentalis propriè est actio ministri dantis sacramentum, qua Deus vtitur tanquam instrumento ad iustificandum. 134 b. definit negatiuè quoad suas partes, id est, per primum non esse, desinit autẽ affirmatiuè, id est, per vltimam sui esse, quantum ad terminum suum. 135. c. vide *Deus.*
Actio propria & naturalis multorum sacramentorum, non reperitur in eorum vsu. 133. b. vim habet ex opere operantis, quod vim habet ex bonitate vel deuotione eius, qui operatur. 767. b. vim habet ex operato, quod ex se valet, modò fiat sicut lex præscribit, quicquid sit de bonitate vel malitia operantis ministri. 767. b. dicitur pars illa Missæ, quæ item Canon appellatur. 816. c
Actiones externæ à fine & intentione accipiunt suam speciem. 197. d
Actualis fides necessaria ad iustificationem adulti. 6. b. intentio est quando minister actu habet talem intentionem. 92. a
Acuere dentes dicuntur, qui auidè sumere cibum cupiunt, vt palatum delectent. 425. a
Adam fuit factus caput omnium hominũ, non per carnalem generationem, sed per creationem, & gratiam Dei singulare. nos verò efficimur filij Adæ & quasi corpus eius per carnalem generationem. 278. a. vsus est indumento aspero ex ficulneis foliis, vt corpus suum dolore afficeret, & voluptatem ex peccato perceptam ea ratione compensaret. 1051. b.
non poterat vxorem habere nisi eã, quæ cum illo à Deo fuit creata. 1144. c. qui vixit 930. annos, non supertransit nisi vsque ad octauam generationem. 1209. d
Adamum mouo, animam esse Deus coëgit repugnat enim omnino naturæ, vt patet ducta filiam auo neptis. 1144. c
Additio an possit fieri aliqua ad libros sacros, & præcepta moralia, iudicialia aut cæremonialia. 199
Additionem corrumpentem prohibet Dominus Deuteron. 12. & Prouerb 30. 109. d
Adorandi Christum ratio. fuit diuinitas sola, non autem humanitas. 673. d
Adorare Genes. 22. Ioan. 12. & Act. 8. significat sacrificare. 722. c. v. de *Christum qui.*
Adoratio corporalis est cultus Dei. 153. a. Dei, non est alligata certo loco. 674. b. potissimum pender ex intentione. 675. d. apud Iudæos non fuit alligata certo loco nisi ratione sacrificij. 723. a
Adorationis nomine in verbis Domini Ioan. 4. intelligitur adoratio solennis & publica, per sacrificium propriè dictum. 722. c
Adulterum qui iudicabant non esse eum, qui dimissa vxore causa fornicationis aliam ducit, iudicio D. Augustini. 1177. c
Adulteros occidere non iubet lex Euangelica. 1103. c
Adulterum Ioan. 8. verum Dominus, à peccatis absoluerit, an solùm à pœnà lapidationis liberauerit, non constat 1062. d. tolerati posse, & maximè emendari cupientem esse retinendam, docet D. Augustinus. 1177. a
Adulterium non est nisi cum coniuge alterius. 1162. b simplex non impedit matrimonium post mortem cõiugis. 1178. c
Adulterium non facit, inuita vxore aliam ducere, sed aliam ducere priore viuente & vxore permanente. 1145. c
Adulterij in causa quamuis secundum leges mundi, vir & vxor impares videantur, tamen secundum legem Christi pares sunt. 1171. b
Adulterio vxoris, qui consenserat, pœnitentia trium annorum iniungebatur. 1176
Adulti cum baptizantur, eodem die accipiunt tria sacramenta. 180. d. baptismum, confirmationem & eucharistiam. 303. a ante baptismum sunt probandi, ne ficto animo accedant, aut cum affectu peccati. 238. c.
cæci, surdi, & muti non sunt baptizandi, si sciri non potest eorum voluntas, quia in iis qui vsum rationis habent requiritur eorum consensus. 240. b. cæci, surdi & muti baptizari debent, si indicare possunt suam voluntatem qua baptizari velint, aut antea indicauerint, quam in eum morbum inciderent. 240. b
Adultis vt iustificentur necessaria est fides & pœnitentia. 107. a
Ægroti etiam à sensibus alienati, possunt reconciliari. 194 d
Æternitas est vnum instans durationis non fluens coëxistens toti tempori præterito & futuro. 490. d

Affines mariti, sunt parentes & fratres, & cæteri consanguinei vxoris. 1206. a.
vxoris sunt parentes & fratres, & cæteri consanguinei mariti. 1206. a. non sunt consanguinei vnius coniugis, consanguineis alterius coniugis, sed solùm ipsi coniugi. 1206 b
Affinitas nascitur ex eo, quòd per coniugium duæ personæ efficiuntur vna caro. 1135. d. est inter eos, qui non per propagationem, sed per vnionem duorum in carnem vnam coniunguntur. 1206. a. ex fornicatione est vera affinitas. 1115. d. ex copula fornicaria, dirimit matrimonia intra primum & secundum gradum. 1210. a
Afflictiones carnis non imperatas in particulari, sed spontè assumptas, patres laudant, & ad cultum Dei pertinere dicunt. 1046. b
Ἀγάπη erat conuiuium Christianorum ob refrigerium pauperum potissimùm excogitatum. 679. d
Agentia voluntaria, quando de industria applicant agentia, dicuntur propriissimè agere. 95. b
Agnatio apud Iurisconsultos semper est nomen speciei. 1206. a. in iure Canonico, simpliciter dicitur consanguinitas. 1206. a
Agnatos Iurisconsulti eos appellant, qui ex eodem sanguine per patrem descendunt. 1206. a
Agnus Paschalis fuisset præstantior nostra Eucharistia, si in ea non verè Christi corpus contineretur. 341 c. non dicebatur Pascha tropicè, quia significaret trasicum, sed dicebatur propriè Pascha. 378 b. erat corpus Domini significatiuè, & expressiùs quàm panis. 460. c. figura fuit Christi, vt in sacramento nobis apponendus erat manducandus. 595. c non poterat edi nisi ab hominibus purificatis & mundis. 625. d. non poterat manducari nisi à circuncisis, & mundis, & in Ierusalem. 706. c. dicitur Pascha in Euangelio. 706. a. fuit figura, quare teste D. Paulo debuit necessariò impleri. 706. d. immolabatur vt manducaretur, & esset quasi viaticum peregrinorum. 706. c. verè & propriè fuit sacrificium, cum & victima, & sacrificium in scripturis absolutè dicatur. 708. d. debuit offerri Domino per immolationem. 708. d typus Eucharistiæ fuit, nō vt sacrificium propitiatorium, sed vt commemoratiuum liberationis, & vt propriè Eucharisticum. 710. d. debuit à tota multitudine filiorum Israël immolari. 710. d. non potuit esse typus Eucharistiæ, quin etiã passionis Christi typus esset. 711. a
Agni Paschalis cæremonia non tam fuit posita in immolatione, quàm in manducatione. 341. b. cæremonia magis immediatè & principaliter figura fuit Eucharistiæ quàm passionis. 707. a. ritus potiùs tradit modum manducandi, quàm immolandi. 595. d. celebratio, erat figura expressa celebrationis Eucharistiæ. 705. d. celebratio fuit quoddam sacrificium. 708. c. sacrificium fuit institutum ℔ antequam familia Aaron determinaretur ad sacerdotium. 708. d
Agnum Paschalem fuisse Eucharistiæ figuram asserunt Doctores. 707. b
Agrippinus Episcopus Carthaginensis, S. Cyprini prædecessor, fuit primus auctor huius erroris, ꝙ sacramenta data ab hæreticis & schismaticis nō essent rata. 85. d
Albigenses negarunt homines malos posse efficaciter ministrare sacramẽta. 86. b. negarunt Eucharistiam esse verum corpus Domini. 331. c
Alleluia quod significat, laudate Dominum, canitur post graduale. 813. b
Altare dicitur quasi altum. 685. b. est in Ecclesia. 84. a. aliquod spirituale est in cælo. 830. c. est sedes corporis & sanguinis Christi. 444. a. ab Optato vocatur sedes corporis Christi. 569. b. propriè dictum non erigitur nisi ad sacrificia propriè dicta. 729. d. id omne est vbi recipitur victima per verba consecrationis effecta. 761. b. est figura quæ-dam, & signum Christi. 444. d
Altare & sacrificium relatiua sunt. 684. a
Altare vnum agnoscunt patres in Ecclesia, id est, vnum sacerdotiũ, & vnum ritum. 792. d. nouum erigere in templo Domini, nullum crimen fuit. 200. c. vide Achaz.
Altaris oblationem D. Augustinus vocat corpus Domini. 836. d. ad Eucharistiam consecrandam mentio est in canonibus Apostolorum. 739. d
Altaria, signa sunt euidentissima sacrificij propriè dicti. 739. d. semper erigebantur ad sacrificia. 685. b
Altarium meminerunt Patres & antiqua Concilia. 739. d. 740. a. b. multitudo fuit antiquitus in eadem Ecclesia. 786. a
Alter si liceret ei post diuortium accipere aliam vxorem, commodum ex peccato suo reportaret. 1170. a
Ambiguitate licet eludere interrogantem non iuridicè. 1231. a
Ambrosius defenditur à calumniis Petri Martyris. 575. b. vt testatur Paulinus, solebat audire confessiones, & quidem priuatim. 1001. c. negans in lege expressè prohiberi coniugium patris cum filia, oblioione errauit. 1208. c
Ambrosij sententia, quòd lege Mosaica prohibeatur coniugium patruelium, qui sunt in quarto gradu secundum leges, non est probanda. 1208. c
Amen respondere solebant, qui accipiebant sanguinem Domini, dicente sacerdote, *Sanguis Domini nostri Iesu Christi, &c.* 796. b. quod respondetur finita oratione, significat verè, seu fideliter. 812. c
Amicitiam suam Deus gratis nobis testituit. 1033. d
Amicum mortuum, qui defient, non ideo lugent, quia diligunt amicum, sed quia nollent periisse quem diligunt. 928. b
Anabaptismus est repetitio eiusdem baptismi. 273. d
Anabaptistæ admittunt baptismum pro solis adultis. 3. d. dicunt sacramenta nihil esse nisi allegorias, & signa bonorum operum. 39. a. docent infantes saluari sine fide, & sine baptismo. 215. c. ante communionem, inquit Marloratus hæreticus, protestantur se habere tantam charitatem, quantam habuit Christus in cruce pendens. 624. a
Anabaptistarum doctrina est in multis occulta. 25. c. hæresis quanta & à quo exorta. 230. a
Analogia inter panem & Christum non requirit, vt panis verè nutriat, & ex multis granis constet. 514. d
Anathema eis tantùm dicit Apostolus 1. Corinth. 16. qui Christum neque perfectè, neque imperfectè diligunt, vel etiam oderunt ac persequuntur, aut certè contemnunt, & agnoscere dedignãtur. 953. b
Andreas Carolstadius primus nostri seculi sacramentarius. 331. c
Angelus bonus si ministraret sacramentum, illud habendum esset ratum. 78. b. non est minister sacramentorum. 78. b. placatus ob circuncisionem filij Mosis à Sephora factam, destitit à Mose vexando. 226. d. non necessariò mouetur ad motum corporis assumpti. 540. d
Angeli consequentia Matth. 28. *Non est hic, surrexit enim*, est bona moraliter loquendo. 492. b
Angeli ordinarunt Amphilochium Episcopum. 78. c. etiam per corpus assumptum non possunt propriè loqui. 78. d. fecerunt manna, non autem eo vescuntur. 153. b. ad altare astant capitibus inclinatis. 452. b. de cælo in terram veniunt ob Christi Domini in Eucharistia præsentiam. 762. c
Angelis non est concessum, vt ministrent sacramenta. 79. a
Angelos in specie humana sibi apparentes, veros esse homines credebat, Abraham, Loth, Tobias, Manue & Gedeon. 560. b
Anglis ob recentem eorum confessionem ad fidem, Gregorius concessit, vt in tertio, & quarto gradu matrimonia contraherent. 1234. b
Anglorum Caluinistarum qui Geneuæ degunt in sua cœna, ritus. 54. b
Anima in corpore esse nequit, nisi dispositio & organizato. 496. a. non cadit cadente homine. 520. b. rationalis verè creatur. 134. c. rationalis rota est in qualibet parte corporis, alioquin non esset immortalis. 489. d
Animam occidunt peccata mortalia, non autem venialia, licet aliquo modo debilitent. 631. d
Animæ in purgatorio detentæ, pacem quãdam, & quietem habent. 833. d
Annæ non erat in lege Domini imperatũ, vt perpetuò ieiunaret & oraret. 1045. a
Annihilari dicitur quod terminatur in nihil. 656. c
Annihilatio est actio, quæ terminatur ad nihil. 534. b
Antichristus contemnet omnes Deos, vt solus ipse habeatur Deus. 678 b. clam in arce quadam munitissima diabolum pro Deo colet. 678. c. auferet iuge sacrificium, saltem ex publicis templis. 714. d. est ablaturus iuge sacrificium, vt religionem penitus tollat. 743. d
Antiochus solam corporis mortem, & cruciatum viscerum quo vexabatur, auertere oratione sua desideranit. 961. d
Antitypon vox nunquam accipitur pro exemplari, sed pro imagine, quæ è regione respondet exemplari, & ita illud imitatur, vt ferè cum eo contendere videatur. 441. d
Antitypa vox D. Basi. quid significet. 613. b
Apollo iudicio Chrysost. & Oecum. in c. 18. Act. fuit baptizat' baptismo Christi. 278. d
Apostolica auctoritas in se cõtinet omnem Ecclesiasticam potestatem. 316. d
Apostolici hæretici tempore D. Bernardi, negarunt homines malos posse efficaciter ministrare sacramenta. 86. b.
Apostolus non imperauit cõtinentiam virginalem, verùm alia multa. 195. c. post acceptum Spiritum sanctum in doctrina errare non potuit. 1090. b
Apostoli acceperunt potestatem conferandi Eucharistiam Luc. 22. 80. 2. non fuerunt turbati in institutione Eucharistiæ, quia fuerant antea instructi, & præmoniti, & quia Christus Dominus mentes ipsorum fide illustrabat, vt simpliciter crederent. 376. b. in die Pentecostes sine sacramento sunt, confirmati ab ipso Deo immediatè, non tamen sine visibili symbolo effectum inuisibilem significante. 305. b. singulari miraculo & beneficio receperunt gratiam promissam sine vllo medio, seu sacramento in die Pentecostes Act. 2. 289. c. auctore Gregor. solam orationem dominicam ad consecrationem addebant. 606. b. nunquam ita ordinariè & securè impositi fuissent omnib⁹ baptizatis manus, vt veniret super eos Spiritus sanctus nisi Doctinus hoc eis mandasset. 189. d. essi initio solam orationẽ dominicam ad verba consecrationis addidisse dicantur, tamen postea iidem ordinauerunt ritum celebrandi, & multa alia addiderunt. 758. d. fuerunt instituti sacerdotes à Domino, per verba illa, *Hoc facite*. 620. b. omnium primi à Christo fuerunt instituti sacerdotes. 722. a. facti fuerunt sacerdotes in vltima cœna. 1088. b. in vltima cœna fuerunt creati presbyteri, non autẽ episcopi: episcopi enim post resurrectionẽ facti sunt, cùm eis diceretur Ioan. 20. *Ecce ego mitto vos, &c.* 317. c. non baptizarunt nisi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. 208. d.

baptizarunt in nomine Domini Iesu, id est, vel auctoritate Domini Iesu, vel baptismo à Christo instituto, vel in nomine Domini Iesu, sed non solius, verùm adiuncto Patre & Spiritu sancto. 209. a. nusquam leguntur baptizasse in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. 883. b. soli non potuerunt commodè baptizare tria hominum millia die primo Pentecostes. 227. c. nunquam appellabant baptismum suum, quem aliis conferebant, tamen aliquãdo appellarunt euangelium suum, quod prædicabant. 88. a. baptizati sunt, & baptizabant ante Christi passionem. 79. d. in scripturis non vocantur nisi dispensatores & ministri mysteriorum Dei. 75. b
Apostolorum traditio non minoris auctoritatis quàm scriptura. 234. a
Apostolis succedunt sacerdotes, quatenus ad illos etiam pertinet præceptum conficiendæ Eucharistiæ, quod datum fuit Apostolis per illa verba, *Hoc facite, &c.* 660. b. solis Christum dixisse Matth. vltimo, *Euntes docete, &c.* non est certum. 228. c. solis, vt patet Lucæ 22. dictum est, *Hoc facite*, qui eo mandato ordinati sunt, primi sacerdotes noui Testamenti. 619. b. solis Christum dixisse *Hoc facite, &c.* 620. c. solis dicta sunt hæc verba. *Bibite ex hoc omnes*: nam vt scribit Marc. cap. 14. *Biberunt ex eo omnes*. 657. d
Apostolos non fuisse baptizatos nisi ante Christi Domini passionem probabile est. 216. d. baptizatos Christi baptismo scribunt, & probant Tertul. libro 3. de Origene animæ, cap. 9. 278. c. Christus ad honorem sacerdotij vocauit illis verbis, *Hoc facite*. 715. d
Aqua vt est tes permanens non est sacramentum baptismi. 572. d. vera & naturalis est materia baptismi, quamuis accidentaliter alterata & mutata. 205. b. simplex, inquit Cyrillus, per sancti Spiritus, Christi, & Patris inuocationem, sanctitatem consequitur. 59. d. quatenus offertur cum vino ante consecrationem, nõ figuificat populum, sed repræsentat aquam illam, quæ ex latere Domini fluxit cum sanguine. 601. a. miscetur vino in sacrificio, ad significandam duarum naturarũ in Christo coniunctionem. 600. c. consecrationem, vt tunc significet vnionem populi cum Christo, sed vt significet suo tempore, nimirum facta consecratione. 601. d. vt sentit maior Theologorum pars, non est de necessitate sacramenti Eucharistiæ. 603. a. quatenus vnitur cum vino, & illi incorporatur, significat vnionem populi cum Christo, quæ consecuta est ipsius passionem. 601. b
habet vim mundandi iudicio D. Augustini, non ex se, sed à verbo. 61. a. habet vim mundandi, quia est sacramentum à Deo institutum. 62. a. verè & efficienter saluauit 609. qui erant in arca Noë, ipsam arcam in sublime attollens. 113. b. in baptismo sic est instrumentum Dei, vt calor in aqua calefacta est instrumentum ignis ad calefaciendum. 117. b. c
Aqua de petra scaturiens, vocatur potus spiritualis non propter effectum, sed propter significationem & causam. 153. b. bibebatur ab hominibus & iumentis, nõ ergo erat sacramentum. 152. a. non vocatur ab Apostolo, spiritualis, sed petra quæ erat causa illius aquæ, hæc petra erat Christus. 153 c. non fuit sequuta Iudæos, vt somniat Caluinus. 378. d
Aqua quæ fluxit ex latere Domini significat baptismum. 38. d. fuit figura sanguinis Domini in sacramento Eucharistiæ. 378. d. 562. c
Aqua benedicta non habet eandem vim quam baptismus. 7. a. non est sacramentum, quia non est efficax signum gratiæ iustificantis. 11. a
Aqua baptismi nullam requirit benedictionem vt baptismus sit sacramentum. 383. d. apud sactamentarios, non est minùs sancta, quàm est Eucharistia. 468. c
Aqua lustrationis quæ admistum habebat cinerem vaccæ rufæ, fuit figura baptismi. 114. d. vide *Manichæi & Marcionistæ*.
Aquæ nomine intellexit Dominus Ioan. 6. gratiam Spiritus sancti. 352. a
Aquæ vim in baptismo esse à Spiritu sancto, ita vt aqua exteriùs lauat, Spiritus sanctus lauat interiùs, docet Dominus 215. c
Aquæ lauacro mundamur & saluamur. 112. d. benedictio à D. Basilio. 808. a. benedictio nō est necessaria ad substantiam sacramenti baptismi. 206. a
Aquæ baptismi aspersione, nõ solùm mundantur peccata, sed etiam datur cor nouum, & spiritus nouus. 113. d. benedictæ aspersio, est quædam expiatio, & præparatio ad futurum sacrificium. 808. a
Aquam non benedixit Christus, vt benedixit panem, quia nulla mutatio fiebat in substantia aquæ. 363. d. solam in calice offerendam existimarunt hæretici aliqui. 596 c. de petra non bibetunt Iudæi simul cum cibo spirituali. 669 c. tactu carnis suæ Christus consecrauit & illustrauit. 217. b
Aquam baptismi indignè tractans non dicitur reus Spiritus sancti. 386. c. constare vna re terrena, & altera cælesti, nemo asseruit. 411. d
Aqua aspergimur in baptismo non vt lauetur corpus, sed solùm gratia significationis. 554. c. absque vino in suis Cœnis vtuntur Lutherani & Caluinistæ. 597. a. benedicta, etiam extra baptismũ, multi sunt vsi ad curandos morbos. 1099. c
Aquæ significant populos. 600. b
non habuerunt vim sanctificandi, nisi ab eo tempore, quo cœperunt esse materia baptismi. 199. b
Aquis vim sanctificãdi dedit Christus Dominus cùm baptizaretur in Iordane. 215. b
Ara dicitur quasi ansa, quia sacerdos aram tenere consueuerat, dum sacrificium offerret. 684. b
Arcæ honor impensus in solenni processione Deo placuit. 315. d
Arcanum mirabile est in Eucharistia, quod nec debet aperiri infidelibus, nec fine fide intelligi potest. 463. b
Archontici baptismum & Eucharistiã execrabantur. 1. a
Argumentum ab auctoritate negatiuè, est iudicio Lutheri in rebus sactis optimum. 36. a
Argumenta hæreticorum, contra necessitatem intentionis in ministris sacramentorum. 95. d. 96. a. b
Ariani non iubebantur rebaptizari. 59. b. rebaptizant Catholicos. 206. b. contemperunt confirmationis sacramentum. 286. d. Orientales non confirmantur per chrisma in sua secta, Occidentales autem confirmabantur. 299. d
Armeni spoliabant sacramenta virtute & efficientia. 2. a. non miscebant aquam vno in sacrificio, ne significare viderentur vnionem duarum naturarũ in Christo, quam ipsi non credebant. 597. a
Articulus apud Græcos sæpissimè ponitur in prædicato propositionis ad rem demonstrandam, & definiendam siue energiæ causa. 365. d
Articulus mortis excusat à præuaricatione præcepti, ac facit, vt non sit reus sacramenti non percepti. 951. c
Afcensionis articulus non repugnat veritati Eucharistiæ, quia Catholici vtrumque credunt. 362. b
Ascodrutiæ seu Ascodrupitæ baptismum & Eucharistiam exercebantur. 1. a
Athanasius voluit baptizare, quamuis acceperit eam actionem pro materia sudi, & oblectationis. 56. d. vide *Baptismũ ab.*
Attritio quæ est imperfecta contritio, est donum Spiritus sancti. 6. 1. d. haberi non potest nisi præcedente fide. 845. b. est donum Dei, & Spiritus sancti impulsus. 923. a. cum solo sacramenti voto non iustificat. 958. d. sine sacramento, quod reipsa percipiatur, non potest per se ad reconciliationem peccatorem perducere, eum tamen ad gratiam in sacramento suscipiendam disponit. 915. b. inquit Lutherus, facit hominem hypocritam, & magis peccatorem. 862. c. d
Auctor commentariorum in epist. Pauli, quæ passim tribuuntur Ambrosio, non est Ambrosius, neque aliquis ex celebratis patribus. 1177. b
Auctoritas conferendi sacramenta, non datur in vtilitatem habentis, sed aliorum. 88. b. non est gratia gratum faciens, sed gratia data. ibid.
Audiani hæretici confessionem peccatorũ, & absolutionem largiebantur, sed nullam iniungebãt pœnitentibus mulctam. 975. a. non iniungebant pœnitentiam. 3. b
Auditores seu audientes, vide *Catechumenorum duo.*
Auersio à Deo est voluntas præuaricandi. 930. b
Augustinus natus est anno 357. 87. a. scripsit eos iniuriã facere humanis sensibus, qui dicunt infantes actu credere. 37. b. dubitauit, an baptismus collatus per iocum teneat, quia in nullo consilio res definita fuerat. 97. d. maluit potiùs reprehendi à Grammaticis, quàm non intelligi à populis. 102. c. reprehendit eos, qui sentiebant non posse eos damnari, qui sacramẽta percipiunt baptismi & cœnæ Domini, licet nec fidem, nec bonam vitam teneant. 128. a. non condemnat cæremonias Ecclesiæ, vt nugantur hæretici. 198. a. cum dicit æquale esse peccatum, si quis corpus Domini in terram cadere finat, & si quis verbum Dei ex corde permittat effluere, non comparat verbum Christi rationi soni aut characterum cum corpore Christi, sed ratione veritatis diuinæ, quæ illis sonis & characteribus significatur. 468. a
Augustini sententia, *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*, explicatur. 60. d. sententia explicata 114 c
Augustinum eorum suum esse mentitur Caluinus. 457. b

B

BAlsamum an requiratur in chrismate necessitate sacramenti, an solùm necessitate præcepti quæstio est inter Theologos. 311 c. verum & natiuum non perijt, nam ex Iudis adhuc habitis, quamuis fortassis non sit eiusdem speciei cum eo quod nascitur in Palæstina. 311. d. quamuis rarum & pretiosum, tamen hactenus nunquam defuit Ecclesiæ, neque ex penuria balsami prætermissa est aliquando confirmatio. 312. a
Balsami cum oleo mixti meminit Gregorius primus. 302. d
Βάπτισμα significat propriè immersionem. 203. a. cur dicatur vnu. 864 d nostrum est antitypus arcæ Noë. 21 c. hæreticorum fuit approbarum à Synodo Nicæna 87. b quorum liber hæreticorum, modò detur verbis præscriptis, approbatur ab Ecclesia. 57. d. Iudæorum auferebat sordes carnis non tantùm significando, sed etiã efficiendo. Baptisma Christianorum lauat conscientiam non tantùm significando, sed etiam efficiendo. 113 b
Baptisma Ioannis non erat insantibus necessarium. 23. a. iudicio Tertul. non fuit cæleste, sed humanum, quia non dabat Spiritum sanctum, nec remissionem delictorum. 17. c

Baptisma idem esse vbi est idem Deus, eadem fides, &c. non probat Apostolus Ephes. 4. 276. c.

Baptismata tria distinguuntur, Vnum in aqua solùm, & hoc erat Ioannis, quod distinguitur contra baptismum in spiritu. Alterum in spiritu & igni solo, id est, non in aqua, & hoc est visibilis missio Spiritus sancti. Tertium est in aqua & spiritu simul, & hoc est sacramentum baptismi Christi. 270. a. tria distinguit D. Ambrosius, vnum aquæ, alterum sanguinis & tertium purgatorij in alia vita. 219. c

Baptismus institutus, vt remittat peccata. 5. d. verus ab hæreticis susceptus sine vera fide. 6. b. prodest paruulis etiamsi actu non credant. 6. d. sine sale, oleo aliisque rebus sufficit ad iustificationē. 10. a. est Catholicis communis cum hæreticis. 38. d. iudicio Buceri non prodest infantibus non prædestinatis. 40. a. significat mortem & resurrectionem Christi. 40. c. non saluat obsignando & testificando, sed iustificando animam. 48. b. est publica approbatio & testificatio fidei eius qui baptizatur. 48. d. perficit & quodammodo absoluit hominem fidelem. 48. d. vt scribit diuus Basilius, perficitur tribus mersionibus, & totidem inuocationibus. 59. d. consecratur illa inuocatione, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. 61. a. vt docet D. Augusti. conseeratur certis verbis. 69. b. in re, vel in voto, est præceptum, & medium ad salutem necessarium. 70. c. est omnibus necessarius necessitate medij. 70. d. propter summam eius necessitatem, potest à quolibet homine conferri. 79. c. est verus, & efficax, cùm minister intendit verè baptizare, licet ob malum finem. 96. b. non est ratus, si minister non intendat baptizare, sed tantùm lauare corpus. 98. b. c. prodest paruulis sine actuali ipsorum fide. 107. a. non saluat nisi iustificando & abluendo sordes peccatorum. 110. c. non potest dici lauacrum regenerationis, si per illum Deus non lauat nos, licet eodem tempore lauet nos. 113. a. à Spiritu sancto vim accepit procreandi nouos homines. 114. a. dat gratiam bene operandi. 116 a. b. non potest esse caussa remissionis peccatorum in paruulis excitando fidem. 116. a. multis nominibus appellatur. 116. c. repente, & petnicitet auctore Cypriano, operatur & renouat hominem. 118. b. c. repetitus, detrimentum adfert. 118. d. immediatè iustificat applicando Christi merita. 119. a. auctore D. Aug. multum prodest paruulis, etiamsi illi careant fide. 119. a. b. vocatur sigillum fidei. 128. c. dicitur non manu factus. Colossi. 2. quia principalis baptizans est Deus. 140. d. vocatur circuncisio ab Apostolo, Colossi. 155. b. formar hominem ad alia sacramenta suscipienda. 161. a. est sigillum quo conseruantur fideles, & quo tanquam signo cognoscimur esse Dei possessio. 161. b. ex communi sententia, exceptis Anabaptistis, aliquid sacramentale confert, etiamsi detur & percipiatur sine fide. 163. a. ritè collatus non potest repeti. 163. c. probatur esse sacramentum. 170. c. est omnium sacramentorum primum & quasi janua. 173. b. excellit alia sacramenta quoad effectum remittendi peccata. 182 d. ordinariè fit per immersionem, ad Christi sepulturam repræsentandam. 203. a. dicitur illuminatio, quia in eo infunditur habitus fidei. 203. b. est signum externum sanctificans per aquæ aspersionem. 204. a. comparatur mari rubro, & diluuio. 250. b. si detur in nomine Christi, aut alterius cuiusuis personæ, sine expressione aliarum personarum, aut absolutè, aut sub conditione est repetendus. 207. c. dandus est in nomine trium personarum. 208. b. est necessarius ad salutem ex diuino Christi Domini mandato. 209. d. non est sigillum acceptæ gratiæ, sed est instrumentum conferens gratiam. 215. b. non prophanatur cum datur immundis, sed potiùs eos sanctificet & purgat. 215. b. ante passionem institutus. 216. b. non necessarius ante Christi mortem. 217. c. triplex sanguinis, flaminis & fluminis. 218. d. necessarius in re vel in voto. 222. d. cur in adultis fidem requirat non in paruulis. 233. b. nullam obligationem inducit ad quam non teneamur etiam sine baptismo. 233. c. est perfectum sacramentum, quod perficit homines imperfectos. 237. a. est fidei externa professio. 237. b. facit nos Dei filios, fratres Christi, ac omnium aliorum similiter renatorum. 238. d. mortificat peccatum etiam in paruulis. 239. c. non est cibus, sed regeneratio quæ maximè conuenit paruulis. 240. a. est imperfectorum. 240. a. verè & vtiliter datur infantibus, quamuis offerentes, parentes, & ipsi baptizantes sint infideles. 243. c. non facit in infantibus nouos morus & inclinationes similes actibus fidei & dilectionis. 243. d. est illuminatio, & qui baptizantur illuminantur propter fidem quæ in baptismo recipitur, quæ est lumen cordis. 245. d. illuminat ratione habitus fidei qui infunditur ei qui accipit baptismum. 246. a. parentum fidem non necessario exigit. 247. a. tollit reipsa id omne, quod habet in homine rationem peccati. 249. b. semel mundat non quotidie. 249. d. non id efficit, vt baptizati non possint gratiam Dei amittere, nisi nolint credere. 252. a. non liberat homines à seruanda lege Dei, ita vt baptizatus solius fidei debitor sit. 254. c. non liberat homines ab obligatione legis Ecclesiasticæ. 256. d. non est propterea insufficiens, quòd melius sit baptizari & Eucharistiam sumere, quàm solùm baptizari. 259. c. est sufficiens ad suum finem, id est, ad saluandum hominem, licet addi aliquid possit vt vel facilius, vel excellentius aliquis saluetur. 259. c. non violatur ignorantia. 274. c. nos facit Christi membra, & proinde vnum corpus Christi, quia hoc sacramento regeneramur, & annectimur Christo. 278. a. propriè ad vitam regenerat, quamuis gratia illa regenerationis valeat etiã ad peccata vitanda. 286. d. perfici potest per aspersionem aquæ, siue in fronte siue extra frontem, imò nunc ordinariè cum baptizantur infantes, solùm vertici ipsorum infunditur aqua. 287. d. dat gratiam & Spiritum sanctum, sed ad alios effectus quàm confirmatio. 302. d. perficit in suo genere, quia facit verè & integrè iustos, & Dei filios: & tamen confirmatio perficit in alio genere, quomodo infans perfectus homo est quoad essentiam, & tamen non est perfectus quoad molem. 303. a. armat, quia dat gratiam bene operandi, sed confirmatio addit peculiare robur ad profitendam fidem. 303. a. repræsentat Christi mortem præteritam, teste Paulo Rom. 6. & tamen videretur, qui diceret baptismum esse ipsum corpus Christi. 370. d. non solùm significat, sed etiam verè lauat animas à peccatis. 379. a. non requirit realem præsentiam Christi. 394. a. est potiùs imago diluuij, quàm diluuium baptismi. 441. d. aliquo modo est exemplar, & aliquo modo imago diluuij, & vt imago, non vt exemplar dicitur 1. Petr. 3. antitypon diluuij. 441. d. propriè in actione consistit. 572. b applicat hominibus Christi merita per motum lauacri ad abluendas animas 631. b. olim fiebat per trinam immersionem, nunc per trina aspersionem. 671. a. immediatè refertur ad nostram sanctificationem, non ad cultum Deo soli debitum reddendum. 736. d. est sacramentum repræsentatiuum mortis Christi. 738. a. idem est, & idem efficit, siue à bono, siue à malo ministro conferatur. 767. b. ad Hebr. 6. describitur per illuminationem. 887. c. cùm sit sacramentum regenerationis & renouationis, vim habet iustificandi & renouandi. 937. a. cùm reipsa haberi nequit, per votum potest suppleri. 938. c. in lege naturæ adumbratus fuit per arcam Noë, & Circuncisionem, in' lege scripta per transitum maris rubri, & probaticam piscinam, & propinquante lege gratiæ, per baptismum Ioannis. 984. b. ratus est, etiamsi à non Sacerdore tribuatur. 989. d. cùm sit lauacrum regenerationis, non requirit, vt is qui regeneratur, in ea re multum laboret. 1043. b. necessariò præcedit cætera sacramenta, quæ non possunt aut debent dari non baptizatis sine peccato. 1088. b

Baptismus Christi, inquit D. Augustinus verbis Euangelicis consecratur. 60. b. institutus est, quando Dominus ipse in Iordane à Ioanne baptizatus est. 215. b. cœpit esse necessarius necessitate medij & præcepti à die Pentecostes. 218. a. post promulgationem suam omnes homines obligat. 266. b. non vocatur baptismus Petri, Pauli, &c. ne videretur illi auctores baptismi. 267. b. cum sit sacramentum noui Testamenti, ab ipso Christo est instituras. 267. d. non potest iterari, ac baptizati à Ioanne fuerunt postea baptizati baptismo Christi, quare non erat Christi baptismus quem Ioannes ministrabat. 268. a. Domini ante eius passionem significat Christi passionem futuram, postea verò significare cœpit Christi passionem præteritam. 268. c. est diuo Ambrosio oculus gratiarum, quia dabat gratiam, baptismus verò Ioannis est eidem oculus suppliciorum, quia tantum erat baptisma pœnitentiæ. 271. d. erat necessariò percipiendus post baptismum Ioannis. 272. d. nusquam dicitur baptismus pœnitentiæ, sed lauacrũ regenerationis, Tit. 3. 275. d. non pœnitentiam gignit, sed per pœnitentiam præparatos à peccatis purgat, eósque renouat & regenerat. 891. d. non pœnitentiæ baptismus, sed lauacrum regenerationis & renouationis dicitur. 892. a. non ponenti obicem, ex opere operato peccata omnia, tum quoad culpam, tum quoad pœnam omnino remittit. 988. b

Baptismus Ioannis iudicio hæreticorum, eandem habet vim cum baptismo Christi. 32. b erat efficax ad alendam fidem, non minùs quàm baptismus Christi. 116. a. distinguitur à baptismo Christi, quòd ille esset in sola aqua, hic verò non in sola aqua, sed in aqua & spiritu. 205. c. non habuit eandem vim cum baptismo Christi. 265. b. cœpit in fine legis, & non duravit nisi annum vnum, aut paulò amplius, quare non ad veterem, sed ad nouam legem pertinuit, vt quædã præparatio ad Christi baptismum. 266. c. fuit institutus ab ipso Ioanne, quare non erat sacramentum nouæ legis. 267. a. non fuit sacramentum 266. c. non fuit sacramentum idem cum baptismo Christi. 267. a.

Baptismus Ioannis, vide *Significare Christi*.

Baptismus flaminis est perfecta conuersio ac pœnitentia, & baptismum aquæ saltem in necessitate supplet. 22. c. includit veram contritionem & charitatem, ac desiderium seu votum baptismi aquæ. 222. c. est perfecta & feruens conuersio interna, quæ omnem rubiginem peccati tollit. 223. a. est ex pacto Dei. 223. c

Baptismus Iudaicus ex opere operato non iustificabat. 47. c. hæreticorum secundùm formam Ecclesiæ ratus est. 227. d. infantium probatur multis testimoniis. 231. d. 232. a. b. aquæ est caussa nouæ natiuitatis. 111. a. purgatorij. 279. c

Baptismus & impositio manus, fuerunt duæ actiones diuerso tempore factæ. 110. c

Baptismus, vide *Adulti cæci. Aquæ vim, & Lotio & Renouatio. Catechismi doctrina. Character. Christus. Consolatio nobis. Diaconus. Circuncisio. Infantes. Doctrina diuersitas. Fratres qui. Innocatio nominis. Lauacra. Paruulorum nulla. Peccata non tolli. Pelagiani & hæretici. Perilianus. Lutherani. Pœnitentia sequitur. Pœnitentia necessaria, Vota omnia.*

Baptismi sacramentum, appellatur initiatio. 19. c. ante passionem Christi est institutum. 33. c. conferri potest iis qui in periculo vitæ sunt, licet ipsi vi morbi oppressi non habeant vsum rationis, vel sensuum, modò constet eos antea desiderasse eiusmodi sacramentum. 121. c. d. supplet fidem sicut fides econuerso in latrone supplenit baptismum. 236. d. non est aqua consecrata, sed abluto. 746. c

Baptismi aqua virtutem habet non ex sua natura, sed ex vi Spiritus sancti. 116. d. comparatur virgæ Aaronis, quæ miracula faciebat efficienter. 117. a. est homini renascenti instar veri virginalis. 119. b

Baptismi aquam in terram proiicere non est peccatum. 468. b

Baptismi lauacrum auctore D. Hieronym. purgat peccata. 145. b. præcipuũ & communissimum nomen est *φωτισμὸς*, id est, illuminatio. 203. a

Baptismi materia est aspersio aquæ. 888. a

Baptismi forma à Marcosiis corrupta. 3. a. non ex sola scriptura certò colligi potest. 56. a. est, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, quamuis pronomen *ego* non sit de formæ essentia. 207. c

Baptismi formam qui mutat, auctore D. Basilio excidit à gratia. 69. b. vsitatam, non esse necessariam ad sacramenti substantiam existimarunt Lutherus, Zuinglius & Brentius. 206. d. colligimus ex Euangelio, & traditione Ecclesiæ. 207. c. Lutherani & Caluinistæ volunt esse concionem. 230. c

Baptismi primarius finis & vsus ex sententia Caluini est alere fidem. 44. b. finis principalis est iustificare & regenerare. 204. a. proximus finis est remissio peccati originalis, & aliorum quæ cum illo adiuncta inueniuntur. 617. d

Baptismi efficacia, ne incredibilis videretur, variis figuris est demonstrata. 111. b. non se extendit ad futurum, sed solùm ad præteritum. 260. a

Baptismi effectus est remissio peccatorum præteritorum, finis verò est vita beata futura. 263. a. fuit à Deo institutus, sed mediante ipso Ioanne. 267. c. non habuit inuocationem trinitatis, quæ est de essentia baptismi Christi. 267. c. non habuit eandem vim & efficaciam, quam habet baptismus Christi. 268. d. Marci 1. & Luc 3. vocatur baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 891. d. pœnitentiam parietbat, pœnirentia verò remissionem peccatorum. 891. d. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Act. 13. & 19. appellatur baptismus pœnitentiæ, quia ad pœnitentiam inuitabat. 892. a. non remittebat peccata ex opere operato. 988. b

Baptismus Ioannis, vide *Significare Christi*.

Baptismus flaminis est perfecta conuersio ac pœnitentia, & baptismum aquæ saltem in necessitate supplet. 22. c. includit veram contritionem & charitatem, ac desiderium seu votum baptismi aquæ. 222. c. est perfecta & feruens conuersio interna, quæ omnem rubiginem peccati tollit. 223. a. est ex pacto Dei. 223. c

Baptismus Iudaicus ex opere operato non iustificabat. 47. c. hæreticorum secundùm formam Ecclesiæ ratus est. 227. d. infantium probatur multis testimoniis. 231. d. 232. a. b. aquæ est caussa nouæ natiuitatis. 111. a. purgatorij. 279. c

Baptismus & impositio manus, fuerunt duæ actiones diuerso tempore factæ. 110. c

Baptismus, vide *Adulti cæci. Aquæ vim, & Lotio & Renouatio. Catechismi doctrina. Character. Christus. Consolatio nobis. Diaconus. Circuncisio. Infantes. Doctrina diuersitas. Fratres qui. Innocatio nominis. Lauacra. Paruulorum nulla. Peccata non tolli. Pelagiani & hæretici. Perilianus. Lutherani. Pœnitentia sequitur. Pœnitentia necessaria, Vota omnia.*

Baptismi sacramentum, appellatur initiatio. 19. c. ante passionem Christi est institutum. 33. c. conferri potest iis qui in periculo vitæ sunt, licet ipsi vi morbi oppressi non habeant vsum rationis, vel sensuum, modò constet eos antea desiderasse eiusmodi sacramentum. 121. c. d. supplet fidem sicut fides econuerso in latrone supplenit baptismum, 236. d. non est aqua consecrata, sed abluto. 746. c

Baptismi aqua virtutem habet non ex sua natura, sed ex vi Spiritus sancti. 116. d. comparatur virgæ Aaronis, quæ miracula faciebat efficienter. 117. a. est homini renascenti instar veri virginalis. 119. b

Baptismi aquam in terram proiicere non est peccatum. 468. b

Baptismi lauacrum auctore D. Hieronym. purgat peccata. 145. b. præcipuũ & communissimum nomen est *φωτισμὸς*, id est, illuminatio. 203. a

Baptismi materia est aspersio aquæ. 888. a

Baptismi forma à Marcosiis corrupta. 3. a. non ex sola scriptura certò colligi potest. 56. a. est, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, quamuis pronomen *ego* non sit de formæ essentia. 207. c

Baptismi formam qui mutat, auctore D. Basilio excidit à gratia. 69. b. vsitatam, non esse necessariam ad sacramenti substantiam existimarunt Lutherus, Zuinglius & Brentius. 206. d. colligimus ex Euangelio, & traditione Ecclesiæ. 207. c. Lutherani & Caluinistæ volunt esse concionem. 230. c

Baptismi primarius finis & vsus ex sententia Caluini est alere fidem. 44. b. finis principalis est iustificare & regenerare. 204. a. proximus finis est remissio peccati originalis, & aliorum quæ cum illo adiuncta inueniuntur. 617. d

Baptismi efficacia, ne incredibilis videretur, variis figuris est demonstrata. 111. b. non se extendit ad futurum, sed solùm ad præteritum. 260. a

Baptismi effectus est remissio peccatorum præteritorum, finis verò est vita beata futura. 263. a. effectus, nimirum quòd baptizatis aperiatur cælum, & à parte in filios adoptentur, & Spiritu sancto repleantur, fuerunt declarati in baptismo Christi. 217. c. decem à D. Chrysostomo numerantur. 117. d. sunt tres, nam tollit ac delet verè omnem culpam & pœnam: confert ex opere operato gratiam, & dona diuina, quibus verè & formaliter iustificatur homo, & imprimit indelebilem characterem, ob quem reiterari non potest. 248. a. b

Baptismi sui effectum ostendit Christus Dominus, dum cælum aperiri voluit, & Spiritum sanctum descendere, & vocem audiri. 177. d

Baptismi essentia non requirit verba concionalia, sed consecratoria. 230. c

Baptismi non essentia, sed effectus est, stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum. 239. d

Baptismi natura atque essentia, propriè non in substantia, sed in actione consistit. 879. a. figura fuit spiritus Domini qui ferebatur super aquas. 114. a. b. figura fuit multiplex. 250. c. figuræ fuerunt variæ in quibus alij quid verè factum est, quare & baptismus verè delet peccata. Sunt autem figuræ. Circuncisio, Colossi. 2. Mare rubrum. 1. Corinth. 10. Iordanus sanans lepram. 4 Regum 5. Suffocatio porcorum Matth. 8. Probatica piscina Ioan. 5. Lotio & curatio cæci nati Ioannis 9. 250. c. sola memoria non potest dimittere peccata, quæ fiunt post baptismum. 259. d. memoria vtilis est ad agendas Deo gratias, & vt sit quasi frænum ad non peccandum, sed nullo modo sufficit ad iustificationem. 260. b. memoria non est remedium in nouo Testamento iustitutum ad ea peccata purganda, quæ post baptismum committuntur. 886. d. minister non necessariò est fidelis, aut probus, aut ordinatus. 225. a. minister non necessariò in se habet formaliter baptismum, sed satis est si habeat virtualiter & ministerialiter. 225. c. gratia amissa, non potest iterum recuperari per baptismum, sed quærendum est aliud remedium magis arduum & difficile. 260. b. promissio non est absoluta, sed conditionata, quia includit conditionem si dei, perseuerantiæ, &c. 264. a. valorem esse ex opere operato hæretici nostri temporis non negant, licet à vocabulo operis operati abhorreant. 767. b. vicem, aliquando martyrium, & aliquando fides cum cordis conuersione supplet. 119 a

Baptismi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, non habemus fundamentum in Testamento veteri, & in concionibus Baptistæ. 882. c

Baptismum qui hæretici reiecerunt. 2. a. admittunt Anabaptistæ pro solis adultis. 3. d. qui neque accipit, neque desiderat, non saluatur, licet ex ignorantia vel impotentia id accidat. 70. c. Apostoli nunquam appellarunt suum. 88. a. præstat reperere in re dubia, quàm exponere se periculo amittendi baptismum. 98. b. dari ad inuocationem vnius tantùm personæ diuinæ, Catholici aliqui sentiunt. 207. b. negantibus esse necessarium ad salutem, anathema dicit Concilium Tridentinum. 210 c. illum quo discipuli Christi baptizabant. Ioan. 3. non remisisse peccatum, & fuisse in aqua tantùm sine spiritu, existimant Chrysostomus & Leo. 216. b. esse vnicum remedium ad saluandos infantes qui moriuntur, qui negat, Euangelio repugnat. 215. d. futurum in lege noua necessarium, postquam cessarent cæremoniæ legales, docuit Christus Dominus verbis illis Ioã. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* 217. c esse ratum à quocunque & vbicunque traditum, modò verbis Euangelicis fuerit consecratum, sensit D. August. 225. b hæreticorum esse ratum, modò detur secundum formam Ecclesiæ, statuit Concilium Nicænum primum. 227. d. ab Athanasio puero & laico, aliis pueris collatum, Alexander Episcopus Alexandrinus, cum vniuersa sua Ecclesia ratum habuit. 228. a. non licere nisi adultis tradere, hæresis est Anabaptistarum 229. d. non licere infantibus conferre, hæresis fuit quam aliqui defendebant tempore sancti Bernardi. 229. d paruulorum Pelagiani non fuerunt ausi negare. 232. a. suscipiens adultus, debet habere actualem fidem, & conuersionem in Deum 233. b. omnes diuino mandato renentur susci pere. 233. c. differri vsque ad triennium, vt pueri aliquo modo respondere possent, optabat Gregor Nazianz. excepit tamen periculum mortis. 236. b. distulit Christus Dominus ad annum ætatis suæ 30. quia eo non egebat, item non erat ei periculum ne morte præueniret. & in ætate perfecta de creuerat auspicati prædicationem suam, & ostentionem suam ad homines. 237. d. accipere potest, habens conscientiam peccatorum, dummodo pœnitcat eum peccasse, & propositum habeat rectè viuendi. 238. b. non definit Apostolus Hebr 10. 229. c. esse tinctionem cum doctrina non definit Apostolus Hebr 6. 239 c. qui suscipit, debet habere fidem & pœnitentiam, quibus tamen non nititur, vt caussis iustificationis, sed Dei gratia, Christi meritis, & sacramenti efficacia. 260. d. non differendum docuerunt patres, tum ob periculum & incertitudinem mortis, tum ob multa bona, quæ secum adfert baptismus. 265. a. dari aliquando sub trina, & aliquando sub vna mersione, Ecclesia præcepit. 671. d. pœnitentiæ prædicabat Ioannes, id est, incitabat & inuitabat ad pœnitentiam, quam pœnitentiam qui agerent, vt oporteret, consequerentur remissionem peccatorum. 276. a. Christi, ipsi Christo tribuere vix possumus sine eius inuria. 276. d. Ioannis, Christus Dominus accepit non instituit, nostrum verò baptismum instituit, non accepit. 277. d. comitantur cæremoniæ. 283. & 184. partes nusquam vocant sacrificium, hostiam, victimam, nec dicunt baptizare esse sacrificare, vel immolare. 732 b. dici posse, atque esse pœnitentiæ sacramentum, hæretici affirmant. 884. c

Baptismo amplius tribuit diuus Petrus quàm vt sit pignus bonæ conscientiæ, cum ait per baptismũ nos saluari. 47. a. scriptura tribuit vim saluandi. 110. c. & remissionem peccatorum. 111. d. nil inest mendacij dum dicitur paruulis credis? & respondetur, Credo. 217. b.

Baptismo Ioannis, qui plus tribuunt quàm debent, iudicio D. Hieronymi, ipsum baptismum Domini destruũt, & vt scribit D. Augustinus incidunt in impiam & sacrilegam opinionem. 272. b.

in Baptismo, ait Athanasius, tres personæ nominantur. 59. d

Baptismo non tolli omnia peccata, sed tantum non imputari volunt Luther & Caluinus. 25. b. vtebantur Gentiles. 197. c. commemoramus Christi mortem, sepulturam & resurrectionem. 237. c. tolli omne quod habet in homine rationem peccati, definiuit Concilium Tridentinum. 249. b. renascimur. 251. a. remittuntur peccata ex opere operato, id est, vi sacramenti. 260. a.

peccata futura purgantur mediatè. 261.b
peccata futura, iudicio diui Augustini, aliquo modo purgantur. 263.c. hominem mori peccato, vt deinceps viuat Deo. docet Apostolus Rom.6. quare homo semel renatus, debet cauere ne iterum moriatur. 263. d.
admittuntur homines ad Ecclesiam, sed si deinde peccauerint, sine clauium beneficio nullo modo reconciliari queunt. 980. b
Baptismo Christi, aquæ sanctificandi vim habent. 217.a
Baptizamur non vt mundo innotescamus, sed ne in æternum pereamus. 237.d
Baptizandi non solùm instrui debent de Trinitate, sed etiam de incarnatione & passione Domini ac de promissione gratiæ ob Christi meritum. 59.a
Baptizandi ius ex officio ordinario conuenit solis sacerdotibus, id est, episcopis & presbyteris. 224.b
Baptizandi & concionandi officia distinguuntur. 57. c. d
Baptizant mulieres in casu necessitatis ex permissione non ex officio. 83.c. hæretici sine intentione veri finis baptismi, qui est tollere peccatum originis, & tamen ab eis baptizari non rebaptizantur. 91.d. soli sacerdotes ex officio. 224.b. diaconi ex officio absentibus sacerdotibus aut eorum iussu. 224.c
Baptizantur multi sine fide & pœnitentia, qui non recipiunt spiritum Christi. 84.c
Baptizare minus est quàm prædicare. 57.c. seipse nemo potest. 208.a. nec in extrema necessitate licere iis, qui non sunt ordinarij Ecclesiæ ministri ad hoc ipsum vocati & ordinati, negauit Caluinus. 224.a. est actus iurisdictionis. 224.b. quandoque licet laicis, non tamen solenniter aut præsente sacerdote vel diacono. 224. c. an liceat laicis etiam in casu necessitatis, dubitarunt antiqui, licere autem definiuit Concilium Florent. 224.d. licet cuicunque etiam fœminæ & non baptizato, in casu necessitatis. 225.a. omnibus licuit in primitiua Ecclesia, ob ministrorum paucitatem, iudicio Ambrosij seu auctoris. Com. epist. D. Pauli quæ Ambrosio tribuuntur. 228. a. posse laicos fideles, cùm Ecclesia procul abest, & catechumenus aliquis vicinus est morti, docuit Concil. Elibert. 228.a. licet laicis inquit D. Hieronym. si necessitas cogat. 228.b. extra casum necessitatis Concilium 4. Carthaginense prohibuit mulieribus. 229.a. publicè & tanquam ex officio ordinatio, mulieri non licet. 229.b. non est æquum consecrare, sed hominem abluere. 572. a. seipse nemo finitur, etiamsi extrema adsit necessitas. 746.c
Baptizari pro mortuis quid sit. 223 a. infantes traditio est Apostolica. 232.a. nihil est aliud, quàm Ecclesiam intrare, vt patet Act 2. Qui receperunt verbum baptizati sunt, &c. 233. a. quando possint adulti, cæci, surdi & muti. 240. b
Baptizatus ab infidelibus verè & propriè est baptizatus. 163. a. homo, potest seruare omnia Dei mandata. 259. c, fuit D. Paulus ab Anania merè laico. 989. d
Baptizatum non posse peccare hæresis est. 252. a. non posse amplius peccare, & si peccet, non fuisse ejectum nisi aqua docuit Iouinianus hæretic. 252. a
Baptizati fuerunt in nomine Domini iussu D. Pauli, duodecim viri qui confessi fuerant, se non habere nisi Ioannis baptismum. 293. b. c. à Ioanne obligabantur ad Christi baptismum suscipiendum. 266. b. à Iuda, non leguntur rebaptizari. 88. d, ab hæreticis, & eis credentes, non intrant in Ecclesiam. 163. d. à Lutheranis & Caluinistis non sunt denuò baptizandi. 14.a. sine fide non regenerantur. 1. 6.d. soli sunt intra Ecclesiam. 232. d
Baptizatorum à Ioanne Baptista duo genera distinguit Magist. lib.4. distinct.2. 266. b
Baptizatis hominibus & iustis promitti ampliorem gratiam Spiritus sancti qua sint fortes in confessione fidei, perspicuum est Ioan.14. & 16.Luc.24. & Act.1. 289. b. Act.19. Diuus Paulus manus imposuit; quare signum est hanc manuum impositionem fuisse sacramentum. 290. c
Baptizatos infantes Lutherus ait habere fidem actualem 271. b. & Caluinus nullam. 242.c. non posse damnari, etiamsi perditissimè viuerent, modò ab Ecclesia Catholica non recederent, docuerunt aliqui, quos refutat. D. Augustin. 252.c. omnes Apostolus Hebr. 9. detereret à peccatis, quia non poterunt amplius eadem facilitate reconciliari. 161. d
Baptizauit Philippus diaconus & Ananias laicus. 227. c. Christus marrem & Petrum. 234. d.
aliquem vel aliquos Christus Dominus, vt haberet baptizatos per quos baptizaret alios. 234. d
Baptizo ex vsu Ecclesiastico significat ablutionem à sordibus non tam carnis, quàm spiritus. 208. a
Baptizo verbum, quod lauacrum sonat, rectè adiunctum habet ritum baptismi per aquam. 889. b
Beatorum sacerdotum, *vide* Sacerdotium.
Beguini despiciebant sacramenta. 1. a
Benedicere Dei, est benefacere. 363. d. res insensibiles non consueuit Dominus, nisi cum in eis aliquid mirabile operaturus esset. 363. d.
non est solius sacerdotis, sed omnis maioris, nam Salomon qui non erat sacerdos benedixit populo. 695. d.
populo post Missam, non solis Episcopis, sed etiam presbyteris licet. 838. d
Benedictio Dei non est imprecatio vt nostra, sed effectio. 363. d.
sacerdotis non est de essentia matrimonij. 1133. b.
sacerdotalis in matrimonio est duplex. 1138. b. qua Deus benedixit coniugio Adami & Euæ fuit corporalis, non spiritualis. 1120. a. quæ in templo coniugibus datur tempore Missæ, est quid sacramentale, & in secundis nuptiis non datur. 1138.c. mensæ, fit ne videamur ingrati creatori, & est vtilis, non autem planè necessaria. 383. d.
aquæ non est de essentia baptismi. 572. a.
Eucharistiæ aut sit illis verbis: *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*, aut in Euangelio non haberur quibus verbis Dominus benedixerit. 606. c.
coniugum in templo quæ post contractum matrimonium dari solet, potest absque peccato omitti. 1138. c.
nubentium, in capite In Ecclesiæ, de Simonia, vocatur sacramentum largo modo, vt etiam iuidem vocantur sacramenta, id est, cæremoniæ sacræ, exequiæ defunctorum, officium sepulturæ, deductio Episcopi ad suam sedem, & alia id genus. 1138. d. 1140. a
Benedictionis sacerdotalis, quæ nubenti bus dari solet, meminerunt, antiqui auctores. 1140. a
Benedictionem vocat Tertul. Eucharistiæ consecrationem. 720. b
Berengariana hæresis vix nata, in sex hæreses diuisa. 512. d
Berengarius Archidiaconus Andegauensis primus apertè defendit, & propagauit errorem negantium veritatem corporis Domini in Eucharistia. 331. a.
præter errorem de Eucharistia alios tres docuit. 331 a.
anno Domini 1050. cœpit nouo suo dogmate perturbare Gallias. 519. d.
cœpit audiri à pauperbus scholaribus quibusdam, quos ille data stipe ad se alliciebat. 510. a.
bis pœnituit, & tandem Catholicus obiit. 514. b. fuit admodum superbus & arrogans. 514. b. docuit legitima matrimonia destrui posse, ac licere vti omnibus fœminis, etiam infantes non esse baptizandos. 514. d
Berengario adolescenti dæmon adstantem vidit S. Fulbertus Carnotensis Episcopus. 514.a. adhærebant scelerati. 514. d
D. Bernardus comparat sacramenta cum libro, baculo & annulo ratione diuersitatis sacramentorum, non autem ratione efficientiæ. 118. b. c
Bertramus tempore Caroli Crassi in controuersiam vocate cœpit, an verè esset in Eucharistia illud ipsum corpus Domini quod de virgine natum erat. 330. b
Bersabæa in adulterium quidem consensit, sed in mortem viri sui nullo modo quidquam legitur machinata. 1199. d
Beza cùm videret locum Lucæ 22. *Hic calix nouum Testamentum, &c.* contra se facere, negauit textum Græcum Euangelij esse integrum, cum tamen fateatur eandem esse lectionem in omnibus libris etiam vetustissimis. 365. a.
asserit B. Virginis vterum reuulsum & apertum Christo egredienti. 501. a
Bezæ fraudulenta confessio. 337. d.
mendacium. 1118. b
Bibebant Iudæi de spirituali petra, nõ quòd biberint spiritualem petram, id est Christum, sed quòd biberint aquam ex Christo tanquam ex caussa efficiente profluentem. 153. c
Bibere ex eodem poculo solùm est signum fraternitatis. 238. d.
ex diuersis poculis, est signum diuersitatis & schismatis. 238. d.
calicem, & bibere de calice idem sunt, cum agitur de re potabili. 343. c.
iussit Dominus omnes ex calice, vt primus intelligeret non totum sibi exhauriendum, sed tantum relinquendum quod omnibus sufficeret. 638. d
Biblia sacra vocantur testamentum vetus & nouum, quia in iis continetur voluntas Dei de bonis temporalibus dandis populo Hebræorum, & de bonis æternis dandis populo Christianorum. 381. a
Bigamus significat quidem Christum esse vnum vnius, quod ad sacramentum sufficit, sed non significat ita esse vnius, vt non fuerit alterius. 1143. a
Bigami, defectu sacramenti, sacris initiari nequeunt. 1142. d
Blasphemia in filium hominis, erat eorum, qui existimantes Christum non esse nisi hominem, opera eius calumniabantur. 964. c
Bogomilij hæresis. 2. a
Bohemis concessa vtraque species à Basileensi Concilio. 4. c.
recusauit Pontif. Rom. facere potestatem celebrandi diuina officia lingua Sclauonica. 194. c
Bona quæliber quæ Deus hominibus dat, non inuituntur reconciliationi cum Deo & gratiæ ipsius. 153. a
Bona temporalia non licet absolutè petere, cùm non constet nobis, sintne nobis vtilia vel inutilia. 1097. d
Bonorum habemus tria genera, Animi, quæ Deo damus per orationem: *corporis*, quæ Deo damus per ieiunium: externa, quæ Deo damus per eleemosynam. 1044. c
Brentius negat Chrisma spectare ad vsum sacramenti. 53. b
Brentij ratio ridicula. 53. b
Bucerus quid de sacramentis senserit. 39. d.
quid sensit de baptismo infantum non prædestinatorum. 40. a

C

CAdit propriè quod corpus est, & corporaliter existit, ac mouetur. 521. a

Cœli dicuntur aperti vel diuisi: quod est intelligendum secundum apparentiam ac Metaphoricè. 502. d
Cœlum vltimum non est in spatio, vel loco aliquo, sed est in seipso & in Deo. 506. c
Cæremonia vnde dicatur. 184.c. ttinæ mersionis in baptismo abutebantur Ariani ad significandas tres naturas trium personarum. 283. d. delibationis lactis & mellis à baptizatis viguit tantum in Occidente. 258. a. non potest dici magica, nisi cùm effectus mirabilis expectatur à diabolo, cùm quo fœdus ineunt Magi. 320. a. dici non potest, quòd Abraham duos filios habuerit, vnum de ancilla, & vnum de libera. 986. c. omnis instituta ad sanctificandum, est sacramentum propriè dictum. 1109. a. vtraque, nimirum porrectio patenæ cum hostia, & calicis cum vino, futuro presbytero, & impositio manuum; est essentialis ordinationi. 1117. b
Cæremoniam nouam excogitauit Iacob cum esset homo priuatus. 189 a. nouam instituerunt apostoli. 189. c.
Cæremoniæ Iudæorum in nouo testamento semper dicuntur leges. 17. b. ecclesiasticæ omnes, sunt mediatè à Christo institutæ. 74. d. nullæ Iudæorum habuerunt clariores promissiones de remissione peccatorum, quàm sacrificia. 139. c. non fuerunt, manna, aqua de petra, & transitus maris. 151. d. aliquæ sunt naturales. 184. d. non solum affectum, sed etiam intelligentiam iuuãt. 191. d. & memoriam. 191. d. exercent fidem & conseruant religionem. 191. d. 192. a. sunt necessariæ ad omnem religionem etiam falsam. 192. a. sunt constanter retinendæ exemplo sanctorum, qui potiùs maluerunt mori quàm eas deserere. 192. c. aliquæ Iudæorum pugnabant cum Dei mandatis. 196. d. nostræ si aliquam habent similitudinem cum iudaicis non debet videri mirum. 197. c. etiamsi non intelligantur, non carent vtilitate, cum concilient veneration em rebus sacris. 199. c. ferè omnes legis, erant figuræ Christi. 218 a. ante baptismum sunt duodecim. 279. 280. 281. 282. quæ sequuntur baptismum sunt quinque. 284. c. d. 285. a. iudaicæ erant egena elementa, cum non possent iustificare. 307. d. quatuor fiunt in cõsecratione chrismatis. 319. d. 320. a. b. ipsa confirmatione præter cæremoniam essentialem vngendi & signandi frontem cruce adhibentur octo. 320. c. d. 321 a. quamuis non sint necessariæ, possunt tamen imperari ab ecclesia, & hoc præcepto posito, non possunt sine peccato omitti. 799. a. omnes quibus ecclesia catholica in missa vtitur, sunt antiquæ & piæ. 799. b. quæ missam præcedunt sunt antiquæ, & piæ. 800. a. quæ in missæ celebratione adhibentur, ad quinque capita possunt reuocari. 805. d. Iudaicæ duplices erant 807. d. non fuerunt, Manna de cælo, aqua de petra, idololatrarum interfectio, sed res gestæ. 986. c. duæ sunt præcipuæ in ordinatione presbyterorum. 1117. b. dici possunt res naturales, si ad aliquid significandum referantur, vt v. g. cum baptizamus, aqua corpus abluimus, & tamen sactam cæremoniam exercemus. 1134. d. quæ sequuntur baptismum, vide *Neophytis vt.*
Cæremoniæ nouæ, vide *Samaritani.*
Cæremoniarum & totius legis veteris efficacia cessauit in morte Christi. 217. d
Cæremoniis distinguuntur catholici & hæretici. 192. b. profitemur fidem. 192. d.
Cæremoniis quibusdam catholici vim quandam tribuunt ex consecratione, & precibus ecclesiæ. 799. a
Cæremonias non omnes reiiciunt hæretici. 185. c. aliquas Pharisæi pluris faciebant, quàm diuina mandata. 197 a
Cæremoniales leges de nouis festis diebus additæ à posterioribus Iudæis. 199. d
Calamitates quæ impiis immittuntur à Deo, sæpè ad eum finem immittuntur, vt illi respiscant. 1079. d. quæ peccatorum conuersionem sequuntur, non ad respiscentiam, sed ad offensam aliquo modo compensandam referuntur. 1079. d
Calix semper benedicebatur, sed non semper distribuebatur. 649. d. propriè non est signum remissionis peccatorum. 671. b. est signum precij quo peccata sunt remissa, & spiritualis potus quo animæ nostræ reficiuntur. 671. b
Calix Christi quid contineret ante consecrationem, an vinum purum, an vinum aqua mistum, an siceram, an aquam solam, ex sola scriptura expressè non habetur. 598. b. sanguinis non dabatur populo in manus, sed manu diaconi admouebatur ori communicantium. 600. vini, est calix salutaris, id est Christi: quia Christus saluator eum calicem offerendum, & consecrandum instituit. 814. d
Calicis nomine ex communi vsu loquendi, intelligitur non ipsum vas, sed quod in vase continetur. 372. d. 373. a
Calicem Bohemis concessit concilium Basiliense ea conditione, vt crederent non plus fructus sumi exduabus speciebus, quàm ex vna. 642. d. vnum & eundem apostolis dedit Dominus, vt ex eo omnes bibercat. 658. d
Calice se abstinebant Manichæi & Priscillianistæ, tum quia abhorrebant à vino, tum quia existimabant Christum non habuisse verum sanguinem. 666 c
Calices sacri non reperiebantur in domibus laicorum tempore D. Athanasij. 651. c. duo fuerunt in vltima cœna, vnus, ante consecrationem panis, alter, post consecrationem panis. 381. c. multi nunquam simul consecrabantur. 654. c. eucharistiæ fuerût sacri, tempore D. Athanasij, adeò vt sine sacrilegio non potuerint pollui. 801. d
Calices aureos & argenteos fuisse tempore Syluestri, testis est Damasus. 801. d
Caluinistæ spoliant omnia sacramenta virtute. 3. c. adhibent veram formam sacramenti dum baptizant. 54. a. in eucharistia requirunt solum verbum institutionis. 54. a. non habent veram eucharistiam. 54. b. negant verba necessariò pronuntianda in actione omnis sacramenti. 55. a. cur lingua vulgari proferunt verba baptismi. 55. b. non recitant verba baptismi vt consecretur aqua, sed vt instruatur populus. 55. b. non ex consecratione, sed ex promissione euangelij in concione explicata volunt effici sacramentum eucharistiæ. 336. b. dicunt eucharistiam esse *signum coniunctionis* cum Christo iam antea factæ per fidem. 336. b. tanto interuallo separant panem à corpore Christi, quanto summum cælum abest ab ima terra. 477. b. vtuntur fermentato pane Græcorum more. 583. a. in sua cœna volunt verba recitari, sed per modum concionis, seu lectionis ad instruendam fidem, non ad elementum consecrandum. 604 b
Caluinistarum doctrina recens, & angustis finibus definita. 8. d. qui sint ritus in sua cœna. 54. a. inconstantia. 386. a
Caluinus fatetur magnum esse catholicorum consensum. 8. d. & eorum doctrinam multis seculis in bona orbis parte viguisse. ibid. reprehendit nomen sacramenti. 14. a. vult sacramenta esse testimonia prædestinationis. 40. d. putat paruulos prædestinatos, sine baptismo saluari, non prædestinatos autem etiam cum baptismo perire. 44. c. putat verbum sacramentale esse concionem. 51. c. duo genera verborum requirit in baptismo, in eucharistia verò tantùm vnũ. 51. d. differens de verbo concionali varius est. 54. c. negat matrimonium esse sacramentum, & nihilominus vult illud celebrari in ecclesia, & præscribit certam formam verborum. 56. c. *non intellexit* D. Augustinum. 60. d. perperam citat D. Augustinum. 154. c. mentitur, scribens catholicos, solo strepitu verborum, sine sensu & fide, vti ad elementum consecrandum. 64. b. falsò ait, quicquid no bis gratiæ per sacramenta confertur, id fidei imputari. 72. d. peruertit statum quæstionis de efficacia sacramentorum. 101. a. asserens eandem fuisse efficaciam baptismi Ioannis & Christi Domini, refutatur. 110. b. fingit patres hyperbolicè esse locutos de virtute sacramentorum. 120. b. tria dicit esse sacramenta. 168. c. contra sententiam & catholicorum & Lutheranorum negat ecclesiam posse instituere cæremonias. 187. a. cæremonias suas lege sanciuit. 191. b. mutuatus est argumentum à Manichæis & Vigilatio. 197. c. mala fide vtitur. 200. b. pessimè definit baptismum. 204. a. putat paruulos fidelium sine baptismo esse sanctos. & membra ecclesiæ, & si moriantur, saluari. 210. b. temere reprehendit Sephoram quæ coacta à Mose, vel potius à Deo filium suum circumcidit. 216. a. in Antidoto concil. Trid. sess. 5. & lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. & 11 negat baptismum tollere peccata. 248. d. putat cum Luthero nulla opera esse tam mala, quæ credentem valeant condemnare. 24. d fatetur veteres patres fere omnes non fuisse in ea sententia, vt esset æquè facilis reconciliatio in baptismo & post baptismum. 26. d. in libello de formula sacramentorum minusstrandorum aliqua præscribit quæ in sacris literis non inuenit. 279. a. non existimat cum pane nobis dari reipsa ipsum Christi corpus, ita vt Christi corpus dici possit esse rune, & in cælo & nobiscum. 369. a. b. lib 4. Instit. cap. 17. §. 24. negat Deum potuisse reipsa præsens exhibere corpus & sanguinem Domini in specie panis & vini. 483. a. admittit confessionem, priuatam coram pastore, quando quis ita angitur & affligitur peccatorum sensu, vt ie explicare nisi alieno adiutorio nequeat. 977. c. admittit confessionem generalem, quam minister pro se, & populo in ecclesia faciat. 977. c. mentitur scribens sacerdotes Christianos ad se trahere cognitionem lepræ corporalis. 986. a. asserit in confessione quæ Deo fit, non satis esse generatim consiteri, sed oportere quantum in nobis est singula peccata accuratè conficeri. 1024. d contemnit patres. 271. a. contemnit patres asserentes satisfactionem pro peccatorum pœnis. 1058. d. reprehendit ecclesiæ *patres* 732. d. *secum ipse pugnat.* 58. a. 151. d. 216. c. refutatur. 145. d. 146. c 163. d. 178. d. 210. a. 1216 b. dissentit à Lutheto 137. b. dissentit à Luthero & Zuinglio. 40. d. vide *Hominem semel.* & *fidem posse.*
Caluini sententia videtur composita ex Lutheri & Zuinglij sententiis. 40. c. tropus nodus refutatur. 112 b. obiectiones contra cæremonias soluuntur. 195. b. c. mendacium. 179. b. 298. d. 545. b 594. a. 741. b. 1094 d. 1127. a. 101. b. mendacia. 5. c. 8. d. & sequent. 185 d. 188. b. 196. b. 216. c. 854. d 85. 856. 857.
Camelum transite per foramen acus Deo est possibile. 498 c
Canon est regula ecclesiastica qua omnes sacerdotes vtuntur. 816. c. est status & certus ordo precum, quibus in conseeranda eucharistia vtimur: in cuius ordinis initio offerre nos dicimus pro ecclesia. 816. c. totus requiritur vt rite & sine peccato consecratio fiat. 617. c. totus qui pertinet ad consecrationem, omittitur feria sexta maioris hebdomadæ. 834 b. minor, est pars missæ ab offertorio vsque ad consecrationem 809. a. maior, est pars missæ à consecratione vsque ad communionem. 809 a

Canon missæ à tempore D. Gregorij non est auctus. 747.a. partim constat verbis Domini partim apostolica traditione, & partim sanctorum pontificum institutione. 817. b. integer, vt eum nunc in missalibus habemus, fuit in vsu ante annum Domini. Decc. 8.9.d. nullâ facit mentionem confessorum, aut virginum non martyrum, sed martyrum tantùm. 810.c. est omni memoria, antiquior, & ab apostolis per manus traditionem ad nos deuenit. 811.a. non asserit Melchisedech sacrificasse panem & vinum, sed solum sacrificij aliquod obtulisse. 830.b.

Canonis missæ orationes omnes diriguntur ad Deum, nullæ ad sanctos. 778. d.

bona pars extat apud D. Ambr. lib. 4. de sacramentis. 820.b.

Canonem omnium vltimus auxit Gregorius magnus. 817.c

Canonibus, quibus certum tempus ad satisfaciendum pœnitentibus præscribitur, plerique sunt conciliorum libri. 1042.c

Canonistæ norunt sententiam ecclesiæ Romanæ in iis, quæ ad humanos canones pertinent, non autem in iis quæ pendent ex iure diuino. 1141.b

Cantus in missa cõfirmatur exemplo Domini, Matth 26. 807.b

Capacitas naturalis ad gratiam potest dici potentia obedientialis. 234. d. ad gratiam est in homine. ibid.

Capharnaitæ Ioan. 6. intellexerunt veram carnem à Christo promissam. 351. d. cogitabant carnem Christi manducandam eo modo quo comeduntur aliæ carnes. 196. c

Caro in scripturis nonnunquam significat mortalitatem, non autem substantiam carnis. 389.a. cùm in scripturis distinguitur contra spiritum, vel contra aliquid sublimius, non significat substantiam carnis, sed vel infirmitatem vel corruptionem, vel humanam & carnalem cogitationem. 196.b. dici non potest, substantia sine quantitate, & complexione quadam accidentium. 497.a. vna sunt vir & fœmina per carnalem copulam. 1210.b

Caro Christi, id est carnalis intelligentia nihil prodest. 196.a. in eucharistiæ sacramento ita sumitur, vt indiuisibiliter ab omnibus sumatur tota. 430.c. verbo vnita, inquit D. Ambros. à nobis adoratur in mysteriis. 437.d. à nobis in mysteriis adoratur, vt eam Apostoli in propria specie adorarunt. 462.b. ex se habet virtutem viuificandi. sed ob indispositionem accedentium aliquando mortem adfert, non vitam. 470.d. inquit D. Augustin. à nobis ore sumitur. 470.c. exangnis non potest sumi in eucharistia. 66.b

Carnis nomine aliquando intelligitur humana & carnalis cogitatio vt distinguitur à cogitatione spirituali 196.a

Carni Christi Domini D. Paulus Coloss. 1. totam nostram salutem tribuit. 356.a

Carnem Christi comedere, quantum ad effectum, & fructum, est manere in ipso per fidem & charitatem. 425. c. veram fide manducare, nihil est aliud nisi credere Christum habere veram carnem, & in ea carne verè esse mortuum pro nobis. 433 b. intellexit D. August. nomine victimæ, qua deletum est chirographum contrarium nobis. 457. c. inquit D. August. nemo manducat, nisi prius adorauerit. 461.d

Carnem veram à Christo Domino promissam intellexerunt Capharnaitæ, & ipsius Domini discipuli, quorum opinionem Dominus non correxit, sed arguit eorum dubitationem. 150.c. suam Ioan. 6. Dominus promisit non absolutè sed in sacramento sumendam, quod promissum impleuit in vltima cœna. 347.c

Castigationem admittebant Nouatiani sine spe absolutionis, Lutherani verò contrà, absolutionem sine castigatione concedunt. 1055.b

Cataphryges ex decreto concilij Laodiceni, erant rebaptizandi. 59 b

Catecheses Cyrilli ideo in quadragesima sunt habitæ, quia præparabant ad baptismum in Pascha te celebrandum. 284.a

Catecheses suas de baptismo, Cyrillus appellat catecheses illuminatorum. 203.b

Catechismus Romanus vindicatur à calumnia Heshusij. 12.b

Catechismi doctrina dispositio, ad baptismum est, & gratia illa atque charitas, quæ interdum in catechumenis reperitur, ex voto baptismi procedit. 262.a

Catechumenus tenetur baptismum suscipere, nisi necessitate aliqua excludatur. 957.a

Catechumeni soli, ab Athanasio puero sunt baptizati. 96.d. postquam dederunt nomen suum ad baptismum suscipiendum, dicuntur Competentes. 279.d. si guabanetur crucis signo. 441.b. non admittuntur ad communionem, nisi prius per baptismum à peccatis soluantur. 628.b. ante remissionem peccatorum non seruant omnia mandata, vel si ea seruant, non carent remissione peccatorum. 952.c. ante remissionem peccatorum seruant aliquid legis, secundum substantiam operis, & faciunt opera bona, sed non meritoria vitæ æternæ. 955.d. qui negligunt ad baptismum accedere, quantumuis proficiant, nunquam sunt verè iustificati. 956.d

Catechumeni & pœnitentes dum diligere incipiunt, simul viuere incipiunt, perfectè victuri, quando perfectè diligent. 913.c

Catechumeni, vide *Panis benedictus. Sal dabatur. Sal catechumenis.*

Catechumenorum duo sunt genera, vnum eorum qui audiunt conciones, & volunt fieri Christiani, sed nondum petierunt baptismum, & ij dicuntur Auditores seu Audientes. Alij petunt baptismum, & dicuntur Competentes seu electi. 280.a. duæ erant classes. alij enim Audientes, alij Competentes siue Electi dicebantur. 911.c

Catechumenos a fidelibus, Patres communi consensu distinguunt, ac docent illos quòd baptismo careant, nondum esse intra ecclesiam, nec dici posse fideles. 233. a. non obligant illa verba, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.* quia nondum vitam per baptismum acceperunt. 656.c

Catholici qui de sacramentis scripserunt. 1. dubitant de propria dispositione & consequutione gratiæ. 4.d. non dubitant de gratia sacramentorum. 5. a. longe absunt à Magiæ crimine, quod eis hæretici impingunt. 64. d. peccatores nituntur gratia Dei, Christi meritis & virtute, atque efficacia sacramenti, non propria contritione, licet contritionem vt dispositionem requirant. 263. d

Catholicorum inter se magnus consensus iudicio Caluini. 8. d. doctrina, etiam Caluini iudicio multis seculis in bona orbis parte viguit. 8.d

Caussa cur Deus promisit & dedit spiritum sanctum non minus locum habet in nobis quàm in Apostolis. 292. a. quæcunque etiam formalis, potest esse siue suo effectu. 505.a. formalis potest separari ab effectu formali, non tamen contrà. 508. a

Caussæ matrimoniales omnino politicæ, vt de dotibus, successionibus, hæreditatibus, ad politicum Magistratum simpliciter pertinent. 1254.a. omnino spirituales, vt de partibus sacramenti, de benedictione sacerdotali, ad solam ecclesiam pertinent. 1254. a. quæ partim politicæ, & partim spirituales sunt, vt de gradibus cognationis, de diuortiis, ad politicum Magistratum pertinere possunt, sed cum subordinatione ad ecclesiasticum: simpliciter autem ad Principem ecclesiasticum pertinent. 1254 a

Cauterium circumcisionis, significabat characterem quem in anima gerunt Christiani. 160 c

Cereus accensus datur baptizato in signũ fidei, & gratiæ acceptæ, & quòd sit translatus à potestate tenebrarum ad lumen & sortem sanctorum. 284.d

Cereum in ecclesia Acoluthi accendere debent, cum euangelium legitur, & cum Christi corpus offertur. 802.d

Cereos ecclesiæ, Ariani idolis adoleuerunt. 802.c. sole rutilante inquit D. Hieron. ecclesia accendit, dum legitur Euangelium, ad signum lætitiæ demonstrandum. 802.d

Certitudo infallibilis, qualis est certitudo fidei diuinæ, non est quærenda in hoc mundo ab homine de sua salute, vel iustificatione. 97.b. humana, & moralis de sua salute, & iustificatione, quæ sufficit vt homo quiescat, habetur ex sacramentis, etiamsi pendeant ab intentione alterius. 97. b. quædam moralis remissionis peccatorum gignitur in nobis ex sacramentis. 122.c

Character est signum inuisibile. 20.c. est signum spirituale quod animæ imprimitur in quibusdam sacramentis. 156.d. quem imprimit sacramentum, potest separari à gratia. 89.e. est aliquid reale distinctum ab anima. 157.a. græca vox est, significans formam, seu figuram. 157.b. non est relatio, sed absoluta qualitas, ex qua consurgit relatio similitudinis ad Christum, cui configuramur per characterem. 157.b.d. omnium consensu producitur per actionem sacramentalem. 157.c. est potestas quædam spiritualis, & supernaturalis, partim actiua, partim passiua 157 d. imprimitur, & infigitur, eóque nos consecramur & obsignamur. 157.d. tria habet officia, 1. aptum facere ad cultum diuinum. 2. configurare Christo. 3. distinguere ab aliis. 157.d. non videtur esse physica, sed moralis potentia. 158.a. est potentia detiuata à Christo, & quasi participatio quædam potestatis Christi, qui vt summus sacerdos, habet omnem potestatem in sacramentis. 158. a. est effectus sacramenti sensibilis. 158.b. est effectus secundarius trium sacramentorum. 159 c. est sacramentum & res sacramenti. 158.b. est indelebilis. 158.c. est sigillum indelebile. 162 b. non est habitus, vel potentia operatiua. 158. c. non habet contrarium. 158.c. creatus non fuit in Christo. 159.b probatur ex scripturis. 159 c probatur rationibus. 162.d. pattibus appellatur signum, & sigillum. 159.d. apud August. & alios patres non est externum symbolum seu sacramentum. 162.a. potest exterius videri, non in se, sed in sua caussa 162.b. non potest augeri. 163.c. est & sacramentum, & sacramenti effectus. 163.d. quamuis non agat reipsa, sed sit solùm signum pacti Dei cum homine, de concursu diuino in actionibus sacramentalibus, tamen est signum reale. 1110.a non semper datur ad operandum simpliciter, vt patet ex charactere confirmationis, qui datur ad profitendam fidem, 1113.c

Character episcopalis, siue sit alius à presbyterali siue idem extensior & maior, est potestas absoluta & perfecta, & independens conferendi sacramenta confirmationis & ordinis. 318 c. est signum pacti absoluti respectu confirmationis & ordinis. ibidem. presbyteralis est signum pacti conditionati respectu confirmationis. 318. d. integer & perfectus, non est vna simplex qualitas, sed quid compositum ex duplici charactere. 1111. a. integer & perfectus, est maior presbyterali, quia illum includit, & vnum præterea alium. 1111.d

Character presbyteralis est potestas absoluta, perfecta & independens quoad sacramenta baptismi & eucharistiæ. 318.c. sacramentalis in sola anima est, tanquam in subiecto. 158.b. sacramentorum probatur testimoniis patrum. 161.a. baptismatis est passiua potestas. 157.d.

Character confirmationis non est necessarius omnino vt suscipiantur reliqua sacramenta. 157 d. facit aptum ad alia sacramenta suscipienda, & facit etiam aptum ad proficendam fidem. 157.d

Character ordinis, est actiua potestas ad ministranda aliis sacramenta. 15 .d

Character, vide *Circumcisio, & Sacramenta.*

Characteris nomen scholastici acceperunt à D. Augustino, cum alij veteres characterem appellarint signum, aut signaculum. 157.b

Characterem esse sacramentalem nullus scholasticorum negauit, quamuis de modo probandi characterem inter eos sit dissensio. 157. a. sacramentalem qui hæretici negent. 155.d. tria sola sacramenta imprimunt, puta baptismus, confirmatio, & ordo. 157.d

Charactere distinguuntur baptizati à non baptizatis, confirmati à non cõfirmatis, sacerdotes à laicis. 158.b. signati est ouiũ, militum, subditorum. 159.b

Charitas summa est ex parte operis, ponere vitam pro amico, quia non habet aliquid maius homo, quod det pro amico quàm vitam. 222.b. vera non est, quæ amorem iustitiæ sine peccati odio gignit in eo, qui sibi peccati lethalis conscius est. 932.d. vera sine vera contritione in eo, qui peccati mortalis conscientiam habet, nullo modo existere potest. 917. b. vera sufficit ad salutem & iustificationem. 937.b. vera non potest esse sine sacramento vel in re vel in voto. 958.b. sola sufficere dicitur ad salutem, quia nunquam est sola, sed chorum aliarum virtutum partim sequitur, partim præcedit. 937.c. cum peccato siue reatu mortis æternæ simul habitare non potest. 950. a. facit amicos Dei, vel potius ipsa est amicitia hominis cum Deo. 951.a & consequenter contritio efficit filios Dei. 95 .d

Charitatem maiorem habuerunt multi qui non dederunt vitam quàm ij qui dederunt, vt patet de B. Virgine & sancto Ioã. Euangelista. 222.b. qui habet, implet legem, & rectè viuit. 950.d. qui habent, liberi sunt à peccato, quandoquidem sancti sunt, & legem implent. 9 1.a

Χειροτονεῖν, in scripturis & vsu ecclesiastico, significat extendere manus super capita ordinandorum, & eo modo ordinare. 1105. b.

Χειροθεσία, D. Hieron. in cap. 58. Isaiæ interpretatur manus impositionem, quæ cum vocis imprecatione, ordinationem perficit. 1105.c

Chorepiscopi videri volebant tertium genus sacerdotum distinctum ab episcopis & presbyteris, cum tamẽ nihil essent nisi presbyteri. 1113.b

Chorepiscoporum duo fuerunt genera. 1114. c

Chorepiscopis non licet dare spiritum sanctum per manus impositionem, & vnctionem Chrismatis in fronte. 293. d

Chrisma à Paciano non tantùm coniungitur cum baptismi & pœnitentiæ sacramento, sed etiam anteponitur sacramento Pœnitentiæ. 297.c. est materia sacramenti confirmationis. 303.c. ex ecclesiæ vsu, non significat simplex oleum, sed vnguentum confectum ex pluribus rebus. 304. d. significat vnguentum compositum ex pluribus rebus. 304.d. quod est materia sacramenti confirmationis, prius consecratum ac benedictum esse debet. 305. 306. non fuit à Syluestro institutum. 308.b. nisi adhibeatur in fronte, non est sacramentum. 311.b

Chrisma facere, non est solum miscere oleum cum balsamo, sed etiam simul consecrare. 306.a. facere prohibet presbyteris concilium Romanum sub Syluestro, quia id ad munus episcopi pertinet. 306.a. vt omni anno ante pascha parochi petant ab episcopo proprio, idque non per clericos iuniores, sed per seipsos, aut per illum qui sacrario præest, iubet concilium 4. Carthag. 306.b. deferre non debet clericus ex decreto concilij Valensis, nisi vt minimum sit subdiaconus. 306.c

Chrismatis quo vngitur ecclesia, quæ est verum Dei tabernaculum, figura fuit vnguentum quod Deus instituerat Exodi 30. quo vngerentur sacerdotes & tabernaculum. 304.d. vnctio ad crucis figuram in fronte hominis baptizati fieri debet, vt sit vera & proxima sacramenti confirmationis materia. 307.d. vnctio, & manus impositio sunt idem Act. 8. & 19. 308.d. sacramentum semel datum, auctore D. August. permanet etiam in pessimis, nec vnquam aboleri potest, quare non potest reperi. 315.b

Chrismati consecrato adhibetur reuerentia, quia est res sacra, & vim habet vt Dei instrumentum sanctificandi, sed non adoratur vt Deus. 320.b.

Chrismate ocreas Caluinistæ inunxerunt. 303.c. vngimur vt vincamus in certamine spirituali, quomodo Athletæ vngebantur vt vincerent in certamine corporali. 308.a. semper Apostolos signasse imponendo manus probari potest. 309. a. b. c.

Christianus est etiam is qui est malus, modò baptismum perceperit & Christi fidem profiteatur. 238.c. iudicio Tertul. non debet fieri miles imperatoris gentilis, ne eogatur defendere dæmonum templa, quibus in baptismo renunciauit. 180.c. iudicio Cyril. Ierosol. Catechesi 3. propriè denominatur à chrismate. 295.c. potest per Dei gratiam plus facere quàm Deus præcipit. 1066.a

Christiani sancti & pij, sunt gens sancta. 82.a. sunt fratres Christi adoptiui, non naturales. 83.a. auctore Apostolo sunt vnum corpus, quia per baptismum acceperunt vnum spiritum. 112.d. à Tertulliano vocantur pisciculi, quòd nascantur ex aquis. 114.b. non nascentur sed fiunt. 213 c. denominantur ab vnctione Chrismatis, vt scribit Theophilus Antiochenus episcopus. 305. d. vt scribit Tertul. lib. de baptismo à die baptismi per totam hebdomadam lauacro se abstinere solebant. 321.a. in diuersis altaribus & temporibus auctore Primasio, semper idem Christi corpus sacrificant. 476.a. retinent omnia genera honoris quibus Hebræi Deum colebant. 745.d. olim nunquam congregabantur quin finis esset oratio. 811. d. primum quasi in duos ordines secabantur, in fideles, & Catechumenos. 913.c. omnes iudicio Lutheri ex baptismo habent vt possint concionari. 7;.b. omnes non habent potestatem in verbo & omnibus sacramentis administrandis. 77.c. omnes sunt eo modo sacerdotes, quo sunt Reges. 82. a. omnes non tam verbis quàm operibus debent annunciare Dei virtutem. 81.c. omnes non sunt propriè sacerdotes. 719.a. omnes si perfecti esse vellent, sequerentur id quod Apostolus simpliciter bonum appellat, cùm ait, *bonum est mulierem non tangere.* 1190.a.

Christianis obiiciebantur olim tria crimina, quòd Deum non esse crederent, quòd humanis carnibus vescerentur, & quòd promiscuo concubitu vterentur. 407.a

Christus non præmisit concionem, cùm eucharistiam primus consecrauit. 65.b

Christus non præcepit haberi concionem, cùm consecratur eucharistia. 65. b. cæcum illuminauit sputo & luto, & mundum fibi subiecit per homines pauperes, vt omnes intelligerent Deum esse, qui hæc est operatus. 70.a. non est sacerdos Aaronicus, sed secundum ordinem Melchisedech. 83.a. baptizari voluit, vt tactu suæ carnis daret aquis vim mundandi. 122.b. non meruit resurgendo, cum fuerit extra viam & statum merendi. 126.b. non fuit signatus vllo charactere creato. 159.c. cur dicatur sponsus ecclesiæ. 172.c. in general i nos perfectè instruxit de vero Dei cultu. 196.a. licet non fuerit homo tempore synagogæ nisi in vltimis diebus, tamen vt Deus, semper fuit caput totius ecclesiæ. 204.c. vt homo venturus, & passurus, erat tempore synagogæ caput, cui per fidem Hebræi coniungebantur, eique inserebantur. 204.c. in die sui baptismi, non docuit materiam aut formam baptismi. 217.b. in die sui baptismi decreuit & statuit, vt aqua esset materia baptismi, & forma esset inuocatio trium diuinarum personarum. 217. b. in morte complenit opus redemptionis. 218.a. baptizauit B. Virginem & D. Petrum auctore Euodio D. Petri successore in episcopatu Antiocheno. 234.d. multa fecit quæ a nobis eodem modo fieri non possunt, vt constat de ieiunio 40 dierum. 237. d. in baptismo agnosci cœpit ob miracula quæ tunc acciderunt. 237.d. non dedit remissionem peccatorum in baptismo Ioannis per ministerium ipsius Ioannis, vt volunt hæretici. 269. b. à Ioanne dicitur tollere peccata mundi, non quòd tunc ea tolleret cum Ioannes loqueretur, sed quia erat sublaturus ea cum instar agni in cruce immolaretur. 270. d. quamuis in se susceperit onus peccatorum nostrorum, tamen non potest verè ipse denominari, fur, latro, homicida, peccator vt impudenter eum vocat Lutherus sine vllo exemplo scripturæ aut patrum. 277.a. operibus virtutum purgauit peccata nostra, non vi alicuius Sacramenti ab alio sibi ministrati. 277.a. dum baptismum confert & non accipit, Imperatorem se & principem huius militiæ ostendit: nam characterem suum in aliis imprimit, at si acciperet, videretur etiam ipse ad militiam adscribi. 277.b. variis de caussis à Ioanne baptizari voluit. 277. c.d. factus est caput nostrum non per baptismum, sed per gratiam vnionis hypostaticæ. 2 8.a. est in eucharistia non vt in loco, aut vt in vase, vel quasi sub aliquo velo, sed ad eum modum quo erat substantia panis sub suis accidentibus, eo excepto, quòd accidentia inhærebant panis substantiæ, Christi autem substantiæ non inhærent. 33;.d in eucharistia non dicitur albus aut rotundus ratione specietum. 339.d. non est semper nobiscum eo modo quo pauperes, id est visibiliter, & more humano conuersans. 392.d. non dicitur ab Apostolo fuisse aqua quam bibebant Hebræi, sed petra vnde illa aqua fluebat. 343. b. potest dici non esse nobiscum, cum non modò non verseturnobiscum more humano, sed ne adsit quidem visibiliter. 393.b adest in eucharistia vt cibus reficiens dum manducatur, non potest autem cibus manducari, & reficere, nisi reipsa sit præsens. 394.a. baptismo adest vt regenerans, ac potest regenerare, etiamsi corpore absit. 394.a. vt sit in eucharistia non debet deserere cælum, aut descendere motu locali. 394. c. cùm Act. 9. apparuit D. Paulo, & D. Petro, cum ei dixit, *vado Romam iterum crucifigi*, & aliis sanctis frequenter, non deseruit cælum, sed solum se constituit vbi voluit, & quomodo voluit. 394 c. non ex solo tangendi sensu probauit se habere corpus humanum. 395.c. reliquit mundum quoad conuersationem humanam.

manam. 398.a. multis de causs nolvit tangi à Maria Magdalena, à qua se permisit postea tangi. 398.c. verè ascendit in cælum, & verè mansit nobiscu etiam vt homo in eucharistia, modo spirituali & invisibili. 398.c. Ioan. 20. verbis illis, *Noli me tangere*, non prohibuit contactum, sed cohibuit festinationem tangendi. 399.b. non semel fuit typus & figura sui ipsius. 442.d. per carnem suam in nobis carnaliter manet. 443.d. ipse videtur & tangitur in eucharistia, sed in specie aliena, non in sua. 449 a. in eucharistia non modò ab hominibus, sed etiam ab Angelis adoratur. 452. d. inquit D. August. seipse manibus suis portauit, quod mortalium nemo facere potest. 460. d. non se portauit quomodo ordinariè portantur corpora humana. 461.d. fingens se longiùs ire, fuit suipsius figura, & erat quodammodo Christus in cælum ascendens. 464.a. vt est in altari per eucharistiam, comparatur à Patribus cum eodem Christo in præsepi, & cum Christo in cælo, ac cum Angelis apparentibus in forma corporali. 482.c. cùm apparuit D. Paulo, Act. 9. & 22. fuit simul in summo cælo, & in aëre terræ vicino. 487.a. verè apparuit multis sanctis. 488.b. apparuit in terra D. Petro, & cum eo est collocutus. 488.b. eodem temporis articulo inquit D. Chrysost. & sursum in cælo cum patre sedet, & in terra omnium communicantium manibus pertractatur. 488. d. totus existit in eucharistia cum magnitudine & omnibus accidentibus, excepta relatione ad locum cælestem, quam habet vt est in cælo, & iis quæ ad existentiam in eo loco consequuntur. 496.b. exiuit de vtero matris clauso. 500.b. dicitur aperuisse vterum matris, quia sua virtute, non auxilio obstetricum, vel alia humana opera de vtero est egressus. 501.d. clauso monumento resurrexit. 502. a. in eucharistiæ sacramento nullo modo lædi potest. 520.d. post resurrectionem verè comedit, non tamen est ex hoc cibo nutritus. 527.b. assumpsit naturam humanam, vt hominem liberaret. 529.a. qui vsque ad mortem seruauit legem Mosis, Pascha suo tempore legitimè celebrauit. 586.b. fuit occisus ipso die solenni Hebræorum. 586.c. occisus est ad vesperam, quia obiit hora nona, quæ est hora vespertina. 588.c. ex communi Theologorum sententia, consecrauit illis verbis, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* 607.a. consecrat per os sacerdotis. 611. a. existit in eucharistia per modum cibi vtilis mentibus benè dispositis. 619.d. dum hîc viuit retrapassus est se tangi à peccatoribus, qui conversabatur cum hominibus more humano. 630. a. totus in specie panis, & totus in specie vini continetur. 644.c. est totus sub vtraque specie disiunctim & seorsim. 638.b. dixit *Manducate ex hoc omnes*, quod scimus ex traditione Apostolica. 658. c. in eucharistia est adorandus cultu latriæ. 674.a. aliter est in eucharistia atque est Deus in aliis rebus cum quibus non est vnum suppositum, quare aliæ res non sunt adorandæ. 675.c non potuisset dici pontifex, nisi habuisset victimam quam offerret. 682. d. non sibi per se Sacerdotium assumpsit, sed à Patre illud accepit. 684. a. verè & propriè erat sacerdos, qui posset hostiam quamlibet ritè offere, & ideo etiam corpus suum 689.b. propriè seipsum sacrificauit, cùm in eius potestate fuerit mori, & non mori. 689.c. verè mystico ritu sacrificatus est. 689.c. est sacerdos in æternum, quia nulli successit, & nullus debet ei succedere. 693.c. cum sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech & non Aaronis, sacrificium debuit instituere incruentum, & sub specie panis & vini. 693.a. non erat sacerdos secundum ordinem Aaron vt docet Apostolus ad Heb. 7. 701.d. ratione sacrificij crucis, non est sacerdos nec secundum ordinem Melchisedech, nec secundum ordinem Aaron. 702.a. non obtulit agnum paschalem secundum ritum Aaronicum, neque ipse instituit, sed potiùs abrogauit. 702.b. non sæpius offert seipse cruenta oblatione, quæ infiniti pretij & valoris fuit. 704.a. non est sacerdos in æternum nisi assiduè aliquid offerat. 704.b. manducans agnum paschalem obseruauit legem, quod semper faciebat dum in terris viueret. 706.c. in vltima cœna condidit testamentum nouum. 711.b. fuit victima in cœna immolata, & sacrificata. 712.b. non permisit matri suæ vt sacrificaret. 713.d. inquit D. Chrysostom. in sacramento patitur fractionem, quam in cruce pati noluit. 726.b. non moritur nisi per immolationem. 726.d. in vltima cœna seipse sub specie panis & vini Deo patri obtulit, & idipsum iussit fieri ab Apostolis, & eorum successoribus vsque ad mundi consummationem. 732.a. semel tantùm immolatus est in propria specie, siue cruenta immolatione. 737.b. vt præcisè obtulit sacrificium crucis non succedit Aaroni, sed vt per ministros suos perpetuò seipsum sacrificaret in eucharistia. 745.a. non omnino sustulit ea, quæ Deus in vetere lege instituerat, sed aut perfecit, aut mutauit in meliora. 745.b. moriens testamento suo nobis reliquit corpus suum & sanguinem, cum vt illa Deo offerremus, tum vt inde animæ nostræ reficerentur. 748. c. quamuis sit vnicus & æternus magister noster, multos tamen habet in doctrina homines qui dicuntur Doctores & Magistri, & hac in re vicarij, suffraganei & ministri Christi. 750.c. est omnium pastor, at non propterea negandum est in ecclesia multos esse pastores. 750. d. non potest alia ratione vere dici sacerdos in æternum, nisi per ministros sacrificet, quandoquidem per se propriè non sacrificat. 751.a. in missa non moritur nisi in sacramento, seu in signo repræsentante vnicam illam mortem, quam aliquando obiit. 754.a. est præcipuus auctor in baptismo, non minister. 88.a. vt est sacrificium reale & propriè dictum, in missa offertur in forma panis & vini, iuxta ordinem Melchisedech, & proinde in forma rei inanimæ. 754.c. est verus sacerdos qui per ministros sacrificium offert, & per illud purgat, & remittit peccata. 755.b. verè seipse sacrificauit, quia se occidendum obtulit, licet non se ipse occiderit manibus suis, sed manibus aliorum. 759.c. dici potest consumere eucharistiam, quia ad consummandum tradit. 759. c. obtulit in cœna sacrificium pro peccatis Apostolorum. 764. b. nunc nec mereri, nec satisfacere potest, sed solùm impetrare. 769.a. assiduè pro nobis interpellat in cælo, quamuis vnica interpellatione potuisset omnia impetrare, vt omnia fierent secundum ordinem diuinæ prouidentiæ. 770.c. solus est immediatus intercessor noster apud Deum. 781. c. homo in specie panis nihil omnino patitur. 788.b. instituit vt verba in missæ sacrificio adhiberentur, libertate relicta ecclesiæ, vt modum recitandi constituat. 795.c. rectè dicitur Dei datum, & donum Isa. 9. Ioan. 3. 831. c. satisfecit non solum pro culpis omnibus, sed etiam pro omnibus pœnis. 846.d. non verbo sacramentali, sed propria ac singulari sua potestate, peccata dimisit. 882.a. exortus est prædicationem ab illis verbis, *Pœnitentiam agite.* 927.b. repletus fuit spiritu timoris Domini, non secundum omnes species timoris, sed solùm secundum speciem timoris filialis, quatenus respicit reuerentiam Patris, qui solus in ipso esse potuit. 971. a. Act. 2. Spiritum sanctum dedit in specie linguarum, quia dedit eo tempore donum concionandi. 981.b. auctor Sacramentorum, à Sacramentis suis non dependebat. 1026.a. Deus erat, & ideo peccata contra se, suámque legem facta, simpliciter donare poterat. 1026.a. misit Apostolos sicut ipse missus fuerat à patre, quia potestatem eis dedit ligandi, & soluendi, vt ipse à Patre acceperat. 1028.a. suo iure poterat omnem culpam & pœnam condonare adulteræ. 1062.d. pro arbitrio suo culpam & omnem pœnam remittere potuit. 1080.c. per naturæ conformitatem non soli ecclesiæ iungitur, sed toti humano generi. 1125.d. soli ecclesiæ iungitur, vt sponsus sponsæ, spirituali dilectione. 1125.d. & ecclesia semper filios spirituales per baptismum gignunt, per eucharistiam nutriunt, & per confirmationem roborant. 1130.b. non tulit politicas leges, sed potuit ferre si voluisset. 1148.b. caussam de Diuortio & repudio, non remisit ad politicum Magistratum, sed ipse iudicauit Matth. 5. & 19. 1254.c. legem tulit, de tollendo repudio Iudæis permisso 1254 c.

Christi passio est caussa meritoria non autem effectiua iustificationis quæ fit per sacramenta. 103.d.
cum ecclesia coniunctio duplex. 172.c.
incipimus esse filij vel fratres per baptismum. 213.d. complexus & benedictio veris patruelis data, aperte significat eos pertinere posse ad Christi societatis regnum. 231.a. facta non omnia eodem modo facere possumus vel debemus. 217.d. iustitia communicatur infantibus per baptismum, quamuis vsum rationis non habeant. 238.a.
carnem manducare, & sanguinem bibere, idem est quod Christum ipsum totum manducare. 356.b.
mors non fuit testamentum, sed confirmatio testamenti. 381. c.
corpus & sanguis sub speciebus panis & vini, verè & propriè testamentum sunt. 382.a. carnem diuinitati vnitam affirmare nihil prodesse summa impietas est. 396.a. accidentia realia ab eius substantia impium est separare, id enim esset Christum verè perimere. 428.a.
corpus & sanguinem fide percipi non est arcanum solis fidelibus notum, publicè enim prædicebatur gentilibus. 463. b. passio potuit impediri per diuinam potentiam. 484.c. corpus non diffugit cælos cum eos penetrauit. 502.c. corpus, diuina virtute, ab eo potuit fieri inuisibile. 504 c. corporalis præsentia non impediebat aduentum spiritus sancti. 519. a. præsentia in eucharistia cum sit inuisibilis, non conciliat amorem humanum, sed planè diuinum 519.a. carnem manducare, & ipsius sanguinem bibere, idem sunt ac totum Christum sumere. 616. d. immolatio præcessit mandficationem illam cœnæ, quam fecerunt Apostoli ante passionem Domini. 706.a. passio incidit in meridiem diei xv. 707. a. passio fuit verum sacrificium. 708.c.
corpus & sanguis in cœna sumuntur, vt caro & sanguis victimæ pro nobis oblatæ. 716.d. corpus non fuit in vtero vel præsepi, vt victima, sed vt viuus infantulus. 727. b. corpus sub specie panis frangitur, & sanguis sub specie vini funditur, dum offertur, & donatur Deo in sacrificium. 755 a. corpus & sanguis sunt id sacrificium, quod in missa propriè offertur & sacrificatur. 757. d. corpus non est victima in sacrificio missæ, absolutè, sed vt est in specie panis, quo modo est visibile. 761.b. corpus per consecrationem accipit formam cibi. 761.c. corpus nullam in se læsionem patitur cum mãducatur eucharistia, amittit tamen esse sacramentale. 761.c. naturale esse in forma humana destruebatur ad honorem Dei in sacrificio crucis. 770 a. sacramentale esse tantùm destruitur in sacrificio missæ. 770.a. memoria & annunciatio in missa, non tam verbis quàm re ipsa fieri debet. 795.a. solo merito nos reconciliamur & iustificamur, siue per baptismum, siue per absolutionem, non autem vi satisfactionis nostræ. 1073.a

Christo in eucharistia existenti adsunt semper chori Angelorum. 397 d. esse in eucharistia non est gloria & beatitudo, quamuis dum est in eucharistia, sit in gloria. 397.d. in specie panis latenti non debuerunt Apostoli maiorem exhibere honorem, quàm in forma humana visibiliter præsenti. 675 b. in eadem dignitate & potestate sacerdotij nemo succedit, quia nunquam moritur. 731.a.

Christum in eucharistia fide tenemus, oculis non videmus. 193. d. habuisse veram carnem, probat Leo I. ex eucharistia. 473.d. intrasse ad discipulos ianuis clausis hæretici negant. 499.b. re ipsa nobiscum vniri cùm cogitamus, magis excitatur fides, deuotio, pietas, & reuerentia, quàm si solùm in cælo eum esse credamus. 518.c. celebrasse Pascha die 14. asserunt omnes ferme Patres, & maximè Græci 586.c. nullis verbis consecrasse opinatus est Innocentius III. contra communem sententiam. 610.d.
seipsum in cœna sub specie panis & vini Deo Patri obtulisse ecclesiæ patres asseruntur. 728.b.c.d. comedisse agnum paschalem Euangelistæ non expresse scribunt 749.c. in calice, quem sanguinis sui calicem appellauit, posuisse vinum Euangelistæ non expresse dicunt. 749.c.
communicasse eum sacerdotibus, quam ipse habuit remittendi peccata potestatem, asserit D. Ambros. 982.d

Chrysostomus cõfessionem publicam passim carpit, priuatam autem nunquam reprehendit. 1022.d. de publica confessione loquitur, cùm à confessione hominibus facienda, populum dehortatur. 1023. c

D. Chrysostomi sententia de Iride. 46. c.d
D Chrysostomi sententia explicatur. 99.c
Cibus Dominicus est eucharistia. 432.c.
Iudæorum fuit tantùm corporalis, non autem spiritalis. 153.d
Cinis vaccæ rufæ significabat Christi mortem & merita. 114.d
Cineris consecratio & aspersio quæ sit feria IIII. ante primam Dominicam Quadragesimæ, est vestigium publicæ pœnitentiæ, quæ eo die imponi solebat. 914.c
Circumciditur quod apertè expolitur resecatis superfluis, concciditur quod remerè & præter artem sciditur in frusta. 140.c
Circumcidens se, debitor est vniuersæ legis, ex sententia Apostoli Galat. 5. 255.d.
Circumcisio erat imperfectius sacramentum, quàm est Baptismus. 28.c. vocatur ab Apostolo sigillum iustitiæ fidei, non autem sigillum promissionis & pacti. 44.d fuit Iudæis signum quòd essent filij Abrahæ. 45.b. fuit soli Abrahamo sigillum. 45.c. ex sententia Gabrielis conferebat gratiam ex opere operato. 105.a. fuit figura baptismi. 114 c. fuit soli Abrahæ signaculum iustitiæ fidei. 125.c. non est propriè Sacramentum Mosaicũ, sed legis naturæ. 138.c. non vi sua, sed quatenus fidem applicabat, & fidei erat protestatio, iustificabat. 139.a. fuit opus legis. 140.a. non fuit data vt iustificaret. 140.b. cur appelletur Concisio. 140.c. Iudaica, fuit denudatio vnius pelliculæ, nostra circumcisio est expoliatio totius corporis peccatorum. 141.a. habuit annexam promissionem. 141.b. quando vigebat fuit vtilis. 142.c. post abrogationem legis non profuit, sed obfuit. 142.c. nihil fuit aliud nisi vmbra & figura baptismi, qui est vera & spiritualis circumcisio. 144.a. cur fuerit instituta. 144.d. carnalis adueniente spirituali circumcisione, tamquam vmbra inquit Cyp. luce adueniente euanuit. 144. d. ex se nullam vim habuit nisi ad præcidendam carnem. 159.b. non imprimebat characterem. 159.b. cur non repetebatur. 166.b. erat signum initiationis, quo Iudæi cooptabantur in ecclesiæ societatem, & Christo inserebantur. 204.c. etiãsi in remedium peccati data fuerat, vsque ad Christi mortem vigebat. 217 c. secundum Caluinum idem omninò efficiebat, quod nunc facit baptismus. 225.d. figura erat Baptismi adeò manifesta, vt Baptismus à Paulo dicatur Circumcisio, Coloss. 2. 230. b. per quod dabatur Hebræis ius ad terram promissionis, testamentum vocatur. 381.a. erat signum fœderis, vt fœdus accipitur pro diuina promissione, & erat fœdus, vt fœdus accipitur pro instrumento quo applicatur illa promissio. 381.b. data est Iudæis in figuram sacramenti Baptismi. 886.c. auctore Lactantio fuit figura confessionis ac pœnitentiæ. 1000.a.

Circumcisio, vide *Christiani.*

Circumcisionis promissio non erat insufficiens, quamuis liceret Iudæis vouere multa alia. 259.c. figuram non impleuit Dominus cùm Circumcisionem accepit, sed cum baptismum ei substituit. 706.d.
Circumcisioni non fuit annexa promissio remissionis peccatorum & vitæ æternæ. 149.a. carnali erat annexa promissio terrena, & hæc sola ad vetus testamentum pertinebat. 149. b

Circumcisionem Iudaicam Apostolus Coloss. 2. vocat manu factam, quia qui principaliter baptizat, Deus est, non homo. 155.b. fuisse datam in remedium contra peccatum, multi veterum negant. 215 b.
iustificasse non est de fide. 220.b

Circumcisi omnes non habent signaculum iustitiæ fidei. 45.b. à Samaritanis, non circumcidebantur iterum. 88.d.

Circumscripiuè vt aliquid sit in loco, tantùm requiritur vt commensuretur illi loco, ita vt termini loci, & locati sint simul. 404.b

Claues regni cælorum fuerunt promissæ. D. Petro Matth. 16. & ibi explicata vis quam erant habituræ, traditæ verò ei fuerunt post resurrectionem Ioan. 21. 351. d. non solent fieri aut dari, ad significandum ostium esse clausum, vel apertum, sed ad aperiendum, & claudendum reipsa. 980.a. apud homines dari solent magistratibus in signum potestatis, 980. a. sunt datæ sacerdotibus, non tantùm ad soluendũ, sed etiã ad ligandum. 1041 d

Clauium potestatem non exercuit nisi prædicatione Euangelij falsum est. 265.b.
potestas est iudiciaria, quare propriè erga eos tantùm exercetur, qui sunt in ecclesia. 980.b

Clemens Alexandrinus defenditur. 17.d

Clerici inquit D. Aug. etiamsi periculum vitæ immineat, non debent deserere plebes, ne desint qui sacramẽta ministrent, sine quibus non euitetur mors æterna. 621 c

Cœlibatum seruare multi cogũtur sine sua culpa. 1186.a. inter Concilia, non autem inter præcepta Christus Dominus numerari voluit. 1191.c

Cœna Domini est fidei externa professio. 237.b. vno anno ante fuit promissa quàm instituerentur. 351.d. si propriè & secundum Euangelium loqui velimus, non constat nisi ex vna specie. 669.b

Cœnæ Domini institutioni non repugnat, vt in ea nominentur, & honorentur sancti. 779.a. vt in ea innocentur sancti, eo modo, quo ab ecclesia catholica inuocari solent. 779.d

Cœnam Domini porrigere ex Calvini sententia, est testificari illum cui porrigitur, iam antea sumpsisse cœnam, & Christi corpus comedisse. 336.b. scriptura apud Isaiam & Malachiam vocat sacrificium. 739.c. priuatam reprehendit D. Paulus à qua excludunrur alij, non ad quam non coguntur. 789.c. instituit Christus, vt esset simul, & sacrificium & communio, sed non iussit, vt illa duo nunquam separarentur. 791. b

Cogitatio non pertinet ad peccatum publicum, nisi ipsum peccatum publicum ex ea cogitatione prodierit. 999. c

Cogitationem humanam superat, quod aliqua res nunc existat, quæ paulò ante nihil omnino erat. 490.c

Cognatio apud Iurisc. aliquando est nomen generis, & aliquando nomen speciei. 1120.a. in iure Canonico, simpliciter dicitur consanguinitas. 1220.b. spiritualis quæ oritur ex baptismo, & confirmatione, dirimit matrimonia intra primum gradum tantùm. 1223. b. legalis, est quæ oritur ex adoptione. 1223.b. cùm sit vinculum eorum qui propagantur ab vno, non potest fingi melior ratio supputandi gradus, quam penes distantiam ab illo vno. 1228.b. vera oritur ex fornicatione, cum sit verè pater qui sic generat, & verè filius qui sic generatur 1251.a

Cognationis spiritualis impedimentum ad matrimonium contrahendum, non ex iure naturæ, sed ex Ecclesiæ arbitrio pendet. 1240.d

Cognationem spiritualem quæ ex baptismo, & Confirmatione oritur, ecclesia voluit esse impedimentum ad matrimonium, quia vnus ab alio recipit esse spirituale, & ideo debet illi peculiarem reuerentiam. 1240. d

Cognatos Iurisconsulti vocant eos, qui ex eodem sanguine per matrem descẽdunt. 1220. a. se homines ordinariè solent agnoscere vsque ad 4. generationem: deinceps vix vlli sunt, qui se pro cognatis habeant. 1247.c

Coitus non est sacramentum, neque talis sacramenti pars, vt sine eo sacramentum esse non possit. 1136. d. quando sequitur sponsalia per verba de futuro, tenet vicem verborum consensum mutuum exprimentium. 1137.c

Collecta dicitur, quia paucissimis verbis colligit quicquid pro toto populo à Deo postulandũ est, vel per intellectionis figuram ab ipsa missæ celebratione, quæ antiquitus dicebatur Collecta. 811.b

Collectam facere seu celebrare, est missam celebrare. 811.c

Collectæ ordinariè dirigũtur ad Patrem, non ad Trinitatem. 812.a. aliquæ diriguntur ad filium, ne homines crederent non posse distertis verbis inuocari nisi patrem. 812.b

Columba quæ super Christũ apparuit, fuit signum sanctitatis, nõ tamen sacramentum. 22.d. quæ apparuit Ioanne baptizante, non testabatur efficaciã ministerij Ioãnis. 270.d. quæ apparuit in baptismo Christi, significabat ipsius Christi Domini innocentiam, & puritatem, & quòd ipse esset qui sanctificaret, & purgaret aquas, & per aquas & spiritum homines regeneraret. 2, 1.a. in cuius forma descendit spiritus sanctus in aëre, & ex aëre producta fuit. 103.a. signum duntaxat fuit spiritus sancti. 539.c

Columbam esse spiritũ sanctum, nusquam expresse in scripturis legitur. 539.c

Cõmixtio corporis & sanguinis Domini in specie panis & vini, significat resurrectionem Domini, in qua caro Domini fuit cum sanguine iretum coniuncta. 836.c

Communicandi ius laicis ob crimina potest auferri à prælatis. 664.b
Communicantes indignè comparantur cum iis qui Christũ crucifixerunt. 387.b
Communicare laicos omnes saltem ter in anno præcipit Concilij Agathẽse. 790.a
fideles, iubent Canones, sed non prohibent sacerdoti sacrificate, si populus non adsit, aut communicare nolit. 790.b. solebant Græci tempore Ambrosij & Chrysostomi, non nisi post annum. 790.b
Communicatio idiomatum non oritur ex vnione sacramentali. 367.a
Communio sacra ex præscripto Concil. Nicæni 1. nemini est deneganda in mortis articulo. 574.d. est vtus sacramenti eucharistiæ. 671.d. sub vna specie non pugnat cum Christi mandato. 646.c. sub vtraque specie tẽpore D. Pauli erat omnibus libera. 667.a. laica, id est sub vna sola specie, in pœnam grauis alicuius delicti olim dabatur clericis. 652.b. peregrina eadem est quæ laica communio. 653.a. præsanctificatorum fit sub sola specie panis, vt in Paraseeue. 653.a.
Communionis sub vna specie vsus publicus cœpit in Anglia ab initio prædicationis discipulorum D. Gregorij. 654.a
Communionis sub vtraque specie controuersia exorta est Pragæ circa annũ Domini 1412. auctoribus duobus Germanis. 632.c. nunquã in Polonia fuit vsus in communione populari. 654.a
Communionem sacramentalem saltem semel in anno fideles adulti accipere tenentur, vt hoc modo satisfaciant Christi institutioni & præcepto. 786.d. qui auersantur ob aliquam prauam opinionem, aut ob superstitionem, damnantur in Canone Apostolorum. 790.b
Communionem sub vna specie vetus ecclesia nunquã reprehendit. 650.a. Græci numquam obiecerũt Latinis tamquam errorem. 651.c. in suo monasterio dedit D. Bernardus. 653.d. ecclesia iustis de causſis præcepit. 671.b.c. primus oppugnauit Petrus Dresdensis. 672.a
Communionem sub vtraque specie nunquã fuisse præceptã, ex incõmodis quæ eam sequuntur, probatur. 654.d. 655.b. ecclesia vetus ministrabat, quando Christiani erant pauci, & præterea nõ omnes accipiebant sub vtraque specie. 655.b. instituit Christus, sed nõ iussit dari omnibus sub vtraque specie. 655.b. concessit concilium Basileense Bohemis, ea conditione, vt crederent communionem sub vna specie esse licitam. 669.a
Communione peracta quod supereſt de corpore Domini, Clemens Rom. iubet à Diaconis reponi in pattophorio. 573.d. sub vtraque specie, vsa est Corinthiorum ecclesia, quia D. Paulus vel Domini exemplo, vel aliunde, tradidit licitã esse cõmunionem sub vtraque specie. 669.b
Competentes, vide *Catechumenorum duo.*
Concidiur, vide *Circumciditur.*
Concilium Tridentinum damnat Lutheranos, & Caluinianos, quòd excludant sacramenta ab immediata acceptione & applicatione iustificationis. 72.b.c. vindicatur à calumnijs Kemnitij. 77.c.d. 92.d. 106.b.c. Sardicense non fuit notum D. Augustino. 87.a. Nicænum habitum fuit anno 327. nimirum antequam nasceretur D. Augustinus. 87.a. quod à D. Aug. vocatur, plenarium orbis terræ, fuit Concilium Nicænum primum. 86.d
Concilij Tridentini canon 4. Sess. 7. contra Kemnitij, & Caluini mendacia, & calumnias defenditur. 71.c.d. Milevitani Canones, Augustino præcipuè auctore, compositi, editique fuerunt. 1192.b
Concilia Basileense & Constantiense oprimè inter se consentiunt. 4.c. generalia quatuor tantùm sunt facta D. Augustini tempore, Nicænum, Sardicense, Cõstantinop. 1. & Ephesinum 1. 86.d. œcumenica sequuntur iudicia communia scholarum Theologicarum. 1148.a
Concio non est necessaria ad sacramenti vllius administrationem. 34.a. à Caluino substituitur pro verbo sacramentali. 53.c. si est de essentia baptismi, debet percipi non minùs quàm aqua. 58.c. non accedit ad elementum, sed præcedit. 60.d. nulla à Christo Domino habita, cum eucharistiam primus consecrauit. 65.b. est efficacior baptismo, si agatur de efficacitate prouocãdi fidem. 119.b. Lutheri iudicio, est efficacior sacramentis. 121.a
Concioni primæ quam habuit D. Petrus conueniunt conditiones omnes promulgationis solennis. 218.b
Concionem distinguit Iustinus martyr à collatione spirituali. 84.c
Concionari, aliud est, atque celebrare sacramenta. 65.b
Concionari sunt approbantibus Apostolis, Stephanus & Philippus qui non erant Apostoli. 228.c
Concomitantiam corporis Domini cum sanguine in calice, & concomitantiam sanguinis cum corpore, in panis specie, sacramentarij irridebant. 633.d. negantes soluunt Iesum, cum ponant alicubi corpus sine anima, & sanguine, & Deitate. 635.b. negantes, non solùm sua opinione sumunt cadauer, sed etiam ipsorum ministri quoties cœnam faciunt, toties credunt se occidere Christum. 636.c
Concubinæ in scripturis appellantur aliquando veræ & legitimæ vxores. 1164.a
Concupiscentia in renatis non est peccatum si non adsit consensus. 251.c. ex actu coniugali, accenditur potius quàm extinguitur. 1130.c. vide *Lutherani putant.*
Confessio vno die fieri potest, & altero die absolutio. 13.a. est facienda eorum peccatorum quæ memoria tenentur. 857.d. significat animi renouationem. 873.d. significat peccatorum remissionem, nam pœnitens confitens, significat se à peccato recedere. 898.a. tot parit vtilitates, vt planè diuino consilio instituta videri possit, etiamsi id ita esse non aliunde constaret. 1011.b. figurata fuit in lege naturæ. 984.c. peccatorum in Catechumenis & pœnitentibus ante perfectam contritionem, non est propriè opus vitæ, sed dispositio ad vitam. 963.c. peccatorum in ecclesia fuit ante omnia conciliorum Pontificũm ve decreta quare non est iuris humani. 1011.d. omnium peccatorum quæ sacerdoti fit, non requiritur extra pœnitentiæ sacramentum. 905.d omnium peccatorum mortalium iure diuino necessaria est iis, qui post baptismum in peccata labuntur. 978.b. quæ Deo fit, nõ negligitur in ecclesia 1008.b. quæ soli Deo fit, in contritione includitur. 1008.c. quæ Deo fit, includitur in confessione quæ fit sacerdoti. 1008.d. publica tantum abest vt fuerit abrogata tempore Decij Imperatoris, vt potius tunc primùm fuerit ab episcopis imperata. 102 .d. publica non autem priuata à Nectario fuit abrogata. 1028.c. de qua loquitur D. Aug. lib. 10. confess. cap. 3. non est confessio sacramentalis, sed confessio peccatorum præteritorum, ac per baptismum dimissorum, ad eum finem instituta, vt inde cognoscatur, & laudetur misericordia Dei. 1029.d. sacramentalis non fuit instituta cum D. Petrus nocte qua traditus erat Christus, detestari suum peccatum. 1029.d
Confessionis quasi materia, sunt actus pœnitentis 53.a. vsum ante introitum, antiquum esse, constat ex Liturgia Iacobi, quæ à confessione incipit. 809.c. necessitas probatur testimoniis Patrum. 995. 996. sacramentum non erat institutum quo tempore Christus propriæ vocis ministerio homines iustificabat. 1025.d. multæ sunt vtilitates. 1011.b.c.d. Prima figura habetur Genes. 3 & 4. vbi Deus primum ab Adamo, & Eua, deinde à Cain confessionem peccati exegit. 984.d. Secunda figura habetur Leuit. 13. & 14. vbi iudicium lepræ solis committitur sacerdotibus. 986.b. Tertia figura, est Cõfessio. 987.b. Quarta figura est Mat. 3. & Marc. 1. vbi legimus plurimos accurrisse ad baptismum Ioannis confitentes peccata sua. 988.a. Quinta figura habetur Ioann. 11. in historia Lazari. 988.c.
Confessionem esse sacramenti pœnitentiæ partem essentialem negat Scotus. 892.d. solam esse partem materialem sacramenti Pœnitentiæ sensit Durandus. 899. a. primi sustulerunt vereres illi hæretici qui potestatem absoluendi sustulerunt. 975.a. pro nota veræ ecclesiæ ponit Lactantius. 1000.b. diuinitus esse institutam miraculis est confirmatum. 1012.d. 1013. Innocentius aut Lateranense Concilium non simpliciter imperauit, sed solum tempus determinauit quo ea facienda esset. 1015.a. sacramentalem aperte oppugnauit Ioan. Vuiclefus. 975.b. sacramentalem, non tam homini, quàm Deo fieri, patres aliqui dicunt. 1008.d. publicam non probauit Chrysostomus, sed ad priuatam confessionem hortatus est pœnitentes. 1002.c. publicam solùm reiecit D. Chrysost. vt erat pars quædam satisfactionis. 1024.b. priuatam nulla sequi potest exprobratio. 1023.a. non auricularem, sed publicam abrogauit Nectarius 1018.b. 1021.b. non priuatam sed publicam ex qua publicatio, & improperium sequebatur, reiicit Cassianus Collat. 20. cap. 8. 1029.a
Confessione non meremur remissionem peccatorum, nisi fortè ex congruo. 1031.b
Confessiones Adami, Euæ & Cain sunt factæ coram Dei Ministro, nimirum Angelo apparente in forma humana. 984.d
Confessores multi quibus non dimittitur tota pœna, plura sæpè patiuntur quàm martyres. 221.b
Confessores publicè in ecclesia colebantur, & eorum festa fuerunt in vsu anno Domini 0 e c c. 820.c
Confirmandi potestas maior quàm baptizandi vel ligandi & absoluendi. 397.c munus commune esse episcopis & presbyteris, existimauit Richardus Armachanus. 315.c
Confirmandi sunt Christiani præcipuè in festis Pentecostes, quia in eo festo data est prima Confirmatio à Deo sanctis Apostolis. 321.a
Confirmandis episcopus bis manus imponit, semel cùm super eos manus extendit atque orat, & rursus cum signat in fronte atque vngit. 293.a
Confirmare est actus ordinis, & hic ordo est etiam in presbytero saltem inchoatus & imperfectus. 318.c
Confirmatio est propriè sacramentum. 9.c. probatur esse sacramentum. 170.d. est quædam perfectio & consummatio baptismi. 182.d. ex dispensatione, confertur à simplici sacerdote. 183.b. propriè datur ad augmentum roboris, & ad pugnandum pro fide. 287.a. non perficitur nisi in fronte, 287.d. præstat baptismo tam ratione ministri ordinarij qui est episcopus, cum minister baptismi sit presbyter, quàm ratione subiecti, quia confirmatio fit in fronte baptismus potest fieri in alia parte. 287.d. in eo præstat baptismo, quòd solùm ab episcopis confertur. 293.c. spirituale signaculum 297.c. est complementum & perfectio Baptismi. 317.c. non est simpliciter necessaria ad salutem, cum per solum baptismum possit aliquis saluari. 319.b. Apostolorum in die Pentecostes non respondet baptismo, sed confirmationi per Christum. 296.b
Confirmatio, vide *Baptismus dat. Baptismus armat. Character.*

Confirmationis sacramentum à quibus reiectum. 1. a. est à Deo institutum. 12. a. est præceptum, sed non medium, ad salutem simpliciter necessarium. 70.c. non potest conferri ordinariè nisi ab episcopo. 287.b. est sigillum dominicum in fronte impressum, custodiam præbens per gratiam quam confert. 295.a. est confirmatum tribus miraculis. 298.b. semel datum non potest repeti. 299.c
Confirmationis sacramentum qui accipere negligit, peccat, qui verò ex legitima causſa illud non accipit, neque peccat, neque à salute impeditur. 70.c. qui accipiunt debent esse ieiuni. 75.d. reiiciunt hæretici huius temporis ferè omnes. 28.b. an Donatistæ oderint absolutè, an tantum vt à Catholicis dabatur, non constat. 286.c. qui ex professo tractent. 298.a. visibile, sine inuisibili gratia accipiunt mali, idque ad iudicium. 312.a. non habuit Cornelius ante baptismum, sed effectum sacramenti confirmationis ab ipso Deo immediatè sine sacramento. 1088.b. simplex presbyter commissione summi Pont. conferre potest. 1142.d
Confirmationis materia est Chrismа siue vnctio. 303.c. materia propinqua & remota. 303.c. materia remota, est oleum balsamo admixtum atque ab episcopo consecratum; materia verò proxima, quæ propriè est alterà pars sacramenti, est vnctio ex prædicto oleo in fronte adhibita ad formam seu figuram crucis. 303.c. materia non est oleum simplex, sed oleum mixtum balsamo. 304.a b.c. forma sunt hæc verba: consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine patris &, filij & spiritus sancti. 312.c. effectus est duplex. 814. præcipuus effectus est confirmatio in fide. 305.a. effectus significati sunt in linguis igneis quæ apparuerunt super Apostolos in die Pentecostes. 305.b
Confirmationis & baptismi effectus distinguuntur. 302.b
Confirmationis proprius minister ex communi consensu doctorum est solus episcopus. 315.d. ordinarij ministri de iure diuino sunt soli episcopi. 318.b. meminit Apostolus ad Hebr. 6. 177.c. essentiam posuerunt Patres in chrismate, & signaculo crucis in fronte. 301.c. in testamento veteri præsensisse figuras asserit Tertull. 311.a. cæremoniæ sunt duplices, multæ enim adhibentur in consecratione chrismatis feria 5. in cœna Domini; & quædam adhibentur in collatione sacramenti. 319.c. Lutheranæ ordinem descripsit Kemnitius. 285.c
Confirmationem tria miracula diuina probarunt. 298.b. esse sacramentum asserunt pattes. 293. 294. 295. 296. 297 29?. qui aesipere volunt, ex præscripto Concilij Aurelianensis debent esse ieiuni & perfectæ ætatis ac confessi. 294.c. S. Cyprian. appellat sacramentum, & cum baptismo confert. 296.d. fuisse tantum catechesim puerorum, somnium est Caluini. 301.b.c. dari nunc in ecclesia loco impositionis manuum Apostolorum asserit Concilium Florent. in instructione Armenorum. 310.b.c. esse initerabilem asserit Apostolus Hebr. 6. 315.a. ex dispensatione presbyter potest conferre. 315.d. accepisse D. Paulum immediatè à Deo sine humana manuum impositione est valde probabile. 318.a
Confirmati accipiunt spiritum sanctum. 297.d
Confitendi peccata sacerdotibus necessitatem concilia varia asserunt. 993.d. 994. 995.
Confitebantur Christiani, Actorum decimo nono, peccata sua in specie D. Paulo. 990.b
Coniugalis actus, qui sine turpitudine quadam, & irreuerentia exerceri non potest, repugnat reuerentiæ quæ debetur consanguineis, & affinibus. 1247.c. amor, si adderetur naturali amori, quo consanguinei se diligunt, creſceret plus debito carnalis amor. 1248.b
Coniugali copula in præcipuis solennitatibus, & maximè si communicandum sit corpori Domini abstinendum est. 1233.a
Coniugium inter fideles est legitimum vt ciuilis quidam contractus. 114.b. inter duos infideles vel inter fidelem, & infidelem valet. 214.b. infidelium res est bona. 214.d. hominum differt à coniunctionibus belluarum, quæ propriè matrimonia non dicuntur. 1130.b. solum sine gratia Dei, non est sufficiens remedium contra fornicationem. 1130.c. sine coitu est sacramentum, sed aliqua ex parte imperfectum, & non consummatum. 1136.d. vnius viri cum multis vxoribus, quamuis non repugnet primario fini Matrimonij, nimirum prolis propagationi & educationi, tamen repugnat aliis finibus. 1161.c. cum pluribus vxoribus, alioqui illicitum, Dei dispensatione factum est licitum. 1164.c. seperari potest quoad thorum propter alias causſas præter fornicationem carnalem. 1172.a. Christianorum debet esse eiusmodi, vt nunquam tale diuortium fiat, quin spes maneat reconciliationis. 1184.a. aliud viuente altero coniuge si esset licitum, aperiretur aditus infinitis repudiis etiam iniustis. 1184.b. in testamento nouo est sacramentum, & peculiarem gratiam confert, qua molestiæ coniugij facilè toletantur. 1196.a. est summus amicitiæ gradus. 1200.b. seruorum inuitis Dominis, firmum ac ratum est. 1201.b. vt sit Deo gratum, & ipsis coniugibus vtile, media à Deo instituta sunt, parentum & amicorum consilia, & alia id genus. 1206.a. si occultè sine testibus, & vlla celebritate contrahatur, legitimum habeti non potest in foro externo, & apud ecclesiam. 1206.d. cùm initur, sponsus, & sponsa benedicendi sunt à sacerdote, & offerendi ecclesiæ à parentibus, & paranymphis. 1207.a. fratris cum sorore iure naturæ prohibetur, excepta summa necessitate generis propagandi, eiusmodi fuit in filiis Adami. 1244.b. Adami & Euæ non fuit sacramentum nouæ legis. 14.d. primum quod Adami & Euæ fuit, incarnationem Domini repræsentauit 1133.d. verum sine vlla carnali corpula fuit inter B. Virginem Mariam, & S. Ioseph. 1136.b
Coniugium patrui vel auunculi cum filia fratris vel sororis, Moses non prohibuit. 1242.c. cum vxore fratris etiam defuncti lex Mosis prohibet, non autem prohibet coniugium cum sorore vxoris nisi ea viuente. 1233.c. nepotis cum amita, & matertera prohibet lex Mosis, non autem prohibet coniugium patrui vel auunculi, cum nepte ex fratre, vel ex sorore. 1233.c. patris cum filia pugnare lege naturæ scripta in cordibus singulorum, asserit D. Aug. 1243.d. in primo gradu affinitatis in recta linea, Deus punit morte. 1232.a. primo gradu consanguinitatis in linea transuersa, vt cùm frater accipit sororem, Deus morte punit. 1232.b
Coniugij actus instrumenta, perperuò in scriptura, turpitudinis vocabulo appellantur. 1135.b. actus si nihil turpe continet, cur homines erubescunt, neque coram aliis exercere eum actum audent. 1135.b. vsu, vxore per diuortium separata, priuatur vir sine sua culpa, sed non sine causſa. 1185.b. vinculum non soluitur ob fornicationem spiritualem absolutè, sed coniugij inter infideles contracti vinculum soluitur, quia coniugium illud non erat sacramentum. 1189.b. auctor est Deus, si materia & forma adsint, qualia Deus instituit. 1204.c. lex non fuit admodum restringenda populo Iudaico. 1248.d. causſam inter fidelem & infidelem cognouit Apostolus, neque ad Magistratum eam reiecit. 1254.c
Coniugio primorum parentum, verba illa Adami, Genes. 2. *Relinquet homo patrem, &c.* accommodari non possunt, non enim potuit Adami relinquere patrem & matrem, cum non habuerit parentes. 1125.a
Coniugia fidelium & infidelium, remoto sacramento, sunt paria. 1129.d. Patriarcharum cum pluribus vxoribus non fuerunt contra naturam, quia tunc vigebat dispensatio diuina, & non fiebant lasciuendi, sed gignendi causſa. 1166.a. contracta in infidelitate, etsi rata sint, & firma ex natura sua, tamen sacramenta non sunt, & ideo deest illis potissima ratio insolubilitatis. 1169.c. contracta post baptismum sunt sacramenta, quare quamuis alter coniugum fiat apostata, ethnicus, atheos, nunquam soluitur vinculum matrimonij. 1169.d. filiorum, ad parentum curam & prouidentiam maximè pertinet. 1205.b. Iudæorum cum fidelibus habitantibus in terra Chanaan ita prohibebantur, vt contracta essent, irrita. 218.b. in primo gradu consanguinitatis, tam in recta linea, quàm in transuersa, & in primo gradu affinitatis in recta linea tantùm, iure naturæ interdicta sunt. 1241.d. omnia inter ascendentes, & descendentes sunt prohibita. 1241.d. omnia in quouis gradu, à Deo sunt dispensabilia. 1242.d. cum sororibus iuquit Diuus Augustinus, non nisi peruersis legibus fuerunt permissa. 1243.d. concedebantur Hebræis in quibusdam gradibus, in quibus Christianis minimè decebat concedi. 1238.d. olim prohibebantur vsque ad septimum gradũ. 1249.a
Coniugia non damnat Syricius pp. sed sacrilegia, quæ falsò ab hæreticis coniugia nominantur. 1134.a. rectè ecclesia prohibuit, olim vsque ad septimum, postea verò vsque ad quartum gradum consanguinitatis, & affinitatis. 1247.b
Coniugiorum iure naturæ prohibitorum aliquis est ordo. 1241.b.c
Coniunctio externa viri & fœminæ, est sacramentum. 15.d
Coniungi nepotem cum amita turpius est, quàm patruum cum nepte. 1233.d
Coniunx infidelis sine conuersione ad Deum, & baptismo Christi, non potest peruenire ad remissionem peccatorum hoc solo, quòd adhæret coniugi fideli. 214.a ad fidem conuersus potest simpliciter dimittere coniugem infidelem. 1169.b. statim atque fornicando fregit coniugi fidem, quia non stat promissis, cadit à iure coniugij, nec habet amplius in coniugem vllum ius. 1173.a. vera non fuit illa prima, ob cuius ægritudinem Gregorius 111. eius viro concessit secundam vxorem. 1168.b
Coniugis vnius verba, determinant verba alterius coniugis, & ab illis pariter determinantur. 1144.c
Coniuges legitimi possunt ita viuere vt dicantur non esse in carne. 10.d. omnes apud gentes sunt impij, nullus autem sanctus. 1134.a. sunt partes in dimissione quoad thorum, potest enim & vir vxorem adulteram, & vxor virũ adulterum relinquere. 1169.a. Christi obligantur ex ipso coniugio ad officia diuina. 1150.c
Coniuges non permittit Paulus abstinere à carnali commercio ob orationem, & ad tempus nisi ex consensu mutuo. 1181.d
Coniugum corpora sunt materia sacramenti matrimonij. 1144.d. par fuisse Romæ tẽpore Damasi, narrat D. Hier. in ep. ad Ge-

roatiam, quorum alter viginti vxores sepelierat, altera marito viginti & vnum. 1157.a
Connubia cum parentibus & fororibus permittebant Persæ, ac propterea ab omnibus reprehenduntur. 1243. c
Consanguinitas est vinculum eorum qui ab vno aliquo per sanguinis propaginem descendunt. 1210.b
Conscientiæ bonæ testimonio nihil in hoc mundo iucundius. 133. d
Conscerandi potentia maior est quàm baptizandi. 83. d. potestas non est omnibus tradita, sed omnibus est traditum, id est dictum, explicatum & declaratum quod Dominus instituerat. 83. d
Consecratio tamdiu durat, quamdiu durat res consecrata. 158. d. est necessaria ad conficiendum eucharistiæ sacramentum. 383. c. facit, vt qui panis est ante consecrationem, corpus sit post consecrationem. 438. b. solùm significat & efficit corpus Domini ex pane, quare sacramentum efficit, non autem est ipsa sacramentum. 573. a. est signum rei sacræ, nimirum corporis Domini. 581. b. fit solis Domini verbis. 606. b. est actio immolationis, & oblationis in eucharistia. 727. d. sacramentariorum est, panem deputari à Deo ad sacramẽti vsum. 411. d. nostra nihil est aliud, quàm repetitio illius primæ quæ à Christo facta est. 607. a. salis & aquæ in scripturis non est prohibita. 7. a. eucharistiæ ex præcepto Domini (quod continetur illis verbis, *Hoc facite*) fieri debet ipsius Domini verbis. 607. b. 615. b. eucharistiæ necessariò requirit illa verba, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic sanguis meus*, vel, *Hic est calix sanguinis mei*. 615. b. templorum & altarium antiquissima est. 801. b. rerum quæ in sacrificiis offerebantur in veteri lege, fiebat certo ritu, & cæremonia mysterium continente. 688. d
Consecrationis verba dicuntur ad panem benedicendum, & mutandum, non ad populum instruendum. 608. a. in canone missæ dicuntur significatiuè 614. d. in ecclesia Orientali, alta voce recitari consueuerant. 796. a. partes solent appellare, orationes, seu mysticas preces. 721. c. Christus pronunciauit, non tantum vt consecraret, sed etiam vt Apostolos doceret ritum consecrandi, quare debuit ita loqui, vt ab Apostolis audirentur. 795. b. sic pronunciant episcopi cum inter missarum solemnia ordinant sacerdotes, vt omnes noui sacerdotes illa audire possint. 795. b. verbis Apostoli inicio solam orationem dominicam adiecerant, postea tamen alia multa addiderunt. 818. c. eucharistiæ essentia non requirit nisi materiam, formam, & & ministrum. 617. b
Consecrationi solam orationem dominicam adhibuisse Apostolos scribit Gregorius magnus. 775 b
Consecrationem nullam adhibent Caluinistæ eucharistiæ sacramento. 408. b
Consecratur anima propriè, non corpus. 162. b. in cœna seorsim corpus, & seorsim sanguis, vt intelligamus, præsentiam corporis & sanguinis in cœna, esse ad modum occisi & mortui corporis. 726. d
Consensus parentum non est necessarius ad matrimonium. 52. b
Consilia Dominus Matth. 19. distinguens à præceptis, ostendi posse homines iustificatos per gratiam Dei, non solùm implere legem, sed etiam aliqua opera Deo gratissima facere, quæ impetrata non sunt. 1066. a
Consolatio nobis maior esse debet, quòd per Baptismum Christum induamus, & similitudini mortis eius configuremur, quàm si cùm illo simul ablueremur. 177. b. quam euangelium adfert, pœnitentiam sequitur. 909. b
Consuetudo est clarior quam ipsum Dei verbum. 88. a. non est abolenda ob verbum Dei obscurum & ambiguum. 88. a
Contactu non eger id quod non agit per suam actionem propriam & naturalem. 135. b
Continens dum Matrimonium contrahit, in gratia crescit. 1142. a
Continentia perpetua ex Apostolorum doctrina imperabatur omnibus altaris ministris. 621. d. est excellentior Matrimonio, id est, status continentiæ altior est statu Matrimonij, & maioris gratiæ & meriti. 1141. a
Continentiam virginalem Dominus non imperauit, sed consuluit. 1. 95. c. secundis nuptiis Patres præferunt. 1155. d. vide *Nuptiæ secundæ*.
Continere coniugatis est difficilius, quàm virginibus in perpetuo cœlibatu viuere. 1130. c
Contractus ex natura sua, & ex consuetudine id habet, vt etiam inter mutos vel absentes celebrari possit. 1149. d
Contradictionem quod implicat non est possibile vllo modo, quia ponit esse, & non esse simul, & proinde si illud fieret, fieret aliquod, cuius esse esset non esse. 486. a
Contritio est actus voluntatis seu liberi arbitrij. 853. d. non est opus meritorium remissionis peccatorum. 860. c. detegi potest iisdem verbis quibus Confessio explicatur. 899. d. non vt in corde sedem habet, sed vt per signa manifestatur, est pars sacramenti Pœnitentiæ. 899. d. sola interior illi ad salutem sufficit, qui aut angustiis temporis, aut alia caussa legitima impeditur, quo minus confiteri, aut satisfacere queat. 905. d. est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. 914. a. lapsis semper fuit necessaria ad veniam obtinendam. 915. a. post Baptismum debet esse coniuncta cum fiducia diuinæ misericordiæ, & cum voto præstandi cætera, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ requiruntur. 915. a. actu formata reconciliat hominem, etiam antequam Sacramentum actu percipiatur. 915. b. non est coacta, & extorta, sed libera, & voluntaria. 915. c. non est terror ex minis legis conceptus. 917. c. duritiem & tumorem, ac proinde peccati affectum secum non paritur. 918. a. inquit D. Chrys. sine humilitate esse non potest. 918. a. in Scripturis ferè semper habet coniunctam humilitatem. 918. a. non est passio, sed actio libera, non autem coacta. 918. c. gratissimum Deo sacrificium est, propitiationem habens misericordiæ, & gratiæ. 918. c. ad Euangelium maximè pertinet, *Pœnitentiam agite*. 919. ideo nominatur sacrificium, quia instar sacrificij Deo grata, & accepta est. 910. c. est opus bonum, & à peccatis liberat, & bona opera, ac benedictiones adducit. 921. a. esse nequit sine omni spe veniæ, sed est sine certa illa fide remissionis peccatorum, quam Lutherani requirunt. 922. a. est donum Dei, neque potest sine diuina inspiratione, solis naturæ viribus obtineri. 922. b. includit odium, ac detestationem peccati præteriti. 924. b. est dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. 930. c. saltem imperfecta omnino necessaria est in adultis necessitate medij, ad remissionem peccatorum, & iustificationem obtinendam. 935. a. in eo, qui crimen lethale commisit, est medium necessarium ad iustificationem, & salutem. 937. b. virtualis sufficit in duobus casibus ad iustificationem. 938. b. quæ est futura sufficiens ad remissionem peccati, non debet æqualis esse; magnitudini iræ diuinæ. 940. c. non est necessariò dolor summus intensiuè. 942. a. non requirit vt tot sint ipsius actus, quot sunt peccata, modò de omnibus quæ post examen menti occurrunt, ex animo doleamus. 943. d. eo est vilior, quo est maior. 944. b. caussa est remissionis peccatorum. 945. a. est caussa iustificationis, quia disponit ad iustificationem, & impetrat remissionem peccatorum. 945. a. omni tempore fuit necessaria ad veniam impetrandam, at impetrare, est aliquo modo esse causam. 945. a. non est meritum ex condigno, sed dispositio iustificationis. 948. b. nascitur ex caritate, eámque comitem individuam habet. 950. a. cum solo Sacramenti voto culpam purgat, sed reatum totius pœnæ temporalis rarò tollit. 968. a. potest esse tanta in aliquo pœnitente, vt per eam peccata omnia quoad culpam & pœnam plenissimè deleantur. 1073. d
Contritio vera sine spe remissionis esse non potest. 910. c. etiam sine certa fide speciali remissionis peccatorum suorum non est fuga Dei, neque repler hominem peccatis, neque bonis operibus prius. 921. d. peccati detestationem, & vicæ melioris propositum explicitum ac formale requirit. 928. c. d. esse non potest, sine proposito placendi Deo per mandatorum obseruationem. 930. b. non erit quæ dolorem adfert de peccato præterito, sine proposito non peccandi de cætero. 931. d. non requitit certum gradum contritionis. neque moram vllam temporis. 943. a
Contritio perfecta requirit tantum dolorem ex peccatis conceptum, vt maior nequeat cogitari. 853. a. à plurimis re ipsa habetur. 856. a. non ex solis naturæ viribus, sed ex Dei munere habetur. 862. b. & quæ ex toto corde fit, est necessaria ad remissionem peccatorum. 940. b
Contritio si perfecta sit, & votum sacramenti Baptismi, aut Absolutionis adiunctum habeat, omninò reconciliat hominem Deo, & peccata remittit, etiam antequam Sacramentum reipsa percipiatur. 948. c. charitate perfecta reconciliat hominem Deo, priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. 949. b. imperfecta, quæ Attritio dici solet, quæ ex metu Gehennæ concipitur, si voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ sit coniuncta, est donum Spiritus sancti, & vtilis ad iustificationem. 915. b
Contritio siue pœnitentia verè est caussa iustificationis. 947. a
Contritio & Confessio sunt dona Dei. 859. a
Contritionis actus, semper aliquid pœnæ temporalis, pro qua satisfaciendum erat remittit. 1044. c. vnico actu, qui momento temporis fieri potest, interdum multa mortalia expiantur. 1074. vis aliquando tanta in aliquo reperiri potest, vt sola sufficiat ad omnem culpam, & pœnam expiandam, qualem fuisse in Maria Magdalena probabile est. 1062. d
Contritionis & amoris tanta potest esse vis in pœnitente, vt nullus omnino pœnæ, & culpæ reatus post reconciliationem superfit. 882. b
Contritionem priorem esse fide, nemo Catholicorum docuit. 841. a. non esse solos terrores, sed verum dolorem de peccatis præteritis, cum certo proposito vitæ melioris, ex pœnitentia Dauidis, & aliorum veterum probamus. 881. a. putauit Durandus esse dispositionem ad Pœnitentiam, non autem ipsius partem materialem. 899. a. non habuit Felix Syriæ præses qui Actor. 24. audiens diuum Paulum de futuro iudicio disputantem, non leuem terrorem concepit. 918. a. cùm Scripturæ diuinæ, & Sancti Patres deiciebunt, proponunt nobis veram animi contritionem, non solùm pauores & terrores, sed gemitus, lachrymas, suspiria dolentis animi, & peccata detestantis. 918. c. parem omnes contriti habent quoad appreciationem, non autem quoad intentionem. 942. d
Contritione non meremur ex condigno iustificationem. 940. d
Conuersio naturaliter fieri nequit nisi manente materia. 526. d. totalis panis, & vini in corpus & sanguinem Domini, est ratio proxima, & propria cur sint in Eucharistia verum Domini corpus, & verus sanguis. 533. a. non requirit vt desinat esse, nisi id quod conuertitur. 533. c
Conuersio ad Deum non est sacramentum. 223. d. in baptismo flaminis concurrit ad iustificationem dispositiuè tantùm. 223. d. idem est ac voluntas placendi Deo per obseruationem mandatorum. 930 d
Conuersio vera quatuor conditiones requirit. 533. 544. fuit vxoris Loth, quia illud compositum, id est, illud corpus carneum, & illud animal rationale, verè desiit esse. 333. e. non requirit, vt id, in quod aliquid conuertitur, de nouo producatur. 535. a. perfecta, vt fuit B. Mariæ Magdalenæ, & boni latronis, dimittit totam pœnam. 223. a
Copula non est pars essentialis matrimonij. 1136. b. in coniugatis significat coniunctionem Christi cum ecclesia, per naturæ conformitatem. 1136. d
Cor contritum, & cor carneum in scripturis idem sunt. 917. d. peccatoris durum ac tamidum, Dei legibus, & imperio resistens, per contritionem mollitur, humiliatur, legem Dei se subdit, pristinam suam duritiem, & minorem deponit. 917. d
Cor sursum habere potest, qui terram intuetur, & contra qui cælum intuetur, potest habere cor deorsum. 402. c
Corinthium incestuosum D. Paulus non propriè absoluit, sed absolutionis adiunctum habeat, omninò reconciliat hominem Deo, & peccata remittit, etiam antequam Sacramentum reipsa percipiatur. 948. c. charitate perfecta reconciliat hominem Deo, priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. 949. b. imperfecta, quæ Attritio dici solet, quæ ex metu Gehennæ concipitur, si voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ sit coniuncta, est donum Spiritus sancti, & vtilis ad iustificationem. 915. b
Cdntritio siue pœnitentia verè est caussa iustificationis. 947. a
Contritio & Confessio sunt dona Dei. 859. a
Contritionis actus, semper aliquid pœnæ temporalis, pro qua satisfaciendum erat remittit. 1044. c. vnico actu, qui momento temporis fieri potest, interdum multa mortalia expiantur. 1074. vis aliquando tanta in aliquo reperiri potest, vt sola sufficiat ad omnem culpam, & pœnam expiandam, qualem fuisse in Maria Magdalena probabile est. 1062. d
Contritionis & amoris tanta potest esse vis in pœnitente, vt nullus omnino pœnæ, & culpæ reatus post reconciliationem superfit. 882. b
Contritionem priorem esse fide, nemo Catholicorum docuit. 841. a. non esse solos terrores, sed verum dolorem de peccatis præteritis, cum certo proposito vitæ melioris, ex pœnitentia Dauidis, & aliorum veterum probamus. 881. a. putauit Durandus esse dispositionem ad Pœnitentiam, non autem ipsius partem materialem. 899. a. non habuit Felix Syriæ præses qui Actor. 24. audiens diuum Paulum de futuro iudicio disputantem, non leuem terrorem concepit. 918. a. cùm Scripturæ diuinæ, & Sancti Patres deiciebunt, proponunt nobis veram animi contritionem, non solùm pauores & terrores, sed gemitus, lachrymas, suspiria dolentis animi, & peccata detestantis. 918. c. parem omnes contriti habent quoad appreciationem, non autem quoad intentionem. 942. d
Contritione non meremur ex condigno iustificationem. 940. d
Conuersio naturaliter fieri nequit nisi manente materia. 526. d. totalis panis, & vini in corpus & sanguinem Domini, est ratio proxima, & propria cur sint in Eucharistia verum Domini corpus, & verus sanguis. 533. a. non requirit vt desinat esse, nisi id quod conuertitur. 533. c
Conuersio ad Deum non est sacramentum. 223. d. in baptismo flaminis concurrit ad iustificationem dispositiuè tantùm. 223. d. idem est ac voluntas placendi Deo per obseruationem mandatorum. 930 d
Conuersio vera quatuor conditiones requirit. 533. 544. fuit vxoris Loth, quia illud compositum, id est, illud corpus carneum, & illud animal rationale, verè desiit esse. 333. e. non requirit, vt id, in quod aliquid conuertitur, de nouo producatur. 535. a. perfecta, vt fuit B. Mariæ Magdalenæ, & boni latronis, dimittit totam pœnam. 223. a
Copula non est pars essentialis matrimonij. 1136. b. in coniugatis significat coniunctionem Christi cum ecclesia, per naturæ conformitatem. 1136. d
Cor contritum, & cor carneum in scripturis idem sunt. 917. d. peccatoris durum ac tamidum, Dei legibus, & imperio resistens, per contritionem mollitur, humiliatur, legem Dei se subdit, pristinam suam duritiem, & minorem deponit. 917. d
Cor sursum habere potest, qui terram intuetur, & contra qui cælum intuetur, potest habere cor deorsum. 402. c
Corinthium incestuosum D. Paulus non propriè absoluit, sed absolutionis adiunctum habeat, omninò reconciliat hominem Deo, & peccata remittit, etiam antequam Sacramentum reipsa percipiatur. 948. c. charitate perfecta reconciliat hominem Deo, priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. 949. b. imperfecta, quæ Attritio dici solet, quæ ex metu Gehennæ concipitur, si voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ sit coniuncta, est donum Spiritus sancti, & vtilis ad iustificationem. 915. b
Corinthios non sine mulcta imposita absoluisse incestuosum, significat Apostolus. 2. Cor. 7 883. c
Cornelius ante baptismum, saltem posteaquam fidem à B. Petro audiit, accepit remissionem peccatorum. 957. b
Corporalis vnio qualis est inter nos, & Christi corpus, non est finis eucharistiæ, sed potius medium ad spiritualem vnionem, quæ est verus finis eucharistiæ. 425. c
Corporale necessariò est, quod videtur & tangitur. 195. a
Corporea & crassa res potest agere in animam non ex natura sua, sed ex virtute Dei. 131. a
Corpus vnum sumus, qui de vno pane participamus, quia panis alit & auget vitam huius corporis. 112. d. vnum sumus omnes, quia in vno spiritu baptizati sumus. 264. c
Corpus Hebraicè est generis masculini, & demonstrari potuit per pronomen masculinum. 373. a
Corpus verum potest esse præsens, ita vt non tangatur neque videatur. 395. a. virtute diuina potest existere more spirituum indiuisibiliter, vt videri ac tangi nullo modo possit. 395. a. quod fideles sumunt in eucharistia, est completium omnium veterum sacrificiorum. 460. c. nostrum corruptibile, per contactum & manducationem carnis Christi incorruptibilis, immortale fit. 460. d. non potest manere extensum, & tamen sit totum in qualibet parte loci. 492. d. idem potest esse circumscriptiuè, & etiam diffinitiuè in multis locis. 494. b. vnum in pluribus locis positum, habet vnum esse substantiale, sed multa esse localia. 495. b. esse alicubi, & non occupare locum, vel occupare, & non expellere alterum corpus, nullam implicat contradictionem. 947. d. ab Angelo assumptum est ipse Angelus, in scripturis non legitur. 539. c
Corpus intra cælum non potest naturaliter non occupare locum. 464. d. suum Dominus non obtulit fidei, sed manibus, & ori corporali Apostolorum manducandum. 364. d
Corpus Christi datur Deo pro Apostolis, in remissionem peccatorum. 33. b. in cælo habet modum existendi naturalem, in sacramento verò non naturalem, sed sacramentalem. 337. b. sensualiter sacerdotum manibus tangitur & frangitur. 339. b. in eucharistia verè attollitur, deponitur, defertur, collocatur in altari vel in pyxide, transfertur à manu ad os, & ab ore ad stomachum. 339. c. quod simul sit in cælo, & in altari, est D. Chrysostomo miraculum. 361. a. in scriptura non accipitur, nisi vel pro corpore vero & naturali ipsius, vel pro corpore mystico: nusquam pro signo vel figura corporis. 367. c. mysticum non est datum pro nobis, sed corpus verum, quare corpus in verbis illis, *Hoc est corpus meum*, non significat corpus mysticum. 367. c. cum in scriptura accipiatur pro ecclesia, continuò idipsum explicatur. 367. d. verè ac propriè manducatur etiam corpore in eucharistia. 376. c. non manducatur absolutè, sed sub specie panis. 367. d. vt est in cælo non potest sumi ore corporali. 383. c. sumitur ab impiis sacramentaliter tantùm. 388. c. intrat per os communicantium, & tamen non emittitur in secessum. 391. a. manducatur à fidelibus, non ad corpus nutriendum, sed ad animam sustentandam. 391. b. quod in sacramento sumitur non est cibus corruptibilis. 391. c. quòd sit in multis locis, aut sub modica specie panis, non habet ex aliqua dote corporis glorioſi, sed ex infinita Dei potentia. 402. a. vt est in eucharistia, est typus ac symbolum sui ipsius, vt fuit in cruce, & vt est nunc in cælo. 421. a. extra sactamentum non manducatur ab impiis, quia manducatur solùm spiritualiter. 421. b. non solum animis nostris auctore Cyrillo, sed etiam corporibus verè coniungitur per eucharistiam. 435. c. inquit Optatus, per certa momenta habitat in altari. 414. c. ob omnipotentiam Christi, potest simul stattui in diuersis locis. 461. c. quod in eucharistia sumimus, est panis vitæ, qui de cælo descendit. 477. b. non occupat nisi vnum locum ordinariè. 489. b. vt est in altari, non continuatur cum corpore, vt est in cælo, neque est discontinuum, vel diuisum ab illo, nam corpus, vt est in cælo & altari, est idem omnino totum. 494. a. vt est in cælo, & vt est in altari, diuisum est à se respectu loci, sed non respectu propriæ substantiæ, sine quantitatis. 494. a. vbicunque est, habet suam formam, & figuram humanam, & partium situm ac dispositionem. 506. a. quod est in cælo per transubstantiationem, acquirit esse sacramentale quod non habebat. 535. d. verè prædicatur de pane eucharistiæ, quia panis ille est cælestis. 538. d. fit ex pane non tanquam ex materia, sed tanquam ex termino à quo. 565. b. si exanimum esset, & exangue, esset mortuum: at Christus iam non moritur. 635. c. vbicunque sit non habet aliam quàm diuinam substantiam: quare vbi est corpus Christi, ibi etiam est diuinitas Christi. 635. d. viuificat, quia est corpus auctoris vitæ, in quo habitat diuinitatis plenitudo. 646. c
Corpus Christi esse in eucharistia primi, qui negarunt, videntur esse Simoniani & Menandriani. 329. a. sub speciebus panis contineri quid sit. 337. d. apud D. Augustt. verè comedunt, qui vtiliter comedunt. 338. d. ingredi in corpus nostrum non negat D. Ambr. sed negat illud conuerti in substantiam corporis nostri, more ciborum corporalium. 439. d. ex pane efficere, non est producere ipsum corpus, sed in ipsum præexistens, panis substantiam commutare. 565. b. sacerdotes inquit D. Hieronymus sacro ore conficiunt 565. b. in canistro Exuperius Tholosæ episcopus ob inopiam cogebatur portare. 576. b. iniuria afficiebant Corinthij, dum cum illo miscerent alios cibos. 626. c. quod offertur, patres vocant sacrificium. 735. c
Corpus Domini est vnicum sacrificium salutis nostræ. 387. d. quod ad se attinet, omnibus adfert peccatorum remissionem, licet in quibusdam ob eorum indispositionem id non fiat. 438. d. in victima cœna datum discipulis fuit mortale, sed datum illis modo immortali & impassibili. 467. b. incipit esse in loco per conuersionem panis in ipsum. 494. d. post resurrectionem est lucidius sole. 504. c. vocatur panis à Ieremia, quia est cibus & vita hominum, qui credunt in eum. 415. c. in eucharistia, attingitur in specie aliena, & mediate, oculis, manibus, lingua, & ipso etiam pectore. 519. d. apprehensum sola fide sine reali præsentia prodest, & solo corpore per realem præsentiam ab adultis acceptum, nihil prodest. 520. a. non lædituer eo, quod in eucharistia impiis communicatur. 520. a. in eucharistia locum mutat cadente hostia, sed non propriè cadit. 521. a. manet sub accidentibus panis, non vt in vase, aut in loco, sed ad eum modum, quo substantia panis manet sub accidentibus suis, excepta informatione. 546. d. in eucharistia auctore D. Chrysostom. videtur, tangitur, frangitur, & dentes in illud infiguntur. 558. a. à sanctis Patribus dicitur fieri mystica prece, aut inuocatione diuini nominis, aut solenni benedictione, aut gratiarum actione, aut certa consecratione. 608. b
Corpus Domini percipiunt superbi, licet communicent sine fructu. 388. a. qui suscipere volunt iudicio D. Hieron. debent se abstinere ab officio coniugali. 416. d. inquit, Augustt. homines superbi accipiunt de mensa Domini, & ad horant, sed non saturantur. 450. c. simul in multis altaribus offerri dicunt Chrysost. Primas. & Anselmus. 488. d. non esse in cœna extra vsum, dogma est Lutheranorum. 532. b. offerimus in specie panis, & ex pane confectum, non autem offerimus corpus Domini absolutè. 738. a
Corpus & sanguis Christi vnà cum anima & diuinitate sunt in sacramento eucharistiæ 336. d. in eucharistia sunt coniuncta ob necessariam concomitantiam. 379. d. principaliter in eucharistia repræsentantur, secundariò autem populi. 428. c. præcisè sumpta non sunt duo instrumenta formaliter, sed vnum. 646. a. vim operandi habent ex coniunctione ad diuinitatem. 646. b. offertur Deo verè & propriè in Missa sub specie visibili panis & vini. 692. a. commiscentur, non in propria specie, sed in specie panis & vini. 836. a
Corpus & sanguinem suum Dominus distinxit signis, quia ita oportebat passionem, & mortem eius repræsentari. 637. c
Corporis nomine in illis verbis, *Hoc est corpus meum*, non significatur nisi illa pars naturæ humanæ, quæ cum anima componit hominem. 635. a. affectionibus afficiuntur hominum animi qui sunt spiritus. 135. b. inclinatio, aut genuum incuruatio index est humilitatis, & reuerentiæ: & passim à sanctis vsurpata. 806. b
Corporis Christi cuius aliquādo est anteponendus eleemosynis in pauperes. 301 a.

nomine, D. Augult, aliquando intelligit corpus Christi mysticum, 389. b. partes, & membra non se penetrant, sed ita distincta sunt, & disposita inter se, vt & figuram, & ordinem habeant corpori humano conuenientem, 496. c

Corporis Domini in eucharistia veritatem negarunt hæretici. 330. 331. 332. 333. in quæstionem vocarunt Iconomachi post annum Domini Dcc. 310. a. b. præsentia in eucharistiæ sacramento probatur ex figuris veteris Testamenti. 340. 341. 342.

Corpori Domini, vt est sub speciebus, magis quàm speciebus, vt continent corpus Domini, conuenit ratio sacrificij, necnon pignoris, & alimenti diuini. 582. b. sic vnimur per eucharistiam, quemadmodum corpus illud vnitum est verbo per incarnationem, id est, verè & realiter. 450. b

Corpora post resurrectionem dicuntur futura spiritualia, quia talia erunt quoad effectum, non quoad substantiam. 389. a. nostra fiunt incorruptibilia, quia aluntur corpore Christi. , 410. b. apparentia possunt signo aliquo representari. 474. a. cur non videantur posse esse in pluribus locis, ratio non tam est moles, quàm vnitas. 489. b. damnatorum ab igne corporali comburuntur, & verè, ac realiter torquentur, & tamen non dissoluuntur. 503. b. penetratio per Dei potentiam dari potest. 497. c

Corruptio verborum, aut præceptorum Dei potest fieri duobus modis. 200. a

Creari propriè dicitur, quod fit independenter à subiecto. 134. c

Creaturam posse concurrere, vt merum instrumentum Dei, ad veram creationem non est improbabile. 135. b

Creaturæ multa possunt animo concipere, vt factibilia, & etiam velle facere, quæ tamen non possunt reipsa facere. 485. b

Creata res nulla in Deum vetri potest, nec ipse in rem aliam. 527. a

Credentes initio ecclesiæ operabantur miracula. 292. propriè dicuntur fideles post baptismum. 990. a

Credere, & Christum habitare in nobis non sunt idem, sed vnum ex altero sequitur. 370. a. non Pœnitentiæ, quæ virtus est moralis, sed fidei virtutis Theologicæ actio est. 904. a

Crimina graviora actius conscientiam pungunt, & maiorem tum verecundiam, tum displicentiam pariunt, quàm leuiora. 942. d

Cruoris similitudinem bibimus, sed sub qua veritas continetur. 439. a

Crux semper manet in altari, vt scribit D. Chrysost. 444. c

Crucis signum, vt repræsentat rem diuinam, habet vim operandi miracula. 63. a. tribus modis operatur in terrendis Dæmonibus. 188. a. est quædam inuocatio meritorum Christi crucifixi signo expressa. 188. b. est in omni consecratione necessarium. 319. d. quod sacerdos super pœnitentem manu exprimit, non est de essentia sacramenti pœnitentiæ, vt neque eucharistiæ, 894. b

Crucis signo adiuti sunt infideles. 188. b inquit D. Aug. omnia sacramenta, & ipsum diuinum sacrificium perficitur. 808. d

Crucis signum, vide *Lutherus in.*

Crucis fructum per varia media à Deo instituta consequimur. 752. a

Cruce Christi inquit D. Aug. catechumenus se signat. 462. c

Culpa remissa non semper pœnam temporalem remitti, probamus exemplo Dauidis & aliorum veterum. 181. a. sæpè manet debitum luendæ pœnæ, seu reatus pœnæ temporalis. 1035. b

Culpæ actuales per sacramentum pœnitentiæ purgantur. 846. d

Cultus humanus & voluntarius à D. Paulo appellatur, qui non est conformis fidei, & principijs doctrinæ Christi. 196. b. spiritualis à spiritu fidei, & charitatis procedit. 198. d

Cultus Christianus est in spiritu & veritate, id est spiritualis, & purus ab omni errore. 198. d. est principaliter internus, & spiritualis. 198. d. licet sit principaliter spiritualis, tamen in hac peregrinatione siue corporali esse non potest. 192. a. Iudaicus quatenus Iudaicus, erat principaliter externus & corporis. 198. c

Cultus disparitas saltem iure ecclesiastico dirimit Matrimonium post contractum. 1217. b. inter Christianos & infideles maior est, quàm inter Iudæos, & infideles. 1218. d

Cultus. vide, *Iudaicus.*

Curandi donum in primitiua ecclesia habuerunt etiam laici. 198. b

Cyprianus vindicatur à calumnia Kemnitij. 11. c. defendit errorem prædecessoris sui, ita tamen, vt non properea se ab ecclesiæ vnitate separarit. 85. d. errauit, quia non distinxit inter sacramenta, & eorum vsum & effectum. 89. c. antequam baptizaretur vix adduci potuit, vt crederet quod Christiani de virtute baptismi prædicabant. 118. a

Cypriani error de Anabaptismo ab ecclesia est notatus. 296. d

Cyprianum reuocasse suam sententiam de sacramentis datis ab hæreticis & schismaticis, aliqui asserunt. 85. d

Cyrus nunquam fuit Dei amicus. 153. a

D

Dæmones iudicio Lutheri sunt ministri sacramentorum. 76. a. interrogati nomen ab exorcista, respondent, inquit Lactantius, quo nomine appellentur. 261. b

Dæmones teneri & torqueri ab igne corporali, tam est difficile, vt adhuc nemo inuentus sit, qui rationem huius rei, in qua alij acquiescerent, reddere potuerit. 503. d

Dæmones maximè diem vltimi iudicij timent, vide *Exorcismi non.*

Damnare is dicitur, qui reprehendit tanquam iniustè, vel imprudenter facta. 119 b

Danid addidit iudiciale præceptum ad ea, quæ sunt in scripturis. 199. b. perfecta conuersione à Deo intus mutatus est, & dolorem de peccato, & propositum non peccandi habuit. 931. b. sponte de se pœnas sumebat ob admissa peccata. 1040. b. adulterio homicidium Vriæ adiunxit, sed non est certum an eo animo, vt vxore eius potiretur. 1215. a

Decalogi præcepta sunt omnino indispensabilia. 1166. c

Decimæ offeruntur immediatè sacerdotibus, non Deo. 686. b

Decimas accipit summus pontifex ab inferioribus sacerdoribus. 699. d

Definitiuè vt aliquid sit in loco, satis est, vt definiatur certo quodam spacio, ita vt in toto illo sit, & non in maiori, siue sit in alio loco etiam definitiuè, siue non. 494. c

Delibatio lactis & mellis seu vini à baptizatis fiebat in signum infantiæ nouæ in Christo. 285. a

Delicta maiora, vt maior pœnitentia, & contritio intensior consequatur, rationis iudicium postulat. 942. d

Delubra hæreticorum sunt profanæ aulæ. 191. c

Denarius diurnus, qui Matth. 20. pro mercede ponitur, ex communi consensu Patrum, significat vitam æternam 1050. d

Deus per ministros suos baptizat, conferat, absoluit. 121. a. non est alligatus sacramentis. 129. c. non potest, non iustificare eum, qui accipit fideliter sacramenta. 129. d. eleuat actionem sacramentalem, & facit eam attingere effectum supernaturalem, quem non posset alioquin attingere. 132. d. non indiget instrumento apto. 133. a. potest vti re qualibet pro instrumento sui operis. 133. c. instrumento inepto, manente inepto efficere potest quicquid vult. 133. d. conuertit mundum per homines rudes, qui simpliciter, impolitè & inordinatè loquebantur. 134. a. minatur mortem Iudæis non seruantibus præcepta. 148. a. non est Deus eorum, qui non sunt, sed eorum qui sunt, siue sint boni, siue mali, siue beati, siue damnati. 149. d. sæpè dat affluentiam rerum temporalium iis, quibus non est daturus gratiam suam, & vitam æternam. 151. d. cum aliquem consecrat ad sacramenta danda vel recipienda, infundit ei certam qualitatem, qua fit aptus ad tale officium. 163. a. non tantùm cultum externum, sed etiam internum à Iudæis requirebat. 198. b. primò inspirat pœnitentiam & amorem martyrij. 223. d. repressit leones, quando gentes Deum verum vero cultu honorare cœperunt. 227. a. in multis habitat, qui eum non norunt, & in multis non habitat, qui eum norunt. 239. a. habitat in paruulis baptizatis, quare habent fidem & charitatem. 246. b. ita est fidelis, quia facit quod promisit, dum iustos præmio, impios, pœna afficit. 264. b. vbique potest quæri & inueniri. 389. d. dicitur non habitare in templis manufactis, quia habitare significat indigentiam loci. 399. d. potest facere multa, quæ nunquam facit. 484. c. potest ex veris lapidibus formare homines, quod tamen nunquam fecit, & probabile est, nunquam facturum. 484. c. multa potest, quæ non vult, nihil autem vult quod non potest, inquit D. August. 485. a. quicquid potest velle, vel intelligere, vt factibile, id totum potest facere, & nihil potest facere, quod non potest velle, aut quod non intelligit esse factibile. 485. a. quid velit facere non est nobis magis notum, quàm quid possit facere. 485. a. potest facere, quicquid potest homo intelligere. 485. c. potest facere quod homo non potest intelligere. 485. c. potest facere omnia, quæ vllo modo existere possunt, id est, potest id omne quod non implicat contradictionem. 486. a. non potest mori, peccare, deficere. 486. b. illa tantùm non potest, quæ facere non est facere, sed deficere, vt Deum mentiri, negare seipsum. 486. c. cùm sit res vna & simplicissima, atque indiuisibilis, est simul in infinitis locis, quod superat captum hominum. 489. c. potest alium mundum creare, qui nulla ex parte hunc mundum contingeret, & in eo esset Deus, quare simul esset in multis locis distantibus. 489. d. est in loco per præsentiam, & hoc modo sunt in loco ea corpora, quæ per diuinam potentiam simul sunt in variis locis. 494. d. eligere solet aliquãdo homines simplices, ignobiles, imperitos, vt per eos magnalia sua operetur. 511. d. non parcit sensibus, cum agitur de sola pœna, parcit tamen, quando horror sensuum cum scelere coniungeretur. 550. a. in consecratione eucharistiæ vtitur ministerio hominis, vt homo est. 605. a. per illa verba, *Crescite & multiplicamini*, nihil immediatè produxit, sed tantùm tribuit naturæ fœcunditatem, & instituit, vt quandocunque tales causæ existerent, talis etiam sequeretur effectus. 609. c. dicitur obliuisci per metaphoram, quando non iuuat, & recordari quando iuuare incipit. 825. b. sæpè non exaudit preces sanctorum pro grauissimis hominum peccatis. 966. d. dicitur fidelis & iustus, dum peccata confitentibus remittit, quia stat promissis suis, nec fidem fallit. 993. a. iustificat nos gratis à culpa. 1038. d. qui nostra omnia sibi iure vendicare posset, non omnia, quæ facere possumus impetrat. 104. d.

solus, potuit ea determinare, quæ ad sacramentorum essentiam pertinent. 66. b. solus qui certè nouit res futuras, potuit determinare res certas, quæ infallibiliter significent aliquid futurum. 66. c. solus ex auctoritate potest date gratiam. 74. c. solus est, qui propria auctoritate dimittit peccata. 125. d

Dei voluntas, quæ vtitur sacramento, est causa principalis iustificationis. quæ fit per sacramenta. 103. d. porentiam dicit Caluinus, & falsò, non esse separandam à voluntate, & operatione. 484. c

Deo placet cultus, quem ipse in particulari expressè non probauit. 193. b. inquit D. August. multa sunt possibilia, quæ nunquam fient. 485. a

Deum non habet patrem, qui non habet ecclesiam mattem, inquit D. Cypr. 232. d. non imputare peccata, quæ verè manent, atque ea nolle punire, est manifesta contradictio. 251. d. nobis propitium fore sperare debemus, sed certò id credere, quo modo certò credimus articulos fidei, mera stultitia est. 861. d. cum iubemur ex toto corde diligere, iubemur pariter peccatum, quo Dei amicitiam violamus, toto pectore detestari. 942. d

Diabolus imitatur Deum. 19. c. imitatur sacramenta Christianorum. 171. b. conatus est imitari Iudaicos ritus à Deo institutos. 197. c. non potest rebus impartiri virtutes. 65. a. si conferret sacramentum, deberet illud iterati. 78. c. obluctatur, & resistit exorcistis ante baptismum. 118. b. non potest resistere baptismo. 118. b

Diaconatus semel acceptus nunquam amittitur, nec potest repeti, quare imprimit characterem, ergo est sacramentum. 1112. c

Diaconus non erit ordinatus baptismi minister. 252. c. Verum extraordinarius. 224. c. fuit Philippus, qui non dabat operam mensis præcipuè, sed prædicationi, & baptismo. 418. 1113. c

Diaconi non habent potestatem offerendi sacrificium. 733. d. non habent potestatem sacrificia offerendi, sed solum in sacrificio sacerdotibus ministrandi, quare non appellantur sacerdotes. 741. d. vt Dalmaticis in ecclesia vtcrentur, & palla linosticina læuam cooperirent, constituit Syluester ante annos M. cc. 80. a. primo anno passionis Domini, fuerunt tantùm, septem ab Apostolis ordinati. 889. d. in absentia episcoporum possunt baptizare, eucharistiam dare, reconciliare pœnitentes publicos, prædicare, ac ferè omnia munera episcoporum, & presbyterorum in eorum absentia exercere. 1111. b. Act. 6. ordinantur per manus impositionem, id est, simili cæremonia qua episcopi, & presbyteri. 1112. b. olim ordinatè mini rabant populo sanguinem Domini. 1112. b. primi sunt ordinati ex occasione, sed non ex occasione inuentus est ordo diaconorum. 1113. b. non fuerunt solum ministri mensarum tempore Apostolorum. 1113. b. ab antiquissimis temporibus sunt ministri altaris & sacramentorum. 1113. c. fuerunt ferè ordinati ad quædam ministeria per manus impositionem. 1118. a

Diaconorum ordinatio est sacramentum, licet id non sit certum ex fide. 1112. a. solennis ordinatio per manus impositionem, sed cat aliud, quàm solum mentarum ministerium. 1113. c

Diaconos presbyteris esse inferiores probat D. Hieronym. quod non habeant potestatem consecrandi eucharistiam. 621. a

Dies ille in quo Apostoli vellebant spicas, non fuit sabbathum naturale, sed alius dies hebdomadæ, in quem fortè inciderat illo anno septimus dies Azymorum. 589. a. naturalis & ordinarius apud Hebræos incipiebat ab ortu solis, & desinebat in ortu solis. 587. c. mortis Christi Domini fuit festus, & solennis illo anno apud Hebræos. 588. a. primus azymorum nusquam in scriptura dicitur dies 13. mensis, sed solùm 14. vel 15. 585. d. azymorum, vt festiuus, per intellectionis figuram vocari potest tam 14. vt euangelistæ faciunt, quàm 15. vt Moses facit. 587. d

Dies Dominica intelligitur per *vnam Sabbathi.* 803. a. aptissima est ad Missæ sacrificium celebrandum. 803. b

Dies festi addici à posterioribus Iudæis. 199. d. apud Hebræos incipiebant ab occasu solis, & desinebant in occasum solis 587. c

Dies festos instituit synagoga. 189. b

Die festo non prohibebantur opera pietatis, & charitatis, & maximè necessaria. 590. b. sabbathi neque ignis arrendi potetat, neque cibi præparari, quæ licita erant in aliis festis, etiam in Paschate. 590. b

Dignitas duplex distinguitur circa eucharistiæ sacramentum. 829. c

Dilectio sola, inquit D. August. tract. 5. in epist. Ioan. *discernit inter filios Dei, & filios diaboli.* 950. c. magna, fuit causa magnæ indulgentiæ. 952. a

Dilectio Dei ex toto corde non necessariò est intensiuè summa, sed est summa appreciatiuè. 942. b. super omnia est vltima dispositio ad gratiam, & peccati remissionem. 952. b

Diluuium saluans Noë, & reliquos, qui erant in arca, fuit figura baptismi. 114. b

Diluuium Deus induxit in mundum, tum ob alias causlas, tum etiam, vt esset figura baptismi. 441. b

Dimissio denunciatur in Missis festiuis in quibus populus solet conuenire per *Ite missa est.* 838. b

Dispensatio circa Polygamiam, indicata est à Deo primis aliquot patribus, deinde illorum verbo, aut exemplo ad cæteros peruenit. 1167. a. non est lex, nec iuber aliquid fieri. 1237. c

Dispensationis circa Polygamiam causla fuit paucitas hominum. 1168. a

Dispensationem circa Polygamiam, probabile est esse concessam omnibus Gentibus, non autem solis Hebræis, 1167. b. probabile est ante Christi aduentum cessasse, sed si non antè cessauerit, certum est à Christo omnino esse sublatam. 1167. d

Dispensare non potest inferior in lege superioris, proinde nec homo in lege Dei. 1166. b. potest Deus circa Polygamiam vnius viri cum pluribus vxoribus, non autem vnius vxoris cum multis viris. 1166. c. vt dicatur Deus circa Polygamiam, non requiritur externa aliqua locutio, vel scriptura. 1166. d

Dispensauit Deus in lege veteri circa vinculum matrimonij, sicut dispensauerat circa Polygamiam. 1195. a

Displicentia virtualis auctore D. Thoma, non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. 938. c

Disputatio de sacramentis bipartita. 1

Dissensiones fuerunt in ecclesia ob cæremonias. 190. c

Dies, etiamsi non desinat esse dies, per Dei gratiam & potentiam, in regnum cælorum ingredi potest. 499. a

Diuinitas trium personarum probatur, quòd in baptismo iusserit Dominus expiri nere tres personas. 69. b. est per comitantiam in eucharistiæ sacramento, non autem per accidens. 646. b

Diuitiæ cùm in pauperes expenduntur, à pœna liberant homines. 814. b

Diuortium contugum quoad habitationem, quia res est publica, & quæ scandalizare potest cæteros, non potest fieri, nisi ecclesiæ iudicio. 15. c. d. quamuis non placeret sapientibus huius mundi, cùm tamen ignoraretur potissimam causam firmitatis vinculi coniugalis, certis de causlis coniuges dimittebant, vel commutabant, vel plures ducebant. 1129. c. quod est solutio matrimonij cõsummati quoad thorũ & cohabitationem manente vinculo coniugali distinguitur à repudio, quod est solutio eriam quoad vinculum. 1170. a. Iuris consultis est dimissio vxoris post matrimonium, siue quoad thorum, siue quoad vinculum. 1170. b. in causla fornicationis, quatuor de causlis potest fieri illicitum. 1171. a. quoad thorum tantùm, propria auctoritate potest fieri, modò verè nouerit coniunx coniugis adulterium. 1171. a. quoad thorum ob fornicationem alterius coniugis habetur, Matth. 7. 1179. c

Diuortium faciendi ob crimen, par est libertas viro & vxori. 1171. a. si Christus non concessisset, coëgisset homines ad pericula apertissima, & maxima subeunda. 1186. a

Diuortij inter coniuges iusta causla non est lepra, vt neque vllus alius morbus corporalis. 986. a

Docere non solùm conuenit episcopis, & presbyteris, sed etiam diaconis. 741. d. ignorantes tenemur omnes in casu necessitatis æternæ salutis. 227. b

Doctrina non facilè cognoscitur, & debet haberi suspecta 84. b. de vero Dei cultu à quibus hominibus sit petenda. 196. b. non fuit eadem Christi & Ioannis, nisi in eo sensu, quod nihil contrarium docuit Ioannes Christo. 275. c

Doctrinæ diuersitas non facit diuersum baptisma, quare nec doctrinæ simulitudo facit baptisma esse vnum, vel simile. 275. d

Dogmata præcipua non nisi propriis verbis tradi solent in diuinis literis. 359. d. non dicuntur quælibet de Deo sententiæ, sed solùm eæ, quæ peculiarem habent difficultatem, siue ad credendum, siue ad operandum. 360. b

Dolẽdum magis est appreciatiuè, de commisso peccato, quàm lætandum de quouis opere bono. 942. a

Dolemus sæpè de re aliqua magis intensiuè, de qua minus dolemus appreciatiuè & contrà. 941. c

Dolent alij magis, alij minùs, qui de peccatis suis ser.ò, & vt oportet dolent. 854. a. aliquando magis homines pij obmortem charorum, quàm ob peccata, licet paratissimi sint omnia perpeti potiùs, quàm vt peccatum in Deum committerent. 942. c

Dolor ex contritione susceptus, adeo vehemens. acer, & intensus esse debet, vt doloris acerbitas cum celerum magnitudine æquari confertique possit. 852. a. in contritione est dupler. 852. d. verus de peccatis admissis in animo esse nequit, quin continuò otiatur propositum vitandi peccata futura. 931. c. de peccatis debet esse summus appreciatiuè. 941. b. summus intensiuè dicitur, quando voluntas summo conatu detestatur aliquid. 941. c. summus appreciatiuè est, quando voluntas pluris æstimat detestationem alicuius mali, quàm cuiuscunque boni consequutionem, aut alterius mali euitationem. 941. c. vehemens, qui ex amissione filiorum in parentibus cernitur, reprehendi non potest. 942. c. de peccato ex solo timore legis, & pœnarum profectus, simpliciter est liber, & voluntarius. 971. c

Doloris signa, qui ostendunt, etiamsi fortè loqui nequeant, rectè in ecclesia absoluuntur. 934. a. magnitudo intensiuè, attenditur ex parte subiecti, magnitudo verò appreciatiuè ex parte obiecti. 941. c

Dominicus à Soto refutatur. 68.d
Dominus, inquit, D. Aug. in specie panis apparet oculis mortalium. 457. d
Dominus vobiscum, est quædam religiosa excitatio seu invitatio, & seruit loco Aduerbij vocandi, quomodo religiosi olim reste D. August. in Psal. 132. cum alium vocarent dicere solebant, Deo gratias. 810. d. dici debet ab iis, qui recitant soli horas canonicas. 811. a
Donatistæ pertinaciter docuerunt, non esse rata sacramenta, quæ hæretici & schismatici dabant. 85. d. 86. a. rebaptizabant Catholicos. 86. a. non recipiebant concilium Nicænum in caussa Anabaptismi. 98. a. negabant characterem baptismi. 163. vim sacramenti à dignitate probitatis, & innocentiæ ministri æstimabant, quod non faciunt Catholici. 287. a
Donatistas contemptisse sacramentū confirmationis est probabile. 285. d
Donum curationis tempore Apostolorum, non erat alligatum ætati, aut dignitati. 1091. c
Donum curationis, qui habet, adhibet quod Deus illi inspirat. 1091. c
Dona gratis data non dicuntur in scriptura simpliciter spiritus S. 290. d
Durandus confutatur, 137. c
Durandi sententia de Eucharistia hæretica est, quamuis ipse non fuerit hæreticus. 526. a

E

EBion solebat Iesum, quia negabat eum esse Deum & hominem. 635. a
Extoti baptismus est ratus, iudicio D Augustini. 98 b
Ecclesia habet potestatem mutandi & instituendi circa sacramenta, salua tamen eorum substantia. 75. b. ligat, & soluit non per quoscunque, sed per suos præsules, sicut corpus loquitur, sed per linguam, non per manum. 83. d. auctore B. Dionysio Areopag. est media inter synagogam, & cælestem patriam. 143. c. vertatur in magna tunc respectu synagogæ, & in vmbra respectu cœlestis Ierusalem. 198. c. non orat pro animabus martyrum, sed illis potius se commendat. 219. d. vt aliquem colat vt martyrem, non examinat an antea fuerit in gratia, sed indifferenter omnes honorat, quos constat pro Christo occisos in confessione veræ fidei, & vnitate ecclesiæ. 221. a comparatur cum arca Noë. 234. c. semper fuit vnum corpus mysticum, non tamen semper eodem sacramento adiungebantur homines huic corpori. 278. b. potest ordinare & præscribere ea, quæ ad substantiam sacramentorum non pertinent, nec sunt iure diuino ordinata. 671 c. non offert sacrificium Missæ. vt sacerdos per ministrum, sed vt populus per sacerdotem. 766. d. tota offert omnia sacrificia, quæ à sacerdotibus omnibus offeruntur, sed non eodem modo. 767. a. vniuersa, inquiunt Epiphan. & Aug. in sacrificio Missæ pro defunctis orat. 774 b. formaliter & propriè est tantùm vna, vna sponsa, & vnum corpus. 1119. a. tota. simul à Deo fornicari non potest. 1184. a. Romana non cogit, vt omnes Canonem Missæ Romanæ tanquam necessarium omnino ad eucharistiam consecrandam seruent. 817. a
Ecclesiæ consuetudo perpetua non potest pugnare cum verbo Dei. 87. d 88. a. consuetudo est, vt in extrema necessitate fœminæ baptizent. 225. c. partes aliquæ, nonnulli videlicet fideles, fornicantur interdum spiritualiter, & diuortium faciūt. 1184. a. interdictum, quod est matrimonij impedimentum, & matrimonium clandestinum. 1151. b
Ecclesiæ & eius præceptis, omnes tenentur se subiicere. 233. c. obedire, vel non obedire, Deus non reliquit liberum, sed planè iussit. cùm ait Lucæ 10. Qui vos audit, me audit. 603. a
Ecclesiæ Asiaticæ initio nascentis fidei, cum Iudæis celebrabant Pascha luna 14. primi mensis. 189. a
Ecclesiam fuisse sed periisse, pugnat cum apertissimis promissionibus Dei. 511. a. esse, & simul in summo errore, & idololatria versari, nullo modo fieri potest. 511. b
Eclipsis est Paulo frequentissima, vt 1. Corinth 7. Præcipio non discedere, scilicet, sine iusta caussa, quod si discesserit, videlicet caussa inuenta. 1189. a
Effectus in rebus naturalibus & artificiosis, non debet esse similis instrumento, sed caussæ principali. 89. c. sacramenti refertur ad omnipotentiam Dei. 131. c
Efficacia baptismi Ioannis tantum distabat ab efficacia baptismi Christi, quantum aqua à spiritu. 110. a
Electio non est impossibilium, quorum tamen est voluntas. 928. b
Electi, vide *Catechumenorum duo.*
Eleemosyna Deo fieri dicitur, cum tamen non sit vtilis Deo, sed nobis. 719. d. non est noua oblatio, nec propria Testamenti noui, cum etiam apud Iudæos sit, & fuerit in vsu. 710 b. comprimit concupiscentiam oculorum, id est, auaritiam, quare ad eam reuocantur, quæ repugnant auaritiæ, aut quæ in proximi vtilitatem cedunt, vt opera omnia misericordiæ. 1044. c
Eleemosynæ datæ pauperibus propter Deum, offeruntur hominibus, & simul etiam Deo 687. c. non solent offerri, nisi pro iis, qui eas dederant. 825. d. pœnitentium à morte liberant. 946. a
Elementum quid significet in definitione sacramenti. 2. d. est res quælibet sensibilis, quæ adhibetur ad sacramenta perficienda. 29. d. cum de sacramentis agitur, est quod ex se est indeterminatum, & per certa verba quasi per formam determinatur 19. d. totum cum sua significatione, est materia sacramenti. 50. d. non accipit virtutem mundandi à fide. 62. d
Elementi significatio est naturalis. 51. c
Elementa & verba non sunt vera sacramenta cum à quocunque adhibentur, sed cùm adhibentur ab eo cui Deus committit. 78. d
Enecatitiæ negarunt matrimonium. a. 3
Ephrem tantæ fuit auctoritatis, vt eius scripta publicè post diuinas scripturas, inquit, D. Hieron. in ecclesia legerentur. 445. d
Episcopatus si non sit sacramentum à presbyteratu distinctum, difficile erit defendere episcopum iure diuino maiorem esse presbytero, tam ordine quàm iurisdictione. 1110. c. est ordo vnus cum presbyteratu, sed genere, non specie. 1110. d. loquendo de potestate ordinis includit in sua ratione, & essentia, sacerdotium. 1111. a
Episcopatus ordo sine presbyteratu nihil est in re, sed merum figmentum. 1111 c
Episcopus fuit ordinatus ab Angelis. 78. c. non potest impediri ab vlla superiori potestate quin conferat sacramenta confirmationis & ordinis. 318. c. halat super ampullam chrismatis ad exemplum domini qui Ioan. 20. in Apostolos insufflauit. 320. a. ex sua ordinatione habet spiritualem potestatem conferendi sacramenta confirmationis, & ordinis. & proinde nouum characterem 1110. a. nihil est aliud, nisi summus, seu primus sacerdos. 1111. a, non habet, vt possit consecrare eucharistiam, ex sua vltima ordinatione, tamen id habet ex alia ordinatione præcedenti, quæ est etiam de essentia episcopatus. 1111. b. qui non sit presbyter, non potest consecrare eucharistiam. 1111. c
Episcopi nulli erant ordinati præter Apostolos, cū baptizaretur D. Paulus. 227. c. qui ministrant sacramentum confirmationis ex decreto concilij Meldensis, debent esse ieiuni. 294. c. soli simpliciter & absolutè Apostolis succedunt 316. habent potestatem consecrandi eucharistiam, & communicare aliis possunt. 1111. a. quòd sint in ecclesia cum iurisdictione, & de iure diuino, tamen potest summus Pont. auferre ab episcopo episcoparum, quoad iurisdictionem, & dare alteri. 1112. d. olim non poterant eligi ex ordine subdiaconorum, sed tantùm ex ordine presbyterorum, & diaconorum. 1114. b. ordinant presbyteros, & diaconos. 1118. d
Episcopum duo sacramenta constituunt. 1111. a. ordinari impossibile est, qui vel antea non sit presbyter, vel non tunc simul accipiat vtramque ordinationem, quia vtraque est de essentia episcopatus. 1111. c
Episcopum & presbyteros tantum distingui, quantum distinguuntur princeps & eius subditi, testis est Apost. 1. Timoth. 6. 318. d. non distingui hæresis fuit Aërianorum apud Epiph. hæresi 75. & Aug. hæresi 53. 319. a
Episcoporum est de iure diuino proprium prædicare. 318. b
Epistola ad Colos. scripta est contra Simonem magum. 195. d. B. Iacobi est Canonica 1089. d
Epistolā in Missa legendi mos ab Hebræis videtur acceptus, aiūt quos pei omne sabbathum legunturin synagogis lectiones ex Prophecis. 811. c
Erasmus obliquè docet infantes non esse baptizandos. 230. a. fuit præcursor Lutheri. 863. d
Errores antiqui de sacramentis renouantur ad 4. capita. 1. a.
Esca Iudæorum & nostra non fuit eadem 152. a. Iudæorum & Christianorum apud D. Aug. non erat eadem quoad rem ipsam, sed solùm quoad significationem, quomodo dicuntur idem esse, figura & figuratum. 401. a
Escam eandem nobiscum manducasse Hebræos, vt somniat Pertus Martyr, nusquam scr psit Apostolus. 343. b
Est verbum non potest accipi in alia significatione quàm in sua propria. 366. b. est copula omnium propositionum coniungens prædicatum cum subiecto, quare est in omni propositione necessarium: non poterit ergo dimittere suam significationem, vt induat aliam. 366. b. in explicatione vocabulorum accipitur ordinariè pro significat, vt amare est diligere, id est significat, vt diligere. 366. c. in verbis illis, *Hoc est corpus meum*, non accipitur, pro Transubstantiatur, eiusmodi enim tropus est inauditus, sed propriè accipitur, ita vt nihil significet nihil est. 366 a
Et coniunctio in scripturis frequenter accipitur pro disiunctiua, vt, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem*, Ioan. 6. *Aurum & argentum non est mihi*. 656. d. 657. a. coniuncta apud Hebræos frequenter locum obtinet caussalis, & verti debet per *enim* 695. b
Euangelistæ solent se inuicem supplere, vel explicare, vt quod vnus obscurius dixit, alius dicat clariùs. 361. c. certis de caussis sibi notis, aliquando mutant ordinem verborum, 567. d
Euāgelium olim canebatur ex loco altiore, quod etiam nunc multis in locis obtinetur. 813. a. cùm legitur ex constitutione Apostolorum, omnes cum clerici tum laici assurgere debent, ob reuerentiam Domini loquentis. 814. a. continet non solum credētium salutem, sed etiam minas iræ Dei ea pectatores. 921. a. omnibus indefinitè prædicandum est. 981. b. pares facit virum & fœminam quantum ad fidem & debitum coniugale. 1160. b.

Matthæi, si Romæ fuisset in manibus fidelium quo tempore Romæ erat Matcus, credibile est Matcum non fuisse scripturum euangelium. 1177. a
Euangelij nomine Apost. Rom. 1. intelligit mysteria euangelij, vt Incarnationem, Passionem, sacramenta. 130. c
Euangelio non sunt negandæ minæ. 910. d
Eucharistia, est signum commemoratiuum 33. c. d. non est institutra propriè ad remittenda peccata, sed ad caritatem nutriendam & augendam. 34. c. representat Christi mortem. 39. c. vera non est in synagogis Lutheranorum & Caluinistarum. 54. b. auctore D. Bernardo, sensum minuit in minimis, & in grauioribus peccatis, tollit omnino consensum. 119. d. significat Christi mortem. 164. c. probatur esse sacramentum. 170. c. quare infantibus non necessaria. 235. requirit, vt homo sine conscientia peccati ad eam accedat, alioquin indignè accedit, & vt discernat corpus Domini. 238. b. non datur infantibus, qui non possunt discernere corpus Domini. 238. b. olim dabatur infantibus post confirmationem. 301. b. institura est, vt vitam spiritualem in baptismo acquisitam conseruet ac nutriat. 263. a. fuit institura ante Domini mortem, quare ex sententia hæreticorum nihil habuit præcœna typica agni Paschalis. 344. a. non rectè potest dici inconsumptibilis cibus, nisi ratione rei contentæ, quæ est absolutè inconsumptibilis. 345. b. quam Dominus discipulis distribuit, significabat Christi mortem, quæ futura erat, non autem, quæ erat præterita. 345. d. sumpta sub vna specie ita sufficit, vt non necessariò requirantur duæ species ad fructum communionis percipiendum 352. a dicitur testamentum, quia non solùm est institumentum conferendæ hæreditatis, sed etiam continet repræsentationem effusionis sanguinis Domini, à quo vim suam habet Testamentum nouum. 381. b. præter dispositionem ne in vacuum recipiatur, requirit singularem quandam reuerentiam, & puritatem. 386. d. est honoranda, quia ipsum Dominum continet. 86. d. ideo consecratur in specie panis & vini, inquit, D. Aug. vt significetur vnitas corporis mystici. 368. d. quia forma exteriore nihil differt à vero pane, pro pterea appellatur panis. 401. c. vocatur panis phrasi Hebraica, qua panis nomine intelligitur generatim omnis cibus. 401 c. iudicio B. Ignatij est caro saluatoris. 403. c. vocatur panis, sed cælestis, & diuinus, non triticeus. 406. b. alit corpora nostra ad immortalitatem. 409. a. quia re cælesti constat, facit corpora nostra immortalia ex mortalibus. 412. a. non exercet vim in eos, qui indignè sumunt 420. d. non ita nos vnit Christo, vt efficiamur cum illo vna persona, aut vna natura. 425. b. signum ac typus est mortis Christi, seu carnis & sanguinis, vt visibiliter in cruce illa suffixa, ille effusus est. 438. a. in ecclesia veteri post consecrationem ostendebatur populo. 441. b. etiam post consecrationem rectè dicitur antitypon corporis & sanguinis. 442 b. non emittitur in secessum sicuti alij cibi. 452. c. non dabatur catechumenis. 462. d. potest à materia rectè vocari, sacramentum panis & vini. 465. a. est sancta benedictio, & ipsa caro verbi Dei. 469. d. iudicio patrum differt à Manna, Agno Paschali & similibus rebus, vt veritas à figuris, corpus ab vmbra: res cœlestis, diuina, & incorruptibilis à re terrena & consumptibili 482. b. à patribus comparatur cum mysterio incarnationis. 482. c. non est solùm sacramentum refectionis, sed præterea est memoriale omnium miraculorum, & quasi compendium vitæ, passionis, & resurrectionis Domini. 519. b. est caussa, & quasi semen resurrectionis corporum nostrorum, idque per contactum, & coniunctionem corporis glorioſi, cum corporibus nostris mortalibus. 519. c. est sacrificium religionis Christianæ, quare præstantius omnibus sacrificiis Hebræorum, ac propterea non potuit in solo pane & vino constituī. 519. c. si cadat in terram, corpus Domini in terra erit, sed non dicetur cecidisse. 521. a. est caro illa, quæ crucifixa est. 526. b. est testimonium, & quasi pignus amoris Christi erga sponsam suam ecclesiam. 528. b. semper consecratur in ordine ad manducationem, cuius pars aliqua conseruatur, vt tempore opportuno manducetur, nimirum ab ægrotis. 571. b. tempore Iustini dabatur diaconis deferenda ad absentes fratres, qui non interfuerant celebrationi mysteriorum. 574. a. ampliùs prodest dum reipsa manducatur, quàm dum in pyxide conseruatur. 580. a. vt testis est Irenæus, mittebatur episcopis peregrinis in signū pacis & communionis. 580. d. seruatur potissimum ob viaticum infirmorum. 580. d. significat vnionem Christi cum ecclesia. 600. a. est cibus, ac potus spiritualis, quare dari debuit sub specie cibi & potus corporalis. 600. c. est eadem à bono & malo consecrata, quia non merito precantis, sed verbo efficitur creatoris. 609. d. confici non potest sine ordinatione sacerdotali. 619. b. non remittit peccata mortalia, quorum homo conscientiam habet cum accipit eucharistiam, quare requiritur, vt antea purgentur. 615. a. vt patet ex verbis illis. 1. Corinth. 10. *Vnus panis*, &c. non prodest nisi membris vnitis cum capite, & aliis membris, & de eodem spiritu viuentibus. 626. a. alium habet finem, seu effectum proprium, quàm remissionem peccatorum. 627. d. datur Neophytis immediatè, post baptismum. 628. a. confert gratiam gratum facientem, & consequenter delet etiam peccata mortalia. qui inueniat in eo, qui non indignè accipit 630. c. est Testamentum nouum, si Testamenti nomine intelligatur signum voluntatis testatoris, & caussa instrumentalis applicandæ hæreditatis. 630. d. qua est signum, & representatio mortis Christi, est etiam signum voluntatis testatoris, & omnium bonorum nobis promissorum, atque adeo remissionis peccatorum. 631. a. applicat eam suscipientibus Christi merita per modum cibi & potus, ad reficiendum, & nutriendum, & præseruandum à nobis. 631. b. prodest ad tollenda peccata mortalia quorum non habemus conscientiam: Item ad tollendam pœnam, quæ remanet luenda post culpam dimissam: & ad delenda peccata venialia. 631. c. inquit, D. Ambros. dicitur panis quotidianus, quia medicina est contra peccata quotidiana. 631. d. ex proprtia ratione sacramenti non ordinatur ad peccata mortalia tollenda. 631. d. eiusmodi cibus est, vt non solùm nutriat viuentes, sed etiam vim habeat excitandi mortuos. 632. a. si communiter populo daretur sub specie vini, exponeretur cuidenti periculo irreuerentiæ. 634. b. tribus modis considerari potest, 1. vt sacrificium, 2. vt pignus diuini amoris, 3. vt sacramentum. 638 d. vt sacrificium significat Christi passionem. 638. d. est pignus amoris quatenus significat & exhibet Christum præsentem. quod facit quælibet species. 638. d. sub vna specie est verum & integrum sacramentum essentialiter. 639. d. in sacrificio distinctè sumitur à sacerdotibus per modum cibi, & per modum potus, ob sacrificij, non ob sacramenti integritatem. 641. c. eodem tempore bis sumpta, non auget gratiam, quia sumitur per modum vnius refectionis. 643. d. sub specie panis non confert gratiam nisi tota sumptione eucharistiæ absoluta. 645 a. est aliquo modo holocaustum, aliquo modo hostia pacifica, & aliquo modo hostia pro peccato. 647. d. dabatur infantibus sub vna tantùm specie, nimirum instillando in os eorum aliquid sanguinis Domini. 651. a. dabatur ægrotis, vt plurimum sub vna tantùm specie. 652. a. vt docet D. Aug epist. 118. ex Apostolorum præcepto, à ieiunis est sumenda. 668. d. est sacramentum pacis & vnitatis. 672. b. est viaticum peregrinantium ad veram ac cælestem patriam. 706. c. verum est sacrificium, cùm ipsius typi ac figuræ fuerint sacrificia veteris legis. 712. c. est sacrificium typi cum respectu sacrificij crucis, ac respectu sacrificiorum Iudaicorum, non typicum, sed verum dicendum est. 723. c. est sacrificium spirituale, quia per spiritum sanctum, & verba consecrationis efficitur, & simul est verum, ac impleriuum veterum figurarum. 723. c. iudicio Patrum est offerenda pro peccatis viuorum, & defunctorum, pro pace, pro incolumitate, pro omnibus denique necessitatibus tum spiritualibus, tum temporalibus. 742. c. si nihil aliud esset nisi sacramentum, non prodesset nisi sumenti, & manducanti. 744. c. nihil dat amplius spirituale fructus sub duabus speciebus accepta, quàm sub vna. 742. d. non in actione, sed in re permanente consistit. 746. c. si solummodo sacramentum esset, nemo sibi eam ministrare posset. 746. c. potuisset vērè & propriè sacramentum esse, etiamsi Christi corpus reipsa non contineret. 746. d. est testamentum, quatenus est instrumentum publicum. & authenticum diuinæ voluntatis & promissionis. 749. a. est sacramentum, quatenus est signum externum & visibile inuisibilis gratiæ & refectionis, quæ nobis confertur dum eucharistiam rite sumimus. 749. a. est victima & sacrificium quatenus Deo offertur. 749. b. vt sacramentum, non est propriè institura ad peccati remissionem, sed ad vitæ spiritualis conseruationem. 764. b. vt sacrificium est institura ad remissionem peccati 764. c. vt sacramentum, non prodest nisi sumenti 764. c. non est symbolum passionis sanctorum, sed Christi solius. 781. c. vt à ieiunis sumeretur, Apostoli inspirati spiritu sancto, inquit, D Augst. instituerunt. 804 b. apud Græcos consecrabatur ad alvare velis obducta. 806. d. cum reipsa haberi nequit, per votum potest suppleri. 938. c. non est per se institura ad peccatum tollendum, sed ad vitam spiritualem conseruandam, & augendam. 1105. d. non est institura ad remittenda peccata, sed ad vitam spiritualem per baptismum acquisitam, alendam, & conseruandam. 138. c. non in actione, vt cæteta sacramenta, sed in re permanente consistit. 1140. c. dum fit, tota essentia consecrationis in verbis factis posita est; panis autem & vinum solùm concurrit, vt materia circa quam. 1144. b. carnemunt potiùs Catholici, quàm vt eam non sacerdos consecrare auderet. 621. c. vide, *B. Maria. Præceptum diuinum. Diaconos.* Caluini sententia.
Eucharistiæ verba sunt forma consecrationis. 52. d. necessitatem non agnoscunt hæretici, quamuis mentiantur le agnescere. 71. b. vis operatur in nobis, vt non consentiamus peccato. 119. d. consecratio requirit præsentiam panis. 134. b præceptum non pertinet ad infantes, qui non sunt capaces præcepti, aut excusantur cùm non possint illud implere. 352. c. d. apud sacramentarios non est fides, sed opinio. 362. d. celebratio non est noua institutio Testamenti, sed repetitio eiusdem 381. b. aliquid decuti i terram anxiè patiuntur Christiani. 386. d. sumptionem propriè esse sacramentum, Bucerus omnium primus docuit. 566. c. particulam misit presbyter Serapioni in extremis agenti, per puerum. 574. b. particulam

Satyrus Ambrosij frater in otario inuolutam in periculo naufragij ad collum suum suspendit, & eo auxilio fretus se deiecit in mare, ac liber ad litus euasit. 575.b. partem Gorgonia seum nocturno tempore in ecclesia ad altare procubuisset) quam de more seruauerat in conspectu habuit 575.a. honor externus creuit, deuotione interna decreseente. 175.d. reliquiæ, quando renouandum erat sacramentum, in pyxide dabatur paruulis. 579. c. asportationem extra templum, concilia prohibent propter pericula sacrilegiorum. 586. b. sumptio significat internam manducationem & refectionem. 581. c. institutio, quæ principaliter figurata fuerat per agnum Paschalem, peracta est eodem die, & eadem hora, qua agnus secundum legem immolabatur. 595. a. calix fuit figuratus per vinum quo vrebantur Hebræi in variis sacrificiis, & in vino quod cum pane protulit Melchisedech, & in aqua, quæ fluxit ex petra. 600. b. primaria caussa est Christus qui eam primus confecit, & nunc per ministros suos quotidie conficit. 618. a. propria ratio est, vt sit cibus spiritualis. 625. c. non sumitur maior vilitas ex communione sub vtraque specie, quàm sub vna. 641. d. figuræ plenæque manducationem sub vna specie significant. 646. d. figura, fuit lignum vitæ in medio Paradisi. 647. a. vt sacrificij propitiatorij, typi ac figuræ fuerunt sacrificia plurima, quæ in lege pro peccato fiebant. 710. d. eam esse vtilitatem in vna specie ostendit ipse Dominus in Emaus, vt non sit existimandum, fuisse omnibus imperatum illius vsum in specie vtraque. 648. d. deferendæ in priuatas ædes consuetudo fuit abrogata ob irreuerentiam. 651. d. pars materialis, & integralis tantùm est species vini, non autem pars essentialis. 670. d. adorationem non primus instituit Honorius. 675. d. consumptio, vt à populo fit, non est pars sacrificij, vt autem fit à sacerdote sacrificante, pars est essentialis, sed non tota essentia. 759 a. immolatio perficitur consecratione. 761. b. oblatio continet omnes differentias hostiarum veterum. 766. a. manducatio, quæ fit à sacerdote, vt est sacramenti susceptio, soli sumenti prodest, vt autem est sacrificij consummatio, prodest illis omnibus pro quibus oblatum est sacrificium. 771. a. sacramentalis manducatio à D. Aug. tribuitur infantibus, non in re, sed in voto implicito, quod per baptismum habetur. 353. d. dispensatio nec est de essentia, nec de integritate Missæ, sed solum assirmatio Domini præcepto necessaria, & ideo facienda est loco & tempore. 788. b. fractio non solùm ad distribuendum, sed etiam ad significandum ordinatur. 792. a. oblatio requirit verba, quæ non diriguntur ad instruendos auditores, sed ad elementum consecrandum. 793. b. reliquiæ, vt pueris manducandæ dentur, indicto eis ieiunio, statuit concilium Matisconense 2. qui vsus fuit olim in Græcia. 804. d. ostensio ad populum, est cæremonia antiquissima. 806. c. fractio & commixtio habetur in Liturgiis Iacobi & Chrysost. 806. d. ex pane vinóque per verba consecrationis confectæ, fundamentum non habemus in veteri Testamento, & in concionibus Baptistæ. 882. c

Eucharistiæ mysterium tale est, vt paradoxum stultissimum videri possit, nisi à Deo proponeretur. 432. c. iudicio patrum non potest intelligi sine fide. 481. d

Eucharistiæ sacrificium, inquit D. August. fuit oblatum ad purgandum domum à dæmonum vexatione. 766. a. non solo agno paschali, sed multis aliis typis adumbratum fuit. 710. d. vnum & solum est verè mundum, quod nullius ministri malitia pollui potest, cum præcipuus sacerdos sit Christus, & ipse idem sit sacrificium. 718 b. Deo offerre solis sacerdotibus licet. 733. c. fuit à presbyteris D. Aug. oblatum pro domo liberanda à dæmonum vexatione. 741. d. à D. Chrysostomo sæpè vocatur hostia salutaris. 765. a. iudicio patrum, multum prodest animabus defunctorum ad refrigerium. 777. b.

Eucharistiæ panis, inquit, Cyril. Ierosol. post consecrationem est corpus Christi. 295. c

Eucharistiæ panem, esse ipsum verum corpus asserit Epiphanius. 177. b. significare aut esse figuram corpotis Domini, nusquam in scriptura legimus. 360. d

Eucharistiæ materia sunt panis & vinum, eiusdem forma sunt verba. 52. c. forma, puta, *Hoc est corpus meum.* Propriè est accipienda, vt sensus sit, *Hoc*, id est, quod his speciebus continetur, est verè & propriè corpus ipsum meum verum & naturale. 318. a. formam esse illa sola verba, *Hoc est enim corpus meum*, & *Hic est enim calix sanguinis*, &c. Ecclesia Catholica magno consensu docet. 603. d. finis est peccatorum remissio. 482. b. effectus præcipuus non est remissio peccatorum mortalium, sed nutritio animæ, & præseruatio à peccatis, &c. 624. d. fructus vno anno ante institutionem sacramenti fuit Ioan. 6. explicatus. 351. d. fructus non consistit in corpore nostro delectando vel saginando, sed in animo nutriendo & reficiendo. 425. a. fructus quem Catholici quærunt, est gratia Dei animæ infusa, per quam conseruatur vita animę, vt per ciborum nutritionem conseruantur copora. 642. a. primarius fructus non consistit in asseruatione, sed in manducatione. 580. a. primarius vsus, est ipsa communicatio, seu participatio eucharistiæ. 632. b. fructum & excellentiam explicauit Dominus Ioannis 6. In vltima cœna eam solùm instituit, nihil autem addidit ad eius explicationem. 350. a

Eucharistiæ sacramentum est solidus cibus, quare sub specie panis est institutus, & paruulis non datur. 240. a. durabit vsque ad finem mundi. 345. b. non est institutum ad dandam vitam iis, qui non habent, sicut baptismus, sed ad conseruandam iis qui habent. 352. d. fuit institutum die 14. mensis primi: quo die ad vesperam inchoabantur dies azymorum. 585. b. c. d. non est corpus Christi, sed continet corpus Christi: sacramentum enim est signum sensibile. 390. d. est signum seu symbolum rei sacræ, id est, corporis Christi. 421. a. inquit, D. Aug. fit operante inuisibiliter spiritu sancto. 458. d. est visibile figuraeulum rei inuisibilis præsentis. 465. b. si species quoad ea, quæ exterius videntur, figura est, imò & panis est: at si consideres, quid intus lateat, & quid ibi fides videat, corpus & sanguis in veritate est. 474. b. propriè est res permanens, nimirum hostia consecrata. 566. c. 567. b. non desinit esse sacramentum, licet nemo illo vtatur ad id, ad quod est institutum. 571. c. lingua Punica, inquit, D. August. rectè vocatur vita, quia est panis viuus, qui de cælo descendit. 581. d. sunt species corpus Domini continentes, non corpus Domini sub speciebus, si propriè loqui velimus. 581. b. consistit in re permanente. 615. c. est res permanens. 672. a. propriè non est actio transiens, sed res permanens. 879. b. qui reiecerunt. 2. b. vt Apostoli cum debita reuerentia perciperent, necesse erat, vt planè intelligerent, quid eis daretur. 361. b. Deus instituit per modum cibi, vt non nisi à viuentibus, & amicis, & filiis sumeretur. 631. a

Eucharistiæ sacramenti ratio tota in vna specie inuenitur. 638. c. ratio magis conuenit speciebus, vt continent corpus, quàm corporis Christi, vt est sub speciebus 581. d. non tam essentiales, quàm integrales partes esse videntur, species panis & vini. 639. d. efficientia nascitur ex Christo, qui sub speciebus panis & vini continetur. 640. b. species duæ cum diuersis temporibus sumuntur, sunt duo sacramenta numero distincta. 641. a. species duæ cùm simul sumuntur, non sunt duo sacramenta, sed vnum. 641. a

Eucharistiæ nihil aliud tribuit Caluinus, nisi vt sit symbolum reuocans ad memoriam Christi passionem, & ea ratione fidem excitans. 370. b. patres tribuunt præclara effecta. 484. a. quæ ex opere operato confert gratiam gratum faciente, ampliùs tribuunt Catholici quàm sacrificio Missæ, vt pro peccatore aliquo offertur, quòd solum impetrat peccatori aliquod speciale auxilium, quo per veram contritionem, & satisfactionem, ad remissionem peccatorum perueniat. 643. d

Eucharistiam continere verum Domini corpus qui negarunt. 3. b. ieiuni accipimus ex lege Apostolica. 187. b. non instituit Dominus in lacte quod est vnicum infantium alimentum, sed in pane & vino, quæ ad solos adultos propriè pertinent, vt indicaret eam pro infantibus non esse institutam. 262. a. esse carnem Domini negarunt Simoniani & Menandriani, quia negarunt Dominum habere carnem. 329. b. accipere, præceptum fuit Apostolis illis verbis, *Accipite, edite. Hoc facite.* 359. c. iubemur sumere in memoriam Dominicæ passionis, & mortis, quæ non est, sed fuit. 381. a. qui percipiunt cũ conscientia peccati lethalis, rei fiunt corporis Domini, & iudicium sibi manducant, etiamsi non accesserint animo eucharistiam violandi. 386. b. qui indignè percipiebant, vel ægrorabant, vel moriebantur. 386. d quãuis sumant impij, tamen dicuntur non comedere corpus Christi, quia nihil eis prodest, nec inde nutriuntur, aut roborantur. 389. a. B. Dionysius inuocat, & ab ea petit, quæ à solo Deo rectè peti possunt. 405. d. non manducare non obest, si non ex contemptu, sed aliqua iusta de caussa omittatur sacramentalis manducatio. 411. d. indignè tractantium peccatum Tertullianus confert cum scelere eorum qui Christum crucifixerunt. 414. b. comedere corporaliter nihil prodest, nisi adsit etiam spiritualis manducatio. 420. d. qui indignè sumunt, iudicio D. Cypriani grauius peccant, quàm ij qui negant Christum. 422. b. esse adorandam docet Cyrillus Ierosolymit. 436. a. sumpturi debent iudicio D. Basilij purgari à sordibus peccatorum ne incidant in peccatum eorum, qui Christum occiderunt. 441. a. videre non permittebantur infideles & catechumeni. 441. b. Optatus Mileuit. appellat pignus salutis, tutelam fidei, & ipem resurrectionis. 444. c. finere in terram cadere, est graue peccatum, sicut est graue peccatum, conceptam in corde veritatem extingui finere. 468. b. veteres passim appellant, corpus & sanguinem Domini, preciosum corpus, tremenda mysteria, pignus salutis, precium nostrũ. 538. c. 482. a. b. indignè tractantes comparantur à patribus cum illis, qui Christum occiderunt. 482. c. patres adorabant: inuocabant vel inuocandam dicebant: Diligentissimè cauebant ne caderet in terram: Non permittebant eam videri ab infidelibus vel catechumenis: Asserebant Angelos astare prope altare dum peragitur sacrificium. 483. a. nemo vnquam vocauit vel fractionem, vel consecrationem, vel distributionem, vel manducationem, vel aliam actionem, sed rem permanentem, id est, panem sanctificatum. 572. b. patres comparant cum verbo incarnato. 572. c. tempore Irenæi Papa mittebat in signum pacis, & communionis ad alios episcopos. 174 a Christiani

tempore

tempore Tertulliani deferebant ad suas domos, vt ibi eam tempore opportuno sumerent. 574. b. tempore Cypriani mulier quædam in arca seruabat, quàm cùm indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente est detertita. 574. b. seculo Basilij Anachoretæ secum in eremum deferebant. 575. a. Tharsicius quem deferebat, cum nollet prodere paganis, ab eis necatus est. 574. c. in absentia presbyterorum diaconi iubentur à concil. Nicæno. 1. can. 14. portigere. 574. c. Satyrus catechumenus non fuit ausus videre, & multò minùs ore percipere. 575. c. consecrare Diaconis nunquam licuit. 577. d. in azymo pane confici posse negant Græci, quòd azymus non sit verus panis, quódque azyma ad Iudaismi figuras pertineant. 582. d. cum instituit Dominus nullam habuit neque lectionem, neque concionem. 606. b. non faciunt preces humanæ, sed verbum Domini. 610, b c. conferandi quemlibet Christianum ex baptismo habere potestatem. sensit Lutherus. 618. b. Dominus manducauit, vt habet communis sententia, quamuis hoc in euangelio non exprimatur. 619. c. vt omnes aliquando sumant, præceptum est diuinum. 620. a. ecclesia non consueuit dare catechumenis, energumenis, & pœnitentibus. 628. b. digne accipiunt, qui moraliter faciunt, quòd in se est, non dignitate æqualitatis vel meriti, sed dignitate quam Deus à nostra imbecillitate exigit, quæ potiùs est non indignitas quàm dignitas. 639. b. suscipiens non debet certus esse quòd peccata non habeat, verùm debet seipse probasse, & feeisse quod in se est, vt peccatum purgaretur. 630. b. indignè accipiunt, qui habent affectum, vel conscientiam peccati nondum expiati. 630. c. an Christus dederit duobus discipulis in Emaus, controuersum est inter Catholicos. 648. c. ministrarunt Apostoli sub vna specie primis Christianis. Act. 2. 649. b. quamuis Christus non dederit laicis, non ramen prohibuit dari, imò etiam iussit dari. cùm ait, *Hoc facite*, &c. 759. a. Deo offerri posse aut debere, negant hæretici. 692. a. instituit Christus Dominus. XIIII. die primi mensis. 706. b. in veteri ecclesia, Christiani domum deferebant, & tempore opportuno sumebant. 751. b. D. Cyprian. scribit esse holocaustum ad purgandas iniquitates. 765. a. sumere, etiam post cibum, in casu necessitatis permittunt Catholici. 803. c. Christiani accipiunt ieiuni propter honorem tanti sacramenti. 804. b. Christus instituit, & ministrauit non post quamlibet cœnam, sed post cœnam agni Paschalis, vt indicaret vnam cœnam alterius vmbram, & figuram fuisse. 805. a. ecclesia nunquam tribuit nisi iis, quos à culpa lethali liberos credit. 894. a. sumere nunquam licuit iis qui lethalium criminum conscientiam haberent non præmissa exomologesi. 1015 d

Eunuchus non est proprium nomen personæ. Act. 8. vt putauit Illyricus Cent. 1. lib. 2. cap. 6. col. 497. sed designat vitium corporis. 283. a

Excidens per peccatum mortale à fœdere baptismi, non potest iterum ad illud redire. 262. b

Excommunicati si absoluantur ob vitæ periculum, sunt quidem à culpa absoluti, sed si superuixerint redire debent ad ordinem pœnitentiæ. 894. a

Exempla Domini & Apostolorum probant communionem sub vtraque specie non esse illicitam iure diuino, non autem esse præceptam, vel necessariam. 669. d

Exomologesis nomine apud veteres, interdum non intelligitur sola confessio, sed etiam contritio, & satisfactio. 995. c. confessio est, vel sola, vel cum adiunctis aliis pœnitentiæ partibus. 995. d

Exorcismus est adiuratio dæmonum certis precibus facta, vt ab homine recedant 281. a. non refertur ad fidem docendam, sed ad dæmones coercendos. 244. a

Exorcismi non fuerunt quælibet preces pro arbitrio exorcistæ, sed certæ & præscriptæ ab ecclesia, quæ proprie dicuntur exorcismi. 281. c

Expiandi ritus omnes non sunt in Leuitico traditi, vt augatur Caluinus. 1077. d

Exsufflationis cæremonia significatur dæmonum expulso, & simul affiatio boni spiritus, quem recipiunt homines cum recedit spiritus malus. 281. d. vsus est Dominus Ioan. 20. cum Apostolis spiritum sanctum dedit. 282. a

Extra ecclesiam nulla salus. 232. d

F.

Facere non tantùm in lingua Latina, sed etiam Syriaca vel Hebraica, accipitur pro *sacrificare*. 724. c. quod non est, non est facere, sed deficere, & proinde ad illud non potentia, sed impotentia requiritur. 486. b

Falsarij qui dicantur. 200 a

Festum corporis Christi institutum fuit ab Vrbano 4. 675. d. nullum ab ipso Christo in nouo Testamento inuenitur institutum aut imperatum. 676. a

Festa aliqua in veteri lege fuerunt instituta sine vllo Dei præcepto. 676. a

Fidelis non polluitur ob cohabitationem cũ infideli, verùm sanctificatur infidelis per fidelem. 214. b.

Fideles concurrunt ad suam iustificationem, quæ est opus maius quàm sit creatio cæli & terræ. 135. b. non dicuntur ab actu, sed ab habitu fidei. 246. a

Fidelium tres classes erant. Prima clericorum, Secunda fidelium, Tertia pœnitentium. 911. c

Fides in suscipiente necessaria ad fructum sacramenti. 6. a. non requiritur ad substantiam sacramenti. 6. a. semel habita iudicio Caluini non potest amitti. 41. a. non dat elemento virtutem mundandi. 62. d. etiam maxima, non iustificat sine sacramentis in re vel in voto. 72. c. non tribuit vim sacramentis, sed solùm disponit subiectum. 72. d. non est effectus baptismi cùm eum præcedat, sed potiùs dispositio ad illum. 110. d. sola si iustificat impertinens est ad salutem, vnde fides excitetur siue ex aqua, siue ex vino, siue ex alia re. 111. a. non dat gratiam, bene operandi. 116. b. potest dici manus nostra, quia remouet obstaculum, & disponit animam, vbi est necessaria talis dispositio. 130. d. ordinario modo gignitur ex auditu. 243. b. non potest oriri in mente nisi ex diuina reuelatione, quæ aut immediatè fit à solo Deo, aut per organum verbi Dei prædicati, aut lecti. 243. b. in scriptura non accipitur, vt designet motum quendam sine sensu, & sine cognitione. 243. d. est medium necessarium ad salutem. 244. d. potest in homine esse sine charitate, vt docet Apost. 1. Cor 13. 253. a. Lutheranis nihil est aliud nisi fiducia diuinæ misericordiæ. 214. a. adeo est donum Dei, vt nullo opere tanquam ex merito acquiri possit. 845. b. nisi præcedat, pœnitentia nunquam subsequetur. 851. d. non est pars pœnitentiæ, quamuis sit ad pœnitentiam necessaria, vtpote ipsius fundamentum. 860. d. à Concil. Trid. primo loco ponitur inter ea, quæ ad iustificationem disponunt. 903. c. auctore D. August. meretur iustificationem. 947. d. quæ per dilectionem operatur, dicitur sola valere, quia sola perfectè iustificat, & saluat. 954. b. quamuis informis donum Dei est, & multum prodest, cùm sit iustificationis initium, & iustitiæ fundamentum. 954. a. informis, si semper maneat informis, non prodest, quia non saluat, multum tamen prodest, si ei spes & charitas adiungantur. 914. a. informis, est fides hominum peccatorum, sed ipsa non est peccatum. 973. d. duplex, vna quæ præcedit baptismum, altera, quæ sequitur. 246. d. duplex requiritur in baptismo. 246. d

Fides specialis hæreticorum est opinio temeraria. 6. b. ad pœnitentiam nullo modo requiritur. 904. b

Fides aliena paruulos ad Baptismum adducit. 247. a. non est de essentia iustificationis aut baptismi, est tamen necessaria ad solennitatem ritus ac cæremoniæ. 47. b

Fides actualis, non est necessaria ad baptismum. 63. b. perfecta infunditur in baptismo & iustificat formaliter. 127. b. iustificans non est motus sine cognitione, nam alioquin bestiæ poterunt iustificari. 244. b. miraculorum nihil est aliud, nisi excellens fides catholica, & iustificans suo modo. 251. a. vbi sit, non posse esse peccatum falsò asseritur. 254. d

Fides & pœnitentia iustificant, vt dispositiones, & secundum aliquos, vt caussæ meritoriæ de congruo. 129. b

Fides & terrores includuntur in pœnitentia, non vt patres, sed vt caussæ præcedentes pœnitentiam. 861. a

Fidei habitus per actus contrarios tollitur. 158. c. maior est vis quàm infidelitatis. 214. b. nomine in materia de iustificatione, Lutherani intelligunt apprehensionem diuinæ misericordiæ. 244. c. non est idem iudicium, & circumcisionis ac præputij. 954. b. nostræ mysteria multa, Ethnici philosophi impossibilia iudicabant. 485. c. nostræ mysteria propè omnia, Iudæi, Pagani & hæretici tanquam indigna & stulta irriserunt. 520. c

Fidei soli tribuunt Lutherani & Caluiniani, immediatam acceptionem, & applicationem iustificationis. 72. b. c. iustificationem Lutherani tribuunt. 944. c

Fidem veram habere possunt Caluini iudicio soli prædestinati. 41. a. pullam habent paruuli, qua recipiant iustificationem. 72. c. melius excitat scriptura & concio, quàm baptismus vel eucharistia. 123. c. actualem aut aliquid simile actuali fidei paruulis tribuunt Lutherani. 240. c. oriri in mente per reuelationem solam, modus est extraordinarius & rarissimus ac solis sorte Prophetis, & Apostolis concessus. 243. b. posse consistere cum peccato mortali negauit Caluinus. 252. d. exigunt Catholici in iustificatione adultorum. 845. a. solam, Lutherus opposuit sacramentis. 73. b

Fide sola non immediatè apprehenditur, & applicatur hominibus gratia iustificationis. 72. c. aliena parentum baptizati quid sit. 246. d

Fide stante non amitti gratiam peccando dogma est Epicurei & Lutheri. 253. homines peccare quidem posse, sed peccatum non imputari apprehendentibus misericordiam Dei, putant Lutherani & Caluinus. 254 d

Fiduciam hæreticorum, qui certa fide credendum docent remissa esse peccata concil. Trid. detestatur. 922. b

Figura ponitur in verbis illis, *Nisi manducaueritis*, à D. Aug. ratione modi sumendi carnem Christi, non ratione substantiæ ipsius rei. 354. b

Figuram implere, non est illud ipsum, quod lex præscribit agere, sed aliquid aliud ei substituere excellentius, ad quod significandum figura illa præcessit. 706. d. aliquam scriptura tribus modis solet explicare. 709. b

Figuræ necessariò inferiores esse debent rebus figuratis. 340. b. eucharistiæ, quæ sunt æquales pani, fuerunt variæ. 340. 341. c. veteris Testamenti, significant res sacras & arcanas. 19. a. omnes veteris Testamenti dicuntur mysteria. 18 b

Figuras esse inferiores rebus figuratis docet Apost. Colossa. 2. 340. c

Filius licet patri suo obedientiam,& reuerentiam debeat, tamen quando vsum liberi arbitrij habet,liber est,& sui iuris non minùs quàm pater,in his,quæ ad statum vitæ pertinent. 1201. a. iræ non est,nisi qui est obnoxius pœnæ & vindictæ. 213. a

Filium esse iræ,apertissimè sonat reatum. 213 a

Filij sanctorum non nascuntur 212. c. sunt Abrahæ,qui imitantur fidem ejus. 213.d. legitimi dicuntur sancti.214.a fidelis & infidelis dicuntur ab Apostolo sancti,id est,Christiani. 214.c

Filij fidelium sæpè sunt reprobi,& filij infidelium sunt prædestinati 211. d. si ideo sanctificantur quia sunt filij fidelium, nunquam habuerunt peccatum originale. 213.b

Filias Loth omni crimine liberant Chrysostomus & Ambrosius: Augustinus verò peccasse dicit,non tam ardore libidinis, quàm nimio amore posteritatis. 1243. a

Flagella à Deo immissa ad satisfactionem valent. 855.b

Flagellantes negarunt corporis Domini in eucharistia præsentiam. 331. d

Flagellationis suipsius exemplum habemus,1. Cor. 9. Apostoli Pauli. 1045. a

Fœderis signa fuerunt iris & circuncisio. 41. d

Fœminæ in extrema necessitate possunt baptizare, vt definitum est in Concilio Florent.& Carthag.4. 225.c

Fœminarum non est concionari, quia fœminarum est subesse non præsse. 82. d

Fœminis Lutherus facit potestatem concionandi. 77. a. extraordinariè concedit Deus, vt doceant viros. 82.d

Forma aquæ,quæ corrumpitur cum generatur aër,nusquam manet,nisi in potentia Dei obiectiua. 534.a

Formæ sacramentalis integritas substantialis consistit in solo sensu seu significatione verborum. 67. a. integritas est,aut substantialis,aut accidentalis. 67. a. integritas accidentalis consistit in integro sono,ordine,& numero syllabarum. 67.b. integritatem substantialem destruit minima variatio verborum si pereat sensus. 67.b. mutatio,qua ratione cognoscatur an sit substantialis an verò accidentalis. 67.b. variatio potest contingere sex modis. 67 a

Formæ sacramentorum indifferentia determinatur intentione ministri. 93. d

Formæ substantialis sacramenti integritas est necessaria necessitate sacramenti. 67. d. accidentalis sacramenti integritas est necessaria necessitate præcepti. 68.a

Fornicariam verum licere dimittere quoad vinculum, & aliam ducere, Dominus apertè apud Matth. 19. dicere noluit. 1179. b

Fornicatio sola directè opponitur fidei coniugali,cætera autem crimina per accidens se habent ad matrimonium. 1172. d

Fornicationis periculum,cui obiicitur coniunx dimissus,quando iusta est dimissio, non imputatur dimittenti,qui vtitur iure suo,sed ei qui dedit caussam cur dimitteretur. 1171.c

Fractio in mysterio eucharistiæ idem est quod immolatio seu oblatio. 384 a. sacramenti eucharistiæ ad essentiam sacrificij non pertinet,sed solum ad integritatem. 759. a

Frangere in scripturis significat dare. 368.a

Frangi non conuenit Christi corpori nisi in specie panis. 726.b

Fraticelli despiciebant sacramenta. 1. a

Fratres omnes erant sacerdotes in sacerdotio Aaronico. 83.a. qui baptizarunt Cornelium & eius familiam nec probabile est Apostolos,nec diaconos fuisse, sed simplices discipulos. 227.c. sunt qui eodem baptismo renascuntur. 238.d. sunt nonnunquam,qui non vescuntur eodem pane,nec bibunt ex eodem poculo. 239.a

Fructus sacramenti non est sine fide. 6.a

Fructum dignum pœnitentiæ facere, est operari eo modo, quo decet eum, qui pœnitentiam profitetur. 1049. a

Fur non dicitur,qui soluit debitum quod fur debebat, sed qui furatur rem alienam. 277. a

G

GAbriel vindicatur à calumniis Kemnitij. 12. a. & Heshusij. 12.d

Gabrielis sententia de intentione ministri sacramentorum explicatur. 93 b.c.

Gaiana hæresis reiecit baptismum. 2. a

Gehenna potest nimis timeri appreciatiuè. 974. b

Gelasius quem citant hæretici, non fuit Romanus Pontifex. 473.b

Generatio corporalis repetitur in resurrectione,166.d. noua de qua agitur Ioan,3. & Tit.3. ac noua vita de qua Coloss. 2. requirunt veram mortem peccatorum, & veram mutationem interiorem, non autem solam imputationem. 211. a

Gentes ab Assyria traductæ, quia falsum cultum instituerunt, discerpebantur à leonibus. 4. Reg. 17. 226. d

Gentiles fuerunt sine Deo, sine Christo, sine spe,& sine promissionibus, non quia carebant circuncisione, sed quia carebant vera fide,& notitia veri Dei,& idola pro Deo colebant. 149. d. aliqui agnouerunt verum Deum,& veram habuerunt spem, etiamsi circumcisi non essent. 149. d. consueuerant ad aras idolorum discumbere 730. d. non erant extra ecclesiam Dei, per hoc solum quod ad populum Israël non pertinebant. vide *Baptismus*. 1218. d

Gloria æterna,est quid maius pœnæ temporalis remissione. 1050. d

Gloria in excelsis Deo, &c. decreto Telesphori Papæ dicitur in missæ sacrificio. 811. b

Gnostici, inuerrebant res, & verba sacramentorum. 65.c. baptizabant in nomine ignoti patris, in veritate matris omniam, & in nomine descendentis Iesu. 206. a

Gorgonia morbo incurabili affecta, ante altare coram venerabili sacramento,ita orauit,vt statim conualuerit. 445.b

Graduale dicitur quia canebatur dum diaconus gradus ascenderet ad Euangelium decantandum. 811.a

Gradus consanguinitatis tot sunt in ordine recto,quot sunt personæ amisso stipite. 1220. d. duo in ordine transuerso secundum Ius ciuile, vnum constituunt secundum Ius canonicum. 1221.c

Gradus consanguinitatis, qui nouit,facilè colliget gradus affinitatis. 1220. c. consanguinitatis in ordine transuerso dum numerat Ius ciuile, respicit numerum personarum, Ius verò canonicum in graduum numero respicit distantiam à stipite. 1221. b. cognationes supputandi ratio,qua vtuntur sacri canones optima est. 1228.b

Gradum consanguinitatis Ius ciuile nullum ponit primum in ordine transuerso. 1220. d. septimum, vltra quem non esset vlla consanguinitas ecclesia olim definierat. 1212. d

Gradum consanguinitatis duplex est ordo in iure ciuili. 1220. c. suppuratio secundum Ius canonicum optimam habet rationem. 1221. b. supputatio non extenditur in infinitum. 1222, a

Graduum septem prohibitio in matrimoniis contrahendis sine ingenti dispendio conseruari non potest. 1250. a

Græci probant septenarium sacramentorum numerum. 167. a. rebaptizabant Latinos, quorum formam in baptismo vsitatam damnabant. 206. c. cum Latinis semper consenserunt in doctrina Transubstantiationis. 45. d. tempore Innocentij III. ad obedientiam Romanæ ecclesiæ redierunt. 548. a. non solo vino vtuntur in sacrificio altaris. 599. d. errant dicentes sacramentum eucharistiæ ritè confici non posse sine his verbis, *Fiat hic panis corpus Christi, & hoc vinum sanguis Christi*. 606. c. putant se consecrare vtramque speciem vna oratione. 611. a. non acceperunt suos ritus à Romana ecclesia, præsertim ab annis plus quinquaginta. 1096. c

Græcorum forma baptizandi, non differt à forma Latinorum quoad substantiam, 206. c

Græcos non solere confiteri peccata nisi solo Deo, falsum est. 994. a

Gratia infunditur in perceptione sacramenti. 5. d. est necessaria vt nobis prosint sacramenta. 5. d. continetur in sacramentis, vt in vasis. 8. d. continetur sacramentis. 11. d. est id quo propriè & formaliter sanctificamur. 22. b. alia est, quæ datur ob dispositionem suscipientis sacramentum, alia quæ datur ex in sacramentis. 105. c. non est eadem quæ datur in sacramento, & quæ datur sine sacramento ob dispositionem, vel meritum de congruo fidei, & pœnitentiæ. 129. b. dicitur infundi, quæ à solo Deo datur, & non respondet ei potentia naturalis. 135. a. est effectus principalis sacramentorum. 159. c. non datur sine fide. 163. b. facilè potest amitti. 165. c. non est sacramentum, sed effectus sacramenti tantùm. 167. d est propria Testamenti noui. 920. b. non potest ab homine vllo alligari certo signo. 1106. a. datur in ordinatione presbyterali, quia debet presbyter ministrare quædam sacramenta, quæ sine gratia non dignè ministrantur. 1110 b. tempore veteris Testamenti, non erat tam necessaria in matrimonio, quàm nostro tempore est. 1133. b. tunc datur, cùm coniuges per verba de præsenti matrimonium contrahunt. 1137. c. maior est Testamenti noui quàm veteris, siue cognitionem, siue sacramenta, siue exempla consideres. 1196. a. iustificans præcipuè significatur per sacramentum nouæ legis. 22. a. iustificans non propriè creatur. 134. c. omnis gratum faciens, vim habet defendi peccata, & auxilium benè viuendi tribuit. 1141. c. gratis data, consistere potest cum improbitate vitæ, nam Caiphas pessimus prophetauit. 88. b. sacramentalis non fuit necessaria in statu innocentiæ. 1133. a. remissionis omnium pœnarum, quæ datur martyri non potest esse ex opere operantis. 120. d. iustificationis, aut est charitas cum fide & spe, aut est quædam alia qualitas, cum qua infallibiliter coniunctæ sunt tres illæ virtutes. 246. b. Dei, vendi nullo modo potest, aut debet. 1107. b

Gratia quæ est qualitas inhærens, non requiritur ante præceptionem baptismi, & pœnitentiæ. 5. d. quæ est res supernaturalis, dat homini esse supernaturale. 134 d. quæ per sacramenta confertur, imputanda est virtuti ipsorum sacramentorum, & Christi institutioni, non autem fidei. 72. d. quæ in sacris literis prædicatur, opponitur propriè illis tantùm operibus, quæ ex propriis viribus liberi nostri arbitrij fiunt. 1071. a. qua prædicus erat Ioannes Baptista, à Christo Domino manauit, vt ipse Ioannes fatetur dicens Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus. 270. d

Gratia & virtus sacramentorum sunt res diuersissimæ. 11, c

Gratiæ essentia non hæret in sacramentis, verum in anima. 11. d. interius nos reficientis caussa, est actio Dei per ministrum ecclesiasticum. 581.c

Gratiæ est inseparabile, quod abluat sordes animæ si quas inuenit, vbi ipsa est. 43.c. quilibet gradus sufficit ad implenda mandata, imò ad pellenda etiam omnia peccata. 642. b. opponitur meritum ex iustitia, non autem meritum ex congruo, quod non in iustitia, sed in liberalitate fundatur. 984.b

Gratiam solus Deus potest dare. 66. b

Gratias agere non consueuit Dominus, nisi cum aliquid magnum & mirabile facturus esset. 363. c

Gratianus tribuit Gregorio definitionem sacramenti, quæ est Isidori. 16.c

H

HAbitare propriè in domo dicuntur, qui nisi ibi essent, malè essent. 399. d

Habitualis intentio est inclinatio quædam, seu promptitudo ex habitu infuso vel acquisito, qualis in dormiente esse potest. 92.b

Habitualis intentionis nomine, D. Thomas virtualem intelligit. 92.c

Habitus contracti per actiones frequentatas, non tolluntur nisi frequentatione contrariæ actionis. 1101.a

Hæreditas nobis relicta, non est panis, neque vinum, sed corpus & sanguis Domini. 670.b

Hæresiarchæ iactant sua dogmata, vt verissimam Dei reuelationem. 84.b

Hæresis primaria conditio, est nouitas doctrinæ, & veritatis Catholicæ, antiquitas. 509. b

Hæreses ab Apostolo ad Gal. 5. inter opera carnis numerantur. 397.b

Hæretici pro materia sacramentorum, substituebant verba. 1. b. spoliabant sacramenta omni virtute & efficacia. 2. b & 3.c. negant virgutem sacramentorum. 3.c. reiiciunt confirmationem & extremam Vnctionem. 3. d. recipiunt baptismum & eucharistiam. 3. d. recipiunt matrimonium verum non pro sacramento. 3. d de pœnitentia, & ordinatione contendunt. 3. d. non habent veros ministros. 3. d. sunt inter se discordes in danda sacramenti definitione. 30. c. negantes cap. 6. Ioannis intelligi de eucharistia, non inueniunt in verbo Dei promissionem de efficacia sacramenti eucharistiæ. 33. a. non habent remissionem peccatorum formaliter, quam tamen habent ministerialiter. 89. b. coguntur ex Christo diabolum facere. 642. c. aliqui reprehenduntur ab Ireneo quòd mutarint formam baptismi. 69. b. inter se dissentiunt de numero sacramentorum. 167. b. neque ecclesiam neque fidem habent. 163. d. putant sacramenta esse nuda signa. 107 b. nullum fere ponunt discrimen in iustificatione, inter veteris & nouæ legis sacramenta. 136. c. negantes sacros libros esse canonicos corrumpunt Dei verbum. 200. a. putant hominem per baptismum liberari ab omnibus votis, non solùm, quæ antea, sed etiam quæ postea fecerit, excepto illo vno quod fit in baptismo, cum promittimus nos Dei legem seruaturos. 258. c. verè ordinati possunt, oleum consecrare iudicio D. Aug. quia potestas consecrandi non est in illis ab hæresi, sed ab ordinatione, quam veram & sanctam susceperunt. 307. b. ideo sunt hæretici, quia nolunt subiicere iudicium suum verbo Dei. 397. a. multi peccant in spiritum sanctum. 964. d. non sunt quicunque errant in fidei doctrina, sed qui pertinaciam ad errorem adiungunt. 1192. a

Hæretici nostræ memoriæ admittunt ordinationem ministrorum. 3. d. non agnoscunt vllum sacramentum, necessarium simpliciter, vt medium. 70. d. negant baptismum esse necessarium, siue ad regnum cælorum consequendum, siue ad remissionem peccati originalis. 210. a

Hæretici baptizati cum inuocatione Trinitatis, non rebaptizabantur. 59. c. non baptizati cum inuocatione Trinitatis rebaptizabantur. 59. c. qui negarunt eucharistiam continere verum Domini corpus. 3. b. qui nihil tribuunt nouæ legis sacramentis, nisi vt discernant fideles ab infidelibus, vel admoneant bonorum operum, coguntur plus tribuere sacramentis Iudaicis quàm euangelicis. 136. c præcipui, qui scripserunt de sacramentis. 1

Hæretici & schismatici non possunt esse martyres. 221.b

Hæreticorum mendacia & calumniæ. 4. a. 18. d. proprium est, defendere errorem post definitionem in concilio generali. 86. a. malitia in calumniandis Catholicis detegitur. 102. d. 103. a. sententiæ de efficacia sacramentorum. 107. b. argumenta contra septenarium numerum sacramentorum dissoluuntur. 177. a. b. errores de confessione. 975. 976. frons nonest frons, inquit, D. August. 1190. c. opiniones de impedimento cognationis. 1223. c. d

Hebræus masculus, qui nolebat circumcidi, aut filium suum circumcidere recusabat, peribat de populo Dei. 148 b

Hebræi iudicio D. Augustini, nobiscum edeam manducauerunt eandem, nimirum significatione, quia idem significabant Iudæorum sacramenta cum nostris. 400. d. manducarunt eandem escam nobiscum significatione, sed non respsa. 467. b

Hebraica vocabula per Græcos ad nos deuenerunt. 679.b

Helias fuit sacerdos. 701.a

Henricus quidam cum Petro Bruis asserebat semel tantùm, id est, in ipsa victima cœna, Christi corpus verè datum sub specie panis. 331. c

Hermiæ error de baptismi materia. 205.a

Herodes viuentis fratris vxorem accepérat, quod lege Mosis erat prohibitum. 1239. d

Heshusij mendacia. 12. b. & sequent. 850. d. 851

Hic in consecratione vini, vt patet ex Græco textu, demonstrat calicem, non autem sanguinem, cum sanguis Græcè sit generis neutri. 364.d

Hic est sanguis, id est, hic potus est sanguis meus. *Hic est calix sanguinis mei*, id est, hic calix, est calix sanguinis mei. 371. c

Hieronymi sententia explicatur. 113. c

Hoc non demonstrat accidentia, quasi sensus esset, Hoc, id est, hæc accidentia sunt corpus Christi. 373. b. in verbis illis, *Bibite ex hoc omnes*, non significat ex hoc vino, sed ex eo quod in calice sub speciebus vini continetur, quod quidem licet vinum fuerit ante consecrationem, tamen finitis verbis consecrationis, non vinum, sed sanguis erat. 361. d. in verbis illis, *Hoc est corpus meum*, non demonstrat panem præcisè, seu contentum sub illis speciebus, quod quidem licet fuerit panis ante consecrationem, tamen vi illorum verborum incipit esse corpus Domini. 362. d. non demonstrat panem, sed rem contentam sub speciebus panis, quæ etsi antea fuerat panis, tamen tunc iam erat Christi corpus. 365.d

Hoc est corpus meum, id est, Hoc edulium est corpus meum, ita vt pronomen *Hoc* adiectiuè accipiatur. 371. c. id est, sub his speciebus est corpus meum. 374.b

Holocaustum fuit præstantissimum sacrificium. 690.c

Holocausti finis, est solus Dei cultus atque honor. 761.d

Holocausta offerebantur propriè in reuerentiam diuinæ maiestatis. 690.b

Homo multis modis potest esse instrumentum alicuius agentis. 94. a. b. c. est instrumentum animarum Dei & rationale. 100. a. est Dei minister in actione sacramentali: nam Deus est qui baptizat per hominem. 132. c. d. non potest vti instrumento nisi quòd tangat rem in qua est producendus effectus. 133. c. non solùm per baptismum generatur spiritualiter. 166. c. nunquam magis indiget auxilio, & præsidio, quàm in articulo mortis 1097 a. solus verè & naturaliter loquitur. 78. c

Hominem semel iustificatum, non posse vnquam excidere à gratia & salute. asserit Caluinus. 252.c

Homines peccantes in Deum, amicitiam simul & iustitiam violant, ac pro amicitia reformanda non potest homo Deo satisfacere. 1033. a. ante annos pubertatis non habent plenum iudicium rationis, quare non sunt Domini actuum suorum. 1206. a. omnes nascuntur peccatores, & non saluantur nisi per Christi passionem certis mediis applicatam. 215. c

Homines omnes & solos habere potestatem ministrandi omnia sacramenta docuit Lutherus. 76 b

Hominum salutem esse in arbitrio impij ministri non est durum. 104.a

Horror cùm mentis tum sensuum, per species panis & vini, & doctrinam fidei, tollitur in eucharistia sumenda. 550. a

Horroris caussa in carne humana comedenda est læsio ipsius carnis, horret enim homo lacerare, & destruere carnem suæ speciei. 549.d

Hostia consecrata, vt conseruatur in templis, & vt à laicis sumitur sine specie vini, absolutè, verè, & propriè dici debet sacramentum eucharistiæ, cum sit signum & caussa gratiæ. 639. b

Hostiæ consecratæ tres partes solebant fieri. 632. b. consecrandæ coram Deo eleuatio, quæ fit in Offertorio non potest reprehendi si concedatur oblatio. 806. c

Hostiæ dicuntur sacrificia ex animantibus. 690. a. pro peccato dicebantur eæ quæ offerebantur pro expiatione peccati. 690. b. pacificæ partim cremabantur, partim manducabantur à sacerdotibus, partim ab iis qui donauerant. 690.c

Humilitatem in statura pueri commendauit Dominus. Matth 19. 231. a

Hussitæ ordinationes sacerdotum suorum à Romano Pont. petere consueuerunt. 85. b

Hymnus iudicio D. August. adeò requirit canum, vt nisi canterur, hymnus dici non possit. 807.b

Hyperbolica loquutio requirit, vt verè aliquid subsit in re, licet non tam excellenter, quàm verba significent. 1061.a

Hyssopus significabat fidem, sine qua baptismus non prodest adultis. 114.d

I

IAcobitæ loco aquæ baptismalis ferro candente imprimebant in frontibus crucis figuram. 205. a

Iacobus quòd loquatur de vnctione quæ sanaret animum, & aliquando corpus, virtute sacramentali probatur. 1091. b c.d

Iacobi verba de vnctione ad nos pertinere asserunt ecclesiæ doctores. 1096. a

Idiomatum communicatio non oritur ex vnione naturali. 366. d. solùm oritur ex vnione hypostatica, vbi est vnum suppositum in duabus naturis. 366. d. non est inter naturas vnitas, sed in solo supposito communi: non enim dicimus, deitas est humanitas, vel contrà, sed verbum dicitur Deus & homo. 367. a. est mutua, vt Deus est homo, & homo est Deus. 367.b non solùm communicat nomina naturarum, sed etiam proprietatum ipsarum. 367. b

Idololatræ veri censentur qui manducant idolothyta. 730. a

Idololatriam per Christi aduentum cessaturam prædixit Oseas cap. 2. 747.c

Idolothyta non sunt comedenda, quia nimis turpe est à mensa Domini transire ad mensam dæmoniorum. 154. a

Ieiunium multum confert ad orationem. 805. c. comprimit concupiscentiam carnis, quare ad illud omnia reuocantur quæ affligunt corpus, & concupiscentiæ carnis repugnant, vt cilicia, cineres, flagellationes. 1044.c

Iesus nomen habet vim operandi miracula, non vt est res naturalis, & sensu corporeo perceptibilis, sed vt repræsentat rem diuinam. 63.a

Ignis quis sit in quo Christus dicitur baptizare. 105 d. Matth. 3. & Luc. 3. non significat ignem aliquem elementarem, sed ignem quendam cæleſtem & diuinum. 205.d. verus & corporeus, animas & dæmones tenet & cruciat. 135.b

Ignorans minus vapulabit. 888.d

Ignorantiam potest confiteri suam Catholicus doctor, & nihilominus hæreticorum ora obstruere. 132.a

Imaginario non potest concipere vnum corpus in diuersis locis, sed ratio sana potest iudicare imaginationem falli. 493. d

Imago habet positiuam & realem corporis similitudinem, vmbra autem habet similitudinem priuatiuam & quæ reuera nihil est. 141. b

Imagini non fit iniuria, nisi quando eo animo quis imaginem violat, vt illi iniuriam faciat. 386. a

Imagines ipsas Catholici non inuocant. 405. d

Immolare & sacrificare pro eodem accipiuntur. 690. a

Immolatio potest esse oblatio. 758. c. de qua loquitur Apostolus 1. Cor. 5. non est sola passio Christi, sed etiam consecratio, & oblatio eucharistiæ. 706.a

Immolationes dicuntur sacrificia ex rebus inanimis, sed solidis. 690.a. veræ ac propriè dictæ, cessarunt apud Iudæos, quæ non nisi in Ierusalem fieri poterant. 720. a

Impanationis primus auctor non fuit Valeramus, sed Rupertus Tuitiensis. 513.d

Impedimenta quæ simpliciter reddunt inhabilem personam ad matrimonium contrahendum, sunt 4. 1208. a

Imperatores Romani subiiciunt leges suas canonibus. 1226. a

Imperfectorum est baptizari teste Apost. Heb. 6. 237. b

Impij non sunt membra vnia corporis Christi. 389. c. ex sententia D. Aug. adorant & manducant carnem de ipsa mensa, id est, de altari acceptam. 462. b. dicuntur non manducare eucharistiam, quia non nutriuntur spiritualiter. 467.d

Impœnitens quisque dici potest, quamdiu in peccato hæret. & semper magis ac magis difficilem sibi reditum ad gratiam Dei facit. 918.d

Impœnitentes scripturæ passim accusant, & pœnas eis, grauissimas comminantur. 936.b

Impœnitentia est grauissimum peccatum, adeò vt nonnulli, peccatum in Spiritum sanctum nihil aliud esse voluerint, nisi finalem impœnitentiam. 936. b. extra tempora illa quibus homo obligatur ad faciendam pœnitentiam, non est tam peccatum nouum, quàm peccati patrati circumstantia. 938.d. speciale peccatum est, quando occurrit tempus quo tenemur pœnitentiam agere, & eam tamen non agimus. 938. d. finalis, est peccatum aliquod in Spiritum sanctum. 962.d

Impositio manuum fuit coniuncta cum vnctione & signo crucis. 171.a

Impositio manus ab Apostolo Heb. 6. numeratur cum baptismo, cum fide, cum pœnitentia, & cum aliis rebus quæ pertinent ad salutem, imò etiam ad fundamenta religionis. 291. d. multiplex & ad varios effectus. 301.a. numeratur ab Apostolo Heb 6. cum reliquis ordinatijs ecclesiæ ritibus. 317. b. Ananiæ super Paulum non fuit confirmatoria, sed curatoria, vt nimirum visum reciperet: & facta est ante baptismum, non postea, vt fieri debet confirmatio. 318. a. vide *Apostoli nunquam. Baptizatis Act. Spiritus Sanctus.*

Impositionis manuum effectus cessauit quoad visibilia symbola, non quoad inuisibilem gratiam. 292.b

Impositione manuum si tantùm fuissent data miraculorum dona, Apostolorum primarij Petrus & Ioannes in Samariam non iuissent. 291.a

Incantationes magicæ, duo habent damnanda. 64 a

Incestam, coniunctionem viri cum sacra virgine Cyprianus vocat, propter relationem ad Christum, qui frater noster fieri voluit. 1211. b

Incestuosus ille de quo scribit Apostolus ad Corinthios, nouercam loco concubinæ habuit, viuente adhuc patre. 1239. b

Incredulitas non est non credere, sed nolle credere 6.c

Indiuisio in se, & diuisio ab aliis est duplex, vna respectu loci quæ extrinseca est. Altera respectu rei ipsius quæ intrinseca est. 491.b

Indulgentiæ à temporalibus pœnis homines liberant, si tamen prius ab æternarum reatu liberati fuerint 951.b. hoc requirunt, vt qui eas sumit sit in statu gratiæ, & liber à reatu mortis æternæ, & solum pro temporalibus pœnis satisfacere teneatur. 951.b. à Pontificibus conceduntur habentibus contritionem peccatorum suorum, cum proposito confessionis sacramentalis suo tempore faciendæ. 951. b. non soluunt nos diuinis præceptis, sed faciunt vt pro iis pœnis, quæ nobis per indulgentiam condonantur, non teneamur præcepto illo, de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus. 1068. a

Infantes non possunt ponere obicem incredulitatis ad Sacramentorum susceptionem. 6. c. baptizari credunt aliena voluntate. 6. c. peccarunt aliena voluntate, & ante baptismum sunt auersi à Deo habitualiter. 6. c. non possunt actu credere. 17 a. baptizantur in fide parentum, quia si nullus esset fidelis, nullus moueretur ad baptizandum nos 63. c. baptizati, non possunt scire se esse baptizatos, nisi aliis credant. 97. c. pereunt, si absque baptismo de hac vita recedant. 212. a. b. c. qui moriuntur si sunt prædestinati, baptizantur, & si sunt reprobi non baptizantur. 216. a. pro Christo occisi non solum saluantur, sed etiam habentur ab ecclesia in numero martyrum. 220. b. sine baptismo in æternum pereunt, est enim generalis Domini comminatio Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* 230. c. non possunt intrare ecclesiam nisi per baptismum. 232. d. quia non sunt sui iuris, sed parentum, possunt eorum voluntate ecclesiæ subiici. 233. d. baptizati conqueri non possunt. 233. d. quia non sunt capaces doctrinæ, & capaces sunt baptismi, prius baptizantur ne fortè pereant, ac deinde cum adoleuerint docentur. 234 c. saluantur per baptismum, etiamsi corde non credant, nec ore confiteantur. 237. a. carnales recipiunt sacramenta spiritualia, vt fiant ipsi spirituales, per habitum, non per actum. 238. a. induunt Christum, quandoquidem per habitum gratiæ illis infusum, exuunt veterem hominem & induunt nouum. 238. a. non actualem, sed habitualem habent fidem, & credunt fide aliena, ac ipsa baptismi susceptione. 242. d. non habent fidem actualem. 242. d. si immediatè per reuelationem acciperent fidem, possent dici Prophetæ. 243. b. dum baptizantur non habent vllos nouos motus & inclinationes similes actibus fidei & dilectiones. 243. d. non iustificantur sine vlla fide. 244. d. in baptismo iustificantur, adeo vt si moriantur in eo statu, nihil sit, quòd eos ab ingressu cæli remoretur. 245. c. Deum honorant & colunt, dum implent ea quæ ad ritum baptismi pertinent saltem per os alienum. 247. b. in baptismo recipiunt habitum fidei, qui neque est fides cum cognitione, neque motus sine cognitione. 248. a. iudicio D. Augustini debent edere corpus Domini, si salui futuri sunt, non tamen necessariò & reipsa. 353. b. baptizati quia non egent conseruatione vitæ, cùm non possint eam amittere sine vsu rationis, non obligantur illis verbis, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. ad eucharistiæ sumptionem. 656. c

Infantes baptizari ante octauum diem, iubet beatus Cyprianus, vt peccati remissionem accipiant. 118. b. aliquos pro Christo occisos, non fuisse circumcisos ferè certum est. 220. c. baptizandos ecclesia catholica semper docuit. 230. b. baptizari debere non inuenitur expressè in scripturis, ex quibus tamen apertè satis id colligitur. 234. a. fuisse baptizatos à D. Paulo cùm baptizarit Stephanæ domum, probabile est. 234. d. posse baptizari ad fidem pertinet. 235. prædestinatos sine baptismo saluari ineptissimè dicitur: cum prædestinatis prospectum sit de remediis efficacissimis ad salutem. 215. d. vide *Eucharistia non datur. Eucharistiam non. Anabaptistæ docent.*

Infantium Deo maior cura est quàm nobis. 215.d

Infantibus non prædestinatis iudicio Buceri nihil prodest baptismus. 40. a. aliena voluntas est est loco rectæ rationis quam habere deberent si essent adulti. 233. d. fit ingens beneficium, cùm baptizantur, licet inde consequatur obediendi ecclesiæ. 233. d. ad baptismum susciendum sufficit aliena fides, sicut eis obsuit peccatum alienum. 235 b. prædicare stultum est. 235. c. vt recipiant baptismum nulla probatio est necessaria, cùm obicem ponere non possint. 238. d. in baptismo infunditur habitus fidei, spei & charitatis. 245. b. ipsum baptizari est credere, quia ipsa actio est fidei professio. 246. c. ecclesiæ accommodat aliorum pedes vt veniant, aliorum cor vt credant, aliorum linguam vt confiteantur. 247. c. cum baptizarentur folebant patres imponere nomina sanctorum. 283. b. non dantur confirmatio & eucharistia, quia non sunt eis necessaria, & maiore cum fructu & reuerentia percipiuntur ab adultis. 303. a. non est idem baptizari & communicare, licèt simul fiant, cum hoc sequatur ex illo. 353. c

Infantilis ætas est typus humilitatis, & tamen reipsa idonea est ad regnum cælorum. 231. b

Infidelis sanctificatur per fidelem, id est, vel conuertitur ad fidem, vel est candidatus fidei. 214. c

Infideles sunt indicio D. Augustt. qui non credunt posse fieri, vt paruuli, etiam sine fide actuali, per ipsum sacramentum saluentur. 120. c. non sunt, qui ob suam iusirmitatem metuunt, ne sacramenti fructum non percepetint. 846. b

Infidelitas patris multum obest infanti, quia est causa ne ille baptizetur. 247. b

Infusio gratiæ opponitur acquisitioni non eductioni. 135. a

Iniquitas, non reatum pœnæ, sed culpam significat propriè. 1078. b

Innocentiam in natura pueri, commendauit Dominus Matth. 19. 231. a

Innocentius tertius optimus Pont. vindicatur à calumniis hæreticorum. 156. a. inquit Abbas Vrspergensis, tria ardua negotia peregit. 156. c. dispensauit, vt in Liuonia retinerent vxores fratrum defunctorum. 1241. c

Instrumentum quo vtitur Deus non necessariò per naturalem suam virtutem aliquid operatur in subiecto. 133. b. c. quo vtitur homo per suam naturalem virtutem debet concurrere cum motione ipsius hominis, & operari id quod sibi proprium est. 131. b. vide *Deus, & Homo.*

Instrumenta quibus vtitur Deus multum differunt ab instrumentis quibus homines vtuntur. 132. d

Insufflatio in Apostolos cur non fuerit sacramentum. 23. c. in scripturis non appellatur spiritus sanctus. 139. b

Intellectus non potest moueri nisi intelligendo. 244. a. non errat in eo quod apprehendit ens in genere. 559. c

Intendens facere externum actum non seriò, non intendit facere quod facit ecclesia, sed intendit simulare quod facit ecclesia. 91. d. 93. a

Intentio generalis faciendi quod facit ecclesia, est necessaria in eo qui ministrat sacramentum. 91. d. actualis non est necessaria in ministrante sacramentum, & habitualis non sufficit, sed virtualis requiritur & sufficit. 92. a. ministri an sit necessaria ad sacramenti perfectionem. 90. d. ministri determinat indifferentiam formæ sacramentorum. 93. d. vnius non determinat actionem alterius. 93. d.

Intentionem in ministro sacramenti non requiri asserunt hæretici nostri temporis. 90 d

Introitus missæ dicitur, quia canitur à choro in introitu sacerdotis ad altare, aut quia est introitus, id est initium missæ. 809. c

Inuocatio nominis Iesu de qua sit mentio, Act. 22. non est de substantia baptismi, sed est conueniens, & adhibenda cum fieri potest. 239. c

Inutile non est quod aliquid facit, licet etiam sine eo id fieri potuisset. 645. c

Ioannes baptista fuit vltimus prophetarum. 117. d. in vtero matris non habuit motum sine cognitione, nàm cognouit Domini præsentiam, & inde exultauit. 247. d. exultans in vtero non caruit cognitione. 247. d. prædicatione verbi vt erat Angelus vaticinatus Luc. 1. multos filiorum Israël conuertit ad Dominum: At non propterea per baptismum purgauit corda hominum. 271. a. docuit quomodo esset inueniendæ salus: nimirum credendo in Christum, cum illum digito ostenderet, non autem dedit salutem. 272. c. non baptizabat in nomine Trinitatis aut in nomine Christi venturi. 274. c. exortus est prædicationem illis verbis, *Pœnitentiam agite.* 917. b. dicitur imposuisse finem legi, quia fuit vltimus propheta veteris testamenti. 1239. c

Ioannem baptistam fuisse à Christo Domino baptizatum, coniectura non leuis est. 278. d nulla forma verborum vti consueuisse cùm baptizaret, probabile est. 267. d

Ioannes euangelista nusquam attigit materiam eucharistiæ nisi cap. 6. sui euangelij. 350. a

Ioannis euangelistæ consuetudo non est repetere quæ alij euangelistæ scripserunt, nisi forte cum aliquid circa eandem historiam addendum iudicat. 872. d. cap. 6. esse intelligendum de eucharistiæ sacramento probatur. 349. a. b. c

Ioannes Scotus tempore Caroli magni primus in ecclesia Latina de corporis Domini veritate in eucharistia dubiè cœpit scribere. 330. a. Hus ab errore sacramentariorum semper abhorruit vt ostendit Ioannes Cochlæus in historia Hussitarum. 331. d. Oecolampadius docuit corpus Domini non esse in eucharistia nisi vt in signo. 332. d. Caluinus negauit veritatem corporis Domini in eucharistia. 333. a

Ioannis à Louanio expositio refutatur. 47. b. Gagnæi expositio refutatur. 47. b. c. Parisiensis error de sanctissimo eucharistiæ sacramento. 124. b

Iob fuit sacerdos. 701. a

Iouinianus propterea hæreticus fuit quòd asseruerit B. Mariam pariendo fuisse corruptam. 500. c. vide *Baptizatum non posse.*

Iris quæ ratione fuit signum fœderis. 45. d. est res naturalis. 46. c. iudicio D. Chrysostomi est res noua miraculo iusticuta. 46. c. d. cur à D. Chrysostomo dicatur signum confirmatiuum. 46. c. d

Israëlitæ comedebant agnum habitu viatorum, quia paulò post iter facturi erant ad terram promissionis. 454. b

Ite missa est, hanc habet sententiam, iam dimissio est congregationis, abire omnibus licet. 627. b. nihil aliud significat, nisi, Ite, dimissio conceditur. 838. b

Iudæi fiebant in circumcisione spirituales sacerdotes. 80. c. omnes erant sacerdotes spirituales. 81. a. circumcisi auctore Apostolo, Rom. 1. solùm præstabant gentibus incircumcisis, quod illi habuerint Dei legem & oracula. 139. d. non præstabant gentibus quod attinet ad iustificationem. 140. a. præter cæremonias habuerunt etiam lucem verbi. 198. b. Ioan. 8. negarunt se natos ex fornicatione spirituali, quæ est Idololatria. 1163. d

Iudæorum cœtus quando distinguitur contra ecclesiam dicitur Synagoga. 204. b. infantes an ante octauum diem habuerint aliquod remedium, & quodnam illud esset, nescitur. 215. b. lapidantium Stephanum peccata erant in spiritum sanctum. 964. d. status puerorũ erat. 1196. a

Iudæis licuit blasphemos occidere, vt patet Act. 7. & 24. 580. d

Iudaicus populus fuit figura populi Christiani. 28. c. cultus quamuis corporalis, non placuit Deo sine spirituali. 198. d

Iudaismus non est, vti rebus quibus vtebantur Iudæi, si id fiat cum alia forma verborum, & alio ritu, atque ad alium finem. 1110. b

Iudaizare non est, vti iisdem rebus quibus vtebantur Iudæi, sed vti eodem ritu, & ad eundem finem. 595. b

Iudas cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo præbuit. 387 c. fuit membrum diaboli, & ministrauit vera sacramenta. 79. b. peccator & reprobus baptizabat 88. d. baptizatus fuit, & eucharistiæ de manu Domini sumpsit. 910. b

Iudicare debent omnes de dogmatibus, non quidem examinando illa ad regulam scripturæ vt hæretici faciunt, sed ad doctrinam antea traditam, & aliorum pastorum. 84. b

Iudicium sine cognitione causæ, ne cogitatione quidem fingi potest. 978. c

Iudicium manducare, est sumere aliquid quod sumptum nocear. 387. a

Iudicia Dei occulta sed iustissima. 215. d

Iurisdictio est episcoporum propria. 224 b

Iurisdictionis potestas magis pendet à probitate vitæ eius in quo est, quàm potestas ordinis. 88. d

Ius diuinum non præcipit vtramque speciem accipi à laicis. 4. c. naturæ non prohibet, vt ob iustum aliquem finem, qui is ducat vxorem fratris sui. 1235. b

Iustificandi vim aut etiam saluandi, sæpenumero scriptura tribuit diuersis rebus, non quòd solæ illæ iustificare, aut saluare possint, sed quòd illæ vim suam habeant ad iustificationem, aut salutem, & ad eum finem perducant, si tamen cætera non desint. 931. b

Iustificant diuerso modo ex opere operato Sacramenta & Martyrum. 223. d

Iustificamur gratis, licet contritionis merito iustificemur, quia ipsa contritio donum Dei est. 947. b

Iustificabantur veteres ex merito passionis Christi, vt nos iustificamur 130. a

Iustificaretur ille gratis, qui ex opere proprio, id est, solius liberi arbitrij viribus acquisito, iustificaretur. 947. b

Iustificari non potest impius per solum propositum non peccandi de cætero sine formali detestatione peccati. 930. d. potest homo per veram pœnitentiam in momento temporis 943. b. per Christum latiùs patet quàm iustificari in baptismo per Christum. 264. c. vt dicimus aliquem, quia absoluitur, ita rectè dicemus aliquem iustificari, quia peccata humiliter confitetur. 895. b

Iustificatio datur in sacramentis ex gratia, id est fauore Dei & merito Christi. 5. d. ab Apostolo tribuitur fidei, sed non soli. 124. d. fit in illo instanti, in quo finitur actio sacramentalis. 135. non contingit sine fide. 245. a. in sacramento pœnitentiæ datur gratis, per fidem sine operum merito, ob Christi passionem, & mortem. 959. d. impij auctore D. Aug. est opus maioris misericordiæ & nobilius, quam est creatio cæli & terræ. 13. b. impij præsertim hæretici aut apostatæ parum aut nihil differt à regeneratione. 203. c. impij, & vera ac realis mutatio est animæ à peccato ad gratiam, & mirabilior est quam ipsa creatio cæli & terræ. 475. b. hominum in susceptione sacramentorum veteris legis, non erat iustificatio prima, sed secunda, & non erat propriè sacramentalis, sed erat communis omnibus bonis operibus quæ in charitate fiunt. 138. b. à peccatis fuit in sanctis hominibus veteris testamenti. 146. d. nostra omnis pendet à virtute sanguinis Christi. 889. c

Iustificationis caussa non includitur in sacramentis vt in vasis. 8. d. immediata acceptionem & applicationem, Lutherani & Caluinistæ tribuunt soli fidei. 72. b. c. initium fit à fide & pœnitentia. 103. c. merita non sunt, Contritio, Confessio, & Satisfactio, sed dispositiones iustificandi. 860. a. gratiam, nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, mereri potest. 855. d. gratiam nihil eorum quæ iustificationem præcedant siue fides, siue opera, promereri poterit. 860. d

Iustificationem quàm in sacramentis accipimus, nemo Catholicorum tribuit dignitati, aut meritis operis nostri, sed institutioni diuinæ, & operi Christi 73. d. aliam non cognouit hæreticus, quàm remissionem peccatorum sine infusione gratiæ. 625. d

In Iustificatione quam recipit aliquis dum percipit sacramenta, multa concurrunt. 103. d

Iustitia quæ in actionibus versatur, est duplex. 1302. c. quæ versatur in absoluta, & perfecta æqualitate est, vt cùm tantum honoris vnus alteri tribuit, quantum eius dignitas absolutè exigit. 1031. c. quæ consistit in æqualitate imperfecta, est quæ ex pacto, aut donatione, vel acceptatione alterius pender. 1032. c. perfecta & absoluta, non potest esse inter Deum & homines. 1033. a

Iustitia Christi nõ iustificamur formaliter, sed iustitia propria & nobis inhærente, quæ absoletur cùm peccamus. 264. d

Iustitiam veram & charitatem non posse consistere cum peccato mortali, docet D. Ioan. 252. b

Iustus homo esse potest sine Christo. 619. d.

Iusti omnes ab initio mundi, fuerunt iusti ob sacrificij crucis participationẽ 744. b. fuerunt multi ante Christi aduentum non ex eo quòd essent circumcisi vel incircumcisi, sed ex eo quòd in Christum venturum crederent 400. a

INDEX.

Iustorum est proprium declinare à malo, & facere bonum. 908. b
Iuuenis ille cui Dominus loquebatur Luc. 18. bonus ac iustus fuit, vt ex cap. 10. Marci colligi potest. 936. a

K.

KEmnitius confundit gratiam cum virtute sacramentorum. 11. c. fatetur nomen sacramenti, vt est generi-cum esse scripturæ. 15. d. falsa & pugnantia loquitur de nomine sacramenti. 16. d. calumniatur D. Augustinum. 17. a. nullam tribuit sacramentis efficientiam, nisi ad alendam fidem per modum obiecti repræsentantis diuinam promissionem. 104. a. non intellexit Paludanum. 105. c. corruptè citat Gabrielem. 105. c. calumniatur D. Cyprianum. 11. c. Innocentium. IIII. 98. c. concilium Tridentinum. 77. c. d. calumniatus est Andradium. 551. c. mentitur, asserens Catholicos vim ponere in syllabis, & characteribus, neglecto sensu verborum. 64. b. mentitur concilia Florent. & Trident. definiisse vetcres patres, non habuisse gratiam Dei ex merito Christi, aut eam habuisse sine vllo organo seu medio applicante Christi merita. 137. d. refutatur. 174. b. 176. d.
Kemnitij mendacium. 30. a. b. 143. a. 246. b. 261. a. 273. c. 613. c. d. 669. a. 774. c. 778. a. 819. a. 1094. d. 1127. a. 1190. c. 1225. a. Mendacia. 92. d. 106. d. 156. a. 175. a. 219. a 255. b. 288. b. 302. d. 544. b. c. 616. d. 617. a. b. c. d. 1119. a. error. 25. d. contradictiones. 1224. c. d. argumenta contra sacramenti definitiones dissoluuntur. 29. b. c. blasphemia. 178. a. impostura. 551. d. 681. a. fraus & imperitia. 104. b. calumnia. 1151. b. calumniæ contra concilium Tridentinum refutantur. 72. d. 73. a. b
Κυνωνία tribus modis in scripturis accipitur, pro distributione, confœderatione & participatione. 384. c. d
Kyrie eleeson antiquissima est missæ pars. vt patet ex concilio Vasensi, & D. Aug. epist. 810. b. c

L

LAban idololatra erat, vt patet Gen. 31. 1167. c
Laicus in necessitate baptizat, vt habet concilium Eliberitanum. 294. a
Laici non tenentur diuino iure ad sumendam vtramque speciem. 4. c
Laicos etiam in necessitate Caluinus baptizare posse negat. 77. b
Laica communio dicitur ea, quæ laicis permittebatur tangenda, & etiam deferenda si vellent. 653. a
Lapsi post baptismum inquit D. Aug. curari possunt per pœnitentiam, non autem renouari, quod est proprium baptismi. 887. a
Lapsos post baptismum Apost. Hebr. 6. negat renouari per baptismum. ibid. reconciliari periculo mortis imminente, etiamsi nondum pœnitentiæ tempus impleuerint, iubet Cyprian. 1060. c
Latriæ cultu Christus per se, & propriè est adorandus. 637. c
Latro bonus iudicio D. Aug. saluatus est sine baptismo. 74. a. iudicio D. Aug. fide & conuersione cordis ad Deum fuit iustificatus. 219. a. iudicio D. Aug. non potest dici martyr, nec saluatus baptismo sanguinis, sed baptismo flaminis. 219. b. non habuit fidei sacramentum, & saluus fuit per ipsam fidem & conuersionem ad Deum. 237. a. neque peccata detestatus, neque vitam meliorem proposuisse asserte legitur, tamen ex impetrata venia, manifestè colligimus eum, ea omnia præstitisse, quæ ad veram & legitimam pœnitentiam internam requirutur. 934. a. non caruit baptismo. 917. a.
Laurentius Valla videtur fuisse præcursor quidam Lutheranæ factionis. 863. c
Lectio euangelica in Missa est antiquissima. 814. a
Leges. vide *Lex*.
Legislator apud D. Iacobum cap. 4. est vnus qui potest perdere & saluare, quia vnus est summus legislator, qui ita fert leges, vt nullas ab alio accipiat, quique ita potest perdere, & saluare, quos damnauerit aut absoluerit, vt nullius ope indigeat, & à nullo impediri queat. 87. c
Legislatores sunt homines, qui sicut inferioribus dant leges, ita etiam accipiunt ipsi à superiore, id est à Deo. 257. c
Λειτουργία est munus seu ministerium publicum. 679. b. à patribus Græcis vix aliter accipitur, quàm pro ministerio sacrificij eucharistiæ offerendi. 679. b. non significat quodcunque ministerium, sed publicum. 729. a. cum accommodatur ad sacra ministeria, & absolutè ponitur in scripturis, vbique accipitur pro ministerio sacrificij 729 b
Lex dominatur homini cui data est, non homo legi. 1180. c. quæ timorem incurrit est bona. 971. c. à Principe, non autem Principeps à lege auctoritatem habet. 1226. a. Cæsaris non prohibet id, quod solo lumine rationis omnes nouerunt esse prohibitum. 1240. c. naturæ non scribebatur in tabulis, nec promulgabatur per homines aut Angelos, sed dictabatur interius, & inspirabatur cordibus hominum. 66. d. vetus appellatur lex Mosis, non quòd Moses eam propriè instituerit, sed quia eam promulgauit. 71. c. dicitur vetus testamentum, quia ad veterem hominem pertinet, nec renouare nouit, lex euangelica dicitur nouum testamentum, quia renouat. 146. d. tota in hoc distinguitur à noua, quòd illa non iustificat, hæc iustificat. 146. d. dicitur iugum seruitutis, non quia obligabat in conscientia, sed quia difficillima erat & non habebat coniunctam gratiam, qua impleri posset amore iustitiæ. 196. c. vsq; ad Christi mortem vim suam retinuit. 217. c. morte Christi cessauit. 217. d. ob ignorantiam cessationis ipsius obligauit Iudæos vsque ad publicam promulgationem euangelij. 218. a. solenniter promulgata fuit in monte Sina die 50. post primum Pascha Iudæorum. 218. b. vt à noua distinguitur, non habet promissionem gratiæ, neque eius opera Deo sunt grata. Galat. 2. 920. b. quamdiu vigebat, nunquam poterant Iudæi iugum eius à se excutere. 1180. d
Lex Hebræorum non erat omnibus necessaria ad salutem. 1218. d. noua promulgata fuit die 50. post primum Pascha Christianorum. 218. b. media inter veterem & nouam nulla fuit. 266. d. euangelica fuit condita, & multum profuit etiam ante Christi mortem, quamuis non habuerit vim præcepti nisi post promulgationem solennem. 218. a. Christiana omnibus est ad salutem necessaria. 1218. d. de purgatione leprosi non fuit merè politica vt negatur Caluinus. 986. c
Legis litera sine spiritu euangelij, tantum abest, vt etiam adferat, vt etiam occidat. 920. c. seruandæ debitum nascitur ab ipso baptismo. 254. d. Iudaicæ promulgatio fuit figura promulgationis euangelij. 218. b
Legem esse seruandam ante circumcisionem, non asserit Apostolus Galat. 5. 155. d. implere nemo potest, neque rectè viuere, nisi regeneratus, & iustificatus, & filius Dei effectus. 950. d. veterem obligasse vsque ad Christum, sed iam non amplius obligare, probat D. Paulus, Rom. 7. 1180. b
Leges de matrimonio non sunt merè politicæ, sed etiam spirituales. 1248. c. cæremoniales de nouis festis diebus additæ à Iudæis. 190. d. ciuiles non dedignantur imitari sacros Canones. 1206. b
Leges diuinas obligare in conscientia ita vt sit peccatum eas violare, concedunt hæretici, sed addunt eiusmodi peccata non imputari fidelibus, ac per hoc idem esse ac si liberi essent ab earum legum obseruatione. 257. a. humanas, siue ecclesiasticas, siue politicas hæretici nostræ memoriæ negant obligare in conscientia, nisi ratione scandali aut contemptus quæ sunt prohibita lege diuina. 257. a. ecclesiæ quamuis Dominus non expressè & nominatim iusserit seruari, Matth. 28. tamen generatim & implicitè id mandauit. 258. b
Legum verba perspicua & propria esse debent, ne detur occasio præuaricationi. 359. c
Libamenta dicuntur sacrificia rerum liquidarum, vt vini, & aquæ. 690. b
Liber Quæstionum Vet. & Noui Testamenti non est D. Aug. sed alicuius hæretici. 126. d
Libertatis euangelicæ summam in hoc constituunt Lutherani, quòd Christiani non obligentur ad legem diuinam, sed solùm ad fidem. 254. d
Liberum arbitrium iudicio Lutheri est res de solo titulo. 76. d
Ligare non solum est nouum vinculum addere, vt excommunicationis, sed etiam vinculum peccati confirmare, ac retinere, & nolle soluere. 980. d. non significat denunciare vel declarare, sed reipsa vincula iniicere. 987. c
Linguæ igneæ quæ apparuerunt super Apostolos, non fuerunt Sacramenta. 23. a
Liturgia Romana censetur esse D. Petri. 608. a
Liturgiæ substantiales partes ab Apostolis. institutæ, permanent integræ. 817. c
Liturgiæ antiquæ in toto Oriente non inueniuntur nisi Græcè, aut Chaldaicæ: in Occidente verò non nisi Latinæ. 793. d
Locus potest capere duo corpora sibi adæquata simul. 486. b
Loqui dicuntur homines per nutus, quare nutus vicem verborum tenent. 1149. b
Loquitur verè & naturaliter solus homo. 78. c
Loquutionem propriam non figuratam requirunt pactum, Sacramentum, Testamentum, lex, & dogma. 358. b
Lotio & renouatio interior in baptismo fit per infusionem habituum, qui sine vllo nostrò actu infundi possunt, quare fieri potest in dormiente, & non sentiente. 235. c. manuum ante consectationem adhiberi non ad corporis sordes abluendas, sed ob symbolum puritatis animæ, qua pollere debent qui celebrant. 807. a. pedum cur non fuerit sacramentum propriè dictum. 174. c. pedum post baptisma tempore D. Aug. seruabatur Mediolani, non autem Romæ. 185. b
Lucas Euangelium scripsit his gentibus, quibus prædicauerat Paulus, & ad quos nondum peruenerant Matthæi, & Marci volumina. 1157. b
Luciferiani renouarunt Donatistarum errorem de sacramento ordinationis dato ab hæreticis & schismaticis. 86. b
Ludouicus Viues fauet Anabaptistis. 232. c
Ludus non impedit veritatem sacramenti, cum Minister verè intendit conferre sacramentum, sed ob finem recitandi animum. 96. c
Lutherani spoliant omnia sacramenta virtute. 3. c. volunt omnia sacramenta habere promissionem reconciliationis. 5. d. recipiit nomen sacramenti. 14. b. non cõsentiunt in ritu dandi suam cœnam. 54. b. putãt paruulos percipere concionẽ. 58. b. c. negãt baptismum tollere peccata. 248. d.

putant

putant concupiscentiam, quam certum est manere etiam in baptizatis, esse verè & propriè peccatum, licet ei non consentiamus, sed repugnemus. 249. b. volunt semper esse in nobis peccatum dignum ex se morte æterna, sed in credentibus fieri veniale, quia Deus non imputat, quod est contra Apostolum. 2. Cor. 6. nam erit conuentio luci ad tenebras. 251. c. existimant baptismum Ioannis fuisse sacramentum. 265. d. probant abrenunciationem sathanæ & pomparum eius. 279. b. hoc tempore maximia ex parte sunt Ubiquitarij. 125. a. veteres opponebant solam fidem sacramentis. 73. c. molles quando cœperunt. 186 c
Lutheranorum sententiæ de fide paruulorum. 240. d. 241. a. b. c. errores de sanctissimo eucharistiæ sacramento. 524. b. errores de Contritione. 916 c.
Lutherus non requirit confessionem integram. 3. d. non negat sacramentum absolutionis. 3. d. negat esse sacramenta, ea quæ ab omnibus veteribus dicuntur sacramenta, vt lotiones Iudaicas, agnum paschalem, sacrificia, &c. vult autem esse sacramenta, quæ à nemine sunt vocata sacramenta, vt Iridem, vellus Gedeonis, vmbram horologij Achaz &c. 6. b. combussit ius canonicum. 6 b. abhorruit à nomine sacramenti. 13. c. approbat nomen sacramenti. 14 a. falsus est, negans sacramenti nomen in scripturis significare signum rei sacræ seu secretæ. 16. a. asserit infantes actu credere, dum baptizantur. 37. b. putat eum qui non credit verbo ministri dicentis, Ego te baptizo, vel Ego te absoluo facere Deũ mendacem. 37. b. c. errorem suum retractauit 65. d. docuit omnes esse sacramentorum ministros, non solum homines, sed etiam dæmones. 76. a. putat publicum ministrum non differre à cæteris potestate vel dignitate aliqua, sed solo vsu potestatis, & ministrum posse fieri laicum. 77. b. contendit omnes Christianos esse æquè sacerdotes. 80. c. primus docuit non requiri intentionem in ministro sacramenti. 91. a. inconstans in sacramentorum numero. 167 c. existimauit filem quæ est in eo qui peccat, efficere vt nulla illi imputentur peccata. 253. c. in suo Catechismo voluit pingi signum crucis in fronte, & pectore baptizandi. 2 9. b. nunquam apertè docuit hæresim sacramentariorum, quin potius aceruinè illi restitit aliquando, tamen huius erroris iecit vt etiam Anabaptismi. 332. a. in lib. de eucharistia ad Vvaldenses negat eucharistiam adorandam, & in dubium reuocat an cum corpore sit etiam anima & diuinitas in eucharistia. 332. c. non erubuit confiteri se à diabolo edoctum, & persuasum, missam esse summam abominationem. 691. d. apertè dicit se esse solum contra orbem terrarum. 747. b. cap. de pœnitentia, scribit confessionem secretam quæ modò celebratur, sibi valde placere, & esse vtilem, vel potiùs necessariam. 975 c. contemnit sanctos patres. 120. a. 732. c. secum ipse pugnat. 7. a. 76. a. d. 84. d. 85. a. 108. c. 146. b. vide *Christus quamuis. Opera hominum.*
Lutheri de communione sub vtraque specie sunt 36. contradictiones. 623. a. paradoxa. 622. a. b. c
Lutheri mendacium. 541. b. 668. d. 846. d. Mendacia. 749. d. 750. a. 844. c. 845. a. b c. 1106. b. supra octingenta in duobus libellis ipsius. 4. b
Lux & tenebræ non simul habitant. 251. b
Lucem solis fuisse creatam prima die docet D. Basil. & manifeste absque fede & vehiculo tribus diebus, & die quarto fuisse creatum corpus solare, in quo posita fuit hæc lux. 562. a
Lyrani expositio refutatur. 47. b. c

M

MAgdeburgenſium mendacium impudens. 596. d
Magia omnis pendet ex pacto diaboli. 64. c
Magica incantatio, propriè est ex pacto cum diabolo inito, adhibere figuras, aut verba ad certas res efficiendas. 64. a. verba, & signa, non habent vllam vim, sed solus diabolus operatur ad eorum præsentiam. 65. a
Magister sententiarum præfertur hæreticis. 5. b
Mahuzim Deus, est Lutheranorũ idolum non autem catholicorum. 678 a
Manasse, quo in regibus Iuda peiorem non facilè reperies, veniam impetrauit. 2. Paral. cap. 33. 960. c
Mandatum non hominum, sed Dei est, vt qui peccauit, pœnitentiam agat. 1041. a. euangelicum de peccatis remittendis gratis, id est nulla satisfactione imposita, in quatuor euangelistarum voluminibus non reperitur. 1069. a
Mandatum nullum sine charitate seruare possumus, nisi secundum substantiam operis. 955. d
Mandata hominum sunt, quæ nihil habent nisi humanum. 197. a
Mandata Domini appellat Apostolus, quæ eius inspiratione erant data. 196. c. Dei qui impossibilia esse asserit, blasphemat. 259. b
Mandatorum obseruatio est sufficiens medium ad salutem. 955. d
Manducatio Christi per fidem est res omnium temporum. 347. c. vera non est in apprehensione Christi per fidem. 351. a non requirit attritionem, verum sumptionem, & transmissionem ab ore ad stomachum per instrumenta naturalia, id est linguam & palatum. 36 .c
Manichæi reiecerunt baptismum. 2. a. negarunt baptismum in aqua adhibendum. 204. c. non arbitrabantur Christum esse vnum hominem, sed lucem quandam expansam per Solem, Lunam, & omnia alia loca. 492. d. dicebant crucifixum à Pilato fuisse phantasma, non verum hominem. 492. d. nunquã communicabant nisi sub specie panis. 650. b
Manna non erat sacramentum, sed figura sacramenti. 22 d. figura eucharistiæ, verè recreabat corpora Israëlitarum, & non erat testimonium vel sigillum. 124 d. non fuit cæremonia. 151. d. vocatur cibus spiritualis, non propter effectum, sed propter significationem & causam. 153. b. non dicitur panis Angelorum, quia eo vescuntur Angeli, sed quia eum fecerunt Angeli. 153. b. non erat reuera panis cælestis sed terrenus, licet de cælo, id est ex aëre descenderit. 153. d. non fuit Iudæorum cibus spiritualis, quo ad effectum, vt est eucharistia, qui enim manna manducauerunt, mortui sunt. 153. d. non fuit sacramentum. 266. d. fuit res multo præstantior quàm eucharistia, si ea verè non continet corpus Domini. 34. d. melius Christum significabat quàm panis, quia erat è cælo, habens omnem saporem, & æqua mensura ab omnibus sumebatur, licet diuersa esse videretur. 343. a. non comparatur Ioan. 6. cum corpore Christi vt sumitur sola fide, sed vt sumitur in sacramento. 348. b. erat corpus Domini tropicè, idest significatiuè. 417. d. fuit memoriale mirabilium, quæ in deserto Hebræis contigerunt. 786. a
Manna comederunt homines & iumenta etiam volente Deo, quare non fuit sacramentum. 152. a. fuisse figuram eucharistiæ patet ex verbis Domini Ioan. 6. *Patres vestri manducauerũt manna, &c.* 342. b
Manna, & aquam quæ fluxit ex petra, Apostolus 1. Cor. 10. confert cum eucharistia. 361. a. sumebant promiscuè boni & mali, & tamen non dicebantur vlli rei corporis Domini. 380. b
Mannæ cum eucharistia magna est similitudo. 342. c
Manus impositio cum exorcismo præcedere debet baptismi regenerationem. 283. a. cum oratione est medium quo applicatur promissio de mittendo spiritu sancto, vt patet ex effectu. 289. c. adhibita fuit, non solùm ad ordandum, sed etiam ad ordinandum. 1104. c. fuit in ordinatione Timothei instrumentum gratiæ conferendæ. 1106. b ad essentiam sacramenti ordinis pertinet. 1115. d. in confirmatione est de essentia, quia per illam signan ur Christmate frontes fidelium. 1116. b. quæ fiebat in reconciliatione pœnitentium repeti potest. 299. a
Manus impositionis nomine, D. Aug. intelligit ordinationem & reconciliationem. 876. a. impositioni in ordinatione, gratia est alligata. 1106. a. impositionem, pro symbolo externo ordinationis scripturę passim tradunt. 1116. a. impositione veteres, dicunt sacerdotes ordinari. 1110. d
Manus imposuit Ananias Paulo Act. 9. ad depellendam cæcitatem corporalẽ, non ad dandum spiritum sanctum: vnde & ante baptismum facta est. 291. c. vide *Verbum*, & *Sacramentum*, & *fides*.
Manuum impositio ad essentiam sacramenti pœnitentiæ non pertinet. 893 c. impositionẽ Concil. 4 Carthag. Can. 78. accipit ꝓ ipsa pœnitẽtiæ actione in qua frequenter manus imponebantur. 894. a. eleuatio est naturalis cæremonia, & exemplum habet in diuinis literis. 806. a
Marcionista quidam maluit faciem suam proprio spuro quàm aqua abluere, ne videretur indigere creatore. 205. a
Marcionistæ putarunt aquam esse opus diaboli. 205. a
Marcosij corruperunt formã baptismi. 3. a
Marcus non scripsit euangelium, vt Matthæo aliquid adderet. 1177. b
Mare rubrum figura baptismi, vt verè demersit Ægyptios, & liberauit Israëlitas, ita baptismus verè delet peccata & saluat animas. 114. c
B. Mariæ nihil profuisset Christum corpore concipere & parere, nisi etiam mente, per fidem & charitatem eundem concepisset. 510. a. non fuit facta potestas inquit Epiphan. confecrandi eucharistiam. 620. d
Mariæ obsequium in Christo vngendo non fuit solius honoris, sed etiam & immodi & vtilitatis, nam id fecit ad reconcillanda Christi membra ex laboribus fatigata. 392. d
Maritis non debet videri durum, culpis vxorum ignoscere. 1183. c
Martyr potest esse aliquis, qui non tam propter Dei charitatem, quàm metu gehennæ, vel spe cælestis præmij vitam suam ponere decreuit. 221. b. vetus non potuit mori sine charitate, cum vi ipsius martyrij ex pacto & priuilegio Dei infusa detur ei gratia, & proinde charitas. 221. a. per eãs animã suam inuenit eam 223. b
Martyris mors ex genere suo est actus fortitudinis. 689.
Martyres etiamsi non haberent vnum gradum charitatis, tamen hoc ipso quòd sunt martyres habẽt indulgentiam omnium pœnarum. 221. a. ceeperũt publicè inuocari, & eorum nominibus dies festi colebãtur, & basilicæ ædificabãtur, ab initio planè ecclesiæ 820. c. non in Liturgiis, sed in lectionibus & cõcionibus apud veteres prædicabãtur. 847. a. vide *ecclesia*.
Martyrum passio ex se non habet vim iustificandi, sed ex pacto & promissione Christi. 221. c. passiones, sacrificia possunt dici largo modo, non autem propriè & in rigore. 1. 89. a. orationibus inquit D. Augustl. propitiari Deũm peccatis populi sui. 781. a
Martyribus omnia peccata remittuntur. 210. d

Martyrium iudicio bb. Cypr. & Auguſt. iuſtificat eo modo quo baptiſmus. 219.a.
eſt quoddam baptiſma. 219.b. eſt baptiſmus vt ait D. Cypr. præſtantior baptiſmo aquæ. 219.b. eſt mortis Domini configuratio nobilior, cùm ſit realis, quàm eſt configuratio baptiſmi aquæ, quæ eſt ſacramentalis. 219.d. conuenit cum baptiſmo aquæ in tribus effectibus. 219.d. vt habet probabilior ſententia, ex opere operato confert primam gratiam. 220.a. ex pacto & inſtitutione Chriſti confert gratiam. 221.a. nihil proderet. ſi martyr de hac vita decederet ſine charitate. 222.a. non eſt ſacramentum. 223.c. concurrit ad iuſtificationem diſpoſitiuè tantùm. 223. d. non eſt actio Dei per ſuum miniſtrum, ſed actio diaboli per ſuum ſatellitem. 223.d
vide *Deus*.
Materia dicitur priuata cum habet diſpoſitionem ad formam. 514.c
Materiæ nihil mundo deperit ex tot panum conſecratione: cum Deus in corruptione ſpecierum nouam ſubſtituit materiam. 561.a
Materiam conſecratam non habent pœnitentia & matrimonium. 179.b
Matrimonium à quibus reiectum. 3.a. eſt D. Auguſtino ſacramentum. 172.d. eſt verè ſacramentum. 9.d. non eſt ſacramentum niſi in eccleſia. 1125.c. non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam contractus ciuilis. 1141.d. ſolum Chriſtianorum eſt Sacramentum. 1132. d. quia apud Chriſtianos eſt Sacramentum, ideo poteſtas conſtituendi impedimenta matrimonij, maximè ad Principem eccleſiaſticum pertinet. 1213.b. cùm ſit ſacramentum, leges de eo non ſunt merè politicæ, ſed etiam ſpirituales. 1148.c. etiamſi non eſſet ſacramentum, tamen quia res eſt conſcientiæ, ex legibus diuinis pendens, ad paſtores animarum pertineret de eo exortas controuerſias dirimere. 1154.b. eſt ſignum coniunctionis Chriſti cum eccleſia. 14.d. fit ſolo conſenſu ita vt non ſit neceſſarius conſenſus parentum. 52. b. neceſſarium eſt ad bene eſſe, non ſingulis hominibus, ſed eccleſiæ in vniuerſum. 71.c. confert gratiam. 172.d. requirit verba vel nutus qui ab vtraque parte intelliguntur. 193.d. requirit conſenſum libertinum contrahentium. 1202. c. requirit miniſtrum eccleſiaſticum, qui conſenſum coniugum exquirat, & eundem approbet, & declaret, & benedictione ſacerdotali confirmet. 1145. c. nihil requirit quod extrinſecus applicetur, quia in contractu quodam à Deo eſt conſtitum. 1140. c. eſt ſignum rei ſacræ, & proinde non eſt ſolùm ciuilis contractus, ſed etiam myſterium quoddam, & ſacramentum. Epheſ 5. *Sacramentum hoc magnum, &c.* 1132. d. ſi conſideretur vt eſt in remedium contra fornicationem, ægrè poteſt reddi ratio, cur non poterit vxor perpetuo morbo laborans, dimitti, aut cur non poterit alia duci. 1129.c. ſi conſideretur vt officium naturæ ad propagandam ſobolem, ægrè poteſt reddi ratio, cur ob ſterilitatem coniugis non liceat eam dimittere aut aliam ducere. 1129.c. eſt inſolubile, quia ſignificat diuina inſtitutione, inſolubilem coniunctionem Chriſti & eccleſiæ. 1129.c. ex iure naturæ habet quandam inſolubilitatem, non tamen tantam, quin aliquando ratio dictet expedire, vt ſoluatur accedente præſertim diuina diſpenſatione. 1129.c. ab exordio eccleſiæ inter res ſacras eſt habitum, & inter ſacrorum ſolennia per Sacerdotum miniſterium celebrari ſolitum. 1130.d. fuit ab initio mundi, & nunc etiam eſt apud infideles, vt contractus ciuilis, & in officium naturæ, ſed non fuit, nec eſt verum Sacramentum, niſi apud Chriſtianos. 1133. d. non eget alio miniſtro præter ipſos contrahentes, & inter abſentes, ac per procuratorem celebrari poteſt. 1140.d. ſi conſideretur dum fit, tota eius eſſentia in ſignis exprimentibus conſenſum mutuum, conſiſtit. 1144.b. ex ſe, res eſt naturalis & ciuilis, tamen ex adiuncta ſignificatione, & efficientia gratiæ planè ſacrum eſt. 1149.d. cum pluribus vxoribus, poſita diſpenſatione diuina, non erat contra legem, imò erat ſecundum legem Moſis ſcriptam. 1166.a. conſummatum inter fideles ſolui poteſt quoad thorum & cohabitationem, ex mutuo conſenſu, & ſine conſenſu mutuo ob triplex crimen. 1170.c. aliud viuo coniuge ſi eſſet licitum, iniuria afficeretur proles. 1184.b. inter filios celebrari non poteſt ſolo conſenſu parentum, & ideo non poteſt pater filium ad coniugium cogere. 1199. d. vt firmum, & ratum ſit, ſufficit ſolus contrahentium conſenſus. 1200. b. non debet inſciis aut inuitis parentibus contrahi, & malè faciunt, qui ita contrahunt. 1204.a. non ſolùm vt Sacramentum eſt ratum, ſed etiam vt ciuilis contractus, licet contra præceptum patris contrahatur. 1205.a. vt ſit verum & ratum, non requirit alia media, præter coniugum libertum conſenſum. 1206. ſi eſſet ſolum contractus ciuilis, poſſent politici Principes impedimenta conſtituere, perſonas legitimas, vel illegitimas efficiendo. 1213.a. non eſt ſemper irritum, cùm quis ducit eam quam polluerat per adulterium, ſed ſolùm in tribus caſibus. 1214. a. inter fidelem, & infidelem non eſt irritum iure diuino, naturali, vel poſitiuo, vel certa aliqua lege eccleſiæ. 1217.a inter fidelem, & infidelem non baptizatum, irritum eſt ex more populi Chriſtiani, non legis obtinente. 1218.c. cum vxore fractis defuncti non prohibetur in Leuitico, niſi accipiendo tale coniugium nudè & ſolitariè, quemadmodum accipitur homicidium in Decalogo, cùm dicitur, *Non occides*. 1237.d. legitimum & conſummatum, ante baptiſmum contractum poteſt diſſolui. 1129. d. nullum legitimum inter Chriſtianos celebratur, quin id continuò ſit verum eccleſiæ Sacramentum. 1146.c. initio inſtitutum excludit polygamiam multarum vxorum ſimul. 1158.c. clandeſtinum in Concilio Trident. ſeſſ. 24. non ſolum prohibitum eſt, ſed etiam planè irritum, ac illegitimum redditum. 1151.c.
Matrimonium fidelis cum infideli eſt legitimum. 215. b. multa adfert incommoda atque damna. 1216.d. 1217.a
Matrimonium fidelium ſignum eſt conctionis Chriſti cum eccleſia. 1184.a
Matrimonium infidelium non eſt ratum, quia non eſt Sacramentum. 1141.b. eſſe poteſt verum, & legitimum, ſed non ratum, nec omninò inſolubile. 1143.b. ſolubile eſt, etiam quoad vinculum ſi alter coniugum conuertatur ad fidem, & alter nolit ei cohabitare ſine iniuria creatoris. 1. Cor. 7. 1168.d. ſi alter coniugum conuertatur ad fidem, dirimitur non ab homine, ſed à Deo, cuius interpretem habemus Apoſtolum Paulum. 1168.d
Matrimonium Chriſtianorum eſt vnius tantum cum vna, & omnino inſolubile, quare eſt ſacramentum conferens gratiam, ac propriè dictum. 1129.b. ſi gratiam coniunctam non haberet, lex noua propter inſolubilitatē matrimonij eſſet durior veteri lege. 1130.a
Matrimonium Chriſtianum non minùs ad placitum, & ex diuina inſtitutione ſignificat, quàm alia ſacramenta. 1139.d
Matrimonium dirimit homicidium ſine adulterio in vno tantùm caſu. 1214.c. recipiunt hæretici, verùm non pro Sacramento. 3.d. Deo non eſſe, proinde nec ſacramentum eſſe docuerunt hæretici aliqui. 1121. a. b. ab Apoſtolo Epheſ 5. appellari ſignum ſiue ſymbolum, aſſerũt antiqui auctores. 11. 3.b.c.d. non poſſe diſſolui, Chriſtus Matth. 19. concludit ex verbis illis Adami, *Reliquet homo patrem, &c.* 1125. b. Apoſtolus 1. Cor. 7. vocat Dei donum. 1126 d. legitimum, nuſquam Catholici, pollutionem aut immunditiem vocant. 1134.d. legitimum in foro exteriore eccleſia non iudicat niſi teſtibus probari poſſit, vt habet Euaristus epiſt. tametſi ſciat in foro conſcientiæ, eſſe veriſſimum matrimonium, ſi vtriuſque coniugis conſenſus interuenerit. 1154. c. Chriſtus Dominus Matth. 19 reuocat ad primam inſtitutionem quæ fuit vnius cum vna, ac vult eam deinceps valere. 1158.b. initio inſtituerunt excludere Polygamiam docent Patres. 1158. d. inſolubile eſſe quoad vinculum docuerunt omnium ætatum patres. 1182.c.d. 1183. impediunt & dirimunt, quæ ipſi eſſentiæ matrimonij contraria ſunt. 1197. b. impediunt & non dirimunt ea quæ non aduerſantur eſſentiæ matrimonij ſed ſolennitati, aut ornamento alicui accidentario. 1197. b. contractum impedimenta dicuntur dirimere, quòd matrimonium de facto, non de iure contractum, irritum reddunt. 1197. b.
quæ impediunt contrahendum & dirimunt contractum, his verſibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Hæc ſociandа vetant connubia, facta retractant.

contrahendum quæ impediunt, ſed non dirimunt cõtractum, his verſiculis continentur:

Eccleſiæ veritum, nec non tempus feriarũ,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

1198.c. nouum incuntes poſt diuortium ſuperſtite coniuge, Concilium Mileuitanum puniri cupit Legibus Imperatoriis. 1192. c. eſſe irritum ſi iniuſſu parentum fiat, ius naturæ non docet. 1106. b. non dirimit cultus diſparitas ob certam aliquam legem eccleſiaſticam. 1218. b. vt fidelis contrahat cum infideli, ſi cauſſa poſtulat, ſummus Pont. permittere poteſt. 1219. a. inire cum fœminis gentilibus quæ ad fidem conuertebantur, ſemper fuit licitum. 1219.c. prohibuit Moſes in duobus gradibus conſanguinitatis & affinitatis: nimirum in primo & ſecundo. Leuit. 18. 1222.b. vt cupiant aliqui inire in gradu quinto, aut vltériore, in linea recta, vix contingere poteſt. 1222.d. cum ſorore germana non permiſit Martinus V. vt mentitur Beza, ſed cum ſorore eius quam antè cognouerat per fornicationem. 1227. d. contrahere cum cognata eſt turpe. 1238.c. in eccleſia confirmari obiatione docet Tertullianus lib. 2. ad vxorem. 1256.c. eſſe ſacramentum, noſtri temporis hæretici negant. 1121.c. eſſe ſacramentum, aſſerunt Patres. 1117.
diuinum eſſe ſacramentum, aſſerunt Græci. 1131. a.
Matrimonij inſolubilitas in vnis nuptiis, non poteſt referri in cauſam primariam, & certiſſimam, niſi in ſignum coniunctionis Chriſti cum eccleſia. 1129.b. actus continet turpitudinem aliquam & immunditiem ratione concupiſcentiæ, & rebellionis membrorum. 1115. a. vinculum non ſoluitur propter hæreſim. 1169. d. conſummati ſolutio quoad thorum, & cohabitationem, manente vinculo coniugali, propriè dicitur diuortium à Theologis. 1170.a. inter fideles contracti & conſummati, vinculum adeo eſt inſolubile, vt neque cauſſa fornicationis dirimi poſſit. 1176.b.

celebrationem per verba de præſenti, & etiam conſummationem non interdici ab eccleſia in aduentu, & quadrageſima. 1153. a. cæremoniæ ſunt variæ. 1255. c. duo ſunt impedimentorum genera. 1197. a. impedimenta omnia, reuocanda ſunt ad conſenſum coniugum, vel ad perſonas contrahentes. 1197. c. impedimenta quæ perſonam inhabilem reddunt ad matrimonium cum certa perſona, ſunt crimen, cultus diſparitas, & cognatio. 1213. d. eſſentia non requirit conſenſum parentum. 1139. d. eſſentiam non mutat eccleſia: quia illegitimas facit perſonas ad matrimonium. 1212. c. eſſentialia, eccleſia nullo modo mutat nec mutare poteſt. 1141. c. miniſter neceſſariò requiſitus, eſt vterque coniunx. 1147. a. miniſter eſt vterque coniunx. 1206. a. miniſtri ſunt ipſi contrahentes, quia conſtituit in contractu mutuo duorum. 79. c. miniſtri proprij ſunt ipſi coniuges. 1145. c. cauſſa ſunt verba illa, ego te accipio in meam, ſed non ſunt ipſa, matrimonium. 1152. c. cauſſa efficiens eſt conſenſus contrahentium, forma verò eius, ſunt ſigna exprimentia conſenſum. 1197. c. materia, non eſt coniunctio viri & mulieris cuiuſcunque, ſed coniunctio legitimarum perſonarum. 1142. b. materia, non ſolum citra quam, ſed etiam ex qua ſacramentum matrimonij conſtat, ſunt perſonæ contrahentes. 1144. d. materiam aliqui putant eſſe perſonas contrahentes 29. d. materiam & formam non expreſſit Dominus, quia non nouum ſymbolum inſtituit, ſed humanum, vſitatúmque contractum euexit ad Sacramenti dignitatem. 1145. d. forma poſſunt eſſe nutus aut litteræ, modò ſufficienter exprimatur conſenſus vtriuſque partis. 52. a. b. forma ſunt verba vnius coniugis, & eiuſdem matrimonij materia, ſunt verba alterius coniugis. 1144. c. forma, conſenſu omnium Theologorum, Cano excepto, ſunt verba, vel ſigna mutuum conſenſum exprimentia. 1145. a. forma non eſt benedictio ſacerdotalis, ſed ipſa coniugum verba. 1147. a. finis eſt duplex, nimirum propagatio ſobolis, & remedium contra peccatum fornicationis. 1130. a. quatuor ſunt fines, primarius eſt ſuſceptio & educatio prolis. 1160. d. 1161. a. b. c
Matrimonij ſacramentum quantum ad partes eſſentiales, inuenitur in contractu per verba de præſenti. 1136. b. quod ad eius eſſentiam attinet, tunc propriè miniſtrantur, cùm coniuges per verba de præſenti matrimonium contrahunt. 1137. c. nihil aliud requirit eſſentialiter, niſi conſenſum ſigno expreſſum inter legitimas perſonas. 1197. c. propriè efficiunt ipſi coniuges. 1145. d.
Matrimonij Chriſtiani quatuor bona enumerat Apoſtolus 1. Timot. 2. contra quatuor mala, quæ ſine gratia Dei in matrimonio euitari non poſſunt. 1126. d
Matrimonio non magis conuenire ſacramenti rationem, quàm agriculturæ, aut tonſtrinæ, aut ſutoriæ arti, aſſerit Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 19 §. 34. 1121. c. addita eſt gratia à Chriſto Domino, quæ naturalem coniugum amorem perficeret. 1147. b. inter ſacramenta id peculiare eſt, vt forma ſint tam verba propriè dicta, quàm etiam impropriè, vt nutus. 1152. b. repugnat vt vnius viri plures ſint coniuges. 1161. d. Chriſtianorum intrinſecus eſt, Hebræorum verò matrimonio extrinſecus finis fuit, inſtituere filios in fide, & religione Dei. 1133. b
Matrimonia qui ſæpe contrahunt, ob ſignum incontinentiæ notabantur aliqua pœnitentia. 1156. c. ab infidelibus contracta in gradibus ab eccleſia prohibitis, ſunt legitima, nec dirimuntur cùm illi veniunt ad fidem. 1165. d. Græci hoc tempore diſſoluunt, & coniugibus alia matrimonia ineundi poteſtatem faciunt in caſu adulterij. 1174. c. qui inſciis vel inuitis parentibus ſine iuſta & rationabili cauſſa contrahunt filij, peccant. 1201. d. clandeſtina, quamdiu ab eccleſia irrita non erant, fuerunt vera matrimonia. 1203 b. iungere cum infidelibus aut hæreticis, non licet fidelibus. 1215. 1216. aliqua in omni lege fuerunt inter coniuges, in religione inter ſe diſſidentes. 1217. d. cum hæreticis irrita non ſunt, quia ſacramenta eſſe poſſunt ratione præcedentis baptiſmi in vtroque coniuge. 1219. a. dirimunt cognatio ſpiritualis & publica honeſtas intra primum gradum tantùm. 1223. b. ſi inter propinquos contraherentur, periret fructus propagandæ neceſſitudinis. 1248 a. inter conſobrinos lex ciuilis permiſit, quam propterea reprehendit Gregor. & Gregorij lex in eccleſia robur obtinuit. 1255. a. chriſtianorum legitimè contracta, & conſummata, quòd per vllam diſpenſationem ſoluantur, aut multiplicentur, etiamſi abſque vllo miniſterio ſacerdotum celebrata ſint, eſt inauditum. 1148. c. fidelium cum infidelibus non baptizatis, non ſolùm ſunt illicita, ſed etiam irrita, cum hæreticis autem baptizatis, illicita ſunt, non tamen irrita. 1215. b. infidelium etiam legitima, & cõſummata ſolui poſſunt per conuerſionem alterius coniugis ad fidem. 1148. b
Matthias ante conſecrationem cum aliis Apoſtolis in Canone non nominatur. 814. d
Mediator per modum redemptionis, eſt ſolus Chriſtus. 741. b
Mediatores & intereceſſores multi ſunt per modum deprecationis. 741. b
Medium ad recipiendam plenitudinem Spiritus ſancti, non fuerunt Baptiſmus & Euchariſtia, vt nugatur Kemnicius. 252. b
Melanchthon ſecum ipſe pugnat. 7. c
Melanchthonis mendacia. 7. b. & ſequent. 848. 849. 1069. c
Melchiſedech an dederit Abrahæ panem comedendum, & vinum bibendum non conſtat, ſcriptura enim id apertè non dicit. 648. a. panem & vinum ad honorem Dei conſumpſit. 685. d. in cæremonia panis & vini fuit figura Chriſti ſacramentum euchariſtiæ inſtituentis in pane & vino. 693. b. primum obtulit panem & vinum Deo, & deinde ea dedit hominibus vt de ſacrificio participarent. 694. d. non vt ſacerdos, vel quia ſacerdos erat, benedixit Abrahæ, ſed quia maior ſacerdos, vel quia abſolutè maior erat, cùm & Rex & ſacerdos eſſet. 695. d. benedicens Aaroni in Abrahamo, oſtendit ſe maiorem Aarone, à quo in Abrahamo accepit decimas. 699. d. vtebatur ſolo incruento, puro, ac ſimplici ſacrificio. 701. c
Membra probantur eſſe eiuſdem corporis, ſi ab eodem cibo alantur. 112. d Chriſti ſumus, quia per euchariſtiam ipſum Dei filium ſuſcipimus. 470. a. viua Chriſti & eccleſiæ non ſunt, qui ſunt in peccato mortali. 616. a
Menſa Domini eſt quoddam altare. 729. d. euchariſtiæ, eſt altare erectum ad ſacrificandum. 731. c
Menſæ nomine Apoſtolus 1. Cor. 10. intelligit menſam in qua immolabatur idolis, ex qua qui ſumebant cibum, cenſebantur idololatræ. 731. b
Menſes Hebræi numerant à nouilunio. 584. a
Mendacia & calumniæ hæreticorum. 4. a. Melanchthonis. 7. b. & ſequent. Lutheri. 4 a b. & ſequent. ſupra octingenta collecta ex duobus libellis Lutheri. 4 b
Mendax & falſarius dicitur qui corrumpit Dei verba, aut præcepta: non autem qui nouam cæremoniam inſtituit, quæ nihil officit cæremoniis Dei. 199. d
Meritorium vitæ æternæ non eſt, quod non ſit ex charitate, tamen verum, ſincerum, & vtile eſſe poteſt. 973. a
Meritum pendet à bonitate miniſtri. 9. b. ex condigno, & ſimpliciter, non præcedit iuſtificandum, ſed ſequitur iuſtificatum. 948 a. paſſionis Chriſti Chriſtianis applicatur per ſacramenta, Hebræis autem applicabatur per ſolam fidem. 139 a. quod patres agnoſcunt ante remiſſionem peccatorum, non eſt meritum ex condigno, ſed ex congruo, neque illi merces ex iuſtitia, ſed ex benignitate reſpondet. 948. a
Merita vnius non poſſunt conferre alteri primam gratiam certò & infallibiliter. 151. a
Meſſio, vide *Cæremonia trina*.
Meſſaliani ſpoliabant ſacramenta virtute & efficientia. 1. b. profitebantur ſe poſſe ſuis precibus ſine ſacramentis iuſtificare homines. 2. a. docebant homines non iuſtificari ſacramentis, ſed ſolis precibus. 107. b. peccata dimittebant nulla habita ratione pœnitentiæ, & canonum eccleſiæ. 975. b
Μέσσιαι, ſi etymologiam inſpicias, nihil eſt aliud niſi pòſt ſapere. 932. b
Μεσσόνυκτα Matth. 11. & Luc 10. nihil aliud ſignificare poteſt, niſi, corde ſimul & corpore auerſari peccata præterita, & vindictam de illis à ſemet repetere. 865. a
Μεσάνυκτα vox à Græcis & Latinis accipitur non pro ſola reſipiſcentia, ſed etiam pro deteſtatione præteritæ culpæ, & vindictæ, quam quis de ſe ob eam culpam expetit. 865. c
Metanœam latinè reddi poſſe reſipiſcentiam ſcribit Lactantius. 865. d
Miniſter non eſt præcipuus auctor in baptiſmo, ſed Chriſtus. 88. a. intendens facere quod facit eccleſia Geneuenſis, & intendens non facere quod facit eccleſia Romana, verè confert baptiſmum. 91. d. cum intendit non verè conferre ſacramentum, ſed illudere, & decipere, non confert ſacramentum, quamuis verba ſacramentalia proferat, & materiam adhibeat. 96 c. in matrimonio non diſtinguitur à ſuſcipiente ſacramentum. 1150. a. ſacramentorum non eſt Angelus, ſiue bonus ſiue malus. 78. b. ſacramentorum operatur virtute & auctoritate diuina. 88. a
Miniſtri intentio an ſit neceſſaria ad ſacramenti perfectionem. 90. d. error circa eccleſiam non tollit efficaciam ſacramenti, ſed defectus intentionis. 92. a. diuerſitas facit diuerſitatem ſacramenti. 889. d
Miniſtri ſacramentorum quænam debeant eſſe qualitates. 84. d. 85. a. poteſtas & voluntas ſunt cauſſæ remotæ iuſtificationis quæ fit per ſacramenta. 103 d
Miniſtri, ſi baptizarent ſua virtute, eſſent diuerſa baptiſmata, alia aliis meliora pro diuerſitate meritorum, & excellentiæ baptizantium. 88. a
Miniſtro Deus non aufert datam poteſtatem ob eius peccatum aut infidelitatem. 88. a
Miniſtros catholicos malos Cyprianus diſtinguit ab hæreticis. 11. c
Miniſterium quod Act. 13. legimus Domino exhibitum, non videtur aliud eſſe potuiſſe, quàm ſacrificium miſſæ. 728 d. verbi aut ſacramentorum non exhibetur Deo, ſed populo. 729. a
Miniſterium eccleſiaſticum hæretici noſtri temporis volunt eſſe ſimplex officium, quod poſſit dari & auferri. 1118 b
Miniſtrare Domino non ineptè dici poteſt, qui concionatur, item qui euchariſtiæ vel baptiſmi ſacramentum diſpenſat. 536 c
Minus, Geneſius nomine, verè fuit baptizatus à preſbytero. 97. a

Miraculum fuit quod Christus Dominus, corpus suum solidum, per aliud solidum introduxerit. 499.d. nullum est in pane cõmuni significante corpus Christi, neque in apprehensione & manducatione Christi per fidem. 350.d

Miracula non pendent à verbo. 46.c. non semper necessariò pendent à fide. 1094.b. ex se vim habent, cum sint supra naturam, quare rectè adhibentur ad probandum Deum esse qui promisit. 46.c. initio ecclesiæ erant necessaria ad fidem plantandã & nutriendam. 292.c. septem narrantur edita in confirmationem catholicæ doctrinæ de sanctissimo sacramento. 516. cum sint opera planè diuina, non dicuntur actus nostri. 990.b. sæpè operatur sola Christi inuocatio. 1094.b. vide *Confirmationis sacramentum*.

Miraculorum virtus non potest alligari certæ alicui rei. 1091.d.

Miraculis confirmatur auctoritas proponentis fidem. 34.d. non confirmatur diuina auctoritas. 34.d

Misericordiæ opponitur iudicium & pœna. 1081.b

Missa vox est Latina, & à Latinis primum vsurpata in celebratione mysterij eucharistiæ. 679.a. dicta est à missione, seu dimissione populi, vt idẽ sit missa quod missio. 680.a. omnis, est publica. 8.a. priuata, an sit vlla. 8.a. à patribus appellatur ineruentalatria. 636.d. testimonio aduersariorum pro sacrificio haberi cœpit in ecclesia ab annis vt minimum mille. 747.a. semper fuit eadem apud Latinos. 747.c. non potest euertere crucem, cum nihil fermè sit aliud, nisi continua commemoratio crucis. 751.d. non est noua testamenti Christi institutio, sed est repetitio illius eiusdem, quod Christus aliquando fecit, & sua morte confirmauit. 754.a. aliud nihil est, nisi frequentatio eius rei quam Christus moriturus frequentari mandauit. 756.c. offerri potest pro peccatis, pro pœnis, & pro quibuscunque aliis necessitatibus. 763.b. cum dicitur vim habere ex opere operantis, semper intelligitur de valore, quem habet ex bonitate ministri, quia ipse est qui propriè operatur. 769.d. non potest offerri pro iis qui sunt in gehenna. 772.a. saltem indirectè prodest viuentibus, extra ecclesiam, & pro iis etiam indirectè offerri potest. 772.b. in antiqua ecclesia offerebatur pro Principibus & Regibus infidelibus. 772.c. dici potest priuata ratione loci temporis, finis, paucitatis eorum qui interstant, item in qua solus sacerdos communicat, & si conferatur cum missa solenni qui in eodem templo, eodem die fit. 873.c.d. 784.785.786. si applicetur vni particulari, sic tamen vt non excludantur cæteri, priuata missa dici poterit, & erit, si comparetur ad alias, quæ nulli particulari applicantur. 784.c. omnis offertur à ministro publico, & publico nomine pro tota ecclesia, tum quæ in terris, tum quæ in cælis, vel in purgatorio est. 784.c. nunquam sic applicatur vni soli homini, vt alij omnes homines excludantur. 784.c. si præcisè accipiatur pro sacrificio, est perfecta & legitima eriam sine communicantibus, modò sacrificium à sacerdote consummatur. 790.c. vtrum dicatur lingua vulgari vel non vulgari impertinens est ad realem oblationem. 793.b. non requirit vt omnia, alta voce pronuncientur. 794.a. nunquam sine lumine debet celebrari, etiamsi in meridie celebretur. 801.d. in quatuor partes diuidi solet. 809.a. fidelium incipit ab oblatione, & in ea sancti directè non inuocantur. 780.a. catholicorum semper est communis toti ecclesiæ. 791.b. catechumenorum non est propriè sacrificium. 780.a. catechumenorum est pars missæ à principio vsque ad offertorium. 809.a

Missa à sacerdote celebrata, teste D. Augustino, domus quædam liberata ab infestatione dæmonum. 8.b

Missa nomine patres intelligunt actionem sacram, & mysticam, & in qua præcipua pars religionis nostræ consisteret. 680.a. intelligitur oblatio corporis, & sanguinis Domini. 681.d.

Missæ vox antiquissima, & vsitatissima est in ecclesia Latina. 677.a. acceptiones sunt quinque apud scriptores ecclesiasticos. 680.a. celebrandæ D. Petrus ecclesiæ Romanæ formam dedit, adiunctis ad verba Domini certis precibus & ritibus. 817.b. celebratio olim appellata est collecta, quia ad eam populus colligebatur. 811.c. celebrationem Græci λειτουργίαν appellãt. 729.b. propria vis & efficientia est impetratio. 769.a. effectus principalis non pendet ex bonitate ministri immediati. 768.a. valor finitus est. 769.d. reuerentia postulat vt non omnia alta voce dicantur. 794.b. præcipuam partem esse secretam testatur Innocentius I. 794.c.

Missæ sacrificium prodest impœnitentibus per modum impetrationis. 105.d. debet habere respectum, quod fuit in typo in sacrificio Melchisedech. 639.a. probatur ex vaticiniis propheratum. 713.b. c.d. 714. probatur ex verbis institutionis. 721.a. est hostia pro peccato, nam per illud applicatur hominibus precium liberationis in cruce persolutum. 753.a. applicat fructum sacrificij crucis. 754.b

Missæ sacrificium in persona Christi principaliter offertur. 758.d. offertur in persona Christi. 762.a. non solum propitiatorium est pro pœnis, sed etiam pro culpis imò mortalibus. 763.a. impetratorium est spiritualium beneficiorum & temporalium. 763.b. est impetratorium omnis generis beneficiorum, ac pro iis ritè offertur. 765.d. est sacrificium applicans promissiones Testamenti noui. 764.b. ex præcepto Apostoli 1. Timot. 2. offerendum est pro temporali pace, & tranquillitate ecclesiæ. 766.a. inquit Prosper, fuit oblatum pro dæmoniaca, & rursus ea curata, iterum oblatum in gratiarum actionem. 766.b. offertur auctore D. Chrys. pro fructibus terræ, próque aliis necessitatib⁹. 766.b. offertur à Christo, ab ecclesia, & à ministro sed non eodem modo. 766.b. habet vim aliquam ex bonitate & deuotione ministri sacrificantis. 767.d. non habet vim solũ aut potissimùm ex opere operãtis, sed etiam ex opere operato. 767.d. non habet vim ex opere operato ad modum sacramentorum. 768.a. non operatur efficienter & immediatè, neque est propriè instrumentum Dei ad iustificandum. 768.a. non iustificat immediatè vt baptismus, & absolutio faciunt, sed donum pœnitentiæ impetrat. 768.b. offerri potest pro iis quos scimus libenter in peccato manere, & pro obduratis, & impœnitentibus. 768.b. iustificat eos pro quibus offertur, non vt caussa proxima, sed donũ contritionis impetrando. 768.b. vim suã habet à sacrificio crucis. 768.b. impetrat vt ex merito sacrificij crucis detur hominibus gratia & donum pœnitentiæ. 768.c. vim habet per modũ impetrationis, & eius propria efficientia est, impetrare. 768.d. propriè solum est impetratorium, quia Christus nunc immortalis, nec mereri nec satisfacere potest. 769.a. præcipuam vim habet vt à Christo summo sacerdote offertur. 769.a. dicitur satisfactorium, quia ex Christi institutione per illud applicatur Christi passio ad pœnas tollendas, quæ post culpam remissam aliquando remanent. 769.b. quamuis non requirat ministri offerentis bonitatem, tamen alicuius offerentis bonitatem necessariò requirit. 769.b. non est res quæ offertur, sed rei illius oblatio. 769.c. vt à Christo offertur, vim habet ex opere operantis, sed infallibiliter, quia placet ex bonitate offerentis Christi, quæ semper est eadem. 769.c. vt offertur ab homine, vim habet ex opere operato, quia placet Deo, etiamsi homo qui offert, Deo non placeat. 769.c. cùm pro peccatoribus offertur, infallibiliter impetrat nouum, ac certum auxilium diuinum, quo peccatores ad pœnitentiam perducãtur. 771.c. omnibus viuentibus prodest. 771.a. offerri potest pro omnibus qui viuunt intra ecclesiã 771.a. pro excommunicatis, & consequenter pro hæreticis directè offerre, ecclesia prohibuit. 773.a. per intentionem sacerdotis applicari potest conuersioni infidelium siue hæreticorum. 773.b. offerri potest pro pagano siue ethnico. 773.b. pro defunctis in purgatorio degentibus ritè offertur. 773.c.d. 774.a. rectè celebratur pro sanctis. 777.c.d. non est per se institutum, tanquam ad finem proprium & præcipuum, ad sanctos honorandos, vel inuocandos. 778.c. est per se institutum ad Deum colendum. 778.c. requirit verba, non vt ipsa sint sacrificium, vel pars sacrificij, sed solum, vt victimæ præsentiam nobis exhibeant. 795.b. celebrari debet præcipuè die dominico. 801.d. est celebrandum horis antemeridianis, & ante omnem cibum, 803.b. non placet Deo sine bono motu ytentis. 837.c. placare potest Deum sine bono motu ministri offerentis, non tamen iustificare ipsum ministrum sine eius bono motu. 817.d. ter offerunt singuli sacerdotes in die natalis Domini ex antiquissima consuetudine. 786.a

Missæ sacrificio impetratur donum pœnitentiæ, quo peccatores mouentur ad sacramenta desideranda, & quærenda, in quibus iustificentur. 771.b

Missæ in quibus solus sacerdos communicat, etiamsi priuatæ dici possent, ratione communicantium sacramentaliter, tamen absolutè, non priuatæ, sed publicæ & communes sunt. 786.b. nunc ordinariè celebrantur ab hora prima, siue ab aurora vsque ad sextam, id est ad meridiem, excepta missa quæ media nocte canitur in natali Domini. 803.b. quotidianæ nullo modo reprehendi possunt. 784.b. publicæ D. Gregorio sunt quibus interest populi multitudo. 785.b

Missam retineri apud Lutheranos fingit Melanchton. 7.c. Lutherani impiè aspernantur. 7.c. quid appellant Lutherani. 7.d. primam Christus Dominus celebrauit in priuata domo. 783.d. tantum vnam vno in loco celebrari non iussit D. Franciscus. 791.c. celebrabant veteres ab hora 3. vsque ad 9. 803.b. celebrare non prohibetur, qui inter abluendum os, aliquas guttas aquæ traiecit ad stomachum. 803.d

Missas celebrabant Apostoli in priuatis domibus, & sancti pontifices tempore persecutionis etiam in cryptis & foraminibus terræ. 783.d

Missale nouum, non est absolutè nouum, sed antiqui emendatio, & restitutio. 817.d

Mœchari omnem, qui dimittit vxorem & aliam ducit domi apud discipulos apertè pronunciauit Dominus. 1179.b. dicitur, qui dimissa priore vxore aliam ducit. 1158.d. super dimissam vxorem, est verè mœchari, cum iniuria addita iniustæ dimissionis. 1159.c

Mœstitia temporis significatur cum in missa non dicitur *Ite missa est*. 838.c

Monachi, qui Deo consecrantur per professionem solennem, iusta caussa, & summi Pont. dispensatione possunt iterum ad seculum redire, vt doctissimi viri censent, & exempla aliqua testantur. 1112.d

Monica virum habuit Paganum teste August. lib. 9. Confess. cap. 9. 1217.d

ignorantia & more patriæ fortasse excusabatur quòd matrimonium contraxerit cum infideli, vel pœnitentia, & lachrymis peccatum illud purgauit. 1219.d

Monogamiæ lex vt speciali inspiratione sancita fuerat à Deo, ita speciali inspiratione opus erat in eius dispensatione. 1167.a

Monogamiam si spectes in matrimonio Christiano, fœmina est par viro. 1160.c. Deus initio instituit. 1162.b. Aristoteles præcipit tum in politicis, tum in œconomicis. 1162.c. non solùm Christiani semper coluerunt, sed etiam Ethnici apud Romanos. 1161.c

Monogamus significat Christum ita esse vnum vnius cõiugis virum, vt nunquam alteram habuerit. 1157.b

Morani impetrarunt à Pont. Romano, vt possent celebrare diuina officia lingua Sclauonica. 194.c

Mors spiritualis est multiplex. 166.d. imminens, seu per martyrium, seu alia ratione non modò non impedit, sed etiã excitat recordationẽ peccatorum. 987.d. quamuis interdum virtutis materia esse possit, tamen non ideò desinit esse pœna peccati. 1036.b

Mors Christi repræsentatur in Eucharistia. 39.c. est sacrificium propriè dictum. 688.d. in missa annunciatur, non tam verbis, quàm oblatione & participatione corporis Domini. 831.d. fuit pretium sufficiens ad omnia peccata mundi totius redimenda, siue sacrificium ad omnia omnium hominum crimina expianda. 1072.c. quæ per se ad omnia peccata abolenda sufficit, nemini prodest, nisi per fidem, & sacramenta, cæteráque instrumenta diuinitus instituta, singulis applicetur. 1072.d

Mors pro Christo, appellatur signaculum martyrij. 48.d

Mortis martyrum finis proprius, non erat Deum placare, sed testimonium veritati præbere. 689.d

Mortis Christi Domini commemoratio per repræsentationem in Eucharistia nõ fit manducando & bibendo, sed conficrando & offerendo Deo eucharistiam. 670.c. repræsentatio consistit in immolatione. 670.c. imitatio, est separatio corporis à sanguine in signis sensibilibus. 670.c. proximus & principalis finis fuit, placare Deum generi humano. 689.d

Mortem æpè infligi in pœnam peccati, etiam post culpam remissam, scripturæ testantur. 1036.a

Moses non instituit sacramenta legis veteris, sed solùm ea promulgauit. 75.b.c. fuit minister testamenti veteris. 82.c. auctore D. Hieronymo fuit in periculo vitæ propter incircuncisionem filij sui, non autem ipse filius. 148.d. cum esset in angustiis maximis, & penè exanimatus, non poterat circuncidere filiũ suum. 226.b. dicitur auctor veteris legis, cùm eam solùm promulgauerit. 1096.c

Mosi occurrit Dominus & volebat occidere eum, id est, immissus fuit Mosi diuinitus grauissimus morbus, aut apparuit ei Angelus nudato gladio, qui eum continuò vexauit, donec Sephora filium circuncidit. 226.b

Mosem Dominus volebat occidere, propter incircuncisionem filij sui. ibid.e

Motio seu vsus Dei in sacramentis, est tota virtus & ratio per quam ipsa agunt. 133.c. qua Deus mouet sacramenta, est sola applicatio sacramenti ad opus, & est in ipso sacramento, non autem in Deo. 133.a

Motus meritorius gratiæ, iudicio Scoti & Gabrielis non requiritur in suscipiente sacramentum. 12.d

Mulctam à sacerdote iniunctam recusantes nunquam veteres patres admisissent ad Eucharistiam. 1067.d

Mulier in statu matrimonij, siue in statu generandi filios, erit salua si permanserit in fide, dilectione & sanctificatione 1126.a. si vna tantùm esset in mundo, nupta viro fidèli, potiùs cum ea dispensandum esset, vt solueret vinculum cum priore marito, quàm vt duos maritos haberet. 1166.d. repudiata non poterat secundò nubere. 1194.a. quam D. Ioannes vidit, fuit quoddam sacramentum. 15.c

Mulieres baptizant in casu necessitatis, ex permissione, non ex officio. 83.c

Mulieribus imperatur vt annuncient pietatem. 82.c

Mundandi vis in omni mundatione, siue in sacramento, siue extra sacramentum, oritur ex verbo. 62.b.c

Mundatio extra sacramentum, necessariò fit per actualem fidem. 62.b.c. per lauacrum aquæ, id est, per baptismum, non fit quotidie, nisi in diuersis hominibus qui veniunt ad baptismum. 249.d

Mundus totus dici non potest is, in quo aliquid relinquitur quod maculæ rationem habet. 250.a. reparari potuit sine morte Christi Domini. 484.c

Musica instrumenta in Ecclesia adhiberi cœpta sunt in missæ sacrificio circa annum Domini 660. aut vt alij volunt, post annum Domini 810. 807.c. iuuant tum ad excitandam pietatem, tum ad fastidium, ac tædium minuendum. 807.d

Mysterij explicationem in scripturis mysterium ipsum præcedit. 371.d. etymologia quæ sit. 17.c. tres significationes. 18.a

Mysterium magnum in coniugio agnoscunt patres. 1123.d

Mysteria dicuntur quæ omnino celantur, non autem quæ moderata voce publicantur. 794.c

Mysteria Christianæ religionis, rudiores faciliùs discunt & retinent ex celebratione festorum, quàm ex libris vel concionibus. 676.b

Mysteriorum fidei modus plerunque ignoratur à nobis. 102.a

N

Nabuchodonosor quamuis Deus ei orbem terræ subiecit, nunquam tamen fuit Dei amicus. 153.a. Dan. 5. vocatur pater Baltasaris, cùm tamen esset auus eius. 1245.b

Necessaria quæ sunt necessitate medij, censentur necessaria necessitate præcepti, licet non quæcunque necessaria sunt necessitate præcepti, sint etiam necessaria necessitate medij. 935.c

Necessitatis casus intelligitur exceptus. 229.b

Nectarius non abrogauit ritum confitendi, sed presbyterum duntaxat exauctoranit, qui publicis pœnitẽtibus præerat. 1021.b. ob sublatam publicam confessionem reprehenditur à Socrate, Sozomeno & Nectario. 1019.b

Nectarium Caluinus scribit fuisse eruditione clarum, cum tamen esset senex & laicus nondum baptizatus, cum ad episcopatum assumeretur. 1017.d

Negligentia quælibet non est peccatum mortale, sed contemptus aut notabilis negligentia in rebus grauibus. 799.d

Nemo certus est secundum Lutherum an verè credat. 42.b

Neophytis vt scribit D. Ambrosius in quibusdam Ecclesiis mos fuit lauandi pedes mox à baptismo. 286.a

Nisi particula, sæpè in scripturis accipitur exceptiuè, tamen potest aliter accipi. 1118.b

Nomen in verbis sacramentorum significat inuocationem, ex qua colligitur auctoritas. 39.b. in scriptura significat auctoritatem & potestatem. 206.d

Nomina multa quæ in scripturis non reperiuntur in Ecclesia retinentur. 18.b. *materia* & *forma* in sacramentis, inuenta sunt à posterioribus doctoribus, ad rem facilius explicandam. 895.c

Nomina non mutabant qui vel in fine vitæ baptizabantur, vel valde adulti, vt pater de Saulo Act. 9. & de Cornelio Act. 10. & de Ambrosio, Augustino & aliis. 283.b

Non esse non potest fieri à Deo, quia omne quod fit debet esse aliquo modo simile ei à quo fit: Deo autem non ens nullo modo est simile. 486.b

Noruegis vt scribit Volateranus, Innocentius VIII. concessit vt sine vino sacrificarent. 655.d

Nouatianus ideo negabat Christianis lapsis remissionem peccatorum, quia existimabat omnes Christianorum lapsus esse peccata in spiritum sanctum. 972.b

Nouatiani negarunt sacramentum pœnitentiæ. 2.b. non negarunt hominibus spem veniæ, & reconciliationis cum Deo, sed negarunt sacerdotibus posse ritè absoluendi, quippe quæ in solo Deo sit 858.c.d 602.b. ex præscripto Conc. Nicæni can. 8. non recipiebantur cùm ad Ecclesiam rediirent, nisi pollicerentur se communicaturos etiam cum iis, qui fortè secundas nuptias experti fuerint. 1155.c. & Montanistæ non negarunt spem veniæ à Deo obtinendæ, sed solùm ab Ecclesia solui ac reconciliari posse eos, qui post baptismum fuerant lapsi. 868.d

Nouatus presbyter Carthaginensis primus fuit qui Montani hæresim excitauit, à quo reductus fuit Nouatianus Romanus presbyter. 869.a

Nox Paschalis est antitypa firmamenti cælestis. 21.c

Nubendi libertatem quando D. Paulus permittit fideli deserto ab infideli, loquitur de coniugio contracto inter infideles, de quo Dominus nihil præceperat. 1189.a

Nubes obumbrans Israëlitas fuit figura spiritus sancti. 114.c

Nuptiæ legitimæ in Ecclesia benedicuntur. 10.d. secundæ non benedicuntur, quia benedictio in primis nuptiis data non perit, neque debent iterum benedici, qui semel benedicti fuerunt, vt Vsbanus docet extra, de secundis nuptiis cap. Capellanum. 1156.a

Nuptiarum solennitas est interdicta certis anni temporibus. 1252.a.d

Nuptiis interesse voluit Dei filius Ioan. 2. cæsque insigni miraculo ornare vt indicaret se fecisse nuptias 1122.b. implicati sanctissimi viri, vt ex scripturis constat, Deo placuerunt. 1142.c

Nuptias esse bonas & à Deo, tam est in diuinis literis euidens, vt mirum sit vllos in hac re labi potuisse. 1122.a. dictas putat D. Ambrosius quòd velo obnubatur sponsa. 1256.c

Nuptias secundas non damnat D. Hieronymus, vt patet ex Apologia ad Pammachium pro libris aduersus Iouinianum. 1157.a. esse illicitas docuerunt hæretici, ita Montanus vt refert D. Augustinus lib. de hæresibus, cap. 26. Tertul. vt patet ex lib. eiusdem de Monogamia: & Nouatiani, vt patet ex Theodoreto lib. 3. de fabulis hæreticorum. 1155.b. probant Ambros. lib. de viduis, Hieron. epist. ad Gerontiam. August. lib. de bono viduitatis, Chrysostom. homil. 20. in epist. ad Ephes. licet illis continentiam præferant. 1155.c. quæ contrahuntur mortua priore vxore licitas esse sciebant veteres, sed tamen ob signum incontinentiæ bigamos aliqua pœnitẽtia notabãt. 1190.b. imò etiam tertias, & quartas, & alias deinceps esse licitas, & vera matrimonia, atque adeò sacramenta docent Catholici. 1155.b

O

Obedientia erga homines non displicet Deo, nisi quando contratia Deo

præcipiunt homines. 1041. a
Obedientiam scripturæ anteponunt sacrificiis. 199. b
Obicem non ponere, rectè dici non potest, qui sine necessaria dispositione ad sacramentum accedit. 936. d
Oblatio inuisibilis est melior & nobilior visibili oblatione. 687. b. simplex non requirit ex se vllam mysticam consecrationem. 688. b. vocalis non est ad sacrificium necessaria. 758. c. quæ sequitur consecrationem ad integritatem sacrificij pertinet, non ad essentiam. 758 d. consecrationem subsequens, est quædam testificatio, quòd tota Ecclesia in oblationem à Christo factam consentiat, & simul cum illo offerat. 758. d. in missa dirigitur directè ad solum Deum. 778. d. in missa est tacita quædam, & efficacissima inuocatio. 779. d. vera, fuit spontanea ascensio Christi in crucem, quamuis Christus non dixerit, ego me offero & sacrifico. 728. a. vera ac realis est illa actio, qua corpus Domini super altare ponitur ad Dei honorem, etiamsi verbis non dicatur, offero, vel offerimus. 793. b. realis & vera præsentis corporis Domini, est sacrificium quod nos propriè in Ecclesia immolamus. 816. d. corporis ab Angelis in cælum defertur, quatenus Angeli sua prece nostrum obsequium Deo commendant. 832. d. corporis Christi, non desinit esse vera & realis oblatio, licet sit alterius oblationis commemoratiua. 738. c. panis & vini cum aqua, quæ fit ante consecrationem, non est propriè sacrificium missæ, sed tantum oblatio rei consecrandæ, & proinde præparatio sacrificij. 602. b. rei non placet Deo, nisi offerens placeat, quamuis res ipsa ex se ei placeat. 769. c. rei viuentis, & quæ in forma rei viuentis offertur, requirit occisionem. 754. c. rei præstantioris, cæteris paribus, est Deo gratior. 769. c
Oblationis verba diriguntur ad Deum, qui intelligit omnes linguas. 793. c. quæ sequitur consecrationem verba, nō dicuntur in persona Christi, sed in persona ipsius ministri & Ecclesiæ. 738. d. Christi non quamliber iterationem excludit Apostolus Hebr. 7. sed eam solùm quæ ipsius mortem requirit. 752. c
Oblationem acceptari à Deo, non est vile oblationi, sed nobis. 815. a
Oblationes priuatorum hominum factæ soli Deo, vt cùm fideles candelas accendunt, & consumunt in templo ad honorem Dei, non sunt sacrificia. 688. a
Obligatio legis humanæ non pugnat cum baptismo. 217. b
Oblitus non dicitur Deus iniquitatū, quandiu pœnas æternas iniquitati debitas non relaxat. 950. a
Obstacula quæ impedirent ne sacramenta suam efficaciam exercere possent, tollunt fides & pœnitentia suscipientis sacramenta. 104. a
Ockam refutatur. 20. c
Oculorum eleuatio Christo fuit familiaris. 806. a
Odium perfectum peccati est illud quod ex amore Dei iustitiæque procedit. 972. b
Odio non posse aliquid verè perfectéque haberi, cuius contrarium priùs non diligatur, non habet locum nisi in iis rebus quæ propter se odio habentur. 972. b
Oecumenij expositio refutatur. 47 a
Offensioni dolor non est absolutè æquandus. 941. a
Offerre panem & vinum est proprium Melchisedech, & ad sacerdotium maximè pertinet, cū sit proprius eius actus. 701. b
Offerri Domino per immolationem, est veri sacrificij proprium. 708. c
Offertur panis & vinum, tanquam materia sacrificij futuri à Deo benedicēda. 736. b
Offertorium inde nomen accepit, quòd caneretur dum populus offerebat. 814. c
Officia baptizandi & concionandi distinguuntur. 17. c. d
Oleum etsi sit medicinale, tamen non est medicinale ad curandos quosuis morbos, imò plurimis aut nihil proderit, aut etiam oberit. 1. 91. a
Olei mentionem feciſse ex vtetibus nemînem, impudenter asserit Caluinus. 286. d. benedictio est Apostolica traditio. 1099. b
Omnes particula in scriptura, sæpè accipitur pro omnibus certi alicuius generis, alioqui illud, *Omnes quærūt quæ sua sunt*, includeret etiam sanctissimos quosque. 657. d
Omnia vtriusque sexus, phrasis vindicatur à barbarie, cum D. Hieronymus sæpè sic fit loquutus. 1016. a. b
ἐμπύεος& nomen non fuit primò inuentum in Concilio Nicæno. 550. d
Operatum à Theologis passiuè accipitur contra regulam Grammaticæ, vt prometeretur, Hebr. 13. 102. c
Opus operatum non pendet à bonitate ministri. 9. b. à Catholicis opponitur operi operantis. 103. a. est actio externa quæ sacramentum dicitur. 103. d. non solùm excludit dignitatem ministri, sed etiam fidem & motum internum ab efficientia gratiæ sacramentalis. 105. b. non excludit simpliciter fidem & motum internum, ita vt sacramenta conferant gratiam accipientibus ea sine fide, & sine interna conuersione cordis. 106. b. à Concilio Tridentino, non opponitur fidei, sed soli fidei. 106. c
Opus bonum & meritum pendet à bonitate operantis. 103. a. operantis est opus bonum seu meritorium ipsius operantis. 103. a. Theologi appellant fidem, charitatem & obedientiam, quæ sunt Dei dona. 138. b. bonum appellat D. Aug. quod est meritorium vitæ æternæ. 95. d. operans, & opus operatum, quid sint, vide *Actio vim habet*.
Opere nostro ex diuinæ gratiæ auxilio procedente, salutem nostram adipiscimur. 836 c
Opera omnia iudicio Lutheranorum sunt peccata mortalia. 11. a. bona sunt testimonia adeptæ iustitiæ longè meliora, quam ablutio aquæ, vel sumptio Eucharistiæ. 36. d, 37. a. hominum iustorum meritoria sunt vitæ æternæ. 1050. d. indebita, etiamsi præcepta non sint absolutè, tamen iis qui peccauerūt, & pœnitentiam agere cupiunt, in diuinis litetis imperantur, & ex indebitis debita fiunt. 909. d. indebita, siue non imperata Deo placent. 1045. c. quæ propriè dicuntur vitæ, sunt opera iustitiæ bona, ac vitæ æternæ meritoria. 953. d. quibus reatus peccati præteriti expietur, rectè à sacerdotibus iniunguntur. 1041. d. satisfactoria sunt, oratio, ieiunium, & eleemosyna. 1044. b. nostra, vt à spiritu Christi in nobis habitante procedunt, quandam habent infinitatem. 1047. c. in peccato mortali facta, non sunt satisfactoria. 1069. d. quæ ex gratia ipsa procedunt, adeò non opponuntur gratiæ, vt in ea potiùs tanquam effectus in causſa includantur. 1070. c. nostra vt dispositiones, cooperantur in prima peccatorum remissione, quæ fit per baptismum. 1071. d
Opera bona, quæ à nobis procedūt omnia, hæretici asserunt esse immunda. 717. c. bona impiotum Deus sæpè remunerat temporali mercede. 1062. b. hominum omnia etiā optimè facta Lutherani putant esse peccata mortalia, si secundum rigorem iustitiæ iudicentur à Deo. 253. a
Operibus bonis debetur merces si fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant. 1068. d
Operibus, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrij, nemo iustificatur. 138. b
Orandi ritus pro oblatione consecrata est antiquissimus. 829. c
Orare publicè, & tanquam publica persona intercedere pro vniuerso populo, est sacerdotis. 84. a
Orario perfectè significat, cùm profertur vltima vox. 136. a. vocalis est cultus Dei 193. a. potest esse meritoria quatenus sit ab homine iusto, & ex charitate, & simul satisfactoria. quatenus est opus laboriosum. 769. a. ex se & ex proprio officio est impetratoria. 769. a. non solùm prodest oranti, sed etiam iis pro quibus oratur. 771. a. Sancti Stephani impetrauit Pauli conuersionem, sed futuram tempore à Deo determinato. 771 c. prodest ei pro quo fit, etiamsi ille non adsit, nec sciat quid agatur. 787. b. concluditur per Christum, cum sit ille aduocatus noster, per quem omnia petimus. 812. b. peccatoris pœnitentis Deum placat, & veniam impetrat, vt patet exēplo publicani Luc. 18. 947. a. pro peccato ad mortem difficulter exauditur, & hoc est quod ait Ioā. 1. Ioan. 5 966. d. comprimit superbiam vitæ, quare reuocantur ad orationem, quæ Deo propriè exhibentur, vt laudes, gratiarum actiones, contritionis & confessionis actus. 1044. c. fidei apud Iacobum cap. 5. non dicitur quæ requirit necessariò fidem ministri, sed quia est oratio dictata à fide, & à sola fide intelligitur. 1094. b. fidei, quæ infirmum saluat, non excludit operationē & nctionis, imò potiùs ineludit. 1094. c. dominica sacrificium dici non potest. 762. a. Dominica legitur post canonem missæ. 835. c
Orationem pro defunctis in missa ex Apostolica traditione descendere, asserit D. Chrysost. 818. c. Dominicam voluit D. Gregor. dici mox post canonem, adhuc in altari corpore Domini præsente. 819. c
Ordinatio non requiritur necessariò ad sacramenta baptismi & matrimonij. 78. a. reperi non potest. 164. a. non est repræsentatio mortis Christi. 164. d. sacerdotalis est necessaria ad Eucharistiam conficiendam. 619. b
Ordinatio Episcopalis est sacramentum verè ac propriè dictum. 1109. b. imprimit characterem, cuius signum est, quia non potest repeti. 1109. d. si non est sacramentum, non possumus ex scripturis apertè probare ordinationem esse sacramentum. 1109. d. integra consurgit ex duplici ordinatione. 1111. a
Ordinatio Episcopi maiorem habet solennitatem, quàm vlla alta ordinario. 1110. c
Ordinationis essentia consistit sine vnctione & tasura. 78. a. b. materia est aliquod signum sensibile, forma verò, sunt verba, quæ dicuntur, dum illud signum exhibetur. 111. b. effectus est duplex, nimirum potestas spiritualis perpetua, & gratia gratū faciens. 1118. b. ritus, externúmque symbolum est manuū impositio. 1104 a
Ordinationi quæ promissa est gratia, non est donum aliquod gratis datū, sed gratia iustificans. 1105 a. obligata est gratia per manus impositionem, quare Deus est auctor & institutor illius cæremoniæ. 1106. b
Ordinationem Græci vocant χειροτονίαν, id est, manus impositionem. 1116, d. Apostolis contulisse Dominum sine manus impositione nō cogimur credere. 1106. c. Leo 1. epist. 81. sacramentum vocat, & iubet à ieiunis dari, & accipi, & solùm in vespera sabbathi, idque summa cum deuotione. 1107. a. ab hæreticis datā probat D. Hieron. in dialogo contra Lucifer. esse ratam, quia baptismus ab eis datus, ratus baptismus est. 1108. a. esse verum sacramentum agnoscit Caluinus lib. 4. Institt. cap. 14. §. 20. & cap. 31. 1103. a. esse sacramentum propriè dictū negant aliqui Lutherani. 1103. a. sacramentum esse demonstratur ex diuinis literis. 1103 c. 1104. 1105. esse sacramentū, Ecclesiastica est traditio. 1106. c. d. 1107. 1108. esse sacramentum illis scripturæ testimoniis

probamus, in quibus ordinatio Episcopalis intelligitur. 1109. c. ministrorum esse sacramentum fatetur Caluinus. libro 4. Institut. cap. 19. §. 31. 313. d. ministrorum omnes hæretici moderni admittunt. 3. d
Ordinatos ab hæreticis non vult Innocentius I. epist. 18. iterum esse ordinandos, sed solùm cessare debere ab executione ordinum, ac si ordinati non essent. 1107. a
Ordo, necessarius est, non singulis hominibus, sed Ecclesiæ in vniuersum, necessitate medij simpliciter, posita diuina institutione. 71. b. c. solùm ab Episcopo conferri potest. 183. a. constituit homines in gradu sublimiore, quàm sint cæteri Christiani. 183. b. graduum quem statuit Dominus ad vitā æternam Ioan. 14. hic est, vt quis primum diligat Deum, deinde mandata omnia seruet, postremò diligatur à Deo dilectione illa, quæ beatitudinem confert. 952. d. sacerdotum duplex est, sunt enim alij maiores sacerdotes, id est, Episcopi, alij minores, id est, presbyteri. 1109. b. facer ideo censetur impedimentum matrimonij, quia ex decreto Ecclesiæ annexum habet votum solemne castitatis. 12. 08. b. vide *Character*.
Ordinis sacramentum probatur ex D. Augustino. 172. b. qui negarunt 2. b. semel habitum, amitti non posse, probat D. Augustinus quia baptismus semel acceptus amitti non potest. 1108. b
Ordines inferiores diaconorum ordine, nō præsunt populo, sed tantùm seruiunt superioribus ordinibus. 1112. c. sumuntur ab habitudine quam habent ad Eucharistiam. 1110. d. sunt septem, videlicet sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, acoluthorum, exorcistarum, lectorum, & ostiariorum. 1110. d. omnes sunt sacri, primi autem tres dicuntur per excellentiam sacri, quia proximè contingunt res sacras, presbyter enim Eucharistiā consecrat & ministrat, diaconus defert eam, subdiaconus vasa sacra contingit, & præbet. 1114. b. minores non potetunt iterari, igitur imprimunt characterem, quare sunt sacramenta. 1115. a. omnes licet siut per se singuli sacramenta, tamen vnum sacramentum consentur, quia vnum sunt vel genere, vel quia ad vnum finem omnes referuntur. 1115. a
Ordines minores probabile est esse sacramenta. 1114. d
Ordinum materias omnes credibile est Dominum instituisse, sed generatim, monendo Apostolos, vt ordines conferrent per cæremoniam instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas. 1118. a
Originale peccatum non est materia pœnitentiæ, in iis qui baptizantur. 216. b
Oris confessio est necessaria ad salutem non amittendam. 209. c
Osculatur sacerdos altare & libium in signum reuerentiæ: fratres verò in signum charitatis, & pacis. 808. c
Osculum pacis dabatur baptizatis in signum, quòd esset frater noster, Cypria. lib. 3. epist. 8.
Ostiarius dantur claues Ecclesiæ materialis, non vt ostiarij declarent sint ne fores templi clausæ vel apertæ, sed vt eas verè claudant atque aperiant. 980. a
Otho Imperator quia Ecclesiæ fuit rebellis, nihil ei prosperè successit, & moriens sic eum pœnituit rebellionis, vt in signum pœnitentiæ ab infimis domus suæ famulis voluerit collum suum conculcari. 156. b

P

PActum seu testimonium Dei, quòd hæretici volunt obsignari sacramento, differt à pacto conf. ientiæ nostræ. 47. d. Dei Genes. 17. appellatur pactum circuncisionis. 148. b
Pacta exquisitissimis & propriis verbis explicantur, ne locus vllus relinquatur cauillis. 359. b. Dei differunt à pactis hominum. 46. b
Pædobaptismus auctore D. Augustino est antiquior omnibus conciliis. 236. d
Panis est generis masculini tam Latinè quàm Græcè. 364. c. non potest vocari corpus Christi, quia ab ipso est creatus, nam quamuis panis & vinum sint res à Christo creatæ, tamen non sunt datæ, aut effusæ pro nobis in remissionem peccatorum. 370. d. quem Dominus se daturum promisit Ioan. 6, erat præstantior panibus miraculo multiplicatis, & etiam ipso manna 392. d. factus Eucharistia, verè & propriè est corpus Christi. 413 a. ante consecrationē vocatur figura corporis Domini. 439. b. benedictus dabatur catechumenis loco Eucharistiæ, vt testatur D. August. 282. b. sanctificatus, qui dabatur catechumenis loco Eucharistiæ poterat dici corpus Domini symbolicum, quia repræsentabat Eucharistiam, cùm eius loco daretur. 420 b. sanctus, qui non erat corpus Christi dabatur catechumenis. 402. d. terrenus post inuocationem Dei, seu mysticas preces, non est amplius communis panis, sed est cibus constans duabus rebus, vna terrena, altera cælesti. 410. c. cælestis manet post consecrationem, non triticeus. 518. a. est in altari, quoad speciem exteriorem, vt oculi rectè iudicāt, quoad interiorem substātiam, est corpus Christi, vt fides rectè iudicat. 468. d. iudicio Theodoreti est vocatus corpus, vt ex nominis mutatione, intelligeremus, & crederemus rei mutationem. 471. d. non est res merè artificiosa, nec sola arte humana fieri potest, sed res est naturalis. 527. d non conuertitur in præsentiam corporis Domini, sed in ipsum corpus Domini 535. c. destruitur in Transubstantiatione non tam actione, quàm negatione actionis. 536. a. in Eucharistia non annihilatur, quia actio per quam panis desinit, esse non terminatur ad nihil, sed ad corpus Domini. 537. b. mutatur quoad naturam seu substantiam, inquit Cyprianus. & tamen effigies, id est, accidentia remanent. 541. d. mutatus verè est corpus Domini. 553. a. vocatur ab Apostolo post consecrationem vertus cibus superssubstantialis. 553. a. quem Manichæa loco Eucharistiæ volebat comedere, conuersa est in lapidem. 650. c. potest tolli, si detur calix. 671. a. non frangitur pro nobis, sed nobis. 726. c. dicitur frangi in scripturis, cum distribuitur etiam si integri panes dentur. 750. a. in Missa non offertur, vt sacrificium perfectum, sed vt sacrificium inchoatum & perficiendum. 758. a. rectè dicitur offerri pro Ecclesia. 823. c. qui ponitur in altari, inquit Gregor. Nyssen. conuertitur in carnem Christi. 443. c. qui in altari ponitur, peracta celebratione consumitur. 46. b
Panis Eucharistiæ, quod ad se attinet, semper viuificat, & hoc significāt verba Domini Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. 355. a. similitudinem gerit corporis Domini, quoniam eius sacramentum est. 454. c
Panis consecratus, qui figura externa est panis materialis, quoad substantiam verò est cælestis panis, est corpus Domini. 435. b. non est panis communis, sed panis vitæ, id est, corpus Christi. 413. d. est corpus Domini iudicio Iustini & Irenæi. 541. c. quoad species externas, est sacramentum, quoad internam substantiam, est verum & naturale Christi corpus. 537. d. est sacramentum Eucharistiæ. 573. b
Panis & vinum, inquit D. Ambrosius mutantur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt amplius panis & vinum, sed corpus & sanguis. 463. c.
aliquo modo in Missa offeruntur, & proinde pertinent ad rem, quæ sacrificatur. 757. c. rectè dici possunt paulò ante consecrationem *sacrificia sancta, & illibata*. 822. d
Panis nomen in scripturis est commune ad azymum & fermentatum. 394. c. Ioan. 6. Dominus fortasis tribuit carni suæ, vt indicaret eam sub specie panis edendam. 355. d
Panis triplicis in cap. 6. Ioan. fit mentio, & ab vno transitur ad alterum. 354. d. benedicti distributio in Emaus, ita coniuncta est cum Domini recessu, vt nullum relinquat locum benedicendo, vel distribuendo calici. 649 a. realem mutationem partes fieri multis modis docuerunt. 482. d. substantia non pertinet vllo modo ad rationem sacramenti Eucharistiæ, sed sola accidentia extenta. 554. b. conuersio fit per consecrationem, quæ non fit per baptismum. 83. d. conuersio in corpus Christi, & complera significatio verborum sunt simul tempore, quamuis ordine naturæ se præcedant & sequantur. 374. d
Panis & vini species non habent integram rationem sacramenti. 581. c
Pani non licet tribuere corporis Domini proprietates, neque contrà proprietates panis corpori. 367 b
Panem in vltima cœna, fuisse à Domino benedictum, certum est. 363. b. c. natura mutari apud Cyprianum, est panem substantialiter mutari. 423. c. accepit Dominus ac benedixit, sed dedit panem benedictum, & benedictione mutatum. 373. a. verè in Domini carnem conuerti insigni miraculo probauit D. Greg. Pp. 476. c. absolutè ante consecrationem nominat Apostolus, post cōsecrationem autem semper addit pronomen, vt indicaret sermonem esse de pane mutato. 553. d. absolutè nunquam Dominus se vocauit, sed dixit *ego sum panis vitæ*, aut *panis vitæ*, aut aliquid huiusmodi. 555. c. simpliciter non offerimus Deo, sed panem consecrandum & transmutandum in corpus Domini. 758. a. fermentatum aptiorem quàm azymum ad Euchatistiæ sacramentum conficiendum iudicant hæretici. 582. d. seu fragmenta panis Cyrillus vocat Eucharistiā, quia in specie panis datur. 471. a
Pane ne azymo an fermentato Eucharistiæ sacramentum confici debeat, controuersi cœpit anno Domini 1053. 562. d
Panes propositionis non nisi à mundis ediderant. 625. d. qui offerebantur in sacrificio Aaronico cum animalibus, semper conspergebantur oleo, & vt plurimum inde fiebant lagana. 701. b
Panum multiplicatio, quæ describitur Ioan. 6. fuit insignis figura sacramenti Eucharistiæ. 348. c
Papæ vibis Romæ nomen ex præscripto Concilij Vasensis in omnibus Missis debet recitari. 811. d
Papatus includit intrinsecè & essentialiter Episcopatum, licet multa superaddat. 1111. a
Parabolæ appellantur mysteria. 18. b
Parabolas conseeuit Dominus discipulis suis explicare. 348. a
Parasceue non erat apud Hebræos nisi propter sabbatum. 590. d
Paruulus quamuis reprobus dum baptizatur verè iustificatur, & proinde sacramentum non prophanatur. 235 a. vide *Christus. baptismus*.
Paruuli si habent vsum rationis sunt sacrilegi, qui sacramentum recusant. 58 c. sine fide iustificantur, non tamen sine sacramento. 72. d. saluantur sine fide actuali, per solum sacramentum. 129. b. incipiunt esse filij Abrahæ cum baptizantur. 213 fol. quamuis sine sua culpa non baptizentur, non tamen sine sua culpa pereunt, cùm habeant originale peccatum. 215. d. non possunt fide ad Chri-

ſtum & Eccleſiam adiungi, ergo per ſacramentum baptiſmi adiungi debent. 233.a. ſolùm habent auerſionem habitualem à Deo, quæ poteſt tolli per habitum charitatis infuſum. 233. c.
in baptiſmo non obligantur niſi ad ea, ad quæ alioquin obligati erant vel obligandi. 213. c. dum baptizantur, profitentur fidem, commemorant & prædicant Chriſtum. 237. c. non indigent præparatione, vt ad Chriſtum vocentur. 239.a. non ſaluantur ſine fide. 241. c. baptizati verè dicuntur & ſunt fideles. 276.c. tum ab habitu fidei, qui infunditur in baptiſmo, tum ab actu fidei alienæ. 246.a. actu credunt partim reipſa, dum baptizantur partim aliena fide. 246. b. dicuntur fideles. 246.a.
vide *Fidem actualem.*
Paruulorum nulla eſt vocatio niſi per baptiſmum. 231. d
Paruulis etiamſi actu non credant, prodeſt baptiſmus. 6. d. baptizati credere eſt. 213. d. cum baptizantur, Deus infundit gratiam occultam. 246. b
Paruulos actu credere dum baptizantur Caluinus, nec negat nec affirmat. 44.a. non ſaluat fides, ſed ſacramentum fidei. 126. c. recentes ab vteris matrum baptizandos negantibus, anathema dicit Concilium Mileuitanum. 238. a.
baptizari in fide parentum eſt, fidem actualem, quæ requiritur, vt diſpoſitio ad ſacramentum, non haberi à paruulis propriam, ſed alienam. 247. a
Paſcha Chriſtianorum non ſolùm non ſit Luna 14. ſi illa venerit extra Dominicam, ſed neque ſi venerit in Dominica. 589. d
Paſcha celebrari poſt vnum menſem lex permiſit, modò ſeruaretur dies 14. vt patet Numer. 9. anticipari autem poſſe diem, aut menſem Paſchæ, nullo neque præcepto, neque exemplo probari poteſt. 586. a
Paſchæ nomine Ioan. 18. *vt manducarent Paſchæ*, non intelligitur agnus Paſchalis, ſed victimæ Paſchales, quæ ex ouibus & bobus quotidie in diebus Paſchæ immolabantur. 590. c. dies *primus* incipiebat in veſpera diei 14 & durabat vſque ad veſperam 591. diei 16. 591. c. cæremoniam qui non ſeruabant, habiti ſunt hæretici. 190. c
Paſchalis hebdomada tota ſolemnis erat, licet primus & vltimus dies ſolemniores eſſent.. 590. d
Paſſio Chriſti ita in ſacramento pœnitentiæ applicatur, ad culpam & pœnam æternam tollendam, vt tamen requiratur ex parte noſtra, opera laboriola, quibus pro reatu pœnæ temporalis, diuinæ iuſtitiæ ſatisfiat. 1060. d
Paſſionis dominicæ commemorationem facimus ſumendo Euchariſtiam. 83. b
Paſſiones magis dominantur in imperando, quàm in adminiſtrandis ſacramentis. 88. d. animæ naturaliter bonæ ſunt, & à Deo ad multa commoda nobis ingenitæ. 967. c
Paſtophorium eſt tabernaculum, ſeu thalamus, vbi templi præpoſitus habitat. 573. d. appellarunt Apoſtoli vas illud, in quo Euchariſtiæ ſacramentum aſſeruandum recondebatur. 573. d
Patri eſt obediendum per omnia, etiam in contrahendo coniugio, ſi iuſtè, & ſecundum Deum præcipiat. 1204. d
Patres cum de verbis ſacramentorum ſoquuntur, non inſtructionis, ſed inuocationis & conſecrationis mentionem faciunt. 59. c. Græci docent ſacramenta conferre gratiam ex opere operato. 116. b. c Latini aſſerunt ſacramenta conferre gratiam ex opere operato. 117. d
Patrum nemo ſcripſit ſacramenta non eſſe ſeptem, aut eſſe tantùm duo vel tria. 178. d
Patribus hæretici fidem non habent in rebus grauiſſimis. 662. d
Paulianiſtæ ex decreto Concilij Nicæni erant rebaptizandi. 59. b. iubentur rebaptizari. 87. b
Pauliciani tollebant omnem ſacramentorum materiam. 1. b. pro elemento aquæ in baptiſmo, hæc verba ſubſtituunt, ego ſum aqua viua. 203. b
D. Paulus primo anno à paſſione Domini, ab Ananiâ laico eſt baptizatus. 227. c. maioribus rebus intentus baptizandi officium aliis committebat. 234. d. fuit teſtis oculatus reſurrectionis Chriſti quem ipſe vidit 1. Corinth. 9. & 1. Corinth. 15. 487. d. vidit Chriſtum & eius vocem audiuit, vt patet Act. 9. & 22. 487. d. ex aſpectu corporis Domini fuit excæcatus. 104. c. intus lotus inuiſibiliter, debuit lauari exterius viſibiliter. 953. a. perſequens Chriſtianos non peccauit in Spiritum ſanctum. 964. d. corpus ſuum verberibus affecit. 1. Cor. 9. 1045. b
Pauli priuilegium eſt, vt ſemper cum Petro coniungatur. 834. d. conuerſionem adeò fuiſſe perfectam, vt ſola ſufficeret ad peccata eius delenda, non certò ſciebat Ananias, licet eum à Domino ſingulariter præordinatum, & vas electionis futurum eſſe non dubitaret. 952. d
Paulo reuelauerat Deus, & iuſſerat, vt Timotheum ordinaret. 1106. b
Pax non poteſt cum Deo componi, niſi propoſitum adſit non peccandi de cætero. 934. a
Peccandi tria ſunt inſtrumenta, cor, lingua, & manus. 908. a
Peccat in Spiritum ſanctum, qui cognitam veritatem Spiritu ſancto illuſtrante improbat, & ſigna ac prodigia, virtute ſpiritus ſancti facta, tribuit ſatanæ. 964. a
Peccant ſæpè homines, & non puniuntur in hac vita: ſæpè non peccant, & affliguntur. 151. d
Peccantes poſt baptiſmum, non poſſunt redire ad nauim baptiſmi, ſed indigent alio remedio. 261. b
Peccantibus poſt baptiſmum Patres impoſuerunt grauiſſimos labores, antequam eos reconciliarent. 261. d
Peccator cur non poſſit poſt baptiſmum redire ad pactum baptiſmi. 165. b
Peccatori vtiliſſimum eſt, vt non maneat penitus impunitus, ne ex veniæ facilitate ad peccandum iterum incitetur. 1043. b
Peccatores principio Eccleſiæ puniebantur viſibilibus pœnis. 192. d. non abſoluti à peccatis, ad Euchariſtiam non ſunt admittendi. 620. a. pro quibus offertur Miſſæ ſacrificium, ſemper iuuantur, quamuis non conuertantur ſemper, quia non ſunt diſpoſiti. 771. c. quòd doleant ſe peccaſſe, maximè gaudendum eſt. 903 a
Peccatores ad ſe vocat Dominus prima vocatione ad fidem & pœnitentiam, non autem inuitatione ad Euchariſtiã 619. d
Peccatoribus Deus frequenter in memoriam reuocabat peccata, vt ipſi ea recogitarent & deteſtarentur. 925. a
Peccatum verbo commiſſum, non vt verbum, ſed vt peccatum eſt, materia confeſſionis. 51. d. vnum non remittitur quoad culpam & pœnam æternam, quin remittantur omnia. 150. c. ſemper manet ſecundùm hæreticos etiam poſt baptiſmum. 213. a. vt remittatur, tria debent concurrere. 845. c. lethale, Deum qui infinitæ dignitatis eſt offendens, infinitam indignationem, & pœnam meretur. 940. d. eſt malorum omnium maximum, quare eſt ſuper omnia deteſtandum & fugiendum. 942. a. vnius non punitũ, vt oportebat, ſæpè eſt cauſſa cur in totum populum, furor Dei accendatur. 1043. d. non minus eſt homini indigno, tradere ſacramenta, quàm accipere. 1109. a
Peccatum in Spiritum ſanctum, etiam in hac vita reperitur. 963. a. propriè blaſphemia quædam eſt certa. 963. a. d. propriè nihil eſt aliud, quàm veritatem cognitam & manifeſtam, ex malitia improbare, & tanquam demoniacam, & deteſtabilem calumniari. 963 d. erat eorum, qui ſcientes Chriſtum in virtute Dei mitacula operatum, tamen ex malitia & inuidia, diuina illa opera ſpiritui immundo adſcribebant. 964. c. dicitur non remitti, quia ordinariè, & vt plurimum non curatur. 966. a
Peccatum ſiue peccator eſt materia circa quam pœnitentiæ ſacramentum operatur. 891. c
Peccatum originale dari, hoc potiſſimùm argumento probant Hieronymus, Auguſtinus, & Proſperus, quòd infantes baptizentur, cum nullum habeant actuale peccatum. 231. a.
occultum non licet publicare, neque pro occulto peccato licet pœnitentiam ita publicam imponere, vt ex ea peccatum ipſum detegatur. 911. c. qui admiſerunt, non dicunt (ſi ſani ſunt) nolo me peccaſſe: ſed cum conditione, ſi fieri poſſet, nollem peccaſſe. 928. a. non licet eligere quacunque conditione propoſita. 942. b. adorati vituli ob Moſi preces Dominus dimiſit, & tamen propter hoc peccatum multa hominum millia ſunt interfecta. 1016. c. non manere impunitum Deus omnino vult, inquit D. Auguſtinus. 1076. c
Peccatum in Spiritum ſanctum nullũ aliud eſſe putauit D. Auguſt. niſi finalem impœnitentiam. 962. c. Dominus vocat peccatum Phariſæorum, quo dicebant Chriſtum in Beelzebub eiicere dæmonia, peccatum autem hoc, nihil erat aliud quàm oppugnatio cognitæ veritatis. 964. b
Peccati nomen in ſacris literis ſæpè accipitur pro pœna, ſiue pœnæ reatu. 1048. c. plena remiſſio quoad omnẽ pœnæ reatum, præmium eſt operum bonorum, quæ poſt conuerſionem, & culpæ remiſſionem fiunt, quæque ſatisfactoria dici ſolent. 1076. b.
mortalis conſcientiam qui gerunt, nihil priùs cogitant, cùm conuertuntur ad Deum, quàm peccata ſua. 937. d.
originalis pœnæ etiam in paruulis baptizatis, ſunt morbi, & dolores, quibus fidem non rarò torquentur, imò & cotum mors. 1036. b
Peccato nouo non obſtringuntur, qui non plenè ſatisfaciunt in terris pro pœna temporali alterius ſeculi. 1067. d
Peccata remittuntur per baptiſmum & abſolutionem. 5. d. remittuntur per abſolutionem. 849. b. venialia ſunt quotidiana, quare quotidiana de iis pœnitentia eſt agenda. 855. c. ſolùm ea in confeſſione ſunt numeranda, quæ poſt diligentiam in examine poſitam menti occurrunt. 856. b. remitti non debent niſi iis, qui ſe peccata habere, eáque ſibi diſplicere teſtantur. 871. a.
ſunt materia remota ſacramenti pœnitentiæ. 896. b. ſingula deteſtanda ſunt. 943. d. à ſacerdotibus remiſſa, remittuntur, Ioan. 20 quia ratam habet Chriſtus ſententiam à ſacerdote nomine ſuo latam. 981. a.
noſtra omnia etiam occultiſſima, inquit Origenes in die iudicij à ſathana in medium ſunt proferenda. 997. c.
neceſſariò iis aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei, inquit Baſil. in Regul. 228. 1000. d.
omnia quamuis ſecreta, nunquam ex Eccleſiæ decreto erant publicè efferenda. 1019. d.
non propriè ſoluuntur, aut ligantur, ſed homines ſunt, qui à vinculis peccatorum abſoluuntur, vel pœnarum vinculis alligantur. 1042. a.

omnia. ſiue ante ſiue poſt baptiſmum commiſſa fuerint, Chriſti ſanguine, & redemptione purgantur. 1071. a. omnia remittuntur per ſacrificium crucis. 1082. c. venialia poſſunt deleri ſine ſacramento & ad ea tollenda non requiritur noua infuſio gratiæ, quæ eſt effectus omnium ſacramentorum. 1100. d
Peccata remittunt, tam martyrium quàm pœnitentia, non autem ſola fides qua martyres, aut pœnitentes Chriſtum apprehendunt. 223. b. non tolli per baptiſmum, ſed ſolùm regi, tolli verò per mortem, Origenis ſtatum fuit hæreſis. 248. c. non imputari & manere implicat contradictionem. 251. d. ſingula Deo confitenda docet Caluinus. 856. c. fibi remitti non intelligerent homines, qui ſunt corporales, niſi voce ac ſigno aliquo externo ac ſenſibili remitterentur. 871. a. remittendi poteſtas non fuit in veteri Teſtamento. 880. c. remittunt ſacerdotes non regia, ſed iudiciaria ac miniſteriali poteſtate. 880. d. qui confitetur eſt materia circa quam ſacramenti pœnitentiæ. 896. b. occulta priuatim in confeſſione audita, qui publicabant coram eccleſia, reprehenduntur à S. Leone. 911. c. ſua, qui defiet ex vera Dei dilectione, & eorundem gentiam poſtulat, animo ſimul proponit, Deum non amplius offendere. 934. a. omnia, quæ memoriæ forte occurrunt, poterit homo vna actione deteſtari, atque ob ea commiſſa dolere. 944. a. ſingula amariſſimè & longo tempore deflere vtiliſſimum eſt. 944. a. vehementiſſimóque odio proſequi poſſumus, etiamſi contrarias illi virtutes minimè diligamus. 972. c. non vult Dominus remitti omnibus indefinitè, ſed certis hominibus, iis videlicet, quos ſacerdotes abſoluendos indicauerint. 981. b. remittendi donum dedit Dominus Ioan. 20. non concionando, vt ſomniant hæretici, ſed planè extinguendo ac diſſoluendo. 981. c. ſecreta in confeſſione excepta reuelare, eſt contra ius naturæ, & contra Apoſtolicam regulam. 1020. a. coram Deo volunt hæretici eſſe in ſpecie explicanda, enumeranda, & confitenda, & circa iſtam confeſſionem impoſſibile eſſe hominem ſaluari. 1032. b. Deus condonat ex miſericordia, vt iuſtitiæ, quoad eius fieri poteſt, ſatisfieri velit. 1043 a. noſtris operibus redimi, aſſerit ſcriptura Dan. 4. & Prouerb. 16. 1048. b. poſt baptiſmum commiſſa, ſolo meritò paſſionis Chriſti plenè deleri quoad omnem culpam, & pœnam, negat Cyprianus. 1060. c. omnia, quæ alioqui in purgatorio longiſſimam pœnam exigerent, vnica martyrij paſſione purgari aſſerit Cyprianus. 1073. d. vide, *Animam, Baptiſmum ſuſcipiens.*
Peccatorum remittendorum poteſtas non fuit in veteri teſtamento. 880. c. nulla eſt multitudo, vel grauitas, quæ per veram pœnitentiam non expietur. 959. c. veniam cùm petunt Dauid & prophetæ cæteri, non ſimul pœnam temporalem ſemper deprecantur. 1078. c. reliquiæ quas delet vnctio extrema, ſunt peccata, quæ interdum remanent poſt omnia alia ſacramenta, ſiue mortalia, ſiue venialia ſint. 1101. a. b. c
Peccatorum remiſſio ſicut datur per baptiſmum, ita & per euchariſtiam. 83 d. Act. 2. tribuitur baptiſmo Chriſti, vt eius immediatus effectus, at baptiſmo Ioannis nuſquam tribuitur, vt effectus immediatus & proximus. 276. a. perfecta nondum facta eſt, ſed quotidie fit, & fiet vſque ad mundi conſummationem. 764. d. eſt iuſtificatio. 871. b. non ſolùm abſolutione, ſed etiam confeſſione ſignificatur. 898. a. quod attinet ad reconciliationem amicitiæ, & pœnam mortis æternæ, gratuita eſt. 1068 c. quoad pœnam temporalem eſt gratuita, quia ſine gratia Dei ſatisfacere non poſſumus. 1068. d. eſt gratuita, quia gratis Deus fidem & pœnitentiam nobis inſpirat. 1070. c. in vnctione extrema eſt ex ſola miſericordia, & ad hoc ſignificandum vtimur prece. 1100. c. & auxilium ſpirituale, abſolutè promittitur in vnctionis extremæ ſacramento. 1098 a
Peccatorum remiſſionem omnibus verè pœnitentibus euangelium promittit. 861. d. hæretici iudicant impoſſibilem. 940. c. nemo ab hominibus quæreret, ſi ſoli Deo confitendo remiſſionem obtinere poſſet. 993. c
Peccatis alienis non communicat, qui orat pro alio, etiam indigniſſimo: ſed qui ordinat indignum, is communicat peccatis alienis. 1105. a
Pectoris tunſio pœnitentiam indicat, & naturalis eſt, atque in euangelio Luc. 18. & 23. exemplum habet. 807. b
Pelagiani putarunt baptiſmum eſſe neceſſarium ad aſſecutionem regni cælorum, non autem ad remiſſionem peccati originalis. 210. a. docuerunt gratiam qua liberamur ab impietate, ſecundum merita noſtra dari. 921. b
Pelagius compulſus eſt anathematizare ſuos errores in ſynodo Palæſtina. 924. a
Pentecoſtes dies numerandi ſunt à primo die prophano poſt feſtum primæ diei azymorum. 596. a. eo anno quo Dominus eſt mortuus numerari cœperunt à tertio die azymorum, qui fuit dies Dominicus, quia ſecundus dies azymorum fuit ſabbatum. 596. b
Pepuritæ conferebant ordines fœminis. 3. b
Per præpoſitio, nonnunquam ſignificat cauſſam exemplarem, non autem meritoriam. 126 b
Periurium Illyrici, & Kemnitij. 167. d
Perſonarum trium mentio implicita non ſufficit in baptiſmo. 209. c
Petilianus exiſtimauit vnum eſſe baptiſmum Chriſti & Ioannis. 265. c
Petra corporalis & viſibilis, quæ humi iacebat, non erat vera cauſſa aquæ, quæ ex petra fluxerat. 153. c. ex qua fluxit aqua in deſerto, non fuit ſacramentum, ſed res temporaria, non autem cæremonia religionis, quæ frequentanda eſſet in populo Dei. 361. a. apud Apoſtolum 1. Cor. 10. in verbis illis, *Petra erat Chriſtus*, non ſignificat petram materialem, ſed petram inuiſibilem, quæ reuera erat Chriſtus, vt Deus. 361. a. materialis fuit figura Chriſti. 378. b. erat Chriſtus, non accipitur de petra materiali, quæ ſignificaret Chriſtum. 378. c. vide *Chriſtus non dicitur.*
Petrobruſianorum hæreſis. 2. b
S. Petrus dum amare flebat, ſimul & peccatum deteſtatus eſt, & propoſitum non peccandi concepit, & veniam à Deo, ſi non ore, certè corde poſtulauit. 931. a. negando Chriſtum non peccauit in ſpiritum ſanctum. 964. c. accepit claues, non tantùm vt ipſe eis vteretur, ſed etiam vt eas cum cæteris ſacerdotibus communicaret. 979. c. non ſolùm reſipuit, ſed etiam amariſſimè fleuit, quo fletu Domino ſatisfecit. 1080. c
D. Petrus ertauit exemplo, non doctrina. 1090. b
Petri charitatem D. Bernardus ſcribit ſopitam fuiſſe, non extinctam, quia ſtatim rediit, ac ſi ſopita tantùm fuiſſet. 956. b. dilectionem non euerſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam, dixit Leo, quia non peccauit Petrus ex odio Chriſti, ſed ex timore mortis, & ideo manſit dilectio, ſed non ſuper omnia. 956. b
Phantaſmata ſeu phantaſtica corpora, videntur eſſe vera corpora, ſi extremis oculis conſiderentur, & tamen reipſa non ſunt vera. 556. b
Phariſæi commiſerunt peccatum in Spiritum ſanctum. 963. a. vide *Cæremonia.*
Philippus non ſibi conſtat in ſacramenti definitione. 38. b
Piſcari propriè non eſt baptizare, ſed prædicare. 238. b
Piſcina probatica fuit manifeſtiſſima figura baptiſmi. 115. b
Platina ſæpè ab hiſtoricis noſtris reprehenditur. 1015. c
Pœna non circuncidentis ſe aut filios ſuos, fuit temporalis. 148. c. grauis à Pio I. in eos ſtatuta, quorum negligentia aliquid Dominici ſanguinis in terram, vel ſuper altare decideret. 409. a. quæ luenda reſtat poſt culpæ remiſſionem, eſt illa ipſa pœna ſenſus, quam in gehenna pati debuiſſet peccator, remota ſolùm æternitate. 1034. b. Dauidi inflicta, refertur 2. Reg. 12. ad præteritum potiùs, quàm ad futurum peccatum. 1035. d. damni, reſpondet auerſioni à Deo, pœna ſenſus, conuerſioni inordinatæ ad creaturas: æternitas vtriuſque pœnæ, inimicitiæ cum æterno infinitóque Rege. 1034. b. gehennæ tria complectitur, pœnam damni, pœnam ſenſus, & vtriuſque pœnæ æternitatem. 1034. b. alterius vitæ, propriè peccatis omnibus, & ex condigno debetur, pœna autem huius vitæ, ſolùm ex congruo, certis peccatis à Deo infligi ſolet. 1035. b. peccati originalis eſt mors, & nihilominus moriuntur homines etiam ij, quibus peccatum originale remiſſum eſt. 1035. d. mortis fuit expiatio peccati Ioſiæ, qui recuſauit obedire Ieremiæ. 1052. b
Pœnæ debitum vniuerſum condonat Deus, cum primùm per veriſſimum nos in filios recipit, vel cùm martyrium pro eius nomine ſubimus. 1034 b. temporalis remiſſio debetur ſatisfactioni, ſi fiat, ſed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiat. 1068 d
Pœnam omnem peccato debitam remittere, inter ſacramenta proprium eſt baptiſmi. 219. d
Pœnam murmurationis luerunt Iſraëlitæ, morte ſua in deſerto. 1036. c. peccati ſui luerunt Moſes & Aaron poſt culpam remiſſam. 1036. d. peccati perſoluerunt morte ſua qui indignè communicabant ſacramento corporis Domini. 1037. a
Pœna publica vnius ſæpè corriguntur multi. 1043 d
Pœnæ temporales alterius vitæ, quæ purgatorio iuendæ eſſent, redimi poſſunt ieiuniis, precibus, eleemoſynis, aliiſque piis ac laboriolis operibus huius vitæ. 1038. b. huius vitæ, interdum non poſſunt ridimi, ſed neceſſariò perpetiendæ ſunt. 1038. b. poſſunt aliquando aliis operibus tolli. 1038. c. d
Pœnæ huius ſeculi, & præſertim communes toti populo, non ſemper ſatisfactionibus expiantur. 1079. a. differentes conſtituuntur pro differentibus peccatis Deut. 25. Apoc. 18. 1062. c
Pœnas in vindictam peccati præteriti negat Caluinus Deum à iuſtis exigere. 1035. a. peccatorum, vllis operibus redimi poſſe negat Caluinus. 1037 d. ſponte de ſe ſumpſerunt Iob, & Niniuitæ. 1040. b. quæ conuerſionem præcedunt, æquum eſt ceſſare, cùm ij qui flagellantur, ſeriò reſipiſcunt. 1079. d
Pœnitens licet aliquid faciat ad ſacramentum pœnitentiæ pertinens, non tamen illius miniſter, ſed miniſtri cooperator dici debet. 898. b
Pœnitentis actio vocatur materia ſacramenti pœnitentiæ, cùm de materia illa diſſeritur, ex qua ſacramentum adiuncta forma conſtituitur. 896. b. actiones, non habent vim ſacramentalem iuſtificandi, niſi vt ſunt inſtrumenta Dei. 896. d
Pœnitentes propriè non dicuntur omnes qui quoquo modo pœnitentiam agunt, ſed in tantùm, qui ſolennem pœnitentiam agunt. 913. d. ſolebant ſe abiicere ad pedes omnium fratrum, vt eorum pre-

cibus se commendarent. 997 a. ad exemplum Adami qui se indut foliis siculneis asperis,& pungentibus,sacco sine cilicio communiter vtuntur.1011.d. dum reconciliat sacerdos,eisdem manus imponete consueuit. 893.d

Pœnitentium reconciliatio , ita propria semper fuit episcoporum, & presbyterorum,vt si laicus id facere quauis necessitate præsumeret,irritam esse reconciliationem nemo ambigeret.890.a. reconciliationem D. Augustconsuelt appellare manus impositionem.876. a. nomen, ordinis erat,vt clericorum, vel catechumenorum. 913.c. nomine apud veteres, soli publici pœnitentes intelligi solebant. 1020. b. habitus erat pulla vestis, cilicium, caput detonsum, exceptis fœminis. 914. a. locus varius erat pro criminum varietate. 914.a.b. pœnæ multiplices erant. 914 d.916.a

Pœnitentibus , qui absolutionem dabant, antequam iustam pœnitentiam egissent, grauiter reprehenduntur à D.Cypriano. 888.a. manum imponi non est necessarium. 893.d

Pœnitentia tanquam dispositio est necessaria ad gratiam recipiendam. 5.d. iis qui post baptismum lethaliter delinquunt, est necessaria necessitate medij.70.d. excellit necessitate cæteris sacramentis, solo Baptismo excepto. 183.a. necessaria est in baptismo adultorum de quo tractatur Act.2. & Mat.1. ob peccata actualia quæ adulti commiserunt. 136.b. post baptismum est secunda tabula post naufragium. 260. c. potest esse tanta , vt planè deleat omnem pœnam,& sic reditur ad gratiam omnino similem ei,quæ in baptismo habita est.260.d. sequitur baptismum Ioannis,vt eius effectus,& præcedit baptismum Christi, vt eius dispositio. 176.a. nemini est sacramentum ante Baptismum. 831.a. non fuit Sacramentum ante Christi aduentum. 831. a. est baptismus laboriosus. 832. a. secundum habitum debet esse perpetua,secundum actum non item.832.c. vsius peccati non placet Deo vbi in aliis peccatis durat obstinatio. 8 5. b. non haberet diphthongum quam habet vox pœna,si à ponè vt vult Erasmus,non autem à pœna deriuaretur. 866.b. signis externis manifestata, accedente ad eam verbo absolutionis est Sacramentum nouæ Legis. 867 c. est Sacramentum propriè dictum. 870. d. quam prædicauit Christus & Ioannes non fuit sacramentum. 881. d. quam Christus,& Baptista prædicarunt Sacramentum non fuit. 881. d. ante baptismum , neque est Sacramenti materia, neque distinctam ac particularem peccatorum confessionem, neque laboriosa opera necessariò postulat. 883. d. post baptismum materia Sacramenti est , & confessionem singulorum peccatorum, ac opera quædam laboriosa exigit 883. d. est tabula post naufragium & secunda ianua, 887. d. quomodo intelligatur. 891.b. est baptismus lachrimarum.888. a. duplex , vna præcedens baptismum, alia consequens. 891. d. quædam ante baptismum est necessaria: Item est alia pœnitentia ante reconciliationem,quæ post Bapt smum datur. 891.d. an præter absolutionem aliud requirat,quatuor sententiæ. 892. c. est actio pœnitentis, non autem sacerdotis. 895. a. non est terror incussus ex minis,sed effectus seu fructus eius terrotis.903.a. requirit benè viuendi propositum. 904.c. est via ad iustificationem, & proinde est prior iustificatione. 904.d. in scripturis non dicitur , nisi , à peccatis, siue ab operibus mortuis. 905.b. est detestatio ac punitio peccati, vt est offensio diuinæ maiestatis, & vt ad peccatum tollendum,& amicitiam cum Deo reserciendam ordinatur. 907. b. teconcilians distinguitur à iustitia vindicante. 907.c. ad peccatores tantùm pertinet.908.b. in scripturis non appellarur declinare à malo, & facere bonum: sed in fletu & planctu,in cinere & cilicio, eleemosynis & ieiunio,præterita malè facta purgare. 908 c. inquit D. Cyprian. est medicina peccati præteriti. 910.d. est donum Dei,neque potest,sine diuina inspiratione,solis naturæ viribus obtineri. 922.b. est perpetrata mala plangere,& plangenda non perpetrare.916.a. pars quædam est potentialis iustitiæ , cuius proprium officium est,compensare iniurtam Deo factam, vt inde reconciliatio consequatur. 932 c. quæ baptismum præcedit,non necessariò continet contritionem illam perfectam quæ etiam sine Sacramento reipsa suscepto, peccata omnia deler. 917. a non debet æquare aut excedere peccatum vt offensam Dei. 941. b. est caussa remissionis peccatorum. 945. c. est orationis caussa. 947.a. à Spiritu sancto est,& ad iustificationem disponit , quare suo modo est caussa iustificationis. 947.a. sæpè agebatur publicè,& tamen peccatum in specie non aperiebatur,nisi Sacerdotibus. 996. c. tria requirit, mentis conuersionem, oris confessionem,& peccati vindictam. 1049. b. septem annorum sin concilio Elibertino.can.5.iniungitur mulieri,quæ ancillam verberando necauit. 1061. d. annorum vndecim in Concil.Niczno.1. can.11. indicitur iis,qui præter necessitatem præuaricati sunt: & can.12. quibusdam aliis annorum 13. pœnitentia imperatur. 1063. d

Pœnitentia solennis non nisi semel,priuata verò sæpius; concedi consuelit. 853. c. semel tantùm concedebatur. 912. a. sacerdotibus imponi non poterat , & qui pœnitentiam solennem egissent, ad ordines promoueri nequibant. 912. c. non facilè concedebatur iuuenibus. 913. a. à solo Episcopo indicebatur,& ab eodem reddebatur pax pœnitentibus , neque id presbyteris licebat , nisi in absentia episcopi vrgente necessitate. 913. b

Pœnitentia publica non poterat imponi coniugatis sine mutuo consensu. 913. a. imponebatur feria 4. ante primam Dominicam quadragesimæ,quæ dicitur in capite ieiunij. 914. c. sceleruin occultorum tribus de causis est prohibita.1004. d. non solennis,pro publicis quibuscunque peccatis , quamuis scandalum non adferrent,imponi consueuerat.912.a. non solennis sæpius agi poterat. 912.b

Pœnitencia priuata toties iterari potest , quoties quis in peccatum lapsus fuerit. 855. b

Pœnitentia & conuersio est solùm,dispositio quædam ad quam ex pacto & promissione Dei sequitur iustificatio. 213.c. diuina gratia præueniuntur,& inspirantur. 916.a

Pœnitentia vox Latina non est apud Ciceronem,vt neque Resipiscentia. 805.d

Pœnitentia coniuncta cum baptismo Impossibile est tursus quem renouari. 886.d

Pœnitentiæ nomine non libenter vtuntur hæretici , sed pro ea in scripturis ferè vbique substituunt resipiscentiam.863.c. opera multò faciliora ad baptismum, quàm ad reconciliationem exiguntur. 861.b.ante baptismum & post baptismum discrimen. 883. d. tres actiones. 888. b. triplex partitio.892.b.publicæ ritus institutus est post ascensionem Christi in cælum. 910.d. veræ ratio postulat,quòd non solùm homo doleat de peccato præterito, sed etiam proponat cauere de futuro. 932. a. nullam partem necessariam esse ad obtinendam iustificationem , existimant hæretici. 934.c. agendæ præceptum , cum sit affirmatiuum , non quouis tempore obligat,sed solùm certis temporibus. 838. a. dolor debet æquare, aut excedere voluptatem, quam peccando accepimus 941. b. actus est meritum de congruo remissionis peccatorum 945. b. tempus non est nisi in vita præsenti. 961.b. quantitas non est imponenda infimis positis in articulo mortis. 994. d

Pœnitentiæ pars essentialis est actio suscipientis pœnitentiam. 51.d.52. a. materialis distribuitur in res partes, contritionem , confessionem , & satisfactionem. 899.a. non est fides , sed eam antecedit. 852.c. non est fides,licet ad eam efficiendam necessariò requiratur.903.c. partes non sunt omnia bona opera , quæ post iustificationem fiunt.904.c. numerantur tres actus,puta , contririo , confessio , & satisfactio.905.c. materiales sunt,contritio,confessio,& satisfactio,quæ in actione pœnitentis consistunt.852.c.integrantes principales, sunt contritio,& confessio,sine quibus sacramenti essentia non consistit. 900. a. quas faciunt hæretici. 900. c. 901. d. tres esse Catholici summo consensu docent,nimirum contritionem , confessionem , & satisfactionem.900.d.tres sunt id est, tres sunt pœnitentis actiones, quæ in sacramento reconciliationis ad remissionem peccati exiguntur.908.c

Pœnitentiæ materia proxima sunt actus pœnitentis , id est , contritio, confessio, & satisfactio , quatenus signo externo produntur. 51.d. nonnunquam sunt sola verba.51.d.52.a.materia remota,sunt peccata. 51. d. nonnunquam sunt sola verba. 51.d.materia ex qua est actio pœnitentis. 893.d. forma est absolutio. 51.d

Pœnitentiæ virtus non componitur ex partibus , cum sit habitus quidam simplex. 899. c. semper fuit necessaria.881.a.semper necessaria fuit, licet pœnitentia non semper fuerit sacramentum.881.a. virtuti accidit, vt cali vel tali modo exterius prodeat , atque vt signa externa cum verbo absolutionis,sacramentũ efficaciat. 883. d. virtutem,sine qua sacramentum pœnitentiæ, aut esse, aut vtile esse non potest,ex Testamento veteri probamus. 881. a. vis sacramentalis, in sola absolutione est posita.898.c

Pœnitentiæ sacramentum dicitur ab Apostolis institutum , quia ipsi illud declaratunt.75.c.d. applicat hominibus Christi merita per modum emplastri vel pharmaci ad curanda vulnera.631.b. fuit institutum post Christi Domini resurrectionem.819.c. vetam & propriam sacramenti habet rationem. 879. d. non habet fundamentum , testimonium , aut exemplum , in concionibus Baptistæ,& in toto veteri Testamento.882.c. duplici parte intrinseca,atque essentiali constat. 893. b. potest esse sine satisfactione, sed mancum & mutilum. 900. a. perficitur quod ad essentiam attinet , accedente verbo absolutionis, ad elementum confessionis , sed non omnino integrè & perfectè,si partes integrales considerentur 900. b. requirit confessionem,& satisfactionem. 1100.c. habet formam iudicij. 1149.c

Pœnitentiæ sacramentum , qui negarunt. 2. b. administrandi potestas non conuenit nisi iis , qui iurisdictionem in alios habent, quales sunt proprij sacerdores. 857. c. non probamus ex veteri Testamento,nisi fortè ex vaticiniis,& figuris. 881.a.potiùs quàm pœnitentiam,Concil. Trident. appellait secundam post baptismum tabulam. 934.b

Pœnitentiæ sacramenti materia sunt ipsius pœnitentis actiones. 889. a. materia remota,sunt peccata siue homo peccator. 892. c. materia est ex parte pœnitentis, forma verò ex parte sacerdotis. 896. a. materiam,solus Gropperus, aut quicunque fuit auctor Enchiridij Colonensis, fecit actionem sacerdotis,certo ritu pronunciantis absolutionem. 890. a. forma

est

est verbum absolutionis. 857. c. forma constat verbis determinatis,si de sententia verborum sermo sit, non autem si de sono & numero syllabarum agatur. 896. b.c. vis à merito obedientiæ,passionis & satisfactionis Christi pendet. 867. d.

minister propriè est sacerdos , qui formam absolutionis pronunciat, & à quo pœnitens interrogatur , examinatur, & iniunctam satisfactionem accipit.898.b. rationem atque essentiam complent , actio pœnitentis quasi materia, & verbum sacerdotis quasi forma. 894. c

Pœnitentiæ sacramento non repugnat , vt vno die dicantur peccata,& alio die pœnitens absoluatur. 134.b. c

Pœnitentiam non iniungebant Audiani.3.b. perpetuam multi veteres canones pro certis criminibus imperant. 855. c. Erasmus transformauit in resipiscentiam. 863. d. esse agendam ob culpam rectè dicitur. 865.b. quæ in actione peccatoris consistit , appellamus sacramentum. 868.a. esse nihil aliud quam memoriam baptismi, refutatur. 886.c. tabulæ naufragij comparat Ambrosius. 888. a. agere & credere euangelio,duo sunt, ac diuersa. 903. d. præcedit gignitque fides. 903.d. nonnulli agunt nullo pœnæ terrore, sed solo Dei , & iustitiæ amore impulsi. 903.b. docet D. Ambrosius in eo consistere,vt quis peccata sua confiteatur,& cõfitendo castiget ac damnet. 604. a. gignunt terrores incussi à minis legis,quare caussa sunt,non pœnitentiæ. 909.b. sacerdotes subire potebant, quæ licet non ageretur coram populo, tamen suo quodam modo publica erat, & non solennis. 912. d. publicam non solennem presbyteri iniungere poterant,& pœnitentes reconciliare. 913.b. scriò nemo agit,qui non inuocet nomen Domini. 619. d. scripturæ passim describunt per fletum, planctum, ieiunium, sacrum,&c. 1040. b

Pœnitentiam sacramentum esse,primi negarunt Montanistæ & Nouatiani. 868.c. Lutherani,& Caluinistæ negant.869.870. asserunt Doctores. 875.876. asserit Apologia confessionis Augustanæ. 880. a

Pœnitentiam intet vera sacramenta numerat Ecclesia Græca. 876. d

Polygamia Patriarcharum non fuit sacramentum Christi Ecclesiæ nisi impropriè & materialiter. 1129. a

Polygamia in veteri Testamento Dei permissione erat licita.1133.b. viri cum pluribus vxoribus, non autem vxoris cum pluribus viris, erat licita apud Iudæos. 1136.a. iure Euangelico est omnino illicita. 1138. d. qua vna mulier multis simul viris nuberet , repugnat omnibus matrimonij finibus. 1160. d. secum adfert rixas & contentiones inter vnius viri vxores. 1162.a. prohibita est iure diuino,naturali & euangelico. 1166. b. fœminæ vnius cum multis viris pertinet ad prima principia iuris naturæ, nec per vllam mutationem circunstãciarum potest fieri bona. 1166. c. vnius viri cum multis vxoribus non repugnat primario fini matrimonij. 1166. d. tempore Patriarcharum erat prohibita non lege scripta in libro vllo,sed solùm impressa in mentibus. 1167.a. nec apud Iudæos, nec apud Romanos tempore Christi erat in vsu,nisi fortè apud paucissimos. 1168. a. post Christi passionem , non solùm Christianis,sed aliis Gentibus omnibus est prohibita. 1168.a

Polygamiæ inter Christianos, primus abtum parefecit Valentinianus Imperator. 1157. c

Polygamiam ex parte fœminarum. Apostolus expresè prohibet. 1160.b. D. Augustinus dicit olim fuisse licitam caussa propagationis generis , seu sufficiendæ prolis. 1167. c

Polygamus infidelis ad baptismum veniés cogitur dimittere vxores omnes præter primam. 1165. c

Potentia consecrandi maior est, quàm baptizandi. 83.d

Potestas auctoritatis est in Deo ; potestas excellentiæ in Christo homine, & potestas ministerialis , homo purus , qui est legitimus sacramentorum minister. 74 b.c. iurisdictionis non auferetur ob peccata. 88.b. supernaturalis ad opera supernaturalia,in quibus non consistit meritum operantis,non auferur ministro propter ipsius peccata. 88.d. remittendi peccata potest esse sine gratia gratum faciente. 89.d. nunquain exit in actum. nisi velit,qui eam habet. 93.d. non solùm remittendi peccata,sed etiam retinendi data est Apostolis Ioan. 20. illis verbis , *Quorum remiseritis peccata,&c.* 98.a. ligandi sacerdotibus concessa, ad omnia vincula se extendit,quæ necessaria vel vtilia sunt ad salutem hominum reparatorum. 1089. b

Potestatem cùm dat Deus,dat etiam ea, quæ requiruntur ad eius legitimum , & congruentem vsum. 1168 d confectandi Eucharistiam dedit Christus Apostolis in cœna dicens : *Hoc facite* , potestatem verò absoluendi à peccatis eisdem dedit post resurrectionem,dicens; *Accipite spiritum sanctum.* 1117. c

Potestates duæ conferuntur in ordinatione presbyterorum,vna consecrandi Eucharistia,altera absoluendi à peccatis.1117.b

Practica verba,quæ præter significationem habent efficientiam , non sunt efficacia nisi dicantur ab eo , qui habet potestatem & voluntatem faciendi quod verba significant. 94 d

Præceptum est quo tenemur conuerti ad Deum, & contritionem in nobis excitare. 936.c. indiciale additum à Dauide,vt æqualiter diuiderent prædam in bello, qui pugnabant,& qui farcinas custodiebant. 109.c. diuinum de Eucharistia percipienda nullum est aliud præter illud, quod habetur Ioan.6. 350.b. prohibens tibus modis dici potest naturale. 1231. a. b. c. d

Præcepti Eucharistiæ vis non consistit in modo sumendi , sed in ipsa re , quæ sumenda est. 356.b. necessitate , quæ sint necessaria,non solent vniuersè complecti omnia tempora. 935 b

Præcepta peculiaria , & propriè dicta sunt efferenda propriis vocibus , ne fit locus eorum elusationi. 360.a.multa sunt in scripturis quæ dantur vniuersæ Ecclesiæ, sed implenda per aliquos non per singulos. 617.b. vniuersalia & communissima,quæ sunt veluti principia prima iuris naturæ, vt sunt præcepta decalogi,sunt omnino indispensabilia.1166.c. omnia quæ de gradibus consanguinitatis & affinitatis habentur in Leuitico,non obligant inre diuino Christianos. 1230.d. naturalia illa sunt, quæ solo lumine naturali sine aliquo discursu,aut per discursum rationis facillimi cognoscuntur,& apud omnes sunt eadem, tum quoad notitiam , tum quoad rectitudinem.1231.a.quæ indigent lumine supernaturali,dicũtur diuina positiua. 1231.a. quæ per discursum humanum à Principe constituuntur,dicuntur humana. 1231.a. Dei plurima , quæ pro tempore data erant , quæque statui synagogæ tantùm conueniebant, Christus Dominus immutauit. 1196. b

Prædestinatio nõ impletur nisi per ea media, quæ in scripturis nobis sunt reuelata. 245. a

Prædestinatus omnis vocatur , iustificatur & glorificatur. 132. d

Prædicare magis proprium est Apostolorũ & Episcoporum quàm baptizare. 227.b. licuit omnibus in primitiua Ecclesia ob ministrorũ paucitatem, iudicio D. Ambros.sen auctoris com.in epist.D.Pauli, quæ Ambrosio tribuuntur. 228. a

Prædicatio diuersarum naturarum propter vnionem hypostaticam non valet nisi in iis,quæ significantur, vt tota quædam & integra supposita. 328. c

Præfatio sic appellatur,quia est præparatio & excitatio populi ad illam actionem , in qua propriè sacrificium consistit. 815. b

Præfationes authenticæ iudicio Pelagij secundi, sunt 9. 845. d

Præparatio ad Eucharistiam non est sola fides , sed vera pœnitentia , & confessio peccatorum , si quis post baptismum in peccata mortalia lapsus sit. 624.d. vera ad Eucharistiam,est à peccatis planè absolutum & purgatum esse. 628. c

Præpositi Ecclesiæ habent potestatem suprà cæteros. 190. b

Præputium absolutè nihil est, & nihil valet. 142. a

Precibus solis,nõ aut sacramentis hominem iustificari existimarũt Messaliani. 107. b

Presbyter requirit dispensationem superioris,vt det sacramentum confirmationis. 318.d.quem Nectarius exauctorauit,non super omnes pœnitentes,sed super publicos tantùm,qui simpliciter pœnitentes dicebãtur,cõstitutus erat. 1017.c.1020.a. pœnitentiarius tẽpore Nectarij,nõ omnium pœnitentium confessiones audire debuit,sed eorum tantùm, qui publicam pœnitentiam agebant. 1028. d

Presbyteri seu senioris nomen , in Testamento nouo ferè vbique accipitur pro ministrio Ecclesiæ. 1093. d

Presbyterum cerum adire,aut apud illa publicè confiteri,ante exortam hæresim Nouati nemo cogebatur. 1020. d

Presbyteri non possunt baptizare aut absoluere, nisi quantùm eis Episcopi concedũt. 224.b.qui in Christi Ecclesia sunt partes , per se Eucharistiam immolant, populus verò per illos immolat. 710.d. in consecrãda Eucharistia, saltem quòad vsum, pendent ab Episcopis, qui possunt eis interdicere ne consecrent,vel suspendere ad tempus,vel præcipere,vt tali loco,tali modo,tali tẽpore celebrẽt. 1110.d

Presbyteratus non includit essentialiter diaconatum. 1121. c

Presbyterij nomine 1.Timoth.4.Apostolus intelligit chorum presbyterorum,id est, Episcoporum. 317.d

Primogenitus solus erat sacerdos in Sacerdotio secundũ ordinẽ Melchisedech.83.a

Principium primum in lumine naturæ est, *Omne est aut non est*, quo sublato tollitur omnis cognitio. 486.b

Probitas ministri sacramenti,nõ est caussa gratiæ in suscipiente sacramentum, nec inuat suscipientem per modum sacramenti, sed solùm per modum impetrationis & exempli. 104. a

Promissio de remittendis peccatis iis, qui confitentur Deo peccata sua,non videtur vlla extare in diuinis literis. 993. b. de dando Spiritu sancto facta est tori Ecclesiæ. 291. c. d. de mittendo Messia in mundum,de qua agit Apostolus Rom.3. est absoluta. 264.a. facta Abrahæ Gene. 17. non fuit promissio remissionis pèccatorum , sed peculiaris protectionis , & tertenæ fœlicitatis. 213.c. spiritualis nulla legitur facta comedenti manna aut bibenti aquam quæ fluxerat ex petra , aut transeunti per mare rubrum. 153.a. benè uolentiæ prædestinationis in scripturis non repertur. 43.d. præcedens, quæ à sacramento tanquam sigillo obsignetur, non inuenitur in omnibus sacramentis. 33 b. diuina alligata est verbis Euangelicis,non humanis precibus. 610.d. sic per sponsalia,non autem donatio. 1209.b

Promissionis illius Marci 16. *Qui crediderit , & baptizatus fuerit saluus erit* , veritas est perpetua , non tamen absoluta sed conditionata , si permanserit in fide & fœdere baptismali , alioqui omnes apostatæ saluarentur , crediderunt enim & baptizati sunt. 262. b.

implerio sequitur actionem quæ fuerat imperata. 569.a
Promissiones testamenti noui, & veteris, sunt diuersæ, vt ipsa etiam sacramenta sunt diuersa, nunc enim promittebantur res terrenæ, nunc autem cælestes. 146.a. annexæ sacramentis veteribus implebantur eriamsi homines non crederent. 147.a. Dei sunt conditionatæ. 165.c. diuinæ pleræque intelliguntur cum conditione. 355.a
Promulgatio solemnis nouæ legis facta est in die Pentecostes. 218.a. est de essentia legis. 218.a
Propheta 3. Reg. 11. ob peccatum à leone fuerat occisus, quamuis pœnitentiam egisset, & remissionem à Domino impetrasset. 1017.a
Prophetæ de futuris loquuntur in præsenti, quia res futuras ita certò norunt Deo indicante, ac si præsentes intuerentur. 715. falsi & alieni, non vocantur à Domino, ordinarij pastores, sed extraordinarij, qui per se venerunt, vt venerunt omnes hæretici. 84.b
Propinquitas filij ad patrem inrensuè maior est, quàm fratris ad fratrem, non autem extensuè. 1229.b
Propositum implicitum non peccandi, nullo modo separati potest à peccati detestatione. 930.c. vitandi peccata absolutæ charitatis vel obedientiæ est, cum etiam iustis conueniat, qui non indigent pœnitentia, tamen vt assumitur ab eo, qui peccauit, ad compensandam iniuriam Deo factam, & amicitiam redintegrandam, pœnitentiæ est. 931.c. non peccandi, animo ex vera charitate nemo concipit, quin continuò exurgat dolor de peccato admisso, & nondum per indulgentiam Dei dimisso. 931.d
Prouerbio illo, *Optima pœnitentia nouæ vitæ*, significare volunt homines, vitæ nouitatem esse certissimum veræ pœnitentiæ argumentum. 926.d
Psalmi Dauidis, vt antiphonatim canerentur per ordinem ante sacrificium, instituit Celestinus 1. 809. d. ad sacrificium fierunt adhibiti ante Celestinum. 1.809.d
Psalmorum liber multos auctores habet, testibus Hiero. & Cypriano. 818.b
Publicanus legitur iustificatus præ Pharisæo, non tamen ab omni reatu pœnæ liberatus. 1080.c. non potest dici iustificatus sine satisfactione. 180.c
Publica honestas, est inchoata quædam affinitas. 1250.d
Publicæ honestatis iustitia, est cognatio, quæ oritur ex sponsalibus, quæ matrimonia dirimit intra primum gradum tantùm. 1223.b
Puniuit temporaliter Deus Mosem, Aaronem, Dauidem, & alios multos post suam conuersionem. 1062.b
Puniri à Deo peccata, etiam in filiis & amicis, agnouit Calumus. 1037. c. vt quis nullo modo possit, non solùm culpam, sed etiam causam abesse oportet. 1185.a
Pusilli de quibus loquitur Dominus Matt. 18. non infantes, sed pueri grandiores erant. 247.c

R

RApta puella etiamsi ipsa consenserit rapi, reddenda est patri. 1207.d
Raptus ad eam pertinet, quæ nondum est propria vxor, neque sponsa. 1107.d. est impedimentum impediens contrahendum coniugium, sed non dirimens contractum. 1208.a
Rasura etsi sit cæremonia Sacerdotum, non tamen fit in ipsa consecratione sacerdotali. 1118.d
Rationes quibus probatur tria solum sacramenta imprimere characterem. 158.d
Reatus peccati, id est, obligatio illa quæ potest tolli per non imputationem, non significatur per voces maculæ, inquinamenti, iniquitatis, & similes, sed significatur ipsa fœditas quam hæretici volunt manere in baptizatis. 250.a
Rebus, Rem. vide *Res*.
Reconciliandi verbum est commune & ei qui læsit, & ei qui læsus est. 1189.a
Reconciliari non potest homo Dei, sine sacerdotali, absolutione in re vel in voto. 957.d. cupientes auctore D.Augu. in æternum pereunt, quòd antè moriantur quàm à sacerdote absolui potuerint. 983. b. lapsos post Baptismum, per ipsum Baptismum, memoria, non autem ipsa repetitum asserunt hæretici. 884.b. dicitur tam is qui læsit, & quàm is qui læsus est. 1182.c. vide *Aegrori*.
Recõciliabantur in veteri ecclesia, qui ob vim morbi extra se positi erant. 981.c
Reconciliatio pœnitentium non est regeneratio per aquam, sed reformatio quædam, & renouatio ab inferis. 203.c
Redemptio in scripturis quinque modis accipitur, 824. a.b.c. à malo culpæ per applicationem precij in cruce soluti, est ipsa iustificatio. 824. a. ab omni malo culpæ & pœnæ per solutionem precij sufficientis non obtinetur per Missam. 824.a. à corruptione & æmonis huius vitæ fiet in vltima resurrectione. 824.b
Redemptionis mysteria completa sunt in ascensione Christi Domini. 218.b
Redempti sunt omnes homines ab omni malo culpæ & pœnæ per solutionem precij sufficientis. 824.a
Redimere dicitur Deus eos quos præseruat peccato, in quod alioqui incidissent. 824.b
Refectio spiritualis non requirit distinctionem cibi & potus. 639.d
Regeneratio, vide *Iustificatio impij*, & *Reconciliatio*.
Regenerationis & iustificationis, quæ sit in baptismo, tres sunt effectus. 159.d
Regenerantur aliqui ante baptismum per fidem, contritionem, & desiderium baptismi. 166.a
Regiones albæ ad messem sunt homines dispositi & idonei ad recipiendam salutem, quales semper sunt paruuli. 238.c
Regis, vide *Rex*.
Regulæ sex de modo loquendi in materia sacramenti eucharistiæ. 318.a.b.c
Religio esse non potest sine sacramentis. 23.b.18.b. Christiana post Christi mortem propriè cœpit. 744.b. quæuis sacrificium externum, ac visibile requirit, ad quod homines illius religionis peragendum conueniant, & quòd ab ipsis frequentari possit. 744.c
Rem, rebus. vide *Res*.
Remedium contra peccatum à Christo determinatum est communissimum & facillimum, præter quod non licet fingere aliud. 215.b
Remissio peccatorum duo requirit. 753.a
Remissionis peccatorum signa sunt baptismus, & absolutio. 671.b
Renouari est proprium baptismi. 887.b
Repræsentandi verbum ambiguum est, significat enim præsentem non aliquam facere, siue reipsa, siue in signo aliquo vel imagine. 414.c
Reprobes, vide *Paruulus quamuis*.
Repudiatarum nuptias cum aliis viris non puniebat lex vetus. 1194.c
Repudiauit Abraham iubente Deo vxorem suam Agar. 1194.d
Repudium, Dei promissione in veteri testamento erat licitum. 1133.d. si erat in lege veteri licitum, & vinculum coniugij dissoluebat, non vocabatur adultera, quæ viuente viro erat cum altero viro. 1181.a. nullum, inquit Tertull. Romæ fuit scriptum per annos fermè 600. ab vrbe condita. 1184.d. vt habet communior sententia, semper fuit illicitum, permissum tamen Iudæis, vt impunè fieret, causa maioris mali euitandi. 1194.a. erat licitum Iudæis, adeò, vt repudio solueretur vinculum matrimonij. 1194.c
Repudium Iurisconsulti vocant dimissionem tum sponsi, tum etiam vxoris. 1170.a. in lege concessum, aut permissum, Christus Dominus omninò sustulit, & ad primam originem coniugium reuocauit. 1195.d. vide *Diuortium quod*.
Res successiua nunquam est per suas partes in re existentes. 135.d. terrena in eucharistia est id quod sensu percipitur, res verò cælestis, est id quod creditur, nimirum Christi corpus immortale. 412.a. vna quòd non possit esse in duobus temporibus, non nascitur ex ipsis res, sed ex temporibus, quæ non possunt esse simul. 493.d. vna & eadem in scripturis, alio & alio modo considerata, nunc bonam, nunc malam habet significationem. 600.d. eadem siue detur sub specie panis, siue sub specie vini, siue vtriusque, & famem, & sitim animæ sedat. 644.d. quæ Deo in sacrificio offertur, ex profana fieri debet sacra, & Deo dicata. 688.b
Res sacramentorum legis veteris, & legis naturæ erãt à Deo determinatæ. 66.b.c. perfectæ quomodo conueniant perfectis vel imperfectis. 237.a. in scripturis ordinariè vocantur, vt exterius apparent: sic Angeli, qui apparebant in forma humana vocantur viri. 401.b
Rem vnam esse in diuersis locis non possumus cogitare, nisi cogitemus, aut loca illa fieri vnum locum, aut rem vnam diuidi in plures. 489.c
Rebus vt pluribum natura sua noxiis, aut non salutaribus prophetæ, & Apostoli vrebantur, vt curarent. 1091.a. ordinariè vtilibus ad curandum si Prophetæ & Apostoli fuissent vsi, ipsi sibi fidem abrogassent, & Dei donum obscurassent. 1091.b
Restituere, est cessare ab iniuria, non iniuriam factam resarcire. 1031.c
Restitui nihil potest Deo, cùm ipse damnum nullum patiatur. 1031.c
Restitutio non est idem quod satisfactio. 1031.c. respicit damnum re ipsa illatum, ibid. in rebus versatur, ibid. restaurat iustitiam quoad æqualitatatem rerum, vt cùm ea, quæ furto ablata sunt, reddantur. ibid.
Resurrectionis Domini hora nulli hominum est nota. 502.a
Resurrectionem aliquando futuram probat Irenæus, quia caro nostra per eucharistiam coniungitur immortali, & viuificatrici Christi carni. 410.d
Retinere peccata, est nolle remittere. 981.a
Reum esse mort is æternæ, includit exhæredationem à regno cælorum. 950.d
Rex. Regis nomen iis locis quæ regibus subsunt in canone missæ recitari debet. 821.d
Ritus varios instituit D. Paulus, de quibus Dominus nihil expresè mandauerat. 196.b. vide *Diabolus*.
Romana ecclesia à D.Petro didicit, qualiter diuina mysteria celebrari debeant. 594.a. politia non fuit à Deo approbata. 1240.b
Ruperti Abbatis error de eucharistia. 523.a.b

S

SAbbathum est mutatum in diem Dominicum ne Christiani viderentur Iudaizare. 192.b. magnum dicebatur quod incidebat intra hebdomadam paschalem. 590.d
Sabbathi ieiunium tempore D. Augustini seruabatur Romæ non autem Mediolani. 185.b
Sabbatha, vide *Christiani*.
Sacerdos orat publicè, & tanquam publica persona intercedit pro vniuerso populo. 84.a. solus est ordinarius Baptismi minister. 224.c. in persona Christi consecrat, & ideo non dicit, Hoc est corpus Christi, sed Hoc est corpus meum. 607.a. sacrum facions, quando confitetur peccata sua, quando orat, quando laudat Christum, agit personam suam, non autem Christi. 614.b. consecrat in persona Christi. 611.a. in actione Liturgiæ, vsque ad illa verba, *Qui pridie*, &c. agit personam suam non Christi, inde vsque ad finem consecrationis, agit personam suam, & Christi. 614.c. in consecratione Eucharistiæ, non solùm agit vt minister Christi, sed induit omnino Christi personam, & loquitur ac si ipse esset Christus 614.c. dici non potest qui nullum habet sacrificiũ quod offerat. 693.d. non potest esse verè ac propriè, qui sacrificium vetum ac proprium offerre non potest 705.c. verè dicebatur cremare victimam, quando ignem illi subiiciebat. 719.c. quarenus offert sacrificium est maior reliquo populo. 766.d. est publicus minister sacrificando, concionando, & sacramenta ministrando. 787.a. inquit D. Chrysost. procedit ad altare, ministro præcedente cum lumine. 802.d non tantùm Deo inclinat caput, sed etiã cruci, aut imagini crucis. 806.c. quòd in Missa saluter populum, antiquissima est cæremonia, vt patet ex Liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysostomi. 811.b. si non aliter peccata remitteret, quàm annunciando diuinas promissiones, non nisi frustrà ac ridiculè absoluerentur surdi, & ij qui ob vim morbi vsu sensuum sunt destituti. 983.c.si quem absoluendum non esse iudicaret, atque adeò peccatum eius retineret, frustrà id faceret, si per confessionem soli Deo factam, inuito etiam sacerdote ille absolueretur. 993.c. in veteri Testamento fuit verus iudex dubiarum quæstionum, non autem simplex consiliarius. 1254.d. prohibebatur ducere vxorem aut viduam, aut repudiatam, aut meretricem. 1194.d
Sacerdotis oratio cum offerretur sacrificiũ pro peccato non erat de essentia sacrificij illius. 50.a. vt talis est, proprium munus est offerre sacrificiũ. 683.c. proprium munus est offerre. 687.a. vocabulũ pro ministro Ecclesiæ in nouo Testamento non reperitur. 740.c. nomen patres frequenter tribuunt Ecclesiæ ministris. 740. c.d. cuiuslibet præcipuum munus est, auctore Apostolo Hebr. 5. offerre pro peccato. 764.c. nomine, veteres Episcopum intelligebant. 1109.d
Sacerdoti potest imponi publica pœnitentia, modò sine solemnitate id fiat, pro peccato publico. 912.d. deposito potuisse publicam imponi pœnitentiam est probabile. 913.a qui tenetur ad celebrationem Missæ, si non adsit sacerdos cui peccata sua confiteatur, sufficit contritio cum proposito confessionis ad Eucharistiam non indignè percipiendam. 949.b. iubet Origenes prodi omnia peccata, etiam occultissima, si velimus ea purgari. 997.c. ob celebratum rectè accommodatur illud, *Sancti estote*, nimirũ corpore & spiritu quo modo coniugati sancti esse non possunt, licet ipsi etiam suo modo sancti sint. 1135.c
Sacerdotem comparat D.Chrysost cum eo qui pro potestate in carcerem detrudit, aut ex carceribus liberat. 982.b
Sacerdotes quibus nuptiæ sunt interdictæ non possunt vxores ducere, aut illis vti, quin secundum carnem viuant. 10.d. non sunt omnes qui sunt de populo Dei. 79.d. in veteri Testamento, erant solùm filij & posteri Aaron. 82.a. nullierant ordinati cùm baptizarentur D. Paulus præter Apostolos. 227.c. ante M. annos ter faciebant sacra in die natalis Domini. 549.d. sunt omnes Christiani largo modo, quia omnes offerre debent spirituales hostias bonorum operum, at propriè non sunt sacerdotes, nisi qui ad hoc ordinati sunt. 610.d. superant Angelos inquit D. Chrysostomus propter potestatem consecrandæ Euchatistiæ. 621.a. propter perfectionem sacramenti, tenentur sumere vtramque speciem, cum conficiunt Eucharistiam. 660.b. propriè dicti in Ecclesia Christi nunquam sunt dicti vel habiti nisi Episcopi & presbyteri. 684.a. in lege naturæ erant vel capita familiarum, vt Noë, Abraham, vel ij quibus Deus id inspirabat. 688.a. qui sunt in Ecclesia non succedunt Christo. 750.c. etiam ij qui peccato mortali tenentur, functionem remittendi peccata exercent. 851.b. in sacramento pœnitentiæ, potestate iudiciaria sed ministeriali, vt Christi ministri. non vt Reges ac Domini, peccatores absoluunt. 880.d. instituti sunt à Christo Domino iudices super terram, cùm ea potestate, vt sine ipsorum sententia, nemo post baptismum lapsus reconciliari possit. 978.b. qui ministri sunt, iuxta leges sibi traditas, coguntur pœnitẽtibus mulctam iniungere. 1061.d. non arcentur à matrimonio propter sacramentum, quod in matrimonio est, sed propter impedimenta, & seculares curas quæ necessariò matrimonium cõsequuntur. 1135.c. arcentur non à coitu tantùm, sed etiam à sacramento matrimonij, non per se, verùm per suos ministros in terris fungitur sacerdotio. 986.b. Christo conuenit vt minor est patre, & proinde vt homo est, non vt Deus est. 693.d
Sacerdotium Christi durabit vsque ad finem mundi, quare & sacrificij ritus durare debet, nisi fortè otiosum Christus habeat sacerdotium. 693.d. ideo vocatur secundum ordinem Melchisedech, quia in specie panis & vini consistit. 636.c. perpetuum est, quatenus per ministros suos, perpetuò sacrificat seipsum in Eucharistia. 745.a
Sacerdotij & legis eadem est ratio, si extinctum sacerdotium aut translatum in cælum; extincta quoq; est lex, aut translata in cælum. 986.b
Sacerdotij Melchisedech nihil est propriũ nisi forma talis sacrificij. 701.a
Sacerdotij Christi æternitas consistit in Eucharistia offerenda. 697.d. vnitas & æternitati non repugnat vt in terris habeat sacerdotes ministros & vicarios per quos sacrificet. 751.a
Sacra res, quam sacramenta nouæ legis significant, est triplex. 21.d
Sacramentalis exitendi modus quem habet Christus in sacramento Eucharistiæ explicatur à Concil. Trident. sess. 13.c.1. aduerbio *Substantialiter*. 337.d. manducatio Eucharistiæ dat vitam, non autem sola manducatio spiritualis per fidem, quamuis manducatio sacramentalis non det vitam sine fide. 352.b. vnio est minor vnione naturali. 367.a. propositio sumitur duobus modis. 375.b. propositio per quam sacramentum instituitur, aut conficitur, constat verbis propriè acceptis. 375.c
Sacramentalis formæ vis posita est in sensu, non in sono aut numero literarum. 312.d
Sacramentales species solebãt absumi igni quando aliquid accidebat vnde horror esset eas manducare. 579.b
Sacramentalia verba non sunt speculatiua, sed practica: efficiunt enim, quòd significant. 372.a
Sacramentalia verba, & signa, vim habent à Deo, operandi quod significant. 65.a
Sacramentarij sæpè dicunt reale corpus Christi in cœna adesse. 337.a. nihil volunt credere, nisi quod intelligunt. 397.a. reipsa indicant se nihil velle credere, nisi quod capiunt, cùm passim asserant non posse fieri id quod orbis terrarum credit esse factum. 483.d. ad suam libidinem creãt suos ministros, & eos ministerio priuant. 619.a
Sacramentariorum tempore Lutheri decem fuerunt opiniones, ac sectæ. 356.b. parens fuit Berengarius Andegauensis Archidiaconus. 509.c. initium & progressus. 311.d. 312.a.b
Sacramentum Latinè, & *Mysterium*, Græcè idem sunt. 1122.d
Sacramentum in scripturis nonnunquam significat signum rei sactæ. 15.d. essentialiter est cæremonia religionis. 20.c.d. est signum repræsentans rem sactam non prophanam. 21.c. est caussa instrumentalis sanctificationis. 22.d. an possit definiri. 23.a. qua ratione significet sanctificationem. 23.a. secundum considerationem physicam non potest definiri. 24.b. secundum considerationem moralem, quæ est Theologi propria, est ens reale & potest definiri. 24.c. vt sacramentum non solùm significat, sed etiam sanctificat. 24.c. moraliter cur sit vnum. 24.d. non tantùm significat, sed etiam efficit sanctificationem. 27.b. non perfectè definitur, est signum rei sactæ. 27.c. vt figura, significat gratiam aliis dandam. 27.d. vt sacramentum, dicit ordinem ad eum, qui initiatur. 27.d. vt sacramentum dicit ordinem ad eum, qui sacramento initiatur, non ad alios. 27.d. est genus vniuocum, ad sacramenta legis veteris & nouæ. 28.a. in genere est cæremonia significans, & efficiens alicuius consecrationis seu sanctificationis. 28.a. vnum potest esse signũ multarum rerum. 29.c. perperam definitur à Lutheranis. 30.c.d. vt est signum sensibile, aliquo sensu percipitur. 31.d. non obsignat instar sigilli, neque confirmat instar miraculi promissionem gratiæ. 34.c.d. totum constat re, vt materia, & verbo, vt forma. 30.c. propriè non est compositum physicum aut artificiosum, cum vtroque tamen habet quandam similitudinem. 30.c. componitur ex materia & forma, vt ex partibus essentialibus. 31.b
non est compositum naturale. 32.c.

INDEX.

torum, habet virtutem à verbo, vt verbũ est res spirituales, & sola fide cognoscibilis. 63.c.d. non perficitur cum mutatur forma substantialis Sacramenti. 67.d. cum sola corruptione accidẽtali formæ non perficitur, si is qui accidẽtaliter mutat formam, velit introducere nouum ritum respectu totius Ecclesiæ in vniuersum. 68. a. non semper irritatur cum quis intendit introducere nouum ritum. 68.d. à Dei institutione pendet. 69. a. magis requiritur ad iustificationẽ quàm fides. 72.c. ab Angelo bono administratum, habendum est ratum. 78.b. à diabolo collatum, est iterandum. 78.c. est signum & caussa infallibilis gratiæ. 78.d. aliquando nihil operatur in suscipiente, ob eius ind.spositionem. 89. c. est distinguendum à suo effectu. 89. c. distinguitur à re sacramenti. 107. a. sine fide & pœnitentia potest recipi, non autem res sacramenti, id est gratia. 107. a. non operatur excitando fidem, sed vi sua efficiendo. 119. b. actiuè iustificat, vt instrumentum Dei. 129. b. sequitur fidem in iustificatione. 130. b. dicitur manus, quia applicat ipsa Christi merita, & operatur gratiam. 130. c. prodest etiam non intelligentibus, vt infantibus & amentibus. 130. d. non est opus nostrum, sed Dei. 134 b. non pendet nisi à diuina institutione. 233. b. in paruulis, suppler defectum actualis & propriæ fidei. 237. a. pendet à dignitate Ecclesiastici ministri. 317. c. propriè dictum, vt constituantur, duo requiruntur & sufficiunt. 870. d. omne non exigit clementum. 879. d. non frustrà suscipitur ab eo, qui per contritionem est iustificatus. 958. c. nullum est, quod non requirat essentialiter ministrum sacerdotem, excepto baptismo, ob summam eius necessitatem, & matrimonio, quia in contractu mutuo nubẽtium consistit. 1102. a. magnum ab Apost. Ephes. 5. non refertur ad coniugium Adami & Euæ, sed ad nuptias fidelium. 1125. a. semper auget gratiam. 1131. d. non colligitur ex quolibet signo, sed tantùm ex signo à Deo instituto, & cui annexa sit gratia. 1132. a. non est institutum ad confirmandam promissionem, sed ad significandam & conferendam gratiam. 1134. a. nullum præter baptismum, habet pro materia verum & naturale elementum. 1140. b

Sacramentum nouæ legis quibus rebus constituatur. 20. a. b. c. &c. præcipuè & essentialiter significat gratiam iustificantem. 22. a. significat & efficit sanctificationem, si non actu, saltem naturali aptitudine. 23. a

Sacramentum nouæ legis, & sacramentum à Christo institutũ, idem significãt. 74. a

Sacramentum absolutionis Lutherus admittit. 3. d. corporis Domini, significat ipsam Domini corpus præsens, non absens, 465. a. Eucharistiæ est adorandum. 673. d

Sacramentum suscipiens perficitur. 17. c. esse signum probatur scripturæ testimoniis. 20. c. conferre gratiam ex opere operato, est conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramẽtalis à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis. 103. d. quodcunque indignè & sine dispositione sumens peccat, quia ponit obicem gratiæ Dei, non autem quia materia illa significat aliquid sacrum. 386. c. verum futurum etiamsi à diabolo conficeretur docuit Lutherus. 618. c. sibiipse nullus administrat. 776. b. vnum, qui habẽt, arceri possunt ab alio, licet vtrunque sit sanctum, quando vnius ministerium, alterius functionem impedit. 1137. a

Sacramenti nomen an sit vsurpandum. 3. c. à Christianis retinendum. 14. b. & c. reperitur in scripturis. 15. a. b. ab Apostolo non tribuitur Christo & Ecclesiæ, sed coniũctioni viri & fœminæ 15. d. in scripturis non tribuitur baptismo & eucharistiæ. 170. a. tribuitur à scriptura multis rebus, quæ nõ sunt verè sacramẽta. 170 a

Sacramenti nomen hæretici reiiciunt. 13. c. & approbant. 14. b. Apost. Ephes. 5. tribuit nuptiis fidelium, non autem coniugio primorum parentum. 1133 c

Sacramenti nomine ad significandum baptismum, Eucharistiam, &c. vsi sunt, antiquissimi patres. 16. b. c

Sacramẽti significatio est ens rationis. 24. c. non est vna significatio simplex, sed duæ partiales; ex quibus vna totalis componitur. 51. b. propriissima. 19. a. variæ significationes. 18 b. c. d

Sacramenti definitio an vniuocè conueniat sacramentis legis veteris & nouæ. 26. d. 27. a. b. à Kemnitio excogitata refutatur. 31. c. d. à Caluino excogitata refellitur. 40. c. d. definitiones variæ. 25 b. c. definitiones, quas afferunt Anabaptistæ & Zvvinglianistæ refelluntur. 38. a. b. c

Sacramenti materia debet significare effectum sacramenti. 305. a. est res, eiusdem forma est verbum. 49. c. 50. d. fuit in omni lege determinata à Deo, sed non semper eodem modo. 66. d. requirit, vt sit externum, ac sensibile signum, quod per verbũ perficitur, & quasi formatur. 897. c

Sacramenti materiam mutare esset graue sacrilegium, & sacramentum non perficeretur. 69. a

Sacramenti minister non tenetur intendere id facere, quod facit Ecclesia Romana, sed solùm id quod vera Christi Ecclesia facit. 68. c. debet habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia. 92. d. habet in se virtutem operatiuam efficienter & instrumentaliter. 95. a. propriè dicitur, qui vel totum sacramentum, vel potissimam eius partem conficit. 898 b

Sacramenti ministri munus est verba formæ pronunciare, & per ea sacramentum conficere. 1145. b

Sacramenti essentia non requirit, vt qui illud habet, aliquid supernaturale efficiat, sed satis est si sit cæremonia conferens gratiam. 1113. c. propriè dicti essentia, tria requirit. 289. a. essentia, & veritas non pendet ex doctrina. 275. c. tota essentia ac ratio in qualibet specie inuenitur. 639. b. essentiam non constituit sola significatio 24. b. natura ad solùm postulat, vt externa signa ad spiritualem effectum aptè repræsentandum exhibeantur. 879 c. in genere natura nõ requirit. vt consistat aliqua in re, quæ extrinsecus applicetur, sed satis est, vt sit signum, & caussa gratiæ iustificantis. 1130. a. formam mutans peccat contra Deum, & cum substantialiter mutat non perficit sacramentum. 69. a. effectus sæpè tribuitur vni parti, cùm tamen consteat eam partem non esse de gregẽ Domini. 48. b. nunquam voantur à patribus signacula vel sigilla promissionum Dei. 48. b. c. intra se claudunt inuisibilem gratiam. 48. c. cur vocẽtur signacula. 48. c. d consistit rebus & verbis, cùm aliquid fungitur vice rei, & aliud vice verbi. 51. c. d. omnia non postulãt vt res & verba coniungantur, vt partes essentiales eiusdem rei. 51. c. naturæ inspirabantur præcipuis Patriarchis, vt Adæ, Noë, Abrahæ qui alios docebant. 66. d. ab hæreticis tradita, sunt valida. 68. c. sunt instituta ad iustificandos homines & vt sint signa & caussæ instrumentales gratiæ Dei. 69 c. id est, sensibilia signa ad iustificãdos homines, instituere, fuit vtile. 69. d. tria, nimirum Eucharistia, confirmatio, & extrema vnctio, posita diuina institutione, sunt necessaria necessitate medij ad benè esse. 70. d. ab hæreticis comparantur picturæ, quam similitudinem reiicit Kemnitius. 71. a. b. non sunt superflua ad salutem, sed necessaria. 71. d. quædam adeò sunt necessaria, vt sine ipsis vel eorum voto, non possit salus contingere. 71. d. omnia non distinguitur ab essentia in baptismo. 573 c susceptio ad sanctificãdum suscipientem ordinatur, quare non sanctificat nisi suscipientem 771. a. sanctitas non non pollutur per malos mores eorum, qui sacramenta percipiunt. 1133. d. vllius capax non est infidelis non baptizatus. 1219. a

Sacramenta sunt signa efficacia gratiæ. 4. d. prosunt iis qui sunt in peccato mortali, modò velint agere pœnitentiã. 5. d. conferunt gratiam non ponenti obicem. 6. c. omnia sunt necessaria necessitate præcepti, licet non singulis. 7. a. omnia vim habent ex meritis Christi 8. c. sunt caussæ instrumentales iustificationis. 8. d. sunt instrumentales caussæ gratiæ conferendæ. 9. a. ab Hebræis tribus vocibus significantur. 17. b. sunt vestigia & manuductiones ad spiritualia & inuisibilia. 20. c. sunt signa visibilia seu sensibilia. 20 c. sunt signa voluntaria. 22. c. & 23. a. habent cum re quam significãt analogiam quandam & similitudinem. 21. a. b. cur vocentur à patribus antitypa earum rerum quarum sacramenta sunt. 23. c. sunt instituta ad sanctificandum. 22. b. significant sanctificationem, quæ fit dum ipsa sacramẽta adhibentur. 22. c. necessaria ad religionem. 23. b. sunt cæremoniæ durabiles, solennes, ac stataæ. 23. c. non fuerunt verba Christi Domini ad peccatricem, neque insufflatio in Apostolos. 23. c. verè possunt administrari sine concione. 34. a. non sunt notiora, & efficaciora Dei verbo. 35. a. sine verbo nullã habent auctoritatem. 35. d. omnem vim suam habent à verbis. 36. b. in scripturis non dicuntur testimonia promissionum. 36. c. deseribuntur in scripturis, vt instrumenta iustificationis. 36. c. iudicio Anabaptistarum, nihil aliud sunt quàm signa quædam instituta ad discernendum populum Christianum à Iudæis & Paganis. 38. a. distinguunt religionem veram à quibusdam falsis. 38. c. sunt instituta vt iustificent homines. 38. c. d. omnia sunt Catholicis communia cum schismaticis. 38. d. omnia vim habent ex Christi passione. 38. d. admonent homines bonorum operum & virtutum. 39. b. sunt signa rerum præteritarum, præsentium & futurarum. 39. c. in præsenti gratiam adferunt. 39. d. sunt instituta ad sanctificandum & mundãdum hominem interius. 40. b. Caluino auctore sunt instrumenta iustificationis, quia excitant vel alunt fidem merè obiectiuè. 41. b. sunt res operantes, quæ mũdant, lauant, sanctificant, iustificant, regenerant. 41. c. habent vim adferendi primam iustificationem. 42. a. sunt efficaces caussæ gratiæ nisi ponatur obex. 43. c. nullam vim habent sine verbo. 46. c. obsignant fideles, & tanquam nota eos separant ab iis qui non sunt de gregẽ Domini. 48. b. nunquam vocantur à patribus signacula vel sigilla promissionum Dei. 48. b. c. intra se claudunt inuisibilem gratiam. 48. c. cur vocẽtur signacula. 48. c. d consistit rebus & verbis, cùm aliquid fungitur vice rei, & aliud vice verbi. 51. c. d. omnia non postulãt vt res & verba coniungantur, vt partes essentiales eiusdem rei. 51. c. naturæ inspirabantur præcipuis Patriarchis, vt Adæ, Noë, Abrahæ qui alios docebant. 66. d. ab hæreticis tradita, sunt valida. 68. c. sunt instituta ad iustificandos homines & vt sint signa & caussæ instrumentales gratiæ Dei. 69 c. id est, sensibilia signa ad iustificãdos homines, instituere, fuit vtile. 69. d. tria, nimirum Eucharistia, confirmatio, & extrema vnctio, posita diuina institutione, sunt necessaria necessitate medij ad benè esse. 70. d. ab hæreticis comparantur picturæ, quam similitudinem reiicit Kemnitius. 71. a. b. non sunt superflua ad salutem, sed necessaria. 71. d. quædam adeò sunt necessaria, vt sine ipsis vel eorum voto, non possit salus contingere. 71. d. omnia non

sunt singulis necessaria. 71. d. tria sint simpliciter necessaria, Baptismus omnibus, pœnitentia omnibus qui peccãt post Baptismũ & Ordo ipsi Ecclesiæ in vniuersũ. 73. a. non sunt opera nostra, neque pẽdent ex nostra dignitate aut merito. 73. d. ab impiis collata sunt valida. 73. d. ab improbis ministris collata sunt, etiam hæreticorum iudicio, efficacia. 85. a. non pendent ab humana virtute, ne homines in hominibus confidere assuescerent. 88. a. semper sunt Ecclesiæ catholicæ, etiamsi extra eam interdum repertantur. 90. b. per iocum duobus modis possunt conferi. 96. c. si penderent à probitate ministri, noceret vnius malitia alteri. 100. b. sunt veræ & propriæ caussæ instrumentales iustificationis. 101. c. quo modo sint caussæ iustificationis non est necesse vt sciatur. 101. d. non conferunt gratiam ex dignitate & merito suscipientis. 103. a. sæpe conferunt primam gratiam, ita vt hominẽ ex impio iustum faciant. 103. a. habent veram efficaciam seu efficientiam ad producendam gratiam ex institutione diuina. 104. d. non possunt esse sigilla iustificationis, aut saltem erunt falsa sigilla. 112 b. pendent à Deo non solùm in institutione, sed etiam in ipso vsu. 121. a. pendent à Christi passione & morte. 122. b. fluxerunt à Christi latere perfosso. 122. b. si solùm operantur significando & excitando fidem, nulla ratione ferrent certitudinem. 122 d. quam uis ex se infallibiliter efficacia sunt, tamẽ poterit fieri vt nobis non sint efficacia ob nostram indispositionem. 122. d. contrario modo se habent ad idem ac Verbum. 122. a. non possunt rectè conferri adultis nisi iis qui priùs credunt. 122. a. non prosunt nisi suscipientibus, etiamsi alij sint præsentes. 123. c. non minùs sunt efficacia, si dentur lingua quæ non intelligitur à suscipiente, quàm si dentur lingua vulgari, quam omnes intelligunt. 123. c. dant dona Spiritus sancti, non autem propriè ipsum Spiritum sanctum. 127. c. sunt visibilia verba. 128. a. non agunt nisi priùs à Deo virtutem, seu benedictionem seu sanctificationem accipiant. 132 c. sunt caussæ efficientes physicæ. sed instrumẽtales gratiæ. 132. d. non operantur nisi priùs in ea descendat Spiritus sanctus. 133 d. legis naturæ aut scripturæ, non iustificabant ex opere operato. 138. d. 139. b. inquit August. sunt mortua, facta sunt facilora, pauciora, salubriora, feliciora. 145. c. 154 d. quę imprimunt charactẽrem, non possunt reperi. 158. c. tria solum, imprimunt characterem, Baptismus, confirmatio, & ordo. 158 a. non possunt reperi, quæ semel data semper manent in suo effectu. 163. c. semper fuerunt ministrata Latinè in Ecclesia Latina. 194. a. sic sunt spiritualia, vt homines ex animalibus efficiant spirituales, cum vim habeant regenerandi & renouandi. 140 b. nostra nõ dicuntur in scriptura apud patres excellere veteribus Sacramentis, quia melius significant. 344. d. & eorum efficacia ac veritas integrè pendent ab institutione & verbis Christi. 131. a. non nascuntur inquit D. Augustin. sed fiunt per mysticam predem 371. a. iudicio Sacramentariorum nõ operantur nisi excitando fidem. 618 d. sunt instrumenta sanctitatis 746 d. non prosunt aliis quàm sumentibus. 763. a. ad quorum essentiam verba potissimùm pertinent, non requirunt vt verba ab iis percipiantur, qui Sacramenta suscipiunt, modò percipiantur ab iis qui ea ministrant. 795. b. quamuis vim habeant ex opere operato tamen requirunt bonum motum, id est, fidem & pœnitentiam ex parte suscipientis. 838. a. omnia non consistunt in actione, nam eucharistiæ Sacramentum, propriè est actio transiens, sed res permanens. 879. b. per se ad animam pertinent, ad corpus per accidens, aut certè secundariò. 1088. a. necesse est vt maneant, quamdiu Ecclesia manet. 1093. a. omnia non sunt instituta ad remissionem peccatorum. 1118. b. omnia gratiam gratũ conferunt. 1141 c. sunt instituta vt nos certos reddãt remissionis peccatorum & gratiæ Dei. 122. c

Sacramenta veteris legis nunquam vocantur veteris Testamenti secreta, aut signa rei secretæ. 19. c. habuerunt solas res, non autem verba. 49. d. 50. a. à Mose vt Dei ministro sunt institura. 50. a. erant figuræ ac typi Sacramentorum nostrorum. 66. c. efficiebant legalem mundiciam & introducebant in populum Dei. 66 d. à Deo immediatè sunt instituta, à Mose autem solùm promulgata. 75. b. à solis Sacerdotibus minis trabantur. 80. c. non propriè operabantur gratiam, sed vel sides, vel deuotio suscipientis, vel totius Synagogæ, vel quid aliud. 105. b. iustificabant ex opere operantis, id est, ex fide & deuotione suscipientis. 138. a. non habebant annexam promissionem absolutam gratiæ. 146 c. non imprimebant characterem. 159. b. non fuerunt institura ad perficiendum hominem in vita spirituali. 176. d. cœperunt cum ipsa lege, & dutauerunt toto tempore quo lex ipsa dutauit. 266. c

Sacramenta Iudaica non solùm erant figuræ nostrorum Sacramentorum, sed etiam res per se. 28. b. fuerunt inutilia ad iustificandum. 141. d

Sacramenta legis Mosaicæ, à Deo per Mosem sunt tradita & literis mandata. 66. d. solum significabant gratiam: nouæ verò legis sacramenta conferunt gratiam. 117. d. ex communi Catholicorum consensu non conferebant gratiam ex opere operato. 117. d. non iustificabant ex opere operato. 143. b. c. omnia sunt mutata, quia non dabant salutem. 144. b. habebãt annexã pro missionem; cum promitterẽt saluatorem. 145. b

Sacramenta nouæ legis, significant tripliceem rem sacram. 21. d. significant tripliceem rem sacram. 22. d. præcipuè tamen & essentialiter solam gratiam iustificantem. ibidem d. efficiunt quod significant. 22. b. efficiunt quod significãt. 22. b. passionem Christi præsupponunt, & vitam beatam promittunt. 22. b. significant sanctificationem, quæ fit, vi Sacramenti. 22. d. sunt signa clariora quàm vetera. 50. a. sunt ab ipso Christo instituta. 50. a. omnia habent rem, vt materiam: & verba, vt formam. 50. a. b. sunt caussa gratiæ, & iustificationis. 66. b. sunt determinata à Verbo incarnato. 67. a. omnia à Christo domino fuerunt instituta. 64. d. distinguuntur à Sacramentis veteris legis. 136. b. sunt pauciora, faciliora, nobiliora, quàm fuerunt veteris legis sacramenta. 136. b. c. inquit D. Aug. dant salutem, sacramenta vetereis Testamenti promiserunt saluatorẽ. 141. b. condita fuerunt ante Christi mortem, & multum profuerũt, quamuis post passionem primùm obligabant. 218. a. à nullo puro homine institui potuerunt. 267. a

Sacramenta Christianorum tãtùm distant à Iudæorum Sacramentis, quantum spiritus à carne. 143. d. sunt virtute maiora, & vtilitate meliora sacramentis Iudaicis, auctore D. August. 144 d. excellunt antiquis sacramentis, vtilitate, & virtute: non sola significatione. 145. d. ac præsertim ea, quæ magis necessaria sunt, primùm in lege Mosis adumbrata, ac prænũciata, deinde à Christo promissa, tũ instituta, postea frequẽtata & commendata in scripturis inueniuntur. 984. b

Sacramenta cum vereris tum nouæ legis sunt à Deo instituta propriis verbis, vt in eorum vsu non erretur. 358. c. Baptismi & pœnitentiæ sunt instituta à peccatum immediatè tollendum. 768. d. sacerdotij, & matrimonij non pugnant inter se. 1125. d

Sacramenta, qui hæretici despiciebant. 1. a. conferre gratiam ex opere operantis, quid sit. 12. d. violare, sacrilegium est. 21. c. vera cõficere non potest, nisi qui à Deo habet auctoritatem. 79. a. quæ ab hæreticis & schismaticis post eorum separationem ab vnitate Catholica dabantur, non esse rata, error est antiquus. 85. d. conferre gratiam negarunt Armeni & noui Cathari. 117. b. conferre gratiam ex opere operato, rationibus probatur. 120. d. esse veras caussas instrumentales gratiæ, firmissimis argumentis probatur. 109. c. d. qui negat verè & immediatè sanctificare, eadem ratione poterit negare fidem iustificare. 115. d. ex opere operato conferre gratiam, probatur testimoniis conciliorum. 15. d. ex patribus Græcis. 116. b. c. esse caussas morales iustificationis, non physicas, defendi potest salua fide. 132. b. plura esse duobus, ex D. Augustino probatur. 179. a. solus Deus instituere potest. 187 c. Deus vario modo instituit, prout res erant variæ in quibus ea instituit. 1140 c. quinque dum negant hæretici, corrumpunt Dei Verbum. 200. a. veteres constare ex symbolis & corpore Christi, nusquam dixit Apostolus. 411. c. ministrare non solùm conuenit episcopis & presbyteris, sed etiam diaconis 741. d. inutiliter non propterea aliquis percipit, quòd timet ne forte inutiliter sacramenta percipiat. 84. b. conficiendi & ministrandi potestas datur in Ordinatione. 108. d. circuncisionis, Agni paschalis, & similia, non fuisse Christus, sed mutauit in alia verè & propriè dicta sacramenta. 745 b

Sacramentorum effectus, præcipuè pendet à virtute Spiritus sancti. 90. a. effectus varij. 117. d. efficacia non pendet à qualitate quacunque accidentali ministri, pendet tamen ab eius qualitate essentiali, vt nimirum sit homo. 79. b. non pendet à bonitate Ministrorum, sed à bonitate Dei solius. 99. c. non pendet ab vlla qualitate suscipientis. 106. a. virtutem Lutherani & Caluinistæ, negant. 3. c. vim scriptura non asserit consistere in excitanda vel alenda fide, sed in purgandis peccatis & mundanda anima. 115. c. fructus si in eo consisteret, vt apprehensa significatione moueretur animus, homines tudes nihil ferè vtilitatis ex sacramentis percipierent. 644. a. vtilitas ex opere operantis non est propriè sacramentorum, sed communis omni bono operi. 141. c susceptio non requirit fidem specialem hæreticorum. 6. b septenarius numerus probatur. 169. d cæremonias cum ait D. Cyprianus fer. de ablut. pedum ab hominibus institutas, non sequitur de sacramento confirmationis, sed intelligit alios ritus quos adhibemus. 311. a. loco, hæretici quibusdam verbis vtebantur. 1. b. essentia & efficacia non pendet à cæremoniis. 186. c. res, & verba, ita sunt certa, & determinata, vt nihil in eis mutari possit. 65. c. necessitas non est absoluta, sed pendet ex præcepto, & institutione diuina, adiuncta naturali congruentia. 70. c. figuræ. 114 a. b. auctor est Deus, in cuius nomine ipsa dantur 59 b. vsus solus, aut præcipuus non est, distinguere religionem veram à quibusdam falsis. 38. c. pars integralis auferri potest. nam baptismus olim fiebat per immersionẽ, nunc plerunque per aspersionem. 671. a. verba sunt practica, cùm sint instrumenta iustificationis. 94. d. homines rectes adhibemus, sed non facimus auctores. 258. c. & legis naturæ, res erant à Deo determinatæ. 66. b. veteris legis operta, non erant supernaturalia. 139. b. institutio hoc effecit, vt clarè appareat, gratiam, quæ per ea datur, à solo Deo esse. 69. d.

institutio,cõgruit naturæ humanæ,quæ ex corpore & spiritu constat.69.d.minister debet esse homo,non autem Angelus siue bonus siue malus.78.b. ordinarius minister quis sit.5.d.76.b.c. verus minister(baptismo & matrimonio exceptis)non est quilibet homo baptizatus, sed is solùm qui rite è in ecclesia ordinatus est.79.c ministri quænam debeant esse qualitates.84.d.85.a.b. ministri,sunt Dei instrumenta animata, & ratione vrentia.94. a. triplex caussa efficiens à Theologis consideratur. 74. b. caussa principalis, est Deus. 74. c. materiam qui tollebant. 1. b. quæ sit materia & forma. 49. b. c. d. materia, aut forma, non potest mutari ab Ecclesia. 51. a. b. formæ passim à parentibus dicuntur preces mysticæ, licet interdum proferantur per verbum indicantis. 313. d. omnium formæ, à patribus vocantur mysticæ preces. 408. c. proprius & primarius finis non est fides. 877. d. omnium finis est,significare internam iustificationem. 879.c

Sacramentis Deus se quodammodo nobis obstringit. 18. d. nos obstringimus & oppignerамus Deo.18. d. veteris legis non erat proprium significare gratiam dandam aliis.27.d. initiamur & nomen Christo damus,ac publicè testamur nos esse membra ecclesiæ. 40. a. scripturæ eadem tribuunt,quæ fidei. 115. d. danda est vera efficientia. 132. c. vt signa sunt accidit, quòd sunt durabiliora, quòd significent rem præteritam, quòd ad plures pertineant,quare signa,vt signa sunt, inde nullam ferè accipiunt dignitatem. 343. d. non erat alligatus Christus Dominus,quare poterat dare Apostolis effectu sacramenti sine sacramento.1106.b

in Sacramentis materia & forma largo modo accipiuntur. 53.a

Sacrificiādi instinctus non oritur ex corruptione naturæ. 743. c. ritus pro peccatis mortuorum ab Apostolis ad nos manauit. 774.c

Sacrificare & offerre Deo ceuſebantur sacerdotes in veteri Testamento, hoc ipso, quòd ad Dei honorem,& ad significandam Christi mortem,animalia cæsa super altare ponebant. 728.a

Sacrificati à Iudæis poterant, oues, capri, boues,columbæ,passeres, & turtures, & præterea nulla. 690.a

Sacrificaturũ se polliceтur D. Amb. p anima bus Theodos.Valentiani,& Satyri.776.c

Sacrificium mortificationis vitiorum non requirit altare.84. a. semper est publicum. 229. b. verè fieri nequit,nisi panis consecretur, & consumatur. 579. d. fuit oblatum à presbyteris D.Aug.ad curandam domum à Dæmonum vexatione. 580. c. propriè ordinatur ad remissionem peccatorum,vnde dicitur propitiatorium. 638. d. nunquam in ecclesia offertur sine vtraque specie ; si vtraque haberi possit.639. a. propriè dictum,requirit rem aliquam sensibilem quæ offeratur,nec in sola actione potest consistere.682.d. propriè dictum,non est quælibet cærimonia, vel opus ad honorem Dei factum. 682. d. est tantum vnum verum ac proprium in Christi ecclesia. 683. b. soli Deo vero,ritè potest offerri. 684. c. præter oblationem, requirit mutationem,& consumptionem rei,quæ offertur. 685. b. pro actione acceptum,est species oblationis. 687. a. propriè pertinet ad cultum latriæ,qui soli Deo exhiberi potest. 687. c. verum requirit,vt id quod Deo offertur planè destruatur, id est ita muretur vt desinat esse id quod antè erat. 688. c. est summa protestatio subiectionis nostræ ad Deum & summus cultus extremus qui exhiberi potest. 688. c. absolutè & in numero singulari nusquam in scripturis appellatur, nisi quod est verè ac propriè sacrificium. 714. d. iuge apud Hebræos, non erant sacrificia spiritualia,sed sacrificium propriè dictum, id est,duo agni, qui offerebãtur quotidie in holocaustum.715.a.est proprius actus latriæ. 730.a. quod in ecclesia offertur indicio patrum est corpus & sanguis Domini. 733. d. non est quælibet sacra actio,sed ea sola,qua Deo res aliqua offertur cum certo quodam solenni ritu,& reali illius rei consumptione. 735.c. vt non offerretur pro quidam Christiano defuncto,qui reliquerat presbyterum rerum temporalium procuratorem,constituit Cyprianus.740.a.scribit D.Aug.pro matre sua defuncta oblatum. 742. d. cum religione natum est,& cum illa extinguitur. 743. c. propriè dictum, est cultus proprius Dei. 743. d. est summus cultus qui Deo tribui potest.745.b. si fuisset in veteri lege, & non in noua, fuisset Deus in veteri legi longè maiori honore affectus quàm in noua.745.c. est signum & protestatio summi interni cultus. 746. a. vnum sunt non autem duo,panis & corpus Domini, vinum & sanguis Domini. 747. d. eucharisticum offertur ad agendas gratias pro beneficio accepto. 762. d. quod in altari offertur, D. Amb.vocat hostiã salutarẽ,per quam peccatum mundi huius aboletur.765. b. non potest placere, nec impetrare, nisi offerens aliquis placeat. 768.c. propriè orantis & supplicantis est,& ad orationem iuuandam adhibetur. 768.a. quod est quædam oratio realis, non verbalis, propriè imperatorium est. 769. a. dicitur propitiatorium,quia impetrat remissionem culpæ,satisfactorium quia impetrat remissionem pœnæ, meritorium quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirendi.769. b. est actio,non autem res permanens. 769. b. offerendum pro mortuis negauit Aërius. 775. d. fuit Deo oblatum pro morte D.Aug.vt scribit Possidonius in ipsius vita. 776.d. offertur pro Apostolis & martyribus non pro eorum salute,sed pro eorum honore. 777. d. verum futurum esset,etiamsi in eo nulla esset sanctorum memoria. 778. c. auctore D. Aug.fit in memoriam sanctorum, & sancti in eo nominantur. 781. a. vt sacrificium non requirit,vt multi,vel pauci,vel nulli intersint, aut communicent,cum sacrificium offeratur Deo pro populo. 787. a. non in verbis,sed in oblatione rei cõsistit.795.b. celebratum sine cæremoniis est verum, & rarum. 799. d. Deum placare,& gratiam impetrare soler. 945.d

Sacrificium & altare Hebraicè & Græcè ab eadem radice deducuntur. 684. b. & altare relatiua sunt. 648.b.& Sacerdotium relatiua sunt,ita vt sacrificio propriè dicto,sacerdotium propriè dicto respondeat. 683. c

Sacrificium crucis si per se considderetur, non est secundum ordinem Aaron, nec secundùm ordinem Melchisedech.701.b. omnium præstantissimum,est perfectius sacrificio missæ, quatenus distinguuntur. 701. d. dici potest secundum ordinem Melchisedech,ratione ipsius sacerdotis Christi,à quo offerebatur.702. c. potest dici improprie perpetuum,ratione effectus perpetui. 704. d. non fuit impletiuum figurarum veteris legis nisi quoad ipsam mactationem, & paucas alias cæremonias. 713. a. non offertur omni loco,sed tantùm vno in loco oblatum fuit.715.a. potest dici factum nobis, quia pro nobis oblatum est.736.c.quamuis fuerit verum sacrificium,non tamen est eiusmodi quale requiritur ad legem, seu religionem constituendam, & conseruandam.744. a. nunquam fuit tempore Christianæ religionis, quæ post Christi mortem propriè cœpit. 744. b. non est proprium Christianæ religionis, sed commune omnibus veris religionibus,quæ ab initio mundi fuerunt.744.b. respectu Christianorum est inuisibile, cùm sola fide non oculis cernatur.744.c. non potest dici ritus Christianis præceptus,cum fuerit ipsa veritas,& Christianis non fit præceptum, vt interficiant Christum. 744. c. habet vim infinitam & sempiternam ad sanctificandum.751.d. remisit omnia peccata. 753.a. non efficiẽter & immediatè iustificauit,sed tantum impetratorie & meritoriè. 768.c. non iustificauit immediatè peccatores, sed placauit Deum,& impetrauit vt per debita media peccatores ad salutem perducerentur. 768. c. fuit meritorium,satisfactorium & impetratorium verè & propriè,quia Christus tũc mortalis erat, & mereri ac satisfacere poterat. 769. a. non fuit infiniti valoris quia in eo destruebatur esse naturale humanitatis Christi, sed quia eam distinctionem sponte patiebatur,& in sacrificium offerebat filius Dei.770.a. non alia de caussa vnum tantùm fuit,neque vnquam repetitur,nisi quia fuit infiniti valoris,& precium acquisiuit pro omnibus peccatis præteritis,& futuris remittendis. 770.a. non continuò habuit suum effectum. 771.c.propriè fuit actus religionis.688.d. fuit cruentũ,non tamen typicum.696.c.

Sacrificium corporis Christi nomine totius corporis mystici offertur, & offerri debet.779.d.dicitur sacrificium laudis,quia per illud Deus magnopere laudatur, & gratiæ illi aguntur pro summis eius beneficiis.vnde etiam sacrificium eucharisticum nominatur. 826.b. corporis & sanguinis Domini successit omnibus sacrificiis vetteris Testamenti. 460. a

Sacrificium eucharistiæ solum est proprium Testamenti noui,& nouo more offertur. 721. b. non amittit veram ac proprium rationem sacrificij, quia simul est alterius sacrificij commemorativum.727. d. est Christi opus & actio. 748.c

Sacrificium Missæ est secundum ordinem Melchisedech.quia est incruẽtum.702.d. fuit oblatũ pro matre D Augustini.785.a

Sacrificium panis & vini in sacerdotio Aaronico,erat pars quædam & condimentum alterius sacrificij,non autem sacrificium principale. 701.b

Sacrificium Christianorum non potest malitia ministrorum fieri immundum. 717.d. dicitur in omni loco offerri mundum,quia tale est in se,nec potest reuera pollui ex malitia ministrorum.718.a.debet esse ritus quidam à Deo Christianis præceptus pertinens ad latriam. 744. c. semper est vnum,quia semper idem offertur Christus. 760.a

Sacrificium pro peccato non fiebat in veteri lege sine sanguinis effusione. 714.d. offeretur vsque ad diem iudicij,inquit D. Aug.sed nõ alterius,quia post eum diem non erunt, quibus peccata remitti possint.765. b. dicebantur offerre qui offerebant materiam, ex qua sacrificium pro peccato faciendum erat.823.c.pro peccatis mortuorum offerri iussit Iudas Machabæus. 774. a

Sacrificium Abelis quod Deus non imperauerat,placuit ipsi Deo. 199.b

Sacrificium qui Deo offert,cum Deo agit, non cum hominibus. 82. a. offerre non est cuiusque,sed publici & certi hominis, qui communi nomine id peragat.688.a. vespertinum Dauid accipit,pro verò atque externo sacrificio,quod quotidie offerebatur ad vesperam.717. a. cruentum non facit effusio sanguinis sub specie vini, cum sanguis reipsa de corpore non egrediatur.725.d.de ecclesia tollere suadet diabolus, vt gens illa præter cæteras Deo sit ingrata,quæ præter cæteras maxima accepit à Deo beneficia.745. d. crucis obtulit filius Dei per se:sacrificiũ verò Missæ offert per ministrum.760. b

Sacrificium eucharistiæ Chrysost. vocat cultum spiritualem, quia per spiritum sanctum, & per verba consecrationis efficitur.721.d. Apostoli obtulerunt pro Regibus sui temporis,necnon pro catechumenis. 771.c

Sacrificium corporis Christi illi soli rectè immolant,qui legitimè Apostolis succedunt.722.a. asserunt Patres in cœna offerri Deo. 835.b

Sacrificium Abelis absolutè placuisse Deo non ait Apostolus,sed propter fidem.830. a. vide *Scriptura*.

Sacrificij ratio non habetur integrè & perfectè in vna specie. 638.d. perfectio requirit vtriusque speciei sumptionem. 645.d. Melchisedechi modum scriptura non explicat.856.d. nomen & ratio propriè non conuenit inuisibili oblationi, sed solùm visibili & externæ. 687.b. panis & vini non meminit Apostolus in epist. ad Hebr, quia id ad propositum eius non faciebat. 699. d. nomen non solet scriptura absolutè ponere,cum loquitur de sacrificio impropriè dicto,sed cum adiuncto aliquo. 716.b. eucharistiæ finis est commemorare, & repræsentare sacrificium crucis,vt præteritum. 727.d. veri & realis ratio consistit in tribus,quæ fiunt in consecratione eucharistiæ,760.d. 761.a b. impetratorij finis,est impetratio beneficij. 762. d. pro peccato,seu propitiatorij,finis est præter Dei cultum,propitiatio irati Dei, & peccatorum remissio. 762.d. oblatio ordinatur ad impetrandum beneficia iis omnibus, pro quibus offertur. 771.a. effectus non semper continuò existit,sed Deus dat auxilium & gratiam quando illi opportunum videtur. 771.c. fructum participare possunt mortui quamuis non possint participare de carnibus sacrificij. 773.c. primarius & proprius finis, non est instructio populi, verùm Dei cultus, & beneficiorum impertatio, quare satis est si Deus intelligat id quod dicitur. 793. c. celebrandi ordo rectè canon nominatur. 817. a. & religionis tanta est coniunctio, vt vbi est religio, ibi sit sacrificium. 743. a

Sacrificij Missæ consumptio non est occisio,sed manducatio. 754.d. singulis oblationibus Christus voluit applicari certam mensuram fructus passionis suæ, vt frequentaretur hoc sacrificium. 700. c. essentia requirit consecrationem & consummationem,quare illa omitti non possunt.788.b. oblatio,magis in re,quàm in verbis consistit. 793.b

Sacrificio arieris expiabatur omne peccatum quo peccabant homines circa res alienas, non autem simpliciter omne peccatum. 150.c

Sacrificia non fuerunt in lege Mosaica instituta pro omnibus peccatis. 150. c. non imperata merebantur, modò cum fide & deuotione offerrentur. 199. b. interna sunt præstantiora, & Deo gratiora, ac facilius Deum placant, quàm sacrificia externa. 684. d. sunt quasi tributa, quæ Deo redduntur in recognitionem supremi dominij ipsius, & nostræ subiectionis. 688. a. omnia propriè dicta debent esse repræsentatiua sacrificij crucis, & cæremoniæ quædam religionis. 705. b. gentilium non erant munda & Deo grata. 715. c. spiritualia cum ab opere nostro pendeant, obnoxia sunt pollutioni, & sæpe polluuntur. 718. b. ex lege naturæ ortum habent. 746.a. propitiatoria fuerunt in legibus naturæ & Mosis. 763. b. non prosunt sanctis ad culpæ vel Pœnæ remissionem,nec ad gratiæ vel gloriæ essentialis argumentum 777.d. offeruntur in memoriam sanctorum.778.b. plurima offerebantur in veteri testamento eodem die,& loco.785.d. diuersi precij,pro æstimatione ac mensura delicti imperantur Leui. 4.5.& 6.1050.c

Sacrificia Leuitica,non culpam,aut pœnam æternam, sed immunditiam tantùm legalem, & pœnam temporariam expiabant,quare rectè satisfactiones quædam dici poterant.1077.b.Deo nõ erant grata, nisi qui offerebat Deo gratus,& per hoc iustus esset. 1077. b

Sacrificia veteris legis,habebant annexam promissionem de Christi morte futura prò expiatione peccatorum. 147.b valebant ad expiationem peccati,quoad pœnam temporalem, & quoad immunditiam legalem,non quoad culpam & pœnam gehennæ,nisi quarenus signa quædam erant præstantia fidem in Christum. 150.b. non placebant Deo ex se, sed ex deuotione & obedientia offerentium. 150.d. quotidie mutabantur,at Christianorum sacrificiũ semper idem est.476.a. non fuerunt decimæ,& primitiæ.686.b. simul & passionis dominicæ,& eucharistiæ fuerunt figuræ. 711. a. quantumuis cruenta fuerunt,auctore D. Aug.figuræ sacrificij eucharistiæ.710.c. & vera sacrificia erant,& signacula erant Christi venturi,& morituri.749.a. fiebant plurima pro particularibus. 784. c. cum offerebantur pro peccato,nihil inde manducabat is pro quo offerebantur,& tamen illi proderant. 787. b. dicebantur ones adhuc viuentes, quando adducebantur, vt immolarentur. 822. d. nulla inueniuntur institura, pro Blasphemia, Idololatria, Homicidio,Adulterio,& similibus grauibus peccatis. 1077.d.

Sacrificia iudaica, non solùm figuræ erant sacrificij nostri,sed etiam per se sacrificia.28 a. Leuit.4.5.& 6. habuerunt annexam promissionem.141.b.non expiabant peccata quoad culpam,sed solùm quoad pœnam temporalem, vel immunditiam legalem. 150. c. omnia significabant Christi mortem. 164. c. potuerunt pollui malitia ministrorum.717.d. erant carnalia, quia in mactatione carnis,& sanguinis effusione consistebãt,& simul typi ac vmbræ erant futurorum. 713.c

Sacrificia non respuit Dominus Osee 6. *Misericordiam volo, non sacrificium*, sed non vult illa,si absque misericordia sint. 354.a.esse Deo deferenda,est ex bono naturæ. 743.b. veteris legis Christus non omninò sustulit,sed mutauit. 745. b. externa debent habere Christiani. 745.c.d. pro defunctis oblata,eis prodesse probat D.Aug.ex cap.12.lib.2. Machab. 774. b. antiquitus fuisse facta in quibus nemo ex populo communicabat certis coniecturis probatur.787.b.c.d. Deus non instituit pro omnibus peccatis expiãdis.1077. c. maioris vel minoris precij iussit Deus Leuit.6.offerri pro mensura delicti,quare fuerũt oblationes illæ imperatę in cõpensationẽ aliquã iniuriæ Deo factæ.1077.c

Sacrificiorum carnes non poterant comedi à pollutis aliqua immunditia.625.d.vsum Deus inspirauit Abeli,& aliis sanctis viris.688.c. tribus generibus,significantur tres fidelium status. 690.d

Sacrificiis scriptura opponit multa opera virtutum.682.c. omnibus veterum, successit vnicum & singulare eucharistiæ sacrificium. 683.c

Sacrificiis vereris legis non poterant expiari culpæ animarum. 151.a

Sacrilegium est violare Sacramenta. 21.c

Sadducæi qui negarunt immortalitatem animarum,optimè refutantur à Christo Domino. 149.c

Sal Catechumenis dabatur gustandus, vt apparet ex Origene & Concilio III. Carthaginensi. 282.b

Salomon valde arguitur à diuina scriptura,quòd vxores Moabitidas,Ammonitidas,& Chananitidas contra legem duxerit. 1119.d

Saluantur omnes quibus applicatur meritum crucifixi. 160.d

Salus non est extra ecclesiam,quare vt parvuli saluentur,debent eam intrare. 232. c

Salutare res inanimas in signum gratulationis, ac si viuerent & sentirent, vsitatissimum est. 320. c

Samaritani, erant hæretici Hebræis. 88. d. non arguuntur,quòd nouis cæremoniis Deum colerent, sed quòd initio non timerent Dominum, neque colerent, nec scirebant legem Dei, & deinde legem Dei edocti,simul Deum & sua idola colebant. 200. b

Sanctificantur homines propriè & formaliter gratia. 22.b

Sanctificatio fit vi sacramenti nouæ legis. 22.d

Sanctus nemo est nisi post remissionem peccatorum. 951. a

Sancti nominantur in sacrificio Missæ, ad excitandam sanctam æmulationem.779. d. in Missa per preces ad eos directam non inuocantur, nisi obiter in versiculis post lectionem,idque solùm in vna vel altera Missa. 779. d. in Missa non sunt inuocandi per oblationem,ita vt eis ipsa oblatio offeratur. 779. d. tum in Missa tum in canone inuocantur per preces ad Deum directas,vt cum à Deo petimus, vt intercedentibus sanctis nos iuuet. 780.b. pro nobis in cælo orant. 780. c. inquit D. Aug.ad mensam Domini commemorantur,non vt nos pro eis oremus, sed vt ipsi orent pro nobis. 782 b. omnes etiam ante Christi Domini passionem habuerunt spiritum sanctum. 217.a

Sanctorum cultus & inuocatio solùm secundariò & consequenter ad sacrificium pertinet. 778. c. intercessiones inquiunt antiquissimi patres petuntur à Deo in sacrificio altaris. 783.b. consortium, est Christi consortium. 835. a. plerique,dicunt se maximos esse peccatores,dignos gehenna, & licet mendaces non sint, quia dicunt quod sentiunt,falsum tamen dicunt.957.e. meritis inquit D.Aug. nos releuari posse apud Deum,quando mala nostra merita nos grauant.781.a. meritis & precibus à Deo petimus mediante Christo. 781.c. memoria fit in sacrificio, non autem pro illis oratur.777.d. memoria in Missa fieri non potest commemorationе illa qua per mysterium Cœnæ repræsentantur Christi passio,& mors. 781. b. memoriæ à D.Aug. appellantur templa, & altaria in quibus soli Deo sacrificatur. 778. b

Sanctis cum petimus vt oblatio profic ad gloriam, non tam optamus pro sanctis, quàm pro nobis.777.d. neque templa neque altaria eriguntur,licet in eorum memoriam ista omnia fieri possint. 777.d. 778.a

Sanctos inuocari cùm negat Aug.loquitur de inuocatione per sacrificium,id est,de oblatione, quæ est efficacissima inuocatio. 782.a

Sanguis in postibus significabat signum crucis in fronte. 647. b. sic animam significat,vt simul eam contineat. 465.d

Sanguis in cœna dicitur fundi,dum in specie liquida in calice collectus offertur Deo,ac deinde in eadem specie funditur in ora sumentium.723.d.non effunditur in propria specie,sed in specie vini. 725. testamenti de quo Exod 24.& Heb.9. vit figura eucharistiæ. 342.a. testamenti veteris qui fuit figura eucharistiæ,nobilior substantia est quàm vinum, & melius repræsentat Christi sanguinem quàm vinum. 342. b

Sanguis Christi effunditur pro Apostolis, in remissionem peccatorum 33.b. semper mundat,sed per varia instrumenta applicatur.265.b. non dat incorruptionẽ,quia bibendo sumitur,sed quia sumitur.663.d. bibitur sub specie panis.667.d. rectè dici

potest in Missa effundi.754.d. dicitur & lauacrum.& preciũm,& poculum. 889.c. in sacramento pœnitentiæ,culpam quidem,& pœnam æternam delet.sed pœnã temporalem totam nisi propria satisfactione cooperante, non expiat. 1071. b. non solùm prodest in sacramento pœnitentiæ,sed etiam in confirmatione, eucharistia,cæteris quæ omnibus sacramentis. 1071. b

Sanguis & aqua quæ ex latere Domini fluxerunt,significant baptismum & eucharistiam. 648.a

Sanguis Græcè est generis neutri,& vinum masculini. 364.b

Sanguinis effusio in martyrio supplet baptismum.221.b. veritas est in eucharistia, cuius figura præcessit in veteri testamẽto.453.b.Christi,vis nobis applicarur per diuersa externa signa,atque adeò sacramenta, vt modò mundari, modò solui, modò potari dicamur. 889.d

Sanguini Domini Patres non tribuunt peculiarem effectum,vt distinguitur contra corpus eiusdem Domini, 644.b

Sanguinem ore percipiunt fideles, quo redempti sunt. 460. c. nunquam sumete tempore Leonis magni , signum fuit Manichæismi. 650.d

Sanguinem Christi non sumimus in specie sanguinis,ne horror esset cruoris. 419.a. accipitur,qui sub vna specie cõmunicant, licet vini speciem non accipiant. 645. d

Sanitas illi prodest,cui prodest secundum prædestinationem , etiamsi ad tempus obesse videatur. 1098. a. corporalis , quia non semper vtilis est animæ,non semper obtinetur à Deo,quicunque fit qui orer, etiamsi donum habeat curationis. 1092. a. in sacramento vncti nis extremæ promittitur conditionaliter,id est,si animæ saluti expediat. 1097 d

Sara non fuit sorot germana Abrahami. 1134. d. dicitur sorot Abrahæ de more scripturarum , quia consanguinea eius erat,neptis videlicet ex fratre. 1244. b

Sarai binominis erat , nam appellabatur Iescha. 1244. c

Satisfacere possunt iustificati,& amici Dei per Christi meritum facti,pro temporalibus pœnis.858.a. ad perfectam æqualitatem homo non potest Deo. 1033.a

Satisfacere Deo nemo potest nisi reconciliatus. 856.d. nemo potest ante gratiam gratum facientem adipisci. 1034.a. qui pro peccatis suis vt par est laborat,inquit Cyprian.non solùm veniam apud Deum impetrat,sed etiam quam contristauerat nuper,lætam facit ecclesiam. 1041. d. potest homo Deo,non ex rigore iustitiæ sed accedente gratia Dei,aliquo modo ex propriis,& ad æqualitatem,ac per hoc iustè,& ex condigno. 1047.d

Satisfaciendi ritum Christianos ab Ethnicis habuisse , nullo modo credibile est. 1064.b

Satisfaciendum est Deo pro pœnis temporalibus , quæ post reconciliationem cum Deo,& culpæ ac pœnæ æternæ gratuitam remissionem , aliquando restant. 836. d

Satisfactio non refertur ad peccata actualia delenda, nisi forte per modum dispositionis. 846 a. non debet fieri pro peccato originali.851.c tum vt est in voto & proposito pœnitentis.tum vt reipsa exercetur,est pars sacramenti Pœnitentiæ.859. d. à Sacerdote iniuncta , non requiritur extra pœnitentiæ sacramentum. 905. d. restaurat iustitiam quoad æqualitatem actionum,vt cum is qui alium contumelia affecerat,ab eo veniam petit. 1031.c. versatur in actionibus. 1031. c. respicit personam iniuria affectam, etiamsi illa damnum nullum acceperit.1031.c. nihil est aliud nisi actio qua is qui alterum læsit,tantum facit,quantum satis est ad iniuriam compensandam,siue quantum is qui læsus est,iustè exigit. 1031. c. est duplex,puta ad absolutam & perfectam æqualitatem , & ad æqualitatem imperfectam.1033.a. non offertur Deo. neque exigitur ab hominibus pro culpa.1033.d. malum conducit ad habitus vitiorum eradicandos , & virtutum inserendos , Christi crucem gustare nos facit , & Christo ipsi compati,vt cum eodem postea regnemus.1043.c. ex rigore iustitiæ requirit , vt satisfiat ex propriis , & ad æqualitatem,nulla videlicet præcedente, aut intercedente gratia eius , cui debetur satisfactio. 1047. c. probatur ex traditione veteris ecclesiæ. 1051. 1052. 1053. 1054. 1055. 10 6. 1057. ex parte nostra in baptismo non requiritur , sed plenè atque integrè ad omnem culpam,& pœnam delendam,Christi passio applicatur. 1060.d. non adhibetur ad resurgendum à morte peccati , sed ad reatum pœnæ temporalis,qui post eam resurrectionem manet , expiandum adhibetur. 1071. b. quæ in hac vita sponte atque ex charitate suscipitur,tanti à Deo æstimatur,vt breuis huius vitæ labor facilè compenset, acerbissimos , longissimósque cruciatus purgatorij. 1073. c. aliquando significat defensionem , & excusationem. 1080. d. Christi non eodem modo nobis applicatur pro culpa originali, & pro actuali, neque eodem pro pœna æterna & pro temporali. 846. d

Satisfactionis timor cum labore exsoluendæ pœnæ,non solùm coërcet à peccando,sed etiam admonet quanta sit peccati grauitas. 1041.c. apud ethnicos vestigia quædam extant. 1064.b. opera non tocent scholastici debere esse omninò indebita , sed indebita , si homines non peccassent. 1067.a. opera non collocantur in obseruationibus excogitatis ab hominibus, sed in ieiunio , eleemosyna, & oratione. 1069.c

Satisfactionem sensit Durandus esse fructum pœnitentiæ,non autem ipsius partem materialem. 899.a. quæ Deo ab hominibus fit , reiiciunt hæretici. 1046. d nostram , non requiri solùm ad exemplum,vel disciplinam politicam, sed vt iniuria Deo facta compensetur,& diuinæ iustitiæ satisfiat,asserit D. Aug. 1056. a. à Sacerdote iniunctam, pœnitens recusare non potest, nisi iudici diuinitus constituto, ac proinde ipsi Deo resistat. 1067. d

Satisfactione compensanda est inæqualitas , quæ non solùm iustitiæ, sed etiam amicitiæ contraria est. 1033. b

Satisfactiones non sunt natæ ex Concilio Nicæno. 850 b. propriè dicuntur labores sponte assumpti , vel à iudice spirituali impositi ad compensandam iniuriam Deo factam. 1065 .a

Satisfactionibus nostris non redimitur mors æterna,sed solùm pœna temporalis. 1069. c

Satisfactoria opera quamuis quoad certum modum in particulari,diuinitus mandata non sint,ac per hoc indebita dici possint, tamen grata sunt Deo, & sancta,atque vtilia. 1045. c

Satisfieri propriè ab hominibus non potest pro culpis in Deum admissis,quasi contritio iustum precium sit,qua offensioni,atque iræ diuinæ satisfiat.858.a.potest Deo,cùm iniuria à nobis afficitur.1031.c. aliquando potest vna actione iustitiæ simul & amicitiæ, sæpe nihilominus fit, vt vna actio solam iustitiam,aut solam amicitiam restauret. 1033. b. posse Deo pro pœna temporali,dimissa culpa,Scripturæ,restantur.1048.b.c. Deo posse pro pœna temporali,culpa dimissa, asserunt patres.1051.& seq.an possit per opera aliàs debita controuersum est. 1066. b. pro multis peccatis venialibus,à recitatione orationis dominicæ docet D. August. 1074. a

Satisfit verè ac propriè Domino per opera pœnalia, pro reatu pœnæ, qui post culpam dimissam remanet expiandus. 1047. c

Schisma Iudæorum & Samaritanorũ exortum est ex eo quòd Samaritani templũ ædificarunt in monte Garizim,& ibi sacrificandum esse contendebant. 722. d

Scholastici cognomen fuit olim tributum viris doctissimis. 818.d

Scholastici Theologi vindicantur à calumniis Kemnitij 91.a.b

Scholasticorum opiniones de modo efficiendi sacramentorum , non pertinent ad fidem ecclesiæ catholicæ. 10 .b

Scientia occasionem superbiæ præbere solet,& ideo magis charitati quàm scientiæ incumbendum est. 934.b. infusa distinguitur ab acquisita. 135.a

Scientiam semper inflare non ait Apost. 1. Cor. 8. 934. b

Scotus falsus est existimans ante concilium Lateranense transubstantiationem non fuisse dogma fidei.552.b.confutatur. 157.c. 159.b

Scoti sententia de intentione ministri Sacramentorum,explicatur. 91.b.c

Scriptura non negat Deum velle sacrificia, sed negat ea velle ad expiandum peccatum.139.b. opponit sacrificium contritioni,& de vno negat quod de altero affirmat, quod non faceret , si vtrumque concurreret ad iustificationem 139.c. est intelligenda secundum proprietatem verborum , vbi non cognitur euidenti absurdo 211.d. cum absolutè de peccatis loquitur , de omnibus peccatis intelligi solet,& debet. 990.d. ex verbo & Sacramento tribuit vim iustificadi,sed nusquã dicit ea eodem modo iustificare. 130. c. in Genesi semper indicat tempus natiuitatis eorum,quorum texit genealogiam, vt sciamus ætatem totius mundi , aliis prætermissis qui ad istam chronologiam non pertinent. 1246. a

Scriptura Apostolica,vide, *Traditionem Apostolicam.*

Scripturæ sacræ libri à Mose initium habuerunt. 1167.a. verba augere aut mutare nullo modo licet. 69.a.b

Scripturæ testimonia primum locũ habent quando perspicua sunt,cum autẽ ea non sunt ita manifesta,plus momenti habet Ecclesiæ auctoritas,quàm ipsa scriptura apertissimè commendat.304.a.explicatur per Ecclesiæ consuetudinem. 87. d. figurata, quia possunt variis modis exponi, non faciunt fidem,nisi ex alio loco scripturæ certò constet quemadmodum sunt accipienda. 709. a

Scripturæ sacræ nõ sunt lingua Latina conscriptæ. 14. c

Scripturas diuinas esse libros Euangelistarum,& epistolas Pauli,ex nulla scriptura, sed ex sola traditione probari potest 551.b

Scrutinia septem fiunt ante Baptismum quorum principale est tertium , & fieri solet feria 4. post Dominicam quartam quadragesimæ. 280.b

Sedere in certo loco,non diuinitati,sed corpori conuenit. 430. b

Seleuciani reiecerunt Baptismum. 430. a

Seleuci error de materia Baptismi. 205. a

Semen est caussa efficiens hominis. 187.a.b

Sensus proprius & literalis in scripturis semper est eligendus , nisi euidenter probetur contrarium. 384 d

Sensus non fallitur circa obiectum suum per se proprium in generali,si medius & organum sint bene disposita. 559.a.b.c

Sensus tragedi testimonio,optimè probauit Dominus se habere verum corpus. 395. b

Sensus nostri,cum in eucharistia album quid rotundum,solidum sentire arbitramur, non fallũtur. 395. b

Sensus nostros falli circa eucharistiam , neque esse illis obtemperandum,monet Cyrillus Ierosolymitanus. 435. a

Sensuum iudicio non est dandus locus in mysterio eucharistiæ. 468.d

Sententia illa Domini apud Matth. *Nisi ob fornicationem* , accipitur negatiuè, non exceptiuè. 1178.d

Sephora non peccauit, quòd præsente viro filium circumciderit, id enim fecit coacta,ab ipso Mose, vel potius à Deo. 226. b.

Sephora factum in filio circuncidendo, Deo placuit, nam Angelus mox destitit exhibere molestiam Mosi. 226.d

Septenarius numerus in expiationibus frequens. 177.a

Serpentem æneum aspicere, non tam fuit præceptum, quàm remedium vnicum salutis. 244. d

Seruitus diaboli & peccati est contraria seruituti in quam nos addicimus per baptismum. 258.a

Seruitutem humanam non prohibet absolutè Apostol. 1. Cor. 7. nam eandem ibidem approbat tanquam vtilem ad humilitatem , sed solum quatenus esset contraria diuino obsequio. 258.b

Seruorum ad Dominos maior est subiectio,quàm filiorum ad parentes. 1201.b

Seruis iubet Apostolus Coloss. 3. vt Dominis seruiant tanquam Christo. 258.b

Sibyllinorum versuum literæ capitales faciunt ἰχθύς, id est piscis, & significant, *Iesus Christus Dei filius saluator.* 114. b.

Significare Christi baptismum , vel etiam gratiam dandam per baptismum , non sufficit ad rationem sacramenti. 27.a.b.

Significatio est in voce , vt relatio in subiecto. 411. c. non operatur nisi in mente , excitando affectum aliquem, dum apprehenditur. 643.c

Signum quid sit auctore D. August. 20.b. est imperfectius re illa quam significat. 20. b. quomodo accipiatur in definitione sacramenti. 25.b. sacramenti materiale idem offerre debet sensibus , quod offert verbum. 889.c.. quamuis interdum accipit nomen signati, non tamen contrà,imago Cæsaris dicitur Cæsar,sed Cæsar non dicitur imago. 367.b. sensibile quod est caussa gratiæ, est ex Dei institutione.26.a. visibile à Deo institutum in sacramento pœnitentiæ, est tum confessio , tum absolutio. 878. a. commemoratiuum multum differt à signo confirmatiuo. 45.d. 46.a.

Signum à signaculo distinguit D. Paulus. 45. c

Signi essentia est significatio. 366.c

Signa multa excluduntur à ratione Sacramenti. 22.c. quibus distinguitur populus Dei ab aliis populis. 38.b. sacra multa sunt, quæ non sunt sacramenta. 22.c. sunt meliora, quæ melius significant, si propria & interna signorum dignitas spectetur. 344.a. commemoratiua non autem confirmatiua, fuerunt Iris & circuncisio. 45.d. Theoretica non adhibentur nisi intelligentibus. 121. b. practica sunt, quæ præter significationem habent efficientiam. 121.a. practica adhibentur etiam rebus inanimis. 121.b

Signorum alia sunt instituta ad significandum tantum , alia ad significandum & efficiendum. 120.d

Similitudines appellantur mysteria. 18.b

Simon Magus persuadebat hominibus per Angelos quosdam oportere accedere ad summum Deum,nec sufficere Christum. 195.d

Soluere non significat denunciare, vel declarare,sed reipsa vincula demere. 980.c

Sozomenus in historia multa est mentitus, teste Gregorio. 1049.b

Species panis sufficienter significat refectionem animæ, etiamsi non adderetur species vini. 639.c. vtraque non potest auferri Christianis, quia tenemur percipere eucharistiam. 672.a

Species panis & vini, sunt maximè propriè sacramentum corporis & sanguinis Domini. 464.b. non sunt corpus & sanguis Christi nisi quodammodo,id est, repræsentatiuè. 464.c

Species Sacramenti nutrirent diuino miraculo , si in magna copia sumerentur. 554.d

Specierum eucharistiæ corruptio requirit materiam , quæ substituitur à Deo in ipso instanti,quo desinunt esse illæ species, & in quo aliud generatur , & hoc sine miraculo. 560.d. duarum necessitas, potissimum ad sacrificium pertinet. 639.b.

Speculatiua verba,quia totam suam efficaciam habent in significando, à quocunque dicantur eandem vim habent. 94.c

Spei quæ in nobis est , rationem tenemur reddere ex principiis fidei, non autem ex Metaphysica. 132.a

Spiritus non potest existere more corporum diuisibiliter. 395.a. iudicio D. August. pati potest ab igne corporeo. 493.b Domini ferebatur super aquas , vt eas fœcundas redderet. 114.a. prophetarum, est donum prophetandi , Prophetis à spiritu sancto datum. 90. a. seruitutis à Deo in veteri Testamento dabatur, quo timeretur, quemadmodum in nouo Testamento datur spiritus adoptionis, quo diligatur. 969.b

Spiritus sanctus operatur in sacramentis, licet non operetur in ipso ministro improbo. 90.a. ex auctoritate non datur, nisi à Deo, à quo procedit,tamen instrumentaliter datur etiam ab hominibus. 127.c datur in baptismo , verum in ea plenitudine qua datur in confirmatione. 288.d. dabatur per impositionem manuum Act.8. quo modo ad Tit.3. Apostolus scribit per lauacrũ regenerationis nos saluos fieri. 290.b. non dicitur habitare in eo in quo non sunt nisi dona gratis data, quæ etiam in peccatoribus interdum inueniuntur, vt patet Matth.7. 290. d. non legitur datus per vmbram D. Petri, aut sudarium D. Pauli,sed solùm temporalis sanitas. 300. b. datur per omnem impositionem manuum,sed ad varios effectus. 301.a. Act. 2.& 10. non fuit datus ministerio sacramentorum,sed singulari Dei priuilegio datus fuit à Deo effectus sacramenti sine sacramento. 308.c. solum supplere debuit præsentiam Christi inter homines humano more conuersantis. 398.b. in omnibus Liturgiis inuocatur vt descendat, & transmutet panem in corpus Christi. 444. b. fuit visus in colũba, vt in signo. 539 c. absolutè non vocatur donum illud, quod in impiis esse potest. 1105.d. vide , *Sancti.*

Spiritus sancti plenitudo dari cœpit visibiliter in Pentecoste. 117. a. nomine , in verbis illis Domini, Ioannis 20. *Accipite spiritum sanctum , &c.* intelligitur potestas remittendi peccata. 89.d

Spiritum Christi multi habent,qui non habent rerum omnium potestatem. 84.d

Sponsa nondum habet , nec possidet corpus viri sui nisi in spe , & promissione. 1210. a

Sponsalia qui contraxit adhuc est sui iuris, cùm se nulli donauerit,licet donatu tum promiserit. 1209.c

Stancarus hæreticus præfert magistrum sententiarum hæreticis. 5.b

Stephanus Act. 7. orat pro lapidatoribus suis, qui tamen spiritui sancto resistebant, vt ipse illis dixerat. 960.c

Subdiaconatus videtur imprimere characterem , cum sit iteratibilis , & habeat annexum solenne votum continentiæ. 1114. a

Subdiaconatum esse sacramentũ est valdè probabile , quamuis non sit tanta certitudo quanta de diaconatu. 1114.a

Subdiaconi fuerunt tempore Apostolorum. 1114.c

Subdiaconis olim non licebat tangere vasa sacra. 1114.b

Substantiæ nomine Latini aliquando intelligunt naturam accidentium. 472.c

Substantiam panis & vini non remanere in sacramento altaris quando & à quo definitum. 4.d

Suencfeldiani contempserunt omnia sacramenta. 3.c

Suffimum non adhibemus , vt oblectemus nares Christi, vel aurum, vt oblectemus eius oculos corporales , sed adhibemus ista extrinsecus ad species panis & vini, vt testemur pium effectum erga ipsum. 393. c

Suffraganei (seu titulares episcopi) sunt veri episcopi, quia & ordinationem habent,& iurisdictionem,licet careant possessione propriæ ecclesiæ. 319.c

Superstitio est , existimare in certis figuris , aut verbis esse naturalem virtutem aliquid efficiendi. 64.a

Sursum corda non significat eleuationem ad locum corporalem , sed eleuationem à rebus terrenis & cupis huius vitæ, ad Deum, & res æternas, & diuinas. 402.c. antiqua ecclesia sacerdotes in Missa recitabant. 815.c

Symbolum efficit quod significat, non per significationem,sed per vim operatiuam. 643.c. non propterea efficit rem meliorem , vel maiorem producit effectum, quòd clarius & distinctius significet. 643.c

Symbolum est compositum à 12. Apostolis singulis suam sententiam adiicientibus. 817. d

Symboli ad Missas recitandi vsus apud Germanos & Gallos tempore Caroli magni potissimum inualuit. 814.b

Symbolorum eucharistiæ significationem videndo melius percipit homo , quàm comedendo. 644.a

Synagoga Iudæorum antequam Christum negaret, erat absolutè ecclesia Dei veri. 204. b.

Synaxim Apostolicam rotam non refert D. Paulus 1. Corint. 11. sed solùm narrat quid à Domino acceperit. 799.c

Syricius PP. vindicatur à calumnia Kemnitij. 10.c

T

Tabula secunda post naufragium auctore D. Hieron. est culpam simpliciter confiteri. 813.d

Tabula secunda post baptismum,vide *Pœnitentia post.*

Tandemi lectatores, negarunt sacramentum ordinis. 2.b

Templa sanctis dedicantur , id est, in memoriam sanctorum eriguntur. 778 c

Terrena res in eucharistia , sunt species sensibiles, quæ terrenis sensibus percipiuntur. 554.b

Terreri cùm intentantur minæ,non est vllius virtutis actus, sed naturalis affectio, quam etiam in pueris, & in bestiis cernimus. 903.b. quod dæmonibus conuenit,aliud est quàm pœnitere quod illis non conuenit. 909 b

Terrores sæpe in iis inueniuntur, qui pœnitentiam nullam agunt, ac ne inchoant quidem. 903.b

Tertullianus fuit Montanista in extrema sua ætate. 411. c

Testamentum debet propriè, simpliciter, & exquisitè explicari , ne detur occasio litigandi de voluntate testatoris. 358.d. 359.a. vetus multa permittebat, quæ in noua lege , quæ perfectior est , optimo iure interdicuntur , vt polygamia, libellus repudij,&c. 1214.d. nouum fuit institutum in vltima cœna. 3.8.d

Testamentum Christi Domini fuit simul testamentum & pactum, nam est testamentum conditionatum. 359.b. factum fuit in cœna. 711.c. vide *Christi mors.*

Testamenti nomine intelligitur & ipsa voluntas testatoris, quæ de hæreditate disponit, & instrumentum authenticum quo cõtinetur voluntas testatoris. 180.d. veteris figura fuit impleta in cœna. 71 .a.

noui promissio est vna,de remissione peccatorum. 764 b
Testamenta humana in proprio sensu verborum intelligenda esse,iubent humanæ leges. 339.a
Theodoretus probat in Christo verè esse duas naturas,exemplo eucharistiæ,vbi verè credimus cum symbolis panis esse corpus Christi. 472.b
Theodosium imperatorem post cædem factam Thessalonicæ, non admisit D. Ambros.ad communionem,, nisi publica pœnitentia peracta, & peccato planè purgato. 627.b
Theologis,qui veri sunt iuris diuini consulti,maior est fides habenda,in his quæ ad ius diuinum pertinent, qualia sunt sacramenta, quàm Canonistis, qui in solis humanis legibus versantur. 1141.b
S.Thomas non est auctor illius sententiæ, quòd in sacramento altaris non sit substantia panis & vini. 4.d. tribuit D.August. definitionem sacramenti, quæ est Isidori. 26.c. negat creaturam posse concurrere ad veram creationem, ita vt disponat subiectum per propriam actionem. 135. b
S.Thomæ sententia de intentione ministri conferentis sacramenta ,explicatur. 99. c
Thus adoletur in Missa, tum ad altare, tum ad euangelium, tum ad sacerdotem,tum ad clerum & populum. 808.a
Thuris religionem non à Gentibus,sed ab Hebræis Christiani acceperunt. 808.b
Timere malum quod accidere potest ,ac præsertim summum malum & sempiternum, qualis est cruciatus gehennæ, consentaneum est naturæ ac rationi. 954. b
Timor est proprius veteris Testamenti. 199. a
Timor mundanus, quia timor est mali creati, finiti, ac temporalis, facilè potest esse nimius , non solùm appreciatiuè, sed etiam intensiuè. 974.b
non solùm cum peccato coniunctus est, sed est etiam peccati ipsius caussa. 974.a
Timor naturalis neque bonus neque malus est. 667 b. est passio quædam partis inferioris animi. 967.b
Timor filialis esse non potest in peccatoribus, & ante dilectionem , sed tantùm seruilis. 968. d
Timor seruilis,timor Dei est: timor mundanus,timor creaturarum. 974.a. dicitur quia reperitur in seruis. 973.d. bonus atque vtilis est, & à Deo excitatur. 968. c. non est inordinatus vel malus, quamuis illi, qui timorem seruilem habent, inordinati sint ac mali. 973.d. licet cum peccato coniunctus sit, tamen non est peccati caussa. 974.a. non potest esse nimius intensiuè. 974.b. propriè est,quo ita peccator Deum punientem timet, vt solius pœnæ fugiendæ caussa à peccatis perpetrandis caueat, & de perpetratis doleat. 968.b. vide *Gehenna potest.*
Timoris seruilis effectus optimus est , aut enim coërcet voluntatem à peccando, aut saltem impedit opus. 970.c
Timorem iudicij bonum , & salutarem esse demonstratur. 969. b. mundanum D. Basil.in Psal.33. hostilem appellat, ac sobolem incredulitatis. 967.d. seruilem inter septem dona spiritus sancti numerari, probabile est. 970.c
Timore gehennæ, inquit D. Basil. impediuntur homines iusti ne peccent, non secus ac impediuntur clauis, qui cruci affixi sunt , ne se commoueant. 968.a
Tollere ab alio ignorantiam vel malitiam non rectè dicitur aliquis, quia ei ignoscit,quod aliquid ignoranter, aut malitiosè fecerit. 249.d
Tractus sunt versiculi ex scripturis desumpti , sic nuncupati , quia grauiter & tractim cani debent in signum mœstitiæ. 813 b
Traditio obiicitur iis, qui negarunt hæreticorum baptismum esse verum sacramentum. 87. c. ecclesiæ si non recipiatur, in dubium vocabitur forma baptismi. 15. d
Traditio Apostolorum non est minoris auctoritatis apud nos quàm scriptura. 234. a. est auctore D. August. quod in omni ecclesia seruatur , nec in aliquo concilio institutum , sed semper seruatum & rerentum est. 774.d. cœpit post Ascensionem Domini. 799.c
Traditionem Apostolicam esse Apostolicam,scimus ex testimoniis antiquæ ecclesiæ, quomodo scimus scripturam Apostolicam esse scripturam Apostolicam. 234.a
Traditione, superata fuit caussa S. Cypriani. 87.c
Traditiones multæ Pharisæorum erant inutiles. 197.a
Transmutationem panis in corpus Domini,ponit Cyrillus Ierosol. & solas panis species remanere post eam transmutationem asserit. 435.b
Transubstantiatio est vna actio , quia est quædam volitio Dei,qua ipse vult non conseruare panem,vt in eius locum ponatur corpus Domini. 536.b. fit in vltimo instanti terminatiuo prolationis verborum. 564.a. confirmatur firmissimis argumentis. 536.c.d
Transubstantiationis dogma ad fidem catholicam pertinet , quia colligitur ex scriptura diuina,&c. 512.b. veritas fuit sub anathemate in sex Conciliis definita ante hoc nostrum seculum. 545.d
Transubstantiationem probarunt 32. Doctores,qui ante D.Bernardum vixerunt. 542. 542. 543. 544. nunquam negarunt Græci. 547. b
Transubstantiatione fit, vt corpus & sanguis Domini verè ac realiter in sacramento eucharistiæ præsentia sint. 522.b
Trinitas in baptismate Christi sensibiliter apparuit. 217.b
Tristitiæ , quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur , fructum facit , Apostolus 2.Cor.7. vindictam. 1041.b
Tropicè intelligendam historiam institutionis eucharistiæ , nullus antiquorum interpretum sensit. 361.d
Tropus est in verbo *Calix* , sed clarissimè explicatus. 380.c
Tropum in cœna non explicauit Dominus , nam vestigium nullum huius explicationis exstat. 361.c
Tropi locum habent vel in prophetiis ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel in cohortationibus ad rem amplificandam.359. d. non ponuntur in verbis , nisi ratione peculiaris alicuius rei,seu naturæ,quæ in vno verbo implicatur, & non in altero.366.b

V

VAs accipitur pro instrumento. 9.a
dicitur quicquid continet. 9.a
Vasa sacra ecclesiæ debent diligenter seruari, nisi vrgeret summa pauperum necessitas. 802.b. non tangebantur à laicis temporibus Athanasij , & Gregorij Nazianzeni. 624.c. aurea nullam adferunt Deo vtilitatem, sed sunt in ecclesia Dei ad honorem Dei, & vtilitatem nostram. 802.c
Vasa sacra fuisse in vsu in antiqua ecclesia certum est. 801.c. sacra & preciosa ecclesiæ, in quibus Christi sanguis continebatur, Donatistæ diripuerunt. 801.d
Vasorum aureorum meminit Prudentius in hymno de S. Laurentio. 801.c. aureorum ad ecclesiæ vsum meminerunt D. Ambros. & August. 801.d. argenteorum ad vsum sacramentorum, meminit Damasus in vita S. Vrbani PP. & martyris. 801.c
Vbiquistæ putant ante consecrationem adesse corpus Domini in pane. 334. b. putant Christi corpus vbique diffusum esse , vt nusquam seruet figuram , formam, & situm humano corpori conuenientem. 505.d. contendunt sacramentum eucharistiæ fieri non vi consecrationis, sed vi omni præsentiæ corporis Christi. 336. d
Vbiquitates corporis Domini tollit rationem sacramenti ab eucharistia. 530. c
Vbiquitatem confinxerunt Lutherani , vt consecrationem reiiciant. 532.c. d
Velaminis , quo noui sponsi à sacerdote in ecclesia operiuntur meminit Ambr. epist.70.c. 1256.b
Verbum quod annectitur signo , non est promissorium , sed assertorium, vel deprecatorium.33.d.est potius sigillum sacramenti , quàm contrà.35.d. in sacramento determinat indifferentiam elementi. 50.d. totum cum sua significatione , est forma sacramenti. 50. d. quod cum elemento sacramentum facit, non est concionale, sed consecratorium. 53.a.b.c.d. quo Baptismus consecratur est illa inuocatio. In nomine Patris,&c. 61.a. quod in Baptismo profertur , non est concionale. 83.c. quacunque intentione prolatum, sufficit ad excitandam fidem, quia ad fidem excitandam non requiritur vlla efficientia, sed sufficit significatio. 96. b. non prodest nisi intelligatur & credatur. 130.d. præcedit fidem in iustificatione. 130.b. promissionis , requiritur in institutione sacramenti, non autem in eius vsu. 118.d. corporale rectè dicitur signum visibile, id est sensibile, atque externum. 878.a
Verbum sacramenti , sunt pauca verba à Deo præscripta , quæ super materia à ministro sunt pronuntianda. 53.c. etiam vt sensibile, habet virtutem, quæ non est à verbo vt est res sensibilis. 63. c. non dat vim aquæ vt est res naturalis, sed vt est res spiritualis & sola fide cognoscibilis , nimirum vt continet inuocationem Trinitatis. 63.a
Verbum concionale an Caluini iudicio sit de essentia Sacramenti 54.c.d. non requiritur ad essentiam vllius sacramenti. 56.c. non prodest nisi actu credatur. 61.b
Verbum Dei est veluti forma perficiens sacramentum. 26.a. est interpretandum ex consuetudine. 88.a. efficaciter prædicatur ab improbis. 88.d. prædicatum non efficit in homine gratiam nisi excitando vel nutriendo fidem. 109.b. potest dici manus quia offert salutem : non autem quòd re ipsa operetur,vel applicet. 130.c. non est insufficiens,licet melius sit Verbum Dei audire,& sacramenta suscipere, quàm solum Dei verbum audire. 259. c
Verbum Dei audire est verè caussa fidei. 110.d. vide *Corruptio. Haretici, Sacramenta.*
Verbum & sacramentum non eodem modo iustificant. 130 b
Verbi significatio est voluntaria. 51.c. ministerium licet sit proprium Apostolorum & episcoporum, qui eis succedunt, tamen omnes tenentur in articulo necessitatis, & præsertim in periculo æternæ salutis , docere ignorantes. 227. b
diuini veritas in multis est similis , & æqualis corpori Christi. 468.b.
Verba possunt dici visibilia. 30.a. in sacramentis sunt perfectiora rebus, cùm sint signa clariora,& præstantiora. 30.d. necessariò pronuntianda in ipsa actione sacramenti. 55.a.c. 56.a.b.c. à Domino præscripta in Baptismo , non habent formam instructionis, sed inuocationis & benedictionis. 58.d. quæ dicuntur in mysterio eucharistiæ sunt verba benedictionis. 59. a.b. institutionis sacramenti non habent vim quia creduntur, sed quia dicta sunt à Domino. 61.c. ex institutione Dei tribuebant virtutem aquis interficiendi adulteras. 64.d. in sacramentis nouæ legis sunt à Deo determinata,vt non liceat quidquam mutare.167. a. quibus miracula faciebant Christus & Apostoli,non à quocunque prolata fuissent,eandem vim habuissent. 78. d. 79. a. speculatiua distinguuntur à verbis practicis. 94.c. cum per se & naturaliter non sint operatiua,necesse est, vt nunc solùm sint efficacia cùm ab eo dicuntur,qui habet potestatem. 94. d. concionum sunt verba speculatiua,quæ non pendent ab intentione concionantis. 96. c. consecratoria (vt quæuis alia sententia) non habent perfectam significationem nisi in vltimo instanti , quo profertur vltima vox. 374. c
Verba sacramentorum à B. Dionysio appellantur , *Consecratoria inuocationes.* 57.d. vim habent ex pacto,& promissione Christi Domini. 64.c. cùm sint practica, requirunt potestatem,& voluntatem, ac proinde intentionem. 94.d. tunc solùm habent virtutem , cum coniunguntur cum virtute,quæ est in ministro. 95. a
Verba sactamentalia, ex Dei institutione efficiunt , quod ex se facere non poterant. 64. b. nullam vim naturalem habent. 64. b.semper aliquo modo pendent à ministri potestate & voluntate. 95.c. mutant substantiam panis in carnem Christi. 119. c. si essent nuda signa ad excitandam mentem instituta , potuissent ab hominibus instituti,& eandem vim habuissent. 121.d. & inter alia,illud, *Ego te absoluo :* veræ ceremoniæ sunt, non conciones. 878.c. diuersa , exigunt diuersa signa materialia. 889.b. à veteribus dicuntur mystiæ preces.1105.c. sunt determinata quoad sensum,non autem quoad syllabarum numerum,vel sonum vocis. 1112.a
Verba Christi Domini ad peccatricem cur non fuerint sacramenta. 28.c. Hebraica rectiùs exposita sunt à Marco & Luca,& ab eo , qui Matthæum Græcum fecit, quàm ab vllo alio exponi possint. 375.a. operantur & efficienter & sacramentaliter. 374.d. sunt spiritus & vita,id est,sunt verba applicantia & tradentia res diuinas spirituales vitam æternam adferentes. 396.d. illa , *Accipite , & manducate,&c.* dicta sunt ad Apostolos , sed de pane,& super panem,quare fuerunt efficacia circa panem,non circa Apostolos. 615. a
Verba eucharistiæ sunt forma consecrationis. 52.d. Dei dicuntur salutaria,quia saluant significando,& fidem excitando. 8. 4. d
Verba & signa sacramentalia sic pendent ex diuina institutione,vt ab hominibus propria auctoritate institui non potuerint. 121. d
Verba esse de essentia signorum negant Caluiniani. 344. b. certa non requiri in sacramentis,affirmauit Lutherus. 65.d
Verborum forma necessaria ad essentiam Sacramenti non tam instruit circumstantes , quàm conseerat & sanctificat elementum. 58.d. certa forma requiritur, vt determinetur indifferentia materiæ sacramenti. 93.c. proprius sensus in Scripturis non est dimittendus,nisi cogamur ab aliqua alia Scriptura, vel ab aliquo articulo fidei,aut à communi totius ecclesiæ explicatione. 361.d. proprietas est seruãda,nisi euidenter doceatur alicubi esse tropum.374.c. darut vltimum mutatum esse , & proinde vltimum instans eorum terminatiuum. 374. c
Verborum Christi , *Hoc est corpus meum,* ducentæ hæreticorum depraua tiones habentur in libello edito anno Domini M. D. LXXVII. 176.c.317.d.357.a.b.c.d
Verbis propriis dogmata, & præcepta debent efferri, aut si vno in loco tropicis efferuntur , alio in loco verbis propriis efferri debent. 360.c.d
Veritas quæ per panes propositionis figurabatur,est in Eucharistia. 457.a. Domini non potest restringi ad vnum locum, cùm sit vbique diffusa. 467. c
Versiculus ille , *Gloria Patri,&c.* compositus fuit à Nicæno Concilio. 810.a
Vera esse multa ostendit D.Aug. quæ homines intelligere non possunt. 304.a
Vestem candidam ferre solebant baptizati à Sabbatho sancto vsque ad Dominicam in Albis. 284.d
Vestibus candidis vti episcopos,presbyteros,& omnem clerum in sacrificij administratione,scribit D.Hieron.lib.1.contra Pelag. 800.d
Veteres patres habuerunt gratiam per fidem,vt nunc adulti per fidem & contritionem veram iustificantur , antequam reipsa ad sacramentum accedant. 137. d
Viam suam derelinquere , Isa.55. est non incedere antiquo atque vsitato itinere , 931. c
Victimam necessariò præcedit immolatio & proinde oblatio,cùm victima non fiat nisi per immolationem. 727 d
Victimæ dicuntur sacrificia ex animantibus. 692 d
Viduas, quia postquam luxuriatæ fuerant, nubere voluerunt,non damnat Apostolus 1. Tim. 5. sed quia nubere volentes, primam fidem, Deo videlicet datam de seruanda continentia, irritam faciebant. 1208. d
Vinculum coniugale nunquam soluitur nisi per mortem. 1179. c
Vindicta ad præteritum respicit,& ad iustitiam pertinet,non enim est aliud nisi id quod à Catholicis dicitur satisfactio. 1050. b
Vindictam pro amore Dei sumit vnusquisque de peccatis suis,vel à sacerdote iniunctam libenter admittit,vt iniuriam Deo factam ea ratione compenset. 1050. b
Vinum Gen. 49. apud Iacobum patriarcham significat sanguinem Domini , quia sanguis Domini est potus fidelium. 416. c. quantum ad accidentia significantia sanguinem Christi,remanent in Eucharistia. 418. a. ratione accidentium tantùm significat. 428.a. significat Christum. 600. b. dicitur fundi cum distribuitur , licet plenæ amphoræ donentur. 715. a
Vini & aquæ mistionis sex à Patribus afferuntur rationes. 600.a.b.c
Vino albo an rubro vsus sit dominus non constat. 59. a
Vinum solùm in calice offerendum docuerunt Armeni. 596. d. aqua esse miscendum in calice,Ecclesia catholica semper credidit. 597. c. Manichæi arbitrabantur esse fel draconis. 650. a
Vir vnus vt plures vxores habeat, minùs est absurdum, quàm vt vna mulier plures viros habeat. 1162. a
Virga Aaronis miracula faciebat efficienter. 117. a
Virginalis integritatis amissio,non consistit in fractione membranæ alicuius,sed in sola dilatione partium coniunctarum, sed continuarum. 501. b
Virginitas carnis semel amissa, reparari nequit. 501.c
Virgo aliquo modo placet Deo. 1. Cor.7. quo non placet coniugata,& sancta est virgo corpore & spiritu , aliquo modo, quo sancta non est coniugata. 1131. b
Virginem esse in partu, nihil aliud significare potest , quàm in ipsa actione patiendi inuiolatum illæsumque vterum permanere. 501 b
Virgines ait Cyprian. admonendas esse,vt si perseuerare nolint , aut non possint , aperte nubant. 1211. c. sacras , quæ cum viris dormierant. 1211. b. Cypr.adulteras Christi appellat. 1211. b
Virtualis intentio est, cùm actualis intentio in præsenti non adest ob aliquam euagationem mentis,tamen paulò antè adfuit , & in virtute illius fit operatio. 92. c
Virtus quæ est in sacramentis est corporalis. 135. d. diuinitus indita sacramentis non est aliqua noua qualitas inhærens spiritualis,vel corporalis,sed solùm motus seu vsus Dei. 131. d
Virtus sacramentorum ad iustificandum , non continetur in sacramentis vt in vasis. 8.d. aliquando est in elemento,aliquando in verbo,aliquando in vtroque.134.a. partim est in vna parte sacramenti , & partim in alia. 136. a
Virtus Dei est in rebus & verbis sacramentalibus, quando minister vtitur rebus & verbis,vt in Baptismo,confirmatione & vnctione extrema. 134 b. non est nisi in verbis sacramentalibus , cum minister non vtitur nisi verbis. 134 b.c. est in solo elemento, cum Minister solo elemento vtitur , vt cum porrigit Eucharistiam. 134. c
Virtutum opera in diuinis literis,non vocantur absolutè sacrificia,sed cum addito,vt sacrificium laudis,hostiæ spirituales,&c. 685 a. omnia opera non sunt sacrificia propriè dicta. 682.c
Vitæ asperitatem Deum imperasse Ioanni Baptistæ in scripturis non legimus. 1045. c
Vitia omnia reuocantur ad illa tria quæ posuit D.Ioan.in 1.epist. cap. 2 Concupiscentiam carnis,concupiscentiam oculorum,& superbiam vitæ. 1044.c
Vmbra non est corpus minus.sed nullum, nec habet aliud nisi similitudinem corporis, 141. b
Vnctio Chrismatis in vertice , baptizatorum videtur introducta, quia non semper adest episcopus,qui possit continuò dare post baptismum sacramentum confirmationis. 284.c. quæ fit in Baptismo non est Sacramentum , sed quid sacramentale. 293. d. corporum non est tantum honoris , sed etiam vtilitatis , quia conseruat, & odorem tribuit. 393. a. qua Apostoli Marci 6. vngebant infirmos, & curabant illos non fuit sacramentalis. 1087.c.1088.a. non est ritus si laicus inungat.1088 b. quinque sentuum per.inet ad essentiam vnctionis extremæ. 1 02.d. est cæremonia verè sacramentalis , quanquam accidentaria.si tamen in ipsa ordinatione virgitur caput episcopi ,& manus presbyteris. 1 1.c non est eadem Marci 6 & Iacobi 5. nisi eo modo quo dicuntur idem,figura,& figuratum.1092.b
Vnctio extrema est sacramentum verè ac propriè dictum. 1087. b. habet omnia quæ requiruntur ad sacramentum 1089 a. interdum adhibetur corporalem sanitatem. 1091. c. dicitur , quia est vltima respectu vnctionum, quas in aliis sacramentis percipimus, in baptismo, confirmatione, & ordinatione 1093. b. duos habet effectus, sanat enim corpus si ita expedit saluti animæ , & abstergit reliquias peccatorum. 1100. d. non habet pro effectu charactem,quare potest repeti quando sæpius quis incidit in morbum periculosum. 1100. d. non est ministranda infantibus , & iis qui semper amentes fuerunt. 1102. a. est specialis misericordia,quæ exhibetur ægrotis,qui iam non possunt agere pœnitentiam. 1102. b
Vnctionis Sacramentum,non datur nisi iis, qui decumbunt cum periculo vitæ. 1088. b. D Iacobus non instituit,sed hortatur ad illud suscipiendum, quod à Domino nouerat institutum. 1089.a. 1090. b
Vnctionis sacerdotalis fit mentio apud Euseb. lib. 10. Hist. cap. 4. secundum græcam fidem,& Simonem Metaphrasten in vita D. Chrysost. 1119. b
Vnctionis extremæ sacramentum fuit à Christo Domino institutum,& à D. Iacobo promulgatum. 74.d

per se, & propriè tollit omnia peccata, si quæ inuenit, modò non ponatur obex, quia ad hoc est peculiaritèr institutum in fine vitæ. 1101.c
Iidem apud Latinos & Græcos, sunt ritus. 1096.d. materia, est oleum oliuæ ab episcopo benedictum, ita vt consecratio & benedictio episcopi sit de essentia materiæ. 1099.d. forma est deprecatoria. 1100.c. forma, sunt hæc verba, *Per istam sanctam unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, &c.* 1100.a. minister, est presbyter, id est Sacerdos, & consequenter episcopus, si is velit. 1101.d
Vnctionem sacerdotalem Græci quia negligebant, ab Innocentio III. reprehenduntur. 1110.a
Vnctionem extremam è numero sacramentorum auferri conati sunt multi. 1087.a.b. Græci agnoscunt pro vero sacramento. 1105.b
Vnctos fuisse, multos ab Apostolis qui infideles erant, probabile est. 1088.b
Vngebant Apostoli ante Domini passionem omnes ægrotos, vt cæcos, claudos &c. 1088.b. non morituros, sed mortuum, Valentiniani hæretici. 1098.c. Hebræi corpora mortuorum. 1098.d
Vngit ecclesia eos qui de vita periclitantur, tunc enim quærenda sunt remedia supernaturalia, quando nulla spes amplius est in naturalibus. 1093.a
Vngendi infirmos ritus est duraturus quamdiu in ecclesia erunt ægroti, vt patet ex illis verbis Iacobi cap.5. *Infirmatur quis in vobis.* 1089.b
Vngendi non sunt reues fœminarum. nam id honestatis ratio postulat. 1102.d
Vnguentum consecratum, habet vim sanctificandi, & reipsa animam sancto spiritu sanctificat, cùm frons chrismate perungitur. 294.c
Vnio membrorum cum capite, qua efficimur vnum corpus mysticum Christi, propriè obtinetur per baptismum, & necessariò præcedit sumptionem Eucharistiæ. 410.c. ecclesiæ cum Christo commemoratur in eucharistiæ Sacramento. 601.d. populi cum Christo, fit per mistionem aquæ cum vino, non reipsa, sed solùm quoad significationem. 603.b. fidelium cum Christo & inter se significatur in specie panis etiam sola. 640.a. quælibet viri & fœminæ, non est res sacramenti Matrimonij, sed vnio planè insolubilis. 1139.c. hypostatica non trahit secum cõcomitantiam vnius naturæ cum altera. 528.d. quam significat & efficit Matrimonij sacramentum, est vnio non solum corporum, sed etiam animorum, per veram & diuinam charitatem, vt vxor iungatur viro, vt ecclesia Christo: & vir vxori, vt Christus ecclesiæ. 1139.d
vide *Sacramentalis vnio.*
Vnionem fidelium inter se designat vinum, quòd ex multis vuis conficiat, quòd autem in calice aqua vino admisceatur, vnionem Christi cum Ecclesia repræsentat. 640.b
Vnitas essentialis rei non pendet ab vnitate loci. 493.d
Vnum vt sit in alio naturaliter, necesse est vt natura vnius verè sit in alio. 434.c. vt sint aliqua naturaliter, satis est, si verè participant naturam ipsius rei in qua sunt vnum. 434.c
Voluntas inclinatur præcedente cognitione. 244.a. conditionalis impossibilium haberi. 928.a
Votum simplex obligat quidem in conscientia, tamen non transfert dominium rei promissæ ab eo qui promisit, in eum qui promissa est. 1209.a. continentiæ, reddi non potest ab eo qui vxorem duxit. 1208.d. continentiæ simplex, est impedimentum impediens contrahendum Matrimonium, non tamen dirimens contractum. 1208.c. solenne continentiæ est impedimentum impediens contrahendum Matrimonium, & dirimens contractum. 1208.c. solenne castitatis, dirimit Matrimonium post ipsum votum celebratum. 1210. 1211. 1212.
Voti nomine, cum de baptismi voto agitur, non pollicitatio, sed desiderium significatur. 74.a. continentiæ meminit Apostolus. 1.Tim.5. 258.d
Vota sunt de iure naturæ. 258.d. omnia non fiunt irrita per baptismum. 258.c. non possunt dici humana inuenta, cum habeant in Scriptura commendationem. 259.b
Vota sponte facta de ieiuniis, aut alia corporis afflictione, Deus approbat, & sibi reddi iubet. 1045.c. certa non solùm in specie aliqua, sed ne in genere quidem Deus nusquam imperauit. 1045.c. filiæ quæ in domo parentum habitat, & adhuc est in ætate puellari, pater irritare potest. 1205.d. simplicia qui faciunt, statum propriè non mutant, neque se ecclesiæ subiiciunt magis quàm antea subiecti essent. 1213.d. solennia qui faciunt, non solùm Deo se obligant, sed etiam sponte se subiiciunt ecclesiæ, vt ab ea cogi possint etiam per vim iudicij. 1213.d. solennia continentiæ qui suscipiunt, statum vitæ mutant. 1213.c.
vide *Baptismus liberat. Hæretici purgant.*
Votorum violatio potius pugnat cum baptismo, quàm ipsorum obseruatio. 259.b
Voueri possunt tum res præceptæ à Deo, tum res non præceptæ, modò sint res bonæ. 259.a
Vox eadem in eodem scripturæ capite variè accipitur, quando analogiâ & similitudo inter res significatas intenitur. 533.b
Vocum nouarum libertas periculosa in ecclesia. 18.b
Vsus malus rerum bonarum nocet. 387.d
Vtile est, & non frustrà fit illud, per quod nobis aliquid boni conferatur, licet illud ipsum alia via conferri potuisset. 518.b
Vtraque species concessa Bohemis. 4.c
Vualdenses bonis laicis concedebant ministeria sacramentorum, quæ malis sacerdotibus detrahebant. 86.c
Vuiclef negauit præscitos posse conficere sacramenta. 86.c. docuit corpus Domini non esse in eucharistia nisi vt in signo. 332.d. detrahit de omnipotentia Dei. 483.b
Vxor licet sit viro subiecta, non tamen vt famula, sed vt socia & collateralis. 1161.c. habet, & possidet, vt tem suam, corpus viri sui. 1.Cor.7. 1210.a
Vxotis consensus neque sufficit, neque requiritur ad polygamiam licitam reddendam. 1159.d. vnius vitum, id est qui non plures vxores habuerit, Apostolus 1.Timot.3. & Tit.1. ordinari voluit episcopum, presbyterum, & diaconum. 1155.b
Vxorem à concubina distinguit Leo epist. 92. & liberam ab ancilla. 1164.d. tradere lapidandam, non est propriè illam dimittere & ducere aliam. 1178.a
Vxorum communionem reprehendit Aristoteles. 1243.c
Vxores multas habuerunt Patriarchæ, & simul Deo grati atque accepti fuerunt. 1162.d

Z

Zelotypiæ cæremonia præscripta Numer.5. non erat sacramentum. 50.a
Zuingliani baptizabant in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 206.d.
Zuinglius quid senserit de sacramẽtis. 39.d docuit corpus Domini non esse in eucharistia nisi vt in signo. 332.c. fatetur Matrimonium esse sacramentum. 168.b

FINIS.